Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ANNALES
ECCLESIASTICI,
EX XII. TOMIS

CÆSARIS BARONII
S. R. E. PRESB. CARDINALIS,
BIBLIOTHECARII APOSTOLICI,
in Epitomen redacti.

Editio altera, priori longè accuratior.

Vna cum VITA eiusdem Illustrissimi Cardinalis; ac nonnullis *Posthumis lucubrationibus*, ad Annales pertinentibus: necnon & Notis ad eosdem Annales, pro rerum illustratione, & criminationum dilutione: ac breui AVCTARIO ab eo tempore quo Baronius cessauit, vsq; ad ann. 1622.

Operâ

HENRICI SPONDANI
Mauleonensis, S. R. E. Protonotarij.

MOGVNTIÆ, Impensis ANTONII HIERATI bibliopolæ Colonienſis
M. DC. XX. III.

Cum gratia et Priuilegio S. Cæsar. Maiest. speciali.

Ex libris F. Adolphi Strachenbach Prioris Veteris montis Aō 1637

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

21
K. g. 26 (2°)
Inc



Universitäts- und Landesbibliothek • Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf



CÆSAR BARONIVS SORANVS TIT. SS. NEREI ET ACHILLEI CARD. SACROSANCTÆ APOSTOLICÆ SED. BIBLIOTHEC. ANNALIV̄ ECCLESIAST. SCRIPTOR EXIMIVS. ÆTATIS SVÆ ANN. LXIX.

Historiâ et pietate micat Baronius alter
Lúmen ab alterníus lúmine súmit honos.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

SANCTISSIMÆ ET CHRISTIANISSIMÆ ECCLESIÆ GALLICANÆ, EIVSQVE ILLVSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS ANTISTITIBVS, AC CETERIS Venerandis sacri Cleri ORDINIBVS,

HENR. SPONDANVS *Pacem temporis, & æternitatis.*

CVM olim in priora volumina illustrissimi Annalium Ecclesiasticorum Conditoris, CÆSARIS BARONII, incidens, ingenti cum animi delectatione ea percurrissem; & dum alia aliis adderentur, illud ipsum studium eadem voluptate persequerer; ac demum sentiens, quæ mihi principiò facilem rerum perceptionem exhibebat, memoriam, paulatim earum copia grauatam, vt magis vberem, sic minus dispositam se præbere; huicque dispendio meo prouidere quærens, cœpissem eadem volumina in priuatum cõpendium redigere, & diuino auxilio cœptum peregissem: Inde proprio exemplo edoctus, quam sit eorum operosa lectio, quamq; sui multitudine & magnitudine, non solum fastidiosiores, sed & maxime cupidos, deterrere posset: ac re cum iis, quorum præcipue vel intererat, vel erat de iis iudicare, communicata; iussioni ipsiusmet eorum Conditoris, & hortationibus aliorum, siue cedens, siue confidens, proposuissem Opus, ab aliis quoque antehac tentatum, à nemine perfectum, ex priuato publicum facere: Iam cui satis digne vel accõmodate dedicarem, (quãdoquidem hanc omni tempore receptissimam consuetudinem prætermittere, vel fastus esse censeri posset, vel pusillanimitatis) aliquantisper hæsi. Equidẽ cum illud elaborarem Romæ, cogitaueram offerre Romano Pontifici; non solum quod apud eum partus creseeret, ac quod Romanus ego fide & ordinatione, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis scripta tractarem: sed potissimum quod etiam si in dissitissimis locis fieret, tamen cum de rebus & scriptis Ecclesiasticis ageretur, inciderent in memoria, quæ pridem Africanæ Synodi ad Theodorum Papam scribentes asseruissent; [a] nempe, *Antiquis regulis sancitum esse, vt quicquid quamuis in remotis, vel in longinquo positis ageretur prouinciis, non prius tractandum vel accipiendum esset, nisi ad notitiam almæ Sedis Apostolicæ fuisset*

[a] Extat Synodal. epist. in Lateran. Concil. sub Mart. Sect. 2.

deductum, vt eius auctoritate iusta quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cetera Ecclesiæ, velut de natali suo fonte prædicationis exordium, & per diuersas totius mundi regiones puritatis incorruptæ manerent fidei sacramenta salutis. & quæ propius ad rem nostram Gotifridus, Pantheon suum, seu Historiam vniuersalem, Vrbano PP. III. offerens, præmonuisset[a], *Nullum scripturarum elogium nosci esse authenticum, nisi à sacrosanctæ Matris nostræ Romanæ Ecclesiæ sapientiæ fluminibus sitientibus propinetur: & ideo si quod Historiarũ opus noua per aliquem institutione conficitur, rationem suggerere, vt antequam in publicum deueniat, Apostolico eius examini præsentetur: quatenus si acceptione dignum esse perpenditur, eius mandato & iudicio approbetur, & ab eo vires auctoritatemque recipiat, cui terrena & cælestia diuinitus sunt commissa.* His itaque de causis, cum istæc offerenda videri possent Romanæ Ecclesiæ Pontifici; retamen postmodum accuratius considerata, vt quæ illi elaborata essent, Tibi potius, CHRISTIANISSIMA ECCLESIA, persoluerentur, ratio visa est postulare; non tantum quod apud Te edantur, & quod Gallus ego origine & ortu, sinceriſſimi Gallicanæ pietatis æstimatoris volumina euoluã: sed præsertim quod integrum Opus iam Summo Pontifici ab auctore primario dicatum fuerit; nec vlla sit Ecclesia, post omnium matricem Romanam, quę proximius vniuersarum Capiti ab ipso initio inhæserit Fide, Vnitate, Dignitate. Tu enim aut prima, aut inter primas nulli secunda, Euangelium ab eo suscepisti. Et cum reliquæ fere omnes deformissima pepererint, fouerintve portenta hæresum, quorum seruili iugo ceruices submiserunt; Tu *b sola* eiusmodi *monstra non habuisti; sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundasti.* Tu *c firma fidelis petræ fundamine domus, cum nusquam gentium non blasphemiæ in Deum certamina mouerentur, incontaminata & illæsa ab omni contagio detestandæ hæreseos perstitisti: fidei integritatem, gloriosæ conscientiæ inconcussam stabilitatem, intemeratæ voluntatis illæsam imperturbatamque constantiam, innocentem inuiolatamque religionem seruasti, & sanctæ ac indemutabilis perseuerantiæ glorioso triumpho* præfulsisti. Tu illa, de qua sanctissimus Petri Apostoli successor, Christi Domini Vicarius, non minus vere quam magnifice testatus est, *Sicut [d] magnæ lampadis splendor in tetræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita Fidei Tuæ claritatem inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilare ac coruscare.* Aliusque de Te, *post Apostolicam Sedem, esse quoddam totius Christianitatis speculum, & immotum Fidei firmamentum; vtpote quæ in feruore fidei Christianæ, ac deuotione Apostolicæ Sedis, non sequaris alias, sed antecedas.* Tu, *ceteris f regionibus procliuibus ad schismata, haud aliquando tali factione fœdata es; nec malignorum acquieuisti erroribus; nec fabricata es in Ecclesia idolum; nec venerata in Petri Cathedra monstrum: sed semper Te g Deus & agnitione veritatis illustrauit, & pedes Tuos à iustitiæ tramite nullatenus aberrare permisit: ac sicut omnes, quos ad oppressionem Romanæ Ecclesiæ rabida tyrannici furoris prouexit inuidia, virtus Altissimi manifesta deiecit; sic omnibus quos deuotio* GALLICANA *suscepit, victoriam semper contulit & triumphum.* Tu denique, ipsis etiam Ecclesiæ Rom. Tuisque hostibus, vi veritatis, & multiplici rerum experimento fateri compulsis, *Inter [h] reliquas Christianitatis Ecclesias, nullis vnquam cessisti erroribus, nulla prorsus potuisti schismaticæ prauitatis infamia maculari: semper in plena Dei constantia perseuerans Romanæ Ecclesiæ pacem vnitatemque tenere.* In tantum vt Imperator ille, qui solo verbo pacem gentibus ad arbitrium indi-

a Gotifr. Viterb. præf. ad Vrb. PP

Hieron. aduers. Vigil.

c Hilar. de Trin. lib. 1.

d Greger. Mag. 5. epi. 6. ad Childeb. Reg.

e Greg. IX epist. ad Archiepisc. Rhem.

f Bern. Boeval. in Vit. S. Bern. l. 2. c. 1.

g Arnulph. Lexoviens. ad Episcop. Angl.

h Anaclet. qui sedit in schism. cont. Innoc. II. ep. ad Eccl. Gallic. ap. Baron. an. 1130.

cebat & bella, & tam vicinos quam remotiſſimos ſolo nutu terrebat; dolenter conqueri conſueſceret[a]; *ex quo Regem Francorum, & Gallicanam Eccleſiam ſeparare* conatus *eſſet à fide, & in ſuam hæreſim peruertere, vt adorarent idolum*[b] *ſuum; ſucceſſus ſuos relapſos eſſe; & quæ ipſum extulerat, in depreſſionem ſuam cœpiſſe fortunam fluctuare.* Dum igitur hæc Tibi dedicantur, vtrique ſimul ſit abunde ſatis, ac meum votum duplici emolumento compenſatur, quod quaſi Tu vna facta ſis cum Romana Eccleſia, cui adeo inconcuſſa fide & communione adhæſiſti; communique Patri, tempeſtatibus hæreticorum vel ſchiſmaticorũ agitato, tutiſſimus ſemper portus extitiſti; ac diu Sedem cum ea participaſti. Denique non ea minima ſuppetit facti mei ratio, quod nulla ſit penitus Eccleſia, poſt illam omnium Primam, cuius præclaris geſtis, pugniſque cum inimicis Chriſti, victoriis, atque trophæis, magis illuſtrentur Annales, quam Tuis; nec in qua ita viguerit, floruerit ve, diuinorum dogmatum puritas, diſciplinæ obſeruantia, morum cenſura, cuſtodia canonum, nitor ſacrorum rituum, peritia ſanctarum artium & ſcientiarum. Hæc enim continet, conſeruatque Volumen iſtud, inſtar vberrimi promptuarij, in quo quid ceteræ in te mirentur, imitenturque, copioſiſſime intueantur. Nec Te fœtidæ harpyę nuper obortæ, quibus haud triſtius vmquam monſtrum, aut ſæuior peſtis, ab vſque Orbe condito ſeſe Stygiis extulit impuriſſimis vndis, obſcurare vel inquinare poterunt; quin ſemper appareas candidior[c] niue, nitidior lacte, rubicũdior ebore antiquo, ſapphiro pulchrior, ſpecioſior forma præ cunctis gentibus, & multo florentior in Liliis Tuis[d], quam Salomon in omni gloria ſua: quamdiu quo hactenus proceſſiſti pede perrexeris, firmiter innixa ſolidæ Petræ Petri; eiuſque doctrina fulſeris, vt Sole Luna. Reſtat, vt ſicut Illuſtriſſimus Annalium conditor, more maiorum, Tomos ſuos Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeueriſſimæ cenſuræ ſubiicere, eoſdemque probatos, Apoſtolica benedictione veluti diuino quodam ſigillo conſignatos offerre conſueuerat: ita & Tu, Christianissima Ecclesia, per ſacros Doctores approbatam hanc meam ex latiſſimis eorumdem Tomorum campis collectam in vnum faſcem ſegetem, benedictione Tua confirmes; vt gratum præbeat eſurientibus paſtum; & ſic duplici munimento ſecura, nullis vmquam pateat malignorum morſibus. Etenim quicumque hæc ita comprobata maculare voluerit, ſe imperitum, aut maleuolum, vel etiam non Catholicum; non me temerarium, aut fallacem comprobabit.

a Fridericum Ænobarb. Sunt autem hæc verba Iob. Saresb. ep. 159.

b Nempe Antipapã, erectum aduersus Alexandrum Tertiũ, qui ad tutiſſimũ Galliarum portum cõfugerat à turbine tyranni.

c *Lament. Ieremi. 4.*

d *Matth. 6*

AD LECTOREM,

DE ANNALIVM BARONII PRÆSENTI EPITOME.



PERÆPRETIVM *forte videri posset, vt qui Epitomen edimus, rem multis ingratam, à multis iniuriosam æstimatam, aliqua saltem de eiusmodi scriptionis genere præloqueremur. Sed quamuis haud adeo difficile esset de ea agere; non tamen est animus, vel illos recensere etiam nominatissimos viros tam veteres quam recentiores, & tam sacros quam profanos, qui similibus studiis operam suam honestissime locauerunt, vel fructus multiplices, qui magna copia inde exorti sunt, dinumerare: cum hæc magis relinquenda sint illis, qui rem quampiam suapte sponte absque vlla auctoritate proferunt; aut eam obtrudunt, cuius adhuc sit dubia vtilitas. At nostro his defectibus immuni Opere, vt quid verba terenda in re non necessaria, cum sit instituti etiam in necessariis breuitatem colere?*

Nam quod imprimis ad auctoritatem attinet, en in ipso limine, ipsissimi illius cuius maxime interfuit, Epistola Illustrissimi Cardinalis BARONII *post nostrum ab Vrbe recessum, his verbis ad nos in Galliam non solido ante obitum anno conscripta:* CÆSAR Tituli SS. Martyrum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Baronius, Henrico Spondano. Quod de Annalium nostrorum Epitome, opera & studio tuo elaborata significasti, non gratum mihi acceptumque esse non potuit. Etsi enim re vera totum hoc breuiandi genus probare vix solemus, rarumque sit vt ex animi sententia lectoribus procedat: ea tamen de prudentia, fide, ac diligentia tua, nostra est fiducia, vt quod abs te profectum sit, id omnibus placere posse arbitremur. Quare quod ad Epitomes tuæ editionem spectat, ne mora sit Sedis Apostolicę decretum, quo cautum est, nequid eiusmodi nisi permissu nostro exeat in lucem, plenam tibi liberamque potestatem damus; eiusque indices, ac testes, has literas esse volumus. Vale. Romæ prid. Cal. Sept. 1606. *Subscriptio sic habet:* Vti frater amantissimus, Cæs. Card. Baronius. *Superscriptio vero:* Admodum Reuerendo Domino, D. Henrico Spondano. *Cui etiam cum aliquando coram cum illo agens de multiplicibus aliorũ circa hæc laboribus, (quibus singulis propriam suam laudẽ relinquimus) obiecissem; fore tandem vt si quod ederetur Compendium gustui Lectorum gratum, Annalium Tomi fastidirentur; respondit optimus Cardinalis, se non propriam gloriam quærere, sed commodum publicum sibi curæ esse: nec tamen ipsis Annalium Tomis adeo timendum, quod in Bibliothecis conseruandi forent, quamuis non facile omnium manibus tererentur. O virum bono publico natum? ô ineffabilem sanctissimi viri candorem.*

De vtilitate porro nostræ Epitomes non alij nobis impræsentiarum testes euocandi videntur, quam frequentes eius à prima editione, in Gallia, Germaniaque

excu-

excusiones, & per hunc nostrum, nouumque illum Christianum Orbem secundis admurmurationibus distractiones: Siue id acciderit, quod legere amplos illos Duodecim Tomos Annalium, vel eosdem solertius perscrutari, opus nimis arduum hominibus occupatioribus videretur: siue Deus Opt. Max. benedictionem suam impertiri labori nostro dignatus fuerit, quem sciret nonnisi ad maiorem ipsius gloriam, ad publicum Ecclesiæ commodum, & ex præscripto solummodo Auctoris Annalium, nullo nostro priuatim quæsito nomine, imo & libentissime, si per alios licuisset, tacito, promulgatum fuisse.

Cumque Tomis illis Baronius, ab ipso CHRISTI Redemptoris nostri aduentu sumpto narrationis exordio, res gestas cuiusque anni (hoc enim Annales sonant) exacta in omnibus habita, quantum fieri potuit, temporis ratione, retulerit: Vna cum nascentis Ecclesiæ primordiis, ipsa Christianæ Religionis fundamẽta primitus iacta, diuinas Leges, pias functiones, sacra Concilia, editos Canones (vt instituti ratio postulauit) singillatim recensuerit: Catholicæ Ecclesiæ visibilẽ Monarchiam à CHRISTO Domino institutam, super PETRVM fundatam, ac per eius legitimos successores, Romanos Pontifices, inuiolate conseruatam, religiose custoditam, numquam interruptam, per singula tempora demonstrauerit: Quibus incrementis Christiana Religio per totum se Terrarum Orbem diffuderit, ac successione temporum longe latèque in vnius visibilis Capitis Romani Pontificis coniunctione coagmentata, atque in vno Spiritu fuerit propagata, aperuerit: Bella siue externa, siue ciuilia, quæ à tyrannis, aliisque hostibus, quæve ab hæreticis, vel schismaticis, aduersus Catholicam Ecclesiam sunt conflata, eademque Christi veritate quomodo profligata & extincta fuerint, adiecerit: Res gestas Imperatorum, ac ceterorum Principum, quæ ad Ecclesiæ statum spectare visæ sunt, annis singulis intexuerit: Qui cunctis sæculis viri sanctitate conspicui, atque eruditione celebres claruerint, quandove ex hac vita decesserint, subinde adnotauerit: Obscuras Ecclesiasticas voces, & glossemata, ac loca perplexa, quæ in antiquorum Auctorum scriptis inter legendum occurrerunt, elucidauerit: Hæc, inquam, omnia cum Duodecim illis Tomis diffusissime simul & accuratissime tractata contineantur: quæ maior vtilitas hoc in genere excogitari potest, quam si vno volumine eadem ipsa ita contracta habeas, (id enim omni studio conati, diuino beneficio, vt omnium audio esse sententiam, consecuti sumus) vt ad absolutam rerum cognitionem non iam Tibi sint Tomi illi consulendi, nisi cum te forsitan per spatiosos illos scriptorum campos ex quibus illa collecta sunt, otiose exspatiari delectabit?

Id vero quomodo præstiterimus vt scias; in ipsa narrationis serie Baronium loqui intelligas; at stylum non vnius Baronij esse, sed plerumque eorum auctorum ex quibus rei gestæ narratio desumitur. Id enim attẽdimus, quantum licuit, vt quemque suis verbis loquentem induceremus; quia latentem habent energiam ad concipienda eorum sensa, quæ vix alienis verbis exprimantur. Ac propterea non est vt quis styli dissimilitudinem arguat, vel etiam inelegantiam, maxime cum à priscis illis sæculis receditur, aut cum verba Græca Latine redduntur.

Quod Baronius de aliquo dogmate, aut controuersia, aliaue quacumquere agens, variis sparsim locis & annis pro disputationum occasione tractauit; nos, quantum fas fuit, in vnum tantum vel alterum collegisse. Ne vero hoc cui fraudi esset, notasse in margine locos Annalium quibus ea tractantur: ac siquæ præterea

Annalium ſede mouimus, de rebus quidem alicuius momenti rationem illico ſubieciſſe, leuiores oſtenſuro copioſiſſimo Indice commodioribus locis collocatas: ita vt nihil omnino vel Baronij ordini ac ſententiæ, vel rerum geſtarum narrationi ac tempori deperiiſſe dici poſſit. Si tamen animaduerteris, Baronium poſterioribus Annalium Tomis Appendices apponere conſueuiſſe, quibus multa in prioribus aliter diſponenda, vel emendanda, ſiue etiam augenda vel minuenda iuberet: quæ nos religioſe obſeruauimus, ſicuti & fere obſeruatum vidimus in nouiſſimis Annalium editionibus Moguntina & Antuerpienſi; ad quarum marginales numeros reſpeximus, quandocumque aliquos indicauimus in Notis ad Epitomen. Ac denique quotieſcumque Baronius Lectorem remiſit ad Notationes ſuas in Rom. Martyrologium, inde nos quæ ad rem facerent in Epitomen tranſtuliſſe. Atque etiam nonnumquam aliqua alia interſeruiſſe, vel ſubdidiſſe, quæ ſponte occurrerunt, ſiue ex iiſdem ipſis auctoribus, vnde reliqua narratio deſumitur, ſiue aliunde ad dilucidiorem narrationis explicationem, vel vtile ſupplementum. Præter pluſculas emendatiunculas: quas ſiquis inter legendum animaduerterit, eas me meo periculo defenſurum ſciat.

Iam vero quod nonnulli tam Catholici, quam præcipue hæretici, Annales Baronij multiplicibus criminationibus inceſſentes, ſententiarum ſuarum aculeos quo iure quaque iniuria in eum coniecerint; & ex aduerſo non pauci docti atque ſinceri viri pro doctiſſimo ac ſinceriſſimo ſcriptore fortes apologias conſcripſerint: viſum eſt faciendũ, vt Notas quaſdam minutiori charactere apponeremus, quibus non quidem omnes Baronio factas obiectiones, ſed ſparſim præcipuas iiſdem ipſis locis & indicaremus, & vel aliquando proprio ingenio dilueremus, vel ſæpius eorum qui pro illo ſcripſerunt rationibus & argumentis (ſeruata vnicuique honoris & nominis ſui prærogatiua) refelleremus. Cum tamen non ij ſimus, vt contendere velimus Baronium in omnibus rem acu tetigiſſe; ac propterea minime hæſitauerimus aliquas eius mendas agnoſcere: qui ſatis exploratũ habeamus, nihil ei in vita gratius accidere potuiſſe, quam cum beneuole de iis moneretur. Sed moroſos illos cenſores quis ferat, quibus id tantummodo ſapit quod ipſi condiunt? quorum & pleriq; cum pleraq; ſua ex ipſis Annalibus Baronij hauſerint, turpi tamen ingrati animi vitio eidem inſultare non ceſſant? Cum & præterea fuerint etiam è Catholicis, qui incaute nimis reprehendiſſe poſt obitum Baronij reperiantur, quæ ipſemet poſterioribus Annalium Tomis emendanda iuſſerat: aliique improuide queruntur aliqua momenti ab eo in Annalibus prætermiſſa, quæ ipſe licet non iis locis quibus iſti ea dicta vellent, aliis tamen opportunioribus expreſſit.

Sane temporum hiſtoria nihil impeditius eſt: ita plerique omnes adeo diuerſi abeunt, vt inter omnes conuenire impoſſibile ſit. Siquid vero certi & indubitati in tanta caligine videri potuit, omnino Baronius id vidit. Qui & in iis quæ errauit, haud improbabiliter errauit, dum nihil aſſerit, quod vel ratione, vel grauium Scriptorum auctoritate non probet. At eſto non omnia peruiderit Baronius; an tamen ei cõtinuo inequitandum? Quis demum iſte modus vel legendi, vel ſcribendi? Vel quotuſquiſque ex iiſdem ipſis eiuſmodi criticis, qui trium foliorum libellulum conſcripſerit, & vnicam tantummodo quantumlibet vulgatiſſimam quæſtiunculam, aut materiolam tractandam ſuſceperit, audeat profiteri ſe ſcopum attigiſſe, & punctum tuliſſe? imo non illico alias ſubeat rigidiores cenſuras? Quid vero ſi Duode-

cim

cim prægrandes Annalium Tomos confecerit; Sanctorum fere omnium Vitas, & alia non pauca tractauerit de cunctis quæ vmquam vel vſquam in Eccleſia occurrerunt quæſtionibus; & in rebus ex profundiſſimis antiquitatis abyſſis & abſtruſiſſimis receſſibus eruendis, ac per infinita multiplicium & inuolutiſſimarum difficultatum ſpineta deducendis laborauerit? Et quantula ſunt, ac quam leuia ea quæ in Baronij ſcriptis reprehendi poſſint, præ illa immenſa rerum grauiſſimarum numeroſitate quæ inoffenſo decurrantur pede?

Et quoniam in hæc ſemel incidit ſermo, vix queo mihi temperare, quin hic obiter auctorem[a] illum tangam, qui Chronographum ſe Regis Catholici indigitans, & ex illorum Hiſpanorũ turma vnus, qui irritatioribus animis in Illuſtriſſimi Cardinalis manes irarum ſuarum ſpicula coniecerunt; in Opere quod Hiſpanice edidit de Conuenientia duarum Monarchiarũ Catholicarum, nempe Eccleſiæ Rom. & Imperij Hiſpanici; *præter iniquiſſimas reprehenſiones quibus ſæpe Baronium impetit; egregius ſcilicet Hiſtoriæ tractator, nihil aliud tota illa ſuauiſſimarum ſuarum coaceruationum mole contendit, quam Pontificem Rom. quicquid habet imperij ſpiritualis in Orbe, quicquid etiam dominij temporalis in Vrbe, vel mero Regum Hiſpaniæ beneficio, vel certe præcipua ipſorum opera habere & poßidere: Regeſque Hiſpaniæ, ob antiquiorem fidem, & ſanctitatem, potentiamque Regni ſui, anteire debere Francorum Regibus. En quo ferat ſanctiſſimi religioſi Ordinis profeſſorem, gentis zelotypia! Hæccine loquitur Romanus Pontifex? Vox iſta eſt Romanæ Eccleſiæ? Minime ſane: haud enim delectatur oſtentationibus vaniloquentiſſimis. Nec, ſi ſerio res agenda ſit, vllus extra Hiſpaniam vſquam gentium fuerit nõ Hiſpanus homo, aut non plane plumbeus, & omnium omnino tam veterum quam etiam recentiorum, & tam Eccleſiaſticarum quam ſæcularium rerum penitus expers, qui nõ hæc paradoxa ſibilis & cachinnis excipienda decernat. Hæc nimirum eſt fides & ſanctitas gratiſſimi Regni; quod abſque Francorum Regum pietate & potentia fuiſſet, forſan adhuc fœde deſideret in ſpurcitiis Arianiſmi Gothici, aut ignaue gemeret ſub turpi iugo infidelium Saracenorum. Sed Lethæum, ſiue Obliuionis[b] fluuiũ eſſe in Hiſpania, quis neſcit? Et quæ ſit ventorum in ea fœcunditas, quis ignorat? Longe tamen ſcriptor iſte illo alio[c] modeſtior, cuius idem ipſe meminit, eiuſdem gentis homine; qui etiam hoc publicis ſcriptis effutire non eſt veritus, Oſium Epiſcopum Cordubenſem præfuiſſe Nicæno Concilio tamquam Hiſpanum. Sane ſi hoc modo agerem: Sed quoniam inſipientia eorum nota facta eſt omnibus, verbum vltra non addo; cum rem propalaſſe, confutaſſe ſit. Monebo tantum amice atque beneuole, vt qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat; & multo cautius qui alias cecidit, in timore ac tremore ſalutem ſuam operetur: ne moueatur candelabrum de loco illo, & vinea locetur aliis agricolis.*

Hæreticos quod attinet Baronij criminatores; haud eorũ mirandum eſt os impurum, quo in eum debacchati ſunt. Hæretici enim ſunt: qui ſicut nõnullis canibus innatum eſt, vt per conſuetudinẽ latrent; ita ipſi cum maledicũt, agunt quod didicerunt: aliter enim neſciunt loqui. Et ſicut non[d] poteſt Æthiops mutare pellem ſuã, & pardus varietates ſuas; ſic nec ipſi poſſunt benefacere, cum didicerint malũ. At vero nullam habet auctoritatem ſententia, vbi qui damnatus eſt damnat. Et ſapientis vnius laudationi plus tribuendum eſt, quam ſexcentorum hominum ludibriis. Egregie Seneca[e]: Si de me vir bonus ſentit, eodem loco ſum, quo ſi omnes

a Auctor lib. Eccl.

b Strab. lib. 3. & 14.

c Valdes. li de dignit. Reg. Hiſp. cap. 2.

d Iere. 13.

e Senec. epi. 102.

boni idem sentirent. Omnes enim, si me cognouerint, idem sentient. Par illis idemque iudicium est: æque vero sentitur ab his qui dissidere non possunt. Apud malos dissimilium iudicia sunt, dissimiles affectus. Apud eos falsa sunt, quibus assentiuntur. Numquam autem falsis constantia est. Variantur, & dissident. *Ita prorsus accidit istis Baronij obtrectatoribus: qui cum etiam in ipsis suis reprehensionibus adeo sibi inuicem aduersentur, vt quod vnus adstruit, alius destruat; quis ædificatores istos Babylonicos audiat? Terrigenæ pereunt per mutua vulnera fratres. Ne quidem mirum: quandoquidem plerique eorum, telo Baronium petere simulantes, Ecclesiam ipsam Catholicam, eiusque sacra dogmata, & compositissimam œconomiam à Baronio descriptam impetant. Qua etiam ex parte felicem te,* BARONI, *ad quem non possit accedi, nisi per medios Ecclesiæ cuneos: imo cuius transuerberandum prius sit pectus, quam ad Ecclesiam penetrari possit. Sed confide: sagittæ* [a] *paruulorum factæ sunt plagæ eorum, & infirmatæ sunt contra eos linguæ eorum. Sicut enim qui contra hunc inexpugnabilem murum præsumpserunt aliquando arietare, confracti sunt: ita & qui in te collimabunt, iacula in se ipsos retorta sentient. Incident* [b] *in foueas quas faciunt: conuertentur dolores eorum in capita eorum. Ringantur illi, ridebit eos Ecclesia: & stabit inconcussa, terra cæloque firmior, Petra illa firmissima, secura diuino promisso, vt nunquam* [c] *aduersus eam prævalitura sint portæ inferi. Petra, inquam, illa Romana, super quam ædificata est vniuersa Ecclesia Catholica: cui numquam bene alicui cessit fuisse obluctatum. Obnisi sunt in eam ab vsque eius fundatione, non solum Hæreses, & Schismata, Sectæque innumeræ admodum inter se dissectæ; sed etiam Imperatores, Reges, Respublicæ; Patriarchæ, Primates, Episcopi; Synodi assertæ Oecumenicæ, Generales, Prouinciales: sed contra istam Petram collisæ, nihil nisi spumam eliserunt. Nec potuit certius eius veritas probari, quam cum in signum positam vidimus, cui vndique contradictum sit, & in quam ingruerint procellæ, altissimiq; fluctus motu prauorum spirituum excitati. Quamuis enim obruenda aliquando visa sit eorum impetu, vicit tamen plane ea eadem, & velut Arca* [d] *illa Noe, quo magis creuerunt aquæ, eo magis eleuata est in sublime; dum in tempore aduenies vltio diuina, impiorum & æmulorum molimina ad nihilum redegit, ipsosque perpetua respersit confusione & ignominia.*

[a] Psal. 63.

[b] Psal. 7.

[c] Matt. 16

[d] Gen. 7.

Ex illis porro hæreticis, qui famosiori nomine, post Baronij obitum, dedita opera in eum scribere gestierunt, vnus fuit Melchior Goldastus *Heluetius alter* Isaacus Casaubonus *Delphinas, vterque Caluinista: vix enim alios quam istius sectæ homines reperias, qui tam audaci fiducia res sibi ignotas tractare præsumant. Quorum primus, obscurus tenebrio, famam sibi ex celeberrimi viri gloria adipisci astute cogitans, Operi quod edidit* Constitutionum Imperialium *cõmentarium adiecit specioso titulo* Rationalis: *quo inter irrationabilia fumosi cerebri insomnia, specie tuendi iura Imperij aduersus Baronium, & Rom. Pontifices, tartarea conuicia, & horrificas criminationes in Illustrissimum Cardinalem exima impurissimi pectoris spurcitia euomuit. Sed vt ab eius maledictis, & pseudologiis refutandis ceteri omnes desisterent, fecit nobilissima illa* Apologia *fortissimi & huiusmodi certaminibus exercitatissimi athletæ* Iacobi Gretseri, *professoris Societatis* IESV, *cuius laus ingens in Ecclesia Dei; eiusdemque contra Goldasti Replicationem* Defensio: *quibus illum, magna eius insciticæ & intemperantiæ infamia, validissime confutauit.*

Alter

Ad Lectorem.

Alter cum videret ceterorum in Baronium conatus penitus retusos, grammaticali supercilio valentior sibi visus; vt certamen redintegraret, Exercitationes *publicauit, quibus Baronium prosterneret. At quam infeliciter res ei cesserit, iam nemini litteratorum non notum: quod leuissimi ingenij homuncio, idem esse putans Theologum, aut Historicum Ecclesiasticum esse, ac Criticum agere, prætextu reprehensionis Baronij (quem viuentem mire colere etiam scriptis litteris simulauerat) omnem exuens modestiæ pudorem, & Archipædagogiæ arrogantiam induens, se vnum constituit supremum quotquot omnium fuerunt tam Ecclesiasticorum quam profanorum auctorum Iudicem; & in eos qui præter ipsum sentiunt, maledicentissimi detractoris verba vsurpauit: idque tanta plerumque inscitia, vt qui hactenus non parum sibi nominis in literis humanioribus & historia profana fecisset, totum illud in his Exercitationibus amiserit, dum neq; doctrinæ in iis ipsis facultatibus quas profitebatur, neque iudicij in vlla parte eruditionis, laudem quam ambiebat tulit. Quod ne quis gratis dictum putet; quem delectabit scire quam sacras literas peruerse, Patres irreuerēter, historiam inscite, grammaticam & philosophiam fraudulenter tractauerit; quamq; vbiq; suum qua fas qua nefas carpendi Baronij pruritum expresserit, eique detrahendi nullam vel minimam occasionem prætermiserit, & nusquam non se perfectum exemplar inanissimæ vanitatis, & impudentissimæ calumniæ præbuerit: vel ipsum eius librum, si facultas adsit, legat, & cum Baronio aliisque quos citat auctoribus conferat; vel aliquas eius consulat confutationes, quæ mox vbi prodiit liber, multiplices è Gallia, Italia, Germania Superiori & Inferiori eruperunt. Vt vix vllum vmquam scriptum promissum fuerit, quod maiori opinione ab hæreticis expectaretur, minori applausu ab iisdem ipsis exceptum, & à Catholicis faciliori fuerit conatu confutatum: Et ipsummet Casaubonum, postquam ab illa qua præceps ferebatur amentia ad se paulisper rediit, adeo eiusdem suæ scriptionis puduerit, vt non valens sustinere opprobriū quod inde regerebatur, mori elegerit quam tantæ existimationis suæ cladi superesse. Vnde & alij discant, non altum sapere, sed sapere ad sobrietatem: si forte hoc intelligere detur vmquam hominibus illis, qui summum bonum in aliorū scriptis limis oculis & obliqua mente examinandis constituunt. Quos apprime rectissime describens Iosephus Scaliger in suis ad Canones Isagogicos Prologomenis:* Quinam *(inquit)* se hodie ad scribendum conferunt, qui non putent sibi in litteris omnem maledicendi licentiam patere, quę nemini parcat, nullum genus hominum patiatur expers esse virulentiæ & importunitatis suæ? Ventosissima & futilissima omnium qui litteras tractant, gracculorum Criticorum natio, non solum liberalium artium, sed & omnis ciuilitatis & humanitatis expers, nullum librum instituere potest, nisi eum à contumelia incipiat, & in contumelia terminet. Peccauit aliquis in verbulo, in syllaba, aut aliud humanitus pro vero substituit? hoc satis est nouo libro conscribendo, tanta insolentia, ac contumeliarum strepitu, vt neque personarum, neque loci, neque ordinis ratio habeatur. *Diceres se ipsum viuis coloribus vbique in suis scriptis, & Casaubonum, Goldastum, aliosque Baronij criminatores (inter quos & ipse Scaliger non postremus) depinxisse.*

Ceterum Baronij diligentiam, fidem, eruditionem, ac iudicium, non Catholicis tantū, sed etiam plurimis hæreticis, quibus cor magis sapit, placuisse, publica ipsorum testimonia prædicant; atque etiamnum placere scimus: æternum autem placitura piis omnibus, nulla est dubitatio. Cuius nobilissimos illos Duodecim Annalium

a Iosue 4.

lium Tomos, tot dixeris Lapides [a] *de abyssis antiquitatis extractos, post transmissos magno miraculo cum sacra sarcina sicco vestigio turgentes eius vortices; eosdemq; ad memoriam sempiternæ eius gloriæ in castris Ecclesiæ sublimes collocatos. Nihilq; vnquam tam in Baronij Opere à cordatis viris desiderabitur, quam quod præmaturo Auctoris transitu relictum fuerit imperfectũ, quod adeo felici progressu ad conceptum terminum perductum fermè erat. Quare effundant licet inuidi & maledici virus suum in eum, certe nunquam efficient vt eius memoria bonis & litteratis excidat, desinatq; aliquando in benedictione & sanctificatione perseuerare in Ecclesia Dei.* b in memoria æterna erit iustus, ab auditione mala non timebit. Collaudabunt c multi sapientiam eius, & vsque in sæculum non delebitur. Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enuntiabit Ecclesia. *Nec magis gloriam eius denigrabunt atræ liuidorum nubes, quam fumus Solem. Sicut enim deficit* d *fumus à facie Solis, sic illi deficient, & sicut fluit cera à facie ignis, ita peribunt; & tamquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ, ita disparebunt. Etenim*

b Psal. 111.

c Eccles. 39.

d Psal. 67. & 1.

e Horat. 3. odar. 30

Exegit e monimentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius;
Quod non imber edax, non Aquilo impotens,
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Contra vero singulis aduersariorum libris titulus iste apposite affigetur:

f Id. 1. epist 20.

-----aut f tineas pasces taciturnus inertes,
Aut fugies vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam.

Vel ille alius:

g Id. 2. ep. 1.

Deferar g in vicum vendentem thus, & odores,
Et piper, & quicquid chartis amicitur ineptis.

Quod vero nostra priuatim interest; cum excusatiores nos in Epitome esse debuerimus, qui non præiuimus, sed alienis institimus vestigiis; sane parum æque ac decenter egisse noscuntur, qui nos etiam ea ex parte in crimen vocarunt. Sed hoc fuit quod in prioris editionis præfatione optaueramus, nimirum vt qui Baronium auersarentur, etiam nobis aduersarentur. Quocirca ne inique ipsimet conqueri videamur, satius ducimus & reprehensores & reprehensiones silentio præterire: quandoquidem eis iampridem noxiam remiserimus, & de nonnullis acturi simus necessario suis locis in Notis hac editione adiunctis; reliqua dimissuri rapidis ludibria ventis.

Siqui vero ex nostro qualicumque epitomandi labore aliquid adiumenti percepisse fatebuntur, primum quidem Deo Opt. Max. gratias agant, qui quod dedit velle dedit & perficere: deinde ipsi μακαρίτῃ *Baronio, qui iniunxit; ac denique aliis quamplurimis tum Antistitibus tum ceterorum Ordinum Ecclesiasticis viris, qui impulerunt. De omnibus autem, & in omnibus, & in omne ævum, sit sacrosancta & individua Trinitati perfecta laus, virtus, & gloria; Deique Genitrici, atque omnibus sanctis honor sempiternus; pax quoque in terra hominibus bonæ voluntatis; & obstinatis in hæresi, schismate, infidelitate, & peccato, perpetua cum diabolo & angelis eius confusio.* AMEN.

DE ILLMO ET RMO

CARDINALE BARONIO, ANNALIVM ECCLESIASTICORVM CONDITORE.

VM Imaginem Illustrissimi ac celeberrimi Cardinalis CÆSARIS BARONII, quam è regione conspicis, ad viuam eius similitudinem effigiari curauerim, quo in ipso præsentis ædificij vestibulo primarius eius architectus dignoscatur: fuit etiam animus, aliquod Vitæ elogium addere; quo ex sanctis eius moribus, & Deus glorificetur, qui talem eum fecit; & Ecclesia honoretur, quæ genuit; & boni lætentur, qui labores eius admirantes fidem atque eruditionem suspiciunt; ac denique mali, vel conuertantur cum illius virtutis inclytum decus & Christianæ probitatis formam agnouerint, vel quandocumque ei detraxerint, maledicentiæ id ipsimet atque inuidiæ potius quam veritati ac zelo tribuere, saltem intra se compellantur. Prædicasse quidem satis videri possem, solo prolato nomine BARONII. Sicut enim de Demosthene locuturus aliquando Valerius *a*, & quantus vir fuisset breuiter demonstraturus, *Cuius*, inquit, *commemorato nomine, maximæ eloquentiæ consummatio audientis animo oboritur*: ita audito BARONII nomine, HISTORIÆ ECCLESIÆ PATREM, consummatissimum ANNALIVM SACRORVM CONDITOREM mox sibi quisque repræsentauerit. Quis enim hæc vocabula norit, & Baronium non norit? Quis ipso dilucidius Apostolicas Traditiones, & Ritus Christianos explicauit? sacras Synodos egregius illustrauit? impias Hæreses fortius confutauit? Catholica dogmata firmius stabiliuit? Ecclesiæ maiestatem solidius constituit? SS. Martyrum, Confessorum, Pontificum, Doctorum, aliorumque toto Orbe Christianis sæculis illustrium virorum Res gestas aptius disposuit? temporum difficultates felicius enodauit? plura optimæ notæ abdita venerandæ antiquitatis monumenta publicauit? Quis non eius in his exequendis extulerit peritiam diuinæ & humanæ scientiæ, grauitatem dictionis, fidem narrationis, iudicium selectionis?

Quod si hæc externa cunctis patentia, sufficerint ad immortalem viri laudem; quid si virtutes addantur internæ, quæ ipsum immarcessibilis gloriæ felicissimum possessorem reddiderunt? Prolixa laudatio est, quæ non quæritur, sed tenetur. Sane dicere fas sit de illo, quod olim de Magno Athanasio Gregorius *b* Nazianzenus: *Athanasium laudans, Virtutem laudabo. Idem enim est illum dicere, quod Virtutem laudibus efferre; quoniam virtutes omnes in vnum collectas tenebat.* Etenim quot homines BARONIVM nouerunt, tot fuerint præcones eius immensæ pietatis in Deum, piæ venerationis in Sanctos, ardentis charitatis in proximos, humilis reuerentiæ in superiores, sinceræ amicitiæ in æquales, beneuolæ humanitatis in inferiores, perfecti contemptus mundi, diuitiarum, honorum, dignitatum, suimet ipsius: Præter iugem rerum æternarum meditationem, ac continua ad eas vel violenter rapiendas certamina vigiliarum, orationum, ieiuniorum, eleemosynarum, ciliciorum, flagellorum, aliarumque asperitatum; eo quidem difficiliora, quo secretiora.

Nouerint hæc quidem ij præcipue qui familiarius cum eo versati sunt. Sed quia non solum iis hæc perstrictim recolenda suggerere, verum omnibus per Orbem latius explicare suscepi: id sic acturus vento, vt superuacaneam rerum verborumque coaceruationem prætermittens, ea simpliciter proferam quæ non tam admirationem facere possint, quam animum ad sequenda honestissimarum virtutum exempla quasi quibusdam stimulis excitare. Excerpta illa vel ex

publi-

I.

a Valer. Max. lib. 8. cap. 7.

b Greg. Naz. in Or. qua Athanasium laudib. effert.

III.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

publicis ipſiuſmet Baronij de ſe, aliorumve *a* priuatis de eo ſcriptis; vel ex iis quæ ſpeciatim vidi egometipſe olim, dum frequens cum eo Romæ eſſem, aut certa relatione à viris omni fide dignis accepi.

a [R.P. Ant Michael Buccius, Rom. Congregat. Oratt. presbyter, præter orationem funebrem iamptidem editam, prolixiorem tractationem compoſuit Rerum à Baronio geſtarum, quinque libris diſtinctam: quam nondum typis datam, de illius ceterorumque Patrum conſenſu (quæ eſt omnium benignitas, & publicæ magis vtilitatis quam priuatæ laudis ſtudium) communicauit mihi *D. Fabius Iuſtinianus*, doctrina & pietate nulli eorum ſecundus, mihique pia familiaritate coniunctus; tunc quidem locupletiſſimæ Vallicellanæ eiuſdem Oratorij Bibliothecæ Præfectus, poſtea vero meritiſſimus primatiæ in Corſica ciuitatis Adiacenſis Epiſcopus: ex qua pene ad verbum plurima, vti omni teſtimoniorum genere fideliſſime teſtata, exſcripſi.]

IV. BARONII PATRIA, ET PARENTES.

Vt autem à patria & familia initium ducam; eſt SORA Campaniæ ciuitas, Epiſcopatus honore & Ducatus titulo decora; haud procul ab Arpino, Ciceronis & C. Marij ſepties Conſulis ortu claro: quæ antiquitate Romam exæquans, nobiliſque demum colonia *b* facta, quibuslibet temporibus illuſtris extitit viris inſignibus. Inter quos Bareas ille Aſiæ Proconſul, adeo eximiæ ſua tempeſtate virtutis, vt dum illum crudelis Nero, vna cum Thraſea Pæto, neci tradere ſtatuit, *virtutem c ipſam exſcindere concupiſſe* putatus fuerit. In ea à multis ſæculis coaleſcens familia *Baroniana*, (quam olim *de Barono* dictam, nouiſſime noſter Cæſar *d* Romano more in cognomentum *Baronij* deriuauit:) non paucos protulit continua ſerie viros egregios, qui Eccleſiaſticis ac ciuilibus muneribus patriæ ſuæ ſplendori fuerunt; nonnulli etiam pietatem domeſticam *e* in locupletandis ſacris monaſteriis, poſteris teſtatam reliquerunt. Ex hac igitur familia originem duxit *Camillus Baronius*, primariis ſuæ ciuitatis officiis perfunctus, & paternis opibus quamquam non multum affluens, quod ad reliquos ſeptem fratres & ſorores plurima pars hereditatis peruenisſet, tamen ita præditus vt honeſtum ciuem decebat. Ex quo & vxore eius *Portia Phæbonia*, religioſiſſima femina, natus eſt CÆSAR noſter BARONIVS, qui non modo parentes, familiam, patriam, ſed & vniuerſam CHRISTI Eccleſiam, non tam dignitate & eruditione, quam Chriſtianarum virtutum luce decoraret.

b *Liu. lib. 7. 10 &c.*
c *Tacit. Annal. 16.*
d *Biron. Annal To. XI. an. 1030.*
e *Baron. ibi.*

V. FVTVRÆ VIRTVTIS PRÆSAGIA.

Qui quidem in ipſo matris ſuæ vtero, futuræ pietatis indicium inter cetera ſatis admirabile præbuiſſe fertur; vt vbi mater ad Beatiſſimæ Virginis MARIÆ templum appropinquabat, ipſe pariter quaſi ſemet vltro Virgini offerre vellet, inuſitato quodam motu intra materna viſcera commoueri, ac veluti præ gaudio proſilire ſentiretur. Vnde & permota mater, ſimulac filium in lucem edidit, (nempe anno Domini M. D. XXXVIII. pridie Calend. Nouemb.) eundem Beatiſſimæ Virginis patrocinio obtulit, & commendauit. Meruitque, vt cum exacto biennio infantulus grauiſſimo morbo correptus de vita periclitaretur; ipſa eidem filio ſuo, ad Eccleſiam Beatiſſimæ Virginis ad Vallis radicem mille paſſibus Sora diſtantem deducto, poſt triduanas preces pene mortuo in cunabulis iacenti, ſanitatem derepente impetrauerit, voce ad eam ex improuiſo delapſa, *Bono animo, latoque ſis; filius tuus nequaquam morietur.* Fuiſſe porro ad præclara virtutum facinora reſeruatum, cœleſti etiam non multo poſt oraculo prænuntiatum exiſtimatur; dum peregrinus quidam ad paternam Baronij domum accedens, eumdemque ſanctiſſimo Crucis ſigno muniens, *Incumbite*, inquit, *diligenter ad optimam huius pueri educationem: futurum eſt enim vt in Eccleſia Dei vir maximus exiſtat.* Quibus dictis, cum ei mater eleemoſynam quæreret (erat enim ſubleuandis pauperibus ſummopere dedita, tam grato cæleſti numini obſequio, non ſemel in annonæ caritate multiplicationem panis & vini ad hoc ſanctum opus diuinitus experta fuerit:) confeſtim ex adſtantium oculis ſic euanuit, vt eum non hominem, ſed Angelum Dei fuiſſe, non temere crediderint.

VI. STVDIA.

Grandior factus, primum quidem Grammaticæ præceptis, ac literis humanioribus imbuendus præceptori traditus eſt in ciuitate Verulana; poſtea ad capeſſendas ſacrarum ac ciuilium legum conſtitutiones Neapolim miſſus, cum noui quidam in ea ciuitate bellorum tumultus excitarentur, inde à patre eductus, Romam contendit anno Domini M. D. LVII. ætatis ſuæ vndeuigeſimo: vbi præceptorem habuit in Iure publice interpretando *Cæſarem Coſtam*, qui poſtea Eccleſiæ Capuanæ Archiepiſcopus creatus eſt.

VII. DAT SE S. PHILIPPO NERIO.

Cum autem eo ipſo tempore B. PHILIPPVS NERIVS Congregationis Oratorij Inſtitutor, inſigni ſanctitatis opinione in Vrbe florēs, in templo S. Hieronymi multos ſibi in CHRISTO filios comparaſſet; ad eum quoque ductus ab vno ex illis, Sorano ciue, Baronius; adeo Philippi hilari vultu, affabilitateque ſermonis quaſi quibuſdam charitatis vinculis obſtrictus remanſit, vt ſe illius amori & obſequio tradens, inuiſere cœperit eum frequentius, audire attentius, obſeruare in eo diligentius quicquid decerpere poſſet ad exornandum quaſi virtutum floribus animum ſuum. Nec ſane irrita eius ſtudia fuere. Vix enim in illius conſuetudinem ſe dare cœpit, cum tantam à Deo cæleſtis ſpiritus vbertatem, & humanarum rerum deſpicientiam eſt conſecutus, vt continuo mundi procellis ſe eximere, & ad tutiſſimum ſacræ Religionis portum confugere cogitauerit; exercens ſe aſſidue in reſecandis inſurgentibus in animo prauis cupiditatibus, & in Sacramentorum frequentatione; atque etiam in Xenodochiorum mane ac veſpere viſitatione; quam per nouem deinceps annos admirabili charitate, ſtudio, & diligentia, adeo ſine vlla intermiſſione ſeruauit, vt ne febre quidem laborans ab ea vnquam deſtiterit; donec poſtea in laborioſo Confeſſarij munere occupato, illius exercendæ facultas adempta eſt. Eoque in Chriſtianæ pietatis officio non raro diuinitus ei contigit, vt cum ad ægros inuiſendos ipſe febre laborans pergeret, inde bene valens domum reuerteretur.

EXERCITIA ADOLESCENTIÆ.

Qui

Qui & inter alia quamplurima, quam his primordiis nouus CHRISTI discipulus edidit optimarum argumenta virtutum, hæc non parum commendabilia præstitit, quod integrum Carminum volumen à se Italico idiomate conscriptum, sibique inter cetera charissimum, animi repugnantiam (quam maximam fuisse fatebatur) acriori spiritus contentione deuincens, flammis concremandum dedit: quodque vt cuiusdam familiæ egestati subueniret, quam audierat à quodam concionatore populo commendari, cum nihil aliud tunc præter tria solum haberet indusia, ea confestim in eleemosynam tribuenda concionatori attulit: & quod acerrimis carnis stimulis aliquando vexatus, cimicem fœtidissimum vermiculum, qui tunc ei forte ad manus venit, ori suo inicere, ac præmansum deglutire non dubitauerit, quo grauissimum illius odorem stomachante sensu, simul etiam immundissimum dæmonem animus procul exsufflaret.

VI.

Peruenerat ad annum ætatis vigesimum, cum illum Philippus Christianis virtutibus probe instructum cernens, ad Sermones in Ecclesia S. Hieronymi ad populum habendos applicauit. Cuius grauissima & animi & vocis intentione, diuina iuuante gratia, cum alias commoti plurimi à vitiis resipuerunt: tum vero præcipue quodam die quatuor è nobilibus viris, inter quos vnus erat insignis Rom. Curiæ Præsul, repente relictis omnibus CHRISTVM secuti, in sacram Religionem se receperunt. Cum autem in eiusmodi rerum tractatione ad integrum annum versatus esset, mox, vt Philippo obtemperaret, ad Ecclesiasticas Historias enarrandas animum transtulit. Et cum interim Religiosæ vitæ desiderio sollicitaretur, nihilominus Philippus præferuidum iuuenem, precibus & lacrymis iam triennio insistentem, Deique voluntatem à se explorantem, ad Ecclesiasticæ vitæ rationem in sæculo amplectendam diuinitus illustratus traduxit. Qua firmiter susceptа, ac stabilita deliberatione, ne animus vllo vmquam propriæ voluntatis vento ad extranea quæcumque circumferri valeret, statuit & ex animo Deo promisit, perpetuam eidem S. Philippo obedientiam in omnibus præstare; & quod promisit adeo obseruauit, vt grauissimum veluti piaculum pertimesceret, quicquid illo non solum renuente, sed vel nesciente perfecisset.

IX. ELIGIT VITÆ INSTITVTVM.

Post quæ Philippus Ecclesiam sub inuocatione S. Ioannis Baptistæ Deo dedicatam, Florentinis ciuibus efflagitantibus regendam suscepturus, primum quidem Baronium, cum ad legitimam peruenit ætatem, sacerdotio initiandum curauit; tum deinde ad Congregationis conuictum in ea Ecclesia inchoandum cum sociis misit anno Domini M. D. LXIV. Vbi *Baronius* sacris Confessionibus excipiendis præfectus, eo in munere, necnon in publicis è suggestu concionibus Dominicis diebus habendis (cum & præterea diebus ferialibus ter in hebdomada quaterve in Ecclesia S. Hieronymi sermocinaretur:) ita sibi cum ceterorum omnium; tum præcipue Florentinorum in Vrbe degentium beneuolentiam conciliauit, vt à S. Carolo Borromæo ad Ecclesiæ Mediolanensis culturam instanter vocatum, numquam à se diuelli permiserint.

X. FIT PRESBYTER.

Paupertatis vero eximio bono adeo libenter eius animus perfruebatur, vt rebus dumtaxat necessariis & simplicibus contentus, pretiosa non appeteret, opes sibi oblatas repudiaret, propriis indigentibus distribueret. Quamque impense humilitatis studium coleret, tum declarant vota nuncupata, iterataque, quibus sæpe firmauit *a* in priuato illo simplicique vitæ genere bene præcinctum mundi contemptu & expeditum vsque ad obitum permanere: (vnde & oblatum sibi primo Soranæ, inde Senensis, ac deinceps Senogallensis Ecclesiæ Episcopatum accipere recusauit:) tum quod alios quosuis speciosos gloriæ titulos aspernatus, ea quæ se hominibus contemptibilem facerent, auide simul hilariterque susciperet. Hinc enim sui priuilegij Doctoratus (quo se insigniri, vt patri suo morem gereret, non recusauerat) in frusta concisio: hinc in templo scopis emundando humile pietatis & religionis obsequium: hinc in cibis sociorum vsui emendis, coquendis, ministrādis, vasisque tergendis exercitatio, ceteris quidem communis omnibus, at ipsi ardentiori desiderio concupita: hinc denique in ludibriis & obiurgationibus libenter perferendis, quibus humilitatis exercendæ causa etiam à sociis, Philippo iubente; impetebatur, adeo singularis animi virtus, vt ab omnibus pro nihilo ducia ceptissimum haberet.

XI. VOVET VANAM PRIVATAM. *Itainscr. tem P. Ill. in ri. di. Tor. VIII. Ann.*

Sub quæ tempora ex multiplicibus pro salute proximorum exantlatis laboribus, varias corporis ægritudines passus, illud sane est assecutus, vt & non semel in extremis positus diuinis visionibus recreatus fuerit, & aliàs simul in animo virtutum incrementa susceperit, simul erga se peculiare diuini patrocinij munus agnouerit. Inter quę illud præclarum, quod cum maximâ & diuturna stomachi inualitudine, cibique vel tenuissimi sumendi fastidio, & capitis dolore discruciaretur, quem nec intermissa orandi studendique exercitatio mitigaret; die quodam, à prandio, cum pro sua stomachi imbecillitate iam cibum sumsisset, vt iubenti S. Philippo pareret, prægrandem panem, atque integrum malum Massilicum, quod vulgo limonem dicunt, quodque tunc sibi pene mortiferum videri poterat, signo Crucis, & obedientiæ virtute munitus, totum id quantum erat comedere non recusauit: Vnde & diuinitus accidit vt non modo nullum inde damnum contraxerit, verum etiam paulo post ex omni penitus infirmitate conualuerit.

XII. DIVINVM IN ÆGRITVDINIBVS AVXILIVM.

Ad ædes posthæc S. MARIÆ in Vallicella, anno M. D. LXXVI. à Philippo translatus; (vbi Patres propriam à Gregorio XIII. Pont. Max. sedem ac domicilium adepti, Congregationis instituta, S. Sedis Apostolicæ auctoritate condita & confirmata, ad suos deinde successores, & eiusdem spiritus ac vitæ rationis hæredes transmiserunt:) cum se Dei-Genitricis obsequiis, & illius Ecclesiæ cultui consecratum cerneret; ardentiori animi studio maiora virtutum

XIII. PIA IN CONGREGATIONE ORAT ET EXCITIA.

ædificia, tam in se ipso, quam in proximorum animis moliri incipiens: quod ad se quidem attinet, præter cilicia & flagella quibus se assidue macerabat, vsque adeo somni parcus erat, vt vel grauissimis defessus laboribus eum nunquam ad satietatem, vix ad necessitatem caperet, quatuor aut ad summum quinque contentus horis. In mensa vero tantam abstinentiam adhibebat, vt Philippus eum vel iam cœnatum ad cibum resumendum frequenter impelleret, ne ob inediam graue aliquod valetudinis incommodum pateretur. Et cum orationis studio mirifice deditus esset, ei tam crebras adiungebat lacrymas, vt per singulas ferme horas aut plangentem cernere potuisses, aut audire suspirantem. In sacrosancto Missæ sacrificio quotidie celebrando eximiam mentis puritatem, demissionem, charitatemque adhibebat. In basilica vero Principis Apostolorum quotidie inuisenda adeo inuictam per multorum annorum spatia perseuerantiam tenuit, vt ab eo pietatis officio neque itineris longitudine, neque æstatis ardoribus, neque hyemis frigoribus, neque ventorum asperitate, neque pluuiarum exundantia retraheretur: Vbi ad ipsas BB. Apostolorum sacras Reliquias prouolutus, intimos cordis sui gemitus Pro sua ac totius Ecclesiæ salute expromebat.

XIV. Svbvenit spiritvalibvs proximorvm necessitatibvs.

Quod vero ad proximos attinet; quamuis ipse à fluctuantibus sæcularium negotiorum tumultibus, & supernacaneis aliorum curis libentissime segregaret sese; tamen vbi proximorum necessitatibus, siue quæ ad animi, siue quæ ad coporis salutem spectarent foret occurrendum, illis præsto esse nunquam prætermittebat, confessiones peccatorum excipiens, inuisens ægrotos, solans afflictos, pacem inter dissidentes concilians, pupillorum ac viduarum defensionem suscipiens, ac denique peccatores ad emendationem reuocare contendens. Inter quos *Bartholomæum* quemdam *Catenam* latronem famosissimum, loca Soræ proxima rapinis ac cædibus dire deuastantem, quem coercere Principum vires nequibant, primum quidem multis adhibitis pietatis operibus, datisque ad eum paræneticis literis, mitiorem fecit: deinde vero à Rom. Curiæ apparitoribus inopinatè comprehensum, vsque adeo spiritualibus exercitationibus in Christiana virtute confirmauit, vt temporalis necis supplicio addictus, optima salutis æternæ indicia præsetulerit. Cumque alio tempore animaduertisset primarium quemdam aulicum honestati nobilis ac piæ feminæ etiam in templo insidias nectere; eum in spiritu lenitatis prius admonitum, nedum temperatiorem factum, sed licentiosiorē, graui verborum increpatione reprehendens è templo iussit excedere, quem adhuc importune ferocientem, ausuque temerario minas intentantem, iustitiæ vindex Deus, quem *Baronius* in sui patrocinium prædixit fore venturum, breui interiecta mora ex equo quem conscenderat impetu violento excussum, altera fracta tibia semiuiuum reliquit. Vnde perpetrati criminis pœnam sentiens, non solum ab accersito *Baronio* veniam petiit, sed multis cum lacrymis totius anteactæ vitæ scelera confessus, se totum eius conspectui regendum commisit. Nihilque hoc minus admirabile, quod aliquando *Baronius* sermonem ad populum habens, tres ignotos sibi viros, qui iam ex Vrbe egredi, atque in aliorum vitas & facultates crudelitatem suam exercere coniurauerant, aures illi obiter adhibentes, quasi prophetico lumine quid cogitarent inspiciens, & orationis cursum ad eos apte inflectens, tanta verborum grauitate ac spiritus ardore à concepto scelere deterruit, vt cum patefactam occultam animorum suorum deliberationem attoniti mirarentur, tunc quidem continuerint sese; ac postero die, num diuino fortasse consilio ipsi singulatim à *Baronio* fuissent admoniti, certiores fieri curarent, omnino resipuerint.

XV. Et temporalibvs.

Iis etiam quæ ad corporis necessitates proximorum spectarent inuigilans, pia ac liberali manu subsidia pro viribus subministrare sategit; tam sane effusa animi misericordia, vt cum aliquando grauis annonæ difficultas Vrbem inuasisset, thecam Reliquiarum pretiosam & elegantem, sibique imprimis cariissimam vltro vendiderit; eiusque pretio, aliisque pecuniis mutuis acceptis, non modico coempto frumento, confectos ex eo panes sacco includens, ac per Vrbem ipse circumferens, ægrotis & pauperibus per domos & plateas dispertiuerit: Aliásque sæpe virginibus, inopia & honestatis periculo laborantibus, pecunias, propria indumenta, lecti stramina, candida lintea, in eleemosynam erogauerit: dotesque iis quæ suasionibus suis monasticam vitam amplecterentur, necnon aliis quas honesto matrimonio collocandas curaret, conquisierit: cælitus etiam ad hæc pietatis opera missis non semel eleemosynis. Qui & per eadem tempora, cum quadam die Romæ in Ecclesia confitentibus operam de more daret, matris animam tunc Soræ ex hac vita emigrantem diuinitus vidit: id quod paulo post ex literis inde acceptis clarius intellexit. Cuius sanctissimum obitum, nec multo post & patris, dignis exequiis, vt parerat, cohonestauit.

XVI. Creatvr nvitv Praepositvs Congreg. N

Anno vero M. D. XCIII. S. Philippus, biennio ante quam ex hac vita decederet partim humilitatis studio, partim sibi melius vacandi desiderio permotus, cum se Præpositi munere sponte abdicare constituisset, *Baronium*, repugnantem licet, à Patribus sibi subrogandum, Clemente VIII. Pontifice approbante, tandem obtinuit. Quod munus dum *Baronius* eximia animi demissione, charitate, diligentia, & legum Congregationis obseruantia exequeretur; delectus interim ab eodem Pontifice, cui secreta conscientiæ suæ sacramentali confessione aperiret, sicque pater ipse Patris Patrum constitutus; inter cetera quæ consilio, precibus, opera præstitit Ecclesiæ Catholicæ beneficia, illud singulariter memorandum, quod auctor imprimis Pontifici fuit, vt ter illum Maximum Henricvm Borbonivm Francorum & Navarræ Regem,

sui sæculi Principum decus, & hostium terrorem, ad Ecclesiæ gremium redeuntem, clementi benignitate, nihil non maleuolis & æmulis ex aduerso molientibus, susciperet.

XVII. PROTONOTARIVS.

Sub quæ ipsa tempora (anno nimirum Domini M.D.XCV. XI. Kal. Decemb. paulo post obitum S. Philippi) ad Protonotarij Sedis Apostolicæ dignitatem, & ex eorum ordine qui Numerarij dicuntur, ab eodem Pontifice vocatus, & nihil non agens vt eam à se repelleret; (adeo vt cum sinceræ humilitatis lacrymis ingenue affirmaret, malle se pro CHRISTI nomine in Indias, aut Angliam transmitti, quam à priuatæ vitæ proposito recedere, aut Præsulem domum redire:) cum nihilominus sanctæ obedientiæ *a* præcepto Apostolica auctoritate intonanti cedere compulsus est, ne tamen ea dignitate exornatus appareret, precibus à Pontifice impetrauit, vt pro consuetis vestibus violaceis atras indueret: Donec cum Pontifex aliorum Ptotonotariorum querimoniis adductus, vt ipsorum more vestitus incederet adhortatus est; indulgens tamen vt consuetum à Congregatione Oratorij vitæ suæ genus & institutum prorsus vt antea exerceret.

a Inst. Tom. VII. Annal. vbi agit de Ruthenis ad Clem. PP.

XVIII. CARDINALIS.

Quæ cum ageret, & delatum interea honorem assidue deploraret, nouus derepente rumor de Cardinalibus creandis excitatus, in quorum numero & ipse adscribendus haud dubie ferebatur, illius animum ab eo splendore longissime abhorrentem, ingenti & timore turbauit, & dolore percussit. Quare se totum ad Deum per sacrificia, preces, vota, conuertens, demum cum nocte præcedente diem creationis Cardinalium, à Pontifice missus nuntius significasset, eum postera die in Palatium deducendum, & purpura decorandum; fugisset illico extra Vrbem, nisi eum congregatorum Patrum consilia retardassent, arduum effugium fore affirmantium, neque adeo tutum; satiusque videri, si primo mane Pontificem deprecaturus adiret. Obtemperauit hisce monitis *Baronius*, & ad Pontificem, aditum sibi licet aures que denegantem, tandem penetrans, positis humi genibus, illius animum à suscepta voluntate deducere, rationibus quibus maximis potuit, precibus, obtestationibus, lacrymis, conatus est: vsquedũ Pontifex in stabilito multarum considerationum maturitate consilio inexorabilis permanens, diram anathematis protulit ex ore sententiam, si amplius resisteret, & nisi penitus acquiesceret. Itaque tanto territus erumpente è cælo tonitru *Cæsar*, non potuit non manus dare; qui si licuisset retraxisset eas, sicuti Zara *b* olim, dum è materno vtero progressurus, vbi se altera manu vinctum coccino sensit, eam retrahens vterum repetiit, malle se non nasci significans, quam vinctum purpura progredi. Hæsitque tam alte infixus is Baronij animo dolor, vt & publicis postea querelis apud eumdem Pontificem expostulauerit *c*, quod cum à præcedentibus Pontificibus, qui se à priuatæ vitæ tutissimo portu abstrahere non semel voluissent, quam deprecatus esset obtinuisset honorum immunitatem; iam ipsum Clementem, quo amantiorem, eo violentiorem expertus esset: ac crebris postea ab eodem precibus flagitare non cessauerit, vt sibi liceret ad pristinum statum regredi. Creatus est autem Cardinalis anno ætatis suæ LVIII. Christi M.D.XCVI. Nonis Iunij.

b Gen. 38.

c Ep. dedic. Tom VII. Annal. ad Clem. VI.I.

XIX. VOTO SE MVNIT CONTRA PONTIFICATVM.

Huius porro dignitatis fastidio nihilo minor extitit Pontificatus fuga; à cuius vel minimo desiderio adeo exhorruit, vt etsi in honoribus iam ipsi collatis nihil penitus agnosceret quod humana sibi vendicare posset iuduſtria, sed totum tribuendum esset diuinæ prouidentiæ; tamen cum ex præteritis futura considerans, sibi timere inciperet ne & aliquando ad summum culminis Pontificij gradum, cui iam se vno pxoximum cerneret, inuitissimus licet raperetur: plurimis cernens exemplis, istiusmodi fasce omnes sanctissimos viros nimium prægrauatos, & curuatos esse pondere *d* quo portant Orbem: Vt saltem quantum in se esset, huic satis probabiliter imminenti periculo occurreret, totumque quod forte contingere posset, eidem diuinæ relinqueret prouidentiæ cui se in omnibus concrediderat; subito Cardinalis factus, voto se Deo obstrinxit, letali culpandum crimine, & diris horrendis exagitandum, si quippiam vmquam ageret, quo viam sibi ad illud culmen patefaceret. Illudque vsque adeo seruare sollicitus fuit, vt non solum à captanda Regum ac Principum gratia, aliisque humanis artibus & præsidiis abstineret; sed ea facere non dubitaret, quæ manifestum sibi impedimentum ad Pontificatum allatura sentiret: ac præcipue dum in Ecclesiæ Roman. diuina atque legitima auctoritate, iuribusque, aduersus quoscumque quorumcumque conatus defendendis, ac in pristinam libertatem & immunitatem vindicandis, nihil vmquam tacuit, aut dissimulauit, quin & verbis semper & scriptis inuictum se inani timori, ac vanæ spei exhiberet.

d Iob 9.

XX. ARTES AD ILLVM EVITANDVM.

Et sciunt qui vel rebus gestis interfuerunt, vel auditu perceperunt, (vt non iam aliud apertius dicam) quantum hic eius veritatis amor obfuerit eiusmodi ipsius promotioni: cum post Clementis ad Deum transitum (qui contigit V. Non. Mart. anno Domini M. DC. V.) congregatis in vnum ex more sacri Collegij Patribus, vt digniſſimo Pontifici dignum successorem substituerent, omniumque ferme in vnum BARONIVM votis intentis, paratisque; impedita est quorumdam subreptitiis & indecoris conatibus, quæ tam gloriosa electoribus, tam grata vniuerso Orbi fuisset tanti viri delectio. Cum & alioqui per viginti continuos dies, maxima parte in eiusdem nominatione, inusitata prorsus (dixerim) animi obstinatione, immobiliter perstante, nullis vmquam ipse quantumuis instantissimis vrgentium amicorum seu publicis seu priuatis rationibus aut suasionibus, induci potuerit vt assentiretur huic illorum de se iudicio. Quinimmo quid non ipse secreto egit, vt eum consensum dissolueret? quid non demum, vt eam dignitatem in Alexandrum Cardinalem Florentiæ Archiepiscopum (qui deinde Clementi subrogatus, dictus est Leo XI.) deuoluendam curaret? Quod autem eius gaudium, quando se abeo

periculo, quod omnium maxime formidabat, diuino auxilio liberatum vidit? Quæ ipsius iubilatio, & cum amicis congratulatio, postquam ab eo ergastulo erutus, aperta luce potuit cum iis confabulari?

XXI. ÆRVMNÆ EADEM DE CAVSA.

At nondum elapso mense, interueniente Leonis obitu, decidens hic noster in Scyllam, qui adeo lætabatur de vitata Charybdi; quas tunc passus fuerit ærumnas, cum rursum in Conclaui in magna Patrum discissione, à multis se Pontificem palam proclamari animaduerteret, seque ad locum adorationis consuetum violentis manibus raptari sentiret; non aliis quam suis ipsiusmet verbis referenda putamus: quæ cum publice, & ad ipsissimos illos, inter quos & à quibus res gesta est, in ipso vitæ suæ limine contestatus sit; non solum nulli possunt mendacij suspicioni subiacere, sed longe ampliora de viro candidissimo ac modestissimo sentiendi ansam præbere. Sic enim loquitur a: *Absolutus est præsens Tomus,* (nempe Duodecimus) *cum Pontifex Romanus creatus est* PAVLVS: *cui ipse dedicandus, pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum contineat actiones; quæ accessionem accipiant tamquam ex inundante torrente maiorem, quod in hu ingentia sim valde beneficia consecutus, ereptus è summis periculis imminentibus. Nam è profunda maris abysso horribili tempestate iactati, cum iam incidissemus in* b *dirbat issum, ipsa adhuc naufraga spe; Deiope ad optatum litus, vna cum Paulo in salutem Vrbis & Orbis electo, salui tandem emersimus. Quamobrem partus hic ipse noster, præsens Annalium Tomus, qui ob multiplices parientis ærumnas pene interitu pereuntis, Benoni* c, *filius doloris mei, fuerat nuncupandus: subita rerum mutatione in contrarium facta, mutato quoque nomine, sicut & rebus, erit Beniamin, dexteræ filius nominandus, Paulo nostro iam in dextera collocato. Quis loquetur* d *potentias Domini? auditas faciet omnes laudes eius? Mirabiles* e *vidimus elationes maris; mirabilis & apparuit in alto Dominus. Qualis tunc rerum facies? quam tetra, horrida, & formidabilis? Qui tunc æstus mei, cum adeo violentis, licet amicis flatibus abreptus, ferrer in Syrtes è quibus haud facilis esset emergendi facultas? Laboraui* f *clamans, rauca reipsa tunc factæ sunt fauces meæ, exclamans ad Omnipotentem Dauidicum illud, Mitte* g *manum tuam de alto, libera me de aquis multis. Cunctisque euadendi remediis destitutus, tædio vitæ grauatus supra modum, vltra vires, in illa ærumnosa cum Ieremia* h *erupi sæpe lamenta; Va mihi mater mea, quare me genuisti virum rixæ, virum discordiæ in vniuersa terra? Cum vero hus tenerer vallatus angustiis, & à Deo tantum, qui est solus omnipotens, præstolarer auxilium; ecce statim ex insperata catastrophe, facta est rerum repentina, sicut & admiranda, mutatio. Excitatus namque tamquã dormiens Dominus clamore suorum, qui laborantes erant in remigando, festinus exurgens, imperauit* i *vento & mari, & facta est tranquillitas magna: atque dicto citius, miro consensu omnium, ecce prouehitur* PAVLVS, *tamquam è mari ereptus tempestate saluus, in Cathedram* PETRI. Hæc, & alia de ea conflictione Baronius: ex quibus abunde datur intelligi, & quam ipse horreret, tantum thronum, Angelis ipsis reuerendum, conscendere; & quam ardenti cuperet desiderio, vt dignissimus in eo sederet loco Petri. Quod sane tunc nemini conuenientius potuit accidere, quam Paulo eius nominis Quinto; cuius memoria sit semper in benedictione.

a *Ann. Tom. XII. ar. fine.*

b *Act. 27.*

Gen. 35.

d *Psal. 105.*

e *Psal. 92.*

f *Psal. 68.*

g *Psal 143.*

h *Ier. 15.*

i *Matth 8.*

XXII. ORIENTATVM AVERSIO EX HVMILITATE.

Hæc porro tanta *Baronij* à dignitatibus alienatio, non aliunde magis quam ex veræ humilitatis fonte manauit, qua mens illius vsque adeo prædita fuit, vt quo honoribus fieret excelsior, eo seipsum abiectiorem ac viliorem duceret. Neque enim illum sublimis Cardinalatus dignitas aut immemorem sui fecit, aut superbientem, qui faccum coopertum purpura se esse dicebat. Nec incongruenter olim B. Philippus, duobus in cubiculo depictis mortuorum capitibus, quæ vndique Cardinalatus ornabant insignia, duos è suis in CHRISTO filiis, *Baronium* scilicet & *Franc. Mariam Taurusium* (qui & ipse eadem qua Baronius die ad eandem dignitatem ex Archiepiscopo Auenionensi assumptus est) post obitum suum Cardinalatus honore decorandos se præsignificasse testatus est: Cum plane perinde fuerit eos Cardinalatus insignibus exornare, atq; duo mortuorum capita purpureis inuoluere integumentis, vsq; adeo sopita in eis honorum cupiditas, & pene extincta videbatur: Et *Baronium* quidem, vt Deo viuentem, ita mundo mortuum, assidua quoque meditatio mortis exhibebat; cuius imaginem & olim in sigillo quo literas obsignabat impressam, & postea animo firmius infixam etiam in suo corpore nõ leuiter adumbrabat exangui & pallido: vt fere mirandum non sit, tantum in eo terrenæ dignitatis & sui ipsius despicientiam extitisse; qui nullum sinebat abire diem, quin animam suam precibus ab Ecclesia pro moriente constitutis Deo commendaret, & sibi quasi iam vita functo exequias funeris faceret.

XXIII. ABIECTIO SVI.

Licet illi Pontifex ædes in Vaticano assignasset, suppellectili quæ Cardinalem decebat instructas; ipse tamen adhuc pristinæ vitæ memor, exiguam in iis cellam componi voluit, rudib. compactam lignis, quæ lectulum suum quo in Congregatione vtebatur inclusum contineret, ferreis suffultum pedibus, & duab. tabulis atque vnica substratum culcitra lanea, atque adeo angustum vt quiescentem ægre caperet, & ob fixam eius vertici ferream Crucem, feretri potius imaginem quam lecti repræsentaret. Quin & frequenter in ædib. Patrum Congregationis, in antiqua sua cellula solus sine famulis, vt antea, priuatim morabatur, & in mensa nihil præ cæteris singulare nisi loci dignitatem admittebat; etiam nonnumquam tamquam vnus è ministris, recumbentibus aliis, dapes in tabella deferens, atque inseruiens. Nec solum Congregationis Præposito, in locum suum substituto, deiectis in terram genibus, obedientiam se illi tamquam presbyterum Congregationis exhibere velle professus est; verum etiam ceteris Patribus, Fratribusque adeo se humilem præstitit, vt etiam flexis genibus modo correctionem, modo erratorum veniam vel ab infimis postularet. Ab aliis quoque sanctioribus Dei seruis in terram prostratus benedictionem exposcebat, aliquando & pedes deosculabatur, præsentissimũ in eis diuinæ maiestatis numen agnoscens. Eoq; demum descendit illius submissio, vt etiam à proprio famulo, antequam somnum ca-

peret,

peret, frontem sibi aqua benedicta respergi, & Cruce signari, flagitaret: Et cum à nemine se vestiri, aut expoliari vmquam permitteret, ipse tamen vni è suis famulis calceamenta propriis extrahere manibus non erubesceret. Qui & per annos vndecim quibus Cardinalatum gessit, vestes Cardinalitias quas à Clemente initio acceperat, easdem longo licet vsu attritas, ac pene squalidas, obfirmato retinuit animo: neque vnquam adduci potuit vt nouas indueret, quod diceret eas ad obitum duraturas. Quo extremo appropinquante tempore, & precib. amicorum, & ipsa magis cogente necessitate, ægre tandem nouas violaceas fieri permisit, vetulis ad lecturi tentorium consarcinandum adhibitis. Indusia vero, ac lecti linteamina rudiora & asperiora quam antea vsurpauit: thoraceq; ac tibialibus coriaceis, etiam vetustis & obsoletis, & quibus crebra frustula essent assuta, vsque ad obitum tegi voluit. Ac denique, vt omnia ad id pertinentia paucis complectar, sic erat animo constitutus, vt verbis, factis, habituque corporis, sinceram mentis demissionem in omnibus præseferret; natiua interim cultus maiestate, magis autem interna animi virtute, splendorem suis actibus vel humilibus impertiente.

XXIV. ITA LABORIOSA.

His accedebant somnus perbreuis, rigidissima cilicia, flagella ad sanguinem vsque aspera: studia nihil ab antiquo remissa: ac noui labores immensi, cum à Pontifice in omnium fere præcipuarum rerum consilium ac participationem vocaretur, & in diuersas Illustrissimorum Cardinalium sacras Cogregationes cooptatus esset; ac præcipue *Rituum Ecclesiasticorum*, quorum scientissimus erat; & *Typographiæ Vaticanæ*, edendis SS. Patrum scriptis erectæ, cuius ad ipsum potissime cura spectabat, ob nobilissimum BIBLIOTHECARII Apostolici munus à Clemente ei concreditum, quod nonnisi Cardinali eruditissimo & sapientissimo tribui consueuit. Quibus omnibus prægrauatus, cum semper antea parabili ac tenui cibo vti solitus fuisset, adeo abstinentior est factus, vt in maximam stomachi ægritudinem paulatim inciderit: ad quam leuandam frequentibus medicorum suasionibus paulo meliorem adhibere cibum compulsus est, quamquam & languenti stomacho valde modicum, & inuito animo maxime iniucundum.

XXV. QVALIS IN PROXIMOS ET DOMESTICOS.

Annuis redditibus à Clemente honeste auctus, exiguo ipse ad prædicta contentus, cetera libentissime in commune omnium commodum contulit. In affines tamen & propinquos, si pro Christiana charitate beneuolum se gessit, at certe minus liberalem, quod timeret ne subdola consanguinitatis affectio se vel minimum irretiret. Neptibus autem, quas plurimas habuit, vt sacrarum Virginum monasteriis manciparentur, eo libentius dotem est dilargitus, quo eas loco sanctiori vidit consecratas. Erga domesticos paternam charitatem exercens, vnoquoque mense sacratissimam Eucharistiam suis manibus eis ministrauit; & singulis diebus sabbati sermonem de diuinis rebus vel habuit ipse, vel ab aliquo Congregationis sacerdote, se audiente, faciendum curauit: singulis vero diebus vespere ad Litanias, aliasque preces in domestico sacello secum recitandas eos conuocabat: ac familiariter cum illis in communi triclinio Religiosorum more reficiebatur, Lectorem adhibens, qui sacros libros, sanctorumque Patrum monumenta recitaret.

XXVI. ET IN EXTEROS.

Probis quibusque viris illius amicitia patebat: quib. autem cum honestis moribus esset quoque doctrina coniuncta, illos omnib. amoris officiis prosequi gratissimum sibi ducebat: atque horum plurimos pro multa qua pollebat apud Clementem gratia, Ecclesiasticis dignitatib. afficiendos curauit; imprimisque adiutor nonnullis fuit vt in numerum S.R.E. Cardinalium adsciscerentur. Hæreticos ad Ecclesiæ gremiũ redeuntes multis beneficentiæ ac beneuolentiæ officiis prosecutus est. Vt omittam alios, quos partim verbis & epistolis in fide confirmare, partim operibus & beneficiis adiuuare, cum opus esset, non omittebat. Christianamque beneuolentiam suæ suorumque existimationi præferendam censens, affinem quemdam suum, à Sorano ciue alapa publice indigne percussum, & vindictam efflagitantem, statim à se longius repulit; nec in suum voluit redire cõspectum, nisi prius Soram reuersus pacem cum aduersario redintegrasset. Et quamvis ipse publicas interdum aduersantium sibi voces & scripta conuiciis indigne respersa, SS. Patrum insistens exemplis, acriter apologetico dicendi genere confutare nõ omiserit; salua tamen & incolumi charitate cum errore decertans, haud propterea cum necesse fuit aduersantib. prodesse destitit: quorum præ ceteris vnum instantissimis precibus Deo quotidie commendandum, alterum domi suæ liberaliter alendum, & annuis redditibus subleuandum suscepit.

XXVII. LIBERALITAS IN EGENOS.

Religiosorum cœnobiis sæpe quæ ad victũ erant necessaria suppeditabat: & aliis pauperum familiis, singulis quibusq; mensibus certum pecuniarum numerum dilargiebatur. Viduarum & pupillorum patrocinium libenter suscipiens, inter ceteras inopem viduam, cuius præter mares, sex filiæ nubiles, ob summam paupertatem, ac perditorũ hominum insidias, de honestate atque animarum salute periclitabantur; non solum frumento & pecuniis subleuauit, sed etiam vt eius filiæ, certis assignatis dotibus, honestis viris in matrimonium darentur effecit. Virginib. Deo dicandis dotes impertiuit. Adolescentib. stipendia & alimenta, vt honestis litterarum studiis instruerẽtur, præstitit. Ægrotantes egenos pecuniis iuuit, & sua præsentia verbisq; solatus est. Et aliquando vt moribundæ mulieri, sibi olim in Christo filiæ, atrocissimis dæmonis tentationib. diuexatæ afferret opem, cæca & intempesta nocte, cum venti, imbres, ac fulmina erumperent, vnico comitatus socio, ad eam se pedes conferre piissimus Cardinalis minime dubitauit. Pauperum illorum puerorum multitudinem, quos omni patrocinio destitutos, ac per Vrbem vagantes, vir fama pietatis insignis, *Literatus* vulgo dictus, simul cõgregandos, & conquisitis eleemosynis alendos susceperat; necnon illarum Puellarum cœtum, quæ *Dispersæ* nuncupantur; ipse *Baronius* auctoritate, consilio, ope, egregie quoad vixit fouit. Denique singularem eius liberalitatem illud valde commendat,

quod cum in omnes vbique suæ largitatis munera dispergeret; nihil tamen inde se diceret promereri, quod id naturali magis propensione, (quam & pene infans matris exemplis & monitis imbiberat) quam animi virtute præstaret.

XXVIII. ET IN ECCLESIAS.

Nec minor eius in sacrarum ædium cultu pietas & munificentia: qua videlicet Ecclesiam SS. Martyrum *Nerei & Achillei*, temporis vetustate iam dirutam ac pene deletam, quam in Titulum Cardinalatus sibi concedi postulauerat, in pristinam formam restituit, & sacrorum ornamentorum varietate, Sanctorumque Imaginibus illustrauit, & in eam corpora eorundem Martyrum, simulque *Flauiæ Domitillæ*, honorificentissime reducenda curauit. Ex quo tempore sacer eisdem SS. dies quotannis solemniter celebrari rursus cœptus est; & à *Baronio* Homiliæ ad populum habitæ in eadem ipsa sede marmorea, in qua olim Gregorius *a* Magnus de iisdem Martyribus homiliam fecit. Sacris item eiusdem S. Gregorij Abbatiæ locis, quam à Clemente acceperat, reparandis, exornandisque, multus fuit: eiusdem statuam marmoream erexit ad triclinium, quo idem sanctus Pontifex inter alios peregrinos, quos ad mensam quotidie adhibebat, aliquando Angelum, ac Dominum Angelorum, peregrini facie accepisse legitur *b*: atque in eius rei memoriam, & exemplum, ipse quoq; *Baronius* sacro illius anni vertario die tot pauperibus ibidē mensam apponebat quot triclinium capere posset, ceteris vero eleemosynam distribuebat. Ac præterea S. Siluiæ, eiusdem S. Gregorij matris Ecclesiam erexit; sacramque ædem, quæ Oratorium S. Andreæ nuncupatur, aris, columnis, & Imaginibus decorauit. Soræ quoque Franciscanis Capucinis monasterium à fundamētis extruxit: iisque, præter multam sacrarum Imaginum & Librorum copiam, Crucem etiam pretiosissimam, Passionis Domini Nostri IESV CHRISTI mysteriis elegantissime ornatam largitus est, quam ei Rudolphus II. Rom. Imperator, cum ab eo Decimum Annalium Tomum suo nomini dicatum accepisset, in gratiarum actionem dono miserat. Oblataque sibi pariter ab Henrico Magno Christianissimo Rege, ob Noui Tomi nuncupationem, ingentis pretij sacra argentea vasa inaurata, singulari artificio cælata, cum pro suo more sæpius recusasset, ac tandem nonnisi iubente summo Pontifice accepisset, protinus ad Ecclesiæ Oratorij S. Mariæ in Vallicella sacrarium deportari præcepit; quibus deinceps in solemnioribus festis diebus ad maiorem sacrorum splendorem vti Patres consueuerunt. Domum eius tanta in hac parte laus extitit, vt magno solatio sibi duceret, eas quas habebat pecunias & facultates, (necessariis dumtaxat sibi, suæque modicæ ac modestissimæ familiæ excerptis) in Ecclesiarum cultum, & pauperum opitulationem, aliosve pios vsus effundere: quarum summam breui temporis spatio ad sexaginta aureorum millia peruenisse subductis calculis compertum fuit: munificentiæ magnitudinem pietate magis animi & liberalitate, quam opibus, quas modicas habebat, ac viribus metiens.

a Greg. hom. 38. in Euang.

b Vit. S. Gregor. lib. 2. c. 22. & 23.

XXIX. PIETAS IN SANCTOS.

Sanctos in cælis constitutos, & eorum in terris sacras Reliquias, ac nomina, summa animi religione prosequebatur. Imprimisq; Beatissimam Dei-Genitricem Virginē MARIAM obseruantia colens plane singulari, eius se obsequiis totum deditum ac consecratum fuisse, & in ipsis Annalibus frequentissime ostendit, & in schedulis, libris, tabulis, Imaginibus, huiusmodi arbitraria nota quam hic in margine expressam vides, sexcenties designauit; cuius inscriptæ literæ hunc sensum reddunt, *Cæsar Seruus Mariæ*: eiusdemque depictam Imaginem assiduæ gerebat in pectore. Principes Apostolorum *Petrum* & *Paulum*, *SS. Gregorios* Magnum & Taumaturgum, *Nereum* & *Achilleum*, *Flauiam Domitillam*, & *Theclam*, vt præcipuos habebat patronos, & ad eorum sacras Reliquias preces effundere, atque humiliter oscula terræ defigere consueuerat. Ac pariter erga Beatos, in catalogum Sanctorum Summi Pontificis auctoritate nōdum relatos, summopere pius existens; ardentiori pietatis affectu prosecutus est admirabile illud Ecclesiæ lumen columen, *Carolum Borromæum*, quem alterum Ambrosium nuncupare consueuerat: ad cuius tumulum preces donaque offerri posse, à Clemente VIII. declarari postulauit, & obtinuit; vtque in Sanctorum catalogum adsciscerētur, à Leone XI. instantissime flagitauit: quod demum à Paulo V. summa totius Vrbis & Orbis celebritate feliciter completum vidimus. *Ignatium Loiolam* Societatis IESV institutorem, non modo coluit ipse, sed qua valebat in sacris Ritibus auctoritate, depictam eius Imaginem in Ecclesia nominis IESV publica religione colendam primus omnium suis manibus parieti affixit, atq; proposuit: Ac *B. Aloysium Gonzagam*, eiusdem Societatis IESV alumnum, adeo reueritus est, vt ad eius sepulchrum ventitare, sacras eius Reliquias multa corporis & animi demissione osculari, capitique suo imponere consueesceret. *Philippum vero Nerium*, Congregationis Oratorij fundatorem, (quem & nuper, vna cum prædicto Ignatio, aliisque tribus, Gregorius XV. Sedem Petri nunc obtinens ingenti omnium applausu Sanctorum numero adscripsit) tamquam suum optimum in CHRISTO parentem, ac præceptorem, non immerito præcipuo quodam amore & honore coluit: cuius sepulchrum frequenter inuisens, fixis in terram genibus, vel toto prouolutus corpore, multo cum gemitu & lacrymis in illa prodigi, sed pœnitentis filij *c* verba prorumpere solebat, *Pater, peccaui in cælum, & coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus.* Cuius in se obseruantiam, acceptissimam habuisse S. Patrem, duobus imprimis testatus est probatissimis indiciis: altero, cum illi anno M. D. XCVIII. Ferrariæ existenti, cælesti splendore collucens semel iterumque per visum apparuit, & Augustini Cardinalis Cusani, qui Mediolani ægrotabat, obitum declarauit: altero, cum anno M.DC. Romæ eidem vigilanti apparens, cum paterno amore stricte amplexatus est, eique iucundissime abblanditus.

c Luc. 15.

XXX. Tanto vero Sanctorum cultui, par in eo emicuit tuendæ Fidei Catholicæ zelus: cuius veritatem

ritatem non modo publicis in Ecclesia sermonibus, verum etiam ECCLESIASTICIS conscriptis ANNALIBVS manifestissime declarauit: qui etiam multo melius, si licuisset, (vt ipse alicubi *a* paratissimum animi sui propositum expressit) testaturus fuisset sanguine quam scriptis Catholicam veritatem.

ZELVS FIDEI. *a In peroratione X Annal. Tomi.*

ANNALIVM autem scriptionis occasionem (vt iam in illis paululum subsidamus, quandoquidem eorum editio præclarissimam ipsi apud omnes gentes famam gloriamque comparauit) impiæ hæreticorum *Magdeburgensium* præbuere *b* CENTVRIÆ: qui antiquorum res gestas se collecturos professi, perinde ac si aduersus veritatem bellum iurassent, falsissima quæque cumulantes, omniaque penitus inuertentes, nouam conati sunt exædificare confusionis turrim, è qua in cælis Deum ipsum ac Sanctos eius blasphemiis suis oppugnarent, & in terris pulcherrimam Ecclesiæ faciem, non habentem maculam neque rugam, lœdoriis virulentis deturparent. Vnde S. Philippus zelo exæstuans fidei & veritatis, ex aduerso consurgens pro domo Israel præliaturus prælia Domini, non maiori vel pari saltem numero militum decernendum putauit; sed diuino afflatus Spiritu, ipsum elegit BARONIVM adhuc adolescentē vnius dumtaxat & viginti annorum, quem vnum tot obiiceret hostibus. Qui licet initio rei magnitudine & difficultate perterritus, propriisq; diffisus viribus, opus detrectaret: demum tamen cedens iteratis sæpe Philippi iussionibus, suscepit illud tamquam à diuino imperio; quod & ipsi aliquando in somnis mirabiliter confirmatum est. Quare cum ex consuetudine illius Congregationis, singulis diebus, pomeridianis horis, sermones quidam haberi soleant; quibus non illo sublimi dicendi genere quod in sacris concionibus adhiberi consueuit, sed aliquanto submissiore, ac magis ad permouendos audientium animos accommodato, res cominus quasi ex æquo loco cum vnoquoque agi videatur: illud Philippus symbolum à *Baronio* exegit, vt Res gestas Ecclesiæ in medium afferret; adeoque adstitit operi, vrsit præsentia, institit verbis, & durus quasi diurni pensi extitit exactor; vt quamuis *Baronio* adhuc alij ad susceptum munus negotiorum fasces imponerentur; (cura videlicet animarum, publicum de suggestu ministerium Verbi Dei, præfectura domestica; præter alia quamplurima, quæ inopinate & importune molestiores quotidie ingererent interuentores:) tamen sex lustris ipsa integra Ecclesiastica Historia fuerit ab eo septies ordine temporum in Oratorio repetita. Eique sane operi Deus, cuius nutu illud agebatur, summopere fauit, dum præter illa præsidia quæ ad animum spectant, qualia sunt ingenij celeritas, memoriæ vis, & iudicium supra ætatem maturitatis laude perfectum; firmam quoque toto ferme eo tempore valetudinem corporis impertiuit, vberrimamque Bibliothecarum, & maxime Vaticanæ copiam, eruditorum hominum probata consilia, aliaque id genus adminicula; quæ frustra alibi quæsieris quam in illo rerum antiquarum theatro. Quibus omnibus adiutus, post decursa immenso labore illorum sex lustrorum spatia; præmissis primo, auspicij vice, in honorem Sanctorum, NOTATIONIBVS ad Rom. Martyrologium, mox aduersus eorum, Deique, & Ecclesiæ hostes, subsequi iussit instructissimam ANNALIVM aciem, qua facilius eos, quam aranearum telas disiecit, ac dissipauit, maximo eorum dedecore, diuini nominis gloria, Ecclesiæ ornamento, Fidelium vtilitate, & incredibili sui nominis celebritate: Haud secus ac olim Ægyptiorum *c* magorum virgas præstigiis inuolutas, & in serpentes conuersas, virga Aaronis deuorauit; & grandem illam Nabuchodonozori statuam *d* lapillus diuinitus immissus contriuit.

XXXI. ANNALIVM SCRIPTIO. *b Testatur hæc ipse Baron. Tom. I. præf. ad Lect. & ipse nunc. ad Sixt. V. & Tom. VIII. in præf. seu Grat. ad B. Phil.*

c Exod. 7.

d Dan. 2.

Neque enim aniles fabulas, vulgique rumores, quibus Centuriatores sua scripta referserunt, intexuit: sed grauissimis vsus auctoritatibus, post accuratam rerum omnium examinationem, ea tandem selegit quæ veritati maxime consentanea viderentur. Eiusque propositi adeo se religiosum obseruatorem præstitit *e*; vt non quæ perperam gesta essent, priuato affectu excusare aut probare vellet, sed quæ sola veritas doceret suis scriptis tantummodo complecteretur: atque in rebus ignotis præstare *f* existimaret ignorantiam ingenue fateri, quam ex mendaciis emendicatam scientiam affectare: & siquando ex iteratis cogitationibus à priori sententia, quam firmiter stabilisse videbatur, recedendum esset, volens *g* libensque in eam potius veniret quam re accuratius perspecta veritas persuaderet: Ac denique ita animo comparatus esset, vt aliorum monita non modo accepta haberet, verum etiam sponte flagitaret, monitoresque suos tamquam insignes benefactores coleret: illud semper Augustini in ore habens, *Virum & seruum diligo correctorem meum*. Et quod ad ipsam pertinet formam scriptionis, non exiguam in eo laudem doctorum hominum iudicio est consecutus; dum ita facilis eius fluere videtur oratio, vt tamen grauis incedat: stylo etsi fortasse vsus minus elaborato, puro tamen illo, & natiua ac constanti virtute perfecto.

XXXII. SINCERITAS IN SCRIPTIONE. *e Tom. III. an. 313. numer. XVI. f An. 336. num. LX. g An. 312. nu. XCIII.*

Qui quamuis totidem mente concepisset Annalium Tomos, quot à Centuriatoribus scripti fuissent contrarij, nempe Tredecim: sæpe tamen videtur diuina reuelatione præuidisse, non nisi Duodecim (quot omnino edidit) se perfecturū: cum & in fine Quinti, Duodecim *h* fragmētorum cophinis; & in principio Vndecimi, Duobus *i* supra Mille passibus; ac rursum initio Duodecimi, Duodecim *k* Lapidibus è medio Iordanis erutis, & in titulum sempiternum diuinæ gloriæ erectis, comparauit. Quod enim vltra Duodecimum Tomum, nonnulla etiam ad exordium sequentis præfatus est; id quidem non tam sua (qui iam in Epistola nuncupatoria Duodecimi ad Paulum PP. V. omni assertione prædixerat, eum vltimum suum fœtum futurum & numero atq; ordine Beniamin, effœto patri in senectute genitū:) quam Patrum Congregationis industria incoauit, eundemq; ipsum defectu vitæ vel virium minime se absoluturum præmonuit *l*.

XXXIII. NVMERVS VOLVMINVM. *h I. an. 6. Matth. 5. k Iosue 4.*

l Vid. infr. An. 198. p. 632. col. 2. ad med.

XXXIV. Acceptio Annalium.

Postquam vero Annales in lucem prodire cœperunt, tanta mox cupiditate, imo & ambitione, à cunctis vbique excepti fuerunt, vt non solum variis sæpe locis atque prouinciis cudendi ac recudendi fuerint, verum etiam eorum Epitomæ diuersis linguis, quinimo & translationes à magnis dignitate, eloquentia, pietate viris cõficiendæ; cum cuperent omnes nationes vel integris voluminibus, vel saltem eorum compendiis, suo quæque idiomate vti frui: idque non solum post Auctoris obitum, sed superstite adhuc ipso; tanta eius laude & gloria, vt vix sciam alicui id vnquam scriptori contigisse. Adeo vt etiam nonnulli, eius duntaxat videndi desiderio, de remotissimis Orbis Christiani finibus in Vrbem aduentasse dicantur: quemadmodum olim de Tito Liuio accidisse legimus, vt quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduceret. Nec pauci sint, qui eius scriptis perlegendis oblatum diuinæ gratiæ lumen recipientes, ab hæresibus quas sectabantur ad Romanæ Catholicæ fidem sponte redierint. E quibus memorare cum honore licet doctissimos *Gasparum Scioppium* Francum, & *Iustum Caluinum* Veteracastrensem; qui id ingenue publicis scriptis *b* profiteri, æternæ sibi gloriæ duxerunt: Vt alios taceam, qui ex variis regionibus ad Vrbem accedentes, id ipsum coram professi sunt. Et quicumque Catholici, imo & ex ipsis hæreticis plurimi, quacumque occasione de rebus Ecclesiasticis scribant, passim omnes atque certatim vbiuis terrarum eundem summis laudum præconiis commendare non cessent; omnesque fœcundissimis ipsius Annalibvs locupletati, res suas mirifice illustrent, necnon & multi integros libros ex iis compilent: Præter innumera illa elogia, quæ à magnis item doctrina, pietate, & auctoritate viris, necnon à summis Principibus, suis ad eum publicis priuatisque Epistolis, ex vniuersis totius Orbis Christiani partibus conscriptis continentur. Ex quibus omnibus non modo præsens ætas, futuraque posteritas, qualis quantusque fuerit Baronivs intelligat: verum etiam nonnullorum retundatur sciolorum audax præsumptio, & inuidorum liuor maleuolus; qui si pauca quædam Ecclesiasticæ Historiæ monumenta summis, vt dicitur, labiis recens degustarint, eademque facili negotio ex ipsismet *Baronij Annalibus* didicerint; continuo se perfectos historicos ostentare gestientes, ei inuerecunde obluctari non dubitauerint: quibuscum est nobis alias *c* opportunior colluctatio.

a *Hieron. ep. 103. ad Paul.*

b *Gaspar. Scioppius de suo ad Ordinand. integr. Instit. Caietan. vol. Ep. Cathol. ep. 5. & epi. sacrar. lib. 2 epist. 16.*

c *In Præfat. ad Lect. huius Epitomes.*

XXXV. Præparatio ad mortem.

Cum autem tot tantisque pro Christo & Ecclesia perfunctus laboribus, iam senio confectus vicinam sibi mortem præsentiret: quo saluti suæ attentius vacare posset, è Palatio ad Congregationis Oratorij ædes, veluti (vt ipse dicebat) columba Noe ad Arcam redire, & in pristina sua cellula tamquam in nidulo suo mori, statuit; ea simul deliberatione, vt quoad sibi vita suppeteret, veteris instituti onera, quantum eius dignitatis conditio ferret, quasi vnus ex eis pro viribus exerceret. Eoque demum reuersus, non multo post, quasi morti tempus præfiniisset, ac locum, in lethalem morbum incidit: Cumq; iam multis ante mensibus graue ciborum omnium fastidium hausisset, nunc eo processit nihil vt sumere posset, nisi modicum quid liquatum, & id ipsum admodum renuente stomacho. Quippe in eius orificio tria quæ contraxerat vlcera, (vt post mortem à medicis inspectum est) cum in eum cibus traiiciendus esset, acutissimum illi dolorem infligebant; & stomachus ipse tenuis ac solutus nihil fere alimenti retinebat. Quocirca medicorum suasione Tusculanum petens, ibi salutis animi quam corporis amantior, frequentissimos de diuinis rebus miscere sermones, peccatorumque veniam ingentibus suspiriis implorare non desistebat. Aduenisse namque iam vltimum vitæ suæ tempus, visio sibi diuinitus ante annos XIII. ostensa persuadebat: quando periculosa febre laborans, nocte quadam in somniis vidit in aduerso cellæ pariete numerum istum LXIX. nigris characteribus expressum: cumque excitatus à somno, illico sibi in mentem venisset, numerum annorum suorum iis literis designatum esse; somnum resumens, rursum eodem loco conspexit eumdem numerum literis quidem ipsis grandioribus, at candidis, & veluti ex gypso confectis: & expergefactus, in eamdem firmiorem aduectus est sententiam, vt crederet nihil aliud ea visione nisi definitum vitæ suæ terminum præmonstrari. Eique reuelationi adeo confidebat, vt non solum eum numerum in multis suis libris, aliisque schedulis frequenter notare consueseceret; verum etiam in principio ac fine Tom. XII. Annalium, qui necdum cum ipse obiit plene impressus erat, disertissimis verbis exitus sui imminere diem publice prædixerit: ac demum vt ad mortem (quam & alias numquam meditari desinebat) nonnisi paratissimus accederet, postquam ingressus est annum ætatis LXIX. singulis diebus sacrosancto Missæ sacrificio sanctissimam Eucharistiam tamquam pro viatico suscipere cœpit, timens ne subito forte casu præriperetur.

Visio de annis vita.

XXXVI. Ægritvdo mortis.

Ceterum cum illum Tusculi grauissima febris, nuntia vicinæ mortis, inuasisset, Romam XIII. Kal. Iulij ægre reductus, & in pristinam suam cellulam, in qua vitæ terminum præuiderat, comportatus; animi salutem vehementius cogitans, Apostolicam à Summo Pontifice benedictionem sedulus deposcit, & lætus accepit. Accedentibus quibuscumque humiliter commendabat sese; & à sacerdotibus vt sibi manus imponerent, æternamque salutem deprecarentur, à laicis vt ipsius frontem aqua salutari respergerent, cruceque signarent, enixe flagitabat: per hosque dies variis & assiduis Christianæ pietatis affectibus animum suum exercens, domesticos quoque & affines suos ad mundi despicientiam, & ad diuini numinis famulatum excitauit: diuina mysteria coram se quotidie peragi curauit, aliquotque vicibus communicauit: & à Patribus Quadragenarum Horarum supplicatio in Ecclesia indicta est, magno populi concursu, longiorem illi vitam à Domino sollicite deprecantis. Quinto autem Kal. Iulij circa auroram sanctissimum Eucharistiæ sacramentum de manu Præpositi Congregationis pro extremo viatico sumsit. Nec multo

post

post sacro Oleo, miro cum sensu pietatis, animique lætitia, inunctus est. Cumque ante lectulum, hinc Domini Saluatoris nostri IESV CHRISTI, inde SS. Apostolorum Petri & Pauli Imagines collocari iussisset, crebros in eas defigens obtutus, magnos in se diuinæ fiduciæ & amoris affectus excitabat. Atque vbi Præpositus illius animam precibus ab Ecclesia præstitutis Deo sanctisque commendandam suscepisset; eo cognito *Baronius*, nondum extinctis corporis sensibus, *Eia* (inquit) *ecce nunc tempus exultationis & lætitiæ: moriamur.* Tunc protensis iunctisque in vnum pedibus, & compositis supra pectus manibus, sacerdotis precibus, licet intermortuis vocibus respondere, vel annuere, & oblatam sibi Beatæ MARIÆ Virginis Imaginem, ac thecam Reliquiarum, multa cum animi pietate osculari nitebatur. Tandem vero cum iam bonum *a* certamen certasset, cursum consummasset, fidem seruasset, repositam sibi iustitiæ coronam à Deo accepturus, claros intendens in cælum oculos, vbi iam mentem penitus infixam habebat, plenus dierum & bonorum operum, inter adstantium preces & lacrymas placidissime efflauit animam, anno ætatis suæ LXIX. per octo menses inchoato, post CHRISTVM natum M. DC. VII. prid. Kalen. Iulij; quæ dies festum SS. Apostolorum Petri & Pauli proxime insecuta, memoriæ eiusdem Pauli & B. MARIÆ in sabbato sacer extitit; quorum se patrociniis iam totum antea, vt vidimus, deuouerat.

PIVS TRANSITVS.

a 2. *Tim.* 4.

Post aliquot horas, eius corpus, partim inspiciendi, partim exenterandi causa, (quamquam ille morti proximus, honestate ac verecundia motus, ne fieret postulauerat) dissectum est: mox sacris indutum vestibus ad sequentis diei funus seruatum. Mansit vultus eius serenus ac lętus; manus, ceteræque corporis partes, candidæ, molles, ac tractabiles; ipsa corporis species venerabilis & maiestate plena: vt spirare videretur sanctitatem antiquorum Patrum. Erat corpore quidem nec obeso, nec gracili, sed quadrato, & temperato; itidem procero & robusto, sed iam diuturnis laboribus extenuato. Caput eius capillis plenum, natura quidem nigris, sed ob senectutem & curas candidis. Frons ampla, & rugis exarata: oculi glauci, densa supercilia, nasus ad aquilinum vergens, barba plenior & incultior: color faciei candidus, & illa honesta ac liberalis.

XXXVI.

STATVRA CORPORIS.

Vulgata eius morte, ingens confestim populi concursus ad eum videndum excitatus est: summi, medij, infimi, sæculares, religiosi, eum & inuisebant & venerabantur; eiusque eruditionis, zeli, pietatis, probitatis, misericordiæ, liberalitatis, aliarumque virtutum gratissima recordatione adeo tenebantur, vt ab illius intuitu diuelli vix possent; procumbentes in genua, piaque corpori repetentes oscula, ac lacrymas profundentes. Die Dominica à prandio, corpore in Ecclesiam deportato, Cardinales ad iusta ei de more persoluenda conuenientes, sublatum sacri ipsorum Collegij inclytum decus vniuersi lamentari cœperunt, nonnulli lacrymas addentes dolori. Absolutis vero consuetis pro defunctis precibus, quamplurimi è populo corpori sacras coronas & rosaria certatim admouere cœperunt; multique & graues viri cum sæculares tum religiosi, quibus nota & probata satis erat eius sanctitas, aliquas intestinorum, capillorum, aut vestium particulas, aut aliud huiusmodi impense flagitarunt; quidam etiam docti pariter ac pij aliquam è pennis quibus scribere solitus erat, magni muneris loco acceptam, inter pretiosiora sua cimelia reposuerunt. Eius autem transitu audito ab Henrico Magno Christianiss. Rege, ob suum in illum amorem, & reuerentiam, dignas illius meritis & regia sua munificentia exequias, quibus ipse interfuit, Parisiis celebrari voluit. Ac denique vniuersa Ecclesia Catholica, quę tanti viri præsidio lætabatur, se illius aspectu priuatam sentiens, suam vbique mœruit calamitatem.

XXXVIII. HONORES POST OBITVM.

Quarta post obitum die, corpus in arca cypressina, quam plumbea, hancque communis lignea tegebat, inclusum, ad sinistrum latus aræ maximæ sepultum est. Quamuis enim primo à Congregationis Patribus, vt eum in Titulo suo & Ecclesia SS. Martyrum Nerei & Achillei, in qua iuxta eorum sepulchrum ipse sibi antea puram ac simplicem sepulturam parauerat; tamquam pauperculum quempiam sepelirent, postulasset: deinde tamen intelligens id ab eis difficile impetratum iri, qui se illius corporis pignore priuari plurimum dolerent; acquieuit eorum voluntati vt in eadem ipsorũ Ecclesia Vallicellana tumularetur, in qua & dulcissimi ipsius in Christo parentis B. Philippi sactæ Reliquiæ quiescerent. Cum autem eius sepulchro epitaphium desideraretur; superueniente obitu *Francisci Mariæ* Cardinalis *Tauruisij*, eiusdem olim Congregationis presbyteri, de quo facta est superius mentio: vt quorum animi adeo in vita coniuncti fuissent, vt ipsum *Baronius* in Gratiarum *b* actione de vtriusque eadem die Cardinalitia creatione ad Clementem Papam, *alterum se, suumque vnanimem* vocauerit; (quem & de virtutibus Apostolicis, formaque antiquæ probitatis laudat:) æque post obitum idem tumulus vtriusque corpus contineret: Patres Congregationis commune eis sicut monumentum; ita & Epitaphium, licet vtrumque amplius vtrique merenti, posuerunt his verbis in marmore insculptis: D. O. M. FRANCISCO-MARIÆ TAVRVSIO POLITIANO; ET CÆSARI BARONIO SORANO; EX CONGREGATIONE ORATORII S. R. E. PRESBYTERIS CARDINALIBVS; NE CORPORA DISIVNGERENTVR IN MORTE; QVORVM ANIMI DIVINIS VIRTVTIBVS INSIGNES, IN VITA CONIVNCTISSIMI FVERANT; EADEM CONGREGATIO VNVM VTRIQVE MONVMENTVM POSVIT. TAVRVSIVS VIXIT ANNOS LXXXII. MENSES IX. DIES XIV. OBIIT III. ID. IVNII, M. DC. VIII. BARONIVS VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VIII. OBIIT PRID. KAL. IVLII M. DC. VII.

b Epist. Baron. cupat. Tom. VII. Ann.

XXXIX. SEPVLTVRA.

Atque hæc de CÆSARIS BARONII vita, & obitu, quæ ad Christianæ pietatis exemplum maxime pertinent, pro instituto nostro quam breuissime dixisse sufficiat. Plura namque de rebus ab eo gestis, eaque spectatim quæ diuinitus per eum facta traduntur, & admirationem magis

XL. FRVCTVS EX LECTIONE HISTORIÆ.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

magis commouent quam imitationem, longiori sermone tractanda iis relinquimus qui Vitam eius accuratissime omnibus numeris absolutam promulgare proponunt. Itaque finem huic scriptioni apponimus, postquam extrema iungendo primis dixerimus, BARONIVM prudentissimum Historiæ tractatorem, eam omnium maximam inde vtilitatem consecutum esse, quam Iornandes Gothorum Episcopus, & Rerum gestarum scriptor non ignobilis, in præfatione commentarij de Regnorum ac Temporum successione perbelle admonet ex Historiarum lectione percipi debere: nimirum vt mundi huius prauitates & ærumnæ, quibus indesinenter voluitur & inuoluitur, eum nos contemnere penitus debere & odio prosequi persuadeant: tantumque ex iis ipsum profeciſſe, (quod maxime in optatis *a* habebat) vt contemptu terræ lucratus sit cælum: ideoque omni omnium laudatione superiorem esse, cum iam depositis Fide ac Spe, videat & fruatur iis *b* quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt: sola ardens Charitate, quæ non solum numquam excidit, sed etiam visione ac fruitione immensùm augetur. Vnde & firma nobis fiducia accedat, quod cum alios omnes, vniuersamque Ecclesiam, tum peculiari fauore eos qui sibi familiariter in hac vita noti fuerunt, (inter quos & me indignissimum extitisse, æternum gloriabor) apud Deum precibus protegat atque defendat, ac tandem ab hoc miserrimo exilio ad felicissimam patriam pertrahat. Amen.

a Ita Baron. *Ann. Tom. VII. an. 550. in fin.*

b 1 *Cor.* 2. *& 13.*



LANFRANCI, EX ABBATE CADOMENSI ARCHIEPISCOPI CANTVARIENSIS, CELEBERRIMI SCRIPTORIS, ſententia de HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ efficacitate.

Ex Comment. de Euchariſtia contra Berengarium.

ECCLESIASTICÆ Hiſtoriæ,& Sanctorum Patrum Geſta, tametſi illam excellentiſsimam auctoritatis arcem non obtinent, qua donatæ ſunt Scripturæ, quas Propheticas,ſeu Apoſtolicas nũcupamus:hoc tamen probare ſufficiunt,quod hanc fidem,quam nunc habemus,omnes Fideles qui nos præceſſerunt,à priſcis temporibus habuerunt.

APPA-

ADUR
ESG
EN 12150

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

APPARATVS AD ANNALES ECCLESIASTICOS.

DE ADVENTV FILII DEI.

1. ECCLESIÆ ANTIQVITAS.
a *Ioan.* 1.
b *Gal.* 4.
c *Leo epist.* 10.
d *Apoc.* 13.
e *Apoc.* 22.
f *Sap.* 8. *Iob.* 38. *Isa.* 28. *Ephes.* 2. 1. *Pet.* 2.
h *Hebr.* 13.
i *Iustin. orat. ad Anton. Orig. tom.* 2. *comment. in Ioan. & lib.* 2. *cont. Cels. Euseb. de præp Euang. & l. hist.* 3. *Greg. Naz. orat. de Machab. Aug.* 10. *Conf.* 43. *& ad Deogr. ep.* 49. *q.* 2. *in fi & ep.* 89. *cont. Pelag. & ad Opt. de orig. anim. epist.* 157. *de catech. rud. c.* 19. *de patient. cap.* 22. *de ciuit. Dei lib.* 10. *c.* 25. *& lib.* 18. *c.* 42. *& li.* 3. *cont. ep. Pelag. cap.* 4.
k *Iustin. ibid.*
l *Aug. d. ep.* 89.
m *Baruch.* 3.

II.

n *Gen.* 49. *vers.* 10.
o *Ap. Cyril. Alex. cont. Iul lib.* 8.
p *Ioseph.* 11. *antiq.* 5. HEBRÆI QVANDO VOCATI IVDÆI.

ECCLESIAM, cuius gesta narraturi sumus, esse omnium plane antiquissimam, adeo verum est, vt sine fidei iactura in dubium reuocati nonliceat. Eius namque fundamentum primatium, cui cæteta omnia cohæreant & innitantur, non est aliud, nisi CHRISTVS IESVS Dei filius, non in tempore creatus, sed à Patre ante omnia tempora genitus, eiusdem cum Patre substantiæ, sine quo *a* nihil factum est, & per quem omnia facta sunt. Cum autem venit *b* plenitudo temporis, misit Deus ipsum Filium suum, factum ex muliere; qui diuinæ naturæ associauit humanam, tantoque fœdere vtramque naturam hypostatica vnione coniunxit, vt nec *c* inferiorem consumeret glorificatio, nec superiorem minueret assumptio. Quocirca hic est Agnus *d* ab origine mundi occisus; qui sui sanguinis effusione, & qui ante fuerant homines, & qui post futuri erant, ablueret, secumque perduceret in gloriam cælestem: Principium *e* & Finis: Æterna Sapientia, quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter: *f* Lapis *g* angularis, qui cælestia pariter atq; terrena, præterita, præsentia, & futura, vna eademque suimet ipsius compagine conglutinata solidaret: vt merito Apostolus *b* dicat, *Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*: & in confesso sit apud omnes Patres, *i* quotquot vnquam fuerint ab exordio mundi homines, non nisi à CHRISTO, & per CHRISTVM, salutem esse consecutos: quos & ideo CHRISTIANOS nominari posse tradunt, *k* licet aduentum CHRISTI præcesserint; quoniam non nisi per eamdem fidem liberati *l* sunt, per quam liberamur & nos, fide scilicet Incarnationis Christi, quæ illis prænuntiabatur, sicut à nobis facta annuntiatur. Nos autem, quamuis vna sit ab initio mundi CHRISTI ECCLESIA, tamen superiora illa, & antiquissima relinquentes, scriptis nostris ea tantummodo complectemur, quæ contigerunt ex quo Christus è cælo in terras est dilapsus, & post hæc visus est, & cum hominibus *m* conuersatus.

Opportunum sane tempus. Defecerat enim (quod erat in sacris *n* oraculis) de tribu Iuda & domo Dauid regium sceptrum, atque ducatus; non in Sedechia, (quod Iulianus *o* dicebat) sed in Assamonæis, iisdemque Machabæis dictis, postquam rerum summa apud Hebræos redacta est ad Herodem. Tribus enim Iuda in Babylonem, quod sciunt omnes, in seruitutem cum sanguine regio adducta, post annos septuaginta, in Palæstinam postliminio est restituta: quo tempore primum, Iosepho *p* teste, eadem prouincia dici IVDÆA cœpit, & IVDÆI appellari, qui prius HEBRÆI, vel ISRAELITÆ nominabantur. Zorobabel enim, & qui post eum Iudæos gubernarunt vsque ad Herodem Idumæum, omnes ex tribu Iudæ, & stirpe Dauid extitisse, asserit aduersus eumdem Iulianum Cyrillus, testaturque iterum Hieronymus *a* licet aliter aliquando dixerit. Et quidem Zorobabel, ac complures successores eius, ex stirpe Dauid fuisse progenitos, docet sæpe Scriptura *b* sacra: Assamonæos vero constat fuisse ex genere sacerdotali, tribu Leuitica, ex filiis (vt habet liber primus *c* Machabæorum) Ioiarib: sic enim legendum est, loco Ioatim; nam Iosephus *d* Assamonæum dicit sacerdotem fuisse ex vice Ioiarib, quæ inter viginti quatuor vices sacerdotales principem locum *e* tenuit. Quod autem iidem Assamonæi, qui erant ex tribu Leuitica, fœdere nuptiarum (id namque licitum fuisse testatur *f* Philo) tribui Iuda, ipsique familiæ Dauid coniuncti essent: inde factum est, vt horum coniunctione Sacerdotium simul & Regnum pariter iungerentur: perseuerauitque sceptrum Iuda in Assamonæis in linea feminina vsque ad Herodem. Assamonæos enim ex materno genere fuisse ex tribu Iuda, etiam Rabbini attestantur: neque vllo alio iure tribui Leuiticæ licitum fuisset vna cum sacerdotio, absque tyrannidis labe adsciscere sibi regnum.

a *Hier. in Sophon. c.* 1. *& in Ezech. c.* 21.
b 1. *Para.* 3. *& li.* 3. *Esdr. c.* 5. *c Matth.* 1. *Luc* 3. *d Ios.* 12. *ant.* 8. *e* 1. *Para.* 24.
f *Phil. de Monarch lib.* 2.

TRANSLATVM IVDÆ REGNVM AD ASSAMONÆOS.

[Occasione criminationum quorundam omnis generis hominum qui illustrissimi Baronii Annales post eius obitum vellicarũt, nonnulla hac iterata Epitomes nostræ editione sua sim adnotare compulsi, (sicut etiam monuimus in Præfatione) hic in ipso ferme limine difficillimam quæstionem tangimus de recto intellectu oraculi Iacobæi, cuius mentio facta est in præcedenti sectione. Quod tractans Aug. Torniellus Annal. Sacr. ann. 4018 & 4052 opinatus est voluisse Iacobum filiis suis prædicere: regiam potestatem nunquam ita ablatam esse à tribu Iuda, quin semper remaneret certa spes iterum aliquando piam recuperandi, donec prius venisset Messias. Namque Herodem, sub quo natus est Christus, haud ex Gentili Idumæo proselytum, (vt Baronius existimauit) sed vere ac proprie tam religione quam genere Iudæum extitisse, id asserente Nicolao Damasceno ipsius Herodis contemporaneo. At Is. Casaubonus Exercit. 1. in Baro. cap. 1. & 3. etiamsi Iacobi prophetiam ad Iudam dirigi fateatur, præcipua tamen eius capita ad omnes fratres, & eorum posteros, in commune spectasse contendit: illud tamen Iudæ proprium in ea fuisse, quod inter fratres ipse semper excelleret, ac trib. Iudæ inter omnes dignitate potior esset, ac denique ex eius posteris Christus nasceretur: Herodem porro, quamuis fuerit genere & genere Idumæus, hoc tamen ipso fuisse & Iudæum: quippe integro fere ante eius principatum sæculo (vt docet Iosephus 13. antiq. 17.) Idumæam per Regem Iudæorum Alexandrum effectam fuisse partem Iudææ, antiquatisq; priscis idololatriæ ritibus, Idomæos compulsos diuinum Iudæorum cultum suscipere. Ita Casaubonus partim ex Pererii commentariis in Genesim, partim ex Scaligeri notis ad Eusebium. Cæterum cum omnes omnino Veteres auctores, tam Christiani, quã etiam Hebræi, absque vlla prorsus dubitatione, (post Iosephum grauissimum eius temporis rerum Iudaicarum Scriptorem, quique Nicolaum Damascenum secus in gratiam Herodis scripsisse arguit:) affirment Herodem fuisse alienigenam, nec vlla ex parte regnum vel genus Iudæorum attigisse, nequaquam tam facile videntur recentiorum inductiones contra firmas veterum sententias admittendæ. Neque enim reliquæ Tornielli de Herodis religio-

DE RECTO INTELLECTV ORACVLI IACOBÆI.

ne con-

ne coniecturæ eiusmodi sunt, vt non possint etiam apprime conuenire proselyto, eidemque fauorem Iudæorum nundinanti, qualem constat extitisse Herodem. Et Casaubonum ac Scaligerum aperte refellunt ipsamet Iacobi prophetiæ verba, dum diserte restringuntur ad *Ducem de femore Iudæ*, ac proinde manifestissime repellunt Herodem a regno Iudaico: quippe quamtumuis fuerint Idumæi & subiectione & religione Iudæi, numquam tamen re vera effici valuerunt de femore vel de semine Iudæ, cui facta est repromissio. Quare cum & multi alii mulcas alias, quæ maiores etiam patiantur difficultates, huius vaticinii proferant interpretationes; aliam & nos proponimus doctioribus examinandam; vt scilicet voluerit Iacobus significare, tribum Iudæ præcipuam inter cæteras futuram, sceptroque potituram, quod alioqui ad posteros Rubeni primogeniti pertinere videbatur: & ex quo semel illud suscepisset, nunquam defuturum ex ea stirpe regia virum, ad quem illud manifesto iure legitimæ successionis pertineret dignosceretur, (quamuis ab aliis diuersimode occuparetur) vsque dum Messias ex eadem stirpe aduenisset, in quo omnes antiquæ eiusmodi prophetiæ terminabantur, & post quem omnis penitus ciuilis magistratus sublatus, ordo hierarchicus deletus, Iudæa desolata, & omnis Iudaicarum tribuum atque familiarum distinctio abolita est. Quæ sententia si & suis non careret videatur difficultatibus, quam probabiliorem tequamur, sane nullam hactenus inuenimus.]

III. De Herodis regno.

Sed cessasse visum est penitus sceptrum Iudæ, cum Herodes Idumæus, Gentilis homo, postea proselytus, Iudæorum regnum cepisset, quod transmittit ad Archelaum, & Herodem Antipam, quæ ex alienigena femina *a* Malthace Samaritide genuit sunt. Constat *b* enim post Iudæam à Pompeio Magno debellatam, & ex parte in formam prouinciæ redactam, ac per Scaurum primum, deinde Gabinium Syriæ Præsides administratam, postea etiam expilatum templum à Crasso, clademque maximam à Cassio inuectam, & à C. Cæsare rursus imperatum tributum, atque aliam à Cassio depopulationem miserime factam, post denique M. Antonii administrationem, digladiantibus inter se odio pertinacissimo Assamonæis; ad extremum Olympiade centesima octogesima quarta, Domitio Caluino iterum & Asinio Pollione Coss. eumdem Herodem Antipatri filium Idumæum proselytum, Romæ ex SCto regnum Iudæorum accepisse. Quando post hæc Antonius in Antigonum Assamonæum bello victum, (qui fauore Parthorum, ejecto Hyrcano, vltimus Rex Iudæorum Principatum inuaserat;) vt scribit Iosephus, *c* securi animaduerti iussit, & (vt auctor est Dio *d*) eidem cruci alligato, ac fustibus cæso, caput truncari mandauit: in quo & defecit Iudæorum Principatus. Nam licet adhuc, qui fuerat pulsus, in viuis esset Hyrcanus; tamen & ipse Herodis dolo sublatus est. Quocirca cum funditus esset penitus ereptum tribui Iudæ regium sceptrum, nihil superesset nisi vt is mitteretur, ex antiquorum prædictionibus, qui ex eo litus dilapsus in Israel regnaret, Gentes regeret, regnumque Iudaicum, quod acto in crucem Antigono fuerat extinctum, per Crucem restitueret, & amplioribus spatiis propagaret.

Cum hæc autem apud Iudæos omnes æque essent in confesso, defeciisse nimirum sceptrum de tribu Iudæ; quo sublato Christus venturus esset, cõplures adulandi studio, ipsum Herodem Christum esse dixere, *e* (quod testantur antiqui eauctores) conflatumque mox est nomen ex secta, vt iidem *Herodiani* dicerentur. Vnde quoque accidit, vt posteri Iudæorum, quod post Herodem Idumæum, Archelaum, Herodem Antipam, nulla ex parte tribui Iudæ inhærentes, regnasse viderent Agrippam Aristobuli filium, qui ab Herode genitus erat ex Mariamne Hyrcani Assamonæi Pontificis nepte, ex eademque stirpe Reges ad Vespasianum Imperatorem vsque perseuerasse, quasi ad illud etiam tempus permansisset sceptrum Iudæ occasione sobolis Mariamnes; ipsi eidem Vespasiano (vt suo loco dicetur) quæ de Christo prænuntiata fuerant tribuerent, cum & alii quoque Pseudoprophetæ se Christum esse dicerent.

[Sicut illi Herodiani in gratiam ipsius Herodis viui ea iactarunt, sic & illorum posteros eiusdem mortui memoriam adhuc sub Nerone coluisse, & quotannis eius natalem solemniter celebrasse, putauit vetus Persii Scholiastes, dum exponens illud huius poetæ Sat. 5.

--- At cum
Herodis venere dies, vnctaque fenestra
Discussa pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas: ---

ait hoc intelligi de Herode qui apud Iudæos regnauit tempore Augusti, eiusque diem natalem Herodianos obseruasse, vt Sabbatarios. Ea tamen Baronius ann. 31. num. 11. putauit intelligi de Herode Agrippa vltimo Iudæorum Rege: sicuti & olim existimauit Philastrius lib. de hæres. cap. 28. Verum si ad Herodianorum solennia debent referri Persii verba, vt interpretatus est Scholiastes, etiamsi videantur de Herode Magno accipi, sub quo natus est Christus, (quemadmodum & alii acceperunt) eu tamen vide, si cupis, quæ de toto hoc loco aduersus Casauboni in Baronium argutationes disputauit Andr. Eudæmon Defens. Baron. lib. 2. cap. 10.

IV. Herodis existimatvm Christvs.

Cæterum non modo Regnum, sed & legitima Summi Sacerdotii institutio per hæc tempora defecerat, dum illud è familia Assamonæorum Herodes Idumæus ad alios transtulit, pro libito dimouens, atque promouens, qui plus minusue pecunia vel gratia apud ipsum pollerent. Et vt insuper sibi ius omne & ornamentũ Summi Sacerdotii prorsus arrogaret, insigne *b* Pontificium nobilissimum, *Stolam* scilicet sacerdotalem, in turri munitissima custodiri iussit (quod *c* & postea Romani, Iudæa in prouinciam redacta, factitarunt, eam statutis dumtaxat ieiuniorum diebus exhibentes Pontificibus; quibus & ipsi Summi Sacerdotii dignitatem pro arbitrio ferre & auferre cõsueuerunt.) Regnoque ac Sacerdotio Iudæorum collapso & funditus euerso, quid aliud restabat nisi vt Sanctus *d* Sanctorum vngeretur?

V. Pontificatvs eromo Levi svblatvs.

a *Vide Ios.* 35. *Ant.* 3. & 9. & *lib.* 20. *c.* 8. *Euseb.* 1. *Hist.* 6. *Hier. in Dan.* 9.
b *Ios.* 18. *Ant.* 6.
c *Bar. an.* 17.
d *Dan.* 9.

Postremo ipsa rectorum dogmatum sincera doctrina plurimis erroribus fere penitus erat obscurata; vigentibus apud Hebræos, (vt auctor est *e* Iosephus) tribus præcipuis sectis, maxime inter se dissidentibus, *Pharisæorum, Sadducæorum, & Essenorum*: quibus & duæ aliæ accesserunt, *Galilæorum, & Herodianorum*. Et quidem Pharisæos Hieronymus *f* ex Nazaræorum opinione tradit, non multo ante aduentum Christi exortos in Iudæa, auctoribus *Sammai, & Hillel*, ex quibus *Scribæ & Pharisæi*. Nam qui Legi interpretandæ nauabant operam, peculiari nomine Scribæ dicebantur. Eos vero omnes vitiosa interpretatione Legem corrupisse, Christus Dominus sæpe arguit: Erant autem Pharisæorum hæc dogmata, vt Fato *g* cuncta tribuerent; animarum iudicia sub terra fieri affirmarent; transanimationem Pythagoræam hoc temperamento astruerent, vt solas bonorum animas transire in alia corpora, malorum autem innominiæ cultu, Græcorum vanitates sectarentur. Cæterum nundinaria quadam sanctitate, atque rigida virginitatis ad præscriptũ tempus obseruatione, victusq; asperitate, sic animos omnium sibi conciliabant, vt (quod ait Iosephus, *h* & ipse gentilis eorum, atque Pharisæus secta) etiam si Regibus aduersarentur, aut Pontificibus, fidem tamen vulgus eis haberet. Dicti *Pharisæi*, *i* eo quod separati essent ab aliis, propter spontaneam superfluam religionem ab ipsis receptam. Phares enim Hebræa lingua dicitur separatus.

e *Ios.* 18. *Ant.* 2. & 2. *de Bel.* 7.
De Sectis Ivdæorvm.
f *Hier. in Isa.* 8
De Pharisæis.
g *Ios.* 18. *Ant.* 2. & 2. *de Bel.* 7. *Epiph. in Pan. lib.* 1. *cap.* 16.
h *Ios.* 13. *Ant.* 18. & *li.* 17. *c.* 3.
i *Epiph. ibid.*

[De Sectis Iudæorum, (de quibus attic. præced. & seqq. post hæc à Baronio scriptis, diffuse egerunt proprie, iisdemque aduersis tractatibus, *Nic. Serarius* Soc. Iesv, & *Io. Drusius* ac *Ios. Scaliger* hæreticis; ex quibus plenaque ista compilauit Casaubonus Exercit. 16. Sed eius in Baronium criminationes diluit Iul. Cæs. Bulengerus in suis aduersus eum Diatribis.]

VI.

Sadducæi longe deteriora dogmata sectantes, dicebãt *k* non esse resurrectionẽ mortuorum, neque Angelum, neque Spiritum; cum alioqui Phariſæi hæc fatercntur. Sed & animas vna cum corporibus simul & eodem tempore extingui putabant: In reliquis vero cum Samaritis sentiebãt, nisi quod Hierosolymis agentes vna cum Iudæis sacrificarent: à *Saddoc* sacerdote appellationem mutuatt, quamuis ab eius disciplina defecerint. Adhæc inter se feris moribus discrepantes, erga exteros quoque illiberales & inhumani fuere; ideoque & minus populo grati, & numero pauci, sed fere dignitate præcipui. Ita de iis Iosephus, *l* atque Epiphanius. *m* Eos vero æque ac Phariſæos, sanctissimus Ioannes *n* Baptista progenies viperarum appellauit, & ab eorũ fermento cauere; ipse Dominus *o* discipulos suos monuit.

De Sadducæis.
k *Act.* 23.
l *Ios.* 18. *Ant.* 2 & 2. *de Bel.* 7.
m *Epiph.* 1. *Panar.* 14.
n *Matt.* 3.
o *Matt.* 16.

VII.

Essenivs à reliquis omnibus schismate diuisi, non sacrificabant *p* in templo, quod (vt dicebant) sanctioribus vterentur cæremoniis. Cæterum vitæ morib. fuisse cõspicuos, & perpetuam continentiam obseruasse, omnes vno ore tatentur: *q* vero ad dogmata, Epiphanius *q* eos inter Samaritas dinumerat. Porro quinã essent Samaritæ, Scriptura docet:

De Essenis.
p *Ios. vbi sup.*
q *Epiph.* 1. *Panar.* 19. Samaritæ.

VIII.

TANORVM SECTÆ DIVERSÆ.

docet: nempe qui diuisi à Iudæis, non templum, non sacrificia, vel cæremonias communes cum illis habebant, & quinque tantum Mosis libros accipientes, Prophetas ac cętera diuinæ Scripturæ volumina reiiciebant: non credentes resurrectionē mortuorum, negantes & Spiritum Sanctum. Hæc & alia de iis Epiphanius. *a* Præterea eorum (ꝙ in quatuor sectas essent distincti) alios tradit fuisse ESSENOS, quos diximus; alios SEBVEOS, *b* qui hoc vno ab illis dissentiebāt, quod transposuissent tempora solemnium festiuitatum. Quibus aduersantes GORTHENI, diuersamque ab illis dierum festorum rationem habentes, Essenis potius in hoc adhæserunt. Quartum genus erat DOSITHEORVM: *c* qui rursum à dictis omnibus differentes, resurrectionem mortuorum profitebantur: superstitiosa tamē nonnulla ad nouum vitæ genus instituendum accommodantes, ab animatis abstinebant; & (quod scribit *d* Origenes) adeo superstitiose colebant Sabbatum, vt quo quisq; eorum habitu, loco, situ, die sabbati inuentus fuisset, siue stans, sedensue, intus vel foris, eo loco eademque positione, ea die vsque ad vesperam permaneret: quos & præ cæteris repudiasse Prophetas, Tertullianus *e* refert; monogamosque fuisse, ac nonnullos ex eis virginitatem seruasse, Epiphanius tradit.

a *Epiph. 1. Panar. 9.*
b *cap. 11.*
c *cap. 13.* DOSITHEI SVPERSTITIOSISSIMI.
d *Orig. Periar lib. 4.*
e *Ter. de præscrip. & Hier. cont. Lucif.*

IX. DE HEMEROBAPTISTIS.

Nec prætereundum genus hominum illud, qui simul cum Pharisæis cætera sentientes, cum Sadducæis mortuorū resurrectionem negabant: illudque præcipuum habebant, vt vere, autumno, hyeme, & æstate, singulis diebus in aqua mergerentur, atque eiusmodi ablutione sanctificarentur; rati non posse aliter homines viuere: quos eam ob causam HEMEROBAPTISTAS esse appellatos, Epiphanius *f* docet. De quorum hæresi fit etiam mentio apud Marcum *g* Euangelistā. His addit Epiphanius NAZARÆOS, qui nec sacrificia, nec libros Mosis cum cæteris haberent communia, abstinerentque ab animatis velut immundis. Hisque proximos dicit *h* esse OSSENOS: ac nouissimo loco ponit HERODIANOS, qui (vt diximus) Herodem dicebant esse Christum: quorum gregales fuerunt, qui vna cum Pharisæis *i* conspiratunt contra Christum, & cauillosam de tributo persoluendo Cæsari, *k* proposuerunt quæstionem. De secta vero GALILÆORVM, quæ tempore census exorta est, opportunius suo loco dicendum.

f *Epiph. 1. Panar. 17. 18.*
g *Mar. 7.*
h *Epiph. ib. cap. 19. 20.* DE HERODIANIS.
i *Mar. 3.*
k *Matth. 22. Marc. 12.*

X. DE STATV GENTILIVM.

Sic igitur è loco motis, atque collapsis firmissimis columnis, diuina operatione in populo Iudaico statutis, Regno, Sacerdotio, atque Lege; status Iudæorū illis subnixus, ingenti est fragore prostratus. Remanentibus tantummodo, velut post excussam oleam in summitate rami oliuis, paucis quibusdam iustis, qui redemptionem Israel expectantes, in veritate perstarent; & auidius illum cuperent, qui collapsum Regnum, Sacerdotium, atque Legem, ipse Rex, & Sacerdos, atque Legifer Emmanuel restitueret. Quod si ipsa Iudæa, in qua notus erat Deus, tanta erat obuoluta caligine; quid putandum de Gentibus, quæ Deum ignorantes in idolis prauos colebant dæmones? Iam & collapsæ erant, quæ apud eos fuerant optimis legibus institutæ Respublicæ: & ipsa Romanorum, quæ egregiis animi virtutibus sibi subegerat Orbem, relicta illa antiqua recte viuendi consuetudine, plus cæteris *l* omnium vitiorum genera sectabatur. Quid vero memorē cæteras nationes? multiplicium q; Deorum in vnaquaq; prouincia superstitiosissimum cultū, ferales Gentium ritus, portentosas populorum inolitas vbiq; consuetudines, turpissimos hominū mores ipsa etiam naturæ iura violantes: Vt nemo non videat, peropportuno tēpore à Deo cōsultū esse, Vnigenitum Filium, per quem cūcta creauerat, in mundū mittere, vt omnia restauraret; ipseque Via, Veritas, & Vita, à recto tramite deuios, fidei religione, ac morum cōpositione reuocaret ad viam; cunctosq; per veritatem errores auferens, iter aperiret ad vitam.

l *Aug. 2. de ciuit. 19.*

XI. FILII DEI ADVENTVS EIS PRÆNVNTIATVS.

Quo vero vtriusque populi, Iudæi atque Gentilis, reciperetur consensu, consilium Dei fuit vt longe antea rei tantæ sacramentum Iudæis innotesceret per figurarum adumbrationes, & Prophetarum prædictiones; Gentilibus autē per suos ipsorum vates, quales fuere *Mercurius Trismegistus, Hydaspes*, ac præcipue SIBYLLÆ, sic dictæ à Dei consiliis denuntiandis; quibus ob virginitatis insigne meritum, diuinationem esse concessam Hieronymus *m* existimauit: eamque ob causam eas appellare Patres *n* consueuerunt *Prophetissas Gentilium*: immo & tantum eis tribuit Heraclitus, *a* vt non humanitus, sed diuinitus apparuisse putarit. Earum vero oraculis adeo crebro vsi sunt Patres ad conuincendos errores Gentilium, vt eam ob rem Gentiles ipsi (quod testatur *b* Origenes) Christianos vocarent *Sibyllistas*: queraturq; Iustinus *c* Martyr, malorum dæmonum arte factum fuisse, vt pœna mortis eorum lectio prohibereretur, quòd metuerent ne qui ea legerent notitiam inde veræ pietatis perciperent. Memoriaque sane dignum, quod Paulum Apostolum Clemens *d* Alexandrinus, ipsa propria eius verba recitans, (forte ex aliqua illius concione ad populum habita; quæ per traditionem in posteros fluxerit) inducit Sibyllarum oracula, Hydaspisque vaticinia commendantem, ad probandam veritatem de Christo Dei Filio.

Ap. Clem. Alex. Strom. lib. 1.
DE SIBYLLIS
b *Orig. cont. Cels. lib. 5.*
c *Iust. orat. ad Anton. Pium.*
d *Clem. Alex. Strom. lib. 6.*

XII. VATICINIA DE CHRISTO VENTVRO TRIBVTA IMPERATORIBVS.

Et quod ad ipsum Domini Aduentum attinet; meminit etiam Cicero *e* cuiusdam de Rege venturo Sibyllini vaticinii; eiusdemque subiicit interpretationem, quod aliter homines salui esse non possent nisi eundem Regem exciperent. Ac licet ipse Reipublicæ studiosissimus, illud vt humanum inuentum ad inuadendā per Iulium *f* Cæsarem Rempublicam detestetur: tamen ipsa adesse tempora, ex iisdem carminibus ore multorum iactari solitum, manifestum facit. Siquidem Lentulus *g* ex iisdem Sibyllinis carminibus regnum sibi adsciscere conatus, Catilinæ se iunxit: eodemq; prætextu *h* M. Antonius in Lupercalibus Cæsari coronam Regis imposuit. Et æque mysteriorum nescius Maro, *i* quæ de Christo ex Virgine nascituro iisdem carminibus prædicta erant, tribuit magna adulatione Salonino filio Pollionis. Et quod de Christo antiquitus prænuntiatum fuerat, ex Iudæa venturum Regem, qui vniuerso dominaretur Orbi; rerum ignari scriptores *k* Vespasiano Augusto tribuerunt, quod Iudæos domuisset, & ex Iudæa in Vrbem triumphans vna cum Tito venisset.

e *Cic. lib. 2. de diuin.*
f *Vid. Suet. in Iul. c. 79.*
g *Luc. Flor. lib. 4. cap. 1.*
h *Cic. Phil 2.*
i *Vir. eclog. 4.*
k *Ioseph. de Bel. 12. Tac. Hist. lib. 5. Suet. in Vespas. cap. 4.*

XIII.

Ad quæ etiam de Rege nascituro spectant ea quæ recitat Suetonius; *l* videlicet, ante paucos menses quam nasceretur Octauianus Augustus, prodigium Romæ factum publice, quo denuntiabatur Regem populo Romano Naturā parturire; Senatumque exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur. Quodnā vero fuerit illud prodigium, seu prodigia, Dio *m* narrat anno ab Vrbe cōdita sexcentesimo nonagesimo nimirū in Capitolio multas statuas de cęlo tactas liquefactasq; fluxisse; deiectaq; tum alia simulacra, tum Iouis; atque imaginē Lupæ cum Remo ac Romulo cōsecratam cecidisse: literasq; in columnis, in quib. leges scribebantur, confusas atq; obliteratas fuisse. Porro hæc, & alia eiusmodi, Gentiles, ꝙ nescirent diuinæ dispensationis mysterium, CHRISTVM Regem venturum, qui idololatriam pessumdaret, ac nouas leges præscriberet, in aliud quemuis sensum trahentes interpretabantur. Quamuis & ipsi Augusto dæmon ille, qui apud Delphos oracula reddere cōsueuerat, iam fere mut⁹ redditus, fateri (vt *n* aiunt) coactus fuerit, sibi impositum esse silentium à puero Hebræo; qui Deus existens cuncta pro arbitrio disponeret; his nempe verbis:

Me puer Hebræus, diuos Deus ipse gubernans,
Cedere sede iubet, tristemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc tacitis abscedito nostris.

Adduntque; Augustum Romam reuersum, aram in Capitolio erexisse hac inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI: qui putatur esse locus in Capitolio, vbi nobilissimum templum antiquitus erat Iouis Capitolini; eo vero prostrato, successit basilica Dei-Genitricis MARIÆ, dicta ea de causa ARA-CÆLI; vel quòd alii aiunt, Dei-Genitricē MARIAM infantem in vlnis habentem, sublimem in aere ab eodem Augusto illic esse conspectam.

l *Suet. in Octau. c. 94.*
m *Dio. lib. 37.*
n *Suid. verb. Augustus. Cedren. in comp. Niceph. lib. 1. cap. 17.*

XIV. SIGNA VISA DE CHRISTI ADVENTV.

Sunt & alia complura, quæ Augusti temporibus cum accidissent, eiusdem Imperatoris causa esse facta, Romanarū rerum scriptores existimarunt: quæ tamē rerum nostrarum nobilis historicus Paulus Orosius, *o* fuisse aduentus Christi præsagia, ac futurorum bonorum prænuntia attestatur: Puta, cum eodem Augusto post necem C. Cæsaris auunculi sui Vrbem primum ingrediente, sub Consulatu Antonii, anno ab Vrbe Condita septingentesimo decimo, hora circiter tertia, repente liquido ac puro sereno circulus *p* ad speciem cælestis arcus orbem Solis ambiit. Itemque cum sequenti anno, *q* Hircio & Pansa Coss. visus est Sol intra tres

o *Oros. lib. 6. hist. 18. & seqq.*
p *Suet. in Octau. c. 95. Senec. 1. Natural. quæst. 1. Plin. 2. hist. 28. Dio. lib. 45.*
q *Dio. ibid.*

circulos effulgere, quorum vnum corona ſpicarum ignita circumdaret. Deinde cum ipſo primo anno Triumuiratus, Lepido & Planco Coſſ. tres a Soles viſi ſunt: vel cum anno tertio Romæ è Taberna meritoria trans Tiberim b oleum è terra erupit, fluxitque toto die ſine intermiſſione. Addit Oroſius & alia, quæ ab Auguſto facta ad ea quæ per Chriſtum eſſent facienda deduxit: vt de tabulis c debitorũ ærarii exuſtis, de Iano d clauſo, deque *Auguſti* nomine eidem ipſi indito octauo Idus Ianuarias, quo die Chriſtus à Magis cultus eſt Rex Iudæorum, vel à Patre & Spiritu Sancto acceptus eſt Rex Iudæorum, vel à Patre & Spiritu Sancto accepit in Iordane de diuinitate teſtimonium. Sed in his nõ immoramur. Ex iis tamen quæ de certo tempore quo ſingulæ eiuſmodi res contigerunt, indicauimus, corrigendi ſunt illi, qui inconſulte nimis eas accidiſſe putarunt ipſo Chriſti Domini natali die.

a *Dio. lib. 47. Plin. lib. 2. c. 31*
b *Euſeb. in Chr. Oroſ. li. 6. cap. 20.*
c *Suet in Octa. cap. 32.*
d *Ibid. c. 22.*

XV. De Chriſti genealogia

Venturus itaque in mundum Dei Filius, Verbum Patris, cuius generatio e inenarrabilis; ex genere Abrahæ, ex tribu Iuda, & ſtirpe Dauid, (vt ex diſpoſitione diuini conſilii fuerat ordinatum, & ſæpius promiſſum) delegit humanã carnem aſſumere: Cuius genealogiam ſummatim f potius quã gradatim per continuatam ſucceſſionum ſeriem deſcripſerunt Euangeliſtæ Matthæus g & Lucas, h ſed diuerſo ordine, quoniam i vterque ſub diuerſa Chriſti perſona diuerſam texuit genealogiam: Matthæus quidem ex Regib. Iudæorum, quod regiam in Chriſto perſonam inſtitueret et inſinuare: Lucas vero ex adoptionibus Chriſti, quod ſacerdotalem in eo perſonam oſtendere vellet. Ideoque Matthæus per Salomonem, Lucas per Nathan filium Dauid, genealogiam deſcripſit; quo vtriuſque vnctionis myſterium, Regni ſcilicet ac Sacerdotii, in vna eademque perſona Chriſti, qui regnum acciperet & ſacerdotium, ac regale ſacerdotium inſtitueret, ſimul iungeretur.

e *Iſa. 53.*
f *Epiph. in compend.*
g *Matth. 1.*
h *Luc. 3.*
i *Aug. de conſenſ. Euang. li. 2. c. 3. & 4. Hil. can. 1. in Matth. Iul. Tol. cont. Iuda. lib. 5. Adde Torniel. Annal. Sacr. an. 4037. & 4051.*

XVI.

Quod autem pertinet ad Dauidicam ſtirpem: ex ea progenitam eſſe ſanctiſſimam Dei-Genitricem MARIAM, agnitum omnes Catholicos in confeſſo eſt, id Prophetis, k Angelis, l Euangeliſtis m teſtantibus, dum Chriſtum ſecundũ carnem eſſe filium Dauid, ipſumque ex beatiſſima Virgine humanam carnem ſumpſiſſe tradunt. Quod ipſum iidem Euangeliſtæ hac etiam ratione ſtabiliunt, dum Ioſeph virum Mariæ è regia Dauidis ſtirpe originem ducere demõſtranti cum certum exploratumque habeatur, n nec feminæ alterius tribus virum, nec viro alterius tribus feminam ſibi matrimonio iungere licuiſſe, ne forte commiſcerentur poſſeſſiones de tribu in tribum. Sed cur non potius Mariæ quam Ioſeph genealogias deſcripſerint, ea ſuppetit ab omnibus aſſerta certa ratio, quod eum genealogiæ deſcriberentur in publicis chartis, virorum & non mulierum ſeries texerentur.

k *Iſa. 9. Hier. 33. Pſal. 86. 131.*
l *Matth. 1. Luc. 1.*
m *Matth. 1. & 22. Mar. 12. Luc. 1. & 3.*
n *Num. vlt.*

XVII.

Eandem vero ſanctiſſimam Dei-Genitricem ſacerdotali quoque genere natam eſſe, communis eſt ſanctorum Patrum conſenſus, quam & cognatione tũc temporis iunctam fuiſſe generi ſacerdotali, Lucæ o teſtificatione liquet, dum Elizabeth cognatam Mariæ, dicit fuiſſe de filiab. Aaron; quam vere fuiſſe ex tribu Leuitica, teſtatur ſæpe, & aduerſus hæreticos validius inculcat Auguſtinus, p alleruntq; reliqui omnes Latini pariter ac Græci Doctores, vno excepto Ambroſio. q Nec eſt quod quis obiiciat de tribubus non miſcendis diuinæ legis præceptum. Nam peculiariter ſacerdotali tribui eſſe conceſſum, vt cum regia ſtirpe poſſet inire nuptias, conſentiunt r Patres omnes, qui de his agunt, in exemplũ adducentes Aaron, ſ qui Elizabeth filiam Aminadab de tribu Iuda ex progenitoribus Regis Dauid, & Ioiadam t Pontificem, qui filiam Ioram Regis Iudæ duxit in vxorem. Quin & Philo u Iudæus, qui Chriſti ſæculo vixit, & res Iudaicas præ cæteris calluit, de ea quæ poſteriori ſæculo Iudæorum ſtatu, ſub Herode & Archelao, ſub Romanis Præſidibus, ſub Agrippa & Agrippina, ſub Nerone, ſub Vespaſiano, ſub Tito, ſub Domitiano, ſub Nerua, ſub Traiano, ſub Adriano, ſub Antonino Pio, ſub Marco Aurelio, ſub Commodo, ſub Seuero, ſub Caracalla, ſub Macrino, ſub Heliogabalo, ſub Alexandro, ſub Maximino, ſub Gordiano, ſub Philippo, ſub Decio, ſub Gallo, ſub Valeriano, ſub Gallieno, ſub Claudio, ſub Aureliano, ſub Tacito, ſub Probo, ſub Caro, ſub Carino, ſub Numeriano, ſub Diocletiano, ſub Maximiano, ſub Conſtantio, ſub Galerio, ſub Maxentio, ſub Licinio, ſub Conſtantino, ſub Conſtantio, ſub Conſtante, ſub Iuliano, ſub Ioviano, ſub Valentiniano, ſub Valente, ſub Gratiano, ſub Theodoſio, ſub Arcadio, ſub Honorio, ſub Theodoſio, ſub Valentiniano, ſub Marciano, ſub Leone, ſub Zenone, ſub Anaſtaſio, ſub Iuſtino, ſub Iuſtiniano, ſub Iuſtino, ſub Tiberio, ſub Mauricio, ſub Phocate, ſub Heraclio, ſub Conſtantino, ſub Conſtante, ſub Conſtantino, ſub Iuſtiniano, ſub Leone, ſub Conſtantino, ſub Leone, ſub Conſtantino, ſub Romano, ſub Nicephoro, ſub Michaele, ſub Theophilo, ſub Michaele, ſub Baſilio, ſub Leone, ſub Alexandro, ſub Conſtantino, ſub Romano, ſub Nicephoro, ſub Iohanne, ſub Alexio, ſub Manuele, ſub Andronico, ſub Iſaacio, ſub Alexio, ſub Iſaacio, ſub Alexio, ſub Alexio, ſub Iohanne, ſub Manuele, ſub Andronico

Barpantheren; hunc vero genuisse prædictum IOACHIM parētem sanctissimę Dei-Genitricis. At Epiphanius, *a* Iacob cognominatū fuisse Pantheren, genitum patre Panthere, & ex prædicto Iacob vult Ioseph esse genitum. Sed de genere Ioseph satis dictum superius.

a Epiph. hær. 77. aduer. Antidicomar.

XXI. QVANDO NATA MARIA VIRGO.

Quo vero potissimum S. Dei-Genitrix nata sit anno, si fidem adhibendam esse putamus Nicephoro, *b* dum ex quadam Euodii Episcopi Antiocheni Apostolorum successoris epistola fragmentū recitat, quo asseritur eam anno decimoquinto suæ ætatis Christum Dominū peperisse; dicēdum erit eiusdē natalēm Diem incidisse sub Consulatu Furii Nepotis & Iunii Silani anno ab Vrbe Condita septingētesimo trigesimo septimo, Augusti Imperatoris à Triumuiratu vigesimosexto, Olymp. *d* cētesimæ nonagesimæ anno tertio. Nam Christum natum esse sub Consulatu Lentuli & Messalini, demonstrabitur inferius. Ac subinde refelluntur, *e* qui post sequentem annum sub Consulatu Liuii & Pisonis eam ortam esse tradunt. Vt enim à Nicephori sententia non recedamus, tum aliorum auctoritas, tum ea ratio persuadet, quod neminem adhuc veterum inuenimus, qui aliam de ætate Virginis, cum peperit Christum, sententiam sit affirmare conatus. Constatque viguisse tunc eam apud Iudæos consuetudinem, cum filiæ ipsorum adultæ essent, eas nuptui tradere, versumque ignominiæ (quod & Apostolus *f* indicat) si qui expectarent vt essent superadultæ. Natam autem ferunt in ciuitate Nazareth regionis Galilęæ. Eamdemque trimulam (quod parentes vouerant) in templum allatam, ac Deo oblatam, vndecim illic egisse annos, testantur Euodius, *g* Gregorius Nyssenus, Ioannes Damascenus, Germanus Episcopus Constantinopolitanus, Andreas Cretensis, Georgius *b* Episcopus Nicomediæ, & alii, *i* à quibus nullum Orthodoxorum dissensisse hactenus, sed Nouatoribus tantum nostri temporis, vetera quæque fastidientibus, displicuisse cognouimus. Scimus quidem lege *k* diuina, tam de masculis quā feminis Deo dicatis, votoq; promissis, statutam esse redemptionem. Verum eam fuisse liberam, & ex arbitrio vouentis, si vellet potius in templo seruire Deo, satis Samuelis exemplum demonstrat, qui à tenerrima ætate ministrauit in templo, nullo à parentibus persoluto pretio redemptionis. Et fuisse in templo locum vbi feminæ quæ se Deo vouerant, seorsum à viris, absque aliqua nota suspicionis simul agerent; indicant non pauca Scripturæ *l* sacræ testimonia.

b Nicep. 2. hi. 3
c Secund. supput. Dionys.
d Secund. supput. t usebii: sed aliter Ioseph.
e Maria. Scot. in Chron. & alii eum secuti
f 1. Cor. 7.
IN TEMPLO PRÆSENTATA.
g Ap. Nicephor. & alii vbi supra.
h Ser. de præsen.
i Cedren. in Compend. & alii recentiores historici.
k Leu. 27.
REDEMPTIO LIBERA.
l Exod. 38. v. 8 li. 2. Macha. c. 3. v. 19. Luc. 2. v. 37. Vide Canis. l. 1. de Maria Deip. ca. 12 Torniel. in Annal Sacr. an. 4031.

Cum autem MARIA attigisset annum ætatis decimumquintum, de maritando *m* eam inter Sacerdotes initur consilium, quorum esset officium de his quæ semel Deo essent oblata disponere. Nam & illos qui Deo deuoti erant homines, nupsisse statuto tempore, probat eiusdem Samuelis exemplum, quem certum est *n* vxorem ac liberos habuisse. Deligitur porro in maritum Virginis vir iustus IOSEPH eius contribulis, ex stirpe Dauid oriundus, sed opificio faber: Neque enim ad pecuniam, vel ad honores inspicere, sed ad genus per antiquam lineam ductum atque probatum, in contrahendis nuptiis penes Iudæos fuisse consuetudinem, testatur Iosephus. *o* Sic vero desponsata Virgo parentibus reddita est, qui eam domum reducerent, & quæ ad futuras nuptias essent necessaria præparatent. Fuisse porro eiusmodi sponsalia apud Hebræos non minoris momenti, quam ipsas nuptias, auctor est Philo. *p* Siquidem in solemni amicorum conuentu, mariti vxorisque nomina scribebantur in tabulis; & si quid sponsa in domo paterna manens deliquisset, æque plectebatur ac nupta, vt lapidibus obrueretur si adulterii rea inuenta esset.

XXII.
m Reuocat iam narram Greg. Nyss. & alii auctores supra citati.
n 1 Reg. 8.
DESPONSATA.
o Ios. cont. Apion. lib. 1.
p Phil. lib. de special. leg.

XXIII. ANNVNTIATIO S. MARIÆ.

Dum vero desponsata maneret in domo paterna in Nazareth, facta est ei ab Angelo Gabriele ANNVNTIATIO de Conceptione & Natiuitate CHRISTI Domini; quam describit Lucas *q* Euangelista. Sed quod illa excepit de sui corporis integritate, dicens: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* eam de perpetua virginitate seruanda votum ante nuncupasse, fateri omnino necesse est: alioquin quæ fuisset admirandi vel sciscitandi de futura prole leuis saltem occasio? Denique in hanc sententiam illud ipsius responsum, omnes qui de ea re egerunt, tam Latini quam Græci Patres *r* acceperunt: à quibus scio neminem dissentire, nisi hæreticorum factionem, qui ad impugnandā sacræ vota virginitatis & continentiæ egregiam diabolo nauant operā. Quōnam vero potissimum tempore eiusmodi votum emiserit, ex iis quæ de voto puellæ, antequam fuerit desponsata, vel postea, lex *a* diuina sanciuerat, asseri posse videtur, id eam viuis adhuc parentibus, iisdemque scientibus nec dissentientibus præstitisse, antequam esset desponsata Ioseph. Eoque respexerunt Gregorius *b* Nyssenus, atq; Epiphanius *c* dum scribunt, ex sacerdotum consilio, diuino confirmante assensu, datum Ioseph sponsum Virgini, non ad opus cōiugii, sed potissimum ob virginitatis custodiam. Et vt ait S. Augustinus, *d* desponsata est viro iusto, non violenter ablaturo, sed potius contra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Fuit tamen alia de Virginis voto aliorū ē sententia; nempe eām post quam est desponsata, votum virginitatis quod animo diu conceperat, sponso assentiente, verbis expressisse. Perfacile vero fuit id suaderi homini iusto, ab illa præsertim q̄ & Deum ipsum (si ita licet dicere) in suum traxit obsequium. Et quidni præstaret hoc vir ille iustus, quod Pharisæos ad præscriptū tempus, & Essenos in perpetuum illa ætate obseruasse vidimus?

q Luc. 1.
DE EIVS VOTO VIRGINITATIS.
r Vid. Aug. de sanct. Virg. ca. 4. Greg. Nyss. orat. de Chr. Natiuit. & alios ex eadem sententia. ex hoc loco.
a Num 30.
b Greg. Nyss. orat. de Chr. Natiuit.
c Epiph. hær. 78. & in Ancor.
d Aug. de sanct. Virg. cap 4.
e S. Tho. 3. par. q. 28. art. 4. & alii eum secuti

Quod autem ad ipsum S. IOSEPH attinet; antiqua est quęstio, quę & vtriusque partis grauissimos habuit assertores, *Viduusne fuerit*, an cælibem vitam vsque ad Virginis desponsationem duxerit, sicque semper virgo permanserit? Et quidem illos, quos Euangelistæ *Fratres Domini* vocant, ex Ioseph & prima eius vxore susceptos esse, fuit plurimorum Græcorum, & aliquorum etiam Latinorum opinio. Sed quod eam ex cœnoso fonte pseudoeuangeliorum, quę Petri atque Iacobi nomine circumferebantur, aliorumque eiusmodi apocryphorum, haustā primo fuisse, ex ipso Origene *f* qui eidem fauit, atque ex Hieronymo *g* exploratum reddatur, consterque sexcentis Scripturæ exemplis, consobrinos dici etiam fratres; denique illos qui dicuntur in Euangelio Fratres Domini, alterius prorsus filios fuisse, ex eodem ipso Euangelio liquido probetur: *h* fuit aliorū magis probabilis ac recepta sententia, Ioseph nullum ante sanctissimam Virginem iniisse coniugium; puta Hieronymi, *i* Augustini, *k* & cæterorum omnium *l* qui postea vixerunt Latini Orthodoxi Scriptores; adeo vt Petrus *m* Damiani, suorum temporum scriptor nobilissimus, dicat magna fiducia, Ecclesiæ fidem in eo esse, vt non modo Deipara, verum etiam putatiuus pater atque nutritius virgo habeatur. Et certe quomodo non homini virgini Deus virginem, ex qua carnem susceptorus erat, tradidisset, si factus homo; ex hoc mundo migraturus ad Patrem, eandem iam senescentem non nisi virgini commendauit?

XXIV. DE S. IOSEPH STATV.
f Orig. in Matth. 13.
g Hier. in Matt. 12. in fi.
h Probat hæc fuse Baron. in Appar.
i Hier. cont. Heluid.
k Aug. ser. 24. in Nat. Domini.
l Bed. Alb. Bern. Anselm. Rupert. Thom. Gers. & ceteri omnes recentiores, & Lipom. vberius in Schol.
m Pet. Dam. ep. 11. c. 4. ad Nic. PP. Ma similia Gers. ser. de Nativit. Mar.

Sed vt redeamus ad salutationem Angelicam; quod Gabriel vt assensum Virginis eliceret, accens de Elizabeth eius cognata exemplum, ad confirmandam tanti sacramenti veritatem adduceris, ait ipsam concepisse filium, & hunc iam mensem esse sextum illi ex iis, secundum imitam à nobis inferius de ortu Christi rationē, exploratum redditur, IOANNEM BAPTISTAM esse in vtero materno conceptum anno ab Vrbe Condita septingentesimo quinquagesimo, Coss. Sabino & Rufo, Olympiadis cētesimæ nonagesimæ quartæ anno primo, Augusti Imperatoris à Triumviratu anno trigesimo nono, octauo Calendas Octobris, post æquinoctium, solemnis ieiunii tempore; cum eius pater Zacharias in templo adolens incensum, de ea re diuinū accepit ab Angelo oraculum. Qui quidem *Zacharias* nō Summus fuit Sacerdos, (quod à pluribus summæ auctoritatis Doctoribus affirmatū miramur) sed, vt disertis verbis ipse Lucas Euangelista scribit, *Sacerdos de vice Abiā, cui in ordine vicis suæ sorte tum contigerat vt incensum adoleret in templo*: quæ nequaquam conueniunt Summo Pontifici, qui nec sorte eligebatur, neque eius functio, cum esset vnicus, sorti erat subiecta: quem & alioqui idem Lucas non sacerdotem simpliciter, sed *Principem Sacerdotum* nominare *p* consueuit. Adde quod necidem Zacharias adscriptus reperiatur inter Summos Pontifices, quorum Catalogus integer, & nulla ex parte corruptus, hactenus extat apud Iosephum: *q* collegitque Nicephorus: *r* habitaque cuiusque successionis ratione; anno quo hæc contigerunt Zachariæ, Matthias Theophili Pontificatum gessisse reperitus, qui Simoni successerat.

n Chrys. in Luc. 1.
o Aug. in Ioa. tract. 49. Amb. Bed. Euthym. in Luc. 1.
DE SACERDOTIO ZACHARIÆ.
p Luc. 22. Act. 23.
q Ioseph. lib. 20. antiq. & Gyrald. hist. lib. 1. & seq. sparsim.
r Nicep. lib. 2. cap. 4. & alter Nicep. in Chr.

XXV. IOANNIS BAPTISTÆ CONCEPTIONIS TEMPVS.

Porro cum Angelus Gabriel omnia non humanitus, sed di-

XXVI. DE VANI-

INCARNATIONIS.

diuinitus esse perficienda, sanctissimam Virginem monuisset, illaq; haud cunctata mira animi submissione assensum præbuisset; eodem momento sic dilapsum est Verbum in verum Virginis, vt ex eius purissimo & virginali sanguine carnem assumens, quod semper fuisset, esse non desineret; vnitaque sibi induisse & inconfuse humanæ naturæ substãtia, in vna eademq; persona ex duabus naturis vnus CHRISTVS, idemq; perfectus Deus atque perfectus homo in vtero virgineo formaretur. Contigerunt autẽ ista Cos. Cornelio Lentulo & Valerio Messalino, Augusti imperatoris anno ab inito Triumuiratu quadragesimo, & quarto ferme mense, octauo Cal. Aprilis, eadem die qua primus homo formatus est Adam. Cæterũ domus illa in qua de Verbi Incarnatione sanctissima Virgo cæleste accepit nuntium, adhuc magno miraculo non tantum integra perseuerat, sed Angelorum ministerio ab infidelium manib. vindicata, in Dalmatiam primum, inde in Italiam translata est in agrum Laurentanum Piceni prouinciæ: quod perinsigne ac nobilissimum vetustatis monumentum totus Christianus Catholicus Orbis veneratur ac colit.

LAVRETANA DOMVS. [De qua Bironian. 9. fusius Per. Caussus de S. Mar. lib. 5. ca. 11. fusissime Horat. Tursellinus libris quinque ea de re conscriptis.]

Post recessum Angeli, sanctissima Virgo abiit in ciuitatẽ Iuda in qua morabatur Zacharias, vt visitaret Elizabeth cognatam suam: tuncque ibi gesta sunt inter eas illa quæ S. Lucas *a* describit. Ciuitas autẽ illa Zachariæ, fuit Hebron, siue Chebron, aliter dicta Cariatharbe, ciuitas sacerdotalis *b* in monte sita, distãs ab Hierosolymis viginti duobus milliaribus, eademq; nobilissima, tum ob sui antiquitatẽ, tum ob egregia rerum ibi gestarum monumenta: quandoquidẽ ibi habitauit Abraham, vnctus est Dauid, & celeberrima erant sepulchra Patriarcharum: de qua passim in Scriptura; & describitur à Iosepho. *c* Hieronymo, *d* & aliis. *e* Sed & quod iuxta eam fuisset Quercus Mambre, vbi tres Angeli visi sunt Abrahæ, qui vnum adorauit; summa veneratione à Christianis, Iudæis, pariterque Gentilibus habitam esse, scribit Sozomenus. *f* Certum est autem errare illos, qui per ciuitatem Iuda in montanis positam, putant Hierosolymã esse intelligendam: quæ nec est adnumerata inter ciuitates sacerdotales apud Iosue; & potius regia erat ciuitas, quo sacerdotes tẽpore vicis suæ accedere consueuerant. Mansit autem Maria cum Elizabetha tres circiter menses: ac postmodum reuersa in Nazareth, cum ducenda esset à Ioseph, deprehensa est grauida: cumque eius rei causam, vel mysterium ignorans Ioseph, vellet eam dimittere; ab Angelo in somnis rem edoctus, duxit illam; quemadmodum hæc plurib. Matthæus *g* descripsit.

a Luc. 1.
b Iosue 21.
c Ios. 5. ant. 1. & 7.
d Hier. ep. 27. & de loc. Heb.
e Ap. Bed. de loc. sanct. ca. 9.
f Sozom. 2. hist. 5.
g Matth. 1.

XXVIII. DESCRIPTIO QVIRINI.

Subdit vero Lucas, *Exiisse in diebus illis edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis; eamque descriptionem primam factam esse à Præside Syriæ Cyrino: & cum irent omnes vt profiterentur singuli in suam ciuitatem, ascendisse pariter & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid quæ erat Bethleem, eo quod esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnãte.* Hæc Lucas. Qui quod hanc descriptionem primam factam dicit, nemo prudens intelliget tunc primum censos fuisse Iudæos, factosque Populo Romano vectigales. (Neque enim aliud erat ipsa professio, quam census solutio, vt docet *h* Iurisconsultus.) Siquidem longe antea sub Consulatu Ciceronis & Antonii, Pompeius iis domitis tributum *i* imperauit idque ipsum postea non solum Gabinius, *k* sed & Cassius, & cæteri factitarunt qui post successerunt Præsides Syriæ: ac viginti nouem annis Iudæos Romanis tributa pependisse antequam Antipater Herodis pater Iudææ Procurator à Romanis institueretur, nec postea vnquam cessasse, testatur Epiphanius. *l* Licet enim ea prouincia à Romanis Herodi, ac cæteris Regibus concessa fuerit; semper tamen Imperatori Romano censum persoluisse, Euangelii *m* auctoritate compertum est: sed & perseuerasse vsque ad Vespasiani tempora, omnes *n* æque affirmant. Hanc igitur descriptionẽ a Quirino, eodemque dicto Cyrino, factam, *primam* Euangelista dixerit respectu secundæ sub eodem Præside factæ, more Romano quolibet lustro censendo populum. Ita tamen vt hoc anno Augusti edicto auctus fuerit census, magnumque acceperit incrementum. Sæpe namque census descriptionis mutatam esse formam, qui Liuium & Dionysium legerit, facile intelliget. Huius autem Cassiodorus *o* eam affert causam, quod cum ob bella ciuilia immensis cladibus vniuersus Orbis afflictatus esset, ipsaque rerum dominia haberentur incerta atque confusa; his prospicere curans Augustus, Romanum Orbem agris diuisit, censumque describi voluit, vt possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorũ susceperat quantitate soluenda. Suidas *a* vero ait, Augustum viros viginti probatissimæ vitæ delectos in omnes prouincias misisse, per quos & homines & opes describit, vt iustam inde in ærarium partem inferrent, cum qui eum antecessissent, prouinciarium bona expilare consueuissent. Idemque alibi *b* dicit, repertos esse quadragies & semel centena millia, mille & septemdecim Romani Imperii incolas; sicuti habetur in Græco ipsius textu. Sed alia quoque redditur *c* huius census ratio; nimirum Augustum, cum vectigalia omnia prouinciarum sustulisset, tributa ordinaria instituisse, alia in agros, alia in capita; itaque censum indixisse, vt capitum fortunarumque summam quæ in Imperio esset, cognosceret. Verum præter lustralem Censum; ob exhaustum nimis ciuilibus bellis ærarium, alias sæpius idem Augustus tributa, & quidem gratia imperauit; vt ex Dione, *d* aliisque patet. Nec præterimus aliam ab his diuersam Orbis descriptionem Geometricam, ad Romani Imperii censendas prouincias, loca, & personas; quæ sub Iulio Cæsare ex S. Cto inchoata, sub Augusto ita est absoluta, vt vniuersus Romanus Orbis intra annos triginta duos à dimensoribus peragratus fuerit: quod pluribus descripsit Æthicus. Cur autem nobilissimi istius Census Quirini, nullus Ethnicorum qui res Romanas sunt prosecuti, meminerit, non est vt quis miretur, qui præstantissimorũ eius sæculi auctorũ monumenta considerauerit: nimirum Liuii, & Dionis, eius temporis quo hæc contigerunt historiam intercidisse; Tacitum Annales suos inchoasse tantummodo ab Imperio Tiberii; Suetonium Vitas describentem multa quæ ad historiam pertinerent prætermisisse. Cæterũ vere relatas esse huius Census tabulas in Archiua Romana, certam fidem faciunt Iustinus Martyr oratione ad Antoninum Pium, & Tertullianus *e* contra Marcionem, vterque aduersus ipsos Christianorum hostes disputans.

a Suid. verb. Ἀπογραφή.
b Suid. verb. Augustus.
c Sigon. de Iur Ital lib. 1. c. 21.

PLVRES CENSVS EXACTI AB AVGVSTO

d Dio. li. 48. 53. 54. 55. 56. Tac. Annal. 3. Plin. in Panegyr. & alii.

e Tertul. 4. cont. Marcion. 7. 19. 36.

[Cum ex verbis Euangelistæ superius descriptis intelligi possevideatur prædictum Quirini (siue, vt fere ab omnibus appellatur, Quirinii) censum nõ fuisse ex solemnibus illis Romanis lustralibus, singulis quinquennijs fieri solitis; sed ipsum ab Augusto extraordinarie indictum, ad capitum potius quam opum descriptionem: (siue Augustus scire voluerit, quot & quantos delectus ad bellum in toto Orbe Rom. tam ex prouinciis Imperii, quam ex sociis Regibus & ciuitatibus, facere posset, quemadmodum ex Suetonio Augusto & Dione colligitur; siue alia quacunq; de causa hunc vniuersalẽ censum indixerit:) sane constat fuisse hoc totum diuina prouidentia dispositum, quo prophetia de nascituro in Bethleem Christo facilius adimpleretur iuxta Chrysostomi sentẽtiam hom. 8. in Matt. dicentis, Augustum edicto de censu promulgato, partui inseruisse edendo in Bethleem. Hanc autem Descriptionẽ *primam* sub Quirino Euangelistam dixisse, quidam recentiores interpretantur, vt rationem habuerit illius secundæ, quæ itidem iam tum contigerat quando ipse Lucas hæc scribebat, qua scil. post relegatũ Archelaum Herodis Magni filium, idem Quirinus missus est ad bona eius in fiscum redigenda, & Iudææ prouinciæ Syriæ attribuendam, censumque fortunarum habendum. quæ describitur à Iosepho lib. 18. Antiq. meminitque idem S. Lucas Act. 5 vers. 37. Quod vero hunc eundem Censum quo descriptus est Christus, Tertullianus lib. 4 cont. Marc. ca. 19. per Sentium Saturninum actum scribit; (quã etiam de re Baronius hic disputat, nec tamen omnibus persuadet) hinc quidem nostrũ ita nonnulli dissoluunt, vt missus in Syriam ab Augusto Quirinus ad census agendos, antequam illos expleret, coactus fuerit bellum gerere cum Homonadensib. (propter quod & testatur Tacitus Annal. 3 ipsum insignia tandẽ meruisse triumphi:) eaq; de causa subrogatus in locũ eius Saturninus, descriptionem à Quirino inchoãta perfecerit. Alii vero, vt Saturninus fuerit eo tempore Præses Syriæ ordinarius, (sicuti ex successione Præsidum Syriæ, ex Iosepho aliisq; auctoribus colligunt) Quirinius vero extra ordinem missus cum imperio ad census agendos: hocq; propterea fieri potuisse Lucam, sed Tertullianum potius Magistratum ordinarium nominasse quam extraordinarium. Denique sunt & alii, qui verba Lucæ sic vertentes, *Hæc descriptio prima facta est quam præsideret Syriæ Quirinius*, volunt Lucam significare, hanc non fuisse Descriptionem illam, quam Quirinius Syriæ Præses fecit post relegationem Archelai, quæque Iudæis notissima & onerosissima esset, quod ea indictus fuisset census in prædia, domos, & capita: de quo & quæsierunt Iudæi à Christo, liceretne dare censum Cæsari: sed fuisse illam descriptionem, quæ longe ante Quirinii Magistratũ facta fuisset sub Saturnino. Seligat sibi Lector ex his sententiis quam maluerit, vel aliam commodiorem perquirat. Quod vero pertinet ad numerum cẽsorum, quem nos retulimus ex Græ-

co te-

k Ios. 1. & seqq. Dec. 1.
i Cic. 1. 1. pro Flac. Ios. 14. ant. 8. Ammian. li. 14. Aug. 18. de ciu. 45. Hier. in Dan. 9. & 11. li. 39. Trogus in Pan. lib. 52.
m Matth. 22. Luc. 20.
n Epiph. ic. Ios. ant. & de hol. & alii.

QVALIS ESSET VRBS SVB QVO CHRISTVS DESCRIPTVS.

Cassiod. 3. Var. 52.

cotextu Suidæ ; putatur ipse in eo errasse, quod existimauit eo comprehẽdi omnia capita totius Imperij Romani, cum potius de censu Vrbis Romæ duntaxat accipi debere videatur. Fit enim in Eusebij Chronico mentio census Romæ sub Augusto facti, quo inuenta sunt ciuium Romanorum quadragies & semel centena & sexaginta quatuor millia, siue (vt ex codd. m.s. legit Pontacus) quadragies centena & sexaginta tria millia: qui numeri parum absunt ab illo Suidæ. Sed notauit postea Ioan. Matth. Cariophilus apud Andr. Eudæm. lib. 2. Defens. Baron. cap. 3 scriptum forte à Suida fuisse, non quadragies, sed quadringenties centena millia, (hoc est. quod nunc vulgo dicitur, quadraginta milliones;) vt solent numeri facilime immutari: & videri Suidam numerum tantum virorum, non etiam feminarum collegisse, cum ἀνδρας nominet. Verum nec sic mihi facile persuadeat, fuisse in toto latissimo Rom. Orbe hunc tantummodo virorum numerum: nisi vitios accipias, virilis ætatis, aptæ bello rebusq; gerendis. Sane Lipsius l. 2. de Magnit. Rom. c 3. hunc locum Suidæ tractans, ait, emendare illum non nisi eius esse qui diuinãdi artem certo teneat, cum ipse subducat, non infra trecentos milliones hominum sub Augusto fuisse in Orbe Romano. At de his iam plus satis.]

XXIX. De Anno quo natus est Christus.

Quod vero pendente adhuc census descriptione sub Quirino, Iesvm Christvm Dominum nostrum esse natum, circumcisum, atque descriptum, Patres omnes pari consensione confirmare videantur; quo id potissimum tempore contigerit, studiose inuestigandum est. Hæcque basis quædam ac fundamentum Annalium esto. Perspecto etenim vero, quo Christvs natus est Anno, cæteri qui ab eo dinumerantur, veri certique supputabuntur: si quis autem in eo errauerit, in singulis aliis errare cogetur.

XXX. Qvibvs Cos. natvs Christvs.

Vt autem à Consvlibvs Romanorum incipiamus; tres, eædemq; diuersæ reperiuntur fuisse antiquorum sententiæ: quarum primæ auctor est Epiphanius *a*, asserens natum esse Dominum Augusto decimum tertium, & Siluano Coss. Secundæ Cassiodorus, qui præcedenti anno ponit in suo Chronico, nempe sub Cornelij Lentuli & Valerij Messalæ seu Messalini Consulatu: Tertiæ Seuerus *b*, qui alium annum anticipans, natum Christum dicit Sabino & Ruffino Coss. Scimus in his desudasse disertorum virorum ingenia: nos autem harum extremis reiectis, quasi regiam viam gradientes, mediam sequimur Cassiodori sententiam: à qua nec re vera dissensisse videtur Epiphanius, nisi quod, dum ipse de die natalis Christi est secutus Ægyptios, qui sexta Ianuarij Christum natum esse dicebant *c*, non oportuit sub Lentulo & Messalino, sed sub sequentis anni Coss. Augusto & Siluano natalem Domini constituere. Illud insuper vt Cassiodorum sequamur maxime persuadet, quod homo Romanus, literarum omni genere excultissimus, & in his apprime versatus, (vt qui non tantum Consulares Fastos, sed & de computo Paschali librum conscripsit) magna adhibita consideratione, nec aliter quam Romana profiteretur Ecclesia, sub dictis Coss. Christi natalem posuisse videatur. Secutus est Cassiodori sententiam Marianus Scotus, qui ante quingentos annos claruit Chronographus nobilissimus; & nouissime Cuspinianus in suis ad Cassiodorum cõmentarijs.

a Epiph. har. 51

b Seuer. hist. lib. 2.

c Vide Chrys. hom. in Luc. c. 2. in Natiu. Dom. & Cass. Collat. 10. c. 1.

XXXI. Qva Olympiade.

Porro eam veram certamq; esse, ex ipsa etiam supputatione Olympiadum certius demonstratur. Natum enim esse Dominum Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo, sentit Eusebius, dum in Chronico descriptionem factam à Quirino sub eo anno ponit; licet errore factum sit librariorum, vt natalis Domini sequenti anno positus habeatur; cum toto cœlo appareat, tam descriptionem à Quirino factam, quam natalem Domini vno eodemq; anno recensenda fuisse. Hancq; extitisse eius sententiam, satis ipse demonstrat, dum alibi *d* scribit annum decimum quintum Tiberij Imperatoris incidisse in annum quartum Olympiadis ducentesimæ primæ, eumq; annum fuisse *e* ætatis Christi trigesimum: à quo tempore superiores Olympiadas numerans, proculdubio inuenies natum Dominum dicta Olympiade centesima nonagesima quarta anno secundo, quo Consules à Cassiodoro positi Consulatum inijsse reperiuntur.

d Eus. 10. de præpar. 3. & in Chron.
e Idem in Chron. & li. 1. cap. 10.

[Eusebium quoque ad vnum eundemque annum, tam descriptionem Quirini, quam natalem Domini collocasse, notat ex codd. m.s. Pontacus in suis accuratissimis Notis ad eius Chronicon: idque ad annum Augusti Imp. quadragesimum secundum, & Olymp. 194. tertium, non secundum: & hanc ipsius Eusebii fuisse omnino mentem contendit. Constat vero hanc discrepantiam inde pendere, quod initi soleret Consulatus Calendis Ianuarii annus autem Olympiacus à solstitio æstiuali inchoaretur.

Quo insuper anno Imperij Avgvsti id contigerit, cum alii ab aliis diuersam inierint rationem annis eius supputandis, diuersarum etiam sententiarum auctores fuere; dum id alij anno quadragesimo secundo tribuere, alij quadragesimo primo, rursumque alij vigesimo octauo. Porro qui natum dixere Christvm anno Augusti quadragesimo secundo, eos constat cœpisse numerare à nece C. Iulii Cæsaris; (quod etiam antiquiores à Ethnicos, aliosque cæteris auctoritate præstantes Scriptores fecisse, reperire est:) à quo tempore deducendo annos quadraginta duos, natalis Christi in Olympiadem centesimam nonagesimam quartam, & annum ipsius secundum (vt diximus) incidisse dicendus est: qui est pariter annus Lentulo & Messalino Coss. in Fastis adscriptus. Itaque ex nostris senserunt Eusebius *b*, Epiphanius *c*, Chrysostomus *d*, Orosius *e*, Beda *f*, & alij *g*: idque ipsum Sancta Romana Ecclesia in suo Martyrologio *h* profitetur. Qua de re illud in Eusebij Chronico aduertendum, errore librariorum factum esse, vt licet eodem anno quo occisus est Cæsar, Augusti ponatur ingressus, idque anno primo Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ; tamen primus annus Augusti positus habeatur anno secundo dictæ Olympiadis.

XXXII. Qvoto anno Avgvsti Imp.

a Horat. lib. 4. oda 14. Tac. dial. de Orat. Ios. 18. ant. 3.
b Euseb. 1. hist. 5.
c Epiphan. har. 51.
d Chrys. hom. de Indict.
e Oros. lib. 2. cap. 2. & 7.
f Bed. de sex ætat.
g Alb. Flac. de diuin. offic.
h Martyrolog. Rom. 25. Dec.

Rursus vero qui numerant Augusti tempus ab anno sequenti à nece Cæsaris, quo Hircio & Pansa Coss. in bello desideratis, ipse Consulatum inuasit decimo quarto Calendas Septembris, & ante quintum Calendas Decembris cum Lepido & Antonio *i* Triumviratum instituit; hi natum dixerunt Christum anno quadragesimo primo eiusdem Imperatoris; puta Irenæus *k*, Tertullianus *l*, (licet hic memoria lapsus, à morte Cleopatræ annos Augusti deducat) Hieronymus *m*, & alij recentiores; qui & ipsi secundum assertam nuper rationem, Christum natum esse sub præfatis Coss. Lentulo & Messalino, nobiscum æque consentiunt. Qui vero dixerunt natum Dominum anno vigesimo octauo Imperij Augusti, nempe Clemens *n* Alexandrinus, & Eusebius *o*; putarunt tot intercedere annos ab Actiaca pugna vsque ad natalem Domini: nam Eusebius in Chronico debellatos ab Augusto Antonium & Cleopatram ponit Olympiade centesima octogesima septima anno tertio, à quo numerare incipiens dictos annos viginti octo, eque confirmat natum Dominum Olympiade centesima nonagesima quarta anno secundo, dictis Coss. Lentulo & Messalino: Cum tamen auctore Dione, & alijs reperiatur contigisse ea victoria anno ab Vrbe Condita septingentesimo vigesimo tertio, quarto Non. Sept. Augusto tertium & Messala Coss. dictæ Olympiadis anno secundo.

XXXIII.

i Vid. Panu. lib. 2. Fast.
k Iren. l. 3. c. 25
l Tert. contrà Iuda.
m Hier. in Isa. c. 2. in Dã. c. 9.

Sic igitur Cassiodori sententia omnium auctorum attestatione firmata atque stabilita habeatur: quæ potissimum Lucæ *p* Euangelistæ testimonio solidatur, dum baptismum Christi, (quem inferius eodem auctore videbimus contigisse anno Domini trigesimo expleto) factum asserit anno decimo quinto Tiberii Imperatoris; à quo tempore si cæteros Christi annos ad suum principium reducas, plane inuenies ipsum natum esse sub sæpe dictis Coss. Lentulo & Messalino. Quibus etiam incidit vndecimum Bissextvm ex emendatione temporis facta à Iulio Cæsare, & ad nostram ætatem obseruata: licet reuera intercalatum eo anno non fuerit, quod is quintus esset ex duodecim illis quos Augustus ad corrigendum sacerdotum quendam errorem in Iulianam emendationem inductum, sine intercalatione transigi iusserat; vt Solinus *q*, Macrobius *r*, & cæteri *s* testantur. Fuit autem is annus Vrbis Conditæ septingentesimus quinquagesimus primus, secundum Varronianam ab antiquis magis probatam atque receptam supputationem, cum alij aliter numerent.

XXXIV.

p Luc. 3.

Natalis Christi, deductvs a tempore bapt. sui.

Quo vero potissimum Herodis anno id contigerit, perquirendum est etiam ex consuetudine sanctorum Prophetarum, qui ex Chronologia Regum Iuda soliti sunt tẽpora signare. Collatum Herodi regnũ Romæ ex SCto Domitio Caluino & Asinio Pollione Coss. Olympiade centesima octogesima quarta, Iosephus scribit *t*, consentitque Dio. *u* Verum Antigono regnũ inuadente, Herodes non est

q Sol. Polyhist. hist. cap. 3.
r Macr. Satur. l. 1. c. 14.
s Plin. lib. 18. c. 25. Suet. in Oct. Aug. c. 32. Vide etiam Gordon. Chronol. par. 1. qu. c. 19.

Ab Vrbe Condita.

XXXV.

t Ios. 14. antiq. 16.
u Dio. lib. 49

eo potius nisi illo debellato, captisque Hierosolymis Sosij Syriæ Præsidis ope, M. Agrippa & Caninio Gallo Coss. Olympiade centesima octogesima quinta, vt idem Iosephus affirmat: qui colligens Herodis regni annos, numerat ab institutione facta ex SCto vsque ad eius obitum annos triginta septem, ab additione vero triginta quatuor. Quod si dictos annos triginta septem numeres per Consules & Olympiadas subsequentes, proculdubio Herodem ante Redemptoris nostri natalem viuere desisse certissimum erit. Verum cum idem auctor *b* dicat, Herodem eo tempore quo Iulius Cæsar confecto bello Alexandrino tradidit Antipatro ipsius patri Iudææ administrationem, natum fuisse annos quindecim, rursusque affirmet *c* ipsum vixisse vsque ad annum ætatis ferme septuagesimum: hac ratione numerando ceteros Herodis annos à Consulatu Caleni & Vatinii, quo à Cæsare tributa est Iudæa Antipatro, omnino dicendum est, ipsum vixisse vsq; ad annum nonum ætatis Christi. Cæterum hoc ipse errore lapsus est, quod cum in confesso esset apud omnes, Herodis regni annos triginta septem esse adnumeratos, rursumque certum esset, ipsum ex SCto regnum accepisse: ipse Iosephus ad primam institutionem Romæ sub Consulatu Domitij & Pollionis factam verterit oculos: cum tamen anni regni Herodis longo post tempore publicis cœperint monumentis adscribi. Siquidem cum ipse in bello ciuili contra Augustum Antonio fauisset, idemque Augustus ex SCto rescidisset quæcunque ab Antonio gesta essent, Herodes supplex ad veniam impetrandam Rhodum ad Augustum victorem se contulit, depositoque diademate precibus ab eodem regnum promeruit; quod & decreto Senatus fuit eidem stabilitum. Narrat hæc omnia pluribus ipse Iosephus *d*: quæ quidem facta sunt eo ipso anno quo Augustus nauali bello Antonium debellauit, eodem Augusto tertium & Messala Coss. Olympiade centesima octogesima septima anno secundo. His vero sic existentibus, duplici ratione dicimus ab hoc tempore numerandos esse triginta septem illos Herodis annos; tum vt dictum septuaginta annorum illius ætatis tempus impleatur, tum etiam ob nouam regni eius ab Augusto ex SCto restitutionem tam insigniter factam. Eaque ratione asserimus Christum natum esse anno regni Herodis vigesimo nono inchoato. Quam autem Eusebius *e* in numerando Herodis annos ab Olympiade centesima octogesima sexta anno tertio, vel Cyrillus *f* Hierosolymitanus anno quarto eiusdem, itemq; Epiphanius *g* in affirmando Christum natum esse anno trigesimo tertio Herodis; inierint rationem, & quos sectati sint auctores, nos certe præterit.

[Vbi dictum est supra ex Iosepho, Herodem fuisse *quindecim* tantum annorum cum pater eius Iudææ suscepit administrationem; pro *quindecim* legendum esse apud Iosephum *viginti quinque*, (facili videlicet librarii lapsu; *xε* mutantis in *κε* monuit præ aliis Tornellus Annal Sacr. an. 4031. vbi de annis Herodis accurate egit, ac Iosephum ab aliorum eo loco reprehensionibus defendit, ponitque Christum natum paucis ante Herodis obitum mensibus; qui fuit regni eius decimus annus ab adepto titulo trigesimus septimus, à capto Hierosolymis trigesimus quartus. Eum tu consulas, candide hæc tractantem, potius quam hæreticos rabido latratu illustrissimum Annalium conditorem insectantes. Qui tamen ipsimet eius censores, cum saltem fatebuntur Iosephi codices præcipue in numeris esse corruptissimos; haud debebit adeo videri mirum, si faciles fuerint vel in eum inuehi, vel cum eius mendis labi. Cæterum Andr. Rudemon lib. 1. Defens. Baron. cap. 17. multis rationibus tuetur aduersus Casaubonum sententiam Baronii: Sed Gordonius cum in priori Chronologiæ suæ editione eamdem amplexus fuisset, in posteriori, licet non omnino ab ea recesserit, magis tamen propendet vt Herodes decesserit anno tertio Christi. Cuius siue dubitationis, siue retractationis rationes apud eum videre est Appar. in Tom. II. cap. 1. & 14. atque an. Chr. 3 & 8.]

XXXVI. AB ORIGINE MVNDI.

Reliquum iam illud tantum esset, vt dictum tempus Natiuitatis Christi, more maiorum, HEBRAICIS Chronologiis etiam consignaremus. Sed quoniam scimus tam antiquiorum quam recentiorum ingenia in veterrima hac quæstione desudasse, & quot sunt capita totidem reperiri sententias; cuius sint potiora iudicare; non est præsentis otij, nec nostratum virium tantum opus. Nouissime vero eruditus Pererius *h* adnotauit, Christum natum esse anno quater millesimo vigesimo secundo ab origine mundi. Illud autem non prætermittendum, cunctos ferme antiquos Patres consueuisse supputare annos Mundi non secundum Hebraicam editionem, sed secundum Septuaginta Interpretes, quamuis ob diuersitatem Græcorum exemplarium, & interpretationem, aliasque innumeras difficultates, non æque de numero inter se consenserint: puta Theophilum Antiochenum, Hippolytum *a*, Iulium *b* Africanum, Clementem *c* Alexandrinum, Origenem *d*, Cyprianum *e*, Eusebium *f*, Lactantium *g*, Epiphanium *h*, Hieronymum *i*, Philastrium *k*, Orosium *l*, Augustinum *m*, Iulianum *n*, Toletanum, duos Anastasios Sinaitam *o* & Nicænum *p*, Suidam *q*, Nicephorum *r*, & alios recentiores complures; necnon ipsa Synodica Acta, quemadmodum in Concilio Sexto Oecumenico, à mundi origine vsque ad illud tempus anni numerantur sex mille centum nonaginta nouem. Denique ipsam Sanctam Dei Ecclesiam antiquitus consueuisse secundum eosdem Septuaginta computare, testatur Augustinus *s*: & de Romana nominatim Ecclesia refert idem Anastasius Sinaita, & eadem ipsa profitetur in suo Martyrologio.

[Quod dictum est de Anno Mundi, quo natus est Christus; post Petrium, quem refert Baronius, postque ipsius Baronii obitum, Torniellus in suis Annalibus Sacris computauit fuisse quater millesimum quinquagesimum primum; Gordonius in sua Chronologia quater millesimum primum; Henuartius in sua tertio millesimum nongentesimum quinquagesimum sextum; Cornelius a Lapide commentar. in Pentateuch. ter millesimum nongentesimum quinquagesimum primum, & alii longe alios. Denique adeo hæc supputatio controuersa fuit, estque, vt quod fuerint capita quam inierint, tot inde sensus prodierint, & (vt puto) prodimenta sint. Accurate quoque de iis Iac. Capellus (licet extra castra Ecclesiæ Catholicæ militans) in sua Historia, vbi multorum expensis opinionibus, firmat ipse suam annorum plus minus quatuor millium.]

Porro his quæ ad annum Natalis Domini pertinent stabilitis; vt MENSEM pariter, ac DIEM statuamus, primo reiicimus quorumdam veterum hæreticorum *t* errores, qui eum vigesima vel vigesima prima mensis Aprilis, aut etiam decima quinta Maij natum dicerent; nec non Ægyptiorum, eorumdemque Orthodoxorum, quibus constanter adhæsit Epiphanius *u*, opinionem, iam olim ab Hieronymo *x* confutatam, qua id sexta die Ianuarii, qua Epiphaniam Domini Ecclesia celebrare consueuit, contigisse existimarunt *y*. Tam autem Latinorum, quam Græcorum Ecclesiæ, pari consensione in eam conueniunt sententiam, vt Redemptor noster sit natus vigesima quinta mensis Decembris. Nam præter ea quæ habentur apud Clementem *z* Romanum, Augustinus *a* ex traditione Ecclesiæ id ipsum affirmat, ac cæteri Latinorum: nec aliter Græcos sentire, Anastasius *b* Nicænus Episcopus, Græcorumque Menologium, & alia antiqua ipsorum monumenta fidem faciunt. Porro de hebdomadis DIE, atque HORA, fuit nonnullorum sententia, vt eadem die, ipsaque hora qua primus homo creatus est, eadem omnino & secundus homo (sic enim Christum appellat Apostolus *c*) fuerit natus. Hinc que ait Hesychius *d*, natum esse die sexta, hora tertia diei; Anastasius *e* vero Sinaita eadem die, sed ad vesperam; Anastasius item Nicænus *f* eadem, sed hora diei septima. Verum quod ad Diem spectat; die quæ dicitur Dominica natum esse Dominum, in Sexta *g* Synodo Græci profitentur. Nocte autem id accidisse, satis indicat Lucas *h* Euangelista; idque ipsum profitentur Interpretes; vetusque traditio Ecclesiastica persuadet, atque illius sacræ noctis anniuersariis functionibus *i* docet. Rursumque id de ea parte noctis, quæ de media nocte dicta ad sequentem pertinet diem, multi interpretati sunt, secundum quod propheticè dictum *k* fuerat: *Dum quietum silentium teneret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus exiliens è cœlo, è regalibus sedibus venit.*

XXXVII. QVO MENSE DIE, HORA, CHRISTVS NATVS.

Sed his omissis, vt quæ dicta sunt contrahamus in vnum, dicimus Redemptorem nostrum natum esse vigesima quinta Decembris, C. Cor. Lentulo & M. Val. Messalino Coss. anno Basilei sexto, ab V. C. septingentesimo quinquagesimo primo, Augusti Imperatoris ab inito Triumuiratu quadragesimo primo, à nece Cæsaris quadragesimo secundo, Herodis Regis vigesimo nono inchoato, Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo. Cui

XXXVIII.

Chro-

a Ioſ. 14. antiq. 28.

b Id. 14. antiq. 17.

c Id. 7. ant. 8. & 1. de bell. 21

d Id. 15. ant. 10

e Euſ. in Chrō.

f Cyr. catec. 12.

g Epiph. har. 51. & 58.

IOSEPHVS EMENDATVR.

h Per. comment. in Dan. lib. 11. q. 5.

a Hipp. in can. temp.

b Afric. ad Ariſt. Clē. Strō. l. 1.

c Orig. in Matth. tr. 29.

d Cypr. præfat. li. de exh. mart. Euſeb. in Chron. & in fragm. ad Marin.

e Lact. l. 7. c. 25 Epiph. har. 66.

f Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

g Phil. de hæreſ. c. 112. Oroſ. l. 1. c. 1. Aug. 12. de ciuit. 12. Iul. cont. Iulia. lib. 5. Anaſt. Sin. in Hexam. l. 7. Anaſt. Nic. quæſt. 92. Suid. verb. dam. Niceph. in Chron. Aug. 15. de ciuit. 11.

VARIÆ SENTENTIÆ DE ANNO MVNDI.

h Aug. tract. in Pſ. 132 prope fi. & de Trin. 4. Oroſ. l. 7. c. 2 b quæſt. 92. c. 1. Cor. 15. d Ser. de Nat. Dom. Hexam. li. 7. ſque ſt. 92. e Can. 8. f Luc. 2. v. 8. 9 g Alb. Flac. de diui. Offic. c. 3. & alii. k Sap. 18.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Chronographiæ documenta publica adstipulari omnia, nimirum Acta Conciliorum, Decretales epistolas Romanorum Pontificum, Constitutiones Principum, & (vt vno verbo dicam) quæcunque vetera siue recentia, publica vel priuata, inscripta chartis aut incisa lapidib. monumenta, in quibus insit aliqua temporis nota, eandē recipere, comprobare, atque confirmare, inferius demonstrare sæpius continget. Quæ autem in Natali Domini contigerint, iam aggredimur enarrare: quibus ad immensum Annalium pelagus superandum pandentibus vela, Sancta DEI-GENITRIX, cuius diuinum puerperium ipso ingressu enarrandum occurrit, diuini numinis conciliatrix semper assistat.

[Plerique recentiores Chronographi hic Baronium arguunt, quod ex eodem principio & verum Natiuitatis CHRISTIANUM ducat, & initium Æræ Christianæ quam Dionysius Exiguus introduxit: quæ licet vsu hodieque recepta sit a eunctis Christianis, & apud Astronomos etiam obtineat, tamen contendunt eam iusto minorem esse, quidam vno, alii duobus, nonnulli quatuor, aut quinque, vel etiam pluribus annis, vt quisque plus aliis sapere gestit. Consentiunt plures, Christum quidem natum esse, sicut ait Baronius, Lentulo & Messalino Coss. Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ anno secundo, Vrbis Conditæ septingentesimo quinquagesimo primo; sed hanc epocham duobus annis præcedere Dionysianam quam Baronius sequi professus est: ex cuius computo dicendus esset Christus natus Cornelio Lentulo & Calpurnio Pisone Coss. Olymp. 194 anno 4. Vrbis 751. qui vero hodie numeratur vulgo annus Domini millesimus sexcentesimus vigesimus primus, sit à vero Natiuitatis eius anno millesimus sexcentesimus vigesimus tertius. Atque hinc queruntur Baronium vtramque hancce epocham miscentem, in multis historiam tam ecclesiasticam quam profanam turbasse: vsque dum perueniens ad Diocletianum August. recta inde chronologia progressus est. Sunt tamen alii, qui etiam ab ipso initio eius computandi rationem comprobent. Adeo nihil in temporum historia vsquequaque certum; & ita plerique omnes diuersi abeunt, dum singuli antiquos Scriptores in suas opiniones detorquent, & Fastos Consulares ad libitum inuertunt, annosque Imperatorum contrahunt, protrahuntue, vt computis suis æquent: ac denique suas temporum epochas, per incertos cœlestes characteres, priscorumque sæculorum neomenias, emboliſmos, eclipses, ac varios diuersarum nationum mensses, firmare gaudent: anxio sese nimis, & si non prorsus inutile, certe ad rerum per Orbem gestarum veram asserendam chronologiam admodum incerto labore, misere torquentes. Sed finamus eos otiose in iis industriam suam exercere, ac pertinacissimis inter se dissensionibus digladiari. Sane enim (vt apprime aduersus isthæc disputans Gordonus in præfat. Tomi II. suæ Chronol. adnotauit) in istiusmodi opinionibus euenire potest alterum, vt earum nulla, alterum nullo modo, vt plus vna vera sit: & vt ridiculum esset omnium sententiis velle adhærere, ita recte sentientem à plerisque dissentire necesse est. Quare illis iterum dimissis, nos historiam rerum gestarum, quam ex veterum auctorum fide, indefesso labore, summaque sinceritate collegit BARONIVS, Deo propitio, & B. Virgine bene adiuuante, prosequamur: non vt ipsi volunt illum emendantes, sed vt sese ipse reliquit exhibentes; aliquas nihilominus adnotatiunculas præcipuis locis additurus, quibus aliorum ab ea discrepantia nota fiat, qui si viueret, vtique calculum suum, opinor, in rebus dubiis probaret, sicuti quod veri certique in tanta caligine videri potuit, omnino id vidit.]

DE INITIO ÆRÆ CHRISTIANÆ.

ANNA-

ANNALES ECCLESIASTICI.

I.

a Luc. 2. NASCITVR CHRISTVS IN b SPELVNCA.

b Orig. contra Cels. lib. 1. c Iust. dial. cum Tryph. d Euseb. 7. demonst. 5. e Epiph. lib. 1. tom. 1. in fi. f Athan. ser. de nat. Chr. ap. Lipom. t. 8. Damasc. car. de Nat. Chr. g Hier. ep. 18. ad Marcellã. h Burchar. in descrip. Ter. S. par. 1. c. 7. n. 59 i Habac cap. 3. secundum 70. interp. k Naz. orat. de Chr. nat. l Nyss. de Chr. genera. m Cyr. cate. 12 t. Hier. ep. 27. ad Eustoch. o Paul. ep. 11. ad Seuer. p Prudent. in cath. die 8. Cal. Ianuar. q Io. Damasc. carm. de natiuit. Chr. r Bed. de loc. S. cap. 8. CASAVBONI LEVITAS.

VM igitur edicto cogente, è Nazareth Galilææ in Bethleem Iuda, S. Ioseph ac beatissima Virgo MARIA, vt profiterentur ascēdissent; *Impleti sunt dies* (inquit Lucas a) *vt pareret, & peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involuit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio.* Quod autem in primis attinet ad locum, vbi CHRISTVS est natus; *Speluncam* fuisse, Origenes b, Iustinus c, Eusebius d, Epiphanius e, aliique f auctores Græci, & omnibus locupletius inter Latinos Hieronymus g qui ætatem illic transegit, testatur. Erat namque Bethleem sita supra collem in longum porrectum; in cuius extremitate Orientem versus sub rupe quadam, existente tunc temporis iuxta muros ciuitatis, erat h stabulum ac præsepe Domini excisum in rupe, vbi natus est Christus. Sed qui loca illa ignorarunt, nihil de spelunca dixerunt, quod putarint in alicuius rusticæ domunculæ stabulo Christum natum. Nec vero duntaxat fuisse illic Præsepe, sed & Bouem & Asinum ad illud alligatos (quod olim Propheta i cecinerat) testantur Gregorii Nazianzenus k atque Nyssenus l, Cyrillus m, Hieronymus n, Paulinus o, Prudentius p, & alii q. fertur quer tunc in eodem puerperio accidisse miraculum, vt in eadem spelunca, ad ea quæ vsus quotidianus exposcebat, è petra fluxerit aqua, quæ nunquam potuit exhauriri, sed manserit diutius diuinæ virtutis egregium monumentum.

[Vehementer se Casaubonus Exercitatione sua II. agitauit, vt Baronii sententiam de natiuitate Christi in suburbiis Bethleemiticis ostenderet contrariam esse sacræ Scripturæ, quæ Christum in Bethlehem natum asserit. Scimus quidem nonnullos interpretes, & ex iis Maldonatum antequam hæc Baronius scriberet, & post Baronii obitum Lucam Burgensem, (vt non inaniter se motum esse venditet Casaubonus primum huius sententiæ auctorem) interpretatos esse Scripturam, vt Christus sit natus intra ipsam ciuitatem in publici diuersorii stabulo bestiis excipiendis inseruiente, ad formam speluncæ in rupe excauato. Verum cum non hoc Scriptura exprimat, ac propterea totum fere coniectura sit; non ita ad libitum Casauboni, dicenda erit sententia Baronij (quæ etiam fuit Iustini Martyris) Scripturæ aduersari: cum quæ in suburbiis vel iuxta muros ciuitatis gesta sunt, recte possint dici, & communi loquendi vsu dicantur in ciuitate gesta. Sicuti & ICti respondent eos, qui in continentibus vibis nati sunt, Romæ natos intelligi: Romam enim esse etiam quæ continenti ædificia essent: nec Romam murorum tenus existimari, ex consuetudine quotidiana posse intelligi, cum dicerimus Romam nos ire, etiamsi extra vrbē habitaremus (l. 2. 87. & 147. D. *de verb. sig.*) Quare & ipsemet Casaubonus, postquam se vana exercitatione diutius fatigauit, tandem fateri compulsus fuit, non ideo minus fidem Scripturæ constare, etiamsi certum esset ad Bethleem non in Bethleem natum esse Dominum. Vt tam ex ista, quam aliis innumeris eiusmodi eauillationibus ipsius, intelligere possis, quo demum ipse animo in certamen aduersus Baronium descenderit.

II. MARIÆ VIRGINITATIS INTEGRITAS

Ceterum cum Naturæ Dominus gigneretur, naturæ legibus non tenebatur; atque ideo MARIA quæ concepérat sine viro, peperit sine dolore; & quæ virgo semper fuerat ante partum, æque permansit in partu, ac proinde eadem perseuerauit post partū. Adeo vt quantumuis Dei Mater esset, quo excellentior nullus est titulus; tamen in Ecclesia Dei à perpetua virginitate consecuta est cognomentum, vt nunquam à maioribus nominari consueuerit *s* sine superaddito cognomine VIRGINIS. Quapropter & quæ Virgo semper extitit, æque sine vlla molestia partuiit, nec aliquo indiguit obstetricantis obsequio; sed ipsa genuit *t*, & obstetrix, non *u* permisit quemquam impuris manibus attrectare partum ab omni labe purum. Quod enim S. Zeno *x* Episcopus Veronensis de obstetricis obsequio habet, deque pœna eiusdem incredulitatis, & sospitate eidem restituta; haud dubium ex apocryphis est mutuatus.

Quod autem pertinet ad *Speluncam* illam, in qua Christus natus est; vix credi potest, in quanta veneratione & cultu ea semper fuerit habita; vt quantumlibet Hadrianus Imperator ad abolendam tantæ rei memoriam, Veneris & Adonidis templum desuper erexisset, nihilominus percelebris etiam apud Gentiles a esset loci illius memoria: qui reddita pace Ecclesiæ, mirifico est opere exornatus, ipsumque *Præsepe* summæ veneration i *b* habitum. Quod Christi natalis nobilissimum monumentum, ex ligno confectum, post multa tempora inde translatum Roma possidet; eoq; multo felicius illustratur, quam tugurio Romuli, quod intextū ex stipula, eorum c maiores ad multa sæcula de industria cōseruarunt. Et in honorem sacratissimorum Pannorum, seu *Fasciarum*, quibus dicit Euangelista Christum à matre fuisse inuolutum, quæ & futuris temporibus seruatæ sunt, nobilissima erecta est basilica, & anniuersaria festa dies à Christiano populo celebrata; prout significant Patrum *d* encomia ea die in Ecclesia dici solita.

III. CVLTVS BETHLEEM.

a Orig. contra Cels. lib. 1. b Chrysost. in Luc. 2. c Dionys. Halic. lib. 1. SACRÆ FASCIÆ.

d Germ. & Euthym. or. de fasc. Domini. ap. Lipom. to. 6. die 31. Aug.

De Prodigiis vero, quæ eadem die qua natus est Dominus, accidisse complures ex Orosio, qui ea recenser, scripserunt; certe nec ipse Orosius ea illo tempore contigisse dicit, & nos multo prius accidisse satis superius demonstrauimus in Apparatu *e*. Sed & quod apud eundem *f* auctorem legitur de templo Iani ab Augusto ter clauso ob pacem vniuerso Orbi Romano partam; quam & istud longe antea accidisse, ex Dione, qui res Romanorum per singulos annos & Consulatus descripsit, facile intelligitur: cuius auctoritate constatq, primo ante annos viginti septem, ac iterum ante annos viginti tres quam Dominus nasceretur, Iani fores occlusas esse; demum ante annos decem de iisdem claudēdis fuisse decretum. Ad hæc quod idem Orosius Augusti Imp. modestiam commendat, qua ne *Dominus* diceretur, edicto vetuit; id vero accidisse sub Consulatu Ælii Cati & Sentii Saturnini, anno sexto à Christo nato, ex eodē Dione *h* colligi potest. Cæterum hæc & alia eiusmodi, diuina quadam dispensatione esse facta, omniaq; cœlestis Regis aduentui inseruisse, nemo sapiens vnquam negare poterit.

IV. QVÆ TRIBVANTVR NASCENTI CHRISTO.

e Num. 14. f Oros. l. 6. c. 22

g Dio. lib. 51. 53. 54.

h Id. lib. 55.

At sicut veris innitimur, & verisimilibus non contradicimus; ita quæ sunt à veritate prorsus aliena, procul abiicimus: cuiusmodi sunt ea, quæ *de Templo Pacis*, eodemq; dicto, *Æterno*, quod prædictum fuisset duraturum donec Virgo pareret, Romæ collapso ea nocte qua natus est Christus, à multis vt vera certaque scribuntur: quæ inuenimus primum narrata in homilia quadam incerti auctoris, titulo tamen Petri *i* Damiani prænotata: sed cum ille diem obierit annis circiter quinquaginta antequam S. Bernardus, quem is auctor citat, ea conscriberet, facile tantus Pater falsi tituli calumnia liberatur. Quomodo vero ista à recentioribus auctoribus inuenta non facilime erroris arguantur, cum certo constet templum Pacis nondum Christi tempore Romæ esse erectum; quod omnes antiqui historici *k* tradunt, domitis Iudæis per Titum, à Vespasiano Imp. fuisse constructum? nec fuisse Romæ ante Vespasiani tempora aliquod tantæ molis templum Pacis, vllus vnquam rerum Romanarum tractator antiquus meminerit? Templum a. Pacis à Vespasiano erectum, sub Commodo Imp. incendio conflagrasse, Herodianus est auctor. quod tamen non penitus fuisse absumptum credimus, cum narret Ammianus *l* Constantium Imp. Romam venientem, inter cæteta Vrbis ædificia templum Pacis in admiratione habuisse: cuius & hactenus ruinæ spectantur. Eadem porro ratione habenda putamus alia nonnulla id genus, quæ nullo vel incerto auctore feruntur. Quare iam quæ certa sunt historiæ Euangelicæ prosequamur.

V. DE PACIS TEMPLO.

i Ap. Lipom. to. 8. & Sur. to. 6.

k Ioseph. 7. de bell. 24. Suet. in Vesp. cap. 9. Plin. lib. 36. cap. 25. & alii plures.

l Am. lib. 16.

Addit igitur post prædicta Lucas *m* de *Pastoribus*, qui ab Angelo moniti de Christi natiuitate, venerunt ad præsepe vt cum

PASTORES AD PRÆSEPE.

m Luc. 1.

vt eum adorarent. Erat locus ipse vbi pastores greges suos custodiebant, Turris *a* Ader, id est, gregis, iuxta quam Iacob pauit greges suos, mille passus à ciuitate Bethleem segregata; vbi postea erecta est ecclesia, trium Pastorum diuinę natiuitatis conscioram monumenta continens, vt est apud Bedam *b*, qui tres tantum pastores præsepe Domini adiisse significat. Præterea sicut Christi natali lætati sunt Angeli, & sacrum hymnum, quem recitat Euangelista, cecinerunt: ita & mali dæmones perterriti, de nato puero Hebræo, qui suas ipsorum vires contereret, licet inuiti responsa dedere: quæ cum innotuissent Augusto, qui ex Sibyllinis versibus de eodem complura perceperat, ea quæ in Apparatu *c* diximus, debitæ religionis persoluit obsequia. Adeo vt qui tam Iudæorum cultui aliquando infensus fuit, vt Caium *d* nepotem laudaret quod Iudæam præteruehens, apud Hierosolymam non supplicasset, postmodum Indęorum religionem in pretio habuerit *e*; Iudæisq; cum Romæ, tum vbiq; terrarum fauerit, atq; etiam donanis frequentauerit. Sed his de Natali Domini pertractatis, ad eius modo Infantiam transeuntes, primum ipsius annum (cum huius quo natus est, nonnisi sex supersint dies) ab ipsis Calendis Ianuariis numerare, more maiorum, feliciter auspicemur.

a Hier. ep. 27.

b Bed. de loc. 5.

AVGVSTVS FAVET IVDÆIS.

c Num. 13.

d Suet. in Oct. c. 93.

e Philo de legat. ad Caiū.

IESV CHRISTI ANNVS 1.

AVGVSTI IMP. ANNVS 42.

REDEMPTOR humani generis CHRISTVS Dominus, postquam in Bethleem natus est, (quoniam, vt ait Apostolus *f*, missus est à Patre in similitudinem carnis peccati) octauo die, ipsis Calendis Ianuariis, Augusto decimum tertium & Plautio Siluano Coss. circumcisus, nomen accepit IESVS, quod ab Angelo fuerat prænonstratum, vt Euangelista *g* testatur. Et qui in hunc mundum *h* ad hoc venerat vt dissolueret opera diaboli, ipsas *Calendas Ianuarias*, præ cæteris anni diebus Gentilium superstitionibus pollutas, fuso sanguine consecrauit. Vnde & illam diem postea Christiani summa sanctitate ac puritate, additis ieiuniis *i* & litaniis, transigere studuerunt; vt (quemadmodum ait Augustinus *k*) quando Gentiles lætabantur in suis fœditatibus & impietatibus, Christiani pro ipsis gemerent. Vixque credi potest, quantum laboris insumpserint sancti Patres, tam pro concione *l*, quam in sacris Conciliis *m*, vt eiusmodi Gentilitias festiuitates à cordibus Christianorum radicitus euellerent. Donec superstitione demum abolita, de ea veluti triumphans Sancta Dei Ecclesia coronam *n* pro cinere, oleum gaudii pro luctu, & pallium laudis pro spiritu mœroris accepit.

Porro in eadem ipsa spelunca, qua natus est, circumcisum esse Dominum, Epiphanius *o* testatur: neque enim aliqua astringebantur lege Iudæi, vt circumcidendum infantem deferrent in templum. Cumque in circumcisione nomen accepisset, censu Cæsaris sub Quirino (de quo supra in Appatatu) descriptus est; id testantibus Iustino *p* Martyre, Orosio *q*, atq; ipso Iuliano *r* Apostata apud Cyrillum, aliisque omnibus. Constat enim, iure antiquo Romanorum *s* omnes cuiusque ætatis & sexus, quantumlibet infantes, censeri solitos. Sed quod in tabulis census, cuiusque profitentis nomen scribi deberet: impossibile erat id fieri apud Iudæos ante octauum diem, quo nomen indebatur infantiquemadmodum nec apud Gentiles, qui fœminæ die octauo, masculo die nono (qui dicebatur lustrici *s* dies, quod iis infantes lustrarentur, hoc est, expiarentur) nomen imponere consueuerant. Sed ad historiam Euangelicam redeamus.

In qua primo sese offert MAGORVM ab Oriente, præeunte Stella, ad Christū adorandū aduentus, & facta cum Herode Hierosolymis collocutio; quę Matthæus Euangelista exacte describit. Quinā vero hi MAGI fuerint, diuersę reperiuntur scriptæ sententiæ, dicentib. aliis, eos malis artibus, magicisq; excantationib. atq; præstigiis, sibi dæmones cōciliare solitos, cognita per stellæ apparitionem Christi natiuitate, ab illis ad rerū Dominū venientes defecisse. Fuitq; ista sententia Ignatii *a*, atq; Iustini *b* Martyris, nec non Origenis *c*: qui & amplius habet, eosdem Magos edoctos per prophetias Balaam, à quo Magorum genus & institutio in partibus Orientis vigeret, per ortum inusitatæ stellæ agnouisse aduentum Christi. His quoq; de excantationibus dæmonum ab iisdem Magis fieri solitis, assentiuntur Basilius *d*, Hieronymus *e*, & alij; qui eos fuisse Chaldæos, atq; ab Erythræa Sibylla de Christo venturo edoctos testātur. Alij vero existimarunt, eosdem Magos fuisse Sapientes Persarum, quorum sententia eius gentis Principes cuncta facere consueuissent: hocq; sensernnt Clemens *f* Alexandrinus, Ioannes Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Theodoretus, Leo Papa, & alii inter quos tamen, qui dixerunt hos Magos fuisse Reges Persarum, errasse certum est; quandoquidem longe ante Christi aduentum Magos regnasse in Perside, ex Herodoto *g*, aliisq; constat.

Cæterum non è terra Chaldæorum, nec è Perside, sed ex Arabia Magos venisse, alii complures affirmant; vt Iustinus *h* Martyr, Tertullianus *i*, Auctor *k* qui scripsit de Operibus Cardinalibus, Epiphanius *l*, & alii: secundum id quōd scriptum est *m*, *Reges Arabum & Saba dona adducent*: quæ de Messia esse intelligenda, tam nostri Interpretes, quam etiā Rabbini complures æque assentiuntur: sicut & illa *n*, *Dromedarii Madian & Epha: omnes de Saba venient aurum & thus deferentes, &c.* Cui vltimæ sententiæ & nos libentius adhæremus. Constat enim ex diuina Scriptura *o*, Abraham ex Cetura cōiuge multos genuisse filios, & inter alios Iexan & Madiā; ex Iexan vero ortum esse Saba, & ex Madian Epha; qui omnes Arabiam incoluerunt, atque ex ipsorum nominibus loca ipsa sortita sunt nomina, ac populi denominati Sabæi & Madianitæ. Rursus etiam Balaam *p*, qui de stella prædixerat vaticinium, licet ipse Mesopotamenus esset, Haran incolens; tamen in Arabia constat ea esse vaticinatum. Nā Moab, cuius Rex erat Balac, qui cum mercede conduxit, erat (vt tradit Hieron. *q*) ciuitas atq; prouincia eius nominis in Arabia. Sicq; siue scripturā, siue traditionem de stella & Rege futuro, penes Arabes (quibus prænuntiata fuerat) perpetua memoria viguisse, par est credere: quib. admoniti illi Magi, & nouæ stellæ visu excitati, simulq; directi, quærere Regem Iudęorum in Iudęam venerunt. Quod insuper obseruatione dignum est; Abraham cum ex Cetura & Agar filios genuisset, nequaquā illos cum Isaac hæredes instituit; sed dimittens illos in plagā Orientalē, largitus est munera, vt testatur Scriptura *r*. Sed quæ fuerint illa munera, Epiphanius *s* ex Hebraicis traditionum fontibus declarat fuisse aurum, argentū, ac vestitus, & insuper in mysterio cōclusisse in peris eorum thus, & myrrhā, & aurum Regū Sodomorum & Gomorrhæ, quæ idem Abraham *t* ceperat in debellatione Regis Chodorlahomor & sociorum eius, qui prædictos reges prælio vicerant, ac deprædati fuerant: quæ eadem postea Magi qui ex successione filiorum illorum Abrahæ descenderant, Christo obtulerunt. Eadem planè ratione, qua olim Regina *u* Saba, ex iisdem & ipsa Ceturę filiis originem ducens, cum venit Regem Israel Salomonem explorare, eadem quæ Magi munera detulit, nempe aurum & aromata. Denique qui Iudææ situm describere *x*, eam ex Orientali parte spectare dixerunt Arabiam: quod eo verius est, si hiemalis solstitii ratio habeatur, secundum quod creditur locutus Euāgelista, cū Christus sit natus media hieme.

Quod autem iidem Magi fuerint Reges, Tertullianus *y* assentiri videtur, asseritq; Theophylact. *z*, & alii recentiores, ac pia Fidelium traditio tenet: sicut & eosdē tres numero fuisse, secundum tria munerum genera; quod & S. Leo *a* sæpe testatur. Reges *a*. fuisse dixerimus, vsitato more diuinæ Scripturæ, quæ & cuiusq; oppidi dominū, Regē appellare consueuit. Quod vero eosdē Matthæus *Magos* appelliet, cum penes antiquos triplicis generis Magos fuisse tradat Eusebius *b*, quorum alij essent doctissimi atque abstinentissimi, alij sacerdotes, alij deniq; inuocationibus malorum dæmonum intendentes; nos in eam sententiam procliuiores sumus, vt existimemus hos illius Magię fuisse studiosos quæ ex rerum naturalium cognitione percipitur, quod & sensisse videtur Chalcidius Platonicus suis in Timęū commētariis, dum hanc eādem historiam nouę Stellę eis apparentis, & ipsorum accessus ad Christum Deum simul & hominem

a Ignat. ep. ad Ephes.
b Iust. dial. cum Tryph.
c Orig. contra Cels. lib. 1. & hom. 13. in Num.
d Bas. orat. de hom. Chr. gen.
e Hier. in Is. 19. & 47.
f Clem. Strom. 1.
Chrys. hom. 6. in Matth.
Cyril. in Is. 49. orat. 2. lib. 4.
Theo. 5. Is. 39.
Leo serm. 1. in Epiph.
g Herod. lib. 3.
Euse. in Chron.

IV. MAGI ARABES.

h Iust. dial. cum Tryph.
i Tert. aduers. Iudæ. & lib. 3. contra Marcion. c. 13.
k Ap. Cypria.
l Epiph. in compend. doctr.
m Psal. 71.
n Isa. 60.
o Gen. 25.

EX FILIIS ABRAHÆ ET CETVRÆ.

p Numer. 24.
q Hier. de loc. Hebr. & in Isa. 15.
r Gen. 25.
s In exp. doctr. [Sed repugnat Scriptura Gen. 14. in fi. vt hæc fuerint ex bonis Regum Sodom. & Gomor. potuerit vero esse ex præda hostiū, quos Abraham prostrauit.
t Gen. 14.
u 3. Reg. 10.
x Tac. histor. lib. 5. & alii.

V. RECES.

y Tert. aduers. Iudæ.
Cypr. serm. de bapt.
Hilar. lib. 4. de Trin.
Hier. in Dan. 2.
Chrys. ser. de nat. Io. Bapt.
z Theophyl. in Matth. 2.
a Leo serm. de Epiph. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Max. Taur. ho. 3. de Epiph.
Hilar. Arel. ho. 2. de Epiph.
Sed in Mat. 2.
b Ap. Hier. 1. 2 ref. anon.

I.
f Rom. 8.
CIRCVMCISIO CHRISTI

g Luc. 2.
h Ioan. 3.

CALENDÆ IANVARIÆ EXPIATÆ.

i Ambr. ser. 11. de Cal. Ianu.
Aug. in Ps. 98.
Syn. Turon. can. 18.
k Aug. in Ps. 98.
l Ambr. eod. ser. 11.
Max. Tauri. Ver.
Chrysol. ser. 155. Chrysost. hom. in Cal.
m Syn. Tur. 2. c. 23. Antisiod. c. 1. Marr. Brac. colle. 73.
n Isa. 61.

II
o Panar. lib. 1.

CHRISTVS DESCRIPTVS SVB QVIRINO.

p Iust. orat. ad Anton. Pium.
q Oros. l. 5. c. 1.
r Ap. Cyril. l. 6.
s Dion. Hal. li. 4. l. ataten. D. de censib.
t Fest. verb. Lustrici.

III. MAGORVM ADVENTVS.

minem, per eam demonstratum adorandum, recenset; ratus tamen eos fuisse Chaldæos. Cum autem *a* Epiphanius scribat, dictos Ceœturæ filios Magorum progenitores, habitasse in partibus Arabicis Magodiæ regionis; haud inepte quis dixerit, Magos non à magica facultate, sed ab eadem Magodia regione esse denominatos.

a *Epiph. in comp. doctr.*

VI. QVANDO VENERINT.

De tempore vero quo Bethleem venerint, æque inter se dissentiunt antiqui Scriptores; putantibus aliis *b* id post biennium à Christo nato contigisse, ea nimirum ratione adductis, quod Herodes (vt testatur Euangelista *c*) omnes pueros occidi iussit *à bimatu, & infra secundum tempus quod exquisierat à Magis*: aliis *d* vero eadem ratione existimãtibus, Magos quidem decimo tertio à natiuitate Domini die aduenisse, verum biennio ante Christum natum illis stellam apparuisse. Sed vt ab iis omnibus dissentiamus, multa persuadent. A priorib. quidem, quia nulla excogitari potest causa, cur Magi tamdiu iter suum distulerint; nisi velimus eos ignauiæ & oscitantiæ accusare: Immo eos statim vt stellam conspexerunt esse profectos, Euangelista non obscure insinuat: porro non dico si è Perside, vel Chaldæa, sed & si ab extremis Indiis Orientalibus profecti fuissent, etiam sex mensibus totum illud itineris spatium conficere potuissent. Insuper si post biennium aduenerunt, quomodo (quod refert Matthæus) Christum in Bethleem adhuc inuenerunt, quem testatur Lucas post quadraginta dies delatum esse Hierusalem vt sisteretur Domino, hisque impletis officiis Ioseph & Mariam vna cum infantulo reuersos esse in Galilæam, atque Nazareth habitasse? Quod autem ad illos pertinet, qui stellam ante biennium apparuisse putarunt; etsi satis esse possent, quæ de tam longo temporis spatio in itinere insumpto dicta sunt; tamen quia & iidem ea nituntur ratione, quòd dicat Euangelista Herodem iussisse occidi infantes *à bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis*: ad hæc primum inferimus id quod Ioannes *e* Chrysostomus iisdem respondens ait, Herodem pro abundantia cautionis maius tempus inclusisse, ne quis vel proximæ ætatis effugeret: Veritum videlicet ne fortassis antea natus esset Christus, quam Magi stellam vidissent: sicut cum nulla subesset ratio, vt qui extra Bethleem nati essent occiderentur, eo quod Herodes ex diuina Scriptura per Principes Sacerdotum & Scribas certior factus esset quod Christus in Bethleem nasceretur; tamen omnes qui in omnibus finibus essent necari præcepit.

b *Chryf. ibid. Leo serm. 4. in Epiph. Fulg. serm. de Epiph. & alii.*
c *Matth. 2.*
d *Aug. ser. 7. de Epiph. & serm. 25. de temp. & alii.*
e *Chryf. hom. 7. in Matth.*

VII.

Porro quod ait Euangelista, *A bimatu, & infra, secundum tempus quod exquisierat à Magis*; existimamus illud *secundum tempus quod exquisierat à Magis*, non esse referendum ad id quod dixerat, *à bimatu*; sed ad illud potius, *& infra*: sicque Euangelistam significare voluisse, eo cædis edicto non inclusos eos qui geniti essent post Christum natum, & stellã visam à Magis, quorum nulla posset esse suspicio; sed cædendorum puerorum terminum fuisse à biennio ante aduentum Magorum (quo sc. homo formidolosus cautius sibi sinsque consuleret) vsque ad tempus, quo de Christo nato didicerat à Magis: sicut etiam interpretatus est Euthym. Quapropter ea potius nobis probatur sententia, quæ Catholicæ Ecclesiæ consuetudine magis recepta esse videtur; nempe Magos tunc cum natus est Christus, statim vidisse stellã; eosdemq; mox Iudæam versus iter suscepisse, atq; intra tredecim dierum terminum Bethleem peruenisse, eodem die quo Sancta Dei Ecclesia tantam solemnitatem anniuersaria memoria celebrare consueuit. Quod quidem haud mirum videri debet si ex Arabia Iudææ adiacente eosdem aduenisse dixerimus, & (vt prædixerat Propheta *f*) ad celeritatem itineris dromedariis vsos fuisse, quos velociores esse equis Nisæis Aristoteles *g* tradit. Constans insuper est sanctorum Patrum *h* sententia, Magos Bethleem aduenientes, in præsepi, vbi natus est, Christum Dominum reperisse. Vnde summo iure redarguuntur, qui aliter senserunt, ea leui tatione permoti, quod Matthæus nulla de præsepi mentione habita, dixerit eos intrasse domum: quasi vero non sit diuinæ Scripturæ satis frequens phrasis, locum quemlibet, ad habitandum accommodatum, quantumlibet exiguum, *domum* appellare; cum & nidos ipsos auium, *domos* quoquenominet *i*.

f *Isa. 60.*
g *Aristot. hist. animal. lib. 9. c. vlt.*
h *Chryfost. in Matth. 2. homil. 6. & 7. Aug. ser. 2. de Epiph. Hieron. ep. 14. 17. 18. 27. Fulg. serm. de Epiph. & alii recent.*
i *Pf. 83. & 103.*

VIII. DE STELLA.

Quod vero pertinet ad STELLAM quę iisdem Magis apparuit, iam penes omnes antiquos Patres *a* in confesso est, nequaquam ex illis fuisse quibus cœlos videmus ornatos, nec etiam ex illis quæ vaporibus coagmentatis accensæ in aere, cometæ sunt dictæ. Cum igitur diuino miraculo cælitus apparuerit, naturæ superans facultatem; cuius substantiæ fuerit, non est facile definire: vnde in eo consentiunt omnes *b*, diuinam quandam fuisse virtutem, quæ non aspicientium tantum oculos sui fulgoris radiis illustraret, sed quę & mentes diuina luce perfunderet, atque ad Christum perquirendum excitaret. Porro eius splendorem Solem ipsum exuperasse, Ignatius *c* scripsit, cecinitq; Prudentius: Gregorius vero Nyssenus *d* existimauit esse Angelum, qui ea figura apparuerit. Alia vero multa, quæ ex quibusdam apocryphis Seth nomine scriptis libris, de Magis feruntur *e*, deque stella, quod formam pueri Crucem gestantis exprimeret; ea vt inania prætermittimus. Magorum autem ad Christum aduentus, quod ex eo vocatio Gentium expressa fuerit, adeo solenni anniuersario cultu consueuit deinceps in Ecclesia celebrari; vt de Iuliano Apostata Ammianus *f* scribat, licet clam dæmonibus immolaret, tamen ne talis deregeretur, voluisse suam præsentiam exhibere in feriis, *quas* (inquit) *Christiani celebrantes mense Ianuario, Epiphania dicunt*. Eadem de Valente Imp. Ariano testatur Gregorius g Nazianzenus. Et Theodosius *h* Imp. sic huius diei celebritatem coli iussit, vt septem diebus qui præcedunt, ac totidem qui subsequuntur, iudicialem strepitum conticescere voluerit. At iam de his satis.

a *Orig. lib. 1. cont. Cels. Basil. de hil. Chr. gener. Chryf. hō. 6. in Matt. 2. & alii.*
b *Chryf. ibid. Leo serm. 4. in Epiph. Fulg. serm. de Epiph. & alii.*
c *Ign. ep. ad Ephef.*
d *Nyf. dial. de anim.*
e *Ap. Epiph. hær. 26. 39.*
f *Am. lib. 21.*
g *Greg. Naz. orat. in funer. Basil.*
h *l. 2. C. de fer.*

[Ne tamen putes, primitus introductum fuisse in Ecclesiam nomen festum ue *Epiphaniorum*, in commemorationem duntaxat manif. stationis Christi factæ Magis; quod etiam constat ex antiquis Patribus, commune fuisse & Natiuitati Christi, quoniam tunc in carne apparuit, & Baptismo, quia in eo à Patre manifestatus fuit, quinimo & insigni illi miraculo mutationis aquæ in vinum, quo primum ipse Discipulis suis alisque multis diuinam suam potestatem prodidit. Græci tamen olim vna eademque die tam Natiuitatem quam Baptismum celebrantes, sicut nomen, ita & festum confundebant: donec à Latinis edocti, & festa in diuersos dies diuiserunt, & Epiphaniorum nomen diei Baptismi, qui idem fuerat & aduentus Magorum, reliquerunt, quemadmodum de his constat ex Cassiano collat. 10. cap. 6. Chrysostomus hom. de die nat. Isidoro lib. 1. de off. eccl. cap. 26. Quæ cum iam in Notis ad Martyrologium die 6. Ianuar. Baronius explicasset, non putauerat ea iterum in Annalibus tractanda. Sed inuentus est Momus Casaubonus, qui nullam non quæreas Baronium carpendi occasionem, & falso ei horum ignorantiam obiecit, & ignoranter ipse vel peruerse Patres in iis inter se discordes finxit, Exercit. 1. cap. 11. vt etiam accurate demonstrauit aduersus illum Iac. Partis in suis Animaduersionibus, & accuratius Andr. Eudæmon in Defens. Baron. lib. 2. c. 15. quos consulat qui hæc cupit.]

CASAVBONI CALVMNIÆ.

Sequitur post hæc apud Euangelistam *i* narratio de *Præsentatione* Christi Hierosolymis in templo, & facta de eo publica annunciatione à Simeone iusto & Anna prophetissa. Porro & ipse Simeon innumeratur inter Prophetas: quem Epiphanius *k* asserit, post mortem à sacerdotib. esse priuatum sepultura. Cur autem id acciderit, nullam affert causam: sed ea putatur, quod palam Christi aduentum annuncians, ceterorum in se sacerdotum inuidiam & odium concitarit. At commentum illud *l* quod cœcus fuerit, sed cum IESVM accepit in vlnas visum receperit; procul reiicimus, tum quod nullus antiquorum Patrum eius rei meminerit, tum maxime quod diuinæ Scripturæ aduersetur, qua cœcus prohibebatur *m* fungi in templo munere sacerdotis: functionem autem illam sacerdotalem fuisse, & Lucas insinuat, & Patres ferme omnes agnoscunt, ipsaque Ecclesia in sacris Imaginibus profitetur. Quomodo vero PRÆSENTATIONIS Christi solennitas (quam & *Purificationem*, siue *Occursum* maiores occupauere) ad abolenda Lupercalia, Romæ cœpta sit celebrari, suo loco dicturi sumus inferius.

IX. IESVS OFFERTVR IN TEMPLO.

i *Luc. 2.*
k *Epiphan. de vit. Proph. c. 24.*
l *Ext. in præf. vers. dial. Ios. cum Papisco. in fi. oper. Cypr. edit. Pamel.*
m *Leuit. 21.*

X.

Cum autem ista publice in templo peracta, iam spargerentur in vulgus, & in Herodis aures illaberentur: qui nuper de nato Rege Iudæorum ex relatione Magorum magnum timorem conceperat, his denuo in furorem actus, vt se eo metu liberaret, necem meditatur Infantis, quando per Angelum monitus Ioseph (quod Matthæus *n* scribit) cum IESV & MARIA fugit in Ægyptum. Narrat vero Sozomenus *o*, in aduentu Christi Hermopolim, quod est oppidum Thebaidos, maximã, quæ illic erat, arborem Perseã dictam

DVCITVR IN ÆGYPTVM.

n *Matth. 2.*
o *Soz. 5. hist. 21. Niceph. li. 10. cap. 31.*

dictam, quam incolæ venerabantur, sua sponte ad solum vsque, se inflexisse, & CHRISTVM adorasse; eiusque postea fructus, & folia, aut etiam particulas corticis, ægris admotas, morbos pellere consueuisse. Porro Isidi consecratam fuisse Perseam arborem, Plutarchus *a*, ait; ea de causa, quod eius fructus cordis, folium linguæ speciem referret. Addit vero Sozomenus, adueniente Christo in Ægyptum, omnia dæmonum simulachra, iuxta prophetiam Isaiæ *b*, concussa esse atque collapsa: quod & longe ante ipsum testati sunt Origenes *c*, Eusebius *d*, Athanasius *e*, & alij complures ex Patribus. Verum ista sic accipienda putamus, non vt cuncta quæ tunc erant in Ægypto corruerint simulacra, sed de his aliqua; nec tam in signũ quod Christus illuc aduenisset, quam quod idololatriam esset aliquando penitus euersurus. Porro non modo Ægyptum Domini præsentia illustratam, sed & ipsam per quam transiuit solitudinem, ex eiusdem Isaiæ *f* prophetia esse nobilitatam tradunt: quæ tũc quodammodo semen benedictionis suscipiens, postea suo tempore tot sanctorum Monachorum produxit sacra germina. Sed & locum in quo habitasse ferebatur sanctissima Deipara, & fontem illic hortum balsami irrigãtem, in quo IESVM pluries lauisse, panniculosq; eiusdem mundasse, fama erat; ab ipsis etiam Saracenis magna veneratione habe-

a *Plut. trad. de Isid.*

b *Isa. 19.*

c *Orig. hom. 3. diuers.*
d *Eus. 6. de demonst. 20.*
e *Ath. de incarnat. Verb.*

f *Isa. 35.*

MEMORIA CHRISTI IN ÆGYPTO.

g *Burch. in descri. ter. S. par. 2. c. 4. Vide etiam Corn. Ians. Concord. Euang. cap. 11.*
h *Gelas. can. de lib. apocr.*

XI. HERODIS INFANTICIDIVM.

i *Matth. 2.*

k *Ios. 16. ant. 7. 8. 9. 13.*

XI. SÆVITIA IN SVOS.

l *Iust. dial. cum Tryph.*

m *Macrob. 2. Satur. 4.*

n *Ios. li. 16. antiq. in fin. & lib. 17. c. 9.*

INNOCENTES MARTYRES.

o *Orig. hom. 3. diuers. Augu. cont. Pelag. & ser. de Innoc. & alii.*
p *Iren. l. 3. c. 18. Aug. ep. 28. ad Hiero. & alii.*

XIII.

q *Can. 3.*

rant atq; probauit Sexta *a* Synodus, nimirum occasione huius Infanticidij, Zachariam Sacerdotem Ioannis Baptistæ patrem, quod ad necem quæsitum filium subtraxisset, ab eodem Herode inter templum & altare occidi iussum. Non quidem quod edicto Herodis de occidendis infantibus includeretur Ioannes, qui nec in Bethleem, nec in finibus eius, sed in domo paterna in montanis Iudææ alebatur, sed quod Herodes ea suspicione nati Regis Iudæorum vehementer exagitatus, cum audisset admiranda illa quæ in conceptione & natiuitate Ioannis contigissent; eum Christum esse suspicatus, (sicut & Iudæi postea eodem errore lapsi sunt) ipsum speciali mandato necari iussit. De causa vero necis Zachariæ, assentiuntur etiam Petro Nicephorus *b*, atq; Cedrenus *c*; additque iste, Elizabeth Ioannis matrem post dies quadraginta, in spelunca, ad quam cum puerulo aufugerat, diem obiisse; Ioannis vero curam ab Angelo esse susceptam. Sed licet hæc tam antiqua ab eo fine certo auctore ferantur; tamen quod ait de suscepta cura ab Angelo, haud adeo impossibile videri debet, si quis mente recolat, Ismaeli *d* à patre proiecto Angelum astitisse.

a *Sex. 1. ep. Balsam.* DE NECE ZACHARIÆ.

b *Nic. 1. hist. 14.*

c *Cedr. in comp.*

d *Gen. 21.*

Cæterum non tantum Petrus, quem diximus, sed & Cyrillus *e* Alexandrinus, Epiphanius *f*, Gregorius *g* Nyssenus, Basilius *h*, & alii post eos, atque ante omnes Origenes, Zachariã Ioannis patrem inter templum & altare interfectum volunt, licet de causa necis non atque conueniant. At Hieronymus *k* eos qui ita senserunt, ex quibusdã apocryphorũ somniis ea desumpsisse tradit: nempe in eam sententiã ipse magis inclinãs, vt Zacharias ille filius Barachiæ, quem Dominus exprobrãs Iudæis, interfectum dicit *l* inter templum & altare, non fuerit pater Ioannis, de quo agimus, sed ille potius qui à Ioas Rege occisus habetur in Regum *m* historia. Porro si fides præstanda est Nicephoro *n*, Hippolytum martyrem auctorem grauissimum ei anti; cius testimonio exploratum haberur, Zachariam Ioannis parentem filium fuisse Barachiæ sacerdotis. Sed & de patre Ioannis Christũ Dominum esse locutum, illa ratio persuadet, quod dicens: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ filii Barachiæ*; videatur voluisse primum & nouissimum iustum occisum significare, omnesque simul his duobus extremis includere. Nam si de Zacharia filio Ioiadæ, qui à Ioas Rege occisus est intelligere voluisset; nulla subesse videtur valida ratio diuersitatis, vt sanguis iustus qui post illum vsque ad Christi tempora effusus est, non esset (quod minatur) super illos venturus.

e *Cyr. aduers. Anthropomor. Epiph. de vi. & inter. Prophet. c. 23.*
f *Nyss. de Christ. natiuit.*
g *Basil. hõ. de hum. Chr. gen.*
h *Orig. in Matth. tr. 16.*
k *Hie. in Mat. 23. lib. 4.*
l *Matth. 23.*
m *2. Paral. 24.*
n *Nicepb. 2. hist. 3.*

V. DE SANGVINE ZACHARIÆ.

o *Tertul. in Scorp. c. 8.*

Quod autem ad effusum sanguinem Zachariæ spectat; idem Hieronymus simplicitati credentium potius tribuit, quam historiæ veritati, quod dicebatur de lapidibus, tem, li indelebili nota eo sanguine conspersis. Sed certe non erat de ea re vulgi rocens rumor; quandoquidem Tertullian. *o*, qui tot sæculis præcessit Hieronymum, id pro constanti asseuerat. Meminiq; me aliquando incidisse in antiquum codicem scriptum Bibliothecæ Vaticanæ, *De peregrinatione ad loca Sancta*, in quo illud ipsum certa fide consignatum erat. Sed de his modo satis.

Hoc ipso anno, quo Christus est natus, atque descriptus censu Quirini; eiusdem descri,tionis occasione IVDAS GALILÆVS, indignum ratus, & cõtra leges patrias, Iudæos alienigenis tributum pendere, populum ad defectionem sollicitauit. Causam a. erroris in Iosepho *p*, qui hęc post Archelaum Herodis successorem è regno exactum recenset, iam superius aperuimus, dum de annis ipsius Herodis egimus. Meminit porro huius defectionis Gamaliel *q* in eo Iudęorum cõuentu, in quo causam dicere iussi sunt Apostoli; quam & Census professionis tempore accidisse testatur. Habet autem Iosephus *r*, illius Iudæ sectatores in cæteris cum Pharisæis consensisse, sed constantissimo libertatis amore asseruisse solum Deum Dominum habendum ac Principem; facilius vel exquisitissima pœnarum genera laturos, quam mortalem aliquem appellaturos Dominum. Licet que Gamaliel testetur, & hæresis auctorem pernisse, & omnes quotquot ei consensserunt, videtur tamen eadem hęresis dimanasse ad posteros: siquidem Iudæ filii Iacobus & Simeon sub Claudio Imp. crucis supplicium subiere, eadem, vt putatur, ex causa. Inualuisse q; eandem GALILÆO-

XVI. IVDÆ GALILÆI SEDITIO.

p *Ios. 18. ant. 8.*

q *Act. 5.*

r *Ios. 18. antiq. in fin. GAL. EAD. DVM SECTA.*

Ioan. 5.

a Id 7. de bel. 29
b Luc. 13.
c Oecum. in Act. 6.
d Anast. Nic. quæst. 67.

RVM sectam in Ægypto apud Iudæos, idem Iosephus a est auctor. Sed & ex ea fuisse illos, quorum sanguinem Lucas b ait mixtum à Pilato cum sacrificiis eorum, tradunt Græci auctores Oecumenius c, & Anastasius d Nicænus: qui addit, etiam hos statuisse non esse pro Romano Imperatore, vel aliis Ethnicis Deo offerendũ sacrificiũ. Vnde cum hæc omnia reliqui Iudæi facerent, Galilæi templo abstinebant, seorsumque conuentus faciebant, & sacrificia offerebant. Huius vero hæresis occasione postea accidit, vt quoniam tam ipse Christus, quam Apostoli natione Galilæi essent, in suspicionem adducti sint, ne eadem sentirent cum Galilæis hæreticis: quamobrem (vt obseruat Hieronymus e) Pharisæi tentauerunt Dominum, vtrum liceret censum dare Cæsari; & Paulus f sæpe aduersus eiusmodi dogma iaculatur sententias.

e Hier. in ep. ad Tit. c. 3.
f Rom. 13. Tit. 3.

[Prædictæ Iudæ turbæ non occasione census, cuius tempore natus est Christus, sed posterioris illius qui factus est post relegationem Archelai, coarguisse putantur. Quod enim posterior iste census fieret omnium Iudæorum, vt pro modo facultatum tributum illis imponeretur; inde multi sunt excitati à seditiosis tumultus, quoniam ipsi se liberos ab eiusmodi solutione contendebant. Eusebius autem in Chronico vtrumque pariter censum confundit: de quorum ab inuicem distinctione notatis ad Append. num 25.

XVII. De Theoda
g Act. 5.
h Ios. 20. ant. 2

Antè hunc porro Iudam Galilæum, multos pariter Iudæorum seductos futile à Theoda quodam, testis est eodem loco g Gamaliel: ex quo Iosephum h emendes, qui primum extitisse Iudam, inde post longum tempus, immo etiam longe post dictum Concilium Iudæorum vbi Gamaliel ea dixit, Theodam seduxisse populum tradit, nimirum sub Cuspio Fado Iudææ Procuratore, quem eiusdem testificatione constat anno quarto Claudii Imperatoris vna cum Longino Syriæ Præside eidem prouinciæ legatum esse; cum præfatum Concilium (vt videbitur) Tiberii Imperio coactum fuerit. Porro Theodam istum Iosephus ait præstigiatorem fuisse, & Propheram se dicentem persuasisse magnæ vulgi multitudini, vt assumptis suis faculeatibus sequerentur se ad Iordanem fluuium, quem se verbo scissurum pollicebatur, & facilem præbiturum transitum; sed immissis à Fado in eum turmis equitum, omnes aut necatos esse, aut dissipatos, ipsiusque Theodæ abscissum caput Hierosolymam reportatum. Qui autem verba Domini apud Ioannem i, *Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones*, interpretati sunt, ea de iisdem Theoda & Iuda Galilæo dicta esse, pari consensione k confirmant.

i Ioan. 10.
k Chryss. in Io. lib. 59. Cyril. Alex. 7. in Io. 5. Isid. Pelus. 3. ep. 119. & alii eos secuti.

IESV CHRISTI ANNVS 2.

AVGVSTI IMP. ANNVS 43.

I. Iudæi iurant Herodi.
l Secundum chronologiam Baronii, de qua ad App. num. 35.
m Ios. 17. ant. 3

ANNO Christi secundo, Coss. Corn. Lentulo L. Calpurnio Pisone, cum Herodes in regno ageret annum trigesimum primum l, Iudæi (vt habet liber, *Philo de Temporibus* dictus) tandem fessi, vltro ipsi ac eius posteris, regnum obtulerunt, iurantes in fide ipsius ac eius posterorum sese permansuros; cum hactenus eum magis pro tyranno, quã pro legitimo Rege habuissent. Quibus videtur adstipulari Iosephus m, dum agens de Pharisæis, (genere hominum, vt vocat, astuto & arroganti, atq; interdum Regib. quoq; infesto, adeo vt etiam eos aperte impugnare non verentur) ait, cum tota gens Iudæorum fidem suam iureiurando obligasset Herodi Regi, & Cæsari, hos solos non iurasse, excedentes sex millium numerum: qui hoc nomine à Rege mulctati sunt.

IESV CHRISTI AN. 3. 4. 5. 6. 7.

AVGVSTI IMP. AN. 44. 45. 46. 47. 48.

I.

ANNO Christi tertio Fasti Onuphrij Coss. habent C. Cæsarem & L. Æmilium Paulum. At Dio non Caium, sed Augustum ipsum Imperatorem decimum quartum ponit, vna cum eodem Paulo Æmilio collega.

II.

Sequenti autem anno Vinucius Nepos & Alhnius Varus eum magistratum gesserunt: & post eos, Ælius Lamia & M. Servilius Geminus: deinde Sextus Ælius Catus & C. Sentius Saturninus. His vero successerunt Lucius Valerius Messala & Cornelius Cinna. Quibus omnibus licet nihil dignum reperiatur, quod Ecclesiasticis inseratur Annalib. tamen vt in serie temporis cuiusq; anni ratio habeatur, necessario prout in Fastis adscripti habentur, per singulos annos describendos esse putauimus.

IESV CHRISTI AN. 8.

AVGVSTI IMP. AN. 49.

I. Herodis horrendvs morbvs, et exitvs.

ANNO Christi octauo, M. Æmilio Lepido & L. Arruntio Nepote Coss. Herodes Rex Iudæorum, pœnã impietatis eius exigente numine, insanabili morbo affectus, (lento enim calore interiori tostus, vehementi laborabat voracitate, vexabatur; intestinorum exulceratione, ac colicis passionibus, nec non aqua intercute, pedumq; tumore & inguinum: atq; ipsa verenda putrefacta scatebant vermiculis, accedente fœda tentigine, cum fœtore grauissimo, additaq; neruorum cõtractione, & difficultate anhelitus:) ac præ desperatione mortem sibi inferre molitus; tandem quinta die post necé filii sui Antipatri, qui patrẽ veneno auferre parauerat, & ipse miserè vitã finiuit prope tempus Paschale, fere septuagenarius, anno regni sui trigesimo septimo inchoato: iussis necari statim post mortem suã cunctis primorib. Iudæorum, quos minaci edicto vndiq; euocatos in circo incluserat, vt ipsius obitus publico nec ficto luctu honoraretur: qui tamẽ post eius obitum liberi dimissi sunt. Quomodo autem hæc se habuerint, Iosephus a describit fusius; atrocis Herodis morbi, mortisq; causam adscribens crudelitati, quam idem paulo ante exercuisset in quosdam insignes viros, qui zelo patriæ legis exturbarant aquilã auream, ab eodem Herode sub maiorem portam templi dedicatam: cum alioqui omnium auctorum Ecclesiasticorum sit constans sententia, Herodis plagas diuinitus inflictas, non in alterius criminis quam Christi persecutionis & Infanticidii culpam esse reiiciendas.

a Ios. 17. ant. 8. & seq.

II. Archelai principatvs.

Porro qui ab eo posterioribus testamenti tabulis regni hæres fuisse institutus, *Archelaus* ipsius filius, quod non tam à patris, quãm ab Augusti Imperatoris arbitrio id penderet intelligeret, pro firmando patris testamento Romã nauigãs, aduersarios habuit, tam fratrem suum Antipã, sibi ex prioribus tabulis debitum regnum vendicantem, tum ipsorum Iudæorum legatos, petentes vt eis liceret suis legib. viuere, nec amplius esse sub Regibus, sed tantummodo Romanis subditi aggregarentur prouinciæ Syriæ. Quibus omnibus auditis, Augustus Archelaum non Regem declarauit, sed dimidia parte ditionis quæ Herodis fuerat, ei concessã, *Tetrarcham*, (siue, vt alii dicere malunt, *Ethnarcham*) constituit Iudææ, Idumææ & Samariæ: regium quoq; nomen pollicitus, cum primum se tali honore dignum redderet: Alterum a dimidium titulo Tetrarchiæ partitus est inter alios duos filios Herodis, Philippum, & Antipam æque Herodem dictum. Cum vero post hæc quidam vultu simillimus Alexandro eiusdem Senioris Herodis filio, qui vna cum Aristobulo fratre ex sententia patris ac Præsidum aliquot ante annis fuerat morte mulctatus; sed à nece clam subtractum simulans, paternum regnum ab Augusto petere non dubitaret: impostura detecta, sententia eiusdem Imperatoris in ordinem remigum est redactus. Narrat hæc omnia plurib. Iosephus b; admiscens & quasdã alias seditiones, ac seueras punitiones Iudæorum rebellantium, per Romanos duces factas. Quod a pertinet ad vocẽ *Tetrarchiæ*, de qua egimus; in ea potius vsus loquendi, quam proprietas attendi debet; cum auctore Plinio c certum sit, non quartã duntaxat regni vel prouinciæ partem (vt præferret propria vocis significatio) esse eo nomine intelligendam, sed Principis cuiusque dominium, etiamsi vnius tantummodo fuerit ciuitatis.

b Ios. 17. ant. 10. & seq.
Tetrarchiæ vocis significatio.
c Plin. 5. hist. 18. Ap. Baron. an. 37. n. 7.

Cæterum defuncto Herode, *Christum* Dominum vna cum

III.

PALÆSTINÆ DIVISIO IN TETRARCHIAS.

cum Beata Virgine Angeli monitu à Ioseph fuisse in Palæstinam reductum, Matthæus *a* Euangelista scribit. Sed de eiusmodi reditu tempore diuersæ admodum reperiuntur sententiæ, prout variarunt scriptores in supputatione annorum regni Herodis; quandoquidem statim post Herodis obitum, Ioseph de reuersione fuisse admonitum, Euangelii authoritate omnes æque consentiunt. Itaq; Epiphanius *b* Christum in Ægypto biennio tantum mansisse testatur: Nicephorus *c* vero triennio, quinquennio alij *d*, vel sexennio; nonnulli *e* vix anno vno. Quamuis autem hoc anno Herodes obierit, & Angelus de reditu Ioseph admonuerit; tamen quoniam tum Martyrologium Romanum, tum cætera *f* testantur Christi reditum ex Ægypto contigisse die septima Ianuarii; reliquum est dicamus id nequaquam factum hoc anno, sed sequentis initio: quandoquidem prope Paschatis celebritatem hoc anno Herodem efflasse animam, Ioseph us est auctor.

a *Matth.* 2. IESVS REDVCITVR IN PALÆSTINAM.
b *Epiph.* 1. *Panar.* 21. & *hær.* 78.
c *Nic.* l. 1. c. 14.
d *Cornel. Iansf. conc.* c. 11. & *alii.*
e *Panuin. in Fast.*
f *Bed. Vsuar. Ado & alii* 7. *Ianuar.*

IESV CHRISTI AN. 9.

AVGVSTI IMP. AN. 50.

ANNO Christi nono, A. Licinio Nerua Siliano & Q. Cæcilio Metello Silano Coss. idem *Christus* Dominus (vt dictum est anno superiori) die septima Ianuarii ex Ægypto in Palæstinam reductus est, & secedens in partes Galilææ, habitauit in Nazareth, vbi & conceptus fuerat.

Ex eo autem quod eius ciuitatis fuit incola, iuxta sermonem Propheticum *g*, *Nazareus* est appellatus; eaq; vox in ignominiâ inscripta est titulo Crucis. Sed Angeli *h* & Apostoli *i* honoris causâ IESVM NAZARENVM dicere consueuerunt. Quinetiam ipso principio nascentis Ecclesiæ, à IESV *Nazareno* omnes item Christiani NAZARÆI dicebãtur, & ipsa Christiana Religio, *Secta k Nazarenorum.* Perseuerauitque eiusmodi nomenclatura, quousque omnes æque cœperunt dici CHRISTIANI: tunc etenim NAZARÆORVM nomen remansit hæreticis: quorum duplex extitit differentia; alii namque fuerunt ante Christum, nec Christum nouerunt; alij vero sic in Christum crediderunt, vt tamen in obseruatione legalium Iudæi esse non desinerent, de quibus agit pluribus Epiphanius *l*. Sed & quod Dominus in Galilæa habitasset, ab impiis Porphyrio, Iuliano Apostata, aliisq; his similibus, nominatus est *Galilæus*, & Christiani GALILÆI. Sunt autem duæ Galilææ in Palæstina, altera confinis Iudææ, altera Phœnicibus. (Sic eas describit Cyrillus *m*, quas Iosephus *n* superiorem & inferiorem nominat.) Prior posita in tribu Nephthali, quæ & Galilæa Gentium dicta est: posterior in tribu Zabulon circa Tiberiadem & stagnum Genezareth *o*, in qua est Nazareth, vbi Christus habitauit.

g *Matth.* 2.
h *Marc.* 16.
i *Act.* 2. 3. 4. 26.
IESVS NAZARENVS.
k *Act.* 24.
l *Epiph. hær.* 29.
CHRISTIANI VOCATI GALILÆI.
m *Cyril. in Isai.* 2.
n *Ios.* 3. *de bel.* 2.
o *Hier. de loc. Hebr.*

IESV CHRISTI AN. 10. 11.

AVGVSTI IMP. AN. 51. 52.

ANNVS Christi decimus Coss. habuit *p* Furium Camillum & Sext. Nonium Quintilianum: quo nihil gestum reperitur ad institutum nostrum pertinens.

Vndecimo vero, qui Coss. habuit Q. Sulpitium *q* Camerinum & C. Poppæum Sabinum, illud consideratione dignum ducimus, quod cum Augustus Imp. recensito Equitum Rom. numero, inuenisset plures cælibes quam vxoratos, grauissima oratione coniugium cum primis laudans, & cælibatum exagitans, illud præmiis ac priuilegiis honorari, istum pœnis voluit notari: quod se. Vrbem, ob bella ciuilia viris exhaustã, sobolis fœcunditate susceptã, vt olim floretissimam cupiebat. Vetum qui talia sanciuit, non à pœnis tantum cœlibum immunes esse voluit fœminas quæ perpetuam virginitatem seruassent, sed etiam (inquit Dio) eadem illis quæ matrib. præmia largitus est. Oderat quippe imprimis fictum cœlibatum: vnde pro concione in illos inuectus qui simulate eum colerent, exemplo Vestalium Virginum, æque illos esse puniendos, iisdẽq; suppliciis subiiciendos, si pudicitiam non seruassent, est comminatus. Vt ex his videas, æque apud omnes, virginalis vitæ habitam esse rationem: quandoquidem (vt pluribus docet Hieron: contra Iouinianum) apud Græcos pariter & barbaros, tam poeticis quam historicis literarum monumentis, semper ante omnia reperitur Virginitas commendata. Iam vero CHRISTI Dei & hominis admirabili conceptione & partu nobilitata, ad quantum fastigium celsitudinis sit prouecta, non est humanæ facultatis explicare.

p *Dio. lib.* 55.
q *Dio lib.* 56.
VIRGINITAS LAVDATA.

IESV CHRISTI AN. 12.

AVGVSTI IMP. AN. 53.

ANNO Domini duodecimo, Coss. P. Cornelio Dolabella & C. Iunio Silano, cum idem Dominus à parentibus duceretur ex more Hierosolymam ad diem festum Paschatis; nescientibus eis remansit illic, & triduo quæsitus inuentus est differens in templo cum Doctoribus: quã rem gestam pluribus describit Lucas *a* Euangelista. Sed quænã fuerit causa, vt à sanctissimorum parentum oculis, qui tã alendo puero vigilantissimum semper studium adhibuerint, tam inopinate sese subduxerit, cum diuersæ ab Interpretibus afferantur, multæq; aliæ accidere potuerint, hanc nos veriorem esse putamus; nimirum quod illi Hierosolymis recessuri vna cum cognatis & notis ac reliquo comitatu, cæteris præcedentibus, improuisa aliqua, sed Dei prouidentia oborta occasione detenti, mox velociter consecuturi, præmiserint (quod Euangelista insinuat) cum cognatis & notis puerum IESVM; qui paululum cum illis progressus, non autem ciuitate egressus; veluti parentum cupidus, vel loco steterit illos expectaturus, vel ad illos rediturus hospitium versus tendens iter alio flexerit.

Inuentus autem à parentibus (inquit Lucas) *descendit cum eis Nazareth, & erat subditus illis*: his duobus verbis totã Christi adolescentiam ac iuuentutem perstringens; vt nihil præterea de eo scripserit vel ipse, vel ex cæteris Euangelistis aliquis alius. Cætera enim quæ ex libro *de Infantia Saluatoris*, vel ex alijs eiusmodi apocryphis sunt accepta, non probat, quinimo repudiat Dei Ecclesia: qualia ridicula quædã commenta esse Valentinianos hæreticos, testis est etiam Irenæus *b*. Porro inseruisse Christum adultum nutricio Ioseph, eidemq; fabro, in fabrili exercitatione, testimonio Iudæorum vocantium illum *Fabrum* exploratum habetur apud Marcum *c* Euangelistam: & his consentiens Iustinus *d* Martyr ait, ipsum fabrilia opera, aratraque; & iuga confecisse. Vnde & forte (quod tractent fabrilia fabri) sub iugi & aratri symbolicis verbis Euangelium proposuit, cum dixit, *Tollite iugum meum super vos*: Et, *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.*

Sane quod ad Ioseph spectat; si tam grãdæuæ ætatis erat, hempe (vt ait Epiphan. *f*) fortassis octogenarius, cum Mariã Virgo illi est desponsata; tam in Christi adolescentia decrepitæ fuisse ætatis, & ad subeundos labores fabrilis artis minus idoneus existimari posse videtur: adeo vt lignariæ officinæ labores omnes refunderentur in IESVM; atque eo magis si eidem auctori acquiescimus, dicenti Ioseph post repertũ IESVM in templo, haud multo post ex hac vita migrasse, & propterea in Euangelica scriptura nullã amplius de eo haberi mentionem. Scimus tamen esse, qui velint Ioseph hoc tempore adhuc fuisse iuniorem ad subeundos peregrinationis labores: quasi videlicet non potuerit esse senex robustarum virtũ, nec infractũ roburã Deo promereri valuerit. Equidem nec nos affirmamus eum fuisse octogenarium cum desponsata est illi Beatissima Virgo: (quod nec ipse Epiphan. nisi dubitanter asseruit;) veruntamen libentius illorum inhærenus sententiæ, qui traditione quadam per singulas ætates ad posteros deducta, affirmãt illum maturioris fuisse ætatis cum Virginem, etsi in coniugem; tamẽ in custodiam fidissimam susceperit. Sicut & illis magis assentimur, qui vnã cum Epiphanio eum dicto tempore diem obiisse

I. IESVS SVBDVCIT SE A PARENTIBVS.
a *Luc.* 2.
II. EIVS IN IVVENTVTE EXERCITIA
b *Iren.* l. 1. c. 17
c *Marc.* 6.
d *Iust. dial. cum Tryph.*
e *Matth.* 11. *Luc.* 6.
III
f *Epiph. hær.* 78.
DE ÆTATE IOSEPH.
OBIIT ETIAM

Auctor de cr. Card. op. Ier. & Anz. Ier. de rep. Hæ

IV. L. DISVARIANA.

obiisse asseruerunt, quam cæteris qui post resurrectionem Domini adhuc fuisse superstitem tradiderunt *a*. Certe si Christi passionis tempore Ioseph superstes fuisset, haud dubium non Ioanni matrem Dominus commendasset, cui superesset fidissimus ac probatissimus custos Virginitatis.

Quod ad res attinet Romanas; his iisdem Consulibus contigit memorabilis illa *Variana Clades* in Germania, cum Romanus exercitus sub Varo (qui anno superiori è Syria auocatus, & ad administrandam Germaniam mandatus, dum aspere nimis barbaram illam gentem tractaret, ad defectionem impulit) est penitus profligatus; qua accepta idem Varus sibi ipsi intulit manus: dans meritas pœnas de expilata à se Syria; quam (vt ait Velleius) diuitem ipse pauper ingressus, dives egrediens pauperem reliquit. Prosecuti sunt hæc pluribus idem Velleius *b*, Suetonius *c*, ac Dio *d*: quibus videas, quam insigniter Orosius elapsus sit, dum Cladem Varianam ante Christum natum accidisse commemorat: quam & alii in alios referunt annos.

b Vel. in hist. Rom. lib. 2. Suet. in Oct. c. 23. d Dio lib. 56. e Oros. l. 6. c. 21

IESV CHRISTI AN. 13.14.15.

AVGVSTI IMP. AN. 54.55.56.

I f Dio lib. 56.

ANNO Christi decimo tertio Consulatum inierunt *f* M. Æmilius Lepidus & T. Statilius Taurus: sequenti vero T. Iulius Germanicus & Fonteius Capito: & decimo quinto C. Silius Nepos & L. Munatius Plancus: quibus omnibus nihil dignum repertitur ad institutum nostrum pertinens.

IESV CHRISTI AN. 16.

AVGVSTI IMP. AN. 57.

I. ARCHELAVS DAMNATVR EXIL. O. [De cuius historiæ tempore, vide supra ad an. 8. in pr.

ANNO Christi decimo sexto, duobus Sextis, iisdemq; Nepotibus, Pōpeio & Apuleio Coss. Archelaus Ethnarcha nono principatus sui anno, Romæ à Legatis Samaritanorum ac Iudæorum de nimia crudelitate ac tyrannide iudicio postulatus, & ab Augusto accersitus, Viennam Galliæ ciuitatem in exilium mittitur, pecunia eius fisco adiudicata, & ditione vniuersa Syriæ iuncta: ad quam gubernandā missus est Procurator Coponius Eques Romanus; Hæc pluribus Iosephus *g*: qui quod alibi *h* dicit id accidisse anno Archelai decimo; hunc intellige inchoatum, nonum vero expletum. Ex damnatione porro Archelai certior causa redditur, cur Ioseph reuersus ab Ægypto noluerit in Iudæam venire, audito illic regnare Archelaum. Non enim extimuit successores Herodis, cum & in Galilæa, quo secessit, itidem filius Herodis regnaret Antipas; sed Archelai tyrannidem iam omnibus noram.

g Ios. l. de bell. 6. C. 7. l. Id. 17. antiq. 13. Matth. 2.

II. AVGVSTI IMP. OBITVS.

Iisdem Coss. decimo quarto Calendas Septembris (qua die quondam primum Consulatum inierat) *Augustus* Imperator diem obiit Atellæ in Campania, vt est in Eusebij Chronico, & apud Eutropium; vel, vt plures volunt, Nolæ in eadem Campania: idque cum vixisset annos septuaginta quinque, menses decem, & dies viginti sex; imperasset solus à victoria Actiaca annos quadraginta quatuor, demptis diebus tredecim, vt Tacitus & Dio testantur. Qui autem numerant annos eius Imperij à Triumuiratu inchoato, regnasse colligunt annos quinquaginta sex, & menses sex: qui vero à nece Iulii Cæsaris, quinquaginta septem annos, menses sex, & duos dies: qua etiam ratione auctor *k* libri de Oratoribus annos numerat quinquaginta octo, quod scil. eius vltimi anni dimidium & amplius regnasset.

k Ap. Tacit.

III TIBERIVS IMPERAT.

Suet. in Tiber. c. 27.

Post eius vero mortem, ipsa die decima quarta ante Calendas Septembris, TIBERIVS NERO, Liuiæ, siue Iuliæ Augustæ filius, capessiuit Imperium, annum agens quinquagesimum quintum. Qui primis suæ administrationis annis, adeo optimi Principis, & ab omni fastu alienissimi specimen dedit, vt non tātum *I*se Dominum dici prohibuerit, (quasi Deo sic admonente, verū Orbis Dominū, nempe Christum IESVM, aduenisse:) sed neque *a* vllum sibi templum extrui, aut se in alio coli, sibique statuas erigi passus fuerit. Denique ingestum *b* à populo sæpius nomen *Patris patriæ* repudiauit, vetuitque in acta sua iurare, etsi Senatus id censuisset: dictitare solitus, cuncta mortalium incerta; quantoque plus aliquis adeptus foret, tanto magis esse expositum ludibrio.

a Dio lib. 57.

b Tac. lib. 1. Annal. Suet. in Tib. c. 26. & 67.

IESV CHRISTI AN. 17.18.19.20.21.

TIBERII IMP. AN. 1.2.3.4.5.6.

I. c Tac. lib. 2. Annal. Dio lib. 57. TIBERIVS MAGOS EX AGITAT.

ANNO Christi decimo septimo Coss. fuerunt Drusus Cæsar & Caius Norbanus Flaccus. Hos vero secuti sunt Statilius Taurus & Lucius Libo: Quibus *c* Tiberius Imp. inter alia laudatissima quæ promulgauit edicta, Magos, & quoslibet diuinationes exercentes, seuerissimis sanctionibus supplicijsque exagitauit; occasione cuiusdam Thrasylli, quo cum assidue vteretur (inquit Dio) ac singulis diebus vaticinia acciperet, demum re accurate considerata, cum aliquando per somnum iussus esset cuidā argentum dare, hominem interemit, quod intelligeret per magicam artem dæmonem imitatissimum fuisse. Quare inter alios plurimos qui tunc necati sunt, Prætorem quoq; Vrbanum: aliosque nobiles viros, ob eiusmodi crimina petiisse, Tacitus scribit. Vt plane consideratione dignum sit, adueniente CHRISTO in mundum, qui dæmonum vires infracturus esset, Magos ex Oriente venientes ipsum Dominum agnouisse, dæmones in Ægypto perterrefactos esse, & ab Italia maleficos expulsos, in eosque seuerissime lege actum esse, cum antea (vt idem Tacitus quæritur) magiæ crimen per multos annos Romanam vrbem impune exediisset.

II.

Sed & anno proximo, Domini decimo nono (quo creati sunt Coss. C. Cælius Rufus & L. Pomponius Flaccus) cum vana quædam oracula, tanquam Sybillina, de Vibis interitu anno nongentesimo ab eius origine obuenturo ferrentur; idem Tiberius tanquam falsa redarguit, eaq; occasione omnes fatidicos libros inspiciens, legitimos ab spuriis selegit. Quod & iam olim ante Christi aduentum iussu Augusti de iisdem Carminibus Sybillinis toto Orbe conquisitis factitatum, auctores detestantur. Nec est dubium, quin ista magna Dei prouidētia contigerint, vt quæ aduersus Gentiles Christiani ex iisdem libris de aduentu Christi citarent, nulla impostura suspicione accusari iure possent. Sed de iis plura in Apparatu.

d Tac. lib. 3. Suet. in Oct. cap. 31. Dio l. 54. e Appar. n. 11. 12.

Porro anno Christi vigesimo, Coss. Tiberio Augusto tertium & Germanico secundum, nihil gestum reperitur quod spectet ad res Ecclesiasticas.

III. f Tac. lib. 2. g Suet. in Tiber. cap. 36. IVDAI ROMÆ VEXANTVR.

At vero anno sequenti, quo Consulatum adepti sunt Iunius *f* Silanus & Norbanus Flaccus, idem Augustus externas cæremonias, (inquit Suetonius *g*) Ægyptios, Iudaicosque ritus compescuit; ac Iudæorum iuuentutē per speciem sacramenti in prouincias grauioris cœli distribuit; & reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, Vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Meminit etiam horum Iosephus *h*: ex quo & discas Iudæorum atq; Ægyptiorum scelera, quæ causam huic Tiberii aduersus eos decreto dederunt. Manserunt porro ita exules Iudæi vsq; ad necem Seiani, cuius calumnijs (vt scribit Philo) tam dire exagitati sunt. Post eius vero necem, Tiberius res illorum in feliciorem statum restituit, ritusq; permisit, ac multa in eosdem beneficia contulit.

h Ios. 18. antiq. 4. & 5. i Philo. de legat. ad Caium.

IV. GERMANICVS MORITVR, TIBERIVS IN PEIVS RVIT. k Dio lib. 57.

Interea vero iisdem Silano & Flacco Coss. Germanico Cæsare Orientis Præfecto, iuuene laudatissimo, (quem Tiberius ex Druso Germanico fratre suo genitum, in filium adoptauerat) arte Pisonis Syriæ Præsidis extincto; idem Tiberius (vt auctor est Dio *k*) cum ante hac plurima egregie fecisset, tam in contraria omnia mutatus est, impulsore & administro prædicto Ælio Seiano Sei Straboris filio. Sed qui portentosa Tiberii facinora nosse voluerit, habet Suetonium, Tacitum, Dionem, & alios, qui ea prolixe descripsere.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 22.23.24.25.26.27.

TIBERII IMP. AN. 6.7.8.9.10.11.

I. a Tac. lib. 3.

ANNO Christi vigesimo secundo, Valerius *a* Messala & Aurelius Cotta Consulatum gesserunt. Eosque secuti sunt Tiberius Augustus quartum & Drusus secundum: sub quibus (vt vult Dio *b*) idem Tiberius histriones Vrbe pepulit; quamuis id post biennium Tacitus ponat, qui per annos singulos res tunc Romæ gestas digessit. Eodemque anno *c* idem Augustus ex SCto statuit, ne sententia mortis damnatus intra decimum diem duceretur: quod quidem edictum latioribus postea spatiis Theodosius *d* Imperator Christianus ad triginta dies extendit.

b Dio lib. 17. c Dio ibid. Suet. in Tiber. c. 75. d L. si vindicari. C. de pœn. Rusti. l. 2. c. 18. Soz. lib. 7. c. 24

II. e Tac. lib. 3.

Cæterum anno Christi vigesimo quarto C. Sulpitius *e* & D. Haterius gesserunt Consulatum: Ac post eos C. Asinius & C. Antistius. Istos vero secuti sunt Cornelius Cethegus & Visellius Varro: hosque Cossus Cornelius & Asinius Agrippa. Quibus omnibus nihil adeo memoria dignum, quod ad res nostras pertineat, gestum noscitur.

DE SCto TIBERIANO

[De prædicto SCto Tiberiano, tum eo anno Christi 23. tum Tom. IV. anno 590. Baronius, & al. alibi, Sidonium Apollinarem l. ep. 7. reprehendunt, quod ei tribuerit triginta dies dilationis sententiæ; cum id nonnisi longe postea fuerit a Theodosio Imp. decretum. Verum Iac. Sirmondus in Notis ad Sidonium, ita tuum popularem defendit, vt quod lex Theodosii, quemadmodum verba declarant, solius Imperatoris sententias coerceret, SCtum Tiberianum sola Senatus iudicia (vt Dio notat;) non potuerit Sidonius iudicium Aruandi, de quo agit, quod Senatorium fuisse constat. Theodosii legi tribuere, sed SCto. Ac proinde quod triginta dies eidem SCto adscribit, argumento esse ad dies decem veteris SCti Tiberiani accessisse postea (licet quo tempore incertum) dies alios viginti; & tamen eidem SCto tributos fuisse, quo more legibus Iuliis, aliisque, multa quæ illis postea adiecta fuerunt tribui solere, Iuris interpretes obseruarunt. Denique vt singulis auctoribus singula reddamus, notat etiam Sauaro in eundem Sidonii locum, ex Seneca in Ludo Claudii. Posthumio Iuniore Declam. 313. & 349. Calpurnio Flacco Declam 25. & Fortunatiano libro 1. Rhetor. fuisse ante Theodosium triginta dies iustos damnatis.]

IESV CHRISTI AN. 28.29.30.

TIBERII IMP. AN. 12.13.14.

I. PILATVS VEXAT IVDÆOS.

ANNO Christi vigesimo octauo, Cn. Lentulo Getulico & C. Caluisio Sabino Coss. missus ad Iudæam administrandam Pontius Pilatus, nocte intempesta opertas Hierosolymam intulit imagines Cæsaris: sed quod ea res ingentem inter Iudæos suscitasset tumultum, flexus miserandis eorum supplicationibus, eas auferri iussit. Hæc pluribus Iosephus *f*. Sed Philo *g* & ipse Iudæus, qui his ipsis viuebat temporibus, ait Pilatum auratos duntaxat clypeos Hierosolymis in honorem Tiberij dedicasse in Herodis regia, nulla insignes imagine, nec habentes quicquam vetitum: Veruntamen populum veritum ne per eiusmodi nouitatem inciperent violari ritus patrij, primum apud ipsum Pilatum expostulasse vt iidem clypei auferrentur; sed cum nihil proficeret, Romam ad Tiberium scripsisse, ac postulatum obtinuisse. Præter hæc autem multis aliis iniuriis, rapinis, ac crudelitatibus, Iudæos a Pilato vexatos esse toto decennio quo eis præfuit, testes sunt iidem auctores.

f Ios. 18. antiq. 3. & 4. Et 2. de bell. 8. g Philo. de leg. ad Caium.

II. h Tac. lib. 4. Annal.

Cæterum anno Christi vigesimo nono Consulatum gesserunt M. Licinius & Lucius Calphurnius; quo *h* Romæ totus mons Cœlius conflagrauit; & apud Fidenas collapso amphitheatro, quinquaginta millia hominum obtrita vel debilitata sunt.

Sequenti vero anno, quo Iunius Silanus & Silius Nerua Coss. fuerunt, nihil Annalibus nostris dignum, gestum reperimus. Prætermittimus enim ea narrare, quæ magis politici sunt status, quam historiæ Ecclesiasticæ.

IESV CHRISTI AN. 31.

TIBERII IMP. AN. 15.

I. a Tac. lib. 5. b Isa. 61. c Luc. 4. secundum Septuag. Interp. EVANGELICÆ HISTORIÆ DIGNITAS.

ANNVS Christi trigesimus primus, qui Coss. *a* habuit Rubellium atque Fusium, ambos Geminos, fuitque decimus quintus Tiberii Cæsaris, ab Isaia *b* *Placabilis* per antonomasiam dictus est, & *Acceptabilis* *c*; quo nimirum Orbi terrarum profundis obuoluto tenebris, Redemptor humani generis CHRISTVS DEVS noster, lux vera, lumine prædicationis cœpit affulgere. Eius vero rei præclarissime gestæ historia, non à quibuscunque, sed à Deo tantum præordinatis testibus, ipsis sanctissimis quatuor Euangelistis, monumentis meruit diuinitus consignari: quorum admirabilem excellentiam Ezechiel *d* Propheta sub quatuor animalium symbolicis speciebus, in diuina illa cœlitus ostensa visione gloriæ Domini, prænouit, atque descripsit. Iidemq; licet variis locis, temporibus, & occasionibus, in eodem argumenti genere singuli versari sint, diuina tamen inspiratione quod simul omnes, hoc singuli quiq; cõsensu quodam harmonico præstitisse videntur. Vt merito iuxta propheticum illud ænigma, sic propria à ceteris distincta esset facies singulorum, vt tamen eædem quatuor facies singulis coniunctæ essent.

d Ezech. 1.

II. CONCORDIA EVANGELICA

Prout fuit antiquorum Scriptorum studium, vt quatuor sancta Euangelia coniungentes, ex iisdem vnum intexerent. Id enim præstitisse scimus primum omnium Theophilum *e* Antiochenæ Ecclesiæ septimum post B. Petrum Episcopum: idipsum Tatianum; ac tertio loco Ammonium Alexandrinum; quem secutus *f* Eusebius Cæsariensis. Hi quidem de conuenientia ipsorum Euangelistarum Canones quosdam scripserunt, quos Hieronymus Latinitate donauit; eorumq; meminit Victor Episcopus Capuanus in præfatione Harmoniæ *g* Tatiani. Sed de iis inferius suis quibusq; temporib. Cum vero in eadẽ re complurium quoq; recentiorum enituerit studium, eorum præcipuum sibi locum vendicare videtur eruditus æque ac pius *Cornelius Iansenius* Episcopus Gandauensis; cuius sic nobis proponimus sequenda vestigia, vt tamen liberi interdum esse velimus; per aliam viam quæ rectior videatur, incedere.

e Hier. ep. 151. ad Algas. q. 6. f Hier. præf. in quat. Euang. ad Damas. ep. 123. g Ext. in Bibl. Patr.

III. IOANNIS PRÆDICATIONIS TEMPVS.

Ipsam igitur Historiam, Lucas *h* Euangelista egregia certitudine temporum testatam exordiens: *Anno*, inquit, *decimo quinto Imperii Tiberii Cæsaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, Tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regionis, & Lysania Abilinæ Tetrarcha, sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto; &c.* Ad quę elucidanda, quantum ad historicam veritatem pertinet, præter illa quæ de Tiberij, Pilati, Herodis Antipæ, & Philippi ingressu, deque ipsa voce Tetrarchiæ, superius dicta sunt; de Lysania, sicut errare certum est qui dixerunt *i* Herodis Idumæi fuisse filium, & Herodis Antipæ atque Philippi fratrem; ita etiam errore labi eos *k* constat, qui hos corrigentes eum existimarunt fuisse filium Ptolemęi Mennæi, cuius Iosephus *l* meminit: nam eiusdem auctoris *m* testimonio expressum habetur; hunc Lysaniam Mennęi longe ante hæc tempora Cleopatræ arte fuisse necatum, vt eius potiretur ditione, quæ erat apud Libanum posita. Porro Cleopatra simul cum Antonio sublata de medio, ea Tetrarchia videtur fuisse ab Augusto tributa Lysaniæ alteri, quem hic intelligit Euangelista; meminitque eius postea Iosephus. Erat autem *Abila* (ex qua dicta Tetrarchia Abilina) ciuitas vna, vt ait Plinius *n*, in prouincia Decapoleos.

h Luc. 3. DE LYSANIA i Euseb. in Chron. an. Dom. 7. k Cor. Ians. Concord. Euang. & alii tum seruati. l Ios. 14. antiq. 23. in fin. m l. 15. antiq. 4 n Plin. hist. 18

IV. FVNCTIO SACERDOTALIS IVDÆORVM.

Quod autem S. Lucas prædicationem Ioannis, non dictorum tantummodo Tetrarcharum, sed Principum Sacerdotum Annæ & Caiphæ temporibus inchoatam tradit: res videtur maiori obuoluta difficultate, tum quod non duos simul, sed vnum tantummodo, & ante & post hæc tempora Summum Sacerdotem penes Iudæos fuisse certum habeatur; tum etiam quod ex Iosepho *o* constet: non Annam, sed Caiphiam hoc tempore eo munere functum. Scimus & Vicariam eiusdem sacerdotii præfecturam nemini solere

a Id. 17. ant. 8.

concedi, nisi vrgente necessitate, & ad modicum spatium: sicut idem auctor *a* testatur Matthiæ Summo Sacerdoti, quod inter dormiendum pollutus esset, rem diuinam facere lege vetito, in vnum tantum diem vicarium adiutorem esse datum Iosephum Ellemi filiũ. Nec insuper cõstare posse videtur, quod nonnulli dicunt, tam Annam quam Caipham Summos Sacerdotes fuisse, sed alternis duntaxat annis functionem obtinuisse. Nam nonnisi alterius illorum tempore potuit Ioannes prędicationem exordiri, cum quo tempore alter esset Summus Sacerdos, alterum cessasse necesse sit. Nec demum verum est quod scribit Eusebius *b*, delectos à Præsidibus Romanis Summos Sacerdotes vno tãtum anno eo ministerio perfungi solitos. Nam etsi auctor sit Iosephus *c*, tribus primis annis Valerij Grati Præsidis, qui à Tiberio illuc primo sui Imperij anno missus est, totidem mutatos fuisse Summos Sacerdotes; tamen qui vltimo loco creatus est Caiphas, abique alio successore non ad præsentem tantum annum, sed (quod testantur Euangelistæ) vsque ad Redemptoris Crucem, immo & post Resurrectionem *d* in eadem functione perseuerauit: cui veritati & idem Iosephus *e* adstipulatur, dum nullum eius successorem agnoscit vsque ad tempora Vitellij Præsidis qui Pilato successit.

b Euseb. 1. hist. 10.

c Ios. 18. ant. 3.

d Act. 4.

e Ios. 18. ant. 6

V.

Alia igitur perue stigata verborum Euangelistæ ratione, primum dicimus, etsi vnicus Sũmus Pontifex apud Iudæos esset, tamen certum esse complures alios dictos fuisse Principes sacerdotum, quorum frequens est mentio in diuinis Scripturis; eosque fuisse viginti quatuor numero, sicut & totidem erant vices sacerdotales, quib. iidem præerant, vt ex libris Paralipomenon *f* facile intelligitur. At non dicimus Annam hac tantum ratione dictum esse Principem sacerdotum, sed & alia prorsus diuersa. Erat quippe apud Iudæos à Deo per Mosen *g* institutum ex Septuaginta duob. Senioribus atque Magistris Collegium, quod ab illis semigræcè *Sanhedrim*, à Græcis *συνέδριον* appellatum est. Eratque illorum tanta auctoritas, vt & de Lege cognoscerent, & de Propheta atque doctrina, ac simul de principibus iudicarent: quorum aliquando iudicio postulatus Herodes, Rex factus eosdem, vno excepto Samæa, omnes neci tradidit; vt auctor est Iosephus *h*. Qui igitur horum Septuaginta duorum Seniorum primus haberetur, idem Princeps Sacerdotum Seniorum primus haberetur, idem Princeps Sacerdotum dicebatur; cum alioqui Summus Sacerdos primum omnium locum teneret, cunctisque præesset Principibus Sacerdotum: seque habebat eorundem amborum perfunctio instar præfecturæ Mosis & Aaron, quorum similitudinem quandam exprimebant. Vnde Anna, cum esset eiusmodi Collegii Princeps, merito, sicut & Caiphas, Princeps Sacerdotum dicebatur, licet vtriusque functio esset omnino distincta. Nam & videas in Euangelio *i*, cum Christi causa ageretur, ac subinde de vero Propheta quæstio esset, eundem primo ad Annam esse perductum, tanquam ad Principem Sacerdotum illius Collegii, cuius muneris esset de Propheta iudicare, ac demum ad Caipham, sine cuius assensu sententia ferenda non esset: Et in Actis *k* Apostolorum, cum de Lege esset iudicium, nimirum de fide Christi quam prædicabant Apostoli, in eo consessu primo loco nominatum Annam, inde Caipham, postea vero iuxta consessus ordinem cæteros.

f Paral. 24.

g Num. 11.

Concilium LXXI. De quo Baronius hoc an. & 32.

h Ios. 14. ant. 17.

Ioan. 18.

k Act. 4.

De pontificatv Annæ et Caiphæ.

[Cum Annam principem extitisse Sanhedrim haud adeo exploratum haberetur, (esset enim alioqui nulla de Baronii sententia disceptatio) alias huius difficultatis solutiones alii perquisierunt. Inter quos August. Torniellus anno 4069. hanc profert ex Eusebio, vt Annas fuerit Summus Pontifex quando Ioannes cœpit prædicare, Caiphas vero sub finem eius prædicationis; atque ita verum sit, Ioannem prædicasse sub principibus sacerdotum Anna & Caipha: quemadmodum id in antiquis Prophetis videre est, plures aliquando poni Iudæ Reges, sub quibus ipsi fuerint, plures aliquando poni Iudæ Reges, sub quibus ipsi fuerint, plures prophetauerint. Verum vt hæc ita se habeant, est tamen alia solutio, cæteris, vt puto, commodior; quam idem auctor obiter indicat anno 1974. numero 10. nimirum vt ita se Annas & Caiphas eodem tempore habuerint, quomodo olim regnante Sedecia Saraias & Sophonias, quorum ille appellatur (4. Regum vlt. & Ieremiæ vltim.) *Primus Sacerdos*, iste *Secundus*; hoc est, quasi Vicarius; qui ad hoc Primo, siue Summo, socius dabatur, vt si per morbum, aut aliam causam sonticam ille non posset obire propria sua munia. Secundus ea expleret: cuius & ideo tanta auctoritas erat, vt minimo minus alter Summus Pontifex esset. Quam etiam interpretationem postea reperimus tum aliis placuisse, tum à Bulengero confirmatam esse in suis aduersus Casaubonum Diatribis. Quod autem primo loco Annas ab Euangelista, cum hic, tum Act. 5. recensetur, has putamus extitisse causas; quoniam & socer erat Caiphæ, & summæ apud omnes Iudæos auctoritatis: quem quidem Iosephus 20. Antiquit. 8. (Ananum vocans) scribit habitum fuisse omnium felicissimum, vt qui filios habuerit quinque, omnes potitos Summo Pontificio, cum prius ipse ad satietatem hac dignitate perfunctus esset. Vt sit admodum verosimile, ipsum eum ob isthæc, tum ob virtutẽ & consilium, quæ in eo Iosephus mire laudat, ex quo semel Principatum Sacerdotum adeptus est, etiamsi postea ab illo amotus fuerit, semper quamdiu vixit, ordine quidem Secundum a Primo fuisse, auctoritate vero & existimatione Primum.]

Prædictorum itaque Principum tempore, IOANNES Zachariæ filius, qui ea occasione quam superius recensuimus, ductus fuerat adhuc infantulus in desertum, afflatus diuino spiritu, *inde a venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, indutus vestimento b ex pilis camelorum, zona cinctus pelliceâ, & cibans se locustis c ac melle siluestri.* Hæc enim de illo referunt Euangelistæ; eundemque pane & vino carnisse, Saluator ipse testatur: & quod nec baccis, seminibus, vel oleribus vsus sit, Clemens *e* Alexandrinus certo credidit. Vt non mireris, si quod adeo asperum vitæ genus elegisset, cum alias Saluator *f* dixerit nec manducasse nec bibisse. Cæterum *Locustas* in Palæstina genus fuisse animalium ad cibi vsum, diuina *g* Scriptura plane demonstrat. Pariterque Strabo *h* auctor est, genus quoddam Æthiopum locustas in cibum habere: eademque de Parthis Plinius *i*, de Orientalibus & Libycis Hieronymus *k* tradit. Illis vero vsum esse Ioannem, scribunt Augustinus *l* & Bedam *m*: & Euthymius exiccari fumo solitas ait, habereque malum odorem, & grauem gustum. Verum his omnibus aduersatur Ioannes *n* Pelusiota, qui & ipse monasticam vitam cum diutius excoluerit, ea quæ scribit, ponit à Palæstinæ monachis didicisse) omnino negans locustas, quibus Ioannes alebatur, animantia fuisse, & mel siluestre herbas; sed locustas ait intelligi debere herbarum ac plantarum summitates; mel vero siluestre, quod ab agrestibus apibus conficitur, summeque amarum est. Sed de *siluestri melle* cum alii alia scripserint, idem Beda ex relatione sancti Episcopi Archulphi, qui ad ea loca peregrinatus erat, ait fuisse in deserto Palæstinæ arbores, folia lata & rotunda habentes, lactei coloris, & melliti saporis, quæ natura fragilia, manibus conficiantur & eduntur; hocq; esse mel siluestre. At vero quid de his sentiendum sit, totum relinquimus lectoris arbitrio: nam constat Græcam dictionem ἀκρίδες, qua vsus est Euangelista, & *Locustam* insecti genus infirmas habens alas ad volandum, & *summitates herbarum* significare.

VI.

a Luc. 3.
b Matth. 3.
c Marc. 1.
d Luc. 7.
e Ped. lib. 2.
IOANNIS VICTVS, ET VESTITVS.
f Matth. 11.
g Levit. 11.
h Strab. l. 16.
i Plin. 11. hist. 29
k Hier. aduer. Iouin. lib. 2. & in Ioan. 4.
l August. 10. Confess. 31.
m Bed. de loc. Sanct. c. 24.
n Pelus. l. ep. 5. & 132.

Quod autem ad indumentum attinet; prætermittimus innumeras pene de eius asperitate sanctorum Patrum scriptas sententias: Satisque sit, ex verbis Euangelistæ, materiam ex qua esset confectum describentis, quale esset certo experimento cognoscere. Ex pilis namque camelorum, non nisi rude atque asperum contexi solere, quod cilicium appellatur, exploratum est. Eiusmodi porro vitæ genere Ioannem iecisse VITÆ MONASTICÆ fundamenta, non ipse tantum Isidorus, sed & Catholici omnes fatentur: eaque de causa apud Chrysostomum *o* & Hieronymum *p* idem vocatur *Monachorum princeps*. Sed his inuidentes Nouatores eo deuenerunt dementiæ, vel potius iniquitatis, vt malint corrumpere verbum Dei, & Ioannem vitæ otiosæ & delicioſæ infamare: sibilis potius & risu; quam ampliori confutatione *q* digni.

o Chrysost. in Marc. hom. 1. & hom. de Io. Bapt.
p Hier. ep. 22. ad Eustoch.
AVCTOR VITÆ MONASTICÆ.
q Vide, si lubet quæ de hac re aduersus eos scripsit Petr. Cassi. in lib. de Ioan. Bapt. aliique alibi.

Cæterum cum plurimos ad se venientes Ioannes *r* exciperet, ad pietatem institueret, baptizaret, & Christi aduentũ iisdem annunciaret; venit quoq; ipse IESVS, & ab eo est baptizatus, cum *esset* (inquit Lucas) *incipiens quasi annorum triginta*. Quorum verborum cum multiplex sensus à Patrib. afferatur, ea sic Epiphan. *s* accepit, vt exactis viginti nouem annis ac mensibus decem, duobus mensib. minor fuerit Christus annorum triginta. Et ante illum Irenæus *t* sic ea intellexit, vt tunc Christus nondum triginta annos impleſſet, sed prope esset vt impleret. Verum communior illa videtur opinio, asserentium Christum eo tempore cœpisse

VII.

r Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Ioan. 1.
DE CHRISTI ÆTATE, TEMPORE BAPTISMI.
De qua Baronius in Appar. occasione inquirenda annum Christi natalem.
s Epiph. hær. 51.
t Iren. l. 2. c. 39.

agere

agere annum trigesimum: quæ fuit Origenis, *a* Hieronymi, *b* & aliorum, cui & omnes aditipulati sunt, qui Christũ passum existimarunt ipso ætatis suæ anno trigesimo, vt Tertullianus, *c* Africanus, *d* Lactantius, *e* & alii: sed primum auctorem S. Ignatium perperam (vt mox videbimus) constituentes.

Denique fuit alia sententiâ affirmãntium Christum baptizatum esse trigesimo ætatis suæ anno expleto & trigesimo primo inchoato, quasi tunc reuera dici posset triginta annorum cum illos expleſſet. Eius vero primus assertor habetur Ioannes Chrysostomus, *f* quem sequitur Euthymius, *g* sed & alios complures Græcorum idem sensisse, arguměto est Canon ab illis statutus, *h Vt si quis triginta ætatis annos non impleuerit presbyter non ordinetur, quia & ipse Dominus trigesimo anno baptizatus est.* Rursumque Beda, *i* Bernardus, *k* & alii *l* plurimi recentiores eamdem interpretationem sunt secuti. Eorum vero rationes non morabor singulas recensere, cum vnus instar sit omnium Ignatius, qui cum vixerit Christi tempore, eumque in carne viderit (vt testatur Hieronymus) *m* quo potissimum ætatis anno baptizatus fuerit, ignorasse non potuit. Porro cum is in epistola ad Trallianos sic dicat: καὶ τρεῖς δεκάδας ἐτῶν πολιτευσάμενος ἐβαπτίσθη ὑπὸ Ἰωάννου: hoc est, *Et expletis tribus annorum decadibus baptizatus est à Ioanne*: quis aduersus tam patens apertumque testimonium mutire vel refragari audeat? Certe mirati sumus vehementer, prædicta ipsius verba ab omnibus qui eam quæstionem fusius disputarunt, vitiosa translatione esse citata, atque in alium sensum allegata. Cæterum eamdem sententiam Sancta Romana Ecclesia professa est in antiquo Rituali, quod Ordinem Romanum appellant; vbi cum agitur de Epiphania, asseritur *n* Christum *expletis quasi triginta annorum curriculis* baptizatum esse. Quod enim hæc dictio, *quasi*, non diminutionem numeri semper importet, nec dubitatiue vbique ponatur, sed & sæpe assertiue, diuersis Scripturæ *o* testimoniis demonstrari potest. Ac denique cum certum sit, Christum baptizatum esse (vt mox videbitur) die sexta Ianuarii: vel oportuit hoc contigisse ipso initio anni trigesimi, vel illo expleto, anno sequenti à Calendis Ianuarii per dies sex inchoato, qui erat Christi trigesimus primus per tredecim dies cœptus. Quod autem Græcii in Styria nuper edita sit prolixa disputatio, qua Christus affirmatur baptizatus anno eius ætatis trigesimo secũdo inchoato; vix est vt piorum aures vel audire patienter admittant talem contra ipsius Lucæ Euangelistæ verba nouitatem.

[Prædictæ Disputationis Græcaniæ auctor fuit *Laur. Suelyga* Polonus, seu potius *Is. Declerius* Soc. Iesv, an. 1603. Porro Christũ baptizatum esse iocipiente anno ætatis suæ trigesimo primo, ex necessaria quoque Temporum collatione sic colligitur. Nam si Tiberius imperare cœpit anno Christi 16. nimirum octauo decimi anni mense tunc prope explendo; (quippe vidimus id contigisse die 19. mensis Augusti) profecto necesse est, quatuor postremos mensesanni trigesimi vitæ Domini concurrisse cum quatuor primis mensibus anni 15. ipsius Tiberii. Non ergo potuit Christus circa initia anni sui trigesimi baptizari, currente Tiberii decimoquinto. Itemque si baptizatus est die sexta mensis Ianuarii, non potuit mensis Ianuarius anni decimiquinti Tiberii incidisse in annum trigesimum primum inchoatum per tredecim dies. Sicut etiam optime collegit Torniel. an. 4081.]

Sed quod ad Mensem & Diem attinet, quibus baptizatus est Christus: id factum esse sexta Ianuarii, tenuit semper Ecclesia Occidentalis: idemque ex communi & antiqua traditione testatur Eusebius, *p* confirmatque Hieronymus, *q* ac denique omnes Scriptores Ecclesiastici; vno dumtaxat excepto Epiphanio. *r* Sed sicut iste audiendus non est, dum ait Christum natum sexta Ianuarii; ita nec cum dicit baptizatum esse sexto Idus Nouembris: cum & eidem contradicant Ægyptii sui, qui alioqui de die Natali Domini æque ipsi consentiunt; vt dictum est superius. Porro locum ipsum fluminis, quo Dominus voluit baptizari, remansisse posteris egregiis monumentis celebrem, & virtute miraculorum conspicuum, adeo vt leprosi in eo mundarentur, ex fideli relatione eorum qui illuc peregrinati essent, scribunt Gregorius *s* Turonensis, & Beda. *t*

[Scribit etiam auctor cum primis locuples, & fide dignissimus, Io. Chrysostomus hom. de bap. Salu. ex Sanctificatione tunc aquis indita, annuum ea nocte qua solẽnitas Baptismi Christi ab Ecclesia celebratur, fieri consueuisse miraculum, vt quam Fideles acceptam aquam domum referrent, ac reconderent, ea non solum integro anno, sed etiam biennio & triennio post haustum corrupta cõseruaretur, nihilo recenti deterior. Quod intelligendum est de aqua ritu vere i Christianorum etiamnum, vt audio a Græcis obseruato, ea nocte in ecclesia à sacerdote conficerari solita; cuius hactenus restat vestigium in Calendario Syrorũ apud Genebrardum die 6. Ianuar. *Ea nocte aqua conficeratur in totum annum.* Quæ haniam aduertere voluisset apud Fron. Ducæum in Not. ad illam Chrysostomi homiliam, otor ceremoniarum Ecclesiasticarum Casaubonus, non ad omnes aquas quæ illa nocte hauriren ur, miraculum à Chrysostomo narratum insicite retulisse, Exercit. in Baron. cap. 16.]

Post baptismum Christi subdunt Euangelistæ tentationem ipsius à diabolo; deinde legationem *b* Iudæorum ad Ioannem Baptistam, vt scirent an ipse esset Christus: ac postea accessum Andreæ & Simonis fratrũ ad IESVM. Hic vero cum primordia fuerint Ecclesiæ erigendæ, (quæ ædificatio *c* Dei est) CHRISTVS Dominus tantæ molis excitãdæ sapientissimus architectus, de primario lapide in fundamento locando statim cogitans, Simoni mox vt eum intuitus est, mutationem nominis promisit, vt appellaretur CEPHAS, hoc est *Petrus*; quod postea ei simul cum Primatu cõtulit. Narrat hoc Ioannes Euangelista: qui cum affirmet vocationem Andreæ præcessisse illam Petri, & ex Epiphanio *d* certum sit Andream maiorem natu fuisse Petro: ac denique assertione Sophronii *e* Hierosolymitani constet Andream cælibem vitam duxisse, Petrum autem negotiis intendisse, & vxori ac familiæ suæ: ex his omnibus apparet, non vocationis, vel ætatis, aut perfectionis vitæ prærogatiua (quibus omnibus vincebatur ab Andrea fratre) primatum Petro collatum; sed, vt ex iis quæ postea acciderunt exploratum redditur, quod in summæ fidei professione, tum ipsi Andreæ, tum cæteris omnibus Apostolis antecelluerit. Cæterum vox Syriaca *f Cephas*, Latine interpretata, idem quod *Petra* significat, ex Græca autem lingua dicitur *Petrus*, apud quos ὁ πέτρος idem est quod ἡ πέτρα: sed interpres Latinus mutans nomen femininum in masculinum, *Petrus*, non *Petra* dixit; quod ea terminatio viro magis conueniens esset. At vero eiusmodi amphibologia nullo modo cadit in vocem Syriacam *Cephas*, qua vsus est Dominus, quæ omnino significat Petram, nec quamlibet Petram, sed quæ sit omnium durissima, nempe Cautem. Ea porro appellatione, potius quam alterius cuiusdam materiæ solidissimæ, Dominum appellare voluisse Simonem, æque Patres *g* consentiunt, quod & ipse Christus Petra dictus *h* sit; vt quem sui gregis constituetet vicarium successorem, eumdem proprio suo nomine insigniret.

Sed & quod Optatus *i* Mileuitanus nomen Cephas non à Syra lingua, sed à Græca, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς, Caput interpretatur, (cuiusmodi interpretandi modum & ab aliis Patribus, immo & ab ipsis Septuaginta Interpretibus sæpius vsurpatum *k* scimus, dum Hebraicas voces in Græcam significationem transire fecerunt:) diuina quadam dispensatione factum videtur, vt vna eademque voce duabus linguis Petri principatus exprimeretur: quem & iisdem appellationibus omnes antiqui ac recentiores Patres semper agnouerunt, dum eumdem *Petram fidei*, & *Caput Apostolorum* nominarunt. Sed de his plura Controuersiarum scriptores Catholici, aduersus hæreticos apertam veritatem impugnantes.

Post hæc Euangelista *l* historiam subinfert de vocatione Philippi, & accessu Nathanaelis ad Christum. Philippum autem eum esse, cui dixit Dominus, *m Sequere me & dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, tamquam rem minime dubiam testatur Clemens *n* Alexandrinus. Sed quod Nathanaelem putarunt aliqui *o* eumdem esse Bartholomæo, haud illorum coniecturis assentimur; sed Augustino *p* tutius inhæremus, dum ait idcirco Nathanaelem non fuisse à Domino electum inter Apostolos, quod esset Legis Doctor.

Subdit deinde Euangelista *q* narrationem de *Nuptiis* factis in Cana Galilææ, & de primo omniũ à CHRISTO edito miraculo, cum ad easdẽ nuptias vna cum matre vocatus,

a *Orig. hom. 1. in Ezech.*
b *Hier. in Ezech. 1.*
c *Tert. cont. Iudæ.*
d *Ap. Hier. in Dan. 9.*
e *Lact. lib. 4. cap. 10.*

VIII.
f *Chrys. hom. 10. in Matth.*
g *Euthym. in Matt. 3.*
h *Mar. Bracar. can. Græc. 20.*
i *Bed. de rat. temp. cap. 45.*
k *Ber. ser. 1. de Epiph.*
l *Lir. in Luc. 3 & noui. Scal. de emend. tem. l. 6. c. 1. & c.*
m *Hier. de Script. Eccl. cap. 16.*

S. IGNATII SENTENTIA IRREFRAGABILIS.

n *Habet eadem Lib. Flac de Offic. eccl. c. 6.*
o *Ioan. 1. vers. 14. 2. Cor. 3. v. 18.*

TEMPORVM COLLATIO.

IX.
DIES BAPTISMI CHRISTI.
p *Euſ. ep. ad Marin.*
q *Hier. in Ezech. 1.*
r *Epiph. hær. 51.*

f *Greg. Tur. de glor. mar. c. 17*
t *Bed. de loc. Sanct. c. 13.*

AQVA IANOCTI CONSECRATA.

X.
a *Matth. 4.*
b *Ioan. 1.*
c *1. Cor. 3. Epheſ. 2.*

PETRI VOCATIO, ET NOMINIS PRÆROGATIVA.

d *Epiph. hær. 51.*
e *Sophr. hom. de cert. SS. Pet & Paul.*

f *Hier. in Gal. 2. & alii.*

CVR DICTVS CEPHAS.
g *Tert. 4. cont. Mar. 13. Baſ. lib. 20. depoen. Hier. in Iſa. 62. Leo ſer. 3. in anniuerſ. aſſum. ſua & alii.*
h *1. Cor. 10.*
i *Opt. lib. 2. cont. Parm.*
k *Vid. Orig. ep. ad Afric. Tertull. aduerſ. Marcion. lib. 3. & alios.*

XI.
l *Ioan. 1.*
m *Matt. 8.*
n *Clem. Alex. Strom. lib. 3.* (Cuius tamẽ ſententia vix poterit ſtare cum certum ſit, vocationem Philippi inter primas nominatim recenſeri a Ioanne, de illo vero innominato longe poſtea agant Matthæus cap. 8. & Luc. c. 9.)
o *Rupert. Ab. & Ianſen.*
p *Aug. tract. 17. in Ioan.*

XII.
q *Ioan. 2.*
IESVS AD NVPTIAS.

deficiente vino aquam mutauit in vinum. Proditum est à nonnullis has fuisse nuptias Ioannis Euangelistæ; qui cum duxisset vxorem, viso illo miraculo eam dimiserit, ac Christum secutus fuerit. Verum sunt hæc recentiorum auctorũ inuenta, cum penes antiquiores nulla extet de iis memoria. Nam quod Augustinus præfatione in Ioannem ait, ipsum à Domino de fluctuaga nuptiarum tempestate vocatum esse, non eo sensu dictum est, quod cum vxorem duxisset eam reliquerit, sed quod eam prorsus non acceperit: prout idem ipse Augustinus *a* in fine eiusdem operis aperte testatur, cũ ait ea de causa Ioannem à Christo plus cæteris amatum, ꝙ neque vxorem duxerit, & ab ineunte pueritia castissimus vixerit. Nec aliud Augustinum sensisse, inde exploratissimum redditur, quod dictum Euangelium de nuptiis explicans, nullam prorsus mẽtionem de Ioanne habuerit. Cum & alioqui de cælibatu Ioannis, quod nunquam contraxerit nuptias, tum Hieronymus *b* aduersus Iouinianũ, tum antiquissimus Ignatius, *c* qui eodem quo Ioannes tempore vixit, grauissimus sit assertor. Idque ipsum non de Ioanne tãtum, sed & de Iacobo illius germano, Epiphanius *d* testatur. Affirmat vero Nicephorus *e* fuisse eiusmodi nuptias Simonis Cananæi, vnius ex duodecim Apostolis, qui & Zelotes est dictus. Cæterum & Nathanael erat è Cana, oppido (vt tradit Hieronymus *f*) Galilææ Gentium.

Sed quod spectat ad perinsigne miraculum de Aqua mutata in vinum, quod ob sui excellentiam longe ante prænonstratum fuerat Isaiæ *g* Prophetæ, Epiphanius *h* id factũ scribit vndecima mensis Tybi, hoc est sexta Ianuarii, qua etiam die Ecclesia Catholica recolit anniuersaria solemnitate tantæ rei celebritatem: eamque annuis miraculis in pluribus Orbis locis illustrari consueuisse, idem auctor de re vitibus Orbis locis illustrari consueuisse, idem auctor de re vitibus Orbis cognita testatur, agens de fonte Cibyres vrsa & alias probe cognita testatur, agens de fonte Cibyres vrsa & alias probe cognita testatur, agens de fonte Cibyres vrsa & alias probe

quam Ioannis: altera, quod audiuisset Ioannem ab Herode Tetrarcha Galilææ esse detrusum in carcerem. Itaque eo sibi esse veniendum putauit Christus, vt vbi cœperat prædicatio veritatis, ibi magis ac magis coalesceret, & vbi desierat Ioannes, inde ipse Christus exordiretur prædicare pœnitentiam.

XIX

a *Matth.* 14. *Mar.* 6. *Luc.* 3. IOANNIS BAPT. CARCER.

b *Ios.* 18. *ant.* 7 DE HERODIADE.

Quæ autem causa præcesserit vinculorum Ioannis, ea describitur ab Euangelistis, *a* quod Herodem reprehenderet de Herodiade vxore fratris sui Philippi, quam ipse Herodes sibi abduxerat. Describit eamdem historiam de amoribus Herodis cum Herodiade, & de carcere ac nece Ioannis, Iosephus, *b* sed multa perperam miscens, quæ manifesti ab aliis mendacii coarguuntur. Veluti, quod Herodiadem dicat vxorem fuisse, non Philippi, sed Herodis nescio cuius, quem cum perpetuo alibi tacuerit, dum maxima fuit occasio eum recensendi, *c* modo finxit veteris Herodis filium ex Mariamne Simonis Pontificis filia. Porro eiusdem Herodiadis filiam, Salomen dictam, ex eodem incognito Herode genitam, nuptui vult traditam Philippo Tetrarchæ: cum tamen eiusdem Philippi ipsam Herodiadem vxorem fuisse, tum Euangelistæ, tum alii testentur historici. *d* Herodiadem autem filiam fuisse Aristobuli filii veteris Herodis, & fratris ipsorum Herodis Antipæ atque Philippi, testatur idem Iosephus, *e* aliique consentiunt. Cuius item auctoritate constat, illam quæ antea eidem Herodi nupserat, quamque ille eiecit vt Herodiadem subintroduceret, filiam extitisse Aretæ Regis Arabiæ Petreæ; atque ea de causa bello inter eos conflato, exercitum Herodis deletum esse. Quod autem Herodis in Ioannem commotionis eam adfert causam, quoniam verebatur ne summa hominis auctoritas defectionē aliquam in populo pareret, qui ob frequentes ad eum concursus nihil non facturus ex eius consilio videbatur; etiam in his refellitur ab Euangelistis, dum ipsi (vt vidimus) id contigisse dicunt quod à Ioanne Herodes de incestu Herodiadis redargueretur. At de nece Ioannis dicetur inferius suo loco. Non vero nos prætermittimus dicere, locum istum Euangelistarum à Montanistis fuisse deprauatum: qui ad struendam hæresim de monomagia, quod viduæ non liceret vlterius virum ducere, adiecerunt vt perperam legerent, Herodem duxisse fratris sui defuncti vxorem: prout etiam Tertullianus, *f* qui eumdem cum illis defendebat errorem, aliquando legit. Cæterum raptā fuisse Herodiadem ab Herode viuente adhuc Philippo, est sane (licet Augustinus dubitauerit) probabilius ex Hieronymo: *g* necnon ex Iosepho, dum ait *h* Philippum obiisse dum taxat anno vigesimo Imperii Tiberii; cum tamē Ioannes post abductam ab eo Herodiadem, & reprehensum ea de causa Herodem, detrusus in carcerem fuerit anno præsenti, nempe ipsius Tiberii decimoquinto.

c *Ios.* 17. *ant.* 8 10. 13. *vbi agitur de testamento veteris Herodis, ac diuisione regni per eum facta.*

d *Hegesip. de excid. Hierosol. lib.* 2. *cap.* 4.

e *Ios.* 18. *ant.* 7. & 9.

f *Tert. aduers. Marcion. l.* 4. *c.* 34.

g *Hier. in Matth.* 15.

h *Ios.* 18. *ant.* 6

XX. IESVS VENIT SAMARIAM.

Venturus autem IESVS in Galilæam, transiens per Samariam habuit ad fontem Iacob sermonem cum muliere Samaritana, eamdemque primum auersantem ipsius tanquam hominis Iudæi colloquium, paulatim ad veritatis cognitionem & ad meliorem frugem, plurimosque insuper Samaritanorum ad fidem perduxit. Rem gestam fusius describit Euangelista. *i* De separatione vero ab inuicem Iudæorum & Samaritanorum, quæ ob diuersitatem religionis intercessit, cum Samaritani profanum suum in monte Garizim ædificatū templum Hierosolymitano anteponerent; plutib. agitur tum in sacris *k* libris, tum apud Iosephū. *l* Ad Puteum a Iacob, qui & Fons dictus est, in memoriam præsentiæ Domini atque sessionis, postea erectam esse ecclesiam, testes sunt Hieronymus *m* & Beda. *n*

i *Ioan.* 4.

k 4. *Reg.* 17. & 18.

l *Ios.* 11. *ant.* 7. & 8. & *lib.* 13. *cap.* 6.

m *Hier. de loc. Hebr. in Act.*

n *Bed. de loc. Sanct. cap.* 15.

XXI.

Post hæc IESVS abiit *o* in Galilæam; diuertensque à Nazareth, testimonium perhibuit, Propheram in sua patria honorem non habere. Veniens autem iterum in Cana Galilææ, sanauit filium Reguli cuiusdā absentem. Quem quidem Regulum, putamus fuisse dominum alicuius oppidi eiusdem Galilææ; sic tamen vt Tetrarchæ subesset, vel Romano Præsidi. Hieronymus *p Palatinum* vertit, hoc est, aulicum, vel ministrum regium: legens in Græco βασιλικὸς non βασιλίσκος; sicut & quidam alii. Post hæc vero habitauit Christus *q* in ciuitate Capharnaum maritima quam ob frequentem eius in illa incolatum, alibi Matthæus *r* appellat ciuitatem ipsius. Ambulans autem aliquando iuxta mare, vocauit primo Petrum & Andream fratres; & mox Iacobū & Ioannem itidem fratres, filios Zebedæi, (quos & *Boanerges*, hoc est, filios tonitrui appellauit,) omnes piscatores: qui confestim relictis omnibus, secuti sunt eum. Quod autem in Capharnaum potius quam in aliis Galilææ ciuitatibus diutius egerit; ea ratio afferri solet, quod frequentior illuc esset accessus vndique hominum mercaturæ causa. Vnde & factum est, quod subdit Matthæus) vt cum circuiret totam Galilæam prædicans Euangelium, & sanans omnes infirmitates, abiret fama eius in omnem Syriam.

o *Ioan.* 4.

p *Hier. in Isa.* 65.

q *Matt.* 4. *Mar.* 1. *Luc.* 4.

r *Matt.* 9.

XXII. DE MVTVIS AGBARIET IESV LITERIS.

Hac vero fama permotum Abgarum, siue Agbarum, Regem Edessæ ciuitatis Syriæ, scripsisse ad eum perhibent epistolam, qua illum Edessam inuitaret; tum ad fugiendos insultus Iudæorum, tum vt ipsum Agbarum à morbo quo torquebatur liberaret: et scripsisse vero Dominum, & laudasse eum de fide, se vero excusasse, quod iis ad quæ missus esset occupatus, à Iudæa recedere non posset: cæterum missurum se post suam assumptionem vnum ex discipulis suis, qui *a* sanitatem restitueret, & vitam impertiret. Quas quidem EPISTOLAS è tabulis publicis Edessenæ ciuitatis descriptas, atque è Syriaca lingua in Græcam translatas, historiæ suæ Eusebius *a* intexuit: sed quod ex non reperiantur ab Euangelistis conscriptæ, ideirco Gelasius *b* Papa inter scripta apocrypha adnumerauit; non tamen vt eas omnino proscribat, sicut nec complures alios libros, quos ibi proxime recensuit: fuisse vero absque aliqua dubitatione ab antiquioribus receptas, euidenter testatur epistola Darii *c* Comitis ad sanctum Augustinum; & ante Augustini tempora egregiam de illis habuit mentionem sanctus Ephræm ipsiusmet ciuitatis Edessæ diaconus, in eo opusculo cuius est titulus *Testamentum Ephræm*: agitque de iisdem Theodorus Studita in epistola ad Paschalem Papam: sed & eamdem ipsam quæ scripta est à Domino ad Agbarum, sub Constantino VIII. Imper. anno Domini 944. Edessā delatam esse magno honore Constantinopolim, vna cum Imagine Non-manu-facta, de qua mox dicetur, & miraculis illustratam esse; videbitur inferius suo loco. Eamdemque adhuc temporibus Michaelis Paphlagonis (qui Imperium auspicatus est anno Domini millesimo trigesimo quarto) extitisse integram, & in honore habitam, Cedrenus *d* est auctor. Attamen non hæc à nobis ita sint dicta, vt apocrypha in hagiographa transferri velimus; sed ne ea quis omnino contemnenda existimet, quæ maiores complures venerati esse noscuntur. Quemadmodum nec sic hæc modo recensuimus; quasi hoc anno contigerint, (cum potius contextus Epistolarum arguat eas non longe ante Domini passionem scriptas) sed ea occasione quod dicatur ab Euangelista, in omnem Syriam CHRISTI famam fuisse permulgatam. Sunt autem Epistolæ huiusmodi: Agbari quidem: *Agbarus Princeps Edessæ, Saluatori propitio, qui in confinio Hierusalem in carne apparuit, Salutem. Insignes illas virtutes & curationes, quæ abs te sine medicamentis & sine herbis factæ sunt, auditione accepi. Cæcos enim (vt fama est) videre efficis, claudos ambulare, & leprosos mundas: spiritus iracundos, & dæmones eiicis: eos etiam qui diutius morbis pressi sunt, sanas: mortuos denique ad vitam reuocas. Quæ quidem cum de te audiuissem, de duobus hisce alterum verum esse cogitabam: te aut Deum esse, & è cœli fastigio delapsum: aut Dei filium saltem, qui ista tam stupenda edas miracula. Quapropter has ad te scripsi, magnopere precatus vt laborem ad me accedendi suscipere, hunc que quo crucior morbum curare non graueris. Etenim audio Iudæos tibi obstrepere maleuole, & velle libenter aliquo magno malo afficere. Est mihi ciuitas, perexigua quidem, sed ornata sane & illustris, quæ vtrique nostrum rerum necessariarum suppeditabit satis.* Christi vero responsio: *Agbare, beatus es, qui cum non videris me, in me tamen credidisti. De me enim scriptu proditum est, eos qui me viderunt in me non credere, vt hi qui me non viderunt credant, & vitam consequantur. Quod scribis ad me, te velle vt ad te veniam; eas res quarum gratia sum missus, debeo hic necessario obire: quas cum plene perfecero, ad eum recipi qui me misit. Quo simul ac assumptus fuero, aliquem ex discipulis meis mittam ad te, qui morbo quo tantopere torqueris faciat medicinam, & vitam tibi tuisque impertiat.* Hactenus Epistolæ.

a *Euf.* 1. *hi.* 13.

b *Gelaf. decret de lib. apocry.*

c *Ay. Aug. ep.* 236.

d *Cedr. in comp.*

XXIII.

Porro & ab ipso Christo sui Imaginem non-manufactam ad eumdem Agbarum missam esse post datam epistolam,

lam, à compluribus grauissimis auctoribus scriptum repe-
rimus. Id enim testatur Euagrius *a* Scholasticus, non tam-
quam primus rei auctor, sed occasione insignium miracu-
lorum inde proditorum, quæ recenset: quæ vero ab ipso
scripta sunt, à Patribus Oecumenici Concilii Nicæni Se-
cundi vt omni fide digna comprobata fuere. Qualiter autẽ
illa Imago *Non-manufacta* diceretur, Ioannes *b* Damascenus
ita accidisse scribit, vt cum Agbarus pictorem misisset vt
Domini imaginem exprimeret, neque id pictor ob splen-
dorem ab eius vultu manantem consequi posset; Dominus
ipse faciei suæ pallium (seu linteum) admouens, imaginem
suam ei impresserit, & ad Agbarum miserit, vt pio eius de-
derio satisfaceret. Scribit Iris similia Nicephorus: ac præ-
terea extat *d* de eadem Imagine luculenta oratio Constan-
tini Porphyrogenitι Imperatoris; & cumulata mentio in
actis *e* Sanctorum Samonis & Guriæ. Sed & Græcos anni-
uersariam de ea celebrare consuetudinem solemnitatem dece-
moseptimo Calendas Septembris, constat ex eorum Me-
nologio. Et quòd ad Latinos pertinet, testimonio Hadria-
ni Papæ scribentis *f* ad Carolum magnum certum redditur,
eamdem de eiusmodi Imagine historiam cognitam & rece-
ptam esse à Stephano Papa in Concilio Romano. Denique
præsidio eiusdem sanctæ Imaginis nostrum sæpe copias es-
se profligatas, probatorum auctorum testimoniis dicetur
inferius suis locis: nunc ad Euangelicam historiam reuer-
tamur.

a *Euag. 4. hist. 26.*
DE IMAGINE CHRISTI NON-MANV FACTA.
b *Dam. 4. de fid. Orth. 17.*
c *Nic. 2. hist. 7.*
d *Ap. Metaphr. 16. Aug. e Ap. Metaphr. 15. Non. Oct. in vita S. Alexii.*
f *To. 3. Conc.*

XXIV.

Cum ob signa quæ IESVS in Galilæa ederet, sequeren-
tur *g* eum turbæ multæ; ipse stans *h* ignotos lacum Genesareth,
vidit duas naviculas piscatorum, & ascendit in vnam quæ
erat Petri, & præcauit ex ea turbis: & postquam cessauit
loqui, iussit in altum ducere, & laxare retia in capturam;
tantaque conclusa est multitudo piscium, vt rumperetur re-
te, & impletæ sint ambæ naviculæ, ita vt pene mergerentur:
cuius rei stupore perculsus Petrus, audiuit à Domino, *Noli*
timere: ex hoc iam eris homines capiens. Hæc pluribus Lucas E-
uangelista: quæ nemo non videat quam vertant in præro-
gatiuam futuri primatus Petri, his scilicet tamquam qui-
busdam lineamentis adumbrante Domino quæ postmo-
dum in Ecclesia futura erant: prout etiam Patres interpre-
tati sunt. Quod vero pertinet ad lacum *Genesareth*, cuius est
in Euangelio frequens mentio: describens illum Iosephus,
i ait quadraginta stadiis patere in latitudine, centum in lon-
gitudine, mediumque fluuio Iordane secari: aquam habe-
re dulcem, atque potabilem, variaque piscium genera, ab
aliorum locorum piscibus sapore & specie discreta: ex-
terum regionem ipsam Genesar dictam, naturasimul & ar-
te pulchertimam & vberrimam extitisse. Sed quod præter
alia oppida, esset in eius ripa *Tiberias* ciuitas in honorem
k Tiberii Imp. ab Herode Tetrarcha ædificata: ab ea factum
est, vt lacus ipse appellatus sit *Tiberiadis*: quem & aliquan-
do Euangelistæ *mare* vocant, siue ob amplitudinem, siue
quod penes Hebræos quælibet aquarum congregatio *mare*
dici consueuit.

DE LACV GENESARETH
g *Matth. 4. Mar. 3.*
h *Luc. 5.*
PISCATIO PETRI.
i *Ioseph. 3. de bel. 18.*
k *Id. 18. ant. 3.*

XXV.

Subdunt post hæc Euangelistæ *l* multas res gestas à IESV
in Galilæa, multasque sanationes diuersorum morborum:
quas per se quisque legere poterit: cum sint cunctis obuia.
Porro cum in terra Gerasenorum, siue Gadarenorum (e-
rant istæ *m* duæ ciuitates in regione Gergesæorum trans la-
cum Genesareth) liberasset duos dæmoniacos sæuos ni-
mis, de monumentis exeuntes; permisit dæmones in por-
cos se immittere, qui eos dederunt in mare præcipites.
Quod autem populi illi essent Iudæi, illicite suariam autem
exercuisse putantur, quibus adeo sues abominationi erant,
vt nec suo nomine eos nuncupare dignarentur: quippe Io-
sephus cum *n. sandas* dicit *animalia*, porcos intelligit. Verum
ad suppeditandam annonam Romanis militibus, certum
est, sicut in aliis prouinciis, ita in Palæstina fuisse aliquos
uisse: ea namque de causa multa legimus fœderis concessa
priuilegia. *o* Cæterum agens Epiphanius *p* de Gadara ciui-
tate, dicit prope ipsam fuisse tumbas, siue sepulchra, in spe-
luncis, quæ erant in petris excisæ, ac desuper structæ: illic-
que dæmonum inuocationes à præstigiatoribus exerceri
solitas. Agensque insuper de balneis, seu aquis calidis, quæ
erant in eodem agro Gadareno, ad quas frequens esset vi-
rorum feminarumque accessus, morborum curationis cau-

l *Matt. 8. 9. Mar. 1. 2. 5. Luc. 4. 8.*
m *Ios. 5. de bel. 3. Hier. de loc. Hebr.*
DAMONES IN PORCOS.
n *Ios. 5. de bel. 3.*
o *C. Theod. de fœar.*
p *Epip. hær. 30.*

sa; subdit feminæ Christianæ perpulchrum exemplum,
virtute signi Crucis liberatæ à lasciuo iuuene, sibi arte de-
monum in iisdem balneis illudente. Ad has vero potius a-
quas, quam ad lacum Genesareth, porcos esse mersos, con-
ici potest ex eo quod locus ille impudicitiis & illusionibus
dæmonum esset expositus.

Rediens postea in Capharnaum IESVS, *Matthæum* Pu-
blicanum sedentem ad telonium se sequi iussit; & in conui-
uio ab illo præparato, Phariseorum soluit obiectionem de
eo quod tam ipse quam eius discipuli cum Publicanis man-
ducarent. Saue quidem tam ex isto, quam aliis plerisque
Euangelii locis constat, penes Iudæos, Publicanos fuisse
malæ existimationis homines. Tertullianus *a* putauit eos
omnes fuisse Gentiles: quam sanctus Hieronymus *b* redar-
guit exemplo ipsius Matthæi, aliorumque, qui ex circum-
cisione fuerunt. Iurisconsulti qui Romanorum leges sunt
interpretati, illos dixere *c* esse Publicanos, qui vectigalia à
fisco conducunt, quorum munus *d* erat, non tantum vecti-
galia à subditis, sed & professionem exigere. Eorum autem
functionem fuisse apud Romanos honestissimam, quæ nec
nisi Equestri Ordini conferri soleret, patet ex variis locis
Ciceronis, *e* & maxime ex epistola ad Quintum fratrem
de regimine Præfecturæ Asianæ: vbi plura habet de dignita-
te & celebritate Publicanorum: quamuis & addat, nomen
eorum non Iudæis tantum, sed & Græcis fuisse infensissi-
mum, ac plane inuidiosum. Mittebantur porro in prouin-
cias ad vectigalia exigenda: iidemque rursum ex ipsis pro-
uinciis homines sibi eligebant. *f* quos eidem muneri adscri-
berent, qui item Publicani dicebantur, cuius ordinis Mat-
thæus erat, & Zacchæus dictus princeps Publicanorum,
qui dicebatur *g* Syriace *Res Gabbæ*, cæteri vero Publicani
Gabbaim, vnde fortasse deductum nomẽ *Gabella*. In Hebrai-
co vero textu Euangelii sancti Matthæi, quod peruetustũ
habetur, Publicanos *Parisim* inuenimus nominatos; quod
est proprium nomen illorum latronum, qui maceriam vel
sepes dissipant ad furandum: sicut & eadem voce vsus est a-
liquando Hieremias *h* pro latronibus. Hac porro appella-
tione Publicanos Iudæi nuncupabant, quod libertatis asy-
lum viderentur effringere, atq; ad seruitutem aditum ape-
rire: cum ipsi genus Abraham ex libera liberos se esse profi-
terentur, nec quicquam aliis debere, nisi decimas Deo, le-
geque statutum esset, ne quis filiorum Israel vectigal
penderet. Vnde quamtumlibet inuiti ad vectigal & tri-
butum soluendum adigerentur, exercandum tamen existi-
mabant à contribulibus suis id exigi: & illos qui ei muneri
vacabant, sicut & cæteras turpes personas, à magistratibus
publicis arcebant. Scribit quoque Suidas ex Iamblico, ob
duras acerbasque exactiones, nomen Publicanorum fuisse
inuisum, eorumq; vitam apertam dicit esse violentiam, im-
punitam rapinam, negotiationem nulla ratione constan-
tem, immo secundam mercaturam. Sed de his hactenus.

XXVI
DE PVBLICANIS.
a *Tert. lib. de pudicit.*
b *Hier. ep. 146*
c *Ia. D. de publicc. l. 16. de verb. sig.*
d *l. vlt. D. de publicc.*
e *Cic. ep. ad fam. li. 13. ad Brut. & orat. pro Planco.*
f *l. 1. D. de publican.*
g *Canin. de loc. No. Test. c. 8.*
h *Hierem. 7. vers. 1.*

Recensetur post hæc ab Euangelistis *i* historia mulieris,
quæ annis duodecim passa fluxum sanguinis, sanata est ta-
ctu fimbriarum vestimenti IESV. Hanc vero, ne tanti bene-
ficii aliquando memoria excideret, rem gestã æneis statuis,
tam IESV quam sui habitu supplicantis effigiem referentib.
posteris commendasse Eusebius *k* est auctor: atque eam
Cæsareæ Philippi (q̃ erat ciuitas Phœniciæ, Paneade ab in-
colis dicta) oriundam fuisse, sed Gentilem: easdemque ipsas
ab ea erectas statuas se vidisse in ea ciuitate præ foribus do-
mus eiusdem feminæ, & ad pedes Imaginis Christi, in ipsa
basi inusitatam quandam herbæ speciem enasci solitam,
quæ vbi ad ænei vestitus fimbriam excreuisset, morbi cuius-
cumque medicandi vim haberet.

XXVII.
i *Matth. 9. Mar. 5. Luc. 8.*
k *Eus. 7. hist. 14.*
MVLIER CVRATA A FLVXV SANGVINIS, ERIGIT STATVAM CHRISTO.

Curata à sanguinis fluxu muliere, Christus suscitauit *l* à
mortuis filiam Archisynagogi, ad cuius funus iam tibicines
venerant vt lugubre canerent. Nam morem fuisse Iudæo-
rum ad luctum tibicines adhibere, ex Iosepho *m* etiam co-
gnosci potest. Verum id quidem non ex diuinæ Legis præ-
ceptos sed potius more Gentilium, *n* tam Latinorum, quam
Græcorum; apud quos tantum funebre carmen, quod dice-
batur *Nenia* (vt auctor est Festus) canebatur ad tibiam; sed,
vt scribit Lucianus *o* ipsæ in luctu iterari solitę pectoris tun-
siones, attemperabantur ad modos tibiæ. Quod igitur in
Iudæa etiam frequens esset eius rei vsus, inde prouerbium

XXVIII.
l *Matth. 9. Mar. 5. Luc. 8.*
m *Ios. 3. de bel. 15.*
n *Sene. in lud. Claud. Plut. de cons. Val. Max. li. 2. c. 5. nu. 4. & alii complures.*
o *Lucia. lib. de luct.*

apud

apud Lucam: *a Cantauimus vobis tibiis, & non saltastis, lamentauimus* (iisdem nempe tibiis) *& non plorastis.* At vero cum Paulus *b* moneat ne contristemur de dormientibus, tibicines nequaquam adhiberi soliti sunt in funeribus Christianorum.

a *Luc.7.*
b *1. Thessal. 4.*

XXIX.
c *Matth.9.*
IVDÆI INCIPIVNT ADVERSARI CHRISTO.

Subdit his Matthæus *c* de duobus cæcis, & dæmoniaco muto, curatis à Domino, perbreuem historiam: quando cœperunt Pharisæi ipsum calumniari quod malis artibus dæmones eiiceret, nimirum non virtute Dei, sed principis dæmoniorum. Hicque merito finem imponimus præsenti anno primo Prædicationis Christi; neque illum Coss. modo metimur, quippe qui sciamus maiorem partem rerum quas in Galilæa gestas diximus, contigisse initio anni sequentis. Sed cum non sit certum, quid quo die vel mense factum sit, eam inimus rationem in annis Christi prædicationis recensendis, vt secundum Paschatis festiuitates eos distinguentes, primum annum (quem propterea *acceptabilem* prædixit Isaias, *d* quod prædicatio tempore illo facta ab omnibus acciperetur) concludamus termino Paschatis, & pacifico statu Euangelicæ prædicationis. Quamuis enim aliqua leuis intercesserit contentio Pharisæorum cum Christo hoc ipso anno; non fuit tamen eius generis, vt quærerent eum perdere, sicut postea fecerunt.

d *Isa.61. Adde Epiph. 1. Pan. 1. ad fi. & hær. 51.*

IESV CHRISTI ANN. 32.

TIBERII IMP. AN. 16.

I.
e *Suet. in Tib. c.65.*
PASCHA 68. CYNDVM.
f *Ioan.5.*

ANno Christi trigesimo secundo, Longino & Quartino *e* Coss. cum adesset dies festus Iudæorum, venit IESVS Hierosolymam, & languentem hominem annis triginta octo excubantem in probatica piscina sanauit. Rem gestam enarrat Ioannes, *f* qui ideireo acta superioris anni maiori ex parte prætermisisse visus est, quod cum nouissimus omnium scriberet Euangelium, quæ ab aliis tribus Euangelistis essent abunde narrata, repetere non curauit; quæ vero prætermissa vidisset, ipse suppleuit: Eo n. consilio in scribendo Euangelio vsum esse, testatur S. Hieronymus.

g *Hier. de Script. Eccl. cap.9.*
h *Chrys. & Cyril. Alex. atque alii eos secuti.*

Porro quod multi *h* dictum diem festum, fuisse Pentecosten anni superioris sunt interpretati, nullo sane pacto subsistere posse, cognoscet qui exactam habuerit rationem eorum quæ eodem relata sunt anno. Si enim ad eius anni Pascha Dominus veniens, Hierosolymis nõ ante mensem Decembris comperitur recessisse: (id namque patet ex ipsius verbis inde recedentis, & per Samariam transeuntis, *Adhuc quatuor menses sunt, & messis venit*, quæ Paschali tempore adesse consueuerat: certe cum Hierosolymam ad diem festum iterum rediit, plane non potuit intelligi Pentecostes illius anni, neq; etiam festum Tabernaculorum, quæ iam præterissent. Denique de festo Paschatis Ioannem intellexisse, antiquissimus Irenæus *i* diserte testatur. Curato autẽ ægro, tumultuantes in IESVM Pharisæi *k* quod Sabbato, quo illũ sanasset, grabatum tollere iussisset, & patrem suum Deum dixisset, de eo interficiendo cogitare cœperunt, atque eo magis quod paulo post ipso sabbato secundo-primo (vt vocat Lucas *l*) eodem Domino transeunte per sata, esurientes eius discipuli spicas vellentes, ac manibus confricantes, triticum ex illis purgatum comedissent.

i *Iren. lib. 2. cap.10.*
k *Ioan.5.*
l *Luc.6.*

II.
SABBATVM SECVNDO-PRIMVM.
m *Hier. ep. ad Nepotian.*
n *Pelus.3. ep. 110. ad Isid. diac. consentiuntque saltem ex parte. Epiph. hær.30. & Chrys. hom 40. in Matth.*
o *Exod. 12.*
p *Epiph. & Chrys. ibid.*

Quod autem segetes tunc fuisse maturas insinuet Euangelista, fuisse etiam tempus Paschæ plerique omnes Interpretes affirmant: licet qui dies vocetur SABBATVM SECVNDO-PRIMVM, vel *Sabbatum sabbatorum*, quo non liceret spicas vellere, minus inter se consentiant: estque vetus quæstio, de qua obiter Hieronymus *m* rogans Gregorium Nazianzenum, lepidà ab eo tergiuersatione elusus est. Nobis vero, aliis prætermissis, magis placet sententia Isidori *n* Pelusiotæ, dicentis illãm fuisse diem, quæ post primam Azymorum mox sequitur, quæ & insuper incidisset in Sabbatum hebdomadarium, quo nec quæ spectarent ad victum *o* parare liceret. Quare quod facta hæc esse Paschali tempore, alii quoque pro certo haberent; inde putarunt *p* hac auctoritate, quasi nouo Paschate adiumentõ, quinque esse Paschata numeranda ab illo primo post nuptias celebrato, eaque ratione dicendum esse Christum crucifixum anno ætatis suæ trigesimo quinto per tres menses inchoato. Sed hæc repugnare multis, cum agetur de Passione demonstrabitur.

III
a *Matt.1. Mar.1. Luc.6.*

Reuerso *a* post hæc IESV in Galilæam, rursum occasione reddite sanitatis die sabbati homini habenti manum aridam, Scribæ & Pharisæi cum Herodianis inierunt consilium quomodo eum perderent. Cum vero in dies frequentior esset ad eum concursus non è Galilæa tantum, sed etiam è vicinis regionibus vt ab eo sanarentur; ne comprimeretur à turba, nauiculam sibi parari iussit. Ascendens *b* vero aliquando in montem, pernoctauit in oratione, & cum dies factus esset, elegit Duodecim ex discipulis vt mitteret eos ad prædicandum, quos etiam APOSTOLOS nominauit, dans eis potestatem curandi morbos, & eiiciendi dæmonia. Quinam autem ii fuerint Euangelistæ *c* recensent, & omnib. notum est. Fuisse vero ordinem inter eos, vt sc. vnus tamquam caput aliis præstaret, illumque ipsum fuisse PETRVM; quotquot ab exordio nascentis Ecclesiæ (ne singulos commemorem) Orthodoxi fuere Scriptores, absq; aliqua sunt ambiguitate professi sidemq; ipsi Euangelistæ vel in iis nominandis satis indicant, dum vbicunq; eos recẽsent, siue omnes, siue aliquos eorum. Petrum semper primum ponunt, quem & hic Matthæus expresse *Primum* appellat, cùm alioqui nec vocatione, nec ætate primus esset, vt vidimus superius. Quod autem ad genus eorum spectat, omnes fuisse Galilæos, Angelorum, *d* hominumq; *e* testimonia suffragantur. Stirpe vero, ipsorum aliqui ex tribu Iuda (nempe qui dicti sunt Fratres Domini) cæteri ex tribub. Zabulon & Nephthali fuisse *f* putantur; secundum quod prædictum erat in Psalmo, *g Principes Iuda duces eorum: principes Zabulon, principes Nephtali.* Existimauit tamen aliquando Hieronymus, *h* Iudam Iscariothẽ fuisse ex tribu Ephraim, esseque *Iscarioth* vicum eiusdem tribus: aliquando verò putauit, fuisse sic appellatum à tribu Issachar. Verum magis placet, *k* dictum fuisse ex duobus verbis, *Is*, quod interpretatur vir, & *Carioth*, quod est oppidum in tribu Iuda, de quo est mentio in diuinis Scripturis: Ifieque Iscarioth idem sit quod vir Cariothensis. Quod vero & aliqui ex Apostolis dicantur fuisse ex tribu Iuda, non impedit quin iidẽ nominari potuissent Galilæi. Nam & Dominum nostrum, licet esset ex tribu Iuda; & natus in terra Iuda, nihilominus quod habitauit Nazareth, Nazarenum, eundemque Galilæum esse appellatum vidimus.

b *Matt. 10. Mar.3. Luc.6.*
APOSTOLI DVODECIM ELIGVNTVR.
Quales vero essent Iudæorum *Apostoli*, vid. infr. an. 399. XII.
c *Matth.10. Mar.3. Luc.6.*
PETRVS PRINCEPS APOSTOLORVM.
GENVS DORVM.
d *Act.1.*
e *Act.2.*
f *Hier. in Isa. 9. Theod. in psal. 67. & alii complures.*
g *Psal. 67.*
h *Hie. in Isa.28. & in Matt.10. & lib. de nom. Hebr.*
k *Genin. del. c. No. Test.*
l *Iosu.15. Ieron. 48. Amos 2.*

IV.
m *Matth.5. Luc.6.*

Descendens *m* post hæc Dominus cum illis de monte, multos infirmos & dæmoniacos curauit, longioremq; sermonem de beatitudine & infelicitate, deque absolutissima Christianæ legis perfectione ad discipulos habuit. In quo dum inter alia inquit: *Ego dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio, qui autem dixerit ei Racha, reus erit Concilio, qui vero fatue, reus erit gehennæ ignis*: constat eum locutum esse secundum tria Iudiciorum *n* tribunalia Hebræorum; quorum primum dicebatur *Domus iudicii trium virorum*, qui minores iudicabant causas: secundum, *Domus iudicii viginti trium virorum*, vel ἐν τῷ ἐδαφ paruum, in quo maiores causæ, nempe capitales cognoscebantur; tertium, *Septuaginta duorum virorum*, quod ἐν τῷ ἐδαφ magnũ dicebatur, in quo grauissimæ agebantur causæ quæ ad summam Reipublicæ pertinerent, vt de Tribu, Lege, Rege, Propheta, ac Summo deniq; Sacerdote: quæ quidẽ curia tantùmmodo erat Hierosolymis, cæteræ autem sparsæ in singulis tribubus. Ad hos itaque Iudiciorum ordines respectum Dominus habens, per *Iudicium* intellexit paruum ἐν τῷ ἐδαφ viginti trium virorum, per *Concilium*, magnum ἐν τῷ ἐδαφ septuaginta duorũ virorum. Quod si quis fratrem suum vocauerit *fatuum*, tale ait esse delictum, q̃ nullius tribunalis sententia possit digne puniri, sed pœnas gehennæ mereatur æternas. At de his plura Thalmudicis ex quibus etiam proditur, *Racha* genus fuisse contumeliæ familiaris, cum superior quispiam inferiorẽ corrigere verbis soleret: esseque vocem Syriacam, pro qua Hebræi *Richa* dicerent. Sed Richa, seu Racha, idem esse q̃ contemptus causa alicui paupertem dicere, ex Hebraica voce deducit Cornelius *o* Iansenius.

n *Camin. de Ins. Ne. Test.*
o *Tirin. Comm. in c. 4. Matth.*

Narrant deinceps Euangelistæ *p* multa alia signa, quæ à Christo Domino sunt edita in variis locis Galilææ; subditque Lucas de *Muliere peccatrice*, quæ eodem apud Simonem

V.
q *Matth.8. Luc.7.*

Phari-

Pharisæum discumbente, tulit alabastrum vnguenti, & lacrymis cœpit pedes eius rigare, ac capillis suis tergere, eosdemque osculari & vnguento vngere. Quæ de re dubitatio vetus illa fuit inter Scriptores Ecclesiasticos, An mulier, cuius hic Lucas meminit, illa ipsa sit quæ soror Lazari & Marthæ fuit, & in Bethania *a* vnxit pedes IESV: Rursumq; an vna eademque sit cum illa, quæ in domo Simonis Leprosi *b* fracto alabastro effudit vnguentum super caput eius: Insuper, num & ipsa sit, quæ MARIA MAGDALENE dicta, Christi passioni præsens *c* fuit, & vna cum cæteris ad Domini sepulchrum vnguentum attulit. Ne vero singulorum recensendis diuersis opinionibus immoremur; in primis dicimus, attestatione Ioannis *d* Euangelistæ, immo ipsius Domini, apertissime constare, vnam eamdemq; fuisse Mariam Lazari & Marthæ sororem, cum Maria Magdalena. Nam cum in Bethania eadem soror Lazari vnxisset pedes IESV, ac Iudas ob eam causam esset intensus, ipse Dominus audaciam eius reprimens, dixit; *Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ seruet illud.* Illam vero quæ cum Maria Iacobi & Salome ad vngendũ corpus IESV paratum vnguentum ad sepulchrũ attulit, fuisse Mariam Magdalenam, Marcus *e* affirmat, nec alia apud eum, vel cæteros Euangelistas, habetur mentio de Maria sorore Lazari, ad illud munus præstandum à Domino præmõstrata, vnde cognosci perfacile potest, vnam eamdemque fuisse Mariam, quæ vtramq; obierit functionem. Quod autem peccatrix mulier, quæ in Galilæa pedes Domini vnxit, eadem Magdalena fuerit, satis indicant Euangelistæ, *f* dum aiunt Magdalenam vnam ex illis mulieribus fuisse, quæ è Galilæa secutæ sunt Dominum ministrantes ei: eamque fuisse Mariam sororem Lazari & Marthæ, absque vlla ambiguitate testatur Ioannes. *g*

Quod vero spectat ad Scriptores Ecclesiasticos; Origenes *h* testatur, complures qui ante se vixerunt, professos esse vnam tantum eamdemque fuisse mulierem quæ sæpius IESVM vnxit; nec aliquem extitisse, qui de plurib. sententiam astruere ausus esset. Et quamuis ipse plures aliquãdo asseruerit; tamen postea eam firmauit sententiam, vt vna eademque fuerit mulier, quæ in domo Simonis Pharisæi vnxit pedes IESV, cum Maria sorore Marthæ, & cum Magdalena quæ ad sepulchrum cum vnguento accessit. Denique cum multi deinceps ancipites fuerint, non defuerunt tamen qui semper crediderunt (quod & ipsa Ecclesia Catholica vsu probasse videtur) vnicam extitisse Magdalenam, eamdemque sororem Marthæ & Lazari, & aliquando peccatricem, à qua Dominus septem dæmonia eiecit, quæ & primo vnxit pedes Domini in Galilæa in domo Simonis *k* Pharisæi; deinde in Bethania ante sex dies Paschæ *l* vnxit pariter pedes in domo Lazari: tertio denique in eadem Bethania biduo *m* ante Pascha vnxit caput apud Simonem cognomento Leprosum.

Cæterum *Alabastrum vnguenti* Mariæ Magdalenæ, magni pretii munus fuisse, ex eo facile possumus intelligere, dum scribit Herodotus, *n* Cambysem Regem Persarũ omnium potentissimum dono misisse Regi Æthiopum inter alia munera Alabastrum vnguenti. Docetque Plinius, *o* Alabastritem lapidem ad vasa vnguentaria excauari solere, quod quæ intus ponuntur incorrupta conseruari soleant: Epiphanius *p* autem, Alabastrum esse vasculum vitreum, ita appellatum propter fragilitatem. Porro inter varia Vnguentorum genera quæ in deliciis essent, illud quod dicitur *Nardus*, maximi fuisse pretii, scribit Clemẽs *q* Alexandrinus. Illud autem quo vsus est Magdalena, fuisse *pistícum*, hoc est non adulteratum, testantur Euangelistæ: cuius excellentiæ meminit & Plinius. *r* Quibus omnibus facile intelligere quisq; possit, Magdalenam opulentissimam fuisse quæ tanti pretii ad vnctionem Domini vnguentum pie liberaliterque profuderit, nec adeo mirum esse si non modo Iudas, *s* sed & cæteri discipuli *t* indignati sint de tanta adeoque insolita profusione. Scribit vero Suidas, *u* *Vrceum* vnguenti quo Christus inunctus fuit, depositũ esse vna cum multis aliis Reliquiis à Constantino Magno in Foro Constantinopolitano, eademque à Theodosio Magno inde sublata: quo videlicet honestiori loco atque tutiori seruarentur.

Referunt post hæc Euangelistæ *x* multa, quæ IESVS vsq; ad proximum Pascha operatus, ac concionatus est in Galilæa, necnon quæ tam à suis existimantibus eum in furorem versum esse, quam præcipue ab Scribis & Pharisæis passus est, cum inter alia ductus ab iis in supercilium montis præcipitandus, per medium illorum illæsus abiens recessit. Adduntaliqui, *a* tamquam ex Beda, Dominum manus prædictorum violentas euadere volentem, sub rupe latuisse sanctorum eumque tunc eidem cessisse, ac latebris locum præbuisse, in quo corporis Domini remanserint impressa signa, pedumque vestigia: sed nihil huiusmodi apud Bedam reperimus.

a *Nic. Lyr. & Dion. Carth.*

IESV CHRISTI ANN. 33.

TIBERII IMP. AN. 17.

ANno Christi trigesimo tertio, Tiberio *b* Augusto quintum, & Ælio Seiano Coss. propere Paschalem celebritatem Herodes Antipas Tetrarcha Galilææ in ipso conuiuio Natalis sui, Herodiadis cõcubinæ arte deceptus vt eius filiæ saltatrici satisfaceret, *Ioannem Baptistam*, quem diutius in custodia in castello Macherunte tenuerat, capite truncari iussit. Rem gestam Euangelistæ *d* pluribus describunt. Insultasse vero Herodiadem præcito capiti, & acu discriminali sanctissimam illam linguam perforasse, Hieronymus *e* tradit. Idemque est auctor, *f* corpus Ioannis tum sublatum fuisse Sebasten, quæ est Samariæ; caput vero nequaquam concessum ad sepeliendũ: quod Nicephorus *g* ait, Herodiadem rursus coniungere relicuo corpori timentem, apud se, remotis arbitris, in abstruso Regiæ loco sepelisse. Quare vt Ioannis corpus Samariam vsque discipuli detulerint, (ne videlicet rursum Herodias de eo negotium facesseret) ea ratio asseri posse videtur, quod ea prouincia non esset sub Herodis Antipæ ditione, sed post Archelaum in ordinem redactum, cum Iudæa & Idumæa per Romanos Præsides administrari soleret: eumque locum potius quam alium extra ditionem Herodis elegerint, quod Samaritæ hostes essent Iudæorum, ac pro rebus patriis pugnacissimi. Cæterum scribit Nicephorus, *h* miseram istam saltatricem, impiæ Herodiadis filiam, post multa infortunia adhuc matre; cum aliquando fluuium glacie consistentem pedes transiret, glacie rupta demersam fuisse capite tenus, sicque inferiore corporis parte in vndis lasciuiente, caput glacie crustis resectum in ipsa glacie lethalem saltationem exhibuisse, & eiusmodi spectaculo in memoriam ea quæ fecerat adstantibus reuocasse. At quoniam huiusmodi historiæ haud constans habetur veritas, esto fides penes auctorem.

Porro quantumuis omnibus nota esset nex Ioannis Baptistæ, tantæ tamen fuit existimationis, vt putaretur à quibusdam resurrexisse, & ipse Christus esse Ioannes: hoc enim & ipsum inter alios Herodem existimasse, cum audiret signa quæ IESVS faceret, tradunt Euangelistæ. *i* Rem plane admiratione dignam, quomodo istud Herodes de Christo existimare potuerit, qui iam biennio, vbi ipse regnabat, viuente adhuc Ioanne peragrasset Galilæam, famaque miraculorum eius omnem etiam Syriam peruasisset. Putamus nihilominus fuisse in causa quo minus Herodes ea sciuerit, vel quod dictis temporibus aliis distinctus regni negotiis, absens ve fuisset Romæ, quo ante detrusum Ioannem in carcerem venisse, auctor est Iosephus, *k* vel ob incredibilem hominis de Christo cognoscendo socordiam: nam cum dicat hic Marcus, *l* Herodem ex hoc tempore quæsisse Christum videre; tamen neglexit, nec per annum integrum quo postmodum Christus egit in Galilæa, vnquam videre curauit, sed tantum Hierosolymis tempore passionis.

Cum autem IESVS nuntium accepisset de nece Ioannis, successit inde in locum desertum; vbi turbas eum sequentes, *m* primum prædicationis verbo, deinde quinq; panibus & duobus piscib. admirando modo multiplicatis, abunde pauit; adeo vt quinq; millibus virorum, præter mulieres & paruulos, saturatis, superfuerint duodecim cophini fragmẽtorum. Vnde magna crescente apud Iudæos opinione,

I.
b *Tac. lib. 5. Dio. lib. 58.*
c *Beda in Mar. 6.*
DE NECE IOANNIS BAPT.
d *Matt. 14. Marc. 6.*
e *Hier. apol. aduer. Ruffin.*
f *Id. ep. 27.*
g *Nic. 1. hist. 9*
CORPVS DE LATVM SAMARIAM.
h *Nic. 1. hist. 20*
FORMA FILIÆ HERODIADIS.

II.
OPIN. DE HERODIS DE CHRISTO.
i *Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9*
k *Ios. 18. ant. 7*
l *Mar. 6.*

III.
m *Matt. 14. Mar. 6. Luc. 9 Ioan. 6.*
MIRACVLVM IN PANIBVS.

DE MVLIERE PECCATRICE
a *Ioan. 12.*
b *Matt. 26. Mar. 14.*
c *Matt. 27. 28. Mar. 15. 16. Luc. 24. Ioan. 19. 20.*
d *Ioan. 12.*
VNA, AN PLVRES MARIA MAGDALENÆ.
e *Mar. 16.*
f *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 8. 2.*
g *Ioan. 11. in prine.*

VI.
h *Orig. in Mat. tract. 35*
i *Id. hom. de Magd.*
k *Luc. 7.*
l *Ioan. 12.*
m *Mar. 14.*

VII.
DE ALABASTRO VNGVENTI.
n *in Thalia.*
o *Plin. 36. hist. nat. 8.*
p *Epiph. de mensur.*
q *Clem. 2. Pædag. 8.*
r *Plin. 13. hist. 1*
s *Ioan. 12.*
t *Matt. 26. Mar. 12.*
u *Suidas verb Φύρον.*

VIII.
x *Matt. 12. 13. Mar. 3. 4. Luc. 8.*

IESVM vere illum esse Prophetam magnum, qui prædictus erat in mundum venturus; cogitarunt eum facere Regem: Sed hoc ipse fugiens, iussis discipulis præcedere trans fretũ Bethsaidam, donec ipse dimitteret turbas, nocte proxima ambulans ad eos supra mare, maximam ortam tempestatem sedauit; quando & Petrum ingenti primum fiducia ambulantem super aquas, sed mox valido vento perterritum, submersioni eripuit. Altera vero die, cum longioti sermone de manducanda sua carne differuisset *a*; plurimi Iudæorum, ac nonnulli etiam discipulorum, quod minime ea percipere possent, offensionem passi ab eo recesserunt: quorum quidem vnum fuisse Marcum, qui postea Euangelium scripsit, sed per Petrum ad Dominum reuocatum, putauit Epiphanius *b*. Eorum autem abscessum videns IESVS, conuersus ad Duodecim Apostolos, dixit: *Numquid & vos vultis abire?* respondens autem Petrus ex persona omnium, *Domine*, inquit, *ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* Cuius singularis confessionis sensum altiorem, quo ipsa cumulatissime referta est, perscrutatus Cyprianus *c*, hæc ait: *Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuerat Ecclesia, Ecclesiæ nomine; docens & ostendens, quia & si contumax & superba obaudire nolentium multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit: & illi sunt Ecclesia, plebs Sacerdoti adunata & pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.*

a *Ioan.6.*

b *Epiph.hær. 51.*

c *Cypr.ep.69. ad Flor.*

IV.
d *Matth.15. Marc.7.*

e *Marc.7.*

f *Appar.numer.IX.*

g *Matth.15. Marc.7.*

h *Matth.16.*

V.
i *Matth.16. Marc. 8. Luc.9.*

PETRI CONFESSIO DE CHRISTO.

CONCILII CELEBRANDI TYPVS.

Sub idem tempus peragrauit *d* IESVS Galilæam, à Iudæa declinans, quod Iudæi quærerent illum interficere. Eidemq; Pharisæi de Discipulis ipsius, quod non lauarent manus cum manducarent, negotium fecerunt; quippe qui (vt habet Euangelista *e*) sæpius in die lauari soliti essent atque baptizari. Huiusmodi namq, sectam fuisse apud eos *Hemerobaptistarum*, diximus in Apparatu *f*. Secessit inde Dominus *g* in partes Tyri & Sidonis; quando Gentilis femina Syrophœnissa ex stirpe Chanaan, indeque *Chananæa* nominata, habitans in Phœnicia maritima regione Syriæ, conueniens Dominum pro filia sua quæ à dæmonio torqueretur, eius liberationem impetrauit. Reuersus vero in Galilæam Dominus, multos infirmos curauit: & septem panibus ac paucis piscículis quatuor millia virorũ, exceptis mulieribus atq; paruulis, pauit, residuis adhuc septem sportis fragmentorum. Paulo vero post Discipulos suos *h* de pane sollicitos redarguit; monuitq; cauere fermentũ Pharisæorum, Sadducæorum, & Herodianorum; hæreses eorum signans, de quibus superius.

Venit post hæc in partes Cæsareæ Philippi *i*, & cum solus aliquando oraret cum suis Discipulis, interrogauit eos quem dicerent homines ipsum esse; cumque ij respondissent, alios dicere Ioannem Baptistam, alios Heliam, alios Hieremiam, vel quendam alium ex antiquis Prophetis; interrogante iterum Domino, quem ipsi Discipuli eum esse dicerent; tunc respondens Petrus, TV ES, inquit CHRISTVS FILIVS DEI VIVI; quem ea de causa Dominus beatum prædicans addidit, EGO DICO TIBI, QVIA TV ES PETRVS, ET SVPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM; ET PORTÆ INFERI NON PRÆVALEBVNT ADVERSVS EAM, *&c.* Porro hæc tanti ponderis & auctoritatis actio Christi, typum quendam expressit celebrandi CONCILII: Cum videlicet ipse, missis ceteris, solus cum Discipulis, post preces Deo oblatas, de summa rerum quæstionem proponit; & admirabili quodam ordine, vt prius destruantur errores, ac subinde solida firmitate veritas stabilita locetur, in primis interrogat, quæ sit illorum qui foris sunt opinio de filio hominis; sed cum deliramẽta ab illis dicta ferrentur, quid demum ipsi de ea re sentirẽt rogat sententias omniũ: PETRVS autem talem fert sententiã vt causam ipse definiat, & quid ab omnibus sentiendum esset decernat, ac fidei canonem perpetuo permansurum constituat. Cuius sententiam Christus laudans, atq; confirmans, eam non habendam vt vulgarem, aut ex sensibus humanis depromptam, sed diuinitus à Deo Patre illi per Spiritum sanctum infusam, ceteris audientibus Apostolis patefecit. Sed & quoniam diuina illa Sapientia, præuidebat fore vt in Ecclesia sæpius eiusmodi de fide orirentur controuersiæ; iure consuluit, vt à quo quid quolibet tempore decernendum foret, in comperto esset. Et quod lege diuina apud Hebræos, & iure naturali apud gentes ferme omnes, sancte pieq; mutua velut quadam cõsensione obseruari reperisset, vt esset vnus summus ceterorum omniũ Sacerdotum princeps: IESVS, qui non legem scriptam venisset abrogare, iusve naturale à Deo menti cuiusq; insitũ labefactare, sed nunciis omnib. omnia absolutissima reddere; instituto iam in Ecclesia collegio Apostolorum, ex illis vnum omnium maximum ac principem, qui ceteris præesset, elegit; constituitque.

VI.
PETRI PRINCIPATVS
a *Orig. in ep. ad Rom. c.6. li. 5. & in Matt. de can. no. To.*
b *Tert. de præscript. c.22. & de monog.*
c *Cypr. ep. 55. 59. & alibi sæpe.*
d *Hilar. in Matth.16.*
e *Epiph. in Anco.*
f *Hier. ep. 17. 54. & in Isai. 2. & 16 Matt. 16.*
g *Ambr. Apol. Dauid. c.4.5. & serm. de fide Petri.*
h *Cyril. lib. 2. in Ioan. c.12.*
i *Basil. hom. 29. de pœnit.*
k *Naz. orat. de mod. &.*
l *Chrys. hom. 55. in Matth.*
m *Aug. in Ps. cont. par. Don. serm. 16. 29. de Sanct. li. 1. Retract. c.22.*

Fuit hic *Simon Bar-iona*, hoc est filius Ioannis, siue dixerimus Ionæ: (est enim idem Ioannes, quod Ionas abbreuiate apud Hebræos:) qui cum tam prompto & alacri animo, quod diuinitus acceperat de CHRISTI diuinitate, palam confessus esset; ab eo gratiam rependente, sponsionem illam iam olim factam, quod CEPHAS vocandus esset, impræsentiarum est feliciter consecutus, dicente ei Domino, *Tu es Cephas* (sic enim vocem hanc, vt à Domino est Syriacè prolata, describimus) *& super hanc Cepham* (quod significat durissimam petram) *ædificabo Ecclesiam meam*: Latinè sic dicenda sententia, *Tu es Petra, & super hanc Petram, &c.* vt latis est superius explicatum, cum de Cepha nomine dissereremus. Eoque sensu (vt nimirum ipse Petrus constitutus fuerit à Domino fundamentum, super quod Ecclesia ædificaretur) hæc Domini verba Origenes *a*, Tertull. *b*, Cyprianus *c*, Hilarius *d*, Epiphanius *e*, Hieronymus *f*, Ambrosius *g*, Cyrillus *h*, Basilius *i*, Gregorius *k* Nazianzenus, Chrysostomus *l*, Augustinus *m*, & in Concilio Oecumenico Ephesino Apostolicæ sedis legati; atq; vt vno verbo dicam, quotquot post recensitos extiterunt Ecclesiastici Scriptores Orthodoxi, quotquot etiam in Spiritu S. legitimè congregatæ sunt Synodi, id ipsum omnes æquè constanter ingenueq; professæ sunt. Quod vero super fidem Petri nonnulli dixerunt fundatam esse Ecclesiam; non ita locuti sunt, vt illam separarent à persona Petri, sed ne vno extincto Petro, etiam fides Christi, ipsaq; Ecclesia corruisse videretur; cum & Dominus sit eidem Petro pollicitus, fidem ipsius nullo vnquam tempore desituram. Sic autem Ecclesiam dicimus supra Petrum esse à Christo fundatam, vt tamen ipse CHRISTVS basis sit, ac totius structuræ fundamentum; de quo Paulus ait *n*; *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est* CHRISTVS IESVS: atque adeo, quoniam sicut caput est Ecclesiæ Christus, ita & caput *o* Christi Deus est; merito affirmandum sit, tantam molem ædificij potissimum supra Deum inhiti, in quo omnis ædificatio *p* cõstructa crescit in templum sanctum in Domino. Deniq; quemadmodum Deus omnipotens, licet ipse totum hoc quod oculis cernitur admirabili quadam sapientia ac prouidẽtia moderetur; nihilominus tam in cœlo quam in terra, constituit Principatus, quibus qui sunt subditi pareant; ita quamuis ipse sit auctor Ecclesiæ, protector, ac moderator; tamen Principatum quendam in ea esse voluit, ac Monarchiam, quam Petro contulit, ac in eius successores propagauit; vt frequentissime suis locis inferius declarabitur. Adeoq; sicut nemo potest fundamentum aliud ponere præter id quod positũ est, quod est Christus: ita nemo reuellere aut conuellere vnquam poterit Ecclesiæ fundamentum à Christo positum atque firmatum, quod est Petrus, & qui ei legitimè succedunt.

n *1.Corin.3.*
o *1.Cor.11.*
p *Ephes.2.*

Adde verò hîc egregiè planè declarari meam distinctionem Fundamenti Christi & Petri, quam protulit Card. Perronius in Resp. ad Reg. magnæ Brit. lib.1.c.56.

VII.
PETRVS QVOMODO VOCATVS SATANAS.

Quod autem statim post hæc significans Dominus *q* discipulis quid passurus Hierosolymis esset, increpanti eum de ea re Petro dixerit: *Vade post me, Satana, scandalum es mihi, &c.* hinc certè videmus (inquit Chrysostomus *r*) Petrum non ex seipso, sed ex reuelatione priora illa dixisse; quia in his quæ nondum ei reuelata fuerant de mysterio Crucis, turbatur ac percellitur. Porro Petrum appellat Christus *Satanam*, non quod afflatus esset spiritu Satanæ; sed quod (vt subdit) sapiens quæ sunt hominum, Crucis ipsius aduersaretur. Vox enim σατανᾶς propriè aduersarium significat: quem & ideo sibi esse scandalo dicit, hoc est, quasi impedimento siue offendiculo in via, dum obsistit Domino ne pateretur. Eo vero velut terræmotu etsi concussus est Petrus, non tamen conuulsa est ipsa Petra verbis Domini stabilita, quam immobilem fore permansuram promisit.

q *Matth.16. Marc. 8. Luc.9.*
r *Chrys. hom. 55. in Matth.*

VIII.
a *Matth.17. Mar.9. Luc.9.* TRANSFIGVRATIO DOMINI.

Post hæc *a* secum assumens IESVS Petrum, Iacobum, & Ioannem, duxit eos in montem excelsum seorsum, & dum oraret Transfiguratus est ante eos: visique sunt eum eo Moyses & Elias. Quid vero tunc Petrus dixerit, ac cetera quæ sunt secuta, Euangelistæ fusius prosequuntur. Montem autem illum fuisse *Thabor* in Galilæa, in Scripturis diuinis celebertimum, apud omnes est in confesso: quē
b *Ioseph. de bel. 2.* Ioseph. *b* (qui *Itabyrium* nominat) atque Hieronymus *c* describunt. Sed & in memoriam tam glorioſi mysterij, tres
c *Hier. de loc. Hebr.* illic in montis vertice esse ædificatas Ecclesias, secundum quod dixerat Petrus, *Faciamus hic tria tabernacula*, & grande insuper apud eas constructum esse monasterium, scribit Beda *d* in tractatu de Locis Sanctis; quem ex prolixiori
d *Bed. de loc. sanct. c.17.* cōmentario, ab Adamnano Abbate Scoto, ex relatione Arculphi Episcopi Galli qui eo peregrinatus fuerat, conscripto, redegit in compendium, vt ipse testatur *e*.
e *Id. de loc. Sanct. in fi. & 5. hist. Anglor. 16. & 18.*

Cum autem post alia quædā gesta, Christus Galilæam peragrans aduenisset Capharnaum, exactor *f* tributi de didrachmo persoluendo à Domino, Petrum interpellat. IESVS vero, quamuis se ab eo tributo esse liberum demōstraret, tamen ne offenderentur homines, iussit Petrum piscari, & de stratere inuento in ore piscis persolui tributum pro se & eodem Petro. Quod quidem tributum cum Di-
f *Matth.17.* DE SOLVENDO DIDRACHMO.
drachmum sit dictum, non aliud esse videtur, quam illud *g* à Deo est imperatum *g* filijs Israel; nimirum vt vicesimo anno & supra pro redemptione & propitiatione sua darent in vsum tabernaculi dimidium sicli, quod
g *Exod.30.* est didrachmum: duo autem didrachma vnum faciunt stateram, duo vero stateres vnam vnciam; prout Epiphanius *h*, Hieronymus *i*, & alij docent. Estque auctor Iosephus *k*, vsq; ad Vespasiani tempora perseuerasse eiusmodi tributi solutionem; sed templo destructo, illud ipsum didrachmum ab omnibus Iudæis vbiq; gentium habitantibus in Capitolium ferri iussum: sicut antea, vbicunq; gentium ageret, singuli eorum eiusmodi didrachmum templo *l* pendere solebant. Cæterum putarunt nonnulli, eo quod interrogauerit Dominus Petrum, *Reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filijs suis, an ab alienis?* dictum didrachmum tributum esse quod tunc Iudæi Romanis persoluerent. Verum ea de Regibus gentium, exempli tantummodo causa Domino fuisse inducta, nulli dubium esse potest: nam quo modo ad CHRISTVM inferatur, quod dicitur de Regibus gentium? Num ex Regibus gentium erat ipse progenitus, vt immunis esset à pensione tributi? Sed optimè illud infertur: sicut Reges gentium à filijs tributum nō exigunt, eadem ratione Dei filium immunem esse à tributo quod Deo penditur ad vsum templi. De tributo vero quod Romanis persoluebatur, dicetur inferius proprio loco.
h *Epiph. de mensur.*
i *Hier. in Ezechiel. 4. & Ioseph. 3. antiq. 9*
k *Ios. 7. de bel. 26. in fin.*
l *Ioseph. 2. Antiq. 12.*

X

Potro quod præ cæteris Petrus interpellatur pro tributo, idemq; pro Domino ac pro se iubetur soluere; quid aliud nisi Petri primatum insinuat? Quantumlibet enim Dominus antea sæpius eum demonstrasset; tamen quod suborta *m* fuisset in itinere contentio inter Apostolos, quis eorum videretur esse maior, eam ipse factis potius quam verbis voluit definire: licet haud postea prætermiserit de humilitate sectanda egregiam instituere orationem. Cum autem hinc clare pateat, insinuasse Dominum, nec se, nec suos tributi lege teneri; videas quam perperam ex iisdem ipsius verbis Nouatores nouam inferant sententiam, Sacerdotes ac Cleticos nō esse immunes à vectigalibus Principum terræ. Adde quod etiamsi soluerit, non tamen subest amplius aliqua ratio vitandi scandali, qua pro se & Petro voluit IESVS stateram pendi: nam tunc venerat implere legem, & necdum à Patre acceperat gentes hereditatem suam. At cum ille Rex Regum mundo innotuit, & regale instituit Sacerdotium; quænam subest ratio vitandi scandali, si tributum non soluatur à suis Sacerdotibus? Quare optime Hieronymus *n* hoc in loco; *Nos*, inquit, *pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis à vectigalibus immunes sumus.* Sed hæc alij locupletius *o*.
m *Matt.9. Luc.9.*
CLERICI IMMVNES A VECTIGALIBVS.
n *In Matt.17. Vid. etiam infra ann.57. num.XXIV.*

XI.
Matth.18. DEBITORVM NIQVE POENÆ.

Post hæc longiori oratione Dominus *p* discipulos suos commonuit de beneficijs præstandis, & offensionibus remittendis. Vbi quod ait de ingrato debitore, iussō primum cum vxore & liberis venumdari, deinde tortoribus tradi, satis indicat id apud Iudæos agi consueuisse. Tortoribus quidem iure antiquo Romanorum tradi debitores, habes apud Liuium *a* sæpe testatum, nimirum debitores qui soluendo non essent, dari in seruitium creditoribus, ab illis in ergastulū trudi, ac verberibus flagellari: quinimmo & ipsos debitorum filios debitoribus tradi solitos, Dionysius *b* auctor est. Et longe crudelior lex *c* Duodecim Tabularum, necis etiam potestatem creditoribus in debitores dedit, & si plures essent creditores, debitorē per partes secari permisit. Denique quantumuis mitiores Romani redditi, à nece debitorum & sectione abstinuisse visi sint, tamen vsque ad Constantini tempora debitores, eorum legibus, plumbatis cædi consueuisse constat, à quibus eos primus idem Imperator *d* exemit.
a *Liu. dec.1. lib.1. & 6.*
b *Halic. hist. Rom. lib.6.*
c *A. Gel. lib. 20. cap.1.*
d *L.4. & 7. C. Th. de exact.*

XII.

Venit inde Dominus Hierosolymam ad festum diem, qui *Scenopegia* dicebatur, hoc est Tabernaculorum, vbi frementib. licet Pharisæis, & lapidare eum quærentibus, multa docuit ac fecit, quæ fuse describit Ioannes *e*. Quod vero spectat ad *Natatoriam Siloe*, ad quam misit hominem cœcum à natiuitate, vt visum reciperet; testis est Hieronymus *f*, fuisse Siloam fontem ad radices montis Sion, qui nō iugibus aquis, sed certis horis diei ebullire t, & per terrarum concaua ad antra saxi dui ssimi cum magno sonitu veniret. Illum vero precibus Isaiæ Prophetæ primum eruisse, vt obsessis sub Ezechia Rege Iudæis succurreretur, & quotiescunque iidem aquarum venirent vndam præbuisse, hostibus vero aduenientibus latere consueuisse, Epiphanius *g* scribit. Cui quidem haud valde dissimilis videtur fons ille, seu fluuius, item in Palæstina, Sabbaticus dictus, quod die tantum Sabbati flueret, ceteris diebus alueo siccō non apparens; vt testatur Iosephus *h*: quem ex aduerso Plinius *i* semper fluere, sed Sabbatis omnibus siccari scripsit.
e *Ioan.7. 8. 9. & 10.*
f *Hieron. in Isai. 8.* DE FONTE SILOE.
g *Epiph. de vit. & inter. Proph. c.7.* SABBATICVS FLVVIVS.
h *Ios.7. de bel. 24.*
i *Pli.31. hist.2.*

XIII.

Post inde designauit *k* Dominus & alios *Septuaginta duos*, & misit illos binos ante faciem suam in omnem locum quo erat ipse venturus. Sed quod de numero DISCIPVLORVM textus Euangelij reperiantur diuersi, dum alij codices habent septuaginta duos, alij septuaginta tantummodo; inde in ore omnium versatur disputatio, num Septuaginta tantum, vel Septuaginta duo re vera DISCIPVLI fuerint. Si auctoritate antiquorum res agitur, Septuaginta duo reperiuntur. Tatianus *l* enim & Ammonius *m* legunt septuaginta duos, itidemq; Epiphanius *n*, Augustinus *o*, Beda, & alij recentiores quamplurimi: nec prætermittimus Clementem in Constitutionibus *p* Apostolorū, licet hic liber à quibusdā reijciatur inter Apocryphos. Sed & Hieronymus, quamuis ad Fabiolam *q* scribens septuaginta duntaxat numeret; tamen cum perpurgatum Euangelium Lucæ vna cum alijs tribus ad Damasum *r* mittit, ex emendatiorib. codicibus restituit numerum septuaginta duorū. Cæterum haud mirandum si penes aliquos septuaginta tantum nominatos quis inueniat. Id n. perinde accidit, ac cum breuitatis causa citati reperiuntur Septuaginta Interpretes, quos absq; vlla dubitatione volunt fuisse septuaginta duos, sex ex singulis duodecim tribubus: sicut & olim apud Romanos Collegium Centum virūm dicebatur, cum re vera centum & quinq; essent, tres ex singulis triginta quinque tribubus. Quod si & dicere voluerimus, eo numero Dominum respexisse ad illos Seniores, quos Moses *s* iussu Dei elegit sibi adiutores in administratione populi; plane constat eos fuisse septuaginta duos, eoq; exemplo perseuerasse ipso Christi tempore apud Iudæos Cōcilium septuaginta duorum, quod Sanhedrin appellabant; de quo dictum est superius.
k *Luc.10.* DE LXXII. DISCIPVLIS.
l *Tatia. in harm. Euang.*
m *Ammon. in Concord. Euang.*
n *Epiph. Panar. li.1. c.vlt.*
o *Aug.2. qu. Euang.14.*
p *Clem. lib.2. Const. c.59.*
q *Hier. ep.127. man. 6.*
r *Hier. in can. Euang. Luc. 10.*
s *Numer.11.*

XIV.
DE NOMINIBVS EORVM.

Nomina autem Discipulorum qui à Domino fuerunt electi, dum singula exprimere conati sunt aliqui; omnes fere, quorum inuenerunt in Epistolis Pauli fieri mentionem, nullo iudicio simul confarcinantes, inter Discipulos Domini adnumerarunt. Cuius rei primus post Hippolytum (quod inuenerimus) auctor fuit Dorotheus falso cognominatus Tyri Episcopus & martyr. Cæterum magna certe cautela adhibita Lucas in Actis *t*, dum de Iesone Domini discipulo mentionem fecit, quo à recentioribus Apostolorum discipulis eum distingueret, antiquum discipulum nominauit. Ex illis aliquot recensent Papias *u* & Epi-
t *Act.21.*
u *Ap. Euseb. 3. hist.39.*

a *Epiph. Panar. lib. 1. to. 1. in fine.*
b *Euseb. 1. hist. 32.*

& Epiphanius *a*: verum & dubium est de eorum nonnullis. Denique Eusebius *b*, cum in ijs hinc inde perquirendis, & quos inuenit recensendis, haud parum laboris videatur insumpsisse, apertè fatetur nusquam inueniri eorũ catalogum. Illis autẽ quos ipsi vere referunt, putarem ego adnumerandum Ananiam, qui B. Paulum baptizauit; necnon Andronicum & Iuniam, quos alibi *c* Paulus vocat nobiles in Apostolis.

c *Rom. 16. Baron. ann. 58.*

XV.

Multa deinceps IESVS egit, docuitque, cum in Galilæa, tum alibi, quæ narrantur diffusè à S. Luca *d*. Hyeme vero adueniente, Hierosolymam redijt ad festum diem Encæniorum, qui agebatur *e* vigesima quinta die mensis Casleu (hic est nonus mensis) vsq; ad diem octauam: vbi cum in templo doceret populum, obortis contentionibus quæsierunt eum Iudæi lapidare. Quapropter abiens trans Iordanem, turbam sequentem multa docuit; * atq. inter alia de diuite epulone damnato ad inferos, & mendico Lazaro recepto in sinum Abrahæ, narrationem intexuit. Quæ quidem parabolane esset, an rei gestæ vera historia, cum pluriũ fuerit dubitatio; nos illis potius adstipulamur, qui putarunt *f* esse historiã. Sed & Euthymius *g* ex traditione Hebræorũ rem verè gestam fuisse affirmans, addit diuitẽ illum nominatum esse *Nynensem*. Deniq; hæc sententia iam rata firmaq; haberi debet, quod multis in locis in memoriam eiusdem Lazari Ecclesiæ erectæ habeantur, deq; eo in eisdẽ anniuersaria celebritas peragi consueuerit. Nec quemquam mouere debet, in ea historia quædam dici quæ re vera consistere non possunt, veluti de lingua, de digito, de sinu Abrahæ, cum animæ corporibus solutæ his careant. Nam vsitatum est in diuinis Scripturis, ad faciliorem intelligentiam, corporea membra non tantum animabus, & angelis, sed ipsi etiam Deo adscribi.

d *Luc. 10. & segq.*
e *1. Machab. 4*

* *Luc. 15. 16.*

DE LAZARO MENDICO.

f *Tertul. de resurrect. carn. cap. 17. & alij.*
g *Euthym. in Luc. 16.*

De similitudine vero Cameli per foramen acus deducendi, qua post hæc monstrauit *h* Dominus, quam difficile esset diuitem intrare in regnum Dei; placet quod nonnulli *i* scribunt, inter cætera Iudæorum adagia fuisse illud frequenti vsu receptum, ad designandam rem quamlibet factu impossibilem, vt dicerent: *Elephantem per foramen acus*; sed pro elephante camelum dixisse Dominum, quod magis notum esset animal audientibus. Nam de rudente, quẽ volunt κάμηλον dictum à Græcis, necnon de acus foramine, quo nomine dictam aliqui volunt portam Hierosolymorum paruam, commentum esse putatur. Quod vero respondens Dominus ad interrogationem Petri, quid ipsi Apostoli habituri essent, qui vt eum sequerentur omnia reliquissent; ait, sessuros ipsos in regeneratione cum filio hominis, & iudicaturos duodecim tribus Israel; *Sed & omnes qui reliquerint domum, aut patrem, aut matrẽ, aut vxorem, &c. propter Christum, centuplum accepturos, & vitã æternam possessuros*: ex his sane verbis Hieronymus *k* optimè infert, Apostolos, ex quo à Domino electi ipsum secuti sunt, vxoribus relictis qui coniugati erant; à carnali copula abstinuisse. Sed hic sit terminus huius anni: quæ enim secuta sunt, ad sequens Pascha certum est pertinere.

h *Canin. de loc. No. Test.*

XVI.

DE CAMELO, ET ACV.

h *Matth. 19. Mar. 10. Luc. 18.*
i *Canin. de loc. No. Test.*

k *Hier. ep. 34. ad Iulian. & adu. Iouin. lib. 1.*

APOSTOLI CÆLIBATVM AMPLEXI.

XVII.

Quod vero pertinet ad res Romanas; hoc eodem anno perijt *Seianus* Consul toto Orbe celeberrimus: qui cum nõ solum amplissimas occupasset & assecutus esset dignitates & administrationes, sed & diutius absente Tiberio Imperatore, & apud Capream insulam otiante, seipsum pro Imperatore, Tiberium pro Insulæ rectore habuisset; eoque existimationis processerat esset, vt ipsi tanquam deorum alicui res sacra fieri soleret; esseteq; hoc anno delatus Consulatus cum prorogatione quinquennij; insuper & in litteris publicis à Senatu, sicut Tiberij, ita & Seiani nomen inscriberetur, & sicut Imperator aureo curru in theatrum adueheretur, iurarentq; omnes per fortunam eius: Hic, inquam, talis tantusq; Seianus, conuocato Senatu vt recitarentur literæ Imperatoris, quibus collata ei summa Potestas Tribunitia credebatur; (audi rerum humanarum inconstantiæ admirandum exemplum) iisdem ipsis literis plecti iussus, (quippe cœperat iam antea Tiberius sibi ab eo timere) statim infelix in vincula coniectus est, & capite mulctatus: ac deinceps in Gemonias vnco tractus, ac per triduum à populo ludibrio habitus, tandẽ in Tiberim immissus est. Liberi quoq; ex Senatusconsulto necati, ante vero filia virgine, quam pater pactus fuerat Claudij filio, iussa (ô scelus) à carnifice constuprari: ac deniq; iudicia crudeliter exercita in eius amicos. Hæc pluribus Dio *a* Cassius: qui cum æquè ac Tacitus *b* sub huius anni Coss. ea facta scribat, hinc vides erasse Eusebiũ *c* & Orosium *d*, dum post aliquot annos Seianum adhuc superstitem volunt. Decepti ipsi ex eo quod Iosephus *e* de eius interitu agat vltimo tempore Tiberij: cum tamen non id iste temporis ratione fecerit, sed quod multas eiusdem Imperatoris res gestas diuersis temporibus factas, vna eademq; narratione perstrinxerit. Cæterum addit Dio, fuisse Tiberij consuetudinem, vt quos habuisset in Consulatu socios, morte postea mulctaret.

SEIANI CASVS.

a *Dio lib. 58.*
b *Tac. Annal. lib. 5.*
c *Euseb. in Chron.*
d *Oros. lib. 7. cap. 4.*
e *Ioseph. 18. Antiq. 8.*

[Quod audisti de filia Seiani, priusquam necaretur à carnifice constuprari ipsa; hoc quidem antiquo Romanorum more factum est, quem expressius refert Sueton. in Tiber. cap. 61. dum de ipsius Tiberij immanitate exempla proferens, ait *immaturas puellas, quia more tradito nefas esset virgines strangulari, vitiatas prius à carnifice, dein strangulatas esse.* Simili quoq; religio mores maiorũ seruandi, incessisse videtur Triumuiros cum proscriptionis tẽpore prætextatum quendam, vt posset occidi, iusserunt induere togam virilem; sicuti narrat Dio lib. 47.]

VIRGINES CÆDENDAS.

IESV CHRISTI ANN. 34.

TIBERII IMP. ANN. 18.

ANno Christi trigesimo quarto, Cn. Domitio Ænobarbo & Vitellio Nepote, vel (vt à Cornelio Tacito ponitur) Camillo Scriboniano Coss. idem Dominus noster IESVS CHRISTVS pro redẽptione humani generis volens libensq; subijt Crucis supplicium. Sed quæ tantum facinus præcesserint, videamus.

I. ANNVS CHRISTI PASSIONIS.

Iam igitur proximè aduentante Paschali tempore, cum IESVS in Galilæa ageret, Marthæ & Mariæ sororum nuncio accersitus est in castellum Bethaniam, vbi habitabant, quindecim stadiis Hierosolymis distans, vt Lazaro fratri morbo languenti opem ferret: sed consulto moras nectẽs, cum eo tandem accessisset, iam quatriduo defunctum, atque sepultum, à mortuis excitauit. Rem gestam valde insignem pluribus narrat Ioannes *f* Euangelista. Auctor vero est Hieronymus *g*, in eius memoriam erectam fuisse nobilem Ecclesiam Bethaniæ super ipsam Lazari tumbã. Cæterum cum tanto miraculo commoti Iudæi plurimi in IESVM crederent, Pontifices autẽ & Pharisæi timorem prætexentes ne omnes ei adhærerent, ac inde Romanis occasio daretur vniuersam gentem perdendi; Concilium coegissent vt quid de eo statuendum esset cõsultarent: (erat illud magnum Sanhedrin septuaginta duorum Seniorum, de cuius institutione ac munere superius actum est) præsidens ei Summus Sacerdos Caiphas, Christum morti addicendum esse sententiam tulit: Sed subtraxit se Christus, donec tempus Paschatis propius esset. Tunc autem assumens secum duodecim Apostolos *h*, iter aggressus Hierosolymã versus, ante sex dies Paschæ (vt inquit Ioannes *i*) peruenit Bethaniam: vbi dum cœnaret, Lazarus fuit vnus ex discumbentibus, Martha ministrauit, & Maria soror eius pedes IESV vnxit. Diuertisse vero apud Lazarum, & apud ipsum cœnasse, etsi Euangelista id non apertè exprimat, par est credere: cum & alias illac transeuntem apud eosdem mansisse, & Martham id ipsum ministerij exhibuisse, auctor sit Lucas *k*. Haud nassentimur ijs, qui hanc cœnam confundunt cum ea, quæ ibidẽ Bethaniæ facta est in domo Simonis Leprosi: diuersas n. diuersisq; diebus factas esse, satis inde conuincitur, quod Ioannes hanc sex diebus ante Pascha; illam vero apud Simonem Marcus *l* biduo tantum ante idem Pascha factam asserit: itemq; quod in priori pedes, in posteriori caput Domini vnctũ fuisse dicitur: ac denique in priori Iudas, in posteriori cæteri quoque discipuli indignati traduntur.

II. LAZARVS RESVSCITATVS.

f *Ioan. 11.*
g *Hieron. de locis Hebr.*

h *Matth. 20. Marc. 10. Luc. 19.*
i *Ioann. 11.*

k *Luc. 10.*

l *Marc. 14.*

Sequenti die, qui numeratur quintus ante festum Paschæ, *turba multa* (inquit Ioannes *m*) *quæ venerat ad diem festũ, cum audissent quia venit* IESVS *Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, clamantes Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini.* Narrantur hæc fusius à cæteris tribus Euangelistis *n*. Porro de voce HOSANNA, scimus

III. CONCILIVM ADVERSVS IESVM.

m *Ioan. 12.*

n *Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19.*

DE VOCE HOSANNA

complures esse veterum sententias, quas prætermittimus recensere. Conueniunt plures, vt sit idem quod Latinè dicimus, *Salua quæso*: vox vsitata in festo Tabernaculorum, quando Deum deprecantibus Sacerdotibus populus respondere cõsueuerat (vt nos in Litanijs facimus) *Hosanh-na*, Libera, seu Salua quæso. Equidem neq; in diuinis Scripturis, neq; apud profanos auctores qui res Iudæorum sunt prosecuti, vllum plane huic simile exemplum legimus, vt ingredientibus Regibus Hierosolymam quis occurrerit cum ramis arborum. In honorem autem Dei, etiam extra festum Tabernaculorum, bis factum reperitur in libris Machabæorum *a*. & in Paraphrasi Chaldaica in Esther dicitur, quod die festo de quo illic agitur, Iudæi præcidebãt ramos, & faciebant sibi ipsis *Hosciahnna*. Ex quibus planè apparet, ramos arborum, quos in ea solemnitate gestabãt, dicere consueuisse *Hosciahnna*: idque, vt opinor, quod sic illi circumeuntes altare, & exultantes, canerent illud Psalmi centesimi decimi septimi, *ô Domine saluum me fac*; *ô Domine bene prosperare*: vt apertè testantur libri Rituales Hebræorũ, qui extant: inter quæ verba, expressa habetur vox *Hosciahnna*, quæ repetitur in singulis versibus hymnorum qui septimo die canuntur: quam quoties illi concinerent, ramum illum extollebant, dicentes *Hosciahnna*; vnde nomen inditum vt & ipse ramus diceretur *Hosciahnna*. Quod igitur ea quæ in Dei cultum exhiberi tantummodo cõsueuerant, Iudæi viderent exhibita Christo; hinc illa eorũ molesta in ipsum facta compellatio; *Audis quid isti dicunt?* arguentes nimirum quod qui Dei solius esset, collatum à plebe sibi honorem sumpsisset.

a 1. *Machab.* 13. v. 51. 2. *Machab.* 10 v. 7.

IV.

Cum vero post hæc eadem die multa Iesus fecisset quæ narrantur ab Euangelistis, ac Bethaniam sero recessisset; sequenti (quæ fuit quarta ante festum Paschæ) dum reuerteretur Hierosolymam, arborẽ fici in via positam, quod fructũ non inuenit in ea, arefecit. Cuius rei mysterium vt possis magis assequi, non prætermittimus dicere, maiorũ traditione (vt habet Isidorus *b* Peluſiota) perlatũ, ficum fuisse arborẽ transgressionis primorum parentum, cuius etiam folijs ad corpus tegendum vsi sint. Regressus porro Iesvs in ciuitatẽ, multas ei fraudulẽtas quæstiones *c* à Pharisæis, Sadducæis, & Herodianis, in templo propositas mirabiliter eluſit: ac illam præcipuè de tributo Cæsari pendẽdo; cum ostendi sibi iussu numismate census, in quo erat Cæsaris imago & superscriptio, respondit reddenda esse Cæsari quæ essent Cæsaris; nimirum vt quæ essent à Cæsare profecta numismata, ad ipsum rediret. Moris enim Romani fuit, vt pro ratione tributi vel census, ab Imperatoribus numismata cuderentur; quæ sic à ceteris vsualis pecuniæ nummis differrent, quod istorum pretiũ semper idem esset; illa vero, cum mutaretur tributi quantitas, recens ab Imperatore formarentur gratioris vel leuioris ponderis, secundum rationem tributi vel census: vt est huius rei insigne exemplum Alexandri Mammææ apud Ælium Lamprídium, dum agit de vectigalibus publicis ab eodem Imperatore contractis. Quanti vero esset pretij numisma quod Iudæi pro tributo penderent, dicere aliud non possumus, nisi Marcum & Lucam pro *Numismate* dixisse *Denarium*; modestum plane tributum. Non n. nisi post excidium templi, ipsos didrachmum soluere cœpisse, vidimus superius.

b *Isid. Pelus. l. 1. epist. 51. ad Theoph.*

c *Matth. 21. 22. Marc. 11. 12. Luc 20.*

TRIBVTI NVMISMA QVALE.

V.

His peractis, Hierosolymis egresso Domino, multisq; sermonibus *d* in monte Oliueti de ijs quæ ventura essent ad discipulos habitis; ante biduum Paschæ Bethaniam veniens, cum in domo Simonis Leprosi cœnaret *e*, accessit ad eum mulier habens alabastrum vnguẽti pretiosi, & effudit super caput eius. Hanc vero mulierẽ fuisse *Mariam Magdalenam*, sororem Lazari, quæ & ante hac semel atque iterum vnxerat pedes Domini, iam superius est demonstratũ aduersus eos qui plures Magdalenas inducere conati sunt. Cur aũt eadem modo caput, non, vt prius, pedes vngat; nobis certè (vt interim mysteria prætermittamus) nulla magis probatur ratio, quam illa, quod cum Iudam in nupera vnctione indignatum & oblatrantẽ audisset, existimauerit inde ipsum offensam passum quod pedes vnxisset. Erat *f* enim res planè inusitata vt pedes vnguento vngerentur; nec nisi Athenis apud aliquos qui deliciis diditi essẽt, fuisse in vsu, & à virginibus, reperitur apud Athenæum *g*.

d *Matth. 24. 25. Marc 13. Luc. 17. 18, 21.*

Matth. 26. Marc. 14.

MAGDALENA VNGIT CAPVT DOMINI.

Habet hæc Sacra, an. 32. ipse etiamnos obiter egimus de Maria Magdalene, num. V. & VI. Athen. 12. Deipnosoph. 30

Sed de Iudæis nullum exemplum extat; imo nec de Romanis, apud quos omne genus deliciarum affluere potissimũ illis temporibus consueuerat. Nam quasi pro portento recitat Plinius *a* de Othone, ipsum Neroni primum monstrasse pedum vestigia vnguentis tingere. Ne igitur in re inusitata vlterius hæc mulier offensionis eandem occasionem præberet; quod cæteri frequentius in conuiuijs factitare consueuissent, ipsa sibi absque aliquo scandalo caput Domini vngere concessum putauit. At nihilominus non Iudas tantum, sed & alij discipuli indignati sunt ob nimiã profusionem tam pretiosi vnguenti: quos Dominus compescens, non solum mulieris opus laudauit, sed & in posterum in vniuerso mundo ipsum celebrandum fore prædixit.

a *Plin. l3. hist. 3.*

VI.

Tunc vero (vt aiunt Euangelistæ *b*) abijt Iudas Iscariothes vnus de Duodecim, ad Principes Sacerdotum, & cum eis pactus est triginta argenteis IESVM ipsis tradere. Eadem etenim die congregati erant Principes Sacerdotum & seniores populi in atrio Caiphæ summi Sacerdõtis, & consilium inierunt eum interficiendi. Non interfuit tum quidem Iudas; nullus enim Euangelistarum id dicit: sed tamẽ nihil impedit, quo minus ipse qui reperitur Bethaniæ in domo Simonis cum cæteris accubuisse Apostolis, idem eadem die Hierosolymis esse potuerit; distãtibus à Bethania quindecim *c* tantummodo stadijs: cum potissimum nulla interposita mora post defensionem ab IESV factam de vnguenti effusione, eum è conuiuio recessisse, & ad Principes Sacerdotum accessisse, Matthæus *d* apertè declaret. Quæ quidem dixisse voluimus aduersus eos, qui hac leuissima obiectione probare conati sunt, vnam eandemq; esse cœnam quam ex Ioanne vidimus factam Bethaniæ ante sex dies Paschæ, cum ista quam dicit Marcus factam biduo ante Pascha, quæ fuit quarta feria hebdomadis.

b *Matth. 26. Marc. 14.* IVDAS PRODITIONEM PARAT.

c *Ioann. 11.*

d *Matth. 26.*

VII.

Sed quod attinet ad Triginta ARGENTEOS, quos Iudas cum Principibus Sacerdotum pactus est sibi dari vt CHRISTVM proderet; quanti fuerit pretij istiusmodi summa, diuersæ reperiuntur sententiæ, quas recitat confutatq; diserte Cornelius *e* Iansenius, licet & ipse aliam sequatur haud nobis probabiliorem. Sane visuntur Romæ, atq; Parisijs, vel alijs locis, nummi quidam argentei, impressam habentes hominis faciẽ, & à tergo floscului; qui putantur ex illis esse, quos Principes Sacerdotũ dederunt Iudæ. Verum nos sic affirmamus eos ex illis esse, vt tamen non triginta tantũ fuerint numerati, sed illius monetæ argenti signati certam summam Iudas acceperit. Vt autem longe maiorem quam alij dixerint eam fuisse opinemur, multa cogunt: atque imprimis illa consideratio, quod tradit Matthæus, cum Iudas retulisset triginta argenteos Principibus Sacerdotum, eos consilio inito emisse ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum: quem & Lucas, *f* dum ait: *Possedit agrũ de mercede iniquitatis*, planè insinuat nulla alia addita pecunia emptum esse. Porro agros prouinciæ Iudææ magni fuisse pretij, facile intelliget qui immensam populi multitudinem in adeo angusta Syriæ parte habitasse considerauerit; cum totius Palæstinæ fines à Plinio *g* ponãtur non amplius quam centum octoginta millia passuum à cõfinio Arabiæ vsque ad Phœniceem: adeo vt nulla in Orbe terrarum reperta vnquam fuerit regio, quæ tantam caperet hominum multitudinem, quantam in ea fuisse tam sancta quam profana historia testatur. At vero id amplius habuit iste Ager figuli, quod cæteris suburbanis propinquior ipsis Hierosolymis esset, vt qui inhæreret *h* monti Sion; quodque dictus haberetur *Ager figuli*, nempe nominatus ager, ac proinde non ignobilis: quem si velimus argillam suppeditasse ad vasa fingenda, maioris adhuc fuisse pretij certum est: Itemque quod non, vt cæteri Iudæorum agri, vsque ad annum Iubilæi venderetur; sed in perpetuum fuerit eius translatum dominium, quippe qui vsui sepulturæ peregrinorum semel adscriptus, sic semper esset permansurus. Quæ cum ita sint, quis togo mente concipere poterit, vt ager prouinciæ Iudææ suburbanus & Hierosolymis propinquior, nominatus figuli, perpetua dominij translatione venderetur (vt Iansenius voluit) septem vel ad summum quindecim florenis argenteis, vel trecentis (vt alij dixerunt) denarijs: cum præsertim illum

e *Iansen. concord. Euang. c. 118.*

f *Act. 1.*

g *Plin. lib. 5. cap. 13.*

AGER FIGVLI QVALIS.

h *Hieron. de loc. Hebr. in Act. Apost.*

Leuit. 25.

campum fuisse latiorem existimare liceat, vbi omnium cadauera peregrinorum (quibus ea ciuitas semper erat refertissima) infoderentur?

VIII. AVCTORIS SENTENTIA DE ARGENTEIS.

Aliam ergo indagantes rationem illorum triginta Argenteorũ, veriorem putamus illam quæ colligitur ex scriptis Eliæ Leuitæ Iudæi in libro cuius est titulus *Tisbi*; vbi ex maiorum diligenti obseruatione docet, vocem ARGENTEVS, si posita reperiatur in Pentateucho, significare *Selagh*, hoc est siclum vnum; si in Prophetis, *Litrin*, hoc est libram; si in hagiographis, *Canterin*, id est talentum: quam eandem distinctionem ex Rabbinis aliis recitat Arias Mõtanus in Dictionario Syrochaldaico in verbo *Cheseph*. Hacque ratione dicimus, Matthæum *a* Euangelistam, dum de triginta argenteis agens, Propheticam de ea re prædictionẽ affert; plane eius pretij argenteos expressisse, quod à Prophetis accipi consueuit, nimirum pro triginta libris argenti. Nam & Epiphanius *b* de nummis agens, docet Argenteum continere centum & quatuor denarios Romanos.

a *Matth.27.*

b *Epiph. de mensur. & põder.*

IX. c *Matth.26. Mar.14. Luc. 22. Ioan. 13.* d *Nic.1. hist. 28. Cedr. in Ann. & alij.*

Illuxit in crastinum prima dies Azymorum, in qua necesse erat manducare Pascha; quando *c* misit IESVS discipulos Hierosolymam, vt ipsum pararent. Locum vero vbi paratum est, Nicephorus *d*, & alij tradiderunt fuisse domũ Ioannis Euangelistæ. Sed id dubium valde redditur, quod Lucas scribat ipsummet Ioannem cum Petro missum ad perquirendum vbi Pascha manducandum foret, iussosque esse sequi hominem lagenam aquæ portantem. Quapropter Alexander *e* Monachus, qui Res gestas S. Barnabæ prosecutus est, affirmat celebratum esse à Domino Pascha in domo alterius Ioannis qui cognominatus est Marcus, cuius meminere Lucas *f* & Paulus *g*: nam eius domum Hierosolymis fuisse, atq; Apostolis patuisse, eiusdem Lucæ *h* testimonio cõstat.

e *Ap. Metaph. & Sur. 11. Iunij.*

f *Act.2.*
g *Colos.4.*
h *Act.12.*

X. DE DIE PASCHATIS. i *Exo.12. Leu. 23. Num.28.* k *Matth.26.* l *Marc.14.* m *Luc.22.*

De die vero, quo Dominus Pascha celebrauit, periculosius controuersum est. Quamuis enim statuto à lege *i* die, ipsa decima-quarta luna primi mensis ad vesperam, quando & ceteri Iudæi illud agebant, Dominum quoque celebrasse Matthæus *k*, Marcus *l*, & Lucas *m* Euangelistæ absque vlla dubitatione affirmare videantur; de Ioanne tamen, quasi à ceteris discreparet, suborta controuersia, eo etiam dementiæ progressi sunt nouantes quidam Græculi, vt non erubuerint affirmare, eundem Ioannem, qui vltimus omnium scripsit, ceteros Euangelistas tempotis errore lapsos voluisse corrigere. Fuit vero aliorum *n* Græcorum, sed antiquiorum, ea opinio, Dominum non sicut Iudæi ceteri decima-quarta luna ad vesperam, sed diem anticipando luna decima-tertia Pascha celebrasse. Econtra vero nonnulli Latini putarunt Dominum celebrasse legitimum, nempe lunâ decima-quarta ad vesperam; sed Iudæos illud distulisse in diem Sabbati; huiusque rursum dilationis varias *o* afferunt causas. Ac denique alij tradunt, intercisum fuisse Pascha, & alia die comestionem agni, alia vero festum ipsum celebratum. Sed non patitur ratio, Euangelicam veritatem per tot diuersos anfractus circumduci, nouasque inuehi in Ecclesiam DEI opiniones. Ipsum porro Ioannem ceteris Euangelistis esse consentientem, vel illud satis ostendit, quod idem ipse differre testatur, eadem ipsa sexta die qua passus est CHRISTVS, fuisse Pascha commune tam CHRISTO, quam Iudæis; dum verba Pilati reddetis, ait *p*: *Est consuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in Pascha.* Et vsque adeo firmiter atque constanter mandauit DEVS seruari *q* ne alia die quam decima-quarta luna ad vesperam sacrum Pascha celebraretur, vt siqui, quod immundi essent, ea illud celebrare non possent, non in sequentem, tertium, quartumve diem id facere permiserit, sed præceperit expectare eandem decimam-quartam Lunam mensis proximi. Qua ratione videmus tempore Ezechiæ *r* Regis, cum legitima ex causa, nempe ob raritatem Sacerdotum, Pascha in aliam diem transferendum esset, non nisi ex Legis instituto in decimam-quartam Lunam secundi mensis esse dilatum.

n *Epiph. hær. 51 nthym. in Matth.16. & alij eos secuti.*

o *Paul. Burg. Lucid. Ruffer. in Leuit. lib.2. c.36. & alios, hos secutos.* [quos abunde confutat Baron. Tom I. hoc in: cuius argumenta etsi non omnib. placẽt, Christum tñ eo anno Pascha commune celebrasse cũ Iudæis; consentiũt cum Baronio, plurimisq; alijs argumentis confirmant, pleriq; recẽtiores Catholici Interpretes, & alij Scriptores.]

p *Ioan. 18.*
q *Numer.9.*
r *2. Paral. 30.*

Congruit denique historiæ veritas sacro mysterio, vt ille ipse Agnus, qui venit culpas omnium, licet ipse innocentissimus, sibi assumere, ipso communi omnium Paschatis die pro salute omnium immolaretur in Cruce.

XI. a *Matth. 26. Mar. 15. Luc. 22. Ioan. 13.* DE LOTIONE PEDVM. b *Ioan. 13.*

Vespere igitur facto, Pascha celebraturus Dominus *a* discubuit cum duodecim Apostolis, agnum comedit, pedes eorum lauit, ac demum augustissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit. Porro primum omnium, etiam ante esum agni, factam esse *ablutionem pedum*, nonnulli existimarunt. Verum eam postea factam esse, Ioannes *b* testatur, dum ait IESVM surgentem à cœna accepisse linteũ, & lauisse pedes Apostolorum. Scimus quidem, tum apud Romanos, tum etiam apud Iudæos, ipso ingressu domus solitos esse conuiuarũ pedes lauari: Sed in Paschali conuiuio consueuisse Iudæos pedes ac manus iterũ lauare, constat ex libro Rituali Hebræorum; eiusq; rei ista habetur expressa ratio, quod illius conuiuij duplex esset cœna coniuncta, vel si dicere velimus, vnius cœnæ duplex mensa; in cuius priori esus agni, in posteriori agebatur cæremonia Azymorum. Et quamuis in aliis quoque maximis Iudæorum festis, puta Pentecoste & Scenopegia, duplices eiusmodi cœnæ exhiberi consueuissent; tamen erat differentia, quod in aliis tantum semel pedes lauarent, in Paschatis cœna iterum, primum scilicet ante esum agni, postea vero ante cæremoniam Azymorum. Ceterum ex verbis Domini, dicentis Petro: *Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet*; nisi ea ad mysterium baptismi referamus, opus est affirmare discipulos in prima mensa in omnibus lõtos accubuisse.

XII. c *Ioan.13.* DE VESTE CŒNATORIA. d *Matth.22.*

Quod vero dicatur *c* Dominus, cum discipulorum pedes lauit, posuisse non vestimentum, sed vestimenta sua; par tamen est credere, eum in *Veste cœnatoria* remansisse: absque enim ea Iudæos accumbere, religio erat; vt plane ipse Dominus *d* demonstrauit in parabola de nuptiis filij Regis, in qua male mulctatus legitur ille qui sine veste cœnatoria (quam ob nuptias, nuptialem appellat) discumbere præsumpsisset. Quare & Apostolos eadem indutos accubuisse, credendum. Cum vero dicit Euangelista, post ablutionem pedum IESVM recepisse vestimenta sua; putamus cœnatoriam tunc vestem exuisse, ac propriam induisse. Aliud enim, longeq; à priori diuersum, cum ipse suis in secunda mensa exhibiturus esset conuiuium, diuerso etiam à solito cœnandi habitu, decentiori cultu (vt tantum mysterium exposcere videbatur) illud sibi instituendum putauit.

XIII. e *Ioan.13.* DISCVBITVS IN MENSA f [De his v. de Pet. Ciac. lib. de Triclin. & Fulu. Vrsin. in Append. Haud tñ putandũ, hæc Iudæos à Romanis accepisse, cũ eandem moderationẽ antiquissimis sæculis apud plerosque populos viguisse, historia demõstret ac de cõuiuio Regis Assueri, Esth. 1. Tobiæq;, Tob. 2. Scriptura testetur.] g *Exod.12.* h *Luc.22.* CONTENTIO DE PRIMATV. i *Luc.9. Mar. 9.* k *Marc.10.* l *Aug. in Ioan. 13.* m *Inst. concord. c.150.* n *Exod.12.*

Quod autem Euangelista *e* testatur, ipsum dilectum Christi discipulum in sinu eius in cœnâ recubuisse, satis ostendit Iudæos in mensa æquè ac Romanos *f* in lectis accumbere consueuisse, & quos charos haberet, infra se, hoc est in sinu suo collocasse. Nec obstat quod lege *g* statutum esset, vt agnus Paschalis à stantibus, non vero recumbentibus comederetur. Nam qui antiquum illum commentarium Hæbræorum legerint, quem Ritualem librum, seu Cæremonialem appellant; plane intelligent fuisse vsum illum intermissum & antiquatum à tempore exilij Babylonici. Ceterum ratione eiusmodi accubitus Ioannis, qui primum locum post Christum in ea cœna obtinuit, suborta esse videtur eodem tempore illa inter Apostolos contentionis *h* occasio, quis eorum videretur esse maior. Estque obseruatione dignum, nunquam illos æquanimiter tolerare potuisse, Ioannem vel Iacobum fratres apud Christum primos haberi; sed cum viderent eos prærogatiuis aliquibus auctos, semper ea de re quæstionem mouisse; vt hic, & cum eos Dominus in montem Thabor *i* duxit, & mater *k* ipsorum pro ijs Dominum rogauit: Quantumlibet autem vidisserint in omnibus Petrum cunctis prælatum, nunquam tamen id infenso animo tulisse. Sed & nunc, quãuis Ioannes primum locum post Christum accepisset in mensa; tamen in pedum ablutione ceteris Petrum esse præpositum, S. Augustinus *l* testatur, & multis etiã rationibus *m* demonstratur. Porro quod nonnulli dicunt, post ablutos Discipulorum pedes, iterum recumbente IESVM cum suis, quod reliquum erat cœnæ agni absumpsisse; (volunt enim Dominũ inter cœnandum à mensa recessisse:) tum ex superius dictis arguuntur satis, tum ex eo quod lege diuina *n* agnus comedendus esset festinanter; quo præcepto omnes eiusmodi moræ atque intermedia penitus excluduntur. Vn-

a *Matth.26.* b *Marc. 14.* c *Luc.22.*

de quod dicit Matthæus *a*, *Cœnantibus autem eis accepit* IESVS *panem, &c.* & Marcus *b*, *Manducantibus illis accepit, &c.* idem est ac si dixissent, *Recumbentibus illis*: testante Luca *c*, & Paulo *d* confirmante, Eucharistiam institutam esse post cœnam; nempe primam illam Agni Paschalis: cum alioqui & ipsam institutionem Eucharistiæ Patres *Cœnam* appellare consueuerint; idemq; esse manducare cœnam Dominicam, quod Eucharistiam sumere, Augustinus *e* demõstret: etiamsi ea voce, vt plurimus aliis, abuti soleant Nouatores.

d 1.*Cor.* 11.

e *Aug. de ser. Dom. in mont. lib.2.cap.6.*

XIV. RITVS INSTITVTIONIS EVCHARISTIÆ.

Vt autem quæ scripta sunt ab Euangelistis de sacratissimæ Eucharistiæ institutione facilius intelligantur, sciendum est ex antiquo Hebræorum libro Rituali, in secunda mensa conuiuij Paschalis, non vt in aliis dierum festorum secundis cœnarum mensis bellaria apponi solita, sed tantum à Lege statutum cibum, nimirum primo loco embamma ex intybis & lactucis agrestibus factum, aliisque rebus conditum, in quod primus paterfamilias intingebat offam azymam, mox cæteri, sicque consumebatur: deinde vero eundem patremfamilias tortam azymam (seu vt alij textus habent, dimidiam) hactenus sub mappa seruatam, in tot partes diuidere solitum, quot essent in cœna discumbentes; sicque diuisam singulis porrigere: tum poculum à se primo degustatum tradere proximo, hunc secundo, illum tertio, donec per totum conuiuium circumferretur: Insuper, quoniam secundæ illæ mensæ erant ob accepta beneficia ad gratias Deo agendas potissimum cõparatæ; cum in ceteris secundis mensis esset vsitata quædam cõmunis benedictionis formula, in Paschali secunda mensa post illam bene dictam, cum distribueretur torta azyma, itemque cum poculum traderetur, eundem patremfamilias propria & peculiari vti solitum benedictionis formula. Hæc ex Rituali Hebræorum. Est autem etiam notatu dignissimum, non tantum apud Iudæos veterem illam fuisse consuetudinem, vt in secundis mensis sic libantes gratias Deo agerent; sed & Gentiles *f* ipsos in iisdem secundis mensis merum libare diis, & alia sacra facere solitos.

f *Athen. lib.1. cap.9. & alij.*

XV. INSTITVTIO EVCHARISTIÆ.

Eo igitur seruato antiquo Iudæorum ritu, illud Dominus effecit, vt nouis benedictionibus additis nouum institueret Sacramentum; & quæ in memoriam veterum beneficiorum fuerant instituta, in commemorationem omnium præstantissimi nouiter accepti beneficij mutarentur. In qua videlicet secunda cœna, Sacramentum illud ineffabile sanctissimæ EVCHARISTIÆ constitutum est; quo rei veritate, non per figuram, vel similitudinem, allusionemve, aut quouis alio modo fictitio, Panis & Vinum transsubstantiantur in veram Carnem & verum Sanguinem, in ipsum verum ac viuificum Corpus CHRISTI, sub vtraque specie integrum, quod natum de sanctissima Virgine, in ara Crucis oblatum est. Quo etiam tempore Apostoli, cum ipsis Dominus id FACERE præcepit in sui memoriam, SACERDOTES sunt creati; atque ipsum INCRVENTVM SACRIFICIVM (iam olim mille fere modis per veterem Legem diuinitus præmonstratum, atque prædictum, insigniter autem per oblationẽ Panis & Vini Regis & Sacerdotis Melchisedech *g* præfiguratum) quod & ab illis offerretur, & in posteros vsque ad finem sæculi propagaretur, est ordinatum. Hæc enim Apostoli ipsi, hæc Patres omnes, hæc Traditio Ecclesiastica, atque ipsa Catholica fides ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ prædicauit, & hactenus profiteri non desinit: vt perquam facile esset demonstrare. Sed cum sciamus complures disertissimos & integerrimos viros, eo argumento commentarios fere innumeros omni doctrina ac fide sincera conscripsisse; superuacaneum *h* existimamus eadem hic repetere, vel aliqua iis velle addere.

APOSTOLI SACERDOTES FACTI.

g *Genes.* 14.

h *Quãuis ita loquatur Baronius recitat tamen & ipse plurima antiquorũ Patrum testimonia, pro assertione huius Incruenti sacrificij à Christo instituti.*

Ne vero lectorem penitus ieiunum abire sinamus; quibus nominibus maiores nostri nuncupare consueuerint cum ipsam Eucharistiam, tum Sacrificium quod in eo mysterio peragitur, proferemus in medium, quo vel saltem ex nominibus tanta res facilius intelligatur. Imprimis igitur Eucharistia, respectu Fidelium, qui per eius sumptionem Christo per omnia maximè vniuntur, *Communionem*, seu *Communicationem*, ab Apostolis esse dictam, fidem facit Paulus *a* ad Corinthios, & Lucas * in Actis. Insuper ob ineffabilem rerum diuinarum secretam quandam coniunctionem, à Græcis Μυστήριον, à Latinis *Sacramentum b* inuenies frequentissime nominatam. *Eucharistia* vero nomen à gratiarum actione deductum, commune reperitur esse ex æquo Græcis pariter ac Latinis. Rursus etiam quoniam Dominus Panem de cœlo seipsum nominat, ea ratione S. Ignatius *c* Eucharistiam *Panem Dei*, & *Panem cœlestem* frequenter appellat. Eademque ratione, quatenus continet ipsum corpus Christi, maiores idem Sacramentum appellare solent *Corpus Christi*; suntque de eo innumera Tertulliani, Cypriani, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum testimonia. Sed & quod non sit communis cibus, sed caro Christi oblata pro sæculi vita, Africani Fideles (inquit Augustinus *d*) optime Sacramentum corporis Christi, nihil aliud quam *Vitam* vocabant. Demumque habito respectu quod pro peccatis hostia offertur, *Oblatio*, *Sacrificium*, *Liturgia*, ac *Missa* dicta passim reperitur. Sed Missæ nomen apud Latinos vsitatissimum, quod quidem ex Hebraica vel Chaldaica nomenclatura acceptum esse videtur. Quod enim in nostra Vulgata legitur *e* *Spontanea oblatio*, Hebraicè & Chaldaicè dicitur *Missah*; quam offerebant Deo in gratiarum actionem de fructibus terræ, qua & vescebantur in templo cum recordatione præteritæ seruitutis, & ab eadem liberationis. Quæ omnia cum optime conueniant prædicto à Christo instituto Sacrificio; eo potius maiores nostri vsi sunt nomine, quam cuiuspiam alterius sacrificij, quod spontanea recolatur prima illa sui ipsius à Domino nostro IESV CHRISTO facta oblatio; de qua Isaias *f*, *Oblatus est, quia ipse voluit*. Sane creditur eiusmodi nomen ab ipsis Apostolis Petro & Paulo traditum esse Romanis. Quippe ea voce vsam esse suo ipsius exordio Romanam Ecclesiam, probatur ex eo quod proximus Apostolis Pius *g* Papa idem sacrificium Missam vocauit; idq; ipsum Cornelius *h*, & ceteri Romani Pontifices præstiterunt: sicut & Concilium Romanum sub Siluestro, Carthaginiense *i* Secundum, Agathense *k*, & alia: itemq; Ambrosius *l*, Augustinus *m*, ac deniq; ceteri; & post ipsos, recentiores omnes.

a 1.*Cor.*10. * *Act.*2.

b *Tert. de cor. Ambr. de Sacram. Aug.1. de pec.mer.24. &c.*

c *Ignat. ep. ad Rom. &c.*

d *Aug.d.c.*24.

DE MISSÆ NOMINE.

e *Deut.*16.

f *Isaiæ* 35.

g *Pius ep. ad Iust. Vien. in Bibl. Patr.*

h *Corn.ep.ad Lupicin. Vien. Episc.*

i *Conc. Carth. 11. cap.*3.

k *Agath. can.*47.

l *Ambr. ep.*31. *ad Marcel.*

m *Aug. serm. de temp.*251.

ALIÆ EIVS APPELLATIONES.

[Præter illas appellationes sacrosanctæ Eucharistiæ, quas hic Baronius recensuit, est & alias quãplurimas passim cum in sacris Literis, tum Patrũ scriptis reperiri puta *Eulogia*, *Fractio panis*, *Panis Angelorum*, & *supersubstantialis*, *Mensa Dominica*, *Paschæ*, *Synaxis*, *Dominicum Viaticum*, *Gratia*, *Sanctum*, *Partes*, *Perfectio*, &c. de quarum nonnullis agitur; etiam his Annalibus suis locis, quos Index suppeditabit: omnes vero in vnum pie collegit I. Dartis in suis Animaduersionibus in Baronium; singularum varia testimonia proferens, licet pauca (exempli tantum causa) ex plurimis quæ haberentur in antiquis monumentis. Illa vero pleniori manu postea exhibuit Bulengerus in suis Diatribis aduersus Casaubonum, tum purgans quæ de ijs, etsi bona, non tamen bene, aut pro genuino sensu sacræ Scripturæ sanctorumq; Patrum, prolixe disputauit idem Casaubonus suis in Baronium Exercitationibus; tum alia subiungens egregia, quæ a Catholicis legi expediat, & in pretio haberi, tanquam salutaria antidota contra hæreticorum venena.]

XVII. n *Exod.* 12. *Leuit.*23. *Num.*28.

Quod autem spectat ad tempus Institutionis tanti Sacramenti; sciendum est ex diuinæ Legis *n* præcepto, solemnitatem *Paschalem* esse diuersam ab ea quæ dicitur *Azymorum*, quippe quæ ex duplici beneficio à Deo accepto originem duxissent; eas tamen celebrari consueuisse vna eademque die, vt & de hoc ipso tempore Christi testatur qui tunc viuebat Philo tractatu de Decalogo. Nam licet dicat Scriptura: *Decima-quarta die ad vesperum Phase Domini est, & decima-quinta die solemnitas Azymorum*: tamen vespere decimæquartæ diei reputatur initium diei sequentis; solitis Iudæis (vt scribit etiam Iosephus *o*) ante vesperam, videlicet hora nona diei præcedentis, auspicari dies festos, eosque populo è turri excelsa tubæ sonitu indicere. Cum igitur ipsa prima die Azymorum ad vesperam, cum Pascha ageretur, post esum agni sacra Eucharistia fuerit à Domino instituta; nulla est dubitatio, eam esse *confectam in Azymis*, & non in fermentato: eundemque ritum seruatum in Ecclesia semper, Epiphanius *p* testatur. Sed & quod Dominus hora vespertina id fecerit, remansit ea cõsuetudo apud

o *Ioseph. de bel. 9. & 16. ant. 10.*

EVCHARISTIA CONFECTA IN AZYMIS.

p *Epiph. hær. 30. circ. Ebion.*

nonnul-

nonnullas Ecclesias, vt etiam vespere, sed à ieiunis idem sacrificium offerretur. Viguisse namque eum vsum olim in Ecclesia Africana, auctor est Cyprianus *a*: idque ipsum, sed post sumptum cibum, de Alexandrina testatur Sozomenus *b*. Augustinus *c* autem id semel in anno in Cœna Domini, & non nisi à ieiunis, fieri solitum asserit. Et *Vespertinarum Missarum* habetur mentio in Concilio *d* Agathensi. Sed quoniam diuersa erat aliquarum Ecclesiarum consuetudo, passim; post cœnam sacrificium offerebatur, eam sustulit in Africa Concilium Carthaginiense *e* Tertium, statuens vt à ieiunis semper, excepta ipsa die anniuersaria Cœnæ Domini, offerretur. Fuerunt que demum alia omnia contrarijs legibus *f* penitus antiquata ob eam potissimum causam, quod Vniuersalis Ecclesiæ veteri cõsuetudine, tam apud Latinos *g* quam Græcos *h*, obseruatum videretur, *vt non nisi à ieiunis sacra Eucharistia sumeretur.*

Confecta igitur sacratissima Eucharistia, distribuit eam Dominus Apostolis, adeoq; ipsi Iudæ traditori, qui eam cum ceteris participauit, vt asserunt Augustinus *i*, Chrysostomus *k*, Cyrillus *l*, & alij cõplures. Sed quod putarunt aliqui, buccellam *m* illam intinctam, quam Iudæ tradidit Dominus ad eius proditionem detegendam, fuisse Eucharistiam; nos minimè illis assentimur, sed potius existimamus buccellam illam fuisse panem, quem (vt dictum est ex libro Rituali Iudæorum) initio secundæ mensæ intingebant in pulte, seu embamma ex lactucis agrestibus confectum; sicq; intinctio illa, ex more, Eucharistiam præcesserit. Quod vero Ioannes ait: Iudam accepta buccella continuo exiisse; id quidẽ non ita accipiendum putamus, vt nulla interposita morà abierit, sed quod velut furore quodam percitus, non expectauerit mirificũ illum post cœnam habitum à Domino sermonem: nam S. Lucas apertè testatur, Iudam cum ceteris permansisse vsque ad finem communicationis Eucharistiæ. Porro *Calix* ille in quo Christus Eucharistiam consecrauit, vt egregium tantæ rei monumẽtum à communi vsu selectus ac summa industria asseruatus, adhuc Bedæ *n* temporibus Hierosolymis visebatur, reconditus (vt ait) in scriniolo, ac per operculi foramen tangi & osculari solitus: eratq; argenteus, hinc inde duas habens ansulas, & sextarij Gallici mensuram capiens: in quo & illa erat *Spongia*, Domini potus ministra.

Peracta cœna *o* Iudas recessit, & Dominus Petro sui negationem prædixit: nouissimumq; illum admirabilem sermonem habuit, quem Ioannes *p* diligentiori curâ conscripsit: eoque postmodum absoluto, & hymno dicto, abiit in montem Oliuarum. Quisnam vero fuerit *Hymnus* ille, quem post cœnam dixit Dominus, haud certè compertum habetur. Detexit Augustinus *q* impostura cũiusdam eiusmodi hymni, qui circumferri cõsueuisset quasi is ipse esset. Nos autem ex prædicto libro Rituali Hebræorum didicimus, moris fuisse apud illos in singulorum solemnium cœnis recitare Psalmos ad mysterium eius diei accommodatos: in Paschali vero consueuisse dici Psalmum centesimũ decimumtertiũ, qui incipit, *In exitu Israel de Ægypto*, & alios perbreues. Cæterum exemplo Domini laudabilis ille mos in Ecclesia coaluit, vt in mensa gratiarũ actiones ab omnibus dicerentur: quæ quales essent apud Orientales, docet Ioannes *r* Chrysostomus; ceteras vero antiqui Ecclesiæ libri Rituales exhibent.

Cum accessisset *s* IESVS ad montem Oliueti, & ingressus in villam quæ dicebatur Gethsemane, vbi erat hortus, assumptis secum Petro, Ioanne, & Iacobo seorsum à ceteris, pauore ac mœrore affici cœpisset; (eas enim cõmunes ceteris animi passiones volens suscepit) auulsus ab illis tactu lapidis, iterum ac tertio Patrem rogauit, vt si possibile esset, à se calicem Passionis transferret; quando & angelus confortauit eum, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Qui quidem locus, ad radices montis Oliueti positus, præclara postmodũ desuper erecta Ecclesia (vt tradit Hieronymus *t*) est mirificè illustratus. Additq; Beda *u* petram ipsam super quam Dominus orans flexis genib. innixus est, quasi mollem ceram cessisse, & genuũ eius in se vestigia recepisse; ipsumq; lapidẽ intra Ecclesiam translatum, & parieti affixum esse. Sed & accepimus ab his qui hæc viderunt, etiã in imo vallis quam torrens Cedron præterfluit, in lapidibus ipsis eiusdem Christi Domini vestigia pedum impressa remansisse, hactenusq; seruata esse.

Veniens interim Iudas cum militum cohorte, ne hi in alium quẽpiam manus injicerent, osculo Dominum ipsis designauit: Petrus vero amans cupidusq; salutis Christi, magno animo aduersus vniuersam cohortem exerens gladium, Malcho aurem amputauit: sed Dominus eam ei restituens, & Petrum cessare iubens, seipsum volens libens q; à militibus teneri permisit, eo modo quem pluribus Euangelistæ *a* describunt. Discipulis dehinc omnibus aufugiẽtibus, ille etiã qui sequebatur enim adolescens amictus sindone super nudo, cum teneretur, ea relicta nudus aufugit: qui creditus est ab antiquis *b* fuisse Ioannes Apostolus cœnatoria adhuc veste indutus: quippe qui (vt putamus) cum in cœna proditionem Iudæ ceteris manifestius cognouisset, vehementi quodam mœrore oppressus, nihil de sumẽdis suis vestibus cogitauerit; & cum nox esset quando de cœnaculo recesserunt, perfacile id & alios præteriisse potuerit. Sed quod nonnulli opinati sint hunc fuisse Iacobũ fratrẽ Domini, ea præcipua adducti ratione quod dicatur *c* amictus sindone incedere cõsueuisse: tantum abest vt Iacobus his temporibus adolescens ætate fuerit, vt potius senex dicendus esset; quippe quem testatur Epiphanius *d* fuisse annorum nonaginta sex quando martyrium cõsummauit, anno vigesimo quarto (vt ponit) post Ascensionem Domini: eaq; ratione dicendum esset, ipsum hoc tempore Dominicæ passionis annos natum fuisse septuaginta duos: qua tamen de re dicetur in eius obitu.

Dominus igitur à militibus prensus, ductus *e* est primo ad Annam, præfectum (vt diximus) magno Concilio Sanhedrin, & ab eo ex officio interrogat° de discipulis suis atq; doctrina; & ab vno ex ministris alapa percussus. At quoniam non erat Annæ liberum absque magno illo Concilio ferre sententiam, misit ipse IESVM ligatũ ad Caipham, Summum Sacerdotem, apud quem comitia haberentur. Interim Petrus *f* introductus in atrium ab alio discipulo (hic Ioannes putatur) qui erat notus Pontifici, ter Christum negauit, sed cantu galli monitus, facti pœnitens egressus foras, cœpit flere. Porro hæc contigisse in atrio Caiphæ, libentius assentimur. Nam quod ex verbis Ioannis in domo Annæ facta esse videantur, id accidit quod cum de Petro semel Iohannes dicere cœpisset, ipsum & alterum discipulum secutos esse IESVM, cætera etiam quæ Petro contigerunt, postea eidem orationi simul adnexuit. Qua autem occasione Iohannes notus esset Caiphæ, Hieronymus *g* tradit fuisse propter ipsius nobilitatem generis: Nicephorus *h* autem, & alij, quod Iohannes Caiphæ vendidisset possessionem quam in Galilæa nõ paruam habuerat. Quicquid sit, Matthæi *i* testimonio constat ipsum fuisse piscatorem: ditiorem tamen ceteris Apostolis piscatoribus extitisse, ea est coniectura, quod mercenarios ad piscationem conductos habuisse, Marcus *k* scribat.

Cæterum post multa apud Caipham aduersus CHRISTVM disceptata, prolataq; falsa testimonia, & plurimas illatas contumelias; cum tandem adiuratus à Caipha, se filium Dei asseruisset, &c. tunc Caiphas quasi blasphemiam audisset, scissis vestibus suis, rogata aliorũ sententia, Christum reum mortis iudicauit. Hæc pluribus Euangelistæ *l*. Sed quod dicunt scidisse Caipham vestimenta sua, mos quidem erat apud Hebræos, vt cum quid contra diuinum honorẽ factum dictumve esset, qui hæc viderẽt audirẽtve, sua vestimenta scinderent; sicut fecisse constat Ezechiam *m* Regem cum Rabsacis blasphemias audisset: & Ioakim *n* ac Herodi *o* Regibus datum est crimini, quod ille videns, hic audiens blasphema, non scidissent vestimenta sua. Verum quoniam id Sacerdotibus lege *p* diuina vetitum erat peccauit in eam Caiphas; & furore in Christum ductus, quo cæterorum pariter animos concitaret, eandẽ primus omnium prætergressus est. Nam si Ionathas Summus Sacerdos libro primo *q* Machabæorum dicatur scidisse vestimẽta sua, non tamen vestem Sacerdotalem conscidit, de qua in lege agitur, sed militarem, cum esset non in procinctu tantum, sed etiam in ipso conflictu.

XIII. AN IVDAS EAM ACCEPERIT.
i Aug. in Psal. 10. ep. 163. tract. 62. in Ioan. *k Chrys. hom. de prodit. Iud.* *l Cyril. Hierosol. catech. 13.* *m Ioan. 13.*

CALIX EVCHARISTIÆ CONSERVATVS.
n Bed. de loc. sanct. c. 6.

XIX.
o Matth. 26. Mar 14. Luc. 22. Ioan. 13. *p Ioan. 13. 14. 15. 16. & 17.*
DE HYMNO CŒNÆ.
q Aug. ep 253. ad Ceret.

r Chrys. hom. 57. ad Antioch.

XX.
DE LOCO VBI CHRISTVS ORAVIT.
s Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

t Hier. de loc. Hebr. *u Bed. de loc. sanct. c. 6.*

XXI.
IESVS CAPITVR.
a Matth. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18.

b Ambros. in Psalm. 36. Greg. 14. moral. 13. Bed. in Mar. 14. & alij complures. [Sed sunt aliorum haud forte improbabiliores opiniones; quas videre est apud recentiores Interpretes.]
c Ap. Euseb. 2. hist. 22.
d Epiph. hær. 78.

XXII.
e Ibid. 18.
IESVS DVCITVR AD ANNAM, ET CAIPHAM.
f Ioan. 18. Marc. 15. Matth. 26. Luc. 22.
PETRI NEGATIO.

g Hier. ep. 26. *h Nic. 1. hist. 28.*

i Matth. 4.

k Marc. 1.

XXIII.

l Matth. 26. Marc. 14.

CAIPHAS SCINDIT VESTES SVAS.
m Isa. 37. & 4. Reg. 19. *n Ierem. 36.* *o Act. 12.* *p Leuit. 21.*

q 1. Machab. 11.

XXIV. De IVDÆ INTERITV.

Cum aût sic à Iudæis damnatus Dominus ductus esset ad Pontiũ Pilatum Præsidem; tunc Iudas *a* qui eum tradiderat, detestans quod patrarat grande scelus, retulit Principibus Sacerdotum triginta argenteos quos pro ipsius proditione perceperat, & in desperationem actus, laqueo se suspendit, crepuitque *b* medius, & diffusa sunt omnia viscera eius. Hæc cumulatius Euangelistæ. Scribit vero Augustinus *c*, eum non statim ac retulit triginta argenteos, sed post mortem Saluatoris sibi manus intulisse: Græci autem auctores *d* ex Papia, vt aiunt, Iudam suspendio superuixisse volunt: deiectum enim esse priusquã suffocaretur, & ad magnum impietatis exemplum in mundo permansisse, sed sanie & vermibus consumptum, adeoque capite & toto corpore inflatum, vt nec videre nec progredi posset: donec tandem post multa tormenta, à curru leui cursu pertranseunte in suo prædio compressus, effudit intestina, tantumque fœtorem edidit, vt ad multa secula prædium desertum reddiderit. Sed vtrum his sit fides adhibenda, relinquimus prudentis lectoris arbitrio; cum præsertim plurium auctoritate Patrum testatum habeatur, Iudam ante Christi obitum laqueo sibi impacto vitam finisse: quo enim impetu, stimulo grauis culpæ adactus est reddere nummos, eodem pariter videri potest ad necem impulsus. Ceterum maiorum traditione acceptum est, arborem illam in qua Iudas laqueo se suspendit, fuisse Ficum, eandemq; adhuc Bedæ *e* temporibus superfuisse, ipse testatur.

Cum ergo Principes *f* Sacerdotum obtulissent IESVM Pilato; hic vero post multas interrogationes nullam in eo causam inueniens, refundere in eos iudicium cuperet; negarunt ij licere sibi interficere quemquam. Sed hoc minime putandum eos intellexisse de ferenda sententia capitis, quippe qui iam ante (vt ait Marcus *g*) condemnauerant eum esse reum mortis: verum de executione ipsius sibi interdicta per septem dies illos Azymorum: sicut & postea iisdem ipsis diebus Petrus *h* ab Herode Agrippa est detentus in carcere, quo illis transactis morti traderetur. Ista enim hoc esse accipienda sensu, Augustinus *i*, Chrysostomus *k*, atque Cyrillus *l* persuadent. Quemadmodum & Philo, Christi æuo compar, scribens aduersus Flaccum Ægypti Præsidem morem fuisse tunc vbique gentium attestatur, in neminem sontium animaduertendi, donec solemnes feriæ, ac festa etiam hominum, vt Augustorum, præterijssent. Clarumq; pariter ex Scriptoribus *m* Ethnicis, diebus festis à cæde abstineri consuetum fuisse. Idque ipsum postea Christianos Imp. suis legibus sanxisse, videbitur inferius suis locis: nunc ad rem.

Nouis post hæc ingestis aduersus Christum accusationibus, cum anceps Pilatus quid esset acturus, audisset illum esse Galilæũ; eundem amandauit ad Herodem Antipam Galilææ Tetrarcham, qui opportunè Hierosolymis aderat: qui cum multa curiosè eum rogaret, nec CHRISTVS quicquam responderet, quasi fatuum quendam ac motionem illudens, veste alba indutum ad Pilatum remisit. Sed de hac veste obseruandum est, Græcam dictionem non propriè quam dicimus *albam* significare; sed potius splendidam, quam magis propriè *candidam* dicere consueuimus: non enim λευκὴν, sed λαμπρὰν Euangelista dixit. Quæ eadem vox cum reperiatur apud Iacobum *n* Apostolum in descriptione nobilissimi cuiusdam viri; inde nonnulli deduxerunt, vestem illã qua ab Herode Saluator indutus est, fuisse Regium Iudæorum indumentum. Sed in hoc minime eis assentimur, cum auctore Iosepho *o* constet, regium indumentum fuisse purpuram: etiamsi haud dubitemus, vestem illam qua ludibrij causa Herodes induit Redemptorem, nobilissimam fuisse. Sed & magnum plane & admirandum in eo apparuit diuinum consilium, quod cum etiam apud Iudæos *p* ea vigeret consuetudo, vt alicuius criminis reus iudicio postulatus atratum se sisteret; IESVS contra, vt innocentissimus, iussus est candidatus incedere, & Pilati iterum iudicio sisti. Nec displicet quod à nonnullis obseruatum est, CHRISTVM veste candida fuisse ab Herode indutum quasi Sacerdotem, sicuti postea purpurea à Pilato vt Regem: diuina agente prouidentia, vt qui vere Rex & Sacerdos esset, talis etiam liceret ab irrisoribus demonstraretur, vt alia mysteria prætereamus, quibus hæc possint aptari.

Cum autem solemnitate Paschali *a* vinctus vnus reus mortis, ad optionem populi esset ex consuetudine dimittendus; Pilatus, quo ea occasione sibi liberum esset, quod maximè cupiebat, Christum dimittere, Barabbam famosum latronem & homicidam, ac IESVM sæpius à se innocentem declaratum, in optionem populo dedit: sed suadentibus Principibus Sacerdotũ clamantes simul omnes, Barabbam liberari, Christum vero crucifigi petierunt. Quando Pilatus monitus inter hęc ab vxore ne quid in IESVM committeret, aliam rursum eum dimittendi rationem tentans; quo Iudæis aliqua saltem ex parte satisfaceret, proposuit eundem flagellis subijcere, ac postea dimittere. Qua quidem in re obseruatione dignum est, etiam in hoc ipso voluisse Dominum (quod ait Paulus *b*) seruilem formam induisse, dum permisit se flagellis cædi: seruorum enim id fuisse, liberorum autem virgis ac fustibus affici, antiqui Romanorum Iurisconsulti *c* tradiderunt. Porro cum Dominus flagellandus esset, eum ad columnam fuisse ligatum auctor est Hieronymus: eandemque solitos Christianos corrigijs textilibus circumdare, quibus postea varios morbos pelleret, testatur Gregorius *d* Turonensis. Sic igitur flagellatum Dominum *e* milites in atrium Prætorij ducunt, exuunt, ac chlamyde coccinea (erat ea vestis militaris) superinduunt; & vt omni ex parte, quasi in scena Regem ex ludibio repræsentarent, coronam spineam in capite, & sceptrum arundineum in manu eius dextera ponunt; ac speciem adorationis genuflexi præseferentes, loco tributi sputa alapasq; pendunt. Auctor autem est Clemens *f* Alexandrinus, Christianos ob reuerentiam spineæ Coronæ Domini nostri, coronis intextis floribus temporã ornare Gentilium more, exhorruisse: Eademq; Tertullianus *g* pluribus tractans, vulgatã ait fuisse disciplinã Christianorum, vt coronis abstinerent. Ceterum nullatenus audiendos puto, qui ex iunco marino coronam Domino contextam fuisse dixere: cum certum sit Lucæ & Iomnis Euangelistarum assertione, ex spinis esse cõpactam; & quæ hactenus asseruatæ reperiuntur ex eadem corona spinæ, verè ex sentibus esse decerptæ noscantur: proculq; abest vt aliqua ex parte cum iunco marino communicent, cui nec alioquin vllæ vel in fuste vel in ramis spinæ inhæreant, sed tantum acumina in spinas desinant. De iisdem vero Spinis tradit Gregorius Turonensis ex aliorum relatione, eas suo tempore quasi virides apparere; & quæ viderentur aruisse foliis, quotidie reuirescere virtute diuina.

Sic itaque malè affectum IESVM cum Pilatus cunctis aspiciendum proposuisset, & occasionem adhuc quæsisset eum dimittendi; rursum conclamantibus importunius Iudæis vt crucifigeretur, & inculcantibus non posse absque crimine læsæ maiestatis Imperatoris dimitti, quod se Regem esse dixisset: tandem Pilatus contestans se rem aggredi iniquissimam, a qua manus coram populo lauit, suam iniecto facto professus innocentiam, & sanguinem iusti in Iudæos refundens, qui se illum in capita sua & filiorum suorum accipere responderunt. Quod autem Pilatus manus lauit in signum innocentiæ, haud ex Romana consuetudine, aliove Gentilium ritu; sed potius ex cæremoniis Iudæorum videtur mutuatus exemplum. Lege enim Mosis *h* iussum erat, vt quo se quis innocentem à nece hominis desum erat, vt quo se quis innocentem à nece hominis desum monstraret, manus suas lauaret super cæsam vitulam. Ad quæ videtur alluisse Propheta *i*, dum ait: *Lætabitur iustus cum viderit vindictam; manus suas lauabit in sanguine peccatoris*: nimirum vt sic lauando manus, suam contestaretur innocentiam; sicuti Hilarius & Theodoretus interpretantur, atq; alij, quamquam sciamus prouinciarum Iudices aliis quoq; ritibus consueuisse immunes se à cæde viri iustum legibus iudicarent declarare; puta manuum *k* ad Solis sublatione, & aliis *l* eiusmodi.

Porro Pilatum in ipsas etiam leges Romanas grauiter deliquisse, tradendo Christum crucifigendum, nec abluderiquisse, tradendo Christum crucifigendum, nec ablude

tio ad decem saltē dies propagāda fuisset ex Senatusconsulto Tiberiano, ante duodecim annos (vt diximus) promulgato. Quænam vero causa fuit, vt idem Pilatus Christum à Iudæis vt blasphemum damnatū, in crucem adigendū statueret? Nam si eorum lege *a* res ageretur, lapidationi erat subijciendus; si iure Romanorum, famosis latronibus eiusmodi supplicium debebatur. T. enim littera, quod crucis figuram exprimat, notari consueuisse fures, apud Lucianum *b* testatum habetur. Et apud ipsos Iudæos, crucis pœnam homicidarum fuisse Philo *c* tradit. Sed diuina quadam dispensatione factum est, vt supplicium quod Barabbæ duplici ex causa debebatur, tum vt latroni, tum vt homicidæ, conuerteretur in CHRISTVM, cuius nulla esset mortis causa; vt Dei filius pro redemptione totius humani generis crucem subiret, quæ tam apud Iudæos: quam etiam Gentiles, insigne salutis esset. Signandos namque esse signo THAV, qui liberandi essent ab ira Dei, Ezechieli *d* Prophetæ fuit diuinitus demonstratum: & apud Ægyptios istud ipsum signum Crucis in sacris eorum literis significasse vitam, Ruffinus *e*, Socrates *f*, Sozomenus, & alij testantur. Sed mysteria CRVCIS, à sanctis Patribus toties decantata, hic prætermittimus enarrare, quæ alij *g* collegerunt vbertim.

Cum autem Pilati sententia dimisso Barabba, traditus esset Iudæis IESVS ad crucifigendum; ducendus *b* Redemptor noster, exutus est chlamyde, & propriis indutus vestimentis; ac Cruce, cui affigendus erat, super humeros eius imposita, coactus est Simon Cyrenæus altera ex parte eandem portare post IESVM, qui sic perductus est in montem Golgotha. Illic autem, antequam Cruci affigeretur, propinatum ei fuisse vinum myrrhatum tradit Marcus; sed & vinum felle admixtum eidem datum, scribit Matthæus: ac denique auctor est Ioannes, vas illic fuisse aceto plenum, crucifixorum vsui. Sanè quidem Hebræos consueuisse damnatis solatium aliquod impendere, & vinum illis propinare optimū, ipsa etiam Scriptura *i* docet. Vnde cum Dominus cruci damnatus esset; quemadmodum ex odio quo in eum Iudæi flagrabant, conditum est vinum felle, sic quod permulti (vt Lucas declarat) ipsius vicem dolerent; commiserationis ergo allatum est vinum myrrhatum: acetum vero ad alium vsum fuisse paratum, inferius dicetur.

Porro Vinum MYRRHATVM nequaquam (vt multi explicant) amarum fuisse & insuaue, sed perquam iucundum & gratum, ex Martiale *k* constat, ac maximè ex Plinio *l*: nimirum sic appellatum, ꝙ in vasis myrrhinis calidum poneretur ad saporem odoremq; quærendum dulcedinem vero, etsi non ex myrrha, ex alijs tamen admixtis speciebus contrahebat. Errasse pariter videntur, qui tradiderunt vinum myrrhatum fuisse potionem soporiferam quæ à mente alienet, solitamq; passuris propinari, quo mortis dolores minus attenderent. Nam econtra eius naturæ esse ab ebrietate bibentes præseruare, surgentesque vapores digerere, est insignis locus Athenæi *m* ex Aristotele acceptus, quo etiam declaratur quibus aromatibus eiusmodi vinum myrrhatum condi consueuisset. Iisdemq; consentiunt quæ item ex Aristotele Plutarchus ait in libro de Iside, nempe Myrrham ab Ægyptijs *Bal* nominatam esse, quæ vox delirij significaret amolitionem. Cum tamen non negemus quod ait Galenus *n*, myrrham, si largius biberatur, aut dementare, aut mortem afferre: nam hoc & vinum ipsum absque myrrha abundantius sumptum præstare solet. Deinde si (quod obijcitur) ex antiquo Iudæorum *o* more, quo omnibus licet vilissimis cruciarijs vinum myrrhatum propinari consueuerat, & ipsum Domino oblatum volumus; illud pariter & latronibus, æquale cum ipso supplicium subituris, traditum fuisse dicendum est. At cum ex Euangelistis constet latrones ih cruce positos mentis fuisse compotes, eaque locutos quæ sibi constantes esse significarent; planè declaratur, haud extitisse eam naturam vini myrrhati, vt bibentes dementaret, sed exhilararet potius. Qua etiam ratione in Actis *p* SS. Martyrum Fructuosi Episcopi Tarraconensis ac sociorum, quæ nōrunt & probarunt Augustinus *q* atque Prudentius *r*, legitur, ipsis, dum ad locum supplicij ducerentur, ex fraternā charitate ab alijs Christianis oblatum esse condimentum, vti permixtum poculum sumerent. Deniq; Fulgentius *a* agens de natura Myrrhæ citat Petronium Arbitrum, qui ad libidinis concitamentum myrrhinum se poculum bibisse refert; & Subtrium veterem comicum, istud ipsum per Glyceram asserentem. Vt plane appareat, non sopotis inducendi causa, sed ad remissas vires reuocandas roborandasque, in vsu fuisse ex myrrha conditum apud antiquos. His autem omnibus sic explicatis, magna consideratione dignum est quod scribit Marcus *b* Euangelista, Dominum myrrhatum vinum non accepisse; nimirum quod qui prudens volensque omnes ærumnas sponte susceperat, quamlibet quauis occasione oblatam consolationem admittere recusauit; cum econtra vinum felle mixtum saltem gustasse, & oblatum calamo acetum accepisse, alij tradant Euangelistæ *c*.

[De hoc *Vino myrrhato* fuit amica velitatio Baronio cum Nic. Fabro V. C. Ludouici XIII. Regis Christianissimi postea præceptore: qui præ modestia cessit tandem Baronio, licet non vsquequaque eius sententiæ: Baronius aūt illius acerrimo iudicio multum deferens, liberum reliquit lectori, quā veriorem putaret sententiam sequi. Scripserunt & de eadem re alij. Sed (vt sæpe monemus) nobis sat est Baronium, qualem ipse sese voluit, exhibere. Nec è re putamus, nostras coniecturas vbiq; addere; quia scimus haud illas cæteris omnibus placituras, quemadmodum & nos libere profitemur, non omnes cæterorum nobis placere.]

Sed quod spectat ad *Propinationem Aceti*, quæ facta est post alia omnia Crucis mysteria consummata; ex illis quæ dicturi sumus facile apparebit, tum nullam inter sanctos Euangelistas esse discrepantiam, quantumlibet Iohannes dicat spongiam aceto plenam hyssopo circumpositā Christi ori admotam esse, Matthæus vero & Marcus eam arundini seu calamo tradant impositam; tum commentum esse quod aliqui dixerunt, ad accelerandam reorum mortem consueuisse Iudæos cruci affixis propinare acetum. Primum enim virtutem à natura insitam esse Aceto sistendi sanguinem, eandemque Hyssopo & spongiæ inhærere, pluribus in locis testatur Plinius; cuius est in primis locus egregius, & ad rem de qua agimus valde accommodatus, cum ait *d* acetum fasciculo hyssopi conditum, sistendi sanguinis vim habere, siue spongiæ superponatur, siue ad potandum detur. Ac pariter Dioscorides *e* eandem tribuit aceto potato virtutem. Verum non potu tantum, sed applicatione eadem res idipsum operari soli tas, siue separatim, siue mixtim vulneribus apponantur, idem Plinius *f* est auctor. Vt ita manifestum sit, ex industria omnia potiora medicamenta quæ sanguinem sisterent, à Iudæis consueuisse parari cum quis affigeretur cruci: simulque elucidatum est quod ait Ioannes Euangelista, spōgiam plenam aceto hyssopo circumpositam oblatam esse ori Christi. In quo & magis cōsentaneum veritati esse videtur, ꝙ ex Græco textu, & ex Theophylacti huius loci interpretatione colligitur, acetum illud hyssopo fuisse permixtū atq; conditum, sicq; ex aceto & hyssopo spongiam fuisse imbutam, atq; arundini affixam ad potum Domino propinandum. Cæterum medicamentū illud ita compositum, non potus causa fuisse præcipuè institutū putamus, sed magis vt eo sic infusa spongia vulnerib. admota sanguinem sisteret. Cuius rei non leuis est coniectura, quod *spongia* qua potatus est Dominus, quæ vsq; hodie summo honore asseruatur Romæ in basilica Lateranensi, quasi aliquando sanguine tincta fuisset, ruborem quendam adhuc retinet quē semel imbibisset: sicq; putamus madidam prius sanguine spongiam atq; pressam, aceto postea & hyssopo superinfusam, sacratissimo Domini ori propinatam esse. Quod autem cum illam is accepisset, continuo tradidit spiritum; id quidē non idcirco euenit quod eiusmodi potus sui natura accelerādæ mortis vim haberet; sed potius Deo sic dispensante, ne lōgiori vita reseruaretur ad crurifragiū, quod de eo Propheticè scriptum esset *g*, *Os non comminuetis ex eo*. Quamobrem quod maxima omnium pœna crurifragiū esse soleret, haud putamus humanitatis intuitu his ad sistendum sanguinem Iudæos consueuisse vti remedijs; sed potius ferali sæuitia, vt sic diutius pœnis derenti durare possent vsq; ad vesperū, quo ante Solis occasum mos erat ossium fractura mortem inferre. Sed reliqua prosequamur.

a Leuit. 24.

b Lucian. dial. Iud. vocat.
c Phil. de spec. ial. leg.
DE SVPPLICIO CRVCIS.
d Ezech. 9.
e Ruff. 2. hist. 29.
f Socr. lib. 5. c. 17.
g Gretserus quatuor Tomos de Cruce edidit: tres, libros Lipsius de varijs Crucium generib. modisq; crucifigendi: Bosius quoq; volumē ingens de Cruce triūphante: agitq; de ijsdē etiā Baronius Annal. Tom. 1. hoc an. & in Notat. ad Rom. Martyrol. 7. April. d. quos consulat qui ea cupit.

XXX.
h Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.
i Prouerb. vlt. Amos 2.

a Fulg. 3. Mythol. 8.

b Mar. 15.

c Ioan. 19. Matth. 27.

XXXII.
DE SPONGIA, ET ACETO.

d Plin. lib. 23. cap. 1.
e Dioscor. lib. 1. cap. 14.

f Plin. lib. 31. cap. 11.

XXXI.
DE VINO MYRRHATO
k Mart. lib. 14 epigram.
l Plin. lib. 14. c. 13.

m Athen. lib. 11. c. 30.

n Gal. simpl. med. lib. 25. cap. 19.

o Thalmud. tit. Anel. Kabba. cap. 2.

p Ap. Sur. 22. Ianuar.
q Aug. serm. 101. de diuers.
r Prud. hym. 4 Perist.

s Exod. 12.
DE CRVRIFRAGIO.

XXXIII. DE GOLGATHA. ADAM IBI SEPVLTVS.

Quod in primis ad GOLGOTHA spectat, siue Caluariæ locum, quo ad supplicium ductus est IESVS; complures antiquorum Patrum ex maiorum traditione testantur, hunc eundem esse montem in quo Abraham iussus est immolare filium suum Isaac. Cur vero dictus CALVARIÆ locus, ex simili firma traditione veteres omnes acceperunt, quod ibi primus homo Adam sepultus esset. Id enim ex Græcis testantur Origenes *a*, Athanasius *b*, Basilius *c*, Epiphanius *d*, Chrysostomus *e*, atque alij recentiores: & ex Latinis Tertullianus *f*. Auctor qui scripsit de Operibus Cardinalibus, Ambrosius *g*, Augustinus *h*, atque etiam Hieronymus *i*; licet iste aliquando *k* huic sententiæ contradixerit, quod (vt ait) in libro Iosue scriptum sit Adam sepultum esse iuxta Hebron & Arbee; ideoq; ipse malit Caluariam significare locum decollatorum. Verum nihil repugnat vt locus ille vbi primus homo sepultus dicitur, postmodum electus fuerit (quod in edito loco situs esset, & Hierosolymis proximus) ad supplicia damnatorum. Illum autem *Adam*, qui in libro Iosue *l* sepultus in Hebron dicitur; diuersum prorsus fuisse à primo parente, idem ipse Scripturæ locus satis declarat, dum vocat eum *maximum inter Enacim*. Enac enim fuisse gigantem, & parentem gigantum, eandemque ipsam ciuitatem Hebron inhabitasse, habet liber Numerorum *m*: & ab Enac, ipsos gigantes eadem diuina *n* Scriptura nominare consuevit *stirpem Enacim*. Sicque quod de Adam maximo inter filios Enacim legitur, non de alio dictum existimamus, quam de vno ex gigantum numero qui cæterorum maximus haberetur, idemq; *Adam* esset appellatus. Nam & Iosephus *o* testatur, adhuc temporibus suis monstrari solita ossa gigantũ qui in Hebron sepulti erant, adeo magna, qualia, inquit, vix credant qui non viderunt ipsi.

a *Nicol. PP. ep. 8. App. Baron. an. 16.*

XXXIV.

Quod autem idem Caluariæ locus *in medio sit terræ situs*, ac secundum Propheticum *p* sermonem Deus operatus fuerit salutem in medio terræ, Tertullianus *q* & Victorinus Pictauiensis asserunt: sed & Hieronymus *r* Hierusalem in medio mundi sitam esse scribit. At Iosephus *s* aliam iniens rationem, ait Hierosolymam sitam esse in medio Iudææ. Beda *t* quoque tradit, in monte Caluariæ columnam celsam suo tempore extitisse, quæ æstiuo solstitio vmbram non faceret; vnde & putaretur, ibi mediam esse terram. Sed si hoc ita esset, necesse omnino foret Hierosolymam ponere intra zonam torridam, & tropico saltem cancri subijcere: at ab illo longius abesse, omnes qui terras describunt apertissime tradunt, & certissimis experimentis nunc cognosci potest. Sed illud non malè, vel Hierosolymam sitam esse in medio terræ habitabilis, vel in medio Palæstinæ.

b *Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.*

DE SOLIS DEFECTV.

c *Orig. tract. 35. in Matth.*

d *Id. lib. 2. cont. Cels.*

XXXV.

Exuerunt *u* post hæc milites IESVM suis vestibus, easq; in quatuor diuiserunt sibi partes; super tunicam vero miserunt sortem, quod quæ inconsutilis esset haud facile scissuram pateretur, quin tota pariter texeretur. Contextam illam fuisse à sanctissima Virgine, scribit Euthymius, ac par est credere: nam in Oriente hominum vestes à feminis cõfici solitas, ipsa etiam Scriptura *x* indicat. Errare vero illos existimo, qui putarunt Christi vestem inconsutilem, fuisse pretiosam: haud enim credendum est, eius generis vestibus Dominum esse vsum. Porro sic spoliatum Cruci affixerunt medium inter duos latrones, tribus, vel (vt tradit *y* Gregorius Turonensis) quatuor clauis. Sane quatuor antiquiores Imagines repræsentant, nempe singulos seorsum singulis pedibus manibusque; idq; secundum antiquum crucifigendi ritum, de quo Plautus *z*: *Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excurrerit: sed ea lege, vt affigantur bis pedes, bis brachia.* Quemadmodum & Irenæus * describens Crucem, præter quatuor extremitates longitudinis & latitudinis, aliam quandam ponit in medio partem, vbi requieuerit qui clauis configitur. Verum interdum martyres pluribus etiam clauis in cruce confixos legimus. Sententiam autem de tribus tantummodo clauis Christi, recẽtior probauit vsus. Causæ deinde titulus scriptus est à Pilato, nempe IESVS NAZARENVS REX IVDÆORVM, & super Crucem affixus eo ordine quo describitur à Ioanne, nẽpe Hebraicè, Græcè, & Latinè; vt etiam adhuc appareat in parte ipsius Tituli lignei quæ Romæ extat: ita tamen vt nobilior locus ille sit visus qui Christo vicinior esset, necq; Latina prior, nouissima vero Hebraica (vt quæ Græca inferior, & barbara à Romanis haberetur) posita esset inscriptio: sicut & Nicolaus *a* Papa scribens ad Michaelem Imperatorem in Latinam linguam insultantem, egregiè testatus est.

u *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

DE VESTE INCONSVTILI.

x *Prouerb. 31. 3. Esdr. 4.*

y *Greg. Tur. de glor. mar. cap. 6.*

QVOT CLAVIS CHRISTVS CONFIXVS.

z *Plaut. in Mostel.*

TITVLVS CRVCIS.

* *Iren. lib. 2. cap. 42.*

XXXVI.

Dum CHRISTVS esset in cruce, post multas in eum illatas blasphemias & contumelias, ac post insignem de illo confessionem factam ab vno ex latronibus qui cum eo crucifixi erant, aliaq; gesta quæ fuse narrant Euangelistæ; *hora sexta* (inquiunt *b* iidem) *facta sunt tenebræ super vniuersam terram vsque ad horam nonam.* Cum vero Lucas addat, & *Solem esse obscuratum*, satis perspicuè declaratur, non ipsam tantũmodo Iudæam (quod aliquando Origenes *c* dixit) sed vniuersum planè terrarum orbem offusum fuisse tenebris; vt & ipse alibi Origen. *d* contra Gentiles, & Eusebius in Chronico asserunt ex testimonio Phlegontis Hadriani Imperatoris liberti, insignis Chronographi; atque ex eorundem Gentilium Archiuis & Annalibus confirmant Tertullian. *e* & Lucianus *f* martyr. Agunt pariter de eodem admirando Solis defectu Hieronymus *g*, Augustinus *h*, & alij; testantes omnes, eum fuisse præter omnem naturæ ordinẽ: eundem vero ceteris plenius descripsit omnium antiquissimus Dionysius *i* Areopagita, oculatus eius testis, cum eo tempore Heliopoli in Ægypto existens annum ætatis (vt ait) quintum fere & vigesimum exolueret.

e *Tert. in Apolog.*

f *In Act. sui mart.*

g *Hieron. in Ioel. 2.*

h *Aug. q. 105. Nouum Test. ep. 80.*

i *Dion ep. ad Polyc.*

Post hæc *k* circa horam nonam exclamans IESVS voce magna, reddidit spiritum; & velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum. De quo VELO, præter illa quæ in diuina *l* Scriptura leguntur, Iosephus *m* qui vidit, testatur fuisse velum Babylonium, admirabili opere factum, & hyacintho, byssо, cocco, & purpura variatum altum quinquaginta quinq; cubitis, latũ sexdecim, secundum proportionem portarum (ad quas appensum erat) primi tabernaculi, vbi erat candelabrum, mensa, atq; thuribulum: Additq; fuisse alterum Velum, quo intima pars templi, quæ dicebatur Sancta Sanctorum, operiebatur. Ex quibus erroris arguuntur, qui existimarunt vnum tantum fuisse velum in templo. Porro hoc tempore consciissum fuisse velum exterius positum, quod erat cunctis perspicuũ, & populum segregabat à sacerdotibus, iure Hieronymus *n* affirmat. Quid autem portenderit tantum prodigium, relinquimus Interpretibus explicandum. Addit vero ad hæc Ephræm *o* Syrus, tũc cum velum templi scissum est, columbam etiam à templo egredi visam esse.

XXXVII.

k *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 13. Ioan. 19.*

l *2. Paral. 3.*

m *Ios. 6. de bel. 6.*

VELVM TEMPLI SCISSVM

n *Hier. ep. 150 quæst. 8.*

o *Ephr. ser. de passio. Domini*

Tunc quoq; magnum factum esse *Terræmotum*, Euangelistæ tradunt: de quo pariter ex Plegonte testimoniũ proferunt Origenes *p* & Eusebius *q*. Sed præterea illa concussione scissas esse petras, iidem Euangelistæ testantur: quarum suo adhuc tempore in monte Golgatha monumenta extare, scribit Cyrillus *r* Hierosolymitanus Episcopus. Nec vero Hierosolymis tantum, sed & in plerisq; alijs Orbis terrarum partibus scissos montes eodem terræmotu, incolæ firma traditione testantur: puta in Hetruria montem Aluerniæ dictũ, & prope litus Campanũ Caietæ promontoriũ. Traditq; insuper Hieronymus *s* ex Euangelio Nazarenorũ, eodem terræmotu templi superliminare collapsum esse, & Angelos præsides templi auditos esse dicentes, *Transmigremus ex his sedibus*: quod & Eusebius circa tempus Christi passionis accidisse testatur; quantumlibet Iosephus *t* ad tempus Pentecostes referat. Deniq; eodem terræmotu monumenta sepulchrorum aperta esse, & multa corpora sanctorũ à mortuis surrexisse, Hierosolymamq; post Domini resurrectionem venisse, (nam sepulchra foris erant) ac multis apparuisse, Euangelica *u* docet historia. Et quoniam de prodigijs agimus, non prætermittimus meminisse eorum quæ Plutarchus *x* his Tiberij temporibus accidisse scribit; nimirum, cum quidam in Italiam nauigarent, nocte à Paxis insula, quæ vna est Echinadarum, voce magna nunciatum esse, PANA *magnum esse mortuum*; cumq; illud nauigantes ex præscripto eiusdem vocis iuxta Palodem portum similiter è naui proclamassent, magnum subito innumerabilium gemitum auditum esse. Recitat eadem ex Plutarcho Eusebius *y*, sed fides esto penes auctorem. Ea vero ab aliquibus in eum sunt accepta sensum, vt *Pan* CHRI-

o *Ephr. ser. de passio. Domini*

XXXVIII.

SCISSI MONTIS, ET LAPIDES.

p *Orig. l. 2. cont. Cels.*

q *In Chron.*

r *Cyril. catech. 13.*

s *Hieron. ep. 150. q. 8.*

t *Ios. 6. de bel. 31.*

u *Matth. 27.*

x *Plut. lib. de defect. orac.*

DE INTERITV PANIS.

y *Euseb. 5. de præp. Euang. 9*

STVS

STVS Dominus vniuersorum intelligeretur, eiusq; mortem vt suam ipsorum cladem lugerent dæmones, quippe qui adhuc eo viuente sæpius fuissent lamentati se ab ipso torqueri.

De tempore recessvs angelorvm è templo.

[Abscessum Angelorum è templo, Iosephus quidem non solum ad tempus refert Pentecostes, verum etiam ad excidiũ Hierosolymitanum; quemadmodum & Tacitus hist. lib. 5. Hegesippus lib. 5. de excid. Hierosol. cap 44. Eusebius 3 hist. 8. & alij nonnulli; asserentes tunc portas templi suapte sponte fuisse reseratas, & auditam vocem dicentium *Migremus hinc*. At vero idem Eusebius in Chronico, & Hieronymus epist. 17. ad Marcel alijque plurimi recentiores, ad tempus Dominicæ Passionis referunt. Vnde fit credibile, id ipsum vtroque tempore contigisse. Sed quod posteriotibus his locis ijdem Eusebius & Hieronymus Iosephum eius sententiæ auctorem laudant, putatur memoriæ lapsus, cum ipse (vt diximus) nonnisi ad tempus referat excidij Hierosolymitani.

XXXIX. De Longino centyrione.

Cum igitur tot tantaq; diuina operatione prodigia facta essent; inter alios admissi facinoris pœnitentes Centurio *a* hæc videns publica cõfessione testatus est IESVM vere filium Dei fuisse. Porro hunc *Longinum* nomine appellatum esse, Christiq; fidem secutum ad martyrij palmam peruenisse, testantur qui eius Res gestas *b* scripserunt. Ex quibus redarguuntur, qui ex Apocryphis quibusdam scriptis tradiderunt, Longinum nomine, eundemque cæcum fuisse militem illum qui lancea latus Domini aperuit.

a *Matth.* 27. *Marc.* 15. *Luc.* 23.
b *Ext. ap. Metaphr.* 26. *Oct.*

XL.

Cum vero appropinquasset initium diei Sabbati, quem post horam nonam Iudæos auspicari consueuisse, superius demonstrauimus; ne *c* remanerent in Cruce corpora Sabbato, (cum & alioquin lege diuina *d* statutum esset vt appensi in patibulo, eadem die, & vt addit *e* Philo, ante occasum Solis sepelirentur:) milites duorum latronum adhuc superstitum crura fregerunt, à IESV vero abstinuerunt quod iam defunctus esset: eius tamen latus miles lancea aperuit, ex quo fluxit continuo sanguis & aqua. Porro Dei-Genitricem, quæ cum cæteris feminis CHRISTVM comitari solitis aderat, magna cum reuerentia collegisse, quantum licuit, illum sanguinẽ & aquam, ex antiquorib. monumentis recitat Metaphrastes *f*: atque insuper addit, eam ab initio vsq; ad finem se constanter gessisse; factis ostendentem se esse matrem, sed matrem illius qui motum animi certis finibus continuit: quin etiam in eo de Cruce deponendo maternis manibus inseruisse, & clauos qui extrahebãtur in sinu suo accepisse, ac lachrymis plagas emundasse: eius denique hortatu Iosephum ab Arimathia, occultum Domini discipulum, audacter introisse ad Pilatum (quod etiam tradit *g* Euangelista) & corpus IESV ad sepulturam petiisse. Scimus alios animi affectus in sanctissima Deipara expressos inueniri in tragœdia inscripta *Christus Patiens*, quæ Apollinaris Laodiceni potius quã Gregorij Nazianzeni esse opus merito existimatur. Scimusq; præterea, complura à S. Anselmo, & alijs nonnullis piis viris de CHRISTI passione ferri, quæ ex deuota cõtemplatione potius quam ex historica narratione fluxisse noscantur. Deniq; si quid alicui sancto viro diuinitus reuelatum fuerit, non reijcimus: sed his non miscemus, quod non Apocalypsim, sed Historiam conscribamus.

c *Ioan.* 19.
d *Deut.* 21.
e *Phil. de special. leg.*

QVALIS DEI-GENITRIX IN PASSIONE.

f *Die* 15. *Augusti.*

Iosephus igitur accepto corpore IESV, sepulturam *h* eius vna cum Nicodemo diligenter curauit more Iudæorum, nempe mixtura myrrhæ & aloes, ac sindone inuolutum posuit in monumento nouo. Siquidem damnatorum cadauera (vt constat ex compendio Talmud Rabbini Alphesi, & ex Rabbinis Iacob in Turim, & Mose Ægyptio) vetita erant inferri in sepulchra cæteris communia, sed in priuatis seorsum ab alijs erant ponenda: vnaque, vel iuxta illa, sepelienda instrumenta illa quibus mors illata fuisset, ligna, cruces, enses, lapides, & cætera eiusmodi, pro mortis genere quo quis affectus esset. Post hæc tradunt Euangelistæ, Principes Sacerdotum annuente Pilato sepulchrum CHRISTI sigillis muniisse, milites q; ad custodiam posuisse, ne discipuli eius corpus auferrent, & resurrexisse falso iactitarent. Addit vero Nicephorus *i* ex antiquorũ traditione, adhibita insuper sepulchro fuisse quædam ferramenta, quibus adeo sepulchri operculum lapideum inferiori petræ (in petra enim excisum fuisse etiam Euangelistæ testantur) connecteretur, vt nullo modo nisi magna vi & arte adhibita remoueri posset. Quibus consentientia scribens Beda *a*, testatur etiam suis temporibus illum superpositum lapidem monstrasse vestigia ferreorum vinculorum.

XLI. De Christo in nouum sepvlchrvm Iesvs.

g *Marc.* 15.

XLI.

h *Matth.* 27. *Mar.* 15. *Luc.* 23. *Ioan.* 19.

i *Nic.* 2. *hist.* 32.

a *Bed. de loc. Sanct. c.* 2.

Cæterum remanserunt omnia illa Passionis Christi atque Sepulchri instrumenta, ipsaque Loca vbi hæc facta sunt, tantæ rei digna memoria consecrata, velut quædam trophæa victoriæ, eademq; facta toto Orbi conspicua atq; proficua, ex quibus velut è perennibus quibusdam fontibus fluenta gratiarum atque miraculorum eruperint. Ipsas enim *Spinas* Coronæ IESV, *Columnam* ad quam alligatus est cum flagellis cæderetur *Arundinem*, atque *Spongiam* qua fuit aceto potatus, magna fuisse diligentia asseruata, tradunt Gregorius *b* Turonensis & Beda *c*. *Tunicam* item inconsutilem à Christianis redemptam, & conseruatam, auctor est idem Gregorius *d*. Et *Sudarium* quo caput Domini est inuolutum in sepulchro, diuina virtute ab incendio illæsum conseruatum, translatum esse ad posteros Beda *e* testatur. Porro ab hoc diuersum *Sudarium* illud existimatur, quod à Berenice faciei Domini sanguine & sudore aspersæ admotum, eiusdem Dominici vultus effigiem in se retinuit, sicut habet Christiana traditio, & testatur libellus manuscriptus de translatione eius Romam facta, qui asseruatur in Vaticana Bibliotheca: de qua etiam Berenice, (quæ & *Veronica* dicta habetur) deq; eadẽ Christi Imagine velo excepta, meminit Methodius *f* Episcopus antiquus Chronographus. Permansit pariter hactenus integra sanctissima *Sidon* illa, quæ corporis Domini delibuta vnguento, in sepulchro posita fuit veluti operimentum & stratum, quæ & in se Imaginem in sepulchro Domini iacentis expressit; asseruaturq; summo honore in Ecclesia Taurinensi. Sed quid de ipsa sanctissima CRVCE dicam? quæ (vt ait Paulinus *g*) in materia insensata vim viuam tenens, ita innumeris pene quotidie hominum votis lignum suum commodare consueuit, vt detrimenta non sentiret, & quasi intacta permaneret, quotidie diuidua sumentibus & semper tota venerantibus. Ex qua diuinitus ei impartita multiplicatione factum est, (quod iam olim mirabatur Cyrillus *h* Hierosolymitanus Episcopus) vt eius ligno vniuersus terrarum Orbis per partes repletus sit. *Terram* denique ipsam quæ sepulchro adiacet, diuinam quandã ex Dominico corpore virtutem hausisse, & Fideles illuc peregrinantes auide consueuisse accipere eadem q; ad morbos curandos, ac dæmones profugandos vti, testis est locuples S. Augustinus *i* pariterq; Gregorius *k* Turonensis scribit, ex ea, aqua admixta, formari consueuisse tortulas quasdam, ac per diuersas mundi partes transmitti, ad morbos curandos, aliasque diuinas gratias impertiendas. At de his modo satis.

b *Greg. Tur. de glor. mar. cap.* 7.
c *Bed. de loc. Sanct. c.* 20.
d *cap.* 8.
e *cap.* 5.

f *Ap. Marian. Scot. in Chr. an. Dom.* 99.

g *Paul. ep.* 11. *ad Seuer.*

De Cruce, et Terra sepvlchri

h *Cyril. catech.* 4. 10. & 13.

i *Aug.* 12. *de ciuit.* 8. *k Greg. Tur. de glor. mar. c.* 7.

XLIII. De anno Christi passionis.

Iam reliquum est, vt quod de anno *Ætatis* quo passus est Dominus, & ipso tempore *Passionis*, diuersæ admodum reperiantur sententiæ, de ijs breuiter perquiramus. Ac primum de eo quidam agentes, exorbitarunt absurde nimis, cum putarunt Dominum quadraginta sex annorum ætate passum esse, ea tantum ratione quia dictum est à Iudæis *l*, per totidem annos ædificatum esse templum, quod Dominici corporis habebat imaginem. Recitat hanc opinionẽ, refellitque Augustinus *m*. Alij vero, quod Iudæi Domino dixerint *n*: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* eum post annum quinquagesimum passum esse voluerunt. Quod quidem licet ita scriptum inueniatur apud Irenæum *o*, haud tamen ab eo creditum putamus, cum ipse eodem capitulo dicat Dominum baptizatum esse cum esset annorum triginta, ac subinde numeret tria Paschata prædicationis eius, quorum tertio passum affirmat. Fuit præterea Tertulliani *p* opinio, CHRISTVM obiisse anno ætatis trigesimo, Cos. Rubellio & Fusio Geminis, qui reperiuntur inisse Consulatum anno decimo-quinto Tiberij Imperatoris; quamuis huius sententiæ non Tertullianus, sed primus assertor videatur fuisse Valentinus hæresiarcha *q*. Complures autem antiquorum legentes apud Tertullianum, his Cos. consignatum esse annum Passionis CHRISTI, aperta in hunc modum semel erroris via, & ipsi in eundem lapidem offenderunt, nobiles alioquin scriptores, & spectatissimi in Ecclesia DEI, nimirum Iulius *r* Africanus, Lactantius *s*, Hieronymus,

l *Ioan.* 2.

m *Aug.* 2. *de doctr. Chr.* 28.
n *Ioan.* 8.

o *Iren. lib.* 2. *c.* 39.

p *Tert. ad. uerj. Iud. c.* 8.

q *Ap. Epiph. har.* 51.
r *Afric. li.* 5. *de temp. s. Hier. in Dan.* 9.
s *Lactant. lib.* 4. *c.* 10.

mus *a*, Augustinus *b*, Seuerus *c*. Clemens *d* autem Alexandrinus, trigesimo impleto anno CHRISTVM passum tradit: itemque Philastrius *e*, vixisse vno & triginta annis: Et Gaudentius *f* Brixianus, anno tantum vno post baptismum docuisse; quod & Gnostici *g* olim affirmarunt: Apollinaris *h* vero Laodicenus biennio; quem secuti videntur Cyrillus *i* Alexandrinus, & Cassiodorus *k*. Hisque proximus accedens Orosius *l*, dum anno decimoseptimo Tiberij CHRISTVM passum affirmat, suæ sententiæ sectatores habuit nonnullos ex recentioribus. At vero Epiphanius *m*, & alij plerique, id accidisse volunt anno ætatis CHRISTI trigesimo tertio per tres menses inchoato. Sed cum eo potissimum innitantur fundamento, quod Dominus fuerit baptizatus ipso trigesimi anni exordio; cum in hoc errent, in ceteris quoque deducendis annis errare non mirum est: cum alioquin & ipsi fateãtur, quatuor Paschata ab Euangelistis esse recensita post baptismum Christi vsque ad ipsius Crucem. Deniq; cum nonnisi expleto anno suæ ætatis trigesimo, & trigesimo primo inchoato Christum esse baptizatum satis superius sit demonstratum, sicque constet primum Pascha incidisse in annum Domini trigesimum primum; concludendum necessario erit vltimum, quo passus est, incurrisse *in annum eius ætatis trigesimum quartum inchoatum*: vt iam non amplius immorandum sit in refellendis aliorum de ea re sententijs.

XLIV. VERA DE EO SENTENTIA.

Nostræ vero nequaquam (prout multi existimant) fuit Beda primus assertor, qui potius sectator accessit; cum eius fuisse auctorem constet Ignatium, qui ipsum CHRISTVM vidit in carne, dum ad Trallianos scribens asserit Dominum baptizatum esse expleto trigesimo ætatis anno, & triennio prædicationis euoluto crucifixum. Quinimo & hanc non tantum sententiam, sed fidem esse Ecclesiæ Catholicæ, eandemq; semper tenuisse Romanam & Apostolicam Ecclesiam (quod ceteris omnibus præstare debet auctoribus) idem ipse Beda *n* diserte testatur. Nec ab his discrepat (vt multi putant) quod idem alibi dicit *o*, Christum natum quadragesimo secundo Augusti anno, & decimo octauo Tiberij passum: nam numerando annos Augusti à nece Cæsaris, & inchoando annorum Christi numerũ à Coss. Lentulo & Messalino, (vt suo loco plurib. dictum est) æquè inter se consentiunt, Christum passum anno suæ ætatis trigesimo tertio expleto & amplius tribus mẽsibus, idque accidisse anno decimooctauo Tiberij Imperatoris. Deniq; vt rem paucis absoluamus, quotquot dixerũt Christum natum quadragesimo secundo Augusti anno, ac passum decimooctauo Tiberij, (quorum est ingens numerus) huic nostræ sententiæ æquè consentiunt: cui pariter assentiuntur Marianus Scotus, qui ante quingentos annos vixit nobilis Chronographus, atque Victorinus; nec non ex Græcis Eusebius *p*, Chrysostomus *q*, Nicetas, Cedrenus, & alij. Videas & perbelle his respondere ab Hieronymo *r* assertam Chronographiam, dum ait à Passione Domini vsq; ad secundum Neronis Imperatoris annum, quo Paulus Romam missus est, annos excurrisse viginti quinque: rursumque numerat ab eadem passione Domini vsque ad eiusdem Neronis annum decimumquartum annos triginta septem. Quamuis & hanc chronographiam Romanæ potius Ecclesiæ, quã ipsius Hieronymi, esse dixerimus *s*; quandoquidem ipse, vt vidimus, Dominum passum dixit anno trigesimo. Romanæ autem Ecclesiæ tradita est haud dubium ab Apostolorum Principibus; quorum eam S. Irenæus *t* vocat locuples depositorium, in quod illi omnia quæ sunt doctrinæ & traditionum intulerint. Ex his etiam apprime redarguas auctorem prolixæ illius Disputationis editæ nuper Græcij in Styria; qua asseruit Christum passum esse anno ætatis trigesimo quinto, *u* reuocare conatus sententiam Theophili Cæsarienſis & collegarum Episcoporum, siqua forte aliquando eiusmodi fuit; quandoquidem Synodalia illa Acta depraua ta etiam in aliquo esse, eius quoque assertione monstrantur: cum & alioqui nec Victor Papa (cuius ipse vult auctoritate niti) aliquid ex ea Synodo firmasse reperiatur, præter quod statutum est de Pascha non ritu Iudaico celebrando; & Catholica ipsa Sancta Ecclesia sententiam eiusmodi semper reiecerit.

[Sunt & alij, qui æquè Christum anno trigesimo quinto ætatis suæ passum volunt; sed alia prorsus ratione, nimirum quod quinque Paschata à Baptismo ad passionem numerent, ac Christum crucifixum ponant anno Imperij Tiberij decimonono. Sic amat vnusquisque in suo sensu abundare, nonnulli etiam vltra sobrietatem sapere.]

XLV. MENSIS ET DIES PASSIONIS.

De *Mense* vero quo passus est Christus, fere omnium fuit sententia esse mensem Martij, paucissimorum Aprilis. Sed quota potissimum *Die* Martij: Quamuis antiquorum nonnulli vigesimam quintam dixerint, tamen cum tabulæ astronomicæ non his æquè consentiant, eædemq; admodum inter se diuersæ tradantur; viri harum facultatum consultissimi, desperatione penitus superati rem inabsolutam reliquere. Si vero consulatur antiquitas, reperimus in prædicto Concilio Cæsarienſi *a* sub Theophilo eius ciuitatis Episcopo tempore Victoris Romani Pontificis, *passum Dominum ab vndecimo Calendas Aprilis, qua nocte à Iudæis traditus est, & septimo Calendas resurrexisse*. De Die vero hebdomadis, exploratum est omnibus, & Euangelij auctoritate firmatũ, fuisse eam quam Iudæi *Sextam Sabbati*, Gentiles *diem Veneris*, Christiani Græci *Parasceuen*, Latini *Sextam Feriam* dicere consueuere.

Sed & de *Hora*, Euangelistarum *b* testimonio certum habetur, Dominum fuisse crucifixum ante horam sextam: nam postquam affixus est, ab hora sexta vsq; ad horam nonam factæ sunt tenebræ. Quod autem Marcus ait, crucifixum Christum hora tertia, Ioannes vero scribit fuisse horam quasi sextam cum in eum Pilatus esset laturus sententiam; complures tam antiquorum quam recentiorum in his conciliandis desudasse cognouimus. Sed vt quænam magis nobis sententia probetur, aperiamus; imprimis dicimus, sicut noctem in quatuor Vigilias, ita diem in quatuor Horas, vel partes, seu stationes æquales, tam apud Romanos *c*, quam Iudæos diuidi consueuisse. Verum quia & istud diuersam recipit interpretationem, dum alij diuidunt in hunc modum, vt à diluculo vsque ad horam diei tertiam exclusiuè, diceretur *hora Prima*; à tertia vsq; ad horam diei sextam, diceretur *Tertia*, eo quod à tertia initium sumpsisset; pariterque à sexta vsque ad nonam, *Sexta*; & à nona vsq; ad Solis occasum, *Nona* seu *Vespera*: alij vero non à principio, sed à fine easdem nomen accepisse volunt, ita vt prima pars diei à mane vsque ad horam tertiam producta, Tertia appellaretur; secunda ad sextam diei horam ducta, Sexta nominaretur, tertia ad horam nonam perueniens, Nona diceretur; ac demum quarta vsque ad nodeducta, Vespera nuncuparetur: Nos huic postectem durans, priori sententiæ vt veriori inhærentes, eandem & Petri *d* Apostoli auctoritate firmamus, dum excusat discipulos Christi non esse ebrios, eo quod esset hora diei Tertia. Sane enim si (vt illi alij volunt) hora Tertia producebatur vsque ad Sextam; quid adeo inusitatum significasset Petrus, illos non esse ebrios eo quod esset hora diei Tertia, cum iam pransos esse ea hora potuisse, non sit dubium? Quod igitur Ioannes ait, fuisse horam quasi sextam, cum Pilatus in Christum sententiam dicturus esset; sic accipiẽdum est, vt vltima hora primæ partis diei, quæ Tertia dicta est, iam cœpta esset, & proximè inchoanda foret secunda pars diei quæ Sexta est nominata. Cum vero paulo post sententiam Pilati Dominus crucifixus fuerit, non est absurdum si quod horæ Tertiæ proximum erat, Marcus tribuerit ipsi horæ Tertiæ: itemq; si quod idem Marcus ait tenebras factas esse hora Sexta; Lucas dixerit accidisse ferè hora Sexta, cum id loquendi vsus obtinuerit. Nec quis, puto, dixerit scrupulosa quadã circumscriptione per singulos suos punctos enumeratas horas Euangelistas distinguere voluisse; sed potius communi quadã loquendi consuetudine, prout sæpe aliàs in descriptione temporum fecisse videntur. Qua etiam ratione Ignatius *e*, qui eodem vixit tempore, ait Christum hora Tertia sententiam à Pilato accepisse, Sexta crucifixum esse, Nona expirasse, ante Solis occasum sepultum esse.

Porro dictæ Horæ egregijs Domini operibus consecratæ, ab Apostolis obseruatæ, ad posteros sacris precum officijs transmissæ noscuntur; vt dicetur postea. Et quod insuper ad ritus Christianæ religionis pertinet; constat quidem San-

XLVI.

a *Ext. ap. Bed. in fin. l. de æquin. vet.* [Cæterũ pro *septimo Cal.* legendũ esse *octauo*, adnotarunt plurimi: quippe lectio *septimi* contra mentem esse Synodi, quæ tiduum fluxisse ait à cœna Dominica, postquã traditus est à Iudæis ea nocte quæ sequitur XI. Cal. April. vsque dũ resurrexit VIII. Cal.]

b *Matth. 27. Mar. 15. Luc. 23. Ioan. 19.*

DE HORA;

c *Censor. de nat. al. cap. 10.*

d *Matth. 20. & alibi sæpe in sacra Script.*

DIVISIO DIEI SECVNDVM IVDÆOS

d *Act. 2.*

e *Ignat. ep. ad Tral.*

XLVII. DE IEIVNIIS OB CHRISTI PASSIONEM SVSCEPTIS.

a *Hier. ibid. & ep. 22.*
b *Aug. 18. de ciu. vlt. & ep. 80. ad Hesych.*
c *Ser. li. 2. hist.*
d *Clem. Alex. lib. 1. Strom.*
e *Phil. de har. cap. 107.*
f *Gaud. tract. 3. de prima Domi. Pasch.*
g *Ap. Iren. l. 2. cap. 28.*
h *Ap. Hier. in Dan. 9.*
i *Cyr. Alex. in Isai. 29.*
k *Cassiod. in Chron.*
l *Oros. lib. 7. c. 4.*
m *Epiph. har. 51.*

n *Bed. de rat. temp. c. 43.*
o *Id. de sex ætat.*

p *Eus. in Chron.*
q *Chrys. ser. de Ioan. Bapt.*
r *Hieron. de Script. Eccles. c. 5. in Paul.*
s *Panuin. in Fast.*
t *Iren. lib. 3. c. 3. & 4.*

u [Quippe 32 baptizatum vult vt dictũ an. 31. VIII. & inde triennium ac paucos mẽses prædicasse, ac quarto demum Paschate passum esse.]

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dem Sanctam ipsam totam Hebdomadam (quam *Maiorem* ob grandia in ea operata mysteria, siue *Pœnosam* ob Christi dolores in ea perlatos maiores nostri dicere consueuerunt) magna cum abstinentia & carnis afflictione, eosdē maiores nostros ex traditione Apostolica transigere solitos esse: sicut & feriam Quartam & Sextam cuiusq; hebdomadæ totius anni, quod in illa de morte Christi sit initū consilium, in ista fuerit affixus Cruci: vt horum omnium locupletissimus est inter alios testis Epiphanius: *a* In tantum vt de eodem ieiunio Maioris hebdomadæ asserat Dionysius *b* Episcopus Alexandrinus, nonnullos Fideles totos ipsos sex dies, alios vero duos, alios tres, alios quatuor, ieiunos transigere solitos. De *c quarta* vero & *sexta feria* cuiusque hebdomadæ, præter Apostolicum *d* canonem, & Clementis *e* Romani nomine editam Constitutionem, habentur etiam expressa testimonia Ignatii, *f* Clementis *g* Alexandrini, Origenis, *h* Tertulliani, *i* Augustini, *k* Petri *l* atq; Cyrilli *m* Alexandrinorū, & quem diximus Epiphanii, aliorumque. Quod autem ieiunabant etiam Pharisæi bis in Sabbato, siue in hebdomada, illi alia ratione, aliisque diebus, nimirū *n* secunda & quinta, id obseruabant: quemadmodum & Manichæi *o* die quem dicunt Solis, & qui sequitur Lunæ. Sed ad historiam Euangelicam redeamus.

a *Epiph. hær. 75. & in comp doctr.*
b *Dion. Alex. ep. ad Bas. ap. Theo. Balsam.*
c *Tractat. hæc ieiunia Baron hoc an. & 57.*
d *Can. Apost. 68.*
e *Clem. lib. 5. cap. 16. & vlt. & lib. 7. c. 22.*
f *Ign. ep. ad Philip.*
g *Strom. lib. 7.*
h *Orig. hom. 10. in Leu.*
i *Tert. aduers. Psych. cap. 14.*
k *Aug. ep. 86. ad Casul.*
l *In canon.*
m *lib. 10. in Leuit.*
n *Clem. 7. Const. 24. Epiph. hær. 16. & in comp.*
o *Leo ser. 4. in Quadrag.*

XLVIII.

Cum transisset Sabbatum, tres Mariæ, *p* Magdalene, Iacobi, & Salome, aliæque *q* mulieres quæ cum Christo venerant de Galilæa, & solitæ erant *r* ministrare ei de facultatibus suis; emerunt aromata, & venerunt omnes *s* simul (nō vt aliqui putarunt, diuersæ diuersis temporibus) ad monumentum, vt iterum IESVM vngerent. Quod enim condire aromatibus corpora defunctorum, ab Ægyptiis Iudæi essent mutuati, illiq; per quadraginta *t* dies eiusmodi vnctiones iterare cōsueuissent, (qua arte ita siccabant cadauera, vt quasi ænea redderent, quæ & lingua sua *Gabarau u* appellabant) hinc non satis fuit his feminis Hebræis vnctum semel fuisse corpus IESV; quin & vt iterum vngerent ad sepulchrum properarunt: sed cum eo peruenissent, terræmotus factus est magnus, quod Angelus descendisset de cælo, & reuoluisset lapidem sepulchri Domini. Hæc pluribus Matthæus *x* & Marcus, *y* Lucas *z* vero duos tradit apparuisse Angelos: sed non ob id quod quæ alii tacuerūt vnus expresserit, contrarii inter se fuisse dicendi sunt.

p *Mar. 16.*
q *Luc. 23. 24.*
r *Mar. 15. Luc. 8.*
s *Vid. Cern. Ians. concord. cap. 145.*
t *Gen. 50.*

RITVS CONDIENDI CORPORA.

u *Aug. ser. 120. de diuers. cap. 22.*
x *Matth. 28.*
y *Mar. 16.*
z *Luc. 24.*

XLIX.

At vero multum iidem tum inter se, tum etiam cum Ioanne *a* pugnare videntur, dum Matthæus ait dictas mulieres venisse ad monumentum *Vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati*, Marcus, *Valde mane, orto iam sole*, Lucas, *Valde diluculo*, Ioannes, *Mane cum adhuc essent tenebræ*. Cæterum verba Matthæi, quæ plus habent difficultatis, variam à variis accepere interpretationem. Plurimos autem Ecclesiasticos Scriptores in ea sententia fuisse reperimus, vt per VESPERAM SABBATI nox ipsa intelligeretur: Sic enim Dionysius *b* Alexandrinus, Gregorius, *c* Nyssenus, Augustinus, *d* Cyrillus *e* Alexandrinus, Sexta *f* Synodus, Euthymius, *g* Theophylactus, & alii recentiores intellexerunt: eamdemque interpretationem probat *h* Ambrosius, ac nos amplectimur. Nec enim dubium est, quin Matthæus idem quod cæteri Euangelistæ dicere voluerit: cæteri vero, nulla de Vespere facta mentione, mulieres mane ad monumentū venisse dicunt. Quare cum *Vesperam Sabbati* Matthæus vocat, non vespertinum tempus, quod inter diem & noctem est, sed totam noctem intelligit, in cuius extrema parte, hoc est mane iam lucescente, mulieres ad sepulchrum venisse dicit. Solent enim Hebræi (quo idiomate Matthæus scripsit) non solum Vespertinum tempus, sed totam etiam noctem, *Vesperā* appellare: cuius rei primū Genesis caput multa exempla suppeditabit. Sed & similem huic dicendi vsum sæpe diuinam Scripturam vsurpare, vt Vesperam accipiat non pro vltima diei parte, sed pro eo quod nouissimum tēpus dicimus; Hieronymus, eodem modo hunc Matthæi locum interpretatus, demonstrat. Cæterorum autem inter se Euangelistarum apparens repugnantia, ita facile conciliatur, vt mulieres summo diluculo iter arripuerint, orto vero iam Sole ad monumentum peruenerint, quemadmodū idem qui supra Dionysius Alexandrinus interpretatur: aut vt orto, id est oriente iam Sole ad Sepulchrum peruenerint. Oriri n. Sol dicitur, non solum cum solare corpus supra terram apparet, sed etiam cum eius radii noctis tenebras dispulerunt, vt Augustinus, *a* Euthymius, Beda, Theophylactus, & Lyranus exponunt.

a *Euthym. in Matth.*
b *Hier. ep. 150. q. 3.*
c *can. 90. Sext. Syn.*
d *Mar. 16.*
e *Ign. ep. ad Tral.*
f *Aug. in ps. 58. ad fin. & lib. 4. de Trin.*
g *Matth. 12.*

a *Aug. lib. 3. de cons. Euan. cap. 24.*

[Ex diuersis antiquorum sententiis de Matthæi verbis, ea quā hic posuimus magis probata est Baronio: cum tamen ipse aliam nouam à se (vt putauit) inuentam de stella Vespero dicta, ei præponeret, quam videre est Annal. rom. hoc an. quæ & olim fuisse reperitur Eusebii Emeseni, seu alterius scriptoris homiliæ in Sabbato Sancto, quæ habetur in libro Homiliarum sub nomine eiusdem Eusebii editarum. Sed quoniam & ea opinio non paucas patitur difficultates, idē ipse postea Baronius in Appendice ad eamdem sententiam addita quibus illa minus arrideret, iis sequendum proposuit præ cæteris huius loci Interpretibus Maldonatum: ex quo nos ista desumpsimus; eo maxime quod & illa plurimis antiquorum placuisse videatur.]

L.

DE RESVRRECTIONIS TEMPORE.

Porro cum iidem omnes Euangelistæ testentur ea nocte Dominum resurrexisse; tamen id ante noctis dimidium accidisse asserere nolle, temerarium admodum antiquiores Patres existimarunt. Media vero nocte contigisse, & prædictus Dionysius Alexandrinus significat, & in hoc consensisse cæteros Græcorum auctores testatur Euthymius, *b* idque ipsum Hieronymus *c* disputando affirmat. Sed quod idem Dionysius agens de ieiunio Sabbati, quod soluere nō licebat olim nisi transacto mœroris tempore quo Dominus resurrexisse crederetur, addit Romanam Ecclesiam ea in re gallicinium expectare, id non sic accipiendum est, vt ea potissimū hora Dominum surrexisse Romana Ecclesia professa sit, sed quod à media nocte diem sit solita numerare; prout & Orientales facere consueuisse canon Sextæ *d* Synodi indicat, & in eum Theodorus. Namque ipsa Romana Ecclesia in sacro hymno Ecclesiasticis officiis Paschali tempore cātari solito, qui incipit *Aurora lucis rutilat*, & in antiquo Rituali, qui *Ordo Romanus* inscribitur, absque aliqua ambiguitate profiteri videtur Dominū surrexisse diluculo: idque ipsum Marcus *e* Euangelista expresse testari videtur, cum ait, *Surgens autem* IESVS *mane prima Sabbati, apparuit primo Mariæ Magdalenæ*: licet qui de media nocte id firmare conati sunt, diuersa interpunctione legi voluerint, *Surgens autem, mane prima Sabbati apparuit, &c.* Verum germanā esse priorem lectionem, Ignatius *f* qui eodem vixit tempore, omnino persuadet, dum ait, illucescente Dominico die Christum surrexisse è mortuis, idemque Augustinus *g* profitetur, & alii quamplurimi.

LI.

DE TRIBVS DIEBVS PVLCHRI DOMINI.

Quomodo vero secundum Domini *h* sententiam, sicut Ionas in ventre ceti, ita ipse Dominus *tribus diebus & tribus noctibus fuerit in sepulchro*, quæritur. Et quidem de tribus Diebus solutam habes ab eodem Ignatio quæstionem, nimirū quod vespere feriæ sextæ, toto sabbato, & parte diei Dominici illic manserit: quod apud omnes tam antiquos quā recentiores Ecclesiasticos scriptores est in confesso. Sed quod ad tres Noctes spectat, cum plures de ea re scripserint, & alii alias diuersasque rationes, nonnulli etiam valde insulsas inierint; inter antiquos Isidorus Pelusiota S. Ioannis Chrysostomi discipulus, clarissimusque suorum temporum scriptor, de eadem quæstione iterum consultus, ac copiosius differens, *i* in primis declarat, loquendi vsu frequenter accidere, vt quod vel extrema alicuius diei hora contigerit, id ea die factum describatur: hacque ratione sic stabilita, vult Dominum ex tribus diebus medium tam die quam nocte integrum absoluisse, ex duobus vero extremis tam diem quam noctem participasse. Qua quidem in re nulla erit difficultas, si secundum Hebræorum cōmunem vsum, qui à media nocte diem auspicabantur, & in sequentem mediam noctem producebant, diem accipiamus: siquidem mediæ diei noctem integram, extremorum autem dierum singulorum noctem mediam numerabimus, dierum vero, primæ dimidium, secundum integrum, tertiæ diluculum quo Dominum surrexisse diximus. Deinde idem Isidorus, ad tollendā de tribus diebus expletis obiectionē, tertia vtique die, non post tres dies se fore resurrecturū, Dominū prædixisse docet testimonio Matthæi, *k* Lucæ, & Ioannis, licet Marcus *l* vsitato loquendi more, quod faciendum esset tertia die, id post tres dies, nimirum inchoatos, agendum dixerit.

h *Matth. 12.*
i *Isid. Pelus. l. ep. 114. & 212.*
k *Matth. 16. Luc. 9. Ioan. 2.*
l *Mar. 8.*

LII. DE DIE DOMINICA.

Porro in Resurrectionis Dominicæ memoriam, ac gratiarum actionem, ipsa dies qua id accidit, DOMINICA est appellata, non ab aliis quã ab ipsis Apostolis: Nam & Ioannes *a* Euangelista de eadem die sic dicta meminit, itemque Ignatius, *b* & alii temporibus Apostolorum proximi: eamdemque celebrandam statuerunt, non anniuersario reuoluto tantum mensium orbe, sed cuiuslibet hebdomadis eadem prima recurrente die. At de ea rursum inferius: nunc historiam prosequamur.

a Apoc. 1.
b Ign. ep. ad Magnes.

LIII.

Cum igitur resurrexisset Dominus, & ea de re Angelus admonuisset mulieres quæ venerant ad sepulchrum, insuper (vt scribit Marcus) *c* addidit vt irent & renuntiarent *discipulis eius, & Petro*. Porro PETRVM præcipue Angelus nominasse existimatur, tum ob primatum quem inter cæteros fuerat à Domino consecutus, tum vero vt eum mœrore prostratum erigeret. Quantumlibet enim Christum Petrus negasset, non tamen ob eam causam à primatu excidisse, & multis postea modis, & in ipsa resurrectione Christus demonstrauit, dum prius ipsi quam cuipiam Apostolorum apparuit, vt testimonio Paul. *1 Apostoli eiusdemque Marci Euangelistæ, pro constanti Ambrosius *d* habuit, ita de his scribẽs: *Sicut ex mulieribus Maria, & alia Maria Magdalena, ita ex viris Petro visus est primo mane. Et Paulus sic ait: Resurrexit tertia die secundum Scripturas, & visus est Cephæ. Et ideo Marcus specialiter induxit iuuenem, mandantem vt Petro & discipulis dicerent mulieres quia surrexit Dominus. Petrus vero solus vidit Dominum alibi cum Ioanne alibi solus, vbique tamen impiger currit: vbique aut solus, aut primus.* Cum autem non omnia quæ à Christo sunt gesta Euangelistæ scripserint, verus traditio per manus maiorum ad posteros dilapsa testatur eamdem Dominum apparuisse primum omnium sanctissimæ suæ Genitrici MARIÆ: quod nemo pius negarit. Sed & eodem fere tempore apparuisse Iacobo Apostolo cognomento *Iusto*, qui Frater ipsius dictus est: & quod idem iurasset se non comesturum ab illa hora qua in vltima cœna biberat calicem Domini donec videret eum resurrexisse, panem et ad manducandum obtulisse, ex Euangelio Matthæi quo Nazaræi vtebantur, tradit Hieronymus. *e*

c Mar. 16.
1 Cor. 15.
d Ambr. lib. 10 in Luc. c. 24.
PRIMVM OMNIVM MATRI VISVS.
e Hier. de Scrip. Eccl. in Iacob. c. 2.

LIV.

Addit post hæc Ioannes *f* narrationem de accessu ipsius Ioannis vna cum Petro ad monumentum, deque apparitione facta à Domino Mariæ Magdalenæ in forma hortulani. Quam quidem apparitionem, cum ex eiusdem relatione Ioannis constet factam esse in monumento; primumque omnium Magdalenæ Dominum apparuisse, testetur Marcus: plane certum redditur, hanc apparitionem fuisse distinctam ab ea, quam Matthæus *g* scribit factam eidem Magdalenæ cum aliis mulieribus, & ex eadem satis liquet, illas iam secundo ad sepulchrum rediisse. Sed ad elucidationem rerum gestarum in monumento, sciendum est, *h* fuisse in parte Occidentali Caluariæ montis peramplam speluncam in petra excisam in modum vestibuli, quæ aliam intus contineret specum, rursumque intra istam in parte Aquilonari excisum fuisse sepulchrum Domini, longitudinis septem pedum trium mensura palmorum pauimento altius eminens, introitumque habens à latere meridiano. Quod ergo Ioannes de seipso dicit, primum venisse ad monumentum, sed non introisse, verum cum se inclinasset vidisse linteamina; sic accipias ipsum in speluncam primam ingressum ad secundam peruenisse, sed in eam non introisse, verum ex ostio illius inspexisse, & sepulchrum Domini deorsum positum, inclinatum intultum esse. Ex his insuper facile quis accipiet quid sit quod dicunt Euangelistæ mulieres ingressas esse in monumentum, & ab Angelo ductas esse in locum vbi positus fuerat Dominus: quid sit insuper quod addit Ioannes, Mariam steterisse ad monumentum foris plorantem, & dum fleret se inclinasse, ac prospexisse in monumentum.

f Ioan. 20.
PETRVS ET IOANNES AD MONVMENTVM.
g De Christi post resurrectionem Apparitionibus, quas Decem numero fuisse S. Augustinus collegit, vide luculenter Aug. Torn. Annal. sacr. an. 4084.
h Matth. 20.
i Vid. Cyril. Hieros. catech. 14. Bed. de loc. Sanct. c. 2. Bur de loc. Sanct.
SITVS SEPVLCHRI DOMINICI.

LV.

Subiicit posthæc Matthæus *k* de militibus quibus concredita fuerat custodia sepulchri, eos à Principibus Sacerdotum pecunia corruptos, vocem in populo sparsisse, Christum minime resurrexisse, sed à discipulis suis furtim sublatum fuisse. Hæc vero describit vberius ex vetustis monumentis Metaphrastes *l* in Rebus gestis *Longini* Centurionis, quem vidimus conuersum in morte Christi: aitque, cum eidem Centurioni rursum à Pilato demandata esset custodia sepulchri, ipsum visis miraculis quæ in Resurrectione Domini facta essent, non vt cæteros milites pecunia corrumpi passum esse, sed libere quæ gesta essent prædicasse; ac trementibus ea de causa aduersus eum Principibus Sacerdotum, ipsoque Pilato, eumdem deposito militiæ cingulo venisse in Cappadociam, & cum vbique Christum prædicaret, agentibus apud Tiberium Iudæis, iussum à Pilato teneri, capite truncatum esse vna cum duobus militibus eiusdem cum ipso fidei. Hæc pluribus Metaphrastes. Refert præterea Gregorius *a* Turonensis (ex Actis, vt ait, Pilati ad Tiberium Romam transmissis) de *Ioseph ab Arimathia*, ipsum à Iudæis in carcerem coniectum ob pia officia Christo exhibita, eadem nocte qua Dominus resurrexit, ab Angelo liberatum esse, muris carceris in sublime suspensis, & cum ipse exisset rursum in locum suum restitutus. Sed horum fides sit penes auctores.

k Matth. 28.
l Metaphr. & Sur. die 15. Mart.
DE LONGINO CENTVRIONE.
a Greg. Tur. l. hist. 12.
DE IOSEPHO AB ARIMATHIA.

LVI.

Rursus eadem suæ Resurrectionis die Dominus duobus * discipulis euntibus Emmauntem apparuit vultu diuerso, sed ab iis agnitus est in fractione panis. Cæterum *Emmauntem* nobile fuisse olim oppidum constat, sed ob cæsos illic Romanos milites, haud multo ante à Varo Syriæ Præside crematum *b* esse: quod post excidium Hierosolymitanum, à victoria illic per Romanos parta *Nicopolis* appellatum, nobilis extitit ciuitas Palæstinæ. Memimit vero Sozomenus *c* de fonte apud Emmauntem, qui è Christi pedibus in eo quondam ablutis virturem medicam est consecutus. Et quamquam Iosephus *d* id naturali aquatum virturi, potius quam miraculo tribuere videatur, tamen cum Plinius *e* testetur Emmauntem pluribus fontibus fuisse irriguum, in aliquo ipsorum ab aliis diuerso, quod scribit Sozomenus facile contingere potuit.

* Mar. 16. Luc. 24.
b Ioseph. 17. ant. 12.
c Sozom. 5. hist. 20.
DE FONTE EMMAVNTIS.
d Ios. 4. de bel. 1.
e Plin. 5. hist. 14.

LVII.

Porro cum duo illi discipuli eadem hora Emmaunte regressi Hierosolymam, se Dominum vidisse Apostolis nuntiarent, hique vicissim certiores eosdem reddderent apparuisse Dominũ Petro; dum de his inter se loquerentur, astitit IESVS in medio eorum, & contentos ac dubitantes tactu corporis sui fit mauit. Narrat hæc pluribus Lucas. *f* Eamdem vero esse istam manifestationem cum illa, quam Ioannes *g* accidisse ait cum fores essent clausæ, satis colligitur ex vtriusque textus collatione. Sed quod subdit Lucas, Dominum appositum sibi cibum manducasse, & quæ verba Domini refert; ea in nouissima omnium manifestatione contigisse, ex eo facile intelligitur, quod tunc à Domino admoniti sunt ne recederent Hierosolymis, sed illic expectarent promissum Spiritum sanctum; hac vero prima die, ab Angelo *h* per mulieres iussi sunt in Galilæam proficisci: sicque post ipsorum reditum ex Galilæa Hierosolymam, ea facta esse necesse est affirmare. Hancque ipsam priorem, proculdubio credimus eamdem illam esse, cuius meminit Ignatius apud Hieronymum, seque se interfuisse, ac Dominum vidisse testatur. Auctor autem est Ioannes, *k* in ea Dominum Apostolis simul ac Discipulis MISSIONEM impertiisse: & per insufflationis visibile signum, Spiritum Sanctum largitum esse, vna cum potestate dimittendi & retinendi peccata. Quod vero Thomam vnum ex Apostolis haud tunc cum aliis fuisse Ioannes ait, collatæ tamen à Christo gratiæ æque factum esse participem nemo dubitauerit, qui recogitet quod olim sub Mose factum *l* est in Heldad & Medad: qui licet cum cæteris septuaginta præsentes non essent, quando eos Deus imbuit spiritu prophetandi, tamen quod semel scripto fuissent inter alios recensiti, eiusdem gratiæ participes sunt facti. Cum & alioquin eidem quoq; Thomæ vna cum cæteris discipulis post dies octo Dominum apparuisse, ac titubantem confirmasse, testis sit idem Ioannes. Quod autem spectat ad inuisibilem illam gratiam, visibili signo à Domino Apostolis atque Discipulis collatam; eamdemque vniuersis etiam qui iisdem legitima ordinatione in posterum successuri essent vsque ad consummationem sæculi, æque esse tributam, docent abunde omnes Orthodoxi Patres tam Græci quam Latini: nullusque est qui id negare possit, nisi qui vna cum

f Luc. 24.
g Ioan. 20.
h Matth. 28.
i Hier. de Script. Eccl. in Ign.
k Ioan. 20.
SPIRITVM S. IESVS VISIM PARTITVR.
l Num. 11.
POTESTAS PROPAGATA AD POSTEROS.

Aposto-

Apostolis atque Discipulis extinctis, funditus Ecclesiam periisse, insane nimis atq; impie dicere ausus fuerit. Et cum ratum certumque sit, neminem peccata dimittere nisi solũ Deum; tradendo suis hanc facultatem, Sacerdotes nouæ Legis hac in parte etiam super Angelos sublimauit. Indeq; pariter necessaria assumptione consequitur, eos adiri necesse esse ab iis qui peccatorum suorum à Domino veniam obtinere cupiunt: cumque eorum muneris sit inter peccata & peccata distinguere, & quorum dimittere, quorumq; retinere debeant, considerare; iisdem debere peccatorum cõfessionem fieri, & singillatim conditiones eorum aperiri. Hancque esse puram sinceramq; Christi doctrinam, Apostolorum traditione receptam, opportuniori loco inferius a demonstrabitur.

a *An. 56. num. v. & seqq.*

LVIII.

Post hæc Apostoli, vt admoniti per mulieres ab Angelo fuerant, abierunt in Galilæam; non tamen confestim in illũ montem, quem (vt ait Matthæus) *b* constituerat illis IESVS. Nam cum Pauli *c* testimonio constet, illuc conuenisse plusquam quingentos fratres, haud facile fuit tot per Iudæam & Galilæam dispersos Fideles admonere vt ad certã diem omnes vno loco sisterentur. Sed & ex iis quæ Ioannes *d* scribit, colligi potest, Petrum, ac cæteros quos recenset Apostolos, in Galilæam ad propria remeasse, donec omnes credentes colligerentur in vnum: tuncque etiam (quod idem narrat Euangelista) ipsis piscantibus ad mare Tiberiadis Dominum apparuisse: quam cum tertiam ordine apparitionem fuisse dicat, haud dubium ante illam in monte factam accidisse oportuit. Rem gestam exacte admodum describit idem Ioannes, postquam præcedenti capitulo finem imposuisse videretur Euangelicæ scriptioni: vt appareat hæc eo consilio addidisse, quod ea videret à cæteris prætermissa: magnique esset ponderis, non inuoluendam silentio nobilissimam Christi actionem, qua Petro totius Vniuersalis Ecclesiæ contulit præfecturam.

b *Matth. 28.* c *1. Cor. 15.* APOSTOLI IN GALILÆAM. d *Ioan. 21.*

LIX. PETRI PISCATIO.

Et quidem iam ipsa eadem piscatione typus quidam ac figura Petri primatus fuerat præsignata, dum ipse primus piscandi iniit consilium, & piscationem aggressus est: ac licet alii rete simul iactarint in mare, & ad litus traxerint, educere tamen ex aquis in terram, Petri solius fuit opus. Verum apertius Dominus alia metaphora gregis atque pastoris, eumdem Vniuersalem totius Ecclesiæ constituit esse Pastorem, dum agnos suos, & oues pascendas commisit. Sicut enim quæ cæteris Apostolis æque ac Petro contulit, & communia omnibus esse voluit, euidenter expressit, nimirum cum sacerdotes *e* eos creauit, aut cum Verbi prædicationem *f* & baptismi administrationem commisit, soluendique *g* atque ligandi, & dimittendi *h* atque retinendi peccata, potestatem contulit: siue cum dedit *i* illis intelligentiam Scripturarum: Ita etiam quæ peculiaria voluit esse Petri, aperte significauit: siue cum dixit, *k* *Tu vocaberis Cephas*, vel, *l* *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: aut cum subdidit. *Et tibi dabo claues regni cælorum*, ac denique cum eadem modo felicius adimplens, ait, *m* *Pasce agnos meos. Pasce oues meas.* Vt non mireris, si eadem adhibita distinctione Patres aliquando dixerint omnes Apostolos pari fuisse potestate præditos, aliquando vero Petrum cæterorum caput & principem, qui claues regni cælorum cõmunicandas cæteris solus acceperit, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur, schismatumque occasio tollatur: prout inter alios egregie interpretati sunt Cyprianus, Optatus, Hieronymus. Quorum primus sic loquitur: *n* *Super vnum Petrum Dominus ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oues suas. Et quamuis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum sanctum, &c. tamen vt vnitatem manifestaret, vnam cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis: sed exordium ab vnitate proficiscitur: Primatus Petro datur, vt vna Christi Ecclesia, & cathedra vna monstretur, &c.* Optatus *o* vero sic: *Bono vnitatis B. Petrus & præferri omnibus Apostolis meruit, & claues regni cælorum communicandas solus cæteris accepit, &c.* Hieronymus *p* autem: At dicis: *Super Petrum fundatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex aquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur: tamen propterea inter Duodecim vnus eligitur, vt capite cõstituto schismatis tollatur occasio.* Et vt agamus exemplo prudentis patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua & vetera, his addemus quæ Bernardus scribit *a* ad Eugenium Papam: *Tu es cui claues traditæ, cui oues commissæ sunt. Sunt quidem & alii cœli ianitores, & gregum pastores: sed tu tanto gloriosius, quanto differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditasti. Hæbent illi sibi assignatos greges singuli singulos: tibi vniuersi credituri sunt, vni vnus: nec modo omnium, sed & pastorum: tu vnus omnium pastor. Vnde id probem, quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed & Apostolorum, sic absolute, sic indifferete, totæ commissa sunt oues? Si me amas Petre, pasce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed designasse omnes? Nihil excipitur, vbi distinguitur nihil. Et forte præsentes cæteri condiscipuli erant, cum committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno pastore, &c.* Porro quemadmodum est Christi ouile vnum, eiusdemque constitutus est pastor vnus; sic ne extinctam esse cum Petro Christi Ecclesiam, ac subinde gregem sine pastore, corpus sine capite, sine fundamento structuram penitus remansisse, stulte nimis ac imple dicere cum Ethnicis, cæterisque Christianæ fidei hostibus compellamur; fateri necesse est, eamdem ipsam collatam à Domino in Petrum summam omnium potestatem, in posteros eius Cathedræ successores esse deriuatam. Istud enim iam olim testati sunt, non tãtum iidem, Cyprianus, *b* Optatus, *c* Hieronymus, *d* Bernardus, sed & sæpissime Augustinus, eaque ne in singulis commemorandis immoremur, id ipsum de *Petro* ac de *Romanæ Ecclesiæ Pontificibus* professi sunt, quotquot ab ipso exordio nascẽtis Ecclesiæ extiterunt nostrarũ rerum Catholici tractatores, & quotquot etiam fuerunt vmquam sacra Concilia in Spiritu Sancto legitime congregata, omnes denique Sancti, quorum vita est illustrata miraculis: prout tam alii quamplurimi aduersus huius temporis hæreticos egregiis commentariis affatim demonstrarunt, tum in horum Annalium singulis fere annis recensendis lector inueniet vbique probe testatum.

a *Bern. lib. 3. de consider.*

n *Cyp. de vnit Eccl.*

o *Opt. lib. 7. cont. Parm.*

p *Hier. adu. Iouin. lib. 1.*

PROPAGATVS AD POSTEROS.

b *Cyp. de vnit Eccl. & ep. 65. 69.*
c *Opt. lib. 1. & 2.*
d *Hier. ep. 57. ad Dam.*
e *Aug. in Ioan. tract. 50. & 124. ep. 165. ad Gen. & alibi.*

LX.

Post hæc sequitur rerum ac temporum ordine celeberrima omnium manifestatio Domini, quam Matthæus *f* ait factam in Galilæa in monte, qui Thabor fuisse ab omnibus existimatur: Eaque ipsa est, cui Paulus *g* ait interfuisse plusquam quingentos fratres. Quod autem idem addit, apparuisse post hæc Dominum Iacobo; nulla penitus ea de re apud Euangelistas habetur mentio: quam vero ex Euangelio Nazaræorum superius diximus eidem Iacobo factam, ea contigisse putatur prima die Resurrectionis Domini: Deniq; quod post hanc in monte Thabor manifestationẽ, apparuisse adhuc Dominum omnib. Apostolis, idem Paulus affirmat; proculdubio illam esse credimus omnium nouissimam, quæ à Marco *h* ac Luca *i* recensetur facta cum Apostoli vna recumberent; licet ab aliis alio loco gestum narretur. Contigisse enim post reditum Apostolorum è Galilæa Hierosolymam, ex Luca iam superius ostendimus: Porro hac sua nouissima manifestatione, præter alia dona quæ Christus suæ Ecclesiæ liberaliter contulit, duo superaddidisse videtur; vnum à Marco positum *De operatione Miraculorum*, quæ communis omnibus in ipsum credentibus esse posset, alterum à Luca, *De diuinarum Scripturarum intelligentia*, Apostolis tantum peculiariter data. Quæ quidẽ dona, eo quod non nisi in Ecclesia Catholica reperiri, nec ab vllis quibus foris sunt vsurpari possint, merito DOTES Ecclesiæ sunt à Patribus appellata: licet non singulis Fidelibus miraculorum gratia, nec cunctis Episcopis Apostolorum successoribus intelligentia scripturarum, vel semper, & vbique, ac in omnibus, sit concessa.

f *Matth. 28.* g *1. Cor. 15.* NOVISSIMA DOMINI APPARITIO.

h *Mar. 16.* i *Luc. 24.*

DVÆ CONCESSÆ ECCLESIÆ DOTES.

LXI.

Demum vero Dominus eductis (vt scribit Lucas *k*) Discipulis foras in Bethaniam, eleuatis manibus benedixit eis, & ascendit in cælum. Hoc quippe signum, vt *Eleuatis manibus Benedictio traderetur*, apud Hebræos in vsu fuisse apparet. Nam & Aaron legitur *l* extendens manum benedixisse populo. Diuini vero numinis imprecationẽ eo actu significari solere satis expressum habetur in Exodo, *m* dum extensione manus ea signa à Moyse & Aaron fiebant. Sicut &

k *Luc. 24. & Act. 1.* ASCENSIO DOM. SVI
l *Leu. 9.* RITVS BENEDICENDI
m *Exod. 8.*

EIVS PRIMATVS.

a Luc. 22.
f Matth. 28.
g Matth 18.
h Ioan. 20.
i Luc. 24.
k Ioan. 1.
l Matth. 16.
m Ioan. 21.

apud Christianos, haud aliunde quam ex Apostolorum traditione, vsu receptum est vt benedicendo manum extendant, ac insuper Crucis signum eadem manu deducant. Sed de eiusmodi signo Crucis, opportunioti loco dicetur inferius. Post eleuationé vero Domini ab oculis Discipulorum, intuentibus adhuc illis in cælum, adstiterunt duo Angeli, qui eos de secundo ipsius aduentu monuerunt; tuncq; illi reuersi sunt Hierosolymam à monte Olineti, qui est iuxta ciuitatem Sabbati habens iter. Ita Lucas. *a* Porro *Sabbati iter* Pharisæi *b* dicebant esse duorum millium pedum: Suidas *c* autem duorum millium cubitorum. Sed quod mons Olineti non amplius mille passibus, (vt Beda, & alii tradũt qui scripserunt de Locis sanctis) vel etiam sex tantum stadiis (vt auctor est Iosephus) *d* ab Hierosolymis distaret; quãtum iter Sabbati esset, ex eo facile metiri licet. Quod vero addit Lucas, *e* Apostolos post hæc fuisse semper in templo laudantes Deum: certum est, ipsum iunxisse prædictis quæ postea facta sunt: sicut & cum de Ascensione locutus esset Marcus, *f* mox subdit eosdem profectos prædicasse vbique: Cum alioqui de Apostolis & Discipulis constet, decem illis diebus qui medii sunt ab Ascensione Domini vsque ad Pentecosten, non alibi quam in domo vna mansisse. Cæterum multa alia Christi facta, præter ea quæ ab Euangelistis conscripta sunt obuoluta silentio remansisse, testatur Ioannes *g* qui nouissimus omnium scripsit, & qui ab aliis eo argumento literis commendata essent probe nouit. Ex cuius etiam verbis agnoscas, eam fuisse rationem Euangelistas, vt non singulas res gestas susciperent enarrandas, sed quantum satis esset ad fidem astruendã quod IESVS esset Christus filius Dei viui. Sicut autem nec cuncta Christi facta, ita multo minus omnia dicta Euangelistæ sunt prosecuti. Citat enim Paulus *h* Apostolus eius sententiam ab illis prætermissam, *Beatius est magis dare, quam accipere*: aliamque Hieronymus *i* & Cassianus, *Estote probati nummularii*: sicut & illam, *Vbi te inuenero, ibi te iudicabo*: & si quæ alia huiusmodi sit inuenire.

Post sanctos Euangelistas annis quinquaginta, *Iosephus* Iudæus Græco sermone historiam Iudæorum prosecutus, res etiam gestas Christi paucis quidem, sed perquam honorificis verbis perstrinxit *k* hoc modo: *Eo tempore fuit* IESVS *vir sapiens, si tamen virum eum fas est dicere: erat enim mirabilium operator, & doctor eorum qui libenter vera suscipiunt: pluriosque tam de Iudæis quam de Gentibus sectatores habuit. Christus hic erat: quem accusatum à nostræ gentis principibus, Pilatus cum addixisset cruci, nihilominus non destiterunt eum diligere qui ab initio cœperant. Apparuit enim eis tertia die viuus, ita vt diuinitus de eo vates hoc & alia multa mirabilia prædixerunt, & vsque in hodiernum diem* CHRISTIANORVM *genus ab hoc denominatum non deficit.*

Pariterque Hegesippus, æque Iudaicarum rerum scriptor (non ille, vt falso multi existimarunt, qui proximus fuit temporibus Apostolorum: sed, vt ex eius scriptis *l* probatur, qui scripsisse noscitur, post tempora Constantini) in sua Anacephalæosi de morte & resurrectione Christi, recitat Pilati Præsidis epistolam ad Claudium Imp. datam de miraculis & resurrectione Christi, deque falsis Iudæorum in eum accusationibus: quæ qualiscumque ea sit, sic se habet, *Pontius Pilatus Claudio salutem. Nuper accidit, quod & ipse probaui Iudæos per inuidiam se suosque posteros crudeli condemnatione puniisse. Denique cum promissum haberent patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de cælo Sanctum suum, quicorum Rex merito diceretur; & hunc se promiserit per virginem missurum ad terras: istum itaque me Præside in Iudæam Deus Hebræorum cum misisset, & vidissent eum cæcos illuminasse, leprosos mundasse, paralyticos curasse, dæmones ab hominibus fugasse, mortuos etiam suscitasse, imperasse ventis, ambulasse etiam siccis pedibus super vndas maris, & multa alia feciisse, cum omnis populus Iudæorum eum Filium Dei esse diceret, inuidiam passi sunt contra eum principes Iudæorum, & tenuerunt eum, mihique tradiderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes dixerunt, asserentes eum magum esse, & contra legem eorum agere. Ego autem credidi ita esse & flagellatum tradidi illum arbitrio eorum. Illi autem crucifixerunt eum, & sepulto custodes adhibuerunt. Ille autem militibus meis custodientibus, die tertio resurrexit: in tantum autem exarsit nequitia Iudæorum vt darent pecuniam custodibus, & dicerent, Dicite quia discipuli eius corpus ipsius rapuerunt. Sed cum accepissent pecuniam, quod factum fuerat, tacere non potuerunt: Nam & illum surrexisse testati sunt se vidisse, & se à Iudæis pecuniam accepisse. Hæc ideo ingessi, ne quis aliter mentiatur, & existimet credendum esse mendacio Iudæorum.* Hactenus epistola: quæ quidem an eadem ipsa sit, quam à Pilato tunc temporis scriptam esse constat, haud asseruerim: in titulo certe manifestus videtur error, dum Claudium Imperatorem loco Tiberii positum habet, quamdiu Imperatorem loco Tiberii positum habet, quamquam ante Imperium & ipse Tiberius diceretur Claudius. Porro Pilatum nuntiasse Tiberio, ac subinde Tiberium retulisse ad Senatum, sed hunc ea respuisse quod non ad se prius quam ad Imperatorem relatum esset, testantur Tertullianus, *a* Eusebius, *b* Orosius, *c* & Gregorius *d* Turonensis. Insuperque de iis quæ in causa Christi gesta essent, publica Acta Hierosolymis sub Pilato à Notario exceptore conscripta esse, Romamque missa, & inter Gesta publica asseruata, testis est Iustinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium. At vero fuerũt & post dicta vera certaque Pilati Acta, alia rursus ab iis longe diuersa duplici genere conficta; quorum alteris vtebantur *e* Quartadecimani hæretici: altera vero à Maximino *f* tyranno Christianis infensissimo fuere excogitata. Denique nonnulla apocrypha quæ legimus de legatione Volusiani cuiusdam à Pilato ad Tiberium missi, quod nulla antiquorum fide probentur, hic intexere prætermittemus: sicut & fabulosa illa quæ scripta sunt à *g* Suida, Neronem iussisse Annam, Caipham, & Pilatum, ad dicendam causam de Christi morte iudicio Romæ sisti, & alia multa quæ addit. Nam longe ante Neronis Imperium Pilatum periisse, inferius suo loco dicetur.

Cæterum egregium plane monumentum suæ ad cælos Ascensionis Dominus non modo suis Apostolis, sed posteris quoque spectandum reliquit; nimirum *Sacrorum pedum eorum impressa terra vestigia* eo loco quo è monte Olineti eleuatus est in cælum: In tantum vt cum ea terra quotidie à Fidelibus deuotionis ergo hauiretur, nihilominus eadem vestigia pristinum statum continuo reciperent: denique cum ecclesia eo loco conderetur, summum tantum cacumen propter Dominici corporis meatum nullo modo contegi potuit, sed transitus eius à terra ad cælum vsque patuit semper apertus: & locus vestigiorum continuari pauimento cum reliqua stratorum parte non potuit: siquidem quæcunque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora operantium sæpe marmoribus. Habentur quidem hæc egregie testata apud Hieronymum, *h* Paulinum, *i* & Sulpitium *k* Seuerum, eademque eodem statu perseuerãsse tempore Bedæ *l* post septingentos ferme annos à morte Christi, ipse est testis: additque, anniuersario die Ascensionis Dominicæ, Missa peracta, validi flaminis procellam desursum venire consueuisse, & omnes qui essent terræ prosternere: sed & illa tota nocte lucernas ardere, vt non illustrati tantum, sed & ardere mons & supposita loca viderentur. Meminit etiam de iisdem Christi vestigiis *m* Optatus Mileuitanus. De quibus olim Zacharias *n* prophetasse videtur, cum dixit, *Stabunt pedes eius in die illa supra montem Oliuarum, qui est contra Hierusalem ad Orientem.* Secundum eiusmodi situs rationem, eam consuetudinem ad posteros esse dilapsam, vt Christiani ad Orientem conuersi precarentur traditur in libro Quæstionum, *o* Athanasio tributarum. Sed de his hactenus.

Superest nobis, vt qui de Christo quanta potuimus breuitate vt in re cunctis propemodum nota tractauimus, deinceps *Actum* quoque *Apostolorum* sacram historiam à S. Luca Euangelista descriptam prosequamur. Cui tamen commentario sic nomen inditum est (inquit Chrysostomus) *p* non quod acta omnia, neque omnium, sed vnius tantum vel alterius Apostoli, eademque facilia numeratu contineat: cum alioqui multa maximi põderis de ipsis etiam Petro & Paulo, in quorum rebus gestis describendis præcipue immoratus est, ob eo fuisse prætermissa, certissimis testibus probabitur inferius. Sed vt ẽ ipsam aggrediamur, cum reuersi essent è monte Olineti Apostoli & alii Hierosolymã, *ascenderunt* (inquit Lucas *q*) *in cœnaculũ*, vbi simul manebant Apostoli, aliique omnes fere centũ viginti, *perseuerantes vnanimiter in oratione cũ mulieribus, & Maria matre* IESV, *& fratribus eius.*

---

e FERIA SABBATI.

a Act. 1.
b Ap. Hier. ep. 151 ad Algas. q. 10.
c Suid. verb. σαββάτου *Bεῖς.*
d Ioseph. 6. de bel. 5.
e Luc. 24. in fin.
f Marc. 16. in fin.
g Ioan. 20. & 21. in fin.

CHRISTI SENTENTIAE EXTRA EVANGELIA.

h Act. 20.
i Hier. ep. 152.

LXII.
IOSEPHI TESTIMONIVM DE CHRISTO

k Ioseph. 18. ant. 4. & ap. Euseb. 1. hist. 11. & Hier. de Scrip. Eccl. in Ioseph.

LXIII.
l Hegesip. de excid. Hierosol. lib. 3. c. 5.

DE RELATIONE PILATI AD TIBERIVM.

a Tert. Apol. cap. 5. & 21.
b Eus. 2. hist. 3.
c Oros. li. 7. c. 4.
d Turon. hist. lib. 1. c. 24.

ACTA PILATI.

e Epip. hær. 50.
f Eus. 1. hist. 9. & lib. 9. c. 4.
g Suid. verb. Nero.

LXIV.
DE VESTIGIIS CHRISTI.

h Hier. de loc. Hebr. Act. Apost.
i Paul. ep. 11. ad Seru.
k Seu. hist. lib. 1 Bed. de loc. Sanct. c. 7.
m Opt. lib. 6. cont. Parm.
n Zach. 14.
o Ap. Athan. quæst. q. 14.

LXV.
DE ACTIBVS APOSTOLORVM.

p Chrys. com. Gentil.
q Act. 1.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *Act.* 12.

b *Alex. Monach. ap. Sur. 11. Iunii.*

c *Hier. ep. 27.*

LXVI.
d *Chrys. hom. 3. in Act. Oecil in Act. 2.*

e *Act. 1.*
DE ELECTIONE MATTHIÆ.

f *Ap. Bed. in retract. in Act.*
g *Act 4.*

h *Act 15.*

LXVII.
QVANAM SORS APOSTOLORVM.
i *Dion. de Eccl hier par. 3. c. 5.*
k *In Conc. Rom. sup. de lib. apocr.*
l *Conc. Vien. c. 16. Conc. Aur. c. 31.*
m *Luc. 1.*
n *Phil. de sacer honor.*
o *Ios. cont. Ap. lib. 2.*
p *Ios. 4. de bel. 5.*
q *Hal. hist. Rom. lib. 2.*

LXVIII.
ADVENTVS SPIRITVS S. IN DISCIPVLOS
r *Act. 2.*
s *Clem. Rom. 5 Const. vlt. Aug. ser. 134. de temp. Leo ep. 81. ad Dios. Isid. de offic. eccl. c. 24. Alb. Flac. de diuin. offic.*
t *Sext. Syn. c. 8.*
u *Leu. 23. Ex 16. Ioseph. 3. antiq. 10.*
x *Exod. 34.*
y *Epiph. hær. 51. & 11.*

EXTOTO ORBE HIEROSOLYMAM.
z *Phil. lib. con. Flac. & lib. de leg. ad Caium.*

eius. Creditur hæc eadem domus esse illa, quam idem Lucas a inferius ait fuisse Mariæ matris Ioannis qui cognominatus est Marcus, quo Petrus e carcere liberatus accessit, vbi & cæteros ad precum officium congregatos inuenit discipulos. Consentiuntque his acta b Barnabæ: vbi etiam dicitur, in eadem illa domo Pascha Dominum celebrasse, & Thomæ Apostolo apparuisse; sed & ibidem Spiritum Sanctum ad discipulos in die Pentecostes descendisse, ac denique ædificatam esse magnam & sanctissimam Sion omnium Ecclesiarum maximam. Meminit eiusdem ecclesiæ in Sion positæ S. Hieronymus: c eamdemque dictam esse Ecclesiam Apostolorum docent Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, & alii qui de Locis Sanctis scripserunt.

Cum igitur illic congregati essent cum cæteris Apostoli, PETRVS *eius chori* (inquit Chrysostomus) d *Princeps authoritate sibi à Christo tradita qua omnes habebat in manu*, crediti sibi gregis curam suscipiens, de substituendo aliquo ex Discipulis in locum Iudæ proditoris concionem habuit. Itaque statuerunt e duos, Ioseph, & Matthiam, & cum orassent dederunt eis sortes, & cecidit sors super MATTHIAM, qui annumeratus est cum reliquis vndecim Apostolis. Porro ambos fuisse ex numero Septuaginta duorum Discipulorum, satis indicat Lucas, affirmat vero Clemens f Alexandrinus. At *Ioseph*, idemque dictus *Barsabas*, & cognominatus *Iustus*, plane diuersus est ab alio Ioseph, g qui cognominatus est *Barnabas*, itemque ab illo qui cognominatus est *Iudas*: h hi tres enim in Actibus Apostolorum non solum cognomine, sed & rebus gestis inter se distinguuntur.

Quod autem pertinet ad SORTEM qua vsi sunt Apostoli, cum ab aliis diuersa dicantur, Dionysius i Areopagita ait ita à Scriptura appellatum esse diuini quiddam & præcipui muneris, per quod Apostolis insinuaretur qui esset diuina electione declaratus. Circumferebatur olim liber titulo prænotatus; *Sortes Apostolorum*; sed censura Gelasii k est reiectus inter apocrypha. Et cum eadem occasione, quod Apostoli quem eligerent sortiti essent, irrepsisset aliquando in Christianos genus quoddam sortilegii, quod honesto nomine diceretur *Sortes Sanctorum*; illud à sanctis Patribus, Ecclesiasticis l sanctionibus ab Ecclesia Dei procul est reiectum. Cæterum eam licentiam nonnisi ante aduentum Spiritus Sancti Apostoli vsurpasse inueniuntur, nec id tentasse nisi præuia oratione: cum alioqui apud Hebræos, sacros sortiri ministros ad solitam functionem obeundam, tam ex Lucæ m Euangelio, quam ex Philone n atque Iosepho o manifestum reddatur. Vt vero sorte quis eligeretur in Summum Pontificem, nunquam prius p tentatum est quàm paulo ante Hierosolymorum excidium, idque à Zelotis factiosis hominibus vi publica agentibus. Et apud Gentiles vetitum fuisse ne Sacerdotes deligerentur sorte, sicut nec pretio, auctor est Dionysius q Halicarnasseus.

Elapsis iam ab Ascensione Domini decem diebus, *Dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus tamquam aduenientis spiritus vehementis: & apparuerunt illis dispertita lingua tamquam ignis, sedit que supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto.*

Hæc Lucas: r quæ quidem facta esse die Dominico, SS. Patrum, s assertio, Sacrorum Conciliorum t canones, Ecclesiastica traditio firmant; ac ipsa denique ratio monstrat. Etenim cum ex Legis u præscripto dies Pentecostes numerandi essent ab altero die Paschæ, quo manipulus offerendus erat; & præsenti anno die sequenti Paschatis esset Sabbatum, quo falcem mittere in messem veritum x erat: manipulum hoc anno constat y oblatum fuisse ipso die Dominico quo Dominus resurrexit, cuius ipse eleuatus manipulus figuram exprimebat. A quo tempore, quinquaginta dies numerando vsque ad diem Pentecostes, Spiritum Sanctum datum esse ipso die Dominico certum est. Eo vero accepto, *Cœperunt loqui* (inquit Lucas) *variis linguis, audientibus Iudæis qui tunc agebant Hierosolymis ex omni natione quæ sub cælo est.* Quæ licet videatur hyperbole, tamen auctore Philone, z qui his vixit temporibus, exploratissimum est Iudæos non in Palæstina tantum, sed in Asia, Africa, Europa, magno numero habitasse.

Cæterum ex omnibus nationibus quindecim tantum numerans Lucas, cum intereas æque Iudæos recenseat esse admiratos ipsorum linguâ Apostolos loqui; plane significat Galilæos diuersa à Iudæis vti lingua consueuisse: vnde & à ministris Pontificis merito apparet dictum fuisse Petro, *a Galilæus es: nam & loquela tua manifestum te facit.* Fuit autem sententia Chrysostomi, b tot linguarum locutiones impertitas fuisse Apostolis, quot erant Hierosolymis exteræ nationes quæ eos loquentes audirent: & si plures fuissent, plures etiam accepturos fuisse; ac denique cum dispersi sunt per Orbem terrarum, lingua omnium gentium ad quas profecti fuissent esse locuros. Sed quod spectat ad linguarum genera, quæ essent in Orbe terrarum; Clemens c Alexandrinus recitat testimonium Scriptorum Gentilium, qui non aliunde quam ex Iudæorum libris (nempe ex eo quod Moyses ait, omnes animas ex Iacob quæ descenderant in Ægyptum, fuisse septuaginta quinque) linguas septuaginta quinque fuisse testantur. At verò alia ratione inita Augustinus d quod ex tribus Noe filiis septuaginta duæ gentes per terras esse cœperunt; totidem linguas esse putauit. Eademque ratione Epiphanius, e septuaginta duos turris Babel ædificatores, totidem constituisse varias linguas scripsit. Sed Pacianus f cum numerat centum viginti linguas, respectum habuisse videtur ad numerum eorum qui simul in vna domo g fuerant congregati, super quos omnes putatur descendisse Spiritus Sanctus, quasi velit non omnes illos omnia affecutos esse linguarum genera, sed singulos singulas. Verum hæc communi interpretum sententia reiiciuntur. Sic enim linguarum donum accepisse constat Apostolos, vt quis eorum linguis omnibus loqueretur, non autem (vt aliqui existimatunt) vt vno ex illis vna lingua loquente, omnes qui audirent, licet essent diuersarum linguarum, intelligerent. Hoc enim modo eorum potius qui audirent, quam qui verba facerent, miraculum fuisset; prout præclare inter alios interpretatus est Gregorius h Nazianzenus.

Cum autem qui eos audirent, rei causam ignorantes, alii admirarentur, alii ebrios esse dicerent, Petrus egregia concione, quam Lucas quasi ex scripto recitat, i non tantum pro suis apologiam dixit, sed de Christi passione, resurrectione, & ascensione; ac de Spiritus sancti missione disseruit. *Erat* (inquit Chrysostomus) k *Petrus os omnium, causam fidei agit pro omnibus, doctrina sua instruit omnes ipse præcipuus fidei assertor est, præcipuus catechista habetur, & primus extitit Verbi concionator, & primus coegit Ecclesiam, eamque non ex Hierosolymitanis & circumcirca habitantibus Iudæis, sed ex Parthis, Medis, Phrygis, Libycis, Ægyptiis, Arabibus, aduenis Romanis; & aliis: & qui omnium pastor fuit à Domino institutus, ex omnibus nationibus cogere cœpit oues.* Sed quod excepit, suos non potuisse esse ebrios, *cum esset hora diei Tertia*: quid tam insolens videri debet, si secundum partitionem diei apud Hebræos quam superius exposuimus, ea hora illi pransi fuissent, homines præsertim peregrini & piscatores? At perfacilis erit huius nodi solutio, si nouerimus Hebræorum illam fuisse consuetudinem, l vt non liceret diebus festis cuiquam ante Sextam horam prandere. Cæterum eo sermone Petri tria hominum millia ad Christi fidem perducta esse, & in eius nomine baptizata, Lucas tradit; addit que omnes qui credebant habuisse omnia communia: multa quoque ab Apostolis solita fieri miracula, & sic ab eis distributa esse officia, vt quotidie in templo perseuerarent, (nimirum orantes, vel Dei verbum annuntiantes) & in domibus panem frangerent, sacram videlicet Eucharistiam ministrantes. Verum quod dicit conuersos ad fidem iussos à Petro baptizari in nomine IESV CHRISTI, non sic accipiendum esse monet Cyprianus, m vt Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur. Et Iustinus n Martyr æquè *Patris & Spiritus sancti* nomina exprimi consueisse testatur, quamquam ex Ecclesiæ antiqua traditione ratum quoque fuisse baptismum in nomine tantum CHRISTI collatum, scripsisse Stephanum Roman. Pontificem, idem Cyprianus, licet ab eo dissentiens, aperte fatetur.

Quod vero eadem oratione Petrus de SEPVLCHRO

LXIX.
QVOMODO APOSTOLI LOQVERENTVR LINGVIS
a *Matth. 26. Luc 22.*
b *Hanc citat etiam Glyc. in Annal.*

c *Clem. lib. 1. Strom.*

d *Aug. 16. de ciu. 6. & 11.*
e *Epiph. de mens. sur. & ponder.*

f *Paci ep. 2. ad Sympr.*
g *Act. 1.*

h *Naz. orat. in die Pent.*

LXX.
i *Act. 2.*

k *Chrys. hom. 3. ad Ant. & hom. 2. in Act. Apost.*
PETRI PRAEDICATIO.

l *Ioseph. de vita sua.*

BAPTISMVS IN NOMINE CHRISTI.
m *Cypr. ep. 73. ad Iubai*
n *Iust. orat. ad Anton.*

LXXI.

DE SEPVLCHRO DAVID

DAVIDIS meminit, atque illud in eam diem apud eos fuisse, obseruatione quidem dignum est, Sepulchrum illud (ꝙ & SALOMONIS dictum est, quia & ipse illic conditus erat) remāsisse etiam integrum in excidio Hierosolymorum post hæc per Titum facto, sicque perdurasse vsque ad nouissimam Iudæorum cladem per Hadrianum illatam: tunc enim, antequam illa contingeret, quasi in prodigium futuri vltimi Iudæorum exterminii, sponte corruisse, auctor est Dio in Hadriani Vita. Meminit iæpe de illo Iosephus, a quod & augustis ædificiis Salomonis opera extructis ornatum tradit, & ingentibus thesauris ab eodem ibi reconditis nobilitatum: ex quibus tria millia talentorum Hircanus, cum obsideretur ab Antiocho sustulit ad redimendam totius populi vexationem: reliquas vero perquirens quondam Herodes, flamma ex adytis erumpente repulsus est. Quod autem diximus illud sub Hadriano corruisse, id quidem haud sic accipiendum est, vt solo adæquatum, sed tantum aliqua ex parte collapsum fuerit: siquidem Hieronymus b relegens loca sancta sui temporis, ac si ipsum integrum remaneret, in Mausoleo Dauidis se precari solitum tradit.

a *Ios. 7. antiq. cit. & lib. 16. cap. 11.*

b *Hier. ep. 27. ad Marcel.*

LXXII.

c *Act. 3.*
d *Leo ser. 7. de vnus. sep. mens.*

Quod subditur apud Lucam, c Petrum & Ioannem ascēdisse in templum ad horam orationis Nonam; satis indicat (sicut etiam exponit S. Leo d) quæ scripta in Lege, vel cōsuetudine laudabili introducta essent apud Hebræos præcepta moralia, ea non modo Apostolos non spreuisse, sed etiam in Ecclesiam transfundere voluisse. Et quod spectat ad antiquum certis HORIS orandi ritum, agit in primis Tertullianus e de tribus *Iugationibus* (vt vocat) ab Apostolis ex Iudæorum fontibus in Ecclesiam deductis, nempe *Tertia, Sexta, Nona.* Quibus & alias duas superadditas docens Cyprianus, f mimirum *Matutinam & Vespertinam*, earumdem omnium quinque originē simul ac mysteria describit. Denique Athanasius, g præter istas quinque, duarum item aliarum mentionem faciens, eius videlicet quæ *Oriente* fit *Sole*, & quæ *Media nocte*, cunctarum septem diuina mysteria explicat. De septem item orandi Horis quatuor diurnis, & tribus nocturnis, agit sæpe Ioannes Chrysostomus, h & ante ipsum Basilius, i licet & iste alicubi Octauam videatur addidisse: sed quam ponit post mediam noctem ante diluculum, iungere simul cōsueuit Ecclesia, eaſdemq; pro vna numerare hora, quam *Matutinum Officium* nominat Hieronymus, k qui & ipse de iisdem septem horis, variis l locis meminit: sicut & Cassianus, m Isidorus, n & alii fere innumeri. Quæ quidem ex antiqua institutione, & maxime Dauidis o dicentis ad Deum *septies in die laudem tibi dixi*, per Apostolos semel in Ecclesiam translata, feliciter perseuerāt. Quod vero pertinet ad nocturnas preces, ipsas sacras Vigilias, accommodatius de iis agemus inferius.

c *Tert. adu. Psych. c. 10.*
DE HORIS CANONICIS.
f *Cyp. de orat. Dom.*
g *Athan. de virg.*
h *Chryſ. hom. 19. ad Antioch. hom. de laud. mon. hom. 14. in Tim. 1. & in Psal. 118.*
i *Basil. in Reg. interreg. 37.*
k *Hier. ep. 22. ad Eustoch.*
l *Hier. in Dan 7. & ep. 7. 8. 22. 17.*
m *Cas. col. 7.*
n *Isid. de eccl. offic. cap. 19.*
o *Psal. 118.*

LXXIII.
LOCVS ORATIONIS.

Ex iisdem quoque Lucæ verbis, non certas tantum diei Horas precibus consecratas didicimus, sed & *Locum* quo ad preces Deo fundendas cōuenire debeant Fideles. Quātumlibet enim priuatas quis orationes domi agere intra cubiculū suum (vt Dominus docuit) debeat esse sollicitus; tamen exemplo Apostolorum, templum ad orationem adeuntium, admonentur Christiani, ad publicas preces in vnū locum, ipsam sc. *Ecclesiam*, conuenire. Quod quidem faciendum esse, S. Ignatius, qui iisdem vixit temporibus, scribens ad Magnesianos inculcat. Sicut & exemplo ipsius Domini, qui cum Hierosolymis esset, docebat in templo, iidem etiam Apostoli illic doctrinæ Cathedram erexerunt, prout inferius docet Lucas, p dum ait eos omnes fuisse vnanimiter in Porticu Salomonis. Ad quod alludens Tertullianus, q ait, *instaurationem Christianorum de porticu Salomonis esse.* quod equidem maximum opus Templi Salomonis, post iteratas reliqui Templi destructiones atque restaurationes, hactenus integrum permansisse, tam idem Lucas, r quam Ioannes, atque etiam Iosephus, docent.

p *Act. 5.*
q *Tert. de præscrip. cap. 7.*
r *Act. 3. & 5. Ioan 10. Ioseph. 20. antiq. 8.*

LXXIV.
s *Act. 3.*
PETRVS CLAVDVM SANAT.
Act. 4.

Narrat post hæc Lucas s historiam sanati à Petro claudi à natiuitate ad portam templi, & quo modo ad rei nouitātem concurrentibus populis, ea Christum annuntiandi arrepta occasione, concionem habuerit, qua quinque millia hominum ad fidem perduxit. Quando superuenientes t Sacerdotes atque Sadducæi, eumdem Petrum, & qui eum comitabatur Ioannem Apostolum in carcerem detruserunt, ac die sequenti in magnum Concilium Septuaginta duorum Seniorum introductos, atque interrogatos, liberos dimiserunt propter populum qui magnificabat quæ gesta fuerant; facta dumtaxat iis prohibitione ne amplius in nomine IESV docerent. Hæc fusius Lucas. Quale vero mysterium miraculo Petri contineretur, Ambrosius a enarrat, dum ait Petrum, quia petra esset super quam ædificaretur Ecclesia, recte primum signum mirabilium suorum fecisse claudo pedum restituendo vestigia, vt sicut ipse in Ecclesia fidei fundamentum continebat, ita & in homine membrorum fundamenta confirmaret. Vt non mireris, si Lucas, quantumlibet prodigia ac signa ab Apostolis ante hac facta esse testatus b esset, tamen ab eo quod tam insigniter est editum ab Apostolorum Principe, cæteris prætermissis, narrationem instituerit.

a *Amb. ser. 3. in nat. Apost.*
MYSTERIVM EX MIRACVLO.
b *Act. 2.*

LXXV.
c *Act. 4.*

Reuertente post carcerem Petro vna cum Ioanne ad suos, cum vniuersa quæ tum congregata in vnum erat multitudo, de iis quæ gesta essent Deum laudasset, oransque petiisset vt Euangelii prædicatio magis magisque signis atque prodigiis illustraretur; factus est terræmotus, omnesque Spiritu sancto desuper venente repleti sunt; & erat omnium sicut vna voluntas idemque animus, ita temporalium bonorum vsus communis. Quoquot enim (inquit Lucas) possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia, & ponebant ante pedes Apostolorum. Quod vero Ioseph qui cognominatus est BARNABAS, præ cæteris qui id præstiterunt nominetur ab Euangelista; id in causa fuisse putatur, quod cum ditissimus esset, non agellum quempiam, sed latifundium vendiderit. Hæc enim qui eius Res gestas scripturis mandauit Alexander d testatur: addens eumdem oriundum Cyprium Hierosolymis habitasse, & à Gamaliele vna cum Stephano ac Saulo sacris literis imbutum fuisse, ac demum ad Christum venisse vna cum suo consobrino Ioanne Mariæ filio, apud quem (vt vidimus) Christi noua Ecclesia coalescere cœpit. Sane Eusebius e & Epiphanius f inter antiquos Christi Discipulos ipsum adnumerant.

DE BARNABA.
d *Ap. Metaph. & Sur. 11. Iunii.*
e *Eus. 2. hist. 1.*
f *Epiph. li. 1. cap. 21.*

LXXVI.
g *Act. 5.*
DE ANANIA ET SAPHIRA INTERITV.

Post hæc S. Lucas g *Ananiæ & Sapphiræ* sacrilegii pauendam recensēt pœnam. Vendiderant agrum, cuius pretii ꝙ dam delaturi erant ad pedes Apostolorum, dolosa fraude parte sibi retinuerunt. Penetrat in eorum corda Petrus, & sicut in cæteris, ita in iudiciaria potestate primatum ferens, inquirit de crimine, detegit fraudem, & de perpetrato peccato cōuictis diuinam vindictam prophetico Spiritu annuntiat; quæ mox secura eosdem interemit, vt pœna duorum esset doctrina multorum. Quorum quidem duplex fuit ea in te peccatum: alterum quod ingerit Petrus, de mendacio in Spiritum sanctum; alterum vero quod intulerunt Hieronymus h, Athanasius, i Maximus, k Gregorius, l & alii, ꝙ quæ semel Deo vouerant non præstitissent, partemque sibi tam alienæ substantiæ reseruassent. Cæterum hanc pœnam non ad supplicium æternum, sed ad expiationem peccati, vt sic salui esse possent in futuro sæculo, à Deo esse illatam, Origenes, m Augustinus, n & alii existimarunt. Quod autem ad dictam in communem vsum bonorum collationem pertinet, non ea quidem eiusmodi fuit, vt quicumq; Christianus esse vellet, non aliter id consequi posset, vel vt eadem viuendi norma cæteris omnib. qui credituri essent præscriberetur: (Nam de Paulo o Apostolo constat, Corinthios per epistolam monuisse, sic indigentibus eleemosynas impartiri, ne esset nimis profusa largitio.) Sed hæc facta sunt ipso exordio nascentis Ecclesiæ, primato quodam Spiritus sancti impulsū, tum vt, quod excitanda esset in Fidelibus vehemens persecutio, renuntiationis Fidei periculum, eiusmodi rerum temporalium lucrosa iactura redimeret, tum maxime vt excultionis vitæ quoddam posteris imitandum formaretur exemplum. Inde enim quotquot religiosiorē vitam sunt amplexati, *Voluntaria Renuntiationis & Paupertatis* formam sumpsisse, constat ex Basilio, p Augustino, q aliisque omnibus qui Monachis selectas viuendi Regulas præscripserunt.

h *Hier. ep. 8. ad Demet. Ath. ser. de pass. & cru. & lib. ax. ap. Amb. ser. 9. & Aug. de verb. Apost. ser. 25.*
i *Greg. 1. ep. 33. Ind. 9.*
m *Orig. tract. 8. in Matth.*
n *Aug. 3. cont. Faust. 1.*
DE RENVNTIATIONE BONORVM.
o 2. *Cor. 8.*
p *Bas. de reg. monach.*
q *Aug. ser. 50. de diuers.*

LXXVII.
r *Act. 5.*
PLVRIMA MIRACVLIS PRAEROGATIVA.

Narratis quæ in Ananiam & Saphiram sunt dum mittus acta, subdit Lucas, r adeo miraculis & prædicationib. Apostolorum auctam fuisse fidem in dies credentium in Domino multi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

multitudinem, vt etiam infirmos omnes & vexatos à spiritibus immundis, non ciuitatis tantum Hierusalem, sed & vicinarum omnium, in plateis exhiberent, vt transeuntis Petri vmbra liberarentur ab infirmitatibus suis. Fuit nimirum ista prærogatiua Petri, vt sicut inter Apostolos primatu in omnes est auctus, ita etiã insigniora ederet miracula. Quid vero *Vmbra Petri*, nisi imago expressa corporis eius? Certe quidem non aliunde, quam ex eiusmodi imaginibus vmbra formatis, picturã duxisse originem fetunt *a*. Vt ex his videas, IMAGINVM pium cultum in vmbra Petri à Deo primitus in primori illa Ecclesia tot tantisq; miraculis esse diuinitus consecratum. Rursus vero cum eandem vmbræ Petri virtutem inditam videmus, quam & ipsi corpori Petri; illud certe typice expressum esse videtur, tantã à Deo Principi Apostolorum gratiarũ copiam esse collatã, vt eandem in ipsius successores feliciter propagari voluerit: nimirum vt quamuis non omnes æque sancti ac Petrus, tamen quia eius gererent personam, eandem etiam retinerent à Deo illi traditam potestatem: scirentq; omnes, respectu Petri in honore habendos esse, qui vmbram saltem Petri hac ex parte referrent.

a *Clem. Alex. adu. Gent.* SACRARVM IMAGINVM CVLTVS IN VMBRA PETRI.

LXXVIII. APOSTOLI FLAGELLANTVR.

Cæterum tantam Christi gloriam, in Petro ac cæteris Apostolis diuinitus illustratã, inuidentes Principes Sacerdotum, eos in carcerem detruserunt. At ab Angelo noctu liberati, iussiq; intrepide Euangelium prædicare, diluculo templum ingressi, cœperunt confluentem docere populũ: vnde rursus ad Concilium Seniorũ producti, cum de nece illis inferenda initretur consiliũ, oratione Gamalielis Legis periti (qua exemplis Theodæ, & Iudæ Galilæi, de quibus dictũ est superius *b*, docuit, si doctrina Apostolorum ex hominibus esset, facile sponte dilapsuram; si vero ex Deo, frustra ei homines repugnaturos:) dimissi sunt, postquam virgis cæsi essent, & IESVM annunciare prohibiti: qui tamen eo magis illum quotidie in templo prædicare non destiterunt. Hæc pluribus Lucas *c*. Porro Gamalielem fuisse Christianum, sed consilio Apostolorum sic occultum inter Seniores permansisse, vt ea ratione melius consulere Ecclesiæ posset, traditur in libris Recognitionum *d* Clementis, quos licet apocryphos citat Beda *e*, & hæc eadem de Gamaliele recitat. Sane illum adhæsisse Christianis, & inter Christianos esse professum, certum plane illud est indicium, quod Stephanus protomartyr in ipsius sepulchro, & ipse apud eundem Stephanum à Christianis sepultus est; vt dicetur inferius suis locis.

b *An. 1. n. 16.*

c *Act. 5.* GAMALIEL CHRISTIANVS.

d *Recog. lib. 1. c. 9. & 10.*

e *Bed. Retract. in Act. 5.*

LXXIX. PRIMA DISCORDIA IN ECCLESIA.

His iam externis hostibus fortiter ab Apostolis superatis; per eos qui intus in Ecclesia erant, veritatis hostis diabolus longe periculosius in eos certamen aggreditur. Crescente enim numero Fideliũ, *factum est*, inquit Lucas *f*, *murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*. Porro nõ sic hoc loco accipiendi sunt *Græci*, quasi Gentiles, ad distinctionem Hebræorum; nam nondum Gentilibus Christi Ecclesiæ patebat ostium: sed quod (vt superius Philone auctore diximus) sicut in cæteris Orbis partibus, ita etiam in Græcorum regionibus Iudæi agerent: cum alioqui etiam Lacedæmones *g*, nobiles in Græcia populi, ab Abrahã se originem ducere gloriarentur: & in Ionia *h* item Græcorum prouincia quamplurimi habitarent Iudæi. *Græci* igitur dicebantur à Iudæis, qui in Græcia Hebræi agerent; Palæstinæ vero indigenas, proprio nomine appellabant *Hebræos*; vt hic etiam Lucas fecisse cognoscitur. Quodnam vero fuerit huiusmodi *Ministerium*, à quo Græcorum viduæ videbantur excluse, duplex reperitur sententia: altera eorum, qui putarunt certas Hebræorũ viduas mensarum seruitio fuisse præfectas: (nam & mulieres Domino ministrasse testantur *i* Euangelistæ: altera vero eorum qui eiusmodi ministerium quotidianum interpretati sunt ipsam eleemosynarum quotidie fieri *k* solitam in singulos distributionem. Porro secundum priorem sententiam esse potius iudicandum, facile persuadent ea quæ subdit Lucas de electione septem Diaconorum qui mensis ministrarent.

f *Act. 6.* IVDÆI GRÆCI.

g *1. Machab. 12. Ioseph. 12 ant. 5. & l. 14. c. 9.*

h *Ios. 16. ant. 4.*

MINISTERIVM VIDVARVM.

i *Matth. 27. Marc. 15.*

k *Act. 4.*

LXXX. DVPLEX MENSA.

MENSAS autem illas quibus præfecti sunt Diaconi, fuisse sacras æque ac communes, demonstrat satis historia nascentis illius Ecclesiæ; qua cognoscitur, sicut Dominus in vltima cœna vtrasque mensam vna coniunxit, communem in qua agnum comedit, & sacram in qua sacratissimum suum Corpus & Sanguinem propinauit; ita etiam temporibus Apostolorum eandem in Ecclesia consuetudinem conseruatam esse, vt simul vtraque mensa coniungeretur. Esse enim de ea re perspicuum Pauli testimonium in priori ad *a* Corinthios, omnes illic notant Interpretes. Quapropter *Ministerium quotidianum* nihil aliud fuit, quam eiusmodi mensis inseruire, quæ quotidie parabantur: sicut & ait Lucas *b*, Fideles perseuerasse quotidie in communicatione fractionis panis. Verum non communem tantum cibum per fractionem panis debere intelligi, Paulus docet cum ait, *Panis quem frangimus, nonne participatio est Corporis Domini?* Facessat ergo sententia *c* affirmantium, Diaconos mensis tantum communibus, non etiam ministerio altaris fuisse præfectos. Quid enim ad cibaria paranda talib. opus fuit ministris, tanta sollicitudine delectis, tam sacris ritibus initiatis? quos quidem Lucas narrat conquisitos fuisse qui essent boni testimonii, & Spiritu sancto ac sapientia pleni; iisdemque Apostolos orantes manus imposuisse. Denique ne in re tam clara diutius immoremur, cum plura in hanc sententiam coaceruari possent sanctorum Patrum testimonia, vnus sit instar omnium Ignatius: qui cum Diaconorum ministerium quodnam hoc tempore esset oculis spectauerit, non semel *e* asserit eos non ciborum & potus ministros esse, sed Ecclesiæ Dei & mysteriorum Christi administratores, & Angelicarum virtutum imitatores, qui purum & inculpatum ministerium Sacerdotibus exhiberent. Quod vero dictum est, septem Diaconos mensis etiam communibus fuisse præfectos, non sic accipienda res est, vt cæteris accumbentibus ipsi quæ ad cibum potumque pertinerent illuc inferrent; sed quod ea, eleemosynas egenis diuidendo, curarent; quippe qui non solum ministerio Sacramentorum, sed etiam dispensationi Ecclesiasticæ substantiæ, & eleemosynarum largitionibus præpositi essent: sicut & hoc ipsum vsu postea retentum esse, Hieronymus *f*, Ambrosius *g*, Leo *h*, Prosper *i*, & alii testantur: extatque apud Gregorium *k* Papam ipsa scripti formula, cum alicui committeretur diaconia. Quod a Lucas recensendo singulorum septem diaconorum nomina, primum ordine ponit STEPHANVM, S. Augustinus *l* ex eo accidisse putauit, quod primatum ageret inter Diaconos, sicut inter Apostolos Petrus; vnde & *Primicerius m Diaconorum, & Archidiaconus n*, tam à Græcis, quam Latinis appellatus habetur.

a *1. Cor. 11.*

b *Act. 2.*

c *1. Cor. 10.* DE ILLICITO MENSIS MINISTRIS DIACONORVM. *6 Sext. Syn. c. 16. ap. Tb. Bals. Caiet. in Act. Apost.*

e *Ignat. ep. ad Tral. & ep. ad Heron.*

f *Hieron. in Ezech. 48*

g *Ambr. offic. c. vlt.*

h *Leo ser. de 2. Laur.*

i *Prosp. in Coroll. art. 4.*

k *Greg. 9. ep. 2. Indict. 4.*

l *Aug. ser. 94 de diu.*

STEPHANVS ARCHIDIACONVS.

m *Aug. ser. 1. de Sanct.*

n *Lutian. ep. de eius inuent.*

Vidvas porro quæ præerant ministerio quotidiano, constat post Diaconorum electionem ab eo cessasse, aliisq; functionibus mancipatas esse: de quarum electione agens Paulus *o*, non minus quam sexaginta annorum viduam eligendam, eamque moribus probatam præcepit: quæ communi appellatione DIACONISSÆ sunt dictæ; estq; frequentissima earum mentio apud Ecclesiasticarũ rerum Scriptores. Fuit vero illarum muneris, vt sicut foribus qua ingrederentur viri, ianitores (qui & Ostiarii dicti sunt) præfecti erant; ita ipsæ portis mulieribus tantum patentibus præessent: vnde ab Ignatio *p* dicantur sacrorum vestibulorum custodes. Sicut enim in templo Hierosolymitano *q* erant feminarum portæ, & loca orationis à viris seiuncta; sic etiam laudabilem illum morem in Christianorum Ecclesias fuisse translatum, dicetur inferius *r* aptiori loco. Inseruisse insuper Diaconissas ad mulierum fidelium ministeria, puta lauacri, aut visitationis, vel laboris, & similia quæ à viris sine pudore, vel aliqua improbitatis suspicione obiri non possent; expressum habetur apud Clementem *s* & Epiphaniũ *t*: cum tamen non esserit eiusmodi, vt sicut Diaconi, manus impositionem acciperent, vel aliquo Sacramento initiarentur: Nam sacrosancta Nicæna *u* Synodus ea ex causa eas eidem inter laicas adnumerat.

LXXXI.

o *1. Tim. 5.*

DE DIACONISSIS.

p *Ign. ep. ad Antioch.*

q *Ios. 6. de bel. 6*

r *An. 57. n. 37.*

s *Clem. 3. Constit. 15.*

t *Epiph. hær. 79.*

u *Nic. Conc. can. 19.*

Rursum vero (ex quo in hæc incidimus) sicut Diaconissarum frequens est mentio apud Ecclesiasticarũ rerum Scriptores; ita etiam in iisdem sæpe nomen PRESBYTERÆ, & aliquando etiã EPISCOPÆ reperitur: at non ab aliquo Ecclesiastico ministerio, vel *x* Diaconissis præessent; sed vel quod ob ætatem viduæ seniores dicerentur *Presbytera*, vt in Concilio Laodiceno *x*, & apud Athanasium *y*; vel quod ita nuncupatentur à virorum suorum ordine, cum illis in

LXXXII. PRESBYTERI ET EPISCOPI.

x *Conc. Laod. c. vlt.*

y *Athan. ad Virg.*

Presbyteros electis, ipsa interim vitam cœlibem agerent; vt in Conciliis Turonensi *a* Secundo & Antisiodorensi *b*, atque apud Basilium *c* & Gregorium *d* Papam: notatq; Photius *e* ex Synodis Nicæna, Laodicensi, & Chalcedonensi, prorsus diuersam fuisse Presbyteram à Diaconissa. Sicut autem Presbyteræ, ita & *Episcopæ f* appellatæ reperiuntur, quarum viri fuissent in Episcopos postea consecrati, ipsæq; ab illis diuisæ vitam pariter cœlibem agerent: Eademque denominatione interdum quæ vxor fuisset viri ad diaconatum promoti, *Diaconissa* nominabatur *g*: & *Subdiaconissa*, coniux viri illius qui ad Subdiaconatus ordinem ascitus esset. Sed de his satis: de reliquis autem virorum Ordinibus sacris, & Officiis Ecclesiasticis dicetur alias *h*.

Hoc item anno, quo Dominus noster IESVS CHRISTVS consummato Redemptionis humanæ mysterio cœlos ascendit, cum credentium in eum numerus in dies magis augeretur; inter cætera quæ ad coagmentandã nascentem Ecclesiã sunt ab Apostolis salubriter instituta, IACOBVS *Alphæi*, cognomento *Iustus*, idemq; *Frater Domini* dictus, à Petro *totius Orbis Magistro* (inquit de his agens Chrysost. *i*) *præpositus est* EPISCOPVS HIEROSOLYMORVM ECCLESIÆ: ipsiusque ordinationis mysterium, quod vsitatiori vocabulo *Consecrationem* dicere consueuimus, ab eodem Petro vna cum Ioanne & Iacobo fratribus consummatum est; vt docet epistola quæ dicitur Anacleti *k*: quæ etiam traditur, datam à Petro formã esse, vt non minus quam à tribus Episcopis electus Antistes consecraretur. Cæterum istud de Iacobi creatione hoc anno contigisse cum testatur Eusebius *l*, æque ab iisdem tribus Apostolis eundem ordinatum ex Clemente Alexandrino refert. Aduersus illos autem, qui dicunt tres fuisse *Iacobos*; & *Alphæi* dictum, diuersum esse à Iacobo *Iusto*, quem etiam audent extra duodenarium Apostolorum numerum constituere, (quod quidem ex peruulgato Clementis Romani nomine Recognitionum libro apocrypho eos liquet esse mutuatos) pluribus disputat S. Hieronym. *m*, ostendens duos fuisse tantum Iacobos, alterum *Zebedæi*, fratrem Ioannis; *Alphæi* alterum, eundemque dictum iustum, & Fratrem Domini, hoc est consobrinum: quos & *Maiorem & Minorem* dictos, aliisq; differentiis inter se distinctos affirmat, ac probat. Sicut & idem Eusebius *n* item ex Clemente Alexandrino, non nisi duos Iacobos agnoscit. Denique an non plus satis Paulus *o* Apostolus monstrat Iacobum fratrem Domini, vnum ex Duodecim fuisse, cum ait *se alium Apostolorum vidisse neminem, nisi Iacobum fratrem Domini?* Cum quidem in officio Diaconi ministrasse S. Stephanum, quem nuper electum vidimus, testatur S. Ignatius *p*.

Porro insignia quædam Episcopatus Iacobi, non tãtum memoriæ, sed & vsu ad posteros esse delapsa, veterum Scriptorum auctoritate exploratum habetur. Ipsam enim eius *Cathedram ligneam*, Eusebius *q* ad sua vsq; tempora seruatã, & permagni habitam tradit. Consueuerunt enim maiores tanti memores beneficii, quod Apostolica prædicatione è tenebris in lucem educti essent, etiã ipsas *Sedes* ligneas quibus illi insedissent, summa diligentia custoditas veneratione prosequi: Sicut & de Cathedris Petri Romæ, & Marci Alexandriæ, factum esse suis locis dicemus. Sedes porro illę Episcopales, sublimiores fieri solebant, quas *Apsides gradatas* appellat S. *r* Augustinus: sicut etiam quod velis ornari consueuerant, *Velatas* nominat; Pacianus autem *Lineatas*: qua de re est egregium exemplum apud Pontium in martyrio S. Cypriani.

Insuper ad Episcopalis dignitatis ornamentum, eundem Iacobum gestare in capite consueuisse *Laminam*, seu bracteã auream, ex Clemente Alexandrino, & eodem Eusebio, Epiphanius *s* testatur; idemque affirmant Hieronymus *t*; ac cæteri pene omnes Ecclesiastici Scriptores. Illud autem ornamentum, in signum Regalis Sacerdotii (vt ipsum vocat Petrus *u*) gestari consueuisse a Christianæ Legis Pontificibus, satis idem declarat Epiphanius, dum eius rei hanc affert rationem, quod Christus secundum ordinem Melchisedech, & Rex ex semine David in Ecclesiam suam ac eius Pontifices, tum sacerdotium tum thronum Dauid, ipsam regiam dignitatem vna cum sacerdotio, in æternum permansuram transtulerit. Non enim Iacobo tantum eiusmodi regiæ dignitatis insigne peculiare fuisse, sed & cæteris Apostolis commune, par est credere; cum eodem æque vsum esse Ioannem Euangelistam, ex epistola Polycratis Ephesinorum Episcopi ad Victorem Romanum Pontificem tradant Eusebius *a* ac Hieronymus *b*. Porro eius origo ex antiqua *c* Lege deducta est; in qua cum cæteris Sacerdotibus vti cidari, seu mitra, concessum esset, Laminam tadotibus vti cidari, seu mitra, concessum esset, Laminam tamen auream superaddere solius erat Summi Pontificis. Vocatur eadem in diuina Scriptura *d* CORONA: & Iosephus *e* ornamentum capitis Summi Sacerdotis describens, monstrat non tantum Laminam, sed & corona aurea triplici ordine dicta mitram ornatã fuisse. Eo vero ornatu significati diadema regium, insigne potestatis mirificæ, Philo *f* declarat. Nec prætermittimus dicere de Brachmanis Sacerdotibus, quos testatur Philostratus *g* vti consueuisse mitra gemmis ornata. Sicut & Summum Sacerdotem Deæ Syriæ, auream tiaram gestare solitum Lucianus scribit: & Pontificis Maximi Romanæ antiquæ superstitionis ornamentum, fuisse coronam auream, Prudentius affirmat in Romano Martyre. Sunt & alia plura de his exempla; sed hæc modo satis.

Vt vero de nostris agamus, inprimis Hieronymus *h* de indumentis Sacerdotij legis Mosaicę scribens, docet omnia in Christo esse perfectius consummata. Et ex institutione, immo & vsu (vt vidimus) Apostolorum manasse certum est, vt Episcopi Christianæ Ecclesiæ, quod regali fungerentur sacerdotio, tanquam Reges & Sacerdotes mitra in sacris vterentur pretiosa, quam quidem fuisse maximi pretij, & in modum coronæ factam, satis Ammianus *i* demonstrat, dum agit de Firmo tyrãno in Africa, qui à Theodosio duce profligatus, vt eum sibi conciliaret, *militaria* (inquit) *signa, & Coronam Sacerdotalem, cum cæteris quæ intercepserat restituit, vt præceptum est*. Quemadmodum & de mitra S. Ambrosii gemmis ornata meminit Ennodius in epigrammate de ipso scripto; & Gregorius *k* Nazianzenus de cidari capiti suo imposita cum ordinatus est Episcopus; aliique de aliis. Licet autem eodem nomine eiusmodi capitis ornamentum, *Mitra*, seu *Cidaris*, tam apud Sacerdotes antiquæ legis, quam nouæ appellaretur: tamen fuisse diuerso modo concinnatum, & sicut pristina forma quid mysticum præseferebat, ita & nouam alia mysteria repræsentare, docent qui agunt de Ecclesiasticis Officiis ac Ritibus, quos consulat qui ea cupit.

Quod vero rursum ad Iacobi indumenta pertinet; quod ipse lindone tantum simplici vteretur, inde factum est vt ad eius imitationem, atque etiam in ipsius Domini Hierosolymis crucifixi memoriam, successores Hierosolymitani Episcopi haud circumspecte induti incederent, sed simplici candida veste; licet eiusdem Ecclesiæ clerici fericis etiam atque splendidis vterentur: sicut inter alia testimonia, constat ex narratione Cyrilli *l* monachi in Rebus gestis S. Euthymij Abbatis, vbi agit de Anastasio eius Ecclesiæ Episcopo. Ac denique Poderem, & Superhumerale, seu Pontificalem *Stolam* eiusdem S. Apostoli diutissime conseruatam esse; eaq; in sacris ministeriis vti solitos ipsius successores Episcopos, docet epistola *m* Theodosii eiusdem ciuitatis Hierosolymitanæ Antistiti scripta post multa sęcula tempore Octauę Oecumenicę Synodi ad S. Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, qua profitetur se eandem ipsam ei dono cum aliis sacris muneribus mittere.

Post electionem septem Diaconorũ, mox Lucas *n* narrationem instituit de Stephani martyrio. Vnde fuit quorundam opinio, illud haud multo postquam est electus Diaconus, contigisse tertio Nonas Augusti. Contra vero fertur *o* Hippolyti Thebani nomine ab his procul abhorrens sententia, quam & Nicephorus *p* adscribit Euodio, vt nex Stephani contigerit anno septimo ab eius electione, siue ab Ascensione Domini; eodemque tempore & Paulus à Christo vocatus fuerit. Sed cum his quamplurima repugnent, ipsoque inferius suis locis dicentur; libentius cum sanctis Patribusque inferius suis locis dicentur; libentius cum sanctis Patribus dicimus, S. Stephanum passum esse die vigesima sexta mentis Decẽbris, sub huius anni Coss. Domitio Ænobarbo & Camillo Scribonano, anno Domini trigesimo quinto

per

Conc. Tur. II. can. 20. Antis. ca. 22. Basil. ep. ad presbyt. Greg. l. 4. Dial. 11. Phot. in Nomoc. ti. 3. c. 37. Conc. Tur. II. c. 13. 14. Ibi c. 20.

h An. 44. 33.

LXXXIII. IACOBVS CREATVR HIEROSOLYM. EPISC.

Chrys. hom. 87. in Ioan.

k Anacl. ep. ad Episc. Ital.

l Euſ. in Chron. & 2. hist. 1.

m Hier. in Isa. 17. & aduers.

n Euſ. 2. hist. 1.

o Gal. 1.

p Ignat. ep. 13. ad Hieron.

LXXXIV. IACOBI CATHEDRA

q Euseb. 7. hist. 14.

r Aug. ep. 203.

ORNAMENTVM CAPITIS EPISCOPORVM.

s Epiph. her. 29. & 78.

t Hier. de Scri. Eccl. in Iacob. & in Gal. 2.

u 1. Pet. 2.

DE LAMINA AVREA.

a Euſ. 5. hist. 23.

b Hier. de Scri. Eccl. in Polycr.

c Exod. 28. 29. 39. Leuit. 8.

d Eccles. 45.

e Ioſ. 3. ant. 8.

f Phil. de profug.

g Philostr. Vit. Apoll. l. 2. & 3

LXXXVI.

h Hier. ep. 128. ad Fabiol.

CHRISTIANORVM PONTIFICVM CORONA.

i Am. lib. 29.

k Nazianz. Apolog. 3.

LXXXVII.

Hic autem articulus desumptus est, priori quidem parte ex Tom. 6. an. 458. nu 36. posteriori vero ex Tom. 10 an. 869. n. 17. l. Ap. Sur. 20. Ianuar.

STOLA S. IACOBI.

m In Act. Oct. Syn. act. 1.

LXXXVIII.

n Act. 6.

o Ap. Glyc. Annal. par. 3. p Nic. 2. hist. 3.

DE TEMPORE MARTYRII S. STEPHANI.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

per vnum diem inchoato. Verum cum (vt præfati sumus) annos Domini vna cum Coss. more maiorum à Calendis Ianuariis auspicemur; haud mirum videatur, si sub notato numero annorum Christi triginta quatuor à nobis id gestũ recenseatur. Porro dictam diem vigesimam sextam Decembris, quæ subsequitur Natalem Domini, qua in hunc mundum venit subiturus ærumnas hominum, natalem pariter fuisse S. STEPHANI Protomartyris, qua ex hac ærumnosa vita migrauit ad Dominum; & profitetur Ecclesia *a* Catholica, & senserunt Gregorius *b* Nyssenus, Augustinus *c*, Fulgentius *d*, & alii tãm Græci quam Latini. Nec quod quis dicat, ea die non ob Martyrium, sed ob Translationem eius Reliquiarum, quam tunc factam esse testatur epistola *e* Luciani, agi solennitatem ipsius: nam longe ante inuentionẽ & translationem, natalem eius celebrari ea die consueuisse, apparet ex sermone prædicti Gregorii Nysseni, quem haud dubium est claruisse ante illa tempora.

Porro rem gestam, nobile eius certamen, ac triumphum egregium, S. Lucas sexacte conscripsit: docens obortam inde fuisse eius necis occasionem, quod cum ageret signa & prodigia magna in populo, concitauit in se odium Iudæorum diuersarum regionum, quarum collegia Hierosolymis omnium Iudæorum metropoli constituta erant, vt diuinam legem addiscerent. (Græcorum enim scientias, vel nationum linguas, haud licuisse publice tradi, Iosephus *g* testatur.) Erat Stephanus vnus ex illis, eodem cum eis vsus *h* Legis magistro Gamaliele: eumque fidem Christi miraculis confignaret, tum sodalium omnium, tum maxime Sauli Tarsensis, collegii eorum qui erant è Cilicia facile principis, in se impetum mouit. Incentor enim omnium esse visus est Saulus, quod ipse in Iudaismo (sicut ipsemet *i* testatur) profecisset præ cæteris coætaneis suis, paternarum traditionum abundantius æmulator existens; qui nec à cœpto destitit, donec eundem lapidibus obrutum vidisset. Ipsum enim non solum consensisse necieius, sed & vestium eum lapidantium custodem se præbuisse, cum Lucas *k* affirmat, tum ipse Paulus *l* ex Saulo conuersus, lugens fatetur. Vnde egregie Augustinus *m* ait, Saulum vt esset in omnium lapidantium manibus, omnium vestimenta seruasse; magisque sæuisse omnes adiuuando, quam suis manibus lapidando. At vero Stephanus Domini IESV memor exempli, qui pro transgressoribus preces in Cruce ad Deum fudit, & ipse positis genibus (inquit Lucas) pro se lapidantibus Deum deprecatus est. Quantæ vero efficaciæ fuerint ipsius preces, quantaque ex eius martyrio facta sit nostris rebus accessio, vel ex eo saltem quis considerare facile poterit, quod idem Augustinus *n* sæpe testatur, precibus Stephani expugnatam esse perfidiam Sauli; & quod si Stephanus non orasset, Ecclesia Paulum non haberet. Sed de conuersione Pauli dicetur anno sequenti.

Lapidatus est autem Stephanus extra portam Ephraim, quę postea nomine S. Stephani appellata reperitur *o*. Locus vero ipse neq; integro stadio distabat Hierosolymis; quem postea Eudoxia *p* Augusta nobilissima ecclesia ædificata egregie illustrauit. Et lapis, super quem positus fuscepit lapidum imbres, in Ecclesiam Apostolorum ad montem Siõ positam translatus, magna veneratione *q* est habitus. Vnum ex lapidibus quo percussus est, à Christiano quodam collectum, & postmodum Anconã Italiæ ciuitatem transla tum fuisse, ibique ea de causa in honorem protomartyris constructam ecclesiam, in qua plurima peragi consueicerent miracula; præterea antiqua Martyrologia, testis est infragabilis S. Augustinus *r*, Et nequid prætermittamus, legitur apud Clementem *s* Romanum, inter Christianorum ferias adnumerari natalem diem protomartyris Stephani. Atque in epistola, Martialis Apostolorum discipuli nomine prænotata ad Burdegalenses, (qualiscunq; ea sit) mentio habetur Aræ Ignoti Dei; quę in altarium dęmonum destructione, ipsius Martialis iussu reseruata est in ea ciuitate ad consecrationem, & in nomine Dei Israel atque ipsius testis Stephani dedicata *t*.

Cæterum funus Stephani curatum esse cum planctu magno à viris timoratis, Lucas *u* tradit: sed apposite antequam de eo ageret, præmisit de persecutione magna, quæ post eius necem facta est Hierosolymis aduersus Christianos; vnde accidit vt non ea die qua necatus, sepulturæ traditus sit. Corpus enim eius proiectum à Iudæis, die ac nocte iacuisse vt à feris consumeretur, sed intactum omnino permansisse; narrat ex relatione Gamalielis Lucianus in Epistola de Inuentione corporis eius: quod (vt ait) Gamalielis opera deductum est in ipsius villam distantem viginti milibus à ciuitate; eodemque omnia ad planctum necessaria subministrante; post septuaginta dies sepultum in monumento nouo eiusdem ipsius Gamalielis. Nec aliter quidem Hieronymus *a Planctum magnum*, quem factum narrat Lucas in funere Stephani, nisi magnificentiam funeris intelligendum esse, docet ex pluribus Scripturæ locis. Testatur que Rabbi Iacob in Turim *b* Iore Degha, tantum olim excreuisse apud Hebræos impensam funerum, vt interdum eius magnitudine cognati pericriti qui ne pares essent eiusmodi profusionibus, relicto cadauere se ad tempus subducerent: verum hæc moderata fuisse à Seniore Gamaliele, cuius tam in Sacerdotib. quam populo potissima erat auctoritas, eiusque sententia & exemplo factum, vt non nisi lineis linteaminibus corpora defunctorum cuiusuis ordinis & dignitatis obuoluerentur. Sed de sacris Cæremoniis, quas ab ipsis Apostolis per manus successorum acceptas Ecclesia Catholica laudabiliter hactenus in curandis defunctorum corporibus obseruare consueuit, dictum est ab aliis *c* vberius.

Quod vero Stephani funus non vna die, sed pluribus vsque ad septuagenarium numerum curatum est; eadem Apostolica traditione in Ecclesia consuetudo probata videtur, vt item non vna die tantum, sed pluribus pia Fidelium defunctis persoluerentur obsequia. Vnguentis enim primum delibuta corpora remanere duorum vel trium dierum spacio insepulta consueuerant: quo tempore apud ipsa excubantes Fideles sacras hymnodias cantabant, & sacrificium offerebant; vt inter alios quamplurimos, locupletissimi sunt testes Hieronymus *d* & Augustinus *e*. Rursum octaua, vigesima, trigesima, quadragesima, ac sexagesima die agi consueuisse memoriam defunctorum, antiqui libri Rituales testantur: ac præterea de anniuersaria die multa sunt veterum Patrum *f* certissima testimonia. Quæ autem his coniuncta esse videntur SVFFRAGIA ab Ecclesia *pro defunctis* exhiberi solita, ea non recens in Ecclesia inuenta, sed ex iisdem Apostolicarum traditionum fontibus promanasse, Augustinus *g* constanter affirmat, dum ait: *Orationibus sanctæ Ecclesiæ, & Sacrificio salutari, & Eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, non est dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis misericordius agatur à Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in corporis & sanguinis Christi communione defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoretur, &c.* Quod autem ait id à Patribus traditum, haud ab aliis quam ab Apostolis voluit intellexisse, secundum ea quæ de Baptismo contra Donatistas idem scribit: *Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec Concilijs institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Quare & est videre eiusdem Apostolicæ traditionis antiquissima monumenta apud Tertullianum *h*, Origenem *i*, Cyprianum *k*, Cyrillum *l*, Hierosolymitanum, Epiphanium *m*, Chrysostomum *n*, & alios *o* quamplurimos tam Græcos quam Latinos Patres, qui vel iisdem temporibus, vel postea vixerunt.

Quæ cum ita sint, æque necessario compellimur dicere, eosdem auctores ex Apostolica traditione affirmare, esse locum in quo post obitum animæ purgantur. Nam si viuẽtium suffragiis eas adiuuari ac liberari posse, Apostolica traditio (vt dictum est) docuit, sane non omnes continuo in cœlum recipi, nec item omnes in infernum mergi, (pro eiusmodi enim nulla sunt offerenda suffragia, cum nec illæ opus habeant, nec istis prosint) certum est; sed certium adhuc esse locũ, quo illæ quæ adhuc venialium peccatorũ inquinatæ sunt sordibus, & mortalium pœnæ temporariæ sunt obnoxiæ, detinentur, donec ab omni penitus macula expiatæ, æternæ tandem participes fiant beatitudinis. Eaque ratione ratum est, firmumque, de IGNE PVRGATORIO fidem atque doctrinam ex Apostolorum tradi-

tione

---

a *Martyrol. Rom. & alia.* b *Nyss. ser. de S. Steph.* c *Aug. ser. 98. & 115. de diu.* d *Fulget. hom. de S. Steph.* e *Vid. infra an. 415. n. 1.*

LXXXIX. *f Act. 6. & 7.* OCCASIO NECIS STEPHANI.

g *Ios. 20. ant. vlt.* h *Lucia. ep. de Inuent. S. Ste.*

i *Gal. 1.*

k *Act. 7.* l *Act. 22.* m *Aug. ser. 14. de Sanct.*

PAVLVS STEPHANI PARTVS

n *Id. ser. 94. de diuers. ser. 1. & 5. de Sanct.*

XC. o *Ap. Bed. de loc. sanct. c. 1. & Burch. par. 1. c. 7.* p *Euagr. 1. hist. 22. Marcel. in Chron.* q *Bed. de loc. sanct. c. 3.* MEMORIA STEPHANI.

r *Aug. ser. 31. 31. de diuers.* s *Clem. 8. Const. 39.* t [*Visitur hactenus illa Burdegalæ, prope ecclesiam S. Seuerini.*]

XCI. u *Act. 8.* DE FVNERE STEPHANI AMPLISSIMO.

a *Hie. ep. 25. ad Paul. & ep. 53. ad Ripar.*

beap. 352. IMMENSA LVDAORVM SOLENNE FVNERALIS *Vide, si libuerit, Tractat. De Sacris Cœmeteriis, editum ab* Henr. Spondano, *(qui & præcedenti Annalia Epitomen curauit) & libret. tres De sanctis Christianis locis. Gretseri, vbi ista diffuse tractantur, præterea quæ de eis habet ipse Baronius.*

XCII. REPETITA MEMORIA PRO DEFVNCTIS.

d Iter. ep. 27. e *Augus. 9. Confess. 13.* f *Tert. de cor. mil. & lib. de monog. Greg. Naz. orat. in fun. Cæs. & alii plurimi.* g *Aug. ser. 32. de verb. Ap. & de hæp. 22.*

h *Tert. de cor. c. 3. & de monog.* i *Orig. hom. 3. in Iob.* k *Cypr. ep. 66.* l *Cyr. catech. 5.* m *Epiph. hær. 75. cum Arri.* n *Chrys. ho. 69. ad Antioch. hom. 3. ad Pl. 1. hom. 24. in Act.* o *Paulin. ep. 31. ad Alex. Grec. in fin. Dam. orat. de fidel. def. &c.*

XCIII. PRÆSTITA A DOCTRINA APOSTOLICA.

i *Tert. de cor. c. 3. & de monog.* k *Cypr. ep. 66.* l *Cyr. catech. 5.* m *Epiph. hær. 75. cum Arri.* n *Chrys. ho. 69. ad Antioch. hom. 3. ad Pl. 1. hom. 24. in Act.* o *Paulin. ep. 31. ad Alex. Grec. in fin. Dam. orat. de fidel. def. &c.*

tione

CONSENSIO PATRVM DE EADEM RE

tione fluxisse. Multa ad hæc probanda & confirmanda essent ex diuinis Scripturis in medium afferenda testimonia: sed quoniam nostri instituti est, doctrinam ex traditione, non traditionem ex doctrina deducere, (hoc enim feliciter præstiterunt in omnibus ac singulis Christianæ Religionis articulis, complures nostri temporis Ecclesiastici Scriptores Orthodoxi:) his impræsentiarum omissis, illud tantummodo dicimus, Apostolicam eiusmodi traditionem, Catholicæ Ecclesiæ continuo vsu receptam esse, Patrumque tam Græcorum quam Latinorum vnanimi testimonio roboratam: licet de loco, & modo quo animæ purgentur, alius aliter senserit; quod tamen id fiat, omnes æque consensisse: neq; hactenus repertum esse aliquem; qui ausus fuerit contradicere; quin potius eandem Catholicam veritatem, diuino etiam miraculorum atq; sanctarum reuelationum suffragio sæpissime comprobatã, omnes pronis manibus excipientes, pie sancteq; veneratos esse. Adeo vt nulla habenda sit ratio, si N. quantes, & Ecclesiasticæ Oeconomiæ inuersores, ab his aliter senserint. Tantum enim abest, vt penes quempiã Orthodoxorum fuerit vnquam de eare aliqua dubitatio, vt potius laborandum fuerit Patribus aduersus nonnullos, qui crederent omnia peccata quantumuis capitalia; excepto infidelitatis errore, eodem Igne purgari posse, quos *b* Augustinus & Cæsarius *c* Arelatensis refellerunt. Sed de his hactenus; simulq; hic tandem claudamus huius anni res gestas.

Tert. de anima c.35. & vide Orig. l.5. in Ex. Cypr. ep.51. ad Ant. Greg. Nyss. orat. catech. b. Bas. in Hex. vide & in Amos 7. in Matth. 3. Ambr. in Ps. 118. serm. 3. & 20. & in Luc. 11. Aug. Enchir. c.67. 68. 69. ad Cin. l. 21. c. 13. & 2. de Gen. cont. Manich. c. 20. li. de 83. q. q. 1. & alibi, etiq; aut in numeri.

b Aug. in Enchir. & de ciuit. vbi supra.

c Cæsar. ho. 7.

I

DE PERSIO DISCIPVLORVM

d Act. 2.

e Act. 11.

f Athan. hom. de semente.

g Nyss. ser. de S. Steph.

h Act. 9.

i Acta Magdal. & sociorum, ap. Sur. 22. Iul. Sigeb. in Chr. an. 745. MAGDALENA CVM SOCIIS IN GALLIAS.

k Hist. Angl. M.S. quæ habetur in Bibl. Vatic.

l Act. 11.

II.

IESV CHRISTI AN. 35.

TIBERII IMP. AN. 19.

ANNO Domini trigesimo quinto, Sulpitio Galba & Cornelio Sulla Coss. dispersis post necem Stephani quicunque erant Hierosolymis Christianis præter Apostolos, per diuersas terras Ecclesia Dei feliciter propagatur. Non enim tantum (quod hic tradit Lucas *d*) dispersos esse per regiones Iudææ atque Samariæ; sed & Palæstinæ fines egressos vsque ad Phœnicem, & Cyprum, & Antiochiam, eiusdem postea *e* auctoris testimonio satis perspectum habetur. De qua agens dispersione Athanasius *f*, eamque sementi comparans, ait Discipulos non imbecillitate dilectos, sed fidei gratia diuisos esse; vt vniuersum Orbem peragrantes, vitalis doctrinæ virtutes efficaciasq; disseminarent. Eadem fere Gregorius *g* Nyssenus; qui hæc omnia Stephano tribuens, eundemq; athletæ comparãs, ait ipsum humi prostratum, grauiorem aduersario lapsum struxisse. Hac ipsa dispersione *Ananias h* Discipulus profectus Damascum, collegit Ecclesiam. Eodemque tempore (vt colligere possumus) *Lazarus i*, *Maria Magdalena*, *Martha*, *& Marcella* pedissequa, in quos Iudæi maiori odio exardescebant, non tantum Hierosolymis pulsi sunt, sed vna cum *Maximino* Christi Discipulo, naui absque remigio in certum periculum impositi; quos diuina prouidentia Massiliam tradunt *k* appulisse: comitemque eiusdem discriminis *Ioseph um ab Arimathia* nobilem Decurionem, ex Gallia in Britanniam nauigasse, illicque post prædicatum Euangelium diem obiisse. Sed quis valeat singulorum hic recensere vias, & fructus numerare ex prædicatione collectos? Licet enim Gentilibus nondum reseratum esset ostium Euangelii; tamen & tunc contribulibus Iudæis vbique habitantibus, & postea cum à Petro admissi sunt ad Fidem Gentiles, iisdem ipsos Discipulos illud annuntiasse declarat postea Lucas *l*.

Interim vero Hierosolymis Saulus deuastabat Ecclesiam, per domos intrans; & qui non essent egressi cum cæteris, sed latebras in ciuitate quæsissent, eosdem tam viros quam mulieres tradebat in custodiam, & vt necarentur procurabat. Cum vero eodem furore illos qui Iudææ terminos egressi essent, perdere festinans, accepisset in eum finem à Principe Sacerdotum literas in Damascum; prope eam ciuitatem cœlesti luce perfusus, & Christi voce ipsi in via apparentis perculsus atque prostratus, ad illum conuersus est; & ab Ananía Discipulo Domini ibidem Damasci baptizatus, lumen corporis & animæ percepit. Rei gestæ seriem exacte Lucas in Actis *a*, & ipse Paulus *b* suam causam agens diligenti studio est iterum prosecutus. Ex quibus imprimis obseruatione dignum, qualis quantaq; esset apud omnes quantumuis exteros, immo & hostes, Summi Iudæorum Pontificis auctoritas in his quæ ad religionem spectarent, vt etiam quæ summi esse imperii videretur sibi sumens, daret literas ad Synagogas Damasci, vt qui reperti essent Iudæi Christo credentes, vincti Hierosolymam ducerentur. Nec vero Paulum tantum ad Christianam vexandos esse missum Damascum, sed alios quoq; eximios viros in vniuersam terram à Principibus Sacerdotum ad vexandam & infamandam Religionem Christianam tanquam impiam, missos esse, testis est Iustinus *c* Martyr, qui res Iudæorum apprime calluit.

a Act. 9.

b Act. 22. 26.

SYNAGOGA PONTIFICVM AVCTORITAS.

c Inst. de ver. Ch. relig.

Cæterum cum *Pauli conuersionem* accidisse constet *d* octauo Calendas Februarii; reiecta procul (vt superius diximus in tempore necis Stephani) eorum opinione, qui eam retulerunt in annum septimum à Domini Passione: atque item posthabitis, qui eandem anno sequenti accidisse volunt; illam vt hoc ipso anno ponamus, videlicet post triginta dies à nece S. Stephani, multa sunt quæ persuadent. Atq; illud imprimis, quod cum idem ipse Paulus ad Galatas scribens, numeret à vocatione sua vsque ad primum aduentum Hierosolymam ad videndum Petrum, tres annos, ac postea quatuordecim vsque ad secundum in eandem ciuitatem accessum cum Barnaba & Tito vt conferret de Euangelio cum Apostolis: cumque hunc posteriorem aduentum Hierosolymam, Epiphanius *f*, Hieronymus *g*, ac deniq; omnes Ecclesiastici tractatores, pro constanti habeant illum ipsum esse, cuius causa celebratum *h* est Concilium Hierosolymis: omniumque pariter sententia constet, illud Apostolorum Concilium habitum esse anno quinquagesimo primo à Natiuitate Domini, & decimo octauo post eius Ascensionem: iam si ab eo tempore retrocedendo numeres septendecim illos Pauli annos; (Quatuordecim enim postremos, non ab ipsius Conuersione *i*, vt quidam existimarunt, numerandos esse, sed à triennio cuius antea meminerat, ita vt septemdecim numerentur à Conuersione ad Concilium; non solum Hieronymus *k*, & alii testantur, sed & ipsa rerum gestarum series plane continet:) omnino inuenies eandem Pauli Conuersionem incidisse in hunc præsentem annum Natiuitatis Domini trigesimum quintum. Consentit huic Chronologiæ & Eusebius *l*, dum eam factã recenset anno decimonono Imperii Tiberii Cæsaris; qui est hic præsens cœptus ab anno superiori mense Augusti. Consentit & Chrysostomus, dum homilia de Principibus Apostolorum ait, τριάκοντα πέντε ἐδούλευσε τῷ κυρίῳ μετὰ πάσης προθυμίας: hoc est, *Triginta quinque seruiuit Domino cum omni promptitudine animi.* Quem Chrysostomi computum etiam amplexi sunt Simeon Metaphrastes homilia de iisdem Principibus Apostolorum, Glycas tertia parte Annalium, & quidam ex recentioribus. Totq; prorsus numerantur anni, saltem inchoati, à præsenti vsque ad Domini sexagesimum nonum, quo Paulum obiisse constat. Sicut & vidimus, Nicephorum ex Euodio vno eodemque anno & Stephani martyrium & Pauli conuersionem collocasse: etiamsi in eo erraverit, dum id dicit contigisse septimo post Christi Ascensionem anno; nisi lapsum suspiceris librarii, pro mense septimo. Nam & æque Marianus Scotus, nobilis suorum temporum Chronographus, vno eodemq; anno decimo nono Tiberii ac trigesimo quinto Christi, Stephanum passum, & Paulum conuersum ponit: pariterq; Regino vndecimo mense post passionem Christi. Idq; etiam omnino probatur ex alia necessaria temporum inductione, hoc modo: Inter Concilium Hierosolymitanũ & profectionem Pauli Romam versus, ipse Paulus (præter tempus itinerib. insumptum) commoratus est in partibus Orientis sex solidis annis; videlicet decem & octo mensib. Corinthi, tribus mensibus in Synagoga Iudæorum Ephesi, duobus annis in Scholà Tyranni, tribus aliis mensibus in Græcia, ac demum duobus aliis annis in carcere Hierosolymitano seu Cæsareensi: vt de his constat ex ipsius Actis à Luca *m* conscriptis. Missus est autem Romam anno vigesimo quarto à Passione Domini, quippe Lucas scribit, id tum contigisse quando Festus Iudææ Procurator suffectus est

d Martyrol. Rom. 25. Ian.

III. DE TEMPORE PAVLI CONVERSIONIS.

e Gal. 1. & 2.

f Epiph. hær. 28.

g Hier. in Gal. 2.

h Act. 15.

i Multo minus ab Ascensione Domini, vt interpretatur auctor Chronici Alexandrini; vbi & Pauli conuersio ponitur anno Imperii Claudii secundo sicut sunt alia quàplurima in eo Chronico ab iurdissima, vel ab exscriptoribus perturbatissima.

k Hie. in Gal. 2.

l Euseb. in Chr.

m Act. 18. 19. 20. 24.

in lo-

in locum Felicis: Iosephus [a] autem notat, Festum à Nerone missum esse Felici successorem, ipsumque Felicem Romam reuersum, fauore fratris sui Pallantis qui tum adhuc Neroni in pretio erat, ereptum fuisse pœnæ, quam ex iniqua Iudææ administratione meruerat: ac deniq; Tacitus [b] scribit, Pallantem Neronis indignationem incurrisse sub Consulatu Antisti, anno secundo eiusdem Neronis; nempe Christi Passionis vigesimo quarto. Quæ si ab isto anno vigesimo quarto Passionis Christi demantur sex illi medii inter Concilium Hierosolymitanum & profectionem Pauli Romam, atque alii septemdecim quos fluxisse diximus à Conuersione Pauli vsque ad Concilium; omnino necesse erit, eandem conuersionem contigisse (sicuti diximus) intra primum annum à Passione Christi. Deniq; quod de his agens Lucas [c], ait Paulum in magno illo persecutionis ardore adhuc spirantem minarum & cædis in Discipulos Domini, petiisse epistolas in Damascum aduersus alios Fideles; id cum aperte referatur ad tempus necis Stephani, & dispersionis Christianorum, cuius proxime meminit: haud videtur verisimile, post omnium Christianorum fugam, eiusmodi persecutionem, aut Pauli furorem, per tredecim menses continuos Hierosolymis perduxisse.

a *Ios. 20. ant. 7*

b *Tac. Annal. lib. 13.*

c *Act. 9.*

IV. DILVTIO OBIECTIONIS.

Quod autem obiicitur, non potuisse tam breui triginta dierum spatio, quot à lapidatione Stephani vsque ad Conuersionem Pauli intercurrisse diximus, consummari ea gesta quæ Lucas [d] intermedia ponit: hoc facillime diluetur, si dixerimus ea non insequenter, sed plura diuersis locis vno eodemque tempore gesta esse; ita vt quo tempore Philippus erat Samariæ, eodem Paulus iret Damascum: Vel Lucam, cum non posset omnia simul narrare, cœpisset autem agere de Christianorum dispersione post necem Stephani, maluisse vno tracta prosequi ea quæ eiusdem dispersionis occasione gesta essent; quo postea liberior accederet ad nobilissimam Pauli Conuersionis enarrationem. Nihil enim fere in Scriptura crebrius occurrit, quam huiusmodi anticipationes, & vt quæ post facta sunt ante describantur, & contra. Vnde & obseruat Augustinus [e], in diuinis oraculis non esse prius neq; posterius. Sicut & quod in Rom. Martyrologio, necnon apud Vsuardum, & alios recentiores, Paulus dicitur conuersus anno secundo ab Ascensione Domini; etiamsi concesserimus; ante Dionysium Exiguum annos non solitos numerari nisi integros, potuit tamē fieri, vt post illud tempus hæc verba addita fuerint in Martyrologio, vel immutata; & inde alii postmodum exceperint, qui longe post tempora Dionysii vixisse noscuntur. Sane enim nec antiquissimum illud Rom. Martyrologium, nuperà Rosueido editum, nec Beda & Ado in suis, cum de Pauli conuersione meminerunt, vllam temporis notam habent.

d *Act. 8.*

e *Aug. lib. 2. de cons. Euang. & alibi.*

[Baronius quidem prioribus Tomi primi Annalium editionibus, maluit cum aliis plurimis Pauli conuersionem accidisse anno sequenti. Sed cum postea diligentius consideraſſet quæ aduersus eam opinionem obijcerentur à nonnullis; liberum reliquit, quam quisque mallet sententiam sequi. Itaq; illam de anno præsenti nos libentius amplexi sumus, iis ducti rationibus quas apposuimus duobus proxime præcedentibus articulis: & secundum illam, quatuor sequentium annorum res Pauli gestas vno semper anno prius quam Baronius recensuimus: sed id absque vllo vel earundem rerum à Paulo gestarum, vel reliquæ historiæ præiudicio. Cæterum quam hæc posteriori nostræ Epitomes editione, subiunximus ex inductione temporis inter Concilium Hierosolymitanum & profectionem Pauli Romam, sententiæ nostræ approbationem, habebis illam fusius explicatam in Resp. Illustriss. Card. Perronii ad obiecta Regis Magnæ Britanniæ: vt fas, nemini non rectum videri debere, quod etiam tanto viro, harum rerum scientissimo, placere cognouerit.]

V. DE PAVLI ÆTATE.

His igitur de tempore firmatis, vt reliqua de Paulo prosequamur; quod imprimis ad *Ætatem* spectat, vt ipse apud Lucam [f] in nece Stephani vocatur *Adolescens*, in Græco codice est vox νεανίας; cuius quidem si vis exprimatur, non tam ætate adolescentem, quam audacem vehementisque animi virum significat, vt notat Budæus, & alii. Cæterum cum dicat Ioannes Chrysostomus [g] Paulum sexaginta octo annos vixisse, & ex iis triginta quinq; Deo seruiuisse; exploratumq; sit eum martyrio coronatum esse anno Christi sexagesimo nono; vtiq; affirmari posse videtur, eius Conuersionem accidisse ineunte anno ipsius ætatis trigesimo quarto.

f *Act. 7. vbi vid. Lorin.*

g *Chrys. hom. de Princip. Apost.*

Quod vero pertinet ad *Natale solum*; hactenus ea opinio inualuisse videtur, vt in Iudæa natus sit; istud auctore Hieronymo [a] omnibus affirmantibus, dum ait Paulum fuisse de tribu Beniamin & oppido Iudææ Giscalis; eoque à Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciæ commigrasse. Fuisse quidem Paulum de tribu Beniamin, ipsemet [b] de se testatur: sed & fuisse Giscalen oppidum Galilææ munitissimum, quod Titus non sine labore expugnauerit, Iosephus [c] est auctor. Verum cum Iudæum à Romanis primum Pompeio duce subactam fuisse constet, Antonio & Cicerone Coss. Olympiade [d] centesima septuagesima nona anno secundo, ante annos ab hoc tempore nonaginta quinque; rursumque Iudæis rebellantibus sub Nerone, eandem prouinciam à Vespasiano & Tito esse perdomitam; cumque neutrum hoc tempus ætati Pauli possit aptari, vt Giscale à Romanis capto, inde Paulus cum parentibus Tarsum, migrasse dicamus: hæc non res gesta, sed fabula potius esse conuincitur, sicut & eo nomine ipse idē Hieronymus [e] alibi eam appellat. Immo cum Paulus ipse apud Lucam [f] aperte testetur, se virum esse Iudæum, natum in Tarso Ciliciæ, nutritum autem Hierosolymis, & secus pedes Gamalielis sacris disciplinis eruditum; cui magis quā ipsi credendum? Deniq; Epiphan. [g] disputans contra Ebionæos, qui Paulum dicebant fuisse origine Græcum, factum vero postea proselytum; eundem natum Tarsi, sed ex Iudeis affirmat; de Giscale ne verbum quidem. Si vero parentes Pauli Giscale Tarsum aliquando migrarunt, id voluntaria factum est discessione, vt de multis alijs contigisse noscitur vel si aliqua belli occasione euenit, nequaquam sub Romanis, sed facile sub Antiocho Illustri accidere potuit, sicut Epiphan. affirmare videtur. Quod autem se Paulus ciuem Romanum natum esse, aliquando asseruit; de eà re opportunius suo loco [h] agetur.

VI. DE PAVLI PATRIA.

a *Hier. de scr. Eccl. c. 5.*

b *Rom. 11.*

c *Ios. 4. de bel. 4.*

d *Ios. 14. ant. 8. Eusebius in Chr.*

e *Hie. in ep. ad Philem. ad fi.*

f *Act. 22.*

g *Epip. hær. 30*

h *An. 58. n. 59.*

Interim & illos erasse certum est; qui dixerunt, ei tunc temporis cum à Christo vocatus, mansit Damasci tribus diebus (vt ait Lucas [i]) non videns nec manducans, contigisse raptum illum ad tertium cœlum, cuius ipse meminit scribens secundo ad Corinthios [k]. Nam cum illum contigisse dicat ante annos quatuordecim, à tempore quo eam scribebat epistolam, qui fuit annus Domini quinquagesimus octauus; sane non hoc quo conuersus est anno, sed post nouem abhinc annos accidisse necesse est.

VII. VISIONIS PAVLI TEMPVS.

i *Act. 9.*

k *2. Cor. 12.*

Quod denique spectat ad nomen PAVLI; fuit sententia Ambrosii [l], cum quando ab Anania baptizatus est, ex Saulo fuisse Paulum nominatum; & qui ex persecutore fieret iustus, cum moribus mutasse & nomen. Eademque ratione Augustinus [m] ait, eum, quia ex superbo factus est humilis, Regis superbi nomine relicto, Pauli (quod idem est ac Parui) appellationem sumpsisse. Hieronymus [n] autem putauit, sicut Romanis Ducibus & Imperatoribus mos erat à deuictis populis nomina sibi sumere, vt dicerentur Africani, Asiatici, Cretici, Parthici, &c. ita & Saulum ad prædicationem Gentium missum, à primo Ecclesiæ spolio Proconsule Sergio Paulo, quem in Insula Cypro [o] ad fidem conuertit, victoriæ suæ trophea retulisse, erexisseque vexillum, vt Paulus diceretur ex Saulo, quod inde mansit, quia tunc primum Lucas eum Paulum nominare cœpit, nec amplius Saulum appellauit. E contrario vero Ioannes Chrysostomus [p] existimauit, istud ei nomen non ab hominibus, sed à Deo inditum esse, vt olim Patriarchis, ac postea nonnullis Apostolorum; non tamen statim vt ad fidem conuersus est, sed cum iam ex prædicatione quisnam esset, probe satisq; cognitus esset. At Origenes [q] pluribus de his agens, in eam procliuior visus est sententiam, vt ei in circumcisione vtrumque proprium nomen fuerit impositum, nempe *Saul* vt Iudæo ex tribu Beniamin, & *Paul* (quod erat Romanis familiare) vt ciui Romano: cum autem fieret omnibus omnia vt omnes lucrifaceret, dum apud Hebræos versaretur, Saulum maluisse appellari; suscepto vero ad Gentes Apostolatu, Paulum. Hæc alii. Nos autem posthabita Ambrosii & Augustini sententia eo quod nonnisi à tempore congressus cum Sergio Paulo, Proconsule, Saulus reperiatur appellatus Paulus, nec

VIII. VNDE DICTVS PAVLVS

l *Amb. ser. 31. edit. Rom.*

m *Aug. ser. 72. sup. Pf. & ser. de Ap. Paul.*

n *Hier. in ep. ad Philem.*

o *Act. 13.*

p *Chrys. hom. de coua. Paul.*

q *Orig. præf. in ep. ad Rom.*

posthac alio nomine sit dictus: sed nec admissa Hieronymi opinione, tanquã à modestia & humilitate S. Pauli abhorrente: ac deniq; reiecto Origene, quod non sit exemplum, vere Iudæos (vt taceamus de proselytis) iungere consueuisse Hebræorum nominib. nomina Romanorum, existimamus, sicut moris erat Romanorum, vel libertis de se optime meritis, vel clientibus, vel hospitibus, aliisq; sæpe impartiri familiæ cognomen; ita & Sergium Paulum Proconsulem, amicitiæ gratia, & quo sibi magis arctiusq; eo vinculo Apostolum deuinciret, familiæ suæ cognomine nobilitasse: Apostolum a. eo lubentius acceptasse, quod illud cognomen à paruitate corporis olim nobilissimæ Æmiliorum familiæ Romanæ *a* adhæsisset; ipse vero Apostolus & corpore *b* paruus, & ciuis esset Romanus. Sed de Pauli primordiis hactenus.

a *Notat Sigo. de nom. Rom.* b 2. *Cor.* 10.

X.

PHILIPPVS PRÆDICAT SAMARITIS.

Interea PHILIPPVS Diaconus, qui vna cum cæteris Discipulis Hierosolymis pulsus, ciuitatem Samariam adierat, illic Euangelium maximo cum fructu prædicauit; adeo vt & SIMON MAGVS, populi illius seductor, quem omnes dicebant esse Virtutem Dei magnam, signis & miraculis Philippi obniti non valens, crediderit, & à Philippo baptizatus ei adhæserit. Quibus tam grandibus Hierosolymã perlatis, missi sunt ab Apostolis qui ibi erant, Petrus & Ioannes vt Samaritanis conuersis manus imponerent: & sic iidem Spiritum sanctum acciperent. Hæc pluribus Lucas *c*. Erat porro Samaritanorum causa haud ita facilis, vt alii cuipiam quam Apostolorum Principi crederetur: videlicet vt cui potissimum Claues essent traditæ, ipse primus Samaritis, sicut & postea fecit Gentibus, Ecclesiæ ostium reseraret; quippe de vtriusque præceptum Dominus dederat *d*, *In viam Gentium ne abirent, & in ciuitates Samaritanorum ne intrarent.* Quod tamen sic intelligendum est, non vt omnino non irent, sed (quod continuo subditur) vt *potius*, hoc est prius, *irent ad oues quæ perierant domus Israel*: sicut & se Dominus ait non fuisse missum nisi ad easdem oues Israel, cum tamen & Gentiles receperit, & Samaritas adierit. Porro licet Samaritani non essent Gentiles, sed quod à Iudæis olim circumcisionem & legem accepissent, ea ex parte Iudæorum nomine censerentur; adeo tamen erant reliquis Iudæis infensi, vt nullam *e* cum iis communicationem haberent, aliamque prorsus religionem excolerent: Vt non immerito Philippus, quod primus omnium post Ascensionem Domini Euangelium eis prædicauerit, ideo dici possit consecutus nomen *Euangelistæ*, quod ei in Scriptura *f* tribuitur. Quanquam eius opus sic Deus signis atque miraculis comprobauit, vt tamen consummationem; nempe donum Spiritus sancti, in aduentum Petri, à Petro impartiendum differret.

c *Act.* 8.

d *Matth.* 10.

e *Ioan.* 4. *Vid. sup. an.* 31. 20.

f *Act.* 21.

X.

Quanti autem ab ipsis Samaritis, præ cæteris miraculis eiusmodi donum æstimaretur, factum Simonis Magi testatur; qui non miraculorum virtutem, quam esse viderat in Philippo, (est æmulatus) illa enim etsi non vera, magia tamẽ quoquo modo fingere potuisset) sed cum, vt ait Lucas, vidisset quia per impositionem manus Apostolorum daretur Spiritus S. obtulit eis pecuniam vt eandem ipse acciperet potestatem. Et mea quidem sententia maiori admiratione digna res erat, in Samaritas descendere Spiritum S. quam in Gentiles ipsos, quod hi an esset Spiritus S. ignorarent, illi vero non admitterent, vt auctor est Epiphanius *g*) sed impugnarent. Itaque non mirum si diuina prouidentia, ac subinde Apostolorum consilio, Petrus qui primatum geteret inter Apostolos, præ cæteris vna cum Ioanne, qui iis exordiis comes ipsius indiuiduus visus est, Samariam missus sit; nempe vt quæ essent à Philippo iam acta cognosceret, & clauibus sibi traditis cœlum, vnde Spiritus S. in Samaritanos descenderet, aperiret. Hinc neque videas quantopere hallucinentur Nouatores, qui cæco furore in Petrum insanientes, illius primatui detrahere non erubescũt, eo quod à cæteris mittatur Apostolis, quasi inferioris numeri sit habendus is qui mittitur, ab eis qui mittunt. Sapiãt ipsi hac ratione, & idem dicant quod Arius, Filium, quod à Patre sit missus, esse Patre minorem. Ignorare insuper conuincuntur complura in Scriptura diuina, & innumera quæ sunt de his in profanis scriptis exempla: quibus satis superque probatur, ad ea quæ maximi omnium visa sunt esse momenti, missos legatos qui inter cæteros primatum gererent: cum ipsi non hic quidem mitti dicerentur, quasi à maiore minores, & vt à domino subditi; sed quod rogarentur ob salutem omnium eam suscipere functionem, quos ob auctoritatem qua cunctis præpollerent, cunctorum deceret gerere curam. Sed & cum idem sit hodieque vsus vbiq; quotidianus, non amplius immoramur in eiusmodi hominibus refellendis, quos sua ipsorum refellit inscitia.

g *Epiph. hær.* 9

REPELLITVR OBIECTIO DE PETRI LEGATIONE.

Venientes ergo Samariam Petrus & Ioannes, orauerunt pro his qui baptizati erant, vt per impositionem manus acciperent Spiritum S. *Nondum enim* (inquit Lucas *a*) *in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant.* Porro ex his in primis videre est, iam tunc in Ecclesia Dei fuisse Hierarchicum ordinem institutum, vt non omnia omnibus indistincte licerent; dum sic Philippus Diaconus credentes baptizauit, vt tamen Apostolicum munus, ipsam manus impositionem solis Apostolis concessam, ne quaquam vsurpet. Eandem vero, sicut olim tantum Apostolis, sic solis qui in eorum locum successerunt Episcopis esse concessam; eodemque Apostolicæ institutionis exemplo, continuam in Ecclesia consuetudinem perseuerasse, vt baptizati manus impositionem, qua confertur Spiritus S. ab Episcopis accipiant (quæ vulgo CONFIRMATIO dicitur) testantur Ignatius *b*, Cyprianus *c*, Hieronymus *d*, & alii quamplurimi tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ Patres: qui eiusmodi mysterium non solum appellarunt *Sacramentum e*, sed & *Signaculum f*, quod qui eandem manus impositionem acciperent, signo Crucis signarentur; & visitationi vocabulo *Sacrum g Chrisma*, quod sacra vnctione consummari solitum esset. Solosque inter omnia veterum hæreticorum examina, notatos *h* inuenimus Nouatianos, qui baptizatos non inungerent sacro Chrismate; ea certe ex causa, quoniam eorum auctor Nouatianus in lecto *i* baptizatus, necdum eiusmodi Sacramentum ab Episcopo consecutus, voluit fieri Episcopus, cum nondum Spiritum S. accepisset. Cæteros autem scimus eadem charismata Ecclesiæ esse æmulatos: vt inter alios de Valentinianis, licet peritissimis hæreticis, tradit Irenæus *k*, quod opobalsamo vngerent baptizatum. Sed de his qui foris sunt, nihil ad nos; qui hæc non aliunde, quam ex antiqua Apostolica traditione mutuati sumus: quam insuper egregie confirmat Basilius *l* ad Amphilochium. Conferri autem eo mysterio Spiritum S. (etsi non eadem charismata, nempe Linguarum, infundantur hodie in Ecclesia, æque ac tempore Apostolorum) docet inter alios Augustin. *m*. Denique non prætermittimus dicere, aliud ab hoc distinctum esse ministerium sacræ Vnctionis, qua Presbyteri recenter baptizatos vngunt in vertice; cuius meminerunt Ambrosius *n*, Innocentius *o*, & alii complures.

a *Act.* 8.

b *Ign. ep. ad Hieron.*

c *Cypr. ep.* 73. *ad Iuba. an. & Hie. cot. Lu. & Cyp. ep.* 72. *ad Steph. Aug.* 2. *lit. Petil.* 104. *& 3. de bap.* 16 *& tract.* 3. *in ep.* 1. *Ioan.*

d *Eph.* 4. *Cypr. ep.* 73. *Cl. Ale. ad Euse.* 3. *hist.* 17. *Corn Pap. ap. Euf.* 6. *hist.* 35. *Ambr.* 3. *de sacram.* 2.

e *Tert. de resur. car. Cypr. ep.* 70. *& de vnct. chris. Opt. li.* 2. *cont. Parm. Aug.* 2. *cont. lit. Petil.* 140. *Prudent. in psych. & in apoth. & con. Sym. l.* 1. *Cyril. Hieros. catech.* 3. *& alii plurimi.*

f *Theodo. li.* 3. *hær. fabul.*

g *Euf.* 6. *his.* 35.

h *Irẽ. l.* 1. *c.* 18.

i *Basil. lib.* 1. *de Sp. S.*

l *Aug. lib.* 3. *de bapt. contr. Donat. c.* 16.

m *Amb. de sacra. lib.* 1. *c.* 2. *l.* 2. *c.* 7. *l.* 3. *c.* 1. *& de his qui init. cap.* 6.

n *Innoc. ep. ad Decent. c.* 3.

XII.

SIMON MAGVS RESILIT.

Ipse autem SIMON MAGVS resilit, & ad Christi fidem conuersus, ipsum Petrum sequitur, & Philippum, & miracula quæ videbat fieri, stupefactus intuetur. Quæ cum ita sint, quis non videat, quam temere Nouatores Petrum Apostolorum Principem, quod à cæteris mittatur Apostolis, ad inferioris numeri Apostolos detrahere conentur? Quod si ipsi non hic quidem mitti dicerentur, quasi à maiore minores, & vt à domino subditi; sed quod rogarentur ob salutem omnium eam suscipere functionem, quos ob auctoritatem qua cunctis præpollerent, cunctorum deceret gerere curam. Sed & cum idem sit hodieque vsus vbiq; quotidianus, non amplius immoramur in eiusmodi hominibus refellendis, quos sua ipsorum refellit inscitia.

p *Act.* 8.

SIMON MAGVS RESILIT. q *Iust. mart. orat. ad Ant. Pium. Epiph. hær.* 21. *Iren. l.* 1. *c.* 20.

ETVS HÆRESIS.

Etus hæresis, quam Simon Magus primus inuexit, ita fere se habet. Erat Simon Samaritanus, natus in vico cui nomen Gittoni. Iudæos etiam, quos videbat esse infensos Apostolis, iisdem artibus aggressus, se esse Dei Filium suadere conatus est: quippe qui (vt ait Irenæus *r*) docuit, semetipsum esse qui inter Iudæos quasi Filius apparuisset, in Samaria quasi Pater descendisset, & in reliquis gentibus quasi Spiritus S. aduentasset. Sed & *Selenem* quandam, siue *Helenam* dictam, à Tyro ciuitate Phœnices quæstuariam redemptam secum circumducens, dicebat eam esse primam mentis suæ conceptionem, matrem omnium, per quã initio creasset Angelos, à quibus postea mundus esset effectus: porro Angelos ægre ferentes se progeniem alterius cuiusplam putari, in ipsam Selenem commotos, eam detinuisse in terra ne recurreret sursum ad suum patrem; vsque adeo vt in corpore humano includeretur, & per sæcula veluti de vase in vas tranmigraret in altera muliebria corpora; fuisseque & in illa Helena, propter quam Troianum contractum est bellum: transmigrantem autem de corpore

r *Iren. l.* 1. *c.* 20.

in cor-

in corpus, & semper ab Angelis contumelias patientem, vltimo etiam in fornice prostituisse: & hanc esse perditam ouem; quapropter & ipsum venisse, vti eam liberaret primam, & per suam agnitionem salutem hominib. præstaret. Quod enim male moderarentur Angeli mundũ, ad emendationem rerum se venisse, & descendisse assimilatum Virtutibus & Potestatibus & Angelis; & inter homines hominem apparuisse cum non esset homo, & passum in Iudæa putatum cum non esset passus. Prophetas autem à mundi fabricatoribus Angelis inspiratos dixisse prophetias: quapropter iis dimissis, in ipsum duntaxat & Selenem spem habendam esse, ac de cętero licere cuicunq; viuere vt libuerit. Namque secundum ipsius gratiam saluati homines, & non secundum opera iusta; neque enim esse naturaliter operationes iustas, sed ex accidenti. Ex qua peruersa doctrina & accidebat, vt eius sectę sacerdotes omne libidinum & spurcitiarum genus exercerent, magiis quoq; & incantationibus vtentes, habebantque insuper simulacrum Simonis factum ad figuram Iouis, & aliud Selenes in figuram Mineruæ; quæ & adorabant. Hæc de Simone, & eius prauis dogmatibus Irenæus. Agit de iisdem Augustinus in libro de hæresibus *a* ad Quoduult Deum: additq; ea Simonis & Helenes simulacra Romæ, tanquam deorum, auctoritate publica fuisse constituta. Sed de his postea.

a Augusti. de har. c. 1.

XIII. ET DISCIPVLI.

Quod vero Irenęus mox ad *Simonis discipulos* stylum conuertit; Menandrum sc. Saturninum, Basilidem, Carpocratem, Cerinthum, Ebionem, Nicolaum, Cerdonẽ, & Marcionem; non ita hæc accipienda sunt, vt hi omnes eadem vixerint ætate cum Simone, sed quod ab eo doctrinam accepissent; etsi nonnulla addendo vel mutando, nouarum hæresum & ipsi videri possent, vellentque auctores. Addit vero iis Theodoretus *b* Dositheanos, Cleobanos, Gortheuos, Masbothæos, Hadrianistas, Entychitas, Canistas, & alia portenta magis quam nomina; quibus motus S. Ignatius *c*, iure Simonem appellauit *Primogenitum Satanæ*. Porro illius sectatores à nefandis suis operibus dictos fuisse *Entychitas*, auctor est Clemens Alexandrinus: tradit enim Epiphanius *d* eosdem execranda sacrificia ex mulierum menstruo & virorum semine admiscere consueuisse. Scribit insuper de Simone Origenes *e*, ipsum docuisse suos vitare martyrium, & in persecutione fidem palam negare; & si opus esset etiam idola adorare. Dionysius vero *f*, libros ab eo editos esse aduersus Christi fidem, Contradictorios appellatos. Cætera autem, quæ tum ad ipsum, tum ad eius discipulos spectant, suis locis inferius dicemus, hæc modo quæ ad praua dogmata facere videbantur.

b Theo. li. hær. fab. in Sim.

c Ign. ep. ad Trall.

d Epip. hær. 21.

e Orig. cont. Cels. l. 6.

f Dion. Arct. diui. nom. c. 6.

XIV. Æ MVLATIO DIABOLI.

Ex quibus videas, antiquum hostem CHRISTI gloriæ inuidum, cum videret florentem Ecclesiam felicissime surgere, aliam ei similem conflare studuisse, cuius caput & Deũ & Christum esse fingeret, ac miraculorum virtutem magia imitaretur: ac denique quod super *Simonem Petrum* à Christo Ecclesiam firmiter ædificatam vidisset, & ipsum suo noluisse carere SIMONE, super quem impietatis omnis fundamenta iacta consurgerent. Hic enim hæresiarcharum omnium, qui post Christum fuerunt Primus *g*, idemq; princeps & auctor habetur, ex quo sunt cæteræ Hæreses propagatæ. Nam & eiusmodi Patriarcha gloriari etiam possunt Nouatores hodierni, dum vna cum ipso dicunt, per gratiã tantum saluari homines, & non secundum iusta opera; liberosq; esse ad omnia quæ velint agenda. Non possum autem non mirari magnopere diuinum consilium, quo sic præ cæteris Apostolis Petrum eorum principem mitti Samariam voluit, vt primum omnium Hęresiarcham ipso ortus sui principio condemnaret; sicque ostenderetur, Petri esse (vt præcipui veritatis custodis) aduersus Catholicam fidem insurgentes hostes, eorumq; errores Apostolica auctoritate damnare. Relinquens exemplo doctrinam Dominus consignatam, quam Catholica recepit & continuo vsu probauit Ecclesia, vt sicut Petri id fuit ministerii, ita & Petri successorum esset. At de his sępe inferius. Quod denique ad ipsum Simonem pertinet, haud puto alium ab eo fuisse impostorem illum, quem postmodum Samaritanos seducentem Pilatus paulo ante suam à magistratu discessionem (vt docet Iosephus *h*) immisso milite discecit vna cum suis.

g Epip. hær. 21.

SIMON MAGVS PRIMVS HÆRESIARCHA.

h Ios. 18. ant. 5.

Petrus igitur & Ioannes, cum ea quæ dicta sunt in Samaria operati essent, Hierosolymam reuersuri, variis Samaritanorum populis Euangelium prædicauerunt *a*. Philippus autem Diaconus ab Angelo admonitus, occurrit *Eunucho* Candacis Reginæ Æthiopum, viro potentissimo, Hierosolymis (quo religionis ergo venerat) redeunti; eoque instructo & baptizato, raptus à Spiritu diuino trãslatus est in Azotum. Hæc prolixius S. Lucas. Errat vero Euseb. *b*, mea sententia, dum hunc Eunuchum fuisse Gentilem, ac primum ex Gentibus baptizatum tradit. Siquidem ex eodem Luca *c* apparet, tunc nondum Gentibus ad Christi Ecclesiam fuisse aditum reseratum, qui primo omnium patuit Cornelio Centurioni. Hunc autem Eunuchum fuisse proselytum ex Gentib. ad Iudæorum religionem adductum, plerique alii antiqui Ecclesiastici Scriptores æque consentiunt: putaturq; *d* ad Paschalem celebritatem Hierosolymam se contulisse. Cæterum Æthiopas antiquitus circumcisionem ab Ægyptiis didicisse, (sic Iudęos, quod in Ægypto habitassent, appellans) testatur Herodotus; quem & Iosephus *e* Iudæus citat. Auctorque est Strabo *f*, eosdem vnum coluisse Deum immortalem, qui esset omnium rerum causa; ac tursum alterum mortalem, qui nomine careret, nec esset cognitu facilis: vt ex his appareat eos cum Iudæis eadẽ pene sensisse, & à Christianis non adeo discrepasse; ideoque Eunuchum libenter imbibisse de Christo Deo pariter & homine olim mortali doctrinam, quam etiam tum euidenti Isaiæ Prophetæ testimonio in eius animum Philippus instillauit. Eodemq; insuper auctore Strabone constat, ad sua tempora feminas in Æthiopia regnare consueuisse, easdemq; & *Candaces* appellari. Istum porro Eunuchum, postquam rediit in Æthiopiam, Christum palam illic annunciasse, Irenæus *g*, Eusebius *h*, Cyrillus *i* Hierosolymitanus, Hieron. *k*, & alii testantur. Habet & Dorotheus *l*, eum in Arabia Felici, & insula Taprobana, inque vniuersa Erythra Euangelium prædicasse, ac tandem martyrium gloriose subijsse, & ad eius sepulchrum multa miracula fieri consueuisse.

XV.

a Act. 8.

DE EVNVCHO REGINÆ CANDACIS.

b Eus. l. 2. c. 1.

c Act. 10.

d Chryf. hom. 19. in Act.

DE RELIGIONE ÆTHIOPVM.

e Ios. 8. ant. 4.

f Strab. l. 17.

EVNVCHVS PRÆDICAT EVANGELIVM ÆTHIOPIBVS.

g Iren. l. 3. c. 12.

h Eus. l. 2. c. 1.

i Cyr. catec. 17.

k Hier. in Is. 53. & ep. 103.

l Dor. in Syno.

Quod ad res spectat Romanas, (vt eas saltem leuiter attingamus) hoc item anno iisdemque Coss. *m* Tiberii crudelitas Romæ in omne genus hominum maxime se exeruit: tantusque Senatorum *n* numerus periit, vt iam qui magistratum gererent vix reperirentur; & solite ducti prouinciarum Præfecti in plures annos præficerentur; cum non suppeterent successores. Quæ quidem putat Orosius *o* in vltionem contempti Christi illis obuenisse: quod (vt vidimus) agenti Tiberio vt inter deos receniseretur; Senatus restitisset. Porro hoc ipso anno *p* idem Tiberius in Imperium euexit *Caium Caligulam*, Germanici filium, ipsiusque Tiberii ex Druso fratre nepotem; eo (vt creditum est) consilio, quod sciret illum pessime victurum, sicque sua facinora Caii grauioribus flagitiis occultarentur, ac reliqua pars Senatus post mortem suam interficeretur: siue propter egregium ipsius Caii erga Tiberium obsequium, cuius causa de eo dictum *q* fuit: *Nec seruum meliorem vllum, nec deteriorem dominum fuisse.*

XVI.

m Tac. An. l. 6.

n Dio lib. 58. Suet. in Tib. cap. 61.

o Oros. l. 7. c. 4.

p Dio l. 58.

q Suet. in Caio c. 10.

IESV CHRISTI AN. 36. 37. 38.

TIBERII IMP. AN. 20. 21. 22.

ANNO Christi trigesimo sexto, Paulo Fabio Prisco & Lucio Vitellio Nepote Coss. S. Paulus cum Damasci primo Euangelium prædicasset, in Arabiam profectus, iterum est reuersus Damascum. Hæc enim idem ipse Paulus scribens ad Galatas *r* testatur. Lucas vero his de Arabia, & aliis triennii tempore, quousque Hierosolymam venit, gestis, quasi leuioris momenti prætermissis, tantummodo insidias Iudæorum; & clandestinum eius Damasco discessum recenset *s*. Cæterum Iudæorum in Paulum molitiones, non cum primum recessit Damasco iturus in Arabiam, sed cum illuc reuersus est, contigisse, & S. Hierony. *t* magis probari videtur; & ratio ipsa nullo modo patitur,

I.

RES GESTÆ PAVLI POST CONVERSIONEM.

r Gal. 1.

s Act. 9.

t Hie. in Gal. 1.

II. VITELLIVS PROCONSVL SYRIÆ.

vt vnde clanculum recessisset, eo manifestè rursum accederet.

Anno vero sequenti, Christi trigesimo septimo, C. Cestio Gallo & Seruilio Rufo Coss. Lucius Vitellius cum præteriti anni Consulatū gessisset, Proconsul in Syriā mittitur: cui cum etiam subiaceret Palæstina, lustrans ex more prouinciam, Hierosolymis in ipsa festiuitate Paschatis honorificentissimè exceptus, vectigal fructuum venaliū remisit ciuibus; & Stolā cum ornatu Pontificio permisit in templo asseruari (sicut olim consueuerat) à Sacerdotibus, quam ab Herode Rege & Romanis Præfectis occupatā superius vidimus. Idemq; Vitellius in locum Caiphæ Pontificis subrogauit Ionatham Anani Pontificis filium. Hæc Ioseph. *a*. Ex quibus satis perspicuum redditur, summum Caiphæ Sacerdotium vsq; in præsentem annum perdurasse; & Annā, quem Ananum Iosephus appellat, alterius functionis dictum esse Pontificem, prout superius à nobis est *b* demonstratum. Porro ipsum Caipham vitæ pertæsum, mortem sibi consciisse, apud Clementem *c* legitur. Neq; vero tantum ipsum, sed & Annam male periisse, Nicephorus *d* tradit: sed de Anna inferius: nunc de vindicta ad vindictam.

a *Ioseph. 18. ant. 6.*

CAIPHAS ET ANNA MALE PEREVNT.

b *Vid. sup. an. 31. V.*

c *Clem. 8. Const. 1*

d *Nic. l. 2. c. 10*

X. c *Ioseph. 18. ant. 5*

Siquidem anno proximo, Christi trigesimo octauo, Q. Plautio Plautiano & Sex. Papiaio Gallieno Coss, cum Pilatus Iudææ Procurator, occasione impostoris *e* cuiusdam qui Samaritanos armauerat, immisso milite eos maiori ex parte occidisset; à Magistratibus Samaritanorum apud dictum Vitellium Syriæ Præsidem parratæ cædis accusatus, in ordinem redactus est, ac Romam missus vt ibi coram Imperatore suam causam ageret; dato interim ei successore Marcello. Verum non eius tantum criminis fuisse reum Pilatum, ex Philone *f* intelligitur, dum ait eum solitum fuisse sententias vendere, cuncta rapere, innocentes cruciare & occidere, aliaque id genus patrare. Sed antequam is Romam peruenisset, Tiberius ex hac vita sublatus est: à Caio vero Tiberii successore Pilatum in exilium pulsum, & post biennium summa desperatione actum, propria manu sibi necem intulisse, omnes *g* æque consentiunt: idque Viennæ in Galliis contigisse, multi referunt. Quod autem recentiorum Græcorum *h* aliqui dicunt, Pilatum de nece Christi à Maria Magdalene Romæ iudicio postulatum, vt commentum reiicimus.

e *Ioseph. 18. ant. 5*

f *Phil. de leg. ad Caium.*

PILATVS IN EXILIO MALE PERIT.

Cuius exitum ponit suo loco Baron. an. 41. quem nos hic lectoris cautos ad texuimus eius accusationi.

g *Euseb. in Chr. Oros. l. 7. c. 5. Cassio. in Chr. Ado in Chro. & alii.*

h *Nicep. l. 2. c. 10. Cedren. in Comp.*

Eodem autem anno, qui tertius à Pauli Conuersione numeratur, se Damasco Hierosolymā venisse, ipse testatur *i*. Damasco a. secessisse quod quærerent eum Iudæi interficere, & noctu à discipulis per murum ciuitatis (quod Iudæi portas custodirent) in sporta demissum esse, auctor est Lucas *k*, meminitq; ipse Paulus *l* scribens ad Corinthios. Sed & cur Hierosolymam contenderit, declarat *m* alibi, nimirum *vt Petrum videret*. quæ quidem eius verba antiqui Patres *n* interpretati sunt de honore quem Apostolorum Principi, minor maiori deferret, cui sciret delegatam esse à Saluatore curam omnium Ecclesiarum. Cum ergo Hierosolymam peruenisset, & adhuc memoria eorum quę aduersus Ecclesiam gessisset, à discipulis timeretur, introductus est ad Apostolos, vt ait Lucas, à Barnaba: nam ipsi olim intercessisse cum eo familiaritatis vsum, quando ambo vna cum Stephano protomartyre erudiebātur à Gamaliele, auctor est Alexander Monachus in Rebus gestis eiusdem Barnabæ. Cæterū ipse Paulus *o* testatur, se tunc Hierosolymis nullum alium Apostolorum vidisse, nisi Petrum, & Iacobū fratrem Domini. Cum vero (quod addit Lucas) loqueretur etiam Gentibus, & disputaret cum Græcis, hiq; eum occidere quærerent; deduxerunt eum fratres Cæsaream, & dimiserunt Tarsum, postquam (vt ipse p tradit) spatio tantum dierum quindecim mansisset Hierosolymis apud Petrum.

i *Gal. 1.*

k *Act. 9. 2. Cor. 11.*

l *Gal. 1.*

m *Hier. Amb. Theodor. Oecum. in Gal. 1.*

PAVLVS CVRVENS VIDERE PETRVM

o *Gal. 1.*

p *Gal. 1.*

IESV CHRISTI AN. 39.

CAII IMP. AN. 1.

I. ANNO Christi trigesimo nono, Cn. Proculo & Pontio Nigrino Coss. decimo septimo Calendas Aprilis, *Tiberius* Aug. anno suæ ætatis septuagesimo octauo, in Campania ex hac vita migrauit, cum imperasset annis viginti duobus, mensibus sex, & diebus viginti, relicto Imperii hærede CAIO CALIGVLA, de quo supra. Quomodo autem hæc se habuerint, Suetonius *a*, Tacitus *b*, & alii fusius narrant: licet ab iis discrepans Dio *c* Cassius, dicat Tiberiū defunctum septimo Calendas Aprilis, vixisseque annos septuaginta septem, menses quatuor, dies nouem, & imperasse annis viginti duobus, mensibus quinque, diebus tredecim. Cæterum numerando annos eius à die sequenti obitus Augusti, affirmare opus est imperasse annis viginti duobus, & mensibus septem, minus quatuor diebus. Caius autem vna cum Imperio, etiam consulatum suffectus iniit. Qualis porro ipse fuerit, apprime Seneca *d* declarauit, dicens *illum à rerum natura editum, vt ostenderet quid summa vitia in summa fortuna possent*: cuius adulteria & stupra, leuitiam, atq; crudelitatem, rapinas q; & prodigalitatem, abunde describunt historici.

TIBERIVS MORITVR. CAIVS IMP.

a *Suet. in Tiber. c. 73.*

b *Tac. An. l. 5.*

c *Dio l. 58.*

d *Sene. de consol. ad Helu.*

Eodem vero tempore *e* Agrippa Iudæus, filius Aristobuli, Herodis Senioris nepos, (qui aliquandiu Romæ versatus in officiis primum Drusi, inde vero Cæsaris, delatione liberti sui Eutychi, quod mortem Tiberio & Imperium Caioberti sui Eutychi, quod mortem Tiberio & Imperium Caio; rectus esset, sex ante Tiberii obitum mensibus, vinculis mancipatus fuerat) mortuo Tiberio pro ferrea catena donatus est à Caio aurea eiusdem ponderis, & Rex constitutus Tetrarchiæ, quæ fuerat Philippi nuper sine liberis defuncti.

II. e *Ioseph. 18. ant. 8* AGRIPPA REX IVDÆORVM.

Cum autem esset inter hæc (vt Lucas testatur) Ecclesiæ status in Palæstina felicissimus, ea opportuna pace vsus optime Petrus, *factum est* (inquit Lucas) *vt pertransiret vniuersos*: videl. regiones circūpositas peragrans; (& vrait Chryso. *g*) *quemadmodum dux in exercitu obambulans, considerabat quæ pars esset coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeret*. Cæterum intentus ipse Lucas, vt apparet: describendis insignioribus editis à Petro miraculis, reliquas eius res gestas in hac lustratione prætermisit: & inter alias institutionem ECCLESIÆ ANTIOCHENÆ, quam quidem hoc ipso anno ab eo fuisse erectam, atque in eadem ipsum postmodum septem annis sedisse Episcopum, maiorum traditione, Conciliorum auctoritate, & omnis generis Scriptorum testificatione, necnon ipsius institutionis anniuersaria celebritate antiquitus in Ecclesia Catholica fieri solita die vigesima secunda Februarii, demonstratur *h*. Licet quidam recentiores nullam prorsus horum rationem habentes, affirmare non dubitauerint, aut id omnino gestum non esse, quod Lucas eius non meminerit; aut Antiochenam Ecclesiam post Romanam fuisse à Petro institutam.

III. f *Act. 9.*

g *Chrys. hom. 21. in Act.*

PETRVS ANTIOCHENAM FVNDAT ECCLESIAM.

h *Euse. in Chr. Anast. Bib. in Petro. Hier. de scr. Ecc. in Petro. & in Gal. 2. Chrys. hom. de transl. S. Ign. Leo serm. 1. in nat. Apost. Concil. Rom. sub Damaso in Collect. Crescon. Gelas. in Cone. Rom. c. 1 Greg. 6. ep. 37. Indict. 15. Isid. Bed. de sex æt. Ado in Ch. & alii quamplurimi tam Græci quam Latini: quibus adde Martyrol. Rom. & alia 22. Febr.*

Sed hos non moramur; cum quod ad primos attinet, non sit mirum (inquit de hac ipsa quæstione Hieron. *i*) si non sit mirum (inquit de hac ipsa quæstione Hieron. *i*) si Lucas hanc rem tacuerit, qui & alia multa quæ ipse Paulus (cuius maxime gesta describenda susceperit) tacuisse se replicat, prætermiserit: nec sit contrarium, si quod alius ob causam dignam putauit relatu, alius inter cetera dereliquit Quod vero ad alios spectat; si (quod nec quisquā hactenus negare visus est) Euodius anno tertio Claudii Imp. vt ponitur ab Eusebio in Chronico) est creatus Episcopus Antiochenus; quanam ratione dici potest, Petrum post erectam Romanam Ecclesiā iterum Claudii edicti occasione (quod promulgatum videbimus ipsius Claudii anno nono) in Orientem reuersum: instituisse Ecclesiam Antiochenam, quę multo ante iam alium Episcopum habebat ordinatum; vel quomodo illic sedit, vbi alius sederet Episcopus Euodius, quem constat eam Ecclesiam gubernasse vsque ad annum primum Vespasiani; vel denique quo pacto Petrus, qui Romanam sedem semel instituens, illic sedisse ab omnib. traditur annis viginti quinque vsque ad obitum; dici posset vno eodemq; tempore Romæ sedisse & Antiochiæ, ac duas summas sedes in Ecclesia Catholica esse voluisse? Quod vero dicunt Petrum, antequam Romam migrasset, haud septem annis Antiochiæ sedere potuisse, satis iidem refelluntur ipsius Eusebii auctoritate; qui dum ponit Ecclesiæ Antiochenę institutionē anno vltimo Tiberii Imp. Olympiade ducētesima tertia anno quarto, Petri vero Romā profectionem Olympiade ducentesima quinta anno secundo,

IV. SOLVTIO OBIECTORVM. (Quib. adde Petion. in Resp. a Reg. Mag. Brit. l. 1 c. 11 vbi accuratissime refelluntur obiectiones à Nouatoribus fieri solitæ aduersus Petri commorationē tam Antiochiæ quā Romæ.)

i *Hie. in Gal. 2*

septem

septem saltem inchoatos habet annos intermedios. Quibus adde, quod cum Petrus sedisse dicitur, non ita rude intelligendum est, vt nunquam per illud tempus Antiochia recesserit, cui videlicet incumbebat Vniuersæ Ecclesiæ prospicere; sed quod donec alia ab eo Sedes (nempe Romana, quam maximam omnium esse voluit) esset erecta, dictus sit Episcopus Antiochenus, inde vero Episcopus Romanus fuerit appellatus.

V. a Ap. Euseb. 5. hist. 17.

DE SENTENTIA APOLLONII.

Quod denique ex Apollonii *a* antiqui Theologi auctoritate obiicitur, Christum Apostolis suis mandatum dedisse ne ad duodecim annos Hierosolymis decederent; indeque infertur, non licuisse Petro proficisci Antiochiam: satis ista auctoritas à maioris fidei auctoritate refellitur, dum Lucæ Actorum apertissimis testimoniis demonstratur, longe ante illud duodennium Petrum & Ioannem Samariam petiisse, & ipsum Petrum Syriam Palæstinam visitando Ecclesias peragrasse, eundemque è carcere ab Angelo liberatum è Iudæa excessisse. Immo etiamsi vera esset Apollonii sententia, non tamen ideo minus diceretur Petrus fundasse Ecclesiam Antiochenam, quamuis nunquam ipse petiisset Antiochiam. Non enim sola ipsa præsentia Petri quamlibet Ecclesiam primariam effecit; (alioqui tot essent numerandæ sedes Patriarchales, quot à Petro fuerunt Ecclesiæ institutæ, quarum fuisse plane immensum numerum nemo inficias ierit:) sed vt id fieret, eius potissimum requisita est auctoritas, quemadmodum de Ecclesia Alexandrina factum scimus; in qua licet aliquando fuisse Petrum, certa aliqua assertione nequaquam monstrari possit; eam tamen ipsius institutione omnium post Romanam extitisse maximam, suis locis inferius videbitur. Sic igitur vt dicamus à Petro fundatam seu erectam sedem Antiochenam, non est necesse ibi Petrum primo prædicasse Euangelium, (id enim factum esse ab illis qui post necem Stephani pulsi sunt Hierosolymis, Lucas *b* docet:) sed sufficit ei à Petro præcipuam dignitatem esse collatam, vt cæterarum Sedium maxima diceretur & esset.

b AA. 11.

VI.

Cum vero eodem auctore Luca constet, Petrum visitasse Ecclesias, & per vniuersos pertransiisse; quis dubitet & Antiochiam perrexisse, vbi ex Iudæis illic ingenti numero habitantibus nobilis iam collecta esset Ecclesia; atque illic sibi Sedem erexisse, testantibus id tot antiquis Patribus atque historicis, & confirmante maxime in Ecclesia Catholica peragi solita antiquitus anniuersaria celebritate CATHEDRÆ PETRI ANTIOCHENÆ? Sane sicut eundem Petrum vidimus, ad rem maximi ponderis ab Apostolis Samariam missum; ita etiam cum auditum esset Ecclesiam Antiochiæ esse collectam, æquum pariter est credere, omnium Apostolorum sententia factum esse, vt Petrus Apostolorum Princeps, totius Syriæ, atque adeo totius Orientis principi ciuitati atque metropoli, cui & Palæstina, ipsaque Hierosolyma subiaceret, peculiaris præficeretur Episcopus. Maiores enim in instituendis Sedibus Ecclesiarum, non aliam iniisse rationem, quam secundum prouinciarum diuisionem, & prærogatiuas à Romanis antea stabilitas, plurima sunt exempla. Ideoque quantumuis Hierosolymorum Ecclesia & origine temporis, & nobilitate rerum in ea consummatarum, cæteris præferenda videretur: tamen non Antiochenæ duntaxat subiecta fuit, sed & ipsi etiam Cæsareæ maritimæ (vt ex Concilio Nicæno *c*, & Hieronymo *d* liquet) quod hæc à Romanis effecta esset totius Palæstinæ metropolis.

CATHEDRA ANTIOCHENA.

c Conc. Nic. can. 7.
d Hier. ep. 61.

IESV CHRISTI AN. 40.

CAII IMP. AN. 2.

I. e Ios. 18. ant. 8. AGRIPPA REX MALE ACCIPITVS ALEXANDRIÆ.

ANNO Christi quadragesimo, M. Aquilio Iuliano & P. Nonio Asprenate Coss. anno Caii Imp. secundo *e*, Agrippa, qui anno superiori ab eodem Augusto Tetrarchiæ Philippi Rex fuerat ordinatus, Roma recedés rediit in Iudæam, quem Alexandriâ in transitu appellentem, natiuo inuidiæ vitio excipientes Alexandrini, qui alienâ felicitatê suum interpretari solebant infortunium, conniuente Flacco Ægypti Præfecto, magno derisere ludibrio; & ludo iungentes luctum, miseros Iudæos illic degentes immensis affecerunt calamitatibus, quæ omnia describit prolixe Philo Iudæus, qui aderat, tum in commentario aduersus eundem Flaccum, tum in Legatione ad Caium: vbi & alia plurima addit mala in eosdem Iudæos, eorumq; synagogas illata, quod cum hoc ipso anno *a* secundo Imperii sui, disruptis quibus ab impetu scelestioris vitæ retineri videbatur habenis, idem Caius, post occisum Tiberium Drusi filium, Tiberii Aug. nepotê, & ex testamêto decretum collegâ Imperii; itemq; Macronê, cui acceptũ ferebat Imperiũ; accipôtanea morte sublatũ M. Silanũ socerũ; eo flagitii atq; insaniæ deuenisset, vt diuinos æmulatus honores, Deus ab omnib. coli vellet (quo præter Philonê. Suetonius *b*, Dio *c*, cæteriq; testantur) Iudæi id facere, eiusq; imagines in suas Synagogas recipere renuissent. At sunt hæc initia dolorum, & diuinæ vltionis in Iudæos præludia, ob Christũ Deum crucifixum: quę quidê in Ægypto hoc anno cœpta, in aliis Orbis terrarum prouinciis in dies magis magisq; aucta, ne ipsa quidê immani Hierosolymorũ excisione finem acceperũt. Agemus de omnib. ex instituto suis locis: cum interim maxima sit consideratione dignum, Deum Opt. Max. eodem tempore quo in Iudæos gladium iræ suæ cœpit exercere, Gentes sibi conciliare cœpisse, & per baptismum eis aditum ad salutem reserare: de quo dicetur anno sequenti.

a Ios. 18. ant. 9. et 1. de bel. 8. *b* Suet. in Caio c. 22. *c* Dio lib. 59. IVDAORVM CALAMITAS.

Cum autem Agrippa in Regnum venisset, Herodis Tetrarchę cupiditates per inuidiam suscitauit: qui Herodiadis vxoris suæ consilio parens, spe regii nominis potiundi, vna cum ipsa ad Caium nauigauit: sed Agrippæ literis de proditione Imperii accusatus, adempta ei ab Imperatore Tetrarchia, eademq; Agrippę regno iuncta, ipse in exilium missus est apud Lugdunum vrbem Galliæ, vna cum Herodiade: quam cum audisset Imperator sororem esse Agrippæ, & in eius gratiam se ipsi parcere dixisset; recusauit illa magno animo, asserens *non æquum esse, vt cui secunda fortuna extitisset socia, eum in aduersa desereret.* Hæc omnia Iosephus *d*: qui tamen parum sibi constans, alibi *e* ait Agrippam secutum esse Romã Herodem; ipsumq; Herodem vna cum vxore fugisse in Hispaniam. Hunc vero secutus Hegesippus *f*, addit Herodem mœrore animi consumptum interiisse. Porro huius diuinæ plane in Herodem & Herodiadem vltionis causam si quis altius petat, non eam in Agrippæ felicitatis inuidentiã reiiciet; sed tum ob Ioannem Baptistã inhumaniter occisum, tum etiam ob Christum ab eo spretum ac male habitum, hæc ipsos passos esse certo intelliget. Quod vero pertinet ad Regis Agrippæ reditum Romam; sequenti potius anno, contigisse ex Philone *g* colligitur.

II. HERODES RELEGATVS CVM HERODIADE.

d Ios. 18. ant. 9. *e* Id. 2. de bel. 8. *f* Hegesip. de excid. Hierosol. Lib. 5. *g* Phil. de leg. ad Caium.

Interea hoc anno (quantum ex Lucę *h* Actis intelligi potest) accidit vt Petrus Apostolus Ecclesias visitans, venerit Lyddã ciuitatem *i* ad litus maris Mediterranei, (quæ postea ab incendio *k* belli Iudaici restaurata, appellata est Diospolis:) vbi paralyticum sanauit, & eo miraculo Lyddæ & Saronæ incolas ad Christum conuertit. Non est a Sarona nomen oppidi, sed *l* regionis Cæsareæ Palæstinæ vsque ad oppidum Ioppen pertingentis, pascendis gregibus aptissimæ. Lydda vero Ioppen vocatus, *Tabitham* sanctissimam feminam Christianam nuper defunctam ad vitam reuocauit, ac plurimos ad fidem perduxit. Factumq; est (inquit Lucas) vt dies multos permanserit in Ioppe apud Simonem quendam coriarium. Cum vero Lucæ visitata locutio, vt cum *multos dies* dicit, longioris temporis moram significet; ea de causa quæ subdit de Cornelio Centurione, in sequentem potius annum reiicimus.

III. *h* AA. 9. *i* Hieron. de loc. Hebr. Lid, a Iud. 23. *k* Hieron. ib. TABITHA AD VITAM REVOCATA.

IESV CHRISTI AN. 41.

CAII IMP. AN. 3.

I. *m* Dio lib. 59. *n* Panuin. in Fast.

ANNVS Christi quadragesimus primus à Dione *m* consignatur Consulatu Caii Aug. iterum & L. Apronii Cæsiani; licet alii *n* ponant anno superiori horum Consulatum, & Consules eius anni in hunc reiiciant. Nos sane quem in his sequamur præter Dionem, auctorem vel antiquiorem vel fideliorem inuenimus neminem.

II. PETRVS GENTILES AD FIDEM RECIPIT.

Hoc igitur anno iisdemq; Coss. Petrus Apostolus diuina visione omnigenarum animantium, de ostio Ecclesiæ Gentibus aperiendo monitus, primum omnium Gentilem CORNELIVM Centurionem, ab eo patite diuinitus monito Cæsaream vocatus, baptizauit: quippe cum Petra à Domino fuisset cognominatus & constitutus, ab eo vterque paries Iudæorum & Gentium in ædificatione Ecclesiæ erat iungendus. Quo autem ordine ea facta sint, Lucas *a* vtrem maximi ponderis, diligentiori studio scriptis mandauit. Cum vero dicat Cornelium fuisse Centurionem *cohortis Italicæ*, æquum est credere eiusdem quoque nationis fuisse milites ex qua tota cohors est denominata, nempe Italos: ipsumque Centurionem è Romano nomine Romanum etiam genere fuisse, coniectura facile persuadet. Non tamen opus fuit vt Italica cohors (quod multi sunt opinati) legionis Italicæ esset: cum enim tres fuerint Italicæ Legiones sic dictæ, omnes post hæc tempora institutæ esse noscuntur *b*, Prima à Nerone, Secunda & Tertia à Marco Aurelio Antonino. Sic etiam nec fuisse necesse, vt Italicæ Legiones non nisi ex Italicis militibus constarent, sed ex aliis interdum nationibus suffici consueuisse, testantur inscriptiones antiquę, docetq; Vegetius *c* cum agit de officio Præfecti Legionis. Porro Dione auctore liquet, Iudæam prouinciam ab Augusto ad hiberna fuisse traditam legioni Ferratæ nuncupatæ, eidemq; Sextæ dictæ, quod eo ordine scripta esset: quæ quidem nunquam inde recessisse reperitur vsq; ad Neronis tempora, quando est in Armeniam amandata; iterum vero reddita Syrię, à Mutiano ducta est in Italiam contra Vitellium.

Quæ vero post hæc à Cornelio facta esse Metaphrastes *d* describit, cum antiquiori careant auctore, libentius prætermittimus. Factum autem fuisse, sed post Zacchæum, Episcopum Cæsareensem, Romanum e Martyrologium testatur; idemq; apud Clementem *f* legitur: quamuis sine auctore alibi *g* feratur creatus Episcopus Ilii. Domum autem in qua Cæsareæ habitabat, in ecclesiá fuisse conuersam, docet Hieron. *h*. Sunt porro & multa alia in apocryphis Recognitionum *i* libris nomine Clementis insignitis, quæ à Petro Cæsareæ gesta dicuntur: sed ea, vt mendaciis conferta, indigna existimamus quæ vna cum veris iungantur. Quomodo vero Hierosolymam reuersus, disceptantibus aduersus illum quibusdam ex circumcisione quod ad viros præputium habentes introisset, rationem eorum quæ gesta essent reddiderit; narrat exacte Lucas *k*. Qua in re admitanda plane visa est cunctis antiquis Patribus modestia Petri, quod qui potestate sibi tradita vnico tantum verbo omnes illas potuisset dirimere controuersias; perinde tamen ac si æquo cum sociis causa agenda esset, nonnisi rationis auctoritate eorum obiectioni satisfaciendum putarit. Cæterum huius in Petrum commotionis, non aliquem Apostolorum, sed qui post Simonem Magum primus omnium fuit hæresiarcha, Cerinthum inuentorem & instigatorem extitisse, Epiphanius *l* testatur.

Hoc eodem anno, Olympiade ducentesima quarta anno tertio, MATTHÆVS Apostolus (vt est in Eusebii Chronico) primus omnium Hebraico sermone EVANGELIVM scripsit. Sed quod ad tempus spectat, contradicere videtur Irenęus *m*, dum id refert ad tempus quo Petrus & Paulus Romę euangelizarent, & fundarent Ecclesiã. Cuius verba si quis putet eo sensu accipienda, vt non nisi post Petri, ac demũ Pauli Romã aduentum, Matthæum scripsisse dicat; inter alia quæ inde sequerentur absurda, duo maxime quæ sunt in confesso apud omnes, ipsumq; etiã Irenæum, negare opus esset; nempe Matthæum primum omnium scripsisse Euangelium, & id peregisse autequã Apostoli in diuersas Orbis prouincias ad prædicandum Gentibus dispergerentur: quandoquidẽ ante Pauli Romã aduentum (qui non nisi post octodecim abhinc annos contigit) & Marcus ac Lucas scripsisse reperiantur, & diuisos fuisse per Orbem Apostolos nulla sit dubitatio. Quapropter sic accipienda putamus Irenæi verba, vt voluerit significare, Matthæum edidisse Euangelium sub initium fundationis Romanæ Ecclesiæ, quam Petrus instituit quatuor post hæc annis: Paulum autem addiderit communi tum ipsius, tum cęterorum Patrum vsu loquendi, vt cum de Romanæ Ecclesiæ fundatione agunt, simul vtrumque Apostolorum nominent, quod & Paulus eandem post Petrum docuerit, & ambo eadem die illam suo sanguine consecrarint. Quod vero Nicephorus *a* Matthæum scripsisse tradit decimo quinto post Christi Ascensionem anno, inde erroris occasionem hausisse noscitur, quia putauit Apostolos non ante illum annum per Orbem fuisse diuisos, nec ante illorum diuisionẽ Matthęum scripsisse. Verum & eos ante illud tempus fuisse diuisos, inferius videbitur: & Matthæum ante ipsorum diuisionem Euangelium edidisse, vel inde manifeste probatur, quod Bartholomæum profecturum ad Indos illud descriptum secum detulisse, testentur Eusebius *b* atq; Hieronymus *c*.

Tantum vero opus aggressum esse Matthæum Iudæis qui crediderant exposcentibus, tradit Ioannes Chrysostom. *d*; verum & iniungentibus ei reliquis Apostolis, Epiphanius *e* testatur: editumque esse primo Hierosolymis, auctor est Athanasius *f*. Porro tum hi, tum alii omnes qui de eo egerunt, æque consentiunt Matthæum Hebraico sermone scripsisse: quod ipsum Hebraicum exemplar suo tempore in Cæsariensi Bibliotheca asseruatum esse, Hieronymus *g* testatur; & apud Nazaræos perfectissimum reperiri, Epiphanius *h* scribit. Verum Hieronymus *i* Euangelium Matthæi, quo Nazarei vterentur (quod & se ex Hebraico fonte descripsisse, & in Græcum transtulisse asserit) in quibusdam fuisse immutatum ait. Et ipsos Ebionæos hæreticos Matthæi vsos esse Euangelio, sed deprauato & mutilato; itemque Cerinthum & Carpocratem illud ipsum descripsisse, sed eo plane abusos, è genealogia Saluatoris sic Christi humanitatem tantummodo didicisse, vt diuinitatem negarent, Epiphanius *k* testatur. Denique Matthæi Euangelium non solum Bartholomæum ad Indos detulisse constat; sed & Barnabam Apostolum semper secum habuisse, eiusque refosso corpore sub Zenone Imperatore, vna cum eo repertum esse, historicorum illorum temporum vera assertione videbitur inferius. Quod vero Beda *l* Euangelium Matthæi quo Nazarei vtebantur, non esse adnumerandum inter apocrypha existimauit, haud facile assentimur, cum Hieronymi testimonio appareat, nonnulla in eo diuersa ferri ab his quæ reperiuntur in Matthæi Euangelio quo Ecclesia vtitur.

Hoc eodẽ anno (vt ex Iosepho *m* colligitur) amoto Vitellio è Syriæ præfectura, Petronius à Caio Imp. ad eam prouinciam administrandã subrogatur: cui ipse (cum ab omnib. coli vt Deus veller, ac ne Ioui quidem cederet, quippe qui *n* de inferendo Iouis Olympii simulachro Romam, deque illius effigie in suam mutanda consilium iniisset:) in mandatis dedit vt suam statuam Hierosolymis in templo locaret ab omnibus colendam, prout toto reliquo Orbe Romæ factum fuerat: quod ipse in annum sequentem distulit, vt idem auctor testatur, refertque ex ipso, & Philone, Eusebius in Chronico.

a Nic. l. 2. c. 45.

b Euſ. 5. hiſ. 10
c Hie. de Scr. Eccl. in Pantæn. c. 36.

V. OCCASIO ILLVS SCRIBENDI.

d Chryſ. hom. 1. in Matth.
e Epiph. hær. 51.
f Ath. in Syn.
g Hier. de Scr. Eccl. in Matt.
h Epip. hær. 29.
i Hier. ibid. & in Mat. 12.

ABHÆRETICIS EVANGELIVM CORRVPTVM.

k Epip. hær. 30

l Bed. in Luc. 1

EVANGELIVM NAZARÆORVM.

VI. m Ioſe. 18. ant. 11.

CAIVS VVLT COLI VT DEVS.

n Suet. in Caio c. 22. Dio l. 59.

IESV CHRISTI AN. 42.

CAII IMP. AN. 4.

I. ANNO Christi quadragesimo secundo, Caius Imp. tertium Consul Fastis solus adscribitur, quod (vt testatur Dio *o*) eo qui designatus ipsi collega fuerat *e* mortuo, tam breui spatio in concione alius subrogari non potuerit. Cæterum ab eodem auctore Pomponius secundus Consul eodẽ anno creatus nominatur: suffectusne in locum Caii, qui Consulatum tenuit tantum (vt Suetonius *p* tradit) vsq; ad Idus Ianuarii, an ordinarius fuerit electus in locum demortui designati, non liquet.

o Dio lib. 59.

p Suet. in Caio c. 17.

II. Hoc igitur anno, dum statua colossea Caii pararetur Sidone à Petronio in templum Hierosolymitanũ inferenda; idem Petronius Iudæorũ victus miserandis lamentis, mortem potius eligentium, quam vt eiusmodi abominatione templum pollueretur; rem variis prætextibus distulit, quousque tandem Caius Agrippæ Regis flexus precibus, ei donauit, ceu maximam gratiam, ne fieret colossi dedicatio.

Rem

II. PETRI MODESTIA.

III

IV. MATTHÆVS EVANGELIVM SCRIBIT.

a Nic. l. 2. c. 45.
b Euſ. 5. hiſ. 10
c Hie. de Scr. Eccl. in Pantæn. c. 36.
d Met. 13. Sept. e Martyrol. Rom. d. 2. Febr.
f Clem. Conſt. 46.
g Orat. de Apoſt. ap. Metaphr. 29. Iun.
h Hier. ep. 27.
i De his libris vid. inf. an. 102. nu. 7.
k Act. 11.
l Epip. hær. 28.
m Iren. l. 3. c. 1

PHILO LEGATVS AD IMP.

Rem totam mira arte atque eloquentia fusissime descripsit *Philo* Iudæus in libello de sua ad Caium Legatione; quam hoc eodem anno cum quatuor sociis pro Iudæis Alexandrinis suscepit, cum aduersus eos ex altera parte missus esset cum aliis Apion Alexandrinus, occasione tumultuum quos ante biennium Alexandriæ suscitatos vidimus, qui hactenus perdurarunt. Quod autem ista aliter à Iosepho *a* narrantur; haud dubium Philoni potius acquiescendum censemus, vt antiquiori, & qui ea oculis spectarit. Cęterum ipsum, Legatum iterum agentem, rursum venisse Romam sub Claudio, Hieronymus *b* testatur; aitque Secunda illa vice ibi locutum esse cum Petro Apostolo, eiulque habuisse amicitias: Sed quod Photius in Bibliotheca dicit, Philonem ex Christiano factum Iudæum; cum id à nullo antiquorum scitum sit, eadem facilitate reiicitur qua profertur. Vtrum vero fuerit Christianorum studiosus, necne, agetur de hoc inferius.

a *Ios. 18. ant. 11 & 2. de bel. 9.*

b *Hier. de scri. Eccl. in Philo.*

III. c *Ios. cont. Apion. l. 2.* DE APIONE GRAM.

Porro *Apion* aduersæ legationis princeps, grammaticus fuit, extrema Ægypti parte quæ Oasis dicitur, oriundus *c*, sed ciuitate postea Alexandrina donatus. Cui cum non satis esset coram Caio in Iudæos orasse, insuper aduersus eos commentarium scripsit, impudentissimis calumniis atque blasphemiis confertum; quas postea Iosephus duobus libris egregie confutauit, simulque qualis ille fuerit suis coloribus pinxit. Narrat quoque de eo Plinius *d* Secundus, cum à Tiberio Cæsare vocari solitum *Cymbalum mundi*; cum tamen (inquit Plinius) publicæ famæ tympanum potius videri posset, qui iactabat eos à se immortalitate donari ad quos aliqua componeret. Sugillat pariter eius fastum & arrogantiam A. Gellius *e*. Tandem vero necessario circumcisum circa genitalia, iis putrefactis in magnis doloribus expirasse, Iosephus *f* scribit. Quæ quidem omnia de eo breuiter recensuisse voluimus, quoniam impiæ in res Iudaicas ab eo prolatæ calumniæ, in Christianos etiam, quod ex Iudæis progeniti essent, fuerunt illapsæ; dum inter alia Fideles æque à Gentilibus carperentur *g*, quod caput asini adorarent; cuius aduersus Iudæos strophæ concinnatorem fuisse Apionem, Iosephus docet. Sed quod pertinet ad reliquas res Iudaicas, admiratione equidem dignum est, quantopere Iudæos hoc tempore vltio diuina vexarit, non eos tantum his perturbationibus in Ægypto & Syria exagitans, sed etiam trans Euphratem *h* apud Babylonem habitantes maxima clade afficiens, & inde Seleuciam fugientes, conspirantibus simul Syris cum Græcis, super quinquaginta millia virorum ex improuiso delens: ipsis postea Hierosolymitanis grauioribus reseruatis suppliciis, vt qui grauius cæteris in Christum, & eius Discipulos peccassent.

d *Plin. præf. ad hist. Plin. Sen.*

e *Gel. l. 5. c. 14.*

f *Ios. li. 2. cont. Apion.*

g *Tert. Apolo. c. 16. & alii.* CLADES IVDÆORVM.

h *Ios. 18. ant. 2.*

IESV CHRISTI AN. 43.

CLAVDII IMP. AN. 1.

I. i *Dio lib. 59.* CAIVS IMP. OCCIDITVR.

ANNO Domini quadragesimo tertio, Caio Augusti. *i* quartum & Sentio Saturnino Coss. Calendis Februarii idem Caius coniuratione Cassii Chereæ & Cornelii Sabini Tribunorum militum Prætorianorum occiditur, anno ætatis vigesimo nono, Imperii tertio, mense decimo, & die decimo octauo, numerãdo *h* à die obitus Tiberii, vt testatur Suetonius *k*; licet Dio *l* annis tribus, mensibus nouem & diebus viginti octo ipsum imperasse dicat; & longius aberrans Iosephus *m*, tres tantum annos & sex menses eidem tribuat. Periit & vna vxor Cæsonia, gladio à Centurione confossa, & filia parieti illisa. Porro tam Caium, quam qui eum præcessit Tiberium, non esse receptos in numerum Imperatorum, quorum Consules in iuramentis & votis concipiendis mentionem facere consueuerant, auctor est Dio *n*.

k *Suet. in Caio, c. 59.*

l *Dio l. 59. in fi.*

m *Ios. 2. de bel. 10.*

n *Dio lib. 60.*

II. o *Sueton. in Claud. c. 1. 2. 10* CLAVDII IMPERIVM.

Post eum, patruus eius *Tiberius* CLAVDIVS *Drusi o Germanicus*, Drusi Neronis & Antoniæ filius, Liuiæ Augustæ nepos, annos natus quinquaginta, factione militum Prætorianorum capessiuit Imperium. Qui inter alia quæ ipso Principatus initio gessit, promulgatis in fauorem Iudæorum edictis, eosdem metu quem Caius incusserat liberauit, & regnum Agrippæ Iudæa ac Samaria, necnon quæ fuerat Lysaniæ Tetrarchia auxit; prout pluribus narrat Iosephus *a*. Verum quantumuis ista indulta fuerint Iudæis, qui tum Alexandriæ, tum etiam in cæteris Romani Imperii prouinciis agerent: iis tamen qui Romæ essent, quod frequentissimus esset populus, non eadem sunt iura concessa; sed hoc Claudii Imperii exordio, primum cohibiti (vt Dio *b* declarat) ne ex patriis institutis conuentus agerent, demum Vrbe sunt pulsi, vt suo loco dicemus.

a *Ios. 19. ant. 4. & 5.*

b *Dio lib. 60.*

III. CHRISTIANI PRIMVM DICTI ANTIOCHIÆ.

Interea vero (quod ad res pertinet Ecclesiasticas) reserato semel à Petro Gentibus aditu ad Christi fidem, Antiochiæ primum, in ipsa, inquam, eiusdem Principis Apostolorum Sede nuper erecta, magna ex iisdem Gentibus facta est accessio ad Ecclesiam opera præcipue *Barnabæ* Hierosolymis illuc ab Apostolis missi, & *Pauli*, quem idem Barnabas Tarso eodem deduxit: adeo vt discipuli Christi primum ibi vocati fuerint CHRISTIANI; quemadmodum Lucas *c* narrat in Actis. Cur autem pristinum DISCIPVLORVM nomen (quo omnes qui credebãt in Christum nominari consueuerant) ab Apostolis sit mutatum in *Christianorum*, in Disputatione quæ fertur nomine Athanasii contra Arium hæc adfertur causa, quod cum multi iam existerent nouorum dogmatũ auctores, iidem pariter suos sectatores vocarent Discipulos. Porro deductũ esse nomen *Christianũ à Christo*, & Christi à *chrismate*, regali nempe vnctione, nemo est qui ignoret. Qui vero aduersus Ethnicos huius originis ignaros, Ecclesiasticos tractatores egerunt, (puta Iustinus *d* Martyr, Tertullia. *e* Lactant. & alii) quod iidem Gentiles Christianos corrupto vocabulo, ac prauo quodam *f* intellectu, *Chrestianos*, & Christum *Chrestum* nominare consueuissent; eiusdem nominis interpretationẽ deduxerunt à voce χρηστὸς; quod est Bonum & commodum. Et quod ad hæreticos spectat; etsi (vt vidimus) ad illorum distinctionem Christianum nomen credentib. est inditum; tamen haud multo post & id ipsum iidem æmulati, suos sectatores Christianos etiam appellare non sunt veriti: quod feciſſe primum Carpocratianos, auctor est Epiphanius *g*. Vnde rursum ad distinguendos veros Christianos à falsis, CATHOLICVM est cognomen inuentum; & id quidem ab ipsis Apostolis, quorum auctoritate vera Dei Ecclesia in eorum Symbolo CATHOLICA est cognominata, vt ea discriminatione ab Hæreticorum conuenticulis cognosceretur esse distincta; quemadmodum egregie exposuit Pacianus *h* Barcinonensis aduersus Nouatianos. Hoc autem cognomen adeo solam veram Ecclesiam obtinuisse, vt cum serio res acta est nulli vnquam hæretici vsurpare ausi fuerint prætet eundem Pacianum, Augustinus *i* affirmat, sic dicens: *Tenet me iustissime in Ecclesia gremio ipsum Catholicæ nomen; quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, vt cum omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.* Eadem vel his similia, & alii. Quomodo vero, vt certiori adhuc & plane indubitata nota, Catholici dignoscerentur ab Hæreticis & Schismaticis, iidem appellati sunt ROMANI; dicetur inferius, cum agetur de Romanæ Ecclesiæ institutione.

c *Act. 11.*

DE NOMINE CHRISTIANO.

d *Iust. orat. ad Anton. Pium.* e *Tert. Apolo. cap. 3.* f *Vid. infra an. 314. 6.*

g *Epip. hær 27* DE NOMINE CATHOLICO *De quo sæpe Baronius, ac præcipue an. 45. & 146.* h *Pac. ep. ad Sympron.*

i *Aug. cont. ep. Fund. c. 1.*

Cæterum licet (vt diximus) peculiare propriumq; nomen Christo credentium fuerit olim, vt Christiani appellarentur; tamen aliis quoq; nominibus dicti reperiuntur. & frequentius FRATRES tum ab ipso Christo *k* Domino, tum ab eius Apostolis: perseuerauitq; eadem nomenclatura in Ecclesia, atque ipse Christianorum cœtus *Fraternitas* dicta. Cuius quidem appellationis (quod eius occasione Fideles infamarentur à Gentilibus de promiscuitate vxorum) præclare Tertullianus *l* rationem reddidit; ipsorum quoque exprobrans spurcitiam Gentilium, qui cum cætera cuncta propria haberent, vxoribus communiter vterentur; contra quam Christiani, apud quos omnia indiscreta essent prætet vxores. Iisdem similia habent Athenagoras *m* Philosophus Christianus, Iustinus *n* Martyr, & Minut. *o* Felix, cum eandẽ calumniã refellunt. Rursum vero qui olim Christiani iidem nominabantur SANCTI; vt à Paulo *p* sæpe, ac Luca *q*, posteriſq; Ignatio, Philone, Polycarpo, Tertul-

IV. CHRISTIANORVM VARIÆ APPELLATIONES.

k *Matth. 23. Luc. 22. Ioan. 20. 21.*

l *Tert. Apolog. cap. 39.*

m *Athen. er. pro Christ.*

n *Iust. orat. ad Anton.*

o *Min. in Oct.*

p *Rom. 1. & 15. 2 Cor. 13. Phil. 4. Act. 26.*

q *Act. 9.*

liano,& aliis. At demum obtinuit vsus, vt illi tantummodo *Sancti* in Ecclesia dicerentur, qui eminentiori probatione fulgerent morum sanctitudine. Apud antiquos a. Græcos *a* *Hosii*, hoc est Sancti, honoris causa dicebantur Sacerdotes. Nominabatur insuper Christiani olim CREDENTES, eiusq; nomenclaturæ plura sunt exempla. Item FIDELES *b*; quod etiam nomen ad posteros est dilapsum, & frequentius vsurpatum; præsertim Romæ, vbi (vt auctor est Ambrosius *c*) qui baptizati sunt, *Fideles* nominari consueuerunt: videasq; in vsitatis eiusdem Ecclesiæ precibus, Christianos fere semper appellari *Fideles*. Vnde & Pontius Diaconus in Vita Cypriani, *Quid*, inquit, *Christiana plebs faceret, cui de fide nomen est?* Iudæi vero ignominiæ causa, quod Dominum in titulo Crucis Nazarenum appellatum nossent, Christianos pariter NAZARENOS nominabant, vt & diximus superius: eaque voce ter in die, quando preces perficerent in Synagogis suis, maledixisse Christianis, ipsiq; Christo, Hieronym. *d* tradit: licet Epiphan. *e* dicat, Iudæos id fecisse in hæreticos, qui Nazareni vocati Legem vna cum Euangelio seruarent. Verum cum ex Apostolorum Actis appareat, omnes Christianos à Iudæis æque dictos esse Nazarenos; ad ipsos potius quam ad eo nomine dictos hæreticos, eam pertinuisse blasphemiam existimamus. Sed de his modo satis.

a Plutar. de Oracu. defect. in fin.

b Eph 1. Coloss 1. & 1. Tim. 4. Amb. de sacram l. 1. c. 1.

c Hie. in Is. 49 *d* Epiph. hær. 29.

Act. 24.

Hoc eodem anno quadragesimo tertio à Christi natali, (vt Eusebius est auctor) THADDÆVS vnus ex Septuaginta duobus Discipulis, Edessam Syriæ ciuitatem ab Apostolis missus, vt impleret quod per literas Christum Abgaro eiusdem ciuitatis Principi, de mittendo ad eum post Assumptionem suam aliquo ex Discipulis suis, scripsisse superius vidimus; eidem Abgaro vultu diuinitus splendente sese præsentans (vnde & meruit ab eo adorari) ipsum adhuc morbo afflictatum sanitati restituit, ac post multa alia miracula vniuersum eius populum ad fidem conuertit. Quæ quidem vt facta sint, pluribus descripsit idem Eusebius ex antiquis eiusdem ciuitatis monumentis è Syriaca lingua in Græcum translatis. Quod autem hunc Thaddæum nonnulli ex duodenario Apostolorum numero fuisse tradunt, de eo dicetur anno sequenti.

V. THADDÆVS SANAT ABGARVM, ET CONVERTIT EDESSENOS.

g Eus. 1. hist. 13

IESV CHRISTI AN. 44.

CLAVDII IMP. AN. 2.

ANNO Christi quadragesimo quarto, Claudio *h* Aug. secundum, & C. Licinio Largo Coss. nonus Iudæorum Rex Agrippa, inter alia quæ isdem Iudæis primo sui Hierosolymam aduentu contulit beneficia, vt eorum magis sibi gratiam conciliaret, Ecclesiam persequi aggressus, IACOBVM Apostolum, filium Zebedæi, Ioannis fratrem, capite truncari iussit: quod narrat summatim Lucas *i*, eundem Agrippam vocans Herodem, quod isto cognomento esset. Cæterum ex Clemente Alexandrino, maiorumque traditione Eusebius *k* scribit, eum qui Iacobum adduxisset in iudicium, cum eum tam fortiter Christi nomen confiteri cerneret, & ipsum se Christianum professum esse; cumque ambo simul ad supplicium ducerentur, eundem à Iacobo veniam postulasse, Iacobum autem ei pacem cum osculo dedisse, & sic vtrumq; secuti vitam finiisse. Quod vero aliorum relatione Hieronymus *l* recitat, immolatum Iacobum die secunda Paschatis, haud constare posse videtur; quandoquidem Lucas *m* scribit, Herodem eum post necem Iacobi Petrum ipsum apprehendisset, licet eius necis cupidissimum, ab ea tamen abstinuisse vsque ad dies Azymorum elapsos.

I. h Dio lib. 60. IACOBI APOSTOLI MARTYRIVM.

i Act. 12.

k Eus 2. hist. 8

l Hier. in Ezech. 43. m Act. 12.

Denique quod Hispaniarum Ecclesiæ *n* profitentur, eundem Iacobum Apostolum antea in Hispanias esse profectum, & ibi primum omnium prædicasse Euangelium; inde non leuis de ea re quamplurimis dubitandi occasio est orta, quod constet ipsum omnium Apostolorum primum martyrio ex hac vita migrasse, atque etiam antequam Apostoli in suas prouincias diuiderentur. Itaque cum longe post ista tempora aliquando contigisset, vt Episcopus Ecclesiæ Compostellanæ sumens sibi maiora concessis, erigeret se aduersus Episcopum Toletanum; eaque res declamata *a* esset in magno illo Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, vendicante sibi Compostellano ius non parendi Toletano, eo quod Ecclesia Compostellana super omnes Hispaniarum Ecclesias duplici ratione esset, vtaiebat, tum quod Iacobus ibi quieuisceret corpore, tum quod in Hispania prædicasset Euangelium; ille aduersantem sibi acerrime expertus est Rudericum Ximenium Archiepiscopum Toletanum, qui, quod attinet ad posteriorem rationem, absolute negauit eundem Apostolum vnquam ingressum esse in Hispaniam, asseruitque id tantum se accepisse cum iunior esset à religiosis quibusdam feminis. Quapropter & indignum putans vt in re tanta iis fides adhiberetur, nullam de his mentionem haberi voluit in ea quam conscripsit Historia. Hic enim ille fuit insignis Rudericus Toletanus; rerum Hispaniarum scriptor ore omnium prædicatus: cuius, fateor, perculsus auctoritate, reuocarim in dubium, quæ cum ab aliis, tum à nobis ipsis olim de aduentu Iacobi in Hispaniam dicta sunt; cum præsertim hæc tanta asserta ab ipso fuerint in tanta Synodo, & coram tanto Pontifice Romano, ac denique sine aduersarii vel minima redargutione. Qui cum nullum prorsus citauerit sententiæ suæ antiquiorem assertorem, (quantumlibet bene instructus venisset, & ardentiori animo, vt ipsa Acta declarant, rem egerit) putoeum sponte abstinuisse à citatione fabulosi Turpini, (si tam in illo tempore comentitius ille liber scriptus erat) & pseudo-Isidori, itemque eorum quæ falso iactantur nomine Bedæ, vel aliorum quos eius sententiæ fautores postea prodidere. Nam quod spectat ad ea quæ de re ista feruntur Callisti Papæ Secundi nomine monumenta; tantum abest vt ea Compostellanus aduersus Toletanum produxerit, vt contra ipse Toletanus eiusdem Callisti Papæ auctoritate Compostellanum refellerit.

1. VTRVM PROFECTVS IN HISPANIAM *n* Breuia. Toletan. inst. S. Ildef. Ec.

a Narrat. Gurs. Ioissa in Collect. Conc. Hisp. in decreto Gundemari.

Cæterum si consulator antiquitas vnde prouenerit Euangelii prædicatio in Hispaniam; duo id sanctissimi atque doctissimi Romani Pontifices, Innocentius Primus, & Gregorius Septimus conscripserunt: quorum ille *b* omnino negat aliquem vnquam Apostolorum docuisse in Hispania, sed eos tantum illic prædicasse, qui ab Ecclesia Romana in eam prouinciam missi essent: iste *b* vero indubitate asserit, Romam à Petro & Paulo Apostolis septem Episcopos directos fuisse in Hispaniam, nec aliunde eos populos quã ab Ecclesia Romana suscepisse exordium religionis. Quis autem ex his non intelligat, ignoratum prorsus ad ea vsque tempora fuisse, aut certe minime creditum, Iacobi in Hispaniam accessum? itemque septem illos Episcopos, non ciusdem Iacobi (quod recentiores tradiderunt) fuisse discipulos, sed Principum Apostolorum Petri & Pauli.

III. VNDE HISPANIA RECEPERIT EVANGELIVM. *b* Innoc. ep. ad Decent. Greg. Sept. 1. ep. 64. ad Reges Hisp.

Quod autem spectat ad Translationem eius venerandi corporis Hierosolymis in Hispaniam; citatur epistola Leonis Papæ Tertii, qui post septingentos quinquaginta annos sedere cœpit, qua asseritur facta hoc eodem anno quo ipse passus est: tunc & fuisse à discipulis eius sublatum corpus, quod canibus atque volucribus expositum fuerat, & naui gio impositum, Iriam Flauiam Gallæciæ vrbem delatum esse, inde vero Compostellam: factum autem vt vrgentibus in Christianos persecutionibus, mortuisque illis qui tantum thesaurum detulerant & occuluerant, locus penitus remanserit incognitus, omnisq; eius rei memoria perierit quousque eiusdem Leonis Papæ tempore sub Alphonso Casto Gallæciæ Rege in lucem emersit: de quo dicetur suo loco. Fuisse autem id eatenus penitus ignoratum, in argumentum deduci potest, quod Venantius Fortunatus, qui post quingentos ab hinc annos scripsit, in carmine de Bodegisilo Duce, cum relegit cuiusque prouinciæ vel ciuitatis celebriores in illis positos Sanctos, nesciens eundem Iacobum Apostolum fratrem Ioannis Hierosolymis fuisse translatum, ait ipsius corpus adhuc fuisse ibidem Hierosolymis veneration i expositum: cum vero ad Hispaniam peruenit, qui in ea celebrior haberetur, Vincentium martyrem nominat, nec clationem in ea prouincia aliquem agnoscit. Sed de his, deque ipso Iacobo hactenus.

IV. DE S. IACOBI TRANSLATIONE IN HISPANIAM

[Quæ hic posita sunt de S. Iacobi in Hispaniam profectione, deque eius corporis translatione, huc in propriorem locum à nobis translata sunt ex Tomo IX. Ann. hum. an. 816. vbi tractatu e Baronius quæ pro eadem profectione dixisse olim in Notis ad Rom. Martyrol. 25. Iulii, ad quas remiserat hoc anno Lectorem: qui si ista cupit vberius tractata videre, adeat d. an. 816. Sed aduersus ipsum consurrexit pro suarum Ecclesiarum traditione vniuersa Hispania, multis ea de re à quocumque hominum genere editis scriptis: quæ si vidisset Baronius, etiamsi non id necessario cuincant quod volunt, sunt tamen eiusmodi vt cum potuerint in prioris sententia continere. Nec sine displicentia zelus eorum: sed vix est vt alicui homini non Hispano probari possit affectus illi animus, quo in tanti viri memoriam, eunctis Catholicis venerandã, inuehi gaudent. Gaudeant magis in fide persistere, quam siue ab ipsis Apostolis, siue ab eorum successoribus acceperunt: & præteritorum memores, in timore & tremore salutem suam operetur. Quod vero pertinet ad Corpus Apostoli, gloriatur & Tolosa nostra de possessione illius, aut certe magnæ partis. Nec quæ aduersus hanc assertionem protulit vnus ex recentioribus historicis Hispanis, (nempe Maurus Castel. Ferr. in Hist. S. Iacob. lib 3.) eiusmodi sunt vt id negent. Aiunt illa quidem, esse Compostellæ corpus S. Iacobi, sed non dicunt esse integrum. Vt autem aliqua Ecclesia dici possit habere corpus alicuius Sancti, & vt is locus eo nomine veneration fit omnibus, satis esse ii vel eius particulam possideat, demonstrabitur inferius an. 35. num. LIV. Nec tamen hæc dixerim animo conuellendi opinionem de corpore S. Iacobi existente Compostellæ; sed potius vt moneam, non minori eam Ecclesiam venerationi esse debere, etsi non integrum possideat.]

AN INTEGRVM CORPVS IBI.

V. PETRVS IN CARCEREM TRVD. TVR. a *Act.* 12.

Videns autem Agrippa Rex (quem, vt diximus, Lucas Herodem appellat) se placuisse Iudæis in occidendo Iacobo; ipsum quoque Petrum carceri mancipauit, volens post dies Azymorum producere eum populo. Rem gestam narrat Lucas, addit que *orationem tunc factam esse sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro Petro.* Magno siquidem terræmotu Ecclesia Christi tunc concuti visa est, dum ipsa petra in fundamento locata tanta agitatione quassari conspiceretur. Ideoque etsi alios complures Apostolorum carcere inclusos sæpe legamus; de nullo tamen ipsorum vniuersam Dei Ecclesiam adeo sollicitam fuisse reperimus. Audiuit quoque Deus deprecationem eorum, & vinctum suum non despexit. Nam ipsa nocte præcedente diem quo producturus eum Rex esset, cum dormiret inter duos milites duabus catenis vinctus, & à pluribus aliis militibus custoditetur, adstitit Angelus Domini, qui eum mirabili re liberauit: ipse vero postquam suos inuisit, mox Hierosolymis discedens abiit in alium locum: Rex autem cum requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci ad supplicium. Hæc pluribus Lucas. Porro Petri VINCVLA, velut nobilissimæ victoriæ gloriosa trophæa, omnium fere Patrum egregiis celebrata præconiis, in Ecclesia sunt perpetua memoria consecrata: quæ quidem in manus deuenisse cuiusdam ex Agrippæ familiaribus, sed in Christum credentis, ac per manus fideliter delata fuisse per quatuor sæcula, & tandem patefacta Metaphrastes *b* ex antiquioribus monumentis memoriæ tradidit: sed de eorum inuentione agetur suo tempore, sub Theodosio Iuniore Augusto.

DEFINS VINCVLIS.

b *Dict. Aug. ap. Sur. tom. 4.*

Quod vero subdit Lucas, *c* Agrippam post hæc descendisse Cæsaream, & iratum Tyrus & Sidoniis, placatum esse ab eorum legatis opera Blasti Præfecti ipsius cubiculi: mirabitur certe aliquis eiusmodi appendicem ad historiam de Petro è carcere liberato additam esse, qui causam iratum Agrippæ in Tyrios & Sidonios ignorarit, quam illam esse existimamus, quod cum Petrus ab Angelo liberatus Hierosolymis recessisset, in eas Palæstinæ maritimas regiones venit, ac ibi positas inuisit Ecclesias atque composuit: ideoque in eos populos commotus fuerit Agrippa, quod eum suscepissent ac coluissent, quem ipse neci tradere quæsisset. Porro inter alia tunc ibi à Petro gesta, vnum ex his qui ipsum sequebantur Sidoniis dedisse Episcopum; ex vetustioribus chartis idem qui supra Metaphrastes *d* scribit, dum varia recenset itinera quæ Petrus tunc peregit: quem & ait peragrata Syria Antiochiam deuenisse, atque inde Cappadociam, Galatiam, Pontum, Paphlagoniam Bithyniamque perlustrasse, & Episcopos vbique ordinasse. Sed quod addit, postea rediisse Hierosolymam, nos ab eo in hoc dissentientes, potius eum Romam versus iter direxisse asseueramus, quippe quem hoc ipso anno secundo Claudii illuc aduenisse, consentiant omnes: Verum antea Galatiam, Pontum, Cappadociam, Asiam, & Bithyniam perlustrasse, æque SS. Hieronymus, *a* Leo, *b* & alii testantur.

VI. QVID PETRVS POST LIBERATIONEM. c *Act.* 12.

d *Metaph. die 29. Iunii ap. Sur. tom. 3.*

Sed antequam de eius Romam aduentu agamus, de exterorum quoque Apostolorum in diuersas Orbis prouincias ad prædicandum Euangelium profectione, paulo accuratius agere operæ pretium existimamus. Ac primum quod ad tempus attinet, quem secure siue ex Græcis siue ex Latinis auctoribus sequeremur, inuenimus neminem. Nam imprimis ne aliqua habeatur ratio apocryphi illius scripti, quod Melitonis *c* Saidensis Episcopi nomine circumfertur, quo asseruntur Apostoli anno secundo ab Ascensione Domini per Orbem diuisi, in externis prouinciis Euangelium prædicasse, Acta ipsa Apostolorum à Luca conscripta perspicue prohibent. Apollonii *d* vero quod Eusebius recitat testimonium, inhibuisse Christum Apostolis ne ante annum duodecimum à sua Ascensione (qui incidit in quartum Claudii Imperatoris) recederent Hierosolymis, iam superius falsum esse demonstrauimus; vrsumque confutari posse videtur Marci Euangelistæ auctoritate. Hic enim cum Euangelium suum post diuisos in Orbem terrarum Apostolos scripsisse significet, dum in fine ait, *e Ibi autem prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis:* consitetque eum illud anno sequenti scriptis consignasse: hac ratione liquido satis apparet, saltem biennio ante tempus ab Apollonio definitum, Apostolos in Orbis prouincias esse profectos. Cum igitur ante sequentem annum in quo Marcus scripsit, Apostoli iam per mundum diuisi essent, nec ante præsentem annum id contigisse, ex iis quæ dicta sunt perspectum habeatur: omnino fateri cogitur, id hoc ipso Claudii anno secundo factum esse. Sicut enim post necem Stephani, vniuersi qui erant Hierosolymis Discipuli dispersi sunt (vt ait Lucas *f*) præter Apostolos: ita etiam secunda hac in Ecclesiam excitata Persecutione, qua præcipue ipsi appetiti sunt Apostoli, factam esse eorum dispersionem, seu magis dicere velimus Diuisionem, par est credere. Cum enim quo loco in Iudæa consisterent, persequente illos Agrippa non haberent: à Iudæis sic pulsi *g* necessario ad Gentes profecti sunt. Licet enim de prædicando Gentibus Euangelio iam tunc Apostoli iniissent consilium, cum diuina præuia reuelatione à Petro esset iisdem Gentibus apertum Ecclesiæ ostium: (nam & ea occasione Matthæum iam ante triennium scripsisse Euangelium, quod profecturus esset ad Gentes, antiqui *h* tradiderunt: vt tamen id maturarent, Agrippæ persecutione compulsi fuisse videntur. Quod autem ad diem eorumdem Diuisionis attinet, decima-quinta Iulii in aliquibus Martyrologiis *i* eius rei perpetua memoria, consecrata reperitur.

a *Hier. de Script. Eccl. in Petro.*
b *Leo ser. 1 in natal Apost.*

VII. DE DIVISIONIS APOSTOLORVM TEMPORE.

c *Ap. Bed. Retract. in Act. cap. 8.*

d *Ap. Euf. 5. hist. 17.*

e *Marc. 16. in fi.*

f *Act. 8.*

g *Chryf. hom. 70. in Matt. 22.*

h *Euf. 3. hist. 18. & alii.*

i *Bed. Vsuar. & alii.*

[Diuisionem Apostolorum cum alii in alios annos referant, Hispani illi qui contra Baronium scripserunt, vt suam tuentur traditionem de S. Iacobi in Hispaniam accessu, nonnullis haud adeo contemnendis coniecturis & argumentis probare nituntur tunc contigisse quando Petrus & Ioannes petierunt Samariam, vel etiam post Domini Ascensionem, & aduentum Spiritus sancti, etiamsi non statim omnes ad suas prouincias profecti fuerint. Quorum tamen argumenta sunt alii, qui cadem fere cum ipsis de accessu S. Iacobi sentientes, aliis certis (vt putant) rationibus refellunt, vtrumque opinor, alii quorum rursus argumentationes confutabunt. Vt nouum profecto ipsimet ruinæ periculum afferre videantur ædificio, quod tam debilibus fulcimentis stabiliunt.]

Cum autem profecturi essent, ne vlla ex parte aliqua vel apparens inter eos in annũtiatione Euangelii diuersitas esset, cõmuni consilio quosdam Fidei Canones, quibus vniuersam Christianam fidem perstringentes stabilirent, cõstituerunt, quos proprio nomine Dei Ecclesia SYMBOLVM APOSTOLORVM dicere consueuit, vel quod singuli ad illud perficiendum attulerint suum symbolum, (qua ratione, ante necem Iacobi dicendum esset confectum) vel quoniam qui vere Christiani essent, eo symbolo velut tessera militari, aut indicio dato, ab iis qui falso Christum prædicarent dignoscerentur: quam vtramque Symboli significationem Ruffinus in præfatione ipsius expositionis declarauit: insuper addens, idcirco eosdem Fidei articulos non scribi chartis atque membranis, sed retineri cordibus

VIII. DE SYMBOLO APOSTOLORVM.

TRADITVM ABSQVE SCRIPTO.

Apostolos voluisse, vt certum esset hæc neminem ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad Infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse. Nam & illud sine scripto ab Apostolis traditum esse, testantur etiam Hieronymus, *a* Ambrosius, *b* Augustinus, *c* & alii. Idemque Ambrosius, *d* æque ac Ruffinus, comparat illud militiæ sacramento, quo milites in tentoriis, bellatores in prælijs, vti consueuerunt. Et apud Augustinum quodam sermone *e* de tempore legitur, quod Græce *Symbolum* dicitur, Latine *Collationem* nominari; quia collata in vnum totius Catholicæ Legis Fides, Symboli colligitur breuitate. Adduntur & ibidem singulorum Apostolorum, quas eidem Symbolo contuliſſe creduntur, singulæ sententiæ. Ac licet is sermo, an sit Augustini à quibusdam reuocetur in dubium, cuius tamen sit nihil interest, cum de iisdem singulis duodecim Apostolorum distinctis elogiis, suppetant etiam aliorum testimonia *f* Patrum.

a *Hier. ep. 61. ad Pammach. Ambr. ep. 81 ad Siric.*
c *Aug. de fid. & oper. cap. 9.*
d *Ambr. lib. 3 de Virg.*
e *Aug. ser. 115*
f *Leo ep 96. ad Pulch. Venan Fortun. in præf. expos. Symb. Alb. Flac. de offi. Eccl. c. 22. Rab de inst. cler. lib 2. c. 56. & alij.*

IX. SPIRITVS S. INSTINCTV FACTA DIVISIO PROVINCIARVM.

His igitur sic ab Apostolis institutis, & sicut Symbolo, ita etiam aliis absque scripto Traditionibus Ecclesiæ impartitis, iidem diuiserunt sibi ad quas singuli proficiscerentur Orbis terræ prouincias. Omittimus hic recensere quæ de ea re in pseudo-Prochoro commenta leguntur: ex quo fortasse acceperunt, qui sorte prouincias tradunt *g* esse diuisas. Nec assentimur dicentibus, pro ratione impertiti doni Linguarum, cuique illam esse tributam prouinciam, quasi velint Apostolos, etsi linguarum omnium donum accepissent, vnumquemque tamen peculiari alicuius prouinciæ vsum fuisse sermone. Sicut enim non admittunt Patres, *h* Apostolos post acceptum Spiritum sanctum, qui illos doceret omnia, ac cuncta suggereret, res agendas, tanti præsertim ponderis, sorti commisisse: ita eosdem omnes omnium hominum linguis æque locutos esse consentiunt. Sed & hæc omnia de diuisione prouinciarum, diuina aliqua demonstratione, & Spiritus sancti speciali instinctu esse peracta, nemo dubitare poterit, qui apud Lucam *i* animaduertit, nihil fere aliquem ipsorum absque præuia eiusdem Spiritus admonitione agere præsumpsisse.

g *Socr. li. 1. c. 15 & alij eum secuti.*
h *Chryſ. in Act. Bed. Oec. Gloſ. & alij.*
i *Act. 8. 13. 16. &c.*

X. PETRVS ROMAM PETIT.

Sed vt in quas singuli sint profecti prouincias, ex antiquis Scriptoribus breuiter ostendamus, imprimis PETRVM hoc anno secundo Claudii Imp. venisse ROMAM, Eusebius, *k* Hieronymus, *l* & reliqui omnes qui de tempore egerunt, affirmant, vt nulla de eo relicta sit dubitatio, vel penes eos contradictio. De ipso vero eiusdem Petri in Vrbem aduentu, testes præterea sunt Irenæus, *m* Tertullianus, *n* Hippolytus, *o* Cyprianus, *p* Arnobius, *q* Lactantius, *r* Optatus, *s* Ambrosius, *t* Augustinus, *u* Seuerus, *x* Prudentius, *y* Philastrius, *z* Orosius, *a* Prosper, *b* Maximus, *c* Petrus, *d* Chrysologus, Arator, *e* ac cæteri Latinorum qui de rebus Ecclesiasticis commentarios ediderę; ex Græcis vero Papias, *f* Caius, *g* Dionysius, *b* Corinthius, Petrus *i* Alexandrinus, Eusebius, *k* Chrysostomus, *l* Cyrillus *m* Alexandrinus, Theodoretus, *n* Sozomenus, *o* & cæteri iuniores omnes: idque ipsum SS. Oecumenicæ Synodi suis Actis, Romani Pontifices suis Epistolis, Imperatores suis Edictis confirmarunt: ac denique (vt vno verbo absoluam) memoria de Petri Romam aduentu, & erecta sibi illic Cathedra Pontificia, adeo omni scriptionum genere meruit consecrari, vt nec cuiusuis perfrictæ frontis hæreticus vel schismaticus, eorum qui ante nostrum sæculum vixerunt, ausus vmquam fuerit de eo vel leuiter dubitationem mouere. Vnde & grauissimus auctor Optatus *p* Mileuitanus aduersus Parmenianum Donatistam agens, *Negare non potes*, inquit, *scire te in Vrbe Roma Petro primum Cathedram Episcopalem esse locatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, &c.* Et certe consentaneum fuit, vt ad primariam Orbis vrbem primarius Ecclesiæ Vniuersalis pastor dirigeretur, & (quod ait præclare S. Leo *q*) Princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinaretur Imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur salutem, efficacius se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet; & vbi essent omnium nationum homines, ibi confutarentur omnes dæmonum cultus, ac denique ibi omnium sacrilegiorum impietas destrueretur, vbi diligentissima superstitione habebatur collectũ quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Quod vero ad rei gestæ historiam pertinet; quibus itineribus, quibusue sociis comitatus Petrus Romam aduenerit, neminem qui describat inuenimus, præter vnum Metaphrastem; *a* qui eius iter Antiochia Romam relegens, ordinatas etiam in via Ecclesias summatim recensuit. Sed quod certo auctore ea scripta careant, & in multis fide vacillent, libentius hic recenere omittimus. Est tamen Neapoli in Campania percelebris memoria, vbi idem Princeps Apostolorum cum eo delatus nauigio esset vna cum suis, Missam celebrauit. Memorantque insuper alia loca, per quæ Neapoli Romam veniens pertransierit: sed de iis, aliisque eiusmodi incertis rebus, quid potissimum affirmare debeamus, non satis constat. De Romana vero Ecclesia ab eo instituta, dicetur anno sequenti. Interea de cæteris agendum Apostolis, eo ordine quo à Luca recensentur in Actis. *b*

a *Metaphr. 29 Iunii.*
b *Act 1.*

XI. IOANNES VB. PRÆDICAVERIT.

IOANNEM igitur Zebedæi filium, fratrem Iacobi, migrasse in Asiam (Minorem scilicet) testes sunt Origenes, *c* Eusebius, *d* Gregorius *e* Nazianzenus, Ioannes *f* Chrysostomus. Vna vero cum Ioanne profectam esse sanctissimam Dei-Genetricem, & Ephesi apud eum habitasse, non obscure indicant Patres Concilii *g* Ephesini Epistola ad Clerum Constantinopolitanum scripta; etiamsi illa opinio haud facile ab Epiphanio *h* admittatur, Magdalenam etiam vna cum Lazaro Ephesi egisse, nonnullis ex Græcis *i* tradiderunt: sed Latinis magis assentimur, asserentibus (quod dictum est superius) ipsos in Gallias migrasse, & ibi quieuisse: quod etiam vetus traditio firmat, & quod hodieque eorum corpora ibi coluntur. Igitur Ioannes in Asiam profectus, eas prouincias quibus iam Petrus (vt vidimus) Euangelium annuntiauerat, & Ecclesias complures erexerat, prædicatione sua excoluit. A quo & septem illæ in Asia positæ Ecclesiæ, ad quas ipse scripsit in Apocalypsi, fundatæ traduntur. At vero *Ephesinam k* à Paulo fundatam, à Ioanne curatam esse, auctor est Irenæus, *l* & certo probari videtur ex iis quæ de Pauli illic prædicatione, & mora triennii infectus dicentur: sicut & eumdem Paulum complures alias eiusdem regionis Ecclesias fundasse, satis ex eo colligitur, quod Lucas in Actis demonstret eum diuersas Asiæ prouincias prædicando peragrasse; ipse vero Paulus *m* alibi testetur, se minime prædicasse vbi iam receptum esset Euangelium, ne super alienum fundamentum ædificare videretur. Quapropter magis assentimur Epiphanio, *n* dicenti Ioannem post ætatem senectam iussu Spiritus sancti curam gessisse Asianæ Ecclesiæ: & quod Hieronymus *o* dicit, totas Ecclesias Asiæ ab eodem Ioanne esse fundatas, sic intelligimus, vt eas adhuc nouellas verbis atque scriptis firmiter stabilierit, cum ea in regione complures hæretici agerent, de quibus dicetur suis locis.

c *Orig. li. 3 in Gen.*
d *Euſ. 3 hiſt. 1*
e *Naz. orat. in Arian.*
f *Chryſ. hom. in 12. Apoſt.*
g *Act. Conc. Epheſ. edit. Pel tom. 2. c 26.*
h *Epip. har 78*
i *Cedr. & Zon in Leo. Philoſ. apud Baron. in Not. ad Mart. 22. Iul.*
k *Iren. lib. 3. c 3. in fi. ap. Baron. an. 97.* ECCLESIA EPHESINA.
l *Rom. 15.*
m *Epi har. 51*
n *Hier. de Script. Eccl. in Ioan.*

Multa insuper in pseudo-Prochoro leguntur de eiusdem Ioannis in Asia gestis, ac præsertim Ephesi, sed prorsus fabulosa: vt inter alia, quæ habet de templo Dianæ Ephesiæ Ioannis virtute prostrato; quod constat integrum permansisse vsque ad Gallieni Imp. tempora, quando (vt auctor est Iulius *p* Capitolinus) à Gothis expilatum & concrematum est. Res vero ab eo gestas in Phrygia, ac præsertim Hierapoli vsque ad Philippi aduentum, recitat Metaphrastes. *q* Ad Parthos quoque accessisse, titulus primæ ipsius Epistolæ, quæ olim *ad Parthos* inscripta legebatur, facile monstrat. Sed & ad vlteriores Orientis partes penetrasse, atque Bastoras Christiana fide imbuisse, ex eiusdem populi à maioribus accepta traditione scripserunt Patres *r* Societatis IESV, qui nostris temporibus ad Indos Euangelicæ prædicationis causa profecti sunt.

o *Capit. in Galien.*
p *Metaph. die 5. Sept.*
q *In lit. Script an. Dom. 1555.*

XII.

XIII. DE IACOBO ZEBEDÆO.

De IACOBO Ioannis germano, qui sequitur ordine apud Lucam, nihil est quod dicamus; quem ante istiusmodi Apostolorum diuisionem, ab Herode Agrippa necatum vidimus.

XIV.

ANDREAS autem, ad Scythas missus traditur ab Origene *s* & Eusebio. *t* In Græciam vero inde descendisse, & in Epirum venisse, testantur Gregorius *u* Nazianzenus ac Chrysostomus. *x* Sed ex recentioribus Græcis Nicephorus Callistus, *y* & alius Nicephorus *z* Episcopus Constantin.

r *Orig. lib. 3. in Gen.*
s *Euſ 3. hiſt. 1.* DE ANDREA
t *Naz. orat. in Arian.*
u *Chry. hom de 12. Apoſt.*
x *Nic. 2. hiſt. 39. & li. 8. c. 6.*
y *Chr. Nicep.*

præter

præter alia quæ habent de Andreæ peregrinationibus, tradunt ipsum etiam Byzantii in Thracia Ecclesiam erexisse, & Episcopum constituisse, idemque de Nicæa in Bithynia alii *a* ferunt. Sed hæc omnia ex Apocryphis: nam eas Ecclesias à Petro primum esse erectas, datosque eis Episcopos, diserte professus est postea Agapetus Papa literis de Mena à se ordinato Episcopo Constantinopolitano conscriptis, quæ fuerunt in Quinta Synodo *b* recitatæ. Scribunt præterea Sophronius *c* & Dorotheus *d* Andream non tantum missum ad Scythas, (quod testantur & cæteri) sed etiam ad Sogdianos, Sacos, & Æthiopas.

PHILIPPVS Asiam Superiorem Euangelio traditur *e* excoluisse, & aliquam partem Scythiæ peragrasse, ac vna cum Bartholomæo aliquo temporis spatio Euangelium annuntiasse. Quod vero & alibi *f* asseritur Gallis etiam Christum prædicasse; haud est dubium *Galatis*, loco *Gallis* restituendum esse: nam Galatæ Gallorum *g* coloni partem Phrygiæ incoluere. Sed quod spectat ad Theologiam Phrygum: non Martem, nec serpentem (vt aliqui fabulantur auctores) colebant, sed quos Eusebius *h* alibi deos describit.

THOMAM inprimis ad Parthos profectum esse scribunt Origenes *i* & Eusebius: *k* ad Indos quoque penetrasse, tradit Gregorius *l* Nazianzenus; & in Æthiopiam pertexisse, indicat Ioannes *m* Chrysostomus, cum ait illum delabasse Æthiopas. Eidem insuper adscribitur quod ait Theodoretus *n* Parthos, Persas, Medos, Brachmanos, Indos, aliasque nationes finitimas Christi Euangelium suscepisse. Præterea ad Taprobanam insulam venisse, Nicephorus *o* tradit, nonnulla tamen apocrypha miscens de eodem Apostolo abire ad longe positos populos detrectante, & Domino illi apparente. Sunt & alia incerti auctoris, tamē Ioannis *p* Chrysostomi nomine insignita; quibus fertur, Thomam tres illos Magos qui Christi præsepe adiere, baptismo initiasse, & socios in prædicatione Euangelii secum duxisse: idque ipsum apud Sophronium *q* legitur, & alios. Et qui apud Indos nostris temporibus reperti sunt Christiani in regione Narsingensium & Chranganore, *r* certa traditione affirmant, eumdem Apostolum in illis regionibus Ecclesias erexisse.

BARTHOLOMÆVS in maiorem Armeniam profectus, Lycaonas populos ad fidem conuertit, vt auctor est Chrysostomus. *s* Idem de Albanis tradit Sophronius: *t* citeriorem que Indiam penetrasse, Origenes testatur, atque Socrates, & alii: certamque fecit de his fidem Pantænus *u* Philosophus Christianus, qui peregrinatus ad Indos, memoriam de Bartholomæi prædicatione virentem adhuc reperit, & Matthæi Euangelium ab eodem Apostolo illuc delatum, secum Alexandriam retulit.

MATTHÆVM ad Æthiopiam missum esse, Origenes, *x* Socrates, *y* & alii tradunt. Quæ vero de ipso scribit Nicephorus, vt commentitia prætermittimus.

IACOBVS Alphæi, Frater Domini, idemque *Iustus* dictus, non legitur in externas profectus esse prouincias: sed qui (vt vidimus) Hierosolymorum creatus esset Episcopus, ne Iudæi, quorum causa munus illud susceperat, omnino derelicti haberentur, loco constitit. Tanta enim eum sanctitate effulsisse tradunt, vt quamuis Iudæorum Magistratus in cæteros sæuirent Apostolos, ipsi tamen nullum negotium facesserent, sed honore potius prosequerentur: quod non solum Hegesippus, *z* sed & Iosephus *a* testatur, dum ait Hierosolymorum subuersionem tributam esse eius necis diuinæ vindictæ. Porro qui putarunt Iacobum Alphæi diuersum esse à Fratre Domini, in alias & ipsum; vt cæteros, prouincias amandatum esse tradunt: sed eorum sententiam satis nos superius refellimus, cum egimus de eiusdem Iacobi Episcopatu.

SIMON Cananæus, qui & ZELOTES dictus est, in Mesopotamiam profectus, populis illis Euangelium annuntiauit. In Persidem etiam abisse tradunt: *b* addunt que alii *c* Ægyptum, Africam, & Britanniam, vt Nicephorus *d* & Dorotheus, *e* quos sequi visi sunt Græci in suo ipsorum Menologio: sed hæc absque aliquo antiquorum testimonio. Et quod spectat ad *Africanam Ecclesiam*, asseruerunt quidem olim Donatistæ, Euangelium illic cœpisse prædicari post Apostolos, sed repugnant Augustinus, *a* atque Saluianus, *b* constanter affirmantes Africanos ab Apostolis Euangelium accepisse. Metaphrastes *c* Petrum Apostolum post Romanam Ecclesiam ordinatam, cæteraque complures in diuersis locis erectas, Carthaginem tandem venisse tradit: sed cum multa admisceat commenta, nullam prorsus in his meretur fidem. Augustinus *d* autem, ac Gregorius *e* Magnus videntur profiteri Afros à Romana Ecclesia Euangelium suscepisse: & Innocentius Primus *f* nō nisi à Petro missos esse dicit, qui populum illum imbuerent Euangelio. Cæterum de isto Simone errare illos *g* qui confundunt cum alio Symeone, qui Frater Domini dictus est, mox demonstrabitur.

Post Simonem sequitur IVDAS, idemque THADDÆVS dictus, & frater Iacobi, qui & ipse in Mesopotamia prædicasse asseritur, *h* multaque egisse in Arabia & Idumæa, aliisque adiacentibus regionibus. Sed rursum quod attinet ad duos istos posteriores Apostolos, nempe *Simonem & Iudam*: cum Lucæ testimonio exploratum habeatur, Simonem tantum inter Apostolos dictum fuisse cognomento *Zelotem*, quomodo factum est vt Hieronymus *k* Iudam quoque *Zelotem* appellet? Equidem dum considero, eumdem ipsum *l* alibi de singulis agentem, Simoni tantum cognomen *Zelota* tribuere, Iudæ vero *Thaddæi & Lebæi*, omnino existimo nomina confudisse, nempe Iudam cum vtroque Simone, *Cananæo*, & *Fratre Domini* qui Iacobo successerit in Episcopatu Hierosolymitano: sicut & visus est fecisse Sophronius *m* apud ipsum, dum ait Simonem Cananæum cognomento Iudam, fratrem Iacobi Iusti & in Episcopatu successorem, crucifixum esse sub Traiano: quæ eadem apud Isidorum legunrur, & alios. Et quamuis Dorotheus *n* duos Simones distinctos ponat, putat tamen Simonem sub Traiano passum, cognomento dictum esse Iudam. Sed Hegesippus *o* diuersos plane ponit Simonem & Iudam, quorum priorem sub Traiano passum tradit, Iudam vero nec sub Domitiano fuisse superstitem. Cæterum cum Simonem Zelotem à Iuda Iacobi fuisse distinctum, iterum Lucas *p* manifestissime declaret, quem vero Lucas dixit Iudam Iacobi, Matthæus *q* & Marcus *r* in Apostolorum enumeratione Thaddæum nominent, Euangelica iam prorsus veritate testatum habetur, Simonem & Iudam, nō vnum, sed duos fuisse Apostolos: cognomenque *Zelotæ* solius esse Simonis, *Thaddæi* vero Iudæ.

Rursus quod Iudas dicatur frater Iacobi, qui Frater Domini & Iustus cognominatus est, ideo & ipsum inter eos qui *Fratres Domini* dicti sunt ab Euangelistis, esse adnumerandum Hegesippus *s* affirmat. Cumque pariter nouissimus ille *Symeon* qui crucifixus est sub Traiano, & ipse Frater Domini dictus fuisse tradatur, qui idem appellatus sit Symeon Cleophæ, qui dicitur fuisse maritus illius Mariæ quæ à Ioanne *t* nominata est Maria Cleophæ, & soror Dei Genitricis dicta: inde accidisse putamus, vt cum tam Symeon q am Iudas dicti fuerint Fratres Domini, vnus idemque fuisse ab his creditus sit: Itemque cum Simonem Zelotem vnum quoque fuisse cum Symeone Cleophæ iidem existimarint, hinc etiam factum esse, vt hi tres quasi vnus idemque sint habiti, dictusque sit *Symeo Iudæ Zelotes*. Cæterum sicut aperte monstratum est, diuersos esse inter se Simonem & Iudam, itemque Iudam à Symeone successore Iacobi: ita etiam patet, Simonem Cananæum distinctum fuisse à Symeone Cleophæ passo sub Traiano: Idque tam Græci quam Latini passim profitentur, dum illi in Menologio, isti in Martyrologio, diuersis diebus diuersisque notis eos distinctos ponunt. Quemadmodum & Beda, *u* qui eodem fuerat aliquando lapsus errore vt hos duos vnum putaret esse Simonem, sententiam postea retractauit. Porro sicut de Symeonibus, ita etiam de *Thaddæis* duobus videtur facta confusio: nam quem Edessam ad Abgarum Regem missum tradit Eusebius, *x* illum ex numero Septuaginta duorum Discipulorum fuisse affirmat: quem tamen fuisse Apostolum ex numero Duodecim, inter alios arbitrati sunt Hieronymus, *y* & Beda, *z* qui & quod prius dixerat retractauit. Sicut & duos Thaddæos æque ponit Nicephorus. *a* Sed de his satis.

Vltimum

---

a *Abd. in And.* b *Act. 2. Quin Syn.* c *Ap. Hier. de Script. Eccl.* d *Dor. in Syn.*

XV. DE PHILIPPO.
e *Niceph. lib. 2. ca. 39. Metap. 25. Nouemb.* f *Ap. Isid. de vit. & obit. Sanct. c. 75. & Breuiar. Tol.* g *Plin. lib. 5. cap. vlt.* k *Eus. 2. de prap. 4.*

XVI. DE THOMA.
i *Orig. lib. 3. in Gen.* k *Eus. li. 3. hist. cap. 1.* l *Naz. hom. ad Arian.* m *Chrys. hom de 12. Apost.* n *Theod. de verit. Euang. li. 9. & ap. Clem. Rom. 9. recogn. 8.* o *Niceph. li. 2. c. 40.* p *Ap. Chrys. hom. 2. in Matt. oper. imperf.* q *Ap. Hier. de Scrip. Eccl. Oecum in Act. 2 Oso. li. 3. rer Indic.*

XVII. DE BARTHOLOMÆO.
f *Hom. de 12. Apost.* t *Ap. Hier. de Script. Eccl.* u *Ap. Eus. 1. hist. 10. & Hier. Script. Eccl. in Pant.*

XVIII. DE MATTHÆO.
x *Orig. lib. 3. in Gen.* y *Socr. li. 1. c. 19.*

XIX. DE IACOBO IVSTO.
z *Heg. 2. hi. 22.* a *Ios. 20. ant. 8.*

XX. DE SIMONE.
b *Bed. retract. in Act. & in Martyr.* c *Ap. Isid. de vit. & obit. Sanct.* d *Nic. lib. 2. cap. 40.* e *Dor. in Syn.*

a *Aug. de vnit. Eccl. c. 15.* b *Sal. de prou. lib. 7.* c *Die 29. Iun.* AFRICANA ECCLESIA. d *Aug. ep. 162.* e *Greg. 3. ep. 32.* f *Inn. ep. 1. ad Decen.* g *Sophr. & auctor vit. & obit. Sanct.*

XXI. DE THADDÆO.
h *Nic 2. hist. 4.*

i *Luc. 6. Act. 1.* k *Hier. in Gal. 4. & cont Heluid.* l *Id. in Mat. 10.* CONTRA NOMINA SIMONIS ET IVDÆ *Quadere Bar. an. 68. alia occasione.* m *Ap. Hier. de Script. Eccl. in Simon.* n *Dore. in Syn.*

o *Ap. Eus. 3. hist. 15. & 26.*

p *Luc. 6. Act. 1.* q *Matt. 10.* r *Mar. 3.*

XXII.

s *Hege. ap. Eus. lib. 3.*

t *Ioan. 19.*

u *Bed. Retra. in Act.*

x *Eus. 1. hi. 13.* y *Hier. in Matt. 10.* z *Bed. Retract in Act.* a *Nic. lib. 2. cap. 40.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

XXIII. DE MATTHIA.

Vltimum autem Apostolorum MATTHIAM, qui in locum Iudæ proditoris est subrogatus, in Æthiopiam, post Iudæam, Euangelii causa protectum esse, Sophronius, *a* Nicephorus, *b* & alii hos secuti dixerunt. Atque hactenus de Diuisione Apostolorum ad Gentes: quæ sane res est perdifficilis inuestigatu, ac potius breuitate tractanda, quam fabulis exaggeranda.

a Ath. in Syno
b Dion. de myst. Theol.

XXIV. ACTA DIVERSORVM APOSTOLORVM CONFICTA.

Sed & quod pertinet ad Res ab ipsis gestas, postquam ab inuicem semel separati sunt, res æque obscura est, quod eorum nomine tam Acta quam Scripta quamplurima reperiantur esse conficta. Nam quod ad Facta spectat, inter Apocrypha imprimis adnumerandum est *Itinerarium Petri Apostoli*, quod appellatur Clementis, siue quod *Recognitionum*, aut alio titulo inscribi solet; de quo dicetur plenius in Clemente. Rursus extabant diuersi Actus nomine Andreæ, & Thomæ, & Philippi, & Pauli simul & Theclæ: quos omnes Gelasii *c* censura proscripsit. Addit Athanasius: *d* *Circuitus Ioannis*. Et Philastrius *e* factitatum ab hæreticis ait, vt falsa Acta Apostolorum nomine scripserint. Quorum auctores prodens Innocentius, *f* tradit ea sub nomine Matthiæ, siue Iacobi Minoris, vel Petri & Ioannis, à quodam Leucio scripta esse: sub nomine vero Andreæ à Nexocha ide & Leonide Philosophis. Porro hunc Leucium fuisse secta Manichæum, & Actus Apostolorum scripsisse, Augustinus *g* testatur. Sed & ipsis ferme Apostolorum temporibus, Encratitas *h* vti solitos falsis Andreæ, & Ioannis, & Thomæ Actibus; itemque Ebionæos *i* alia falsa Apostolorum Acta edidisse, Epiphanius est auctor: ac Priscillianistas illud ipsum præstitisse, & *Memoriæ Apostolorum* titulo prænotasse, Orosius, *k* scribit. Feruntur etiam *Abdiæ Babylonii* nomine Vitæ quædam Apostolorum: itemque sub *Prochori* nomine Actus Ioannis Euangelistæ; necnon incerto auctore *Passiones Apostolorum*; quo titulo à Seleuco (seu potius Leucio Manichæo) esse librum conscriptum, traditur in libello de Natiuitate S. Mariæ, qui Hieronymo falso adscribitur: vbi etiam additur, ab eodem auctore conficta esse trium Apostolorum Acta, nimirum Ioannis, Andreæ, & Thomæ. Rursus quæ Lini nomine scripta habetur *Passio Petri Apostoli*, Manichæismo reperitur infecta, vt suo loco inferius demonstrabitur.

c In Con. Rom. de lib. apocr.
d Athan. in Synop.
e Phil. de har. cap. 89.
f Innoc. ep. 3. ad Exup.
g Aug. de fid. cont. Manich. c. 4. & 38.
h Epiph. har. 47
i Id. har. 30.
k Oros. ad Aug. de error. Priscil.

XXV. SCRIPTA SVPPOSITA ILLORVM NOMINE.

Et hæc quidem de Rebus gestis Apostolorum sunt falso supposita. Quod vero ad Scriptiones attinet, quæ sub specioso eorumdem nomine sunt editæ; imprimis Petri nomine ferebantur (vt scribit Eusebius, *l* atque etiam Hieronymus) *m* quinque libri, nempe *Actus*, *Euangelium*, *Prædicationes*, *Apocalypsis*, & *Iudicium*; adeo vt Clemens *n* Alexandrinus & Origenes, * tam ex Prædicatione quam Apocalypsi fragmenta recitasse reperiantur: & in aliquibus Ecclesiis Palæstinæ, in die Parasceues quædam recitari solita ex eadem Petri nomine edita Apocalypsi, auctor sit Sozomenus. *o* Euangelio vero primus omnium Serapion *p* Episcopus Antiochenus, quod ab hæreticis probaretur conscriptus, Fidelibus interdixit. Iudicium autem Ruffinus existimauit idem esse cum libro Pastoris, de quo fusius suo loco dicendum. Cuius vero est inscriptio *Doctrina Petri*, ab Origene *q* reiicitur. Pauli quoque nomine suppositæ sunt *Euangelium & Apocalypsis*, quæ damnat Gelasius: *r* & à Caianis hæreticis confictum fuisse librum quem dicebant *Ascensum Pauli*, eoque insuper vsos Gnosticos, testatur Epiphanius. *s* Meminitque Origenes *t* *Actuum Pauli*, qui tamquam ab eo scripti ferebantur. Cuius item nomine *Reuelationes* editæ, rursus quasi è terra reuulsæ Theodosii Imperatoris *u* temporibus apparuerunt: sed quod fabulas continerent hæreticorum, sunt iterum obliuione sepultæ. Denique & aliæ vltra canonicas, additæ fuerunt Epistolæ, nempe tertia ad Corinthios, tertia ad Thessalonicenses, & alia ad Laodicenses, sed de hac alias. Ioannis quoque nomine editæ *x* sunt à Cerintho hæresiarcha aliæ *Reuelationes*, longe diuersæ ab his quæ ab Ecclesia recipiuntur. Sicut & libellus *de Transitu Virginis*, eiusdem nomine esse vulgatus traditur, *y* atque refellitur. Andreæ quoque, & Bartholomæi, & Thaddæi, & Barnabæ nomine conficta totidem *Euangelia* Gelasius *z* damnat; necnon aliud nomine Thomæ editum, vna cum *Apocalypsi* eiusdem, cuius item *pseudo-Euangelium* respuit Athanasius, *a* & alii. A Dionysio *b* verò citatur sententia Bartholomæi; sed vnde acceperit, ignoramus. Adhuc etiam Philippi Apostoli nomine inscripto Euangelio vsos esse Gnosticos, auctor est Epiphanius. *c* Ac Matthiæ pariter pseudo-Euangelii meminerunt Origenes, *d* Clemens *e* Alexandrinus, & Eusebius, *f* quod æque Gelasius damnat. Eidemque Matthiæ tribuuntur Traditiones illæ, quarum pariter meminere Clemens *g* & Eusebius. *h*

q Orig. in Periarch.
r Gelas. decr. de lib. apoc.
s Epip. har. 28.
t Orig. hom. 27. in Ioan.
u Sozom. lib. 7 cap. 19.
x Cai. in dial. disp.
y Aug. ser. 35. de Sanct.
z Decr. de lib. apocr.

Sed & Matthæi titulo editus erat liber *de Infantia Saluatoris*, qui à Valentinianis *i* putatur fuisse conscriptus: quem vna cum eo, quo iidem Valentiniani & necnon Sabelliani *l* vsi sunt *pseudo-Euangelio* quod dicebatur, *Aegyptiorum*, (nomine, vt puto, Marci confictum) reiicit idem Gelasius: sicut & illud quod hactenus sub falso nomine Iacobi Alphæi circumfertur: itemque *Reuelationes* titulo Stephani nobilitatas. Addiderunt & Gnostici *m* librum *Stirpis Mariæ*, hortarendis confarcinatum mendaciis: & impudentissime Caiani, *n* nomine Iudæ proditoris, quem laudabant, pseudo-Euangelium composuere. Sed & communi omnium nomine Apostolorum scriptum volumen, cuius erat titulus *Decreta Apostolorum*, Athanasius damnat: & Gelasius libros inscriptos *Sortes Apostolorum*, & *Laus Apostolorum*: quos quidem tum ab aliis hæreticis, tum maxime à Manichæis confictos esse cõstat. Meminit & Hieronymus *o* *Ascensionis Isaiæ*, & *Apocalypsis Eliæ*, à portentosis hæreticis per Hispanias promulgatarum. Denique ipsius etiam CHRISTI Redemptoris nomine librum *de Magia*, per quam ipse miracula sua fecisse diceretur, ad Petrum & Paulum Apostolos scriptum fuisse, quidam (siue hæretici, siue Gentiles fuerint) horrenda plane, ac nefarie mentiti sunt; quos Augustinus *p* turpissimi ac patentissimi mendacii pluribus arguit. Potissimum autem iis qui ex circumcisione prouenerunt hæretici peculiare fuit *q* nouos velut à Sanctis scriptos effingere commentarios, eisdemque tamquam recens in lucem editis ad suos errores confirmandos vti. At vero in omnibus eiusmodi scriptis admirabile plane fuit Dei consilium, qui tum falsa dogmata, tum etiam commentitia scripta sic in lucem prodi permisit, vt iisdem cognitis ab Ecclesia atq; reiectis, quæ vera atque legitima essent patentius innotescerent; probataque veritas solidiori firmitate subsisteret.

i Iren. li. 1. c. 27
k Clem. Alex. Strom. li 3.
l Epip. har. 62.
m Epi. har. 26
n Epip. har. 38 Theod. lib. 1. har. fab.
o Hier. in Isa. 64.
CHRISTI NOMINE SCRIPTA CONFICTA.
p Aug. de cons. Euang. lib 1. ca. 8. & 9
q Vid. Orig. tract. 23. in Matth.

XXVI.

Sed vt his omissis ad Petri Romam aduentum reuertamur; Hieronymus *r* ea de causa ipsum eo venisse testatur, vt Simonem Magum populo suis magiis illudentē expugnaret. De accessu vero Simonis in Vrbem, deque diuino, quē sibi magicis artibus comparauit, honore, & statua ei ex Senatusconsulto à Claudio Imperatore erecta in insula Tiberina cum hac inscriptione, SIMONI DEO SANCTO, asserina est Iustinus *s* Martyr, meminerunt q; Irenæus, *t* Tertullianus, *u* & post eos Eusebius, *x* qui & ipse, æque ac Hieronymus, asserit Petrum Apostolum ad eiusmodi Simonis Magi pestiferam corruptelam delendam, à Deo quasi manu Romam deductum esse. Ex quibus tot tantorumq; virorum assertionibus apparet, quam vana fuerit quorumdā dubitatio, cum sub Pontificatu Gregorii XIII. erutus in eadem Insula Tiberina è rudentibus lapis esset hac inscriptione notatus, *Semoni Sango Deo Fidio sacrum &c.* num similitudine nominis Iustinus sit lapsus, vt Simoni Mago dedicatum esse simulacrum existimarit, quod Semoni Sango consecratum fuisset, quasi ignorauerint doctissimi illi antiqui Christiani cultum Semonis Sangi, siue Sanci, (cuius inter alios meminerunt Dionysius, Liuius, & Varro, vulgatissimi scriptores) vt non potuerint illum à Simone Mago distinguere. Cæterum in fauorem quoque Petri aduentus in Vrbem, multa hoc ipso anno Reipublicæ Rom. diuinitus esse bona concessa, testatur Orosius: *z* & inter illa, cum Camillus *a* Scribonianus Præfectus Dalmatiæ rebellasset, ipsa signa militaria, Aquilas dicta, sic solo affixa mansisse, vt nulla vi militum dimoueri loco potuerint, eoque prodigio immutatum militum animum in auctorem seditionis arma conuertisse. Potuisset his Orosius & alia adiicere, quæ iisdē hisce temporibus fausta accidisse Dio refert, de Mauris sub Romanam ditionem mirabili modo redactis, deque Cattis & Marcis superatis. Quod vero Eusebius statim post Petri aduentum in Vrbem, Simonis profligationem apponit;

r Hier. de Script. Eccl. in Petro.
DE ADVENTV SIMONIS MAGI IN VRBEM.
s Iust. Apol. ad Ant. Pium
t Iren. lib. 1. cap. 20.
u Tert. Apol. cap. 13.
x Eus. 2. hist. 12. 13. 14.
z Oros. lib. 7. cap. 6.
a Dio lib. 60.

non hæc

non hæc eo sensu accipienda sunt (sicut ex recentioribus aliquis deceptus esse videtur) vt tunc sub Claudio ex aereo volatu extinctus fuerit, sed quod qui semel de Simonis artibus narrationem instituisset, eius etiam interitum vno contextu subiungere voluerit, Namque ea sub Nerone, nō sub Claudio contigisse, testantur Philastrius, *a* Seuerus, *b* Hegesippus, *c* Maximus, *d* Prosper, *e* Gregor. *f* Turonensis, Anastasius, *g* Nicephorus, *h* & alii recentiores omnes, vno excepto Metaphraste, *i* quem sicut in aliis ibi positis errare certum est, ita & in his hallucinatum esse constat. Res vero gesta suo loco narrabitur.

Cum autem Petrus Romam peruenisset, antequam Gentilibus Euangelium prædicaret, ad contribules suos diuertisse Iudæos existimamus: quos quidem incoluisse regionem Transtiberinam iam ab Augusti temporibus, auctor est Philo, *k* & adstipulantur Ethnici scriptores, è quibus Martialis *l* Iudæum hominem, *Transtiberinum ambulatorem* appellat. Vbi vero Gentilibus Romanis prædicare cœpit, à PVDENTE Senatore patre Nouati & Timothei, atque Praxedis & Pudentianæ virginum,) qui cum vxore Priscilla clarissima femina, & omni familia sua Christo credidit; cuius & meminit Paulus *m* Epistola secunda ad Timotheum:) in domum suam exceptus est, quæ erat ad radices montis Viminalis posita prope Exquilinum: quæ & postea patuit omnibus Christianis ad agendas Synaxes: conuersaque demum penitus in ecclesiam, PASTORIS TITVLVS dicta est. Quomodo vero Petrus Romanam erexerit Ecclesiam, dicetur anno sequenti.

Interea hoc ipso anno vniuersus terrarum Orbis ingenti fame vexatus est, illa nimirum, quam prænuntiasse apud Antiochenos Christianos Agabum prophetam, scribit Lucas. *n* Scimus Eusebium, *o* & qui eum secutus est, Orosium *p* ac complures alios eam referre in annum quartum Claudii Imp. sed re accurate perspecta, secundo potius eam ponimus, quod Dio, *q* qui ex Fastis Vrbis Romanam Historiam exacte contexuit, nullam aliam sub Claudii Imperio famem recenseat, nisi hoc secundo ipsius anno, quo egregiam ab Imperatore dicit nauatam operam ne Vrbs fame periret. Qua etiam Iosephus *r* ait, ciuitatem Hierosolymam subleuatam esse munificentia Helenæ Reginæ Adiabenorum, eiusque filii Izatis: quos non ita pridem ad Iudæorum religionem transisse tradit: licet Orosius, *s* & alii eum secuti, eos ad Christianam fidem conuersos esse velint. Certe cum altercationes considero, quas Iosephus ait inter illos qui Legem eos docerent intercessisse de circumcisione, necessaria esset necne, illæ ipsæ mihi visæ sunt, quæ inter Apostolos diu agitatæ fuerunt vsque ad Concilium Hierosolymitanum: nec quemquam Iudæorum vnquam repeti, qui absque circumcisione posse saluari quempiam affirmaret. Et tamen nec Orosio adsim omnino consentire cum vnde id acceperit, non inuenerim: eadem enim recitās Eusebius, *t* nihil præter quod à Iosepho est scriptum, apponit.

Ea igitur vrgente fame, qui erant Antiochiæ Christiani (vt ait Lucas *u*) collectas pecunias ad Christianos in Iudæa existentes per Barnabam & Saulum miserunt. Tenebantur enim illi maiori inopia adstricti, quod ea quam post necem Stephani passi sunt persecutione, si quæ illis residua erant bona amisissent, vt indicat Paulus ad Hebræos *x* scribens: quorum etiam causa idem postea in Macedonia ab Ecclesiis Collectam exegit. Perdurauitque ea pia consuetudo in Ecclesia Catholica, vt Christiani ex plurib⁹ locis ad eos qui Hierosolymis essent egentes mitterent eleemosynam: quam ad Theodosii Imp. tempora durantem, nequissimus Vigilantius conatus est euertere; ardenti zelo eadem re ab Hieronymo redargutus. Cæterum quod post ista narrata, Lucas de Iacobi martyrio & Petri carcere subdit historiam; non sic accipiendum quis putet, vt ante aduenerit fames illa: sed quod meminisset de Agabi prophetia, de ea ab illo prædicta, quæ postea subsecuta est, fame adiunxit narrationem.

Quæ vero hic primo pro indigentibus Fratribus reperitur in Ecclesia, ex multorum oblatione ad vsum pauperum facta COLLECTA; eadem postea sæpius à Paulo Apostolo frequentata habetur, ac modus eius traditus: *y* & ex eiusmodi sacris Apostolicis institutionibus propagatum est in Ecclesiam Catholicam, vt in quotidianum pauperum vsum singulis diebus Dominicis Collectæ fierent, sicut multis constat Patrum *a* testimoniis, tam Græcorum quam Latinorum. Inter quos Iustinus Martyr: *Quod ita colligitur, apud præpositum deponitur, atque ille inde opitulatur pupillis & viduis, & his qui propter morbum, vel aliquam aliam causam egent, quique in vinculis sunt, & peregre venientibus hospitibus: & vt simpliciter dicam, indigentium omnium is curator est.* Hæc ille de Collectarum vsu. Sicuti & Tertullianus: *Haud pretio vlla res Dei constat, etiam si quod arcæ genus est, non de oneraria summa quasi redemptæ religionis congregatur: modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cum velit si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt: nam inde non epulis, nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis, humandisque, & pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, & si qui in metallis, & si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei secta, alumni confessionis suæ fiunt.* Meminit & Chrysostomus de *Gazophylaciis*, ex antiquo vsu in Ecclesiis constitutis, in quibus oblatæ pecuniæ conderentur: quæ eadem Cyprianus *Corbonas* nuncupat, Paulinus *Mensas*. Si quæ vero noua necessitas emergeret, quæ consuetarum eleemosynarum collationem excederet, tunc Episcopus (vt exemplo docet Cyprianus *b*) nouas inter Fideles Collectas indicebat. Cum vero post hæc Christiana tepesceret charitas, easdem veluti iure regio exigi solitas, est exemplum apud Gregorium *c* Papam. Ad quod spectat & illud Concilii *d* Turonensis decretum. *Vt vnaquæque ciuitas pauperes & egenos incolas alimentis congruentibus pascat secundum vires: vt tam vicini presbyteri quam ciues omnes suum pauperem pascant: quo fiet vt ipsi pauperes per ciuitates alienas non fatigentur.*

Quos autem auctore Luca vidimus Barnabam & Paulum Antiochia missos in Iudæam vt Collectam deferrent, eosdem illo peracto officio iterum Antiochiam reuersos esse, & iubente Spiritu sancto, post Ieiunium & Orationem, per Manus impositionem potestatem accepisse prædicandi vbique Euangelii, testatur idem Lucas. *e* Eo namque sacro ritu initiatos esse Apostolatu, nemo est qui dubitet. Vnde Chrysostomus *f* de Paulo: *Ordinatur in Apostolum, vt cum potestate prædicet.* Quoniam vero super Duodenarium numerum fuerunt allecti, ea de causa Paulus alibi *g* se *Abortiuum* nominat, hoc est extra numerum: tradit enim Suetonius, *h* Senatores illos appellari solitos *abortiuos*, qui supra numerum per gratiam in Senatum allegebantur. Porro iisdem Apostolicis institutis firma à cunctis obseruanda regula est proposita, (quæ & hactenus in Ecclesia Catholica inuiolabili obseruatione tenetur, & ea potissimum Catholici ab hæreticis discriminantur) vt cuiusuis meriti atque præstantiæ vir fuerit, non sua sponte prædicationis munus suscipiat, sed ab Ecclesia sacris mysteriis ad illud ordinetur: quippe cum videamus illum ipsum Paulum (vt modo de Barnaba taceamus) qui à Deo Patre, *i* & Christo eius Filio, ac denique Spiritu *k* Sancto, sicque operante vniuersa sacrosancta Trinitate, ad obeundum munus Apostolatus esset electus, haud tamen prius esse profectum, quam sacris ab Ecclesia initiatus esset ritibus, & MISSIONEM ab eadem accepisset. Sed & quod eiusmodi ordinationem factam dicat Lucas monente Spiritu sancto, multis constat exemplis, hæc officia non nisi præcedentibus diuinis reuelationibus ab Apostolis peragi solita, vnde Paulus *l* ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Cuius quidem gratiæ nec Ecclesiam postea expertem fuisse, quoties humana affectio cessauit & gratia, testatur Chrysostomus, *m* & sæpe videbitur inferius.

Cæterum eiusmodi sacra functio, qua quis in aliquem Ecclesiasticum ordinem cooptatur, ORDINATIO à maioribus dici consueuit, ORDINESQVE gradus illi, quos sic initiati pro distinctione munerum Ecclesiasticorum assequi consueuerunt: voce ipsa non solum ab antiquis Ecclesiasticis scriptoribus, sed etiam in vtroque Testamento frequentius vsurpata, & ad discriminationē CLERICORVM à LAICIS, hoc est à communi populo, adhibita. (Λαὸς enim

Po-pu-

a *Phil. de har. c.3.*
b *Hist. lib.2.*
c *Lib.2. de excid. Hier. c.2.*
d *Serm. in nat Apost.*
e *De promis. c.13.*
f *1. hist. 25.*
g *De Rom. Pont. in Petro h 2. hist.36.*
i *Die 29. Iun.*

XXVIII.
k *De leg. ad Caium.*
l *Epigr. lib.1. in Cæcil.*
PETRVS ROMÆ APVD PVDENTEM SENATOREM.
m *2. Tim.4.*

XXIX.
DE FAME TOTIVS ORBIS.
n *Act. 11.*
o *Eus. in Chr.*
p *Oro. li.7. c.6*
q *Dio lib. 60.*
[Intrudunt tamen alii duplicem sub Claudio notabilem famem, alteram his Coss. a te iam triennio post quo tempore Adiabenorum Regina Iudææ subuenerit.]
r *Ios. 20. ant.2.*
HELENA REGINA ADIABENOR.
s *Oros. li.7. c.6 Ado. in Chron. & alii.*
t *Eus.2. hi.11.*

XXX.
u *Act. 11.*
COLLECTA PRO CHRISTIANIS IVDÆÆ.
x *Heb. 10.*

XXXI.
VSVS COLLECTARVM.
y *1. Cor.16.*

a *Iust. orat. ad Ant. Tert. Ap c.39. Cyp. de oper. & eleem. ep.60. Chrys. ser. de eleem. & colla. Hier. cont. Vig. Paul ep.32. Aug. ser 251. de temp. Leo ser. 2.3.5. de Collect. & alii.*

b *Cyp. ep.60. ad Epis. Num.*
c *Greg.7. ep. vlt. ad Const. Mediol.*
d *Conc. Tur. II. cap.5.*

XXXII.
DE APOSTOLATV PAVLI ET BARNABÆ.
e *Act.13. in fi. & 15.*
f *Chrys. hom. 27. in Act.*
g *1. Cor. 15.*
h *Suet. in Oct. ca.35.*
[Vtrum vero Paulus eo respectu habuerit, potest reuocari in dubium, quod hæc ipse Græcis, hoc est Corinthiis, non Latine Romanis scripserit.]
i *Gal.1.*
k *Act.13.*

l *1. Tim.4.*
m *Chrys. hom 5. in 1. Tim.*

XXXIII.
DE ORDINIBVS, ET OFFICIIS ECCLESIASTICIS.

populum, κλῆρος sortem significat.) Sicut enim olim non tantum apud Iudæos, sed & apud Gentiles inter sacra atque profana, & inter sacros & non sacros viros, distinctio est semper adhibita, ita & in Ecclesia Christi idem naturali & diuino iure probatus vsus permansit, Christi Domini imprimis auctoritate stabilitus, dum è fideli populo Apostolos duodecim & Discipulos septuaginta duos electos sacris functionibus mancipauit, & ab Apostolis in vsum receptus, dum ordinarunt *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos.* Ac licet in Noui Testamenti scriptura non nisi de his mentio habeatur; tamen aliorum quoque Ordinum ab Apostolis institutos esse ministros, nullus certe negare poterit, qui Ignatii (vt taceam modo de Dionysio Areopagita, & Clemente Romano) ab omnibus receptas Epistolas legerit; quarum vna *a* mentio habetur *Presbyterorum, Diaconorum, Hypodiaconorum, Lectorum, Cantorum, Ianitorum, Laborantium, & Exorcistarum.* Cum enim eodem tempore quo Apostoli (vt sæpe dictum est) ipsum vixisse constet: quas recenset institutiones Ecclesiasticas, haud ab aliis quam ab ipsis Apostolis traditas esse nemo iure inficiabitur.

a *Ign. ep. Antiocb.*

XXXIV.

Verum inter illa, non Ordines tantum, sed & officia quædam numerauit, nempe CANTORVM & LABORANTIVM: quamuis sicut non omnes recensuit Ordines, ita nec Officia Ecclesiastica. Namidem *b* alibi agit de eligendo CVRSORE, qui literas Episcoporum perferret ad Ecclesias. At eiusmodi munus non fuisse postmodum per se distinctum, sed iniunctum Lectoribus, Acolythis, ac Subdiaconis, Cyprianus *c* demonstrat. Cum & alioqui esset Cursoris munus nominatim Fideles ad Synaxim vocare, dum vrgente persecutione haud liberum erat tempore & loco solito conuenire, vt dicetur alias. De Laborantibus vero Epiphanius *d* docet, fuisse eorum officium corpora Fidelium defunctorum obuoluere & cooperire: quos & alio nomine FOSSARIOS dictos esse reperimus. *e* Addit Gelasius *f* alia etiam Officia Ecclesiastica, nempe NOTARIORVM, ac DEFENSORVM, de quibus sæpe inferius meminisse continger. Porro Ordines Ecclesiastici ab Officiis discreti, septem numero stabiliti fuere, iidemque singulis inter se distincti gradibus & muneribus, minoresque subiecti maioribus, videlicet OSTIARIORVM, LECTORVM, EXORCISTARVM, ACOLYTHORVM, LECTORVM, DIACONORVM, PRESBYTERVM, SVBDIACONORVM: quorum singulorum quænam fuerint munera satis constare putamus, cum in Ecclesia eadem perseuerêt, plurimique de iis scripserint. De eorum autem hierarchica subordinatione ita Ignatius: *g Laici Diaconis subiiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri:* à Diaconatu auspicatus hierarchicum ordinem, quoniam cæterorum inferiorum, etsi certum officium, nullum tamen in subiectos erat ius atque potestas. Cum alioqui reliquorum etiam omnium (vt vidimus) excepto Acolythorũ, idem meminerit. Hunc autem non tantum Gelasius, quem nuper citauimus, recenset, sed longe ante ipsum Cornelius *h* Papa, & Cyprianus. *i* Omnes vero septem recensentur in Romano Concilio *k* sub Siluestro, & in Carthaginiensi *l* Quarto. Sed dum in isto, vel alibi, *Cantor* seu *Psalmista* adiicitur, Officium potius quam Ordinem agnoscito; dum eum non ordinari ab Episcopo (vt necesse est in Ordinibus) sed sola iussione Presbyteri illud posse munus obire, eadem Synodus declarauit.

c *Cyp. ep. 24. & 55.*
d *Epiph. in comp.*
e *Ep. ad Rust. Narb. ap. Hieron. 9.*
f *Ep. ad Epis. Lucan. cap. 3. & dist. 77. si quis de relig. & seq.*
g *Ign. ep. ad Smyr.*
h *Ap. Euse. 6. hist. 33.*
i *Cypr. ep. 55.*
k *Can. 7. Con. Rom.*
l *Can. 2. Conc. Carth. IV.*

XXXV. ORDINIS SACRAMENTVM.

Sacri vero Ordinis institutio, non à recentioribus tantum, sed ab antiquioribus *Sacramentum* est appellatum; veluti à Tertulliano, *m* Cypriano, *n* Augustino, *o* & aliis. Quibus autem ritibus hæc fierent, aliqua saltem ex parte adumbrauit Lucas, *p* dum in ordinatione Pauli & Barnabæ *Ieiunium & Sacrificium* præcessisse demonstrat. Nam quod habet Latina versio, *Ministrantibus illis*, Græce est λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ; hoc est, *Sacrificantibus autem illis Domino.* Equidem non sine Sacrificii incruenti ministerio eiusmodi sacras Ordinationes solitas celebrari antiqui omnium Ecclesiarum Rituales libri significant. Subsecutam autem ad consummationem mysterii, *Manus impositionem*, idem Lucas scribit: & id ipsum in aliorum ordinatione sæpius factitatum, multis Paulus *q* demonstrat exemplis. Tradi vero solere per Manus impositionem Spiritum sanctum, nec ignorauit Simõ Magus, cum eandem (vt vidimus) auctoritatem ab Apostolis Petro & Ioanne redimere pretio ambiuit. Cæterum sicut ipsos sacrorum ministrorum Ordines ex Veteri Testamento mutuatos esse Apostolos, Hieronymus *a* docet, ita & *Manus imponendi* sacram functionem inde deduxisse constat: nam imponendas esse manus ab Aaron & filiis eius super eos qui sacerdotio initiarentur, diuina *b* lege impressum habetur. Sed quantum figuræ veritas præstat, tanto vberiori gratiarum affluentia in noui Sacerdotii ordine hæc sunt ab Apostolis ministrata, & ab Ecclesia Catholica ex Apostolica institutione retenta. Quæ vero erat apud Hebræos alia Manus impositio, (de qua in Thalmudicis agit Rabbi Nathan) cum quis ad docendos alios promouendus magister, à collecto Seniorum Concilio post examen manus impositionem accipiebat, erat istud nudum ministerium, prorsus diuersum à Manus impositione ministrorum Ecclesiæ.

a *Hier. ep. 85. ad Euagr.* ANTIQVVS VSVS IMPONENDI MANVS.
b *Exod. 29.*

XXXVI.

Porro quod ritum Impositionis manus Pontificum etiam apud Gentiles in vsu fuisse *c* constat, haud arguit eum à Gentilium superstitione in Ecclesiam esse trãslatum: nam econtra eumdem illum, sicut & alios plurimos lege diuina primitus statutos, à diabolo Dei operum æmulo in superstitionis cultum esse translatos, iure queritur Tertullianus: *d* cum alioqui nullum sit dubium, Ecclesiæ licuisse, quæ apud Gentes superstitioso cultu impie agerentur, eadem expiata sacro ritu ad pietatem transferre; vt maioti diaboli contumelia, quibus ipse coli voluerit, CHRISTVS ab omnibus honoraretur. Sic enim & Gentilium Ferias superstitionibus cumulatas, in Festa ac celebritates Martyrum laudabiliter esse conuersas, & Idolorum templa in Ecclesias Sanctorum commutata, Theodoretus *e* docet: Illudque ipsum suos docuisse Neocæsarienses Magnum Gregorium Taumaturgum, testatur in eius Vita Gregorius Nyssenus. Quemadmodum & Paulus *f* Apostolus superstitionis aram Ignoto Deo dicatam Athenis, in veri Dei cultum (quantum licuit eo tempore) mira prudentia transtulisse legitur: & olim *g* ex Ægyptiorum auro & argento, Dei iussu sacra vasa ad diuinum cultum fuere conflata. Sed de his modo satis.

c *Liu. lib. 1.*
d *Tert. de præs. cap. 40.* GENTILICII RITVS IN ECCLESIAM TRANSLATI.
e *Theod. vert. Euang. lib. 8. in fin.*
f *Act. 17.*
g *Exod. 25.*

[Habet tamen Baronius hoc an. plurima alia exempla in vnum collecta, de iis rebus, ritibusque, qui apud Hebræos æque ac Gentiles, ac demum Christianos, aliquando obseruati essent: repertiuntur: quem consulat qui ea curiosius cupit, interim dum nos eosdem suis quibusque locis referimus.]

XXXVII. PAVLVS RAPTVS AD TERTIVM CÆLVM.

Hoc quoque anno, quo Paulus monente Spiritu sancto prædicandi Euangelii munus suscepit, idem raptus ad tertium cælum, arcana illa, Deo reuelante, cognouit, quæ non fas homini loqui. Cum enim hæc ipsemet ad Corinthios *h* secundo scribens, contigisse dicat annis quatuordecim antequam illam Epistolam scriberet, eamque scriptam constet anno Domini quinquagesimo octauo, Neronis secundo: ex his satis exploratũ habetur, hoc ipso anno Christi quadragesimo quarto, Claudii secundo, eumdem Paulum tam mirificis esse à Deo auctum muneribus, quib. eum corroborari voluit antequam tanti ponderis munus obiret. Quamuis enim ineffabilia esse dixerit, quæ audiuit ac vidit, tamen quantum ex iis quæ scripsit ad Galatas *i* consequi possumus, Gentium conuersionem inter alia ei ostensam esse putamus, qui ad Gentes ab Apostolis esset mittendus Apostolus. Vnde cum iterum vna cum Barnaba & Tito Hierosolymam venit, se illuc secundum acceptam reuelationem accessisse testatur.

h *Cor. 12.*
i *Gal. 2.*

IESV CHRISTI ANN. 45.

PETRI AN. 1.

CLAVDII IMP. AN. 3.

I. ROM. ECCLESIA A PETRO INSTITVTA.

ANno Christi quadragesimo quinto, Claudio Augusto tertium & Lucio Vitellio Coss. durante tamen adhuc secundo eiusdem Claudii Imperii anno, decimoquinto Calendas Februarii, à PETRO Apostolorum Principe, qui Romam anno superiori venerat, ROMANA ECCLESIA

omnium

omnium totius Orbis Princeps instituitur, ac Sede Pontificia decoratur. Eam quippe diem in tantæ rei perennem memoriam anniuersaria solemnitate consueuisse ab vniuersa Ecclesia antiquitus a celebrari, cum vetera Martyrologia, & SS. Patrum tunc solitæ haberi conciones attestantur, tum probant antiqui libri Rituales Ecclesiæ Rom. vbi hæc oratio eadem die perhibetur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui meffabili Sacramento, Apostolo tuo Petro principatum Romæ vrbis tribuisti, vnde se Euangelica veritas per tota mundi regna diffunderet; præsta quæsumus, vt quod in orbem terrarum eius prædicatione manauit, vniuersitas Christiana deuotione sequatur.* Incratque priuata sacra Præfatio, ad eius diei solemnitatem accommodata, in sacris Missis solita recitari. Asseruaturque hactenus in Basilica Vaticana ipsa prima Pontificia sedes Petri, CATHEDRA (inquam) lignea, dignum planè tantæ rei monumentum, quamplurimis semper illustrata miraculis. Porro vniuersali tam Orientalis quam Occidentalis Ecclesiæ consuetudine antiquitus præscriptum extitisse, vt eius diei qua quis alicui sedi præfectus fuisset Episcopus, anniuersaria solemnitas illic ageretur, plurima suppetunt *b* exempla: vt de ipsa Ecclesia Romana, apud Paulinum *c* Episcopum Nolanum; (extantque ea de re Sermones S. Leonis Papæ ea die habiti, & Epistola Hilari Papæ ad Episcopos Tarraconenses prouinciæ:) de Felice Episcopo Comensi apud Ambrosium *d*; & apud Augustinum *e*, de Aurelij Carthaginiensis, deque sua ipsius Augustini natali (vt vocabant) eiusmodi die; itemque in Menologio Græcorum de Basilij, Chrysostomi, & aliorum ordinatione.

Cæterum qua die Vniuersalis Ecclesiæ Sedes Romæ stabilita est, eadem ab vniuersis quoque Ecclesiis particularibus merito in perpetuum celebratur. Quantumlibet enim à cæteris Apostolis, quin & ab ipso Petro complures aliæ fuerint in Orbe Christiano institutæ Ecclesiæ; tamen omnes vnam tantum numero efficere, sæpe antiquiores Patres *f* docuere: eandemque CATHOLICAM dici debere, ipsi etiam Apostoli Symbolo suo tradiderunt. Ac rursum licet omnes ac singulæ ab Apostolis institutæ Ecclesiæ Apostolicæ dictæ sint, vt Epheliorum, Corinthiorum, Thessalonicensium, & aliæ ferè innumeræ; imo & ceteræ ab his propagatæ, eodem sensu etiam Apostolicæ dici possint ac debeant, vt egregiè Tertullianus *g* docet: tamen & ipsiusmet, & aliorum Patrum sententia, quod Ecclesia VNA est, vnam etiam APOSTOLICAM esse confiteri necesse est: sicut & Magna Synodus Nicæna, & aliæ subsequentes in suis symbolis confessæ sunt VNAM SANCTAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM. Quæ cum sit toto Orbe diffusa, optimè diuino consilio prouisum est vt alicubi eius Caput certo loco consistat, ne cum de fide, aliisve rebus ad statum Religionis Christianæ spectantib. oboritur controuersia, in multas scindi quæ vnitatis compagine iuncta Vna erat, necesse sit. Illud autem non alibi quærendum esse, quàm vbi omnium Apostolorum Princeps & Caput Petrus Sedem fixit, Cathedramque sibi constituit, in ipsa inquam ROMANA ECCLESIA, cum ratio ipsa persuadet, tum frequentissimè antiqui Patres docuerunt. Quapropter & accidit in appellatione *Apostolica*, quod in aliis sæpe, vt quæ erat initio communis pluribus, fieret propria vnius, propter præcellentem eius dignitatem: videlicet vt *Apostolica sedes* antonomasticè de Romana vsurpari cœperit, & *Apostolicus* dici ipse Romanus Pontifex, vt ab ipso Augustino, aliisq; eius sæculi ac posteriorum scriptoribus.

Rursum vero cum debere dici *Catholicum*, qui eidem Romanæ Ecclesiæ communione coniungitur, illum autem haberi *Hæreticum*, qui ab eiusdem Cathedræ est communione diuisus; ijdem sæpe testati sunt Patres. Inter quos Irenæus *h*: *Quoniam*, inquit, *valde longum est omnium Ecclesiarum numerare successiones, maximæ & antiquissimæ, omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam habet ab Apostolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem, per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos, indicantes; confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam, præter quam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam, propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt vndique Fideles in qua semper ab his qui sunt vndique conseruata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Et in eundem sensum Cyprianus *a*: *Quæ Ecclesia remittitur & resistit, qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit, in Ecclesia se esse confidit?* Et rursum *b*: *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, à schismaticis & profanis literas ferre; nec cogitare eos esse Romanos quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum:* & alia eiusmodi sæpe vberius. Pariterque Optatus *c*, *schismaticum & peccatorem esse* ait, *qui contra Petri Romanam singularem Cathedram, alteram collocaret.* Eademque Ambrosius *d*, Augustinus *e*, Hieronymus *f*, & alij. Hæcque adeo certa & explorata sunt habita, vt quemadmodum omnes qui Romano subessent Imperio, *Romanorum* appellatione *g* nobilitati essent: sic & omnes quotquot fide & communione Catholica pollerent, ROMANI itidem dicerentur, eo quod & ipsa Fides Catholica, *Romana* pariter appellaretur. Id enim antiquo vsu receptum fuisse tam apud Catholicos *h*, quam ipsos etiam hæreticos *i*, plurima demonstrant veterum testimonia & exempla: prævalente hoc loquendi vsu, non solum quod cum Romana Ecclesia Petri esset peculiaris, idemque Caput existeret totius Ecclesiæ Vniuersalis, ita ipsa merito diceretur *Mater & Radix* (vt eam vocat Cyprianus *k*) omniū Ecclesiarum totius Orbis: sed etiam quia ex eo quod fundata esset supra Petram, eundem & Petrum, portæ inferi, nempe hæreses, non possent prævalere aduersus eam; sed ea semper conseruatura esset fidem integram & inuiolatam: sicut egregiè inter alios exposuerunt ijdem Irenæus *l*, Cyprianus *m*, Gregorius *n* Nazianzenus, Hieronymus *o*. Sed de his inferius variis locis. Quantum autem temporis Romanæ Ecclesiæ, quam hoc anno fundauit, Petrus præfuerit, dicetur in eius martyrio.

In hunc igitur modum Romana Cathedra stabilita, cessit Petrus Ecclesiæ Antiochenæ, & alium sibi in ea Episcopum subrogauit. Quod quidem factum esse hoc ipso tertio Claudij anno, Domini quadragesimo quinto, Eusebius testatur in Chronico: cum anno superioti (sicut à nobis positum est) Petri Romam aduentum collocasset. Qui vero dixerunt *p*, Petrum cum discessurus esset Antiochia, eidem ciuitati successorem Episcopum ordinasse; eo sensu audiendi sunt, quasi dicere velint Petrum successorem sibi delegisse cum sedem Antiochenam reliquit. Non enim putandus est se abdicasse, nulla existente causa, nisi postquam sibi Romæ erexit Cathedram. Denique ipsum, sedem Antiochenam tenuisse septem annis, satis probatum est superius cum de illius institutione egimus. Sed quem potissimum eidem sedi præfecerit: *Euodium* ne an *Ignatium*, res non est absque controuersia; quandoquidem Ioannes *q* Chrysostomus ciuis Antiochenus & eius Ecclesiæ olim presbyter, apertè profitetur primum omnium à Petro eidem sedi fuisse præfectum S. Ignatium; asseritque id ipsum Theodoretus *r*, nec non Felix Papa in Epistola ad Zenonem *s* Imperatorem. Verum non Origenes *t* tantum, & Eusebius *u*, atque Hieronymus *x*, perspicuè testantur, post Petrum, & à Petro institutum primo loco sedisse Euodium, atque Euodio fuisse subrogatum Ignatium; sed & idem ipse Ignatius scribens ad Antiochenos, expressis verbis ait Euodium primum post Apostolos eius Ecclesiæ gubernacula sortitum esse. Vnde vero eiusmodi obortа sit occasio controuersiæ nescimus; nisi quod legimus apud Clementis *y* Constitutiones, Antiochenæ Ecclesiæ à Petro Euodium, à Paulo vero Ignatium esse creatos Episcopos; nec sane vnum post alium, vt de cæteris ibi dicitur, sed simul. Quod quidem tunc factum videri posset, cum dissensio illa inter Fideles qui ex circumcisione, & eos qui ex Gentibus ad fidem venerant, esset concitata: quocirca quamdiu illa perdurauit, illud remedium fuisse adhibitum vt pars vtraq; proprium haberet Episcopum; cum vero dissensio est sublata, vnum tantum sedisse Episcopum qui à Petro fuisset ordinatus. Sed quod agimus coniectura, nihil affirmamus. Cæterum cum præfecturam Ecclesiæ Antiochenæ hocipso anno esse collatam Euodio

a Bed. Vsuar. Ado, & antiq. Rom. Martyrol. Aug. ser. 15. & 16. de Sanct. &c.

CATHEDRA PETRI.

b Vid. Baron. in Not. ad Martyrol. 18. Ianuar.
c Paul. ep. 16. ad Seuer.
d Ambr. 8. ep. 60.
e Aug. ser. 32. de verb. Dom. & hom. 24. & 25.

II.

f Ignat. ep. ad Philadel. Iren. lib. 1. c. 3. Tertu. de præscrip. c. 20. & alij.

g Tertul. de præscr. c. 20. VNA ECCLESIA APOSTOLICA ROMANA.

III. CATHOLICI AB HÆRETICO DISCRETIO.
h Iren. l. 3. c. 3.

IV.

a Cypr. ep. 52. ad Antonian.
b Id. ep. 55. ad Cornel.
c Optat. lib. 2. contra Parmen. Donat.
Dam. Apo. Ruff.
g L. in D. de stat. hom. secund. lect. Alciat.
h Ambr. de ob. Sat. Hier. Apol. cont. Ruf. Theod. Iunior. Imp. ep. ad Acac. ap. Syn. Ephes. sum. 5. cap. 10. edit. Pelt. &c.
i Vid. Vict. Vtic. de persec. Vandal. l. 2. Greg. Tur. de glor. mart. c. 24. 30. 79. &c. ROMANVM NOMEN. Deque Baron. hoc an. & 58.
k Cypr. ep. 45.
l Iren. lib. 3. cap. 3.
m Cyp. ep. 55. & 57. ad Cornel.
n Naz. carm. de vita sua. o Hier. in 3. Apol. cont. Ruff.

IV.

p Chrys. hom. de S. Ignat. EVODIVS ANTIOCHIAE, IGNATIVS, SVBROGATVS PETRO IN SEDE ANTIOCHENA.

q Chrys. hom. de translat. S. Ignat.
r Theod. in Immut. dial. 1.
s Ext. in Ignat. Syn. Act. 1.
t Orig. hom. 6. in Luc.
u Euseb. in Chron. & hist. 16.
x Hieron. de Script. Eccl. in Ignat.
y Clem. 7. Const. 46.

Suid. verb. Nazar.

Eusebius scribit; inde erroris arguitur Suidas *a*, & siqui alij dixerunt, tunc Discipulis esse inditum nomen *Christianum*, cum Petrus Euodium creauit Episcopum: nam longè ante hæc tempora Christianum nomen esse inuentum, superius est demonstratum.

V. PRIMA PETRI EPISTOLA.

Sicut autem stabilita Sede Romana, Petrus Antiochenæ prouidit; ita & memor Ecclesiarum, quas in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia Minori, & Bithynia erexerat, suam PRIMAM ad eas scripsit EPISTOLAM: quam quidem hoc ipso anno, antequã Marcus ab eo mitteretur Alexandriam, esse coscriptam, ex eo facile colligi potest quod in ea hæc posita habeantur in fine, *Salutat vos Ecclesia quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Porro Marcum hoc anno tertio Claudij Alexandriam missum, illic collegisse Ecclesiam, Eusebius non obscurè demonstrat in Chronico. Et quod Hieronymus *b* dicat, Philonem Iudæum, qui sub Caio primum (vt vidimus) pro Iudæis Alexandrinis legatione functus Romã se contulerat, iterum sub Claudio Romam venisse, & ibi cum Petro Apostolo consuetudinem habuisse; ex eo coniectura ducimur, redeunte Alexandriam Philonem secum perduxisse Marcum sibi à Petro commendatum. Quod vero sicut hoc anno, ita etiam Romæ eadem à Petro Epistola scripta fuerit; Patres omnes qui de ea re egerunt, expresse testantur *c*: eundemque per *Babylonem*, Romam intellexisse, absq; vlla dubitatione confirmant.

MARCVS MITTITVR ALEXANDRIAM.

b Hieron. de script. Eccles. in Philo.

c Euseb. 2. hist. 14. Hier. de script. Eccles. in Marco & alij.

VI. ROMA APPELLATA BABYLON.

Sed ab his dissentiunt Nouatores, quod permolestè accipiant, ex ipsis etiam diuinis Scriptoris Petri Romã aduentum reddi testatum: quod tamen (& in his mirare ipsorum spiritum contradictionis) quod in Apocalypsi de Babylone multa nefanda prodantur, eoque nomine Romam significari multi senserint: (cum alioqui complures sint, qui per Babylonem vniuersum regnum diaboli, sicuti per Hierusalem eodem libro descriptam, regnum Dei interpretetur:) ipsi cunctas illas blasphemias non Vrbi Romæ, vt cæteri, sed ipsi tribuunt Ecclesiæ Romanæ: non valentes, aut potius non volentes distinguere inter Romanam Vrbem, in qua tunc præ cæteris Orbis locis impietatis cultus vigebat; & ipsam Ecclesiam, quæ tantoperè laudata reperitur à Paulo *d* Apostolo: adeo vt nec per somnium quidem quis vnquam inuenire possit, Romanam Ecclesiam esse Babylonis nomine nuncupatã, sed ipsam tantummodo ciuitatem. Sicut eadem ratione Hieronymus aliquando eandem Vrbem, Babylonem appellat, sed frequentius *e* Ecclesiam ibi positam miris laudibus extollit. Porro alibi quoq; in diuinis de ipsis per Babylonem sæpe ipsum adumbratum esse Imperium Romanum, eruditus lector inuenies: nempe quod (vt docet Augustinus *g*) cõdita esset Roma velut altera Babylon, & velut prioris filia Babylonis; quippe quæ tunc cœpit cum intercidit regnum Assyriorum. Nam & æquè mutatis nominibus homines appellare, vsitatum fuisse videtur Apostolis: quippe cum Paulus ait *h*: *Liberatus sum de ore leonis*, per leonem significasse Neronem, nullus dubitat. Deniq; non potuisse Petrum per Babylonem, nisi Romam intellexisse, vel inde certum redditur, quod qui apud Babylonem Assyriorum Iudæi essent, maxima omnium clade *i* circa hæc eadem tempora affecti, omnes trucidati fuerint aut expulsi. Quæ vero apud Ægyptios Babylon erat, obscurus plane locus, non ciuitatis nec oppidi dignus nomine, castellum à Strabone *k* & alijs nominatur.

d Rom. 1. VRBS ROMA DIVERSA AB ECCLESIA ROM.

e Hieron. in præf. de Sp. S. f Præf. lib. 2. in ep. ad Gal. epistol. ad Marcel. & lib. 2. cont. Iouin. g Aug. 18. de ciuit. 22. Add. de Oros. lib. 7. cap. 2 h 2. Tim. 4.

i Ioseph. antiq. 18.

k Strab. lib. 17.

Cæterum scriptam hanc fuisse Epistolam ad Iudæos, iam redditos Christianos, (quos & *aduenas dispersionis* vocat, quia in diuersis Orbis partibus, vt vidimus ex Philone, longè à Iudæa quamplurimi Hebræorũ habitare solerent: qua etiam ratione Iacobus suam Epistolam inscribit Duodecim Tribubus quæ sunt in dispersione:) cum alia multa declarant, tum aperte testantur Eusebius *l*, Athanasius *m*, Didymus *n*, ac denique omnes tam Græci quam Latini scriptores quæ de re consulto tractarunt. Translata vero ex Hebræo fuisse à Marco putatur. Planè enim dum apud Petrum Marcus fuit, functum esse munere Interpretis, omnes affirmant.

VII.

l Euseb. 3. hist. 1. m Athan. in Synops. n Didym. in ep. canon.

VIII. SALVTATIO IN OSCVLO SANCTO

Quod autem idem Apostolus in fine Epistolæ, illos ad quos scribit admonet vt *salutent se inuicem in Osculo sancto*, nostri instituti ratio postulat, vt de antiqua eiusmodi salutatione nonnulla dicamus. Non enim id Petrus tantum, sed & Paulus *a* tæpè faciendum præcepit, & idipsum suis Epistolis Ignatius *b* consuecuit. Cum vero salutationẽ mutuam non *osculo* tantum, sed *sancto* dandam esse præscripserint; plane certum est diuersam à illa fuisse, quã Gentiles inter se quoties sibi obuiarent inter ambulandum amici, sibi inuicem impartire consuescerant: quam quidem consuetudinem vt molestam nimis, & frequentibus occursionibus fastidium afferentem, Tiberius *c* lege sancita tollendam curauit, licet plus valuisse inolitum vsum lege lata, satis ex Martiale *d* constet qui vixit temporibus Domitiani. Quod autem essent eiusmodi oscula, pacis & amoris symbola, ea non tollenda, sed moderanda inter Christianos, Apostoli curarunt. Illaq; planè SANCTA OSCVLA dicta esse reperiuntur, quæ in Ecclesiis & sacris conuentibus post orationes, in signum pacis & reconciliationis animorum, adhiberi cõsueuerunt, adiuncta salutatione PACIS TECVM, sicut videre est apud Iustinum *e*, Origenem *f*, Tertullianum *g*, Cyrillum *h*, Chrysostomum *i*, & Augustinum *k*. Post osculum vero sequi consuesse administrationem Eucharistiæ, Iustinus tradit idem Iustinus. Nec tamen quis putet hæc ita promiscuè tunc agi solita, vt viri & fœminæ sic indiscrete se mutuo oscularentur: Nam in Ecclesia sexum vitos à mulieribus agere consueuisse, infetius suo loco demonstrabitur. Verum quoniam ea nihilominus adhibita cautela, adhuc inter se inuicem osculantes, siue viros, siue fœminas, aliqua fraus arte diaboli nonnunquam irrepsisse videretur; in pluribus Ecclesiis sacram osculari tabellam Cruce aut Imagine decoratam, mutauit vsus, & quidem laudabilis.

a Rom. 16. 1. Corinth. 16. 2. Corinth. 13. 1. Thess. 5. b Ignat. ep. ad Antioch. & ep. ad Tars.

c Sueton. in Tib. c. 34. d Epigr. lib. 7. ad Linum. & 11. ad Bassum.

e Iust. orat. ad Anton. f Orig. in Roman. 16. g Tert. lib. de orat. h Cypr. catech. 5. i Chrys. hom. 30. in Cor. 2. k Aug. ser. 83. de diuers.

IX. GRATIA ET PAX IN SALVTATIONE.

Rursus vero quod idem Petrus Apostolus in fine eiusdem Epistolæ, sicut & in exordio eius, atque in secunda item sua Epistola, GRATIAM impartiendo saluet; & quod insuper Paulus eadem salutatione in omnibus suis Epistolis, vt ipse *l* testatur, vti consuetuisset; & aliquando Ioannes *m* eandem vsurpasse reperiatur: planè significatur, Apostolorum exemplo in Ecclesiam introductum, vt Romanus Pontifex in Apostolicis Literis quempiam salutando, vna cum Apostolica benedictione Gratiam impertiat. Institutio hæc est quidem Apostolica: nam vsq; ad CHRISTI Ascensionem PACIS tantum verbo aliquem salutare moris fuit; vt in Veteri *n* Testamento plura exempla suppetunt, in Nouo *o* de Christo qui eodem modo salutare consuescit Discipulos, & vt ipsi alios salutarent admonuit *p*. Perseuerasse vero eundem vsum apud Iudæos, vt *Pacis* nomine salutarent, testis est Tertullianus *q*; sed (vt ait) et Apostoli & *Gratiam* addiderunt, immo & præmiserunt, quod sublimis gratiæ per CHRISTVM restitutæ generationi humanæ, annunciatores essent. Sed hactenus de Petri Epistola.

l 2. Thess. vlt. m Ioan. ep. 2.

n Gen. 43. Iudic. 6. & 19. 3. Reg. 25. 1. Paral. 12. Tob. 12. o Luc. 2. & 24. Ioan. 14. & 20. p Marc. 10. Luc. 10. q Tert. 5. aduers. Mar. 5.

X. MARCVS EVANGELIVM SCRIBIT.

Quod vero spectat ad MARCVM, cuius in ea mentionem fieri, eundemq; à Petro, quod ab eo vnicè diligeretur, *Filium* appellari vidimus: (hæc enim recipitur Nicephorus *r*, dum eundem Marcum prognatum dicit ex Petri sotore:) cum, vt pariter diximus, Eusebij constet auctoritate ipsum anno tertio Claudij, Olympiadis ducẽtesimæ quintæ anno tertio, Christi vero quadragesimo quinto, Alexandriæ euangelizare cœpisse; eiusdemq; auctoris & aliorum testimonio liqueat, eundem antequam Roma proficisceretur conscripsisse EVANGELIVM: plane compellimur dicere, id contigisse hoc ipso anno post scriptam à Petro eam Epistolam. Cui veritati etiam Euthymius *s* adstipulatur, & alij qui tradiderunt scriptũ esse à Marco Euangelium post annum decimum à Passione CHRISTI. Vnus tantum discrepat Irenæus *t*, dum ait id factum post obitum Petri & Pauli Apostolorum: sed ei sane omnes merito aduersantur, potissimum cum certum sit Marcum longè ante eos Apostolos esse defunctum, nimirum anno octauo Neronis, vt suo loco videbitur. Sicut autem de tempore omnes ab Irenæo dissentiunt, ita etiam de loco scribendi omnes Chrysostomo *u* contradicunt, asserenti Marcum in Ægypto scripsisse Euangelium: nam & Athanasius *x* eiusdem Ecclesiæ Alexandrinæ, quam Marcus erexit & rexit, Episcopus, & antiquiores auctores *y* Papias & Clemens

r Nicephor. lib. 2. cap. 43.

s Euthym. præf. in Matt. t Iren. lib. 3. c. 1.

u Chrys. hom. 1. in Matth. x Athan. in Synop. y Ap. Euseb. 2. hist. 14.

Alexan-

Alexandrinus, & qui eos secuti sunt Epiphanius *a*, Hieronymus *b*, & alij, testãtur Marcum Romæ Euangelium scripsisse; ea (vt traduntur) occasione, quòd cum Petrus Romanis prædicaret, eius auditores à Marco expeterent vt quæ Petrus de CHRISTO diceret, ipse scriptis mandata apud eos relinqueret: illudq; ita conscriptum, Petrum auctoritate sua ratum fecisse, & Ecclesiæ legendum proposuisse. Qua ratione Marci nomine editum Euangelium credidisse aliquos fuisse ipsius Petri, Tertullianus *c* & alij æquè testantur. Cæterum quod Augustinus *d* Marcum *Breuiatorem Matthæi* appellat, non ita accipiendum est vt Euangelium Matthæi Marcus redegerit in compẽdium; sed quod multa quæ à Matthæo essent fusius enarrata, Marcus secundũ quod à Petro accepisset, breuiori narratione contracta describserit: cum alioqui ea quæ à Petro prolixiori sermone, vt suam negationem, prolata audisset, vberius quam Matthæus scriptis mandauerit.

Quod autem Epiphanius ait, Marcum fuisse ex numero Septuaginta duorum Discipulorum, haud receptum videtur ab alijs, qui à Petro eum tradunt genitum in Euangelio, nec vidisse Dominum. Id enim Papias *e*, id Hieronymus *f*, & Theodoretus *g* scripserunt, necnon alij omnes qui locum Epistolæ Petri sunt interpretati quo Marcum vocauit filium suum. Sed & Beda *h* scribit Marcum natione Hebræum, genere Sacerdotali fuisse progenitum, vnumq; ex illis Sacerdotibus exitisse qui post Christi Ascensionem crediderunt Domino; de quibus Lucas ait *i*, *Multa turba Sacerdotum obediebat fidei.*

Sed quod Papias *k*, Irenæus *l*, Hieronymus *m*, ac denique recentiores, Marcum dicunt fuisse INTERPRETEM Petri: sicut & apud Paulum eodem functum esse munere Titum, idem Hieronymus *n* tradit; & Marco Alexandriam amandato, eidem rei Glauciam inseruisse apud Petrũ, Clemens Alexandrinus * est auctor: quodnam esset istud munus quæritur. Hieronymus illud ita intellexit, vt quia Petrus vel alij Apostoli diuinorum sensuum maiestatem digno non poterant exterarum gentium explicare sermone, ad eam rem indigerent Interpretibus. Verum cum istis plane aduersari videantur, quæ de dono omnium Linguarum ab Spiritu sancto Apostolis impertito Lucas *o* & Paulus *p* habent; cumque reprehendens idem Paulus *q* eos qui ostentationis ergo loquerentur linguis, demonstrare videatur in eorundem Apostolorum, aliorumq; qui eiusmodi donum linguarum percepissent, fuisse arbitrio collocatũ, loqui linguis quando & quomodo vellent: idcirco omissa eiusmodi ratione, duabus aliis de causis Apostolos eguisse Interpretibus existimamus: Nempe, vel cum alicui genti ipsis loquentibus, puta Græcis, in auditorio essent alij qui Græcum sermonem penitus ignorarent; tunc enim (sicut & Theodoretus *r* ait) per Interpretes ijs satisfaciendum erat: vel cum difficilia captu ijdem Apostoli locuti fuissent, tunc erat Interpretum eadem aliis explanare. Possumus etiam addere Epistolarum interpretationem Apostolicarum, cum quæ ad vnam vel aliam darentur Ecclesiam, opera Interpretum communes omnibus redderentur: prout de ipsis Petri Epistolis accidit, quæ ex Hebræo à diuersis Interpretibus in aliam linguam versæ (vt scribit Hieronymus*) sparsæ sunt in Ecclesiam: & vt dicere possumus de Epistola Pauli ad Hebræos scripta Hebraicè, quam Barnabas, vel Lucas (vt auctor est Clemens *s* Alexandrinus) Græcè reddidit.

Cæterum cum omnium sententia constet, Marcum Euangelium scripsisse Romæ; Græcè an Latinè scripserit, dubitatum est à pluribus. Hieronymus *t* & Augustin. *u* eius potius fuisse videntur sententiæ, vt Græcè scripserit, dum aiunt excepto Matthæo reliquos Euangelistas Græcè scripsisse. Sed pro Latino Marci sermone facit vetus Liber de Romanis Pontificibus qui fertur nomine Damasi, sed qui putatur post quingentos fermè ab obitu Damasi annos cõscriptus ab Anastasio S.R.E. Bibliothecario; de quo pluribus dicetur suis locis. Et in eandem proclriuiores fuisse sententiam videntur Græci *x* & Syri; nec aliud voluisse Gregor. *y* Naziarz. dum Marcum Italis scripsisse Euangelium testatur. Suadet hoc ipsum & ea potissimum ratio, quod Marcus cum esset Interpres Petri, si in gratiam Romanorum (quod habetur exploratissimum) Euangelium scripsit; quænam fuberat causa vt Græcè scriberet, cum præsertim Tiberij Imperatoris auctoritate *a*, & exemplo, Græca lingua Romæ, etiam apud optimos fere iam exoleuisset vsu meretricio infamata *b*, & Claudius, sub quo Marcus scripsit, non tantum non permiserit Romanis Græco aliquando loqui sermone, sed & Græcum *c* hominem, splendidum licet ac prouinciæ suæ principem, quod Latini sermonis esset ignarus, albo Iudicum eraserit, & in peregrinitatem redegit? Deniq; siquis Græcas litteras callens Græcum Marci textum exactè disquirat, reperiet aliquas voces improprias, quas facile agnoscat ex Latino originali esse in Græcum semilatinè translatas; licet feratur *d* (sed traditione magis, quam antiquorum certo testimonio) ipsummet Marcum Euangelium suum, quod Romæ Latinè scripserat, cum postea Aquileiæ moraretur missus illuc à Petro ad eam erigendam Ecclesiam, in Græcum transtulisse; ipsumq; autographum diutius Aquileiæ asseruatum, Venetias demum translatum esse.

Sed rursum de eodem Marco quæritur, num hic qui Euangelium scripsit, idem sit cum eo qui à Luca *e* dicitur filius Mariæ, Ioannes nominatus, cognomento Marcus, apud quem Hierosolymis Ecclesia colligebatur: itemque, num ille Marcus qui à Paulo *f* cõsobrinus Barnabæ est appellatus, vnus idemque sit cum altero eorum: ac demum, an alium præter nominatos sit reperire Marcum. Primo quidem vnum eundemque fuisse Ioannem Marcum & Ioannem consobrinum Barnabæ, satis Lucas *g* persuadet, dum postquam dixisset Ioannem adhæsisse Paulo & Barnabæ cum isti Antiochiæ accepissent Apostolatum, inferius *h* docet illum fuisse cognominatum Marcum, eiusque occasione orta dissensione inter eosdem Apostolos, Barnabam relicto Paulo secum assumpsisse Marcum. Hæcque eadem ex diuina scriptura in hunc modum testata, Alexander *i* Græcus auctor qui Acta Barnabæ est prosecutus confirmat. Ex quibus erroris arguitur Dorotheus *k*, dum inter eos distinguens, multa alia superaddidit mendacia. Ex ijsdemque compertum habetur, eundem Iohannem cognomento Marcum à Paulo aliquando reiectum, ab eodem fuisse iterum susceptum, & vna cum eo in prædicatione Euangelij tum Romæ tum alibi egregiam nauasse operam; id Paulo *l* ipso sæpius attestante.

An vero idem Ioannes cognomento Marcus consobrinus Barnabæ, vnus idemque est cum Marco qui Romam Petrum secutus Euangelium scripsit? Hieronymus *m* quidem id putauit, necnon Alexander *n*, Nicephorus *o*, & siqui alij recentiores. Verum cum hoc ipso tempore quo Marcus Euangelistã Romæ agebat, & inde Alexandriam concessit, ac in prædicatione Euangelij in Ægypto, & (quod scribit Athanasius *p*) Libya & Pentapoli diutius est commoratus; eodem, Ioannes ille cognomento Marcus Hierosolymis & Antiochiæ Paulo & Barnabæ adhæserit *q*, eosdemque ad prædicationem Euangelij secutus fuerit; indeque Barnaba à Paulo diuiso, Hierosolymã primo, ac inde Cyprum perierit, ac demum (vt dictum est) ad Paulum redierit: cum, inquam, hæc ita se habeant, planè constat ex temporum, locorum, ac rerum diuersitate, eosdẽ Marcos inter se esse distinctos. Nouerunt hoc ipsum & maiores: Basilius *r* enim testatur, eo tempore quo Paulus Romæ agebat, & cum eo aderat Marcus consobrinus Barnabæ, Marcum Euãgelistam Alexandrinam Ecclesiam excoluisse: & apud Isidorum *s* legimus, diuersum fuisse Marcum Euangelistam à Iohanne qui cognominatus est Marcus.

Quod autem spectat ad Ecclesiam in Ægypto ab Euangelista collectam, de ea pluribus agetur inferius *t*. Illud impræsentiarum præteriisse non liceat; merito (id agente diuino numine) subiisse in mentem Petri pastoris omniũ, vt dilectissimum discipulum Marcum mitteret Alexandriam, quoniam erat illa velut quoddam Orbis theatrum, ad quod ex Asia, Africa, Europa vniuersæ fermè gentes cõfluerent: quam & ideo Ammianus *u* *Verticem omnium ciuitatum* appellat. Herodianus *x* item primum eidem locum post Romam tribuit; nisi quod de secunda palma

XI. AN FVERIT E NVM. LXXII. DISCIP.
c *Ap. Eus. 3. hist. vlt.*
f *Hier. in Isai. 65. & de script. Eccl. in Marco.*
g *Theod. præf. hist. SS. Patr.*
h *Bed præf. in Marc.*
i *Act. 6.*

XII.
k *Ap. Eus. 3. hist. vlt.*
l *Iren. li. 3. c. 1.*
m *Hieron. in Marco.*
n *Hier. ep. 150 q. 11.*
* *Clem. Alex. Strom. lib. 7.*

MYTHVS INTERPRETVM
o *Act. 2.*
p *1. Cor. 12. 13 14.*
q *1. Corin. 14.*
r *Theod. in 1. Cor. 14.*
* *Hieron. ep. 150. q. 11.*
s *Clem. Alex. in ep. Petri in fin.*

XIII. GRÆCE AN LATINE MARCVS SCRIPSERIT.
t *Hier. ep. 125. ad Damasc.*
u *Aug. de cõs. Euang. libr. 1. cap. 2.*
x *Notat Genebr. in Chron.*
y *Greg. Naz. carm. de quat. Euang.*

a *Suet. in Tib. cap. 71.*
b *Iuuen. Saty. 16.*
c *Sueton. in Claud. c. 16.*
d *Pet. Episc. Aquil. in Catal. lib. 4. c. 86.*

XIV. MARCI PLVRES.
e *Act. 12.*
f *2. Colos. 4.*
g *Act. 13.*
h *Act. 15.*
i *Ap. Metaphr. 11. Iunij.*
k *Dorath. in Synop.*
l *Colos. 4. 2. Tim. 4. & ad Philem. in fin.*

XV.
m *Hier. in ep. ad Philem.*
n *Act. Barnab. ap. Metaphr. 11. Iunij.*
o *Nicepb. li. 2. c. 15.*
p *Athan. in Synop.*
q *Act. 12. in fin. & 13.*
r *Basil. aduers. Eunom. lib. 5.*
s *Isid. de vit. & obit. Sanct.*

XVI
t *An. 64. vbi etiam agit Baronius de ciuitate Alex.*
VRBIS ALEXANDRINÆ EXCELLENTIA.
u *Am. lib. 22.*
x *Herod. lib. 7.*

cum ea tradit certasse Carthaginem. Quod vero ab Ausonio *a* postponatur etiam Constantinopoli, Carthagini, & Antiochiæ; id inde accidit, quod (vt tradit Ammianus) sub Aureliano Imper. bellis ciuilibus est admodum labefactata. Cum autem hoc tempore florentissima esset, & inde etiam principem sibi locum vendicaret, quod esset in Præfectura Augustali; iure Petrus effecit vt ex tot nationibus Ecclesia nobilissima suo ipsius nomine à Marco Euangelista congregata, primum post Romanam locum obineret. Hanc n. ipsius prærogatiuæ causam extitisse, inter alios Gelasius *b* Papa tradit: cum alio qui sedem Antiochenam, quâ ipse Petrus aliquando per se rexisset, multis alijs prærogatiuis præcellere Innocentius *c* ante Gelasium demonstrasset. Porro illa de Marco ore vulgi potius decantata, quam maiorum auctoritate asserta fabella reijcitur, qua dicitur adeo repugnasse ne Episcopus fieret, vt ea de causa pollicem sibi ipse præciderit. Hoc etenim quod à quodam anachoreta factum esse constat, Marco Euangelistæ imprudenter nimis adscribitur. Sed de eo iam satis.

a Auson. de ord. nob. urb.

b Gelas. decr. de lib. apocry. *c* Innoc. ep. 29 ad Alex. Episcop. Antioch.

DE MARCO COMMENTVM REFELLITVR.

XVII.

Quod ad res externas attinet; consideratione dignum est, hoc ipso anno quo Romana Ecclesia à Petro est erecta, abrogata fuisse (vt Dio *d* testatur) à Claudio Imperatore complura Sacrificia & Festa in venerationem deorum celebrari solita. Quod quidem licet ille alia ex causa fecisse noscatur; videas tamen non nisi nutu diuino quodammodo accidisse præsagium, vt cum primum Christiana fides Romæ plantata coalescere cœpit, Idololatria decrescere atque minui inciperet: quemadmodum olim *e* apud Philisthæos in templo Dagon Arca fœderis collocata, idolum suam imbecillitatem cadendo monstrauit. Rursusque hoc eodem anno illud idem auctor accidisse testatur, vt cum antea mandato eiusdem Claudij omnia Caij simulacra fuissent sublata; alio nunc edicto quæcunq; numismata viderentur eiusdem Caij effigie cõsignata, conflari sint iussa, quorum materiam Messalina Augusta in statuam Mnesthei histrionis transfundi præcepit. Diuinum plane, & æqua lance pensatum iudicium; vt qui suam statuam titulo Iouis in templum Dei (vt vidimus) Hierosolymam inferre parasset, ipse in cunctis suis imaginibus infame dispendium pateretur. Quantumlibet enim Iudæi ob necem CHRISTO illatam grauiora pati commeruissent; tamen quoniam in Dei Hebræorum contumeliam Caius ea parabat, digna sententia præsumptum eius facinus punitum fuit.

d Dio lib. 60.

FVNDAMENTO ECCLESIÆ ROMANÆ IDOLOLATRIA DECRESCIT.

e 1. Reg. 5.

IESV CHRISTI
ANN. 46.

PETRI ANN. 2.

CLAVDII IMP.
ANN. 4.

I.

PETRVS MITTIT IN PROVINCIAS DISCIPVLOS. *Quorum plurimos nominat Baron. hoc an.*

ANNO Christi quadragesimo sexto, C. Crispino secundum & T. Statilio Tauro Coss. stabilita iam Sede Romana Petrus Apostolus, cui vniuersi gregis cura à Domino commissa erat, ad ceteras Occidentalis Orbis partes cœpit discipulos amandare; qui licet Scriptorum inopia obscuri pene remanserint, plurimi tamen in Martyrologio Romano, & apud alios probatos auctores recensiti inueniuntur sancti Episcopi, ab eodem Petro diuersis temporibus ad diuersas instituendas Ecclesias missi: vt non immerito Innocentius Primus *f* omnino asseuerit, manifestum antiquis fuisse in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, & Siciliam, insulasq; interiacentes, nullum hominum instituisse Ecclesias, nisi eos quos Petrus Apostolus aut eius successores constituissent Sacerdotes. Imo & in Britanniã eiusdem ipsius Apostoli prædicatione Euangelium penetrasse, Metaphrastes *g*, & alij sentiunt: quod haud mirum videri debet, cum ea insula recens à Romanis subiugata *h*, facilis fuerit ad eam aditus. Deniq; velut à Sole radij, & à fonte riui, sic à Sede Petri longe lateq; fides Christiana diffusa, vbiq; est feliciter propagata: quamquã & ipsummet Petrum nonnullas earundem prouinciarum aliasq; plures perse visitasse, ac doctrina Euangelica imbuisse, antiqui testantur auctores.

f Innoc. ep. 1. *g* Metaphr. 29. Iunij. *h* [Euseb. & Oros. ann 4. Claud. itemque Cassiod. notant Claudium de Britannis Romæ triumph. sse, post reditũ suũ ab ea expeditione.

Hoc eodem anno Agrippa Rex Iudæorum Cæsareæ Ludos celebrans pro salute Imperatoris, cum veste regia amictus concionem haberet in theatro, & ab adulatoribus Deus conclamatus, impiam illam adulationem non repulit; confestim ab Angelo Domini percussus, post quinque dies in summis doloribus consumptus vermibus interiit. Rem gestam summatim Lucas *a* continuo post necem Iacobi, & carcerem Petri recenset; vt Dei vindictam aduersus Agrippam in vltionem etiam admissorum in eos facinorum declaret: eandem vero pluribus prosecutus Iosephus *b*, docet contigisse anno septimo regni eiusdem Agrippæ exacto, qui fuit hic ipse Claudij Imper. quartus inchoatus. Post Agrippæ mortem, Cæsarienses & Samaritani multa in eum conuicia iactauere, ac milites protractas è palatio filiarum eius statuas detulere in lupanaria, & turpibus modis eisdem illusere. Imperator autem posito Agrippa eiusdem Agrippæ Regis filio ob iuniorem septemdecim annorum ætatem, Præfidem misit in Iudæam Cuspium Fadum: Herodi vero Regi Chalcidis, defuncti Cuspium Fadum: Herodi vero Regi Chalcidis, defuncti Agrippæ fratri, ius dedit in templum; quico potitus, Summos Pontifices ad libitum deposuit, substituitq;. Sed hæc pluribus Iosephus *c*.

a Act. 12.

b Ios. 19. antiq. 7.

c Ios. 20. ant. 1

III.

DE ELYMA MAGO.

Interea vero Paulus & Barnabas, cum post acceptum solemni ritu ad prædicationem Euangelij Apostolatum, peragrata Seleucia Cyprum nauigassent, Paphum venientes, Sergium Paulum Proconsulem ad fidem CHRISTI conuerterunt, prius excæcato ad tempus Elyma mago qui eis resistebat. Hæc pluribus Lucas *d*. Portotantum abfuit vt idem Elymas aliquando resipuerit, vt magis ac magis in Euangelicam doctrinam insaniens (quod testatur Dionysius *e*) librum ediderit aduersus Pauli prædicationem & CHRISTI fidẽ. Cætera vero quæ de prædicatione Pauli & Barnabæ scribit Lucas vsq; ad Concilium Hierosolymitanum, quod anno nono Claudij celebratum est, cum quo potissimum anno singula sint facta certa assertione affirmari non possit, ea quam coniectura demonstrat vtentes ratione, quod singulis annis gestum putamus, quantum fas est ordine temporum prosequemur.

d Act. 13.

e Dionys. de diuin. nomin. cap. 8.

IV.

PEREGRINI EPISCOPI INVITARI SOLITI AD CONCIONANDVM.

E Cypro *f* igitur nauigantes, Pergem Pamphiliæ venerunt, indeq; Antiochiam Pisidiæ, vbi ingressi Synagogam die Sabbati, quo conuentus Iudæorum fieri consueuit, rogati sunt ab his qui Synagogæ præerant, exhortatorium sermonem habere coram populo. Cuiusmodi consuetudo, vt peregrini Episcopi ad concionandum inuitarentur ab eius ciuitatis ad quam venissent Episcopo diu permansit in Ecclesia, imo & canone *g* legitur stabilita. Sicq; inuenies obseruatum apud Ambrosium *h*; sic Alexandriæ à Cyrillo *i* eius sedis Antistite; & conquestus reperitur S. Gregorius *k* Nyssenus, quod ab Helladio Episcopo Cæsarensi in Cappadocia ad id agendum non fuerit inuitatus. Ex quibus authentica probantur quæ apud Clementem *l* leguntur, vt Episcopus peregrinum Episcopũ roget sermonem habere ad populum, eiq; Eucharistiam offerre, ac benedicere: & inde est etiam quod Eusebius *m* habet, Polycarpum Smyrnæ Episcopum Romam sub Aniceto Pontifice venientem, ab eo inuitatum vt sacrificium Eucharistiæ offerret. Concionatus ergo Paulus semel atque iterum in Synagoga Antiochena, multos Iudæorũ ad fidem CHRISTI conuertit: quod vero ipse & Barnabas Gentiles etiam susciperent, inuidentes Iudæi grauissimas in eos turbas concitarunt, & extra fines suos expulerunt: Qui exeuntes, secundum præceptum *n* Domini excussérunt puluerem de pedibus suis in testimonium contra Iudæos. Consueuerant namq; Iudæi, maledictionem aliquando imprecando puluerẽ spargere in aerem, vel è se excutere: vt sunt exempla apud Esdram *o*, & alibi in ipsis Actis *p* Apostolorum. Cur vero id fieret, cum multæ afferantur causæ relinquimus Interpretibus pertractandum.

f Act. 13.

g Conc. Carthag. IV. c. 36.

h Ambr. ser. 48. veter. edit.

i Cyr. Alex. hom. 7. & 8.

k Greg. Nyss. ad Amphil.

l Clem. Rom. Const. lib. 2. c. 62.

m Euseb. 5. hist. 24.

n Matth. 10. Mar. 6. Luc. 10.

PVLVERIS EXCVSSIO PEDVM.

o 2. Esdr. 5.

p Act. 22.

IESV CHRISTI ANN. 47.

PETRI ANN. 3.

CLAVDII IMP.
ANN. 5.

I.
a Dio lib. 60. QVID PAVLVS PASSVS ICONII.

ANno Christi quadragesimo septimo, M. Vinutio *a* secundum & T. Statilio Corvino Coss. Paulus & Barnabas pulsi (vt dictū est) Antiochia Pisidiæ, venientes Iconium Lycaoniæ, quamplurimos Iudæorum & Gentilium prædicatione & miraculis ad fidem conuerterunt, multoque illic tempore commorati sunt: cientibus vero aduersus eos turbas incredulis Iudæis, diuisaque in partes ciuitate, cum potentior factio aduersa lapidare eos quæreret, cōfugerunt ad alias ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derbem. Hæc breuiter *b* Lucas de rebus à Paulo & Barnaba gestis Iconij; multis haud dubium prætermissis eorum quæ toto illo tempore fieri contigerunt. Meminit ipse Paulus *c* scribens ad Timotheum, de ijs quæ passus est Iconij: & siquis ea quæ ad Corinthios *d* scribit de passionibus suis, conferat cum ijs quæ in Actis à Luca de ipso sunt scripta; plane intelliget (quod & alibi Hieronymus *e* testatur) multa Pauli à Luca historiographi licentia fuisse prætermissa. Cum enim nondum hoc tempore Paulo inhæsisset, (quando id acciderit, suo loco dicemus) quæ non vidit, generatim tantum complexus maiori ex parte silentio præteriit.

b Act. 14.
c 2. Tim. 3.
d 2. Cor. 11.
e Hieron. in Gal. 2.

II.
De Actis S. Theclæ.
f Tert. de baptis. c. 17.
g Hieron. de Script. Eccles. in Luca.
h Gelas. decr. de lib. Apocryph.

Quod igitur spectat ad res Iconienses qualia quantaue illic Paulus sustinuerit, Res gestæ S. THECLÆ aliqua saltem ex parte declarant; non quidē Acta illa, quæ Theclæ nomine & Pauli ab Asiano quodam presbytero conficta fuisse, Tertullianus *f* & Hieronymus *g* scribunt, quæ & Gelasius *h* inter Apocrypha recensuit: sed Acta illa Passionis Theclæ, quæ passim leguntur; quæ quidem vera esse atq; germana, inde primum cōstat, quia quæ iidem auctores tradunt spurijs illis Actis contineri, puta de Thecla Euangelium prædicante & baptizante, deq; baptizato leone; hæc omnia procul abhorrent ab Actis illis, quæ Passionis Theclæ nomine inscripta leguntur: deinde quia quæcunque in his Passionis Actis referuntur, eadem antiquorum Patrum certis testimonijs confirmantur. Namq; imprimis Theclam Pauli prædicatione Iconij ad fidem conuersam esse, Gregorius *i* Nyssenus, atque alij omnes qui de ea scripserunt testantur. Eandem vero iam viro desponsatam, amore pudicitiæ spōso nuncium remisisse, etiam Epiphanius *k* & Ambrosius *l* asserunt; necnon Faustus apud Augustinum *m*, ipso Augustino nequaquam contradicente. Præterea illam vt custodem carceris quo Paulus detinebatur sibi conciliaret, gemmis ac muliebri mundo distractis, pecuniam inde acceptam ei donasse vt ad Pauli colloquium sibi pararet aditum Ioannes *n* Chrysostomus pariter profitetur. De ira quoque sponsi in eam concitata, quo accusante & crudeliter vrgente ipsa damnata fuit ad bestias, siue leones, qui mansueti diuinitus facti ei blanditi sunt, Ambrosius *o* egregius est testis. Iusuperque ignes Theclam subiisse, sed illæsam remansisse, Cypriani *p* & Maximi *q* testimoniis confirmatur. Ac de bestiis simul & igne, adstipulatores sunt Gregorius *r* Nazianzenus & Zeno *s* Episcopus Veronensis. Nec tantum leonibus in theatro obiectam, sed & tauris alligatam fuisse vt illis in diuersa actis sic discerperetur, fidem æquè faciunt apud Metaphrastem preces SS. Martyrum *t* Terentij & sociorum his verbis conceptæ: *Qui Danielem de ore leonis eripuisti, & de manu Pharaonis Moysen seruasti, & sanctam Theclam ab igne, & theatro, & feris, & bestiis taurinis defendisti, &c.* Hisq; similes preces legūtur apud Cyprianum *u*, & apud eundē Metaphrastem in rebus gestis *x* S. Iulianæ, necnon in Prato *y* Spirituali, ac demum in Rituali Ecclesiæ cum quis Fidelis ex hac vita est proximè migraturus. Sed & pugnanti Theclæ diuina virtute astitisse personam (puto Angelum) humana imagine vultum Pauli præseferente, probatum similiter habetur in Actis S. Febroniæ *a*, Denique Theclam Apostoli cupidam Antiochiam Pisidiæ accessisse, ab eodemq; iussam ad propria reuerti ne poneret offendiculū Euangelio, etiam Hieronymus, siue Sophronius, ad Oceanum *b* scribēs testatur. Quamuis igitur qui habetur præ manibus de Theclæ Passione commentariolus, sine nomine feratur; nullum tamē ob id ipsa historia solidæ auctoritatis dispendium pati debet; quandoquidem quæ eo continentur, tam Græcorum quam Latinorum Patrum quos recensuimus pari cōsensione firmantur: imo & sunt eis in omnibus consentientia quæ Græcè scripta habentur à Basilio Episcopo Seleuciæ qui Chalcedonensi Concilio interfuit; extantque Romæ in Bibliothecis Vaticana & Sforciana, descripta vero à Metaphraste ex antiquioribus monumentis. Si vero de rebus tam antiquis recentiores non spernis, multa de ea testata habes ab Aldelmo in libris quos tam metro quam soluta oratione de virginitate conscripsit. Insuperq; Witichindus Saxo monachus Corbeiensis, nobilis suorum temporum historicus (vt tradit Sigebertus *c*) scripsit egregio poemate eiusdem Theclæ passionem.

a Ap. Metaphr. 15. Iunij.
b Hier. tom. 9.
c Sigeb. de vir. illust. c. 130.

III.
THECLA PROTOMARTYR INTER FEMINAS.

Quod autem in iisdem Theclæ Actis ad finem asseritur, ipsam diuinitus liberatam à paratis triplicis generis mortis periculis, in solitudinem secessisse, ibique perseuerantem nonagenariam decessisse: istud quidem ex omnibus illis minimè nobis arridet, quod de his penes antiquos verbum nullum; qui omnes de ipsa vt martyre & consummata martyrio visi sunt meminisse, veluti Gregorius *d* Nazianzenus, Epiphanius *e*, Chrysostomus *f*, Isidorus *g* Pelusiota, Hieronymus *h*, Seuerus *i*, Augustinus *k*, & alij; quorum plurimi eandem *Protomartyrem* appellant, quod prima omnium feminarū martyrium sit passa: quæ & insuper honoris causa tanquam nobilissimo titulo, *Pauli primogenita* nuncupatur. Extitit pariter eiusdem cultor studiosissimus S. Ambrosius *l*, cum in ipsius S. Theclæ memoriam primaria Ecclesia Mediolanensis esset erecta. Denique ob immensas virginis virtutes vsu venit, vt cum quid superexcellens de femina Patres dictum vellent, eam THECLÆ nomine insignirent *m*. Eius vero tumulum, qui erat Seleuciæ, multis miraculis illustratum, totius Orientis celebri populorum concursu visitari solitum, tum ipsa Acta, tum etiam sanctorum Patrum *n* testimonia declarant: ad quod pariter Gregorius Nazianzenus peregrinatus *o*, diutius ibi mansit.

d Greg. Naz. orat. 1. in Iul.
e Epiph. hær. 79.
f Chrys. orat. in SS. spōst.
g Isid. Pelus. l. 1. ep. 87. & 160.
h Hier. ep. 22. ad Eustoch.
i Seu. in vita S. Mart. lib. 2. c. 16.
k August. de virg. c. 44.
l Ambros. de virg. lib. 3.
m Greg. Nyss. invit. S. Macri. Hier. in Chron. de Melan.
n Theod. hist. SS. Patr. c. 29. Euagr. libr. 3. c. 8. Procop. li. 1. de ædif. Iustin. Prat. spir. cap. 180. Nic. Syn. Setund. Act. 5. Niceph. lib. 16. c. 8. & alij.
o Greg. presbyt. in vita S. Gr. Naz.

IESV CHRISTI ANN. 48.

PETRI ANN. 4.

CLAVDII IMP.
ANN. 6.

I.
p Dio lib. 60. PAVLVS ET BARNABAS QVID LYSTRIS.

ANno Christi quadragesimo octauo, Valerio *p* Asiatico & M. Valerio Messala Coss. Paulus & Barnabas Lystris primo vt dij habiti, ob claudum à natiuitate sanatum à Paulo, vix aueierunt populum ne ipsis sacrificaret; mox vero vice versa, agentibus qui ab Antiochia Pisidiæ & Iconio venerant Iudæis, ab iisdem Lystrensibus Paulus lapidatus est, & pro mortuo derelictus, sed receptis viribus, profectus cum Barnaba Derben, inde Lystram rursum, & Iconium, & Antiochiam perlustrarunt, confirmantes discipulos, & constituentes per singulas Ecclesias Episcopos atq; presbyteros. Hæc pluribus Lucas *q*: in quibus consummandis non minore quam anni vnius tempore illos opus habuisse existimamus.

q Act. 14.

II.
DE TEMPORE ORTVS DEI-GENITRICIS MARIÆ.
r Eusius Chro. [Quæ tamē verba illi adscripta, a sunt ab omnibus fere antiquis codd: mss.]

Hoc eodem anno à CHRISTO nato quadragesimo octauo, Olympiadis ducentesimæ sextæ secundo, sanctissimam Dei-Genitricem MARIAM assumptam esse in cœlum, apud Eusebium legitur *r* his verbis: *Maria Virgo Christi mater ad filium in cœlum assumitur, vt quidam fuisse sibi reuelatum scribunt.* Non possumus autem non vehementer mirari

s Greg. Nyss. hom. 4. in Cant.
k Epiph. hær. 78.
l Ambr. lib. 2. de virg.
m Ap. Aug. 30. cont. Faust. 4.
n Chrys. hom. 15. in Act. & hom. 22. ad pop. Antioch.
o Ambr. de virg. lib. 2. & ep. ad Eccl. Vercel.
p Cypr. orat. pro mart.
q Max. serm. de S. Agnet.
r Greg. Naz. exhort. ad virg. & in præcept. ad virg.
s Zen. Veron. ser. de timer. Ap. Metaphr. 10. April.
u Cypr. orat. in die pass.
x Ap. Metaphr. 21. Dec.
y Prat. Spir. c. 20.

mirari, tantæ rei historiam, vel saltem tempus migrationis eius, sic à Scriptoribus prætermissum, vt opus fuerit quid huic vel illi de ea re fuerit reuelatum inuestigare. Tolerandum tamen esset si omnes æquè in eandem tententiam cōspirarent, aut si vniusvel alterius anni spatio dissiderent: at cum monstrosa quædam inter eos discrepantia reperiatur, quinam potius audiendi erunt? Alij igitur (vt diximus) id contigisse volunt anno à Natiuitate Domini quadragesimooctauo, à Passione decimoquarto. Rursum cuipiam probatæ sanctitatis viro demonstratū cœlesti visione traditur *a*, post annū elapsum à Passione, & tot dies quot intercurrunt ab eo tempore vsq; ad decimamquintā mensis Augusti, sanctissimā Virginem ex hac vita migrasse, ac demum post alios quadraginta dies, nono videlicet Calēdas Octobris, vna cum corpore assumptam fuisse in cœlum: cui reuelationi qui fidem adhibuerunt, non tantum dicta die decimaquinta Augusti (vt facit Ecclesia) eiusdem celebrant Assumptionem; sed & aliā, quam secundā dicunt, Assumptionē dicta die nona Calendarum Octobr, ad Bedæ Martyrologium addiderunt. Verum hæc ab Ecclesia minimè recepta esse *b* nosciuntur. Sunt vero alij, qui isthæc de reuelationib. prætermittentes, certorum auctorum testimonio certum annum eiusdem Assumptionis adstruere conati sunt. Sed cum quæ citant scripta nec nobis nec maioribus cognita fuerint, in eandem de impostura suspicionē adducuntur; cum præsertim non sit eorū vna eademq; sententia: siquidem Nicephorus *c* ex Euodio eam vixisse tradit annos quinquaginta nouem: Epiphanius vero presbyter *d* Hippolytum quendam Thebanum citat, qui dixit eam decessisse anno ætatis quinquagesimo septimo: à quo ipse Epiphanius dissentiens, eidē tribuit annos septuaginta duos. Cui etiam additipulatur Cedrenus *e*; asserens tamen aliorum fuisse sententiam, eam decessisse anno ætatis quinquagesimo octauo.

a S. Anto. par. 3. tit. 19. c 11. in fin.

b Anton. ibid. & Beleth. cap. 147.

c Niceph. lib. 2 cap. 3. & 21.
d Epiph. presbyt. serm. de Deip.
e Cedr. in comp. in Tib.

III.

Porro siue Eusebij sectemur sententiam de anno eius ætatis sexagesimo secūdo, siue aliorum qui traditione quadam annū sexagesimum tertium ponunt, vel etiā cum aliis id tribuamus anno quinquagesimo septimo, quinquagesimo octauo, aut quinquagesimo nono: nulli harum sententiarum conuenire possunt quæ scribit Dionysius *f* Areopagita, (qui præ cæteris auscultandus esset) dum affirmat se vna cum Apostolis Petro, Paulo, Iacobo, aliisq; sanctis Fratribus, Hierosolymam conuenisse ad contuendum corpus quod auctorem Vitæ Deumq; receperat. Neq; n. Dionysium ante quinquagesimum secundum annum Domini conuersum esse ad fidem, inferius videbimus; neque Paulum post conuersionem Dionysij Hierosolymam aduenire potuisse ante annum Domini quinquagesimum septimum, quo à Iudæis detentus est atq; ligatus, ex iis quæ de eius itineribus Lucas refert, satis demonstrari potest. At huic ætati si quatuordecim vel quindecim addas annos, quot nata erat sanctissima Virgo cum peperit Saluatorem; manifeste colliges ipsam eo anno quo Paulus nouissimè Hierosolymam venit, egisse ætatis annum septuagesimum secundum, quo illā ex hac vita migrasse Epiphanius presbyter & Cedrenus affirmarunt. Iis autem si consenserimus, eisdem æquè aptari poterunt quæ scribit Dionysius, vt de sacrosancto Dei-Genitricis corpore, eiusq; funere voluerit intellexisse; etsi alieno sensu, eius verba Hilduinus *g* ad sepulchrum Domini transferre conatus sit; alieniori Matthæus *b* Galenus, ad ædes Ioannis Euangelistæ in quas sanctissima Virgo recepta est; & omnium alienissimo Anastasius *i*, & siqui alij, ad ipsam eam nem CHRISTI diuinitatē continentem. Porro Dionysium de sacrosancto Dei-Genitricis corpore intellexisse, Græci omnes existimarunt, puta Iuuenalis *k* Hierosolymorum Episcopus, Ioannes *l* Damascenus, Andreas *m* Cretensis, Epiphanius *n* ptesbyter, Metaphrastes *o*, Euthymius *p*, Maximus *q* Abbas, Nicephorus *r*, Glycas *s*, & alij.

f Dionys. de diuin. nomin. lib. 1. c. 3.

DIONYSII SENTENTIA.

g Hild. in Areopag.
h Matth. Gal. præf. ad Areop.
i Anast. præf. ad Car.
k Ap. Niceph. lib. 15. c. 14.
l Damasc. ser. de dorm. S. Deip.
m Andr. Cret. ser. de eodem.
n Epiph. presbyt. ser. de eod.
o Metaphr. 15 Aug.
p Euthymij hist. citatur à Damasc.
q Max. in schol. præf.
r Niceph. li. 15 c. 14.
s Glyc. in Annal.

IV.

QVÆ PROBATA VEL IMPROBATA, DE S. MARIÆ OBITV.

Cæterum quæ de Transitu Dei-Genitricis diuersi conscripserunt, alia sunt vt erronea ab Ecclesia Catholica prorsus reiecta, alia vero vt Apocrypha atq; delira itidem improbata, alia rursus cum multorum scriptis tum etiam pia Fidelium traditione recepta. Reijcit S. Ecclesia imprimis Collyridianorum delira, & Antidicomarianitarum commenta: quorum illi putarunt eam non humanæ naturæ fuisse consortem, sed diuinæ, sicque vt Deum fuisse penitus mortis expertem; quos refutat abundantius Epiphanius *a* in Panario. Idem tamen agens cōtra Antidicomarianitas *b*, qui Dei-Genitricis virginitatem infamarent, quo magis illorum procaciam retunderet, eo illam excellentiæ efferre conatus est, vt sicut Enoch vel Elias olim trāslati, sic videatur voluisse ipsam absq; obitu è terrenis ad cœlestia assumptam esse; quamuis nihil affirmare ausus rem dubiam reliquerit, vtrum mortua vel non mortua, & an sepulta aut nō sepulta fuerit. At vero Catholica Ecclesia nullam de eius obitu dubitationem admittens, quam nouit humanæ fuisse naturæ consortem, humanam pariter moriendi necessitatem expertam affirmat. Sicut non recipit quorundā sententiā, qui Simeonis *c* oraculo persuasi, quo ei dixerat: *Tuam ipsius animam pertransibit gladius*, eam martyrio vita functam tradiderūt *d*: cum illud oraculum intelligi debeat de gladio doloris, & compassionis, quo beatissima Virgo in charissimi Filij tormentis eo acutius ac sæuius penetrata est, quo maior cæteris fuit eius dilectio. Decreto quoque Romani Concilij *e* cui Gelasius præerat, inter Apocrypha reijcitur libellus *de Transitu Mariæ Virginis*: sed à quo ille scriptus fuerit cum non dicatur, sine auctoris nomine editum fuisse existimamus, cui postea otiosus quispiam præfixerit honestū titulum Melitonis Sardensis Episcopi: miratusq; sum vehementer Trithemium inter Melitonis lucubrationes illum adnumerasse, quem Hieronymus *f* Melitonis scripta recensens nullo modo agnouit: cum præsertim quæ in eo scripta habentur, tanto viro indignissima iudicentur; multaq; sint Apostolorum Actis (vt etiā notauit Beda *g*) apertè repugnantia: adeo vt quamuis in edito recenter volumine, aliqua ad censuram Bedæ sint emendata, multa adhuc habeat prorsus insulsa.

a Epiph. hær. 79.
b Idem hær. 78.

c Luc. 2.

d Ap. Ambr. in Luc. 2. apud Isid. de vit. & ob. Sanct. c. 68. & Bed. in Luc. 2.
e Gelas. decr. de lib. Apocryph.

f Hieron. de Script. Eccl. in Melit.

g Bed. in retract. in Act. cap. 8.

V.

Quæ vero in eodem narrantur de palmæ ramo eidem Dei-Genitrici morienti in victoriæ signum allato; deq; Apostolis eodē momento è diuersis Orbis regionibus Hierosolymam ad obitum eius per aera in sublime delatis; atque item de miraculo facto in Iudæum, qui feretrum quo illa ad sepulturam ferebatur, ett conatus euertere: hæc, inquā, etsi in eodem Pseudo-Melitonis libello contineātur, haud tamen sic impugnamus quasi minimè vera esse potuerint; quæ à Ioanne Damasceno, Simeone Metaphraste, & Nicephoro Callisto, ex antiquioribus monumentis testimonium *h* habent. Sicut nec ob eam causam quod eodem libello dicatur Dei-Genitrix resurrexisse, & vna cum corpore assumpta esse in cœlum; id negamus, vel in dubium reuocamus; quæ præsertim Iuuenalis Hierosolymitanus Episcopus non ex scripto aliquo commentario, sed potius ex antiqua & veneranda maiorum traditione se accepisse testatus sit *i*. Quod autem addit Nicephorus *k*, occasione Thomæ absentis reseratum fuisse ab Apostolis Dei-Genitricis sepulchrum; ea quidem apud dictum Melitonem non leguntur, verum idem Nicephorus ex traditione maiorum à Iuuenale esse relata testatur. Addiderunt alij & de cingulo eidem Thomæ ab ea cælitus misso: sed quam fidem mereantur quæ non tantum non in probatis aliquib. auctoribus, sed nec in ipsis Apocryphis scripta leguntur, quiuis facile iudicabit.

h Damasc. de dormit. Deip. Metaphr. de vit. & ob. Deip. Niceph. lib. 2. c. 21. & l. 15. c. 14.
i Ap. Niceph. d. c. 14.
k Niceph. l. 1. c. 23.

VI.

l Ap. Hieron. to. 9. ep. 10.

DE SCRIPTO HIERONYMI NOMINE.

m Hieron. de Script. Eccles. cap. 134.

Quod autem pertinet ad alium libellum, seu Epistolam *l* ad Paulam & Eustochium *De Assumptione Beatæ Mariæ*, Hieronymi nomine prænotatam, qua auctor ambigit animane tantum, vel iuncta corpori sit in cœlum recepta: eam non modo non esse Hieronymi, sed nec Sophronij (vt aliqui existimarunt) cuius idem Hieronymus *m* meminit, vel inde manifestè apparet, quod autor totus sit in impugnandis Nestorij & Eutychis dogmatibus, quæ longè post tempora Sophronij atq; Hieronymi in Ecclesiam irruperunt. Vnde minus excusatione digni sunt Vsuardus & Ado in suis Martyrologiis, qui ex eodem haud dubium scripto, quod putarunt Hieronymi esse germanum, rursumque id esse ratum in Ecclesia quod ille sensisset, quasi ex sententia Ecclesiæ, eandem Dei-Genitricis cum corpore assumptionem in dubium reuocarunt, atque adeo maluerunt ipsius transitum vocare *Dormitionem*: cum alioqui & Ioannes Damascenus, & alij Græci qui dormitionem æquè dixerunt,

eam ta-

ASSVMPTIO TRANSITVS VIRGINIS NOMINATVS

eam tamen vna cum corpore in cœlum esse assumptam aperte testati sint. Cæterum Romanam Ecclesiam ASSVMPTIONIS voce semper vsam esse, videre est in vetustissimo ipsius Martyrologio, itemque in Ordine Romano, Sacramentario S. Gregorij, aliisque antiquis Ritualibus & Missalibus libris. Eademque, dum aliorum omnium recolit Sanctorum obitûs celebritatem, *Natalem diem* nominare consuevit, vel *Migrationẽ*, vel aliquando *Dormitionem*: cum vero agit de obitu sanctissimæ Dei-Genitricis, non Natalitium, non Dormitionem, non Migrationem vocat, sed ASSVMPTIONEM, quod filij gratia à mortuis resurgẽs, in cœlum euecta fuerit: quemadmodum cum Christi anima vna cum carne cœlos propria virtute conscendit, peculiari locutione ASCENSIONEM vocat.

VII.

Porro non hi tantum ea Epistola commentitia, sed & alij complures decepti sunt, vt inter alios auctor ille *Sermonum de Assumptione*, qui feruntur nomine S. Augustini *a*, sed quos merito Schola Louanensis inter eiusdem Patris spuria reiecit: qui quidem Hieronymi auctoritate perculsus, nec verbum proferre de Assumptione cum corpore ausus est. Verum n. vero cum Ecclesia in ipsis sacris precibus, quas die Assumptionis publicè recitare consueuit, id affirmasse sæpius videatur, Versibus, Responsoriis, Antiphonis, & Lectionibus, nec aliquando contrarium professa reperiatur; sed & cum in eandem sententiam Patres omnes tam Græci quam Latini qui de his egerunt, æquè consperint, & Scholasticorum classis pariter consentiat: nullus remanet de ea re dubitandi locus, cum præsertim quæ Hieronymi aut Sophronij nomine inscripta est Epistola, ac proinde Augustino sermones falsò adscripti, vel quæ id genus sunt aliæ Apocryphorum quisquiliæ, aliis adhuc validissimis cõfutari possint rationibus *b*. Sed in re tam clara hæc nobis sufficiant: illud tamen monemus, haud ita nos hoc loco recensuisse Beatissimæ Virginis Assumptionem, quasi affirmare velimus eam hoc ipso anno contigisse; sed quod hoc anno ponatur apud Eusebium, nobisq; quo anno certo acciderit sit inexploratum.

a *Ap. Aug. ser. 34. & 35. de Sanct. & to. 9. tract. 8. & tom. 10. 83 in Append. edit. Louan.*

b *De quibus fusè Baron. Annal. tom. 1. hoc an.*

VIII. SOLEMNITAS ASSVMPTIONIS ANTIQVA. *De qua Baron. in Not. ad Martyrol. 15. Aug.*

Porro eiusmodi solemnitatem antiquitus celebrari consueuisse, argumento est, quod Nicolaus Papa scribens ad consulta Bulgarorum, inter Ieiunia ab æuo seruari solita ab Ecclesia Romana, recenset Ieiunium ante solemnitatem assumptionis Beatissimæ Virginis. Est quoque Sermo S. Athanasij nomine, quo præclara quidem & mirifica de Dei-Genitricis assumptione scribuntur; sed quem in die Annuntiationis potius habitũ, apparet ex eius exordio: eundemque posterioris cuiusdam scriptoris esse constat, quod multus sit in confutandis Nestorij & Monothelitarum dogmatibus, quæ postea emerserunt. Quod autem scribit Nicephorus *c*, eiusmodi solemnitatem edicto Mauritij Imperatoris statutam; sic accipias, vt eam antea ab Ecclesia institutam, ipse in Oriente, sanctione edita promulgarit. Quemadmodum & S. Bernardus *d* non aliunde quam à Sancta Dei Ecclesia eam se accepisse testatur: quã quidem in Galliis temporibus iam Caroli *e* Magni receptã esse constat: extantque plures tam Latinorum quam Græcorum Sermones in ea habiti. Dictam quoque eandem ob eius excellentiam, DIEM DOMINÆ, de Hunnis testatur Cartuitius *f*.

c *Niceph. lib. 17. cap. 28.*

d *Ber. ep. 174. ad Can. Lugd.*

e *Capitul. l. 1. c. 163. lib. 2. c. 35. l. 6. c. 186.*

f *Cartuit. in vit. S. Steph. Reg.*

IX. DESCRIPTIS S. MARIÆ.

Quod denique spectat ad sanctissimam Dei Genitricem: feruntur quædam eius ad alios scriptæ Epistolæ, & aliorum ad ipsam; sed quod careant antiquorum testimonijs, & Ecclesiæ auctoritate, eas non nisi in Apocryphorum classem reijcimus. Describitur item eius effigies à Nicephoro *g*, ex Epiphanio, vt ait; cum & superius *b* Domini IESV descripsisset pariter effigiem: sed ex picturis aliquibus prototypis ea potius descripta, quam ex viuentium ipsorum imaginibus esse videntur accepta. Quod tamen idem alibi *i* testetur, Lucam Euangelistam Dei-Genitricis pinxisse Imaginem; & Saluatoris item effigiem ab eodem coloribus esse effigiatam, tradit Metaphrastes *k*, fictique potuerit vt secundum eas factæ fuerint prædictæ descriptiones; qui eas cupit, petat ab eodem Nicephoro.

g *Niceph. li. 2. cap. 23.*

h *Isid lib. 1. c. 40.*

i *Id. l. 14. c. 2. l. 15. c. 14.*

k *Metaphr. in Luca, 18. Oct.*

* *
*

IESV CHRISTI
ANN. 49. 50.

PETRI AN. 5. 6.

CLAVDII IMP.
ANN. 7. 8.

ANNO Christi quadragesimo nono, Claudio *a* Aug. quartum & Vitellio tertium Coss. Paulus & Barnabas peracto peregrinationis suæ circulo, Antiochiam Syriæ *b* redierunt. Romæ vero, quod externæ superstitiones valescerent, vilescerentq; vetustissima aruspicum disciplina; Claudius Imp. ex Senatusconsulto hanc restituendam curauit, vt refert Tacitus *c* et quẽ per *externas superstitiones*, Christianam quoq; religionem in Vrbe iam propagari cœptam significare voluisse, nullus iure poterit dubitare.

Anno vero sequenti, Christi quinquagesimo, A. Vitellio, & L. Vipsanio Coss. Claudij ann. octauo (ait Iosephus *d*) Herodes Rex Chalcidis, Agrippæ Senioris germanus, vita functus est: in cuius regnum Claudius Imp. Agrippam Iuniorem Senioris filium euexit. Reliqua vero Iuda sub procuratione Cumani variis tumultibus & cladibus afflicta est: quas pluribus idem auctor recenset. Hocque eodem anno (vt scribit Tacitus *e*) iussu eiusdem Claudij conditum est Lustrum, quo censa sunt ciuium sexaginta nouem centena & quadraginta quatuor millia, quibus videas in quãtæ vastitatis pelagus Galilæus piscator rete prædicationis immiserit.

I. a *Dio l. 60. b Act. 14.* CLAVDIVS PROFICIT GENTILITIÆ SVPERSTITIONI. c *Tac. Annal. lib. 11.*

II. d *Ios. 20. ant. & 2. de bel. 11.*

e *Tac. lib. 12.* LVSTRVM CVM CENSV

IESV CHRISTI
ANN. 51.

PETRI ANN. 7.

CLAVDII IMP.
ANN. 9.

ANNO CHRISTI quinquagesimo primo, C. Pompeio & Q. Veranio Coss. Claudij anno nono (vt refert Orosius *f* ex Iosepho) eiusdẽ edicto Imperatoris Iudæi Roma pulsi sunt. Qua de re Suetonius *g* ab eodẽ Orosio æquè citatus, *Claudius*, inquit, *Iudæos impulsore Christo assiduè tumultuantes, Roma expulit.* Ita ipse subobscure, vt rerum nostrarũ haud satis gnarus. Quoniam vero prædicantes Apostoli fidem Christi à nullis vehementius, quam à Iudæa gente (vt apparet ex ipsorum Actis à Luca cõscriptis) sunt impugnati; haud dubium est, eosdem Iudæos Romæ aduersus Petrum turbas sæpius concitasse, rursumq; alios Christianæ religionis studiosos, eisdem fortiter restitisse; sicq; inuicem altercantibus, & Christi fidei occasione id fieret, Christo impulsore factũ esse Sueton. scripsisse. Cæterum non tantũ Iosepho & Suetonio auctorib. exploratũ habetur Iudæos à Claudio Roma expulsos, sed & Lucæ *h* Euangelistæ testimonio id firmissimè cõprobatur, ac certũ redditur, Christianos ét qui ex Iudæis Christi fidẽ sectati essent, ex Vrbe procul abire iussos. Quod vero id hoc anno Claudij nono cõtigerit, antiquiores *i* oẽs Orosio assentiũtur: nec video qua nuper ratione quidam *k* aduersus omnium sententiam dicere sit ausus id accidisse anno sexto eiusdem Imperatoris.

I. f *Oros. lib. 7. cap. 6.* g *Sueton. in Claud. c. 25.* IVDÆI ROMA PELLI. ATQVE ETIAM CHRISTIANI.

Expulsum autẽ cum cæteris Iudæis fuisse Petrum Apostolum, (nisi alia occasio inde eum ante abduxerit) nulla est dubitatio; quẽ hoc ipso anno Hierosolymorũ interfuisse Concilio, Lucæ testimonio exploratum habetur. Nam quod ait S. Leo *l*, Petrum non cessisse Claudio vel Neroni, non sic accipiendum est, vt edicto cum aliis pulsus, ei minimè acquiescendũ putarit; sed quod potius dum Romæ mansit, illis licet inuitis, Euangelium intrepidè prædicarit.

h *Act. 18.*

i *Ted. de 6. Ætat. Ado. in Chron. Mar. Scot. Iac. & alij.*

k *Panuin. in Fast.*

II. PETRVS REDIT HIEROSOLYMAM.

l *Leo serm. in nat. Apost.*

Metaphrastes *a* (si qua tamen ei fides adhibenda est, sine maiorum auctoritate loquenti) tradit, Petrum cum Roma recessisset in Africam nauigasse, & Carthaginiensem erexisse Ecclesiam, ac Crescentem discipulum eidem præfecisse, inde Alexandriam concessisse, erectaque Ecclesia Alexandrina, & Marco ibi instituto Episcopo, ac Thebis Rufo, Hierosolymam profectum esse. Sane Gregorius *b* Papa scribens ad Episcopos Numidiæ, eos ab Apostolo Petro accepisse ordinationum initia testatur. Et longe ante Cyprianus *c* Romanam Ecclesiam *Matricem* appellauit, quod non tantũ Carthaginiensis Ecclesia ab ea fidem accepisset, sed & quæ sub ipsa continentur Mauritania atque Numidia. At de Ecclesiæ Africanæ institutione dictum est etiam superius *d*.

a *Metaphr. 29 Iunij.*

b *Gregor. 2. ep. 75.*

c *Cypr. ep. 45.*

d *Ann 44. num. xx.*

III.
DE CONCILIO HIEROSOLYM. APOSTOLORVM.

Vt vero iam de ipso Hierosolymis congregato CONCILIO agamus, imprimis illud hoc in loco admonendum est, quinto anno, qui fuit decimus quartus post priorem Pauli Hierosolymã aduentum, decimus septimus post eius Conuersionẽ, & decimus octauus post Domini Ascensionẽ, celebratum esse, satis probatum est superius cum egimus de tẽpore eiusdem Pauli conuersionis. Causam vero illius celebrationis Lucas *e* ait fuisse, quod quidam ẽ Iudæa Antiochiam venientes, prædicarent Gentiles ad Christum accedentes non posse saluari nisi circumciderentur secundum legem Moysis; cum vero eis fortiter resisterent Paulus & Barnabas, orta dissensione non parua, missos esse ab Ecclesia Antiochena eosdem Paulum & Barnabam cum aliis quibusdam ex parte aduersa Hierosolymam, vt Apost. & presbyteros qui illic essent de ea quæstione consulerent. Porro eorum qui eiusmodi ciuerunt tubas Antiochiæ, antesignanũ fuisse CERINTHVM hæresiarcham, quem iam vidimus ipsi Petro Apostolo in admissione Gentium aduersatum esse; eundemq; contra Paulum & Barnabam, quasi legem propugnaturum Hierosolymam petiisse; Epiphanius *f* est auctor. Quinam autem Apostoli Concilio interfuerint, cũ Lucas non nisi *Petri, Pauli, Iacobi, & Barnabæ* meminerit; ipse vero Paulus in Epistola ad Galatas *g* de eodẽ Concilio agens, (vt quidem Epiphanius, Hieronymus, ac deniq; omnes Ecclesiastici tractatores pro constanti habent) his *Ioannem* tantum addat; facile adducimur vt credamus, nominatos duntaxat quinque Apostolos dicto sacro Conuentui interfuisse. Ac quidem Iacobum, quod esset institutus Hierosolymorum Episcopus, illic consedisse exploratum habetur. De Ioanne, quem Ephesum migrasse dictum est, inde Hierosolymã aduenisse haud magnum negotium fuit. De Petro vero, intelleximus eum necessitate ipsa coactum Roma recedere debuisse. Cum & alioqui potuerint iidem monente diuino Spiritu ad tantæ quæstionis definitionem Hierosolymam proficisci: quemadmodum & ipse Paulus ait, secundum reuelationem se illo ascendisse.

MOLITIONES CERINTHI.

e *Act. 15.*

f *Epiph. hær. 28.*

g *Galat. 2.*

IV.
ACTA SYNODI APOSTOLORVM.

Ipsa porro Synodi Acta Lucas *h* recensens, primo loco Petri sententiam recitat, quam ipse primus vt Princeps Synodi dixit; imo rem ipsam sui prærogatiua suffragij visus est definisse. Nam (vt docet Hieronymus *i*) in sententiam eius Iacobus Apostolus, & omnes reliqui transierunt; ac non seruandam esse circumcisionem, neq; cætera quæ pertinent ad legem Moysi, æquè omnes senserũt. Præceptum namq; abstinendi à carne cum sanguine, quod Iacobus addidit, non Iudæis priuatim, sed gentibus omnibus mox vt Noe ex arca est egressus, à Deo *k* est imperatum. Quod vero ad reliqua immunda spectat, cum per ea Gentes *l* significarentur, eædemque ad Ecclesiam Domini voluntate essent admissæ; nulla amplius habenda erat ratio animaliũ immundorum, quod iam implera figura omnino cessasset. Vnde & apud Midraitelim in explicatione illius versus Psalmi: *Dominus soluit compeditos*, futurum esse dicitur vt adueniente Messia Hebræi cibos omnes absq; delectu comesturi sint. Porro finita consultatione Concilii, Lucas ait scriptam esse Epistolam Synodicam, eandemq; per Iudam cognomento Barsabam & Silam viros primarios Antiochiam missam ad Christianos ex Gentibus, vt abstinentes ab Immolatis, & Sanguine, & Suffocato, & Fornicatione, in cæteris liberi essent. Quod tamen non sic accipiendum est, vt in cæteris omnibus delinquendi liberas laxarint habenas; sed quod *m* cætera crimina sæculi legibus plecterentur, superfluum visum est ea diuina lege prohibere. Hac autem data Epistola Synodum absolutam fuisse Lucas, qui ad res Antiochenas vertit stylum, significare videtur. At enim Paulus ad Galatas *a* scribens, addit eiusdem Concilij decreto sibi & Barnabæ esse iniunctam prædicationem ac patrocinium Gentium; Petro vero, Iacobo, & Ioanni relictam curam illorum qui ex circumcisione fuissent.

h *Act. 15. Acta Synodi Apostolorum.*

i *Hier. ep. 89. ad August.*

k *Gen. 9.*

l *Leuit. 20. Act. 10.*

m *Origen. in Rom. 13. lib. 9.*

a *Galat. 2.*

V.
DE PRÆCEPTO SVFFOCATORVM.

Sed quod rursum ad decreta Synodi spectat; quorundam antiquorum fuit sententia, præceptum *de suffocatis non edendis* fuisse postmodum superadditum, nõ vero ab Apostolis positum: hinc que Irenæus *b* eundem locum bis citans, semper suffocarum prætermittit; eiusque loco addit præceptum *de non faciendo alteri quod quis sibi fieri non vult.* Itemque Tertullianus *c*, Cyprianus *d*, & Pacianus *e* eundem locum absque mentione suffocati citant. Ambrosius *f* vero asserit, mandatum illud à sophistis Græcorum esse additum. Ac denique Gaudentius *g* Brixianus & Augustinus *h* affirmare videntur, ea verba adiecta esse per interpretationem præcepti de sanguine. At Græci semper eo modo legisse reperiuntur; prout etiam nunc habet communis editio Latinorum. Quin etiã vsu receptum fuisse olim in Ecclesia, vt Fideles ab esu sanguinis abstinerent, docent Tertullianus *i*, Minutius *k*, Blandina martyr apud Eusebium *l*, & Concilium *m* Gangrense. Sed qua ex causa sint iussi Gentiles æquè ac Iudæi à sanguine abstinere, illa affertur *n* potissima, vt aliquo, licet in re leuissima, remanente vsu legalium, Iudæi ac Gentiles in vnum CHRISTVM, lapidem angularem, facilius compaginarentur. Origenes *o* vero putauit, quoniam penes Gentiles ea opinio inualuerat, suffocata cibum esse dæmonũ qui eius nidore pascerentur; ideo ab Apost. iure ac merito, vt Idololatriæ quoddam symbolum, iisdem Gentilibus ad CHRISTVM venientibus ea fuisse vna cum prædictis vetita. Quam mordicus aũt Græci eiusmodi institutionem tenuerint, nõ tantum complures ipsorum Canones, sed & sanctiones Imperatoræ *p* facile monstrant: cum illud, *Abstinere à sanguine*, etiamsi defuisset illa verba in textu, *Et suffocato*, tñ communi omnium cõsensu de vsu sanguinis animalium esse dictum intelligeretur. Apud Latinos vero est canon Concilij *q* Aurelianensis Secundi, Suffocatis vesci prohibens: & ex Concilio Carthaginensi idem asseritur in Synodo *r* Wormatiensi. Denique primi Christiani quod instituissent Apostoli cõpagionis causa, firmiter retinentes, à Sanguinis esu & Suffocato laudabiliter omnes abstinuerunt: ea vero postmodum cessante causa, quidam id præstare *s* destiterunt; quidam vero, Apostolici culminis reuerentia illud ipsum aliquandiu retinẽdum putarunt: quod demum totius Occidentalis Ecclesiæ consensu est æquè laudabiliter antiquatum.

a *Galat. 2.*

b *Iren. lib. 3. cap. 12.*

c *Tertul. de pudic. c. 12.*

d *Cypr. ad Quirin. lib. 3. in fin.*

e *Pac. de pœn. & confes.*

f *Ambros. in Gal. 2.*

g *Gaud. tract. de Macab.*

h *Aug. 32. cõt. Faust. 13.*

i *Tert. Apol. c. 9.*

k *Min. in Octa.*

l *Ap. Euseb. 5. hist. 1.*

m *Conc. Gagr. can. 2.*

n *Aug. 32. cõt. Faust. 13.*

o *Orig. lib. 8 cont. Celsi.*

p *Leo Nouel. const. 58.*

q *Conc. Aurel. II. c. 20.*

r *Conc. Wormat. c. 65.*

s *Vid. Aug. vbi supra.*

VI.
DISTINCTIO APOSTOLATVVM PETRI ET PAVLI.

Sed quod in eodem Concilio Apostolorum statutum fuisse diximus de cura Gentium Paulo ac Barnabæ mandata, Iudæorũ vero Petro & ceteris qui aderant Apostolis; nihil quis existimet contra diuinam institutionem esse sanctum, quasi cura totius gregis à Christo (vt vidimus) Petro commissa, eius decreto Concilij fuerit limitata; vel subtracta prædicatio ad Gentes illi diuinitus impertita, quando cælitus ostensum est linteum, quo signo (vt in hoc etiam Conuentu ipse testatus est) accepit à Deo Apostolatum in Gentes. Non n.ea sic facta est diuisio, vt alter ab alterius abstineret Apostolatu: alioqui & transgressor Apostolicæ sanctionis Paulus plane habendus esset, qui & posthac (q Lucas in Actis *t*, & ipse Paulus omnibus fermè suis Epistolis manifestat) vbicunque Iudæos inuenit, eis Euangelium prædicauit: sed ita inter ipsos transactum est (prout hanc quæstionem Hieronymus *u* soluit) vt quamuis vtrique liberum remaneret ad alios accedere, tamen Petrus Iudæorum principaliter patrociniũ susciperet, Paulus Gentium; & sic tam qui defenderet Legem, quam qui Legi Gratiam præferrent, haberent quem consulerent ac sequerentur: manente nihilominus semper Petro vniuersi gregis pastore ac moderatore: quemadmodum CHRISTVS Dominus sic dictus est *Minister x circumcisionis*, vt tamen esset Pastor omnium atq; Saluator, apud quem non esset distinctio Iudæi & Græci. Vnde & constat, hac etiam ex parte Petrum circum-

t *Act. 17. & seqq.*

u *Hieron. in Gal. 2.*

x *Rom. 15.*

circumcisionis ministerio velut omnium honestissimo esse nobilitatum, quo ipse Dominus peculiariter est functus. At de gestis Synodi hactenus.

VII.

Datis autem ab Apostolis ex Concilio literis Antiochiam ad Gentiles Christianos per Iudam & Silam, qui vna cum Paulo & Barnaba ad illas perferendas legati sunt: eo expleto officio Iudas Hierosolymam rediit, Silas vero Antiochiæ mansit; vbi & Paulus & Barnabas demorati sunt Euangelium prædicantes. Hæc Lucas *a*: qui cætera quæ ibidem eo tempore facta sunt (vt verbis vtar Hieronymi *b*) historiographi licentia prætermisit: sicut & alia multa quæ Paulus in suis Epistolis recitat, ac præsertim de quibus agimus, res Antiochenas. Quas idem Paulus *c* breuiter describens, ait cum post Synodum prædictam Petrus Antiochiam venisset, ac primo cum Gentibus cibum sumens, postea ne quibusdam Iudæis superuenientibus scandalo esset, se ab eis segregasset; ipsum Paulum *ei in faciem restitisse, quia reprehensibilis erat, cum simulationi eius & cæteri Iudæi consentirent, atque ipse etiam Barnabas duceretur ab eis in eam simulationem.* Hæc Paulus: hicque plane est lapis offensionis, in quem noscuntur impegisse complures. Qui enim historiam captu difficilem, nulla adhibita diligentiori consideratione sunt interpretati, eo impudentiæ homines impij progressi sunt, vt vel Paulum, temeritatis arguant *d*, quod in Petrum Apostolorum Principem non tam libere quàm procaciter fit inuectus; vel hypocrisis nomine fugillent Petrum, quod simulate ageret; vel vtrumque *f* condemnẽt, quod non in eandem fidei regulã consentirent. Rursum vero ex Scriptoribus Ecclesiasticis, Tertullianus *g* & alij inconstantiæ vitio iure reprehensum esse Petrum dixerunt, quod pro personarum varietate victum variaret: & (quod quisq; mirari debet) ipse S. Augustinus *h* Theologorum vertex, dum exemplo Petri Cyprianum errantem excusat, Petrum in crimen adducit, quod aliter quam veritas postularet de circumcisione egerit: rursumq; alibi, eum in superstitiosam prauamque simulationem lapsum esse scribit.

a *Act.* 15.

b *Hieron. in Gal.* 2.

c *Gal.* 2.

CALVMNIA IN APOSTOLOS.

Cæterum complures tam Græcorum quam Latinorum antiqui Patres, Petrum ab omni labe peccati immunem reddunt: horumque alij ab omni etiam suspicione erroris ea ratione liberant, dum Cepham illum, quem Paulus à se reprehensum scribit, non fuisse Petrum Apostolum, sed vnum dicunt ex numero Septuaginta duorum Discipulorum, citantes Clementem *i* Alexandrinum huius assertionis auctorem. Verum istanec olim placuere Hieronymo *k*, nec nobis hodie: nam cum eodem loco Cepham Paulus recenseat vna cum Iacobo & Ioanne Apostolis, qui (vt ait) videbantur esse columnæ; de Petro intellexisse, nulla est dubitatio. Fuit aliorum sententia, Petrum & Paulum eiusmodi inter se ex composito simulasse dissidiũ, quo vtilitati discipulorum adhuc Iudaizantium ea arte consulerent; ratos non amplius eos ausuros legalia in cibis seruare, si Petrum ea de causa à Paulo reprehensum, nec contradicentem vidissent. Fuerunt huius sententiæ assertores Origenes, Didymus, Apollinaris, Eusebius, Emesenus, Theodorus Heracleotes, quos omnes Hieronymus *l* citat; itemq; Chrysostomus *m*, Theodoretus *n*, Cassianus *o* Theophylactus *p*, Oecumenius *q*, & fortasse alij: hac nimirũ omnes persuasi ratione, quod minimè fieri potuerit vt Paulus serio reprehenderit in Petro, quod sæpius ipse facturus esset; velut postea crebrius factitarit, quod in Petro coram Ecclesia tam acriter reprehendisset: siquidem postea Timotheum *r* patre Gentili natum circumcidit, ipseque sibi Nazaræorum *s* more totondit caput in Cenchreis, & Hierosolymis se purificauit *t* cum Iudæis, ac denique factus est vbique Iudæis *u* Iudæus vt eos lucrifaceret. Porro eiusmodi simulationem ex composito inter Petrum & Paulum absque aliquo peccati scrupulo intercedere potuisse, ijdem auctores exemplo Domini comprobarunt; quippe qui vt occultaret quod faceret, sæpe ea arte laudabiliter vsus esse videtur: vt cum dixit ad suos, se non ascensurum ad festum, & tamen ascendit seorsum ab illis; vel cum se hortulanum simulauit cum Magdalena, & viatorem cum duobus illis discipulis Emmauntem euntibus, quando & finxit se longius abire. Hanc igitur sententiam Hieronymus inter Latinos sectatus, cum eandem roborare conatus esset, Augustinus ei vehementius restitit, vltro citroq; multo tempore datis *a* literis; Augustino cõtendente nullam intercessisse simulationem, sed cuncta verè & serio esse facta.

d *Porphyr. ap. Hier. ep. 86. ad Aug.*

e *Iul. Apost. ap. Cyr. lib. 9. in fin.*

f *Marcion. & Valen. ap. Tertul. lib. 4. aduers. Marc. c. 3. & de præscr. c. 23.*

g *Tert. cont. Marc. l. 5. c. 3.*

h *Aug. 2. de bapt. cõt. Don. 1. & de agon. Christ. cap. 30.*

VIII.

DIVERSÆ ET INTEMPESTIVÆ DE REPREHENSIONE PETRI à PAVLO.

i *Ap. Euseb. 1. hist. 23.*

k *Hieron. in Gal. 2.*

l *Hier. ep. 89. ad Aug.*

m *Chrys. in Gal. 2. & de Sacerd.*

n *Theod. in Gal. 2.*

o *Cass Collat. 17.*

p *Theophyl. in Gal. 2.*

q *Oecum. in Gal. 2.*

r *Act. 16.*

s *Act. 18.*

t *Act. 21.*

u *1. Cor. 9.*

Cum ergo ijdem auctores omnes in alterutram sententiam conspirarint; vel ea cuncta esse simulate peracta, ac sic nullum fuisse Petri peccatum; vel serio esse gesta, ac sic Petrum errasse: nos neutram harum sequentes dicimus ea nec ex composito facta, nec ea faciendo Petrum vel minimum deliquisse. Ad quæ insinuanda, illud imprimis statuendum quod in confesso est apud omnes, Apostolos absque leuissima culpa secundum loci & temporis rationem vti potuisse legalibus; sicut & ipse Paulus fæpe fecisse conspicitur: adeo vt hac ex parte nullum Petro possit adscribi peccatum, si cum Iudæis Iudaicè aliquando vixisset: licentius enim id à Petro quam à Paulo vsurpari potuisse, cum ille Iudæorum, Paulus vero Gentium patrocinium suscepisset, nemo non videt. Cum igitur ea ex causa à Paulo minimè reprehendi meruerit; vnum illud reliquũ est, quod in Petro reprehendi posset, si fortasse quod licite facere poterat, minus opportuno loco vel tempore fecerit. Verum si vnquã ea licentia illi vtendum fuit, nullo quidẽ opportuniori loco vel tempore, quam isto, id fieri potuisse facile intelligemus, si exactè rei gestæ historiam exquiramus: quæ est huiusmodi: Veniens Petrus Antiochiam, cõpositis iam rebus inter Gentiles & Iudæos, absq; aliqua offensione cuiuspiam cum Gentilibus edebat: cum vero quidam à Iacobo Hierosolymis venirent Antiochiam, subtraxit se à Gentilibus Christianis, & Iudæis Fidelibus inhærens, se Iudaicè viuere simulauit: cui simulationi & cæteri qui Antiochiæ erant consenserunt Iudæi, vsq; adeo vt etiam Pauli collega Barnabas id fecerit, & Gentiles ad id faciẽdum eodem exemplo quodammodo cogerentur. Hæc omnia scripta habentur à Paulo in dicta Epistola ad Galatas.

a *Aug. ep. 8. vsq. 97. & ep. Aug. ep. vsque 19.*

IX.

PETRVS AB OMNI CVLPA IMMVNIS.

Cur autem occasione Iudæorum qui à Iacobo venerant, institutum vitæ Petrus mutauerit, nulla redditur causa, nisi quod ait Paulus φοβούμενον τοὺς ἐκ περιτομῆς, quod Latinè æquè reddi potest, *Timens eos*, vel *eis*: ac licet Interpres *eos*, non *eis* verterit, quod secundum proprietatem Latini sermonis diuersum habet sensum: tamen *eos*, loco *eis*, eundem vsurpasse iterum in eadem Epistola *b* constat, dum vertit *Timeo vos, ne forte sine causa laborauerim in vobis.* Vnde Chrysostomus *c*: *Non hoc Petrus metuebat, ne veniret ipse in discrimen, verum illud, ne ij deficerent.* Timebat igitur scandalum Iudæis Hierosolymis aduenientibus inferre, hac nimirum imprimis ex causa, quod in Hierosolymitano Concilio haud prospectum Iudæis perinde ac Gentilibus fuisset, vt eadem lex de legalibus non vtendis esse vtrisque statuta; sed illud tantum decretum fuisset, ne Gentiles cogerentur seruare legalia: quod & ipsum haud facile fuisse obtineri, satis ipse Paulus agnouit, cum negotium ei à Iudæis *d* factum est occasione Titi incircumcisi. Si ergo Iudæi Hierosolymis venientes, non tantum in Gentiles legalia non propagari, sed & ipsos Iudæos Gentilitio more viuere; ipsumque adeo Principem Apostolorum, penes quem erat summa rerum, & qui peculiare Iudæorum susceperat patrocinium, Gentiliter viuentem vidissent; quales turbas, quantas dissentiones eos fore concituros par est existimare? His igitur vt occurreret Petrus, segregans se ad tempus à Gentilibus, Iudaicè cum aliis viuere cœpit: eiusque hoc prudens consilium adeo & reliqui approbarunt, vt & Gentiles ipsi in quorum præiudicium res agi videretur, immo & Barnabas Apostolus, cui æquè ac Paulo credita fuerat Gentilium procuratio, ipsum etiam imitati sint.

X.

PETRVS CVR VIVE LEGALIBVS.

b *Gal. 2.*

c *Chrys. in Gal. 2.*

d *Galat. 2.*

Sed qua igitur in re Petrus reprehensibilis visus est Paulo? Non quidem in ipso opere, quod (vt diximus) permissum erat, & Paulus sæpius facturus esset; sed quod occasione operis rite ex dispensatione patrati, oboriretur res quæ merito reprehendenda esset, nimirum vt eius exemplo Gentes ad Iudaizandum impellerentur: à quo quidem cum animus & intentio Petri procul abesset (nam hactenus Antiochiæ Gentiliter vixerat, & in ipsa Synodo

XI.

EMERGENS OCCASIO COMMOVIT PAVLVM.

Hiero-

Hierosolymitana palam professus fuerat non esse onus legalium eis imponendum:) nec peccatum inesse potuisse certissimum est. Quod tamen eius simulationem, licet rationabili causa, & absque vlla leuioris criminis culpa vsurpatam, in perniciem Gentium conuerti Paulus aspiceret; ideo coram omnibus illum redarguit, quo & Gentiles in officio retineret, & Iudæos quid agere de cætero deberent, Petri exemplo commonefaceret, sicque vno remedio vtriusque populi saluti opportune consuleret. Denique sic Petrus, qui à culpa prorsus immunis erat, ex dicta aliorum occasione Paulo reprehensibilis visus est; sicut & ipse Paulus etiam aliis reprehensibilis videri potuisset, si cum ipse legalia postea seruauit, Gentiles Christiani eius exemplo ad id ipsum fuissent impulsi: de quibus sane, idem quod ipse de Petrum imitantibus dixit, iure dici potuisset, eos non recte ambulare ad veritatem Euangelij. Atq; hactenus de antiquissimæ ac famosissimæ quæstionis legitima definitione, & germano historiæ sensu. Quibus & habes quod de Principis Apostolorum auctoritate, quanti illa ab omnibus æstimata fuerit admirati possis, cum non solum reliqui Fideles, sed & ipse Barnabas Apostolus, post habitis quæ diuino suffragio in Concilio Hierosolymitano statuta viderentur, tanti ponderis exemplum Petri esse duxerunt, vt eundem Iudaizantem sequendum esse existimarint. Habes insuper, quo eiusdem Petri extollas humilitatem; *quem* (vt ait Cyprianus *a*) *quamuis primum Dominus elegerit, & super eum ædificauerit Ecclesiam suam; tamen cum secum Paulus disceptauit, non vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit, vt diceret se primatum tenere, & obtemperari à nouellis & posteris sibi potius oportere: nec despexit Paulum, quod Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, &c.* Quæ eadem citat ac recitat Augustinus *b* contra Donatistas.

His Antiochiæ peractis, post aliquot dies (inquit Lucas *c*) cum Paulus Barnabam hortaretur vt nouam susciperent visitationem Ecclesiarum in quibus olim prædicassent; sed nollet eidem Barnabæ consentire, vt Ioannes cognomento Marcus cum eis pergeret, quod in prima peregrinatione ipsos deseruisset: facta inter eosdem Apostolos hac de causa dissensione, discesserunt ab inuicem; & Barnabas quidem assumpto Marco nauigauit in Cyprum; Paulus vero, electo Sila, alio profectus est. Hæc Lucas. Non fuit autem hæc cõtentio, quæ mutuam scinderet charitatem, cum ambo in vnam eandemq; sententiam conuenirent, nimirum vt quisq; eorũ id ageret quod Deum velle existimaret: sed fuit potius consilium Spiritus sancti *d*, vt qui hactenus comites indiuidui extitissent, iam ab inuicem separarentur, quo tanto maior fructus Ecclesiæ proueniret, quanto plures prouincias sic diuisi peragrarent. Sed & in vtilitatem ipsius Marci hæc gesta esse probauit euentus, dum qui desertor militiæ in hunc modum à Paulo est reiectus, animosior inde redditus posthæc inter primos ordines militauit, eidem ipsi Paulo iterum adhærens, & fidelissimus coadiutor existẽs, sicut alia occasione dictum est superius, dum ostendimus eundem Ioannem Marcum fuisse consobrinum Barnabæ.

Quæ autem à Barnaba postquam nauigauit in Cyprum gesta sunt, Lucas Pauli tantum rebus intentus silentio obuoluta reliquit. Sed & quæ extant Barnabæ Acta nomine eiusdem qui supra Ioannis Marci, eadem inserta libro Abdiæ nomine prænotato; necnon quæ de eodem Barnaba leguntur in Recognitionibus Clementis nomine vulgatis: hæc, inquam, nullius sunt auctoritatis, tum quod eosdem libros quibus ea continentur, constet inter spurios ab antiquis esse reiectos; tum quod pleraque illa quæ de Barnaba habent, apertè contradicant historiæ Apostolorum à Luca conscriptæ, aliisque probatorum Patrum testimoniis. Quale est illud (quod æquè ex earundem Recognitionum cœnoso gurgite Alexander Græcus *e* auctor, qui res Barnabæ prosecutus est encomiasticè potius quam historicè, in suam scriptionem deduxit; nec non Dorotheus inter cæteras quisquilias suas adlegit) quod asserunt Barnabam Romam venisse, & primum omnium ibi Christum annunciasse: cum in confesso sit apud omnes Petrum iam anno secundo Claudij Imp. Romam aduenisse;

& Lucas *a* testetur, Paulum & Barnabam nonnihil post Agrippæ Herodis obitum, (qui contigit *b* anno quarto eiusdem Claudij) Apostolatum Antiochiæ accepisse. Cæterum posthæc tempora cum Barnabas vna cum Marco in Cyprum profectus est, visitatis quæ ibi erant Ecclesiis, in Italiam nauigasse non negarim. Nam & in Liguria prædicasse Euangelium, nobilissimamque *Mediolanensium Ecclesiam* erexisse, ac longe lateq; Christi fidem feliciter propagasse, firmæ traditiones, eiusdemq; Ecclesiæ monumẽta, cõplurium Scriptorum testimoniis confirmata, fidem indubitatam faciunt. Romam vero concessisse, illicque prædicasse Euangelium, quamdiu Claudius vixit minimè concessum fuisse videtur, prohibente illo Iudæos Romæ agere. Adeo vt siquis Apocryphorũ auctoritate Barnabam velit aliquando venisse Romam, nonnisi ad Neronis tempora id referri posse, ex iam dictis appareat. Quando autem in Cyprum reuersus sit, quãdove martyrium consummauerit, nihil inuenimus quod antiquorum Scriptorum testimonijs possimus asserere.

Porro scripsisse Barnabam Epistolam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem, auctor est Hieronymus *c*: eandemque citatam inuenies ab Origene *d* & Clemente *e* Alexandrino sæpius. Tertullianus *f* insuper, & alij *g* eius auctoritate permoti, tribuerunt Barnabæ Epistolam Pauli ad Hebræos. Verum cum nonnisi vna nomine Barnabæ olim circumferretur Epistola, & quæ ex ea dicti auctores sunt mutuati, nequaquam in Pauli ad Hebræos Epistola reperiantur, inde manifeste constat, diuersam illam esse; & manifestius ex eo quod Hieronymus, cum omnia nomina Hebraica quæ in diuinis Scripturis leguntur interpretaretur, & inter alia quæ in Epistola Pauli ad Hebræos inserta essent; nouissime *h* & illa quæ in Epistola Barnabæ haberentur exposuit. Sed de Barnaba hactenus.

De Paulo vero Lucas *i* ait, eum vna cum Sila perambulasse Syriam & Ciliciam, *confirmantem Ecclesias, & præcipientem custodire præcepta Apostolorum & Seniorum*; nempe quæ decreta essent in Synodo Hierosolymitana, vt idem Lucas *k* inferius declarat. Ex quibus intelligas, hæc ad Gentes duntaxat Paulum dixisse; de quibus tantummodo actum est in eodem Concilio. Videas insuper, quanti ponderis habitæ fuerint Ecclesiasticæ Sanctiones, vt earum Paulus & Sila præcones extiterint. Porro Apostolorum exemplo ea ad posteros, qui loco Apostolorum sunt in Ecclesijs eadem auctoritate Episcopi subrogati, dilapsa est consuetudo, vt cum ratio postulat, ad instituendam plebem sibi commissam, vel singuli in suis Ecclesijs, vel cum in sacris conuentibus sunt iñ Spiritu sancto legitimè congregati; tum quæ ad Catholicam fidem, tum quæ ad bonos mores spectant, legibus sacris edicant. Quæ ne, licet ab hominibus lata, humana tantum & non diuina esse existimarentur, perquam egregiè in iisdem à se sanctis decretis Apostoli hæc apposuerunt *l*, *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Quoniam enim iampridem de Spiritu sancto promissio facta fuerat, dicente CHRISTO *m* ad suos; *Paraclitus Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*: merito eiusdem Spiritus suffragio suas leges esse institutas ac roboratas ostenderunt. Rursumque quoniam non omni spiritui esse credendum, sed an sit ex Deo esse probandum, admonet Apostolus *n*; hæc examinare, officij esse Ecclesiæ vt demonstrarent, ea non tantum Spiritui sancto, sed & sibi visa esse addiderunt: vt sic admirabilem quandam Spiritus sancti & Ecclesiæ esse coniunctionem & consentionem significarent. Sed de Legibus Ecclesiasticis alias plurib⁹.

Peruenit post hæc Paulus in Derben & Lystram; vbi TIMOTHEVM matre Iudæa fideli, sed patre Gentili natum, secum assumens, circumcidit propter Iudæos qui erant in illis locis. Hæc Lucas *o*. Porro Chrysostomus *p* ait Timotheum à Paulo circumcisum fuisse, quod Iudæi non ferrent audire verbum ab incircumciso; Augustinus *q* vero, vt sic Paulus Iudæis ostenderet, non ideo Gentes veteris Legis Sacramenta non suscipere, quod mala essent & perniciose à patribus obseruata; sed quod iam saluti non necessaria post aduentum tanti Sacramenti, quod per tam

longa

a *Act.* 12. 25.
b *Ios.* 19. *ant.* 7 & 2. *de bel.* 10.

XIV. DE EIVS SCRIPTIS.
c *Hieron. de Script. Eccl. in Barnab.*
d *Orig. Periar. lib.* 3.
e *Clem. Alex. l.* 2 & 3 *Strom.*
f *Tert. de pudic. c.* 20.
g *Hieron. de Script. Eccl. in Paulo. & ep.* 129. *ad Dard.*
h *Hieron. de nom. Hebr. in fin.*

XV. PAVLI CVM SILA PEREGRINATIO.
i *Act.* 15. *in fi.*
k *Act.* 16.

LEGES ECCLESIÆ À SPIRITV SANCTO.
l *Act.* 15.
m *Ioan.* 14.
n 1. *Ioan.* 4.

XVI. PAVLVS CIRCVMCIDIT TIMOTHEVM.
o *Act.* 16.
p *Chryf. hom.* 34. *in Act.*
q *Aug. de mẽdac. c.* 5.

a *Cypr. ep.* 71. *ad Quint.*
b *Aug.* 2. *de bapt. cont. Don.* 2.
c *Act.* 15.
d *Chryf. hom.* 34. *in Act.*
e *Ap. Metaphr.* 11. *Iun. & Sur. tom.* 3.

SUMMA ADHUC OMNES AESTIMATIONEM SUPERAT.
XII. PAVLVS ET BARNABAS SEPARANTVR AB INVICEM.
XIII. RES GESTÆ BARNABÆ.

longa tempora tota vetus illa Scriptura propheticis figurationibus partus fuerat: Sicut econtra Titum circumcidere noluit *a*, licet vrgerent Iudæi, quod subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, vt haberent quod de ipso Paulo disseminarent, tanquam eorum veritati cessisset, qui sine circumcisione neminem saluari posse contenderent. Hæc Augustinus de Pauli instituto. Sed quod de Timotheo idem Apostolus *b* scribit; fuit ei mater Eunices nomine, & auia Lois, vtraque fidelis & spectata virtute. Eundemque fuisse ab ipso Paulo sacris initiatum, idem Apostolus eodem loco indicat, dum eum hortatur vt resuscitet gratiam Dei, quæ in ipso esset per impositionem manuum suarum. Quomodo vero præfectus fuerit Ecclesiæ Ephesiorum, dicetur suo loco.

XVIII.

Inde peragratis aliis prouinciis, vetatus Paulus à Spiritu sancto Euangelium prædicare in Asia & Bithynia, nocte quadam per visum à viro Macedone rogatus est ad eos transire: tuncque (inquit Lucas) *quæsiuimus* proficisci in Macedoniam, & nauigantes Troade *venimus* Samothraciam, & sequenti die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas colonia. Hæc Lucas *c*: quem ex hoc tempore, & non antea adhæsisse Paulo, mutatus ab ipso vsus loquendi à tertia persona in primam pluralis numeri, facile demonstrat: licq; & Irenæus *d* nonnisi ab hoc tempore cum Paulus venisset Troadem (quæ est ciuitas maritima Asiæ, eadem & Antigonia *e* dicta) Lucam ei adhæsisse significat. Vnde declarandus est Hieronymus *f*, dum Lucam totius peregrinationis Pauli comitem appellat individuum: cum tamen nonnisi ex hoc tempore hæc de illo dici possint; nec sic quidem vt illi semper inhæserit, sed aliquando vt occasio postulauit abfuerit. Videas post hæc ipsum, vt qui præsens esset, res singulas distincte pleneq; narrare, cum alioqui antea, eiusdem etiam Hieronymi testimonio, grauissima prætermiserit, multaque strictim summatimque narrarit. Sed & quod existimauit Hieronymus, de Luca intellexisse Paulum cum dixit *g*: *Misimus fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias, qui & ordinatus est comes peregrinationis nostræ, &c.* cum nihil eiusmodi de ipso Luca legatur in Actis, vel alibi; ea potius Silæ conuenire putamus, qui (vt ex ipso Luca nuper vidimus) electus est Antiochiæ Pauli comes in peregrinatione suscepta, multumque laborauit in opere Euangelico. In quam sententiam, quod ille sic à Paulo descriptus non fuerit Lucas, Theodoretus *h* accessit: qui tamen illum non Silam, sed Barnabam fuisse putauit. Roboratur porro non mediocriter Hieronymi sententia Ignatij *i* testimonio, qui eodem quo Paulus vtens præconio, dum Lucam citat: *Vt testatur* (inquit) *Lucas, cuius laus est in Euangelio.* Atque ideo quid de his quisque opinari velit, relinquimus arbitrio legentium. Reliqua vero de Luca dicemus, cum de Euangelio ab eo scripto instituetur narratio.

XVIII.

Quod autem pertinet ad Pauli res gestas Philippis; (quam ciuitatem, coloniam fuisse Romanorum, & Lucas scribit, & sic appellat eam Plinius *k*:) die quodam Sabbati egressus extra ciuitatem, vbi (inquit Lucas *l*) videbatur oratio esse, Lydiam purpurariam ad fidem conuertit; quæ & postea ipsum cum sociis in domum suam recepit. Consueuisse vero Hebræos vltra synagogas quas intra ciuitates habebant, loca etiam in suburbiis instituere quantum Sabbati haberet iter, in quæ deambulantes conuenirent, ac simul Deo preces offerrent; Epiphanius *m* docet. Cum autem posthæc Paulus in eadem ciuitate Pythonissam liberasset; ab eius Dominis vna cum Sila ad tribunal raptus, ambo tanquam seditiosi virgis cæsi in carcerem interiorem vincti coniecti sunt; sed noctu diuinitus soluti, & quod ciues Romani agniti essent cum honore à Magistratibus dimissi, Thessalonicâ perrexerunt, & plurimos illic ad fidem cõuerterunt: factione vero Iudæorum exagitati, tum inde, tum posteà Beræa pulsi sunt, ac tandẽ Athenas aduenerunt. Narrat hæc omnia pluribus Lucas *n*: sedeotũ quæ Thessalonicæ gesta sunt nonnulla prætermisit, quorum ipse Paulus ad eosdem Thessalonicenses scribens *o* meminit.

XIX.

Cæterum quod Lucas agens de carcere Philippensi, ait *p* Paulum & Silam media nocte orantes laudasse Deum: hoc quidem ipsi fecerunt quod ante eos Dauid Rex facere consueuerat, qui *media nocte a surgebat ad confitendum Domino*; & quod Isaias *b*, dum *Deum desideraret in nocte*. Quod quidem & à Fidelibus faciendum esse, Dei Ecclesia Apostolorum traditione & exemplo constituit: idq; illa præsertim ratione; quod media nocte Dominum ad iudicandũ Orbem terrarum ex improuiso venturum esse crederent; secundum quod ipse dixerat *c*, *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit*. Cui etiam veritati adstipulari videbantur carmina Sibyllina, quæ Lactantius *d* ad eiusmodi Christianorum ritum arq; sententiam confirmandam retulit. At quoniam nec satis exploratum esse voluit Dominus, qua potissimum hora venturus esset, dicente ipso *e*, *Vigilate: nescitis enim quando Dominus veniet, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane*: hac de causa non media nocte tantum Fideles ad preces Deo fundendas consurgere consueuerunt, sed & aliis diuersis horis eiusdem noctis, sicut declarat Clemens *f* Alexandrinus. Et fortasse quatuor illis noctis temporibus expectandi Dominum ab ipso Domino enumeratis, respondent tres illæ Nocturnæ Preces, cum iis accedunt Matutinæ Laudes; quæ tamen omnes simul vno compendio hodie absoluuntur: licet aliam ab his diuersam rationem imisse visi sint, qui tribus vicibus nocte esse orandum statuerunt, nimirum ipso exordio, media nocte, & in fine; prout Basilius *g* declarat, de iis differens. Agit item sæpe Hieronymus *h* de eisdem tribus orationis Horis nocturnis.

Et quod (vt idem *i* docet) *Vespertina oratio* accensa lucerna fieret, ideo Epiphanius *k* de orationis & ipse Horis agens, Psalmos qui prima noctis hora cani consueuerunt: *Lucernales* appellat; Basilius *l* vero *Lucernariam gratiarum actionem*: estque de iisdem Lucernarijs precib. mentio apud Clementem *m*, & Cassianum, qui de nocturno orandi modo librum scripsit. Chrysostomus *n* etiam *Lucernarium* illud appellat: *officium*, cum septem enumerans orandi Canonicas Horas (de quibus est alibi dictum superius) de tribus Nocturnis diffuse agit: de quibus & alij demum omnes tam Latini quam Græci, qui de Ecclesiasticis sacris Ritibus commentarios conscripserunt. *Nocturnas conuocationes* eas appellat Tertullianus *o*; quod scilicet non priuatim in suis ædibus à singulis agerentur, sed publice omnes in vnam conuocarentur Ecclesiam; sicut & Ignatius *p* agendum monet. In quem modum perseuerauit diutius ille vsus, vt non clerici tantum, sed & populus simul in Ecclesia laudes Deo canerent: tamen id mutatum videtur, quod laici perdifficile continentur in officio, vt in voce rhythmum, & in statu corporis decorem sacris decentem seruarent; prout queritur pluribus, cum populum de ea re obiurgat, Ioannes *q* Chrysostomus. Porro de antiquo in Ecclesia sacrarum vsu VIGILIARVM, de quo agimus, non solum innumera SS. Patrum suppetit testimonia; sed & Scriptorum Gentilium, Plinij *r* Iunioris, Luciani *s*, & Ammiani *t* Marcellini. Qui vero primus eas impugnauerit, fuisse constat *u* impurissimum hæresiarcham Vigilantium, qui eas sic minuere conatus est, vt nonnisi semel in anno, in Paschali solemnitate, eas peragendas esse iactaret; vt dicetur suo tempore. Quod *x* autem imperitè nimis quidam tradiderunt, S. Ambrosium persuasione S. Monicæ matris S. Augustini illarum vsum proscripsisse, quod plurimi Christianorum illud noctis tempus ludendo ac choreas ducẽdo transigerent: tantum abest id verum esse, vt contra ab illis temporibus maiori obseruantia celebratas constet, & quibusdam additamentis nobiliter auctas; imo & ex illarum sacro ac religioso vsu, sublatos perditissimos illius temporis mores qui antea irrepsissent: sicut de his omnib. extant certissima eorundem ipsorum Ambrosij *y* & Augustini, necnon Paulini in Vita eiusdem Ambrosij testimonia: ex quibus agnoscas cuius fidei sit ille Sermo, cuius auctoritate earum abrogationem alij probare conati sunt, qui nomine Sanct. Augustini *a ad Fratres de eremo* circumfertur; quem merito cum aliis eiusmodi Schola Louanensis reiecit in angulum.

---

a Galat. 2.

b 2. Tim. 1. DE TIMOTHEI GENERE, ET ORDINATIONE.

c Act. 16.

d Iren. lib. 3. c. 14.

e Hier. de loc. Hebr. Plin. li. 5. cap. 30.

f Hieron. de Script. Eccl. in Luca.

g 2. Cor. 8.

h Theodor. in 2. Cor. 8.

i Ign. ep. ad Ephes.

k Plin. lib. 14. cap. 11.

l Act. 16. QVID PAVLVS PHILIPPIS.

m Epiph. hær. 80. [Ea vero apud Philonẽ προσευχὰς appellari, non semel repetes.]

n Act. 16. 17.

o 1. Thess. 1. & 2.

p Act. 16.

q Chrys. hom. 1. in Ias. 8.

r Plin. Sec. lib. ep. 97.

s Lucian. in Philop.

t Ammian. li. 28. in fin.

u Hier. adu. Vigilant.

x Quæ sequuntur, tractat Baronius plenius in Not. ad Mart. vol. 5. Ianuar.

y Ambr. ser. Psal. 119. de fil. Pent.

z Aug. 9. Cf. 7. Conf. 12. Psal. 32. Aug. de catech. rud. cap. 25. temp. Ser. 15. de dedic. Ep. 86. ap. Aug. tom. 2.

a Aug. ser. 251. tom. 10.

DE NOCTVRNIS PRECIBVS.

a Psal. 118.

b Isai. 26.

c Matth. 25.

d Lact. lib. 7. cap. 19.

e Marc 13.

f Clem. Alex. Pædag. c. 9. DE TRIBVS HORIS NOCTVRNIS.

g Basil. in reg. inter. 37.

h Hier. ep. 7. s. 22.

XX.

i Hier. ep. 7.

k Epiphan. in exemp.

l Basil. ad Amphiloch. de Sp. S. c. 29.

m Clemen. 8. Const. 36.

n Cass. lib. 3. cap. 3. Chrys. in Ps. 118. & hom. 59. ad pop. Antioch. & de laudib. monach.

o Tert. lib. 2. ad vxor. c. 4.

p Ignat. ep. ad Magnes. VSVS VIGILIARVM.

q Chrys. loco. 1. in Ias. 8.

r Plin. Sec. lib. ep. 97.

s Lucian. in Philop.

t Ammian. li. 28. in fin.

u Hier. adu. Vigilant.

x Quæ sequuntur, tractat Baronius plenius in Not. ad Mart. vol. 5. Ianuar.

y Ambr. ser. Psal. 119. de fil. Pent.

z Aug. 9. Cf. 7. Conf. 12. Psal. 32. Aug. de catech. rud. cap. 25. temp. Ser. 15. de dedic. Ep. 86. ap. Aug. tom. 2.

a Aug. ser. 251. tom. 10.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI
ANN. 52.

PETRI ANN. 8.

CLAVDII IMP.
ANN. 10.

I.

ANNO CHRISTI quinquagesimo secundo, C. Antistio *a* & M. Suillio Coss. Paulus Athenas veniens, Dionysium Areopagitam, aliosq; multos ad fidem conuertit. Ea n. ne prius quam hoc anno contigisse dicamus, prohibet multitudo ac magnitudo rerũ, quas ab eodem Paulo post celebratum anno superiori Concilium Hierosolymitanũ, vsq; ad ipsius Athenas aduentũ gestas esse vidimus: ne vero serius, tum ex eo optimè colligi posse videtur, quod Lucas *b* dicat, Paulum Athenis recedentem, moxq; Corinthum petentem, inuenisse illic Aquilam & Priscillam, qui *nuper* (inquit) *venerant ab Italia occasione edicti aduersus Iudæos*; quod vidimus promulgatum fuisse anno superiori: tum etiam quod de Dionysio tradatur, conuersum fuisse ad Christum anno decimonono à Passione Domini, qui fuit hic ipse Natiuitatis eiusdem quinquagesimus secundus. Paulus igitur cum Athenis esset, in Synagoga Iudæorum primum, inde in Areopago Euangelium prædicauit.

II.

Erat locus ille iuxta mare, *Promontorium Martis* dictum, à quo & nomen deductum vt *Areopagus*, ἄρειος πάγος, diceretur, licet de nomine alij *c* aliam afferant causam. Iudices *d* qui eo conuenire solebant ad iudicandas maiores causas, nempe sanguinis, morum, ac religionis, à loco & ipsi nomen accipientes AREOPAGITÆ dicebantur: inter quos nullus allegi poterat, nisi primum in inferiori magistratu Sex-virorum Thesmothetiæ per annum meruissent: nec rursum ad hunc patebat aditus nisi eis qui per anteactæ vitæ publicum examen irreprehensibiles inuenirentur: ijdemque in Areopagitas promouendi, ita demum suscipiebantur, si diligenti rursus perquisitione probati, adinuenti essent fama integerrimi, virtute spectatissimi, & vsu rerum perspicacissimi. Accedebat & illud, quod qui talis visus in eum ordinem obrepsisset, nec qualem præseferebat inuentus esset; nullis meritis, sed tantum Genio (vt aiunt *e*) impellente, ab Areopagitarum numero sponte discedere cogeretur. Cum autem causam cognituri in Areopagum ascenderent, quod ter tantum in mense faciebant, (nimirum quarto, tertio, & pridie Calendas) qui erant causam dicturi, nullo verborum ornamento, sed simplici rei gestæ narratione id facere, aut mox præconis voce tacere iubebantur; & ne Iudices reorum miserando commouerentur aspectu, ipsa nocte nullis admotis luminibus iudicia exercebant, summoque silentio tabellarem quisque dabat sententiam, vnde in paræmia illud venit, *Areopagita taciturnior*: adeoque de illorum integritate fama percrebuit, vt cum quis iustissimum quempiam, vita innocentissimum, omnibus denique partibus absolutum virum significare voluisset, *Areopagitam f* cognomine diceret. Antiquissimum plane iudicium; quod Eusebius *g* notat cœptum esse circa finem regni Cecropis primi Atheniensium Regis, & exitum Hebræorum de Ægypto: nec vsque ad præsens tempus Pauli aduentus, quamuis à diuersis tyrannis oppressæ, & à Romanis subiugatæ Athenæ fuerint, vllatenus est intermissum. Quin & Romanos Proconss. Asiæ perdifficiles causas eorum iudicio definiendas committere solitos, ex Valerio testatur Gellius *h*. Et Lucianus in Hermotimo, sua quoque ætate Areopagitarum iudicio causas definiri consueuisse tradit. Cæterum illucescẽte Orbi terrarum CHRISTI lege omnium perfectissima, cæteras siluisse, & ipsum quoq; Areopagum cessasse auctor est Theodoretus *i*: verum non statim, sed vt cetera alia, suis temporibus.

III.

Adductus igitur Paulus in Areopagum, iussusque causam dicere, quoniam iam à multis arguebatur vt nouorum dæmoniorum annunciator, vt ea culpa careret, nec noui numinis videretur inuentor, sed potius antiqui Atheniensium cultus assertor ac prædicator; occasione sumpta Aræ, quam in foro vidisset inscriptam IGNOTO DEO, atque adeo ex ipsorum Theologia, ad insinuandum verum Dei cultum admirabili quadam prudentia aditum sibi patefecit. Nam (vt auctor est Thucydides) Athenis in foro stabant duodecim aræ deorũ: quas contemplatus haud dubium Paulus, in eam intendit cuius illa inscriptio erat. Meminit & Philostratus in Tyanæo, Ignotis diis aras fuisse erectas Athenis; nec non Laertius in Epimenide, & Pausanias ad Phalerum. Idque genus aram in Gallijs eadem inscriptione notatam esse repertam, & in veri Dei cultum translatam, mentio habetur in Epistola quæ dicitur Sanct. Martialis, ad Burdegalenses inscripta. Sed quod ad inscriptionem Athenienſis spectat; Hieronymus *a* ait, eam non ita fuisse vt Paulus asseruit, IGNOTO DEO, sed ita DIIS ASIÆ, EVROPÆ, ET LIBYÆ, DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS; verum quia Paulus non pluribus dijs indigebat Ignotis, sed vno tantum Ignoto Deo; singulari verbo vsum esse, vt doceret illum suum esse Deum, quẽ Athenienses in aræ titulo prænotassent; atque eum recte scientescokere deberent, quem ignorantes venerabantur, ac nescire non poterant. Oecumenius *b* vero titulum his fuisse verbis conceptum ait: *Diis Asiæ, Europæ, & Libyæ, Deo Ignoto & Peregrino*. At cum apud Lucianum *c* Gentilis homo sic iuret, *Per Ignotum Atheniis*, & non *Per Ignotos*: ac rursum ex persona Triephontis dicatur: *Nos illum Athenis Ignotum inuentum adorantes, &c.* hinc non vnam tantum aram Athenis fuisse Ignoto Deo dedicatam, sed plures existimamus: ac proinde vtrumque verum esse potuisse, nimirum aram aliquam, de qua Paulus, extitisse notatam Ignoti Dei inscriptione; alias vero alijs, & deorum plurium. Nam & qui hac ipsis vigebat temporibus Apollonius *d* Tyanæus, alloquens Timasium Ægyptiũ, testatur (quod diximus) fuisse Athenis Ignotorum deorum aras dedicatas. Cum vero eius inscriptionis varias afferant causas Chrysostomus *e*, Oecumenius, & alij; eam magis amplectimur sententiam, vt quoniam placitis antiquorum Philosophorum, puta Trimegisti *f*, & aliorum, quinetiam Sibyllinis *g* oraculis receptum erat, vnum Deum esse inuisibilem, imperceptibilem, eundemque innominatum, & inessabilem: necui numinum diuinus honor deesse videretur, aram eo titulo illi erexerint. Fuisse namque Athenienses erga diuinum cultum proniores, ipse Paulus eos alloquens declarauit: sed & acerrimos se deos negantium semper vindices exhibuisse, demonstrant exempla Anaxagoræ *h* Clazomenij, Diagoræ Melij, Protagoræ, Socratis, & aliorum ab iis ea de causa morte damnatorum; confirmantque suis assertionibus Apollonius *i*, Plutarchus *k*, & alij.

IV.

Cæterum cum Paulus perorans in Areopago mentionẽ habuisset de *Resurrectione mortuorum*, tunc Areopagitæ ab eis inde recessit: *quidam vero* (inquit Lucas *l*) *adhærentes ei credidерunt, in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris*. Hic ille DIONYSIVS, qui annos natus viginti quinq; Heliopoli (vt diximus) mirandum illud contra naturam Solis deliquium, quod tempore Passionis Domini contigit, vidit, & causam ignoratã obstupuit: cuius quidem rei occasione facilior est ei reddita ad Christianam religionem amplexandam via. Sed præter illa quæ de eo sunt à Luca scripta, feruntur & alia quædam, ab Hilduino *m* tempore Ludouici Pij Imper. addita, de colloquio habito inter Paulum & Dionysium, deque conuersione eiusdem Dionysij & Damaris (quam ipsius vxorem fuisse dicit) facta post illuminatum à Paulo cæcum natum: quæ quidem licet ipse Hilduinus accepta profiteatur ab antiquioribus, quos recenset Scriptoribus; haud tamen in omnibus probantur. Quod vero ad *Damarim* pertinet; plurium sententia Patrum æquè receptum videtur, illam fuisse cõiugem Dionysij; id imprimis testante Ambrosio *n*, consentiente Augustino *o*, & confirmante Chrysostomo *p*, quos & cæteri qui de ea re scripserunt, secuti sunt.

V.

Post hæc egressus Paulus Athenis *q* venit Corinthum, ibiq; recepit se apud Aquilam Pontificum opificem scenofactoriæ

---

a *Tac. libr. 12.* DE ADVENTV PAVLI ATHENAS.

b *Act. 18.*

c *Ang. 18. de ciuit. 10. Isid. Pelus. 2. ep. 91. Suid. & alij.* d *Hac de Areopagitu collegit magna ex parte Eudanus in Pand. lib. 2. tit. de Sup.*

e *Lucian. in Hermotim.*

f *Cic. ad Attic. lib. 1.* g *Euseb. in Chron.*

h *Gel. lib. 12. cap. 7.*

i *Theodor. de Euang. verit. lib. 9. de leg.*

DE ARA IGNOTI DEI ATHENIS. *Quæ de re videlicet Leron. in Act. 18.*

a *Hieron. in Tit. 1.*

b *Oecum. in Act. 17.*
c *Lucian. in Philopat.*

d *Ap. Suid. verb.* [illegible] *ονύ.*
e *Chrys. in Act. 27. Oecumen. ibid.*
f *Ap. Lact. lib. 2. c. 9.*
g *Tert. Apol. c. 46. Clem. Alex. cont. Gent. Euseb. 3. de prepar. 5. & lib. 11. c. 8. 9. & lib. 14. c. 3. 6.*
h *Ios. lib. 2. cont. Apion.*
i *Ap. Suid. verb. Tim.*
k *Plut. de plac. philos. lib. 1. c. 7. agens de Euripide.*

1 *Act. 17.* CONVERSIO DIONYSII AREOPAGITÆ.

m *Hild. in Areop. ap. Sur. 9. Oct.* DAMARIS VXOR DIONYSII.

n *Ambr. ep. ad Vercel.*
o *Aug. serm. de semin.*
p *Chrys. de Sacerd.*

q *Act. 18.*

PAVLVS OPERATVR MANIBVS.

factoriæ artis, (nimirum quæ ex pellibus facienda consueret tabernacula, quibus milites vterentur in castris) quod & ipse Paulus eiusdem esset artis, quam & tunc cum Aquila exercuisse, Lucas scribit: & id ipsum sæpe alibi præstitisse, ac manuum suarum artificio victum quæritasse, tam idem Lucas, quam ipse Paulus testatur. *a* Sed vnde id acciderit, vt Paulus nobilitate insignis, & eruditione præclarus, opificium didicerit, ex his quæ complures antiqui Rabbini scripserunt, facile intelligemus. Nam inter alios Schemahaia & Althalion tradunt, eis qui vellent sacras literas profiteri, communem quamdam legem præscriptam fuisse, vt manuale quodpiam opificium addiscerent quo victum quærerent. Legi enim consueuerunt eiusmodi institutiones in prima lectione primæ hebdomadis Azymorum. Et Rabbi Gamaliel in doctrina fratrum, quæ inscribitur Haod, vehementer commendat vt sacras literas addiscentes opus aliquod manuale exerceant, affirmans eos qui facere prætermiserint, procliuiores ad peccandum futuros. Vnde inter alios nobiles antiquos Rabbinos, leguntur Rabbi Iochanna sutoriam, Rabbi Iuda pistoriam, & alii alias id genus artes exercuisse. Et ex eiusmodi institutione prouenisse existimamus, vt Paulus quoque sacris literis exercitissimus, opificium didicerit. Quod quidem exercere voluit, ne aliquam vel leuem occasionem daret oblatrandi, prædicationem Euangelii honestum quemdam fuisse prætextum Orbis circumeundi lucri gratia. Idque non à se tantum, sed & à Barnaba esse seruatum, scribens ad Corinthios *b* declarat. Quemadmodum & cæteros Apostolos opus manuum exercuisse dum Euangelium prædicarent, cum locus & tempus id concessisset aut postulasset, apud Clementem *c* asseritur. Et horum imitatione plures Dei Sacerdotes, omnesque Monachos opera quædam manuum exercere solitos, Epiphanius *d* testatur: scripsitque de his egregium commentariolum Augustinus, *e* quo acriter inuectus est in vagos ac desides monachos, opera manuum prætermittentes. Qui tamen eius videtur esse sententiæ, vt non semper vel vbique Paulus operatus sit manibus suis, sed cum à prædicatione Verbi daretur otium: cætero autem tempore, non tantum ab offerentibus accepisse id exposcente necessitate, sed etiam literis suis id præcepisse pro aliis faciendum. Ac sane tam ipsi, quam aliis Euangelii prædicatoribus licitum fuisse sumere victum ab iis quibus prædicarent, cum idem Paulus alibi docet, *f* tum ipse Dominus *g* faciendum monuerat.

a *Act.* 20. 1. *Cor.* 4. 1. *Thes.* 2. & 2. *Thes.* 3.

APOSTOLI OPIFICES.

b 1. *Cor.* 9. c *Clem.* 2. *Const.* 67.

d *Epip. hær.* 80 e *Aug. de oper monac. c.* 14. 15. 16.

f 1. *Cor.* 9. 2. *Thes.* 3. g *Luc.* 10.

VI.

Cætera vero quæ Paulus Corinthi egit, ac passus est, cum illic ex reuelatione per annum & sex menses contigit immorari, paucis verbis Lucas *h* perstrinxit, vt quem tunc absentem fuisse (alio fortasse missum à Paulo ad prædicandum Euangelium, aut aliquas visitandas Ecclesias, ad ipsum iterum rediturum, sicut & Silæ ac Timotheo hac eadem Pauli peregrinatione, & cæteris eius discipulis alias accidere consueuit:) satis ex eo intelligi posse videatur, q̃ neque hæc scribens dicat se vna cum illo fuisse, neque in prima pluralis numeri persona (vt solet) loquatur. Ex quibus & admirabilem agnoscas in scriptore modestiam, tum quod quæ præsens non vidit compendio breui perstrinxerit, ne vel in minimo veritas periclitaretur: tum etiam quod quæ ipse gessit, rebus tantũ Pauli narrandis intentus, obuoluta silentio præteriit. Cæterum res Pauli gestas Corinthi, in omnibus admirandas fuisse & excellentes, possumus facile coniectari ex iis quæ ipse Paulus ad eosdem Corinthios *i* scripsit. *signa sui Apostolatus facta esse super eos in omni patientia, in signis, & prodigiis, & virtutibus.*

h *Act.* 18.

i 2. *Cor.* 12.

VII. DE PRIMA EPISTOLA AD THESSALONICENSES

Sed & Corinthi dum esset, scripsisse PRIMAM AD THESSALONICENSES EPISTOLAM, ex eo certum redditur, quod eam non prius se scripsisse testetur, *k* quam post Timothei Thessalonica ad se reditum: constet vero auctore Luca, *l* reuertentem Timotheum Thessalonica vna cum Sila, conuenisse Paulum Corinthi. Ex quibus refellitur tam Athanasii, *m* quam etiam Theodoreti, *n* & quorundam aliorum sententia, Paulum sicut Athenis misisse *o* Timotheum Thessalonicam constat, ita etiam dum ibidem moraretur scripsisse ad eos illam Epistolam. Porro inscribitur Epistolæ titulus non solum Pauli nomine, sed & Timothei & Siluani, qui cooperatores erant Pauli in Euangelio.

k 1. *Thes.* 3. l *Act.* 18. m *Atha. in Syn.* n *Theod. præf. in Epist. Paul.* o 1. *Thes.* 2. 3.

IESV CHRISTI AN. 53.

PETRI AN. 9.

CLAVDII IMP. AN. 11.

ANno Christi quinquagesimo tertio, Claudio Augusto quintum & Cornelio Orfito Coss. cum Paulus adhuc Corinthi ageret, scripsit SECVNDAM EPISTOLAM AD THESSALONICENSES. Haud enim multo post primã scriptam hanc fuisse (quod eamdem cum illa habeat inscriptionem Pauli, Siluiani, & Timothei) Chrysostomus *a* & Theodoretus *b* testantur, quamuis hic velit Athenis esse scriptam, sicut & de Prima existimasse diximus; Athanasius vero (cui nec assentimur in hoc) Romæ. Porro eius scribendæ ea præcessit occasio, quod pseudoapostoli quidã ex iis quos alibi idem Apostolus *c* fugillat, *quæstum pietatem putantes*, cum audiuissent Thessalonicenses auidius cæteris Euangelium suscepisse, quo illos ad sua largienda redderẽt promptiores, iam instare diem Domini (mundi videlicet finem) tamquam ex reuelatione diuina affirmabant, immo & mentita Pauli nomine Epistola id facilius eisdem suadere studebant.

I. DE SECVNDA EPISTOLA AD THESSALONICENSES

a *Chrys. in* 2. *Thes.*

b *Theod. præf. in ep. Paul.* c 1. *Tim.* 6.

His vero acceptis Paulus festinans quanto citius occurrere, non tantum eos per epistolam commonitos voluit, sed in memoriam reuocans quæ per sermonem, cum apud illos esset, tam de his quam aliis rebus ad religionem pertinentibus, eisdem tradidisset, STATE, inquit, *d* ET TENETE TRADITIONES QVAS DIDICISTIS, SIVE PER SERMONEM, SIVE PER EPISTOLAM NOSTRAM. *Vnde* (inquit Chrysostomus *e* in hunc locum) *perspicuum est, non omnia Apostolos tradidisse per epistolam, sed multa etiam sine scriptis, & ea quoque esse fide digna. Quamobrem Ecclesiæ quoque Traditionẽ censemus esse fide dignam. Traditio est? nihil quæras amplius.* Et ante Chrysostomum Basilius *f* eumdem item locum explicans, dixit, *Apostolicum esse etiam ea non scriptis Traditionibus perseuerare.* Eodemque modo Epiphanius *g* asserit: *Oportere traditione vti, quia non omnia à diuina Scriptura accipi possunt, quandoquidem aliqua in Scripturis, aliqua in Traditione SS. Apostoli tradiderunt.* Ac denique in eumdem sensum ea verba à plerisque aliis accepta esse noscuntur. Quamuis non ex recitato tantum Pauli textu hæc accipiantur, sed etiam ex multis aliis, quibus Apostoli monent Fideles, vt custodiant quæ eis tradita essent, nimirum per Traditiones ea significantes, quæ per sermonem sine scriptura declarata essent; quæ eadem quod fideliter sincereque custodienda essent, iterum Paulus *h* DEPOSITVM appellauit, illudque diligentissime seruandum præcepit. Namque apostolicum Depositum Traditiones esse, Irenæus *i* docet.

II. TRADITIONES APOSTOLORVM.

d 2. *Thes.* 2.

e *Chr. hom* 4. *in Thes.* 2.

f *Bas. ad Amphil. de Sp. S. c.* 29.

g *Epi. hær.* 61

h 1 *Tim.* 6. & 2. *Tim.* 1. i *Iren. l.* 3. *c.* 3.

Ex his igitur accidit, vt Christiana religio ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ iure duplici regeretur, nimirũ Scripto & Non-scripto, Legibus videlicet & Consuetudine: quod cuique bene institutæ Reipublicæ, & tam Græcis quam Romanis commune fuisse, *k* sed & ipsos Hebræos nõ tantũ legibus diuinitus institutis, verum etiam traditionib. vixisse, quas dicunt δευτερώσεις perspicuum est omnibus. Porro leges non scriptas, scriptis antiquitate & nobilitate præstare nullus est qui dubitet, quandoquidem fuerunt illæ à Deo insitæ in mente hominum, vt primarius quidam fons, ex quo postea omnium optimarum legum scripta rũ fluxere riui. Verum non omnium Traditionum atq; Consuetudinum eadem est ratio, sed plane diuersa: nam secundum quod ex diuersis principiis emanarunt, diuerso etiam iure censendas esse, Euangelica auctoritas admonet. Illæ nimirum sententia Domini *l* & Apostolorum *m* sunt improbatæ traditiones, quæ Iudæi vel prorsus fatuas, vel aduersus diuinæ legis institutã introductas obseruarent, de quibus, earumque auctoribus, quo tempore emerserint, agit Epiphanius, *n* & pluribus Hieronymus. *o* Quas quidẽ (vt diximus) tum Christus, tum Apostoli redarguerunt, non quod ab hominibus traditæ; sed quod contra Dei legem

III. ECCLESIA IVS SCRIPTVM ET NON SCRIPTVM.

k *Vlp. l.* 6. *D. de iust. & iu.*

l *Matt.* 15. *Mar.* 7.

m *Col.* 2. & 1. *Pet.* 1.

n *Epi. hær.* 47.

o *Hier. in Is.* 8. & *q.* 151. *ad Alg. q.* 10.

TRADITIO QVÆ MEROBATÆ.
a Iud. 35.

IV.
b 2. Cor. 3.
ANTE TRADITIO QVAM CHRISTVS.
c Tert. de test. anim. c. 5.

gem superstitiosæ & turpes essent, quodq; illi sua præcepta Dei legi præponerent: cuiusmodi permulta exempla videre est apud Thalmud in Gheremuire. Cæterum quæ piæ fuissent ac sanctæ, Dei sunt ore laudatæ, immo in exemplum adductæ, vt constat de Rechabitis apud Hieremiam *a* Prophetam.

Quod vero spectat ad TRADITIONES APOSTOLICAS, quæ (vt ait Apostolus *b*) *non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalib. scriptæ sunt*: si ipsam petamus rerum originem, plane inueniemus Christianam religionem primum omnium Traditionibus institutam, inde vero Scriptis fuisse firmatam. Nam & *Prior anima* (inquit Tertullianus *c*) *quam litera, & prior sermo quam liber, & prior sensus quam stylus.* Antequam enim Apostoli aliquid scriberent, non aho certe modo quam Traditione, Euangelica prædicatio infundebatur & conseruabatur in cordibus credentium: ac ipsum Fidei Christianæ Symbolũ nequaquam ab Apostolis scriptum, sed ore tenus traditum, superius demonstrauimus. Denique nec ipsis Apostolicis & Euangelicis scriptis aliqua fides haberetur, nisi Ecclesiastica Traditione innotuisset, eųe vere ab Apostolis & Euangelistis conscripta essent, quandoquidẽ & multa alia Euangelia, Epistolæ, Actus, Apocalypses, olim (vt vidimus) Apostolorum titulo prænotata circum ferrẽtur. Qua ratione Augustinus, *d Ego*, inquit, *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoueret auctoritas.* Indeque videas quanti ponderis sit Traditio, quæ fundamentum existat ipsarum Scripturarum: adeoque Scripturis Traditiones excellere, vt illa nisi traditione firmentur non subsistant, hæ vero etiam sine scriptis suam obtineant firmitatem: sicut inter alios egregie docent Irenæus *e* & Tertullianus. *f* At enim eamdem esse cæterorum omnium antiquorum Patrum de Traditionibus assertionem, nimirum quod plurima ab Apostolis tradita fuerint sine scriptis, eademque sit eis fides adhibenda & veneratio deferenda, quæ ipsis eorum scriptis, abunde satis probarunt, qui aduersus Hæreticos Traditionum impugnatores, huius argumenti commentarios conscripserunt. *g* Ex quibus etiam videbis, nullum potentius telum sanctissimos Patres ad omnem hæreticorum pertinaciam infringẽdam admouere consueuisse, quam ex Apostolica Traditione, tum alibi, tum maxime in Ecclesia Romana omni tempore fidelissime & integerrime conseruata. Nobis autem hic modo satis ex instituto earumdem Traditionum fontem aperuisse, acturis etiam de singulis, inferius suis locis ac temporibus, pro Apostolicorum scriptorum & rerum gestarum occasione.

d Aug. cont. ep. Man. c. 5.
TRADITIONIS AVCTORITAS.

Post hæc, & alia Corinthi à Paulo gesta, (vbi & quædam à Iudæis passus est) idem *Fratribus valefaciens*, inquit Lucas, *h nauigauit in Syriam, (& cum eo Priscilla, & Aquila) qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum.* Ita Lucas. Erant porro *Cenchreæ*, vt auctor est Strabo, *i* Corinthiorum Orientem versus nauale. Caput autem tondere, & sic votum soluere, erat Nazaræorum, de quibus scribitur in libro *k* Numerorum. Porro Paulum, non Aquilam, totondisse ex voto caput, Hieronymus & Augustinus affirmant: sed & Beda *l* ambiguam esse lectionem cum dicat, de Paulo tamen intelligendum asserit. Sed cur non distulerit caput tõdere Hierosolymis in templo, ille fortasse accidit casus, quo ibidem *m* illico caput tondendum esset coram Nazaræo aliquis moreretur. Qui autem sic erant NAZARÆI voto obligati nominabant seipsos *Corban*, hoc est, Dei donum, quod sic seipsos Deo dicassent, vt Iosephus *n* affirmat: quo etiam auctore constat, *o* eiusmodi Nazaræorum votum nuncupare & exoluere mulieres quoque consueuisse.

e Iren. l. 3. c. 4.
f Tert. de cor. mil. c. 3.
g Traill. hæc plurimus ipse Bar. Ann. ad hunc an. Domini 53. Cui adde, si lubet, Bell. to. 1. cont. 1. & alios ibi ab eo citatos: itemque Greti. in Lexic. Bell. at que Io. Cæcium Thes. Contr. tom. 1. Liud. Orc.

V.
h A. 18.

i Strab. li. 8.

k Num. 6.
VOTVM NAZARÆORVM.

l Bed. retract. in Act. 18.

m Num. 6.

n Ios. 4. ant. 4.
o Idem 2. de bel. 15.

I
n Tac. li. 12.
PAVLI PEREGRINATIO.

venit, sed non ibi tunc permansurus, quippe qui in Syriam proficiscendi soluens Corintho iniisset consilium. Itaque Cæsaream Palæstinæ, ac inde Antiochiam Syriæ accessit, posteaque Galatiam, & Phrygiam, ac superiores prouincias Asiæ peragrauit, & tandem his omnibus expeditis (non minori quidem quam vnius anni spatio) Ephesum rediit: cuius iter Lucas *a* mira breuitate perstrinxit, de rebus tunc ab eo gestis omnino silens. Interserit vero mentionem de Iudæo quodam, *Apollo* nomine, Alexandrino genere, viro (vt inquit) eloquente, & in Scripturis potente, qui veniens Ephesum dum Paulus Syriam & Asiam peragraret, à Priscilla & Aquila, quos illic Paulus reliquerat, exactius fidem Christi edoctus, pertexit Corinthum prædicans vbique magno cum fructu Euangelium.

a Act. 18. 19.
APOLLO PRÆDICAT EVANGELIVM.

II.
b Euseb. in Chr.
DE PHILIPPI APOSTOLI MARTYRIO.

Hoc eodem anno duodecimo Claudii Imp. Olympiadis ducentesimæ septimæ quarto (inquit Eusebius *b*) PHILIPPVS Christi Apostolus apud Hierapolim Asiæ ciuitatem dum Euangelium populo nuntiaret, cruci affixus lapidibus opprimitur. De loco martyrii consentit Eusebio Chrysostomus, *c* & alii omnes: De tempore vero dissentit auctor (qui fertur Hippolytus) commentarioli *de Septuaginta duobus Discipulis*, dum ait Philippum Apostolum passum sub Domitiano Imperatore. De mortis item genere discrepant Nicephorus *d* & Metaphrastes: *e* sed nec horum alicui assentitur auctor qui scripsit *Passiones Apostolorum*: qui tamen in eo consentit cum Eusebio, dum affirmat post Paulum Ephesi *damnatum ad bestias*, sed Dei gratia ab eorum dentibus liberatum: ipsamque rem gestam narrat Nicephorus *p* ex quibusdam Pauli Actis apocryphis, quæ & citat Origenes. *q* At vero Ioannes *r* Chrysostomus, & alii eum secuti, Paulum non de bestiis, sed metaphorice de hominib. feros habentibus animos intellexisse existimauerũt; quibus & nos libẽter assentimur: sic enim & Ignatius *s* huic simili vtus dicendi genere, scribit se à Syria Romam vsq; terra mariq; cum bestiis depugnasse, noctu diuque alligatũ decem leopardis, quæ erat militaris custodia. Et ipse Paulus *t* Roma ad Timotheum scribens, ait se liberatum esse de ore leonis, hoc est Neronis, vt omnes interpretãtur. Rursumq; considerandum est, quod tradat Paulus *se pugnasse cum bestiis*

c Chrys. hom. de 12. Apost.

d Nic. lib. 2. c. 39.
e Meta. 15. Nouemb.

f Meta. 5. Sept.

III.
g Tac. Ann. lib. 12.
MATHEMATICI VRBE PVLSI.

h Id. hist. lib. 1.

1.
i Tac. lib. 12.
k Act. 20.
l Act. 19.
PAVLVS QVID EPHESI EGERIT, PASSVSVE FVERIT.
m Act. 20.

n 1. Cor. 15.
o Amb. Theo. & alii nonnulli in 1. Cor. 15.
p Nic. lib. 2. cap. 25.
q Orig. 2. Peri. 2.
r Chry. hom. 40. in Cor.
s Ign. ep. ad Rom.

t 2. Tim. 4.
QVOMODO PVGNAVIT CVM BESTIIS

non au-

IESV CHRISTI ANN. 54.

PETRI AN. 10.

CLAVDII IMP. AN. 12.

ANno Christi quinquagesimo quarto, Fausto *p* Sulla & Siluio Ottone Coss. Paulus Apostolus Ephesum

---

IESV CHRISTI ANN. 55.

PETRI AN. 11.

CLAVDII IMP. AN. 13.

ANno Christi quinquagesimo quinto, D. Iunio & Q. Haterio Coss. Paulus Apostolus peragratis superioribus Asiæ partib. venit Ephesum, vbi (vt ipse testatur *k*) triennio continuo docens: Ita vt (inquit Lucas *l*) omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudæi atque Gentiles. Ex iis vero quæ illic passus est, nonnisi ea quæ à Gentilibus per Demetrium argentarium illata sunt mala, Lucas memorat; cum tamẽ longe grauiora ex insidiis Iudæorũ passum esse, ipse Paulus nouissime *m* ipsos Ephesios allocutus questus sit: & ad Corinthios de iisdem scribens, *n* dicat se ibidem Ephesi ad bestias pugnasse spe resurrectionis. Hinc aũt fuit quorumdam *o* sententia, Paulum Ephesi *damnatum ad bestias*, sed Dei gratia ab eorum dentibus liberatum: ipsamque rem gestam narrat Nicephorus *p* ex quibusdam Pauli Actis apocryphis, quæ & citat Origenes. *q* At vero Ioannes *r* Chrysostomus, & alii eum secuti, Paulum non de bestiis, sed metaphorice de hominib. feros habentibus animos intellexisse existimauerũt; quibus & nos libẽter assentimur: sic enim & Ignatius *s* huic simili vtus dicendi genere, scribit se à Syria Romam vsq; terra mariq; cum bestiis depugnasse, noctu diuque alligatũ decem leopardis, quæ erat militaris custodia. Et ipse Paulus *t* Roma ad Timotheum scribens, ait se liberatum esse de ore leonis, hoc est Neronis, vt omnes interpretãtur. Rursumq; considerandum est, quod tradat Paulus *se pugnasse cum bestiis*

non au-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

non autem *se traditum bestiis*: diuersa quippe vtriusque pœnæ est ratio habenda, quod damnari dicebantur ad ludum, qui in theatrum immittebantur armati cum bestiis pugnaturi, alii vero bestiis absque pugna mox deuorandi tradebantur; quemadmodum sunt plurima vtriusque supplicii apud antiquos Scriptores exempla. Denique si Paulus eiusmodi supplicio affectus esset, non putamus ab ipso omitti debuisse, cum in posteriori Epistola ad Corinthios *a* suorum certaminum coronas texens, multa his minora enumerauit. Vnde magis placet sententia Tertulliani, *b* Apostolum per ea verba significasse pressuras Asiaticas, & Chrysostomi, *c* qui eadem sentire videtur. Nec vero assentimur Theophylacto, *d* existimanti Paulum significasse pressuras, quas passus est instigatione Demetrii argentarii: nam eo tempore quo scripsit Epistolam primam ad Corinthios, qua meminit de pugna cum bestiis, nondum illa de Demetrio contigisse ea ratione demonstrari posse videtur, quod Lucas *e* antequam illa recenseat, dicat Paulum proposuisse transita Macedonia & Achaia ire Hierosolymam: eodemque modo Paulus in dicta Epistola ad Corinthios *f* promittat venire ad illos cum Macedoniam pertransisset, permansurum autem adhuc Ephesi vsq; ad Pentecosten. Adeo vt liqueat, ea quæ subdit Lucas de turbis per Demetrium excitatis, post dictam Epistolam contigisse anno vltimo commorationis Pauli Ephesi.

a 2. Cor. 11.

b *Tert. de resur. car. c. 48.*
c *Chryss. hom. 40. in Act.*
d *Theoph. in 1. Cor. 15.*

e *Act. 19.*

f 1. Cor. 16.

II.
g *Act. 19.*
MIRACVLA EX SVDARIIS PAVLI.
h *Mar. 6. Luc. 8.*
VSVS SACRARVM RELIQVIARVM.

De miraculis autem quæ ibi operatus est, Lucas gres magnas paucis perstringens, ait tantas virtutes fecisse Deum per manus Pauli, vt etiam super languidos deferendo à corpore eius *sudaria & semicinctia*, recederent ab eis languores, & spiritus nequam egrederentur. Porro sic etiam olim ex fimbria vestis Domini testantur Euangelistæ *h* multas virtutes oriri solitas. Quibus videas, tam Domini, quam Pauli Apostoli exemplo & auctoritate, cultum sacrarum RELIQVIARVM institutum, ac miraculis comprobatum: nec esse qui iure calumniam facere possit, si exemplo eorum qui hoc modo à Christo & Apostolo sanabantur, Christi, Pauli, ac cæterorum Sanctorum quisque Fidelium Reliquias petat, vt ex illis hauriat eam gratiam quam illi olim sunt fide præuia consequuti. An fortasse quæ sint diuinitus concessa orariis & semicinctiis, eadem negauerimus Pauli ossibus attributa? vel hæc omnia Paulo priuatim, & non cæteris Sanctis communicata dixerimus? Appello omnium, quotquot fuerunt ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ, Scriptorum Orthodoxorum sententiam, si quid ab his contrarium vnquam scripserint senserintue, imo si nõ omnes sacrarum cultus Reliquiarum fideles fuerint ac constantes assertores. Quinetiam si Ethnicorum testimonia quæras, quantumlibet hæc illi substanarent, reperies tamen apud illos, quis de eare mos Christianorum fuerit: puta cum Eunapius *i* Sardianus Alexandriæ asseruari ait condita capita Martyrum, quos Christiani vt Sanctos colerent, iisdemque genua submitterent, seque illorum sepulchris prosternerent, legatosque precum apud Deum eosdem habere dicerent. Denique omnibus Catholicis flagrans semper desiderium inhæsisse potiundi quibuscumque Sanctorum Reliquiis, & iam superius demonstratum est cum egimus de instrumentis Passionis ac Sepulturæ Dominicæ, de Vinculis Petri, & Lapidibus necis Stephani, ac plurimis aliis passim inferius demonstrabitur exemplis: sicut è contrario ostendetur, Paganorum semper fuisse, & sæpe hæreticorum, easdem Sanctorum Reliquias disiicere & profanare. Qui vero primus omnium in Ecclesia Dei, cultum sacrarum Reliquiarum ausus est impugnare, Eunomius, idem & acerrimus extitit diuinitatis Spiritus sancti hostis, nec alio certe quam satanico spiritu afflatus in hanc vtramq; veritatem debacchatus est: quem perditissimus Vigilantius, & inde Claudius Taurinensis, ac demum cæteri hæreticorum satellites sunt consectati, de quibus dicetur suis locis. Vnde Gennadius: *k Sanctorum corpora, & præcipue beatorum Martyrum Reliquias, perinde ac Christi membra, sincerissime honoranda, basilicas eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata, affectu pijssimo & deuotione fidelissima adeundas credimus. Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus & Vigilantianus creditur.*

i *Eunap. in Vit. Phil.*

IMPVGNATORES RELIQVIARVM.

k *Gennad. de Eccl. dog. c. 73.*

Cæterum ex Christi fimbriæ, & Pauli Sudariorum exemplis inhæsit pia Fidelibus ac religiosa traditio, vt cum minus liceret ipsa Sanctorum sepulchris condita corpora tangere, eisdẽ sepulchris desuper admouerent sudaria quædam aut vela, quæ dicebantur *a Sanctuaria*, siue *Brandea*: *b* quæ quantam inde virtutem haurirent, locuples est testis Gregorius *c* Papa, & alii. Nec solum velamina atque panniculos, sed & vestimenta languentium ac defunctorum, vel etiam flores, aut alia eiusmodi iisdem sacrarum Reliquiarum loculis admota, virtutem accepisse restituendi ægros incolumitati, & defunctos ad vitam reuocandi, fidelissimus est testis S. Augustinus. *d* Immo & ipsum puluerem *e* ac situm, quo (vt accidit) Sanctorum sepulchra aliquando obducerentur, vel etiam circumaspergerentur, & quod mirabilius est, oleum *f* quo ex more in Ecclesia antiquitus obseruato, *g* lampades circa sepulchra Martyrum solerent incendi, easdem virtutes operari consueuisse; fidem integram faciunt sanctissimi & antiquissimi Patres. Denique Gregorius *h* Nazianzenus aduersus Iulianum asserit, *sanctorum Martyrum corpora idem posse quod animas, siue manibus contrectentur, siue honorentur, eorumdemque vel solum sanguinis guttas, atque exigua passionis signa, idem posse quod corpora*: Et rursum *i*, *fuisse adeo frequentem illorum venerationem, vt exiguus puluis, aut reliquiæ veterum ossium, totius ad honorem sufficerent, & nonnullorum solum appellationem Reliquiarum omnino expertem loci certis inditam fuisse pro toto Martyre, quæ tamen eamdem vim obtinuissent.* Ad quæ iure exclamans, *O rem*, inquit, *prodigiosam! salutem affert sola recordatio.* Cum igitur eamdem virtutem in exigua parte Reliquiarum Martyris, quæ in toto sit corpore, inesse experimento probatum esset, inde euenit vt corpus vnius Martyris in plures interdum partes diuidi soleret, recondique in diuersis altaribus, quæ sepulchra sunt Martyrum, vt constat diuinæ auctoritate Scripturæ. *k* Indeque fortasse pariter accidit, vt cum vnius eiusdemque Martyris diuersis in locis Reliquiæ conditæ fuerint, & æque ac si integrum corpus vbique horum locorum conditum esset, eadem miracula sint operatæ: vnius eiusdemque Martyris corpus diuersis in locis haberi dicatur. Tolerabilis error, cui non hominum impostura, sed exuberans diuina largitas præbuit occasionem. Qua ratione Basilius *l* ait, Quadraginta illos Martyres dici esse conditos in variis ciuitatibus, quod ipsarum quælibet partem aliquam Reliquiarum possideret.

III.
DE VELIS ADMOTIS RELIQVIIS SANCTORVM!
a *Ep. 62. & 63 Horm.*
b *Greg. 3. ep. 30. Io. diac. in Vit. Greg. lib. 2. c. 42. Vide, si plura cupis. Not. Bar. in Roman. Mart. die 15. Iunii.*
c *Greg. & Io. diac. ibid. Greg. Tur. de glor. Mart. cap. 28.*
d *Aug. 22. de ciu. 8.*
e *Greg. Nyss. orat. in laud. Theod. Greg. Pap. 3. dial. 17. Greg. Tur. de miracul. S. Mart. lib. 1. c. 1 lib. 3. c. 22. lib. 4. c. 22. 33. & de glor. mart. li. 3. c. 62 li. 2. c. 24. 33. 45 f Aug. 22. de ciu. 8. Tossat. hiſt. 58 Par. c. 21. in Iacob. Greg. Tur. de mir. S. Mart. li. 2. c. 1 Ven. For. in Vit. S. Mart. li. 4 & alii.*
g *De hoc vid. inf. an. 58. num. XXVI. & seqq.*
h *Greg. Naz. orat. 1. in Iul. Idem in Cyprian. at animi submiss. c. 14. Leuncla.*

CVRSIM DIVISÆ RELIQVIÆ.
k *Apoc. 6.*
l *Bas. orat. in Quadr. Mart*

IV.
A MAIORIBVS PROBARI SOLITÆ.
m *Aug. Breu. col. di. c. 13.*
n *Id. de oper. monach. c. 28.*

Porro magnam esse à maioribus adhibitam diligentiam ne quorumlibet qui fidei causa interfecti viderentur, Reliquiæ vt Martyrum colerentur, sed illorum tantum quos probasset Ecclesia, expressum habetur apud Optatum Mileuitanum, dum agit de Lucilla famosissima femina Donatistarum patrona, à Cæciliano Archidiacono Carthaginiensi reprehensa, quod ante Eucharistiæ sumptionem *os nescio cuius hominis mortui, si martyris, nondum tamen vindicati, libaret.* Qualiter autem imprimis auctoritate Primatis Episcopi, subtilissimaque inquisitione adhibita, quibus cultus Martyrum exhibendus esset diligentissime tractaretur, etiam persecutionis sæuiente procella, habes apud Augustinum *m* de Actis Martyrum delatis ad Mensurium Episcopum Carthaginiensem temporib. Diocletiani. A quo eodem Augustino *n* notati sunt pariter circulatores quidam monachi, qui quæstus causa distraherent nonnullas Reliquias, quas diceret esse Martyrum. Sed & quam accurate eodem tempore prouiderint Episcopi Africani, vt nonnisi certis & exploratis Sanctorum Reliquiis Memoriæ consecrarentur, neue inanibus superstitionibus & reuelationibus plebs ignara deciperetur; docet canon Concilii Quinti *o* Carthaginensis. Quantaque etiam cura fuerit Romanorum Pontificum, ne quid de his, quod inexploratum esset, admitteretur, exempla habes de Gregorio *p* Primo referibente ad Augustinum in Angliam, & de Innocentio *q* Tertio in Concilio Lateranen. Quod si aliquando in eumdem cultum aliquis irrepsisset error, non ex traditione maiorum, sed priuato aliquorum instinctu; Deus non permisit illum diu latere, sed alicui sancto viro rem aperire non prætermisit, vt veritate prodita falsitas appareret: quod & de S. Martino Seuerus *r*

o *Conc. Carth. Vegan 14.*
p *Greg. 12. ep. 9.*
q *Inn. Tert. in Conc. Lat. c. 1*
r *Sev. in Vit. S. Mart. c. 8.*

scribit. Sed de traditione sacrarum Reliquiarum modo hactenus: de singulis enim plurimorum Sanctorum, specialior erit inferius suis locis traditio.

IESV CHRISTI AN. 56.

PETRI AN. 12.

CLAVDII IMP. AN. 14.

I. ANno Christi quinquagesimo sexto, M. Asinio Marcello & M. Acilio Auiola Coss. cum Paulus Apostolus iam annum secundum ageret Epheſi, non tantum eius prædicatione, sed noua occasione septem filiorum Sceuæ Principis sacerdotum, (qui exorcistas agere soliti, etiam in nomine IESV quem Paulus prædicaret, eiicere dæmonia magno suo damno tentauerunt) magna facta est accessio ad Christianam fidem. Rem gestam Lucas *a* Euangelista describit. Porro cum Iudæorum non ignobiles viri, sed filii Principis sacerdotum *exorcistas agerent*, arcanum fuisse à maioribus traditum, nec commune omnibus ministerium dæmones expellendi, facile potest intelligi. Qui vero primus eam artem docuit Hebræos, Salomonē fuisse Iosephus *b* affirmat: agitque *c* insuper de radice quadam, admirabilem virtutem habente pellendi dæmones. Sed & fuisse apud illos in confesso, per virtutem nominis Tetragrammaton, si cui illud scire ac fari licuisset, quemlibet eam facultatem *d* aduersus dæmones assequi posse, testatur Epiphanius, cū agens de quodam Iosepho homine Iudæo, qui nec adhuc credens, obsessum à dæmone hominem in nomine IESV liberauit, addit cæteros Iudæos inde rumorem sparsisse, Iosephum aperris gazophylaciis, & inuento nomine Dei scripto, eo lecto eiusmodi signa facere. Sic igitur & Sceuæ filii videntes tam à Paulo quam à cæteris Christianis, in nomine IESV hæc eadem & alia miracula factitari, ipsi quoque ad dæmones expellendos eodem vtendum sibi nomine vt diuinitus reuelato existimarunt. Quod vero iidem (vt scribit Lucas) per nomen IESV dæmonibus cum adiuratione præciperent, existimauit Origenes, *e* non ex Christi Euangelio, sed potius ex ritu Iudaico à Salomone tradito adiurationes eiusmodi prouenisse, quibus Christiani etiam vtentur. Verum hæc cum ipse deducat ex eo quod ait, *sicut Christiano homini ex Euangelii præscripto non licet omnino iurare, sic nec etiam quempiam adiurare*: sicut falsa est illa propositio, ita etiam quæ inde est deducta conclusio.

Cum autem inter credentium signa illud adnumeretur, *f* vt in nomine IESV Fideles dæmonia eiiciant, iure consueuisse Christianos sic adiurando dæmones pellere, ipsosq; tunc dæmones flagella & verba sentientes, suam imbecillitatem, Christi vero potentiam fateri, antiqui Patres *g* abunde docent. Immo non adiurationibus tantum, sed aliquibus maiorum traditione probatis ritibus id fieri consueuisse, iidem ostendunt. Atque id ipsum legitime fieri posse, Domini nostri imprimis admonemur exemplo: quippe qui cum solo nutu, ne dicam verbo, ab obsessis corporibus propria virtute dæmones pellere potuisset, aliquando tamen signa quædam, quæ vim exorcismi habere viderentur, adhibenda putauit, vt cum sanaturus *h* habentem dæmonium surdum & mutum, *misit digitos suos in auriculas eius, & expuens tetigit linguam eius, & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi, Ephphetha, quod est adaperire*, qui etiam ad exorcismum spectare ieiunium & orationem discipulis suis monstrauit. *i* Atlicet non discipulos tantum, sed & credentes omnes pellendi dæmones à Domino gratiam consecutos esse, Euangelista *k* testetur, & exemplo sæpius monstratum sit, laicos homines dæmones eiecisse (qs & de militibus scribit Tertullianus, *l* sed & patentes exorcizare filios solitos dicit *m*:) tamen fuisse peculiare munus Ordinis ad hoc opus in Ecclesia instituti, antiquorum est Patrum *n* & Conciliorum *o* attestatione exploratissimum. Insuperque in Concilio Carthaginensi Quarto *p* statutum est, vt ordinandus Exorcista de manu Episcopi ordinantis libellum acciperet in quo scripti essent EXORCISMI; ne videlicet aliquid superstitionis in exorcismos irreperet.

Quod vero Vlpianus *q* Iurisconsultus agens de quibusdam impostoribus, qui certis incantationibus & imprecationibus exorcizare solerent, & sic morbos sanare profitetentur, negat eiusmodi hominibus de eorum mercede ius esse dicendū: ex eo certum est, de aliis potius quam de Christianis intellexisse, qui nonnisi gratis absque aliqua conuentione stipendii illud officium impendere consueuerūt. Verum quod ait, verbum *Exorcizare* proprium esse Impostorum, videtur fugillare voluisse Christianos, quorum erat infestissimus hostis. Gentiles enim contumeliæ causa Christianos nominare consueuisse *Impostores, & Græcos*, testis est Hieronymus. *b* Sed & ipse Christus Dominus à Iudæis est nominatus *Impostor*: nam quod apud Matthæum *c* legitur *Seductor, Impostorem* esse legendum alii *d* tradiderunt. Cur autem Ethnici Christianos appellarent *Græcos*, Tertullianus eam affert causam, quod qui Christianam confiterentur religionem, abiecta toga pallium, quod erat philosophorum indumentum, superuestiebant. Sed de eiusmodi vsu pallii, dicetur alias. Multum vero confert ad dictum Vlpiani responsum intelligendum, quod Iustinus in oratione ad Gentiles ostendit, non Christianos tantum, verum & incantatores ac circulatores exorcizare consueuisse, sed Christianos cæteris omnibus in ea re perficienda virtute præstitisse. Quinimmo & ipsas quoque mulieres hæreticas eo procaciæ prouenisse, vt auderent exorcismos agere, idem Tertullianus *e* affirmat.

Cæterum Christianæ religionis Exorcistarum munus erat, non tantum eos qui patenter, sed & qui latenter à dæmonibus arriperentur, exorcizare. Quod enim omnes homines cum natura nascantur filii iræ, donec Christi baptismate in nouam transeant creaturam, dæmonis detineantur imperio, idcirco antiquus Ecclesiæ vsus fuit, vt omnes ante baptismum expurgarentur Exorcismis, de quibus ante baptismum exorcizandis, *f* Optatus, *g* Ambrosius, *h* Augustinus, *i* Cyprianus, *k* Hierosolymitanus, Gregorius *l* Nazianzenus, Basilius *m* Chrysostomus, *n* ac cæteri omnes, & præsertim qui scripserunt de diuinis Officiis: eamdemque consuetudinem vbique ab Ecclesia seruari solitam, Gennadius *o* scribit. Denique illud non prætermittimus, non Gentiles tantum vexari à dæmonibus consueuisse, sed & Christianos, cum præsertim post baptismum in peccatum aliquod capitale incidissent; vt Dionysius *p* & Cyprianus *q* testantur, suntque innumera ea de re exempla apud alios auctores, quorum à nobis plurima suis locis inferius referentur. Cum alioqui & interdum diuino permissu & occulto iudicio accidere, vt innocentes pueri ac puellæ arripiantur à dæmone, Hieronymus, *r* Augustinus, *s* & Gregorius *t* tradant. Quin & aliquando pios ac iustos viros, inscrutabili Dei prouidentia dæmonibus cruciandos permitti, pluribus monstrat Ioannes Chrysostomus. *u* Sed de Exorcismi traditione hactenus: iam reliqua prosequamur.

Non Iudæos tantum, aut Gentiles, noui casus filiorum Sceuæ timore perculsos, nomen Domini IESV præconiis extulisse, sed & Christianos ipsos magnam inde vilitatē consecutos Lucas *x* docet, dum ait, *multos credentium confessos esse, & annuntiasse actus suos*. Porro diuersam plane hanc fuisse PECCATORVM CONFESSIONEM ab illa quam ad Ioannis baptismum venientes agere consueuerant, *y* certum est: iam illa præcedebat baptismum, hæc autem erat eorum qui credidissent ac baptizari essent. Cuius quidem non solum iam olim Dominus in Ecclesia Christiana fundamenta iecerat, cum Apostolis *z* dimittendi peccata tradidit potestatem; sed & eadem ab ipso rerum omnium principio, cum ab Adam est à Deo confessio requisita, videtur quodammodo imperata, extantque eiusdem postea à populo Iudaico exactæ in diuinis Scripturis innumera impressa vestigia. Verū his omissis, vt ex instituto de vsu Ecclesiæ Christianæ agamus, huic probādæ rei, etsi nulla alia suppeteret testimonia, ipsa necessitas eam agnoscere cōpelleret. Cum n. non sit homo qui non peccet, & tradita sit à Christo hominibus potestas dimittendi peccata, qui vult sibi quæ commisit dimitti, necesse est vtea aperiat potestatem

---

a *Act.* 19. DE EXORCISTIS IVDÆORVM.

b *Ioseph.* 8. *ant.* 2.
c *Id.* 7. *de bel.* 25.

d *Epiph. har.* 30

NOMINIS IESV VIRTVS.

e *Orig. tract.* 35. *in Matt.*

II. EXORCISMO RVM PROBATVS VSVS.

f *Iust. dial. cum Tryph. Orig. hom.* 24. *in Iosue. Tert. ad Scap. c.* 2. & *Apol. c.* 23. *Cypr. ad Dem. & ad Don. ep.* 1. & *de idol. vanit. Minut. in Oct. Prud. Apoth. cont. Iudæ. & al.*
b *Matt.* 7.
i *Marc.* 9.
k *Matt.* 16.
l *Tert. de cor. mil. c.* 11.
m *Id. de idol. cap.* 11
n *Ign. ep. ad Antioch. Tert. de præscr. c.* 41. *Orig. in Ioh. ho.* 24. *Cornel. PP.* o *Euseb. hist.* 3. *Hier. in* 2. *c.* 3.
p *Con. Rom. sub Silu. c.* 3. & 7. *Laodic. can.* 24. & 26. *Carth. IV. c.* 7. *Con. Cart. V. c.* 7.

III. CHRISTIANI GENTILIBVS DICTI IMPOSTORES.
a *l.* 1. *D. de var. & extr. cogn.*

b *Hier. ep.* 18. *ad Fur. ep.* 13. *ad Marc.*
c *Matt.* 27.
d *Beda in Pand. l.* 4. *D. de acti. edict.*
e *Tert. de præscr. c.* 41.

IV. EXORCISMI ANTE BAPTISMVM.
f *Cyp. ep.* 76. *ad Magn.*
g *Opt. li.* 4. *con Parm.*
h *Amb.* 1. *de Sacr.* 5.
i *Aug. de peccat. orig. lib.* 2. *c.* 4. *& alibi.*
k *Cyr. catec.* 3
l *Greg. Naz. orat. de bapt.*
m *Bas. ad Amph.*
n *Chrys. hom. de Adam & Eua.*
o *Gennad. de eccl. dog. c.* 30.
p *Dion. de eccl. hier. c.* 3.
q *Cyp. ep.* 76.
r *Hier. ep.* 25. *ad Paul.*
s *Aug. cont. Pelag.*
t *Greg. in dial.*
u *Chr. de prou. Dei.*

V.
x *Act.* 19. DE CONFESSIONE PECCATORVM.
y *Luc.* 3.

z *Ioan.* 20.

NECESSITAS EIVS. *Et vide sup. an.* 34. *nu.* LVII.

stiarem habentibus absoluendi. Et quoniam non soluendi tantum, sed & retinendi sacerdotes facultatem sunt consecuti, ea vt vtantur, & intelligant quæ relaxare, quæue debeant retinere, singula singulorum opus est peccata audiant.

VI.

Hunc vero fuisse perpetuum Ecclesiæ vsum, non desunt plurima Patrum antiquissimorum testimonia quæ id probent; puta Dionysii ad Demophilum scribentis, eumdemque reprehendentis quod contra disciplinæ ordinem, procidentem sacerdotem repulisset qui venerat ad peccatorum remedia quærenda: & Irenæi *a* agentis de feminis Rhodanensibus, quæ lapsæ in hæresin, ad Ecclesiam redeuntes exomologesin facerent, qui idem Irenæus de Cerdone hæresiarcha tradit, *b* sæpe exomologesin feciisse, sed iterum sua praua dogmata docuisse. Fecisse quoque exomologesin Romæ coram Zephyrino Pontifice Natalium hæreticum, Eusebius *c* ex antiquioribus scriptoribus recitat: facturumque eamdem Marcionem nisi morte præuentus fuisset Tertullianus *d* asserit. Porro nihil aliud esse *Exomologesin facere*, quam sua confiteri peccata, monstratur tum ex eiusdem vi vocis, (nam ἐξ idem est quod *foris*, & ὁμολογία, quod *Confessio*) tum etiam ex antiquo eiusdem significationis vsu recepto: quandoquidem non Græci tantum, sed & Latinorum plerique, vt Tertullianus, Cyprianus, & alii, Exomologesin pro Confessione peccatorum vsurpare consueuerunt, sicut & eadem significatione eamdem vocem hic Lucas vsurpauit. Secundum quam Tertullianus *e* *Exomologesis* (inquit) *est petitio veniæ, quia quipetit veniam, delictum confitetur.* Idemque alibi *f* non solum ipsam peccatorum *Confessionem*, sed etiam *Satisfactionem & Pœnitentiam* quæ Confessionem sequitur, nominat *Exomologesin*: agens præterea & de pœnitentia illa quæ præcedere solet confessionem delictorum, quam *Contritionem* vsitatiori vocabulo appellare consueuimus. Porro hæc omnia apud Cyprianum *g* planiora reperiuntur, dum docet lapsos non esse in Ecclesiam recipiendos, nisi facta apud sacerdotes exomologesi & confessione delictorum: eosque hortatur confiteri delicta sua *dum admitti confessio eorum potest, dum satisfactio & remissio facta per sacerdotes apud Dominum grata est.* Et ab antiquis temporibus in eamdem sententiam conspirasse Romanam Ecclesiam, Clerus *h* Romanus Sede vacante ad eumdem Cyprianum scribens egregie professus est: cum & paulo ante præcessisset Fabiani Papæ recens exemplum: quem non prius Philippo Imperatori communionem Ecclesiasticam impartiri voluisse, quam confessus fuisset peccata sua, & inter pœnitentes se collocasset, Eusebius *i* ait.

Ne vero hæc cuncta de publica tantummodo peccatorum confessione dicta existimes, (cum alioqui haud sit dubium, publicorum delictorum publicam fieri solitam fuisse exomologesin:) habes insuper de Confessione secreta apud Tertullianum *k* & Origenem *l* (vt recentiores taceam) apertissima testimonia. Sed & vnde, quæso, calumnia illa à Gentilibus in Christianos conflata, cum dicerent (vt tradit Minutius *m* Felix) ipsos adorare solitos virilia sacerdotum, nisi quod illi ad eorum genua procumbentes, suaque peccata confitentes, summisse veniam deprecarentur? Denique de confessione peccatorum sacerdotibus facienda quamplurima alia suppetũt SS. Patrum testimonia, vt Basilii, *n* Gregorii, *o* Nysseni, vtriusque Anastasii Sinaitæ *p* & Nicæni, *q* Nicephori *r* Charthophylacis, Paciani, *s* Ambrosii, *t* Hieronymi, *u* Augustini, *x* Cælestini *y* Papæ qui eodem fuit tempore, ac denique omnium qui post vixere Catholicorum tam Græcorum quam Latinorum rerum Ecclesiasticarum tractatorum. Ex quibus omnibus satis exploratum habetur, in Ecclesia Catholica ab ipsis Apostolorum temporibus peccatorum confessionem coram sacerdotibus, siue priuatim de priuatis, siue publice de publicis, nunquam esse intermissam.

VII. CONFESSIO SECRETA IN VSV MAIORIBVS.

Sed quoniam de his est quædam difficultas apud Socratem & Sozomenum historicos Græcos, ex qua hæretici occasionem captant Catholicam veritatem impugnandi, eam hic explicare non prætermittimus. Et quidem temporibus Decianæ persecutionis fuisse in Ecclesiis *Presbyteros Pœnitentiarios*, qui confessionem peccatorum particulatim & secrete audirent, iidem auctores *a* expresse testantur: licet perperam habeat lectio Sozomeni apud Cassiodorum, *b* Antiquis Pontificibus visum esse, vt velut in theatro sub testimonio Ecclesiastici populi delicta panderentur. Nam si hoc verum esset, quid opus erat (vt subdit) ad hoc deligi presbyterum secreta seruantem? Denique ipse Sozomenus aperte dicit, quod odiosum esset coram multitudine delicta pandere, huic operi præfectum fuisse sacerdotem secretorum tenacem. Quod vero id temporibus Decii institutum Socrates ait, dicendum est potius, tunc excrescente lapsorum numero, Pœnitentiariorum presbyterorum etiam numerum esse auctum, quam officium recenter institutum, quandoquidem (vt vidimus) longe ante Decii tempora frequens fuit vsus exomologesis in Ecclesia. Quapropter consultius Sozomenus, nullum certum definiens tempus, ab ipso inde exordio obseruatum id fuisse tradit. Sed & quod ad numerum spectat, non vnum, sed plures presbyteros Pœnitentiarios in vna Ecclesia, ad suscipiendos pœnitentes & peccatorum confessionem audiendam fuisse præfectos, demonstrat Dionysii *c* Alexandrini epistola ad Fabium Antiochenum, dum Serapionem lapsum in extremis laborantem, dixisse ait nepoti suo, *Aliquem expresbyteris aduoca ad me.*

a Socr. lib. 5. cap. 19. Sozom. lib. 7. c. 16.
b Trip. lib. 9. cap. 35.
c Ap. Eus. 6 hist. 29.

IX. DE NECTARII FACTO CONTROVERSIA.

In cæteris vero quæ scribunt iidem Socrates & Sozomenus, de presbytero pœnitentiario, adeoque ipsa exomologesis & pœnitentiæ consuetudine prorsus abrogata tempore Theodosii Imperatoris à Nectario Episcopo Constantinopolitano, occasione obortæ scandali quod recensent: deque libera potestate omnibus tunc ab eodem Nectario data, vt quiuis suæ conscientiæ arbitrio absque aliqua exomologesi ad percipiendã Eucharistiam accederet, ac quod est omnium maximum, quod aiunt illum Nectarii canonem ab omnibus fere aliarum Ecclesiarum Orthodoxis Præsulibus fuisse imitatione cõprobatum: In his, inquam tanta iis auctoribus est fides habenda, quanta cæteris hæreticis de suis dogmatibus tractantibus, quippe eos Nouatianos secta, ac proinde pœnitentiæ hostes cum fuisse omnibus sit notum, (vt etiam suis locis demonstrabitur) quam vere hæc scripserint aduersus pœnitentiam in Ecclesia administrati solitam, quemlibet puto posse facile iudicare. Cæterum si velimus ea vera fuisse, etiam omnino affirmandum erit, ipsum Nectarium, hominem rerum Ecclesiasticarum prorsus ignarum, à Nouatianis fuisse deceptum quippe quem eisdem vti familiarissime, eosdemque in rebus etiam quæ spectarent ad fidem aliquando consulere, & illorum opem aduersus alios hæreticos implorare consueuisse, iisdem ipsis auctoribus inferius suo loco & tempore visuri sumus.

X.

Alias vero Ecclesias Nectarii exemplum esse secutas, apertissimum esse mendacium, certis argumentis detegitur. Nam qui eodem Theodosii tempore cum Nectario vixit Gregorius Nyssenus, inter omnes Orientales Episcopos insigni eruditione ornatissimus, egregia illa ad Latoium Mitylenes Episcopum epistola, quæ à Græcis *d* inter Canonicas est recensita, nonnullos canones, quos Pœnitentiales appellare consueuimus, instituit; vt confitentium peccatorum examinato pondere, ex eorum præscripto illis pœnitentia iniungeretur. Et qui ipsi Nectario proxime in Episcopatu successit S. Ioannes Chrysostomus, multus est in admonendis *e* sacerdotibus, ne quemquam permittant ad mensam Domini accedere, quem aliqua improbitate aut sordibus teneri sciuerint: idemque sæpe demonstrat *f* fuisse suis temporibus in Ecclesia & pœnitentes, & presbyteros qui eis absolutionem criminum impertirent, ac peccatorũ cõfessionem *g* præcedere cõsueuisse Eucharistiæ sumptionem. Quibus sic se habentibus, si quando (quod & sæpius est inuenire) idem Chrysostomus hortatur vt Deo cõfiterentur peccata, nõ hominibus, nec velut in theatro panderent ea, nõ à secreta certe, sed à publica abstertuit propalatione, quam, licet occultorum alioqui peccatorum, sacerdotes interdum pœnitentibus iniungere, siue ad cæterorum ædificationem, siue ad propriam emendationem consueuerãt; cuius occasione scandalũ illud obortum fuerat in eadem Ecclesia Constantinopolitana. Quod n. recens eius esset exemplũ, ea ex causa sæpius id ipsum fuit inculcãdum:

d Ap. Theod. Balsam. ad dict.
e Chrys. hom. 83. in Matt. & hom. 60. ad pop. Antioch.
f Chrys. hom. 61. ad pop. Antioch. hom. 33. in Matt. lib. 3. de Sacerd. & alibi.
g Id. hom. 16. in Matt.

a Iren. li. 1. c. 9
b Id. lib. 3. c. 4.
c Eus. 5. hi 27.
d Tert. de præscript.

QVÆ SIT EXOMOLOGESIS.

e Tert. de orat. cap. 6.
f Id. de pœn. cap. 8. 9.
g Cyp. de lapsi & ep. 10. 11. 15. 52. 54. 62.
h Ap. Cyp. ep. 31.
i Eus. lib. 6. cap. 27.

VII. CONFESSIO SECRETA IN VSV MAIORIBVS.

k Tert. de bapt. c. 20. & ibi Pamel.
l Orig. hom. 2. in psal. 38. in Mat. in Osia.
m Bas. reg. fus. & ep. 220. ad Amphiloch. c. 73.
n Greg. Nyss. hom. 3. in Eccl. o Anast. Sin. orat. de sacr. Syn.
p Anast. Nic. q. 6. in Script. Nic. Chart. ep. ad Theod.
q Pac. ep. 1. ad Sym. & in paræn. de pœn. t Amb. de pœn. c. 2. & seq. & lib. 3. de Sp. S. c. 19.
u Hier. in Eccl. 10. & Matt. 16. x Au. ho. 49 50 ser. 8. de verb. Dom. c. 1. & ser. 66. de temp. & tract. 49. in Ioan.
y Cæles. PP. dist. 30. q. 1. c. non debet. & tom. 1. Conc.

VIII. SOCRATIS ET SOZOM. ASSERTIO DE PRESBYTERIS PORNITENTIARIIS.

1 Ap. Theod. Balsam. ad dict.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

PVBLICA CONFESSIO REVELATA.
a Leo ep. 80. ad Epis. Cap. c. 2. De qua Ear. loc. an. & Tom. VI an. 459. in fin.

fiquidem secrete confiteri, idem æstimabatur quod Deo tantum peccata detegere: sicut econtra palam confiteri, eadem erat hominibus potius quam Deo propalare. Quemadmodum & post aliquod tempus S. Leo a Papa, grauibus rationibus demonstrans sufficere reatus conscientiam solis sacerdotibus indicari confessione secreta, publicam illam alicubi adhuc vsu retentam, qua ex scripto singula peccatorum genera publice recitabantur, amplius esse exercendam prohibuit: quam quidem dum *contra Apostolicam Regulam præsumi* ait, plane insinuat ex Apostolica traditione, probatam haberi secretam, quam solam retinendam esse iussit.

XI.

Ac certe nequaquam secretam (quæ sui natura esse solet silentii tenacissima) sed publicam fuisse eam quam mulier illa tempore Nectarii fecisse dicitur, vel ex eo satis apparet quod non à presbytero propalatum fuisse illius peccatum, sed ab eadem ipsa tantummodo femina, Socrates & Sozomenus testantur: quod tamen id procul dubio factum fuerit eodem sacerdote suadente, eius rei causa ille merito est à Nectario officio depositus, ipsaque theatralis occultorum peccatorum confessio ob scandalum inde exortum abrogata. Quo facto Nouatiani (vt mos est hæreticorũ, quamcunque licet leuem, vt sinceris dogmatibus detrahant, arripere occasionem) non tantum presbyterum illum pœnitentiarium in ordinem redactum, sed & pœnitentiam ipsam vna cum eo fuisse proscriptam, calumniose admodum conclamarunt: cum tamen non modo non secreta cõfessio à Nectario, sed nec publica illa fuerit abrogata, quæ ex publico ac omnibus manifesto peccato prouenit, quæ & hactenus in Ecclesia perseuerat. Habes vero eius exemplum egregie expressum à S. Hieronymo, *b* de Fabiola viduæ publicæ Romæ exomologesin faciente: quam (vt Ambrosius *c* & Augustinus *d* scribunt) semel actam haud facile iterari licebat: sicut de eadem intelligit Chrysostomus, *e* dum post semel impartitam reconciliationem, eam iterum tribui non debere testatur. Fuit & in vsu, sed inter monachos, publica quædam Confessio, quæ collecta Synaxi fieri consueuit, de qua inter alios Basilius. *f* At hæc satis de facto Nectarii, deque traditione Exomologesis siue Confessionis: iam cætera prosequamur.

b Hier ep. 30.
c Amb. 2. de pœn. 10.
d Aug. ep 53. 54. ad Maced.
e Chrys. hom. 2 in epist. ad Eph.
f Basil. de inst. monac.

TRES PŒNITENTIÆ MODI.

[Card. Perron in Resp. ad Reg. Mag. Brit. lib. 2. cap. 3. sic nodum superioris quæstionis soluit, vt & Confessioni publicæ, priuatæq; sua vis & vsus tecta seruetur, & Socrati ac Sozomeno suæ narrationis fides constet, dum antiquorum Patrum auctoritate demonstrat fuisse olim in Ecclesia tres pœnitentiarum species, vnam publicam publicorum peccatorum, alteram secretam occultorum, (de quibus hic abunde Baronius), tertiam publicam item occultorũ peccatorum, cum videlicet presbyter vt pœnitentiarius audita secreto confessione pœnitentis, è peccatis eius diiudicabat quæ publice ad Ecclesiæ ædificationem, & pœnitentis profectum, absque vllo scandalo, & aliorum famæ læsione, propalanda essent, quæque ei publicæ pœnæ imponendæ, & quando demum iis plene ac rite à simplicibus foret pœnitens in sacrorum mysteriorũ participationem, & in publicam cæterorum Fidelium communionẽ, à quibus interim segregabatur, admittendus, haneque vt plurimũ non nisi semel in vita, quod ea in plures annos protraheretur, concedi petentibus consueuisse, fusque vt velut alterum baptismum, & vt vocat Tertullianus lib. de pœnit. cap. 9 *pœnitentiam secundam & vltimam*, & cap. 12. *secunda subsidia post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta*, Hieronymus ep. 8. ad Demetria *secundam post naufragium tabulam*, ac denique Ambrosius lib. 2. de pœn. cap. 10. *Sit vt vnum baptisma, ita vna pœnitentia, quæ tamen publice agitur.* De hoc igitur tertio pœnitentiæ genere, deque presbytero pœnitentiario, in singulis Ecclesiis, occasione Nouatianorũ sacramentalem pœnitentiam impugnantium, eius directioni præposito, intelligi debet hic etiam Nectarius, qui ob publicum scandalum propalati à se mina pœnitente, sponte, & inconsulto presbytero pœnitentiario, illati sibi sum adhuc pœnitentiam suscepta prosequeretur, siue priorem diaconus abrogauerit eiusmodi presbyteri pœnitentiarii officium, quam ipsam publicam occultorum peccatorum confessionem sibi tantummodo reliquit iis qui post secretam peccatorum suorum confessionem, pœnitentiam publicam agere vellent, vti pro sua quisque conscientia ad mysteria participanda accederet, nec amplius esset ei, nec ille peccata pro quibus pœnitentiam ageret propalare vel testimonium aliquod peractæ susceptæ pœnitentiæ exquirete.]

XII.

Cum igitur nouo casu irruentis dæmonis in Sceuæ filios, Christiani etiam timore perculsi ad Paulum venissent confitentes peccata sua: pœnitentia etiam satisfacere studuerunt, dum (vt ait Lucas *g*) multi ex iis qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserũt coram omnibus, ac computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium. Fuisse hos magiæ libros, æque omnes *a* consentiunt: cui quidem pessimæ arti addictissimos extitisse Ephesios, testatur Hieronymus, *b* nec vllibi carius quam Ephesi Apollonium Tyanæum, qui eodem hoc tempore vixit, magiæ suæ merces esse nundinatum Philostratus docet in eius Vita. Antiquo autem vsu receptum fuisse vt eiusmodi libri igni traderentur, constat ex Iurisconsultorum Pauli *c* & Vlpiani *d* responsis: sæpeque datum *e* scimus negotium Magistratibus de iis diligenter inquirendis, vt in eos habentes animaduerterent. Ac pariter Athenis improbatæ lectionis libros igni tradi solitos, declarat exemplum *f* de combustis Protagoræ voluminibus. Hoc vero Ephesiorum Christianorum exemplo, in Ecclesia itidem obseruatum est, vt non tantum magiæ *g* libri, sed & cæteri omnes qui ab Hæreticis *h* aduersus Catholicam fidem scripti fuerint, igne consumantur. Nec minus execranda visa est Christianis illa per Astrorum aspectum solita fieri diuinatio, quæ ex *Iudiciaria*, quam vocant, *astrologia* manare consueuit. Quamobrem Aquila Ponticus eruditione interpretandi celeberrimus, ab Ecclesia est ejectus, quod (vt scribit Epiphanius *i*) geniturarũ inspectionibus & natiuitatum horoscopis vacaret. Et apud ipsos Gentiles Augusti temporibus (vt Dio *k* tradit) Astrologi, sicut & præstigiatores, Vrbe sunt pulsi: ac de Mathematicis Italia pellendis Senatusconsultum factum ante biennium, ex Tacito *l* vidimus.

a Chrys. Bed. Oecum. in Act.
b Hier. præf. in ad Ephes.
c Paul. sent. lib. 5. tit. 25. ad leg. Corn. de fic. & venef.
d Vlp. l. 4. §. tantumdem D. fam. ercis.
e Liu. l. 29.
f Cic. lib. 2. de nat. deor.

LIBRI HÆRETICORVM COMBVRENDI.

g Aug. in psal. 61. in fi.
h l. vlt. C. Th. de hær. & alibi

ASTROLOGIA IVDICIARIA DAMNATA.

i Epiph. de pond. k Dio lib. 49.
l Tac. Ann. lib. 12.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. *m* tertio Idus Octobris mortuus est *Claudius* Imperator, annum ætatis agens sexagesimum quartum, Imperii vero decimum tertium supra menses octo, & dies viginti: veneno sublatus Agrippinæ dolo, quam ipse Germanici fratris sui filiam vxorem acceperat. Post cuius obitum, *Domitius* NERO *Claudius* eiusdem Agrippinæ ex priori marito Cn. Domitio Ænobarbo filius, ab eodem Claudio adoptatus in familiam Claudiam, in Imperium successit, annum attingẽs ætatis decimum octauum, licet adhuc in viris esset *Britannicus* Cæsar, eodem Claudio Imp. & Messalina natus, quem Nero paulo post veneno sustulit. *n* Cum tamen sic moribus Nero compositus esset, vsus Seneca præceptore, vt primis Imperii sui annis multa mansuetudinis & beneficentiæ testimonia ediderit. Cuius quidem ea de re egregiam vocẽ celebrat idem Seneca, *o Vellem nescire litteras*, cum à Burro Præfecto vrgeretur subscribere supplicio quorumdam latronum. Visusque est etiam in Iudæos propensior, quandoquidem ipsorum Regem Agrippam mox donauit *p* quatuor ciuitatibus in Abilina & Galilæa, reliquam Iudæam Felici, qui à Claudio eam administrandam acceperat, curandam tradens. Cum vero esset pariter vna cum Claudio extinctum illud edictum, aduersus Iudæos ne in Vrbe agerent promulgatum, data est etiam Christianis qui ex Iudæis erediderant in Vrbem redeundi facultas.

XIII.

CLAVDIVS IMP. MORITVR.

m Sen. Iud. de obit. Claud. Tac. lib. 12. Suet. in Claud. c. 45. Dio li. 60

NERO IMPERAT.

n Tac. Ann. lib. 13.
SIVE OPTIMA PRINCIPIA.
o Sen. lib. 2. de clem.
p Ios. 20. ant. 5. & 2 de bel. 12.

IESV CHRISTI ANN. 57.

PETRI AN. 13.

NERONIS IMP. AN. I.

I.

ANno Christi quinquagesimo septimo, Claudio *q* Nerone Aug. & L. Antistio Coss. cum (vt diximus) morte Claudii Imp. Iudæis adeundi Romam potestas facta esset, Paulus Apostolus tertium iam annum Ephesi agens, consilium iniit, transita Macedonia & Achaia, Hierosolymam ire, ac inde Romam se conferre. Quapropter præmittens in Macedoniam & Achaiam Timotheum & Erastum, ipse adhuc remansit ad tempus Ephesi. Tradit hæc Lucas. *r* Quibus similia cum ipsemet scribat Paulus in EPISTOLA PRIMA *ad Corinthios*, *s* latis inde perspicuum redditur, eum illam scripsisse cum adhuc Ephesi moraretur, sed iam de profectione cogitaret. Occasionem autem eius scribendæ hanc in principio *t* declarat, quod cum ipse Corintho Ephesum veniens ibi moraretur, & interim Apollo Corintheum profectus illic Euangelium prædicasset, licet & iste eandem cum Paulo fidem annũtiasset, tamẽ accidisset vt ex eandem cum Paulo fidem annũtiasset, tamẽ accidisset vt ex vana quadam iactantia quisque Corinthiorum suum præ-

q Tac. lib. 13.

IVDÆI ROMAM REDEVNT.

r Act. 19.
s 1. Cor. 4. & 16.

DE EPIST. I. AD COR.

t 1. Cor. 1.

g Act. 19.

LIBRI MAGIÆ IGNE DAMNATI.

ceptorem cui magis adhærebat, extolleret, & alii se Pauli, alii vero Cephæ, vel Christi esse gloriarentur; non parua inter eos oborta esset contentio.

II. QVOMODO CEPHÆ SE ESSE DICERENT CORINTHII.

Quod autem etiam Cephæ (nempe Petri) aut Christi se esse dicerent, non sic accipiendum est, vt Petrus aut Christus Corinthi prædicassent; sed potius quod qui illam contentionem & scissuram Ecclesiæ declinare cuperent, rem ad suum principium reducentes, (quod sic falli non possent) dicerent alii se esse Primi omnium post Christum Pastoris & Ecclesiæ Capitis Petri discipulos, alii vero auctoris omnium Christi. Nam & ideo ipse Paulus inferius *a*, cum de ministerio & officio agit prædicationis, nullam de Cepha habet mentionem, nec de Christo, sed de se tantũ & Apollo, quorum causa oborta fuerat contentio; neq; alium præter se & Apollo prædicasse eatenus Euangelium Corinthus satis declarat, dum ait se plantasse, Apollo rigasse, Deum autem incrementum dedisse: quamuis non negemus venisse post hæc ipsum etiam Petrum Corinthum, atq; eosdem ad pietatem instituisse; cum Dionysius *b* Corinthiorum Episcopus manifeste tradat, eam Ecclesiam fuisse ab vtroq; Apostolo stabilitam.

a 1. Corinth. 3.

b Ap. Euseb. 2. hist. 24.

III.

Cur autem inter discipulos Pauli & Apollo ea contentio fuerit concitata, facile est coniectare id accidisse quod cum Apollo (vt ait Lucas *c*) vir eloquens esset, & potens in Scripturis, feruentique spiritu; in eo genere nonnulli eum præferrent Paulo, qui (vt ipsemet eadem Epistola testatur *d*) venisset ad ipsos non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, sed in infirmitate & timore: sicut & in secunda ad eosdem scripta profitetur * se fuisse imperitum sermone, licet non scientia: Quod eum Augustinus *e* Paulum quasi concedendo obtrectatoribus, non tanquam vere ita esset confitendo, dixisse existimauerit; Hieronymus *f* contra putauit nequaquam de humilitate, sed de conscientiæ veritate dixisse: quippe qui licet vernacula lingua, hoc est Hebræa, esset disertissimus; Græca tamen frequẽtes solœcismos faceret, nec facile hyperbata reddere posset: cum alioqui idem Hieronymus eum alibi *g* appellet flumen eloquentiæ Christianæ, ob maximam ipsius sermonis energiam. Et quod ad hyperbata spectat; Irenæus *h* scribit Paulum iis frequenter vsum esse ob velocitatem sermonum suorum, & impetum qui in eo spiritus esset. Quod autem spectat ad eius scopum in hac priori ad Corinthios Epistola; haud quidem ipse prætendit, vt qui se profiterentur Apollo vel Petri esse discipulos, eos ab illis auerteret, ac sibi petulanter adscriberet; sed potius id curauit, vt dissensione ac diuisione omni reiecta, omnes (vt par erat) in vnum Christum Dominum vniret: totus in eo existens, ne occasione hominum quorumcunq; euacuaretur (quod ait) Crux Christi, & ab hominibus potius quam à Christo denominari Corinthii diligerent; quod fuit semper proprium hæreticorum: sicut & hunc locum Ambrosius *i*, Augustinus *k*, & alii interpretati sunt.

c Act. 18.

d 1. Cor. 2. PAVLVS IN PRÆDICATIONE ET SCRIPTIONE QVALIS. * 1. Cor. 11.

e August. 4. de doctr. Ch. 7.

f Hie. in Eph. 3. & ep. 151. ad Alg. q. 10.

g Hier. ep. 16. & 30. ad Pa.

h iren. l. 3. c. 7. STVDIVM PAVLI ERGA CORINTHIOS.

i Ambr. præf. ep. 1. ad Cor. & in c. 1.

k Aug. de vtil. cred. hæp.

Sed quoniam diuisa semel Ecclesia schismate, simul omnia confunduntur, ipsaque morum disciplina negligitur: multa insuper, & quidem enormia in Ecclesia Corinthiorum acciderant; quæ Paulus eadem Epistola valde laborauit vt emendaret. Ac primo quoniam inter alia portentosum quoddam facinus *l* ab vno illorum (non quidem ex vulgo, sed vt existimarunt Chrysostomus *m* & Theodoretus *n*, ab aliquo eorum qui cæteros sapientia antecellere viderentur, quiq; factiose Ecclesiam diuisissent) fuerat perpetratum, vt videlicet incestuose haberet vxorem patris sui: in eum Paulus sententiam pronuncians *tradidit eum Satanæ, in interitum carnis, quo spiritus saluus esset in die Domini nostri* IESV *Christi*. Quam quidem pœnam, non modo vt incestuosus ille à dæmone obsessus miserabiliter cruciaretur, esse intelligendam, sed etiam vt à communicatione Fidelium haberetur abscissus, Patres *o* omnes consentiunt: nam & tollendum eum de medio cæterorum antea dixerat; eosdemq; continuo repetita prohibitione monuit ab illo penitus seiungi, nec se vllo modo ei commiscere. Cæterum eodem pariter Excommunicandi modo per traditionem satanæ, vsus & alibi *p* reperitur Paulus aduersus Alexandrum & Hymenæum qui à fide exciderant: nec aliud significare voluit, cum ad Galatas *q* scribens anathema pronunciauit aduersus eos qui nouam doctrinam afferrent.

l 1. Cor. 15. in Chrys. ho. 15. in 1. Cor. *n* Theod. præf. in 1. Cor. INCESTVOSVS CORINTHIVS EXCOMMVNICATVR.

o Ter. de pud. c. 13. 20. Hila. in Ps. 118. Hie. in Ezech. 17. Amb. 1. de pæ. 14. Aug. de fi. & op. c. 26. ac reliqui Latinorum Græci pariter, vt Orig. hom. 15. in Iud. Chrysost. Theodor. & alii Interpp. in hunc locum Pauli.

p 1 Tim. 1.

q Gal. 1.

IV.

At vero vt qui ea censura percellitur, ab Ecclesia eiiceretur, non quidem à Paulo est primitus institutum: nam & Iudæis in obseruatione erat, cum quis immane aliquod perpetrasset scelus, à templo & synagogis dimoueri: vnde eam pœnam comminati sunt *a* iis qui IESVM confiterentur esse Christum, & inflixerunt in cœcum à Christo illuminatum; eademq; mulctando ab eis ipsos fore Apostolos, Dominus *b* prædixerat. Et apud Essenos seueritissimum excommunicationis genus in vsu fuisse, Iosephus testatur, dicens eos conuenisse, deprehensos in peccatis à sua congregatione depellere; & qui taliter fuissent condemnati, neq; capere ab aliis oblatum cibum potuisse; herbas vero pecudũ more decerpentes: & fame exesos, per membra corrumpi solitos. Denique apud Gentiles, & imprimis Romanos, eiusmodi deuouebantur *d* Diri, siue Diris, hoc est furiis infernalibus. Et apud Gallos *e* quicunque decretis Sacerdotum, qui Druidæ dicebantur, non paruissent, sacrificiis interdicebantur; (quæ pœna erat apud illos grauissima) & omnium aditu ac communicatione arcebantur.

a Ioan. 9.

b Ioan. 16.

c Ios. 2. de bel. 7.

d Dionys. Halic. l. 2. hist. Rom.

e Cæs. de bel. Gal. l. 6.

V. EXCOMMVNICATIO APVD IVDÆOS ET GENTILES.

Exemplo autem Apostoli, & Domini auctoritate, qui non tantum soluendi, sed & ligandi suis tradidit potestatem in Ecclesia Catholica, vsus EXCOMMVNICANDI receptus, hactenus perseuerat, vt grauiorum peccatorum rei, sicut olim Adam de Paradiso, sic modo illi (ait Hieronymus *f*) de Ecclesia eiiciantur. Quam ideo in animaduersionem Tertullianus *g* modo nominat *Diuinam Censuram*, modo *Anathema*; & Cyprianus *h* aliquando *Abstentionem*, aliquando *Gladium spiritualem, quo superbi & contumaces necantur dum de Ecclesia eiiciuntur*, sicut & Hieronymus *i* *Spiritualem mucronem, & Virgam ferream*. Quod autem præ cæteris nominibus, quib. Ecclesiastica illa censura, tum ab iisdem auctoribus, tum ab aliis nominatur, aut circumscribitur; eadẽ frequentiori vsu EXCOMMVNICATIO dici solcat *k*, id ex eo accidit quod qui ea percellerentur, à communicatione sanctissimæ Eucharistiæ *l*, & à quocunq; Fidelium consortio arcerentur. *Satanæ* vero *tradi* dicitur qui ab Ecclesia eiicitur, quod (inquit Hilarius *m*) *omnis in quo peccati voluntas est, Deo vacuus est; & vbi Deus non est, illic diaboli locus est: quo insultans atque obsidens, vbi adeundi opportunitatem habuerit, tanquam vacuam domum occupat, quæ ei Deo iam discedente sit tradita*: & quod (vt addit) *qui ab Ecclesiæ corpore respuuntur, qua Christi est corpus, tanquam alieni à Dei corpore dominatus diaboli traduntur*. Enumerat etiam Gregorius Nyssenus in ea oratione quam habuit aduersus eos qui ægre ferunt reprehensiones, mala atque miserias quas patiatur excommunicatus: atq; eiusmodi ab Ecclesia factam segregationem, ait *legem esse patriam, & veterem Ecclesiæ regulam, quæ cœpit à Lege, & fuit confirmata in Gratia*.

f Hie. ep. 2. Cyp. *k* Aug. de fid. & oper. c. 26. & alii. *l* Cyp. de orat. Dom.

VI. QVIBVS NOMINIBVS A CHRISTIANIS APPELLATA.

f Hie. in Osee 2. *g* Tert. Apol. c. 39. & Ster. ad Cypr. ep. 36. & 67. *h* Hie. ep. 2. Cyp. *k* Aug. de fid. & oper. c. 26. & alii. *l* Cyp. de orat. Dom.

CVR TRADI SATANÆ DICATVR EXCOMMVNICATVS.

m Hilar. in Ps. 118.

Quam vero proficua & vtilis ea sit in Ecclesia, demonstrat Origenes *n*, & alii complures Ecclesiastici tractatores. Qui etiam grauissimum omnium censuræ pondus considerantes, nonnisi ex grauissima, eademq; publica causa, & in eos duntaxat qui admonitionibus contumaces se exhibuerint, esse adhibendam tradiderunt *o*: cum alioqui nunquam negarint eam in meritos infligendam esse. Nam quæ subdurius cale à Chrysostomo dicta videntur ea homilia, cuius est titulus *De non infligendo Anathemate*, quoniam ex rei gestæ occasione verborum sensus accipiendus est, dicetur de eo inferius *p* suo loco. Immo & ob bona temporalia (quæ omnium minima causa iudicatur) posse pertinaces eiusdem seueritate Censuræ percelli, S. Augustinus *q* docet. Sed quid tunc fiet, si iniuste excommunicatio decernatur? Audi Gregorium *r*: *Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ vel soluere studeant, vel ligare. Sed vtrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor ergo vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel iniuste, nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne etsi iniuste ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.* Quibus autem verbis Excommunicationis sententia antiquitus proferri soleret, expressam habes eius formulã

VII.

n Orig. ho. 9. in Hierem.

VTILIS ANIMADVERSIO, SED HAVD TEMERE INFLIGENDA.

o Gr. Naz. or. de moder. in disp. secund. Cory. ho. 70. ad pop. Anti. Ambr. 1. offic. 27. & alii. *p* An. 382. *q* Aug. ep. 54. ad Maced. *r* Greg. hom. 26. in Euang.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Syneſ. ep. 58.

b Am. 412. 11.

VIII.
ILIÆ CLERICOR. CENSVRÆ.
Vid. Tert. de bap. c. 17. Cypr. ep. 65 ad Rogat. Aug. ep 235. ad Quiet. SVSPENSIO. Cypr. ep. 10. Aug ep 137. 156 Aug. ep. 136. 137. Cyp. ep. 10. 66.

IX.
f 2 Cor. 2. Ap. Bar. a 58.
INDVLGENTIÆ IN ECCLES. A VSVS
g Conc. Nic. c 11. 12.

X.
h 1. Cor 6.
DE IVDICIO ECCLESIASTICO.
i Cle. 2. Conſt. 49 & ſeq.
k Epiph. har. 45 & 70.
l Chryſ. hom. 16. in 1. Cor.
m Theod. in 1. Cor. 6.
n Cl & Chry. vbi ſupra.
o Ambr. ep. 49 ad Mare.
p Aug. de Op. monach. c. 29. & in Pſ 118. conc. 24.
q Ap. Gr. Nyſſ. orat de Vit. Gr. Thauma. r Amb. ep. 49. & 2. Off. 27. & ap. Aug. 6. Confeſſ 3.
s Aug. vbi ſupra, & ep. 147. ad Procul. Poſſid. in Vit. Aug. c. 19.
t Syneſ. ep. 57.
u Ap. Ambr. in 1. Cor 6.

XI.
EPISCOPI IVDICES IN ECCLESIA.
x Heb. 6. & 7.
y 1. Per 2.
z Ioan. 5.
a Ioan. 20.
b Pſal. 44.
c Pſal. 121.
d Apocal. 2.
e Pſal. 44.
f 2. Cor. 10.

in Epiſtolis a Syneſii Ptolemaidis Epiſcopi, qui floruit tempore Theodoſii Imp. cum illam promulgauit in Andronicum Pentapolitanæ Præfectum prouinciæ; quam & referemus ſuo loco b. Permulta inſuper his addi poſſent: ſed ſatis iſta ad Eccleſiaſticas traditiones, pro ratione inſtituti inſinuandas, ac confirmandas.

Id tamen non omittimus, fuiſſe (vt nunc eſt) apud maiores c Eccleſiaſticam illam cenſuram in obſeruatione, quæ dicitur *Degradatio*, ſeu *Exauctoratio*, vel *Depoſitio*, cum Eccleſiæ miniſter ob aliquod facinus ex officio & Ordine deiicitur: Itemque illam, quæ dicitur *Suſpenſio* d, cum clericus ne in Ordine ſibi collato miniſtret, ab Epiſcopo vetatur. Erat & illa vſu frequens e animaduerſio, vt delinquentis clerici nomen deleretur ab Eccleſiæ tabulis, vel ſaltem cum aliqua ſuſpicione laboraret, ſupprimeretur, nec ſicut cæterorum publice recitaretur. Suntque inſuper aliæ pœnæ Eccleſiaſticæ, quæ tum in Canonibus qui dicuntur Apoſtolorum, tum etiam in Conciliorum decretis habentur expreſſæ.

Porro inceſtuoſum à Paulo excommunicatum, poſtea facti pœnitentem, idem Apoſtolus indulgens abſoluit f: cuius exemplo, & auctoritate ſibi in Apoſtolis à Chriſto conceſſa, Eccleſia peccantib. interdum largitur indulgentiam: eiusque rei frequens in veteri Eccleſia reperitur vſus, cum Perſecutionum temporibus lapſi Fideles, poſtea ad Eccleſiam redeuntes, & exomologeſin facientes, Indulgentiam vel de iniuncto, vel de iniungendo pœnitentiæ tempore; quo extra communionem in afflictione agere deberent, inſtanter deprecabantur. Et in Magno Nicæno Concilio g ſtatutum reperitur, vt pro animi ardore, quo quis ſuſceperit iniunctam peragere pœnitentiam, poſſit Epiſcopus indulgentiam illi præſtare. Verum de his alias: nunc cætera Epiſtolæ Pauli proſequamur.

De IVDICIIS poſthæcagens h, Corinthios redarguit acriter, quod lites inter ſe exercerent, nec magis deligerent iniuriam pati; acrius vero, quod ad eas dirimendas tribunalia Infidelium adirent, & non potius vel minimos qui eſſent in Eccleſia conſtituerent ad iudicandum. In quam eandem ſententiam (quod pertinet ad Iudiciorum antiquum vſum, per ſacerdotes ac clericos, non autem per mundanos, vt vocat, homines exerceri in Eccleſia ſolitum) multa leguntur apud Clementem ex Conſtitutionibus i Apoſtolicis: quas cum Epiphanius k aliquando citet, dubium non eſt illum commentarium eſſe antiquiſſimum. Ex his porro liquet (quod & Chryſoſtomus l, & Theodoret. m ac reliqui Patres affirmant) mentem fuiſſe Pauli, non quemlibet ex Chriſtianis infimi ordinis Iudicio præficere, ſed ſapientem: idemq; ipſe Paulus indicat, dum Corinthiis exprobrat, quaſi nullus eſſet inter eos ſapiens qui poſſet de ipſorum controuerſiis iudicare. Immo nec quoslibet ex ſapientibus, ſed Sacerdotes & Epiſcopos ex ſententia Pauli Iudiciis præficiendos eſſe, tum ab iiſdem auctoribus n aſſeritur, tum ab Ambroſio o, Auguſtino p, & aliis confirmatur. Eandemque re ipſa Epiſcopos exercuiſſe Iudiciariam poteſtatem, vt etiam cauſas ſæculares litigantium Chriſtianorum audirent ac definirent, cum à diſſidentibus inter ſe partibus arbitri eſſent electi; complura ſunt veterum exempla, Gregorii q Thaumaturgi, Ambroſii r, Auguſtini ſ, Syneſii t, & aliorum. Cur autem nulla à Paulo de Epiſcopo mentio fiat, cum ex ipſius mente, Epiſcopi eiuſmodi officium in Eccleſia exercuerint, ea apud Ambroſium u, atque omnino vera affertur ratio, *quia adhuc rector in Eccleſia Corinthiorum non erat ordinatus.*

At vero eiuſmodi *Iudiciariam Epiſcoporum poteſtatem*, non tantum ex dicta inſtitutione Apoſtolica proueniſſe, ſed ab ipſo Domino duxiſſe principium & accepiſſe auctoritatem, certum eſt: quippe qui Rex x ſimul exiſtens omnium gentium, atque Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, conſtituit in Eccleſia permanſurum ſemper Regale y Sacerdotium; & omne iudicium quod à Patre acceperat z, transfudit in ſuos, cum eos miſit a ſicut miſſus ab illo fuerat: eoſdemque conſtituit Principes b ſuper omnem terram, vt ſederent c in Iudicio, & regerent d omnes gentes in virga ferrea; quæ eſt virga e directionis, tum ad vlciſcendum omnem inobedientiam, dum ad docendum a in charitate & manſuetudine. Vnde Epiphanius b: *Firmiter ſedet thronus in ſancta Dei Eccleſia in æternum, ex duplici origine dignitatem habens, regia ac ſacerdotali.* Et poſt multa de his dicta: *Manet thronus ipſius, & regni eius non erit finis, & ſedes ſuper thronum Dauid, ita vt regnum Dauid, vna cum Pontificatu trãſtulerit, ac largitus ſit ſeruis ſuis, hoc eſt Pontificibus Catholicæ Eccleſiæ.* Et Auguſt. c *In Chriſto habet Eccleſia hanc poteſtatem: ſicut dixit Apoſtolus ad Romanos, cum illo nobis omnia donata fuiſſe. Sic virgam ferream dixit Ioannes, propter iuſtitiam & propter rigorem, cum virga corrigantur boni, mali vero confringantur.* Quæ tamen non ita accipienda ſunt, vt politicum Chriſtus regnum voluerit eſſe ſublatum, quod è contrario tam ab ipſo d, quam ab eius Apoſtolis e eſt æque firmiter ſtabilitum: ſed ita vt illud ſubiecerit ſpiritualis Eccleſiæ regimini. Cum enim Reges, quantumlibet Chriſtiani, nonniſi inter laicos adnumerentur, nullum relinquitur dubium, ſacris eos miniſtris minorem gerere ordinem; & ſicut anima præſtat corpori, reſque diuinæ humanis, ſic ſacerdotalem principatum præcellere politico. Vnde Gregorius f Nazianzenus: *Vos quoque poteſtatis meæ, meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubicit. Imperium enim nos ipſi quoque gerimus, addo etiam præſtantius & perfectius: niſi vero æquum eſſet ſpiritum carnis faſcibus ſubiicere & caleſtia terrenis cedere.* Et Chryſoſtomus g: *Alii ſunt termini Regni, alii Sacerdotii: ſed hoc illo maius eſt, neque enim ex gemmis & auro æſtimari debet. Illud, quæ ſunt in terris ſortitum eſt: Sacerdotii ius à ſupernis deſcendit. Regi quæ hic, commiſſa ſunt, mihi caleſtia. Regis corpora commiſſa ſunt, ſacerdoti animæ, maior hic principatus: propterea Rex caput ſubmittit manui ſacerdotis.* Et Ambroſius h: *Honor & ſublimitas Epiſcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longe erit inferius, quaſi plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippe cum videas Regum colla ac Principum ſubmittigenibus Sacerdotum, exoſculatis eorum dextris, orationibus eorum ſe credunt communiri.* Docuit hoc idem & Martinus exemplo; cum à Maximo Imp. menſa exceptus, *pateram* (inquit Seuerus i) *quam ab illius dextera ſumere ambiebat Maximus, presbytero ſuo tradidit, nullum exiſtimans digniorem qui poſt ſe biberet, nec integrum ſibi fore, ſi Regem ipſum presbytero prætuliſſet.* Idque ipſum cæteri antiqui Patres, tam verbis, quam factis, pari conſenſione docuerunt. Eoq; reſpicit quod dicebat Apoſtolus k, *Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed Deo potentia*: nimirum longe illis præſtantiora *ad faciendam vindictam* (quod habet Pſalmus l) *in nationibus, & increpationes in populis, ad alligandos Reges in eorum compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis, vt faciant in eis Iudicium conſcriptũ. Tales enim compedes* (inquit Auguſtinus m) *conſolidat vobis Epiſcopi manus*: ſed tum quidem, cum illi in Deum inſurgunt, & à recta viuendi ratione, ac diſciplina Chriſtiana, cui nomen dederunt, deſciſcunt: ſicut videbimus ſuis locis Fabianum Papam in Philippum Imperatorem, Ambroſium in Theodoſium Seniorem, Symmachum in Anaſtaſium, & alios plurimos ſacerdotes in alios Principes vigore ſacerdotali fortiter æque ac laudabiliter, cum exegit neceſſitas, inſurrexiſſe, factasq; ab eis Deo iniurias vindicaſſe, & offenſam diſciplinam eccleſiaſticam vltos eſſe.

Denique ſicut iure naturæ, eodemque diuino, ſtatutum eſſe videtur, vt inferiora ſuperiorib. ſubiecta pareant, quo magis perficiantur, & finem ſuum feliciter conſequantur: ita etiam Regnum Politicum ſubeſſe debere Eccleſiaſticæ Præfecturæ, ad hoc vt à Deo promiſſum celeſte Regnum homines conſequantur, exploratum cuique eſſe debet. Sic enim & apud antiquiores Hebræos, penes Sacerdotes ſumma fuit rerum; quorum princeps Summus Pontifex ſuo arbitrio moderabatur magnum illud Concilium Sanhedrim ſeptuaginta duorum Seniorum, de cuius ſuprema auctoritate ſat dictum ſuperius. Et apud Gentiles communi ac naturali conſenſu cuncta Sacerdotum arbitrio regebantur; vt de Æthiopibus teſtatur Strabo n; de Ægyptiis, Ælianus o; de Perſis, eorumq; Magis, Euſeb. p, Agathias q, & alii antiquiores, de Athenienſibus & Areopagitis, Ioſephus r; De Gallis & Druidis, Cæſar ſ, de Romanis & eorum Auguribus, Cicero t, Liuius, atq; alii. Si igitur (quod Socrates apud Xenophontem u dicit) quod ab omnib. gentib. obſeruatum eſt, id nonniſi à Deo ſanctum eſſe dicendum eſt: profecto etiamſi nulla de his in diuinis Scripturis ſcripta lex appareret, tamen Sacerdotum

Iudicia-

a 1. Cor 4.
b Epi. hær. 29.
c Aug. hom. 2. in Apoc.
d Matth. 22.
e Rom. 13. Tit. 3. 1. Pet. 2.
SACERDOTIVM REGNO PRÆSTAT.
f Gr. Naz. or. ad ciu. Naz.
g Chryſ. hom. 4 & 5. in verb. Iſa.
h Amb. de dignit. Sacc. c. 2.
i Seuer. in Vit. S. Mar. c. 23.
k 2. Cor. 10. Pſal. 149.
m Aug. in Pſ. 149.

XII.
SACERDOTVM POTESTAS APVD OMNES GENTES.
n Strab. l. 17.
o Æl. 14. var. hiſt. 34.
p Euſ. in Chr.
q Agath. l. 2.
r Ioſ. 14. ant. 16
ſ Cæſar. lib. 6. de bel. Gal.
t Cic. l. 2. de le.
u Xenoph. l. 4. de fact. & dict. Socr.

Iudiciaria potestas diuino iure concessa, ex dictis iam satis probata haberetur. Quid vero de ea postea decreuerint Christiani Principes, quantumq; ei detulerint, contulerintue; videbitur inferius suis locis. Modo reliqua Epistolę Pauli percentamus.

XIII.

Cum inter alia multa, de quibus Corinthiorum Ecclesia ad Paulum scripserat, etiam consuluisset (vt inquiunt Athanasius *a* & Theodoretus *b*) num recta esset illorum sententia, qui prætextu continentiæ vxorem vel dimittere vellent, vel cum ea caste agere: ad ea respondit Apostolus, vt propter fornicationem vnusquisq; suam vxorem haberet, (hoc est, retineret) & vnaquæque suum virum; neque fraudarent inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus vt vacarent orationi, & iterum reuerterentur in idipsum propter incontinentiam. Fuisse enim Corinthios natura salacissimos, ac præ cæteris Græcis coluisse turpissime Venerem, omnes auctores testantur. Ne vero crederetur Apostolus hanc veluti legem quandam de reuertendo in idipsum, omnibus præscripsisse; mox subdidit, se id dixisse *secundum indulgentiam*, (nempe quod eorum continentia adhuc esset infirma atq; suspecta) *non secundum imperium*; cum alioqui omnes esse continentes optaret.

a *Athan. in Synop. in ep. 1. ad Cor.*
b *Theod. in 1. ad Cor. 7.*
CONIVGATORVM LEGES.

XIV.

Cæterum consueuisse frequenter Christianos coniuges, ex mutuo consensu perpetuam seruare castitatem, etiam de primis Ecclesiæ temporibus docet Tertullianus *c*, & apud Cyprianum auctor commentarii de singularitate Clericorum; ac de posterioribus extant plurima sanctissimorum virorum & feminarum exempla, quorum aliqua nos inferius suis locis referemus: eamq; rem sibi esse gratissimam, Deus multis editis miraculis *d* comprobauit; cum verum matrimonium non carnalis copula, sed animorum consensus faciat. Rursumq; ex institutione eiusdem Pauli, monentis ne fraudarent inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus vt vacarent orationi; manifestum est processisse atq; perseuerasse eam consuetudinem in Ecclesia, vt coniugati certis diebus se temperarent; de qua tum alii *e* meminerunt, tum S. Augustinus *f* mirabiliter asserit, si qui vxores suas in profluuiis positas agnouerint, aut in die Dominico vel qualibet alia solennitate se continere noluerint; qui tunc concepti fuerint, aut leprosos, aut epilepticos, aut etiam forte dęmoniacos nascituros.

c *Tert. ad vx. li. 1. c. 6. de res. car. c. 8. de vel. virg. c. 13.*
d *Vid. inter alios Gre. Tur. de gl. Cof. c. 32.*
e *Cyril. catec. 4. Greg. 1. dial. 10. & alii.*
f *Aug. serm. 244. de temp.*

XV.

Addit post hæc Paulus *g* præceptum Domini de insolubili vinculo veri Matrimonii, & consilium suum de Connubiis Fidelium cum Infidelibus. Ac demum agit de MATRIMONII excellentia: qui etiam dum illud coniunctioni Christi cum Ecclesia comparat ad Ephesios *h* scribens, *Sacramentum magnum* appellat, quod scilicet repręsentet vinculum quo Christus cum Ecclesia iungitur. Vnde & veteres Pauli Interpretes, Matrimoniū quod inter Fideles contrahitur, *Sacramentum* congrue appellarunt. *i* Et quāuis aliqui *k* vocem Sacramenti ad coniunctionem Christi cum Ecclesia retulerint, nihil tamen impedit quo minus & ipsum Matrimonium sit Sacramentum: sicut nec impedimento est, quo minus Sacramentum aliquod in se sit, & alterius rei mysticam habeat significationem: immo id peculiare est cuique Sacramento, vt sit sacræ rei signum.

g *1. Cor 6.*
h *Ephes. 5.* MATRIMONIVM SACRAMENTVM
i *Cl. Ale. Str. l. 3. Chryf. ho. 56. in Gen. Aug. de fid. & oper. c. 7. & de bono coniug. c. 7. & 18.*
k *Hier. in Eph. 5*

XVI.

Sed quod ad RITVS NVPTIARVM spectat; primū quidem non aliunde quam ab Apostolica traditione fluxisse, vt non sine sacerdotis præsentia matrimonium contrahatur, & Ignatius *l* qui his ipsis viuebat Apostolorum temporibus, satis demonstrat, dum illud non aliter debere contrahi docet; & ipse Apostolus non obscure indicat, dum inferius ait nubendum esse in Domino, hoc est secundum leges, & ritus Ecclesiæ ab ipsis Apostolis traditos. Quos ex parte describens Tertullianus *m*, *Vnde* (inquit) *sufficiam ad enarrandam felicitatem eius Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat Oblatio, & obsignatum Angeli renunciant, Pater rato habet? Nam nec inter se filii sine consensu patrum rite ac iure nubunt.* Etenim per *Ecclesiæ conciliationem* significat ritum, quo per sacerdotem iunguntur in vnum contrahentium dexteræ: cuius & meminit Gregorius *n* Nazianzenus ad Anyzium scribens. Iis accedit Oscŭli sancta libatio, atque Velatio, de quibus idem Tertullianus *o* alibi: ac demum subsequitur Benedictio, & forma quędam verborum perficiens matrimonium, de quibus agitur in Concilio *p* Carthaginiensi Quarto. Porro per *Oblationem* Tertullianus Missæ insinuat sacrificium, quod (vt antiqui Rituales libri Ecclesiastici docent) in matrimonii confœderatione offerri à sacerdotibus consueuit: post vero eisdem contrahentibus solitam (vt nunc fit) impertiri sacram Eucharistiam, idem auctor alibi *a* docet. *Per Angelorum* autem *renunciationem*, sacerdotum intelligit solitam fieri publicam in Ecclesia denunciationem matrimonii inter partes antea pacti. Nam per Angelos Tertullianus sacerdotes intelligere consueuit: sicut & Ioannes Apostolus in Apocalypsi *b* Episcopos vocat Angelos. Nisi velimus Tertullianum de cœlestibus Angelis intellexisse, secundum quod subdit *Pater rato habet*, nempe cœlestis. Sed quod addit, *Nec filii sine consensu patrum rite nubunt*, plane declarat primum omnium voluntates contrahentium à parentibus ratas esse habendas, ac subinde subsequi cæteros sacros ritus ab eodem antea relatos. Quo autem loco haberentur occultæ nuptiæ à Christianis, idem alibi *c* declarat, dum ait, *Penes nos occultæ quoque coniunctiones, id est, non prius apud Ecclesiam professæ, iuxta mœchiam & fornicationem iudicari periclitantur.* Ex quibus videas non esse nouum, quod à sacrosancto Concilio Tridentino *d* sancitum est, clandestinas nuptias quæ absque præsentia parochi, & non in facie Ecclesiæ celebrarentur, haberi nullas.

n *Greg. Naz. ep. 57.*
o *Tert. de vel. virg. c. 11.*
p *Cōc. Carth. Quart. c. 13.*

a *Tert. de mo. mog. c. 11.*
b *Apoc. 2. & 3.*
MATRIMONIA CLANDESTINA IMPROBATA.
c *Tert. de pu dic. c. 4.*
d *Conc. Trid. sess. 24. de re. for. mat. c. 1.*

Consueuisse quoque Christianas mulieres *Annulos* aureos gestare, testatur Clemens *e* Alexandrinus: eos vero dari solitos à sponsis arrhæ nomine, meminit Tertullianus, *f* ac docet vsus inde fortassis ortus, quod non tantum apud Romanos (vt auctor est Plin. *g*) in qualibet pactione loco arrhæ tradi solerent, sed etiam apud antiquissimos Hebræorum, vt docet exemplum Iudæ dantis *h* Thamar annulum in arrham pretii promissi. Cum vero diuersis solerent signis insculpi, apud Christianos antiquus obtinuit vsus vt sponsales signo fidei, quod est hieroglyphicum mutui fœderis atque concordiæ, sculperentur: id enim præseferunt iconiunctæ simul dexteræ; nec apud Christianos tantum, sed Iudæos, Romanos, aliasq; complures barbaras etiam nationes. Alios vero, quos Fideles gestare solerent, aliquando Christi nomine duabus literis Græcis sculpi consueuisse, ex his quos è ruderibus refossos vidimus, plane didicimus: aliquando signo Crucis consignari, habes exemplum de annulo S. Macrinæ virginis apud Gregorium Nyssenum in eius vita: aliquando imagine sanctorum virorum exornari, docet Chrysostomus, dum in oratione habita in laudem Meletii, tradit Antiochenos eius imaginem etiam in pala annuli expressam gestare consueuisse. Quib. vero aliis signis eos sculpi licitum esset, vel non esset, monuit eodem loco Clemens Alexandrinus. Sed ad rem.

e *Clem. Alex. 3. pæd. c. 11.*
f *Ter. Apol. c.*
g *Plin. l. 33. c. 1*
h *Gen. 38.*

i *Vid. Cal. Rhod. l. 4. c. 3 & Pur. in Hiero.*

Cum igitur Apostolus eiusmodi coniugiorum leges promulgaret, & miro quodam discretionis iudicio, quædā se illis vt necessaria imperare, quædam vero vt debilib. indulgere se diceret: triplicem hominum statum inter se conferens, nempe *Coniugatorum*, *Virginum*, atq; *Viduorum*; duos posteriores absq; aliqua controuersia priori antepohendos esse iudicauit; suamq; de re tanta sententiam, suo ipsius exemplo, diuiniq; Spiritus testimonio ratam obsignatamq;, non tantum Corinthiorum, sed totius Orbis Ecclesiæ Catholicæ tradidit promulgandam; quam olim Dominus Euangelista *k* excipiente dictauerat. Quantum vero Corinthii doctrina Pauli profecerint, satis possumus intelligere ex eo quod Tertullianus *l* ait, ipsos virgines suas ex doctrina Apostolorum velare solitos. Erat enim, vt idem asserit, velum virginitatis insigne. Sed & quod Paulus Corinthios primum docuit, in cæteras quoque Christiani Orbis Ecclesias esse feliciter propagatum, cum idem auctor *m* testatur, tum alii quamplurimi. Inter quos Iustinus *n* Martyr: *Permulti profecto sexus vtriusque, & sexaginta & septuaginta nati annos, qui à pueris disciplinam Christi sunt sectati, incorrupti & celibes perdurant: & glorior me per omne genus hominum nostrorum tales monstrare posse.* Et Cyprianus *o*: *Iam refertus est Orbis, impletus est mundus eorum qui capere continentiam possunt, more spadonū viuentes castrati ad regnū Dei*, quos & egregiis præconiis extollit. Immo & ipsorum iam Apostolorum temporibus, Sanctarum VIRGINVM ac VIDVARVM collegia, quæ nos *Monasteria* dicimus, vbique esse cœpisse; auctores eiusdem sæculi, SS. Ignatius *o* Antiochenus & Clemens *p* Romanus

XVII.

DE ANNVLIS SPONSALIB.

XVIII.

DE VIRGINITATE, ET CONTINENTIA. PAVLI CONSILIVM.

k *Matth. 19.*
l *Tert. de vel. virg. c. 9.*
m *Ibid. c. 1.*
n *Iust. orat. ad Anton. Pium.*
o *Cypr. de hab. virg.*
COLLEGIA SACRARVM VIRGINVM ET VIDVARVM
p *Ign. ep. 8. Clem. l. 3. Ap. Epiph. hær. 30.*

teste

testes sunt locupletes. Et S. Hieronymus *a* aduersus Iouinianum demonstrat, in quatuor filiabus Philippi Diaconi, quarum Lucas *b* meminit, post Crucem Christi consecratas esse primitias Virginitatis. Ac deniqi quotquot vnquã post Apostolos extiterunt Catholici tractatores, eiusdem Virginitatis sublimem in Ecclesia statum mirifice prædicarunt: quos prætermittimus recensere, satis putantes hæc ex Apostolicis fontibus duxisse. Cum & alioqui certum illud atque exploratum habeatur, non tantum in Christi Ecclesia post Euangelii promulgationem, sed & antea, atq; adeo vbique gentium (vt pluribus ostendit idem Hieronymus) Virginitatem in pretio extitisse; & apud omnes, tam poeticis quam historicis literarum monumentis semper ante omnia commendatam, licet perrarus eiusmodi flos appareret, quo post Christi aduentum fœcundo germine abundarunt Ecclesiæ campi.

Cæterum dum eodem loco Paulus *c* hortatur Virgines & Viduas, vt sic permaneant sicut & ipse; se plane cælibem agere vitam aperte significauit: eorumque verborum illum esse germanum sensum, omnes omnino Patres quotquot fuerunt in Ecclesia Catholica Scriptores Ecclesiastici intellexerunt, quorum nonnullorum catalogum Hieronymus *d* texuit; nec nisi à corruptoribus, & ad libidinem conuersis aliter posse intelligi Epiphanius easseruit. Sed enim vnus reperitur Clemens *f* Alexandrinus, qui Paulum coniugatum fuisse deduxit ex eius verbis *g*, quibus ait, *Nunquid non habemus potestatem, sororem mulierem circumducendi, &c.* quem etiam locum Nouatores incontinentes de vxore intelligunt, abusi ambiguitate Græcæ vocis γυνή, quæ tam *vxor* quam *mulier* Latine æque dicitur. At vero si vxorem Paulus significare voluisset; vtique qui Græce scripsit, Græci sermonis regulam seruasset, nec simpliciter γυναῖκα dixisset, sed articulo necessario addito, τὴν γυναῖκα. Ideoque non de vxore, sed de sorore scriptores antiqui, Tertullia. *h*, Hieronym. *i*, August. *k*, Chrysostom. *l*, Theodoret. *m*, Isidorus *n* Pelusiota, & alii ea verba interpretati sunt, nec vllo modo posse de vxore accipi disputarunt: siue *Sororem* Paulus intellexerit de eiusmodi mulieribus, quę iuxta morem Iudaicũ magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoq; Domino factitatũ: (consueuerant enim Iudæi, suæ gentis feminas *sorores* nominare, & viros *fratres*) siue de sua ipsius sorore, eademq; germana; cum Lucæ *o* testimonio constet Paulum habuisse sororem, cuius filium ipsum liberauit ab insidiis Iudæorum. Quod vero & alium admouentes arietem qui in Pauli cælibatum insurgunt, eiusdem verba in ipsum intorquent, quibus alibi ait *p*, *Rogo te germane compar &c.* quo loco nouus interpres, euertens potius quam vertens, pro germano germanam est interpretatus contra receptum omnibus sæculis Orthodoxorum sensum: equidem non tantum de viro intellexisse Chrysostomum & Græcos omnes certum est, sed & nomen proprium cuiuspiam illud esse Oecumenius existimauit: Theodoretus vero etiam stultos eos vocat, qui vocem *compar*, quod communis sit tam masculo quam fœminæ, de coniuge Pauli intelligerent.

His autem Nouatores minime contenti argumentis, insuper addiderunt vt deprauata Ignatii epistola ad Philadelphios, inter eos quos ille recenset fuisse coniugio obligatos, post Petrum appositerint & Paulum, atq; alios Apostolos. Sed facile detegitur impostura, quod antiquiores vel Græci vel Latini codices, qui Romæ in Bibliothecis Vaticana, Sfortiana, & aliis asseruantur, nec non antiquissimus ille Bibliothecæ Regis Pannoniarum Matthiæ Coruini, alii que omnes eiusdem tempore æquales, nullo modo Pauli nomen agnoscunt. Quod si recentiores quidam Græci codices habeant, haud dubium ab illis Græcis additicium acceperunt, qui quod vxores retineant cum sacerdotio, Paulum in defensionem suæ ipsorum incontinentiæ velint habere consortem. Certe enim apud antiquiores scriptores, siue Orthodoxos qui pro cælibatu instituerunt defensiones, siue hæreticos qui eundem impugnarunt, licet Ignatii Epistolarum lectionis assiduos, nulla vnquã de eiusmodi ipsius verbis vel minima facta est mentio, quib. alioqui nullo negotio valuisset de cœlibatu Pauli controuersia dilui. Immo & ipse Virginitatis hostium princeps, ipsique Paulo infensissimus hostis, Ebion *a* hæresiarcha, qui eodem tempore vixit, eum cælibem fuisse agnouit, dum tentasse quidem vxorem accipere filiam sacerdotis Iudæi, sed quoniam quam cupiebat non accepisset, idcirco relictis Iudæis ad Christianos se conuertisse mentiretur. Haud vero quempiam tantopere insaniæ credo, vt velit Paulum cælibem vitam egisse dum Iudæus permansit, ad Christum autem conuertum, & Orbis vniuersi peragrationi ad ingentem Apostolatus Gentium molem agitandam delectum, elegisse insolubilibus coniugii nexibus, & importunis rerum domesticarum anxietatibus deuinciri. Sed iam cætera videamus.

Pergens Paulus Corinthios hortari, vt *vnusquisque sicut vocauit Deus, ita ambularet*; inter alia monuit *b*, vt *circumcisi nõ inducerent præputium*, hoc est, ne Iudæi credentes in Christum idẽ facerent quod cæteri consueuerãt cum ad Gentes deficerent, præputium super circumcisionem inducerent, sicq; se Iudæos negarent; testatum etiam habetur in libris *c* Machabæorũ, & apud Iosephum *d*: & qua arte id fieret, Epiphanius docet cum agit de Symmacho Interprete qui secundo est circumcisus: vbi & ait Iudæos existimare, illud primo ab Esau fuisse inuentum ad abnegationem Dei, & delerionem characteris patrum suorum. Vnde quod aliquando *e* Martialis & Persius, Iudæos *recutitos* appellant; putarunt ipsorum Interpretes ad eos respexisse, quib. post circumcisionem noua cutis restituta est: quamuis alias appellent etiam recutitos, hoc est, circumcisos.

Post hæc vero Paulus, cum multa disseruisset de victu ministrando iis qui annunciant Euangelium; tandem sanciam à Domino legem promulgans *f* ait, *Ita Dominum ordinasse iis qui Euangelium annunciarent, vt de Euangelio viuerent.* Equidem ipsum Dominum, cum munus prædicationis obiret, ex his quæ dabantur *g* vna cum suis victum capisse; & post eius Ascensionem, Apostolos ac cæteros egentes ex Fidelium *h* oblatis bonis victitasse, notum est. Fide vero ampliotibus spatiis propagata, ac proinde sicut Christianorum, ita etiam iisdem intuentium aucto numero clericorum; auctus est pariter OBLATIONVM prouentus, & etiam vsque ad Gentilium *i* inuidiam, & Imperatorum *k* quantumlibet Christianorum odium, qui eas cohibere (arbitrio voluntatis potius, quam recti iudicii ratione) sæpe conati sunt: cum tamen Gentilium sacerdotibus, sæculi Principes ex ipsis etiam publicis horreis victum assatim olim suppeditasse *l* constet. Cæterum Episcopos singulis mensibus Ecclesiæ ministris Oblationes erogare congruisse videbatur, Cyprianus *m* docet; & clericos qui eiusmodi menstruam sportulam acciperent, *Sportulantes* *n* vocat.

Quod a. pertinet ad DECIMAS; etsi illæ iure diuino in Lege *o* veteri primitus imperatæ noscuntur; (de quarum ratione, & denario numero, pluribus egit Philo *p* Iudæus.) tamen sicut ante Legem scriptam illas Abrahamus *q* de pugna quinque Regum victor, persoluit Magno sacerdoti Melchisedech: ita & Gentiles quodam religionis impulsu sæpe in bello de manubiis vouisse Diis suis Decimas, & reddidisse, scriptorum *r* veterũ monumenta testantur passim. Ita; licet Christi Ecclesia legalibus Hebræorũm non adstringatur: (nam ea ex parte Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem Baptistam:) tamen iure naturæ quo præcepta moralia sunt seruanda, immo & diuino; illæ debentur etiam sacerdotibus Christianis. Quid enim tam naturale, quam vt (quod ait Paulus *s*) qui plantat vineam, de fructu eius edat; qui pascit gregem, de lacte manducet; qui seminat spiritualia, saltẽ metat carnalia; & qui militat, stipendiũ accipiat? Quin & per Melchisedech Regem ac Sacerdotem, Christianæ religionis regale sacerdotium præfiguratum; ac per Abraham qui ei decimam dedit, laicos omnes esse adumbratos; (figura signante nimirum præstandas à laicis Christi sacerdotibus decimas) Ioannes *t* Chrysostomus aduersus Iudæos pluribus docet. Ac sane nisi Paulus voluisset legis etiam antiquæ ea de re præcepta in Christianam religionem transferri, nequaquã inde mutuatus esset exem-

a *Hier. cont. Iouin. l. 1.*
b *Act. 21.*

XIX.
c *1. Cor. 7.* DE CÆLIBATV PAVLI.
d *Hier. ep. 32.*
e *Epip. hær. 70*
f *Cl. Alex. Strõ. l. 3. & ap. Euseb. l. 2. c. 24. & Nicep. l. 2. c. 44*
g *1. Cor. 9.*

h *Tertul. de monog. c. 8.*
i *Hier. adu. Iou. l. 1.*
k *Aug. de ope. monach. c. 4.*
l *Chrys. in 1. Cor. 9.*
m *Theod. ibi. & alii veteres*
n *Isid. Pelu. ep. ad Isid. diac.*
o *Act. 23.*

p *Philip. 4.*

XX.

a *Ap. Epiph. hær. 30.*

XXI.
b *1. Cor. 7.* DE IVDÆIS PRÆPVTIVM ADDVCENTIBVS.

c *1. Macha. 1.*
d *Ios. 12. ant. 6*

e *Mart. lib. 7. epigr. in Cæsian. Pers. Saty. 5.*

XXII.
f *1. Cor. 7.*
g *Ioan. 12.*
h *Act. 2.* OBLATIONIBVS SVSTENTATI DEI MINISTRI.
i *Ammi. Marcel. l. 27.*
k *l. 10. C. Th. de Epis. & cle. lib. 16. C. Iust. eo. Hier. ep. 2. ad Nepo. Ambr. aduer. Symmach.*
l *Gen. 47. Str. l. 11. Amb. ep. ad Valen. Imp. ante relat. & alii.*
m *Cypr. ep. 14. ad Cler. in fin.*
n *Id. ep. 66.*

XXIII.
o *Leuit. vlt. Num. 18.* DE DECIMIS
p *Phil. de congres. quær. erud. grat.*
q *Gen. 14.*
r *Dion. Hali. Liu. Plut. Xenoph. & alii Græci & Lat.*

s *1. Cor. 9.*

t *Chrys. or. 4. adu. Iud.*

exemplum & auctoritatem, mandato etiam Domini confirmatam, dum ait: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit iis qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere.* In necessarium enim vsum Leuitarum, Decimas offerri debuisse in templo, docet liber Numerorum *a*. Vt ita easdem pariter ad necessarium vsum Euangelicorum Sacerdotum, Ius Naturæ imprimis præstandas admoneat, Lex Dei præcipiat, Christus confirmet, ac denique Apostolus iure id fieri demonstret: quibus adde, quod id ipsum & Conciliorum decreta, de quibus agetur suis locis, & Patres *b* omnes qui de his meminerunt, faciendum admoneant: adeo vt Chrysostomus *c* ab opificibus etiam ipsis, & ab emptoribus ac venditoribus eas persolui voluerit.

a Num. 18.
b Cl. 2. Const. 29. 38. 39. Orig. hom. 11. in Num. Hier. in Malach. 3. Aug. ser. de temp. 215. 219. & hom. 48. de Sanct. & alii.
c Chrys. hom. 43. in 1. Cor.

XXIV.
d Isa. 21.
BONA IMMOBILIA POSSEDIT IN ECCLESIA.
e Matth. 10. Luc. 10.

Porro sicut nec Leuitis olim, licet decimis ditarentur, interdicta erat RERVM IMMOBILIVM POSSESSIO; (quippe qui ex mandato *d* Dei in singulis tribubus vrbes Sacerdotales cum suis suburbanis haberent, & possessionib. quas alii Deo vouissent ipsi frueremur: ita nec Christianæ legis sacerdotibus eiusmodi bonorum possessio interdicta probatur. Nam quod missis à se discipulis Dominus *e* dixit: *Nolite possidere aurum, neque argentum, &c.* non sic hæc illis inhibuit, vt eorum vsu necessario interdiceret: (etenim & mox subdit, dignum esse operarium cibo & mercede sua, & constat aurum & argentum, ipsa rerum pretia, allata esse, ad pedes Apostolorum, eorumq; arbitrio dispensata:) sed vt affectum rerum temporalium reprimeret, ne quæstum pietatem putarent. Sicut cum etiam iis dixit, *Neminem per viam salutaueritis*, illis haud inhibuit consueta humanitatis officia; sed ad prædicationis opus, ad quod dirigebantur, solicitiores & attentiores reddere voluit. Porro Ecclesias Christianorum etiam olim sub Gentilibus Imperatoribus possessiones habuisse, non tantum Pii *f* Papæ Primi, & Vrbani item Primi, quos alii citant, epistolæ declarant; sed ipsa Imperatorū *b* Constantini atq; Licinii edicta, quibus eas in persecutione Diocletiani & Maximiani illis ablatas restitui mandarunt. Regnantibus autem Principibus Christianis, Ecclesias omnes locupletatas esse longe lateq; amplissimis latifundiis, non est qui nesciat. Sicut & ea libera fuisse constat ab omni pensitatione tributi; nisi quod (vt suis locis videbitur inferius) Apostata Iulianus tum ipsa bona Ecclesiarum, tum earum ministros exactionibus vexauit: eiusq; assectatus vestigia Valens Imp. Arianus tributum à Clericis ac Monachis exegit: ac denique sub Valentiniano Iunore, Iustina Ariana ipsius matre moderante Imperium, Catholicorum Ecclesiis census indictus est ex agris; quem persoluere S. Ambrosius *i* secundum Christianam mansuetudinem non recusauit, dummodo fidei Catholicæ ac sacris basilicis, quas Ariani sibi vendicare conabantur, cautum esset. Cum alioqui ex Domini *k* sententia, si non à filiis Reges tributum exigunt, quos subditos habent; multo minus à patribus, sub quorum cura à Principes omnes intelligunt se sub pastoribus esse oues; longeq; impar esse à pastoribus oues lac & lanam exigere, cum potius ista illæ teneantur pastoribus exhibere. Quidni enim id Christiani præstent, quod Ægypti sacerdotibus *l* vbertim Pharao impendit. Et apud Romanos tantum abfuit vt ipsi tributa persoluerent, vt potius sumptus *m* acciperent ex ærario. Quod si aliquando necessitate ingruentium bellorum pressi Catholici Principes indiguerint quædam ab Ecclesiis subsidia accipere, id submisso animo à totius Christianæ religionis Antistite Romano Pontifice expetere consueuerunt: cuius rei innumera sunt exempla. Sed iis omissis, iam cætera de quib. Paulus Corinthios monuit videamus: sunt enim hæ sacræ leges, quas non illis solum, sed & Vniuersali Ecclesiæ seruandas edixit.

f Pius ep. 2. Vrb. ep. ad omnes Episc.
h Ap. Euseb. lib. 10. c. 1.

EAQVE LIBERA A TRIBVTIS.
Tractat autem ipsa fusius Baron. Tom. IV. an. 387. Ex ad. de etiam quæ dicta sunt sup. an. 33. n. 10.
i Ambr. or. ad Auxent. post ep. 32.
k Matth. 17.

1 Gen. 47.

m Dio. Halic. hist. Rom. l. 2.

XXV.
1. Cor. 11.
DE VELANDIS MVLIERIBVS.
De quibus etiam Baron. in Not. ad Martyro. 7. Maii.

Cum igitur eos optimis legibus ad mores spectantibus imbuisset, decentem quoque corporibus habitum simul componere studens, illud imprimis statuit *n* vt mulieres velato capite, viri detecto in ecclesia orarét. Quod vero ad MVLIERES VELANDAS pertinet; licet ipse primus Fideles ad id agendum monuerit, non tamen eius rei primus est auctor: siquidem & aliarum Gentium feminas, etiam ante Christi aduentum, pudoris & honestatis causa velatas incedere consueuisse, de Iudæis fidem facit Tertullianus *a*, de Gentilibus Troianis Clemens *b* Alexandrinus ex Homero; de Romanis Valerius *c*, Tacitus *d*, & Plutarchus *e*; de Græcis Apuleius *f*, de Arabibus Tertullianus *g*, de Laecænis Plutarchus *h*. Christianas vero mulieres, virgines que, non tantum Corinthi, sed & in cæteris Orbis Ecclesiis mandatum Apostoli de velando capite amplexas esse, Tertullianus *i* asserit. Sed non de velo tantum sollicitus fuit Paulus; verum & alibi *k* omnem illum à feminis superfluum lasciuumq; amputauit ornatum, qui esset concupiscentiæ fomes; præstitit: que id ipsum Petrus *l*; & vix credi potest, quantum post eos laborauerint Apostolici viri *, vt Christianas feminas in modesto tam capitis (cum & in ipsis velis multipliciter lasciuirent) quam totius corporis ornatu continerent.

a Tert. de cor. mil. c. 4.
b Clem. Alex. Paedag. l. 3.
c Valer. l. 6. c. 3. par. 13.
d Tac. lib. 14. de Poppæa.
e Plut. q. Ro. 5.
f Apul. de asin. l. 11.
g Tert. de vel. vir. c. 17.
h Plut. Apoph. theg. Lacon. in Charil.
i Tert. de vel. vir. c. 2.
k 1. Tim. 2. 1. Pet. 3.
* Vid. Cl. Alt. 2. Pet. 10. & 1. 3. c. 11. Instit. ad Sacerd. de cult. Christ. Ter. de vela. fem. & de velad. virg. atque alii.

Cæterum aliud ab hoc erat *sacrum* VELAMEN (vt vocat Ambrosius *m*) quo Deo dicatæ Virgines vti solerent: quippe quod densiori tela contextum, nulla erat *n* ex parte perspicuum; & à sacerdote solennibus *o* verbis ac ritibus, nec nisi certis diebus benedici consueuerat: quippe ad instar sæcularium nuptiarum magna erat eiusmodi sacræ velationis celebritas, dabanturque apophoreta *p* æque ac in sumptuosissimis conuiuiis. *Nuptiæ* enim hæc solemnitas dici consueuit, quod ex Virgines spiritualiter Christo nubant *q*: eaque de causa, si fuerint prænuptæ, Cyprianus *r* & alii *s* tam Græci quam Latini Scriptores, Christi adulteras esse dicunt: eoque progressus est Sanctus Hieronymus *t*, vt matrem Virginis Deo sacratæ, Dei socrum nominauerit. Vnde & factum est, vt tot myriades Christianarum Virginum, ne dispendium paterentur virginitatis Deo semel dicatæ, libentius martyrium oppetere delegerint, quam hominis cuiuspiam iungi consortio. Quas insuper non tantum sacro tegi velamine, sed & nigra indui veste, & operiri pallio quasi philosophiam professis, ac laneo adstringi cingulo, fuit olim in Ecclesia consuetudo *u*.

m Ambr. ad virg. lapsam.
n Tert. de vel. virg. c. 15. Ambr. admon. Sym. ep. 12.
o Hier. ep. 8. ad Demetriad. Gel. ep. ad Vig. Lucan. c. 14. Isidor. ep. 379. vsq.
p Tert. de vel. virg. c. 16. Opt. lib. Imm. ep. 2. ad Vrbic. &c. & alii.
q Cypr. ep. 62. & de disc. & hab. virg.
r Vid. Apol. de asin. 2. Cypr. de idol. van. & alia. Ambr. ep. 10. ad Sacerd. Tit. 2. Hier. ep. 27. Tit. 2. 23. Conc. Nic. II. act. 4. & 6. Epiphan.

Sed quod de femineo cultu actum est, vt etiam de Viris

XXVI.
DE SACRO VELO.

XXVII.
DE AMPVTATIONE CAPILLORVM SACRARVM VIRG.

XXVIII.

21. Cor. 11.

DE CVLTV BARBÆ.

a Cl. Alex. 3. pædag 3. & 11

b Ter. l. de pal.

PAVLI VAVS.

d Deut. 22.

DE CALCEIS

e Cl. Alex. 2 pædag. 11.

f Luci. in Phil.

XXIX.

DE COLORE VESTIVM CHRISTIANORVM.

Ap. Bar. To. II. an. 256. & T. IV. an. 393.

g Soz. l. 8. c. 1.

h Ap. Metaph. 28. Dec.

i AA. SS. Gal. & Ep. ap. Metaphr. 5. Nou.

k Conc. Nic. II. Act. 4.

l Cl. Al. pæd. l. 2.

m Ap. Atha. in Vit. S. Ant.

n Hier. ep. 3.

ET ANTIQVORVM CLERICOR.

o Hie. adu. Iouin. & ep. 22. ad Marcel. Ec.

p Vid Ioſ. Vicecom. de anti. Bapt. ritib. l. 3. c. 6. Ee.

XXX.

1. Cor. 11.

DE ECCLESIIS CHRISTIANORVM

Ig. ep. 6. 11. 13

Deut. 13.

Iudith 6.

Ierem.

Tirm. 1.

q Aug. qua. in Leu. q. 59. citatur à Beda in 1 Cor. 11.

quædam apponamus; dum imprimis Apoſtolus *a* monuit ne nutriant comam, eos ab effeminato mulierum cultu remotos eſſe voluit. Proinde *Barbam*, quod ſit virorum inſigne, more androgynorũ vellere, aut cute tenus radere minus olim conſueuiſſe Chriſtianos, facile perſuademur; cum & id minime faciendum eſſe doceat Chriſtianus *b* Pędagogus. Sed quod pertinet *ad Barbam tondendam* ſecundum antiquum religionis cultum, plurib. agetur inferius cum de tonſura capitis erit ſermo. Sic & multos Chriſtianos, & maxime qui arctioris vitæ diſciplinam profiterentur, abiecta toga vti conſueuiſſe *Pallio*, Tertullianus *c* & alii docent: nimirum vt qui veræ ſapientiæ ſe eſſe ſectatores profiterentur, etiam ſtudioſorum ſapientię habitum, nempe pallium, induerent. Sed de ea quoque re pluribus inferius opportuniori loco. Quod vero eiſmodi Pallium quadrangulum fuiſſe, idem ſæpe Tertullianus repetat; quatuorque item angulos habere conſueuiſſet pallium quo vtebantur *d* Iudæi: inde facile adducimur vt credamus, Chriſtianos, ſicut à Iudæis hominibus, nempe Apoſtolis, ad pietatem eſſent inſtituti, ita etiam ab iiſdem potius quam à Græcis philoſophis indumenti formam eſſe mutuatos, illis tamen reiectis quæ ad antiquę legis cæremonias ſpectare viderentur. Denique conſueuiſſe nonnullos Chriſtianorum *ſine calceis*, vel omnino nudis pedibus, vel tantum ſoleis incedere, demonſtrat Clemens *e* Alexandrinus, ſimul docens quam illud pulchre conueniret. Vt non ſine cauſa Lucianus *f*, inſtar horum quæ dicta ſunt, habitum Chriſtiani cuiuſdam hominis deſcripſerit, *Pallium putre, ſine calceis, & tegmine, capite incedens detonſa coma.*

Cæterum complura exempla legimus, Chriſtianos in communiorem ac frequentiorem vſum recepiſſe *Colorem Nigrum*, quod modeſtior videretur, dignuſque ab eo aſſumi qui à moribus vulgi diſcretus altiorem ſectaretur philoſophiam. Nam apud Sozomenum *g* Siſinius Nouatianus Epiſcopus Conſtantinopoli dicteriis appetitus legitur quod veſte candida aſſidue vteretur, cum Catholici atrati incederent. Et in Actis *h* SS. Martyrum Indes & Domnæ, leguntur impii candidis & magnificis veſtib. procedentes, Indes vero atris indutus. Pariterq; in aliis Actis *i* Honofrius in Syria legitur, ne detegeretur Chriſtianus alba induiſſe veſtimenta. Ac demum Euphemia nobiliſſima virgo Chalcedonenſis, traditur *k* inceſſiſſe pulla veſte & pallio philoſophiam profitente. Verum non videtur eadem fuiſſe omnium Eccleſiarum, temporumue, aut perſonarum obſeruantia. Nam Clemens *l* Alexandrinus Chriſtianus Pædagogus, qui Ægypti optimis morib. imbuere curauit Eccleſiam, magnopere ſuadet vt Fideles candidis veſtimentis vtantur. Ideoque S. Antonius *m* martyrii cupidus, alba induit veſtimenta vt cognoſceretur eſſe Chriſtianus. Et tamen Hieronymus *n* ſcribens ad Nepotianum de vita Clericorum, monet clericos veſtes pullas æque deuitare vt candidas. Vnde & admoneri videmur, Clericorum dignum tunc habitum fuiſſe *caſtanei coloris, & violacei*: qui vltimus retentus vſq; hodie eſt ab eis qui ſunt familiæ Summi Pontificis, & quibuſdam aliis, vt omittamus Epiſcopos, illis exceptis qui ex clauſtralium ordinibus ad eam promouentur dignitatem. Irrepſiſſe vero color niger (quem monachorum ab initio *o* fuiſſe conſtat) in Clerum videtur, cum & monachiſmus in Eccleſiis receptus eſt à clericis, & ex monachis Epiſcopi creati ſunt. Cæterum omnes vbiq; Chriſtianos Baptiſmi tempore candidis amiciri ſolitos veſtimētis, cum innumera Patrum teſtimonia de his ſuppetunt *p*, tum etiam Rituales antiqui libri apertiſſime docent. Sed ad Apoſtolum.

Compoſitis iam his omnibus; quod reliquum videbatur, quid cum *in eccleſiam conuenirent* agere deberent, inſtituit *q*. Ex quibus ſatis intelligitur, fuiſſe etiam Apoſtolorum temporibus loca, quæ ECCLESIAS nominarent, in quas Chriſtiani ad ſynaxim conuenirent: quod & plurimis eiuſdem temporis ſcriptoris S. Ignatii *r* expreſſis teſtimoniis confirmatur. Eadem autem loca vt *Eccleſia* dicantur, primitus (vt diximus) ab ipſo Apoſtolo, ſed ex antiquiori diuina *ſ* Scriptura, deinde vero quotidiano vſu loquendi, vt ait Auguſt. *t*, tandem eſt ab omnibus vſurpatum. Antequam autem eas nouas licuiſſet erigere, priuatas domus, ampliora videlicet earum membra, quæ *Cœnacula* dicebantur in locis ſuperiorib. conſtituta, eiuſmodi miniſterio inſeruiuiſſe, S. Lucas *a* manifeſtat. Et quamuis de erectis olim Eccleſiis nullum aliud ſuppeteret argumentum, vel ratio; ipſa ſaltem Imperatorum Ethnicorum edicta de demoliendis Chriſtianorum Eccleſiis, quorum Euſebius *b* meminit, plane eas iam ante ædificatas fuiſſe certiſſimam fidem faciunt. Immo & idem auctor teſtatur, longe ante Diocletiani tempora, prout in dies maior augeretur Chriſtianorum numerus, antiquitus erectas eccleſias fuiſſe ab illis ipſis Chriſtianis dirutas, vt eædem ampliores & auguſtiores excitarentur; eaſdemque ſic reſtitutas, tandem ab ipſo Diocletiano fuiſſe proſtratas. Sed quæ longe ante à Magno illo Gregorio Thaumaturgo erecta fuerat, magno miraculo, & motibus terræ & furori Diocletiani ſuperſtes extitit Gregorii fide ſuffulta; vt teſtatur Nyſſenus in eius Vita.

Eadem quoq; *Eccleſia* voce, hac ſignificatione frequenter vſus eſt antiquiſſimus Tertullianus *c*. Et longe ante ipſum conſtat *d* Romæ Pudentis Senatoris Petri diſcipuli, & Euprepiæ *e* matronæ domos, in Titulos ſeu Eccleſias ad ſacra celebranda eſſe mutatas: ac de Euariſto *f*, qui quintus à Petro numeratur Pontifex, teſtatum habetur, eccleſias diuiſiſſe presbyteris: quos quidem temporibus Cornelii Papæ extitiſſe numero quadraginta ſex, eiuſdem epiſtola *g* ad Fabium Antiochenum fidem facit; totidemque fuiſſe Eccleſias Optatus *h* teſtari videtur, dum ait, quadraginta & quod excurrit, in Vrbe fuiſſe ad Chriſtianum vſum baſilicas excitatas. Deniq; apud ipſos Ethnicos celebris eſt eorundem locorum memoria, dum apud Lucianum *i* (qui Apoſtolorum temporibus, ac etiam Traiani Imp. vixiſſe ex ſuis ſcriptis cognoſcitur) deſcribitur domus aurato faſtigio & æreis liminibus inſignis, in qua conuentus Chriſtianorum ageretur. Pariterque apud Lampridium eſt teſtimonium de loco ab Alexandro Imp. Chriſtianis aduerſus popinarios adiudicato, vbi Deus ab iis coleretur: Et apud Vopiſcum Valerianus Imp. meminit de Eccleſia Chriſtianorum. Vt ex his omnibus tam noſtrorum quam externorum teſtificationibus intelligas, cum ſiue apud Origenem *k*, ſiue Minutium *l* Felicem, aliosue aduerſus Ethnicos diſputantes, negatur Chriſtianos antiquos habuiſſe templa; intellexiſſe de templis ſic à Gentilibus vocatis: à quibus non omnia Deorum delubra, ſed ea tantum quæ vaſtiſſima eſſent atque ampliſſima, dici ſolita TEMPLA, demonſtrant *m* Varro & Arnobius *n*. Certe enim nec nos negamus, caruiſſe priſcos illos Chriſtianos tempore perſecutionum eiuſmodi templis, quæ ſub Chriſtianis Imperatoribus magnificentiſſime extrui cœpta ſunt: & alioqui ſatis conſtat, ipſos eo tempore non publice in ſuis eccleſiis, ſed clanculum ſiue in priuatis domibus, ſiue in cryptis, aliisue quibus poterant locis conueniſſe.

Quod autem ad *Eccleſiarum ſtructuram* pertinet; ſitum illarum ad Orientem ſpectantem diſponi ſolitum, Clemens *o*, Tertullianus *p*, & Paulinus *q* docent; ſiue ad imitationem templi Salomonis, quod ad Orientem fuiſſe conuerſum Ariſtæus *r* teſtatur, ſiue quod Chriſtiani (vt poſtea videbitur) verſus Orientem precari conſueuiſſent. Sic autem erant ſingula earum membra ad diuerſorum ordinum officia accommodata, vt ſimilitudinem quandam Hieroſolymitani templi redderent: quippe quæ continerent *Porticum*, vbi eſſent pœnitentes, & alii quibus intra eccleſiam non pateret acceſſus; *Atrium*, ad recipiendum populum; *Sancta*, vbi ſeorſum ſederent ſacerdotes; ac demum *Sancta Sanctorum*, ad oblationem incruenti ſacrificii. Hanc enim formam in iis hactenus Romæ intuemur eccleſiis, quæ temporibus Conſtantini Magni fuerunt à fundamentis extructæ: quas nonniſi ſecundum priſtinam antiquiorum illarum formam quæ Diocletiani edicto proſtratæ fuere (cum eædem quæ olim, eſſent in eis functiones obeundæ) erectas eſſe, perfacile eſt vt credamus; cum præſertim eandem prorſus formam quam modo deſcripſimus, tam in Oriente quam Occidente vbique locorum obſeruatam ſciamus teſtimonio Euſebii *ſ* Cæſarienſis: Gregorii *t* Nazianzeni, Paulini *u* Nolani, & aliorum. Erant & *Cubicula* quædam, vt idem Paulinus vocat, quæ *Capellas*

dicimus,

a Act. 1. 12. 10.

ECCLESIÆ AB EXORDIO ERECTÆ.

b Euſeb. hiſt. l. 8. c. 1. 2. 3.

XXXI.

ECCLESIÆ VOCIS.

c Ter. de idol. c. 7. ad vx. l. 2. c. 9. de vel. vir. c. 3. & 13. de cor. mil. c. 3.

d Act. Puden. & ep. 2. Pii I. P. ad Iust.

e Ep. 1. Pii PP.

f Anaſtaſ. de Rom. Pont.

g Ap. Euſ. 6. hiſt. 35.

h Opt. l. 2.

i Lucian. in Philop.

SOLVTIO OBIECTORVM.

k Orig. lib. 8. cont. Celſ.

l Minut. in Oct. & vid. Baron. Tom. II. an. 211.

m Var. ap. Gel. l. 14. c. 7.

n Arnob. adu. Gent. l. 6.

XXXII.

DE STRVCTVRA ECCLESIARVM.

o Cle. Conſt. 61.

p Tert. aduer. Valent. c. 2.

q Paulin. ep. 12. ad Seuer.

r Ariſt. de 72. Interpret. ſed vid. inf. an. 58 num. 42.

ſ Euſ. 10. hiſt. 4. & in Vit. Conſt. l. 3. c. 34.

t Gr. Naz. or. in fun. patr.

u Paulin. ep. 12. & 32.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

dicimus, constrai in eis solita orationis causa: necnon *Pastophoria a*, seu *Secretaria b*, apud apsidem posita; in quorum vno asseruarentur ornamenta, & alia ad sacrum ministerium Ecclesiæ pertinentia; in altero vero libri sacri. Nec indecens visum, in eadem ecclesia plura constitui altaria: nam cum ea essent sepulchra martyrum, vbicumque esset martyr conditus, illic altare erigi consueuerat. Sane de tredecim in ecclesia vna erectis Gregorius *c* meminit.

Denique sicut ad emundationem positum fuit in templo *d* labrum æneum, quo sacerdotes manus pedesq; ante ingressum lauarent; ita præ ecclesiarum foribus constitui solitos *Fontes aquæ communis*, ad purificationem, & ad manus ac facies introeuntium, non solum sacerdotum, vel clericorum, sed & aliorum quorumcunq; abluendas, fordesq; corporis abstergendas, (secundum quod etiam monet Apostolus *e orare puris manibus*) complures f antiquorum testantur. Verum quod naturalis quidam instinctus docet, nonnisi puros ad Deum accedere debere; inde euenit vt non solum Christiani quique, vel etiam Iudæi *g*, sed & ipsi quoq; Gentiles *h*, ante adorationem se aqua mundarent. At postea eiusmodi lauacri loco successit apud Christianos, vt aqua precibus sacerdotis benedicta, quæ Fidelibus vsui esse consueuisset in domibus priuatis, vt Alexandri Papæ Primi Res gestæ significant) in ipso ingressu ecclesiæ poneretur, qua ad leuiorum peccatorum expurgationem adeuntes ecclesiam aspergerentur; de cuius vi & vsu dicetur inferius opportuniori loco.

Quod autem spectat ad Ecclesiarum ornatum; CHRISTI Redemptoris IMAGINE decorari solitas, canon septimus Synodi Antiochenę, Apostolorum nuncupatę, de qua anno sequenti, fidem facit; qui (ne impostura existimes) citatus reperitur à Gregorio Episcopo Pessinuntis in posteriore Nycæna Synodo *i*, licet in editione Latina mutilatus *k*, ac perperam translatus habeatur. Sed eiusmodi Ecclesiarum ornatum non mirabitur, qui nouerit ipso etiam Christo viuente eius Imaginē (quod superius dictum est) Paneade à muliere curata à fluxu sanguinis ære fusam, ad trecentos & amplius annos, nimirum ad Iuliani Apostatæ tempora integram perduraſſe, (quantumlibet innumeris Palæstina fuerit deformata cladibus) & conuenienti veneratione *l* cultam esse. Nisi enim pie sanctęque ab ipsis Apostolorum temporib. sactæ Imagines in Ecclesia fuissent in vsu, passimne fuissent Fideles per tot sęcula illum solam sic intactam seruari? Verum qui eam vidit Eusebius *m*, alias quoq; se vidisse testatur Petri & Pauli Apostolorum, atque etiam Christi Imagines in picturis cōlorum varietate antiquitus expressas. Et Tertullianus *n* docet Christi Domini Imaginem, effigie Pastoris ouem deperditam super humeros gestantis, in sacris calicibus sculpi consueuisse: quo sacerdotes admonerentur, imitandum sibi esse diuinum illū pastorem, qui primus tam eximium pastoralis curæ ac charitatis specimen edidisset. Et cum aliqua erigeretur ecclesia, eo in loco primum omnium CRVCEM poni in titulum solitam, dicetur inferius *o*. Narratq; Hieronymus *p* Osorius Siluensis Episcopus rerum Indicarum fidelissimus scriptor, in vrbe *Malipure* à Lusitanis dicta *S. Thomæ*, inuentam esse ecclesiam in colle ædificatam, vbi affirmarent incolæ Thomam Apostolum fuisse ab Infidelibus interfectum: ac pariter repertam Crucem in lapide incisam, & sanguine eiusdem Apostoli tinctam, quæ singulis annis octo dies ante celebrationē Natalis Domini, cum Euangelium in officio Missæ inchoaretur, in nigrum colorem ac mox in cæruleum versa, multum ex se liquorem splendidum eiiceret. Sed & res gestæ *q* Constantini Imperatoris cum Siluestro, & libellus de eius Munificentia, docent complures argenteas ab eo iussas conflari Christi & Sanctorum statuas. Et apud Lactantium *r* fit mentio Imaginis Redemptoris cruci affixi. Ac denique, ne morer nimis singula retexendo, de sacris Crucibus & Imaginibus in ecclesiis depingi solitis, locupletes sunt testes Sancti Paulinus *s*, Augustinus *t*, Basilius *u*, Gregorius *x* Nyssenus, & alii *y* plurimi antiqui Patres tam Orientalis, quam Occidentalis Ecclesiæ.

Quibus sic stantibus, quid est quod Eliberinum Concilium, paulo ante Constantini Imperium in Hispania celebratum, statuit *a*, *Picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur & adoratur, in parietibus depingatur?* Scimus plerosque eruditos viros interpretatos esse, sic pingi Imagines in pariete Synodum vetuisse, vt tamen eas in tabulis effigiari sineret: (qui vsus vsque hodie dicitur in Hispania retentus:) rationemq; diuersitatis hanc prætexunt, quod quacunque vrgente persecutione (namque illam Synodum celebratam esse constat, cum nondum vltima persecutio à Diocletiano excitata penitus extincta esset) tabulas illas Christiani possent secum quocumque ferre & occultare; non sic de parietibus, quorum sacræ Imagines expositæ remanerent iniuriis atque derisioni Gentilium. Et hæc quidem solutio conuenit egregie temporum historiæ. Sed vt magis aliquid dicamus; non leuis subest de illius canonis impostura suspicio, quod antiquissimi & accuratissimi Collectores Canonum, Ferrandus Diaconus, Dionysius Abbas, & Cresconius Episcopus, nullam eius vel saltem nomine tenus mentionem fecere: itemq; quod tot Orientalium atque Occidentalium turmæ, quæ ad impugnandas sacras Imagines arma vndique compararunt, atq; adeo Claudius ipse Hispanus presbyter, inde vero Episcopus Taurinensis, maximus omnium Iconoclasta, atque Felicis Vrgelitani æque Hispani discipulus, ab eo telo, quod validissimum omnium fuisset, si extitisset, penitus abstinuere. Illum enim canonem eos omnes præteriisse, ex eo etiam exploratissimum redditur, quod cuncti Catholici scriptores, qui commenta Iconoclastarum diligenter refellerunt, ne per nutum quidem eius meminisse reperiantur. Vt non immerito suspicari possimus, aliquem ex posteriorib. Iconoclastis (quod hæreticorum est proprium, partus supponere) extitisse talis impostura concinnatorem. Denique si absit à canone fraus & impostura, nec placeat, quam superius retulimus, aliorum eius interpretatio; anne demum dicemus, potuisse, vel debuisse, decem & nouem Episcoporum conuentum, tot enim duntaxat ei interfuerunt) in Orbis angulo congregatorum, aliud statuisse, quam vbique locorum vniuersalis profiteretur Ecclesia? Cumque viguisse & tunc & postea in eadem ipsa Hispania sacrarum vsum cultumque Imaginum, testes sint fidelissimi eiusdem sæculi scriptores, Prudentius *b*, & Paulinus, ille Hispanus, iste in Hispania diu versatus; sane quod pauci illi Episcopi in contrarium statuissent, constat cæteros omnes qui tum erant, vel postea fuerunt, ex antiquorum præscripto penitus abolesse. Sed de huius Concilii canonibus suo loco: de sacris vero Imaginibus pluries etiam agetur inferius: hęc modo sufficiant, occasione ornatus ecclesiarum.

Ad quem quod rursus spectat; fuisse item primis illis temporibus ecclesias SVPELLECTILIBVS pretiosissimis ornatas, licet Christianos vexaret persecutio; satis constat ex eo quod etiam *Lucernas* habuisse *argenteas*, ex Actis Proconsularibus apud Augustinum *c* legitur de temporibus Diocletiani. Et abundasse Ecclesias *Vasis aureis & argenteis d*, Optatus quoq; tradit, idemque Augustinus *e* ex aliis Proconsularibus Actis. Sicut & in Rebus gestis S. Laurentii, quas Prudentius sacro hymno cecinit, non argento tantum, sed & auro offerre Romanos Pontifices incruentū sacrificium consueuisse narratur. Accedeniq; qui ante hos omnes exstitit Vrbanus *f* Papa, in Ecclesia Rom. fecit vasa omnia sacra argentea: quæ cuncta sub Principibus Christianis fuisse, mirum in modum aucta, videbitur suis locis.

Quod denique ad vsum antiquum partium ecclesiæ spectat; sicut olim in templo Hierosolymitano *g Loco distinctæ* erant sacerdotes à populo, vni à mulieribus, atque à nuptis virgines; ita eodem ferme ordine & dispensatione fuit in Christianorum Ecclesiis obseruatum. Id enim imprimis Philo *h* testatur de Essenis Alexandrinis, quos Hieron. *i* Christianos fuisse affirmat: & diluciditus apud Clementem *k* legitur de omnibus Christianis. Sic & Gregorius Nazianzenus in somnio Anastasiæ, supra Ecclesiæ porticus mulierum locum seorsum à viris fuisse demonstrat. Et pariter Ambrosius *l* meminit de loco in ecclesia tabulis separato, vbi virgines à cæteris fœminis separatæ erant.

a Clem. 2. Const. 61. Hier. in Ezech. 42.
b Paul. ep. 12.
c Greg. 5. ep. 59. Ind. 14.
XXXIII. FONS PRÆ FORIBVS.
d Exod. 30.
e 1. Timoth. 2.
f Clē. 8. Const. 38. Tert. de or. c. 11. Euseb. 10. hist. 4. Paulin. ep. 12. & 31. & in Natal. 10. S. Felic. Chrys. ho. 72. in Ioan. ho. 52. in Mat. ho. 36. ad pop. Ant. Anast. Sinaor. de jac. Syn. & alii.
g Aristeas de 72. Interpr.
h Herodot. in Euterp. Cic. l. 2. de leg. Pers. Saty. 2. Tibul. l. 1. eleg. 2. & alii.
XXXIV. SACRÆ IMAGINES.
i Conc. Nic. 11. Act. 2.
k Si scire hoc cupis, vide Baron. hoc an. pluribus in tractantem.
l Niceph. l. 10. c. 30.
m Euseb. 7. hist. 14.
n Tert. de pudic. c. 6. & 10.
o An. 112.
p Osor. l. 3. rer. Indic.
MIRACVLVM DE CRVCE S. THOM.
q Ap. Anast. l. de Rō. Pont. in Silvestr.
r Lact. carm. de pas. Dom.
s Pauli. ep. 12. ad Severr. Nat. 9. & 10. S. Fel.
t August. 1. de cons. Euā. 10.
u Basil. ora. in S. Barlab.
x Gregor. Nyss. in Theod.
y Prud. hym. de S. Cass. & alio de S. Hippol. Euod. Vzal. l. 2. de mirac. S. Steph. & alii.
XXXV.

a Conc. Eliber. c. 36. CANON CONCILII ELIBERINI DE IMAGINIBVS.
b Prud. & Paul. vbi supra.
XXXVI. PRETIOSA ECCLESIARVM SVPELLECTILIA. De quib. Baron. Te. II. an. 235. & 303.
c Aug. ep. 165.
d Opt. l. 1. cont. Parm.
e Aug. 3. cont. Cresc. 29.
f Anastas. de Rom. Pontif.
XXXVII.
g Ioseph. 6. de bel. c. Orig. tract. 16. in Matt. & alii. DIVISIONES IN ECCLESIA LOCA.
h Phil. de vit. contemp.
i Hier. de Scr. Eccl. in Philo.
k Clemen. 2. Const. 61.
l Ambros. ad virg. lapsā. 6.

a Proc. de ædif. iustin. li. 1.
b Chrys. hom. 28. ad pop. Antioch. Act 3.
c Chrys. ibid. Gr. Naz. orat. de amor. paup.

XXXVIII. DIVERSIS NOMINIBVS ECCLESIÆ DICTÆ.

a An. 112. 4.
f Marc. 11. Luc. 19.
g Cypr. de op. & eleemos. Conc. Laod. c. 28. & alii tam Gr. quã Lat.
h Euseb. or. de laudib. Const.
i Aug. 22. de ciuit. 8. &c.
k Conc. Afri. c. 50. Aug. 22. de ciuit. 20.
l Coc. Gangr. c. 20. & in Act. Conc. Chalced. frequens est mentio de Martyrio S. Euphemiæ, vbi celebrata est Synodus.
m Gandē. ser. in ded. Conc. mart. Anast. de Rom. Pont. in Damas. Hier. ep. 3. ad Heliod.
n Ps. 8. & 110.
o Amb. adu. Symmach.
p Opt. li. 2. & alii. Ap. Bar. in Not. ad Martyrol.
q Aug. ciuit. li. 15.
Orig. Ann. de Eccl. of. l. 2. c. 2
r Val. Stra. de reb. eccl. c. 2.
s Vitru. l. 5. c. 1
Cic. ad At. l. 4 l. pediculos. §. item eum. D. de aur & arg. leg. & l. inter stip. §. sacram rem. D. de
t Plin. 5. ep. 21. Senec. l. 3. de ira. c. 33.
u Aug. in grat. act. pro Consul. ad Grat.

XXXIX. DE DVPLICI CŒNA.

a 1. Cor. 11.

b Chrys. hom. 27. in 1. Cor. 11

y An 34. 17.
z Aug. ep. 118. ad Ianuar.

Procopius *a* item duplices porticus fieri solitas ostendit, quarum altera viros, altera feminas caperet. Eundemque distinctionis vsum fuisse in Ecclesia Romana, declarant Vitæ Pontificum, Symmachi Gregorii Tertii, atque Sergii, necnon antiquiora Ecclesiæ Vaticanæ monumenta: quibus etiam constat, dexteram basilicæ partem destinatam fuisse mulieribus, viris autem sinistram, quippe quam in sacris fuisse dignioremi alibi dicetur. De loco vero *Pauperum*, licet eis æque ac cæteris pateret ecclesia precum causa, iidemque *b* simul cum Principibus, nulla habita personarum acceptione, ad sacram mensam admitterentur: tamen sicut olim *c* in templo ad stipem mendicandam pro foribus stabant, ita etiam in ecclesiam ad eleemosynam captandam nefas *d* illis ingredi, ne sacra agentibus, aut orantibus essent molesti; sed in exterioti porticu, quæ post atrium ianuis inhæret ecclesiæ, solebant commorari.

Iam quod reliquum esse videtur, constat *Ecclesias*, (hoc est loca ipsa, in quæ ad sacros celebrandos conuentus Fideles conuenire solerent) diuersis aliis esse nominibus appellatas. Puta *Titulos*, de cuius vocis ratione dicetur *e* opportuniori loco. *Domos orationis*, secundum quod à Domino *f* dictum est, *Domus mea domus orationis vocabitur. Dominica* *g*, cuius nomenclaturæ Eusebius *h* rationem reddit, quod vni omnium Deo atq; vniuersarum rerum Domino consecrentur: *Memorias i*; quod in memoriam Sanctorum Martyrum *k* erigi consueuerint: Vnde etiam dictæ reperiuntur *l Martyria*: Itemq; *Concilia Martyrum m*, quod in eis multorum corpora Martyrum quiescerent, quæ videlicet intra ecclesias sepeliri solerent: Vel etiam *Concilia n Sanctorum*, quod ibi congregaretur Sanctorum Fidelium multitudo. In quem eundem sensum Ambrosius *o* collegium Virginum, appellauit *Concilium Virginitatis*. BASILICÆ *p* quoque sæpius ea loca sunt dicta; siuequod (vt alii *q* existimarant) cum Basilicæ olim vocarentur Regum habitacula, sic etiam dici meruerint loca in quibus Rex Regum colitur: siue (vt magis placet) quod Basilicæ illæ Gentilium, (loca videlicet rerum venalium *r* Foris coniuncta, in quibus hieme potissimum publicæ conciones, & negociantium conuentus habebantur, atq; etiam aliquando ius (reddebatur:) in ecclesias *t* Christianorum commutari solerent. Obtinuit autem vsus loquendi, vt non quæcunque ecclesiæ appellentur *Basilicæ*, sed illæ duntaxat quarum augustior sit amplitudo. Denique TEMPLA frequenter eadem loca nuncupata reperiuntur: (de qua etiam nuncupatione nuper dictum:) nequaquam vero à maioribus *Delubra*, vel *Fana*; licet his vocibus nonnulli recentiores improprie, ne dicam improbe, vti sint, quæ magis templis Gentilium conueniant. Sed de his hactenus: iam ad cæteras institutiones Ecclesiasticas à Paulo in eadem priori Epistola ad Corinthios scriptas redeamus.

Perseuerabat adhuc in Ecclesia laudatissimæ rei vsus, vt (quod Christus vltima cœna fecerat, ac in sui memoriam vt facerent, suos monuerat) Christiani conuenientes in ecclesiam, simul sacratissimam perciperent Eucharistiam, atque vna cœnarent: sed quoniam id perperam Corinthii obseruabant, Paulus *u* iure redarguit: quodq; (vt suo loco dictum est) vtraque simul cœna iungebatur, *Communis & Sacra*, quid in vnaquaque præstare deberent admonuit: nimirũ vt in Communi modestia seruaretur, & mutua charitas, cuius intuitu esset instituta, Sacra vero non perfunctorie, sed magna præuia conscientiæ disquisitione adiretur. Cæterum etsi Christus Communem præmisit, inde vero Sacram exhibuit; (quod sic ordo rerum ferebat, vt legalia primum consummarentur, ac deinde quæ nouæ legis essent mensæ apponerentur:) Apostolorum tamen tempore, primo sacram synaxim celebrari solitam, inde communi omnes excipi mensa, (ad quam diuites quidem alimenta suppeditarent, sed vocatis pauperibus communiter cum iis vescerentur) Chrysosto. *x* tradit. Verum de his diuersam olim fuisse diuersarum Ecclesiarum consuetudinem dictum *y* est superius. Corinthios autem inter cœnandum miscentes sacra communib. (quod correxit Paulus) Eucharistiam sumere consueuisse, August. *z* affirmat: testaturque communi totius Ecclesiæ consensu factum esse, vt nonnisi ieiuni Fideles in Ecclesia sacram sumerent Eucharistiam, quam & sacerdotes ipsi ieiuni offerrent. Sed enim illud etiam totius Vniuersalis Ecclesiæ consensione factum est, vt non amplius sacris mensis communes commiscerentur; sed sicut mysterio, ita aliqua diuersitate temporis distinguerentur: sicut & postea communes desierunt in ecclesia fieri; de quo mox dicetur. Quo autem ordine precum, hymnorum, & sacrarum sermocinationum, quaue frugalitate, eædem illæ communes, mutuæ charitatis indices atque illices, (vnde & *Agapes* vsitatiori appellatione dicebantur: nam ἀγάπη significat dilectionem) celebrari consueuissent, suppetunt egregia testimonia Tertulliani *a*, Minutii *b* Felicis, Clementis *c* Alexandrini, necnon omnium antiquissimi Philonis Iudæi, si verum sit quod Hieronymus affirmat, eum sub Essenorum nomine de Christianis Alexandrinæ Ecclesiæ esse locutum; qua de re fusius suo loco. Cæterum descriptum ab eo conuiuium sacris videtur admixtum, quale illud Pauli ad Corinthios: non enim expressius licuit externo homini, secreta nostra mysteria prosequi.

Triplici vero ex causa inter Christianos publica sacra CONVIVIA celebrari solita, tradit Gregorius *d* Nazianzenus: nempe in Natalitiis, Funeribus, & Connubiis. Sed de *Connubiali* Agape dictum est alias. De illis autem quæ fierent in *Natalitiis* sanctorum Martyrum, testes sunt etiam, immo & defensores aduersus censuras calumniantium, Theodoretus *e* & Augustinus *f*: ac de *Funeralibus* mentio quoque apud Origenem *g*, Chrysostomum *h*, Paulinum *i*, & Hieronymum *k*. Denique solitas etiam exhiberi Agapes *in Dedicationibus Ecclesiarum*, demonstrat Gregorius *l* Papa. Qui autem eiusmodi Conuiuiis, in honorem Dei & subleuationem pauperum fieri consuetis, interesse dedignarentur, vel ea damnarent; in eos Synodus *m* Gangrensis anathema pronuntiauit: Laodicena *n* vero prohibuit clericos ad Agapen accedentes, partes tollere: & apud Clementem *o* constitutum legitur, quot vnicuique sacrorum ministrorum partes in Agapibus reseruandæ essent. Qui igitur antiquus vsus à temporibus Apostolorum de Agape Christianorum viguit in Ecclesia, idem quibusdam in locis in hodiernum laudabiliter perseuerat, mutatis nõnullis; vt (quod primum diximus) ne illæ simul cum sacrosancto sacrificio miscerentur: deinde (quod postea est emẽdatum) ne in ecclesia celebrarentur. Ambrosio enim, imprimis id displicuisse, Augustinus *p* testatur; & Paulinus *q* nec ipse probauit, tolerauit tamen. In Ecclesia vero Orientali prohibuit omnino Concilium *r* Laodicenum; sicut in Occidentali Carthaginiense *s* Tertium. Concessit autem Gregorius *t* Anglis recens ad fidem conuersis, vt in tabernaculis iuxta ecclesias positis, die dedicationis earundem ecclesiarum, vel natalitio SS. Martyrum quorum reliquiæ illic extarent, eiusmodi conuiuia celebrarent.

Cæterum cum Paulus Corinthios de his quæ tam ad communẽ quam sacram cœnã pertinerent, quantum liceret per Epistolã, monuisset: quod res essent quę maiori indigerent examine, in aduentu suo se cętera dispositurum pollicetur *u*. Quænam vero Apostolus circa sacrum Eucharistiæ ritum præsens Corinthios docuerit, licet nec ipse nec Lucas scripserint: tamen eadẽ illa fuisse quæ sine scriptis ex traditione Apostolica vniuersa in posterum obseruauit Ecclesia, tum Augustinus *x*, tum alii omnes affirmant. Et vt agamus breuiter ex instituto de singulis; imprimis vt in hoc admirabili sacrificio *Vinum aqua mixtum* in calice offeratur, non tam ex traditione Apostolica, quam Dominica, Ecclesia Catholica vniuerso orbe seruans (vt Cyprianus *y* testatur) eam sibi vendicat auctoritatem: de qua pariter antiquissimus Iustinus *z* Martyr ita loquitur, tanquam de re quæ semper fuerit ab omnibus obseruata. Vt item à *Ieiunis offeratur atque sumatur*, ex traditione Apostolica & Spiritus sancti placito in vniuerso Orbe receptum esse, Augustinus *a* demonstrat: eiusdemque consuetudinis testes sunt Tertullianus *b*, Cyprianus *c*, aliique antiquiores, atque recentiores quamplurimi. Offerendam vero esse *pro vivis, atque etiam defunctis*, itemque *in azymis* potius quam

in fer-

SEORSVM SACRA MENSA A COMMVNI.

DE AGAPE.

a Tert. Apol. c. 19.
b Minu. in Octa.
c Clem. Alex. 2. pædag. 12.

XL. CONVIVIA PVBLICA TRIPLICI EX CAVSA.

d Gr. Naz. de vit. differens.
e Theo. Euan. verit. l. 8.
f Aug. 20. cõt. Faust. 4. 20.
g Orig. l. 3. in Ioan.
h Chrys. ho. 32 in Matth.
i Paul. ep. 31. ad Alet.
k Hier. ep. 22.
l Gr. 1. ep. 54.
m Conc. Gãg. c. 11.
n Conc. Laod. can. 26.
o Cl. 2. Cõst. 32

QVID POSTEA SANCITVM DE AGAPE.

p Aug. 6. Confess. 2.
q Pauli. Nat. 9. S. Felic.
r Conc. Laod. c. 28.
s Cõc. Carth. Tert. c. 30. Vid. infra an. 397. 17.
t Gre. 9. ep. 71. ad Mellit.

XLI. DE RITIBVS EVCHARISTIÆ.

u 1. Co. 11. in fi

x Aug. ep. 118. ad Ianuar.

y Cypr. ep. 63. ad Cæcil.
z Iust. Apol. ad Anton.

a Aug. ep. 118.
b Tert. ad vx. l. 2. c. 3.
c Cypr. ep. 63.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in fermentato conficiendã, nec nisi post exomologesin esse impertiendam Eucharistiam; hęc omnia ex Apostolica traditione prouenire, Patrum assertionibus demonstratum est superius in eius institutione.

XLII.

Porro Sacerdotem post sacrosanctæ Eucharistiæ consecrationem, consuesse eandem *in altum extollere*, & populo ostendere, testatur Anastasius *a* Sinaita. Cum a. illam aliis sumendam traderet, quid daret contestabatur, dicens, CORPVS CHRISTI; & qui accipiebat, idipsum verum esse profitens dicebat, AMEN; hoc est (vt Ambrosius *b* ea de re disserens interpretatur) *Verum*: veteremq; planè fuisse eiusmodi verborum traditionem tam in Occidente, quam in Oriente, docent Tertullianus *c*, Cornelius *d* Papa, Cyrillus *e* Hierosolymitanus, & alij; ac constat etiam ex antiquis Liturgiis. Dabat vero sacerdos in manus cuiusque sacram Eucharistiam, quam sic ille summa cum reuerentia ori admouebat; vt de ea re suppetunt quamplurima testimonia SS. Patrum *f*: eundemque morem diutius perseuerasse in Ecclesia Orientali, constat ex canone edito nomine Sextæ Synodi Oecumenicæ: quo etiam docetur, consuesse Fideles Eucharistiam *manibus in Crucis formam figuratis* accipere, secundum ea quæ idem Cyrillus habet Catechesi quinta mystagogica. Viris autem duntaxat concessum nuda manu sumere, feminis autem nonnisi nitido linteamine, habetur apud Augustinum *h*, itemq; apud Maximum aduersus Monothelitas, & in Concilio *i* Antisiodorensi; vbi *k* etiam illud linteamen ob eam causam dictum reperitur *Dominicale*.

XLIII. MOS FERENDI DOMVM EVCHARISTIAM.

Sed & illud circa vsum Eucharistiæ introductum fuit, vt cum minus liceret ad sacras Synaxes tempore persecutionis in vnum sæpe coire, à sacerdotibus sacratissimas eius particulas (quas Tertullianus *l* alicubi *Buccellas* appellat, nonnulli etiam *Micas*, vel *Partes*, sed frequentius Augustin. & alii *Particulas*, sicut apud nos frequentiori vsu retentum est:) Fideles acciperent, *easdemque domum deferrent*, & reuerenter asseruatas vel quotidie sumerent, vel cum alioqui de vita periclitarentur: cuius consuetudinis complura sunt antiquorum *m* Patrum testimonia: videturque ea perdurasse in Ecclesia Occidentali saltem vsque ad Hormisdæ Papæ tempora, quando in Synodo *n* Cæsaraugustana abrogata sub anathemate cognoscitur: in Orientali vero etiam post dicta tempora viguisse, pluribus declaratur exemplis in Prato Spirituali, & alibi. Sed & *in itinere* aliquando concessum fuisse secum Euchatistiam ferre, quam sumerent si quod periculum mortis subiret (tanti æstimabant, sine eiusmodi sacratissimo viatico ex hac vita discedere) docent quæ S. Ambrosius *o* de Satyro fratre, & Gregorius *p* Papa de Maximiano Episcopo Syracusano scribunt. Immo & Alexandri Papæ Tertii temporibus eandem consuetudinem alicubi perseuerasse, Acta *q* S. Laurentii Episcopi Dublinensis testantur. Deniq; auctoritate Irenæi *r* constat, Romanæ Ecclesiæ Pontifices olim consueuisse *mittere Eucharistiam ad Coepiscopos* Catholicæ communicationis.

XLIV. VSVS ASSERVANDÆ EVCHAR.

Porro ex his omnibus illud quidem imprimis necessario infertur, semper in Ecclesia Catholica *asseruandi ad Fidelium vsum sacram Eucharistiam*, siue in loco sacro, siue in priuatis domibus, viguisse consuetudinem. Nam & de asseruata in ecclesia, est Optari *s* testimonium, dum execrandum detestatur scelus Donatistarum, qui canibus Eucharistiam fuderunt, canibus ipsi diuina vindicta præda facti. Et in Concilio *t* Turonensi statutum est, vt non in armario (siue, vt alio modo legitur, in imaginario ordine) sed in altari Eucharistia asseruaretur sub Crucis titulo. Itemque in altari intra Columbam auteam reponi solitam, legitur in Actis S. Basilii, quæ Amphilochii nomine inscripta habentur: & ad idem sacrum officiũ positas super altaria colũbas aureas, & alias argenteas super baptisteria suspensas, Seuerum impium hæreticum sustulisse, questi sunt in Quinta Synodo Cletus & monachi Antiocheni. Ac deniq; redarguit Cyrillus *u* Alexandrinus errorem tunc primum emergentem, illorum qui putarent Eucharistiam non seruandam in sequentem diem. Sed ex his adhuc illud certum redditur, etsi Fideles sacrificii tempore olim in Ecclesia sub vtraque specie Panis & Vini communicarent, tamen cum vel priuatim in suis domibus, vel aliter in ecclesia extra sacrificii tempus sacratissimam Eucharistiam acciperent, tunc *sub vna tantum specie Panis* sumere consueuisse. Qua vero ratione in Ecclesia Catholica vsu receptum sit, vt nec sacrificii tempore nisi sub specie panis Fideles communicent alias dicetur vberius. Plura vero, quæ de ritibus offerendi vel ministrandi dici possent ex antiquis ac plane Apostolicis Liturgiis, libentius omittimus, quod illę à plerisq; collectæ præ manibus habeantur, aliiq; eo argumento commentarios ediderint.

COMMVNIO SVB VNA SPECIE.

XLV.

Illud tamen dicere non prætermittimus, exemplo Apostolico *a* posteros Fideles conatos esse *quotidie sumere Eucharistiam*; vt inter alios testatur Cyprianus *b*. Vnde quod non esset liberum quotidie ad Ecclesiam conuenire, Particulas domum portandi, absq; dubio licentiam obtinuisse ex institutione Apostolica, maiores tradiderunt. Ad sua vero tempora, Romæ & in Hispania eandem seruatam esse consuetudinem, vt Fideles quotidie Eucharistiam sumerent; Hieronymus *c* est testis: ad quam ipsam omnes pariter hortantur Ambrosius *d* & Augustinus *e*, reprehendentes infrequentem eiusmodi sumptionis vsum in plurimis Orientalibus Ecclesiis: nam & in nonnullis earum sæpius communicasse Fideles, ipse quoque Basilius *f* docet, & approbat. Sed vetus est hæc quæstio, de qua plures olim scripsisse idem Hieronymus *g* tradit; eaque in re seruandas ipse suadet locorum consuetudines à maioribus acceptas; sicut & Augustinus *h*, ac Chrysostomus *i*. Quod tamen nimium se negligentes ea in re plurimi ostenderent; idem Chrysostomus sæpius in eos inuehitur *k* acriter; qui quater, bisue, aut etiam semel duntaxat in anno id præstarent. Quamuis non ipse tantum, aut alii Orientalis Ecclesiæ Doctores, eiusmodi oscitantiam redarguerunt; sed & sacri canones *l* grauioribus pœnis eos affecere, qui ingressi ecclesiam sacram communionem non perciperent. Tradit autem Epiphan. *m*, Synaxes ab Apostolis ordinatas esse, vt fierent feria quarta, prosabbato, & Dominica, in quibus populi ad eas conuenientes communicarent. (Vnde & aliquando ipsum nomen *Synaxis* significare Eucharistiæ *n* celebrationem, adeoque ipsammet sacratissimã Eucharistiã, ex Patrum & Doctorum scriptis manifestum est.) Quo vero tantæ rei, & occultioris mysterii fides certior esset, probe testatum habetur à Patribus, frequentius accidisse vt qui indigne ad sumptionem Eucharistiæ accessissent, vel morte *o* Deo vindicante mulctarentur, vel à prauo dæmone *p* arriperentur, aliisue miserabilibus *q* cladibus afficerentur: secundum ea quæ de Corinthus Apostolus *r* scripsit, ideo multos illorum variis infirmitatibus fuisse vexatos, multosque etiam occubuisse; quòd indigne sumentes Corpus Domini, iudicium sibi manducarent. Sed cætera prosequamur.

DE FREQVENTI COMMVNIONE.

XLVI. DE ALIO CONSENTV ECCL.

Aliam insuper celebrandi Conuentus formam iisdem Corinthiis Paulus *s* præscripsit; quam ex Iudæorum conuentibus in Ecclesiam transfudisse, ac illos docuisse qui ex Gentibus ad Christum accederent, quales erant Corinthii, declarat Ambrosius *t*, constatque ex variis Scripturæ *u* locis, in quibus de eiusmodi Iudęorum conuentib: mentio habetur. At quoniam nouis charismatibus aucta fuit Ecclesia, iis etiam hunc Christianorum Conuentum Apostolus voluit illustrari: nimirum vt cum accepissent Linguarum munera, necnon datus illis esset sensus per Spiritum sanctum vt intelligerent Scripturas; eadem Spiritus dona ad ædificationem Ecclesię consummarentur, vt tunc linguis loquerentur cum qui interpretaretur adesset. Cæterum eiusmodi Conuentus celebrandi ritus, licet aliqua ex parte sit imminutus, nimirum in Linguarum munere; extant tamen hactenus signa quædam atq; vestigia *x* in Ecclesiastico Officio Matutino; necnon in Institutione *Congregationis Oratorii*; quæ nostra ætate à Beato *Philippo Nerio* Florentino Romæ erecta, in alias etiam prouincias est feliciter propagata.

DE INDIGNE SVMENTIBVS

Inter hæc autem cum *Cerinthus* *y* hæresiarcha, præter alios quos disseminabat errores, diceret Christum non surrexisse; & æque impius *Basilides* adderet, nullam futuram resurrectionem mortuorum: (quos Sanctus Ignatius *z* tacitis eorum nominibus, egregie suis coloribus de-

a *Anast. Sin. de sac. Synax.*

b *Ambr. 4. de Sacram. 5.* c *Tert. de spectat.* d *Ap. Euseb. l. 6. c. 35.* e *Cyr. catec. 5.* f *Tert. de idol. c. 7. Cypr. de lapsi. Orig. hõ. 13. in Ex. Eus. 6. hist. 33. Cyr. catech. ho 61. ad pop. Ant. & alii plures.* g *Sext. Syn. can. 102.* h *Aug. serm. 252. de temp.* i *Conc. Antis. c. 36. 38.* k *Ib c. 42.*

l *Tert. de monog. c. 11.* m *Tert. l. 1. & 2. ad vx. Cyp. de lapsi. & de spect. Cl. Ale. l. 1. Stro. Greg. Naz. or. in fu. Gorg. soror. Basil. epist. ad Cæsar. ap. Anast. Nic. lib. quæst. Hier. ep. 50. & alibi. Iustin. &c.* n *Coc. Cæsar. aug. c. 3.* ITEMQVE IN ITINERE.

o *Ambr. orat. in fun. Saty.* p *Greg. 3. dial. 36.* q *Ap. Sur. 14. Nouemb.* r *Ap. Euseb. 5. hist. 25.*

s *Conc. Turon. II. c. 3.*

t *Cyril. ep. ad Calosyr.*

u *Apost. can. 70. Conc. Antioch. c. 2.* x *Epiph. in comp. doctr.*

y *Epip. hær. 28.* z *Ignat. ep. ad Smyr. & ad Tral.*

a *Act. 2.* b *Cypr. de orat. Dom.* c *Hieron. ep. 28. & 50.* d *Ambr. 5. de sacram. 4.* e *Aug. de ser. Dom. in monte, l. 2. c. 7.* f *Basil. ep. ad Cæsar. Patri.* g *Hier. ep. 28.* h *Aug. ep. 118.* i *Chrys. ho. 27. in ep. ad Heb.* k *Id. ho. 61. ad pop. Antioch. & hõ. 5. in Ti.* l *Apost. can. 70. Conc. Antioch. c. 2.* m *Epiph. in comp. doctr.*

n *Vid. sup. an. 34. 16.* o *Pac. de pœn.* p *Dion. Areo. de eccl. hier. Cypr. de lapsi. Chrys. hom. 3. in 1. Tim.* q *Pac. & Chrys. ibid. 11. Cor 11.*

r *1. Cor. 14.* s *Ambr. in 1. Cor 14.* t *Luc. 4. Act. 13. & alibi.*

x *Docet hoc per singulas partes, Baron. Ann. Tom. 1. hoc nu. quem consulat qui eu cupit.*

y *Epip. hær. 28.* z *Ignat. ep. ad Smyr. & ad Tral.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

pinxit) his prouide Paulus *a* occurrens, Corinthios primum de Christi resurrectione, tam suo quam aliorum qui viderant testimonio instruit; ac demum de cęterorum *Mortuorum* RESVRRECTIONE copiosissime agens, cum ad eam probandam multis vtatur argumentis; suis quoque ipsorum factis eos qui ea negarent arguens, *Quid facient* (inquit) *qui baptizantur pro mortuis, si omnino mortui non resurgunt?* Tradit enim Epiphanius *b*, solitum apud Cerinthianos fuisse, vt cum aliqui eorum absq; baptismo decederent, alii pro ipsis in nomen ipsorum baptizarentur, ne in resurrectione pœnas darent, eo quod non accepissent baptismum. A quibus exemplum postea mutuati Marcionitæ (quod Tertullianus *c* & Chrysost. *d* referunt) arrepta occasione ex prædictis verbis Apostoli, quæ certum est ipsum de hæreticis, non de Catholicis dixisse; loco defuncti absq; baptismo catechumeni, viuentem quempiam illi profuturum, inepto ac plane scenico ludo, baptizare consueuerunt. Sicut & pariter Cataphrygas baptizasse mortuos, Philastrius *e* tradit. Sed sunt & aliæ de verbis Apostoli interpretationes, quas idem Chrysostomus *f*, eiusq; discipulus Isidorus *g* Pelusiota, & alii afferunt. Videntur porro siue iidem hæretici, siue alii eiusmodi, mortuis quoque Eucharistiam præbuisse, quippe vtriusq; erroris praxim prohibuit vno eodemque canone Concilium Carthaginiense *h* Tertium.

Quod autem in calce Epistolæ Paulus in salutatione sua manu apposita, in eos qui Christum non amarent pronunciauit ANATHEMA, MARANATHA: (quæ eadem verba sacræ Synodi, & in suis Ecclesiis Episcopi, cum diuini iudicii interminatione aliquid admonerent, suis ipsorum præceptis affigere consueuerunt:) cum vocem *Anathema i* constet esse ambiguam, & quandoque in bonam partem pro eo *k* quod certo loco appensum, & ex voto Deo oblatum, vel in eius templo dedicatum est, accipi; quandoque vero in malam, pro eo *l* quod à Deo seiunctum est per impietatem: quo sensu hic accipiat Paulus, habes à Chrysostomo *m*; nimirum pro homine ab omnium commercio segregato, ab omnibus alieno. Nam quemadmodum (vt ait) ad Anathema, hoc est donum Deo dicatum, ob reuerentiam nemo manus admouere, neque propius accedere audebat; sic è contrario ab eo qui ab Ecclesia abscissus erat, tanquam à Deo abalienato ob execrationem omnes penitus separabantur. At non certe hoc modo Paulus *n* orabat Anathema esse à Christo pro fratribus suis, ipsa nimirum gente Iudæorum. Sunt enim & adhuc alii eiusdem vocis sensus: vel vt idem importet quod *Maledictum o*, eaque significatione Paulus imitati voluerit Dominum, qui & ipse cum non esset maledictio, factus est maledictio: vel vt significet *Occisionem*, & ita voluerit Apostolus petite in carne vt alii saluarentur in spiritu, suumque sanguinem fundere vt multorum animæ conseruarentur.

MARANATHA vero vocabulum, Hieronymus *p* ait magis Syrum esse quã Hebraicum, & interpretari *Dominus noster venit*; sensu autem separato additum post *Anathema*, quasi ex anterioribus verbis de amore in Christum voluerit Apostolus inferre, superfluum esse aduersus eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse iam constet. At enim vocem illam additam potius existimamus, quod Hebræi cum proferrent damnationis sententiam, cum contestatione præsentis diuini iudicii ac punitionis facere consueuissent; vt certum reddirut tum aliis sacræ Scripturæ exemplis, tum Danielis *q* calumniatores senes condemnantis. Porro Anathemati proxima censura fuit *r*. CATATHEMA, quæ erat proprie eorum qui se sic damnatis coniungerent. Quod vero istiusmodi, aliæq; Hebræorum voces sunt in Ecclesiam illapsæ, & venerando vsu receptæ; de iis vide eundem (Hieronymum, & Augustinum *t*. Hicque tandem finis sit Prioris Pauli Epistolæ ad Corinthios.

Cum autem idem adhuc commoraretur Ephesi, narrat Lucas *u* quomodo in eum concitatæ sint turbæ per Demetrium quendam argentarium, aliosque eiusmodi opifices; qui cum ex factitiis Dianæ ædibus argenteis ingentem sibi pecuniæ vim compararent, timentes suo lucro quod audirent Paulum vbique prædicare non esse Deos qui manibus fierent, prætextu propugnandæ venerationis Magnæ Dianæ Ephesiorum, vniuersam ciuitatem commouerunt: quæ tandem sedata est breui, sed efficaci oratione Alexandri Iudæi, qua eos monuit vt si Paulus eiusque discipuli delictum aliquod perpetrassent, ageretur de iis apud Proconsules in conuentibus *a* forensibus; si vero de alia esset quæstio, nempe de religione, in legitima Ecclesia, nempe conuentu Iudæorum, causa tractaretur: egregia plane distinctione docens, quænam causæ ad forum, quænam ad Ecclesiam pertinerent. Cum enim ex Iudæis Christiana fides progenita videretur, quique Ephesi prædicarent genere Iudæi essent, Iudæorum conuentum Alexander & ipse Iudęus legitimam Ecclesiam nominauit. Iudæos enim habitantes Ephesi eiusdem ciuitatis municipes fuisse, & priuilegiis ciuium potiri solitos, Iosephus *b* est auctor.

Cæterum quas Lucas *Ædes Dianæ* argenteas vocat, nihil aliud fuisse existimamus, quam ipsas deæ statuas cum suis ædiculis seu loculamentis: quo sensu etiam apud Ciceronẽ in Verrẽ, Ædes Minervæ posita dicitur in fano Apollinis. Fuisse enim penes Gentiles in more, eiusmodi imagines votorum soluendorum causa in Deorum templis offerre, & appendere, multa etiam alia suppetunt antiquorum *c* testimonia: quemadmodum & qui naufragio liberati fuissent, tabulas *d* rem ipsam repræsentantes iisdem fanis suspendere consueuerant. Et de Philistæis testatur Scriptura *e*, ad auertendam plagam per mures & vlcera diuinitus illatam, fecisse mures & anos aureos, eosque delicti expiandi causa apud Arcam fœderis in capsella posuisse. Quod autem pertinet ad Dianæ Ephesiæ templum; quantæ ipsum esset apud omnes gentes existimationis, vel ex eo intelligi potest, quod (vt ait Dio *f* Chrysostomus) non solum Ephesiorum, sed & hospitum, & hominum vndiquaque venientium, immo & populorum, ac Regum, securitatis gratia pecuniæ in eo deponi solerent; nemine vnquam ausso inferre ei iniuriam, tametsi plurima bella gesta sint, ciuitasque fuerit sæpius capta. Adnumerabatur ipsum inter septem Orbis Miracula; quod (vt tradit Plinius *g*) ducentis viginti annis factum esset à tota Asia magnificentia admirabili, longitudine 425. pedum, latitudine 220. columnisq; 127. à singulis Regibus factis sexaginta pedum altitudine, ex iis 36. cælatis: cætera vero eius ornamenta plutium librorum instar obtinerent. Simulachrum autem Dianæ alii ex ebeno compactum tradiderunt, alii virgineum. Sed tantæ molis templum, sub Gallieno (vt auctor est Iulius Capitolinus) instuadentibus Gothis Asiam, direptum est penitus & incensum: quod etiam post nouẽ ab hinc annos ab ipso Nerone Imperatore, sub quo istæ in Paulum excitatæ sunt turbæ, vna cum omnibus aliis Asiæ *h* & Achaiæ, ipsiusque etiam Vrbis Romæ templis, fuit donis omnibus atq; ornamentis, adeoq; ipsis numinum simulacris spoliatum.

Postquam autem sedatus est tumultus Ephesiorum, (inquit Lucas *i*) vocatis Paulus discipulis, exhortatus est eos, ac valedixit, profectus q; est in Macedoniam. Quod quidẽ hoc ipso anno post Pentecosten accidisse, declaratur ex prędicta ad Corinthios *k* epistola. Quamuis enim ipse Paulus apud Lucam *l* asserat, se triennium Ephesi commoratum esse; (quo eum accessisse vidimus anno Christi quinquagesimo quinto) tamen non sic intelligendus est vt tribus integris annis ibi permãserit; sed (quod ex ipsius Lucæ *m* narratione colligitur) duobus impletis annis, ac tribus insuper mensibus; quibus docuit tam in Synagoga, quam in schola Tyranni. Recedentem autẽ Epheso reliquisse illic TIMOTHEVM discipulum amantissimum, vt eius Ecclesiæ curam gereret, ipsemet testatur priori *n* ad eum scripta Epistola. Creasse quoq; eundem Episcopum Ephesi, auctor est Eusebius *o*, qui ait Timotheum primum omnium obtinuisse Episcopatum Ecclesiæ Ephesinæ. Sane quidem fuisse iam ordinatum Episcopum, cum ad eum Paulus eam scripsit Epistolam, nulla est dubitatio; quandoquidem quæ essent Episcopi munera, ab eo illic exercenda *p* requirit. Ex quib. omnibus, sicut & aliis quæ dicta sunt superius *q* de Ioanne Apostolo, satis constat eos fuisse illos, qui tradiderunt Timotheum

a 1. *Cor.* 15. RESVRRECTIO ADVERSVS HÆRETICOS ASSERTA.
b *Epip. hær.* 28. QVI BAPTIZARENT PRO MORTVIS.
c *Tert. 5. cont. Marcion.* 10.
d *Chrys. hom.* 40. *in* 1. *Cor.*
e *Philast. c.* 50
f *Chrys. ibid.*
g *Isid. Pelus.* l. *ep.* 221.
h *Conc. Cart.* III. *c.* 5.
XLVIII. DE VOCE ANATHEMA.
i *Chrys. hom. de Anathem.*
k *Chrys. ho.* 1. *in Isa. & ho.* 16. *ad Rom. Iustin. mart. lib. quæst. & resp. q.* 101.
l *Sæpe in sacra Script. & adde Iust. vbi supr.*
m *Chrys. ho.* 16. *ad Rom.*
n *Rom* 9.
o *Zach.* 14. *& ibi Hier. ac Iustus ep. ad Alg.* 151. *q.* 9.
XLIX. DE VOCE MARANATHA.
p *Hier. ep.* 137. *ad Marcel.*
q *Dan.* 13. *Ap. Iustin. q.* 121.
r *Hier. ep.* 137.
s *August. de doctr. Chr.* 11.
L. PAVLVS EXAGITATVR AB ARGENTARIIS
u *Act.* 19.

a *De istiusmodi Conuentib. Forensibus, tũ ab Asiaticis ad imitationẽ Græcorum, quam à Romanis in prouinciis, iterumq; à Iudæis ad diuinandas tendentiũ causas statutis diebus celebrari solitis, vide, si cupis, Bar. Annal. tom.* 1. *hoc an.* 57. *ad hãc locũ Actorũ. Nobis enim nõ licet singulis eiusmodi tractationib. diutius immorari.*
b *Ios. l.* 1. *cont. Apion.*
LI. DE ÆDICVLIS ET IMAGINIBVS DIANÆ.
c *Luci. in Alex. Dio. Chrys. in Rhodiac. & alii.*
d *Cic. de nat. deor. l.* 3. *Hor. carm. l.* 1. *ad Pyr. & alii.*
e 1. *Reg.* 6.
DE TEMPLO DIANÆ EPHESIÆ.
f *Dio Chrys. Rhod. orat.* 35.
g *Plin. lib.* 36. *c.* 14. *& l.* 16. *c.* 40.
h *Tac. l.* 15.
LII. PAVLVS REDIT EPHESO.
i *Act.* 20.
k 1 *Cor.* 16.
l *Act.* 20.
m *Act.* 19.
n 1. *Tim.* 1.
o *Eus.* 3. *hist.* 4
TIMOTHEVS FACTVS EPISCOPVS EPHESI.
p 1. *Tim.* 5.
q *An.* 44. *n.* 11.
LIII.

SADUR ESG 1 kN 2180 1 SADUR
Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

theum post hæc successisse in Episcopatu Ephesino eidem Ioanni.

LIII. EPISTOLA PRIMA AD TIMOTH.

Porro cum Paulus esset in Macedonia, eandem PRIMAM ad Timotheum scripsisse EPISTOLAM, tum ex iam dictis euidenter apparet, tum etiam Patres *a* affirmant. Nec enim est quod de Pauli priori in Macedoniã aduentu possit intelligi, quod nondum ad illud tempus Euangeliũ Ephesiis prædicasset. Cum a. multa ea Epistola Timotheum admoneat, inter alia docet *b* aliquos in errorem esse lapsos dum Fidei non coniungerent bona Opera; ex quibus erant *Hymenæus & Alexander*, quos ait *se tradidisse Satanæ, vt discerent non blasphemare.* Quænam vero fuerit illorum blasphemia cum non aperiat, Timotheo notam fuisse, iure Theodoretus *c* existimauit; ac proinde hæc ipsa Ephesi, vbi Paulus triennio fuit, contigisse.

a *Athan. in Synop. Theodor. præf. in Epist. Pauli & alii.*
b 1. *Tim.* 1.
c *Theodor. in* 1. *Tim.* 1.

LIV. HÆRETICI PROHIBENTES NVBERE ET DOCENTES ABSTINERE A CIBIS.

At non de his tantum qui iam emersissent hæretici, Timotheum Paulus admonuit; sed & alios venturos esse præmonuit, qui *prohiberent nubere, & docerent abstinere à cibis.* Quinam autem fuerint eiusmodi, sententia est Chrysostomi *d*, & aliorum, fuisse *Encratitas, Marcionitas, & Manichæos.* Verum ante hos, ipsis etiam Apostolorum temporibus, qui & nuptias damnarent, & quosdam cibos detestandos putarent, hæreticos produisse, testis est qui tunc viuebat Ignatius *e*. Hos vero fuisse *Saturninum*, eiusque gregales, Irenæus *f* docet. Eosdemque signatos esse ab Apostolo, nulla est dubitatio. Ipse enim Saturninus primus fuit (inquit Theodoretus *g*) qui matrimonium diaboli doctrinam nominauit, iuberetque abstinere ab animatis. Docuisse & hæc ipsa *Ebionem*, tradit Epiphanius *h*: aduersus quem etiam scripsit idem Ignatius *i*. Nec quenquam moueat, si *nouissimis temporibus* hæc obuentura fore testetur Apostolus: nam Nouissimum hoc tempus, quod extenditur ab aduentu Christi vsque ad vltimum iudicium, tum ipse Dominus *k*, tum idem Paulus *l*, atque Ioannes *m* aperte significarunt. Quinimo quotquot recens emergerent hæretici, eosdem tam ipsi Apostoli, quam reliqui discipuli, ac deniq; omnes Christiani credebant Antichristos, ac proinde interitum iam instare; vt ex variis eorundem Pauli & Ioannis, sed & Petri ac Iacobi, nec non Ignatii epistolarum locis, apertissime constat: quippe quod secreto diuini consilii arbitrio, & vt omnes sedulo continerentur in officio: de die illo vel hora (vt ait ipse Dominus *n*) noluit Deus vt aliquis sciret, neq; Angeli in cœlo.

c *Theodor. in* 1. *Tim.* 1.
d *Chrys. h.* 12. *in* 1. *Tim. Ambros. in eand. Epist. & alii recent.*
e *Ign. ep. ad Philadel. & ep. ad Heron.*
f *Irē. l.* 1. *c.* 22.
g *Theodor. hær. fab. lib.* 2.
h *Epip. hær.* 28
i *Ignat. ep. ad Philad.*
k *Ioan.* 5. 11. *Thess.* 4. m 1. *Ioan.* 1.
n *Marc.* 13.

LV. DE CIBORVM DELECTV.

Quapropter cum luce clarius exploratum habeatur, quas hæreses, quosue hæreticos Paulus demonstrauerit; ex his patet quam impie simul atque inepte Nouatores hæretici iisdem ipsius verbis abutantur in fugillationem Catholicæ veritatis, quæ CÆLIBATVM nuptiis superextollit, & IEIVNIÁ commendat. Non sic enim, vt dicti hæretici, Ecclesia laudat Virginitatem, vt Nuptias vituperet, aut quorundam ciborum certis temporib. prædicat abstinentiam, vt eos abominandos existimet. Non, inquam, illum commendat ac sequitur CIBORVM DELECTVM, quem falsa ex causa Pythagoras excogitauit, vel Ægyptii inuenerunt; nec quem lege diuina olim ad statutum tempus præscriptum, post indeiam rancidum superstitio ministrauit: sed quem Deus tam in priori, quam in posteriori Instrumento probasse cognoscitur in Rechabitis *o* & in Ioanne Baptista *p*; quemque Romanis *q* commendauit Paulus, cum adeo peculiare esset in illa primitiua Ecclesia florentissima, carnes non manducare, & vinum non bibere, vt quãtumlibet Fideles vti eis legitime possent, tamen vt rem insolitam admirati pleriq; offenderentur; cuius scandali aliquam habendam esse rationem mandat Apostolus iisdem Romanis.

o *Hierem.* 35.
p *Luc.* 7.
q *Rom.* 14.

LVI. APOSTOLORVM ABSTINENTIA.

Temperasse quidem à carne & vino Apostolos, multa possunt exempla proferri. Id enim de Petro facile persuadet Gregorius *r* Nazianzenus, dum scribit ipsum lupinis famem pellere consueuisse. Et Iacobum fratrem Domini nec carnes vnquam in cibum, nec vinum in potum adhibere solitum, Hegesippus *s* affirmat. Itemque Matthæum à carnibus abstinuisse, asserit Clemens *t* Alexandrinus: ac Timotheum haud vinum bibisse, satis indicat Paulus *u*. Deniq; & ipsum Paulum abstemium fuisse, videbitur anno sequenti. Deficeret vero dies, si omnium Sanctorum, quorum vita & mors est egregiis illustrata miraculis, vellemus hic de delectu ciborum exempla contexere, vel catalogum eorum qui eundem præclaris elogiis, aut etiam commentariis illustrarunt recensere. Illud tantum constanter asserimus, neminem reperiri veterum Patrum Catholicæ fidei professorem, qui cum de ea re inciderit sermo, non solum non fuerit eiusmodi Ecclesiastici ritus firmus assertor, sed & fidelis sectator.

r *Gr. Naz. or. de amor. pauper.*
s *Ap. Euseb.* 2. *hist.* 22.
t *Clem. Alex.* 2. *pædag.* 1.
u 1. *Tim.* 5.

LVII. DECRETVM DIERVM IEIVNII.

Certorum quoque temporum Apostolica auctoritate ad Ieiunandum Christianis præscriptorum, quamplurima supperunt testimonia. Et vt omittamus conscriptum Apostolicum *a* Canonem, & à Clemente *b* recensitam Apostolicam constitutionem, (ne inniti videamur apocryphis, licet iam passim receptis) Ignatius Apostolorum contemporaneus, de cuius epistolis nulla fuit dubitatio, sollicite commendat *c* Ieiunium QVADRAGESIMÆ. Quod quidem non solum esse Apostolicam institutionem, in confesso *d* semper in Ecclesia fuit; sed & Theophilus *e* Alexandrinus ex ipsa etiam Euangelica traditione sibi vendicat: & longe ante eum Tertullianus *f* asseruit; Ecclesiam Catholicam profiteri solitam Ieiunium Quadragesimæ, (quod ipse appellat Paschatis) tam ex Scriptura, quam ex traditione maiorum esse præscriptum; eumque plura alia essent voluntaria, hoc ex imperio inuiolabiliter obseruandum fuisse. Vnde & Origenes *g* ait, *Quadragesimæ dies esse ieiuniis consecratos*: ac testatur Basilius *h*, illud ipsum Ieiunium solitum esse denunciari *per vniuersum Orbem terrarum, nec vlla* (inquit) *est insula, nec terra continens, non ciuitas, non gens vlla, non extremus mundi angulus, vbi non sit auditum Ieiunii edictum: quin & exercitus, & viatores, & nauta, & negotiatores omnes pariter audiunt edictum, & summo gaudio excipiũt.* Quare quod ita sacrosanctum & inuiolabile in Ecclesia haberetur, Gregor. *i* Nazianz. illud appellat *diuinam legem*. Et Augustinus *k* agens de isto *legitimo* (vt vocat) *& sacratissimo tempore, Aliis*, inquit, *diebus ieiunare remedium est, aut præmium; in Quadragesima non ieiunare peccatum est: alio tempore qui ieiunat, accipit indulgentiam; in Quadragesima qui non ieiunat, sentiet pœnam.* Ideoque maiori cæteris ieiuniis obseruantia celebrandum esse, Hieronymus *l* tradit; qui nec infirmam ætatem ab eo immunem esse passus est. Et alibi *m* ait, Aselam sanctissimam virginem, cum per omnem annum iugi ieiunio pasceretur, biduo triduoque sic permanens, tum vero in Quadragesima omnes pene hebdomadas coniunxisse. Nec id quidem notum, licet mirum. Nam de Christianis testatur Lucianus *n*, sic solitos esse seruare ieiunium, vt decem soles sine cibo transigerent. Et Gregorius *o* Nazianzenus de habitantibus Ponticam solitudinem monachis scribit, complures à cibo abstinere consueuisse totos viginti dies totidemque noctes. Aliosque Augustinus *p* se nouisse tradit, qui vltra hebdomadam perpetuum seruassent ieiunium; immo & ad ipsum quadragenarium numerum peruenisse quendam, à fratribus fide dignis se accepisse.

a *Can. Apost.* 68.
b *Cl. 5. Const.* 13
c *Ign. ep. ad Philip.*
d *Hier. ep.* 54. *ad Marcel. Leo ser.* 4. 6. 9. *de Quadrag.*
e *Theoph. ep.* 1. *Pasch. in fi.*
f *Tert. aduer. Psych. c.* 13
g *Orig. hom.* 10. *in Leuit.*
h *Basil. or.* 2. *de ieiun.*
i *Gr. Naz. ep.* 74. *ad Eliam*
k *Aug. ser.* 62. *de temp.*
l *Hier. ep.* 7. *ad Lat. ep.* 22. *ad Eustoch.*
m *Id. ep.* 15. *ad Marcel.*
n *Lucian. in Philop.*
o *Gr. Naz. ad Hellen.*
p *Aug. ep.* 86. *ad Casul.*

LVIII. ET DIVERSOS VSVS.

At vero non vna erat eademque omnium in numero dierum Quadragesimalis obseruatio. Longe enim pauciores dies quosdam ieiunasse, quos tamen Ecclesia toleraret, testantur Irenæus *q* & Augustinus *r*. Rursumque diuersas fuisse diuersarum Ecclesiarum consuetudines, vt aliæ sex, aliæ septem, aliæ tantummodo tres ante Pascha hebdomadas ieiunarent, Sozomenus *s* est auctor. Porro in Ecclesia Orientali Sabbatum, æque ac Dominicam, à ieiunio Quadragesimæ excipiebant: idq; ipsum in Occidente seruasse olim Ecclesiam Mediolanensem testis est Ambrosius *t*; qua vero ratione, dicetur paulo post. Rursus etiam in eadem Ecclesia Mediolanensi obseruandum Ambrosius *u* admonuit, vt integri dies quadraginta duo à Fidelibus ieiunio transigerentur; quod videl. totidem stationibus, seu mansionibus, populus Israel à captiuitate Ægyptia ad terram promissionis peruenisset. In Ecclesia Romana eadem ratio habebatur, dum quadraginta duos dies Quadragesima contineret: sed ex eis triginta sex tantum ieiunabatur, quod sex dies Dominicæ abstinentiæ subtraherentur, & quod eo dierum numero (vt notat Gregorius *x* Magnus) quasi anni nostri decimæ Deo persoluerentur. At eiusmodi vsus alia itidem immutatus est ratione, dum

q *Ap. Euseb.* 5. *hist.* 24.
r *Aug. ep.* 118. *cap.* 4.
s *Soz. l.* 7. *c.* 19.
t *Ambr. de Elia & Ieiun.*
u *Id. ser* 34. *de Quadrag.*
x *Greg. hom.* 16. *in Euang.*

ad explendum numerum quadraginta dierum ieiunii, quatuor ex septima hebdomada dies ad ieiunandum sunt coagmentati, scilicet vt consecratum ieiunio Domini tempus ab omnibus seruaretur. Ex quibus manifesti erroris arguitur Socrates *a*, dum ait Romæ tres tantum septimanas ieiunari solitum ante Pascha. Deniq; licet de his diuersę fuerint Ecclesiarum consuetudines; omnes tamen in id ipsum consenserunt, vt certa anni tempora quæ sanctum Pascha præcurrunt, ieiuniis celebrarent. Haud vero lædi fidem diuersa consuetudine, Hieronymus *b*, Augustinus *c*, & Gregorius *d* docuere.

a Socr. 5. hist. 22

b Hier. ep. 28. in fin.
c Aug. ep. 118. ad Ianuar.
d Greg. 1. ep. 41. ad Leand.

LIX. DE IEIVNIIS QVARTÆ ET SEXTÆ FERIÆ.

His de Quadragesima dictis, iam de Apostolica itidem traditione *Ieiunii Quartarum & Sextarum Feriarum* totius anni, agendum videretur. Sed quia satis de eo dictum est superius in Passione Domini, hic ea repetere abstinemus. Qua autem hora solueretur Ieiunium, Tertullianus *e* ait cætera produci soluta vsque ad Vesperam; quarta vero & sexta feria tantummodo vsque ad Nonam. Sed quod tradit, Ecclesiam Romanam cætera quoque produxisse tantum vsq; ad Nonam; Montani spiritu hæc dicere visus est: nam etsi in aliorum temporum ieiuniis idem Romæ quod in aliis locis obseruatur, in Quadragesima tamen non nisi vespere solui consueuisse, tradunt hi *f* qui Ecclesiasticas obseruationes quæ Romæ potissimum vigerent, memoriæ commendarunt.

e Tert. aduer. Psych. c. 10. HORA SOLVENDI IEIVNII.
f Microl. 49. & alii.

LX. DE IEIVNIO SABBATI.

Cæterum vetus est illa quæstio, de qua (vt ait Hieronymus *g*) plerique nobiles Scriptores commentarios ediderę: Cur Romæ, ac nonnullis aliis locis Ecclesiæ Occidentalis, cæteris *Ieiunii* diebus additus esset dies SABBATI, cum teste Ignatio *h*, alibique, illud Orientalis Ecclesia execrata esse videatur ab ipsis rerum Christianarum primordiis; excepto tantummodo sabbato ante Pascha. At vero fuit ratio diuersitatis, quod cum multi eo tempore reperirentur in Oriente hæretici, qui Deum Hebræorum, Orbis conditorem & Legis auctorem, malum esse, Christumq; ad eum destruendum venisse dicerent; atque adeo, quod Deus ille quieuisset die septima, & in eius honorem Iudæi sabbatum colerent, ipsi contra in eius contumeliam ea die ieiunare elegissent: (horum originem à Simone Mago semel exortam, in Menandrum, Saturninum, Basilidem, Cerinthum; atque Carpocratem, qui omnes Ignatii vixere temporibus, esse infeliciter propagatam; eorundemq; impietatis postea hæredem factum esse Cerdonem, huicq; Marcionem successisse; tum alii plures, tum latius Epiphanius *i* docet.) ea, inquam, de causa Orthodoxi Orientales, penes quos illa inualescebat hæresis, non solum à sabbati ieiunio temperarunt, sed etiam in maiorem eorundem hæreticorum detestationem consueuerunt *k* eum diem festum agere, sacrosque conuentus perinde ac ipsa die Dominica habere. Et id non quidem Iudaice, sicut Ebionæi *l*; sed pie ac religiose, vt Deum Patrem omnium, creatorem cæli ac terræ, solenni cultu venerarentur, quem hæretici execrarentur.

g Hier. ep. 28. ad Lucin.
h Ignat. ep. ad Philip. cum Apost. Clem. 7. Constit. 24.

i Epiph. hær. 1. 21. 23. 14. 27. 28. 41. 42.

k Clem. 7. Const. 24. Greg. Nyss. ora aduers. eos qui agere sol. reprehend. Anast. Nic. q. 77. Socr. l. 6. c. 8. & alii. Ap. Euseb. 3. hist. 22.

Cur vero in Occidente, ac potissimũ Romæ Fideles eo die ieiunarent, hæc ab Augustino *m* ex quorundam sententia, necnon Cassiano *n* ratio redditur, quod Petrus Apostolus cum Simone Mago die Dominico certaturus, propter ipsum periculum pridie vna cum eiusdem Vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consecuto tam prospero successu eundem postea morem tenuerit. At Innocentius *o* Romanus Pontifex eam eius rei causam adfert, quod die sabbati æque ac feria sexta Passionis Dominicæ, Apostoli & in mœrore fuerint, & propter metum Iudæorum se occuluerint, atque haud dubium toto illo biduo ieiunauerint. Ex his porro patentis mendacii arguuntur Socrates *p*, & Canon *q* suppositititius Sextæ Synodi; dum ille ait, Romæ in Quadragesima ieiunare solitos Fideles, sabbato excepto atque Dominica; iste vero, proscriptum esse à Romana etiam Ecclesia ieiunium sabbati. Cæterum sunt etiam de eiusdem diei ieiunio canones Concilii Eliberini *r*, & Agathensis *s*, multaq; Patrum *t* testimonia, quibus constat in pleris que aliis Occidentalib. Ecclesiis solitum fuisse illud obseruari. Verum de his consulti Hieronymus *u*, Ambros. & August. in eandem pariter conspirarunt sententiam, cuiusque Ecclesiæ seruandam esse consuetudinem. Itaque abundet (quod ait Hieronymus) in his vnaquæque prouincia in suo sensu; & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur.

l Cle. 7. Const. 24. Greg. Nyss. ora aduers. eos qui agere sol. reprehend. Anast. Nic. q. 77. Socr. l. 6. c. 8. & alii. Ap. Euseb. 3. hist. 22.

m Aug. ep. 86. ad Casul. n Cass. Coll. 3. c. 10. Innoc. ep. ad Decent. c. 4.

o Soc. l. 5. c. 22. p Sext. Sy. c. 55 Conc. Elib. c. 26. q Conc. Antioch. c. 12. r Hier. ep. 97. ad Aug. & Aug. ep. 86. & 118. s Hier. ep. 28. Ambr. ep. Aug. ep. 86. Aug. dd. epp.

Præter hæc sunt insuper QVATVOR ANNI TEMPORVM Ieiunia, nempe Veris in Quadragesima, Æstatis in Pentecoste, Autumni mense Septembri, & Hyemis Decembri; quæ sic per totius anni circulum (inquit S. Leo *a*) distributa sunt, vt lex abstinentiæ omnib. sit adscripta temporibus. Eadem vero ex doctrina S. Spiritus, & Apostolica institutione sumpsisse principium, idem auctor absque vlla dubitatione confirmat: non autem à Callisto Papa, vt alii tradiderunt; nam iste siqua de his scripsit, edito decreto firmauit quæ à maioribus ex traditione perceperat. Ac licet nonnihil cum legalibus hæc videantur habere commune, tamen eorum quæ ad optimos mores instituendos pertinere visa essent, nonnulla iure laudabiliterque esse mutuatos Apostolos, idem Leo docet: Cum & alioqui apud Hebræos *b* ea peragerentur quarto, quinto, septimo, & decimo mense. Porro eadem Quatuor Temporum ieiunia celebrari quoque solita in Ecclesia Orientali, Athanasius *c* monstrasse videtur, dum agit de ieiunio post Pentecosten.

CONSVETVDO ECCLESIARVM SERVANDA.

LXII.

a Leo in ieiun. mens. sept. ser. 7. & 9. & in ieiun. mens. dec. ser. 4. & 8. DE IEIVNIO QVATVOR TEMPORVM.

b Zachar. 8.

c Athan. Apol. de fuga sua.

Inolenit quoque antiquissimus in Ecclesia mos, vt siue essent Concilia celebranda, siue aliqua vrgens afflictio immineret, vel alio modo necessitas postularet; vnusquisque Episcopus suo populo peculiaria quædam ex animi arbitrio indiceret obseruanda Ieiunia. Qua de re est egregium apud Tertullianum (vt prætermittamus Canones de his statutos, & exempla quamplurima) monumentum, dum Montani iam factus assecla, agens aduersus Psychicos *d*, hoc est Catholicos, qui in his Catholicæ Ecclesiæ mores essent significauit; conatus eo exemplo noua à Montano constituta ieiunia validare, de quibus agetur suo loco. Porro quod ad hæc per homines indicta Ieiunia spectat; quantum illis Deus fauere visus sit, vt etiam miraculis maximis editis comprobarit, testis est Irenæus *e*. Sed iam de iis satis.

LXIII. IEIVNIA QVÆDAM ARBITRIO EPISCOPORVM.

d Tert aduer. Psych. c. 13.

e Iren. l. 2. c. 57

Cum autem Paulus Apostolus magnam huius anni partem insumpsisset in Macedonia illas confirmans Ecclesias, inde venisse in Græciam scribit Lucas *f*: Verum non pedestri itinere, sed vsus nauigatione, vt puto. Nam per Ægeũ mare Cycladas adnauigans peruenit Cretam, ac ibi reliquit TITVM, alterum discipulum amantissimum. Id enim agnoscitur ex epistola ad eundem *g* anno sequenti scripta. Fuisse vero eundem Titum à Paulo ordinatum Cretensem Episcopum, in confesso est apud omnes; licet & alii, senserint non Cretæ solum, sed & aliarum eiusdem pelagi adiacentium Insularum illi esse curam ab Apostolo demandatam: quin & ipsius Pauli testimonio *h* compertum habetur, postea & in Dalmatiam eundem Titum Euangelii causa profectum esse.

LXIV. PAVLVS VENIT IN GRÆCIAM.

f Act. 20.

g Tit. 1. TITVS CRETENSIS EPISCOPVS CRETÆ.

h 2. Tim. 4.

IESV CHRISTI AN. 58.

PETRI AN. 14.

NERONIS IMP. AN. 2.

ANNO Christi quinquagesimo octauo, Q. Volusio *i* & P. Cornelio Scipione Coss. Paulus Apostolus, cum (vt dictum est) peruenisset in Græciã, & Euangelium prędicare pararet cęteris gentibus quæ vsq; ad Illyricum interiacerent; Titum, quem in Creta reliquerat, scripta ad eum EPISTOLA monuit *k* vt festinaret ad se venire Nicopolim, quæ est ciuitas iuxta sinum Ambracium posita in prouincia Acarnaniæ, qua terminatur Epirus à Græcia per Achelooum flumen diuisa. Inde vero putarunt nonnulli, ibidem Nicopoli datam esse à Paulo eam Epistolam: verum cum dicat se ibi statuisse hiemare, nondum eo peruenisse declarare videtur.

I. *i Tac. lib. 13.* PAVLI EPISTOLA AD TITVM.

k Tit. 3.

Scribens igitur Paulus ad Titum, illud primum admonuit,

II.

monuit, cuius rei causa eum reliquisset Cretæ, nimirum vt quæ essent corrigenda corrigeret, constitueretque per ciuitates presbyteros. Cum vero quales esse deberent eiusmodi presbyteri describat, mox que eosdem Episcopos nominet; inde Ioannes *a* Chrysostomus existimauit non de communibus quibusque presbyteris, sed de Episcopis Paulum Tito mandasse. Eademque occasione, & aliis eiusmodi Apostoli testimoniis, *b* quibus Presbyterorum & Episcoporum appellatio communis esse videtur, nec non Petri *c* ac Ioannis *d* Apostolorum, qui æque se presbyteros nominant, sæpe Hieronymus *e* eam sententiam firmasse videtur, vt olim his coalescentis Ecclesiæ primordiis, idem esset PRESBYTER qui & EPISCOPVS, & consuetudine potius quam Dominica institutione factum, vt occasione tollendi atque vitandi schismatis inter presbyteros, vni ex ipsis cæteri omnes parerent, quem Episcopum nominarent. Quod vero ex his male intellectis, occasionem Nouatores arripuerint Episcopali dignitati detrahendi, rursumque alii *f* nimis temerarii, licet Catholici, eadem causa Hieronymo, aliisque nonnullis sanctis Patribus, Aerianismum impingere non sint veriti, ex instituto de his paulo attentius est nobis differendum.

a *Chrys. hom. 2. in Tit.*
b *Act. 20. Phil. 1. 1. Tim. 3. & 4.*
DE EPISCOPIS ET PRESBYTERIS.
c *1. Pet. 5.*
d *2. & 3. Ioan.*
e *Hier. in Tit. 1. in Agg. 2. ep. 85. ad Euagr.*
f *Mich. Med. de sacr. hom. orig. c. 5.*

III.
SENTENTIA S. HIERONYMI.

Et vt imprimis tantum Ecclesiæ Doctorem, & in eo cæteros, à calumnia liberemus; Aerium hæresiarcham *g* constat ita Presbyterum cum Episcopo confudisse, vt nihil inter eos differre, neque ordine, neque honore, neque dignitate, quin etiam presbyterum æque ac Episcopum in throno sedere, & (quod maius est) manus imponere posse assereret. At vero Hieronymus eodem ipso loco *h* quo huiusmodi quæstionem fusius pertractauit, diserte fatetur longe maiori dignitate sublimem etiam in sedendo esse Episcopum, ampliorique auctum officio in manus impositione, vt illius tantum, non etiam presbyteri sit Ordinatio. Et iterum affirmat, *i* sicut ab Aaron cæteri differebant sacerdotes, ita in Ecclesia eodem gradu ab Episcopis differre presbyteros: ac rursum, *k* illam etiam manus impositionem, qua baptizati recipiunt Spiritum sanctum; concessam esse solis Episcopis, negatam vero presbyteris: Neque id post obortа tantummodo schismata, (vt alias asseruisse videbatur) sed *ex ea*, vt ait, *auctoritate, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit.* Deinde ii (quod ipse Hieronymus *l* sæpius testatur, omniumque Orthodoxorum sententia receptum est) loco Apostolorū successerunt Episcopi, eadem certe est origo & dignitas Episcopatus, q̄ est etiam Apostolatus. At sicut in cōfesso est apud omnes, dignitatē Apostolicam esse à Christo Domino institutam, id testantibus Euangelistis: ita quæ in illam successit dignitas Episcopalis, non iam ab hominibus, vel cuiusuis occasionis obortæ consuetudine, sed ab ipsa Dominica institutione promanasse dicenda est.

g *Epip. hær. 75*
h *Hier. ep. 85. ad Euagr.*
i *Id. ep. 2. & 85.*
k *Id. adu. Luc*
l *Hier. ep. 1. 54 85. Cum Mic. 2*
EPISCOPI SVCCESSORES APOSTOLORVM.

IV.
Cum igitur de re ipsa constet, an vero ipsum nomen dicemus recens introductum? Immo cum S. Petrus *m* quod in Psalmis *n* scriptum erat de Episcopatu, hoc ad Iudæ Apostolatum esse referendum intulit, plane constat Matthiam, qui in Iudæ Episcopatum subrogatus est, æque esse dictum Episcopum sicut Apostolum, eodemque modo & cæteros Apostolos, quod vna esset omnium dignitas atque potestas: ac tunc præsertim cum ipsi alicuius ciuitatis Ecclesiam, in qua Episcopales functiones exercerent, administrandam susciperent: quemadmodum idem ipse Hieronymus *o* scribit, Iacobum Apostolum statim post Ascensionem Domini esse ordinatum Hierosolymorum Episcopum. Sicut autem Apostoli dicti reperiuntur Episcopi, ita qui in Ecclesiis præficiebantur Episcopi, eosdem nominatos esse Apostolos non solum extant in sacris literis *p* exempla de Epaphrodito, Andronico & Iunia, aliisque, sed etiam frequentia in scriptis sanctorum Patrum. Et secundum eamdem analogiam, quod & Presbyteri præfecti essent Fidelium curæ iidem etiam ea ex parte dicti reperiuntur Episcopi: itemque quod Episcopi eligerentur ex presbyterorum collegio, iidem nominati sunt Presbyteri: ac denique quod & ipsi Apostoli æque essent presbyteri, & diaconi, eadem quoque appellatione sunt aliquando nuncupati: vt de his omnibus constat ex iis Scripturæ locis, quos superius notauimus. Cæterum re ipsa distinctos fuisse omnino

m *Act. 1.*
n *Psal. 108.*
EPISCOPORVM, APOSTOLORVM, ET PRESBYTERORVM, CONFVSA NOMINA.
o *Hier. de Scrip. Eccl. in Iacob.*
p *Phil. 2. Rom. 16. 2. Cor. 8.*

Presbyteros, & Diaconos, ab ipsis Apostolis, Lucas *a* satis superque declarat, dum sæpius Seniores distincte coniungit Apostolis, & Diaconos seperatim ab ipsis Apostolis cōsecratos esse scribit. Porro quos *Seniores* dicit, eosdem fuisse Presbyteros, non tantum nomen, sed & res ipsa demonstrat. Cum enim (quod scribit idem Hieronymus) *b* constet Institutiones Apostolicas sumptas esse de Veteri Testamēto, & quod Aaron & Filii eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc Episcopi, Presbyteri, atque Diaconi essent in Ecclesia: sicut cum Dominus Septuaginta duos Discipulos *c* delegit post Apostolos, formam illam repræsentasse visus est, qua Moyses *d* septuaginta duos iussu Dei Seniores instituit: ita etiam septuaginta duos illos Discipulos, nominatos esse Seniores, itemque Presbyteros, ratio persuadet, quæ & rata habetur Patrum omnium sententia, affirmantium eos quos vocamus Presbyteros, illos esse quos numero præscripto delectos vsus loquendi Discipulos nominauit, cum alioqui & Christiani omnes (vt Acta testantur) Discipuli dicerentur. At quemadmodum apud Iudæos, Apostolorum *e* etiam temporibus pristina illa vigebat consuetudo, vt Seniores vna cum Principibus Sacerdotum in Concilium conuenirent, sic & ab Apostolis *f* primis temporibus seruatum esse constat, vt Seniores ad Concilium admitterentur.

a *Act. 6. 15. 16. &c.*
b *Hier. ep 85.*
c *Luc. 10.*
d *Num. 11.*
e *Matt. 14. 27. 28. Luc. 10. 22. Act. 4. 11.*
f *Act. 15.*

V.

Quod igitur par esset (quantum ad sacerdotium spectat) Apostolorum, eorumdemque Episcoporum, atque Presbyterorum ordinatio, pariterque isti cum illis Concilio considerent, quodque communicatio nominum inter eos videretur esse communis: inde factum est (quod ait Hieronymus *g*) vt eo perseuerante ordine, ante obortа schismata communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernarentur. Postea vero illud venisse subdit, consuetudine potius quam dispositione Dominica, vt in administrandis rebus Ecclesiasticis Presbyteri subiecti essent Episcopis, quibus solis cessisset illarum cura præcipua, nec presbyteri amplius ad communem consessum, vbi de rebus grauiorib. vniuersæ Ecclesiæ ageretur, essent admissi, sed illi soli qui ex collegio presbyterorum in Episcopos essent assumpti. Verum & hæc ipsa consuetudo ipsis Apostolorum cœpit temporibus, & eorum est auctoritate firmata. Nam cum Paulus *h* Timotheum creatum Episcopum Ephesinum, moneat ne aduersus presbyterum accusationem recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus, plane euidenter demonstrat, Timothei Episcopi fuisse munus presbyteros iudicare, ac proinde illis auctoritate ac dignitate præstitisse: cum parē in parem non habere imperium, vulgatum sit omnibus. Qua etiam ratione in hac ipsa de qua agimus Epistola ad Titum Cretensem Episcopum, Paulus ipsum admonet constituere per ciuitates presbyteros, quos appellat, sicut & aliis *i* locis, Episcopos. Ac denique Ignatius, qui Apostolorum temporibus administrabat Ecclesiam Antiochenam, nec aliud scripsit quam quæ essent ab illis in Ecclesia Catholica ordinata, dum Hierarchicum Ecclesiæ ordinem sæpe commemorat, presbyteros esse subiectos Episcopis absque aliqua dubitatione testatur, *k* magnamque insuper vtriusque status & gradus differentiam esse demonstrat, dum Episcopum Christo, presbyteros vero Apostolis comparat. *l* Multa ad hæc ex aliorum etiam Patrum sententia, & sacrorum Conciliorum decretis addenda essent: sed quod ad testandam veritatem historicam quam profitemur, hæc satis sint, breuitati consulentes, illa libentius prætermittimus.

g *Hier. in Tit. 1.*
h *1. Tim. 5.*
PRESBYTERI SVBIECTI EPISCOPIS.
i *1. Tim. 3.*
k *Ign. ep. 7. ad Tars. 9. ad Philad. & 13. ad Smyr.*
l *Id ep. 3. ad Tral. & 12. ad Smyr.*

VI.
Quod vero Paulus eum qui in Presbyterum seu Episcopum eligendus esset, voluit *m vnius vxoris esse virum, filiosque habere fideles, non in accusatione luxuriæ:* & non magis cælibem eligendum præcepit, qui nullam vnquam vxorem habuisset: id quidem accidit, quod in Creta de cuius agebat Ecclesia, difficillimum fuisset aliquem huiusmodi reperire, cogentibus nimirum (vt testatur Strabo, *n* qui ex Ephoro Rempublicam describit Cretensium) antiquis eorum legibus, vt omnes à puero vxores ducerēt. Et pariter in eo quod de filiis ordinandi Paulus monet, eo respectum habuisse videtur, quod (vt scribit idem Strabo) apud eosdem Cretenses mos turpissimus inoleuisset, vt liceret in pueros insanire, eosdemq; quantumlibet nobiles rapere, adeo vt

m *Tit. 1.*
CVR EPISCOPVS VNIVS VXORIS VIR ELIGENDI.
n *Strab. li. 10.*

formosis & illustri genere natis turpe esset nullum habere amatorem, capi autem ita honorificum, vt tam in consessu, quam in ambulando primarius raptis locus tribueretur. Porro tam prauis affectos moribus posse in officio contineri, haud res leuioris negotii videbatur: vt merito antiquissimi poetæ Epimenidis in eos sententiam reiecerit Paulus, qua illos mendaces, malas bestias, ventres pigros appellauerat. Verum hæc olim Cretenses: nam Euangelii postmodum exculta legibus, facta est Ecclesia Cretensium nobilissima, vt quæ non sicut cæteræ Orientales diuersis hæresibus fœdaretur, sed virgo multis sæculis illibata permanserit, prout testati sunt Martinus Gortynæ, & cæteri Cretenses Episcopi, iis literis *a* quas post Concilium Chalcedonense ad Leonem Imperatorem scripserunt.

a *Tom.2.Con.*

VII. B1. *Tim.3.* NON GENTILES, SED IVDÆI POLYGAMI.

Sed quod Paulus non tantum hac ad Titum Epistola, sed & alia ad Timotheum *b* æque exposcit vt in presbyterum eligendus *vnius* tantum sit *vxoris vir*: hac quidem in re fuit quorundam sententia, Paulum sic ipsos admonuisse ordinare monogamos, vt polygamos, hoc est, eos qui plures simul vxores haberent, excluderet. Sed quod pertinet ad Gentiles ad Christum conuersos, nec Cretenses, nec Ephesios, eisque propinquos populos fuisse aliquando polygamos, vsquam inuenimus: Athenienses tantum occasione exhaustæ belli cladibus iuuentutis, polygamiam aliquando admisisse reperimus, cæteros nunquam. At Iudæis non inficias imus permissum fuisse his etiam temporibus, *c* plures simul habere vxores. Sed quantumlibet ad excludendos polygamos, Paulum dixerimus monuisse ordinandos monogamos; non sic quidem id ab eo quis sanæ mentis putauerit esse dictum, vt virum coniugio obligatum potius quam cælibem præceperit ordinandũ: Quomodo enim ad præstantissimum omnium munus sacerdotale, coniugatum hominem præferret cælibi, qui alias *d* admonuit, ne Deo militãs implicet se negotiis sæcularib. torq; alia in eamdem sententiam, laudemque cælibatus inculcauit? *e*) sed quod non facile apud Gentiles, Iudæosue, proiectæ ætatis esset hominem reperiri cælibem. Præterea si ad excludendos cælibes, coniugatos Apostolus eligendos mandasset, cur singulariter vnius vxoris virum dixit, & non potius in genere vxorem habentem, cum omnes quotquot inter Christianos coniugati essent, vnius tantum vxoris singuli viri essent, prohibentibus legibus Christianis duas vel plures simul habere? Sed qua ratione Paulus bigamum excludi voluerit, mox dicetur.

c *Ioseph.17. ant.1. Iust. mart. dial. cum Tryp.* DE CÆLIBATV SACRORVM MINISTRORVM. d 2.*Tim.2.*

e 1.*Cor.7.*

VIII. CONIVGATI CREATI EPISCOPI, ABSTINEBANT A CONIVGIO.

Antea vero illud, quod ad hæc spectat, sciendum est, coniugatos olim sæpius electos contigisse, siue ob penuriam cælibum, siue etiam ob mores spectatissimos cælibibus præponerentur, ea tamen lege, vt quantumlibet necessitate cogente assumerentur, consentiente primum vxore, sic electi desinerent prorsus vsu coniugii esse viri, *nec posset* omnino (vt ait Hieronymus *f*) *esse Episcopus qui in Episcopatu filios faceret. Alioquin*, inquit, *si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur.* Et rursum: *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes, Episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eligentur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici.* Idque pariter sanctos Apostolos docuisse, & Ecclesiam Catholicam ab omni æuo seruasse, Patres quoque Concilii Carthaginiensis *g* Secundi ingenue fatentur professi. Eamdemque antiquam obseruationem (vt scilicet coniugati ad Ordines prouecti, continerent, aut deponerentur) confirmarunt suis decretis *h* Siricius & Innocentius Romani Pontifices, necnon Synodi *i* Eliberina, Arelatensis, Agathensis, Turonenses, & aliæ in Occidente celebratæ.

f *Hier. lib.1. adu. Ion. & ep. 50. ad Pamma* g *Conc. Cart. II. c.2.* h *Sir. ep. ad Him. c.7. Inn. ep 3. ad Exup. quos citat Syn Agath. c.9.* i *Con. Eli. c.33 Arel. II. c.1. Agath. c.9. Tur. I. c.11. Tur. II. c.20.*

IX. k *Epi. in comp. l Bas. ep 17. ad Pera. in addit.* m *Hier. in Vig. & Ieu.* n *Conc Anc. c.9.* o *Con. Nic. c.3*

Sed & eamdem ab ipso Ecclesiæ exordio viguisse in Oriente, perquam egregie testantur Epiphanius, *k* Basilius, *l* atque Hieronymus. *m* Et quamuis longe ante ipsos, Ancyrana *n* Synodus æque legem de cælibatu confirmãs, illos nihilominus diaconos ab ea exemisset, qui cum ordinarentur inuiti, fuissent pariter contestati se non posse cõtinentes viuere: tamen haud diu post maxima illa & sanctissima Synodus Oecumenica *o* Nicæna Prima, omnibus indistincte sacris ministris omnimodum vxorum vsum atque consortium prohibuit, etiam earum quas ante Ordines habuissent. Hæcque sancita ibi esse à Patribus, non obscure eodem loco Basilius docet, dum Peragorium, licet decrepitæ ætatis sacerdotem, quod vxorem suam quam presbyter cooptatus iussu canonum reliquerat, rursus in domum admisisset, grauissime increpauit, excommunicationem: nisi eam dimitteret acriter comminatus. Quod autem Socrates & Sozomenus scripserunt, eamdem Synodum acquieuisse Paphnutio, sentienti non esse clericis prohibendas vxores quas ante susceptos Ordines habuissent: quantæ fidei sit hæc istorum narratio dicetur inferius *a* suo loco. Cum alioqui & ipsi de his agentes, testentur *b* veterem in Ecclesia fuisse traditionem, vt cælibes ordinati nullo modo possent denuo sperare coniugia. Nam & ad ipsos etiam subdiaconos hanc legem pertinuisse, testis est Epiphanius. *c* Quibus item, nedum aliis maiorum Ordinum ministris aut Episcopis haud S. Leo *d* scribens ad Episcopum Thessalonicensem permisit vti vxoribus quas antea duxissent. At quomodo iis licuisset vxores post Ordines retinere, qui quantumlibet cælibes essent, tamen quod vel viduam duxissent, vel aliter bigami fuissent, illis ex traditione Apostolica Innocentius *e* Papa scribens pariter ad Episcopos Macedoniæ, Ecclesiasticis Ordinibus interdixit?

DE CÆLIBATV EX NICÆNO CONCILIO.

a *An.325. in Conc. Nic.* b *Socr. lib.1. c.8. Sozom. lib 1. c.22.* c *Epi. hær.59.* d *Leo ep. 82.* e *Inn. ep.22.*

X. f *Can. Apost.5* DE CANONE APOSTOLORVM OBIECTIO SOLVITVR.

His igitur adeo stabilitis, non est quod de Canone *f* Apostolorum rursum quis moueat quæstionem, quod eo statutum sit, ne Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vxorem suam prætextu religionis abiiciat: nam dubiorum scriptorum nõ est tanta auctoritas, vt quæ sunt aliunde tam certa atque rata conuellant: nec sic ibi ne abiiciant admonentur, vt dent operam liberis procreandis, (nam & Apostolos illos qui fuere coniugati, post Apostolatum consecutum ab his temperasse, antiquorum testimonio superius vidimus:) sed vt illarum curam gerant. Hoc enim sensu Canonem illum interpretatos esse maiores nostros, certo argumento est, quod Dionysius cognomento Exiguus, Græcorum Scriptorum sui temporis nobilissimus, de quo & summa cum laude meminit Cassiodorus, *g* in sua Collectione *h* sacrorum Canonum, quibus singulis summarium præfixit titulum, eidem hanc inscriptionem præposuit, *Vt Episcopus, aut presbyter, vxorem suam, quam debet caste regere, non relinquat.* Quod quidem intelligendum est, vt illius curam gerat. Nam & cum Gregorius *i* Papa, de Episcoporum vxoribus eamdem Dionysii interpretationem iisdem verbis referat; nihilominus eodem ipso loco docet, maiorum exemplo, & sacrorum Canonum institutione consultum esse, vt sacris functionibus mancipati, non tantum mulierum extranearum, sed & propriarum coniugum viuarent contubernium. Et alibi, *k* nec subdiaconos recipiendos esse conbernium. Et alibi, *k* nec subdiaconos recipiendos esse constituit, nisi qui cum vxoribus antea acceptis viuerent continentes.

f *Can. Apost.5* DE CANONE APOSTOLORVM OBIECTIO SOLVITVR.

g *Inst. diu. lect.* h *Habetur in Collect. Gregcon.* i *Greg.7. ep.30 ad Rom. Defen.* k *Id 1. ep. 42. ad Petr.*

Sed enim hæc firmiter sancita, Episcopi illi qui seorsum (vt dicetur *l* suo loco) post absolutam Sextam Synodum, vsurpato tamen eius nomine, primaro conuenticulo conuenere, penitus labefactare conati sunt, statuentes *m* vt cõiugati ad sacros allecti Ordines vterentur ad libitum, præterquam certis diebus, vxoribus quas ante habebant, excepris Episcopis, quibus id omnino denegarunt. Eique firmandæ assertioni, præter Canonem Apostolicũ cuius momento meminimus, quem recensent, adscisscẽtes insuper apertã mendacia, corrupte detorquent *o* in suum sensum Concilii Carthaginiensis canonem, quasi eo permissum fuerit sacris ministris vti vxoribus, præterquam tempore vicis suę, hoc est cum ministrant. Sed quam insigniter mentiantur, ipsa de hac re sæpius ab Africanis Episcopis sancita decreta testantur, atque imprimis illud ipsum quod iidem citasse reperiuntur ex Concilio Quinto *p* Carthaginiensi, cuius hæc est germana lectio; *Placuit Episcopos, & presbyteros, & diaconos, secundum priora statuta etiam ab vxoribus continere: quæ quã* sit contra mentem Græcorum, ipsa verborum inspectio manifestat, quibus illud absque aliqua temporis distinctione prohibitum est. Sed & priora illa statuta quorum Patres Carthaginienses meminerunt (qui est canon secundus Concilii Carthaginiensis Secundi) diserte iubent, *vt Antistites & Sacerdotes, necnon Leuitæ, vel qui sacramentis diuinis inseruiunt, continentes sint in omnibus, secundum quod Apostoli docuerunt, & ipsa*

l *An.691. vbi Bar. Tom.8. Ann. de his agit, nos autem inde huc transtulimus, quæ ad ipsum canonem pertinent.* m *Sex. Syn. c. 13. ap. Theo. Balsam.* n *Ibid. c.12.* o *Vid. Theod. Balf. in c.4. Con. Carth.* p *Con. Cart. V. c.3. & in Conc. Afric. c.37.*

XI. IMPOSTVRA SVB NOMINE SEXTÆ SYNODI.

seruã-

seruauit antiquitas. Denique cum quæ ordine sequuntur Tertia *a* & Sexta eiusdem ciuitatis Synodi, diuu decernũt quæ feminæ possint habitare cum clericis, haud inter eas numerant vxores, plane significant eas segregandas esse, quæ alioquin primo loco nominandæ fuerant. Ad hæc insuper alia complura essent addenda in prædictorum confirmationẽ, sacrorum Conciliorum decreta, Patrum testimonia, & Sanctorum exempla: sed quoniam de his agendi millies occasio inferius aderit, hæc satis impræsentiarum, ad insinuandam ex instituto Apostolicam & Ecclesiasticam traditionem, & consuetudinem, de illis qui vnius vxoris coniugio obligati, ad sacros Ordines assumerentur.

a *Conc. Carth III. c.17. & Carth. VI. c.3.*

XII. DE BIGAMIS NON ORDINANDIS.

Quæ quantumlibet omni ex parte firmissima sint, tamen quoniam Pauli Apostoli verba, non de his qui tunc temporis coniugati essent, sed de illis potius qui vnicam tãtum habuissent vxorem, nec BIGAMI essent, ad sacerdotale munus cooptandis, communi consentione Patres omnes sunt ferme interpretati: quanam ratione id Apostolus statuerit, breuiter exponendum est. Diximus sæpe superius, Apostolos quæ ad institutionem morum spectare vidissent, ea maiori aucta fœnore ex Synagoga in Ecclesiam transferre sategisse: ita vt (quod ait Tertullianus *b*) eadem non tantum reseruata manerent, verum & ampliata, vt scilicet redundare possent mores Christianæ religionis super Scribarum & Pharisæorum iustitiam: *At si iustitia*, inquit, *vtique & pudicitia.* Cum igitur (quod ait) prohiberet lex diuina sacerdotes denuo nubere, vetaretq; *c* Summum Pontificem ducere in vxorem viduam, vel ab aliis repudiatam, vel meretricem, ac tantummodo virginem permitteret: ita instituturus Apostolus in Ecclesia sacerdotes, cum ea ratione quam diximus, constaret non facile reperiri virgines Christianos ætate ei muneri idoneos, præcepit eos saltem ex viduis assumi, qui vnius dumtaxat fuissent vxoris viri. At quidni hæc præstaret Ecclesia Christi, cum & apud Gentiles in falsa religione Flamen (inquit Hieronymus, *d* & longe ante ipsum Tertullianus *e*) vnius vxoris ad sacerdotium admitteretur, itemque Flaminica vnius mariti eligeretur vxor, & ad Tauri Ægyptii sacra semel maritus assumeretur? Denique quomodo passurus est Apostolus, assumi in sacerdotium qui plures successiue habuisset vxores, si viduam *f* (quod nullius est sacramenti) nõ nisi eam quæ fuisset vnius viri vxor admitti voluit à Timotheo? Immo certe quemadmodum cum de vidua dixit, *Vnius viri vxor*, non potuit intellexisse nisi de ea quæ semel tantum nupsisset, cum nullibi vnquam reperiantur mulieres, plures simul habuisse maritos: sic & cum eodem plane loquendi modo ad eundem Timotheum eadem Epistola scribens, siue postea ad Titum, de sacerdotibus dixit, *Vnius vxoris vir*, aperte significauit se nõ de aliis intelligere, quam de his qui semel dumtaxat vxorem duxissent.

b *Tert. de monog. c.7.*

c *Leu. 21.*

d *Hier. ep. 11. ad Ager.*

e *Tert. de monog. in fi.*

f *1. Tim. 5.*

XIII.

Porro id seruatum esse antiquitus in Ecclesia, pluribus docet Tertullianus, *g* qui & probro adscribit, quod aliqui Bigami reperirentur præsidere: eamque obseruationem tam in Occidentali quam Orientali Ecclesia ex traditione Apostolica promanasse, Innocentius *h* Papa testatur. Quatione S. Leo *i* Ecclesiæ Mauritaniæ, quantumlibet de ingenti penuria sacrorum ministrorum ob cladem Wandalicam per Legatos *k* querenti, nullatenus permittere voluit vt Bigami ordinati in sacro officio ministrarent. Et S. Ambrosius *l* agnoscit, non solum id Apostolum de Episcopis & presbyteris statuisse, sed etiam Patres in Concilii Nicæni tractatu addidisse, nec clericum quemquam esse debere, qui secunda coniugia sortitus esset. Quinimo & ipsos Arianos id ipsum præstitisse, Epiphanius *m* demonstrat, dũ narrat de Iosepho Comite, cum Ariani eum rapere vellent vt ordinarent, se bigamum profitentem periculum imminens euitasse. Eos autem ista ex veteri Ecclesiæ consuetudine obseruasse, non nouo inuento, satis inde constat quod nunquam de ea re ab aliquo sanctorum Patrum qui eorum hæreses exactissime perscrutati sunt, ac validissime confutarunt, reprehensi inueniantur. At de his, quantum ad institutum pertinet, satis superque dictum.

g *Ter. ad vx. lib. 1. & de monog. c.10. 11. 12.*

h *Innoc. ep. 22. c. 1. 2.*

i *Leo ep. 87. c. 1*

k *Vict. Vitc. de Persec. VVand. lib. 1.*

l *Ep. 25. ad Vercel.*

m *Epi. hær. 30*

XIV.

Quod autem ad istorum temporum & rerum de quibus agitur statum spectat, constat quidem tam ex dicta ad Titum Epistola, quam ex posteriori hoc eodem anno ad Corinthios scripta, multos in his Græciæ regionibus hoc tempore solitos circumuagari pseudoapostolos, qui fabulas quasdam atque genealogias & quæstiones disseminarent: quorum causa, quod multa de Christo mentiti essent, *Lucas* EVANGELIVM *scribendi* arripuisse occasionem existimatur. Sane quidem quod non probaret quæ ab aliis narrata essent, se ideirco scriptionem instituisse, ipse in præfatione ad Theophilum significat, vbi pseudoapostolos ac pseudoscriptores ab eo sugillatos esse, firma est Patrum *a* assertio: hosq; fuisse Cerinthum & Merinthum, aliosq; eiusdẽ farinæ homines, Epiphanius *b* tradit. Conueniunt temporibus & locis: nam cum testetur Hieronymus, *c* Lucam in Achaiæ & Bœotiæ partibus Euangelium conscripsisse; certum est eas regiones Paulum his temporibus peragrasse, cui Lucas inhærebat. Ex his vero arguitur Euthymius, *d* & si qui alii cum eo dixerunt scriptum à Luca Euangelium anno decimoquinto postquam Dominus ascendit in cælum: quandoquidem nec eo tempore, nec post multos annos Lucam in Achaiam cum Paulo venisse, ex his quæ superius dicta sunt exploratissimum est. Illum autem Paulo hortante scriptionem suscepisse, deque Euangelio Lucæ Apostolum intellexisse cum ait, *e Secundum Euangelium meum*, Tertullianus *f* & Hieronymus *g* putauerunt. Sed Dorotheus *h* (nescio vnde acceperit) iussu Petri Lucam scripsisse tradit.

LVCAS QVA OCCASIONE EVANGELIVM SCRIPSERIT.

a *Orig. hom. 1. in Luc. Epiph. hær. 51. Ambr. in Luc. 1. Bed. Euth. & alii in Luc. 1.*

b *Epip. hær. 51.*

c *Hier. præf. in Matt.*

d *Euth. præf. in Luc.*

e *2. Tim. 2.*

f *Ter. cont. Marc. lib. 4.*

g *Hier. de Scrip. Eccl. in Luca.*

h *Doroth. in Synop.*

Quisnam autem ille fuerit *Theophilus*, ad quem Lucas tum Euangelium, tum Acta Apostolorum misit, neminem hactenus inuenimus definisse, nonnullis existimantibus non esse nomen proprium, sed cognomen Christiani cuiuspiam, sicut & Ignatius dictus est cognomento Theophorus. Verum enim vero si ex apocryphis veritatem aliquando expiscari conceditur, reperimus in libris Recognitionum *i* Clementis, fuisse Theophilum nobilem ciuem Antiochenum, qui à Petro ad fidem adductus domũ suam in ecclesiam mutauit, in qua Petrus conuentus agens Cathedram posuit. Quod igitur & ipse Lucas patria fuit Antiochenus, ea saltem ratio persuadet vt ad Antiochenum conciuem, de Ecclesia Dei optime meritum, iure conscripserit. Reperimus insuper apud eumdem Clementem in libris Constitutionum, *k* quemdam Theophilum suffectũ Zacchæo in Episcopatu Ecclesiæ Cæsariensis in Palæstina: an autem idem sit cum Theophilo Antiocheno, non possumus certum quid affirmare. Porro illum ad quem Lucas scripsit, illustrem plane fuisse virum, satis ostendit, quod eum honestissimo *Optimi* titulo exornauit, quo tum Paulus *l* Apostolus Felicẽ & Festum Iudeæ Præsides, tum Claudius Tribunus militum eumdem Felicem insigniuit: vt plane liquido appareat, solitum ipsum impartiri nobilissimis viris, ac fuisse potius amplissimæ dignitatis indicem, quam personæ laudem: Alioqui non putandum, ea Paulum adulatione ac mendacio demulcere voluisse scelestissimum Felicem, vel Festum. Quamobrem accidisse putamus, vt sicut illis temporibus is vigebat loquendi vsus, vt quique candidati (quod testatur Seneca *m*) *Boni viri* dicerentur, ita magistratum iam adepti, iidem *Optimi* nominarentur; vnde & *Optimates.*

XV. DE THEOPHILO ANTIOCHENO.

i *Recogn. li. 10 cap. vlt.*

k *Clem. 7. Const. 46.*

DE TITVLO OPTIMI.

l *Act. 24. 26.*

m *Sen. ep. 5.*

[*Optimi* etiam postea dicti ipsimet Imperatores, sumpto initio à Traiano, de quo Plinius in Panegyrico: *Adoptauit te optimus Princeps in suum, Senatu te in Optimi nomen, &c.* Post quem, eodem quoque titulo insigniti reperiuntur Marcus Philosophus, & Alexander Seuerus, apud Lampridium & Capitolinum. Vide etiam inf. an. 502. v.]

XVI. DE LVCÆ NOMINE ET MINISTERIO.

Cæterum inter typica ac symbolica illa quatuor Euangelistarum insignia, quæ primum Ezechieli, inde Ioanni fuerunt diuinitus demonstrata, & à Patribus diuino plane spiritu declarata, facies Bouis, ob ministerium Sacerdotii à quo Lucas Euangelium auspicatur, ab omnib. ei tributum: cum alioqui (si licet sacris profana coniungere) antiqua voce in Italia, vt auctor est Varro, *n* bos cõsueuerit appellari *Luca.* An vero Lucas Christi, vel Pauli tantũ fuerit Discipulus; Epiphanius *o* asserit fuisse vnum de Septuaginta duobus: idq; ipsum Euthymius, *p* nitens Origenis testimonio, sed vbi id expresserit Origenes nõ inuenimus. Dorotheus *q* quoq; idem asseruit: verũ haud constans est fides eius, quem constat inter Septuaginta duos adnumerasse cõplures Discipulos Pauli. Demum quicumque loquentem

n *Var. lib. 6. de ling. Lat.*

LVCAS NON DOMINI, SED APOST. DISCIPVLVS.

o *Epi. hær. 51.*

p *Euth. præf. in Luc.*

q *Doroth. in Synop.*

Lucam

Lucam de duobus Discipulis abeuntibus Emmauntem, interpretati sunt alterum ex eis, cuius nomen non exprimitur, fuisse Lucam, iidem æque confirmant, ipsum fuisse ex numero Septuaginta duorum. At vero cum ad id leuissima coniectura (quasi videlicet modestiæ causa Lucas nomen suum tacere voluerit) moueantur, Origenes *a* contra, cæteris illis antiquior, vt de re à maioribus pro constanti habita, absque vlla hæsitatione, discipulum illum qui vna cum Cleopha Emmauntem pergebat, fuisse Simonem ponit. Quamobrem quid de Luca sentiendum, à nullo certius quam ab ipso Luca petendum est. Cum enim ipse in sua ad Euangelium præfatione aperte profiteatur, se ea quæ scripturus esset accepisse ab iis qui viderant, & ministri fuerant sermonis; plane declarat, se ea non vidisse, vel coram audisse, sed ab aliis qui cum Domino versati essent accepisse. Nam quod postea addit, *Visum est mihi assecuto omnia à principio diligenter ex ordine tibi scribere*, perinde est ac si dixisset, Qui omnia accepi ex aliorum traditione, (quod antea dixerat) ea tibi ego à principio diligenter ordine recensebo. Itaque haud dubitat asserere Theodoretus, *b* Lucam non vidisse quæ scripsit. Et longe ante ipsum Irenæus *c* iterum, illum non Domini, sed Apostolorum sectatorem & discipulum appellat. Distinctius vero Tertullianus *d* atque Hieronymus, *e* Pauli fuisse discipulum asserunt. Immo & ab ipso Paulo in Euangelio genitum, idem alibi Hieronymus *f* testatur, & longe ante ipsum Origenes. *g* Sed de his hactenus.

a Orig. lib. 1. cont. Celf.

b Theod. præf. SS. Patr. in fi. *c* Ire. li 1. c. 20 & lib. 3 c. 11. *d* Tert. 4. cont. Marc. 2. *e* Hier. præf. in Matt. *f* Id. in Isa. 65. *g* Orig. in Ro. vlt.

XVII. PAVLI EPISTOLA II. AD CORINT.

Cum Paulus Nicopolim hyemis tempore peruenisset, ibi (vt existimamus) scripsit SECVNDAM EPISTOLAM *ad Corinthios*, ea nimirũ occasione, vt se excusaret, *h* quod cum altera Epistola anno superiori Ephesi data pollicitus esset *i* suum ad eos aduentum cum Macedoniam pertransisset, id tamen minime præstitisset. Porro cum hac eadem Epistola singillatim recenseat, tum ea quæ postquam ab eis discessisset sustinuisset, *k* in Asia & Macedonia, tum graues alias ærumnas *l* quas variis locis ac temporibus causa Euangelii hactenus perpessus esset, earumque rerum plerasque à Luca prætermissas noscantur: id quidem haud inuidiæ vel oscitantiæ eiusdem Lucæ tribuendum est, sed quod (vt in multis obseruauimus) ea quibus præsens non fuit, adeo summatim recenseat, vt tribus fere verbis res gestas plurium mensium & annorum perstringat.

h 2. Cor. 1. *i* 1. Cor. 16. *k* 2. Cor. 1. & 7 *l* 2. Cor. 11.

XVIII.

Sed & hic illud necessario monendum putamus, nonnullis accidisse vt temporum ignoratione in maximos errores incidant, putantes naufragium apud Melitam factum (quod Lucas in Actis *m* narrat) vnum è tribus fuisse à Paulo hac Epistola enumeratis: non animaduertentes hanc Epistolam longe ante illud naufragium esse scriptam. Quod autem pertinet ad *Profundum maris*, in quo se nocte ac die fuisse Apostolus tradit, cum multæ ea de re afferantur interpretationes, quas lectorum relinquimus arbitrio, apud Bedam *n* legitur ex Theodoro Tarsensi, fuisse eo nomine teterrimum omnium carcerem Cyzicenũ, qui ex eo quod altissimus esset, adeoque deorsum depressus, merito *Profundum maris* sit dictus: cui aliqua ex parte cõparandus fuit qui Athenis erat famosissimus carcer, *Barathrum* appellatus, vel qui Syracusis *Latomiæ* nominatus, aut qui Romæ nuncupatus est *Tullianus*, necnon qui à Suida *o* collocatur apud Spartiatas, *Ceada* dictus, & alius obscurissimus apud Carthaginẽ, *Ancon* indigitatus. Cæterum licet neq; in Actis à Luca conscriptis, nec in Epistolis Pauli habeatur aliqua mentio de eiusdem Apostoli aduentu Cyzicum: tamen cũ constet eum venisse Troadem, par est credere Cyzicum iridem conscendisse in Propontide situm, nec ab eo neglectã illam ciuitatem, quam magnitudine, pulchritudine, legum bonitate, aliisque ornamentis comparari posse cum principibus Asiæ & aliarum prouinciarum vrbibus, Strabo asserit. De reliquis autem Pauli rebus gestis per tres menses quibus, vt Lucas *q* ait, mansit in Græcia, (intelligens per Græciam, regiones omnes quæ ab Achaia vsque in Illyricum interiacent) id tantum habemus expressum, quod ipse Paulus alibi *r* vno verbo dixit, se in illis regionibus in virtute signorum & prodigiorum prædicasse Euangelium iis qui nondum illud audiuissent. Cum vero post hæc nauigare in Syriam decreuisset, insidiantibus illi Iudæis id facere minus licuit: quamobrem vt rediret in Macedoniam iter aggressus est, prout ista perquam breuiter narrat Lucas. *a*

m Act. 27. DE PROFVNDO MARIS PAVLI.

n Bed li quæst q 3. in. 8.

TETERRIMI CARCERES.

o Suid. verb. Barathrum. & verb. Anon De quibus aliisque eiusmodi teterrimis carceribus, agit etiam Iur. in Not. ad Martyrol. 14. Mart. 6.

p Strab. li. 12. *q* Act. 20.

r Rom. 15.

Sed antequam rediret in Macedoniam, Corinthum versus iter direxisse, ac Cenchreas (quod est nauale Corinthiorum) peruenisse, ibique *scripsisse ad* ROMANOS, multis argumentis probat Origenes, *b* cui & alii, & nos etiam assentimur. Scripsisse vero ad Gentiles potissimum qui Romæ erant credentes, satis ex ipsa cognoscitur Epistola, *c* dum in eius exordio ait: *Sæpe proposui venire ad vos, vt aliquem fructum habeam in vobis, sicut & in cæteris Gentibus. Græcis ac barbaris, sapientibus & insipientibus debitor sum*, & prope finem: *Audacius scripsi vobis, propter gratiam quæ data est mihi à Deo, vt sim minister* CHRISTI IESV *in Gentibus*, &c. Sed qualis esset eo tempore status ECCLESIÆ ROMANÆ, idem Paulus egregie demonstrauit, dum ait *d* EORVM FIDEM ANNVNTIARI IN VNIVERSO MVNDO, eosdemque *e plenos esse dilectione, ac repletos omni scientia*, ac demum *f illorum obedientiam in omnem locum diuulgatam esse*. Quæ quidem considerantes Patres, *g* occasionem inde sumpserunt summis laudibus extollẽdi ipsam Ecclesiam Romanam. Estque secundum Ioannem *h* Chrysostomum obseruatione dignum, Apostolum non dixisse, *Fides vestra Manifestatur*, sed *Annuntiatur, in vniuerso mundo*, nimirum quod, sicut Romana Ecclesia credebat, ita & credere deberent cæteræ nationes, dictisque nihil quicquam addendum vel demendum esset. Ideoque idem Chrysostomus exacte considerat, quantumlibet Paulus *i* alibi magnis præconiis celebret Ecclesiam Thessalonicensem, nihil tamen eiusmodi de ea loqui. Vt non immerito antiquitus fimen eiusmodi de ea loqui. Vt non immerito antiquitus fides Catholica, eadem dicta sit ROMANA, & qui essent Catholici, iidem communi vsu ROMANI appellati fuerint. Sed de his, deque ipsa Romana Ecclesia iam dictum est superius in eius institutione, dicetur q; sæpe inferius in ipsius progressu. Cur autem nullam Paulus ad Romanam Ecclesiam scribens, de Petro eius Episcopo & fundatore habuerit mentionem, ea potissima creditur causa, quod Petrus edicto Claudii (vt vidimus) cum Iudæis semel Roma pulsus, ad extremas Orbis Occidentalis oras prædicationem conuertisset, & in iis hactenus laborasset: quippe cum vniuersi gregis curam à Domino sibi demandatam suscepisset, atq; elegisset *k* etiam Deus per os ipsius Gentes audire verbum Euangelii, eius erat officii (quo egregie functum superius vidimus) remotissimas etiam nationes fidẽ docere. Quamquam & potuit illud perfacile accidisse (etiam si dixerimus his temporibus illum Romæ egisse) vt familiares alias ad ipsum Paulus eidem tabellario dederit literas, adeo vt non opus esset per alios salutari. Hæc enim humanitatis officia quis immanis Apostolis denegabit? cum & alioqui idem Paulus scribens ad Corinthios, Galatas, Ephesios, Thessalonicenses, & alios populos, nec quicquam de ipsorum Episcopis expresse meminerit.

a Act. 20.

XIX. EPISTOLA AD ROMANOS.

b Orig. præf. in ep. ad Rom. Theod. præf. in epist. Paul. & alii. *c* Rom 1. & 15 *d* Rom. 1. *e* Rom 15. *f* Rom. 16. *g* Cyp. ep. 57. ad Corn. Theo in Rom. 1 & ep ad Leon Pap. Hier. præf. li. 2 in ep. ad Gal. & alii plerique. *h* Chrys. hom. 2. in ep. ad Ro. EMINENS FIDES ROMANORVM. *i* Thes. 1.

Quanam autem occasione Paulus permotus eam scripserit Epistolam, duplicem causam ex eius textu collegit Augustinus, *l* alteram quod quæstio exorta esset, Vtrum Iudæis solis Euangelium Domini IESV CHRISTI venisset propter merita operum, an vero nullis operum meritis præcedentibus, omnibus Gentibus venisset iustificatio fidei quæ est in CHRISTO IESV: vt non quia iusti erant homines crederent, sed credendo iustificati deinceps iuste viuere inciperent. Alteram vero, quod cœpissent nonnulli qui ex Iudæis crediderant, tumultuari aduersus Gentes, & maxime aduersus ipsum Apostolum Paulum, quod incircumcisos, & à Legis veteris vinculis liberos ad Euangelii gratiam admitteret, nullo imposito carnalis circumcisionis iugo. De his igitur disputans Apostolus, illud primum omnium docere contendit, omnib. venisse gratiam Domini IESV CHRISTI, quam propterea etiam GRATIAM vocari ostendit, quia non quasi debitum iustitiæ redditum est, sed gratuito datum: simulque inserit plurima de abrogatione legalium.

k Act 15.

XX. ARGVMENTVM EPIST. AD ROM.

l Aug. expos. inchoata ep. ad Rom.

Cæterum dum in fine Epistolæ meminit *Phœbes ministræ Ecclesiæ Cenchrensis*, aliarumque feminarum, *quæ* (vt ait) *multum laborauerant in Domino*, opinamur eas fuisse Diaconissas, de quibus satis est dictum superius: ne quis putet has

XXI.

verbi

verbi prædicationem administrasse, quam iam Paulus illis prohibuerat, cum ad Corinthios primo scribens *a* iussit mulieres in Ecclesia tacere. Quamquam & hoc ipsum Chrysostomus eo temperamento existimauit intelligendum, vt non prorsus feminis Apostolus interdixerit quolibet diuino sermone, sed illo tantum qui publicus haberetur. Ac merito quidem: nam quomodo aliter vir infidelis per mulierem fidelem (quod ait Paulus *b*) sanctus efficeretur, nisi illa ipsum docente? Denique habent Acta, *c* Apollo institutum fuisse in fide non solum ab Aquila, sed etiam ab eius vxore Priscilla; & multa alia suppetunt in Historia Ecclesiastica feminarum exempla, quæ plurimas operatæ sunt conuersiones hominum, populorumque, de quarum nonnullis dicatur inferius suis locis.

a 1 *Cor.* 14. FEMINIS QVI DOCENDI MODVS PERMISSVS.

b 1. *Cor.* 7.
c *Act.* 18.

XXII.

Post hæc Apostolus multis aliis Romæ existentibus Fidelibus salutem suo nomine impertiri mandat: quibus ferme singulis certas Episcopatus sedes tribuit Dorotheus in Synopsi, sed dubia est eius fides: aliquorum vero nomina relata habentur in tabulas *d* Ecclesiasticas tam Græcorum quam Latinorum. Sed quod ad *Narcissum* spectat, videntur errasse, qui putarunt Apostolum intellexisse de potentissimo eius nominis liberto Claudii Imperatoris, quod Taciti *e* auctoritate constet, eum ante biennium, cum primum Nero factus est Imperator, Asinio & Acilio Coss. odio Agrippinæ fuisse necatum. His vero dum Paulus addit eos qui secum apud Corinthum existentes, æque salutem impertirent Fidelibus Romanis, ac inter eos recensens Lucium, Iasonem, Sosipatrum, eosdem vocat *cognatos suos*, sicut & paulo antea Iuniam & Andronicum, qui tunc Romæ erant: non quidem ita vocasse propinquitate sanguinis, cum diuersarum essent ac longe distantium regionum, sed quod eosdem in Euangelio genuisset, Origenes *f* existimauit. At nos verius putamus; sic eos dixisse quod essent eiusdem gentis, nempe Iudæi, nam idem Apostolus superius *g* Iudæos omnes *cognatos suos* appellat. Quod autem non eumdem titulum tribuat Aquilæ & Priscillæ, quos constat fuisse Iudæos, illam putamus fuisse causam, quod hi notiores esse viderentur, quippe qui alias tempore Claudii *h* Romæ egissent, cæteros vero fortasse aduenas Iudæos sic speciatim opus fuerit demonstrasse. Porro *Lucium* quem dicit, eumdem esse cum *Luca* Euangelista; & Origenes existimauit, & ea ratio persuadet, quod (vt eiusdem Acta *i* declarant) vna cum illis aliis Paulo tunc coniunctus erat. Ideoque videmus illum tam exacte relegere iter, quod post hæc peregit Paulus hoc ipso anno venturus Hierosolymâ, collectam in Græcia pecuniam allaturus ad Christianos qui ibi erant paupertate pressi, vt non solum comites itineris, vel res ipsas in eo gestas, sed & dies fere singulos numerans, luculentam nobis eius peregrinationis reliquerit historiam.

d *Menol.* 15. *Mart. & vlt. Oct. Mart. d.* die vlt.

e *Tac. lib.* 13. DE COGNATIS PAVLI.

f *Orig. in Rom* 16.
g *Rom.* 9.

h *Act.* 18.

i *Act.* 20.

XXIII.

Recedens igitur Paulus è Macedonia (quo post scriptam illam ad Romanos epistolam accesserat) Troadem primo aduenit, vbi vna Sabbati (inquit Lucas) conuentu habito ad frangendum panem, in crastinum profecturus, protraxit sermonem vsque ad mediam noctem: quando & adolescentem quemdam somno pressum, è tertio cœnaculo vbi conuentus fiebat in terram dilapsum, è mortuis suscitauit. Porro sacram Synaxim hunc conuentum fuisse, eamque die Dominico celebratam, testatur imprimis Augustinus, *k* disputans aduersus Priscillianistas & Manichæos, qui ad ieiunandum die Dominico solerent isto Pauli testimonio abuti: cui Beda, *l* ac cæteri scriptores Orthodoxi assentiuntur.

PAVLVS MORTVVM SVSCITAT.

k *Aug. ep.* 86.

l *Bed. in Act.* 20.

XXIV.

Quod autem idem Augustinus eam PANIS FRACTIONEM, non tantum sacræ, sed communis etiam mensæ vsui applicari posse significat, cum non de incidendo aut secando panem, sed frangendo dumtaxat in diuinis Scripturis sit mentio, plane indicatur, viguisse apud Iudæos eam consuetudinem, vt conficientes panes, eos certis incisionibus in particulas plures signatos coquerent, vt sic ad esum non esset opus illos incidere, sed solum frangere, sicuti facere solent etiam hodie in placentis azymis. *m* Indeque euenisse putamus, vt *de buccellis comedendis* in iisdem diuinis Scripturis frequens reperiatur mentio. Sicut & apud Romanos *n* constat fuisse vsu receptum, vt panem quemlibet, placentam, quadrifida in formam Crucis decussatam incisione, ad diuidendum postea in partes quatuor, coquerent, cuius singulæ partes *Quadræ* nominarentur, non quod quadratam figuram referrent, sed quod esset quarta pars panis: etiamsi apud quosdam veteres poetas, *Quadram* alii acceperint pro mensa, cum tamen eo tempore (teste Varrone *a*) mensæ solerent esse rotundæ, vnde & complures poetæ *Orbes* posuere pro mensis. Porro quod non solum in Ethnicorum, sed etiam Christianorum antiquis monumentis eodem modo efformati panes reperiantur, plane significatur, illum Gentilium morem ab ipsis Christianis, quod typus Crucis iis incisionibus exprimeretur, religiose esse susceptum: sicut etiam confirmatur ex iis quæ de eiusmodi recepta consuetudine, & miraculo inde secuto, S. Gregorius *b* recitat in Martyrio monacho. Sed & illud constat, non solum communes panes eiusmodi Crucis signo consignari consueuisse, sed etiam illos qui ad sacrum Eucharistiæ *c* vsum absque fermento conficerentur: cuius tamen diuisæ partes non *Quadras*, sed *Particulas*, seu *Buccellas*, ob illius panis exiguitatem appellatas esse superius diximus.

m Indeque eueniſſe putamus, vt *de buccellis comedendis* in iisdem diuinis Scripturis frequens reperiatur mentio.

n constat fuisse vsu receptum, vt panem quemlibet, placentam

a *Var. lib.* 4. *de ling. Lat.* PANES CRVCE CONSIGNARI SOLITI.

b *Greg.* 1. *dial.* 11.

c *Nic. Cabasil. expos. Liturg. cap.* 5.

Postea vero factum est, vt in iisdem mysticis panibus, non Crux tantum, sed Christus crucifixus formis redderetur expressus. At iam redeamus ad Historiam Lucæ: qui ait in eo cœnaculo vbi Paulus synaxim habuit, copiosas fuisse LAMPADES.

Quantumlibet autem ad tenebras noctis expellendas eas illic collocatas fuisse, quisque iure possit dicere, tamen exploratissimum est, consueuisse quoque Iudæos lætitiæ causa lucernas incendere, cum celebritatem aliquam agerent: vt docet etiam Persius, *d* dum agit de natali die Regis Herodis, quem Iudæi solemniter celebrare consueuissent. Nec lætitiæ tantum, sed & religionis ergo idem factitari solitum, (vt prætermittamus de Candelabro aureo septem infusoria habente, re omnibus notissima) locuples est testis Iosephus, *e* dum asserit ad Stolam Pontificiam in turre Antonia quotidie solitam incendi lucernam.

XXV. LAMPADES IN LÆTITIA.

d *Pers. sat.* 5. *Vid. sup. in Appar. post num.* IV.

e *Ioseph.* 18. *antiq.* 6.

Hunc autem vsum antiquitus in Ecclesiam dimanasse, vetera satis probant exempla. Cum enim iam ab ipso rerum nostrarum initio ordinem fuisse *Ceroferariorum* clericorum, qui & *Acolythi* dicebantur, quorum muneris erat ad sacram mysteriorum pompam ferre accensos cereos, superius demonstratum fuerit, cumque eadem sacra, licet aliquando nocte, vt in Vigiliis, tamen clara etiam diei luce peragi consueuisse, certissimum sit: æque exploratum habetur, adhiberi solita in Ecclesia luminaria, non ad tenebras tantum pellendas, sed etiam ad sacri cultus celebritatem illustrandam. Nam & per totas Orientis Ecclesias, quando legendum esset Euangelium, accendi solita luminaria iam Sole rutilante, Hieronymus *f* plane testatur. Idēque ad Martyrum Reliquias in iisdem Orientis partibus fieri solitum, æque insinuat Epiphanius in Epistola ad Ioannem Hierosolymorū Episcopum. Ac pariter Athanasius *g* deplorat cereos à Fidelibus oblatos, ab Arianis sublatos esse, & idolis incensos.

XXVI. VSVS EARVM RELIQVIARVM.

f *Hier. cont. Vigil.*

g *Athan. ep. ad Orthod.*

Quam autem in Ecclesiis Occidentis feruentissimo studio eiusmodi pietatis officia à Fidelibus exhiberi solita essent, satis probatur vel vnius Vigilantii fidei desertoris testimonio, exprobrantis Catholicis quod moles cereorum Sole fulgente accendere solerent in Ecclesiis: in quem acriter inuectus Hieronymus, *h* multa docet tum de re ipsa quæ fieret, tum de LVMINVM mystico sensu, & non ea ad Martyres illuminandos (sicut exprobrabat Vigilantius) tāquam ipsi eo lumine egerent, accendi, sed ad pium religionis cultū quem & cæteri eiusdem sæculi Patres sanctissimi, Augustinus, *i* Paulinus, *k* Exodius *l* Vzalensis, & alii, studiosissime commendasse reperiuntur. Sed & quam sumptuosa esse solerent vasa aurea, vel argentea, aut alterius generis metallorum affabre facta, ad lumina accendenda cōposita, in quibus non oleum tantum commune, vel cera, sed interdum opobalsamum, aut nardinū oleum, in honorem Dei vel Sanctorum incenderetur, sæpius repetitum habetur in authētico libello *m de Munificentia Constantini Magni* erga nonnullas à se erectas ecclesias. Nec quis miretur si hæc facta sint sub Christianis Imperatoribus, cum certum

XXVII.

h *Hier. aduer. Vigil. & ep.* 58. *ad Rip.*

i *Aug. ser.* 215. *de temp.*

k *Paul. nat.* 3. *& 6. Vel.*

l *Euod. de miracul. S. Steph. lib.* 1. *c.* 2. *& 13. ac lib.* 2. *c.* 2.

m *Ext. tom.* 1. *Conc. in Silv.*

tum sit, vrgente adhuc persecutione, præter alia sacra diuersi generis vasa & supellectilia aurea atque argentea, Ecclesias vti consueuisse argenteis lucernis, necnon Capitularis, quæ lampades erant multa capita habentes, quibus lumina incenderentur: quorum omnium est inter cæteros apud Augustinum *a* mentio ex Actis Proconsularibus.

Licet autem & Gentiles *b* Lætitię ac religionis causa eumdem Luminum vsum interdiu vsurpare consueuissent: (adeo vt etiam Imperatoribus faces ardentes præferrentur:) *c* tamen cum illum ipsum æque Iudæi obseruarent, cur non potius à Iudæis, sicut & pleraque alia, quam à Gentilibus (vt calumniabatur Vigilantius) Ecclesiam eum mutuatam esse dixerimus? Si vero etiam concesserimus acceptum à Gentilibus esse, quid absurdum si quæ olim in cultum idolorum fierent, eadem postea (vt argumentatur aduersus Vigilantium Hieronymus) in honorem Martyrum conuersa fuerint? Vel quæ in natalitiis, aliisque Principum celebritatibus factitari solerent, eadem ad natalitia ac celebritates Martyrum fuerint translata? Si quæ diebus sabbatis lucernæ accenderentur in templis, non quod (vt inquit Seneca *d*) dii egerent lumine, sed pietatis ergo, eædem in Dei-Genitricis honorem sint commutatæ? Si qui in Saturnalibus *e* cerei erogabantur, in solemnitatem Occursus Domini & sanctissimæ eius Genitricis fuerint conuersi? Si vetus Ægyptiorum *f* anniuersaria solemnitas, dicta Accensio lucernarum, qua noctu circa domos suas frequentes accendere consueuerant lucernas, eadem in festiuitatem Ascensionis Dominicæ *g* permutata fuerit?

Immo vero quod faciles admodum essent Christiani complures, vt hæc olim more Gentilium præstando, in idolatriam inciderent, (cuius rei fidem certam facit Tertullianus, *h* dum exprobrat plures inueniri Ethnicorum fores sine lucernis, quam Christianorum:) ex his abunde datur intelligi, quam bene consultum fuerit, & sicut necessario, ita & pie effectum, vt Luminum sacer vsus à superstitione Gentilium vindicatus, veri Dei cultui fuerit consecratus. Sed enim quamuis olim Gentiles templa sua & domos festis frondibus ornare consueuissent, idque ea ratione sibi nefas *i* esse plerique Christiani ducerent: quod tamen nonnulli haud facile eiusmodi contineri possent disciplina, consulto postea introductum videtur, vt eadem in veræ religionis cultum impenderentur. Siquidem inter alios laudatur ab Hieronymo *k* Nepotianus, quod ecclesias Martyrum diuersis floribus, arborum comis, vtriumque pampinis exornaret. Eodemque modo & alias inolitas apud Gentiles consuetudines, à quibus eos quamuis Christianos effectos penitus posse diuelli impossibile videretur, in veri Dei cultum laudabiliter translatas esse, iam alibi superius *l* est demonstratum, eritque inferius demonstrandi locus.

Ipsum porro Luminum vsum in Ecclesias feliciter introductum, multoties à Deo stupendis signis editis confirmatum esse, innumera prope sunt apud auctores *m* exempla. Quinimmo ipso etiam oleo lampadum, necnon cera è candelabris sumpta, complura peragi consueuisse miracula, iam superius *n* cum actum est de Reliquiis Sanctorum, certissimis Augustini, Theodoreti, & Fortunati testimoniis demõstrauimus. Quibus & illud modo addimus, quod ex Paulino Gregorius *o* Turonensis recenset, de maximo incendio per ceræ particulam è Sancti Martini templo desumptam extincto. Sicut & posteritatibus sæculis permulta his similia constat edita ex ceris illis, quæ ex Cereo acceptæ Paschali, aliisque pijs admixtæ, & sacro chrismate delibutæ, ac benedictione sanctificatæ sunt: quæ & eo quod Agni, CHRISTI typum præferentis, haberent impressam imaginem, AGNVS-DEI dici consueuerunt, quas recens baptizati suspensas ferrent ad collum: mutata videlicet in religionem superstitione, qua suis infantibus Gentiles bullas ad auertendas fascinationes, *p* re turpicula consignatas, vel aliter superstitionibus auctas, collo appenderent. Cum autem & iidem Cordis figuram *q* in bullis suis ferre consueuissent, quo sic noscerent se esse homines si corde præstarent: ita Christiani Imaginem Christi Agni susceperunt, vt discerent eius exemplo esse mites & humiles corde. Sed in his non immoramur, quod sciamus alios *a* copiose de iis scripsisse. Iamque tempus vrget ad Paulum redeundi, quem Lucas *b* ait Troade secedentem, nauigationem pro viribus maturasse, vt solemnitatem Pentecostes ageret Hierosolymis.

Quod enim sciret præcurrisse illuc ex Asia Iudæos Euangelii hostes, qui eum accusarent aduersus legem & templum agere; illosque ipsos Iudæos qui receperant Euangelium, omnes legis æmulos, pene infenso in eum esse animo quod audissent ipsum prædicare discessionem à Moyse: hac de causa vt tempori inseruiret, (quemadmodum alias testatus est *d* se esse factum Iudæis tamquam Iudæum, & iis qui sub lege essent, tamquam & ipse sub lege esset, vt eos lucrifaceret) ad solemne festum Pentecostes Hierosolymam festinauit accedere, quod declararet se patrias leges non adeo auersari. Permissa enim ad tempus fuisse legalia, vt iisdem opportuno tempore vterentur si vellent Apostoli, satis superius est dictum: licet Epiphanius existimarit Paulum Christiano more peregisse Pentecosten. Sed quid ad hoc tanta festinatio vt illam Hierosolymis ageret, cum æque & in omnibus Christianorum Ecclesiis celebrare potuisset? Denique ipsa quæ egit cum Hierosolymam peruenisset, ea qua diximus causa eo profectum esse, aperte declarant.

Porro Legalia haud diutius permansisse, sed hac ipsa ætate, magna ex parte sublata esse apparet, quandoquidem Ignatius, qui vndecimo Traiani anno, quo passus est, suas in itinere positus Romam veniens scripsit Epistolas, omnino prohibuit Philippensibus ne festum Paschatis agerent cum Iudæis. Cum vero eosdem monuit ne festiuitates dehonestarent, plane declarauit alias iam eo tempore introductas esse in Ecclesiam FESTIVITATES: sicut & tum eadem, tum alia ad Magnesianos data epistola, meminit diei Dominicæ: sed agemus de ea paulo post. De Paschate vero, quod Petri sit institutum vt die Dominica celebraretur, nõ autem Pii Papæ, vel Victoris, vt alii putarunt, dicetur opportuniori loco, cum agetur de controuersia quæ de ea re agitata est in Ecclesia.

Explosis igitur legalibus cæremoniis, sic illa quæ præcipua esse videbantur Iudæorum festa, *Pascha* atq; *Pentecosten* ex parte Apostoli celebrare cœperunt, vt retinentes nomina, celebrarent etiam quæ noua erant in illis & augustiora mysteria, atq; eadem ipsa quæ iisdem solemnitatibus erant olim typice significata, nimirum Crucis & Resurrectionis Domini in Paschate, & aduentus Spiritus sancti in Pentecoste. Hæc vero docuisse Apostolum, cum post hæc Romæ agens scripsit ad Colossenses, *e Nequis eos iudicaret in parte diei festi, aut neomenia, aut Sabbatorum, &c.* complures existimarunt. Non n. Paulum Festa penitus abstulisse, sed (eo modo quo dictum est) ex parte tantum, docet Tertullianus *f* antiquitatum Ecclesiæ egregius testis. Nec cum Galatas *g* Paulus reprehendit, quod *dies obseruarent, & menses, & tempora*, diebus Festis Christianorum derogare in animo habuisse, sed tantum Gentilitias superstitiones fugillasse, declarauit abunde qui eodem quo Tertullianus vixit tempore Origenes. *h* Eodemq; modo complures alii antiquorum, ac præsertim Græcorum, eadem verba Apostoli exposuerunt de Iudæorum festis: alii vero ad superstitionem Gentilium retulerunt, quod Gentiles passim distinctos haberent dies fastos atq; nefastos. In quem sensum ea accipiens Augustinus, *i* insuper de celebrando in Ecclesia Paschate & Pentecoste, sæpe contra Manichæos *k* hæc impugnantes disputat. Sed & de iisdem festis, ex parte literali & figurata Iudæorum sublatis, ex parte vero spirituali & vera Christianorum, in Ecclesia Catholica stabilitis, agunt præterea Gregorius *l* Nazianzenus atque Basilius. *m* Immo & ritus ipsos quibus ea celebrari deberẽt, Apostolos Ecclesiam docuisse, Hilarius *n* testatur, nec non Epiphanius, *o* agẽs contra Aerium nebulonẽ, qui primus sacros statutos dies impugnare est ausus. Et amplius Hieronymus, *p* etiam obiectiones, quæ ex Apostoli verbis aduersus Christianorum Festorum obseruationẽ captiose elici possent, erudite refellit. Nec est quod rursum quis moueat quæstionẽ de eo quod alibi Apostolus *q* dixit de iis qui *iudicarent diem inter diem &c.* De cibis n. illic agi, communi consensione Patres

locum

a *Aug. ep. 165. & cont. Cresc. lib. 3. c. 29.*

XXVIII.

b *Iuuen. sat. 12. Suet. in Caio cap. 13. Plut. in Pomp. Aeschyl. in Agam. Dio in Nero. Tert. in Apol. c. 35. & ad vx. li. 2. c. 6 Ammian. lib. 21. Serv. in Aen. 5.*

c *Herod. lib. 1.* GENTILES RITVS CHRISTIANA RELIGIONE DEPVRATI.

d *Sen. ep. 66.*

e *Fest. verb.* Cerei. *Macrob. 1. Sat. 7.*

f *Herodot. in Euterp.*

g *Vid. Bed. de loc. sanct. c. 7.*

XXIX.

h *Tert. de idol. c. 14.*

i *Tert. de cor. mil. c. 13. & de idol. c. 15.*

k *Hier. ep. 3.*

l *An. 44. num.* XXXVI.

XXX.

DIVINO MIRACVLO VSVS LAMPADVM COMPROBATVS.

m *Euseb. 6. hist. 8. Greg. PP. 3. dial. 29. 30. Venant. Fort. lib. 4. de vit. S. Mart. Greg. Tur. de mira. S. Mar. lib. 1. c. 34. de glor. confes. c. 3. & lib. 2. hist. Franc. c. 7. Eutyp. in vit. S. Sen. Nor. c. 9. ap. Sur. 8. Ianuar. & alii.*

n *An. 55. num III.*

o *Greg. Tur. de mirac. S. Mart. c. 2.*

DE VSV SACRAE CERAE, IN AGNI SORMAM EFFIGIATAE.

p *Var. lib. 6. de ling. Lat.*

q *Macrob. 1. Saturn. 6.*

a *Vin. Bonardus edidit eius argumenti eruditum libellum.*

b *Act. 20.*

XXXI.

c *Act. 21.*

PAVLI CONSILIVM VENIENDI HIEROSOLYMAM.

d *1. Cor. 9.*

XXXII.

DE FESTIS DIEBVS CHRISTIANORVM.

XXXIII.

e *Col. 2.*

QVAE DIERVM DAMNATVR OBSERVATIO.

f *Tert. aduers. Psych. cap. 14.*

g *Gal. 4.*

h *Orig. cont. Cels. lib. 8.*

i *Aug. ep. 119. ad Ian. & in Ench. c. 79.*

k *Id. lib. 32. cont. Faust. c. 11. 12. cont. Adim. c. 16. & ep. 119. & in Psal. 110.*

l *Greg. Naz. orat. in S. Pent.*

m *Bas. in Isa. 1. & ad Amph. de Sp. S. c. 27.*

n *Hil. praef. in psal.*

o *Epip. haer. 75.*

p *Hier. in Gal. 4.*

q *Rom. 14.*

locum illum explicantes affirmant, licet Hieronymus cõtra Iouinianũ aliter intelligere videatur. Verum iure dicere etiam quisq; poterit, Apostolum de aliis quam Iudæorum festis esse locutum.

XXXIV.

FERIARVM NOMEN CVR DIEBVS INDITVM.

Quod autem Origenes atq; Hieronymus dicunt, Christianos sanctiores non nunc vel illam ad diuinum cultum præscriptam habere diem, sed cunctis propensius diuinum numen venerari; ex his videtur inferri posse, ea potissimum ratione in Ecclesia antiquitus institutũ, vt dies hebdomadæ omnes, FERIÆ nomine dicerentur. Non enim recens, vel à Syluestro Papa huiusmodi est excogitata nomenclatura, quæ ab antiquioribus Ecclesiasticis scriptoribus reperitur vsurpata: quandoquidem Tertullianus *a* frequentet neminit de quarta & sexta Feria, & ait Christianis omnem diem etiam vulgatam consecratione celebrari: sicut & postea Hieronymus *b* dixit, nobis qui in Christum resurgentem credimus, iugem & æternam festiuitatem esse. Accedit huc illa ratio, quod sicut Iudæi *c* Paschalem solemnitatem septem diebus celebrabant; ita placuit alia ratione Ecclesiæ, totidem dies post Pascha solemniter agere, eamque ob causam eos *Ferias* dicere: quarum quoniam prima erat ipsa festiuitas Paschæ, quæ mox sequitur secunda, ac deinceps ceteræ numerentur eodem ordine. Quia vero qualibet die prima, nempe Dominica, eandem Christi Resurrectionis memoriam singulis agẽdam hebdomadis statuerunt; inde etiam factum est, vt sicut in prima Resurrectionis hebdomada dies singuli dicerentur Feriæ, ita etiam fieret sequentibus singulis hebdomadis; cum præsertim Fideles horrerent eosdem à Dijs Gentium nominare, vel Iudaico more à Sabbato, primam, secundam Sabbati, & sic deinceps nomen deducere.

a *Tert. aduerſ. Pſych. c.2. & 14.*
b *Hier. ep. 151. q.10.*
c *Exod.12. Leuit.23. Num.28*

XXXV.

DE DIE DOMINICA.

Cæterum prima Feria, eademque præcipua, tum ob Resurrectionem Domini quæ ea die accidit, tum quod de illa prædictum *d* videatur, *hanc esse diem quam fecit Dominus*, dies DOMINICA est appellata; nec ab aliis quidẽ quam ab ipsis Apostolis: quippe cuius non solum Ignatius *e* qui cum eis vixit meminerit, sed & ipse Ioannes *f* Apostolus: eandemque ipso exordio nascentis Ecclesiæ obseruari cœptam, (mutata in eam obseruatione Sabbati Iudæorum, vt & alibi superius est dictum) qua simul ad sacram Synaxim conuenirent, argumento sunt quæ nuper de conuentu Troade à Paulo habito vna Sabbati dicta sunt; quodq; alio loco *g* idem Apostolus vna item Sabbati pecuniam pro collecta asseruari præcepit. Per *vnam* enim *Sabbati* diem Dominicam intelligendam esse, declarat Augustinus *h*: fieriq; solitas Collectas die Dominica, ostendunt præterea Cyprianus *i*, Chrysostomus *k*, Leo *l*, & alij. Porro Dominicæ diei prærogatiuæ in Synodo *m* coram Theophilo Cæsariensi in Palæstina Episcopo sex à SS. Patribus sunt recẽsitæ: attigeruntq; ex his aliquas Origenes *n*, Athanasius *o*, Hilarius *p*, Basilius *q*, Hieronymus *r*: ab Augustino *s* etiam multæ collectæ leguntur; & S. Leo *t* cæteris locupletius de eius diei Sacramentis agit, itemque Sextæ *u* Synodi adiecti Canones; Vt non immerito eam Ignatius *x* appellauerit *Reginam & Principem omnium dierum*. Cumque eadem non solum *Dominica*, sed & *Dies Panis*, atque etiam *Dies Lucis* dicta reperiatur; tria hæc eiusdem nomina fusius explicat Chrysostomus *y*. Extat insuper de eius diei cultu canon Magni Concilij Nicæni. Et eiusdem obseruationem ab Apostolis institutam affirmans Augustinus *a*, monet imprimis vt ea die Missæ audiantur: quod ipsum, non tam Augustini sententiam, quam communem totius Ecclesiæ vsum secuta, monuit Synodus *b* Agathensis. De Vigiliis quoq; nocte Dominicæ celebrandis extat canon Concilij *c* Matisconensis; necnon nuper citatus canon in Appendice ad Sextam Synodum; quo etiam iubetur, vt ea die more maiorum Oblationes fiant in Ecclesia: sicut & Cyprianus *d* inuehitur in diuites, qui sine oblatione eadem die ad Ecclesiam conuenirent. Sed hæc iam de Dominica sufficiant; quam ex septem cæteris festam nouimus, licet olim (vt dictum est anno superiori) in Oriente & dies Sabbati feriaretur. In eos vero qui Feriam quintam in honorem Iouis absque operatione agerent, grauiter inuehitur Augustinus *e*: quibus videas quanta vigilantia intenderi int Patres, ne in feriationem dierum aliqua irreperet superstitio.

d *Pſalm.117.*
e *Ignat. ep. ad Philip. & ad Magnes.*
f *Apocal. 1.*
g *1. Cor.16.*
h *Aug. ep.86.*
i *Cypr. de oper. & eleemoſ.*
k *Chryſ. ſer. de eleemoſ. & collat.*
l *Leo ſer. 5. de collect.*
m *Ap. Bed. in comment. de Æquinoct. vernali.*
n *Orig. hom. 7. in Ex.*
o *Athan. in illud Matth. Omnia trad. ſunt mihi.*
p *Hilar. præf. in Pſalm.*
q *Baſil. in Hexam. hom. 2. in fin.*
r *Hieron. in Gal. 4.*
s *Aug. ſer. 251. de temp.*
t *Leo ep. 81. ad Dioſc. c.1.*
u *Sext. Syn. c.8*
x *Ign. ep. ad Magneſ.*
y *Chryſ. hom. 5. de reſur.*
z *Conc. Nic. c.10.*
a *Aug. ſer. 251. de temp.*
b *Syn. Agath. c.47.*
c *Conc. Matiſc. c.1.*
d *Cyp. de oper. & eleemoſ.*
e *Aug. ſer. 251 de temp.*

His n. similia scribit S. Gregorius *a* aduersus eos qui diem Sabbati, æquè ac Dominicum feriarent Iudaicè: quod & olim vetuerat Concilium Laodicenum*: at de his actum est in Ieiunio Sabbati.

a *Greg. 11 ep. 3*
* *Conc. Laodic. c.29.*

XXXVI.

INSTITVTIO ALIORVM FESTORVM DOMINI.

Eadem autem ratione, qua Apostoli prædicta Festa seruanda instituerunt; qui ijsdem successerunt Apostolici viri, reliqua quæ sunt postea superaddita introduxerunt: dicantes videlicet (quod ait Augustinus *b*) sacrantesque anniuersarijs solemnitatibus atque festis, ea quæ inligniter excellentia certis diebus facta sunt, vt eorum necessariam salubremq; memoriam festiuitas concelebrata custodiat. Hac, inquam, ratione & Festa NATALIS Domini, EPIPHANIORVM, & ASCENSIONIS, celebranda in Ecclesia sunt salubriter suscepta: quamuis & hæc ipsa ab Apostolis instituta esse, & legatur in qualiscunque authoritatis Constitutionibus *c* Clementis nomine editis], & piè credendum sit: quia quo tempore ceteræ Sanctorum festiuitates agi cœperint aliqua est memoria; de his autem nullum inuenitur institutionis exordium. Sane antiqui Patres qui iis diebus homilias ad populum habuerunt, de his festis vt de re antiquissima locuti sunt. Quod autem Paulinus *d* ea diuinitus esse instituta scripsit, in eum sensum accipiendum est, vt quemadmodum Deus, qui in Decalogo legem præscriptam dedit qua festos dies iuberet coli, eos postea illos esse declarauit quibus maxima quædam ipse contulisset in Hebræum populum beneficia; sic cum per missionem Filij sui ingentia humano generi largitus sit beneficia, æquè voluerit eorum memoriam anniuersaria celebritate coli.

b *Aug. de ciu. lib. 10. c.4. & cont. Faſt. lib. lib. 32. c.12.*
c *Clem. 5 Conſt. 13. & 20.*
d *Paulin. Natal. 9. S. Felic.*

XXXVII.

FESTA SANCTORVM.

Sed quod spectat ad Festa Sanctorum, dicta à maioribus NATALITIA, quæ & alia occasione superius attigimus; eadem inducta esse Apostolorum auctoritate, (quod & testatum habetur apud *e* Clementem) satis probari videtur ex eo quod eidem traditioni complures antiquissimi scriptores adstipulentur; atque imprimis non multo post tempora Apostolorum, Ecclesia Smyrnensis *f* agens de celebritate martyrij Polycarpi Episcopi sui, aliorumque qui eum præcesserant Martyrum: Itemque Origenes *g* qui sub Seuero Imperatore vixit, dum ait, bene & secundum voluntatem Dei memoriam infantium Innocentium SS. Patres celebrari mandasse sempiternam in Ecclesijs. Eodemque tempore Tertullianus *h* ex eadem maiorum traditione affirmat, Christianos annuis diebus Natalitia facere solitos. Sicut & post eum Cyprianus *i* testatur, se Martyrum passiones & dies anniuersaria commemoratione celebrare cõsueuisse. Et alibi *k* Clerum suum Carthaginiensem monet, vt dies eorum qui martyrio mortem oppeterent, Ecclesiasticis Tabulis adnotarent, quo eorum memoriæ celebrari possent. Magnum item illum Thaumaturgum Gregorium instituisse suos, quos nuper ad fidem conuerterat, vt celebrarent Natalitia Martyrum, auctor est Gregorius Nyssenus in eius Vita. Deniq; vt vna sententia rem absoluam, neminem post recensitos reperire est sanctorum Patrum rerum Ecclesiæ tractatorum, qui vel homilias in sanctorum Martyrum Natalitijs non scripserit, vel alia occasione eorundem non meminerit. Nec vero tantum martyrio consummatorum, sed & cæterorum Sanctorum peragi solitas in Ecclesia anniuersarias celebritates, Gregor. Nyssenus declarauit, cum in festo die fratris sui Basilij eum pro concione laudauit: Sicut & Gregor. Nazianzenus, qui pariter Athanasium iamdiu ante vita functum eadem de causa visus est encomio celebrasse: quod & postea permulti alij de aliis egere.

e *Clemen. 8. Conſt. 39.*
f *Ap. Euſeb. 4. hiſt. 14.*
g *Orig. hom. 3. in Matth.*

XXXVIII.

FREQVENS VSVS EORVM

Quanta vero animi alacritate eiusmodi festiuitates maiores nostri agere consueuissent, adeo vt nec quibusuis maximis persecutionibus, nec ipsis etiam carceribus prohiberi possent, quin vna simul quantũ loci & temporis opportunitate daretur, sacras Synaxes agerent, festosq; dies celebrarent; satis declarant quæ de ijs scripsere Dionysius *l* Alexandrinus, Cyprianus *m*, & alij; sed magis ipsa sanctorum Martyrum Acta, ac præsertim Proconsularia fidelissima Saturnini *n* & sociorũ, quæ ab Augustino *o* citantur; necnon S. Sebastiani *p*, & alia id genus. At reddita Ecclesiæ pace, quanto celebriori ac frequentiori conuentu Festa celebrarentur, inter alia fere innumera exempla, de

h *Tert. de cor. mil. c.3.*
i *Cypr. ep. 34. ad Cler. Carthag.*
k *Id. ep. 37.*
l *Ap. Euſeb. 7. hiſt. 10. & 17.*
m *Cyril ep. 5.*
n *Ap. Sur. 11. Febr.*
o *Aug. in Breuic. Collat. di. 3. c.17.*
p *Ap. Sur. 20. ianuar.*

vtu Ecclesiæ Orientalis locuples est testis Gregorius Nyssenus in oratione quam habuit in natali die S. Theodori martyris: qui idem in festo die SS. Quadraginta Martyrũ, ob frequentissimum cœtum, hominumque compressionem & strepitum, coactus est luculentam orationem, quã in laudem Martyrum inchoauerat, inabsolutam relinquere, & die sequenti resumere *a*. De Occidentali vero Ecclesia, vt omittamus dicere de Natalitio Apostolorum, à quo abesse, testimonio *b* Gallæ Placidiæ, sacrilegium putabatur) egregij pariter sunt testes Prudentius *c*, Paulinus *d*, & alij: qui & pariter agunt de muneribus quæ solerent sic conuenientes ad festa Martyrum, offerre ad sepulchra illorum. Quin etiam in eiusmodi celebritatibus, introductam fuisse laudabilem consuetudinem, vt bene precando festos dies se inuicem Christiani salutarent, non præsentes tantũ, sed & absentes per literas, quas Festiuas nominarent, testimonio sunt complures eiusmodi Epistolæ Theodoreti, datæ in diuersis Sanctorum festiuitatibus. Cæterum quod festa celebrantes maiores nostri, non sic (vt calumniabantur hæretici, ac præcipuè Manichæi) mutarint idola in martyres; nec fecerint Gentiles deos suos, sic ipsi homines coluerunt; sæpissimè aduersus eosdem hæreticos demonstrauit Augustinus *e*: quæ eadem abunde sufficere possunt contra Nouatorum hodiernorum obiectiones, qui easdem ipsas Manichæorum antiquas calumnias adhuc repetere non sunt veriti. Sed de his modo satis; iam ad Paulum redeamus.

Qui cum adhuc Mileti esset, (inquit Lucas *f*) *mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ*. Porro non tantum Presbyteros, sed & Episcopos qui erant tum Ephesi, tum etiam in proximis ciuitatibus constituti, à Paulo vocatos Irenæus affirmat. Habita vero ad eos exhortatione, inde in Syriam nauigans, post multos dies appulit Tyrum *h*, vbi nauis qua vehebatur exponitura erat onus. Obseruatione autem dignum putamus, cum Apostolus tam apud Miletum quam in Tyri litore, positis genibus orasse dicatur à Luca, nequaquam ipsum (quod etiam nuper est dictum) Christiano more celebrasse Pentecosten: siquidem (vt Tertullianus *i* ait, & alij omnes ex antiqua Ecclesiæ traditione testantur) die Dominico, & à die Paschæ in Pentecosten nefas duceretur de genicalis adorare. Sed de eo ritu paulo post. Huius vero rei causa, instituti ratio à nobis exigit, vt de antiquis Ecclesiæ RITIBVS in PRECIBVS publicis adhiberi solitis, hic potissimum agamus.

Imprimis igitur quousque Dei Ecclesia sub Gentium Regibus vndique quasi hostilibus obsessa permansit, haud liberum fuit patenti aliquo signo Fideles ad Synaxim cõuocare: Et quamuis certi ad eam rem statuti essent dies, vigente tamen persecutione necesse erat frequenter mutare loca, eademque nec inuentu facilia. Quare priuatim singulos à ministro Ecclesiæ, dicebatur *Cursor*, (de quo iam dictum est superius) Episcopi, seu presbyteri, vel diaconi monitu vocari opus erat. Vnde est Ignatij *k* ad Polycarpum Epistolam, & ad Heronem diaconum admonitio, vt ad Synaxim omnes Fideles nominatim inquiri curarét. Haud n. assentimur Amalario *l*, existimanti tempore persecutionis, *sonitu lignorum* (vt fit hodie tribus vltimis diebus Maioris hebdomadæ) ad Synaxim vocari solitos Christianos. Nam nec ratio patitur, vt cum hæc illi secretius agenda curarent, tanto lignorum strepitu Gentilium aures & oculos in se conuerterent; nec eius rei [redacted] aliquod prorsus reperitur vetus monumentum; nec deniq; verum fuisse apparet, solitum esse olim (vt nunc ea fit ratione tribus illis diebus) mœstitiæ tantum tempore ad cõuocandum populum ligna pulsari. Nam in Secunda Nicena *m* Synodo, ex libello ei oblato de miraculis martyris Anastasij expressum habetur, in maxima etiam ac publica lætitia solita pulsari ligna. Et haud memini apud aliquem legisse, exceptis dictis diebus, aliquando Ecclesiam consueuisse populum conuocare pulsatione lignorum; sed tantum cœnobiorum *n* monachos: quamuis in his etiam diuersa esset consuetudo, dum alibi singillatim fores *o* singulorum monachorum signo mallei pulsari, & alibi voce Alleluia *p* altius decantata moniales ad Synaxim vocari solitæ reperiuntur.

At post redditam Ecclesiæ pacem (quo tamen id fieri cœptum sit anno, nobis est incompertum) ex edito loco *Tintinabulorum* sonitu, quæ postea à prouincia vbi primo grandiora fieri cœperunt *Campana* sunt appellata, populus ad Ecclesiam vocari cõsueuit. Sicut & Gentiles sonitu tintinabuli ad thermas *a* & operas *b* conuocasse homines, certum est: & excubiarum præfectos secum ferre solitos ad explorandos vigiles tintinabula, vt ijs auditis responderent, testatur Suidas *c*. Qui vero primus tintinabula, ad ianuas poni solita, in editioni loco Iouis Capitolini posuerit, apud Suetonium *d* Augustus fuisse legitur. Et apud Syros quoq; in sacris adhibita tintinabula, Lucianus est auctor. At vero Iudæos ex eminenti turri sonitu *Tubæ* populo Sabbata indicare consueuisse, iam alias dictum est ex Iosepho *f*.

Quod ad situm corporis in precatione spectat; *Ad* ORIENTEM olim maiores nostros adorare solitos, exploratum est; cum alioqui Iudæi ad Occidentem spectantes (vt ex diuina Scriptura *g* Hieronymus attestatur) adorandi vsum haberent: quod & ipso Templi situ demonstratur, dum illud Aristæas *h* ad Orientalem plagam spectasse affirmat. Sed hæc Hierosolymis. At qui foris essent (vt idem testatur auctor) vbicunque reperirentur, conuersi ad Templum orabant, sicut & fecisse Danielem *i* & diuinam *k* scripturam faciendum admonuisse constat. Post CHRISTI Ascensionem, id etiam agendum suos docuit Elexai *l* hæreticus, qui vixit Traiani temporibus. Porro cum antiquissima Gentilium templa, Clemens *m* Alexandrinus asserat faciem habuisse versam ad Occidentem, vt qui starent vultu conuerso ad statuas, docerentur verti ad Orientem: idque ipsum Pythagoricis fuisse in vsu tradatur; sed & Vitruuius *n* eodem modo, eademq; ratione templa ædificanda proponat: contra vero Porphyrius *o* atq; Lucianus *p* veterum templorum statuas & ingressus Orientem spectasse testentur, quo ad Occasum funderentur preces: Ex his dici posse videtur, diuersum fuisse secundum diuersos populos adorandi ritum apud Antiquos Ethnicos. Qui autem dixerunt, Iudæos quoq; adorare solitos ad Orientem, diuinæ (vt vidimus) Scripturæ auctoritate refelluntur: nec qui citatur locus Paralipomenon *q*, dicit Leuitas ad Orientem conuersos precatos esse, sed tantum stetisse ad Orientalem plagam altaris.

[Obseruant tamen alij, pariter ex diuinis Literis, & Theodoreto, Templum Salomonis ad Occidentalem plagam spectasse: Nec repugnare Aristæam & Iosephũ, dum τὰς πύλας τὰς εἰς ἀνατολὴν βλέπειν φάσι, ad auroram & orientem cõuersum fuisse scribunt: quia de vestibuli, non de frontis prospectu loquuntur. Christianorum vero etiam ædes sacras ab exordio in Orientem conuerti solitas, veterum Scriptorum auctoritate obseruauit Baronius supr. anno 57. numer. xxxii. Quod siquid interpellaret, altare saltem eo dirigebant: quo situ Romæ plurima visuntur. Ideoque notatos quondam Antiochenos scribit Socrates lib. 5. cap. 21. quod ab vsitato ritu discederent, dum eorum altaria non ad orientem, sed ad occasum spectarent. Verum quid de his sentiendum sit, diffuse (vt spero) æquèque eruditè declarabit lectissimæ vir literaturæ *Nicolaus Alemannus*, Bibliothecæ Vaticanæ Custos dignissimus, nobisque pia familiaritate coniunctus, tractatu quem præ manibus habet de sacrarum cultu imaginum, vbi erit & de situ templorum opportuna dicendi occasio.]

At vero penes antiquos Christianos quam inuiolabiliter obseruaretur, vt ad Orientem conuersi funderent Deo preces, ex his imprimis affirmari posse videtur, quod Gentiles eam ob causam dicerent Christianos adorare Solem, prout Tertullianus *r* testatur. Hunc autem orandi ritum ab ipsis Apostolis esse traditum, complurium antiquorum Patrum *s* testimonio comprobatur: apud quos etiam videre est quamplurimas eiusmodi sacri mysterij egregias rationes. Cum vero istius ritus occasione, in nonnullos clanculum superstitio quædam Romæ irrepsisset; nequid ea in re commune cum Gentilibus, aut Priscillianistis, qui Solem Orientem adorare consueuerant, Fideles haberent, S. Leo *t* Papa quam citissimè prospiciens, ab eo ritu abstinere iussit. Porro quod Oriens fons velut quidam luminis haberetur, atq; Occidens esset hieroglyphicum tenebrarum; inde etiam ea vetus fuit in Ecclesia obseruatio, vt baptismate initiandi, diabolo prius renunciaturi Occidentem versus statuerentur, sicq; positi tertio illa renunciantium ver-

ba pro-

XL. DE RITIBVS IN PRECIBVS

XLI. DE VSV TINTINABVLORVM.

XLII. ORARE AD ORIENTEM.

XLIII. DE PVLSATIONE LIGNORVM.

a Greg. Nyss. orat. 1. & 2. in 40. mart.
b Gal. Imp. ad Pulch. Aug. in præmb. Cõc. Chalced.
c Prud. peristeph. hym. 11.
d Paulin. in Natal. S. Felic.
e Aug. 20. cont. Faust. 21. & lib. 22. c. 2. & q. ser. 201. de diuers. c. 10.
f Act. 20.
g Iren. lib. 3. cap. 14.
h Act. 21.
i Tert. de cor. mil. c. 3.
k Ign. ep. 11. & 13.
l Amalar. de Eccles. offic. cap. 21.
m Conc. Nic. 11. Act. 4.
n In libel. de mira. S. Anastas. Act. 4.
o Conc. Nic. 11.
p ap. Cyril. in vit. Theodos. cœnob. &c.
q Pallad. in Lausiac. Hier. ep. 27. ad monach. Paula.
a Martial. lib. 14. Epigr. Inscr. Sat. 6.
b Lucian. de merced. cond. Senec. ep. 95. & de brev. vit.
c Suid. verb. κώδων ὀφεσῶν.
d Sueton. in Oct. a. c. 91.
e Lucian. de merc. cond.
f Ios. 5. de bel. 9.
g Ezech. 8. & ibi Hieron.
h Arist. de 72. Interpp.
i Dan. c. 6.
k 3. Reg. 8.
l Ap. Epiph. de Nyssen. lib. 1. c. 19.
m Clem. Alex. Strom. lib. 7.
n Vitru. lib. 4. cap. 5.
o Vid. Cæl. Rhodig. lib. 12. cap. 2.
p Lucian. lib. de Domo.
q 2. Paralip. 5. v. 12. Citatur ap. Clem. 7. Constit. 44.
r Tertul. Apolog. c. 16.
s Ap. Iust. q. 118. Orig. hom. 5. in Numer. Athan. lib. 9. q. 14. Basil. de Sp. S. c. 27. Damasc. 4. de fid. Orthod. 13.
t Leo ser. 7. de Natiuit.

a *Dionys. de Eccles. hier. l. 2. par. 3. c. 2.* b *Cyr. Catech. 1. mysta 9.*

ba proferrent; iidemque postea CHRISTVM Dominum confessuri, ad Orientem conuersi id totidem vicibus facerent: quod testatur Dionysius *a* Areopagita, & Cyrillus *b* Hierosolymitanus.

XLIV. HABITVS CORPORIS IN ORATIONE.

Sicut autem distincta sunt tempora pro ratione diuinorum mysteriorum, ita pariter fuere distincti in Ecclesia PRECANDI RITVS. Nam cum alias genibus flexis, vel si qua aliquando sæua vrgeret necessitas, prostrati in terra, iunctis, vel etiam aliquando expansis manibus, & in altum elatis, Fideles precari consueuerint; (de quibus ritibus innumera occurrunt vbiq; exempla) tamen quod dies Dominicus resurrectioni Domini esset consecratus, ideo nonnisi *stantes* Fideles ex antiqua Ecclesiæ traditione eo die; itemq; à Pascha vsq; ad Pentecosten orare solitos, Tertullianum *c* iam citauimus testem: eamq; consuetudinem à temporibus Apostolorum accepisse initiũ, asserit Auctor *d* Quæstionum apud Iustinum, ex Irenæi sententia in libro de Paschate. Quæ si vera sint, tamen post hæc tempora de quibus nos modo historiam ex Luca teximus, non ante, id esse cœptum videtur; quandoquidem hoc anno (vt vidimus) Paulus tempore quod interlabitur à Paschate in Pentecosten, Mileti & Tyri patrio ritu positis genibus adorauit. Porro eiusdem ritus cæteri quoq; antiquorum Patrum meminerunt; nec est opus recensere singulos. Sed *Sedendo* adorare, extra disciplinam esse, Tertullianus *e* ait. Viros autem *detecto capite*, feminas *tecto*, in Ecclesia orare debere, est Apostoli ad Corinthios *f* scribentis institutio; de qua dictum est anno superiori. Cur vero Romani Gentiles nonnisi tecto capite Deos precarentur, exceptis Saturno & Honore, Plutarchus *g* pluribus differit. Vtque in precationibus aliquando suum quis *pugno tundat pectus*, Publicani à CHRISTO adeo commendati *h* probat exemplum: atq; eo signo animi pœnitudinem declarari, facto illorũ qui post CHRISTI passionem reuertebantur *i*, significatur: quod & Nicolaus Papa docet, rescribens ad Consultationes Bulgatorum.

c *Tert. de cor. mil. c. 3.* d *Ap. Iustin. q. 115.* e *Tert. de orat.* f *1. Cor. 11.* g *Plut. quæst. Rom. 19. 11. 12.* h *Luc. 18.* i *Luc. 23.*

XLV. DE PROCESSIONIBVS.

Procedentes item aliquando ad loca Martyrum, solitos Fideles publico cõuentu fundere ad Deum preces, Tertullianus *k* & Hieronymus *l* indicãt. Estq; mentio de PROCESSIONIBVS in Concilio Laodiceno *m*: quas easdem à Patribus dictas esse LITANIAS, quod expiationis causa vrgente aliqua necessitate indici publicè consueuerint, multa exempla declarant *n*. Easdem vero in Ecclesia Neocæsariensi temporibus Magni Gregorij Thaumaturgi peragi soliras, auctor est Basilius *o*, & postmodum in cæteris Orientis Ecclesijs constat fuisse frequentatas: adeo vt eas solemniori pompa etiã Ariani fuerint *p* æmulati, quibus Arcadius Imperator eas edicto *q* promulgato inhibuit. Sed percelebres, & ab vniuersa Ecclesia receptæ sunt illæ, quas postea Mamertus Episcopus Viennensis in Gallia instituit, siue restituit temporibus Valentiniani Tertij, & ROGATIONES appellatæ sunt; de quibus dicetur suo loco pluribus.

k *Tert. ad vxor. lib. 2. c. 4.* l *Hieron. ep. 22 ad Eustoch.* m *Con. Laod. c. 17.* n *Greg. PP. lib. 2. Regist. in pr. & lib. 11. c. 2. & 9. ep. 45. Ind. 4. Greg. Tur. lib. 10. hist. Franc. c. 1. Gennad. Massil. c. 99. Paul. diac. de gest. Langob. lib. 3. c. 11. & alij.* o *Basil. ep. 63. ad Neocæs.* p *Soer. lib. 6. c. 8. Sozom. lib. 8 cap. 8.* q *l. 30. C. Th. de hæret.*

XLVI. PHILIPPVS EVANGELISTA EIVSQVE FILIÆ VIRGINES.

Tyro *r* discedens Paulus, Ptolemaidem primo, inde Cæsaream Palæstinæ venit; vbi diuertit in domum Philippi Euangelistæ, vnius ex septẽ Diaconis; cui erant quatuor filiæ virgines prophetantes. Hæc Lucas. Cur vero *Philippus* dicatur *Euangelista*, non id accidit quod scripsisset Euangelium, sed (vt altas diximus) ob prædicationem Euangelij. Quemadmodum & Paulus cum Timotheum hortatus est, vt faceret opus Euangelistæ, nequaquam voluit admonuisse vt scriberet Euangelium, sed vt, quod ad Euangelij prædicationem spectaret, esset omnibus numeris absolutus. Porro in his quatuor Virginibus filiabus Philippi, quarũ Lucas meminit, post Crucem Christi consecratas esse *Primitias Virginitatis*, tradit Hieronymus *s*. Quod autem Clemens *t* Alexandrinus ait, Philippum filias suas nuptui dedisse; cum de Philippo Apostolo loqui, manifeste demonstrant ipsius verba. At vero Philippi quoq; Apostoli filias fuisse virgines, Polycrates est auctor apud Hieronymum *u*. Sed de quo Philippo hæc sint accipienda, videtur fuisse penes Antiquos controuersia, dum apud Eusebium *x* eædem filiæ modo Apostolo, modo Euangelistæ tribuuntur. Quid in his dicamus, non habemus; nisi quod quæ dicuntur de Philippi diaconi filiabus, iisdemq; virginibus, ex diuina Scriptura sibi vendicant auctoritatem; quæ vero de filiabus Apostoli ab aliis sunt relata, ex incerto feruntur auctore; & nominis errore iactata putantur, dum quæ sunt Philippi Diaconi, Apostolo sunt adscripta: cum præsertim Hieronymus *b* profiteatur, nullam haberi certitudinem, præter Petrum, aliquem alium Apostolorum coniugio fuisse obligatum. Porro Clementis de nuptiis filiarum Philippi assertio, omnium attestatione reijcitur: cum quotquot de his agunt scriptores, omnes ex æquo easdem Virgines nominent. Legimus autem in Menologio *c*, vnam ex illis, *Hermionem* dictam, sub Traiano Imperatore grauissima passam, in Domino quieuisse. Sed reliqua prosequamur.

r *Act. 21.* s *Hier. cont. Iouin. lib. 1.* t *Clem. Alex. lib. 3. Strom.* u *Hieron. in Script. Eccl. in Polycrate. Doroth. in Synops.* x *Euseb. hist. 25. & 33. & in vers. Ruffin. lib. 3. c. 31.* b *Hier. cont. Iouin. lib. 1.* c *Menol. Græc. prid. Non. Sep.*

XLVII. d *Act. 21.*

Cum Cæsareæ ageret Paulus *d*, ab Agabo Propheta prẽmonitus fuit de vinculis quæ eum Hierosolymis expectarent; nec tamen dissuaderi potuit à discipulis eo properare. An autem, sicut in animum duxerat, peruenit Hierosolymam tempore Pentecostes? Sane cum constet *e* eum post dies Azymorum (qui proximè sequebantur Pascha) soluisse Philippis, si quis postea numeret tempus quod in itinere insumpsisse Lucas minutatim describit, consideretq; prospera vbique vsum nauigatione; facile reperiet Pentecostes solemnitate instante ipsum Hierosolymam peruenisse; quod & Chrysostomus *f*, eandem rationem dierum iniens, confirmat. Illic autem narratis in conuentu Seniorum apud Iacobum Apostolũ Hierosolymorum Episcopum, quæ Deus fecisset in Gentibus per ministerium ipsius, idem Paulus, quod male audiret apud Iudæos Christianos factos, quasi discessionem doceret à lege Mosis; vt hoc falsum esse monstraretur, ab eodem sacro conuentu monitus est, vt cum quatuor aliis viris votum habentibus super se, sanctificaret se & caput raderet. Quippe tunc adhuc, quemadmodum *g* Gentiles minime compellebantur ad legalia, ita nec Iudæi ab ijs prohibebantur velut à nefario.

e *Act. 20.* PAVLVS HIEROSOLYMAM ADVENIT. f *Chrys. hom. 45. in Act.* g *Aug. ep. 19.*

XLVIII. DE NVMERO SYNODORVM APOSTOLORVM.

Porro Quartam hanc nonnulli nominant SYNODVM APOSTOLORVM: Primam enim numerant, in qua actum est de electione Matthiæ; Secundam, de Diaconorum electione; Tertiam, de non cogendo Gentes circumcisionem accipere; Nouissimam vero istam, in qua rogatio facta est ne credentes Iudæi prohiberentur vti legalibus. Verum hæc familiaris potius fuit admonitio, quam Synodica constitutio; eaque occasione adhibita, magis dispensatio, quam dogmatis definitio. Addunt nonnulli *h* auctoritate Pamphili martyris, aliam Antiochiæ habitam; vbi & Canones quosdam conditos volunt: cuius etiam meminisse videntur Innocentius *i* Papa scribens ad Alexandrum Episcopum Antiochenum, & Gregorius Episcopus Pessinuntis in Nicæna Synodo *k* Secunda. Est autem plane consideratione dignissimum, Paulum, qui legalium causa Antiochiæ restiterat Petro, quiq; sæpius antehac suis Epistolis de iisdem ablegandis aperta suffragia dederat, tantum Seniorum modo conuentui detulisse, vt illorum arbitrio per dispensationẽ in seruandis legalibus impenderit officium.

h *Vid. Tur. admir. Mag. de. l. 1. c. 25. & Bar. ad Tom. II. ann. 101.* i *Innoc. ep. 18. ad Alex. Antioch.* k *Conc. Nic. II. Act. 1.*

[Si omnes Apostolorum conuentus ad definiendum aliquid habiti, debuerunt vocari *Concilia*, siue *Synodi*, cur plures aliæ reperientur, & in ijs adnumeranda vel maxime illa, qua antequam separarentur ab inuicem, Symbolum Fidei condiderunt; de qua sup. ann. 44. VIII?

XLIX. i *Act. 21.* PAVLVS IMPLET MVNVS NAZARÆORVM. m *Num. 6.*

Ipse igitur assumptis viris (inquit Lucas *l*) postera die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro vnoquoq; eorum oblatio. Quæ autem essent eius officij cæremoniæ, liber *m* Numerorum docet; nimirum vt abstinerent à vino, caput raderent, & finito tempore agnum, ouem, & arietem offerrent in templo, capillosq; deponerẽt qui cremarentur vna cum sacrificio pacificorum. Hæc autem omnia vna cum reliquis Nazaræis Paulum præstitisse, satis Acta declarant. Sed quoniam certum tempus quo abstinerent à vino Nazaræi lege definitum minimè reperitur; his temporibus ex cõsuetudine triginta dies ei rei præfinitos Iosephus *n* docet. At quomodo Paulus triginta diebus perseuerauit abstemius, cum inopinato & ante diem tantum vt id faceret cũ aliis admonitus esset? Ex his certè colligi planè posse videtur, ipsum à vino penitus temperasse; sicque haud impossibile ei fuisse Nazaræorum in

n *Ios. 2. de bel. 15.*

templo

templo munus explere: alioqui fuisset hæc potius quædam legis illusio, & simulatæ sanctitatis effictio, ac in re gesta affectatum mendacium; indigna prorsus omnia, quæ non tantum de Apostolo, sed nec de quolibet Christiano dicantur.

Cæterum sicut apud Iudæos NAZARÆI religionis ergo *capita in templo radenda* offerrent; ita scimus & apud Græcos, Tragenios, & Assyrios Iudæis confines, æmulatos esse eiusmodi ritum tondendi capillos, eosdemque in templo *offerendi numini; sicut & abstinentiam ab esu porcinæ carnis, & alia: itemque Romanos *a*, cum primum barbam raderent atque crines, ea numini dedicare solitos. At vero ex huiusmodi sacro ritu Nazaræorum, qui cæteris Iudæis sanctiores haberentur, Apostolica traditione in Ecclesiam deriuatum asseritur, vt qui à communi hominum vita recederent, & exquisitius viuendi genus affectantes per omnia sese diuino cultui manciparent, æquè *raderent capita sua*. Docet hæc pluribus Isidorus *b*; idque mysticè agi tradit vt eo signo & religione vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur; atque inde innouatis sensibus, vt comis rudibus enitescamus: eam vero renouationem in mente oportere fieri, sed in capite demonstrari vbi ipsa mens noscitur habitare. Quod autem detonso superius capite, inferius circuli corona relinquitur; eo signo regale Ecclesiæ Sacerdotium demonstrari ait. Sed quod non integra clericorum vel monachorum capita raderentur, illa etiam causa suppeditari posset, ne scilicet Iudaizare viderentur cum Nazaræis; & cum Gentilibus superstitionem sectari Isidis, Serapidis, & aliorum eiusmodi Sacerdotum, qui omnes corporis pilos & capillos capitis penitus *c* abradebant: itemque, vt vitæ (semel diuino cultui per capillorum oblationem mancipatæ, eo signo sæpius iterato assiduè meminissent. Verum & alia rursum affertur eiusdem ritus causa, nimirum ob iugem memoriam spineæ Coronæ impositæ Capiti Domini: idque à Petro aliisq; Apostolis factitatum, & Ecclesiæ traditum, certa assertione apud Bedam *d* legitur, & ab aliis *e* confirmatur. Est insuper & alia, quæ à Germano *f* Episcopo Constantinopolitano adducitur, nempe quod Petrus Apostolus apud exteras nationes prædicans Euangelium, derisionis & ignominiæ causa ab inimicis Euangelij eo modo tonsus fuerit.

Quæ cum ipse scribat, quantumlibet vnde acceperit auctorem non citet, ex maiorum tamen traditione mutuatum esse credendum est: cum sciamus consueuisse nonnunquam eiusmodi ludibrio Romæ affici Philosophos, sicut de Apollonio Tyanæo à Domitiano coma & barba tonso Philostratus *g* scribit: & si qua fides adhibenda est Pseudo-Prochoro, Ioannes etiam Euangelista ab eodem Imperatore capite attonsus est. Cyprianus *h* quoque testatur, damnatos ad metalla semitonderi consueuisse. Sed & abrasionem capitis ac superciliorum, signum fuisse hominis pessimi & fraudulentissimi, Cicero *i* demonstrat: & Lucianus *k* depingit motionem deraso capite, sed pauculis capillis in vertice relictis, & in cristæ modum erectis: in quem modum aliquos Numidas iuxta cutem tonsos, cultu vertice solo immuni, etiamque equis cæsariatos incedere solitos, Tertullianus *l* ait. Sic & Caligula adolescentulos pulchros & comatos, quoties sibi occurrerent, occipitio raso deturpare solitus dicitur à Suetonio *m*. Et moris fuisse apud Romanos, seruorum radi capita, Tacitus & alij testantur. Sicque videas, non vnius generis fuisse capillorum tonsiones vel abrasiones, licet omnes fere ad inurendam ignominiæ notam excogitatentur. Porro capitis quoque abrasionem manumissionis fuisse notam *n*, (sicut & pileum) & liberationis à maris tempestate *o*, auctores tradunt.

Sed vt ad institutum redeamus, ea quæ Principi Apostolorum derisionis causa illata est infamiæ nota, totius Ecclesiæ honori cessit. (Et quid mirum, cum ipsa quoq; pœnarum instrumenta, vt alias vidimus, pietas Christiana in amplissimam gloriam commutare consueuerit?) Nam præter illa quæ de Apostolica institutione sunt ex dictis nuper auctoribus recensita, non alio id certè fonte fluxisse, visus est Orbis vniuersus pari consensione testari, dum nulla vnquam prouincia Christi nomen accepit, quæ non æquè eandem TONSVRÆ CLERICALIS obseruationem susceperit. Quonam alio, quæso, quam Apostolorum præconio; præsertim nullo præcedente maiorum exemplo? Nam si Iudæos spectes, vnde manauit Christiana religio, diuina lege Sacerdotes *a* prohibiti sunt radere caput ac barbam, & communiter *b* omnes vetiti in rotundum attondere comã. Gentilium vero Sacerdotum abrasionem, plane diuersam à nostra fuisse vidimus: cum alioqui nullus sanæ mentis existimauerit, Christianos voluisse imitari illos, quorum non tantum sacra, sed & Sacerdotes eam præsertim ob causam tantopere deriderent; vt constat ex antiquorum Patrum aduersus Gentes scriptis Apologiis, in quibus vtiq; hæc omnia fusius inueniuntur explicata.

Certe adeo peruulgata in orbe fuit eiusmodi Christianorum obseruatio, vt nec scriptores Ethnici de ea tacuerint. Siquidem Ammianus *c* Marcellinus scribit, temporibus Iuliani Apostatæ, apud Alexandriã Diodorum quendam Ecclesiæ ædificandæ præfectum, ab Ethnicis fuisse supplicio affectum, *quod cirros puerorum licentius detonderet*: nihil aliud significans, nisi pœnas dedisse eo prætextu quod complures pueros in clericos cooptaret. Capillorum enim tonsura clericos initiari (vt etiam modo fit) antiquitus consueuisse, satis est exploratum. Sed & Otreius Epitus consueuisse, satis est exploratum. Sed & Otreius Episcopus Melitensis, sanctitate & doctrina celeberrimus, qui claruit temporibus Theodosij Senioris, cuius & sanctionibus *d* commendatur, cum Euthymium ordinauit Lectorem, *pilos* (inquit Cyrillus *e*) *qui ex lege tondentur pueris, totorem dit*. At quod amplior esset illorum tonsura qui maioribus initiarentur Ordinibus, hinc de quodam Euagrius *f* ait, *Coma abrasa designatum esse presbyterum*. Estque mentio eius ritus apud Dionysium *g*, cum agitur de his qui in monachos cooptantur; eiusque spiritalis sensus declaratur. Habetur item apud Anastasium *h* de Aniceto Papa, *constituisse secundum præceptum Apostoli, ne clerici comam nutrirent*; hoc est, vt qui sanctioris vitæ manciparentur ordinib. excluderentur. Sicut etiam in Conciliis tonsura vitæ signum ferrent. Carthaginiensi *i* & Agathensi *k* edicitur, *ne clerici comam nutriant, sed tondeant*. Hæc enim de tonsura in modum sphærulæ vel coronæ, accipienda esse, non autem de præscripta à Paulo *l* lege, ne viri mulierum exemplo comam nutrirét, satis indicant quæ de eodem Ecclesiastico ritu ab aliis auctoribus dicuntur. Et alioqui, quid tam instanter clericis faciendum esse, mandari opus fuisset à Pontificibus, aut Conciliis, quod Apostolico præcepto quiuis laicus facere teneretur? Cæterum cum omnes vbiq; clerici ad Tonsuram æquè obligarentur; haud tamen fuit semper de eius modo omnium vna consuetudo Ecclesiarum. Nam postmodum in Hispania, occasione quorundam hæreticorum, qui eandem cum Catholicis vsurparent tonsuram, Patres Concilii *m* Toletani Quarti ita dilatandam illam omnibus clericis præcepere, vt detonso superius capite toto, inferius sola relinqueretur corona circuli. Quã quidem formam habes in S. Nicetio Episcopo Trevirensi diuinitus efformatam: quem narrat Gregorius *n* Turonensis, ab ipso partu caput habuisse, cætera quidem (vt mos est infantium nascentium) capillis nudum, in circuitu vero modicorum pilorum ordine decorum, *vt putares* (inquit) *Coronam clerici fuisse signatam*.

At vero distinctam fuisse Tonsuram Monachorum, ab ea quæ est Clericorum, certum est: cum illi non tantum verticem capitis sicut clerici, sed totum fere caput cute tenus tondere consueuissent; nempe vt sic quod esset vitæ illorum studium, nimirum peccata lugere, declararent. Abrasionem quippe capitis, hieroglyphicum fuisse mœrentis hominis, non solum proditur testimoniis diuinæ *o* Scripturæ, sed assertionibus etiam externorum *p*. Eoque spectat quod Synodus Toletana *q* Tertia statuit, vt publicè pœnitentibus imprimis Episcopus vel presbyter caput tonderent. Solum apud antiquos Romanos, quod tonsa barba ac capite solerent incedere, in maximo luctu capillum & barbam promittere *r* mos fuit: quod & reos consulum & barbam promittere *r* mos fuit: quod & reos consulum & barbam promittere *r* mos fuit: quod & reos consul

num *a*, & post eos Saluian. de Prouidentia *b*, dum acerbissimi Africanæ Ecclesiæ sub Wandalis status causam tribuit Afrorum impietati, qui monachos palliatos, & pallidos, & tonsuratos deridere consueuissent. Sicut & Augustinus *c* atque Epiphanius *d* redarguût Pseudomonachos, qui comam prolixam gererent. Socrates *e* item de Iuliano Apostata scribit, abrasa cute vitam monasticam simulasse. Ac fertur à Turriano ex Arabicis exemplaribus Canon Nicænus, (qualiscunque is sit) vt *monachi caput tondeant in modum corona*. Episcopos quoque magna saltem parte capitis abrasos fuisse, demonstrat Gregorius Nazianzenus oratione in Maximum. Hincque est, vt quoniam eiusmodi capitis rasionem consueuisse à maioribus dici CORONAM, ea quæ dicta sunt, satis apertè significant; consueto more loquendi soleret populus, cum Episcopum interpellaret, & enixius aliquid ab eo peteret, *per coronam* ipsius obtestari: quod Augustinus *f* docet, & alij.

a Paulin. ep. 7.
b Saluian. lib. 8. in fin.
c Aug. de oper. monach. c. 33.
d Epiph. har. 80.
e Socr. l. 3. c. 1.

CORONA SACERDOTVM.

f Aug. ep. 147. ad Procul. Sidon. 6. ep. 3. Ennod. 4. ep. 22. Hier. ep. 82. ad Aug. Eccl.

[Imo quod cunctæ hujusmodi *per coronam* obtestationes Episcopis tantum, non etiam presbyteris, aut monachis, (quamuis & illi æque rasi capite incedere consueuissent) fictæ reperiantur; inde haud absurde conijci datur, ijs formulis significatam fuisse Coronam Episcopalem, hoc est, Mitram illam regiam, quæ in modum coronæ facta erat, de qua supr. ann 34. num. LXXXV. & seq. Nam quod ibi Firmus restituit *coronam Sacerdotalem*, nunquam intelliget de tonsura vel rasura Episcopi. Fuisseque Mitram, regium capitis ornamentum, constat etiam ex Strabone lib. 15. & Philostrato lib. 2. de Vit. Apoll. Pariterq; Curtius lib. 3. ait, Cidarim (qua etiam voce appellatum vidimus capitis ornamentum Sacerdotum) vocatum fuisse à Persis regium capitis insigne, quod cærulea fascia albo distincta circuibat. Sed quæ fuit olim communis omnibus Episcopis corona, facta est propria Romani Pontificis; vt & ipsum nomen *Papæ*, atque alia non pauca, propter præcellentem eius dignitatem. Cum alioqui sciamus, sic inter *Mitram & Coronam* distinxisse Innocentium Tertium serm. 3. in consecr. Pontif. vt Mitra spiritalem potestatem, Corona temporalem significet: vtramque autem Pontifici Roman. conuenire, quod illius sit vicarius, qui est Rex Regum, & Sacerdos in æternum.]

LV. OBIECTIO EX HIERONYMO.

His igitur adeo manifeste omni testium genere probatis, quid est quod obijci possit ex Hieronymo, quasi ipse minus probarit capitis ac barbæ rasuram? Sed ex iis omnibus quæ ipse scribit *g* in Ezechielem vel in Isaiam, tres eliciuntur positiones: quarum prima est, ipsum non probare capillorum seu barbæ tonsuram solitam fieri more Gentilium: at in hoc nulla est discrepantia, cum (vt dictum est) ritus Gentium ab omnibus æquè damnetur. Secunda, nolle capillos nouacula ad cutem vsq; radi, sed ita vt operta sit cutis: sed quam leuis hæc sit differentia, nemo non videt. Tertia demum, barbæ non probare tonsuram: at ipse in Oriente agens, quid mirum si Orientalium clericorum & monachorum consuetudinem comprobarit, quos barbatos incedere solitos, mox videbitur? Interim vero haud omittimus hic admonere, non solum hæreticos in Hispania, quos superius diximus, ad æmulationem Catholicorum tonsura decoros incessisse; sed & ipsum iam olim Simonem Magum (si fides adhibeatur iis, quæ recitantur apud Bedam *h*) tonsuræ genus quoddam excogitasse. Verum hæc à maioribus scripta non proditur: & de Epistola quam recitat Beda, Amalarius *i* dixisse videtur, haud integræ fuisse fidei.

g Hieron. in Ezech. 44. & in Isai. 3. & 6.

h Bed. 5. hist. Angl. 82.
i Amal. de off. Eccl. c. 5.

LVI. DE BARBÆ RASIONE.

Sicut autem Capita, ita & *Barbam radere*, commune fuisse quibusdam Sacerdotibus idolorum, præter illa quæ dicta sunt, Baruch *k* de Babyloniis testatur, & Lucianus *l* de Syris. Quapropter quod in Lege *m* diuina prohibentur Sacerdotes Hebræorum caput & barbam radere, ac in carne incisuras atque figuras agere, tota vis legis in eo versatur, vt Iudæos prohiberet ea facere quæ proximæ Syriæ prouinciæ facerent idolorum sacrifici; quos eo modo caput & barbam radere, ac cultris suas sibi carnes incidere, & notas sibi imurere consueuisse, idem Lucianus testatur, nec non Apuleius *n*. Quod vero præterea asserunt Nouantes, Epiphanium *o* Constitutionum Apostolicarum auctoritate asserere, non licere caput vel barbam radere: cum id ipse non aliunde, quam ex Constitutionibus Clementis nomine scriptis, vbi ea leguntur *p*, proferre potuerit; neq; vllus alius extat de his canon Apostolicus:) vt nõ excipiamus de eiusmodi libro Apocrypho, certè tum

k Baruch. 6.
l Lucian. de dea Syra.
m Leuit. 19. & 21. Ezech. 44.
n Apul. de asi. aur.
o Epiph. har. 80.
p Clemen. 1. Const. 4. in fi.

Clementis tum Epiphanij verbis satis perspicuũ redditur, eos significasse tunc barbæ incisionem vetitã esse, cum promittuntur comæ capitis, & more feminarum crispantur, vel aliter in rotundum artificiosè componuntur; adeo vt sic culti, feminæ potius quam viri repræsentent effigiem. Vnde & illa eiusdẽ Epiphanij *a* iusta querela de monachis, qui muliebres producerent comas; cum econtra laudet Ecclesiæ filios in tonsura reuerendos.

a Epiph. har. 80.

LVII. EIVS MYSTERIA

Porro tam Barbæ quam Capitis rasionem ab ipsa etiam diuina Scriptura in magno dolore iussam esse, complura Prophetarum *b* loca demonstrant: adeo vt monachis qui se perpetuæ pœnitentiæ manciparunt ergastulo, id rectè conuenire nullus iure negare possit; cum præsertim eius rei alia atque alia mysteria esse possint, quæ pluribus Beda *c* inter cæteros declarauit. At quoniam non æquè monachi omnes, nedum clerici, abrasis barbis incedere consueuerunt; nec Pædagogus *d* Christianus barbam nouaculæ subiecit, sed tantum forficibus: diuersam prorsus diuersarum fuisse Ecclesiarum consuetudinem, certum est. Nam in Oriente nunquã barba rasos inuenimus monachos vel clericos, secus in Occidente; quippe quod secundum morem diuersarum prouinciarum in quibus habitarent, Christiani tam laici quam clerici agere cõsueuissent; at in Oriente tam Græci quam Iudæi barbati incederent, in Occidente, potissimum Romani *e*, rasi. Vnde & notat Dio *f* Chrysostomus, Græcos nonnullos in suis ipsorum regionibus, quo se Romanorum studiosos esse aliquo signo præferrent, consueuisse contra omnium suorum gentilium morem barba rasos incedere. Et notatus est à Dione Cassio, & aliis, Hadrianus Imp. qui primus omnium barbatus incessit, vel alij pauci post eum; sed non sic tamen, vt cæteri Romanorum ipsos imitarentur. Affectata vero illa barbæ non attonsio vel abrasio, sed auulsio potius dicenda, ab ipsis etiam Gentilibus condemnata est; vt de Iulio Cæsare, & Othone tradit Suetonius: notatq; Tertullianus *g* homines qui chirurgi instrumento, quod dicebatur volsella, & aliis medicamentis, femineum vultum penitus affectabant.

b Isai. 7. & 15. Hieron. 41. & 48. Ezech. 5.
c Beda in 1. Esdræ 9.
d Clem. Alex. pædag. l. 3.

DIVERSA IN RE ECCLESIARVM CONSVETVDO.

e Gell. lib. 3. c. 4. & alij.
f Dio Chrysost. orat. 36.
g Tertul. de cultu fem. c. 8. & de pallio c. 4.

Sed quod diximus de Romanis, præstitisse quoque cæteros Occidentales clericos, par est credere. Nam Sacerdotes Galliarum Sidonius *h* docet corona decoros, & barba rasos fuisse. Seruare autem in his locorum consuetudinem, vt secundum cuiusque prouinciæ mores vel barbati vel attonsi incederent, velut lege quadam fuisse præscriptum, ex eo saltem potest facile perspici, quod cum sæpissimè Occidentales vna cum Orientalibus ad Concilia conueniissent, nulla vnquã exorta huius rei gratia controuersia reperitur. Qui vero primus omnium hæc de barba exprobrare Latinis Sacerdotibus ausus est, Photius schismaticus Episcopus Constantinopolitanus fuit, de his scribens ad Nicolaum Papam, cum alioqui ipse esset eunuchus glaber. Porro licet sensim pristinus ille Romanorum immutatus est vsus radendi barbas, cum barbari Romæ atque in Italia diutius morarentur: tamen quod ad clericos spectat, sic viguit ad multa sæcula eius rei obseruantia, vt non viuere more maiorum fere religio haberetur. Nam & extãt literæ Gregorij Papæ Septimi ad Iacobum Episcopum Calaritanum, & ad Ducem Sardiniæ, monentis vt clericos omnes barbam radere cogerent, ex maiorum cõsuetudine; ab ipso (vt ait) exordio nascentis Ecclesiæ obseruata. Verum his iam pene contrarius irrepit vsus, nec constans habetur ritus, cum iisdem etiam locis alij rondeant, radant alij, alij rursus barbam promittant, absque iactura fidei vnusquisq; abundans in sensu suo. Sed ad Paulum redeamus.

LVIII.

h Sidon. 4. ep. 13.

[Quod de Barbæ rasione Sacerdotum Gallicanorum, ex Epistola S. Sidonij Baronius subintulit; id ipsum æquè & alij nonnulli inde collegerunt. Sed qui Sidonium attentius legerunt, ac notis illustrarunt, obseruant Germanicum illum, qui ibi describitur, non Episcopum fuisse, aut Sacerdotem; sed tantum virum spectabilem, Sacerdotis patrem, filiumq; Pontificis; quem Sidonius magis ad professionẽ religionis accipiendam impelli cupit. Quinimo ætate Sidonij Sacerdotes Galliarum barbam promittere cõsueuisse, manifestum faciunt ex alia eiusdem Epistola, (4. epist. 24.) qua Maximi palatini vitæ mutationem describens, ait eum Sacerdotem factum, coma breui, barba prolixa incedere cœpisse. Fuisseque etiam hunc Cleri totius Occidentalis Ecclesiæ vul-

tum. patere ex Concilij Carthaginiensis Quarti canone 44. quo præcipitur vt clericus nec comam nutriat, nec barbam radati prout legunt ms. codd.]

LIX. PAVLVS à IVDÆIS CAPITVR.

Post oblatum sacrificium Nazaræorum, septem intercedentibus diebus, vt testatur Lucas *a*, idem Paulus raptus in templo ab Asianis Iudæis, eo prætextu quasi contra legem & templum vbique prædicaret; commota aduersus eum vniuersa ciuitate, ab aduenientе Lysia Tribuno militum neci exemptus est; ac deductus in castra, primum Græcè locutus ea se calumnia purgauit, quod Tribunus existimaret ipsum esse Ægyptium quendam magum, qui nuper populum Iudaicum apud Hierosolymam seducens, à Felice Præside fugatus fuerat, multis ex suis interfectis & captis: quam rem gestam Iosephus *b* describit, dum agit de impostoribus & magis, turbas illectas post se trahentibus in montes & solitudines, ac pollicentibus se diuinitus ostensuros clarissima signa, & prodigia. Deinde vero idem Paulus oratione *c* Hebraicè ad Iudæos habita, eos admonuit de suis natalibus, & educatione sub Gamaliele, deque zelo in legem Moysis, ac demum de admiranda sua ad CHRISTVM conuersione: sed cum postea dicere cœpisset, quomodo & à Domino iussus esset Euangelium prædicare Gentibus; mox ad hæc verba excitato furore & impetu Iudæorum, vociferantium (inquit Lucas) vt tolleretur de terra, & proijcientium vestimenta sua, & puluerem iactantium in aerem: (erant hæc enim signa furentium & implacabilium penitus animorum, vindictam verbis factisque poscentium:) Tribunus eundem eductum iussit flagellis cædi, atque torqueri: quando opportune Paulus se natum esse ciuem Romanum aperiens, ab eo se periculo exemit. Antiquo enim iure Romanorum, nefas erat ciuem Romanum subijcere flagellis seu virgis; id primum statuente lege Valeria *d*, ac confirmantibus Porcia *e* & Sempronia. Porro non alia ratione Paulus se natum dixit ciuem Romanum, quam quod paulo ante coram eodem Tribuno cum Iudæis agens, professus fuerat se municipem Tarsensem esse, hoc est in eo municipio *f* natum. Præterquam autem Municipes æquè ac Coloni, dicebantur ciues Romani; præstabant insuper municipia coloniis, quod *g* istæ legibus Romanorum cogerentur viuere, municipia vero suis agere sinerentur, ipsique municipes munerum honorariorum *h* Romanæ vrbis participes esse possent. Vt autem *Tarsus* (quæ Ciliciæ metropolis erat) municipium diceretur Romanorum, eam ciues promeruerant dignitatem, simulque amplissimis iuribus donati fuerant, quod in bello ciuili *i* Iulio Cæsari primum (vnde & ciuitas dicta est *Iuliopolis*) ac deinde Octauio Augusto studiosissimè fauissent, multaq; ea de causa passi essent.

a *Act.* 21.

b *Ios.* 20. *antiq.* 6. & 2. *de bel.* 12.

c *Act.* 22.

CLAMANS SE CIVEM ROM. à FLAGELLIS ERIPITVR.

d *Val. Max. lib.* 4. *c.* 1.
e *Cic. pro Rabir. Vid. Sigon. de iur. antiq. Rom. l.* 1. *c.* 6.
f *l. municip. D. de verb. sig.*
g *Gel. lib.* 16. *c.* 13.
h *l.* 1. D. *ad municip.*
i *Dio Cass. lib.* 47. *Dio Chrysost. in Tars. poster.*

LX.

A flagellis ergo in hunc modum liberato Paulo, postera die volens scire Tribunus qua ex causa accusaretur à Iudæis, conuocatis Sacerdotibus & vniuerso Concilio, (hoc est *Sanhedrim*, de quo sæpe dictum) eundem statuit inter illos. Qui cum loqui cœpisset, iussus à principe Sacerdotum Anania os percuti, dixit ad eum Paulus, *Percutiet te Deus, paries dealbate*; reprehensus vero quod Summo Sacerdoti malediceret, excusauit se ignorasse eum fuisse Principem Sacerdotum. Hæc pluribus Lucas *k*. Sed quam prætexere potuit Paulus excusationis causam, quod nescisset Ananiam Summum Pontificem? Certè cum ipse in Iudæorum ritibus apprime eruditus esset, quippe ad pedes magni Gamalielis educatus; nec, si aliqua fuisset prærogatiua sedis aut vestis, à cæteris Septuaginta duobus Senioribus Summus Sacerdos, vel etiam Princeps Sanhedrim distinctus, id ignorare potuisset; omnino dicendum videtur, Herodem (à quo ipsum Sanhedrim aliquando sublatum esse vidimus) & post eum Romanos Præsides, ita siuisse eiusmodi Concilium congregari, vt tamen nulla esset ipsorum etiam Principum prærogatiua; maximè cum ist hæc (vt modo accidit) apud Ducem Romanum agerentur. Cæterum sciens Paulus vnam partem Concilij esse Sadducæorum, & alteram Pharisæorũ, exclamauit se Pharisæum esse, & de spe ac resurrectione mortuorum iudicari; quod videlicet Sadducæi negabant, Pharisæi ex præscripto fidei fatebantur. Accidit vero res ex sententia: nam altercantibus illis inter se de proposita quæstione, Paulus è Concilio abiit indemnatus.

k *Act.* 23.

AVCTORITAS CONCILII LXXII SENIORVM DEPRESSA.

Cum autem post hæc quadraginta & amplius Iudæi deuouissent, se neque manducaturos neque bibituros donec occidissent Paulum; detectis huiusmodi insidiis à filio sororis ipsius Pauli, idem à Lysia Tribuno cum præsidio missus est Cæsaream ad Felicem Præsidem: quo cum & Summus Pontifex & alij Iudæi accessissent, causa vtrinque coram Præside acta, dilatum eius iudicium in aduentum Lysiæ. Interim vero Præses frequenter accersens Paulum, vna cum Drusilla vxore sua Iudæa femina audiuit ab eo fidem Christi: sed disputante illo de iustitia & castitate, ac de iudicio futuro, tremefactus Præses, cessauit de ea re amplius illum inquirere; sperans tamen aliquam ab eo pecuniam accipere pro liberatione. Hæc omnia pluribus Lucas *a*. Porro conceperat hanc de pecunia spem Felix, quod tum ab ipso Paulo in oratione quam coram eo habuerat, tum ab aliis audisset, ingentem pecuniarum vim Paulum secum attulisse Hierosolymam vt erogaret in pauperes: quamobrem eum prædiuitem fuisse hominem est opinatus. Quod autem idem ipse Iudex, rei verbis auditis de iustitia & castitate, deque futuro Iudicio, fuerit tremore correptus; certum est id accidisse, mala ipsius conscientia expauescente immensa à se patrata crimina: quippe quem Tacitus *b* ait per omnem sæuitiam & libidinem ius regium seruili ingenio exercuisse: eundemque Suetonius *c* trium Reginarum maritum appellat. Nam & ipsa quæ tunc aderat vxor eius Drusilla *d*, cuius causa putamus ea Paulum disseruisse, filia Seniotis Agrippæ Regis, & Iunioris soror, cum nupta olim fuisset Azizo Emesenorum Regi circumciso, ab eodem Felice, audita eius eximia pulchritudine, ope cuiusdam Iudæi Cyprij à marito diuulsa est. Fuisse vero Felicem hunc fratrem Pallantis potentissimi illius Claudij Imp. liberti, ex iisdem auctoribus intelligitur.

LXI. PAVLVS CAESAREÆ CAVSAM AGIT CORAM PRAESIDE.

a *Act.* 23. 24.

DE FELICE PRAESIDE.

b *Tac. lib.* 5. *hist.*
c *Sueton. in Claud. c.* 28.
d *Ios.* 20. *ant.* 5. & 2. *de bel.* 10.

Porro ipsum Felicem post hæc cum Paulo gesta, successorem accepisse Porcium Festum, Lucas *e* tradit: idque hoc ipso anno contigisse, satis indicat, dum ait, biennio expleto Felicem accepisse successorem Portium Festum. Siquidem Felix, qui à Claudio (vt ex Tacito *f* apparet) iam ante Consulatum Sullæ & Othonis (qui incidit in annum Domini quinquagesimum quartum) vna cum Cumano missus fuerat in Palæstinam, sic inter eos diuisa administratione, vt Felix Samariam regeret, Cumanus reliquam prouinciæ partem: idem, inquam, Felix à Nerone post Claudij mortem ad Imperium euecto vniuersam Iudæam curandam acceperat, excepta illa parte quam Nero Agrippæ Regi tribuit. Sic igitur expleto biennio Imperij Neronis, seu administrationis Felicis sub Nerone *g*, qui hoc anno pridie Idus Octobris tertium Imperij inchoauit annum, Festus successit Felici. Quod autem *Biennium illud* quod Lucas ponit, alij referunt ad Pauli aduentum Cæsaream antequam eo Festus accederet, existimantes eum tamdiu illic à Felice detentum esse; hos quidem errare constat, quia Paulum haud ante præsentem annum potuisse Hierosolymam aduenisse, quæ de ipso à tempore edicti Claudij quo Roma Iudæi sunt pulsi, per annos singulos sunt dicta, demonstrant: quem & hoc eodem anno Neronis secundo, à Passione Domini vigesimoquinto, dimissum esse Romam à Festo, tam Eusebius *h*, quam Hieronymus *i*, & alij affirmant. Quomodo vero sub Festo Paulus causam dicere iussus, licet nullius criminis reus iudicaretur, Cæsarem appellarit; & adueniente Cæsaream ad salutandum Festum Agrippa Rege vna cum sorore Berenice, (cuius contubernio ipsum Agrippam vehementer esse infamatum, Iosephus *k* est auctor) iterum coram eis insigni energia causam suam perorarit; ac postea Centurioni Romam deducendus traditus, post longam nauigationem, naufragio in insulam Melitam aduenerit; ibique à vipera manu morsus, nihil mali passus fuerit; quin etiam patrem Principis insulæ, omnesque alios eiusdem Insulæ ægrotos curauerit: hæc, inquam, omnia Lucas, qui omnibus interfuit, fuse ac singillatim recenset *l*.

e *Act.* 24. *in fin.*
f *Tac. Annal. lib.* 12.

LXII. FESTVS SVCCEDIT FELICI.

g *Vid. sup. an.* 34. *init. ante fin.*

h *Euseb. in Chron.*
i *Hieron. de Script. Eccles. in Paulo.*

PAVLVS APPELLAT CAESAREM.

k *Ios.* 20. *ant.* 5.

l *Act.* 25. 26. 27. 28.

LXIII.

Sed illud imprimis de *Vipera* Paulum mordente, ac de barba-

barbaris admirantibus ipsum nihil inde mali passum esse, exacte à Luca describi *a* Deus voluit, vt virtus Insulæ Melitæ Pauli gratia concessa magis innotesceret; nec naturali eius loci proprietati adscriberetur, quod ex illo tempore fuit ei diuinitus impertitũ, vt serpentes omnes veneno careant, & quantumlibet aliquem momorderint nihil prorsus inferant detrimenti. Si enim olim à natura, sicut quibusdam aliis locis, id datum fuisset, cur incolæ tam certi fuissent (quod docet Lucas) de interitu Pauli? Sed & *Terram* ibi eiusdem merito contra venena parate antidotum, experientia notum est vniuerso Orbi. Cæterum non tantum ea Melitensibus præstitit, vt ægritudine laborantes omnes curarentur, sed & Christiana eos religione imbuit; ipsumque eorum Principem nomine *Publium* ad fidem conuersum, eisdem præfecit Episcopum; vt vetera quæque Martyrologia *b* attestantur. Imo & eundem inde postea euocatum, in locum Dionysij Areopagitæ Ecclesiæ Athenien si esse subrogatum Episcopum tradunt *c*, putantes nimirum, vnum eundemque esse cum hoc illum Publium, quem Dionysius *d* Alexandrinus affirmat Areopagitæ successisse; quem & martyrio coronatum fuisse, etiam Hieronymus *e* tradit. Porro Paulum tribus mensibus in insula Melita cum cæteris mansisse, illic hyemantes, Lucas tradit. Agemus itaq; de eius inde recessu anno sequenti, quo eum accidisse constat.

Hoc eodem anno Nero Imper. petente Beryllo, qui eius pædagogus fuerat, tunc vero Græcis scribendis literis præerat, Iudæis Cæsareæ habitantibus ius eius ciuitatis abrogauit, quod hactenus commune cum aliis habuerant: vnde omnes Iudæorum calamitates exortas esse, dolet Iosephus *f*, quod (vt narrat) ij nunquam postea cessarint à seditionibus & grassationibus, donec initium belli conflatum est. Quo etiam tempore magnam tradit Hierosolymis intercessisse discordiam inter Agrippam Regem & Sacerdotes templi, occasione domus ab eodem Rege ædificatæ, è qua contra leges patrias spectari posset quid ageretur in templo: re vero ad Neronem delata, iudicatum esse pro Sacerdotibus, fauore Poppææ Sabinæ, quæ pro eis deprecatrix extitit.

a Act. 28. PAVLI MIRACVLA MELITÆ.

b Martyrol. Rom. & alia 21. Ianuar.
c Adso in Martyrol. ea die, & alij.
d Ap. Euseb. 4. hist. 22.
e Hieron. de Script. Eccles. in Quadrato.

LXIV. NERO RESCRIBIT CONTRA IVDÆOS.

f Ios. 20. ant. 7.

IESV CHRISTI ANN. 59.

PETRI AN. 15.

NERONIS IMP. ANN. 4.

I. PAVLI ROMAM ADVENTVS.

ANNO CHRISTI quinquagesimonono, Nerone Aug. secundum & Calpurnio Pisone Coss. cum primum transacta hyeme tempus nauigationi cõmodum aduenisset, Paulus Apostolus naui Alexandrinæ, quæ hyemauerat in insula Melita, vna cum socijs itineris à Centurione eius custode vinctus impositus, Puteolos appulit; inde vero pedestri itinere Romam veniens, obuiam habuit plures Christianos Romanos, qui eiusque ad Appij Forum & Tres Tabernas occurrerunt. Narrat hæc Lucas *g*. Porro *Tres Tabernas* ab Vrbe triginta tribus milliaribus, *Forum Appij* quinquaginta vno abfuisse, constat ex Antonini Itineratio. Ex quibus videas Christianorum Romæ agentium officia & studia erga Paulum; cum non quasi vincto homini, sed in Vrbem cum triumpho aduenienti, tam longe obuiam ierint. Dies autem qua in Vrbem ingressus est, tam apud Bedam *h*, quam Vsuardum, consignata habetur sexta Iulij: verum si tempus quo ex Melita insula soluit, ac dies in nauigatione insumpti considerentur, haud tam sero Romam potuit peruenisse. Certè quidem veris tempore eam esse nauigationem institutam, Arator Diaconus, qui heroico carmine cecinit Acta Apostolorum, testatur. De anno vero, cum ex præterlapsis singulis recensitis certa habita ratione, hoc ipso Christi quinquagesimonono Paulum Romam cõcessisse exploratum habeatur; his etiam consentit Eusebius *i*, & ipsum secutus Hieronymus *a*, dum numerant à Passione Christi vsq; ad tempus quo Paulus à Festo Iudææ Præside iussus est naulgare, annos viginti quinque: quos si numeres ab Natiuitatis Domini trigesimo quarto, qui secundum Eusebium primus ponitur à Passione; necesse est affirmare, anno Domini quinquagesimo octauo Paulum dimissum esse à Festo, hoc vero quinquagesimonono Romam ingressum esse; prout etiam ab eodem Eusebio ponitur.

g Act. 28.

h Bed. Vsuard. in Martyrol.

i Euseb. in Chron.

a Hieron. de Script. Eccles. in Paulo.

II. RES IBI GESTÆ.

Cum autem eò aduenisset, permissus est manere sibimet cum custodiente se milite; sicque Iudæis primum, postea etiam Gentibus, fidem Christi libere prædicans, biennio toto mansit in suo conducto. Hæc Lucas *b* res plurimas paucis verbis comprehendens; quem tamen Paulo fideliter semper adhæsisse, ex variis ab eodem Apostolo Romæ datis Epistolis certum redditur. Cum autem nihil dicat de iis quæ apud Neronem, quem appellauerat Paulus, egerit; ex iisdem Pauli Epistolis possumus imprimis intelligere *c*, in prima sui ipsius coram Imperatore defensione, ab omnibus fuisse derelictum; (adeo pauendum fuit ab iis iudicium æstimatum coram sæuissimo Principe, nihil ratione, sed pro animi libidine omnia faciente!) sed ei CHRISTVM adstitisse, & *ab ore leonis* (sic enim Neronem appellat, ob immanem ac prorsus feralem eius sæuitiam) atque ab imminente discrimine ipsum liberasse: postea vero plurimos Fidelium animo resumpto cum eundem vidissent etiam in omni Prætorio *d* (vt ipse loquitur: hoc est, coram vniuerso Senatu, ac fortassis etiam collegio Pontificum) causam fortiter agere, & ipsos sine timore verbum Dei loquutos esse. Tradit etiam ex communi opinione Chrysostomus *e*, Romæ Paulum salutasse Neronis pocillatorem, & concubinam. Sane quidem nonnullos ex Neronis familia ad CHRISTVM esse conuersos, ex ipsomet Paulo *f* cognoscimus, dum meminit sanctorum qui ex domo Cæsaris essent. Inter eos autem vnum fuisse *Torpetem*, qui postea martyrio coronatus est, Romanum *g* Martyrologium attestatur. Porro concubina Neronis, cuius meminit Chrysostomus, fuisse creditur Poppæa Sabina, præ cæteris ab eo in deliciis habita; de qua pluribus agunt Tacitus *h*, & alij Romani historici: quam & erga Iudæos propensiorem fuisse, ex Iosepho *i* constat.

b Act. 28.

c 2. Tim. 4.

NERONEM VOCAT LEONEM.

d Philip. 1.

e Chrys. hom. 54. in Act.

f Philip. 4.

g Martyrol. Rom. 17. Maij.

h Tac. Annal. lib. 13.

i Ios. de vit. sua, & 20. antiq. 7.

Acturis autem breuiter de singulis, quas tunc Romæ ad diuersos scripsit Paulus, Epistolis; prima occurrit ea quæ est AD TIMOTHEVM SECVNDA, quam non multum post suum Romam aduentum, nimirum statim *k* post primam suam coram Nerone defensionem scripsit, & de iis quæ proximè sibi accidissent, deque diuerso suorum statu, & quinam ipsum deseruissent, certiorem reddidit. Cum vero præter hæc, multa quæ ab eodem Timotheo præstari cuperet eum admonuisset, multaque de his quæ obuentura essent mala prænunciasset; demum quod vehementer optabat, rogauit semel atque iterum vt Romam venire festinaret ante hyemem, ac secum ferret penulam quã anno superiori ipse Paulus reliquerat Troade, necnon libros, maxime autem membranas. Sed quænam esset Pauli *Penula*, ex instituto paucis est explicandum. Fuisse imprimis Penulam, vestem ad frigus & pluuias expellendas compositam, qua potissimum iter agentes vti consueuissent, demonstrant Cicero *l*, Spartianus *m*, atque Lampridius *n*. Duplicisq; eas fuisse generis, Martialis *o* testatur; nimirum villosas alteras (quas *gausapinas* appellat) alteras scorteas. Easdem vero cessisse itidem vsui Oratorum dum in foro causas agerent; quæritur apud Tacitum auctor dialogi de Oratoribus.

III. EPIST. II AD TIMOTHEVM.

k 2. Tim. 4.

DE PENVLA PAVLI.

Ap. Baron. an. 58.

l Cic. ad Att. lib. 13.

m Spart. in Hadria.

n Lamprid. in Alex.

o Mart. epig. lib. 14.

At enim constat ab his prorsus diuersam fuisse Pauli Penulam. Quæ enim ratio patitur, vt in itinere ipse positus cum Troade eam reliquit, iter agentis vestem adeo necessariam ibi dimiserit? vel quæ subit occasio, vt eadem tunc Romæ detentus egeret? Quamobrem existimarunt *p* quidam, eam fuisse thecam in qua libri conderentur; alij vero antiquiores *q*, Volumen; quia Græcè scriptum est φαιλόνιον: *Volumen* autem dici consueuisse Vetus Testamentum, diuina sæpe docet Scriptura *r*; quod in se ipsum reuolutum esset, prout & hodie in Synagogis vtuntur Hebræi. Rursum vero Penulã dici vestẽ

IV.

p Refert Chrysost. hom. 10. in 2. Tim. 4.

q Ap. Hier. ep. 125. ad Damas. q. 2.

r Exod. 24. Deut. 17. 18. 29. 32. & alijs locis.

sacram apud Græcos scriptores Christianos sæpius testatum habetur; sic dictam quod vno interiectu totum ambiret Sacerdotem, à φαίνομαι & ὅλον, quod tota conspiciatur; quam & Latinè *Planetam* dicere consueuimus, à πλάνης, quod circum errans totum ambiat corpus; sicut esse solent quæ antiquiores in Ecclesijs asseruantur. Sic enim quod apud Nicephorum *a* & Philotheum *b* Episcopos Constantinopolitanos, itemque apud Metaphrastem Græcè legitur φαινόλιον, Interpretes verterunt Penulam, siue Casulam, quod idem est ac Planeta. Sed magis placet, vt de Volumine Paulus intellexerit; quod haud magni videretur esse negotij, vel impensæ alias sacras vestes eiusdem generis Romæ conficere, absque eo quod ex Asia eam velit Paulus per Timotheum ad se deferri. Non sic autem de Legis Volumine, quod cum sacrosanctum haberetur, haud facile librariis describendum committeretur.

a *Niceph. ap. ad Leon. PP. III. in Act. Conc. Ephes. ed. Pelt. tom. 3 c. 22.*
b *Philoth. de sacr. offic. in Bibl. Patr.*

Porro ex eo quod vidimus, Paulum haud multo post suum Romam aduentum, hac ad Timotheum scripta Epistola eum ad se ante hyemem vocasse; satis euidenter constat, eandem datam esse ante illas ad Philemonem, Philippenses, atque Colossenses, itidem Romæ scriptas; quandoquidem in illis singulis vna cum Paulo in titulo inscribitur & Timotheus. Vnde redarguas eos, qui existimarunt eandem secundam ad Timotheum, omnium noui ssimam esse scriptam; ea nimirum ratione persuasi, quod in ea Paulus *c* dicat tempus resolutionis suæ instare, quasi spiritu prophetico præunderet proximum suum martyrium. Sed quomodo hæc cohærent cum eo quod ibidem testatur, sibi Dominum in summo illo apud Neronem discrimine adstitisse, ac fore prædixisse vt per ipsum in omnes Gentes prædicatio impleretur? Sicut igitur cum à Iudæis Hierosolymis ad mortem expeteretur, Dominus *d* illum hortatus prædixit fore vt Romæ Euangelium prædicaret; ita & Romæ in eodem ferme periculo constituto, propagationem Euangelij ab eo faciendam in omnes gentes pręnunciauit. At sicut illud impletum esse certum est, ita illud præstandum esse quis poterit dubitare? Sane & ea Epistola, quam post hanc scripsit ad Philippenses, idem ipse affirmat *e* se certo scisse in vita diutius permansurum; suumq; ad eos pollicetur aduentum. Quamobrem non in alium sensum ea Pauli verba de instanti suo obitu, intelligi posse videntur, nisi quod fortasse fuerat sibi diuinitus reuelatum, se sub Nerone capite plectendum esse. Quomodo enim non instans videri poterat tempus illud, quod sub Principe tunc imperante fore nosset implendum, si Saluatoris postremum aduentum, post aliquantulum affore alibi *f* prædixit.

c 2. *Tim.* 4.
d *Act.* 23.
e *Philip.* 1. & 2.
f *Hebr.* 10.

V. De tempore Pavli Epistolarvm.

VI. 2. *Tim.* 4. Crescens missvs in Gallias.
a *Epiph. har.* 51. *Theodor. in* 2. *Tim.* 4.
b *Amm. Marcel. lib.* 15.
c *Suid. verb.* Lugdunum. *& alij.*
d *Ado Vien. in Chron.* *Pet. Clun.* l. 4. *ep.* 1. *Trith. in vit. S. Max. Epis. Mogunt.* *Onuph. li.* 24. 25
e *Hier. præf. lib.* 2. *comment. in ep. ad Gal.*
f *Suid. verb.* Galatæ. *Mart. Rom. Rod. Vsuard. Ado &c.* 27. *Iunij. Baron.*
g *Not. ad Martyr.*

Quod autem in eadem Epistola g Paulus de suis comitibus agens, Crescentem ait abiisse in Galatiam; pro *Galatia*, *Gallia* legendum esse Epiphanius *h* asseuerat: sicut & Theodoretus *i* ait Paulum per Galatiam intellexisse Gallias, sicque antiquitus illas gentes nominari consueuisse. Huic vero consentiens Ammianus *k*, cum agit de Gallorum origine, testatur eos Græco sermone dictos esse Galatas; quod & alij *l* pariter affirmant. Certe constat CRESCENTEM Apostolatum accepisse in GALLIAS, *ac Viennensem* m & *Moguntinam* n erexisse Ecclesias. Porro Galli & Galatæ, sicut nomine sic re coniuncti fuere: siquidem Galatæ originem à Gallis duxerunt, quando isti sub Brenno duce Græciam, Thracias, & Minorem Asiam deuastantes complures prouincias sibi tributarias reddiderunt; pars vero ipsorum in ea Minoris Asiæ regione sedes fixerunt, quæ ab iisdem postea *Galatia*, siue etiam *Gallogræcia* denominationem accepit: vt pluribus docent Iustinus o historicus S. Hieronymus p, Suidas q, & alij. Quod tamen non pauci per Galatiam, quo Crescentem amandatum Paulus dixit, non Gallias, sed ipsam Minoris Asiæ prouinciam sic dictam intellexerunt; dicere opus est, eundē Crescentem cum primo in Gallias ab Apostolo missus esset, inde etiam ad eruditendos Galatas Asianos, quasi eiusdem gentis populos, accessisse: id enim Martyrologium Romanum, aliaq; testantur.

VII. Epist. ad Ephesios.

Cæterum eodem tempore quo Paulus eam ad Timotheum scripsit Epistolam, eidem Tabellario, nempe Tychico dedit etiam EPISTOLAM AD EPHESIOS, qui ex Gentibus *a* in CHRISTVM crediderant; vt eos contineret in officio, quod (vt ait ad Timotheum *b*) omnes qui in Asia essent, videlicet Iudæi, auersi essent ab eo. Quod autem aliqui Epistolam illam quæ AD GALATAS missa est, primo à Paulo Romæ scriptam esse contendunt *c*, libentius in his Chrysostomo *d* assentimur, qui hanc ante Epistolam ad Romanos esse conscriptam existimauit: nullus enim character in ea reperitur, quo demonstrari possit Romæ conscripta; cum cæterarum nulla sit, in qua de vinculis suis Paulus non habuerit mentionem; at in ista nihil prorsus. De reliquis porro Epistolis dicetur anno sequenti, quo scriptæ noscuntur.

a *Ephes.* 2.
b 2. *Timot.* 1. Et ad Galatas.
c *Athan. in Synop. Theod. præf. in ep. Pauli & alij.*
d *Chrys. præf. in ep. Pauli.*

VIII.

Quod ad res pertinet Imperij Romani; satis ad institutum spectat quod scribit Tacitus *e* hoc anno iisdemq; Coss. laudabilem legem à Nerone sancitam esse, Nequis Magistratus aut Procurator qui prouinciam obtineret, gladiatorum vel ferarum spectacula ederet; ne ea de caussa (quod factitari sciebat) à prouincialibus immensam (quod factitari sciebat) à prouincialibus immensam Præsides vim pecuniarum corraderent. Itemque quod ait, *Pomponiam Græcinam* insignem feminam, externæ religionis ream factam, iudicio mariti permissam esse; eumque priscoinstituto coram propinquis de capite famaque coniugis cognouisse, & insontem nunciasse. Nam quod de externa religione traditur, haud leuis est suspicio intelligi Christianam.

e *Tac. Annal.* 13.

POMPONIA GRÆCINA.

IESV CHRISTI ANN. 60.

PETRI ANN. 16.

NERONIS IMP. ANN. 4.

I.

ANNO CHRISTI sexagesimo, Nerone *f* Imper. tertium & Valerio Messala Coss. Paulus Apostolus secundum agens annum in vinculis, scripsit Epistolas ad Philippenses, Colossenses, & Philemonem. Cum enim iis omnibus, sicut suum, ita & Timothei nomen inscribat, quem anno tantummodo superiori accersitum vidimus; sed & mentionem habeat vinculorum suorum, & tamen nonnisi biennium dicatur detentus fuisse in eis: his, inquam, pensatis rationibus, omnino dicendum videtur, easdem hoc ipso anno, non prius aut posterius scriptas esse. Porro quæ data legitur AD PHILIPPENSES ea est occasione conscripta, quod iidem Pauli studiosissimi, audito eum Romæ vinctum detineri, mox Epaphroditum cum muneribus ad ipsum *g* misissent: quem, postquam è grauissimo quo Romæ laborauit *morbo conualuisset, ad eos Paulus remisit, suum etiam Philippos per litteras promittens aduentum. Sed quod eundem appellat *Apostolum* Philippensium, existimauit Theodoretus *h* eum fuisse ipsorum Episcopum. *Apostolorum* enim nomine tunc consueuisse appellari Episcopos, multis ostendit; de quo dictum est superius. Fuisse autem Epaphroditum Episcopum Philippensium, consentiunt & alij Theodoreto; licet Dorotheus ipsum fuisse præpositum Ecclesiæ Hadriæ siue Hadrianæ in Syria scripserit. Sed hunc ab illo diuersum esse putamus; sicut ab horum vtroque, quem Metaphrastes tradit à Petro Apostolo præpositum fuisse Ecclesiæ Tarracinensi, cuius etiam fit mentio in Martyrologio Romano.

f *Tac. libr.* 14. *Plin. lib.* 2. *c.* 7 *& lib.* 7. *c.* 20.

EPIST. AD PHILIPPENSES.
g *Philip.* 4.
* *Philip.* 2.

Dum autem eadem Epistola Paulus de hæreticis cauendis inculcans *i*, ait multos ambulare inimicos Crucis CHRISTI; haud dubium illos signat, qui CHRISTVM vere crucifixum esse negabant, dicentes imaginem solum eius visam esse pati, CHRISTVM vero se subtraxisse: cuius hæresis (vt vidimus) primus auctor fuit *Simon Magus*, quæ in eius discipulos est infeliciter propagata; vt Irenæus *k*, Epiphanius *l*, & alij tradiderunt. Eandem & *Cerinthus* *m* docebat, qui diuidens IESVM à CHRISTO, IESVM passū ac resurrexisse

h *Theod. in ep. ad Philip.* EPAPHRODITVS EPISCOPVS PHILIPPENSIVM

II.

i *Philip.* 3. HÆRETICI INIMICI CRVCIS CHRISTI.
k *Iren. lib.* 1. *c.* 20.
l *Epiph. har.* 21.
m *Iren. libr.* 1. *c.* 25. *Epi. har.* 28. *Theod.* 2. *har. fab.* 4. *& alij.*

texisse dicebat, Christum autem impassibilem remansisse, & tempore passionis à Iesu recessisse. Sicq; concidentes (quod ait Paulus) ac diuidentes IESVM à CHRISTO, sanctissimam Virginem faciebant matrem IESV, non autem CHRISTI. Addebat item *Basilides a*, IESVM qui portabat Crucem transformasse suam speciem in Simonem Cyrenæum, eumq; esse crucifixum, IESVM autem eo modo à passione subtractum. Hinc est igitur quod tam in eadem Epistola *b*, quã in aliis e fere omnibus, idem Paulus de Cruce Christi sæpe sæpius ingerat testimonium: & quod etiam Ignatius *d* aduersus eosdem hæreticos totum Orientem infestantes, frequenter pugner.

Illudque tunc insuper factum est, vt contra dictos hæreticos, qui Crucis Christi memoriam penitus auferre conarentur, Ecclesia Catholica ipso sui exordio non tantum Christi Crucem verbis professa fuerit, sed etiam signis ac factis. Inde enim ductum est principium, vt instar Crucis in qua passus est Christus, ligno compactæ CRVCES erigerentur in titulum, quas Fideles venerarentur, easdemque diabolus exhorresceret, velut (quod ait Ignatius *e*) trophæum erectum contra ipsius potentiam, quod vbi viderit, horret. Sed & moris fuisse, cum quispiam locus diuino cultui manciparetur, illic figere Crucem in titulum, videbitur inferius cum agetur de *Titulo*. Atque inde etiam Apostolica in Ecclesiam traditio fluxit, vt Fideles non tantum seipsos, sed & sua cuncta, nec in sacris dumtaxat, sed & in quibuscunq; cæteris rebus quibus benedicerent, in omnibus denique suis vel minimis actionibus, signo Crucis manu ducto notarẽt; quo remedio salubertimo ad pellendos dæmones potissimum vterentur: de cuiusmodi antiquissima, & ab ipsis Apostolis petita consuetudine, sic Tertullianus *f*: *Ad omnem progressum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad vestitum & calceatum, ad lauacra, ad mensas, ad lumina, & cubilia, ad sedilia, quæcunque nos conuersatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus. Cuius disciplinam si legem expostules Scripturarum, nullam inuenies: traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, fides obseruatrix.* Et Cyrillus *g* Hierosolymitanus: *Non pudeat nos Crucifixum confiteri: sed in fronte confidenter signaculum Crucis digitis imprimatur, & in alis omnibus Crux fiat: in panibus comedendis, & in poculis bibendis, & in egressu, & ingressu, ante somnum, recumbendo, & surgendo, eundo, & quiescendo. Magna hæc est custodia quæ propter pauperes gratis datur, sine Labore propter infirmos; cum à Deo sit hæc gratia, & signum Fidelium, & timor dæmonum: triumphauit enim de illis hoc signo. Ostenta illud audacter: quando viderint Crucem, recordantur Crucifixi: metuunt enim illum, qui contriuit caput draconis.* Habes & alia eiusmodi apud Basilium *h*, Hieronymum *i*, Theodoretum *k*, & alios permultos. Testatur que Ruffinus *l*, cum Symbolum fidei recitarent Fideles, in verbis illis postremis, *Carnis resurrectionem*, consueuisse frontem Cruce signare; eiusque rei mysterium docet. Antichristum autem prohibituum nequis crucem pingat in fronte, firmiter asseuerat antiquissimus Hippolytus martyr in libello quem scripsit de Consummatione sæculi. Ex quibus intelligere potes, ipsum iam appropinquare, qui nunc operatur in filios diffidentiæ. At prætermittimus de sancta Cruce innumeras hic coaceruare sanctorum Patrum auctoritates, & recitata ab iisdem exempla, tum quod ea alij *m* collegerint, tum quod eorum plurima sese nobis suis locis enarranda opportunius offerent. Denique res adeo est perspicua, vt & ipsi Christianorum hostes, quantum aduersus dæmones virtus Crucis præualeat, sæpius testati sint: sicut inter alios de Iuliano Apostata scribit Theodoretus *n*, & Lucianus *o* de Eucrate, qui accepto annulo ferreo ex quapiam cruce facto, aduersus prauos dæmones redditus est securus. Sed de his, deq; Epistola ad Philippenses hactenus.

Quæ autem est AD COLOSSENSES, missa est per Tychicum. Cui cum pariter anno superiori literas (vt vidimus) Paulus perferendas dedisset *p* ad Timotheum & Ephesios; eundem iterum Romã rediisse, ac denuo ad Colossenses missum, hac ad ipsos scripta Epistola significare videtur. Ex quibus etiam facilis est coniectura, ipsum perfunctum esse apud Paulum munere Tabellarij. Nam & eodem nuntio Titum *q* quoque olim accersisse visus est; ei demque dedisse primam ad Timotheum demonstrat argumentum eius Epistolæ, q̃ in antiquis Græcis exemplaribus legitur ei præfixum: sed & per eundẽ scripsisse ad Philemonem, declaratut Epistola ad Colossenses *r*: ex qua etiam nonnulli collegerunt, eidem nuntio datam esse aliam ad Laodicenses. Non n. cuiq; se offerenti olim Apostolos, & eorum successores Episcopos, sed certis hominibus, iisdemq; probitate notis, committere literas consueuisse, iam dictum est superius ex Ignatio *b*, & Cypriano *c*: eosdemque non Tabellariorum tantum, sed & Legatorum fungi solitos officio, dum eis multa ore tenus communicanda crederentur, satis constat ex iis quæ de eodem Tychico Apostolus *d* scribit. Porro fuere Colossenses (auctore Strabone *e*, Plinio *f*, & aliis) populi in Maiori Phrygia, haud longe positi à Laodicensibus: ex quo certum redditur, Apostolum, quando ad eosdem Colossenses meminit de *Laodicea*, non esse locutum de ea quæ dicitur Syriæ, nec de ea quæ est in Media, sed de ea quæ est in Phrygia contra Hierapolim, iuxta flumen Mæandrum à quo Lycus amnis manat: itemque hallucinatos esse qui dixerũt *g* Colossenses dictos esse Rhodios ob ingentẽ illum ab eis Solis Colossum erectum.

Est autem vetus quæstio, An Paulus scripserit quoq; AD LAODICENSES? Hæretici (vt asserit Tertullianus *h*) eidem quam nos ad Ephesios scriptam habemus, *Ad Laodicenses* titulum præfixerunt: idque ipsum Marcionem præstitisse, tam idem auctor quam Epiphanius *i* docent. Sed ne vel leuis suspicio eius mendacij pulset legentis animum; habetur antiquissimi Ignatij ad ipsos Ephesios scribentis, & Pauli Epistolam citantis, testimonio egregiè confirmatum, eam quæ dicitur Pauli ad Ephesios, verè ad eos esse conscriptam. Alij vero dixerunt, Paulum primatam scripsisse ad Laodicenses, quæ etiam circumferebatur inter Fideles; non tamen vt legeretur sicut cæteræ in Ecclesiis, quod additamenta accepisset à non bene sentientibus. Ita quidem Philastrius *k*, & Hieronymus *l*. Quamobrem quæ edita est apud Xystum *m*, nequaquã illa fuisse videtur; quippe quæ perbreuis sit, nec quid habeat adulterinũ vel additicium, sed potius eorum quæ perperam posita viderentur, vel haberentur ambigua, fuerit mutilatione cõtracta. Nec etiam placet quod tradit Theophylactus, intellexisse Paulum de prima ad Timotheum, quod ea scripta fuerit Laodiceæ. Nam quæ subest ratio, vt Epistolam ante plures annos scriptam legi voluerit in Ecclesia Colossensium; vel cur illam magis, quam reliquas ad diuersas Ecclesias datas? Chrysostomus *n* nullam putat à Paulo datam ad Laodicenses, ea scilicet ratione quod Græca editio habeat, ἡ ἐκ Λαοδικείας, hoc est, *& illam quæ ex Laodicea scripta est*: ideq; intelligendum putauit, vt quæ à Laodicensibus missa fuisset ad Paulum, à Colossensibus legeretur: cui etiam sententiæ adhæsit Theodoretus *o*. Sane nullam tabellario ad Laodicenses fuisse à Paulo datam satis constat, dum in ea quam tum scripsit ad Colossenses, salutari mandat eos qui Laodiceæ essent Fideles. Si n. tunc ad Laodicenses scripsisset, ipse sua Epistola eiusmodi functus esset officio, nec opus habuisset illud Colossensibus delegare. Libentius igitur Chrysostomo ac Theodoreto inhæremus, vt nulla à Paulo scripta fuerit ad Laodicenses: cum præsertim quæ ad eos Pauli nomine spuria fertur, nequaquã sit ab antiquioribus cognita. Nam qua ratione Marcion illam quæ haberur ad Ephesios, datam putauit ad Laodicenses, si extabat ali qua ad Laodicenses? Imo & Tertullianus Marcionem impugnans, nullam aliam nisi quæ ad Ephesios esset, vulgatam fuisse dixit ad Laodicenses.

Quod vero Paulus monuit inter alia Colossenses *p*, *ne seduci paterentur in humilitate & religione Angelorum*, &c. per difficilis est locus; de quo Hieronymus *q* consultus ab Algasia, cuncta verba diligenter expendens, eius videtur fuisse sententiæ, vt fugillare Paulus voluerit eos qui erant ex circumcisione colentes Astra cœli atque Angelos: multisque declarat, haud recẽs fuisse hanc apud eos illapsam hæresim, sed peruetustam, & à Prophetis sæpius exagitatam: sicut & eadem de re Clemens *r* Alexandrinus Iudæos arguit. Certe his respõdent, quæ non multo ante idem Paulus de Iudaicis Festis monuerat Colossenses. Quomodo autem hæc cohæreant, vt Iudæi Astra simul & Angelos colen-

ten-

---

a *Epiph. hær. 24.*

b *Philip. 2.*
c *1. Cor. 12. & alibi.*
d *Ignat. ep. ad Tral. & ad Philip.*

III. CRVCES ERIGI CŒPTÆ.

e *Ignat. ep. ad Philip.*

FREQVENS VSVS S. CRVCIS.

f *Tert. de cor. mil. c. 3. & 4.*

g *Cyril. Hieros. catech. 13.*

h *Basil. de Sp. S. c. 1.*
i *Hier. ep. 22. ad Eustoch.*
k *Theodor. 3. hist. 10.*
l *Ruff. expos. Symb.*

m *Vid. sup. an. 34. nu. XXIX.*

n *Theodor. 3. hist. 3.*
o *Lucian. in Philopseud.*

IV. EPIST. AD COLOSSENSES.

p *1. Tim. 4. Ephes. 6.*

q *Tit. 3.*

a *Colos. 3.* TABELLARIORVM VSVS.

b *Ignat. ep. ad Polycarp.*
c *Cypr. ep. 16. & 24.*
d *Ephes. 6. Colos. 4.*
e *Strab. lib. 12. c. 13.*
f *Plin. lib. 5. cap. 32.* DE COLOSSENSIBVS.
g *Suid. & alij recent. Gr. & Lat.*

V. AN PAVLVS AD LAODICENSES SCRIPSERIT.

h *Tert. 5. cont. Marcion. 11. & 17.*
i *Epiph. hær. 42.*

k *Philastr. de hæres. c. 90.*
l *Hieron. de Script. Eccl. in Paulo.*
m *Xyst. Sen. Bibl. lib. 2.*

n *Chrys. hom. 11. in cap. ad Colos.*

o *Theodor. in ep. ad Colos. in fr.*

VI.
p *Colos. 2.*
q *Hier. ep. 151. q. 10.* DE RELIGIONE ANGELORVM, QVAM PAVLVS DAMNAT.
r *Clem. Alex. Strom. lib. 6.*

rent; non aliunde putamus accidisse, nisi quod (vt de Pharisæis tradit Epiphanius a) ipsa cœli astra fuisse animata existimarēt; quamobrem & indem (vt ait) indidissent nomina Hebraica: eademq; Angelos esse sensisse videtur. Æquè n. ac Angelos, *Militiam cœli* dixerunt astra, sicuti apparet ex Deuteronomio b, & libris Regum: cum tamen propriè militiam cœlestem à diuina Scriptura constet c nominatos Angelos, sicut & ipse Dominus dictus est Deus exercituū. Cæterum vt sic Iudæi Astra colerent, non fuit tunc tantum apud eos error, sed & in posteros est infeliciter propagatus; adeo vt quonam ei essent addicti, *Cælicolæ* dicti fuerint, qui ab Imperatoribus d Christianis exagitati sunt, vt videbitur suis locis.

a *Epiph. 1. Panar. 16.*

b *Deut. 17. & 4. Reg. 23.*

c *Luc. 2. &c.*

d *C. de Iudæ. & Cælic.*

VII

Multa hic Baron. de sensu verborū Pauli: quæ vt laudamus, sic inter recentiores Pauli Interpretes, Cornelium a Lapide, inter Controuersiarum aduersus hæreticos tractatores, Illustr. Card. Perronium lib. 5. Resp. ad Reg. Mag. Brit. c. 20. consulendum censemus.

Sed quantumlibet hæc vera sint, & Pauli sensui æquè possint accommodari, & à quibusdam alijs recepta videātur; tamen quoniam Apostolum nouimus suis Epistolis solitum insectari hæreticos, qui Christiano nomine in Ecclesiam Catholicam grassarentur, aliam eorum verborum quærendam censemus interpretationem. Equidem Theodoretus in hunc locum ait, his temporibus *exortam fuisse hæresim*, quæ diceret Deum vniuersorum nec cerni, nec comprehendi, nec ad eum posse peruenirī, & oportere per Angelos diuinam sibi benevolentiam conciliare; affirmaretque legem per Angelos esse datam. Quænam vero fuerit dicta hæresis, ipse Theodoretus neque eo loco, neque iis quos scripsit hæreticarum fabularum libris indicat: quamobrem miratī sumus, errorem eiusmodi tribui *Simoni Mago*; cum quæ de Angelis ipse dixit, longius ab his discrepent, vt vidimus superius cum actum est de ipsius erroribus: tantumque abest vt Angelorum cultū ipse introduxerit, vt contra assereret se in mundum descendisse vt Angelos male moderantes terrarum Orbem corriperet. Quamobrem & *Carpocras* aduersus eosdem Angelos mundi fabricatores pugnandum esse suasit: ac proprium fuit *Basilidis* discipuli Simonis dogma, CHRISTVM ad eos debellandos missum esse.

VIII.

Potius igitur ad *Cerinthi* peruersum dogma Paulum spectasse dicemus; quippe qui eum adeo humiliter de CHRISTO sentiret, vt omnem ab eo diuinitatem auferret, & ob scandalum Crucis, hominem tantummodo esse affirmaret; super eum Angelos extollebar, per quos mundum esse creatum, & Deum Hebræorum vnum ex illis esse Angelū prædicabat. Id enim de eo referunt Irenæus e, Tertullianus f, Epiphanius g, ipseq; Theodoretus h. Sane quidem aduersus huiusmodi hæresim de Angelorum excellentia, & abiectione CHRISTI, frequenter admodū Paulus i Apostolus visus est iacula intorquere. Imo & ipsi Angeli, sic Deo agente, eandem impugnarunt, dum Ioanni k Apostolo ad pedes vnius ex eis accidenti vt eum adoraret, plane prohibuit, significans non sibi, sed Deo præcipuam illam omnium maximam adorationem deberi: idq; non tantum vt Ioannem instrueret, sed in Ioanne potius vniuersam Ecclesiam aduersus eosdem hæreticos commoneret. Verum etsi Cerinthus ea sentiret de Angelis; eos tamen suauisse adorandos, nusquā inuenimus, nec quempiā alium hæreticorum qui mundi creationem æquè Angelis tribuerent; quippe cum omnes affirmarent, esse super Angelos Virtutem diuinam omnium supremam, quam Deum dicerent. Quinetiam tantum abest vt Cerinthus (nam de alijs dictū est) Angelum Iudæorum, quorum legem ipse colebat, adoraret; vt potius (quod ait Epiphanius l) eum malum esse diceret, ac detestaretur.

e *Iren. lib. 3.*
f *Tert. de præscript. c. 48.*
g *Epiph. hær. 28.*
h *Theod. hær. fab. lib. 2. c. 4.*
i *Coloss. 2. Hebr. 1. & 2. 1. Cor. 6. & alibi.*
k *Apoc. 19. 22.*

l *Epiph. hær. 28.*

IX. CORRIGITVR THEODORETVS.

Ex his igitur videas, Theodoretum haud in omnibus assecutum esse verborum Pauli sensum, cum dixit ea ab illo sic dicta, quod tum grassarentur hæretici qui Angelos colendos esse iactarent. Qui & semel errore lapsus, in alium grauiorem impegit, vt diceret Canonem trigesimum quintum Laodiceni Concilij, de iisdem hæreticis esse intelligēdum, qui in eadem regione Asiæ Oratoria erexissent S. Michaeli Archangelo: incante nimis quæ à Catholicis essent piè instituta, hæreticis quorū nulla est memoria tribuens. Sane nullum à Cerinthianis, vel aliis de quibus facta est mentio, hæreticis, in honorem S. Michaelis, aut alicuius alterius Angeli, erigi potuisse Oratorium, ex nuper dictis superq; liquet. *Angelos* autem *venerari*, non hæreticorū, sed Catholicæ Ecclesiæ mos fuit; q̄ præsertim in honorem S. Michaelis (quem patronū nouit & protectorem, ob insignia eius ope accepta beneficia) Ecclesias erigere, illumque precari, sicut & ceteros Angelos, vt apud Deum intercederent, consuenit. Notæ sunt Ecclesiæ erectæ in Garganō a monte, & in Galliis, necnon Romæ in summitate molis Hadriani, itemq; prope Byzantium b, & alibi, occasione frequentium tam in Oriente quam Occidente eiusdem Archangeli apparitionum; de quibus dicetur inferius suis locis. Imo & temporibus Diocletiani Imperij exstitisse S. Michaelis nomine Ecclesiam in Bithynia, fidem faciunt Acta c Euthymij Episcopi. Et Procopius d numerat sex basilicas ab Imperatore Iustiniano in honorem eiusdem Archangeli excitatas. Frequentesq; fuisse Ecclesias S. Michaelis, & aliorum Angelorum, argumento est l. quoniam C. de sacros. Eccles. Sicut & Romæ antiquissimam fuisse solemnitatē eiusdem Archangeli, testis est Prudentius Florus vetustissimus poeta Christianus, qui vixit temporibus Theodosij Senioris. Ac denique extat Græcè scripta narratio Pantaleonis Diaconi de miraculis S. Michaelis Archangeli, Romæ in Bibliotheca Sforziana cod. MS. num. 81. Et in codice 65. qui inscribitur: *Metaphrastes mensis Octobris atque Nouembris*, inter complures scriptas Græcorum Patrum homilias recensentur S. Ioannis Chrysostomi prima *in S. Michaelem Archangelum*, secunda & tertia *de Angelis*, ac quarta *in Seraphim*.

a *Sigeb. in Chron. an. 488. & 709.*
b *Sozom. 2. hist. 2.*
c *Ap. Sur. tom. 5.*
d *Procop. de ædif. Iustin.*

X. S. MICHAEL CVLTVS COLOSSIS.

Sed his omissis, vt modo agamus de prouincia & loco, vbi ea corrigisse ex Concilio Laodiceno referuntur; certum est Colossis sub Laodicensi metropoli positis, antiquum viguisse cultum Michaelis Archangeli; non quidem vt illum tanquam Deum colerent, sed vt præcipuum Dei ministrum eo cultu qui sanctos Angelos decet afficerent: idque non hæreticorū persuasione, sed immensi prodigij ostensione, atq; adeo celebri, vt in Ecclesia Orientali anniuersaria de ea re memoria ageretur sexta Septēbris: quod Græcorum antiquum Menologium imprimis testatur, necnon Emmanuel Imperator in sua constitutione e de Feriis; eiusque rei historia ex antiquioribus monumentis descripta habetur apud Meraphrastem f. Quas vero pœnas dederit Alexius Iconoclasta, qui ausus est violare dictam Ecclesiam S. Michaelis in Chonis (Colossas n. dictas esse postea *Chonas*, testatur idem Menologium, Oecumenius g, & alij) scribit eiusdem vibis ciuis Nicetas h Choniota.

e *Ap. Theod. Balsam. in Nomocan. tit. 7.*
f *Metaphr. 6. Sept.*
g *Oecum. in ep. ad Coloss.*
h *Nicet. in Annal.*

XI. DE CANONE CONCILII LAODIC.

Synodus igitur Laodicena nequaquam rectum Angelorum cultum imminuit; sed eum qui ex idololatria Gentilium contra diuinitatis numen erat, eiecit: sicut cum in superiori canone i illos damnauit, qui relicto cultu sanctorum Martyrum falsos adiciunt hæreticorum martyres. Porro si eadem Synodus cultum veri martyris recipit, vt hoc canone, & alio k quo agi festa Martyrum, præterquam in Quadragesima, inonuit; multo magis Angelorum, qui sublimioris sunt naturæ, oportuit recepisse. Cum autem ad Angelos (vt ait canon) idololatriæ abominandæ congregationes fieri prohibuit, allusit fortasse ad Genij cultū, cuius gratia Gentiles l diem natalitium celebrantes, affines & amicos conuocarent: Vel quod Synodus eiusmodi idololatriam vocet *occultam*, inde verius existimamus respexisse ad id quod Magi (vt scribit Tertullianus m) ad suas magias perficiendas, nō tantū dæmones, sed & Angelos se inuocare profiterentur, hocq; honestissimo nomine velarēt turpissimas suas imposturas. Nam & his consentiens sequitur canon n prohibens ne clerici vllo pacto magiæ operam darent. At de his hactenus, deq; Theodoreti aliena interpretatione; cum alioqui quod ad dogmata spectat, non sit dubium ipsum recta sensisse de Angelis; quos non tantum veneratus est, sed & salutis æternæ nobis à Deo concessos administros, & præsertim vt apud Deum nostram causam agant, constanter affirmauit o.

i *Conc. Laodic. c. 34.*
k *Ibid. c. 51.*
l *Censor. de die natal. Macrob. Saturnal.*
m *Tert. Apol. cap. 23.*
n *Conc. Laodic. c. 36.*
o *Theod. diuin. decret. lib. 5. de Angel. & in Daniel. c. 4.*

XII. TRADITIO DE CANTV ECCLES.

Quod autem pertinet ad reliquas traditiones, quæ eiusdem Pauli Epistola ad Colossenses remanent consignatæ; cum inferius eosdem admonet p, *docere & commonere semetipsos Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus suis Deo*; iisdemque fere verbis alibi Ephesios q ad eadem facienda hortatus est: his Apostolum Ec-

p *Coloss. 3.*
q *Ephes. 5.*

CLESIA-

CLESIASTICI CANTVS formam præscripsisse, nempe vt musicos modulos cordis chorda, non ore tantum concinerent, Interpretes *a* intellexerunt. At vero non solum Paulus, sed & ipsæ Virtutes Angelicæ docuerunt quomodo psallendum esset in Ecclesia. Scribit enim Socrates *b*, Ignatio Episcopo Antiocheno Apostolorum contemporaneo visionem ostensam esse Angelorum, Sanctam Trinitatem hymnis alterna vice decantatis collaudantium; ipsumque Ignatium eandem canendi formam Ecclesiæ Antiochenæ tradidisse, atque inde ab omnibus Ecclesiis receptam esse: hæc Socrates. Sed altior atque certior eius rei fides habetur, cum de Seraphim stantibus supra thronum, atque alternis vicibus canentibus, sublimis facta *c* est illa manifestatio Isaiæ. Eodemq; planè modo ab Essenis (quos Christianos fuisse videbitur inferius (tamq; à viris quam feminis Deo laudes alternatim cani solitas, additis modulis & religiosis gestibus, testimonio constat Philonis *d*, qui haud dubium intellexit de Canticis dramatis, qui non tantum in voce, sed & in actione consisterent: de quibus agitur apud Plutarchum *e*: estque de iisdem vulgata illa mentio in Ecclesiasticis Officijs: *Ante thorum huius Virginis frequentare nobis dulcia cantica dramatis.* At exoleuerunt iam ista: cætera vero non tantum non sunt prætermissa, sed aucta; nisi quantum ad feminas spectat, quarum in Ecclesia cantus occasione Pauli Samosateni est postea à Synodo *f* Antiochena redargutus. De antiquo autem vsu Christianorum, vt in vnum ad Ecclesiam conuenientes, dies noctesq; cantu ducerent, Ethnicorum etiam testificatione, nempe de his quæ Romæ agerentur, Luciani *g*, & de his quæ in Oriente, Plinij *h*, qui vixere temporibus Traiani, expressum habetur. Docent id ipsum Patres antiquissimi, Iustinus *i* martyr, Clemens *k* Alexandrinus, Tertullianus *l*, Cyprianus *m*, & alij: idque non aliunde quam ab ipso Domino & Apostolis acceptum, dicit Augustinus *n*, dum inter illa quæ ex diuina Scriptura defendi possunt, ait esse hymnorum & Psalmorum cantum: *cuius* (inquit) *ipsius Domini, & Apostolorum, habemus documenta, & exempla, & præcepta.* Ac denique Basilius *o* eandem alternarim canendi consuetudinem in vniuersa (vt docet) Ecclesia frequentatam, aduersus hæreticos eam impugnantes defendit. Cumq; possent & alia innumera in hanc sententiam afferri testimonia sanctorum Patrum, breuitatis causa temperamus.

Illud autem non prætermittimus dicere; olim non solum extra Ecclesiam ab omni hominum genere, artificũ, rusticorum, nautarum, viatorum, & aliorum eiusmodi, priuatim cantari solitas *p* animi causa Deo laudes; sed & publicè in ipsis Ecclesiis promiscue vna cum clericis vniuersum cantasse populum, simulque Sacerdotibus orationem dantibus vel colligentibus respondere consueuisse *q* *Amen.* Sed quoniam imperitia canentium sæpius accidebat, vt harmonicũ illum Ecclesiasticæ dignitati congruentem cantum incomposito vocum sono corrumperent; (in quos iure Chrysostomus *r* declamat;) necessario Ecclesiasticis *s* legibus prouisum est, ne præter cantores ad hoc opus adscriptos, quique pulpitum ascendunt & de codice legunt, quis in Ecclesia psalleret. Magnam enim sanctissimos Patres adhibuisse diligentiam, vt ad pietatem omnino compositus esset cantus in Ecclesia fieri solitus, vel ex eo facile colligi potest, quod constet & in ipsis Christianorum conuiuijs non nisi perquam modestos & graues hymnos concini *t* consueuisse. Sed & Gentiles ipsi qui rectè saperent *u*, damnarunt illos canendi modos, qui mollibus fractisque vocum inflexibus animos itidem molles fractosq; redderent: quemadmodum & aduersus corrumpentes canticorum modestiam, est vehemens S. Hieronymi *x* obiurgatio. Cæterum si vt decet ad pietatem musici modi compositi sint, nihil vtilius nec gratius quicquam audiri potest. *Cantus enim* (vt ait Philo *y*) *passiones animi excantat; vt quicquid in nobis dissonat, in concentum quendam redigendo, reprimendoque immodicos affectus, certis modulis componat.* Excitat (prout habetur apud Iustinum *z*) *cum voluptate quadam animum, & flagrans ad eius quod carmine celebratur desiderium: affectiones & concupiscentias carnis sedat: cogitationes malas inimicorum quos cernere non est suggestione oborientes, amolitur, mentem ad fructificationem diuinorum bonorum rigat; pietatis decertatores, generosos & fortes per constantiam in rebus aduersis efficit; omnium rerum quæ in vita tristes & luctuosa accidunt pijs affert medicinam. &c.* Cuius rei causa à Spiritu sancto institutum esse Psalmorum concentum, S. Basilius *a* declarat; nimirum vt cum nos ad voluptatem propensos videret, eiusmodi concinna numerorum modulatione in animos nostros imprimeret diuinorum eloquiorum vtilitatem: quod experimento se abunde didicisse, Augustinus *b* testatur; qui & ipse in sua Ecclesia Hipponensi sic amauit sacram canendi consuetudinem, vt nonnunquam de iis quæstus sit, qui rerum diuinarum parum studiosi, de nimia Ecclesiastici cantus prolixitate quererentur.

Licet autem in vniuerso Christiano Orbe canendi in Ecclesia semper viguerit vsus; tamen non idem vbique est seruatus modus. Siquidem Augustinus *d* ait, Athanasium in Ecclesia Alexandrina tam modico flexu vocis fuisse sonare lectorem Psalmi, vt pronuncianti vicinior esset quam canenti: in Oriente vero (vnde & Mediolanensem Ecclesiam sub Ambrosio Ecclesiastici formam cantus accepisse tradit *e*) suauiori vocum concentu, qui audientium animos quantumlibet tristes mulcere posset, cantari consueuisse. Non sic autem Romana Ecclesia (vt aliquis existimauit, deceptus commentitijs scriptis Damasi nomine peruulgatis) ab Orientali mutuata est modum psallendi: cum iam ab ipso institutæ Sedis exordio Psalmorum cantus in eas coaluisset. Nam Damasus non canendi ritum, sed Psalterium ex translatione Septuaginta ex Oriente, nempe ab Hieronymo Hierosolymis agente, accepit. Quantum autem ex antiquis monumentis colligere licet, eadem Romana Ecclesia mediam secuta viam, nec simplicitatem Alexandrinam, nec Orientales compositos numeros in omnibus amplexata, sic temperauit vtrumque, vt miram quandam cum suauitate adiunxerit grauitatem. Et, Africanæ *f* Ecclesiæ ritus, Romano atq; Alexandrino similior quam Orientali fuisse videtur.

Execrata est pariter Ecclesia Catholica modos illos musicos atque cantus, qui à Gentilibus suis ipsorum ritibus adhiberi consueuerant: sed & illos homines, qui relictis Dauidicis Psalmis concinerent proprio ingenio excogitatos hymnos, & ad nouos compositos musicos modulos; cuiusmodi erant Harmonij *g* filij Bardesanis Syri, Pauli *h* Samosateni, Hieracis *i*, Arianorum *k*, Meletianorum *l*, Donatistarum *m*, Apollinaris *n*, & aliorum eiusmodi hæreticorum, qui in hunc modum aureo calice Babylonis malæ doctrinæ venena tum suis sectariis, tum etiam Fidelibus propinarent. Cæterum nouos piosq; conscribere atq; cantare sacros Hymnos, ad modos Ecclesiasticos attemperatos, quibus ad pietatem homines instituerentur; non crimini, sed laudi datum est à maioribus nostris, ab ipsis Apostolorum temporibus: sicut eo nomine Hierotheum illum Magnum laudat Dionysius *o* Areopagita; alioſq; Philo *p*. Et S. Ephræm *q* contrarios Harmonio scribens, Syris canendos tradidit: sicut & Gregor. Nazianzenus cygnæo planè cantu Apollinarem stridentem silere fecit. Itemq; in Occidente hymnos compositos à Damaso Papa; Ambrosio, Prudentio; Paulino, Venantio Fortunato, & aliis, in celebriorem vsum recepit Ecclesia; Arianis tantùmodo reclamantibus in Ambrosium *r*, quasi suis hymnis populum seduxisset; quippe qui etiam in omnibus à se editis hymnis, & in Ecclesia populo canendis traditis, ad finem cuiusque in odium Arianæ hæresis, conglorificationem addidisset sanctissimæ Trinitatis.

Quod autem spectat ad MVSICA INSTRVMENTA; ijs CHRISTVM Dominum à Fidelibus laudandum esse, Prudentius *s* docet. Sed & Christianus Pædagogus *t*, quãtumlibet ea quæ sunt scripta in Psalmis de laudando Deo musicis instrumentis, ad spiritalem sensum inflectat; tamen si piè exerceantur, liberaliter indulget. Constat quidem Augustini *u* testimonio, Cytharam ab Ecclesiæ modulatione fuisse proscriptam: & musica Instrumenta haud fuisse antiquitus in Ecclesiam recepta, indicat Auctor *x* Quæstionum apud Iustinum martyrem. Cuius rei illa ratio videtur adscribi, quod eiusmodi musica instrumenta à

Genti-

a *Chrysost. Theodor. & alij in Coloss. 3. & Epi. 5.*
b *Socr. 6. hist. 8.*
c *Isai. 6.*
d *Philo. de vit. contemp.*
e *Plut. Sympos. 7. q. 8.*
f *Ap. Euseb. 7. hist. 24.*
g *Lucian. in Philopat.*
h *Plin. Sec. 10 ep. 97.*
i *Iustin. orat. ad Anton.*
k *Clem. Alex. Orat. ad Gen.*
l *Tert. 2. ad vxor. 6.*
m *Cypr. de orat. Dom.*
n *Aug. ep. 119. cap. 18.*
o *Basil ep. 69. ad Neocæs.*

XIII.
p *Basil. de Sp. S. c. 27. 29. Chrys. hom. in Psal. 41. Hier. ep. 17. ad Marcel. Basil. d. ep. 69. Aug. Tert. Cypr. Ec. vbi supra.*
q *Hier. præf. in ep. ad Gal. lib. 2. Auson. in Ephemer.*
POPVLVS IN ECCLESIA CANTARE VETITVS.
r *Chrys. hom. 1. in Isai. 8.*
s *Conc. Laodic. c. 15.*
t *Clem. Alex. 2. pædag. 4. Tert. Apolog. c. 39. Cypr. ad Donat.*
u *Vid. ap. Cic. lib. 2. de legib. Plutarch. de Music.*
x *Hieron. in Eph. 5.*
y *Philo. de vit. oper.*
z *Iust. mart. q 107.*

a *Basil hom in Psal. 1.*
b *Aug. 10. Confes. c. 33. & Id. serm. 251. de temp.*

XIV.
DIVERSA EVM ECCL. DIVERSI CANENDI MODI
d *Aug. 10. Confess. 33.*
e *Id. 9. Confess. 7.*
f *Aug. ep. 119.*

XV.
HAERETICI CORRVPTORES CANTVS ECCLES.
g *Theod. lib. 4 c. 29. Sozom. lib. 2. c. 15.*
h *Syn. Antioch. ap. Euseb. 7. hist. 24.*
i *Epiph. hær. 67.*
k *Athan. orat. 2. cõt. Arian.*
l *Theod. lib. 4. hær. fab.*
m *Aug. ep. 119.*
n *Conc. Laodic. c. 59.*
o *Dio. Areop. de Eccl. hier.*
p *Philo de vit. contempl.*
q *Theod. d. c. 89.*
r *Ambr. in Auxent.*

XVI.
DE INSTRVMENTIS MVSICIS.
s *Prud. in Apoth.*
t *Clem. Alex. 2. pædag. 4.*
u *Aug. Psal. 32. con. 1.*
x *Ap. Iustin. mart. q. 107.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Gentilibus adhiberi consueuissent turpibus ac sordidis vsibus theatrorum, conuiuiorum, ac sacrificiorum. Sed quod post multa sæcula vsu receptum sit vt in Ecclesia adhiberentur *Organica* instrumẽta, haud iure quis poterit improbare, cum omnem in sono præseferant cum grauitate, & suauitate modestiam. At hæc satis; nunc ad historiam redeamus.

XVII. EPIST. AD PHILEMONEM.

a *Theod. præf. in ep. ad Philem.*

ONESIMVS EPISCOPVS EPHES.

His publicis ad Colossenses datis literis, priuatas Paulus addidit eodem tempore AD PHILEMONEM nobilem Colossensem; cuius domum Colossis ad sua tempora integram permansisse, testatur Theodoretus *a*: quæ n. temporibus Pauli esse cœpit Ecclesia, eidem cultui mancipata perseuerauit imposterum. Harum vero scribendarum Literarum occasio intercessit, quod cum *Onesimus* Philemonis seruus amore Pauli (cuius prædicationem in Asia degustarat) à Domino fugiens Romam se contulisset; eundem Paulus, vt æquum esse videbatur, ad suum Dominum remittens, ei plurimum commendauit. Annuisse autem Philemonem votis Pauli, vt redeuntem Onesimum, non vt seruum, sed vt fratrem susceperit, ac libertate donarit; inde colligi perspicuè potest, quod ex Ignatio ad Ephesios cum ad martyrium Romam duceretur scribente, constet Onesimum fuisse tunc ipsorum Episcopum, quem & mirificè laudat. Eundem enim illum esse cum eo de quo agit Paulus, tam Græcorum Menologium, quam Latinorum Martyrologium, fidem faciunt.

XVIII. DE EPIST. AD HEBRÆOS.

b *Philip.* 2.

c *Hebr.* 13.

d *Hebr.* 10.

e *Chrys. præf. in ep. Pauli.* f 2. *Thess.* 3. g *Epiph. hær.* 42. *Hier. præf. ep. ad Tit.* h *Epiph. hær.* 69. *Theod. præf. ep. ad Hebr.* i *Euseb. hist.* 3. k *Tertul. de pudic. c.* 20. *Ap. Hier. ep.* 129. *ad Dard.*

Quæ superest omnium nouissima Pauli EPISTOLA AD HEBRÆOS, hoc eodem anno scriptam esse, multa persuadent. Nam hoc anno scribens ad Philippenses, de mittendo in Orientem Timotheo, quem superiori anno Romam accersierat, consilium se iniisse tradit *b*; imo & seipsum eo venturum pollicitus est. At vero eadem fermè habet in Epistola ad Hebræos *c*. Rursus autem, sicut Philippenses miserant ad Paulum Romam certum hominem, quod eius vinculis compassi essent, ita Iudæos eodem erga ipsum animo fuisse demonstrat; cum quod in Vulgata habetur *d*: *Nam & vinctis compassi estis*, ex Græco sic legitur: *Nam & vinculis meis compassi estis*, atque ita apparet, hanc eandem Epistolam, sicut reliquas in vinculis datas, Romæ esse scriptam: quod Ioannes *e* Chrysostomus, & alij plerique confirmant. Sed & ex iisdem, aliisq; signis, eam germanam esse Pauli, facilè potest intelligi. Id enim vel ex sigillo agnosci potest, dum quod ipse ad Thessalonicenses *f* ait, signum scitur, dum quod ipse ad Thessalonicenses *f* ait, signum cunctarũ suarum Epistolarũ esse, GRATIA DN. NOSTRI IESV CHRISTI VOBISCVM, illud ipsum & in eadem ad Hebræos appositũ habetur. Attamen eam esse Pauli, negarunt imprimis hæretici Marcionitæ *g*, atque Ariani *h*; horumq; gregalis Eusebius *i*: aliorum nomine asserit, eam à Romana Ecclesia quasi non legitimam Pauli impugnatam fuisse; sed & Tertullianus *k* Barnabæ tribuit; alij *l* etiam Clementi, vel Lucæ.

XIX. ADVERSVS NEGANTES IAM ESSE PAVLI.

m *Clem. Alex ap. Euseb. 6. hist. 11.* n *Hieron. de Script. Eccles. in Paulo, & in Gal. 1.*

Permoti autem videntur eam negantes duabus potissimum rationibus, tum quod non sicut in cæteris præfixus esset eius exordio nomen Pauli, tum quod diuersum à cæteris videatur dicendi genus. Sed ad primam respondent Clemens *m* Alexandrinus, Hieronymus *n*, Theodoretus, & alij; quoniam Iudæi præiudicatam animis sententiam contra Pauli doctrinam combibissent, ideo ipsum noluisse nomen suum adscribere, ne in ipso exordio eos ab Epistolæ lectione auerteret: itemque quod Dominus ipse Apostolus Patris ad Hebræos missus fuisset, Paulũ tum propter Domini honorem, tum quod ipse præcipuè ad Gentes missus esset, se Apostolum Hebræorum inscribere abstinuisse. Styli porro diuersitas inde processit, quod cum alias ad Græcos datas Græcè Paulus scripsisset, hanc autem ad Hebræos ipse Hebræus Hebraico sermone disertissimè conscripsisset; eam & eloquentius conuertit in Græcum, siue Clemens, siue Lucas fuerit: alterutrum enim istorum eam ex Hebræo in Græcum conuertisse, creditum est *o* antiquitus. Quod vero alij obijciunt, Paulum (vt est apud Hieronymum *p*) Hebræum ex Hebræis scribentem ad Hebræos, non citare Scripturas secundam Hebraicam veritatem, sed secundum Septuaginta: imo & hoc ipso non leue deducitur argumentum, eam esse Pauli; qui idem scribens ad Galatas cum Hebræis disputans, locum Isaiæ (vt notat Hieronymus secundum editionem, Septuaginta cecinit. Quin & hoc Apostolorum tempore apud ipsos Iudæos in vsum frequentiorem receptam esse editionem Septuaginta, (vt de nostris taceamus) satis vel ipse demonstrat Iosephus historicus, qui Iudæus existens, tamque Hebraicis quam Græcis literis exculitissimus, in suis quos scripsit commentariis, potius Septuaginta quam Hebraicam editionem in rebus etiam maximi momenti, veluti in supputatione annorum ab origine mundi, secutus est: illudq; ipsum præstitisse Philonem, nullum est dubium.

EDITIO LXX ETIAM à IVDÆIS FREQVENTIORI VSV RECEPTA.

XX.

a *Euse. 3. hist. 32.*

b *Clem. Alex. Strom. lib. 2. & 5.*

Cæterum qui eandem Epistolam Clementi Romano tribuerunt, abunde ex eo refelluntur, quod ipsemet Clemens (vt testatur Eusebius *a*) eam sæpius suis scriptis intexens, alterius planè auctoris quam suam esse declarat. Sed nec Barnabæ tribui posse, ex eo certum redditur, q̃ cum nonnisi vna dicatur ab eo scripta Epistola, quam planè diuersa ea fuerit ab Epistola ad Hebræos, Clemens *b* Alexandrinus frequentes ex ea sententias recitando, apertè significat. A Luca vero aliquam vnquam fuisse scriptam Epistolam, neminem antiquorum vel recentiorum dixisse reperimus. Æquius igitur alij dixerũt, eam ab eo translatam quã compositam. Non n. quæ ad Hebræos, sed quæ dicebatur scripta ad Laodicenses, à quibusdam Lucæ adscribebatur; vt testatur Philastrius *c*. Nihil autem dicimus de Tertuliano, cuius eam esse à quibusdã tradi, miramur quod Xystus *d* Senensis affirmet, cum idem ipse Tertullianus *e* adscribat Barnabæ.

c *Philastr. de har. c.* 90. d *Sixt. Sen. Bibl. lib.* 7. *c.* 8. e *Tert. de pudic. c.* 20.

XXI

f *Hieron. ep.* 129. *ad Dard. & in Isai.* 6.

EADEM RECEPTA AB GRÆCIS, ET LATINIS.

g *Conc. Laodic. can.* 59. h *Athan. in Synops.* i *Greg. Naz. carm. de lib. canon.* k *Amphil. carm. de lib canon.*

l *Hilar. lib. 4. de Trinit. & alibi.* m *Greg. Batic. lib. de fide.* n *Ope. lib.* 7. *cont. Parm.* o *Philastr. hær.* 90. p *Gaudent. tract.* 2. q *Chrom. de S. beatit.* r *Ruffi. in expos. Symb.* s *Aug.* 2. *de doctr. Chr.* 8. *& alibi.* t *Hieron. de Script. Eccl. in Paulo.* u *Tert. de pudic. c.* 20.

Sed quid est quod S. Hieronymus *f* scripsit, dictam Epistolam, licet non solum ab Ecclesijs Orientis, sed ab omnibus retro Ecclesijs, & Græci sermonis scriptoribus, quam Pauli Apostoli susceptam esset, tamen Latina consuetudine non recipi? Sane quidem illam Græci semper absq; aliqua ambiguitate recepisse reperiuntur; vt quos diximus, Clemens Alexandrinus & Origenes, Concilium *g* Laodicenum, Athanasius *h*, Gregorius *i* Nazianzenus, Amphilochius *k*, denique (vt vno verbo dicam) quotquot postea extiterunt rerum Ecclesiasticarum Catholici tractatores; vno excepto ex antiquioribus Caio, de quo mox dicetur. Quod vero ad Latinos spectat; si de iis quæritur qui ipsum Hieronymum præcesserunt, non solum Clemens Romanus quem diximus, eam suis sæpius interseruit scriptis; (adde, si placet, & in his qui ab eo conscripti feruntur Apostolici Canones, eandem inter scripta canonica adnumeratam esse:) sed & alij quorũ idem Hieronymus meminit in scriptoribus Ecclesiasticis, Latini celebriores illam sæpe citantes, Pauli quoque titulo prænotarunt; puta Hilarius *l* Pictauiensis, Gregorius *m* Bæticus, Optatus *n* Mileuitanus: immo & Philastrius *o* Brixianus inter hæreses adnumerat opinionem illorum, qui eam non sicut cæteras Pauli Epistolas amplecterentur. Pariterq; eiusdem postea Ecclesiæ Episcopus Gaudẽtius *p*, necnon Chromatius *q*, Ruffinus *r* Paulinus, Ambrosius, & Augustinus *s* celeberrimè eandem vt Pauli germanam agnouerunt. Cum igitur Galli, Hispani, Afri, Itali, quiuel ante Hieronymi tempora floruerunt, vel saltem illius æquales extiterunt, idem omnes de ea Epistola pari consensione firmarint; quid est quod ipse eam à Latinis non recipi scripsit? Non equidem puto id illum dixisse, quia (sicut alibi *t* ait) Tertullianus eam non recepit vt Pauli, sed vt Barnabæ: Absit enim vt vnus à cæteris omnibus discrepans Tertullianus, Catholicæ Latinæ Ecclesiæ regulam Canonicorum scriptorum præscripserit; cum præsertim nonnisi in libro *u* quem scripsit postquam est factus hæreticus, id sua sentẽtia testatum reliquerit. Quod autem nec Cyprianus ea vsus esse reperitur; haud mirandum est, si qui Tertullianum nominare magistrum *x* consueuit, eidem in hoc fuerit obsecutus. Arnobium item, Minutium, & Lactantium, non est quod dicamus eam reiecisse, quia non citarunt: quippe qui cum scripserint aduersus Gentiles, nequaquam vsi sunt diuinæ Scripturæ, cui illi minimè crederent, testimonijs, sed ipsorum potius Gentilium scriptis ac rationibus: nam & Lactantius *y* Cyprianum fugillasse visus est, quod aduersus Demetrianum Gentilem nisus sit testimoniis sacræ Scripturæ.

x *Hieron. de Script. Eccl. in Tertul.*

y *Lact. lib. 5. cap. 4.*

Verum

XXII.

Verum nec ad hos quidem videtur Hieronymus habuisse respectum; sed aliis credens existimauit eam ab Ecclesia Romana non recipi. Cum enim Eusebius *a* agens de Caio antiquo Theologo, ex eius sententia asseruisset Epistolam ad Hebræos à Romanis Pauli non credi, Eusebium secutus Hieronymus (qui ex eo se plurima accepisse præfatus *b* est) dum pariter de Caio agit in Scriptoribus Ecclesiasticis, eadem ipsa Eusebii verba, licet nomine tacito referés, æque apposuit apud Romanos eam epistolam quasi Pauli non haberi: in quod miramur tantum Patrem (rogata venia dictum sit) facile nimis impegisse. Quam enim se aliter res habeat, de antiquioribus temporibus idem Eusebius est testis, dum (quod iam diximus) ait eam epistolam à Clemẽte Romano Pontifice approbaram esse. Nouissimis vero temporibus, quibus Hieronymus vixit, Innocentius *c* Papa ad Exuperium scribens, diuinorumque Librorum catalogum texens, recensét quatuordecim Epistolas Pauli, illam videlicet ad Hebræos adnumerans. Erante Innocentium extat *d* decretum Romani Concilii sub Damaso contra hæresim Apollinaris celebrati, vbi inter Libros Canonicos recensetur epistola Pauli ad Hebræos. His vero adde si placet, antiquissimam epistolam secundâ Euaristi, & primam Hygini, (vt prætereamus eam, quæ Clementis nomine inscripta habetur ad Iacobum Fratrem Domini) in quibus ex eadem Epistola ad Hebræos citãtur sententiæ. Quid autem post Hieronymum senserit eadem Ecclesia Romana, Gelasius e idem facit, & alii Romani Pontifices, itemq; Cassiodorus *f* Senator: quid etiam Galliæ, Alcimus *g* Auitus Episcopus Viennensis, quid præterea Hispaniæ, Isidorus *h* Episcopus Hispalensis, quidq; Ecclesia Africana, Cõcilium Carthaginiense *i* Tertium. Denique Petrus ipse Apostolus scribens, *k* pariter ad Hebræos, meminit Epistolæ quam Paulus ad eosdem scripsit. Si quæ vero præter has leuissimæ reliquæ sunt Nouatorum obiectiones, eas ab aliis *l* egregie confutatas inuenies. Cæterum hæc Pauli Epistola idcirco vltimo loco in codice ponitur, quod omnium nouissima scripta habeatur, licet in cæteris disponendis, non semper ratio temporis videarur esse seruata. Sed de ea, simulque aliis omnibus à Paulo conscriptis, hic esto iam finis: illud vnum addendo, consuetum *m* fuisse antiquitus cum eædem in ecclesia legerentur, Lectoribus respondere, *Pax tecum*, quod erat symbolum Catholicæ communionis.

Quod ad res Romanas pertinet, multa quæ ad institutum minus faciunt omittẽtes, satis sit illud meminisse quod Tacitus *n* scribit, hoc eodem anno *Ruminalem arborem* in Comitio, quæ super octingentos quadraginta ante annos Remi Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, arescente trunco diminutam, prodigii loco habitum esse. Porro sicut olim in arefacta ad Christi imperium apud Hierosolymam ficus arbore, Synagogæ infructuosę est præmõstratus interitus, ita quoque non sine Dei consilio exsiccata Romulea ficus, veteris superstitionis abrogationẽ eo prodigio esse significatam, dicere haud incongruue posse videmur, cum id manifesto experimento probarit euentus. Sicque bene versa vice rerum, magno sane prodigio fatalis arbor, eademque illis felicissima, Remi Romulique cunabulis consecrata, tunc aruit, cum aridum *Crucis* lignum à Petro & Paulo Romæ plantatum virescens, fœcundo germine propagaretur.

a *Hipp. mart. de 72. Disc. Ath. ep. ad Droc. Cyril. Hier. catech. 17. Epiph. har. 27 Chrys. in ep. ad Hebr. & hom. 7. de laud. Pauli, & hom. 76. in Matt. Theod. in 2. Tim. vlt. & in Phil. 1. & in psal. 116. Soph Hier. scr de nat. Apost. & alii recentiores.*
b *Hier. in Isa. 31. & in Amos 5. Greg. 31. Mor. 22. Isid. de vit. & obit. Sanct. Bed. in Mart. 11. Cal. Sept. Ado Vien. in Chron. an. 59. & alii complures.*
c *Mart. R. 11. Cal. April.*
d *Rom. 15. e 22. q. 2. c. beatus.*
e *Gelas. in Con R. decr. de lib. canon.*
f *Cas. 1. diuin. lect. 14.*
g *Alc. car. de lib. canon.*
h *Isid. li. 6. Orig.*
i *Conc. Cart. III. can. 47.*
k *2. Pet. 3.*
l *Xyst. Sen. 7. Bibl. 8. Bellar to. 1. Contr. 1. cap. 17. & alii.*
m *Vid. Aug. ep. 163. ad Generos.*

XXIII.
Dᴇ ᴀʀᴇꜰᴀᴄᴛᴀ ꜰɪᴄᴜ ʀᴏᴍᴜʟᴇᴀ.

IESV CHRISTI Ann. 61.

PETRI An. 17.

NERONIS IMP. An. 5.

ANno Christi sexagesimo primo, C. *o* Vipsanio & Fonteio Capitone Coss. Paulus Apostolus biennio in vinculis iam exacto, liber abire permissus est: reliquæ vero eius res gestæ vsque ad martyrium, remanserunt prorsus obscuræ: nam quæ dicebantur *Acta Pauli*, inter apocrypha sunt *p* reiecta. Cum autem ex iis quæ superiori anno ad Philippenses, Philemonem, & Hebræos scripsit, constet in animo habuisse redire in Orientem, an id præstiterit haud tuto possumus affirmare, quandoquidem Patrum plurimorum tam Græcorum *a* quam Latinorum *b* sententia traditur, ipsiusque etiam auctoritate Romani Martyrologii *c* confirmatur, eum solutum vinculis profectum esse in Hispaniam, sicut se in animo habuisse olim Romanis *d* significauerat. Verum nec ob eam causam, q nunc (si velimus) rediisset in Orientem, videri potest elapsum tempus quo minus octo illis annis qui intercedunt vsque ad ipsius martyrium, potuerit non tantum Hispanias, sed vniuersum plane Orbem Romanum, ac Barbarorum externas regiones peragrare. Quod vero Gelasius *e* Papa de eadem ipsius in Hispanias profectione scripsit, eum dispositione diuina maioribus occupatum ex causis, implere non potuisse quod promiserat, nõ eo quidem rendit, vt eam penitus neget, sed vt significet, ipsum, Deo aliter decernente, minime tunc implere potuisse, quod ad Romanos scribens pollicitus erat se propediem impleturum. Itemque quod Innocentius *f* ad Romanæ Ecclesiæ instituta cæteros prouocans, omnino asserere videtur, neminem Apostolorũ, excepto Petro, Hispanias, & alias Occidentales prouincias docuisse, haud putandum est à Petro diuidere Paulum voluisse, sicut cæteros Apostolos, quos iure negat in Occidente docuisse: nam in re de qua agebatur, Petri causa communis Paulo esse videbatur, quippe qui & ipse sicut Petrus Romæ docuerit, eamque Ecclesiam sacris ritibus & institutis imbuerit.

Hoc eodem anno S. Lucas Euangelista scriptionem eam absolnit, cuius est titulus Actvs Apostolorvm. Cum enim in fine scribat, Paulum egisse biennium in suo conducto, plane post illud tempus extremam manum operi se imposuisse significat. Quod autem S. Hieronymus biennium Pauli Romæ agentis extendat vsque ad quartum Neronis annum, nos autem quinto ponamus, id inde accidit, quod ipse vno eodemque anno ponat eius discessionem Hierosolymis, & Romam aduentum, quæ tamen duobus annis esse peracta, eiusdem Lucæ testimonio est declaratum. Quonam vero Lucas abierit postquam Roma decessit, incertum est. de eo tamen tradit Epiphanius, *g* prædicasse in Dalmatia, Gallia, Italia, ac Macedonia. Legiturque apud Oecumenium, *h* eumdem Roma in Orientem esse reuersum, rursumque petiisse Libyam, Thebanos Christiana religione instituisse, atque in vltima demum senectute reddidisse Deo spiritum. Sane quidem & Hieronymus *i* eum vita cælibem ad ætatis annos octoginta quatuor peruenisse scribit. Sed Gregorius *k* Nazianzenus, Paulinus *l* Nolanus, Gaudentius *m* Brixianus, eum tradunt martyrio vita functum: & Nicephorus *n* Callistus martyrii genus describens, asserit ipsum in Græcia ex fructiferæ oleæ arbore suspensum esse, quod aridi ligni, vnde crux fieret, copia non esset. Agit & de miraculis ad eius monumentum edi solitis, deque Christi, B. Virginis, ac SS. Petri & Pauli Imaginibus, ab eo coloribus effigiatis. Eadem quoque de martyrio in olea Michael *o* Glycas, sed & de vnguento medico, quod ex membris eius scaturiit: eademque Gregorius Cedrenus. *p* Plura autem de Luca superius.

Hoc ipso anno mense Martio Festis Quinquatriis, impiissimus Nero Imperator Agrippinam matrem naufragio frustra tentatam, misso Aniceto liberto palam occidendam curauit, quod pluribus prosequitur Tacitus. *q* Cum vero (vt ait) publica adulatione, lætitia quoq; publica omnium esset, vt de salute patta Imperatoris, fortasse ea ex causa accidit, vt Paulus insumpto carceris biennio, vna cum cæteris vinctis liber sineretur abire.

II.
Lvcas edit Actvs Apost. De rebvs Lucæ rel qvæ.
g *Epi. oar. 51.*
h *Oecum in Luc.*
i *Hier. de Script. Eccl. in Luca.*
k *Greg. Naz. orat 1. in Iul.*
l *Paul. ep. 12.*
m *Gaud. de dedic. bas.*
n *Nic. li. 2. c. 43*

o *Glyc. lib. 3. Annal.*
p *Ced. in comp hist.*

III.
Nero matrem necat.
q *Tac. lib. 14.*

IESV CHRISTI An. 62.

PETRI An. 18.

NERONIS IMP. An. 6.

ANno Christi sexagesimo secundo, Nerone *r* Augusto quartum & Cornelio Lentulo Cosso Coss. idem Imperator accepto nuntio de morte Festi Iudææ Præsidis, successorem ei designauit *s* Albinum, qui tamen nonnisi anno sequenti profectus est in prouinciam. Interea vero Agrippa Rex, Iosepho Summo Pontifice iusso priuatã vitam agere, sacerdotium eius dedit Anani filio, & ipsi vocato

I.
o *Tac. li. 14.*

p *Gelas. in Con. Rom. de lib. apocr.*
Pavlvs in Hispaniam

I.
r *Tac. lib. 14.*
s *Eus. in Chr.*
Ananvs existimatvs felicissimvs.
Et vid. sup. an 31 post mu. V.

Anano eodem quo pater nomine. Senior autem Ananus existimatus fuit omnium hominum felicissimus, quod liberos habuerit quinque omnes potitos Summo Pontificio, cum prius ipse ad satietatem ea dignitate perfunctus esset. Iunior autem audax fuit & ferox ingenio, sectaque Sadducæus, quod hominum genus apud Iudæos in iudicando erat seuerissimum. Narrat ista Iosephus. *a* Qui igitur tradunt *b* Annam (qui idem est atque Ananus) vt Caipham male perisse: quod ad seniorem Annam spectat, longe à Iosepho discrepare videntur.

a *Ios.* 20. *ant.* 8
b *Nic. li.* 2. *c.* 10 *& alii cum eclusi.*

Eodem anno (vt Tacitus *c* narrat) nobilis in Asia vrbs Laodicea) cuius meminit Paulus ad Colossenses *d* tremore terræ prostrata est, sed à ciuibus breui restituta. Erat enim opulentissima: vnde eius diuitiarum occasione Ecclesiam ibi positam cito repulisse, conquestus est Dominus apud Ioannem. *e* Cæterum apud Eusebium in Chronico anno Neronis decimo eiusmodi clades Laodicensis collocatur, additurque non illam tantum, sed & Hierapolim, & Colossas, eiusdem prouinciæ nobiles ciuitates, æque esse terræ motu prostratas. At in his quæ sunt temporum, Tacito tutior fides habetur.

11.
a *Tac. li.* 14.
d *Coloss.* 2.

LAODICEA TERRÆ MOTV PROSTRATA.
e *Apoc.* 3.

IESV CHRISTI AN. 63.

PETRI AN. 19.

NERONIS IMP. AN. 7.

I. IACOBI APOST. ET HIEROS. EPISC. MARTYRIVM.

ANno Christi sexagesimo tertio, quo C. Cæsonius Pætus & Petronius Turpilianus Consulatum inierunt, IACOBVS Apostolus cognomento *Iustus*, Fraterque Domini dictus, glorioso martyrio vitam finiuit. Id enim accidisse hoc anno septimo Neronis Imperatoris, Eusebius, *f* Hieronymus, *g* ac demque cæteri omnes pariter asseuerant. Quam ratione eum tedisse oportuit, non annis triginta (vt complures dixerant) sed viginti nouem tantummodo, quippe qui anno trigesimo quarto, quo & Dominus passus est, Ecclesiæ Hierosolymitanæ est institutus Episcopus. Error insuper in notam numeri apud Nicephori Chronicon irrepsisse videtur, dum loco annorum viginti nouem, viginti sex sedis Iacobi notati habentur. Sed & Epiphanius *h* redditur fides dubia, dum ad annos ætatis nonaginta sex Iacobum peruenisse, & annis plus minus viginti quatuor post Ascensionem Saluatoris vixisse tradit: Nam haud facile cuipiam persuadere possit, cum tempore Passionis Domini egisse annum ætatis septuagesimum secundum, & ante annos quinque (quod factum est) martyrium consummasse.

f *Eus. in Chr.*
g *Hier. de Script. Eccl. in Iacob.*
h *Epi. hær.* 78.

II.
i *Ios.* 20. *ant.* 8
k *Eus.* 2. *hi.* 22.

SVMMA EIVS SANCTITAS.

Porro Iacobum iussu Anani Summi Pontificis hominis sæui, & ferocis ingenii, lapidibus obrutum fuisse, Iosephus *i* tradit, eamque historiam Eusebius *k* ex Hegesippo & Clemente Alexandrino pluribus describit, tradens eum de fide Christi à Scribis & Phariszis varie tentarum, cum eam gloriose coram vniuerso populo confessus esset, primo è pinna templi præcipitatum, deinde lapidibus appetitum, ac demum fullonis veste percussum capite, pro se persequentibus orantem occubuisse: Eius vero sanctitatem adeo spectatam omnibus fuisse, vt ei soli permitteretur (quod alioqui vnius erat Summi Pontificis) ingredi in Sancta Sanctorum: quod testatur etiam Epiphanius. *l* Hieronymus *m* quoque asserit, vitam fuisse tantæ sanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere. Habet insuper ex eodem Hegesippo Eusebius, eum ab vtero matris sanctum fuisse; vinum & siceram non bibisse, animalium carnibus se abstinuisse, nouaculà caput eius nunquam rasum fuisse, neque corpus oleo perunctum, aut balneis lotum: eidemque assiduitatem orandi ita callum genibus obduxisse, vt duritie cameli pellem imitaretur. Additque Chrysostomus, *n* non tantum eius genua, sed & frontem ob iugem in pauimento prostrationem callo obductam fuisse. Sunt de eo alia ferme innumera Patrum elogia, quæ breuitati consulentes omittimus, cum præsertim de eo superius nonnihil sit dictum. Denique tanti ponderis tanti viri necem Iosephus *a* Iudæus existimauit, vt ob tam infandum scelus Iudæorum populum perditum, ciuitatem excisam, templum incensum, ac cætera denique mala illis obuenisse fuerit opinatus, cuius etiam ea de re testimonium Origenes *b* atque Eusebius *c* citant. Cur autem Iacobi neci potius quam Christi, tributa fuerit à Iudæis Hierosolymitana clades, illam causam fuisse putarunt, quod haud diu post necem Iacobi cœperunt de venturis malis diuinitus ostendi prodigia, quibus illi perterriti ea recentiori scelere adscripsere. Ea vero de causa fuisse Ananum ab Agrippa Rege Pontificatu depositum, idem Iosephus est auctor. In locum autem Iacobi à Christianis suffectum postea fuisse Episcopũ Hierosolymitanum *Symeonem*, filium Cleophæ, æque *Fratrem Domini* dictum, Eusebius *d* atque alii omnes testantur. De cuius distinctione à Simone Cananæo, & Iuda Iacobi, Apostolis, cum quibus à nonnullis confusus reperitur, iam dictum est superius. *e*

i *Ios.* 20. *ant.* 8
k *Eus.* 2. *hi.* 22.
l *Epi. hær.* 29.
m *Hier. in* Gal. 1. *in fi.*
n *Chrys. hom.* 5. *in Matt.*

a *Ios.* 20. *ant.* 8
IVDÆORVM MALA EX EIVS NECE CAEDITA.
b *Orig. cont. Cels. lib.* 1.
c *Eus.* 2. *hi.* 22.

Reliquit Iacobus insigne sui Apostolatus monumentum, EPISTOLAM CATHOLICAM ad duodecim Tribus quæ erant in dispersione: quæ licet à quibusdam antiquioribus fuerit in dubium reuocata, tamen paulatim tempore procedente obtinuisse auctoritatem, Eusebius *f* & Hieronymus *g* illam aperte suscipientes testantur: eamdemq; præterea citant Tertullianus, *h* Cyprianus, *i* Origenes, *k* & vt vere Iacobi Apostoli agnoscunt. Epiphanius, *l* Athanasius, *m* Gregorius *n* Nazianz. idem Hieronymus, *o* Damasus *p* & Innocentius *q* Romani Pontifices, Augustinus, *r* Cassiodorus, *s* Isidorus, *t* ac denique cæteri omnes qui postea contexuerunt canonicorum scriptorum catalogum. Videas insuper, sicut loci & temporis ratio postulabat, ad confutandã Simonis Magi hæresim, qua Fidem sine Operibus *u* prædicaret, (quæ præsertim Samariæ, vt Iuribus sufficere

nymus in Hilarione ; & alii qui res gestas Sanctorum scripsere, frequentissime meminerunt.

Extat insuper ab eodem Iacobo Apostolo suæ Ecclesiæ tradita sacrificii forma, nempe MISSA: quam vere eius esse, plane cognoscet qui eam conferat cum iis quæ Cyrillus *a* eiusdem Ecclesiæ Hierosolymorum Episcopus in suis Mystagogicis Orationibus habet, quæ quidem ipse non aliunde quam ex Iacobi Liturgia cognoscitur accepisse. Sed illud accidit, (quod etiam apud Latinos factum esse constat) vt in sacratissima Missa aliis superadditis precibus, aliis autem breuiori summa contractis, ritibusque nonnihil auctis aut immutatis, rei tamen substantia integra permanente, paulo diuersior ab illa pristina habeatur.

V. DE MISSA IACOBI.
a Cyril. Hier. cat. 5.

IESV CHRISTI AN. 64.

PETRI AN. 20.

NERONIS IMP. AN. 8.

ANno Christi sexagesimo quarto, P. Mario Celso & L. Asinio Gallo Coss. *Marcus* Euangelista primus Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopus glorioso martyrio vitam finiuit. Auctor est enim Hieronymus *b* id accidisse octauo Neronis anno: quo item *Anianum* in locum Marci suffectũ esse Episcopum Alexandrinum, testatur Eusebius *c* in Historia, licet in eiusdem Chronico id anno sequenti positum habeatur. Tam igitur Eusebii quam Hieronymi testimonio erroris arguuntur, qui dixerunt *d* Marcum sub Traiano occubuisse. At quoniam Hieronymus & alii nonnulli de exitu Marci agentes, de martyrio ne verbum quidem, nonnullos scimus dubitasse an illud subierit. Verum cum & antiquum Romanum Martyrologium, & vetus Græcorum Menologium id aperte profiteantur, eidemque assertioni adstipuletur Gelasius, *e* nefas ducimus de ea re amplius dubitare: vnus namque ipse est nobis instar omnium, qui de Apostolis ac Martyribus quæ essent apocrypha, perspicaci considerauit obtutu. Cæterum eius martyrii Acta paucis conscripta habentur in eodem Menologio Græcorum, quæ à Latinis æque probantur, scribentibus eadem, iisdemq; pene verbis ex antiquioribus monumentis Beda *f* & Adone: Metaphrastes aũt rẽ est paulo latius prosecutus, eademq; Nicephorus, *g* cæterique recentiores Græcorum, qui omnes cum Dominico die cum Missam celebraret, à Gentilibus tentum, & fune ad collum ligato per scabra loca biduo tractum, martyrium consummasse tradunt, ætate iam prope matura ac semicana, mense qui apud Ægyptios Pharmutus, ab Hebræis Nisan, à Romanis Aprilis dicitur, vigesimaquinta eiusdem.

I. S. MARCI MARTYRIVM.
b Hier. de Scrip. Eccl. in Marco.
c Eus. 2. hi. 23.
d Doroth. & alii.
e Gelas. decr. de lib. auth.
f Bed. & Ado. in Mart. 25. Aprił.
g Nic. lib. 2. cap. 43.

Sed quod pertinet ad Ecclesiæ Alexandrinæ ab eo factã institutionem, scribit S. Hieronymus, *h* Philonem Iudæum cum *Essenos* describit, Christianorum Alexandrinorum quale sub Marco vitæ institutum agerent, significare voluisse: *Ex quo* (inquit) *apparet, talem primam in Christo credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc monachi esse nituntur & cupiunt, vt nihil cuiusquam proprium sit, nullus inter eos diues, nullus pauper, patrimonia egentibus diuidantur, orationi vacetur & psalmis, doctrina quoque & continentiæ, quales & Lucas refert primum Hierosolymis fuisse credentes.* Hæc Hieronymus, sectatus haud dubie Eusebium, *i* qui ea de Christianis sub Essenorum nomine à Philone scripta esse, pluribus demonstrare conatur. Est autem ille Philonis liber *De Vita contemplatiua*, siue *de Supplicibus* inscriptus. Epiphanius *k* quoque in eamdem plane cõspirat sententiam, insinuans Philonem de Essæis, hoc est, Iessæis esse locutum, non de Essenis: *Iessæos* enim à IESV, siue à Iesse, ex quo Christus secundum carnem, nominatos esse Christianos ipso exordio nascentis Ecclesiæ. Eosdem quoque Essenos qui erant in Ægypto, fuisse Christianos, Cassianus *l* existimasse videtur, dum asserit Ægyptios monachos à Marco esse institutos. Id ipsum affirmant Sozomenus, *m* Cedrenus, (qui & testem citat Eusebium epistola ad Marinum) Nicephorus, *n* Beda, *o* & alii recentiores: Nouatoribus exceptis, eo quod monachorum instituta summo odio prosequantur. Quod vero ad nomen spectat, ait Suidas *p* Essæos idem esse quod Contemplantes, qui & genus Rechabitarum eos fuisse putauit. Cæterum ipse Philo in libro qui inscribitur, *Quod liber sit omnis probus*, Essæos significare sanctos non obscure declarat: & in eumdem sensum Chrysost. *a* Essenos à vitæ sanctitate esse dictos testatur. At vero omnes Christianos ipso exordio nascentis Ecclesiæ *Sanctos* esse nominatos, iam alias ostensum est.

II.
h Hier. de Script. Eccl. in Marco, & in Philone.
ECCLESIÆ ALEXAN. OPTIMA INSTITVTIO.
i Eus. 2. hist. 15 16.
k Epi. her. 29.
DE ESSENIS, SIVE IESSÆIS.
De quibus accuratius Nic. Serar. li. 3. Tribar. & lib 8 Mineru.
l Cas. 2. inst. cœnob. 5.
m Sozom. lib. 2. cap. 12.
n Nic. lib. 2. c. 15.
o Bed. præf. in Marc.
p Suid. verb. Essæi.

Porro quod tradunt Nouatores, non de Christianis locutum esse Philonem, sed de ea Iudæorum secta quæ *Essenorum* dicta esset, quam Iosephus *b* ante Christi tempus extitisse demonstrat: sane si Plinium, *c* & qui ab eo fere omnia accepisse cognoscitur, Solinum *d* auscultemus, dum Essenorum Iudæam inhabitantium laudatissimum vitæ institutum describunt, dicere necesse est fuisse illos plane antiquissimos, quorum & meminit nõ sine laude Porphyrius. *e* Verum quod dicunt eos per multa sæculorum millia extitisse, certe ista non ea qua sunt dicta facilitate probantur. Nam nec in Veteri Testamento, nec in Nouo, vlla de iis reperitur habita mentio, quorum vitæ institutio videri poterat præ cæteris admirabilis, cum tamen in Euangelio cæteræ oẽs Iudæorum sectę recenseantur, nempe Pharisæorum, Sadducæorum, Galilæorum, Herodianorum, & Samaritanorum. Nec est ꝙ quis iure dicere possit, Essenos eosdẽ esse cum *Rechabitis*, quorum summa cum laude meminit Hieremias: *f* nam constat diuersam plane fuisse vtriusque gentis institutionẽ, siquidẽ Rechabitas nonnisi iis quæ terra spõte ferret absque aliqua cultura, victum sibi comparasse Scriptura declarat: Essenos vero omnes, coluisse agros, & ex iis victum quæsiuisse, Philo eodem tractatu *Quod liber sit omnis probus*, & Iosephus in Antiquitatibus *g* testãtur. Deniq; non solum Ethnici scriptores qui ante Christum vixerunt, & gentium, sectarũmq; diuersarum mores laudatissimos prosecuti sunt, adeoque de Iudæis egerunt, Essenorum non meminerunt, sed nec qui res Iudaicas ex instituto exactissime tractarunt, tam antiquam iis originem tribuunt, de quibus apud Iosephum *b* nulla antiquior quam Herodis maioris tempore extat memoria. Sed & si veustiores fuisse concesserimus, quis prohibet dicere, eosdem, aut certe maximam eorum partem (nam ex iis complures in sua perfidia remansisse, Philastrius ait) prædicatione Apostolorum conuersos, inter Christianos professos esse? cum præsertim in perscrutandis Prophetis intentos fuisse, ob eamque causam veritatem rerum futurarum attigisse, Porphyrius *i* testetur. Est n. de ea re non leue argumentum, quod antiquiores illi Essenі Iudæi à Iosepho descripti, ab Alexandrinis Philonis in pluribus differunt, vt appareat hos ex illis prouenire, non tamen eosdem esse cum illis, quippe qui religionem Christianam consectati, pristinum vitæ genus, vbi Christiana religio non contradiceret, non reliquerint, sed perfectiorem nacti legem, excultiorem quoque vitæ institutionem sint professi. Vnde & illos quorum meminit Iosephus, eorumque rigidiores, in multis remissiores fuisse constat illis quorum Philo texit historiam.

III.
a Chrys. hom. 44. in Act.
b Ios. 18. ant. 2 & 2. de bel. 7.
c Plin. 5. hi. 17
d Sol. Pol. hist. c. 36.
e Ap. Cyril. Alex. lib. 5. cont. Iul.
f Hier. 35.
g Ios. 18. ant. 2
h Id. ibid. & 15. ant. 13.
i Ap. Cyr. li. 5. in Iul.

Sed & illud magnopere considerandum, Essenos non alibi quam in Iudæa, numeroque supra quatuor millia à Iosepho & Philone constitui. At cum idem Philo in tractatu *De Vita contemplatiua*, dicat eiusmodi genus hominum magno apud Alexandriam fuisse numero, immo & in aliis Ægypti regionibus, multisque Orbis partibus egisse, sed & addat, idem vitæ genus à Græcis & barbaris esse receptum, satis manifeste declarat, nonnisi de Christianis esse locutũ, qui vbique terrarum, & ex omnibus gentibus, eiusdem vitæ institutum his primis Ecclesiæ temporibus in eumdem ferme modum excolerent. Nec mirum si & obseruationem diei Sabbati Philo in Essenis commendet; cum & Apostolos etiam in multis Iudaizasse eorum Acta testentur. Hocq; est quod prouide S. Hieronymus ait, videntem Philonem primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem suæ gentis librum super eorum conuersatione conscripsisse. Siue ergo velimus, Christianos apud Alexandriam agentes, quod ex Essenis ad fidem Christi veniissent, esse nominatos Essenos, vel à Philone sic appellatos, quod magna ex parte vitam Essenorum viderentur imitari, vel quod non Essenos, sed Iessæos, aut Essæos, à contemplatione, vel sanctitate, eo nomine libuerit nominare Christianos? satis ex his omnibus constare arbitror, ipsum Philonem nonnisi de

IV. ESSENOS FVISSE CHRISTIANOS.

Christianis esse locutum, ita tamen vt licuit externo homini rerum nostrarum secreta inexplorata habenti, & quæ essent Iudæorum Christianorum, Iudæis prorsus adscribere cupienti.

IESV CHRISTI AN. 65.

PETRI AN. 21.

NERONIS IMP. AN. 9.

I. CLADES HIEROSOLYMORUM MIRABILITER PRÆDICTA.

ANno Christi sexagesimo quinto, Memmio Regulo & Virginio Rufo Coss. qui & quartus ante Bellum Iudaicum cœptum, octauus vero ante Hierosolymorum obsidionem numeratur, venturam cladem Deus voluit innotescere, & assiduo prædici, vt de commissis sceleribus populus ageret pœnitentiam: cum videlicet (vt ait Iosephus *a*) in summa ciuitatis pace atque opulentia, *Iesus* quidam filius Anani, homo plebeius & rusticus, ad festum diem, quo ategias in honorem Dei componi in templo mos erat, veniens, repente clamare cœpit, *Vox ab Oriente, Vox ab Occidente, Vox à quatuor ventis, Vox in Hierosolymam & templum, Vox in maritos nouos, nouasque nuptas, Vox in omnem hanc populum.* Atque hæc diu noctuque clamitans, omnes ciuitatis vicos circumiit non cessauit. A Magistratibus vero, aliisque, sæpe verberibus affectus, & vsque ad ossa laceratus, neque supplex cuiquam fuit, neque lacrymauit, sed inclinans quam maxime poterat flebiliter vocem, ad singulos ictus respondebat, *Væ væ Hierosolymis.* Qui ad belli vsque tempus, neq; adire quemquam ciuium, neque loqui visus est: sed quotidie velut orationem quamdam meditatus, *Væ væ Hierosolymis* querebatur. Sed neque imprecatus est cuiquam, cum in dies singulos mulctaretur, nec victum offerentibus benedicebat: ipsa vero responsio ad omnes erat triste præsagium. Maxime autem diebus festis vociferabatur: idque per annos septem & quinque menses continuos faciens, neque voce raucior fuit, neque defessatus est, donec obsidionis tempore, ipsa respectis augurijs ipse quieuit. Supra murum enim circumiens iterum, *Væ væ ciuitati, ac templo, ac populo*, maxima voce clamitabat. Cum vero ad extremum addidit, *Væ etiam mihi*, lapis tormento missus eum statim peremit, animamque adhuc illa omnia lugentem dimisit. Hæc ex Iosepho. Cætera autem prodigia quæ Hierosolymitanam cladem præcesserunt, suis locis ordine temporum recensebimus.

a *Ioseph. 7. de bel. 12.*

IESV CHRISTI AN. 66.

PETRI AN. 22.

NERONIS IMP. AN. 10.

I. VRBIS INCENDIVM.

ANno Christi sexagesimo sexto, C. Lexanio & M. Licinio Coss. Nero Imp. occasione incendii Vrbis, diritissimam in Christianos qui Romæ erant PERSECVTIONEM excitauit, eosdemque variis ac sæuissimis suppliciorum generib. & exquisitissimis pœnis affecit, dum inter alia (quod ait Tacitus *b* post elegantem violentissimi incendii descriptionem) *pereuntibus addita sunt ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur*: hoc est (vt interpretatur vetus glossographus Iuuenalis) tæda, papyro, & cera superuestiti, palis gutture affixi ne se cuttarent, cereorum loco ardentes spectatoribus lucerent. Meminit enim eiusmodi supplicii Iuuenalis, *c* dum ait:

tæda lucebis in illa,
Qua stantes ardent qui fixo gutture fumant.

Sicut & Seneca, *d* inter alia atrocia eius temporis tormentorum genera, recenset *adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, & tunicam alimentis ignium illitam & intextam.*

b *Tac. lib. 15.* DIRÆ IN CHRISTIANOS POENÆ.

c *Iuuen. Sat. 1*

d *Senec. ep. 14.*

II. NERO CREDITVS INCENDIARIVS

Cæterum idem Tacitus odio quo flagrabat in Christianos, parum liberalis historici specimen edens, licet sua ipsius sententia, & (vt asserit) totius populi opinione, ipse Nero Imp. haberetur incendii auctor, adeo vt non ope humana, non largitionibus Principis, aut deûm placamentis, decederet infamia, quin iussum incendium crederetur: nihilominus fontes Christianos appellat, & aliquos eorum crimen confessos cæteros detulisse mendaciter asserit. Nam & æque Suetonius *a* affirmat, ipsummet Neronem auctorem fuisse incendii, quasi offensum deformitate veterum ædificiorum, & angustiis flexurisque vicorum: eumdemque è turri Mœcenatiana prospectantem, ac lætum flammæ (vt aiebat) pulchritudine, ἄλωσιν Ilii in illo suo scenico habitu decantasse. Eadem ferme Dio, *b* & alii, quorum nullus est qui audeat Christianos vel leuiter in crimen adducere: & in eorumdem sententiam idem ipse Tacitus scribit, Neronem eo facto visum esse condendæ Vrbis nouæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quæsiisse. Incendium autem sex continuis diebus adeo Vrbem depastum esse ait, vt ex quatuordecim eius Regionibus, quatuor dumtaxat integræ remanserint, tres solo tenus deiectæ, septem reliquis pauca tectorum vestigia superfuerint lacera & semiusta. Vetustissima quoque Vrbis delubra, atque ipsius etiam Vestæ cum Penatibus Populi Romani, exusta fuisse, necnon opes tot victoriis quæsitas, & Græcarum artium decora, exin monimenta ingeniorum antiqua & incorrupta. Fuisseque qui annotarent, decimoquarto Calendas Sextiles principium incendii ortum, quo & olim Senones Galli captam Vrbem inflammauerant.

a *Suet. in Nero c. 38.*

b *Dio in Nerone.*

INGENS VRBIS RVINA.

III.

Vt autem ad Christianos reducamus, quod idem auctor ait, eos *per flagitia inuisos vulgo fuisse*: vel id accidit quod deos constantissime detestarentur, eaque ratione impii haberentur, vel quod nomine Christiano complures vagarentur hæretici obscœnissima perpetrantes. Quæcumque enim essent turpia hæreticorum, vel conficta de Iudæis, ea omnia in Christianos calumniose redundasse, qui pro iisdem scripserunt ad Imperatores Apologias, plenius declararunt. Porro hæc Neronis PERSECVTIO in Christianos Romæ agentes, PRIMA dicenda est, quamuis (vt ait idem Tacitus) Christiana religio, quam ipse *exitiabilem superstitionem* appellat, iam antea repressa esset: Verum cum nihilominus validius erumperet, nouis fuit aduersus illam agendum edictis. Neroni quidem Tertullianus, *c* & alii omnes tribuunt primam Persecutionem, quæ Romæ contigerit. Et quod ad necatos in ea pertinet, illorum omnium in Martyrologio Romano annua memoria agitur octauo Calendas Iunii, ibique iidem PRIMITIÆ MARTYRVM, quod passi sint Romæ primi, dicuntur.

PRIMA IN CHRISTIANOS PERSECVTIO A GENTILIBVS. *c Tert. Apol. c. 5. & Scorp. cap. 14.*

IV. DE EPISTOLIS SENECÆ AD PAVLVM.

At nec illud dicere prætermittimus, extare Senecæ nomine epistolam ad Paulum de incendio Neroniano, sed mea sententia, ab alio quopiam confictam, quod aperta in ea asserantur mendacia tam de tempore incendii, quod ibi asseritur contigisse sub Consulatu Aproniani & Capitonis, nempe ante quinquennium, quam etiam de patuo, quem habet, numero domorum & insularum consumptarum, contra illa quæ referuntur de his ab accuratissimo scriptore Tacito. Quamobrem & reliquæ illæ tum ad Paulum conscriptæ, tum à Paulo ad eum redditæ, æque nobis suspectæ redduntur, etsi sciamus non recens esse excogitatas, sed & à S. Hieronymo *d* cognitas atque probatas. Meminit quoque earumdem S. Augustinus, *e* quamuis ex eo quod alibi *f* asserit numquam Senecam Christianos commemorare ausum esse, nullam prorsus fidem dictis Epistolis tribuisse videatur. Inde autem hæc de illis opinio fluxisse videtur, quod in Actis quæ extant Passionis Pauli, Lini nomine consignatis, dicatur, Institutorem Imperatoris fuisse Paulo intima amicitia copulatum, & frequentibus datis & acceptis epistolis, ipsius dulcedine & amicabili colloquio atque consilio frui solitum. Sed qualia hæc sint, ea quæ dicta sunt, lectorem possunt admonere.

d *Hier. de Scrip. Eccl. in Seneca.*

e *Aug. ep. 14.*

f *Id. 6. de ciu. 11.*

***

IESV CHRISTI ANN. 67.

PETRI AN. 23.

NERONIS IMP. AN. 11.

I. a Plin. lib. 8. c. 40. PERSECVTIO PROPAGATA b Sue. hist. li. 2

ANno Christi sexagesimo septimo, Silio Nerua & Attico Vestino Coss. vel (vt habet Plinius a) Appio Iunio & P. Silio, Persecutio in Christianos occasione incendii semel excitata, palam propositis à Nerone edictis (vt ait Seuerus b) magis ac magis in eos sæuiit. Perdurauit autem vsque ad Apostolorum neeem: quibus temporibus Dei Ecclesia Sanctorum coronis est mirifice illustrata, & nouis propagationibus aucta. Quinam autem Romæ sint passi, complurium nomina suppeditat Romanum Martyrologium, licet ex immẽso numero vix paucorum, quod (vt suo loco dicemus) inuidia Diocletiani perierint Acta martyrum. Sed de eadem Persecutione plutibus inferius.

II. DETECTA CONIVRATIO IN NERONEM.

Eodem anno itidem Romæ detecta coniuratione in Neronem Imp. à compluribus Romanorum nobilium diu agitata atque compolita: idem Nero cum cæteros quamplurimos, tum magnum illum inter Gentiles philosophos Annæum Senecam, suum olim præceptorem, à proditore inter coniuratos nominatum, occidi iussit, concesso tamen illi, vt quam vellet mortem sibi deligeret: qui quidem apertis sibi venis in brachiis & crurib. cum ita cruciaretur, cicutã etiam bibit, ac demum stagnum aquæ calidæ iniuit. Flauius etiam Tribunus mori iussus, Neroni in os dixit, se illum cœpisse odio habere post quam parricida matris & vxoris, auriga, histrio, & incendiarius extitisset. Necatus quoq; Plautius Lateranus Consul designatus, cuius nobilis illa erat basilica in Cælio monte, quæ postea vsui cessit Christianorũ, & aucta in Primariam conuersa est Ecclesiam, eandemque dictam *Lateranensem*, de qua suo c loco pluribus. Ipsam autem coniurationem, & neces commissas, describunt Tacitus, Dio, & alii. Post quas subsecuta est etiam mors *Poppæ* Augustæ, quam licet amatissimam, Nero iracundia percitus ictu calcis occidit.

ECCLESIA LATERANENSIS VNDE DICTA. c An. 313. vi.

IESV CHRISTI AN. 68.

PETRI AN. 24.

NERONIS IMP. AN. 12.

I. d Met 29. Iunii, & alii. PETRVS ET PAVLVS ROMAM VENIVNT.

ANno Christi sexagesimo octauo, Suetonio Paulino & Pontio Telesino Coss. Petrus d & Paulus Apostoli, diuino consilio, vt afflictatæ à persecutorib. Ecclesiæ Romanæ succurrerẽt, è diuersis Orbis partibus Romam se iterum contulerunt. Cum enim Neronis gladio in Romanos occasione prædictæ coniurationis conuerso, à sanguine Christianorum temperatum fuisse videretur: hac ipti bene vsi opportunitate, collabentem (vt licuit) Ecclesiam instaurarunt. Quorum prædicationis nobile fragmentum recitat Lactantius, e de prænuntiata his diebus ab eisdem futura clade Hierosolymitana, cuius bellum hoc ipso anno occasione quam postea dicemus, est inchoatum.

e Lact. lib. 4. c. 21.

II. EPIST. II. PETRI.

Eodem quoque tempore, idem Petrus Apostolus ad Iudæos factos Christianos SECVNDAM scripsit EPISTOLAM, cum scilicet breui (vt sibi à Christo reuelatum esse tradit) consummaturus esset martyrium. Quam quidem vt Petri legitimam antiquiores Theologi agnouerunt, & inter alios eruditissimus Hippolytus f martyr. Sed quod crederetur esse deprauata, licet publice legeretur, non fuisse in Canone ait Didymus g eam interpretatus: dubitatumque de ea tradit Eusebius h, b sed id factum esse ob diuersitatem interpretum, S. Hieronymus i affirmat. Nam non tantum eo munere apud eum functus est (vt vidimus) Marcus, sed & Glaucias k quidam, quem Basilides falso iactabat suum fuisse magistrum. Porro non solum quotquot sacra Concilia contexuere Canonicorum librorum catalogum, vt Romanum sub Damaso, quod habet Collectio Cresconiana, Laodicenum, Carthaginiense Tertium, alterum Romanum sub Gelasio, sed & qui idipsum suis scriptis præstitere Orthodoxi Patres, vt Athanasius, Gregorius Nazianzenus, Amphilochius, Augustinus, & qui his auctoritate præstat Innocentius Papa, necnon Cassiodorus, Isidorus, & alii recentiores, omnes æque eam esse germanam Petri profitentur: quorum auctoritate, Nouatorum quorumdam eam impugnantium temeritas inferius arguetur.

II. EPISTOLA IVDÆ.

Ad hanc ipsam Petri Epistolam, ea quæ est Iudæ Apostoli fratris Iacobi, relationem quandam habere videtur, cum eodem ferme scripta sit argumento, iisdemque sententiis atque interdum verbis intexta: vt plane appareat, hanc post illam Petri esse conscriptam, eoque certo signo erroris argui, qui absque vllo Veterum testimonio, propria animi sententia, vel falsa coniectura dixerunt, Iudam & Simonẽ Apostolos ab hinc ante triennium fuisse martyrio in Persida coronatos. Quo vero anno id contigerit, fateri malumus nos ignorare, quod à maioribus non sit traditum, quã temere quid certũ in re dubia statuere. Sicut & quæ de ipsorum martyrio, cæterisq; rebus gestis, habentur in Passionibus Apostolorum apocryphis, incertæ sunt fidei, quamquã non penitus vt falsa reiicienda. Porro Epistolam illam germanam esse Iudæ Apostoli, recensita modo sacra Concilia, necnon Patres qui Canonicorum Librorum numerum recensuere, firmiter profitentur: citantque insuper Hippolytus a Martyr Tertullianus, b aliique recentioris classis Scriptores Ecclesiastici: Nouatoribus quibusdam exceptis, qui leuiorib. eam impetunt obiectionibus, quasi probro adiectibendum esset Apostolo, quod ex Enoch libro apocrypho citauerit auctoritatem, cum tamen & Gentiles poetas Paulus, & aram idololatriæ Athenis in summæ Theologiæ cõuerterit testimonium. Cæterũ haud liber Enoch apud maiores adeo vulgaris extitit auctoritatis, vt non fuerint qui dixerint c esse canonicum, & qui in illo essent errores, in Catholicum dogma sint conati transferre. Verum de his alias.

a Hipp. de Antichr. b Tert. de hab mul. c. 3.

Quod autem diximus tam Petrum, quam post eum Iudam, Epistolis suis in eodem versatos esse argumento, fuit illud potissimum, vt insectarentur quosdam hæreticos, qui omnigenæ luxuriæ sordibus inquinati essent. Sed quinam hi fuerint, etsi tam Simon quam qui eius sectam prositerentur, Menãder, Basilides, Carpocras, & alii horum gregales, impurissimi haberentur, eosdem tamen nemo dubitat superatos esse turpitudine à NICOLAITIS. Quos quidem dictos esse à NICOLAO diacono, vno ex septẽ primis, omnes æque consentiunt: sed qua occasione id acciderit, diuersæ repetiuntur sententiæ. Alii namque existimarunt, ab ipso Nicolao praua eorum dogmata esse excogitata, pura Irenæus, d Tertullianus, e Hilarius, f Epiphanius, g Hieronymus, h & alii complures, asserentes ipsum, cum post susceptum diaconatum ad imitationem eorum (inquit Epiphanius) quos Deo addictos videbat, ab vxore, quam formosam habebat, se continuisset, & à concupiscentia superatus eam iterum superinduxisset, eaq; de re argueretur ab Apostolis, mox sordidissimam hæresim excogitasse; qua asseueret necessarium esse ad salutem cõsequendam quotidie inquinari luxuriis. Alii vero dixerunt, sic Nicolaitas ab eo esse dictos, vt tamen ipse culpa vacaret: ita nempe vt cum formosam vxorem haberet, eique ab Apostolis esset exprobrata zelotypia, ipse eadem in medium adducta permiseri: cui vellet nubere, hocque eius factum, dictumq; absolute quidam secuti fuerint, quasi do cuisset carne vti oportere, effuseque fornicari, cum tamen ipse Nicolaus nulla vnquam alia, quam ea quæ ei nupserat vxore vsus fuerit, & ex eius liberis filiæ consenuerint virgines, filius etiam permanserit incorruptus. Ita Clemens i Alexandrinus, quæ recitat, probat que Eusebius, k necnon Theodoretus: l iisdemque suffragatur antiquissimus omnium Ignatius, m dum semel atque iterum scribit eiusmodi hæreticos falso nomine dictos esse Nicolaitas: quod etiam habetur apud Clementẽ n Romanum, idque nos verum putamus. Nam & eumdem Nicolaum Diaconum, vt virum fide Catholica probatissimũ, factum ab Apostolis Episcopum Samaritanorum, Hippolytus, cuius fertur liber de Septuaginta duobus Discipulis testatur, eique consentit Dorotheus in Synopsi.

NICOLAITÆ HÆRETICI VNDE DICTI.

d Irẽn. li. 1. c. 27. e Ter. in præscr. f Hil. in Matt 25. g Epi. hær. 25. h Hier ep. 2. & 48.

i Clem. Alex Strom. lib. 3. k Euf. 3. hi. 23 l Theod. hær. fab. li. 3. m Ignt ep. ad Tral. & ep. ad Philad. n Clem. 6. Conſt. 8.

Sed vt quænam essent praua dogmata Nicolaitarum co-

V.

EORVM HÆRESES.
a *Ign. ep. 9.*
b *Ire. li. 3. c. 11.*

gnoscamus, Ignatius *a* ait ipsos negasse Christum fuisse Deum, sed in eo Deum habitasse. Meminitque pariter Ireneus *b* de Nicolaitis Christi diuinitatem negantibus: quos Ioannes Euangelista, æque ac Cerinthianos, scribendo Euangelium confutauit, & in eosdem Iudas Apostolus sententias iaculatur, dum eos damnat qui IESVM CHRISTVM negarent. Subdit Ignatius, eos insuper affirmasse illegitimos concubitus bonum esse, finemque ac beatitudinem constituisse voluptatem: Irenæus quoque, præter licentiam in mœchando, nulla habita distinctione, idolothyta vt Gentes comedere consueuisse. At portentosa plane hos excogitasse commenta, vt aliquo saltem quæsito prætextu impudice posse licite agi docerent, Epiphanius *c* refert: additque ab inuicem, ex singulis dictis nominibus sectas singulas instituisse. Sicque est intelligẽdum quod Eusebius *d* ait, Nicolaitas ad modicum spatium temporis perdurasse: nimirum quod pertæsi falsi nominis, non amplius se Nicolaitas, quod facile imposturæ cõuinci potuissent, sed alio rursum pulcherrimo quæsito nomine, à sapientia GNOSTICOS nuncuparunt. Sed cum horum alii alia superaddiderint hæresum noua monstra, notis sunt appellati nominibus, *e* vt non tantum Gnostici dicerentur, *f* sed & *Phibionitæ, Stratiotici, & Ienitici*, itemque alii *Barboritæ*, qui à cœnosa turpitudine sic dicti reperiuntur. Sed de Gnosticis inferius pluribus. Aduersus autem Nicolaitas, sententia etiam Dominig condemnatos, scripsisse Irenæum, Hippolytum martyrem, Clementem Alexandrinum, & Origenem, Theodoretus *h* affirmat.

c *Epi. har. 25.*
d *Eus. l. 3. hi 23.*
IDEM GNOSTICI NOMINATI.
e *Epi. har. 25.*
f *Aug. de har. c. 5.*
g *Apoc. 2.*
h *Theod. har. fab. lib. 3.*

VI. NERO MAGIÆ STVDIOSVS.

Dum igitur his temporibus Petrus Romæ ageret, simul etiam charissimus Neroni Simon Magus ibidem morabatur, diuinos ex magia sibi honores comparans. Incredibili namque magiæ studio tentum constat Imperatorem, vt nõ modo eiusmodi circulatores, sponte artes suas offerentes auide exciperet, sed ab extremis vsque Orbis partibus perquireret. Vnde merito Plinius *i* testatur, ea ætate omnis magiæ generis Neronem fuisse principem, neminemque vmquam vlli artium validius fauisse, ac primum diis imperare concupiuisse. Simon igitur cum ea occasione sese in Neronis amicitiam insinuasset, seque Virtutem Dei magnam quæ Angelis dominaretur, & alia eiusmodi quæ superius vidimus, esse iactaret, vt de his aliquod experimentum exhiberet, per aera volatum illi pollicitus est. Hisque fidem adhibuisse Neronem, non tantum nostrorum suppetunt testimonia, sed etiam externorum. Siquidem Dio & Chrysostomus in oratione quam habuit de Pulchritudine, testatur Neronem quemdam volare promittentem multo tẽpore apud se habuisse. Auctorque est Suetonius, *l* editum fuisse in theatro spectaculum, quo Icarius exhiberetur volatus, ipsumque Icarum primo statim conatu iuxta cubiculum Neronis decidisse, atque illum cruore respersisse. Sicut & alios per magiam volare solitos, testatur Lucianus in Philopseudo, de viro hyperboreo qui id ausus esset & præstitisset, ac Iuuenalis de quodam Athenensi.

i *Plin. lib. 30. c. 2.*

k *Dio. Chrys. er at. 21.*
l *Suet. in Ner c. 12.*
MAGICI VOLATVS.

VII. VOLATVS ET CASVS SIMONIS.
m *Clem. 6. Const. 9.*
n *Arnob. aduers. Gen. li. 2.*
o *Cyr. Hier. catech. 6.*
p *Seuer. hi. li. 2.*
q *Theod. 2 har fab. 2.*
r *Isid. Pelus. l. ep. 13.*
s *Max. ser. 5. in nat. Apost.*
t *Epi. har. 21.*
u *Eus. 2. hi. 14.*
x *Phil. de har. cap. 3.*
y *Aug. de har. 1. & cont. Fulg. Don. c. 23.*
z *Prosp. de promis. c. 13.*
a *Anast. de R. Pont. in Pet.*
b *Hegesip. de exci. Hier. lib. 3. c. 2.*
Ap. Sur. 12. Mart.

Cæterum Simonem de miraculis præstandis cum Petro altercantem, asseruisse in cælum se conscensurum, & inde suis omnia bona suppeditaturum, sed cum sublatus à dæmonibus volaret sublimis, cuncto spectante populo, eumdem Petri Apostoli precibus in terram esse prostratum, & cruribus iacuisse perfractis, ac postea misere periisse, testatum imprimis habetur apud Clementem *m* Romanum: idque ipsum Arnobius *n* sub Diocletiano aduersus Gentiles scribens asseruit, necnon qui postea vixere, Cyrillus *o* Hierosolymorũ Episcopus, Seuerus, *p* Theodoretus, *q* Isidorus *r* Pelusiota, & copiosius Maximus: *s* eiusdemq; historiæ meminerũt Epiphanius, *t* Eusebius, *u* Philastrius, *x* Augustinus, *y* Prosper, *z* & Athanasius, *a* Bibliothecarius. His essent addenda quæ ab Hegesippo *b* Iuniori fusius habentur enarrata: qui addit & de mortuo à Petro resuscitato, quæ recitãtur etiam à Marcello presbytero in Actis *c* Nerei & Achillei: ac de eadem altercatione pro mortuo resuscitando inter Petrum atque Simonem habita, meminit quoque Leo Secundus in epistola ad Constantinum Imperatorem, quæ recitata habetur in Sexta Synodo. *a* De lapsu vero Simonis, recitata habetur in Sexta Synodo. *a* De lapsu vero Simonis, iungendi dictis auctorib. esse videntur Metaphrastes, *b* Nicephorus, *c* Cedrenus, *d* Glycas, *e* & alii Græcorum recentiores, Latinorum vero Gregorius *f* Turonensis, Isidorus, *g* Hispalensis, & alii his posteriores fere innumeri: adeo vt de re quæ in confesso est apud omnes, nefas sit amplius dubitare, cum licet in quibusdam minimis ab inuicem discrepent, tamen in re gesta omnes æque consentiant. Hic igitur finis extitit Simonis magorum omnium sceleratissimi, qui (vt refert Anastasius *h* Nicænus) spectãtium oculos sic præstigiis perstringere cõsueuerat, vt in varias animalium aliarumque rerum formas conuerti videretur, ita vt cum aliquando à Cæsare territus aufugisset, quæsitus suam formã alii imposuerit: Statuas item faceret ambulare, in igne volutatus non vreretur, in aere volaret, & ex lapidibus panes faceret, aliaque eiusmodi per imaginem ostenderet.

a *Sex. Syn. Act. 18.*
b *Met. 29. Iun.*
c *Nic. 2. hi. 36.*
d *Ced. in comp.*
e *Glyc. Ann. lib. 2.*
f *Greg. Tur. 1 Hist. Fr. 25.*
g *Isid. in Chro.*
h *Anast. Nic. qu 23.*

VIII. PETRVS ET PAVLVS IN CARCEREM CONIECTI.

Petrum vero & Paulum Romæ tunc (vt diximus existentes, occasione lapsus Simonis, à Nerone in carcerem fuisse detrusos, multi ex citatis superius auctoribus testantur. Hæcque gesta esse circa initium mensis Octobris, ex eo facile colligi potest, quod Romanum *i* Martyrologium, aliique scriptores tradant, eosdem Apostolos nouem in carcere mensibus vsque ad mortem fuisse detentos, satisque exploratum sit, consummasse martyrium vigesima nona Iunii. Quod vero tamdiu in carcere detenti fuerint, accidisse putamus ob profectionẽ Neronis in Achaiam ad Isthmi fossionem. (Illuc n. hoc ipso anno sub Consulatu Telesini nauigasse Imperatorem, auctor est Philostratus, *k* quamuis ipsa fossio reddita sit irrita:) ne, nisi redeunte ipso Romam, Apostoli supplicio afficerentur. Carcerem autem iidem Apostoli fuisse Mamertinum dictum, tum idem Martyrologium fuisse Mamertinum dictum, tum idem Martyrologium *l* fidem facit, tum Acta *m* SS. Martyrum Processi & Martiani: qui quidem ad radices Capitolii supra locum quem Forum dicunt positus, subterraneos habens descensus, à Christianis hactenus statutis diebus religionis ergo frequenti cœtu inuisitur, quod fuerit nobilitatus vinculis SS. Apostolorum, aliorumque postea plurimorum martyrum. In quo iidem *Processus & Martinianus* milites Apostolorum custodes, à Petro ad fidem conuersi, ab eodem, sacro baptismate (erumpente ad eiusmodi ministerium in medio carceris diuina virtute fonte) initiati sunt. Estque admiratione res digna, eumdem illic fontem in hunc vsque diem perseuerare, atque è perforato saxo altitudine cubitali tantummodo, & palmi vnius vel circiter latitudine, sic aquam scaturire, vt nec foras exundet, nec quantumlibet hauriatur, vmquam siccetur. Alios quoque quadraginta septem milites, in carcere positi Apostoli genuerunt per Euangelium, in quos simul omnes gladius Neronis sæuiit, eorumque memoria, sicut & duorum illorum, annua celebritate ab Ecclesia vniuersali recolitur. *n* Quæ vero post hæc secuta sint, dicemus anno sequenti.

k *Phil. in Vit. Apol. lib. 4.*
l *Mart. R. 14. Mart.*
m *Ap. Sur. 2. Iulii.*

DE FONTE MIRABILI CARCERIS.

n *Mart. Rom. & alia, 14. Mart. & 2 Iulii.*

IX. CAVSA CARCERIS PAVLI.

Iam quod ad Paulum spectat, vt à Nerone coniiceretur in carcerem, hanc etiam Chrysostomus *o* affert causam, quod Neronis pellicem ad Christianam religionem, & ad castitatis obseruationem conuertisset. At nihil obstat vt alia causa Paulus, alia Petrus ab eodem Nerone coniicerentur in carcerem, nempe iste propter consternatum Simonem, ille ob pellicẽ conuersam: quamquam & ex S. Ambrosio *p* & aliis facile intelligitur, vtrique Apostolorum datum fuisse crimini, quod feminas docerent castimoniam. Nam Tacitus, Suetonius, Dio, & cæteri, qui Neronis historias conscripsere, testantur in nobilissimas quasq; feminas eius libidinem absque aliquo pudoris freno esse grassatam. Habentur eadem de accusationibus in Apostolos, in Actis Passionis eorum, quæ feruntur à Lino conscripta: quæ quidem fuere aliquando fortasse sincera, sed quæ modo extant Manichæorum reperiuntur tincta fuligine, prout & de Actis Andreæ queritur Augustinus: *q* nam sicut in illis Andream, ita in istis Petrum habes non tantum castitatem recte suadentem, & concubinas ab hominibus diuellentem, sed etiam male docentem, ne viris suis vxores debitum redderent. Denique in iisdem Actis alia etiam affertur causa Pauli carceris, nimirum quod Proculum Neronis pincernam fide Christi imbuisset.

o *Chrys. aduer. vitup. vitæ mon. li. 1. ad demque Mart. 29. Iunii.*
p *Amb. in Auxent. de basil. non trad.*
q *Aug. de fid. cont. Manich. cap. 38.*

Cum

X. Cum autem Nero (vt Tacitus *a* ait) multis trucidatis insignibus viris, ad postremum Virtutem ipsam excidere concupiscens, interfecisset quoq; *Baream Soranum, & Thraseam Patum*, lumina tunc Reipublicæ Romanæ, addidit insuper vt promulgato edicto Philosophos omnes Vrbe pelleret: Testatur enim hoc ipsum Philostratus *b*, asserens eo tempore Neronem philosophari non siuisse homines, quod (vt dicebat) philosophia diuinandi scientiam adumbraret: atq; adeo philosophos aliquot accusatos fuisse, quia diuinandi artem exercere dicerentur. Quod autem Nero nunc primum magos, cuiusmodi arti proximos putauit esse philosophos, adeo sit detestatus, nulla alia causa illi oblata cognoscitur, nisi quod cum à Simone se intelligeret esse delusum, cæteros quoq; quos ante hac magno pretio redemisset, odio cœpit habere.

a Tac. l. 16.

PHILOSOPHI VRBE PELLI. b Philost. in Apol. lib. 4.

XI. APOLLONIVS TYANÆVS ROMAM VENIT.

Sed nihilominus hostis humanæ naturæ diabolus, hoc ipso anno nouum rursus intulit magum in Vrbem, cæteris omnibus peiorem, *Apollonium Tyanæum*, foris philosophum Pythagoræum ostentantem: qui cum Romam venisset, sequenti die (vt testatur Philostratus) innotuit Telesino Consuli, cuius fotus est patrocinio. Addit insuper, tunc puellam feretro impositam ab eodem Apollonio à mortuis excitatam; licet an vere mortua esset, se affirmare non audere dicat. Sed tam hæc vera esse puto, quã quod ait, sub hoc ipso Consulatu Telesini Apollonium prædixisse de fulgure in Neronis mensam decidente; quod ante sex annos accidisse Nerone quartum & Cornelio Cosso Coss. auctor est Tacitus *c*, qui cæteris exactius per annos singulos ex Consularibus Fastis res gestas est prosecutus. Cum igitur in his leuioribus Philostratus mendacii arguatur, cuius fidei cætera sint, quæ adeo miranda de eodem impostore ab eo sunt prodita, facile quis intelligere poterit.

c Tac. Annal. l. 14.

XII. Quantum autem humano generi ipse obfuerit ea scribendo, vix quisquam satis digne valeat vnquam exprimere vt videatur plane inuentũ fuisse diabolũ; qui æmulus Christi gloriæ, sicut scripto Euangelio longe lateq; per Orbem innotescebant Christi res gestæ, sic suum ipse statuens Antichristum, pseudoeuangelium actorum ipsius per mendacissimum hominẽ scribendum curauerit; eo quidem fine, vt fidem ei præstarent homines, nihilo Christo minorem fuisse Apollonium existimarent: vel sicut istum ea perfecisse magia complures compertum haberent, (inter quos & Dio *d* historicus eundẽ vocat solertem præstigiatorem & magum) eadem quoq; arte Christum vsum esse effutirent. Nam & commentario in Christianos edito Hierocles Philosophus vnus ex Areopagi iudicibus, nihil magis demonstrare conatus est, quam Apollonium Christo fuisse æqualem: (cuius insanias Eusebius postea contrariis scriptis egregie confutauit:) & eundem Apollonium complures vt Deum coluerunt; sicut de Ephesiis idem Hierocles *e* testatur, de Alexandro Imperatore Lampridius, & de multis aliis Anastasius *f* Nicænus: qui etiam tradit, per ipsum dum viueret multa miranda dæmones præstitisse, & post eius mortem ad ipsius monumentum quædam fecisse signa in eius nomine. In quam etiam sententiam scriptum habetur apud Iustinum *g*, statuam eius operatione dæmonum responsa aliquandiu dedisse, sed ei tandem os Dominum obturasse. Cæterum ait Philostratus, eum hoc eodem anno Consule Telesino, ab Vrbe recedentem in Hispaniam esse profectum. Instar enim Christi diabolus suos eodem tempore in Orbem terrarum pseudo-Apostolos misit, quorum coryphæus Apollonius videretur: de cæteris vero, tursumq; de ipso, suis locis dicetur infertius.

QVANTÆ EXISTIMATIONIS HABITVS d Dio in Caracal.

e Refert Lact. li. 5. c. 3. f Anast. Nic. q. 23.

g Ap. Iust. q. 24.

XIII. PRODIGIA FVTVRÆ CLADIS IVDAICÆ.

Quod interim spectat ad res Iudaicas; hoc eodem anno, cum vndiq; Iudæi Hierosolymam ad diem festum conuenissent, magna prodigia de futura eorum clade apparuere. Cum videlicet ipso die festo Azymorum, qui octauus fuit mensis Aprilis, noctu circum aram & templum tantum lumen effulsit, vt clarissimus dies putaretur; & hoc vsque ad mediam permansit horam. Eodemque festo die, bos cum ad hostiam duceretur, agnum in medio templi peperit. Atque Orientalis porta ænea interioris templi, quæ vix à viginti viris claudi soleret, visa est noctis hora sexta sponte patescere. Post dies autem festos vigesimo primo mensis Maii, ante Solis occasum visi sunt per cælum ferri currus, & armatæ acies concurrere. Ipsoq; die Pentecostes, nocte sacerdotes intimum templum ad diuinas res celebrandas ingressi, post ingentem quendam strepitum subitam vocem audiere, quæ diceret MIGREMVS HINC. Hæc quidem ante defectionem Iudæorum hoc anno contigisse, Iosephus *a* narrat; quæ & Tacitus *b* paucis describit. Cætera autem quę idem Iosephus recenset prodigia, alio tempore facta noscuntur.

a Ios. 2. de bel. 12. vid. sup an. 54. post n 38. b Tac. hist. l. 5.

XIV. Sed & quoniam ex sententia Augustini *c*, & aliorum SS. Patrum constat, à Domino tam prænunciatum esse Hierosolymorum excidium, quam quæ antea essent manifestanda prodigia; ea ipsa omnia his temporibus accidisse, haud erit difficile demonstrare: quãuis quod non tantum signa consummationis ciuitatis, sed & secundi aduentus Domini ipsum Apostoli rogauerunt, eorum quæ ab Euangelistis *d* mixtim narrantur, alia signa Hierosolymorum excidium, alia vero Domini præcedere debuerint aduentum. Cum ergo dicitur, *Consurget gens aduersus gentem, & regnum aduersus regnum*; id apposite referri potest ad bella ciuilia, quæ vno & dimidio anno quatuor occisis Imperatoribus sunt conflata; quæ quam immania & portentosa fuerint, Tacitus aliique historici declarant. Quod vero subditur de *Tribulatione magna, qualis non fuit ab initio mundi*; Augustinus *e* interpretatur de clade Iudæorum: quam quidem talem fuisse, vt nunquam alia gens eiusmodi sit passa, Iosephus *f* plane testatur. Sed & *Famem ac Pestilentiam* prędictas à Domino, satis ipso experimento esse declaratas, idem auctor *g* docet. Et quod attinet ad *Terramotus per diuersa loca futuros*, tradit Eusebius in Chronico, temporibus Neronis tum Romam, tum Asiam ingentibus terræ motibus fuisse vexatam; ipsumque Solem passim esse deliquium. Denique *Pseudo-prophetas* qui his temporibus surrecturi erant, apparuisse ante eladem Hierosolymitanam, suo loco monstrabimus. Si qua vero narrantur ab Euangelistis, quæ ante eius vrbis excidium haud euenisse noscuntur; ea referenda esse ad secundum Domini aduentum, nemo poterit dubitare.

c Aug. ep. 80. ad Hesych. DE PRODIGIIS A DOMINO PRÆNVNTIATIS. d Matth. 24. Marc. 13. Luc. 17.

e Aug. ep. 80.

f Ios. 7. de bel. 11. g Id. 7. de bel. 17.

XV. Hocigitur anno duodecimo imperii Neronis, & decimo septimo Agrippæ Regis, mense Maio, Iudæis deficientibus à Romanis cœptum esse *Bellum Iudaicum*, Iosephus *h* est auctor: qui & singulas causas quæ præcesserunt, quibusue temporibus contigerunt, exacte conscribit. Imprimis enim cum iam biennio intolerabilem plane Flori Procuratoris tyrannidem pertulissent, ac spe quam de Cestio Syriæ præside conceperant, (apud quem supplices egerant vt tam nefandis mederetur malis) cum eum Hierosolymam venientem viderunt propensioti esse erga Florum animo, penitus excidissent; sed & noua, eademque deteriora ab eodem Floro, aliisque per vniuersam Palæstinam & vicinas prouincias Gentilibus paterentur mala, cædesque miserandas, atque bonorum expilationes: eo tandem sunt desperationis adacti, vt præcipuorum quorundam factione, obstinatissimo animo aduersus Romanos rebellauerint, capto eorundem præsidio quod vocabatur Massada, interfectisque cunctis qui tam illic quam Hierosolymis reperti sunt Romanis. Narrat hæc omnia fuse Iosephus *i*. Interea vero Cestius *k* exercitu valido comparato veniens in Palæstinã oppidis Iudæorum quantum licuit deuastatis, mense Octobris Hierosolymam obsedit; cumque eius potiri sæpius illi offerretur commoditas, ab eo fuit prætermissa atque neglecta: sic Deo disponente, tum ne qui in ea adhuc essent Christiani pari pœnã cum impiis afficerentur, sed egrediendi ex vrbe opportunitas concederetur; tum vt longe grauioribus obsessi intus Iudęi pœnis afflictarentur. Porro exercitum Cestius mense Nouembri reuocans, eundem in magnum discrimen adduxit; adeo vt ab insequentibus Iudæis cæsi fuerint Romanorum militum multa millia. Sed nihilominus quamplurimi Iudæorum (inquit Iosephus) haud falsi futurorum malorum coniectores, Hierosolymis elapsi in alias emigrarunt regiones.

h Ios. 19. & 2. de bel. 13.

i Id. 2. de bel. 13 & seq. k Id. 2. de bel. 22. &c. CESTIVS OBSIDIT HIEROSOLYMAM.

XVI. Ex his autem fuisse Christianos qui illic agebant, diuina visione præmonitos vt migrarent ab vrbe funditus perdenda, scribit Epiphanius *l* post Eusebium *m*; eosdemque ait in exteriorem prouinciam recessisse, & maiori ex parte

CHRISTIANI INDE RECEDVNT. l Epiph. hæ. 29. & 30. & lib. de Mensur. m Euseb. hist.

Pellam Decapoleos ciuitatem vltra Iordanem incoluisse. Hic quippe annus, hoc plane tempus præsignatum à Domino apud Matthæum *a*, cum de ventura Iudæorum clade verba faciens, suos monuit, vt *cum viderent abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, tunc qui in Iudæa essent fugerent ad montes &c.* Sed quid per ABOMINATIONEM DESOLATIONIS intellexerit, idem ipse Dominus apud Lucam *b* videtur significasse, dum eos monuit, vt cum viderent circumdari ab exercitu Hierusalem, fugerent ad montes, quia tunc appropinquasset desolatio eius. Est hæc quidem interpretatio Augustini *c*, & ante ipsum Origenis *d*. Quam adiuuat, quod sicut per Romanum exercitum videtur Abominatio designata, ita per locum Sanctum potest tota intelligi Palæstina: nam auctoritate Philonis *e* constat eam prouinciam dictam esse *Terram Sanctam*.

a *Matth.* 24.

b *Luc.* 11. ABOMINATIO DESOLATIONIS.

c *Aug. ep.* 80. *ad Hesich.*

d *Orig. tract.* 18. *in Matth.*

e *Philo de leg. ad Caium.*

XVII.

Sed cur Romanus exercitus dictus est *Abominatio?* Putarunt nonnulli, quia in diuinis Scripturis ea voce sæpissime idolum intelligitur, ita vocatum exercitum, quod ex Gentilibus constaret hominibus qui idola colerent. Verum cum semper Iudæis vbicunq; agerent eiusmodi ob oculos posita esset abominatio; (siquidem in ipsa etiam Hierosolymorum ciuitate *f* diebus festis Romani milites pro foribus templi adstare consueuerant ad comprimendos subitaneos, qui occasione ingruentis multitudinis & compressionis exoriri possent, tumultus:) illa potior eius nomini videtur causa, quod in exercitu Romano militaria essent signa imaginibus effigiata. Quantum hæc enim Iudæi abominarentur, vel ex eo abunde declaratur, quod cum aliquando Vitellius *g* Syriæ Præses ad bellum Arabicum properans, vellet per Iudæam exercitum ducere; occurrerint eius regionis principes deprecantes transitum, ne violarentur patrii ritus, quibus nullo modo permitterentur inferri vllæ imagines, quales Romana signa haberent pleraque: quorum precibus flexus Vitellius, mutauit sententiam de itinere proposito. Vnde etiã plane colligitur, Romanos milites qui agerent Hierosolymis, nequaquam vti solitos signis militaribus imaginibus exornatis. At vero cum Romani iam hostes effecti ad Hierosolymorum obsidionem mœnib. inhæsissent, haud est dubium eosdẽ consuefacta signa imaginibus effigiata vexisse, ac pariter ostentasse, quam ob rem illud iam tempus aduenisse videretur à Domino præmonstratum, vt cum viderent abominationẽ desolationis stantem in loco sancto, sibi fuga consulerent: quæ non tantum abominatio, sed abominatio desolationis idcirco dicta sit, quia idem exercitus iterum rediturus, funditus esset desolaturus ciuitatem, & circumpositam prouinciam deuastaturus.

f *Ios.* 20. *ant.* 7

IVDÆI QVANTVM ABOMINARENTVR IMAGINES.

g *Ios.* 18. *ant.* 7

XVIII.

QVANAM VERE FVERIT ABOMINATIO DESOLATIONIS

Verum etsi huiusmodi interpretatio multis videtur stabilita rationibus; nos tamen re attentius considerata, potius existimamus, sicut in cæteris sæpe accidit, ita & in hoc narrationis contextu contigisse, vt quod à Domino dictum esset, ab alio Euangelistarum prætermissum, alius superaddiderit: sicque Dominum non tantum dedisse in signum futuræ cladis, abominationem desolationis stantem in loco sancto, à Matthæo conscriptam; sed etiam addidisse Hierosolymorum obsidionem, à Luca relatam. Hoc autem vt magis opinemur, illud potissimum persuadet, quod non qualemcunque abominationem fore conspiciendam Dominus monuerit, sed quæ scripta esset à Daniele Propheta. Ex eo enim quid per locum sanctum intellexerit, satis expresse declaratum esse videtur; dicente Daniele *h*, futuram *in templo* abominationem desolationis. Quamobrem cum ea signa eodem tempore futura Dominus dixerit, nimirum abominationem in templo, & ciuitatis obsidionem; dicere pariter compellimur, abominationem illam desolationis tunc in templo inspiciendam, fuisse profanationem templi hoc ipso anno (vt testatur Iosephus *i*) ab ipsis Iudæis seditiosis factam, cum illud more castrorum munissent, vt inde aduersus suos contribules Iudæos pro Romanis stantes, ferocius dimicarent. Non enim exteriorem tantum templi partem ab eis occupatam fuisse, sed & obsidente Cestio ciuitatem, se in interiorem recepisse, idem auctor *k* scribit. Cæterum execranda quæque ac detestanda peccata, (cuiusmodi fuit illa occupatio templi à viris sanguinariis aduersus conciues facta) *Abominationem* dici consueuisse, innumeris patet diuinæ Scripturę exemplis. At quod non tantum *abominatio* dicta sit, sed *desolationis*; id factum esse putamus, quod ea abominatio in signum data esset futuræ desolationis: neque id tantum à Gabriele Danieli, & à Domino Discipulis suis; sed & veteri quodam sermone, quo (vt scribit Iosephus *a*) ferebatur tunc demum ciuitatem capiendam, sanctaque flammis exurenda esse lege belli, cum seditio fuisset exorta, templumq; Dei propriæ Iudæorum manus violassent.

Dan. 9. PROFANATIO TEMPLI.

Ios. 2. de bel. 17.

Id. 2. de bel. 1.

a *Id.* 5. *de bel.* 2

Quibus omnibus inspectis, memores illa à Domino fuisse in signum data, Christiani (vt diximus) postquam Cestius obsidionem soluit, Hierosolymis recessêrunt antequam iterum ciuitas obsideretur. Nam quod aliqui *b* hæc de abominatione desolationis, & recessu Christianorum à ciuitate, referenda putant ad secundam à Tito factam obsidionem; minus est verisimile, cum iam deuastata penitus Iudæa, ipsaque Hierosolyma arctissima vallata obsidione, haud amplius locus esset fugę. Hoc autem anno, quo Christiani alio se receperunt, Ecclesiæ quoque illius supellectilia in tuto esse collocata, plane declarant quæ scribit Eusebius *c* de Iacobi Cathedra ad suam vsque ætatem integra seruata; quæ quidem si Hierosolymis remansisset, absq; dubio cum cæteris conflagrasset.

XIX.

b *Perer. in Dan. lib.* 10. *prope fin.*

c *Euseb.* 7. *hist.* 14.

IESV CHRISTI AN. 69.

PETRI AN. 25.

NERONIS IMP. AN. 13.

I.

ANNO Christi sexagesimo nono, L. Fonteio Capitone & C. Iulio Rufo Coss. cum iam Nero ex Achaia Romam rediisset, ea pompa triumphali quam Suetonius *d* describit; Petrus & Paulus Apostolorum Principes diu carcere detenti, glorioßissimum subiere martyrium. Qui enim illud in annum decimum quartum Neronis referunt *e*, errare certum est: quippe cum Neronis Imperium cœperit mense Octobri Coss. Marcello & Auiola, nullum est dubium, hunc esse eius annum decimum tertium, qui terminetur eodem mense Octobri, quo & decimus quartus inchoatur. Sed & cum æque perspicuum sit, ipsum anno sequenti quarto Idus Iunii occisum esse, nec peruenisse ad tertium Calendas Iulii, quo die Apostoli necati sunt: impossibile plane redditur, vt iidem dici possint anno sequẽti decimo quarto Neronis passi esse. Qua etiam ratione corrigenda est lectio Chronici Cassiodori, vbi id post biennium ab hoc Consulatu accidisse ponitur; cum longe antea Nero esse desisset, sub quo Apostolos adeptos esse martyrium; omnium sententia exploratum habetur. Sed necitem recipitur Epiphanii *f* sententia affirmantis id contigisse anno duodecimo Neronis. Quæ autem posita est à nobis de hoc anno decimo tertio eiusdem Imperatoris, grauissimos habuit assertores, Caium antiquum Theologum, Zephyrinum Papam, & Dionysium Corinthiorum Episcopum: quos citans Metaphrastes *g*, iisdem adstipulatur, dum anno trigesimo sexto post Passionem Domini (numerando à Natiuitatis trigesimo tertio) eos necatos affirmat; qui est hic ipse Domini sexagesimus nonus.

d *Suet. in Nero. cap.* 25.

e *Euseb. in Chron. & illi secuti Hier. de Script. Eccl. in Pet. & Paul. atq; alii.*

DE TEMPORE MARTYRII PETRI ET PAVLI.

Quod etiam aduersus dissentientes firmius stabilit Gordonus in Appar. To. II. Chronol. edit. 2. c. 16. & 17.

f *Epiph. hær.* 27.

Quod vero ad diem attinet; cum omnium sit concors sententia, vna eademque die, nempe tertio Calendas Iulii martyrium consummasse; tamen id non vno eodemque anno, sed anni vertentis occursu contigisse, videtur fuisse opinio Prudentii *h*, Aratoris *i*, & Augustini *k*. Sed verior atque probatior illorum censetur assertio, qui vnum eundemque annum & diem amborum martyrio adscribunt: cuius sententiæ fuerunt nuper recensiti Caius, Zephyrinus, & Dionysius, ac post eos Eusebius *l*, Epiphanius *m*, Hieronymus *n*, Maximus *o*, Cassiodorus *p*, & alii recentiores fere innumeri: idque ipsum tam Romanæ

g *Metaph.* 29. *Iunii.*

II.

QVO DIE PASSI.

h *Prud. Peristeph. hym.* 12.

i *Arat. in Act. Ap. l.* 2. *in fi.*

k *Aug. ser.* 28. *de Sanct.*

l *Euseb. in Chr.*

m *Epiph. hæ.* 27

n *Hieron. de Script. Eccl.*

o *Max. ser. in S. Petr.*

p *Cass. in Chr.*

Ecclesiæ

Ecclesiæ Martyrologium, quàm Græcorum Menologium confirmant; nec non Acta Passionis eorundem Apostolorum Lini nomine scripta quæ, vt iam diximus, qualiacunq; nunc ea sint, germana olim extitisse noscuntur, sed ab hæreticis deprauata. Porro eiusmodi opinionem de diuerso martyrii tempore, à quibusdam hæreticis fuisse vulgatam, testatur Concilium Romanum sub Damaso, quod continet Cresconiana Collectio post Canonem de Libris Apocryphis: quod & repetitum habetur à Gelasio in decreto Concilii septuaginta Episcoporum.

III. FUGA E CARCERE.

Quænam autem martyrium præcesserint, dum ex probatis auctoribus pauca potius, quam ex incertis multa narranda proponimus; imprimis occurrit, cũ expectaretur executio feralis sententiæ, indignissime ferentes Christianos suum à se pastorem abripi Petrum, vt fuga sibi consuleret instantissimis precibus compulisse. Aderat enim præsens auxilium carceris custodum Processi & Martiniani, quos (vt vidimus) idẽ Petrus sacro baptismate initiauerat. Quũ-

a *Ambros. in Auxent. de Basil. nõ trad.*

uis igitur (inquit hanc historiam recensens Ambrosius *a*) Petrus esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est: rogabatur enim vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Itaq; nocte muro egredi cœpit: sed cum videns sibi in porta Christum occurrere, Vrbemque ingredi, interrogasset, *Domine, quo venis?* respondisse: vero Christus, *Venio iterum crucifigi*, intelligens Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum, sponte remeauit ad eam pro Christi honore subeundam. Hæc Ambrosius; quæ etiam habentur in nuper citatis Actis Lini nomine conscriptis, (quæ, vt alibi dictum est, germana olim extitisse noscuntur, sed postea ab hæreticis deprauata) necnon in aliis *b* SS. Martyrum Processi & Martiniani; itemq; apud Hegesippum *c* Iuniorem, & alios: illa tantummodo discrepantia, quod quidam dixerunt ea contigisse statim post lapsum Simonis, alii autem (quod & verius existimatur) postquam Petrus carceri mancipatus iam ad supplicium peteretur. Citat quoque eandem de Petro historiam S. Gregorius *d*. Sed & Paulum vna cum eo fugam arripuisse, eadem Acta Processi & Martiniani tradunt: & æque ei Dominum dixisse, *Denuo debeo crucifigi*, legitur apud Origenem *e*, sed ex apocryphis.

b *Ap. Sur. 2. Iul.*

c *Hegesi. 3. de excid. Hier. 2.*

d *Gr. in Ps. 4. pœnit.*

e *Orig. in Ioan. to. 27.*

IV. VIRGIS CÆSI

Porro antequam mortis supplicio afficerentur, ambo virgis cæsi fuisse feruntur. Sane quidem de Petro, quod vilis haberetur persona, nulla potest esse dubitatio; cum more Romano qui vltimo supplicio damnati essent, antea virgis cæderentur. De Paulo vero, quod ciuis esset Romanus, & ideo (vt vidimus superius) haberetur immunis, addubitari posset. Sed quod constet tam ex lege Duodecim Tabularum, quam etiam lege sacra, cum aliquod à ciuib. immane fuisset perpetratum delictum, tunc eosdem centuriatis comitiis condemnatos, affici primum verberibus, deinde capite truncari solitos: haud dubitandum videtur, Paulum, qui grauissimi omnium sceleris, nempe impietatis accusaretur, virgis cæsum ante mortem fuisse; cum præsertim adhuc Romæ in ecclesia S. Mariæ Transpontẽ extent, & in honore habeantur columnæ illæ, quibus ambo Apostoli alligari, & virgis cæsi feruntur. Deniq; Paulum, quod ciuis Romanus esset, placuit subiici gladio; Petrum vero, quod vilis esset persona, crucifigi.

V. LOCVS MARTYRII PAVLI

Sed vt prius de Paulo dicamus; locus eius supplicio destinatus, dictus *ad Aquas Salvias*, alio nomine *Gutta ingiter manans*, extra portam Ostiensem erat, tertio ab Vrbe lapide vbi Christianorum carnificina est aliquando habita: nam & illic Zenonem cum decem millibus militum fidei causa fuisse obtruncatos, tum Romanum *f* Martyrologium, tum loci vetera monumenta testantur. Cum autem eo Paulus duceretur, tres *g* milites ex his qui ex apparitura erant, ad Christum conuertit, quos Neronis gladius martyres fecit. Vbi vero ad locum destinatum perductus, ictu carnificis capite truncaretur, duplex editum est miraculum; primum, vt non tam sanguinis fluenta è sectis venis, quam lactis largiter fluxerint; alterum, vt è trino saltu capitis excisi, tres ibidem eruperint fonticuli dulcis aquæ: prout horum miraculorum assertores sunt, prioris quidem præter Acta Lini nomine vulgata, Ambrosius *h*, & Chrysost. *i*, aliique recentiores; posterioris autem, fidelis ac constans maiorum traditio, ipsiusque inspectio loci plane celeberrimi *Trium fontium* dicti, qui frequenti Christianorum visitatur concursu. Tres enim ibi scatent fonticuli dulcis aquæ, quorum primus dulcior lactis saporem aliqua ex parte reddat, cæteri quamuis haud longe à primo diftent, paulo diuersum gustui saporem afferant: Cuius differentiæ ea solet ratio afferri, quod ipso primo fluxu lac venæ dederint, ac inde sanguinem. Additque Chrysostomus, sanguinem Pauli lacteum apparentem in eius veste qui eum percussit, barbaricum illius animum reddidisse melle dulciorem, effecisseque vt ipse vna cum sociis ad fidem traduceretur. Cæterum corpus Apostoli à Lucina clarissima femina Senatoria sublatum, in suo prædio via Ostiensi honestissimo tumulo locatum fuit. At de martyrio hactenus. De ætate verò iam dictum est superius in eius Conuersione.

TRES FONTES EX TRINO SALTV CAPITIS.

VI. EFFIGIES PAVLI.

Sed quod pertinet ad effigiem & staturam; imprimis dum Triephon Critiam catechumenum instituens apud Lucianum *a*, sic loquitur, *Quando me Galilæus ille conuenit recalua ster, naso aquilo, qui tertium vsque ad calum per aerem ingressus est, &c.* non alium his notis quam ipsum Paulum descripsisse, omnes credo facile intelligere. Porro statura breuiorem fuisse, ex ipsiusmet verbis interpretes omnes colligunt, dum quæ de se aliqui dicerent ad Corinthios *b* referens, ait se *præsentia corporis esse infirma*. Vnde & Chrysostomus *c* eum *Tricubitalem* appellat. Hisq; demum consentiunt quæ Nicephorus *d* tradit, nempe fuisse Paulum corpore paruo & contracto, atq; incuruo, & paululum inflexo; facie candida, annosq; plures præseferente, ac capite modico: oculis multa gratia refertis, supercilijs deorsũ vergentibus; naso pulchre inflexo, eodemque longiori; barbâ densiori, & satis promissa. Quæ quidem haud aliunde putamus, quam ab antiquioribus imaginibus esse accepta. A Christianis enim, Petri & Pauli Imagines olim fuisse viuentibus illis effigiatas coloribus, eaſdemque ad posteros per manus traditas, Eusebius *e* testatur, qui & se illas vidisse asserit. Affirmatque Augustinus *f*, effigiari consueuisse Christi imaginem, hinc inde Petrum & Paulum pictos habentem. Sed de Paulo satis: ad Petrum iam redeamus.

a *Lucian. in Philop.*

b *2. Cor. 10.*

c *Chrys. hõ. de princip. Apost.*

d *Niceph. li 2. c. 37.*

IMAGINES APOS. OLIM EFFIGIATÆ.

e *Euseb. 7. hist. 14*

f *August. 1. de cons. Euan. 10*

VII. DE LOCO MARTYRII PETRI.

Quod imprimis ad locum martyrii pertinet; cum nulla sit dubitatio, eum vt Iudæum, trans Tiberim vbi Iudæos egisse vidimus, ad supplicium crucis subeundum fuisse transmissum; de loco tamen eius regionis dubitarum est, dum alii in Vaticano monte, alii in Ianiculo id accidisse volunt. At vero cum veterum Scriptorum auctoritate constet, horum montium appellationes ob vicinitatem promiscuas fuisse; nequaquam à veritate abeat dicemus, qui scripserunt passum esse Petrum in Vaticano; nec tolli quo minus æque verum sit, ipsum in ea summitate Ianiculi vbi eius rei hactenus extat insignis memoria, fuisse cruci affixum; quæ & patet Vaticanus *g* diceretur; postea vero (puto honoris causa ob nobilem Petri triumphum) *Mons aureus* dici meruit. Imam autem illam Vaticani partem, vbi nunc cernitur posita nobilissima Basilica Vaticana, locum sepulturæ potius quam martyrii fuisse putamus: siquidem Hieronymus *h* ait, sepultum fuisse in Vaticano iuxta Viam Triumphalem, quod & Prudentius *i*, alii; testantur. Sed quod spectat ad supplicium Crucis; omnium SS. Patrum *k* sententia ac præconio liquet, Petrum capite deorsum verso, & in sublime pedibus eleuatis, cruci confixum esse; idq; factum ex animi sui sententia, cum asseueret se indignum (vt verbis Hieronymi vtar) qui sic crucifigeretur vt Dominus suus; siue (vt ait Theodotet.) quod verebatur ne eadem cum Christo passio, eundem sibi ab insipientibus honorem conciliaret. Sed de eo mysterio differitur etiam fusius in Actis passionis eius, nomine Lini conscriptis. Vbi etiam traditur, ipsius corpus à Marcello presbytero curatum fuisse, aromatibusq; conditum, atq; honorificentissime sepultum.

g *Hora. lib. 1. carm. od. 20. & ibi Porph. & Matron.*

h *Hier. de Scri. Eccl. in Petro.*

i *Prud. aduer. Sym. l. 1.*

k *Orig. in Gen. ap. Euseb. 3. hist. 1 Hier. de Scri. Eccl. in Petro. Chrys. hom. in Princ. Apost. Aug. serm. 28. de sanct. Theodor. or. de charit. Prud. peristeph. hym. 12. Max. ser. 1. in natal. Apost. & alii.*

MYSTERIVM EIVS CRVCIFIXIONIS.

[Quod legisti de loco martyrii S. Petri; quamuis illum ita definierit Baronius, refert tamen idem ipse ex Actis Passionis Petri, Lini nomine vulgatis, Petrum cruci affixum esse *in loco qui appellatur Naumachia, iuxta obeliscum Neronis:* Quod verò (vt apparet)

patet) non ita exploratum haberet, in illa ima parte Vaticani vbi erat obeliscus Neronis, & vbi est basilica S. Petri, fuisse etiam olim Naumachiam; ideo existimauit eum potius passum esse in Monte aureo, ad cuius planum erat Naumachia, quæ ab aliis Iulio Cæsari, ab aliis Augusto tribuitur. Porro fuisse quoq; Naumachiam ad imum Vaticani, vbi & erat Circus Neronis cum obelisco, didici ego (præter alias huius assertionis probationes) ex eoquod hactenus sit ibi parvula ecclesia vetustissima, quæ appellatur *S. Peregrini in Naumachia*: cuius etiam fit mentio apud Anastasium Bibliothecarium in vita Leonis Tertii Pontificis. Quod mouere visum, vt seligat lector cui magis sententiæ adhærere voluerit.]

VIII. EFFIGIES.

Eius autem effigiem ex antiquioribus (vt de Paulo diximus) imaginibus descriptam sic reddit Nicephorus *a*, vt asserat eum haud crassa statura fuisse, sed quæ aliquanto esset erectior; facie subpallida, & alba admodum; capillis capitis & barbæ crispis & densis, sed non admodum prominentibus; oculis quasi sanguine respersis, & nigris; superciliis prope euulsis; naso longioti, non tamen in acumen desinente, sed presso simoq; magis. Hæc ille. Verum ea de oculis sanguineis sic accipe, quod assiduo ploraſſe feratur. Tenuit autem Romanæ Sedis Pontificatum annis viginti quatuor, mensib. quinque, & diebus vndecim. Siqui enim aliter numerasse reperiantur, ex iis quæ de Sedis eius institutione, ac mortis tempore, superius sunt firmiter stabilita, perfacile erroris conuincuntur.

a *Nicepb. li.* 2. *c.* 37.

IX. CLARISSIMA APOSTOLORVM MEMORIA.

Sic igitur glorioſissimum martyrium tam Petro quam Paulo consecutis, loca ipsa vbi eorum sacra corpora sepulta fuerunt, etiam inter persecutores (quod mirandum est) absq; iactura vel contumelia aliqua clarissima remãserunt; eademq; velut nobilissima (vt vocat Caius *b* antiquissimus Theologus) trophæa victoriæ, ab antiquis illis Christianis summo honore sunt habita. Nam consueuisse persecutionis etiam tempore, ex remotioribus Orbis partibus Romam venire vt ea inuiserent ac venerarentur, historię complurium sanctorum Martyrum declarant; sicut ex Persida venisse constat *c* Martham, Marium, & Audifacem, temporibus Claudii Iunioris, & ex Africa Maurum sub Numeriano Imperatore, & alios *d* aliunde. Quinimo tentasse hocipso anno Orientales Christianos surripere eadem sacra pignora, & in Orientem vti suos gentiles transferre, sed cum ad Catacumbas, locum ad secundum Vrbis milliarium perduxissent, tonitruis atque fulguribus perterritos à cœpto destitisse; Fideles autem Romanos eadem inde ad sua loca retulisse; Sanctus Gregorius *e* Papa testatur. Reddita autem Ecclesiæ pace, ipsos etiam Imperatores Christianos eadem inuisere ac venerari studiosius quæsiuisse, suppetunt testimonia atque præconia Augustini *f*, Chrysostomi *g*, ipsiusq; Gallæ *h* Placidiæ Augustæ, & aliorum quamplurimorum, de quibus agetur suis temporibus. Sicut etiam eorum sepulchris Vrbem esse munitam, idem Chrysostomus tradit, cecinitq; nobilis poeta Venantius *k* Fortunatus, ac docent plurima exempla suis locis inferius recitanda.

b *Gai. ep. ad Pulcher. Aug. in præam. Conc. Chalce.* c *Chryſ. hom.* 32. *ad Rom.* k *Venant. lib.* 3 *carm.*

Sed & quo potissimum tempore sub omnium scelestissimo Imperatore ipsum Romanum Imperium in maiori videretur positum esse discrimine, eidem collabenti duabus hisce viuis columnis opportune succurritur. Iam enim sæculum ipsum aduenerat, quo iuxta antiquum oraculum, Tiberii temporibus peruulgatum, (quod recitat Dio *l*) his ter trecentis circumuoluentibus Vrbis annis Romanum Imperium seditione casurum timebatur. Visaque sunt hoc postremo Neronis tẽpore (vt testatur Plin. *m*) numquam antea audita portenta; nempe in agro Marrucino oliuetum vniuersum Vettii Marcelli Equitis Romani, viam publicam transgressum in contrarias sedes profectum esse, amnesque alibi retro fluere. Quæ cum rerum in meliorem statum mutationem portendisse visa sint illis, nec possint tamen intelligi de successoribus Neronis, qui misere Imperium deuastarunt: verior visa est interpretatio, vt per ea signa religionis in melius mutatio monstraretur. Quam vero egregie Romana Ecclesia perfusa Apostolorum sanguine, fuerit illustrata, Tertullianus *n*, Chrysostomus *o*, Theodoretus *p*, & alii explicant, Eorundemq; exemplo incensa esse corda credentium, & magno fœnore numerum martyrum esse Romæ auctum, egregie S. Leo *q* declarat.

l *Dio in Nero.* m *Plin. l.* 2. *c.* 83 & 103. & *l.* 17 *c.* 25. n *Tert. de præſcri. & in Scor.* o *Chryſ. ho.* 32 *ad Rom.* p *Theod. ep. ad Leon. Pap.* q *Leo ſer.* 11. *de nat. Apoſt.*

Nec vero tantum *Sepulchra* Apostolorum magno sunt honore habita, sed & ipsa Passionis instrumenta. Siquidem præter illa quæ de *Columnis* ad quas virgis cæsi sunt, superius diximus; *Vincula* quibus Petrus in carcere alligatus est, perquisita atque inuenta Balbina *a* virgo filia Quirini Tribuni summopere est venerata, quæ ad posteros per manus transmissa, sæpe miraculis coruscasse videbitur inferius. *Sudarium* quoque, seu *Velum*, quo Paulus gladio feriendus oculos ex more obduxit, à Plantilla nobilissima matrona ad hoc opus ab ipso petitum, & post mortem eidem restitutum; longe postea Constantina Augusta magna instantia à S. Gregorio *b* ad se mitti postulauit, nec tamen impetrare valuit.

XI. DE VINCVLIS PETRI.

SVDARIVM PAVLI.

a *Act. Alex. Pap. ap. Sur.* 3. *Mart.*

b *Greg.* 3. *ep.* 3.

Sed quod de Petri actum est martyrio, haud prætereunda eius *Vxor*, quæ & ipsa eandem palmam adepta est, licet de tempore non satis constet. Ex iis a. quæ de eius martyrio Clemens *c* Alexandrinus recitat, compertum habetur ante Petrum eam illud obiisse certamen: dum ait, Petrum, cum vidisset eam duci ad mortem, lætatum esse propter vocationem; eam autem exhortando & consolando, proprio nomine compellasse, ac dixisse, *Heus tu, memento Domini.* Porro qui coniugem habuit Petrus, filiam quoq; ex ea genuisse traditur, antequam vocatus esset à Domino. Quæ cum *Petronilla* sit dicta; in baptismate potius, more maiorũ, cum renata, quam cum nata est, oportuit contigisse. Nam eo tempore Simon, & non Petrus, parens eius ex quo ipsa nomen accepisse videtur, appellabatur. Cum alioqui sint etiam probabiles coniecturæ, quæ persuadere possint illam haud vere Petri filiam fuisse, sed sic dictam, quemadmodum ab eodem Apostolo nominatus est Marcus filius suus. Cæterum habentur plura de illa in epistola Marcelli presbyteri; sed quæ in nonnullis fide nutent. Illud autem firmum redditut maiorum traditione, aliisque monumentis, eandem vsque ad obitum permansisse virginem: cuius nomine constructum est vetus ac nobile Cœmeterium *d*, eiusque natalis anniuersaria commemoratione celebratur *e*.

LXII. VXOR PETRI MARTYR.

c *Clem. Alex. Strom. l.* 7.

DE PETRONILLA PETRI FILIA.

d *In Act. Gr. PP. III.* e *Martyrol. Rom. aliaſq;* 31. *Mai.*

Nec item prætermittendum hic, (quando sese offert occasio (de ANDREÆ Apostoli germani Petri martyrio mentionem agere. Quod quidem ex Passionibus Apostolorum (quas, quales cunq; illæ sint, ante Gelasii Papæ tempora lectitari consueuisse certum est) liquet accidisse post Petri necem; licet quoto Domini anno, vel sub quo Imperatore, inexploratum penitus relinquatur. Nam quod ex recentioribus aliquis, pro animi arbitrio de ea re dixit, absque vlla testificatione maiorum; fides incerta sequatur auctorem. De reliquis autem Andreæ rebus gestis; quoniam passionis eius Acta à Manichæis corrupta fuerunt, remansit eorum (vt Augustinus *f* declarat exemplo) in Ecclesia dubia fides. Porro glorioſissimum consummasse per Crucem martyrium apud Patras Achaiæ sub Ægea Proconsule, certum redditur ex Epistola Cleri Achaiæ publica Ecclesiæ *g* lectione omnibus nota, quæ audiuit & vidit testantis.

XIII. ANDREÆ MARTYRIVM.

f *Aug. de fid. cont. Manich. cap.* 38.

g *Breui Rom.* 30. *Nouemb. Citaturq; à Pet. Dam. ſer.* 4. *de S. Andr. Vid. Baron. in Not. ad Martyrol.* 30 *Nou.*

Quod demum pertinet ad Petri successorem in administratione Ecclesiæ Romanæ & Vniuersalis; inualuit penes aliquos ea sententia: Linum nequaquam post eius obitum ipsi suffectum esse, sed tantum viuentis adhuc (dum illum Vniuersalis Ecclesiæ sollicitudo in diuersas prouincias euocaret) coadiutorem extitisse vna cum Cleto, qui ambo simul loco ipsius Petri obirent Romæ Ecclesiasticas functiones; ipsumque Linum vrgente Neronis persecutione, martyrio sublatum esse sub huius anni Coss. Capitone & Rufo. Hęc accepta esse noscuntur ex Libro vulgato nomine *Damasi de Romanis Pontificibus*, sed qui (vt verius existimatur) ex diuersis auctoribus ab Anastasio Bibliothecario, aut siquo alio collectus est, quo non Vitæ ipsorum Pontificum, sed fere duntaxat eorum successio, & factæ ab eis Ordinationes, atque dies obitus recensentur. Verum cum in vnoquoque ferme Pontifice, & maxime istis prioribus, in annis cuiusque per Coss. consignandis, prorsus falsa atque etiam inter se pugnantia contineat; euidenter apparet eosdem Coss. ab aliquo postea, nulla habita temporis ratione, perperam esse superadditos. Porro eandem ipsius de Lino sententiam secutus est

XIV. DE SVCCESSORE PETRI.

DE LIBRO, SVB NOMINE DAMASI, DE ROM. PONT.

Meta-

Metaphrastes *a*; in eo tamen ab illo discrepans, quod ante martyrium Petri, immo ante duodecimum Neronis annum, Linum esse defunctum affirmat. Scimusque alios (neminem tamen ex antiquis) eiusdem Libri auctoritate permotos, nec Linum nec Cletum adnumerasse inter Romanos Pontifices Petri successores; sed Corepiscopos tantum eos asseruisse.

a *Metaphr. 29. Iunii.*

XV.

At quod ad veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores attinet; cum Sanctus Ignatius *b*, qui eodem sæculo vixit cum Apostolis, dicat Clementem successisse Cleto, sicenim legendum esse pro Anacleto, postea demonstrabimus) plane declarat ipsum Clementem tertio loco, nempe post Linum & Cletum Romanæ Ecclesiæ præfuisse. Immo Tertullianus *c* non tantum tertio loco posit Petrum ponit Clementem, sed adhuc etiam quarto, nimirum post Anacletũ. Quod ipsum licet & quidam alii antiqui pariter fecerint; tamen post Cletum, sed ante Anacletum, Clementem esse ponendum verius esse putamus. Cum alioqui sciamus, nõnullos, & maxime Græcos, Cletum & Anacletum vnum eundemq; putantes confudisse. Insuper cum Eusebius *d*, ac cæteri omnes tam Græci quam Latini auctores testentur, Clementem subiisse martyrium tertio anno Traiani Imperatoris, idq; S. Hieron. *e* firmiter asseueret, ipseq; liber de Romanis Pontificibus aperte doceat; qua ratione dicere possumus Clementem sedisse statim post Petrum, cum ab eo tempore vsq; ad tertium Traiani annum intercurrat triginta trium annorum spatium, ipse vero Clemens à nemine ponatur amplius nouennio Ecclesiæ Romanæ præfuisse?

b *Ign. ep. ad Mar. Cassob.* LINVS ET CLETVS SEDERVNT ANTE CLEMENTEM.
c *Tert. lib. 3. carm. in Marcion.*
d *Euse. 3. hist. 28. Niceph. l. 2 c. 88.*
e *Hier. de Scr. Eccl. in Clem.*

XVI.

Lino igitur & Cleto esse certa sedis tempora tribuenda, nemo non videt. Id enim & maiores *f* cognouisse certum est, cum qui numerarunt primam illam Romanorum Pontificum successionem, vel alias de Petri successoribus meminerunt, omnes semper Clementem tertio loco posuerunt; quamuis apud aliquos, seu vitio scriptoris, seu alia ex causa, Anacletus pro Cleto positus, apud alios vero modo Cletus, modo Anacletus (quod, vt diximus, hos vnum eundemque esse existimarent) præteritus inueniatur. Denique Hieronymus Romanæ Ecclesiæ alumnus, cum aliquando dixisset *g* obiter, Clementem successisse Petro; tamen cum de Clemente diligentior ab eo est institura narratio *h*, eum post Linum & Cletum sedisse affirmauit. Hancque fuisse ipsius Romanæ Ecclesiæ traditionem, locuples est testis eius Martyrologium *i*, dum agit de sede Lini, Cleti, & Clementis; necnon sacræ Missæ Canon, vbi eodem (vt videtur) ordine quo sederunt, iidem Linus, Cletus, & Clemens, secundum antiqua Diptycha post Apostolos primi recensentur. Quamobrem quæ habentur in epistola Ioannis *k* Papæ Tertii nomine insctipta, & alia Leonis *l* Papæ Secundi, quibus declaratur non fuisse à Petro Linũ & Cletum institutos Romanæ Sedis Episcopos, sed tantummodo coadiutores; non aliter quidem sunt intelligenda, nisi quod sic sederint dum Petrus vixit; quod & nos profitemur. Quod autem additur, Clementi Summum Pontificatum à Petro esse collatum; ad illud fortasse alludum est, quod Tertullianus *m*, licet (vt dictum est) quarto loco Clementem ponat, tamen à Petro ordinatum fuisse tradit. Secundum quod expressius scribit Epiphanius *n*, eundem Clementem ab ipso Petro manus impositionem accepisse, sed Episcopatum recusasse vsque ad Lini & Cleti obitum, qui ipsius Petri coadiutores extitissent. Affirmatq; idipsum Ruffinus *o*. Igitur qui primus in locum Petri subrogatus est LINVS, natione fuit Tuscus, patria Volaterranus, patre Herculano; de cuius sedis annis dicetur in eius obitu.

f *Iren. li. 3. c. 3. Opt. l. 2. Aug. ep. 161. Epiph. hær. 27. Hier. in Clē. & alii Gr. & Lat.*
g *Hier. in Isa. 52.*
h *Id. de Scrip. Eccl. in Clem.*
i *Mart. R. 23. Sept. 26. Apr. & 23. Ian.*
k *Ioan. ep. ad Epise. Germ.*
l *Citat Marian. Scot. in Cl*
m *Tert. de præscr. c. 32.*
n *Epip. hær. 27*
o *Ruf. præf. lib. Recognit.* LINVS PETRI SVCCESSOR.

XVII.

Post martyrium Apostolorum, Neronis persecutio vehementioribus flammis exarsit. Nam & in domesticos ac familiares suos (ex quibus multos fidem Christianam suscepisse, testis est ipse Paulus *p*) rabiem suam intendisse, Acta sæpe citata testantur; extantq; vnius & alterius illorum, nempe *Torpetis & Euellii* memoria in Martyrologio *q* Romano. Ac insuper tradit Orosius *r*, per omnes prouincias ab eo mandatum esse Christianos vexari: quorum quidem nonnullorum habetur mentio in eodē Martyrologio & aliis Actis; sed eorum magna ex parte nomina excederunt, exustis Ecclesiasticis monumentis à Diocletiano Imperatore. Commendantur vero in hac persecutione duarũ inter alias sanctissimarum feminarum *a*, *Lucinæ & Perpetuæ*, discipularum Apostolorum, studia in sepeliendis SS. Martyrum corporibus. Deniq; inuenta in Hispania vetus huiusmodi inscriptio, NERONI CL. CÆS. AVGVST. PONTIF. MAX. OB PROVINC. LATRONIB. ET HIS QVI NOVAM GENERI HVM. SVPERSTITIONEM INCVLCAR. PVRGATAM, abunde docet vehementissimam fuisse Neronis persecutionem, vt creditum sit religionem Christianam ab eo penitus extirpatam. Licet enim nulla ibi mentio fiat nominis Christiani, tamen nonnisi de illis ea posse intelligi, necessarium est illud argumentum, quod nulla Neronis tempore, nec ante diu vel postea, alia noua in Orbem inuecta est religio, quam Christianorum.

p *Philip 4.*
q *Mart. R. 11. & 17. Maii.*
r *Oros. l. 7. c. 7.*
a *Martyro. R. 30. Iun. & 4. Aug.*

Porro quieuisse Neronem ab huiusmodi persecutione, à Petro & Paulo in visu perterritum, eadem Passionis eorum Acta testantur. Nec mirum. Si enim (quod Dio *b* scribit) post illatam matri quamuis sceleratissimæ necem, sic terroribus est exagitatus, vt non valeret loco consistere; quanto magis hæc passum esse dicemus, cum præcipuos Dei amicos, sanctissimos viros è medio sustulisset? His vero accessit, (quod etiam nolentem & inuitum à persecutione abstraxit) post Romani exercitus factam in Gallia iam antea sub C. Iulio Vindice defectionem, alia rursus Hispaniarum & Galbæ desciscio, cuius causa (vt ait Sueronius *c*) collapsus, animoq; male fracto, diu & sine voce & prope intermortuus iacuit. Sed quæ demum ei acciderint, dicetur anno sequenti pro gestæ rei ordine & tempore.

XVIII.
CVR NERO AB EA CESSAVIT.
b *Dio in Nero.*
c *Suet. in Nero c. 42.*

Interea vero Vespasianus, quem Nero in Achaia de rebellione Iudæorum certior factus, cum exercitu in Palæstinam miserat; grauissimis eos cladibus afficiens, hoc anno Galilæos Gentem fortissimam, vniuersamq; prouinciam totius Palestinę potẽtissimam ac munitissimam, non sine labore penitus debellauit; occisis plusquã centum millibus Iudæorum, captiuis vero abductis aut venditis quadraginta millibus. Quo etiam tempore in expugnatione Iotapatæ ciuitatis, captus est *Iosephus Matthiæ* dux, qui hæc omnia fusius descripsit *d*. Ex quibus videas, illos qui primi omnium atq, frequentius Christi Domini prædicationem audierunt, nec tot tantisq; visis miraculis crediderunt, ante omnes diuino iudicio perfidiæ & impietatis suæ dedisse pœnas.

XIX.
CLADES IVDÆÆ A VESPASIANO.
d *Ios. de bell. l. 3. & 4.*

Quos & alii suo ordine secuti sunt, cum qui in Galilæa Romanorum gladium euasc.ant, ingenti plane numero Hierosolymam confugientes, ciuitate excepti non tantum ciuibus necessariam insumpserunt annonam, sed & eosdẽ deprædati sunt, ac misere peremerunt; seque recipientes in templum, tanquam munitissimum aduersus ciues adsciuerunt sibi nomen vt dicerentur *Zelotæ*, vt qui profiterentur præ cæteris zelare Dei legem & patria instituta. Horum factione & illud perfectum est (quod nunquam antea acciderat) vt fortuito Summum eligerent Pontificem, aduersus Ananum qui illam dignitatem obtineret: vnde obtigit sors *Phano* cuidam homini rusticano, obscurissimo & rerum sacrarum imperitissimo. Excitante vero Anano Iudæorum animos in Zelotas, magnæ vtrimque cædes factæ sunt; cum euocati Hierosolymam Idumæi, pro Zelotis stantes ingentem stragem fecere ciuium atq; sacerdotum, adeoq; ipsius Anani Summi Pontificis; quorum & corpora abiecere insepulta. Et licet postquam in templo occisus esset Zacharias præcipuę vir auctoritatis, detestantes facinus Idumæi ad propria se recepissent; nihilominus Zelotarum factio non destitit à suis grassationibus, custodiis vbique positis, ne quis impune egrederetur vrbe: sicque miseranda in omnibus reddita est ciuitatis facies, conculcato penitus iure diuino atque humano; miserrimusque omnium redditus status, cum iam nec intra ciuitatem manere, nec foras egredi tutum esset. Nam & præterea foris eleuata factio *Sicariorum*, duce Ioanne homine factiosissimo & tyrannidem meditante, qui Iudæos & Romanos aggrediens, cuncta rapinis & cædibus miscuit. Sed hæc omnia, & alia eiusmodi, in sequentem etiam annum prolata, fuse descripsit

XX.
HIEROSOLYMA A FACTIOSIS EXAGITATA.
SVMMVS PONT. IVDÆORVM SORTE ELECTVS.

Iose-

a *Ioſ. l. 4. & 5. de bell.*

Ioſephus *a*. Quæ quidem Veſpaſianus cum percepiſſet, obſidionem Hieroſolymorum diſtulit; ratus eiuſmodi ciuilibus diſcordiis facilius Iudæos conſumptos iri, quam armis Romanorum.

IESV CHRISTI AN. 70.

LINI AN. 1.

NERONIS IMP. AN. 14.

I.
b Plin. Sec. l. ep. 7. ad Canin. Ruf. & Sueto. in Ner. c. 43.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo, Coſſ. *b* creati ſunt C. Silius Italicus & Galerius Trachalus Turpillianus. Sed eos Nero expeditionem in Gallias parans, (inquit Suetonius *c*) ante tempus priuauit honore, atque in vtriuſque locum ſolus iniit Conſulatum; quaſi fatale eſſet non poſſe Gallias debellari, niſi à Conſule ac ſuſceptis faſcibus. At vero poſtquam *Iulio Vindice*, qui defectionem in Galliis excitarat, à militib. Rufi qui Germaniam obtinebant occiſo, idem *Rufus* Imperator deſignatus eſſet; ſed & *Rubrius Gallus*, quem contra rebellantes Nero miſerat, pariter defeciſſet, nec quod ipſe conceperat, vniuerſum Senatum interficere poſſet; ac denique à Prætorianis militibus deſertus eſſet: idem Nero deſperatione melioris ſtatus omnino deficiens, vili indutus veſte, vna cum tribus vel quatuor libertis in prædium vnius ex iis Phaontis nomine, inter viam Salariam & Nomentanam quarto ab Vrbe lapide poſitum, ſe recepit: Vbi in ſpelunca deliteſcens, cum equites ſe quærentes aduentare cognouit, ſibi ipſe licet pauidus intulit manus; eundemque ægre morientem Epaphroditus libertus confecit, quarto Idus Iunii, (qua die olim Octauiam coniugem interfecerat) ætatis anno trigeſimo ſecundo, cum imperaſſet annos tredecim menſes ſeptem & dies viginti octo, numerando à die ſequenti obitus Claudii. Sed de his, deque eius funere & ſepultura fuſius agunt Suetonius, Dio, & alii.

DE OBITV NERONIS.

II.
d Vid. Chryſ. ſer. de eleemoſ. & collat. & alios.
e 2. Theſſ. 2.
NERO CREDITVS ANTICHRISTVS.

Illud autem minime prætermittendum; ex noſtris nonnullos Scriptores non ignobiles *d*, opinatos eſſe Neronem fuiſſe Antichriſtum, quod Paulus ad Theſſalonicenſes ſecundo ſcribens *e*, quaſi iam tunc Antichriſtus viueret, aſſeruiſſet ipſum operari myſterium iniquitatis. Sed ſi diligenter attendiſſet tempus quo à Paulo ea ſcripta fuit epiſtola, nempe ſub Claudio Imperatore, nullo negotio eiuſmodi errorem deuitaſſent. Sed concepto ſemel iſto, deteriores inde alii fluxerunt; vt nonnulli reſurrecturum Neronem, & futurum Antichriſtum exiſtimauerint; alii vero nec eum occiſum putauerint, ſed curato vulnere eſſe ſeruatum, & viuum occultari in vigore eius ætatis in qua fuit cum crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum. Refert duas iſtas quorundam opiniones Auguſtinus *f*, improbatque. Poſterioris autem Seuerus *g*, etſi non auctor, tamen aſſertor habetur; qui etiam (quod magis in eo diſplicet) eandem impingit alibi *h* Sancto Martino, dum ait eum aliquando dixiſſe, Neronem & Antichriſtum venturos ante finem ſæculi, & Antichriſtum in Oriente, Neronem in Occidente regnaturum, donec tandem & ipſe perimeretur ab Antichriſto. Quæ ſi vere Sanctus Martinus dixit, haud quidem quod ſpiritu prophetiæ rem ita ſe habere exiſtimaret, ſed quæ ab aliis dicta aut ſcripta eſſent narrauit. Ad hæc enim de Nerone apud pleroſque confirmanda, acceſſit quod & inter ipſos Gentiles vulgata eſſet quædam opinio, Neronem fuiſſe ſubductum & non occiſum; adeo vt prodeunte poſt aliquot annos ſeruo quodam ei vultu ſimillimo, qui ſe Neronem eſſe iactaret, fauorabiliter à multis, ac præcipue à Parthis ſuſceptus fuerit; prout Suetonius *i* & Tacitus *k* ſcribunt.

f Aug. 20. ciuit. 19.
g Seuer. hiſt. lib. 2.
h Id. dial. lib. 2. in fi.
i Suet. in Nero. c. 57.
k Tac. l. 2. hiſt.

III.
GALBA IMPERAT.

Cæterum *Nerone* ſpontanea nece ex hac vita ſublato, extinctaque prorſus cum eo Cæſarum progenie; *Seruius Sulpitius* GALBA à militibus quibus præerat in Hiſpania acclamatus eſt Imperator: de cuius genere, ortu, magiſtratibus, rebus geſtis per ætates ſingulas, moribus & diſciplinis, nec non ſtudio militari, aduentuque in Vrbem, Suetonius, Plutarchus, Tacitus, Dio, & alii ſcripſere; quos conſulat qui ea cupit: nos enim inſtituti memores, iis tantummodo immorabimur, quæ ad res Eccleſiaſticas pertinent.

IESV CHRISTI AN. 71.

LINI AN. 2.

GALBA. OTHO. VITELLIVS. } IMP.

ANNO Chriſti ſeptuageſimo primo, Seruio Sulpitio Galba Auguſto & T. Vinio Rufino Conſulibus, idem Galba *a*, quod audito motu legionum Germanicarum, *Piſonem* veterum morum iuuenem, adoptaſſet in filium & Imperii ſucceſſorem; Othonis factione (offenſi quod in ea adoptione poſtpoſitus fuiſſet Piſoni) à militib. occiſus eſt in Foro Romano decima ſexta Ianuarii, cum imperaſſet menſibus ſeptem & diebus ſeptem, annos agens ſeptuaginta tres.

I.
GALBA OCCIDITVR.
a Tac. hiſt. l. 1. Suet. in Galb. c. 20. & ſeq.

Et qui mox Imperium arripuit, idem *Marcus Siluius* OTHO, Neroni olim clariſſimus, poſt tres menſes ac dies quinque, apud Bebriacum, ſeu Bedriacum, Vicum Cremonam inter & Veronam, victus ab exercitu A. VITELLII, qui in Germania creatus fuerat Imperator, ſiue rerum deſperatione, vel ne ſui cauſa (vt tradunt) bello ciuili inter ſe milites necarentur, ſibi ipſe prudens volensque mortem conſciuit die vigeſima Aprilis, anno ſuæ ætatis trigeſimo ſeptimo, vt Tacitus ait, vel trigeſimo octauo, vt alii.

II.
OTHO IMPERAT, ET SEIPSVM NECAT VITELLIVS IMPERAT.

Cum inter hæc Veſpaſianus *b*, ſubactis quæ reliqua eſſe videbantur Iudææ locis, (tribus exceptis caſtellis, quæ à latronibus tenebantur, atque ipſa Hieroſolymorum ciuitate, quæ miſere à Zelotis iatus, foris à latronibus Idumæis duce Simone Geraſeno deuaſtabatur) miſeratus Romanorum cladem ſub Vitellio homine ignauiſſimo, pariter ac ſegnitiſſimo, vtraque turpiſſimo, deliberanda Vrbe ipſoque Orbe deliberauit; dumque ea apud milites loqueretur acclamatus Imperator, ab iiſdem circumfuſis & cum gladiis mortem minantibus, vi coactus eſt oblatam quam recuſaret dignitatem ſuſcipere. Iuraſſe vero in ipſum, eundem exercitum qui in Iudæa erat, quinto Nonas Iulii, auctor eſt Tacitus *c*; quod Suetonius *d* quinto Idus factum tradit: cum tamen in eo conſentiant, vt cœptum fuerit numerari initium Imperii Veſpaſiani ab ipſis Calendis Iulii; quo videlicet Alexandriæ primo legiones Romanæ ſacramento eius adactæ ſunt à Tiberio Alexandro Præfecto Auguſtali: ex Iudæo iam olim facto Gentili & Romanorum ſtudioſiſſimo.

III.
b Ioſ. l. 5. de bel.
VESPASIANVS ACCLAMATVR IMP.
c Tac. l. 2. hiſt.
d Sueton. in Veſp. c. 6.

Cum autem & aliæ legiones per diuerſas prouincias eiuſdem Veſpaſiani partibus libentiſſime adhæſiſſent; præmiſſo cum copiis in Italiam pedeſtri itinere Mucianno, (qui Syriam antea obtinens, ipſi Veſpaſiano maxime auctor fuerat hortatorque Imperii ſuſcipiendi, ſperans ſe illi fore in eo collegam) ipſe Alexandriam abiit, inde nauigaturus in Vrbem. Cum inter hæc Romæ Sabinus eius frater, & Domitianus filius, moræ impatientes, vna cum aliis compluribus nobilibus Romanis occupantes Capitolium, oppugnati à Vitellianis, Domitianus inſperata ſibi fuga conſuluit, Sabinus retentus occiſus eſt: quo eodem tempore, ab iis qui intus erant incenſum eſt templum Iouis Capitolini. Sed mox aduentante Antonio legionum Myſiæ atque Pannoniæ Præfecto,

IV.
VITELLIVS OCCIDITVR.

&in-

& inter illum ac Vitellianos intra ipsam Vrbem ter repetito prælio; his tandem cedentibus, Vitellius latebras quærens, à militibus inuentus sæuissime trucidatus est, anno ætatis quinquagesimo quarto, vt Dio, vel septimo, vt Suetonius & Tacitus tradiderunt; cum imperasset (vt scribit Iosephus *a*) menses octo & dies quinque, siue (vt legitur apud Dionem *b* & Tacitum *c*) annum vnum, decem minus diebus; numerando videlicet non ab obitu Othonis, sed à tempore quo à militibus suis acclamatus est Imperator. Dissentit pariter à Iosepho Tacitus, dum ille vult occisum Vitellium mensis Octobris die tertia, Tacitus *d* autem mense Decembri. Cæterum sequenti die Muciano cum reliquis copiis in Vrbem ingresso, ac vix tandem militibus post cædes & prædas multiplices compressis; ex Senatusconsulto *e* miro omnium consensu decretum est Imperium prædicto T. *Flauio* VESPASIANO; qui & ipse expectato opportuno tempore nauigandi, Alexandria soluens Romam se contulit.

Porro dum Alexandriæ esset, ipsum homini cuidam oculorum tabe laboranti, & alteri manu ægro, vtrique monitu Serapis Ægyptiorum Dei ad eum recurrenti, restituisse sanitatem, alterius oculos oris sui excremento respergendo, alterius manum pede calcando, Tacitus *f*, Suetonius *g*, & alii tradunt. At vero præsentia imprimis Apollonii Tyanæi, magorum omnium celeberrimi, & Vespasiano amicitia coniunctissimi, (quem his diebus Alexandriæ fuisse, ac pluribus eiusmodi impostoris in sui admirationem omnes conuertisse, Philostratus *h* docet) non nihil moueor, vt existimem ea omnia fuisse eiusdem Apollonii arte excogitata. Sed & in his quæ sunt visa miracula, illud etiam ex eodē Tacito considerandum, eas non fuisse eiusmodi ægritudines, quæ à medicis curari nō valuissent. Quod si à medicis, certe facilius à dæmonibus: quorum fuit plane consilium ad obscurandam Christi gloriam, vt quæ olim à Prophetis de venturo ex Iudæa Rege qui vniuerso dominaretur Orbi prædicta essent, intelligerentur de Vespasiano qui apud Iudæam creatus fuisset Imperator. Ita namque eiusmodi sacra oracula in gratiam Vespasiani interpretati sunt Tacitus *i*, Suetonius *k*, atque ipse etiam Iosephus *l* Iudæus, siue impietatis caligine offusus, siue temporibus inseruiens Vespasiano adulatus. Idque ipsum Iudaica superstitio in monte Carmelo *m*, oraculum consulenti Vespasiano, necnon Iosephus dum in vincula coniiceretur, eidem iam ante prædixerat. Et quoniam qui huiusmodi Rex esset, ab Itaia *n* prædictum erat fore vt multa operaretur miracula; hac quoque ex parte prouisum fuit, vt idem Vespasianus quasi per laruam Rex ille maximus, nempe Messias, appareret. At si prophetica vaticinia de se locuta esse Vespasianus credidisset, cur ab eodem postmodum tam exacta facta est persecutio de familia Dauid, & quos inuenit *o* occidit; nisi quod in comperto esset, non aliunde quam ex ea progenie Regem illum maximum esse venturum?

Sed quod pertinet ad miracula, quæ non tantum suis hominibus, sed diis ipsis ab historicis Gentilibus sunt adscripta; cuius ea sint fidei, sincerissimus est testis Polybius *p*, inter eos clarissimus auctor, cum de his agens ait, in omnibus quidem illis quæ plebis pietatem erga numen conseruant, condonandum est historiographis, dum de talibus monstrosa, etsi non vera loquuntur; in eo vero quod modum hunc excedit, ignoscendum non esse. Porro consueuisse Gentiles in æmulationem verorum miraculorum, quæ à Christianis quotidie fieri cernerent, in numinum quoque suorum gratiam sæpe miracula & oracula fingere; præter hæc, fidem facit exemplum de Theotecno Antiocheno, qui temporibus Maximini Imperatoris eadem præstitit, prout Eusebius *q* narrat. Sed & quam solers esset impostorum industria ad eiusmodi de Æsculapio, quem in colubri forma colebant, concinnanda commenta, dicetur alio loco.

Hoc eodem anno, Olympiade ducentesima duodecima anno primo, (vt numerat Eusebius *x*) *Euodio* Episcopo Antiocheno ex hac vita sublato subrogatus est, qui aliquando collega sedisset IGNATIVS. De quibus ea controuersia, quod alii Petro successum ab Euodio in sede Antiochena, alii vero dixerunt ab Ignatio, superius à nobis est fusius pertractata. Sed quod ad obitum spectat Euodii; cum tam Latini *a* quam Græci *b* æque testentur illum martyrio ex hac vita sublatum; non id accidit, quod his temporibus à Vespasiano vel Tito aliqua fuerit excitata persecutio; quos tradunt moribus fuisse placidos & humanos: sed (vt putamus) quod cum Antiochiæ hoc eodem anno *c*, instigatore quodam Antiocho Iudæo religionis suæ desertore, à Gentilibus in Iudæos idolis sacrificare renuentes tumultuatum fuerit, complures ex Iudæis qui fidem CHRISTI amplexi essent, tum maxime Euodius, martyrii coronam ea causa susceperint. Cæterum eiusdem Euodii nomine citatur à Nicephoro *d* scripta epistola, cuius erat titulus, *Lumen*; quam tamen ab antiquioribus nec citatam; neque aliter cognitam esse reperimus. Sicut etiam non inuenimus vnde acceperit, quod ait Ignatium fuisse illum paruulum, quem Dominus *e*, virtutem simplicitatis commendare volens, in medio Discipulorum constituit, dicens; *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.*

a Iosef. 5. de bel. 12.
b Dio in Vitel.
c Tac. de orator.
d Tac. hist. l. 3.
e Id. l. 4.
f Tac. hist l. 4.
g Suet. in Vespas. c. 7.
h Philost. in vit. Apol. l. 5
i Tac. hist. l. 5.
k Sueton. in Vesp. c. 4.
l Iosef. 7. de bel. 12.
m Sueton. in Vesp. cap. 5. Tac. hist. l. 2.
n Isa. 35.
o Euseb. 3. hist. 12.
p Polyb. hist. l. 16.
q Euseb. 9. hist. 2
r Euseb. in Chron. & 3. hist. 16.
a Mart. Rom. & alia 6. Maii.
b Menolog. 7. Sept. MARTYRIVM EVODII.
c Iosef. 7. de bel. 21.
d Niceph. 2. hist.
e Matth. 18.
1. f Tac. hist. l. 4.
g Iosef. l. 6. de bel.
h Luc. 19.
i Iosef. 6. de bel. 8. &c.

IESV CHRISTI AN. 72.

LINI AN. 3.

VESPASIANI IMP. AN. 1.

ANNO Christi septuagesimo secundo, Vespasiano *f* Augusto & Tito eius filio Coss. idem Imperator Alexandria Romam nauigaturus, Titum filium in Iudæam reuerti iubet, vt quod reliquum esset belli absolueret. Hic *g* vero cum instantis Paschatis occasione ingens numerus peregrinorum ex more Hierosolymam ad diem festum conuenisset, (putantes fortasse Vespasianum & Titum bellis ciuilibus intentos, de Hierosolymis impræsentiarum minus fore sollicitos) collectis vndique legionibus, aliisq; auxiliaribus copiis, die decima quarta mensis Aprilis castra prope eam vrbem posuit in monte Oliueti; vnde Dominus *h* olim respiciens fleuit super eam, vt qui præ oculis haberet dirissimam cladem, quam his temporibus susceperunt essent omnium hominum infelicissimi Iudæi. Qui quidem cum hactenus in tres factiones diuisi, Latronum Idumæorum, Zelotarum, ac reliquorum seditiosorum ciuium, misere inter se digladiati essent; aduenientibus iam Romanis omni semoto priuato odio, paribus animis, magnaque audacia aduersus eos progredientes, sæpe Titum cum suis in discrimen adduxerunt. Sed rursum incalescentibus intus dissidiis, ipsa die Azymorum, quotquot erant Zelotæ omnes ad vnum interfecti sunt in templo, cuius partem communiuerant; (Fuisse namque tantæ amplitudinis templum, cum atriis & habitationibus suis, vt in eo duo exercitus sibi ipsis contrarii habitarent, absque violatione eius partis quæ dicebatur *Sancta Sanctorum*, ex huiusmodi historia Iosephi constat:) sicque res ad duas tantummodo factiones redacta.

Interea vero Titus admotis ad ciuitatem machinis, quinto Nonas Maii primum murum expugnauit *i*, ac quinto post die secundo potitus est, & tertium aggressus. Cumq; iam ante obsidionem Iudæorum seditionibus, cellæ quibus ad plures annos frumentum seruabatur, essent incendio absumptæ, ideoque complures fame cogente foras quotidie ex vrbe egrederentur, aliique plurimi caperentur; eos omnes Titus ad ciues terrendos, ante eorum oculos iussit suffigi crucibus, multiplicato in tantum numero, vt (quod Iosephus ait) iam spatium crucibus deesset & corporibus cruces. Ex quibus haud dubium est fuisse illos, vel saltem illorum filios, qui clamauerant in Christum, *Crucifige*, *Crucifige*. Sed quo citius Titus fame ciues enecaret, omnem exitum occlusit aggeribus quinque contra vrbem extructis; iisdem vero à Iudæis

DVO EXERCITVS INTRA TEMPLVM.

II.

TITVS CINGIT MVRO CIVITATEM

V. MIRACVLA TRIBVTA VESPASIANO.

VI. MIRACVLA GENTILIVM QVALIA. *De quib. etiã Baron. To. II. an. 139.*

VII. IGNATIVS EPISC. ANTIOCH.

dissipatis, murum construxit circum ciuitatem: quod opus quanta celeritate sit consummatum, plane superat humanum captum. Cum enim murus vno minus quadraginta stadiorum esset, & ad eum foris castella tredecim ædificata fuerint, quorum gyrus denis stadiis numeratur; totum tamen opus triduo constructum est, vt asserit qui aderat Iosephus. His autem videas, iam impletum esse quod Dominus *a* prædixerat de circumdanda ab inimicis Hierosolymorum ciuitate vallo, & vndique coangustanda.

a Luc. 19.

III. IVDÆI VENTRE EXECTI

Sed & quod increbuisset *b* rumor, eos qui ab vrbe ad Romanos confugerent, quod haberent aurum, ne ab hostibus auferretur, voratum in viscerib. collocasse; eosdem Syri atque Arabes milites venati, vna tantum nocte ad duo millia occiderunt, visceraque fœde scrutati sunt: sed immane facinus Titus mox cohibuit. Cum autem populum tanta inuasisset fames, vt iam calceamenta, cingulaque, ac insuper coria quibus scuta tegerentur insumpta essent, atque ex stabulo fimus & stercus quæreretur in cibum, veterisque fœni laceramenta magno pretio vænirent, iamque nec ab humanis *c* carnibus abstineretur; eo immanitatis redacta est nobilis ac prædiues mulier Maria nomine, à seditiosis iam exuta vitæ substantiis, vt lactentem filium occiderit, ac comestura coxerit. Vt iam viderentur aduenisse dies à Domino *d* cum ad crucem perduceretur prædicti, quibus mulieres super se ipsas & super filios suos flere deberent, ac beatas steriles prædicare. Deniq; (inquit ipse Iosephus *e*, huiusmodi suorum mala deplorans) Deus damnauit populum, & omnem viam salutis ad intecitum verterat: & si Romani contra noxios venire tardassent, aut hiatu terræ deuoranda fuisset ciuitas, aut diluuio peritura, aut fulminum ac Sodomæ incendia passura.

b Ios. 6. de bel. 15.

c Ios. 7. de bel. 6. & 9.

MATER NECAT FILIVM AD CIBVM.

d Luc. 19.

e Ios. 7. de bel. 7.

IV.

Cum autem iis miseriis longe deteriores imminerent, & à Tito ad deditionem honestam sæpius inuitati Iudæi, obstinato animo se omnia libentius experturos mala iactarent, quam se Romanis dederent: (Erant *f* enim præterea & à seditiosis tyrannis qui Hierosolymis erant, superinducti pseudoprophetæ qui denunciarent populo, vt expectarent auxilium Dei:) tunc Titus contestatus Deum & homines, se ad vrbis & templi excidium inuitum compelli; TEMPLVM INCENDITVR. pro ipso templo pugnaretur, miles quidam Romanus non expectato cuiusquam mandato, immo & contra Titi edictum quo insserat ab excidio templi temperare, diuino quodam motus impetu (inquit Iosephus) ignem in templum iniecit, cuius flamma mox inualescens nulla valuit Titi diligentia, vel alia ope humana restingui. Factaque est huiusmodi templi conflagratio (vt idem Iosephus *g* testatur) decima die mensis Augusti, qua etiam alias à Rege Babylonis fuerat concrematum; à prima eius per Salomonem structione, annis mille centum triginta, mensibus septem, diebus quindecim; & à posteriori Cyri, annis sexcentis triginta nouem, & quadraginta quinque diebus. Cum interea Romæ (ô rerum humanarum vices contrarias!) Capitolium bello ciuili nuper concrematum, sumptuosissime restitueretur; cuius areæ dedicatio *h* facta est magna pompa vndecimo Calendas Iulii. Vnde magis etiam flagrans ira Dei in Iudæos ostenditur, dum in eorum odium atque inuidiam, non tantum ipsorum templum miserrime deiici, (quod Christus olim prædixerat) sed delubrum Iouis iisdem ferme diebus in sublime magna gloria exædificari permisit. Quo etiam eodem tempore *i* Romani signa in templo ponentes, celebrato illic sacrificio, maximis clamoribus Titum declamarunt Imperatorem; ac denique sacerdotes omnes qui latebant in templi recessibus, cum vix tandem se dederent Tito, eiusdem iussu omnes sunt ad supplicium ducti.

f Id. cap. 11.

CAPITOLIVM INSTAVRATVR.

g Ios. li. 7. c. 9. & 10.

h Tac. hist. l. 4. Suet. in Vesp. c. 8.

i Ios. ib. c. 13.

V.

Incenso vero templo, inflammandæ etiam ciuitatis Titus militibus licentiam dedit; ac inde superiori vibis parte, quæ *Sion* dicta cæteris munitior erat, diuino potius instinctu quam humanis viribus (quod ipse testatus est) potitus, demum octaua die mensis Septembris vrbem integram cum munitionibus cepit, ipso die Sabbati (vt auctor est Dio in Nerone) proditaque sunt à Sacerdotibus templi sacra vasa & Pontificia ornamenta. Porro mortuorum Iudæorum & captiuorum numerum Iosephus *a* qui aderat colligens, ait *Captiuorum* omnium qui toto bello comprehensi essent, *nonaginta & septem* fuisse *millia*: *Mortuorum* vero, tam ferro, quam fame, & peste, per omne tempus obsidionis, *vndecies centum millia*. Idemque ipse ex hostiis tempore Paschatis (ad quod festum tantam multitudinem conuenisse vidimus) cædi solitis, & ex numero hominum per contubernia epulantium, deducens eos, eorum qui tunc Hierosolymis fuissent numerũ, subdit qui puri essent (quibus liceret solum vesci azymis) extitisse ad *vicies centena & septuaginta millia*, cæterum ingentem oportuit fuisse illorum numerum, qui necessitate naturæ, vel alia ex causa puri minus essent. Vt non immerito addat, tunc velut in carcerem totam gentem fato conclusam fuisse, & fartam hominibus extitisse ciuitatem cum obsessa est. Eorum autem qui morti erepti sunt, alii ad opera missi fuere in Ægyptum, alii qui formosiori essent corpore triumpho seruati, plurimi robusti viribus electi qui per prouincias pugnarent in theatris cum bestiis; qui vero infra decimum septimum annum agerent, simul cum feminis vilissimo pretio venditi. Ac postquam quos occideret, quidue raperet, Romanus non habuit exercitus; iussit Titus totam funditus erui (quod olim Dominus *b* prædixerat) ciuitatem ac templum, relicta tantummodo parte muri ac præsidii illic relinquendi munitionem, ac turribus quæ præter alias eminebant; vt posteris indicarent qualem ciuitatem quamue munitissimam Romanorum virtus obtinuisset: Reliqua vero ita complanata sunt, vt qui eo accessissent, habitatum aliquando fuisse locum vix crederent. Cuius quidem ciuitatis annos Iosephus *c* sic numerat, vt à Rege Dauid vsque ad Titum sint mille centum septuaginta nouem; ex quo autem est condita vsque ad excidium, duo millia centum septuaginta septem.

a Id. cap. 17. NVMERVS OCCISORVM ET CAPTIVORVM.

b Luc. 19. & 21. CIVITAS DIRVTA, PAVCIS MEMORIÆ CAVSA RELICTIS.

c Ios. ib. c. 18.

VI.

Qui tamen Iosephus hæc tanta abiecte nimis considerans, adscripsit ea seditiosorum illorum criminibus; & quę essent pœna peccati, eandem existimauit causam esse supplicii; immemor & quod superius dixisset, creditum ob necem illatam Iacobo Iusto tanta mala infelices apprehendisse Iudæos. Cæterum hæc illis merito accidisse ob CHRISTVM Dominum repulsum atq; crucifixum, satis superius est demonstratum; sæpeque ipse suis Discipulis reseranit, dum non tantum signa quæ præcederent demonstrauit, sed etiam vt se res habenda esset significauit. Qui & insuper tempus quo eadem essent implenda voluit declarasse, cum dixit *d*, non præteriturum generationem illam donec omnia fierent. Vidit namque ea ætas & generatio, quæ ab ipso prædicta sunt; cum nonnisi triginta octo annorum spatium ab eo tempore ad excidium Hierosolym tantum intercesserit. Quæ quidem cum adeo plana sint, mirati sumus nonnullos Interpretes vehementissime laborasse vt ad Domini aduentum posteriorem ea verba accommodarẽt; cumq; id minus assequi potuerint, mystice potius, vel aliquo alio sensu eadem interpretatos esse. Cæterum cum Apostoli confuse Christum interrogassent tam de templi excidio, quam de ipsius Domini aduentu; pariter & ipse simul de vtroque respondit: sed (quod iam & superius monuimus) prudentis lectoris est, quæ de Hierosolymitano excidio, & quæ de mundi fine dicuntur ex euentibus distinguere; & quæcunque à Domino prædicta cognouerit, quæ Hierosolymitanum excidium non præcellerint, certo sciat in vltimo Domini aduentu fore implenda.

d Luc. 21.

VII. SCRIPTORES CLADIS HIEROSOL.

Porro hæc de Hierosolymorum excidio historia, non à Iosepho tantum descripta est, sed vt rem plane memorabilem auctores etiam Ethnici sunt fusius prosecuti; & inter alios Tacitus *e*, cuius tamen fides in recensendis rebus Iudaicis sic vacillat, vt merito Tertullianus *f* eundem *mendaciorum loquacissimum* appellet. Attigerunt quoq; Suetonius, Plutarchus, & Dio; nec non in Chronicis Phlegon Hadriani Imp. libertus, vt auctor est Origenes *g*. Eandemq; eladem Minutius Felix *h* ait scriptam fuisse ab Antonio Iuliano; quem nunquam egregium rherorem magnopere laudat Gellius *i*. Ac demum post hos omnes Hegesippus,

e Tac. hist. l. 5.

f Tert. Apolog. c. 16.

g Orig. tr. 35. in Matth.

h Minut. in Octa.

i Gel. l. 1. c. 4.

non

non maior ille vicinus temporibus Apostolorum, sed alius Iunior, quem constat vixisse post tempora Constantini, eandem historiam Græce conscripsit. Ferturq; alia eiusdem argumenti tractatio auctore Iosepho quodam filio Gorionis, qui vixit tempore dictæ cladis, à quo idem Hegesippus nonnulla mutuatus aggregat: sed cum in multis auctor ille reperiatur errasse, nec illum esse putemus qui habetur inscriptus, libentius abstinuimus.

VIII. TRIBVTVM IVDÆORVM ROMANIS DARI SOLITVM.

Subactis autem in hunc modum Iudæis, imperatum est illis tributum, nimirum vt quod in templum inferre quotannis soliti essent Didrachmum, illud ipsum penderent Ioui Capitolino. Affirmat hoc Iosephus *a*; illudque Origenes *b* sua adhuc ætate ab eis pendi solitum testatur. Sed & ipsi Iudæi nunquam amplius post hæc seruire delierunt, aut desinent aliquando; secundum quod à Daniele *c* prædictum est, perseueraturam desolationem vsque ad consummationem & finem. Sicque exuti templo, sacrificiis, & ciuitate per diuersas Orbis partes (vt olim Cain, quod interfecisset fratrem suum, vagus factus est & profugus super terram) semper oberrantes, cunctis nationibus sunt redditi abominabiles. Vnde & quam impar cæteris populis à Romanis deuictis fuerit sors istorum, considerans Augustinus *d*, *Omnes* (inquit) *Romani facti sunt, & omnes Romani dicuntur: Iudæi vero manent cum signo, nec sic dicti sunt vt à victoribus absorberentur.* Quæ quidem omnia in Christianorum multiplicem vtilitatem à Deo esse permissa demonstrat. Nec vero tantum ex nomine, (quod *plane tetrum* Imperator *e* appellat) sed & aliis innumeris signis, quibusque sæculis Iudæos fuisse notatos facile quis inueniet: quippe qui à militia, magistratibus, aliisq; publicis officiis, necnon iis quæ compluribus nationibus licet barbaris concederentur priuilegiis, reperiuntur fuisse discreti: & quod omnium grauissimum esse videtur; perpetuæ illis infamiæ nota est inusta, vt grauis corporibus fœtor inhæserit; ex quo & nomen *Fœtentium* sunt assecuti, prout eos Ammianus *f* Marcellinus appellauit. Denique scribit Hieronymus *g*, vsque ad suam ætatem singulis annis in die quo capta est à Romanis & diruta Hierusalem, venire solitum populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & senes pannis annisque obsitos, & in corporibus & in habitu suo iram Domini demonstrantes; atq; prohibitam turbam miserorum ingredi ciuitatem, vt saltem eius ac templi ruinâ lamentis & liuoribus & sparsis crinibus flere eis liceret, pretio à militibus redimere consueuisse, qui quondam emerant sanguinem Christi. At hoc nonnisi postquam Hadrianus Imperator vetuit Iudæis pedem in patrium solum inferre: de quo dicetur suo loco.

a *Iosef. 7. de bel. 28.*
b *Orig. ep. ad Afric.*
c *Dan. 9.*
IVDÆI VBIQVE VAGI ET ODIO HABITI.
d *Aug. in Psal. 58.*
e *L. 19. C. Th. de Iuda.*
FOETENTES.
f *Ambr. li. 22.*
g *Hier. in Sophon. 1.*
LVCTVS EORVM ANNIVERSARIVS.

IX. MODESTIA TITI.

Cæterum Titus his rebus magnifice gestis haud se animo extollens, oblatam sibi à finitimis gentibus coronam recusauit, eo se honore indignum esse respondens: non enim se talium operum auctorem, sed Deo iracundiam contra Iudæos demonstranti manus suas præbuisse. Recitat hæc de illo Philostratus *h*; qui eundem Apollonii monitis non nihil profecisse dicit. Reliquam autem huius anni partem, & sequentis principium vsq; ad opportunum tempus nauigationis, egit in Palæstina; vnde Antiochiam pergens, parte Syriæ peragrata, tandem se contulit Alexandriam vt inde Romam solueret. Quæ vero in singulis memoratis locis ab eodem sunt laudabiliter gesta, Iosephus *i* narrat pluribus.

h *Philost. in Vit. Apol. li. 6.*
i *Ios. 7. de bel. 19. &c.*

IESV. CHRISTI AN. 73.

LINI AN. 4.

VESPASIANI IMP. AN. 2.

I. ANno Christi septuagesimo tertio, Vespasianus Augustus secundo & M. Cocceius Nerua Consulatum gesserunt. Qui autem Consulatibus ordinariis etiam suffectos adnectunt, ponunt hoc anno Consulatum tertium Vespasiani, vt Iulius Frontinus *a*. Hoc igitur anno Titus cum manubiis Iudæorum ex Ægypto Romam nauigans, de parta gloriosa victoria nobilissimum vna cum patre Vespasiano egit triumphum; in quo ducti sunt Ioannes & Simon præcipui Iudæorum factionum duces, cum septingentis viris electis robore & forma præstantibus; necnon pretiosissima Hierosolymitani templi spolia, ac sacra vasa, cum ipsa Lege Mosis: quæ fuse narrat Iosephus *b*. Visiturque hactenus Romæ ad radices Palatini in arcu triumphali, marmore sculptum *Candelabrum* templi, cum aliis victoriæ insignibus quæ perducta sunt in triumphum; atque ex aduerso Titi triumphantis quadriga. Demum (vt vno verbo rem absoluam) quidquid decorum apud Iudæos potuit inueniri, à Tito sublatum Romam allatum est: vsq; adeo (quod testatur Plinius *c*) vt tunc etiam *Balsami* arbuscula translata fuerit Romam; sicut & eadem olim Pompeius, cum cæteris hostium spoliis ornauerat triumphi sui pompam. Post vero triumphum de Iudæis exhibitum, Vespasianus Iano clauso, pace vbiq; terrarum composita, constituere aggressus *d* est templum Pacis; de quo dicetur eo quo dedicatum est anno.

a *Front. lib. 2. de aquæd.*
TITVS DE IVDÆIS TRIVMPHAT.
b *Ios. 7. de bel. 24.* [Apud quę tamen, per *Legem* intelligi debere *Arcam fœderis*, tabulas Legis continentem, multis probare contendit Torniellus Annal. sacr. 3885.]
c *Plin. l. 12. c. 25* ARBOR BALSAMI PERLATA IN TRIVMPHO
d *Ios. ep. d. c. 24*

Inter hæc autem à Lucilio Basso Legato & Flauio Silua, tria castella munitissima quæ in Iudæa residua erant, fortissime expugnata sunt *e*. Deditq; in mandatis Vespasianus Liberio Maximo Procuratori, vt omnem terram venderet Iudæorum. Sic enim fieri oportebat desetta habitatoribus terra, relicta ei custodia octingentorum tantummodo militum, qui Emmaus tradita est incolenda; quæ mutato antiquo nomine, ex parta victoria Nicopolis est appellata. *Cæsarea* vero Maritima, olim Turris Stratonis dicta (vbi necatis iam ante fere quinquennium omnibus Iudæis *f*, Gentiles qui eam incolebant summa rerum potiebantur) remansit totius Palæstinæ metropolis; quæ ob egregiam à ciuibus nauatam operam contra Iudæos, à Vespasiano facta est *g* Colonia Romanorum, & immunis à censu capitis & possessionum. Rex autem Iudæorum Agrippa, qui initio belli aduersus contribules suos Romanis adhæserat; ex quo tempore nauigauit Romam *h* ad Galbam tunc imperantem, non amplius reuersus est in Iudæam; nec post eum aliquis suffectus est in aliquam regni Iudæorum partem, solis Romanis vniuersam Iudæam administrantibus. Berenice vero ipsius soror, Romæ item agens, Tito fuit in deliciis; donec ille se huiusmodi amore à populo sugillari cognoscens, generosa seipsum animi virtute cohibuit, & inuitus licet (vt ait Suetonius) ab Vrbe dimisit inuitam. Quam quidem Titi vxorem Sextus Aurelius nominauit, quod coniugali affectu ab eo tractaretur.

II. CÆSAREA PALÆSTINÆ METROPOLIS.
e *Id. c. 25. &c.*
f *Ios. 2. de bel. 19.*
g *L. vl. D. de Censib.*
h *Ios. 3. de bel. 6.*

Quod vero ad cæteros Iudæos spectat; (mirum dictu) qui gladium obsidionis euaserant, quocunque perrexerunt, eos Dei vindicta secuta miserabiliter perdidit. Tria enim illorum millia, qui in nemus Iardes confugerant, à Lucilio Basso Legato sunt interfecta *i*. Qui autem in Ægyptum se receperant, cum essent Galilæi secta, veteres illic renouantes quæstiones de vno tantum dicendo *Domino*, nempe Deo, nec eo nomine Romanis Imperatoribus nuncupandis; sicut fecerant in Iudæa, gentiles suos ad defectionem sollicitarunt, vsq; adeo vt contradicentes enecarent; sed tandem omnes capti, quælibet tormentorum genera obstinatissimo animo, etiam infantes pati maluerunt, quam vt Imperatorem nominarent *Dominum*. Cum autem hæc & alia Vespasianus accepisset, dedit in mandatis Lupo Augustali Præfecto in Ægypto, vt Iudæorum templum quod habebant in ea prouincia, *Onion* appellatum, demoliretur. Dictum *k* sic fuerat illud ab Onia Pontifice, tempore cladis ab Antiocho illatæ: is enim cum ad Ptolemæum confugisset, obtinuit ab eo apud Heliopolim ad templum fabricandum octoginta stadiorum aream, vbi in modum castelli circumquaque munitum templum ædificauit in schismate aduersus Iudæos Hierosolymis agentes; obtendens tamen illam causam, fuisse ante annos nongentos septuaginta ab Isaia prænunciatum ædificandum templum in Ægypto. Quod ædificatum sic perdu-

III. IVDÆI VBIQVE PERDITI.
i *Ios. 7. de bel. 29. &c.*
TEMPLVM IVDÆORVM IN ÆGYPTO DIRVTVM.
k *Ib. & 13. ant. 6.*

perdurauit annis trecentis triginta tribus, vsque ad hoc tempus quo clausum est à Præfecto, & alteri postea vsui cessit.

IV. a *Ios. l. 7. c. 30.* b *Id. l. 1. cont. Apion.* c *Euſ. 3. hiſt. 11* VESP. OMNES EX FAMILIA DAVID ABOLERI MANDAT.

Huc vsque Iosephus *a* de rebus Iudaicis, & cladibus eis illatis: quo ipse (vt ait *b*) sub Vespasiano & Tito Romæ conscripsit, dum illic ageret otiosus post eorundem triumphum. Addit Eusebius *c* Vespasianum post vastationem Hierosolymorum mandasse, vt omnes ex Dauidis genere prognati diligenter conquirerentur, quo nemo ex illa regia stirpe omnino in posterum superesset; indeque in Iudæos maximam denuo cladem & persecutionem fuisse concitatam. Porro hoc præstitisse Vespasianum putamus, quod cum ei significatum esset, à Prophetis esse prædictum ex Dauid progenie regnaturum hominem, cuius imperium esset æternum; eidemque Vespasiano adulantes, cætera quæ erant in oraculis, quasi de eo prædicta essent, Iosephus & alii (vt vidimus) ei accommodassent; iam ipse hoc quod aduersari videretur, in hunc modum retorquere conatus est.

IESV CHRISTI AN. 74.

LINI AN. 5.

VESPASIANI IMP. AN. 3.

I.

ANNO Christi septuagesimo quarto Consules facti sunt Vespasianus Augustus tertium & Titus eius filius secundum. Sic enim veteres Fastos consignatos fuisse, Plinius *d* est auctor: vnde plane constat eos errare, qui hoc anno Vespasiani Consulatum quartum & Titi secundum ponunt; sicut dum adiungunt quintum eiusdem Augusti cum tertio Titi: sumpto nimirum errore, quod primum annum Imperii Vespasiani notant eiusdem Consulatu secundo, cum tamen de primo nulla ante eum habeatur mentio in Fastis Consulum ordinariorum. Nam antea Vespasianus fuerat tantum Consul suffectus tempore Claudii: cum vero creatus est postea ordinarius, non bis Consul in Fastis adscribendus fuit, sed semel; quandoquidem non ante Seueri Imp. tempora suffectorum habitam fuisse rationem, demonstrat Dio *f* ex quo alii complures corrigendi essent errores Chronographorum, dum in numerandis singulorum Consulibus, suffectos etiam adiecerunt: quos & nos bona fide, ne omnia inuertere videremur, interdum secuti sumus; cum alioqui nullum afferatur rationi temporis præiudicium, quod ad annos consignandos nec ipsi suffectos, sed ordinarios tantum qui nomen darent anno, in Fastis posuerint. At vero in aliis monumentis nummorum vel inscriptionum, obseruauimus notatum reperiri numerum suffectorum cum ordinariis.

d *Plin. l. 2. c. 23.*

e *Suet. in Vesp. c. 4.* RATIO CONSVLVM ORDINAR. ET SVFFECT.

f *Dio lib. 46. Vid. Gerd. in Chronol. post an. 1494. edit. 2.*

II.

Excisa his temporibus (vt vidimus) Galilæorum secta, quæ in Ægypto coalescere cœperat; reliquæ pariter Iudæorum hæreses, (quas septem numero recenset de his agens Epiphanius *g*, nempe Sadducæorum, Scribarum, Pharisæorum, Hemerobaptistarum, Nazaræorum, Ossenorum, & Herodianorum; de quibus singulis actum est suis locis superius) profligatis iam ipsis Iudæis, paulatim extingui cœperunt, prout idem auctor scribit. Verum potius mutatæ sunt quam extinctæ: nam complures ex illarum sectatoribus pertæsi Iudæorum infamiæ, & gloriam Christianorum æmulantes, istis adhæserunt; sed tamen ita vt priores errores magna ex parte retinuerint. Nam & *Samaritæ* vsque ad Iustiniani Imperatoris tempora permansisse, tuncque quod in Palæstina tumultuarentur compressos esse, Procopius *h* est testis. Et quamuis NAZARÆI qui ante CHRISTI aduentum erant *i*, esse desiissent; nouam tamen eiusdem nominis sectam quæ Christum agnosceret, sed circumcisionem retineret, his ipsis diebus post cladem Hierosolymitanam in Berrhœorum regione, & Decapoli, ac Basanitide emersisse, (in quas regiones Christiani qui Hierosolymis erant, ante obsidionem se receperant) Epiphanius *a* est auctor: de quibus etiam dictum est superius. Hi autem quod Christo credidissent, nacti sunt Euangelium Matthæi, de quo pariter actum; licet Theodoretus *b* dicat vtios esse Euangelio apocrypho secundum Petrum. Sed & eiusdem sectæ assecias, alio nomine *Minæos* esse dictos, ac suo tempore in Oriente viguisse, Hieronymus asserit. Aduersus quos scripserunt *d* Iustinus, Irenæus, Origenes, & alii complures qui texuerunt catalogum hæreticorum, vt Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Ioannes Damascenus, & alii recentiores.

g *Epip. har. 19* SECTÆ IVDÆORVM EXTINCTÆ, VEL IMMVTATÆ.

h *Procop. de ædif. Iust. Imp.*

i *Epip. har. 18.* DE NAZARÆIS HÆRETICIS.

a *Epip. har. 29*

b *Theod. har. fab. l. 2.*

c *Hier. ep. 89. ad Aug.*

d *Theod. har. fab. lib. 2.*

III.

Eodem etiam tempore, nimirum post excidium Hierosolymæ, è Cocaba vico eiusdem Basanitidis regionis emersit hæresiarcha scelestissimus EBION; cuius consortio infamati Nazaræi multa habuere cum eo communia, vt testatur idem Epiphanius *c*. Quo etiam auctore *f* constat, Ebionæis postea coniunctum esse *Elxai* Ossenorum antiquæ hæresis facile principem: atque insuper Ebionem quicquid fuit horrendum & abominabile in singulis sectis Samaritarum, Iudæorum, Nazaræorum, Cerinthianorum, Carpocratianorum assumentem, omne turpitudinis & impietatis prodigium superasse: Ipsum autem in Asia quoque prædicasse, & Romæ: Et cum aliquando in Asia Sanctus Ioannes Apostolus Spiritus sancti impulsu ad balneum præter consuetudinem progressus esset, atque esse intus Ebionem audisset; cognito ad testimonium de veritate reddendum illuc vocatum esse, dixisse circumstantibus, *Festinemus hinc egredi, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione propter ipsius impietatem.* Verum hæc de Cerintho potius referuntur ab aliis *g* auctoribus. Sed ne dicamus Epiphanium hallucinatum, haud inconueniens erit existimare, vtrumq; simul Ebionem atque Cerinthum in balneis repertos esse, cum præsertim magna esset inter eos necessitudo ex impietatis similitudine comparata. Quapropter cum & multi dicant occasione Cerinthi à Ioanne scriptum esse Euangelium, Sanctus Hieronymus *h* Ebionis causa id factum affirmat; quod scilicet communicatione hæresis eadem vtrisque dogmata censerentur esse communia: quamuis (vt docet Tertullianus *i*) non omni ex parte consenserint; siquidem Ebion mundum à Deo creatum, Cerinthus ab Angelis esse factum diceret.

e *Euſ. 3. hiſt. 22* *Theo. har. fab. l. 2. & alii.* EIVS CVM CERINTHO COMMIXTIO

f *Id. har. 19. & 30.*

g *Iren. l. 3. c. 4.* *Euſ. 3. hiſt. 22* *Theo. har. fab. l. 2. & alii.*

h *Hier. de Scr. Eccl. in Ioan.*

i *Tert. de præſcrip. c. 48.*

IV.

Porro Ebion multa in Paulum (quod iam attigimus) debacchatus, falsa Acta nomine Apostolorum edidit, in quibus vna cum impietate multa coagmentata essent mendacia. Atq; insuper *Circuitus Petri* per Clementem scriptos, ad suas hæreses confirmandas corrupit; etiam ausus imponere Petro, ipsum se quotidie in aquam mergere consueuisse purificationis gratia, & ab animatis & carnibus omnino abstinuisse; quæ videlicet Ebionitæ obseruabant. Qui & insuper Virginitatem non admittebant, & ad sanguinem Christi in Eucharistia conficiendum aqua sola vtebantur. A Deo item duos dicebant fuisse ad rerum dominium ordinatos, Christum videlicet, & Diabolum; illumq; accepisse in sortem futurum sæculum, huic vero fuisse mundum concreditum: porro illum velut vnum ex Angelis, sed cæteris maiorem esse creatum; & quod pertinet ad carnem assumptam, ex viri semine procreatum; eundemq; Adam primo se induisse, ac postea exuisse. Tradit hæc omnia, & alia de Ebionæis Epiphanius *k*. Quorum quidem auctor ad conciliandam sibi maiorem fidem, dici voluit *Ebion*, quod volens libensq; esset pauper effectus; iactans se fuisse vnum ex illis, qui pretium suarum rerum posuissent ad pedes Apostolorum.

EBIONIS ERRORES.

k *Epip. har. 30*

V.

Quod autem spectat ad politiam; Ebionæi, sicut Nazaræi, æque legem cum Euangelio tradebant esse seruandam: vtebanturque Matthæi Euangelio, sed decurtato, sicut & cæteris diuinis Scripturis: quin etiam (vt auctor est Irenæus *l*) Hierosolymam adorabant quasi esset domus Dei: & (quod ait Tertullianus *m*) adeo Iudæis Ebion fuit, vt Legem præferret Euangelio. Cogi insuper omnes voluit vxores ducere, etiam impuberes; liberum relinquens quot quisque vellet vxores accipere. Sed & Ignatius *n* eundem tradit docuisse, Christum nudum esse hominem, non an-

l *Iren. l. 1. c. 26*

m *Tert. de præſcr. c. 48.*

n *Ign. ep. ad Philad.*

tem Deum vnigenitum, Sapientiam & Verbum Dei, sed solum anima & corpore constare. Cæterum præter Ignatium, & alios supra citatos auctores, Clemens quoq; Romanus (vt auctor est Epiphanius *a*) suis Encyclicis epistolis eiusdem Ebionis impietatem damnauit; quem & pariter, eiusque sectatores, sæpe suis scriptis exagitarunt Origenes, Eusebius *b*, Philastrius *c*, Augustinus *d*, Theodoret. *e*, ac cæteri recentiores qui de hæresibus commentarios conscripserunt.

a *Epip. hær.30*

b *Euſ.3. hiſt.21*
c *Philaſt. de hær.c.38.*
d *Aug.de hær. ad Quod-uultd.*
e *Theod. hær. fab. l.2.*

VI. DE MENANDRO.

Sed & his ipsis temporibus, discipuli complures Simonis Magi, Dei Ecclesiam turpiter infamarunt. Quorum præcipuus, ac Simonis primogenitus, MENANDER, idemque Samaritanus & magus, natus in vico Capparetaia, sectatoribus suis minime morituros esse persuasit; vt tradit Iustinus *f*. Asseruitque idipsum Tertullianus *g*, qui & egregie salibus suis ei illusit, quod licet tanta suis polliceretur, perpaucos tamen habuerit discipulos. Et alibi *h* post Irenæum scripsit, eundem Menandrum fuisse magum; eademque dixisse, quæ Simon asserebat; & quicquid se esse Simon dixerat, hoc se Menandrum esse dixisse; negantē habere posse quenquam salutē, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. Aguntq; præterea de illo omnes nuper recensiti auctores. Sectati sunt autem eum inter alios Basilides & Saturninus, quos condiscipulos fuisse Epiphanius *i* tradit: verum eos diutius vixisse ferunt, nimirum ad tempora Hadriani Imperatoris, vbi dicetur pluribus de illis.

f *Iuſt. orat. ad Anton.*
g *Tert. de anima.c.50.*
h *Id. de præſcript.c.46.*

i *Epip. hær.23.*

VII. DE S. MARTIALE EPISC. LEMOVIC.

Eodem anno tertio Vespasiani, S. MARTIALIS Episcopus Lemouicensis, Galliarum dictus Apostolus, qui ex Oriente Romam cum Petro venerat, & ab eodem in Gallias fuerat amandatus, cum Lemouicenses, Tolosanos, Burdegalenses, Cadurcenses, aliosq; qui à Rhodano in Oceanum vergunt populos, ad pietatem Christianam instituisset; ex humanis sublatus est, sicut eius Acta declarant, quæ circumferuntur scripta ab Aureliano eius successore. Porro tradunt hunc illum fuisse puerum, de quo Andreas olim Domino dixerat, *Est puer hic habens quinque panes & duos pisces.* At quod volunt fuisse ex Septuaginta duobus Discipulis, opus esset affirmare non sic ætate fuisse puerum nominatum, sed more Hebræorum qui & homines grandioris ætatis pueros nuncupabant. Meminit eiusdem Gregorius *k* Turonensis; sed errat dum tempore Decii Imperatoris eum in Gallias venisse tradit. Leguntur autem eius nomine duæ scriptæ Epistolæ, altera ad Burdegalenses, altera ad Lemouicenses & Tolosanos, in quibus etiam cognominatur *Cephas*. Traditurque suscitasse mortuum, admoto ei baculo Sancti Petri, quem ab eo sibi datum Romæ acceperat: (cuius etiam historiæ meminit Innocentius *l* Papa:) Itemque primum in vniuersa Gallia dicasse templum in honorem Sancti Stephani protomartyris, dirutis quæ eo loco pridem Gentilitas coluerat simulacris.

k *Greg. Tur. hiſt.30. & de glor.conf. c.27*

DE BACVLO S. PETRI

l *Ex. de Sacr. vnct.in fi.*

[Prædictum Petri *Baculum*, illum ipsum esse qui hactenus magna religione asseruatur Burdegalæ in antiquissima ecclesia Sancti Seuerini, est firma illius prouinciæ traditio. Visiturque adhuc ibidem parua alia ecclesia longe vetustissima, nomine Sancti Stephani insignita, quam à Martiale dedicatam constanter asserunt: de qua etiam dictum est superius anno 14. 90. Sed quod ad Baculum spectat; Innocentius Tertius 1. Myster. Miss. 21. aio modo quam Glossa can. vn. de sacramen. vnct. interpretatur eam historiam: siquidem ait, Romanum Pontificem virga pastorali non vti, eo quod Petrus Apostolus baculum suum misisse Euchario primo Episcopo Treuerorum, quem vna cum Valerio & Materno ad prædicandum Euangelium genti Teutonicæ destinasset: cui successit Maternus, qui per baculum Sancti Petri de morte fuerat suscitatus, quem baculum vsque hodie (inquit Innocentius) magna veneratione Treuerensis seruat Ecclesia. Gaudeat vtraque Ecclesia sua traditione; quam non est dubitandum pium aliquod habere fundamentum, etsi non vsquequaque notum.]

IESV CHRISTI AN. 75.

LINI AN. 6.

VESPASIANI IMP. AN. 4.

ANNVS Christi septuagesimus quintus notatur ab aliis Consulatu Domitiani iterum & M. Valerii Messalini. Verum cum ex ratione Dionis, Plinii testimonio roborata, superior annus consignatus fuerit Coss. Vespasiano tertium & Tito secundum; cumque rursus idem Dio *a* templi Pacis dedicationem factam dicat Vespasiano sextum & Tito quartum Coss. iam ex ipso ibidem recensito notandorum Consulatuum ordine, (nempe vt ordinarii duntaxat, non etiam suffecti, & nomen darent anno, & adscriberentur in Fastis) affirmare necesse est, tam præsenti quam sequenti anno Vespasianum gessisse Consulatum. Quapropter præsenti anno dedisse putamus nomē Coss. Vespasianum quartum & Valerium Messalinum, quos Iulius *b* Frontinus agnoscit. Nam cum auctore Suetonio *c* constet, Domitianum ante adeptum Imperium sex Consulatus ita gessisse, vt ex eis vnus tantum esset ordinarius; eadem ratione quam diximus, vnus tantummodo fuit describendus in Fastis, quem in alium annum *d* reiicimus.

I.

a *Dio in Veſpaſ.*

b *Front. de aquæduct.l.2.*
c *Suet. in Domit.c.2.*

d *An.Chr.79*

Hoc tempore Vespasianum de pellendis ab Vrbe philosophis dedisse edictum, Dio *e* testatur. Quod quidē haud nouum Romæ videri poterat: neque, etiamsi & Nero id fecerit, vel alii ei similes, optimo Principi adeo ignominiæ verrebatur, cum id fieret more majorū: nam (vt auctor est Gellius *f*) iam longe ante, florente Republica, sub Consulatu Fannii Strabonis & Valerii Messalæ, promulgatum fuerat Senatusconsultum de philosophis & rhetorib. Vrbe pellendis; quod scilicet adolescentes earum scientiarum addiscendarum cupidi, viderentur ab armis auocari, & vitam agere otiosam. Porro hæc facta sunt à Vespasiano, non quidem odio philosophiæ, cuius, vtpote bonorum morum conciliatricis, plurimum (vt Philostratus ait) amans fuit, (vt scribit Dio) sic persuasus à Muciano, quod philosophi multa inutilia garrientes, quadam dicendi temeritate potius quam libertate, cum alios, tum ipsum Imperatorem passim proscinderent; indeque apud abiectum vulgus gloriam aucupantes, in varias illud factiones distraherent: quapropter & vnum virgis publice cædi, & alium securi subiici permisit; cum alioqui Suetonius *g* tradat, ipsum lenissime tulisse philosophorum contumaciam.

II. PELLVNTVR VRBE PHILOSOPHI.

e *Dio in Veſp.*

f *Gel.l.15.c.11.*

Cæterum quod ad hæc pertinet tempora, *Eleucadius* *h* philosophus Platonicus, à S. Apollinare Episcopo Rauennate ad Christi fidem conuersus, eidem Apollinari martyrio coronato, in Episcopatu, post Abderitum, successit. Vespasiani namque temporibus passum esse *Apollinarem*, (qui vna cum Apostolo Petro ab Oriente Romam veniens, & ab eodem Rauennam missus, pro fide Christi multiplices perpessus est pœnas) cum eius Vitæ *i* Acta, tum Romanum Martyrologium aliaque testantur. Sed non id quidem, quod aliqua à Vespasiano in Christianos fuerit persecutio excitata, verum quod cum Apollinaris Gentiles ab idolis auertisset, eorundem sacerdotum exagitatus calumniis, subrepto ab Imperatore rescripto, tanquam seductor & facinorosus homo vrbe pulsus est atque sæuissime trucidatus. Nam alioqui & Suetonius *k* asserit, non temere sub Vespasiano quem insontem punitum esse, nisi absente eo & ignaro, aut certe inuito atque decepto: & ex nostris Eusebius *l* aliique affirmant, nihil vnquam iniuriæ aut mali in Christianos eum excogitasse. Porro de Apollinare plura dicenda essent, atque etiam de Rauennatibus successoribus Pontificibus: sed quoniam, vt professi sumus, nostri non est instituti, priuatarum Ecclesiarum, nisi interdum Patriarchalium, facta prosequi; satis esse putauimus ex his aliqua vel leuiter attigisse.

g *Suet. in Veſpaſ.c.13.*

III. MARTYRIVM APOLLINARIS EPIS. RAVEN.

h *Pet. Damian ſer. de S. Eleuc. ad ap. Sur. 14. Febr.*
i *Ap. Sur. 23. Iul.*

k *Suet. in Veſp.c.15.*

l *Euſ.3. hiſt.13*

IV. DE PHILOSOPHIS ORBEM CIRCVMEVNTIBVS.

Quod autem de PHILOSOPHIS semel est instituta narratio; consideratione plane dignum est, hoc ipso sæculo, quo Apostoli & Apostolici viri ad imbuendos Christiana religione populos totum pene terrarum Orbem peragrarunt, complures pariter Philosophos itidem circumeundo prouincias, adiisse nobilissimas ciuitates, eo prætextu, vt mores labefactos corrigerent, sed ita tamē vt in auiritę Gentilitiæ superstitionis cultu populos continerent. Id enim præstitisse constat Apollonium Tyanæum, Demetrium Cynicum, Dionem Chrysostomum, Mutonium Babylonium, Epictetum Stoicum, Diogenem Iuniorem, aliosque. Hos autem aduersarios pallos esse qui Christianæ religionis fundamenta iacerent, nemo poterit dubitare: quanquam & illorum complures reperti sunt, qui videntes humilem Crucis doctrinam aduersus suam ipsorum phaleratam sapientiam potentissime prȩualere, delegerunt in schola piscatorum philosophiam Crucifixi sectari; quam in celeberrimis vrbibus & academiis magistros vanitatis profiteri, de quorum nonnullis vel iam dictum superius, vel dicetur inferius suis locis.

Interim vero hic opportune accidit, (nam & temporis id ratio postulat) vt quæ ab impostore quodam *Peregrino* philosopho nominato (qui merito dictus est cognomento *Proteus*, quod omnem quam sibi vellet formam superinduceret *a*) sub nomine Christiano sunt gesta breuiter enarremus: quæ quantumlibet à Christianorum hoste & blasphemo homine scripta sint, nempe Luciano; ex eis tamen nonnulla vtilia elici possint, quæ antiquos illos laudatissimos Christianorum mores, ac præsertim erga Fratres peregrinos, & carcere detentos, propensiorem curam, ac studium charitatis insinuent. Res igitur in hunc modum se habuit: Impostor quidam sceleratissimus ex Paro insula oriundus, immanissimorum criminum reus, (nam & patrem suum necauerat, & amore puerorum erat turpiter infamatus) patrium solum vertens, alio proficiscì in animum duxit. Sed quod nulla sibi gens visa esset, quæ tanta liberalitate prosequeretur miserabiles quasque personas, perinde ac Christianos; ad eos se recipiens, Christianæ religionis se cupidissimum simulauit. Quid plura? Dedit nomen, initiatus est baptismate, ad eumque loci gradum prouectus est tandem, vt profiteretur inter prophetas, ac cæteros rerum sacrarum magistros atque principes, doceretque alios fidem, sacros libros interpretaretur, & alios à se conscriptos legendos traderet. Denique nequid sibi deesset quod ad culmen Apostolicæ perfectionis spectare videretur, operatus est vt pietatis causa detruderetur in carcerem, vbi velut nouus Paulus glorioſe sua vincula ostentaret; sed eo consilio vt ex oblationibus Christianorum ingentem pecuniæ vim corraderet: quod etiam ei ex optatis accidit, cum iidem nulli parcentes impensæ eum redimere conati sunt; nec voti compotes facti, plurimis eum quotidie prosecuti sunt officiis, & quæ ad victum essent necessaria abunde subministrarunt. (Siquidem, inquit auctor, apud illos omnia ex æquo habebantur contemptui præter fidem, quam exacte exploratam à quocumque deferente suscipiebant; vnde facile erat ab impostoribus seduci, hosq; breui fieri opulentos.) Tandem vero dimissus à Syriæ Præside, auro suffarcinatus in patriam rediit. Qui denuo secunda inita peregrinatione, cum satis sibi viatici in Christianis repositum esse sciret, apud quos in omni ageret rerum abundantia, & quoquo vellet ab iisdem deduceretur; demum admisso aduersus eorum legem aliquo flagitio, ab eis reiectus, magna est rerum difficultate perplexus; & post multas alias peregrinationes, Romam aduenit, indeque edicto Imperatoris vna cum aliis philosophis pulsus, (factum enim id fuit rursum à Domitiano Imperatore paucos post annos) tandem noua arte immortalem sibi gloriam paraturus, in Olympiis solenni pompa sese dedit incendio comburendum: cuius rei gestæ, qui præsens vidit, historiam ipse Lucianus conscripsit ad Chronium.

Ex his autem facile intelligimus, quam prudenter Meusurius *b* Episcopus Carthaginiensis noluerit recipere quosdam facinorosos & fisco debitores, qui occasione persecutionis sub Diocletiano martyres se & confessores mentirentur, vt in custodia detenti pecuniis ditarentur, & deliciis perfruerentur de obsequio Christianorum. Quantam enim curam eorum qui fidei causa in carcere detinerentur, veteres Christiani gererent; docent etiam Tertullianus *c*, Cyprianus *b*, & alii. Idemq; Tertullianus *c* adeo frequen ē ac necessariam inter Fideles omnes intercessisse mutuam hospitalitatem significat, vt inter Catholicæ communionis symbola adnumeret *contesserationem* (vt vocat) *hospitalitatis*: per quam, certum quoddam signum intelligit, quod qui ferret, vt Catholicæ Ecclesiæ legitimus filius vbique reciperetur honorifice. Quod quidem signum cum adulterarent hæretici, aliique impii, à Catholicis noscitur sæpe mutatum, ac literis tandem Formatis commissum, de quibus dicetur suo tempore. Ipsam porro hospitalitatem, & in peregrinos charitatem, Sanctus quoque Ioannes *d* Euangelista hisce iisdem temporibus laudauit in Gaio. Sed hæc satis ad insinuandos ea de re antiquos Ecclesiæ mores.

OFFICIA CHRISTIAN. ERGA VINCTOS.

a *Tert. ad mart. c.1.*
b *Cypr. ep.5. & 37.*
c *Tert. de præscript. c.20.*
d *Ioan. ep.3.*

V. DE PEREGRINO PHILOSOPHO IMPOSTORE.

a *Gel. l.12. c.11. Amm. l.29.*

CHARITAS CHRISTIANORVM.

VI.

b *Ap. Aug. Breuic. collat. die 3. c.12.*

IESV CHRISTI AN. 76.77.78.79.

LINI AN. 7.8.9.10.

VESPASIANI IMP. AN. 5.6.7.8.

ANNVS Christi septuagesimus sextus adscribitur antiquis Fastis Vespasiano Augusto quintum & Tito tertium Coss. Quibus (vt auctor est Censorinus *e*) ab iisdem Imperatoribus Censores fetiam agentibus, habitum est nouissimum LVSTRVM: (quantum scilicet attinet ad Lustri condendi cæremonias; non autem quoad institutum politicum describendi per temporum interualla subditorum fortunas, quod longe postea perdurauit:) nam exinde à Consulatu Domitiani duodecimo & Cornelii Dolabellæ, cœpti sunt anni per Capitolinos Agones numerari, vt dicetur suo loco. Memorabile est autem, quod de longissima ætate complurium qui hoc lustro censi sunt, adeo vt nonnulli inuenti fuerint in Italia centenum & quadragenum annotum) scribit Plinius *g*; qui tunc viuebat; quique decipi non potuit, cum in iisdem censibus ex Consulum notis quisque annus quo quis natus esset describi soleat, manifestior appareret. Ea qui attenderit, haud mirabitur cum Symeonem, Parmenam, Dionysium, Ignatium, Polycarpum, & alios ipsius Domini vel Apostolorum discipulos, ad Traiani vel Hadriani tempora, aut vlterius vitam duxisse inferius legerit: qui diuina etiam agente dispensatione tam longæuam ætatem vixerunt, tum vt ipsorum prædicatione de iis quæ vidissent & audissent, facilius homines conuerterentur; tum vt eorundem testimonio confirmatum esset Ecclesiæ Dei aduersus primos, ac proinde magis timendos hæreticos in eam insurgentes.

I. NOVIS. LVSTRVM.

e *Censor. de die nata. c.15.*
f *Plin. l.7. c.49.*

DE ÆTATE LONGÆVA MVLTORVM.

g *Id. ibid.*

Anno vero Christi septuagesimo septimo, iisdem Vespasiano sextum & Tito quartum Coss. celeberrimum PACIS templum Romæ dedicatum esse, auctor est Dio *h*: atque in eo, præter alia insigniora toto terrarum Orbe quæsita ornamenta, illa præsertim quæ è templo Hierosolymitano sublata fuerant, (præter Legem Iudæorum, & pernetralium Vela purpurea, quæ Vespasianus in Palatio seruari voluit) reposita esse, Iosephus *i* scribit. Cur autem Vespasianus Paci primum templum erexerit, (quod est superius *k* demonstratum) cum alias sepius hostib. grauioris momenti superatis, Vrbiq; tranquilla pace donata (vt Augusti præsertim temporibus accidit) nullus vnquam ei numini templum extruxerit: id inde factum esse coniicimus, quod plurimorum (vt vidimus) adulatione illum se esse Regem persuasus, qui ex Iudæa prodituras vniuerso dominaretur Orbi, omnia pariter quę de illo prędicta erāt, in se transferre curauerit; sicut & aliis exemplis superius demonstrauimus. Cum igitur audisset, Regem illum *Pacis l Principem*

II.

h *Dio in Vesp.*

TEMPLVM PACIS ROMÆ DEDICATVM.

i *Ioſ. 7. de bel. 24. in fi.*
k *In pr. Annal. n.5.*

Isa.9.

nomi-

nominandum, pacisque nullum futurum esse finem, PACI ÆTERNÆ templum dicauit: eo enim titulo faciem porticus fuisse notatam, numismata antiqua & inscriptiones declarant.

III. Cæterum anno sequenti rursum creati sunt Coss. Vespasianus septimum & Titus quintum: ac proximo Vespasianus octauum & Domitianus primum: sed si suffectos Domitiani cum isto ordinario numeres, hic sextus ordine ponetur. Qui est ille ipse eius Consulatus ordinarius, quem vnicum ei Suetonius *a* tribuit ante adeptum Imperium. Videnturq; mihi errare illi, qui hoc anno ponunt Titum sextum. Nam & in antiqua inscriptione *b* octauus Consulatus Vespasiani iungitur cum sexto Domitiani, numerando videlicet suffectos cum ordinario, secundū ea quæ dicta sunt superius. *c* Vnde quod Suetonius ait, Domitianum cedente fratre, & suffragante gessisse Consulatum ordinarium, sic intelligendum videtur, cum hactenus ipse Titus semper ordinarius fuisset Consul, & econtra Domitianus eius frater semper suffectus, hoc anno vice versa (id agente Tito) Domitianus ordinarius, Titus fuerit suffectus.

IV. His porro quatuor annis nulla reperimus Ecclesiastica gesta; cum alioqui sciamus, publicæ pacis opportunitate bene vsos esse Christianos ad propagandam longe lateque religionem. At quoniam quid quolibet anno gestum sit, ex antiquis veriſque Ecclesiasticis monumentis tradi nequit, consultius existimamus, hos Coss. aliosque plures, rerum nostrarum vacuos præterire, quam pro arbitrio quid his vel illis sit factum fingere: prout à quibusdam recentioribus factitatum inuenimus, dum his annis Thomæ, Bartholomæi, Nathanaelis, vel aliorum, sine auctore ponunt martyria contigisse.

a *Suet. in Dom. c. 2.*
b *Ap. Pan. Fast. l. 2.*
c *An. 74. & 75. impr.*

IESV CHRISTI AN. 80.

LINI AN. 11.

VESPASIANI IMP. AN. 9.

I. LINI PAPÆ MARTYRIVM. ANno Christi octogesimo, Commodo & Prisco Coss. *Linus* Romanus Pontifex, cum sedisset annos vndecim, menses duos, & dies viginti tres, nono Calendas Octobris, Saturnini Consularis iussu martyrio coronatur. Quare cum Eusebius *d* & Epiphanius *e* tribuunt ei annos duodecim, vtiq; inceptos intellexisse putamus. Quod vero idē Eusebius euoluto anno secundo Titi ipsum decessisse scribit, nulla ratione cum illo duodenario annorum numero cohæret. Nam à tempore martyrii S. Petri vsque ad secundum Titi annum, quatuordecim saltem voluuntur anni. Nos autem cum non appareat quot diebus alicuius Pontificis sedes vacauerit, à die sequenti obitus præcedentis, annos eius qui subrogatus est cogimur numerare. Sicq; recensentes Lini annos à die post martyrium Petri, deducētesque vsque ad diem qua anniuersaria eius commemoratio antiquitus fieri cōsueuit, habitaque insuper ratione annorum Cleti & Clementis successorum Lini, non tantum annos eius sedis, sed & menses & dies quos diximus, tutius putamus esse numerandos: cum præsertim diuersa à diuersis scribantur, nec quicquam certi habeatur quod omni ex parte subsistat.

d *Euſ. in Chr. & 3. hiſt. 11.*
e *Epi. hær. 27.*

II. Sane sub Vespasiano potius quam Tito Linum consummasse martyrium, ea etiam ratione persuademur, quod Titum scribat Suetonius *f* adeo fuisse mitem, vt etiam à sontium, immo & Imperium affectantium, ipsique insidiantium supplicio abhorruerit, quandoquidem duos patricii generis conuictos in affectatione Imperii, nihil amplius quam vt desisterent monuit, si quid præterea desiderarent, promittens se tributurum: eaque ex causa Pontificatum Maximum se professus sit accipere, vt puras seruaret manus. Quinimmo Dio *g* testatur, neminem prorsus sub eius Imperio morte affectum esse: sed nec de crimine impietatis vmquam cognouisse, nec permisisse aliis vt cognoscerent. Quid hoc autem, nisi eum Christianos (qui à Gentilibus impietatis in deos arguebantur) iure suo quiete agere voluisse? At non sic sub Vespasiano: nam etsi non aliorum, saltem delinquentium punita sunt crimina. Et sub eo Christianos quosdam reos violatæ Gentilium religionis punitos esse, demonstrant exempla Apollinaris *a* Episcopi Rauennatis, & Leontii ac sociorum militum, & si qui alii eiusmodi reperiuntur. Cæterum in libro de Romanis Pontificibus, errorem irrepsisse in notas Consulum, quibus horum primorum Pontificum anni consignantur, iam superius est obseruatum.

a *Mart. Rom. 25. Iul. & 18. Iunii.*

f *Suet. in Tit. cap. 9.* TITI MANSVETVDO.
g *Dio in Tit.*

Quod vero eodem libro, cum in Lino, tum in singulis subsequentibus Romanis Pontificibus, recenſentur ab illis factæ Ordinationes, non solum diaconorum & presbyterorum qui Romanæ Ecclesiæ vsui essent, sed etiam Episcoporum qui in diuersas Orbis prouincias mitterentur; ex his satis perspicuum redditur, fuisse muneris Romanorum Pontificum, non solum Vrbis, sed & Orbis totius Ecclesiæ consulere. Quod semel de eiusmodi Ordinationibus annotasse sufficiat. Traditur quoque eodem libro, Linum ex præcepto sancti Petri constituisse, vt mulier velato capite in ecclesiam introiret. Sepultum vero fuisse iuxta corpus eiusdem S. Petri in Vaticano. Fertur *b* insuper scripta ab eo historia de altercatione Petri cum Simone Mago, sed non extat. Acta vero Passionis Petri & Pauli, quæ itidem eius nomine conscripta habentur, multis esse referta erroribus superius est dictum: Subrogatus est autem ei CLETVS Romanus, patre Æmiliano, ex Vico Patricii: de cuius sede dictum est post martyrium Petri.

III. DE ORDINATIONIBVS ROM PONT. *Baron. Tom. II. an. 154.*

b *Trith. de Vir illustr. & Sixt. Sen.*

CLETVS PAPA.

IESV CHRISTI AN. 81.

CLETI AN. 1.

VESPASIANI IMP. AN. 10.

I. ANno Christi octogesimo primo, Vespasianus nonum & Titus septimum Consulatum adierunt, tametsi re vera hic sextus habeatur Titi ordinarius: nam licet ex Suetonio *c* constet eum vna cum patre septem Consulatus gessisse, vnus tamen ex his eiusdem auctoris *d* sententia suffectus habetur.

c *Suet. in Tit. cap. 6.*
d *Vid. sup. an. 79.*

II. VESPAS MORITVR. Hoc igitur anno idem *Vespasianus* Augustus annum agens ætatis sexagesimum nonum, & diem trigesimum septimum, octauo Calendas Iulii ex hac vita profluuio ventris sublatus est in villa propria circa Sabinos, cum imperasset annis decem, minus sex diebus, ducendo annorum numerum ab ea die qua in Ægypto primum acclamatus est Imperator. Cur autem alii alium eiusdem Imperii ponant annorum numerum, inde euenisse videtur, quod aliqui numerent à tempore necis Vitellii, alii ex quo per Senatusconsultum est illi decretum Imperium. Cæterum eo defuncto, TITVS eius filius statim capessiuit Imperium, qui mirifice ab omnibus auctoribus laudatur humanitatis, beneficentiæ atque etiam continentiæ ex quo tēpore Principatum solus obtinuit, de quo & plura dicta sunt superius. Haud vero tacendum quod de illo scribit Suetonius, *e* adeo fuisse animo in omnes beneficentissimo, vt non permitteret quempiam à se minus voti compotem factum tristem abire: cumque aliquando recordatus super cœnam esset quod nihil cuiquam toto illo die præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidisse, *Amici, diem perdidi*: quam sententiam in homine Ethnico vehementer admiratus est S. Hieronymus. *f*

TITVS IMPERAT.
e *Suet. in Tit. cap. 8.*
f *Hier. in ep. ad Gal. c. 6.*

Hoc eodem anno facta est admiranda illa ex monte Vesuuio in Campania flammarum eruptio, quæ à Suetonio *g* summatim scribitur, sed à Dione *h* fusius describitur, eamdemque accidisse ait sub tempus Autumni, expressius Plinius *i* Iunior cœptam Calend. Nouemb. hora septima. Ait igitur Dio, primo magnū numerū hominum inusitata magnitudine in eodem mōte regioneq; finitima, interdiu noctuq; vagari in aere visos esse: post hæc consecutā maximā siccitatē, & graues terræmotus: auditos etiam sonitus subterraneos, tamquam tonitrua: deinde mare fremere cœpisse, omneque cælum resonare, ingentemque & repentinum fragorem, quasi montes simul concíderent exauditū. Tum vero exiliisse primum immensos lapides, deinde magnam copiam ignis fumique, ità vt omnem aetem obscuraret,

III. MONSTROSA ERVPTIO FLAMMARVM EX VESVVIO.
g *Suet. in Tit. cap. 8.*
h *Dio in Tito.*
i *Plin. ep. ad Tacit.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

occultaretque Solem : vnde plerisque persuasum esset, mundum in chaos redigi, aut igne consumi. Tantam enim fuisse copiam cineris, vt terram, mareque, atque ipsum aerē compleret, maximo illato hominibus, prædiis, atque pecoribus damno, omnibusque piscibus ac volucribus peremptis, & duabus vrbibus, Herculano & Pompeiis, populo sedente in theatro, penitus obrutis. Postremo tantum fuisse cinerem, vt inde peruenerit in Africam, Syriam, & Ægyptū, introierit etiam Romam, eiusque aerem compleuerit, & Solem obscurauerit, ac demum grauem pestilentiam excitauerit. Hæc Dio. Quæ quidem, & alia id genus loca, quæ cōtinuis ignibus flagrant, nec tamen vnquam erogantur, à Deo viua exempla data esse hominibus ignis æterni, quo peccantes in exesis corporibus in inferis puniantur, Tertullianus, *a* Minutius, *b* & Lacianus *c* declarant. Quamobrem eiusmodi terræ fauces igneas, veluti quasdam inferni portas per quas delinquentium animæ inferrentur, apposite in visu sæpe monstratas esse sanctis viris, videbitur inferius suis temporibus. Cæterum Plinium Seniorem, dum causam incendii in Vesuuio mōte curiosius scrutaretur, in ipso periisse, narrat eius sororis filius Plinius Iunior epistola ad Tacitum historias scripturum, & ex illo alii. *d*

IMAGO ÆTERNI SVPPLICII.

a Tert. Apol. c.48.
b Minut. in Octa.
c Lact. de pœn. & confes.
d Euseb. in Chr.

IESV CHRISTI AN. 82.83.

CLETI AN. 2.3.

TITI IMP. AN. 1.2.

I. INCENDIVM VRBIS.

ANno Christi octogesimo secundo, Titus Augustus octauum & Domitianus septimum iniere Consulatum, numerando vtriusque suffectos cum ordinariis, secūdum ea quæ dicta sunt superius. Quo anno, Roma eruptione Vesuuii iam satis afflictata, rursumque incendio cælitus immisso, tribus diebus totidemque noctibus magna ex parte conflagrauit, vt scribunt Suetonius *e* & Dio: *f* eoque incendio consumptum est templum Iouis Capitolini, Pantheon, aliaque plura delubra, ac loca publica, & innumera priuata. Quæ quidem omnia ad profectum Euangelii prouenisse, par est existimare, cum Gentiles his perterriti malis, & Sibyllinis *g* etiam oraculis de mundi per ignem futuro interitu moniti, eumdem iam imminere existimantes, multi haud dubium ad Christianos eadem prædicantes concurrerunt: & maxime quod Hierosolyma iam excisa, impletisque de iisdem quæ Dominus prædixisset, reliqua etiam quæ de futuro vltimo suo ipsius aduentu signa adiunxerat, iam manifestari idem Christiani vehementius inculcarent. Sic enim & alias Constantinopoli *h* accidit, vt cum immineret desuper ignea nubes, multa millia hominum ad Ecclesiam vt baptismo initiarentur confugerint. Sane naturali quodam instinctu docti homines, vt cum aliqua necessitate premuntur, parentes primis illis impulsionibus animi, ad Deum confugiant, docuit inter alios egregie Lactantius. *i*

e Suet. in Tit. cap. 8.
f Dio in Tito.
g Ap. Lact. de ira Dei, c.23.
h Chrys. hom. 46. in Act.
i Lact. lib.2. c.1.

II. *k* DIO *in Tito* TITVS MORITVR.

Anno porro sequenti, Christi octogesimo tertio (quo creati sunt Coss. Flauius & Pollio, vt habet Dio, *k* licet loco Flauii posuerint quidam recentiores Sextum Annium Siluanum:) Idibus Septembris, *Titus* Imperator, *Amor & delicia generis humani* dictus, summo omnium dolore, veneno per Domitianum fratrem (vt fama fuit) mortem oppetiit in ea villa qua pater eius, annos natus quadraginta vnum, cum imperasset post patrem biennio, mensibus duobus & diebus viginti. Hæc ex Suetonio, atque Dione.

k Dio in Tito

Successit in locum eius idem DOMITIANVS ipsius germanus, homo natura sæuus, ingenio vafer, quem nec multis officiis Titus clementissimus valuit demereri. Verum ipso principatus initio ab omni cæde abstinuisse, idem Suetonius *m* tradit. Laudatasque sanciuit leges, & illam *n* imprimis, ne quis intra fines Imperii Romani cōtraretur, quippe qui sciret huiusmodi homines solere esse in deliciis dominorum: & hoc (vt ait Dio *o*) quo se sanctiorem Tito esse demonstraret. Legem quoque Iuliam de adulteriis restituit, & grauissimis pœnis exagitauit nobiles potissimum feminas, quæ pudicitiæ violatæ conuincerentur: probrosis *a* autem lecticæ vsum ademit, iusque capiendi legata & hæreditates: ac denique Vestales de stupro damnatas, viuas infodi iussit. Haud tamen ipse adeo purus, quin nepti Iuliæ stuprum intulerit, ac velut pro coniuge habuerit, libidinosusque non in mulieres tantum, sed & in puerōs fuerit.

a Suet. in Dom. c.8.

l Suet. in Tit. cap.11.

III. DOMITIANVS IMPERAT.

m Suet. in Dom. c.9.
n Id. cap.7. Ammian. & alii.

VINDEX PVDICITIÆ.

o Dio in Dom

IESV CHRISTI AN. 84.85.

CLETI AN. 4.5.

DOMITIANI IMP. AN. 1.2.

I.

ANno Christi octogesimo quarto, Domitianus octauum init Consulatum vna cum Flauio Sabino: quo nihil gestum reperitur, quod dignum sit Annalibus nostris inseri.

II.

Anno vero octogesimo quinto, eodem Domitiano nouum & Virginio Rufo Coss. idem Imperator quam hactenus simulauerat clementiam exuens, immani feritate in ciues sæuire cœpit, quorum diuersis præextibus alios relegauit, alios vltimo affecit supplicio. Sed hæc pluribus, qui res ab eo gestas scripserunt, Suetonius, Philostratus, Diones Cassius & Chrysostomus, alii. Quibus etiam auctoribus, & adsti pulatore Eusebio, *b* constat eumdem postea philosophos aggressum, iterato edicto ab Vrbe & Italia expulisse, & plures alios occidisse quod philosophiæ darent operam. Tuncque Musonium, Epictetum, ipsumque Dionem Chrysostomum, Vrbe exactos, auctor est Lucianus: *c* meminerunt que & alii de cæteris eodem tempore electis, quos quidem scribit Philostratus, *d* habitu mutato partim in Hispaniam, partim in Libyæ Scythiæque deserta confugisse. Quidam autem viuendi ratione mutata, sese illi scelerum consiliarios adiunxerunt, & inter eos Euphrates, quem idem Philostratus *e* ait ex philosopho assentatorem esse factum & delatorem.

INSECTATVR PHILOSOPHOS.

b Euseb. in Chr. an. 9. & 15. Dom.
c Luc. in Pereg.
d Philost. lib.8
e Id. lib.8.

IESV CHRISTI AN. 86.87.

CLETI AN. 6.7.

DOMITIANI IMP. AN. 3.4.

I. VVLT VIDERI PIVS

ANno Christi octogesimo sexto, Domitiano decimum & Iunio Sabino Coss. idem Imperator templa sub Tito Romæ exusta, & inter alia Iouis Capitolini, iterum concrematum intra annos duodecim, summa impensa restituenda curauit. *f* Addiditque noua, ac præcipue Flauiæ gentis, quando & *Flauios* instituit Sacerdotes. Eodemque hoc anno tertio Imperii, tres Virgines Vestales ob stuprum damnatas, more *g* maiorum vitas infodi iussit. Quænam vero istæ fuerint, & quæ causa præcesserit eiusmodi iudicium propemodum antiquari restituendi, Plutarchus *h* narrat, dum detestatur immane facinus Romæ perpetratum, cum ex Sibyllinis (vt ferebatur) oraculis, & ad auertenda mala publica quæ ob eiusmodi Virginum incestum ventura prædicerentur, duos viros, totidemque feminas, innoxios, alteros Græcos, alteros Gallos, in Foro Boario viuos defodissent.

f Suet. Dio. & alii.
g De hoc more vid. Plut. in Numa. Liu. 1. decad. 8. Dion. Halic. l. 8. hist. Rom. & alios.
h Plut. prob. Rom. q. 83.

II. CHRISTIANI OMNIVM MALORVM ACCVSATI.

Quod si recenti exemplo Neronis, Christiano sanguine incendii piaculum expiantis, vel testimonio antiquorum, qui Apologias pro Christianis scripserunt, affirmantium Romanos omnia prodigia atque Imperii mala in Christianos reiicere consuesse, quorum causa ab iratis diis ea immitti dicerent, eoque prætextu ipsos Christianos ad pœnam quærerent, sit res æstimanda: equidem puto asseri posse, quatuor illos innoxios infossos viuos numinis placandi causa, Christianos fuisse. Siquidem inter alios scribit Tertullianus, *i* Gentiles Christianum hominem, omnium scelerum reum, deorum, Imperatorum, legum, morum, naturæ totius inimicum existimasse, ob idque eosdem habitos *k* esse publicos hostes, quos (vt addit) *l* existimarent omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi esse causam, adeo vt si Tiberis ascenderet, si Nilus non ascenderet in arua, si cælum staret, si terra moueretur, si fames, si lues, statim Christiani peterentur, damnarentur

i Tert. Apol. cap.2.
k Ibid. c.35.
l Ibid. c.40.

III.

a *Eus. in Chr & 3. hist. 12.*

renturque ad leonem, & alia supplicia:

Anno porro Christi octogesimo septimo, Domitiano vndecimum & Aurelio Fulvio Coss. eiusdem Imp. anno quarto, defuncto *S. Aniano* Episcopo Alexandrino, postquam sedisset annos viginti duos, in eius locum (vt Eusebius *a* est auctor) subrogatus est *Abilius*.

IESV CHRISTI ANN. 88.89.90.91.

CLETI AN. 8.9.10.11.

DOMIT. IMP. AN. 5.6.7.8.

I

b *Cens. de die nat. c. 18. recen edit.*

ANNI AGONALES.

c *Ibid. c. 21.*

ANno Christi octogesimo octauo, Domitiano Augusto duodecimum & Cornelio Dolabella Coss. idem Imperator (vt auctor est Censorinus *b*) per AGONES CAPITOLINOS annos esse imposterum numerandos instituit: sicque ab hoc anno primus Agonalis cœptus est numerari. Porro instar Olympiadum Agonem vnumquemque quatuor annos continuisse, idem auctor docet ex eo quod in libro *c* de Die natali numerat triginta octo Agonas expletos & trigesimum nonum numerari cœptum, ab hoc anno vsque ad Consulatum Vlpii Criniti & Proculi Pontiani, quo ipse eum librum scribebat, quemque ponit accidisse anno à prima Olympiade millesimo decimoquarto, ab Vrbe Condita nongentesimo nonagesimo primo, nempe secundum Chronologiam nostram, anno Christi ducentesimo quadragesimo. Quod vero apud Clementem *d* Alexandrinum numerantur à primo Agonali vsque ad mortem Commodi, anni centum & vndecim, quatuor annorum error inesse videtur, cum centum & septem dumtaxat interlapsi noscantur. Cæterum cum anni Olympiadum inciperent numerari à fine mensis Iunii, Domitianus Agonales inchoari voluit post sex menses, nempe ab initio Ianuarii: qua ratione hic ipse, qui numeratur ducentesimæ decimæ sextæ Olympiadis annus primus, cœptus tamen anno superiori, Agonalis est primus: prout apparet ex iis quæ de numero Olympiadum idem auctor scribit. Instituit pariter (vt ait Suetonius *e*) *Quinquennale certamen* Capitolino Iouitriplex, Musicum, Equestre, & Gymnicum, quod videlicet exacto quolibet Agonali, anno quinto, qui sequentis Agonalis primus esset, celebraretur.

d *Clem. Alex. lib. 1. Strom.*

e *Sue. in Dom cap. 4.*

II.

DOMIT. DEVSET DOMINVS VOLVIT APPELLARI.

f *Id. ibid. c. 13.*

g *Mart. lib. 8. epigr.*

h *Stat. Silu. lib. 4.*

FILIVM VIRGINIS SE ASSERIT.

i *Phil. in Apol lib. 7.*

k *Ios. de vita sua in fi.*

Anno vero sequenti, qui fuit Christi octogesimus nonus, consignaturque in Fastis Domitiani Augusti Consulatu decimotertio & Volusii Saturnini, Eusebius notat in Chronico, eumdem Domitianum eo vesanię peruenisse, vt se DEVM & DOMINVM iusserit appellari. Est que institutum post hæc (inquit Suetonius *f*) vt ne scripto quidem ac sermone vsquam appellaretur aliter. Quo etiam nomine sæpius reperitur nominatus ab assentatoribus poetis illius temporis, Martiale *g* & Statio. *h* Sed immensa plane insania, dum deæ virginis filius dici voluit, nempe Palladis, & siquis facere detrectasset, tamquam magni criminis reus detrudebatur in carcerem, prout apparet ex Philostrato *i* in vita Apollonii. Sed cur filius virginis? Numquid à Iosepho Iudæo, eius lateri inhærente, & quem (vt ipsemet *k* testatur) idem Domitianus summis cumulauit honoribus & beneficiis, suggestũ est ex oraculis Prophetarum, ita fore qui in perpetuum regnaturus esset Rex, quod idem ipse antea suggesserat Vespasiano? Sane Domitianum eamdem spem concepisse, quam Vespasianum habuisse vidimus, inde potest coniectura sumi, quod sicut ille, ita & ipse inquiri fecit *l* siqui reliqui essent ex familia Dauid. Hæc porro omnia opportune de nouo Deo contigerunt, quo Christianis ad confutandam superstitionem Gentium de diis reliquis, huius exemplo quinam illi fuissent patens suppeteret argumentum.

l *Eus. 3. hi. 15.*

III.

m *Eus. in Chr*

His autem peractis, idem Imperator anno sequenti, se decimum quartum & Minutio Rufo Coss. expeditionẽ *m* habuit aduersus Dacos: cuius res gestas conscripsit Dio, ostendens in superbissimo Principe magnam cum animi torpore coniunctam ignauiam.

IV.

n *Eus. ibid.*

Annoque proximo, Aurelio Fuluio & Sempronio Aruncino Coss. ex eadem expeditione reuersus, in ciues gladium conuertit, complures *n* occidens, ac plerosque in exilium mittens, & inter eos *Cocceium Neruam a* qui ei postea in Imperium successit. Quem cum audisset vti consuetudine Apollonii Tyanæi magi, timens Imperio, ipsum Tyanæum Romam accersiuit, reum factum quod vaticinandi causa de Neruæ futuro Imperio, puerum occidisset, quodque incantator esset, & Deus haberi vellet, aliaque id genus, sed maxime quod eos coleret homines, quos ipse Imperator odisset. Qui quidem perductus ad Domitianum, coma ac barba (quod philosophantium erat insigne) contemptus causa coram ipso radi, ac inter sceleratos vinciri iussus est. Post hæc vero defensione habita, cum eumdem inuitum Domitianus retinere vellet, inuisibilis ille per magiam suam factus euanuit, & Puteolis vbi socii expectabãt improuisus apparuit: Ephesumque reuersus, ibi mansit vsque ad Domitiani interitum. Hæc pluribus Philostratus: Cæterum Neruam mox Domitianus Romam reuocatum, Consulem in sequentem annum designauit.

a *Phil. lib. 7. & 8.* APOLLONIVS REVS FACTVS EVANESCIT.

IESV CHRISTI AN. 92.

CLETI AN. 11.

DOMIT. IMP. AN. 9.

I.

IOANNES APOST. ROMAM MITTITVR.

ANno Christi nonagesimo secundo, Domitiano Augusto decimumquintum & Nerua Cocceio secundũ Coss. IOANNES Euangelista, qui Asianas Ecclesias Ephesi degens curabat, Romam ad Domitianum reus impietatis à Proconsule Asiæ vinctus mittitur. Id enim hoc potissimũ anno contigisse existimamus, nempe ipso exordio Persecutionis per Domitianum excitatæ, cum nondum; vsque ad gladium progressa esset. Porro feruntur quædam epistolæ eorumdem Domitiani & Proconsulis, vltro citroq; datæ de Ioanne Romam mittendo, eiusque gestis coram Domitiano, nomine Prochori scriptæ: Sed quoniam in multis mendacissimus hic auctor fuisse conuincitur, siqua vera in eis insunt, sicut esse credimus, eadem haud tuto possumus affirmare.

II.

ELVS CERTAMEN EXERCITVM.

b *Tert. de præscr. cap. 36.*

c *Eus. 3. dem. Euang. 7.*

d *Hier. in Ioan lib. 1. & in Matth. 20.*

e *Apoc. 1.*

Illud certe verissimum esse cognoscitur, quod scribit Ioannem Romæ immissum esse in feruentis olei dolium, siue potius solium, nihilque passum relegatum esse in insulam Patmos, quæ vna est ex Sporadibus. Nam eiusdem veritatis grauissimi sunt adstipulatores Tertullianus, *b* Eusebius, *c* Hieronymus: *d* extatque hactenus Romæ apud Portam Latinam, eius rei vetus ac nobile monumentum: immo & ipsa dies qua id fieri contigit, pridie Nonas Maii perpetua annua celebritate ab Ecclesia Catholica recolitur. De relegatione vero Ioannis in Patmon, ipsemet locupletissimus est testis in sua, quam ibi scripsit, Apocalypsi. *e* Cæterum hæc sub Domitiano esse facta, tam Latini quam Græci Ecclesiastici scriptores affirmant, excepto Epiphanio, *f* apud quem (nescimus quomodo) sub Claudio iam Patmo reuersus dicitur. Sicut etiam errasse reperitur Aretas Cæsariensis, dum suis in Apocalypsim commentariis, Ioannis exilium sub Nerone accidisse scribit. Porro Victorinus atque Primasius, in commentariis quos itidem ediderunt in Apocalypsim, tradunt Ioannem illuc à Domitiano esse relegatum ad effodienda metalla. Cum autem ille ageret, ad pietatem instituisse omnes eiusdem insulæ accolas, ex antiquioribus monumentis Metaphrastes affirmat.

f *Epi. hær 51.*

IESV CHRISTI AN. 93.

CLEMENTIS AN. 1.

DOMIT. IMP. AN. 10.

I

CLETVS PAPA MORITVR.

ANno Christi nonagesimo tertio, Vlpio Traiano & Acilio Glabrione Coss. vigesima sexta mensis Aprilis, *Cletus* Romanus Pontifex martyrio coronatur, cum sedisset annos duodecim, menses septem & dies duos, numerando à sequenti die ab obitu Lini. De quo traditur in Libro de Romanis Pontificibus, ipsum ex præcepto S. Petri ordinasse viginti quinque presbyteros in Vrbe Roma: Sepultum vero esse iuxta corpus eiusdẽ Apostoli in Vaticano;

ac ces-

CLEMENS SVCCEDIT.

ac cessasse Episcopatum eius dies viginti. Post quos, suffectus est CLEMENS Romanus è Regione Cælii montis, patre Faustino natus, antiquus Petri & Pauli Apostolorum discipulus. Hunc enim illum esse, cuius Paulus meminit ad Philippenses, *a* omnes existimant: quem eumdem S. Eucherius *b* vetusta prosapia Senatorum, & stirpe Cæsarē fuisse tradit, forte illum cum eo Clemente Consulari confundens, quem Domitianus iussit occisum videbimus. Quæ vero de huius successione dubia controuertuntur, ea superius dissoluta sunt in Lintingressu. Sed n. & corrigendus est Eusebius, *c* cum ponit Clementis institutionem anno duodecimo Domitiani, nec ab alio quam à se ipso: quippe cum dicat Clementem sedisse annos nouem, obiisse autem *d* anno tertio Imperii Traiani, (quod & alii omnes affirmant) necesse est vt hoc anno Domitiani decimo eius ponatur ingressus.

a *Phil.4.*
b *Euch. ep. ad Valer.*

Eus.3.hi.12.

c *Id.3.hist.28.*

II. DE PERSECVTIONE DOMITIANI.

His igitur exordiis Ioannis exilio, & Cleti nece, SECVNDA in Christianos à Domitiano est PERSECVTIO excitata. De qua agens Eusebius, *e* iure eumdem Domitianum *Heredem* nominet *Neronianæ sæuitiæ*. Nam & ab ipsis Ethnicis *Nero* est appellatus: immo & ipso Nerone sæuiorem fuisse, Tacitus *f* demonstrat, dum ait Neronem subtraxisse oculos crudelitati, & iussisse scelera, non spectasse: præcipuam vero sub Domitiano miserarum partem extitisse, videre & aspici, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sæuus ille vultus. Denique nihil eum sibi ad extremam crudelitatem reliqui fecisse, Herodianus *g* ait. Quæ etiam de causa eumdem Tertullianus *h* *Portionem Neronis* appellauit: sed plane errore lapsus, dum vult eum quasi facti pœnitentem, quos in exilium Christianos expulisset, reuocasse, quod non ab eo, sed ab eius successore Nerua esse factum, cæteri omnes affirmant. Et quod Hegesippus *i* asserit, Domitianum, postquam inquisitione facta de iis qui ex stirpe Dauidis essent vt eos neci traderet, (vehementi enim metu perculsus erat de aduentu Christi) eosdemque inuentos tamquam abiectos & simplices aspernatus, liberos dimisisset, destitisse à persecutione quam instituerat contra Ecclesiam: vel oportuit Hegesippum intellexisse de persecutione in eam tantum Ecclesiam quæ in Iudæa erat, atque ex ea causa tantummodo permota esset: vel si de vniuersa Ecclesia (sicut Tertullianus) intellexit, dicendum est eamdem persecutionem à Domitiano hoc anno cœptam, aliquando posteris temporibus intermissam esse, sed acerbiori iterum sæuitia sub finem eius Imperii recruduisse.

d *Id.3.hist.28.*

g *Herod.lib.1.*
h *Tert. Apol. c.5. & ap. Eus. 3. hist.15.*
i *Hegesi. ap. Eus. d.c.15.*

INQVIRIT HOMINES STIRPIS DAVIDICÆ. *Quod vberius refellat Baron an.97.*

III. IGNATIVS PERSECVTIONE AGITATVS.

At quoniam (vt dictum est) his ipsis persecutionis exordiis, qui præ cæteris in Ecclesia esse videbantur illustres, primi ad supplicium quærerentur, apparet & S. Ignatium Antiochenum Episcopum, hoc eodem anno eadem esse clade vexatum. Scribens enim ipse ad Mariam Cassobolitem, spectatissimam sanctitate feminam, de Clementis nuperta creatione, simul etiam mentionem habet de suis, quæ eodem tempore cum ea scriberet, patererentur, exiliis, custodiis, & vinculis. Iisdemque prope temporibus, Pergami in Asia *Antipas* illustris martyr passus est, de quo imprimis Ioannes Apostolus meminit in Apocalypsi, *k* quam post tres annos scripsit. Eum autem in bouem æneum candentem coniectum, martyrium consummasse, testantur ipsius Acta *l* antiquitus scripta, necnon Martyrologium Romanum, & Menologium Græcorum.

k *Apoc. 2.*

l *Ap. Sur. 11. April.*

IESV CHRISTI ANN. 94.

CLEMENTIS AN. 2.

DOMIT. IMP. AN. 11.

ANno Christi nonagesimo quarto, Domitiano Augusto decimum sextum & Volusio Saturnino Coss. Acilius Glabrio qui superiori anno gessit Consulatum, vna cū nonnullis aliis (vt ait Dio *m*) criminis ἀθεότητος accusatus, quod ad Iudæorum mores transisset; (sic enim, quod ex Iudæis descenderent, Christianos Ethnici appellabant) iussus est interfici: cum iam antea, adhuc agens Consulem, vocatus in Albanum ad Iuuenalia, & quod in sententia persisteret, in theatrum immissus vt cum immani leone pugnaret, non solum ab illo non est læsus, sed eum egregie ipse confecisset. Hæc ex Dione. Dolemus autem vehementer, tam illustrium Martyrū Acta penitus excidisse: nec (sicut & de aliis multis accidit) vllā prorsus reliquam esse memoriam, nisi quæ in Gentilium historicorum commentariis subobscure est indicata, deperditis inuidia Diocletiani plerisque scriptorum Christianorum monumentis. Quomodo vero hæc eadem persecutio Domitiani, ad domesticos vsque atque propinquos grassata sit, videbitur inferius.

m *Dio in Dom* ACILII GLABRIONIS EXCOSS. PRO FIDE CERTAMEN.

II. a *Sue. in Dom c.12.* IVDÆI A DOMIT. VEXATI. b *Iuuen. Sat.3*

Est quoque auctor Suetonius, *a* Iudæos Romæ agentes à Domitiano vexatos esse nouis & acerbissimis exactionibus: eosdemque pro singulis quoque arboribus ruris quod conduxissent, tributum pendere coactos, Iuuenalis *b* tradit: qui etiam vt ostendat miserrimam illorum conditionem, ac sordidissimam mendicitatem, ait eorum supellectilem fuisse tunc temporis, *Cophinum & Fœnum*: nempe cophinum ad mendicandum, fœnum ad recumbendum. Ita enim hæc verba accipimus, nisi malimus per *Cophinum* intelligere cistam illam, qua Iudæus institor mercis sulphuratæ, (vt eum nominat Martialis *c*) ad vendendam illam, vel (vt alibi *d* ait) permutandam fractis vitreis, gestare soleret, (vt alibi *d* ait) permutandam fractis vitreis, gestare soleret, prout confirmant etiam Statius *e* & Iuuenalis, *f* atque etiamnum eosdem æque miserrimos facere cernimus. Quā quam non sumus nescii, alios Cophinum interpretari vt Iudæi munus illud, cui in Ægypto à Pharaone fuerant adscripti, postea vbicunque agerent numquam amplius descripti, seruierint, nimirum quod de eis testatum est in Psalmo, *g* *Manus eius in cophino seruierunt*, vbi Augustinus, *Per cophinum*, inquit, significantur opera seruilia, *mundare stercora, terram portare, &c.*

c *Mart. lib.12. epig. ad Spars.*
d *Id. lib. 1. epig in Cæcil.*
e *Stat. lib.1. Silu. de Sat.*
f *Iuuen. Sat.3*
g *Psal.80.*

Hoc ipso anno vndecimo Domitiani (vt testatur Eusebius *h*) Cornelia Virgo Vestalium Maxima, absens & inaudita ab eodem Imperatore incesti damnata, viua sub terram more maiorum defossa est: quam rem gestam, immanitate Domitiani plane dignam, Iunior Plinius *i* ad Minutianum egregie descripsit, aciure damnauit.

III. h *Eus. in Chr.* MAXIMA VESTALIVM VIVA DEFOSSA. i *Plin. Iun. 4. ep.11.*

IESV CHRISTI AN. 95.

CLEMENTIS AN. 3.

DOMIT. IMP. AN. 12.

ANno Christi nonagesimo quinto, Coss. creati sunt Sextius Pompeius Collega & Cornelius Priscus. Quo tempore laborante diro schismate Corinthiorum Ecclesia, Clemens Papa, ad quem spectabat vniuerso Christi gregi prospicere, scripta ad eos ex persona Ecclesiæ Romanæ epistola, ad mutuam concordiam ineundam conseruandamque adducere conatus est. Celebris & præclara admodum ea fuisse prædicatur, quam auctoritate etiam antiquorum Patrum mirifice laudans Eusebius, *k* ait ad sua vsque tempora publice à plurimis Ecclesiis (perinde ac ipsæ Apostolicæ Epistolæ) legi solitam. Cuius & compendium Irenæus *l* summatim perstrictum recitasse videtur, dum eam de illa quæ in Deum esset fide, & Ecclesiæ traditionibus tractasse scribit. Recitantque ex eadem varia fragmenta (cum iniuria temporum ea penitus excidisse videarur) Clemens *m* Alexandrinus, Hieronymus, *n* & siqui alii.

I. CLEMENTIS PP. AD CORINTHIOS EPISTOLA.

k *Eus. 3. hist. 12. & li.4.c.22.*
l *Iren. li.3. c.3.*
m *Clem. Alex lib.4.6.7. Strō*
n *Hier. in Isa. 52.*

Quod vero testatur Hieronymus, *o* Clementem in suis Epistolis omnem pene sermonem de Virginitatis puritate contexuisse, demonstrat plures etiam à Clemente esse scriptas Epistolas. Quemadmodum & Epiphanius *p* meminit de pluribus eiusdem Encyclicis, (sic enim appellat, quod omnibus Ecclesiis communes essent, & per manus traditæ singulis, vniuersum Christianum Orbem circumirent) quæ legi solerent in ecclesiis. Dumque ait, sicut & Hieronymus, eisdem litteris eum prædicasse virginitatem, plane constat diuersas ab iis esse illas quæ hodie habentur titulo Clemētis inscriptæ, in quibus nulla est de virginitate instituta tractatio. Posteriorem autem aliam, quæ Clementis etiam nomine ad eosdem Corinthios vulgata ferebatur, nequaquam perinde ac priorem approbatam, scribunt Eusebius *q* & Hieronymus: *r* quam, quod nonnulla haberet noua &

II. o *Id. adu. Iou. lib.1.* p *Epip. hær.30* PLVRES EIVS EPISTOLÆ.

q *Eus.3.hi.32.* r *Hie. de Scrip Eccl. in Clem.*

inusi-

inusitata, atque incongruas Scripturarum interpretationes, merito explosam ab omnibus monstrat Photius in sua Bibliotheca. Citat vero idem Hieronymus *a* ex quadam Clementis epistola, locum de *Mundis trans Oceanum positis*, quem Origenes* interpretatur. De reliquis autem Clementis nomine vulgatis scriptis dicetur in eius obitu.

a *Id. in Eph. 2.*

* *Orig. Periar. lib. 2.*

IESV CHRISTI AN. 96.

CLEMENTIS AN. 4.

DOMITIANI IMP. AN. 13.

I.

ANno Christi nonagesimo sexto, L. Nonio Asprenate & M. Atricino Clemente Coss. anno Imperii Domitiani decimotertio, Iosephus *b* Iudæus commentarium *De Antiquitatibus Iudaicis*, viginti libris distinctum, Romæ absoluit, annum ipse agens ætatis quinquagesimum sextum. An vero scripserit, quæ se compendio tractaturum promisit, Bella quæ Iudæis vsque ad illud tempus obuenissent, (quæ iam sub Vespasiano fusiori oratione conscripsisse vidimus) ignoratur: commentarius enim ille non extat sicut nec quatuor libri quos de Iudæorum opinionibus, quas haberent de Deo & legibus, se instituisse scribere professus est.

b *Ios. 20. ant. vlt. & in vita sua.*

IOSEPHI HISTORICI EVCVRRATIONES.

IESV CHRISTI AN. 97.

CLEMENTIS AN. 5.

DOMITIANI IMP. AN. 14.

II.

ANno Christi nonagesimo septimo, Domitianus Augustus decimumseptimum vna cum Tito Flauio Clemente iniit Consulatum. De quo Suetonius *c* ait, neminem totante eum Consulatus cepisse: omnes autem pene titulo tenus gessisse, nec quemquam vltra Calendas Maii, plures ad Idus vsque Ianuarias. Ausonius *d* vero ait, toto eius Consulatus, quos inuidia alteros prouehendi ipse continuando conseruisset, ita in eius auiditate derisos esse, vt hoc eum pagina Fastorum suorum fecerit insolentem, neque potuerit præstare felicem.

c *Sue. in Dom. cap. 13.*

d *Auf. in grat. act. de suo Cons. ad Grat. Imp.*

IOAN. SCRIBIT APOCALYPSIM.

Quo ipso anno IOANNES Euangelista quam vidit scripsit APOCALYPSIM, in ea vbi exul agebat insula Patmo. Prope finem enim Imperii Domitiani commentarium illum ab eo scriptum esse, auctor est Irenæus, *e* & expressius Hieronymus *f* id accidisse ait decimoquarto Domitiani anno, qui est hic præsens. Cæterum eamdem Apocalypsim (sicut alios complures diuinæ Scripturæ canonicos libros) cum Cerdon, *g* Marcion, *h* & Alogi, *i* atque Theodotiani hæretici impugnarunt, tum etiam multi rerum Ecclesiasticarum, antiqui Scriptores, in controuersiam adduxerunt, an ab ipso Ioanne Apostolo, an potius ab alio quopiam Ioanne presbytero scripta fuerit. Verum temeritatem & procaciam prædictorum hæreticorum eam omnino improbantium, & aliorum qui eamdem Cerintho nimis inconsulte tribuerunt, *k* cum alii plures, tum vberius refellit Epiphanius. *l*

e *Iren. lib. 5. ad fi.*

f *Hier. de Script. ad Eccl. in Ioann.*

g *Tert. de præs. c. 51.*

h *Id. 4. cont. Marc. 5.*

i *Epi. hær. 51.*

k *Vid. Euf. 7. hi. 20 & Phil. de hær. c. 13.*

l *Epip. hær. 31.*

Hieronymus *m* autem de eadem agens, duo affirmare videtur, imprimis veteres scriptores eam vt canonicam probasse, deinde temporibus suis Græcarum Ecclesiarum consuetudine minus habitam esse ratam. Equidem (quod ad primum attinet) verum esse probatur, tam Græcos quam Latinos Patres qui sæculum Hieronymi præcesserunt, eamdem inter canonicas Scripturas adnumerasse, vt ex Græcis Dionysium *n* Areopagitam, Irenæum, *o* Iustinum *p* & Hippolytum *q* martyres, Theophilum *r* Antiochenum, Melitonem Sardensem, Clementem *s* & Dionysium *t* Alexandrinos, Origenem, *u* Eusebium, *x* Athanasium, *y* & Patres omnes qui interfuerunt Concilio *z* Ancyrano ante Nicænum celebrato, ex Latinis vero Tertullianum, *a* Cyprianum, *b* Hilarium, *c* & siqui alii fuerunt Hieronymo antiquiores. Quod si ex horum numero aliquis existimauit eam esse alterius Ioannis quam Euangelistæ, nihilominus idem eam vt canonicam Scripturam habuit.

III.

m *Hier. ep. 129. ad Dard.*

n *Dion. Areop. Eccl. Hier. c. 3*

o *Ire. li. 3. ad fi.*

p *Iust. dial. cum Tryph.*

q *Hyp. de consum. mund.*

r *Ap. Euf. 4. hist. 23. 25.*

s *Clem. Alex. in Pædag.*

t *Ap. Euf. 4. hist. 26. & li 7 c. 10.*

u *Orig. hom. 7 in Ios. & in Psal 1.*

x *Euf. in Chr.*

y *Atha. in Syn.*

z *Con. Anc. c. vlt.*

a *Ter. de præs. c. 33. Scor. c. 12 & alibi.*

b *Cy. adu. Iud.*

c *Hil. præf. in Psal.*

Sed quod idem Hieronymus affirmat, suis temporibus Græcorum Ecclesias eam non recepisse, visus est habuisse respectu ad Basilium, Amphilochium, Gregorios Nazianzenum atque Nyssenum, & ad Concilium Laodicenum, à quibus ea præter missa est, etiam cum texuerunt catalogum librorum canonicorum. Sed aliud est non recensere, aliud pertinaciter impugnare, quod hæretici fecerunt, siquidem absque iactura fidei ea non vti liberum fuit, quatenus nullum præcessit Ecclesiæ decretum. Enim vero si cuiusq; arbitrio relicta res esset, antiquiorum præstaret sequi auctoritatem, quos eamdem suscepisse vt canonicam, & Hieronymus asserit, & eorumdem ipsorum testimoniis probatum est. Quin & eidem sententiæ adhæsisse videtur Græcorum Catholica Ecclesia: etenim post citatos auctores, Epiphanius *a* (qui licet Hieronymo ætate senior, tamen eodem cum illo viuebat sæculo) non tantum eidem veritati adstipulatur, sed non ab aliis quam hæreticis tradit eam impugnatam esse: & Ioannes Chrysostomus, qui eodem tempore multa scripsit, eamdem citasse reperitur, & qui postea secuti sunt, absque aliqua controuersia receperunt: sicut & Latini omnes, & imprimis qui Hieronymi vixit tempore, Damasus Papa in Romano Concilio quod habet Crescboniana Collectio, itemque Innocentius *b* & Gelasius *c* pariter Romani Pontifices, necnõ Seuerus, Prosper, Ruffinus, *d* Ambrosius, *e* Augustinus, *f* Cassiodorus, Isidorus, & omnes qui texuerunt seriem librorum canonicorum, adeoq; Concilia Carthaginiense *g* Tertium, & Toletanum *h* Quartũ: ac demum reliqui omnes Orthodoxi Patres qui postea in Ecclesia floruerunt, in eamdem sententiam pari consensu dedere suffragia, vt ea vere fuerit scriptio Ioannis Euangelistæ.

IV. DE IVS RECEPTIONE IN ECCLESIA.

a *Epiph. hær. 51. 54.*

b *Inn. ep. 3. ad Exup.*

c *Gelas. de r. de li. canon.*

d *Ruf. in exp. Symb.*

e *Ambr. in psal. 40.*

f *Aug. 2. de doct. Chr. 8. & tract 38. in Io.*

g *Con. Carth. 3 1 c. 47.*

h *Con. Tol. IV c. 16.*

Nec certe aliquem Græcorum inuenire est, qui Dionysium *i* Alexandrinum sit secutus, vt alterius Ioannis quam Euangelistæ illud esse opus affirmarit. Immo & cum iidem Græci titulum ei *Ioannis Theologi* præfixerint, plane non alterius Ioannis esse significarunt: Si quidem Euangelistam ea nomenclatura à maioribus nuncupatum esse, quamplurima sunt exempla, atque imprimis Dionysii Areopagitæ in epistola, *k* quam his ipsis temporibus ad eum scripsit, qua proxime futuram eius ab exilio liberationem prænuntiauit, ac fore breui vt mutuo congressu inuicem iungerentur, cuius epistolæ meminerunt Metaphrastes, *l* Suidas, *m* Nicephorus, *n* Hilduinus, *o* & alii cum Dionysii relegere cõmentarios. Nominant æque eumdem Ioannem, *Theologum*, Hippolytus, *p* Athanasius, *q* Cyrilli Hierosolymitanus *r* & Alexandrinus, *s* Epiphanius, *t* Chrysostomus, *u* & alii. Vt ex his videas, sic affixum ipsum titulum à Græcis, quo certius affirmarent, non alium quam Ioannem Euangelistam esse eius operis auctorem.

V.

i *Dion. Alex. ep. Euf. 7. hist. 20.*

k *Dion. Areop. ep. 10.*

l *Met. in Ioan. ap. Occum.*

m *Suid. verb. Dion. Areop.*

n *Nic. 2. hi. 10*

o *Hil in Area*

p *Hip. de conf. mund.*

q *Ath. in Syn.*

r *Cyr. Hier. catech. 12*

s *Cyr. Alex. lib. 3. de Trin.*

t *Epi. hær. 51.*

u *Chrys. præf. in psal. 37.*

Quod autem spectat ad calumniam, de eadem Apocalypsi à Cerintho hæresiarcha conscripta, inde ea emersisse videtur, quod (vt demonstratum est superius) hæretici, quo minus veritate agere posse confiderent, eo magis ad impostoras conuersi, inter alia complures falsas Reuelationes, quasi sibi diuinitus allatas excogitarint, easdemque interdum Apostolorum, vel aliorum insignium virorum titulo nobilitarint. Porro eiusmodi generis commenta excogitasse Cerinthum, quibus deliraret sibi per Angelos reuelatum esse, post resurrectionem carnis humanæ regnũ Christi terrestre futurum, & mille annis apud Hierusalem homines in cupiditatum & voluptatum blanditiis inseruituros, testimonio Caii antiqui Theologi, & Dionysii Alexandrini, Eusebius *x* affirmat, qui & alibi *y* eiusdem Dionysii sententia, hanc de Cerintho Apocalypsis Ioannis scriptore refellit opinionem.

VI.

x *Euf. 3 hi. 22.*

y *Id. 7 hi. 20.*

Quæ magis etiam ex collatione ipsius CERINTHI dogmatum cum Apocalypsis doctrina, refellitur. Etenim præter ea quæ de illius erroribus dicta sunt superius variis locis pro necessitate disputationũ, Irenæus *z* ait eum negasse à Deo factum esse mũdum, sed à virtute quadam separata ab ea principalitate distante: itemque IESVM natum vt cæteros homines, sed descendisse in eum *Christum* post baptismum in figura colũbæ, Christumq; tempore passionis recessisse à Iesu, sicq; Iesum tantum passum esse & surrexisse, Christum vero immortalẽ perseuerasse. Asserit hæc eadem

VII. CERINTHI HAERESIS.

z *Iren. lib. 1. cap. 25.*

de Ce-

de Cerintho Tertullianus, *a* additque illum dixisse, Deum Hebræorum non Dominum, sed Angelum fuisse. Propugnatorem insuper Cerinthum se exhibuisse aduersus Apostolos pro obseruatione legalium, superius dictum est, cum alioqui Legislatorem Hebræorum non esse bonum, ipse iactaret, Insuper eumdem Christi resurrectionem negasse, sed in die Iudicii resurrectionem eius futuram, vt cæterorum, affirmasse, Epiphanius *b* tradit. Ad quæ addit Philastrius, ipsum Martyres blasphemasse, Iudam proditorem in honore habuisse, & ex diuinis scripturis nonnisi Euangelium Matthæi ex parte tantummodo recepisse, ac denique (quod nuper dictum est) turpem illum Millenarium, legaliumque obseruationē Iudaicam excogitasse. His porro omnibus quam egregie aduersetur liber Apocalypsis, nemo non videt: in quo videlicet omnium Deus creator prædicatur, Christusque eius Filius ante sæcula, ipseque Principium nominatur, ac ipsum esse passū, & se ipsum resuscitasse affirmatur, commendanturque sancti Martyres summopere: ac denique apparet quam diuersus sit Millenarius Ioannis ab illo Cerinthi, licet verius sit, pro mille annis Ioannem intellexisse (prout omnes interpretantur) gloriæ perpetuitatem.

a *Ter. de præsc. c.48.*

b *Epi. hær. 28.*
c *Phil. de hær. c.27.*

IESV CHRISTI AN. 98.

CLEMENTIS AN. 6.

DOMITIANI IMP. AN. 15.

I. FLA. CLEMENS EX-CONSVL OCCISVS OB FIDEM.

ANno Christi nonagesimo octauo, Fuluio Valente & Antistio Vetere Coss. *Flauius Clemens* vix perfunctus munere Consulatus anni superioris, quod Christianam religionem amplexus esset, à Domitiano Imp. iussus est occidi: quam rem gestam obscurius narrat Suetonius, *d* clarius Dio. Cæsar quidem, dum ait Domitianum, Flauium Clemētem patruelem suum contemptissimæ inertiæ, cuius filios paruulos successores palam destinauerat, repente ex tenuissima suspicione, tantum non ipso eius Consulatu interemisse. Hæc Suetonius, inertiæ Clementem fugillans, quod cum in Gentilitate permanens filios posset habere Imperatores, prætulisset his omnibus ignominiam Crucis: Cum & alioqui vetus ac frequens hæc esset Gentilium in Christianos contumelia, (quam Tertullianus *f* egregie refellit) quod essent inertes & infructuosi in negotiis, quia videlicet tranquillioris vitæ cupidi, vrbanos strepitus, & Palatii ac Curiarū tumultus vitare solerent. At vero Dio causam necis Clementis expressius recensens, ait ipsum vna cum vxore Flauia Domitilla æque Domitiani propinqua, accusatum fuisse crimine ἀθεότητος, eiusque rei causa tum ipsum Clementem morte affectum esse, tum multos alios qui in mores Iudæorū transiissent, partim necatos esse, partim facultatum amissione mulctatos, Domitillam vero in Pandatariam insulam relegatam. Ita Dio, haud dubium de Christianis intelligens, quos à Gentilibus Iudæos & impios dici solitos, sæpe demonstratum est, videlicet quod è Iudæis descenderent, & quod sicut illi idola execrarentur. Cæterum alteram quoque Flauiam Domitillam, filiam sororis eiusdem Flauii Clementis Exconsulis, cum aliis plerisq; ob Christi testimonium hoc ipso anno decimoquinto Domitiani, in insulam Pontiam supplicii & mulctę causa extrusam esse, asserit Eusebius *g* auctoritate Brutii (seu potius Erutium dixeris, qui laudatus repetitur à Plinio *h* Iuniori) æque historici Ethnici.

d *Sue. in Dom. c.15.*
e *Dio in Dom.*

f *Tert. Apol. c.42. &c.*

g *Eus. in Chr. & 3. hist. 14.*
h *Plin. 3. ep. 16 & lib. 2. ep. 9.*

II. FLAVIÆ DOMITILLÆ PLVRES.

Ex horum igitur testimoniis (nisi in eis error insit) iam duas habemus *Flauias Domitillas*, diuersis in locis pro Christiana religione exules, nempe vxorem Flauii Clementis, ac neptem. Sed & fuerunt eiusdem nominis atque familiæ aliæ nobilissimæ feminæ, nempe Flauia Domitilla vxor Vespasiani, ex qua (vt Suetonius *i* scribit) nati sunt Titus & Domitianus Imperatores, & horum soror alia Flauia Domitilla. De Clementis autem vxore hallucinatus est Philostratus, *k* dum eam dicit sororem Domitiani: nam huius sororem ita dictam, vna cum matre eiusdem nominis, defunctam esse cum adhuc pater Vespasianus priuatus ageret, Suetonius & alii tradiderunt. Quæ vero celebrior cæteris habetur *Flauia Domitilla* virgo, Clementis neptis, primum (vt dictum est) in Pontiam insulam relegata, ac demum vt dicetur) egregio martyrio sub Traiano nobilitata, illa insa est, cuius annua celebritas in Ecclesia agitur septima die Maii. Quæ quidem matre Plautilla Clementis Consulis sorore (vt habet Eusebius) nata, & à S. Petro vna cum matre baptizata, à S. Clemente Romano Pontifice ad pietatem est instituta, & sacro velamine consecrata, cum virginitatem suam Deo vouisset hortationibus potissimum Nenitatem *Petri & Achillei* ipsius Eunuchorum, qui æque fuerant à S. Petro baptizati. Sed hæc omnia fusius in horum Martyrum Actis. *a*

i *Suet. in Vesp. cap. 3.*

k *Phil. lib. 8. vit. Apol.*

a *Ap. Sur. 10. 3 III.*

Quod autem Clementis Consulis nobilissimi martyris mentio nulla in Martyrologio, vel aliis Ecclesiasticæ antiquitatis monumentis habeatur, iniuria temporum euenisse putamus, vt siqua eius memoria reliqua esset post nostrarum scripturarum Diocletiani tempore facta naufragia, omnes Clementem Romanum Pontificem mente concipientes, vnum eumdemque nominibus confusis atq; personis Clementem esse existimarint. Alioqui enim si & ipsi Ethnici auctores eiusdem Clementis Consulis, & aliorum (vt vidimus) martyrii meminerunt, quis putet tam segnes ac desides fuisse Christianos, vt ea scriptis mandare neglexerint? Certe cum aliorum, tum ipsius Clementis Papæ potissimum his ipsis temporibus ea in re inuigilasse studium, manifestum est: quem constat *Septem* ad hoc opus instituisse NOTARIOS, eisque Regiones Vrbis diuisisse, qui (quod habetur in eius vita Anastasius) Acta Martyrum solicite & curiose per Regiones quisque suas perquirerent atque cōscriberent. Quod plane argumento est, non vno tantum loco Vrbis carnificinas exerceri de Christianis solitas, sed multis. Quantumque hoc tempore furens illa Persecutio fuerit debacchata, quæ tam caros ipsius Imperatoris sustulerit, quiuis facile intelligat. Nec vero Romæ tantum, sed Romano toto Orbe eamdem sæuissimam exitisse, argumento est quod præter innumeros quorum nomina excidērunt, sub eodem Domitiano passi reperiuntur *b* in Galliis, qui illuc à Clemente Papa missi fuerant, *Eutropius* Episcopus Santonensis, (quem ferunt Christum olim vidisse, sed & alio cutum esse) *Lucianus* Bellouacensis, *Nicasius* Rotomagensis, & alii, in Tuscia vero *Romulus* Fesulanus Episcopus, illuc ab ipso Petro ad prædicandum Euangelium directus.

NOTARII INSTITVTI AD MARTYRVM GESTA DESCRIBENDA.

b *Mart. Rom.*

IV. DOMITIANVS OCCIDITVR.

Verum cum tam atrociter in Christianos persecutionis impetus fureret, meruit Domitianus vlciscente iam numine tandem gladio tolli. Quod egregie Iuuenalis e versibus cecinit, licet more Gētilium ignominiæ causa Christianos, perinde ac vilissimas personas, *Cerdones* appellet. Nam cum ait, tunc illum periisse cum cerdonibus timendus esse cœperat, haud dubium alludit ad necem ipsi illatam à Stephano, haud dubium alludit ad necem ipsi illatam à Stephano, qui simulans se de coniurationis indicio illi oscuratore: qui simulans se de coniurationis indicio illi ofcuratore: qui simulans se de coniurationis indicio illi ofcuratore: qui simulans se de coniurationis indicio illi ofc

ille, sicut facere solent qui rem aliquam dum fit videntes, quo tandem euasura sit expectant; tandem, *Confidite* (inquit) *ô viri, Tyrannus occisus est hoc ipso temporis momento.* Quæ vera esse cum postmodum certo compertum esset, vix credi potest ad quantam ille de se Ephesios admirationem, ac pariter æstimationem adduxerit; vt tum his, tum cæteris ibidem rebus ab eo gestis, eundem vt quempiam deorum colerent, nescientes vnde hæc occulta scire illi suppeditaretur. Rem autem gestam describit Philostratus *a* in ipsius Vita. Cæterum ista haud mirabitur, qui scierit peculiare esse magorum, vt per parhædos ipsos, quos vocant *Familiares dæmones*, imagines rerum quæ longe absint, ob oculos mētis repræsentatas inspiciant: cuiusmodi arte, vt de aliis modo taceamus, Iulianus Apostata (quod suo loco dicetur) quæ Romæ, vel alibi in Occidentali Imperio agerentur, ipse cum esset in Oriente, nosse curauit.

a *Philostr. lib. 8.*

VI. NERVA IMPERAT.

Sublato igitur Domitiano NERVA COCCEIVS, Narnia ortus, tam Senatus consensu quam militum, suscepit Imperium; cuius egregias laudes historici qui res ipsius gestas scripserunt, mirificè prædicarunt. Qui quidem inter alia, cum primum liberas Imperij habenas moderari cœpit, *omnes* (inquit Dio *b*) *qui impietatis in Deos rei fuerant, absolui voluit, & exules in patriā reduxit: vetuitq, edicto, ne liceret aut impietatis aut Iudaicæ sectæ quempiādehinc insimulari*: per Iudæos, vt dictum est, Christianos intelligens. Huius autem edicti indulgentia, Flauias Domitillas seniorem ac iuniorem, aliosq; ex familia ipsarum à Domitiano in insulam relegatos, Romam esse reuersos affirmare opus est; licet quæ extant ipsorum Acta de his nihil habeant, imo sub Nerua passos tradant ex illis aliquos: sed sub Nerua Traiano id accidisse, Romanum Martyrologium *c* restitutū affirmat. Sustulisse insuper Neruam grauissima illa tributa, quibus Iudaicus populus sub Domitiano pressus erat; declarat eiusdem Neruæ nummus argenteus, ex altera parte huiusmodi inscriptione notatus, *Fisci Iudaici calumnia sublata*: palmaq; est in medio, quā fuisse Iudææ prouinciæ hieroglyphicum oēs æquè consentiunt, quod feracitate palmarum cæteris Asiæ prouinciis præstet *d*: sicut & ab ipsis Iudæis Palmæ figuram intra templi ornamenta frequentissimè receptam esse *e*, diuinæ literæ docent.

b *Dio in Nerua.*

EXVLES CHRISTIANI RESTITVVNTVR.

c *Martyrol. R. 15. April.*

d *Plin lib. 13. cap 4. & alij. e 3. Reg. 6. 7. 2. Paralip. 3. Ezech. 40. 41.*

Sed quod pertinet ad edictum Neruæ; eiusdem quoq; fauore Ioannem Euangelistam ab exilio insulæ Patmos reuocatum, Ephesum reuersum esse, ibiq; denuo sedem ac domicilium rerum suarum collocasse, & Ecclesias Asiæ administrasse; Eusebius *f* antiquiorum testimonio tradit: recitatq; ex Clemente Alexandrino prolixam historiam de quodam adolescente, ab eodem Ioanne tradito erudiendo cuidam Episcopo; cuius remissiori cura ille in profundum vitiorum ac scelerum præcipitatus, & iam de misericordia Dei desperans dux latronum crudelissimus factus, tandem ab eodem Apostolo annis confecto per latronum speluncas quæsitus, & mira eius mansuetudine illectus, (qua beatus senex ad ipsius genua procidit, & eruentam dexteram exosculatus est) & ad pœnitentiam reuocatus, solicita Apostoli cura amissam virtutem spemque recuperauit; ac demum Ecclesiæ ministerio præfectus est. Recitat eandem historiam Chrysostomus ad Theodorum lapsum scribens: eiusdemque Antiochus *g* monachus, scriptor sub Heraclio Imperatore nobilis, Irenæū citat auctorem. Cæterum Ioannis Apostoli reditus Ephesum, perquā opportunus Christianæ religioni extitit, vt se Tyanæo seductori opponeret, eiusq; quas diximus præstigias veris miraculis confunderet; qualia Ioannem eo tempore plurima & ingentia edidisse, alij ex Pseudoprochoro, vel eiusmodi dubiæ fidei scriptis referunt. Enim vero mortuum hominem ad vitam ipsum restituisse, certum redditur testimonio Apollonij *h* antiquissimi Theologi, necnon Sozomeni *i*.

ADOLESCENS LAPSVS ERIGITVR.

f *Euseb. 3. hist. 23. &c.*

g *Antioch. serm. 122.*

h *Apollon. ap. Euseb. 5. hist. 17.*

i *Sozom. lib. 7. c. 26.*

VIII. DIONYSIVS AREOP. MITTITVR IN GALLIAS.

Cum vero de restitutione Ioannis nuncium accepisset Dionysius Areopagita Athenarū Episcopus; sicut ad eum olim exulem scripserat (vt vidimus) fore vt breui mutuo congressu inuicem iungerentur, ita illum mox Ephesum conuenisse æquum est opinari. Ad hæc enim tempora Dionysium egisse in Oriente, facile omnes consentiunt: post hæc vero Romam ad Clementem Papam se contulisse, & ab eo in Gallias amandatum, nobilissimam *Parisiensem* Ecclesiam rexisse: fidem faciunt qui ex antiquioribus monumentis eius res gestas scriptis sunt prosecuti. Quæ enim alia causa intercessit, vt viuente adhuc Dionysio alij darentur Episcopi Athenienſibus? siquidem ante ipsius martyrium, quod sub Hadriano Imperatore consummauit, plane constat *a* Publium, & post hunc Quadratum; imo fortè & ante hos Narcissum *b*, post Dionysium rexisse Ecclesiam Athenienſium. Ad alias autem ciuitates vel prouincias, quam in Galliam, Dionysium missum fuisse, nulla prorsus vel leuis memoria vllibi extat, vel coniectura: Neque existimare fas est, eum hisce temporibus; cum maxima omnium incumberet necessitas Euangelij prædicandi, suæ Ecclesiæ nuntio remisso, segnem & otiosam vitam sibi constituisse. Sicut igitur postea à Polycarpo Ioannis Euangelistæ discipulo factum videbimus, vt ex Asia cōplures in Gallias ad Euangelium propagandum missi fuerint, ita nunc putamus, persuasione Ioannis Dionysium Romam primum ad Clementem, inde eiusdem consilio in Galliam esse profectum: vt quia maxima pars eorū quos Petrus atque ipse Clemens eo misissent, iam vita functi essent nobilissimæ coalescenti Gallicanæ Ecclesiæ pastoribus destitutæ, insignis toto vir Orbe succurreret. Reliqua autem de Dionysio dicentur in eius obitu.

a *Euſ. 4. hiſt. 22. Hieron. de Script. Eccleſ. in Quadr.*

b *Hippolyt. de 72. Diſcip.*

IESV CHRISTI ANN. 99.

CLEMENTIS ANN. 7.

NERVÆ IMP. ANN. I.

I. c *Plin. 2. ep. 1.*

ANNO CHRISTI nonagesimo nono, Nerua Aug. tertium iniit Consulatum, Collegam sibi adsciscens Virginium Rufum, virum (vt Plinius *c* & Dio prædicant) laudatissimum: quem cum, vt aiunt, Romanæ legiones olim Imperatorem nominassent, haud est veritus Nerua vel in collegam assumere. Defunctus autem hoc ipso suo Cōsulatu, agens annum ætatis octogesimum tertium, laudatus est funebri oratione à Cornelio Tacito, viro horum temporum eloquentissimo.

II EVANGELIŪ IOANNIS EDITVR.

His etiam temporibus S. IOANNEM Apostolum EVANGELIVM suum edidisse, affirmari posse videtur. Illud n. post restitutionem ab exilio insulæ Patmos, Ephesi editum esse (licet de anno non constet) imprimis Athanasius *d* tradit; ferturque *e* de eadem re sententia Hippolyti Episcopi Portuensis & martyris. Asserit illud ipsum Epiphanius *f*; sed nescio quo errore, reuersionem Ioannis à Patmo ad Claudij tempora referens. Consentitq; Irenæus *g* scriptum fuisse Euangelium Ephesi, etsi de tempore nihil dicat. Ac demum in eandem sententiam complures alij Græcorum, atque etiam Latinorum abiere: fuere tamen qui dixerint *h*, conscriptum fuisse in insula Patmo, sed editum Ephesi. Et qui hæc scribit Metaphrastes, addit Ioannem iam ab exilio liberum, rogatum ab insulanis vt priusquam ab illis discederet, Euangelium in eorum vsum & institutionem conscriberet, indicto omnibus ieiunio montis ascendisse verticem, & cum opus aggressurus esset, tonitrua, fulgura, atque terremotus esse factos, sicut olim cum Moyses in vertice Sinai mentis Legem accepisset; ac demum tonitrua in vocem expressa sonasse, IN PRINCIPIO ERAT VERBVM, &c. Nec quis putet hæc contemnenda, quod ab auctore haud antiquo, cuius interdum fides vacillet, tradita habeantur; vel quod apud Pseudoprochorum eadem fere scripta sint. Nam & Hieronymus, qui Apocryphorum narrationes libentius reijcere solet, ex antiqua veraque historia Ecclesiastica quam citat, asserit Ioannem coactum ab omnibus pene tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de diuinitate Saluatoris altius scribere, ita facturum se respondisse, si indicto ieiunio in commune omnes Deum deprecarentur; ieiunio vero expleto, reuelatione saturatum, illud proœmium è cœlo veniens eructasse, IN

d *Athan. in Synop.*

e *Ap. Cedren. in Nerua.*

f *Epiph. hær. 51.*

g *Iren. lib. 3. c. 1. & ap. Euſeb. 5. hiſt. 8.*

h *Metaphr. ap. Lipom. to. 1. Doroth. in Synopſ.*

PRINCIPIO ERAT VERBVM, &c. Quod insuper idem Ioannes à Domino dictus sit *Filius Tonitrui*, Epiphanius *a* id respectu Euangelij, quod ab ipso sc. ibi aliquando deberet, dictum putauit.

Quod ad causam eius scriptionis spectat; præter illas iam assertas, idem Hieronymus *b* duplicem affert: alteram, vt confutaret Cerinthum, Ebionem, & alios Christi diuinitatem negantes: (quam etiam tradunt Irenæus *c*, Epiphanius *d*, & alij omnes:) alteram, quod cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, eosdemq; reperisset vnius tantum anni, in quo & passus est post carcerem Ioannis, historiam Domini texuisse, ipse, prætermisso illo anno, superioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrare voluerit. Porro scriptum ab eo fuisse Euangelium Græcè omnes consentiunt: translatum autè antiquitus in Hebraicum, & Tiberiade in gazophylacio Iudæorum asseruatum temporibus suis, auctor est Epiphanius *e*.

At sicut idem Ioannes scripto Euangelio, Christi diuinitatem negantes hæreticos visus est confutare voluisse: ita etiam suis EPISTOLIS, eandem egregiè testatam voluit reliquisse, adue sus *f* Basilidem, & alios qui dicerent CHRISTVM non vere carnem sumpsisse, sed per phantasiam apparuisse, sicq; nec vere esse crucifixum, sed omnia in imagine facta; ac denique negantes Christi causa esse subeundum martyrium. Sed quod pertinet ad fidē earundem Epistolarum; primam quidem vt Ioannis germanam ab omnibus receptam esse S. Hieronymus tradit, reliquas duas, quod in inscriptione ponatur *Ioannes Senior*, alteri Ioanni (quem Seniorem esse dictum testatur Papias *h*) nonnullos tribuisse idem affirmat, itemq; Origenes *i*. Cæterum se illas pro germani Ioannis habuisse, alibi ingenuè profitetur *k*, cum ostendit nomen *Senioris*, hoc est *Presbyteri*, commune fuisse Episcopis, atque adeo ipsis Apostolis: de quo nos superius. Sane si quando ex facierum similitudine filios eodem parente genitos licuit iudicare; tres illas Epistolas, verbis, sententijs, stylo, charactere, vnam eandemq; præseferentes imaginem ab vno, eodemq; auctore esse cōscriptas, quiuis facile poterit intelligere. Sed & eiusdem easesse partus Ioannis qui Euāgelium scripsit, maiores qui canonicorum librorum contexuere catalogum, tam Græci quam Latini æquè consentiunt omnes, dum tres semper numerarunt Iohannis Apostoli & Euangelistæ Epistolas. Porro vt Primæ nullus inscriptus sit titulus, non ita factum putamus quod ea sic fuerit exarata, sed potius quod titulus exciderit; quippe quæ à maioribus *l* consignata reperitur titulo Iohannis *Ad Parthos*. Quomodo n. fieri esset eam ad Parthos datam esse, nisi titulus eum qui dederat, & ad quos data fuerat monstrasset? Cum aūt apud Parthos Ioannes prædicauerit Euangelium, ad eosdem eam dedisse Epistolam putatur. At de eius scriptis iam satis; de obitu vero dicetur suo loco.

Hoc eodem anno impostor ille *Apollonius Tyaneus*, de quo sæpe superius, qui magicis artibus vniuersi Orbis oculos in se conuerterat; honesto prætextu mittendi legationem ad Neruam Imperatorem, quo familiariter olim vsus fuerat, discipulum Damidem, præcipuū suarum conscium actionum, à se ablegauit, ne vltimi sui finis testis esset; occultamque opperiens mortem, quo immortalis crederetur in cœlum esse translatus, incerto exitu clausit diem extremum. Refert Philostratus *m* varias de eius interitu opiniones vulgo iactatas: Verum nonnisi malo exitu mortuū esse, perfacile conijcitur ex Luciano *n*, dum vt de re omnib. nota amicum alloquens qui ea optime nosset, vitam Apollonij *Tragœdiam* appellat: dumq; agit de eiusdem discipulis, qui impostoris, incantationibus, magijsq;, & aliis malis artibus operam dabant, iisdemq; vita turpissimis, & amore puerorum infamissimis; qualis eorum magister fuerit, inde certo possumus assequi.

Eodem anno iisdemque Coss. Nerua Imperator cum se iam senio fatiscentem, & continuis morbis languescentem conspexisset, consulturus Romano Imperio, nulla habita ratione sibi sanguine coniunctorum, quem putauit virum frugi, dignumq; ad habenas Imperij moderandas, M. *Vlpium* TRAIANVM, tuncagentem cum exercitu in Germania, adoptauit in filium ac Imperij successorem. Hęc Plinius *a* Secundus, ac Dio pluribus.

a *Plin. in Panegyr. ad Traian.*

IESV CHRISTI ANN. 100.

CLEMENTIS AN. 8.

TRAIANI IMP. ANN. 1.

CEntesimo iam adueniente CHRISTI anno, Nerua Augusto quartum & Traiano secundum Coss. sexto Calendas Februarij, idem Nerua morbo *b* consumptus, agens ætatis annos sexaginta quinque, menses decem & dies totidem, cum imperasset annum vnum, menses quatuor ac dies nouem, vita functus est; susceptiq; Imperium qui tunc adhuc in expeditione Germanica constitutus erat apud Coloniam Agrippinam, nuper memoratus *Nerua* TRAIANVS, agens annum ætatis (vt auctor est Dio *c*) quadragesimum secundum: qui mox eundem Neruam inter deos retulit, vt scribit Plinius in Panegyrico; cuiusmodi solemnis ritus apparatum egregiè descripsit Herodianus *d*, dum agit de consecratione Seueri. Fuit autem Traianus natione Hispanus *e*, patria Italicensis, non Tudertinus ex Vmbria, vt aliquis *f* existimauit, deceptus Aurelij Victoris *g* auctoritate, dicentis Traianum fuisse ex vrbe Tudertina: qui & ipse errore lapsus est. Nam cum apud maiores in confesso esset Vlpium Traianum natum esse Italicæ, quæ ciuitas est Turditanæ prouinciæ in Hispania, cuius meminit Strabo *h*, similitudine nominum irrepsit error, vt Tuderti quæ est in Italia vrbs genitus putaretur.

Vbi autem primum assumpsit Imperium, edicta quædam (inquit Dio *i*) ad Senatum misit; atque illud imprimis, nunquā suo iussu bonum virum occisum iri, aut ignominia notandum: id quod (inquit auctor) non solum in præsens Sacramento confirmauit, sed per totū Imperij tempus inuiolatum seruauit. De quo & illud memoria dignū habet, quod strictum ensem coram proceribus suis Præfecto Prætorij tradiderit his verbis: *Cape hunc ensem; & si bonus fuero, pro me; sin malus, contra me conuitor.* Sed de eius moribus dicetur *k* postea. Interim vero, vtinam sicut ea diximus bona pulchraq; visa sunt, ita qui boni viri essent prudentius tutum ipsius Præsides exquisissent: non eo erroris certè protrusi essent, vt Christianos vita innocentissimos, & moribus sanctissimos, quod deos non colerent, vt impios atque sacrilegos condemnassent. Hoc namq; nomine, quo magis ipse superstitioni Gentilium addictus erat, eo acrius in Christianos furire æquissimum existimauit: cum & alioqui (quod sæpe diximus) iustas sibi viderentur Imperatores habere causas illos persequendi, tum in odium contemptissimorum Iudæorum ex quibus Christiani prodierant; tum ob sceleratissimos ac turpissimos hæreticorum mores, qui & ipsi se Christianos dicebant; tum denique quod ob frequentia & insignia quæ veri Christiani ederent miracula, magiæ insimularentur. Nam & inualuisse apud Gentiles eam opinionem, vt ipse etiam Christus magus fuerit, tradit Arnobius *l*; sed & libros eius nomine de magia confictos fuisse, dictum est superius.

Licet autem nullum expresse aduersus Christianos promulgatum à Traiano inueniamus edictum, quippe qui etiam in sontes & noxios benignus videri studeret: tamen alio prætextu eos plectendos curauit, dum cauit imprimis edicto, ne collegia seu Sodalitia essent: cum & aliis iam antea Romanorum legibus, nocturni cœtus essent prohibiti, (quales agere videbantur Christiani, cum ante lucem surgerent ad laudes Deo canendas) & peregrina quæcunque ac noua religio vetita *m*. Harum igitur vigore legum, latis amplam Præsidibus suppetisse facultatem ad pœnas Christianis infligendas, Plinius *n* Secundus cum Proconsulem post tres annos ageret in Bithynia, Traiano significauit, dum testatus est se eo ipsius promulgato edicto Christianorum

I. [HOC ANNO INCIPIT TOMVS SECVNDVS ANNALIVM BARONII.]

b *Dio in Nerua.* NERVA MORITVR.

c *Dio in Traia.* TRAIANVS IMPERAT

d *Herodian. lib. 4.*

e *Eutrop. lib. 8. Euseb. in Chron.*

f *Panuin. de Rom. Princip. lib. 1.*

g *Vict. in epito.*

h *Strab. lib. 3.*

II.

i *Dio in Traia.* TRAIANI EXORDIVM QVALE.

k *An. Domini* 119.

l *Arnob. lib. 1. cont. Gent.*

III. VETITA SODALITIA.

m *Cic. lib. 2. de legib. Tert. in Apolog.*

n *Plin. lib. 10. ep. 97.*

1 *Epiph. hær. 73.*

III. CAVSA SCRIBENDI. *Hieron. de Script. Eccles. in Ioan.* 2 *Iren. lib. 3. c. 11.* 3 *Epiph. hær. 51.*

4 *Epi. hær. 30.*

IV. EPISTOLÆ IOANNIS. *f Id. hær. 24.*

5 *Hier. vbi sup.* h *Pap. ap. Euseb. lib. 3. c. vlt.* i *Orig. ap. Euseb. l. 9 c. 19.* k *Hier. ep. 85. ad Euagr.*

6 *Hygin. ep. 1. Aut. quæst. Nou. Test. 59.*

V. DE OBITV APOLLONII TYANÆI.

m *Philost. in lib. 8. vit. Apol.* n *Lucian. in Alexand.*

VI. TRAIANVS ADOPTATVR A NERVA.

PERSECVTIO IN CHRIST. ROMÆ.

norum hæterias, hoc est, commentus vetuisse, eoq; nomine supplicia iisdem irrogasse. Quapropter qui Romæ magistratus gerebant, illos potissimum Imperatoris edicto coprehendi sentientes, qui maximum omnium contraxisse sodalitiũ visi, dicti essent Christiani; (quos & insuper quod numina non colerent pro impiis habebant) eosdem imprimis exagitare cœperũt, ac præsertim quem, adeo copiosi Sodalitij Principem esse viderent Clementem Papam.

IV. CLEMENTIS PP. EXILIVM

Qui quidem (vt habetur in ipsius Actis) ad tribunal Vrbis Præfecti Mamertini ab aduersariis perductus, optione ab Imperatore ea de re per literas cõsulto accepta, vt vel diis sacrificaret: vel vltra mare Pontum in desertam ciuitatem Chersonam relegaretur; absq; vlla mora durissimum exilium impietati præposuit. Est autem *Pontus* idem quod mare Euxinum, in cuius capite apud Bosphorum Cimmerium est Taurica Chersonesus, in qua versus paludẽ Mæotidem est ciuitas *Chersonesus* dicta, quam Strabo *a* Cherronesum appellat, recentiores Chersonam. Porro alicubi irrepsisse mendum reperitur, vt Chersonnesus Lyciæ dicatur. Nulla enim eius nominis in Lycia est ciuitas: sed puto pro Bycia positam esse Lyciam *b*. Alluit enim Bycia palus, sic dicta à Byco fluuio, Chersonesum à superiori parte, vt docet Ptolemæus tabula octaua Europæ. Quomodo etiam irrepsit error in Librum de Romanis Pontificibus, dum ibi legitur, Clementem sepultum esse in Græcia. Cæterum Clemens Chersonã perductus, cum plures ibi Christianos eadem pœna mulctatos reperisset, illud solatij eis præstitit, vt cum maximo labore humeris aquam è longinquo iugiter ferre cogerẽtur, è terra in loco diuinitus agni signo monstrato fõtem erumpere fecerit: quo miraculo adeo Christiana religio inter loci accolas fuit propagata, vt idololatria extincta propemodum fuerit. Hæc fusius Acta eiusdem Clementis, quæ ex antiquis monumentis desumpta, tam Græcè quam Latinè edita *c* habentur: quibus etiam adstipulatur Gregorius *d* Turonensis. Quando autem martyrium consummauerit, dicetur suo loco.

a Strab. lib. 7. Ap. Baron. in Not. ad Martyr. 23. Nouemb.

b [Pro *Lycia* leg. esse *Leucam*, quæ est insula Chersonæ proxima, eademq; dicta *Graciaria*, obseruat Rosvvid. in Adon. de fest. Apost.]

c Metaphr. 23. Nou. Sur. tom. 6.

d Greg. Tur. de glor. mart. c. 35. 36.

Accidit insuper post Clementem expulsum, vt quos superius recensuimus, *Flauia Domitilla* Virgo, & eius Eunuchi *Nereus* & *Achilleus*, cum aliis pluribus vtriusq; sexus eiusdem familiæ, fuerint variis locis ac supplicijs coronati martyrio, facti omnes impietatis rei; prout hæc fusius narrant Acta eorundem Martyrum Nerei, & Achillei; quibus adstipulantur antiqua Martyrologia, quæ illorum omnium anniuersariam commemorationem continent. Eodemq; fere tempore passus est Romæ *Hyacinthus e*, agente Luxurio, cuius & opera prædicti martyres male fuerant affecti. Cæterum ex multis hos paucos recensuisse sufficiat; cum alioqui haud sit dubium, quamplurimos alios nõ Romæ tantum, sed vbiq; locorum, Christianæ fidei causa hoc eodem anno glorioso occubuisse martyrio: testante Eusebio *f*, sub Traiani Imperio per singulas ciuitates ex seditione populi grauem contra Christianos commotam esse persecutionis tempestatem. Sed minime eidem assentimur, dum anno decimo Traiani excitatam esse Persecutionem affirmat: siquidem Plinij quem diximus, auctoritate certum redditur, longe ante id accidisse.

V. FLA. DOMITILLÆ, ET ALIORVM MARTYRIVM.

Mart. Rom. 26. Iul.

e Euseb. 3. hist. 26.

Hoc eodem anno *g Abilius* tertius Episcopus Alexandrinus, cum sedisset annos tredecim, ex hac vita migrauit; in cuius locum suffectus est *Cerdo*, longe alius ab illo hæresiarcha qui vixit sub Antonino Pio.

VI.

f Euseb. in Chron. & 3. hist. 16.

IESV CHRISTI ANN. 101.

CLEMENTIS ANN. 9.

TRAIANI IMP. AN. 2.

I. TRAIANI ADVENTVS ROMAM.

ANNO CHRISTI centesimo primo, Sosio Senecione & A. Corn. Palma Coss. Traianus Imperator in Vrbem se contulit, cum ob præclara in Germania partas victorias, *Germanici* esset cognomentum adeptus. Eius porro ingressum in Vrbem pluribus describens Plinius *a*, laudat inter alia eius moderationem, quod præsentis anni Consulatum recusasset: indeq; contigisse priuatis aperire annũ, Fastosq; referare; cum tamen ab aliis Principibus tanta auiditate ambiretur, vt illum pleriq; destinatũ aliis in se transferrent, quare & hoc fuisse reddita libertatis indicium, quod Consul alius quam Cæsar esset. Ac demum addit, ipsum candidatum interfuisse comitiis tertij sui Consulatus, quem auspicatus est anno sequenti. Sed & multa in beneficium bonorum, & emendationem negotiorum publicorum constituisse, idem auctor, & Dio testantur.

a Plin. in Panegyr. Traia.

DE CONSVLATV IMPER.

[Ad eluc dationem eorum quæ de Consulatibus Traiani ex Plinio dicta sunt, & quæ variis locis horum Annalium occurrunt aduotare visum est post Sirm. in Apolin. morem fuisse nouorum Impp. proximis post Imperij auspicia Calendis Ianuarij Consulatum adire: quod ab vsque Cæsare seruatum superius vidisti, & in plerisque posthac obseruari licebit, docentque Fasti omnes. Quippe Consulatus insulas non solum fortunæ suæ congruere, sed nomini quoq; Augusto (vt Valentinianus loquitur in Nouella ad Sporatium) decus addere existimarunt. Quare cum cæteras dignitates infra se ducerent, hanc tamen assumere consueuerant, & (vt ait Claudianus in Stilic. 2.) ea se decorari fatebantur. Illius porro moris, vt proximis post adeptum Imperium Calendis Ianuarij Consulatum Imperatores adirent, adhuc suo tempore vsitati meminit Sidonius Apollinaris 1. ep. 9. & carmin. 7. Hinc q; est quod post tempora Iustiniani, cum sublatis Coss. ordinarijs, in publicis monumentis Imperij simul & Consulatus notæ iungerentur, anno vno posterior erat æra Consulatus: quemadmodum in antiquis Inscriptionibus (ap. Baron. Tom. VIII. an. 618.) videre est Heraclij Imperij annum IX. notari post Consulatum VIII. Quod vero in Synodo Sexta act. 18. Constantini Imper. annus XXVII computatur cum anno post eius Consulatum XIII. id inde accidit, quoniam in annis eius Imperij computabantur omnes quibus cum patre ante Consulatũ suum regnarat. Quo modo & alia eiusmodi, quandocunque occurrerint, intelligenda sunt.]

II. S. IOANNIS APOSTOL. OBITVS.

Hoc ipso anno, qui numeratur à Passione Domini sexagesimus octauus, S. IOANNES Apostolus & Euangelista (vt auctor est Hieronymus *b*) Ephesi diem obiit: quem quidem ad hunc annum secundum Traiani peruenisse, æquè testatur Eusebius *c* ex Irenæo: eundemq; Ephesi obdormiuisse asserit pariter antiquissimus Polycrates *d* eiusdẽ loci Episcopus sanctitate & doctrina celebris, quem haud potuerant latuisse quæ de Ioanne vera essent; cuiq; merito omnes de eiusdem obitu debeant auscultare, cum præsertim id ipsum Tertullianus *e* testatum expresse reliquerit. Quod tamen ex verbis Domini *f*, de eodem Ioanne Petro dictis: *Sic eum volo manere donec veniam*, iam tunc exisset sermo inter Discipulos, ipsum non moriturum, sed remansurum superstitem vsq; ad Domini aduentum: licet is error ab ipso Ioanne *g* videri potuisset omnino sublatus, cum ibidem scripsit: *Et non dixit Iesus, non moritur, &c.* sic tamen in nonnullos fuit postea propagatus vt cõstanter affirmarint Ioannem adhuc viuere, & cum Enoch & Elia venturũ ante secundum Domini aduentum: cuius opinionis primus reperitur assertor Hippolytus martyr in breui illa tractatione De consummatione mundi.

b Hieron. de Script. Eccles. in Ioan.

c Euseb. in Chron.

d Polycr. ap. Euseb. hist. 25.

e Tert. de anima c. 50.

f Ioan. vltim. ad fin.

g Ioan. vltim.

ERROR DE EIVS IMMORTALITATE.

Sed an non hæc & alio quoque modo refelluntur satis ab ipso Ioanne, dum in Apocalypsi *h* nonnisi duos fore CHRISTI aduentus præcursores & testes aperte demonstrat, nempe Enoch & Eliam? Deniq; Ioannem (sicut est sors omnium hominum) certo certius esse defunctũ præter eos quos supra recẽsuimus, significant etiam Eusebius, *i* & Chrysostomus *k*, dum asserunt ipsius sepulchrum Epheti suis temporibus manifestum fuisse. Ad quod item allusisse visus est Cælestinus Romanus Pontifex, cum scribens *l* ad Concilium Ephesinum, ait Reliquias eiusdem Ioannis Ephesi in honore haberi: idq; ipsum habet Synodica *m* Orientalium Epheso missa ad Senatum Constantinopolitanum. Sicut & alibi idem Chrysostomus *n* ait, Ioannem adhuc post mortem tanquam viuum Ephesum curare. Sed prætermittimus innumera pene recentiorum testimonia, ac eorũ præcipuè qui in ipsum Ioannem commẽtarios edidere, cum satis superque videatur ex his veritati historicæ consultum.

h Apocal. 11.

i Euseb. 3. hist. 23. & Hier. de Script. Eccles. in Ioan.

k Chrys. hom. 26. in ep. ad Hebr.

l Act. Conc. Eph. edit. Pelt. tom. 2. c. 24.

m Ibid. tom. 3. cap. 6.

n Chrys. hom. in laud. 12. p. 9.

Cæterum qui eum adhuc viuere testati sunt, nec quæ de eius sepulchro dicta sunt negare possent, eo dementiæ prouenerunt, (quam opinionem recitat, refellitque Augustinus

a *Aug. tract. 124. in Ioan.*

b *Vid. Niceph. lib. 2. c. 42.*

c *Polycrat. ap. Euseb. 3. hist. 25.*

gustinus *a*) vt dicerent eundem intra sepulchrum adhuc viuere; assumentes in argumentum, quod illic terra sensim scatere, & quasi ebullire perhiberetur, idque ipsi eius anhelitu fieri contenderent. Ex iis autem qui eum re vera defunctum dixere, nonnulli *b* adiecerunt, cum eius corpus refosso sepulchro non esset inuentum, opinandi dedisse occasionem eum è mortuis resurrexisse, ac sicut Dei-Genitricem in cœlum assumptum fuisse. Porro sic vita functus est, vt tamen martyrium nõ subierit, quod aliqui existimarunt: cum alioqui quod Romæ in dolium feruẽtis olei (vt vidimus) immissus fuerit, Martyr sit etiam à maioribus *c* appellatus.

V. ÆTAS IOANNIS.

Cum autem illud de eo testarum *d* habeatur, hoc anno sexagesimo octauo à Passione CHRISTI ex hac vita migrasse; tamẽ quotnam tunc annos natus esset, antiquiorum neminem inuenimus affirmasse. Beda *e* vero (nescimus vnde) obiisse tradit anno ætatis nonagesimo octauo: post quem Vsuardus *f* ponit nonagesimum nonum; Cedrenus *g* centesimum sextum. Sed quomodo hoc, cum Hieronymus *h* affirmet illum adhuc adolescentem & pene puerum esse electum à Domino? Certe quidem antiquorum omnium assertione, & Ecclesiæ traditione, eum à Domino adolescentem fuisse electum, certissimũ est: q& & exprimunt antiquiores musiuo opere expressæ eiusd: m Ioannis Imagines, ex quibus non leue ipsius ætatis deducitur argumentũ; quandoquidem antiquiores Christianos consueuisse Christi & Apostolorum, aliorumq; Imagines coloribus expressas apud se retinere, est iam superius demonstratum. Verum nos ita adolescentem à Domino vocatum esse credimus, vt annum ageret vigesimum secundũ, tempore vero passionis eius, natus annos viginti quinq; initiatus fuerit Sacerdotio. Nam ab ea ætate, diuina lege *i* contus fuerit Sacerdotio. Nam ab ea ætate, diuina lege *i* constat Leuitis ministrare in tabernaculo fœderis; secundum quidem editionem Septuaginta, quam vidimus hoc tempore penes Hebræos frequentiori fuisse vsu receptam, quamq; hac in re obseruatam esse testatur Philo *k*: cum alioqui iuxta Hebraicã, triginta annorum numerum fuisse præscriptum Hieronymus *l* scribat. Quapropter secundum hanc initam à nobis rationẽ, dicendum esset, Ioannem annos tres & nonaginta natum fuisse cum defunctus est. Cui sententiæ fauisse videtur Epiphanius *m*, dum ait scripsisse Euangelium post annos nonaginta vitæ suæ; quod contigit triennio ante obitum. Porro nouissimus omnium Apostolorum diem obiisse creditur; cæteris iam ante diuersis in locis martyrio vita functis. Discipulorum aũt Domini adhuc aliqui visi sunt remansisse superstites; vt inter alios Simeon Hierosolymorum Episcopus, de quo posteà dicturi sumus.

d *Hieron. de script. Eccles. in Ioan. & in Iouin. libr. 1. Niceph. d. c. 42. & alij.*

e *Bed. de sex ætat.*

f *Vsuard. Martyrol. 27. Nouemb.*

g *Cedren. in comp.*

h *Hier. in Ionia. lib. 1.*

i *Numer. 8.*

k *Philo de eo quod deter. pot. insid. sol.*

l *Hier. in Ezech. li. 3. c. 11.*

m *Epiph. hær. 51.*

IESV CHRISTI ANN. 102.

CLEMENTIS AN. 10.

TRAIANI IMP. ANN. 3.

I. n *Plin. in Panegyr.*

CLEMENTIS PP. MARTYRIVM.

o *Euseb. 3. hist. 23.*

p *Hieron. de Script. Eccles. in Clem.*

II.

ANNO CHRISTI centesimo secundo, Traiano n Augusto & Frontone vtroq; tertium Coss. *Clemens* Romanus Pontifex in exilio Chersonesi martyrio coronatus est nono Calendas Decembris, cum sedisset annos nouẽ, menses sex, & dies totidem, numerando ab vltima die vacationis sedis Cleti. Quod quidem accidisse hoc tertio Traiani anno, tam Liber de Romanis Pontificibus, quam Eusebius o & Hieronymus p æquè affirmant.

Sed vt Traianus hominem, quem in adeo remotas Orbis partes relegasset, iterum vexaret; non nisi illa causa præcessit, quod Clemens (vt citata eius Acta testantur) cum virtute præclarissimi miraculi ibi editi, tum etiam Euangelica prædicatione, omnem fere illam prouinciam ad Christi religionem perduxisset; essentque illorum opera contracta deorum simulacra, & septuaginta variis locis excitatæ Ecclesiæ. Missus itaq; illuc Aufidianus Præses, postquam plurimos Christianos diuersis tormentis necasset, cum videret omnes ad martyrium gaudẽtes accedere; parcens multitudini, ipsum Clementem in medium maris dueens multitudini, ipsum Clementem in medium maris duci, & & anchora collo suspensa in profundum præcipitari iussit, ne possent Christiani tollere corpus eius, & sicut aliorum Martyrum venerari. (Quemadmodum plena sunt Martyrum Acta, & cæteræ Historiæ Ecclesiasticæ, atque imprimis Eusebij, eiusmodi contestationibus persecutorum, nimium se ideo Christianorum corpora flammis aut fluctibus tradere, ne reliqui Fideles illa consueto more venerarentur.) Sed sicut & aliorum quamplurimarum sacræ reliquiæ, fuere diuinitus ad honorificam sepulturam seruatæ; ita & Clementis corpori accidisse, Christiani compertum habuerunt, cum ipsis ad litus orantibus, mare ad tria milliaria recedens iter eis præbuit ad ædiculam marmoream constructam in templi formam, in qua corpus Martyris intra arcam lapideam conditum inuenerunt, & iuxta illud anchoram qua mersus fuerat. Quod miraculum postea per longa tempora singulis annis recurrente eius martyrij die repetitum est, præbente mari iter per septem dies populis ad sepulchrum martyris orationis causa vndique accedentibus. Habent autem hæc, & alia multa de miraculis illic edi solitis, eadem Acta: sed illud celebrius, quod oratione eiusdem loci Episcopi S. Ephræm martyris est memoriæ perpetuæ commendatum. Narratque eadem ex Græcis Nicephorus *a*; & ex Latinis Gregorius *b* Turonensis, in Passione Clementis antiquitus in Ecclesia legi solita: qui & insuper recenset miraculum insigne (quod & alij referunt) de puero in eodem Clementis sepulchro aliquando incuria parentum reclẽto, ac post annum viuo ibidem reperto. Quando vero corpus S. Pontificis fuerit inde translatum Romam, dicetur suo tempore.

SEPVLCHRŨ MIRANDVM.

a *Niceph. lib. 3 c. 18.*

b *Greg. Tur. de glor. mart. c. 35. & 36.*

III. SCRIPTA.

Iam quod spectat ad ea quæ ab eodem scripta feruntur; de ipsius *Epistolis* dictum satis est superius alia occasione. Cuius vero illæ, quæ hodieque supersunt, fidei sint ac firmitatis, in his non laboro: tu cõsule quæ tum ab aliis, tum vero à Francisco Turriano *c* locupletius sunt de iis disputata. Illud tamen non tacemus, miratos nos esse, Ecclesiæ hostes omnem admouisse arietem, vt primas illas *Decretales Epistolas Romanorum Pontificum* euerterent, perinde ac si his fundamentis tota Ecclesiæ ædificatio inniteretur. Absit vt Dei Ecclesia, quæ columna est & firmamentũ veritatis, tanta laboret retundæ veritatis inopia, vt si ex illis petitæ probationes deessent, causa caderet: cum tam ad sincera dogmata statuenda, quam ad rectam disciplinam Ecclesiasticam declarandã, referta habeat locupletissima promptuaria probatissimæ veritatis, cuius nulla prorsus possit vnquam de impostura esse suspicio.

c *Turrian. aduers. Mag. deb. lib. 2.*

IV.

Multa porro Clementis nomine suppositia fuisse scripta, certũ est: atq; imprimis quæ ferebatur *Disputatio Petri & Apionis*, longo (vt ait Hieronymus *d*) sermone conscripta; quam iam ante ipsum Eusebius *e* coarguit. Quæ vero ab eodem scriptæ traduntur *Constitutiones Apostolorum*, eas SS. Athanasius *f* & Epiphanius *g* agnouerunt, iisdemque vsi sunt qui his antiquiores atque recentiores in Ecclesia claruere celebres Scriptores Ecclesiastici, quorum seriem alij texuerunt *h*. Licet autem inter Apocrypha sint ab omnibus adnumeratæ; haud tamen (vt ait Epiphanius *i*) sunt reprobatæ. *Omnis enim* (inquit) *regularis ordo in ipsis habetur, & nihil à fide adulteratum, neque à confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione & regula.* Sed sicut aliqua in eis hæreticos esse perperam interpretatos, idem auctor tradit; ita etiam ab iisdem multa fuisse corrupta, canon nomine Sextæ *k* Synodi testari videtur. Ac præterea quædam in eas ex Græcorum fontibus effluxisse, mihi facile persuadeo; vt quod de Ieiunio Sabbati penitus interdicto in ipsis habetur; de quo dictum est superius.

d *Hieron. in Clem.*

e *Euseb. 3. hist. 31.*

f *Athan. in Synops.*

g *Epiph. hær. 45. 70.*

h *Vid. Tur. vbi sup.*

i *Epiph. hær. 70.*

k *Sext. Syn. c. 4. ap. Theod. Balsam.*

V. DE CANONIBVS APOSTOLORVM.

Rursum vero post octauum librum Apostolicarum Constitutionum, ab eodem Clemente Appendicem esse additam titulo περὶ τῶν τάξεως, *de compositione rerum Ecclesiasticarum canones*, Photius *l* tradit: vnde & factum est, vt eosdem canones ab eodem auctore Clemente editos esse nõnulli existimarint, cum alioqui complures codices absque

l *Phot. in Clem.*

Clemen-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Clementis titulo illos habeant. Indeq; fortasse accidit, vt absq; Clementis nomine, Gelasij a censura liber *Canonum Apostolorum* adnumeretur inter Apocrypha; ea vide licet ex parte, quod cum Apostolorum nomine censerentur, non tamen perspicua demonstratio afferri posset eos ab ipsis Apostolis esse statutos. Tunc n. plane inter hagiographa, interq; ipsos canonicos diuinæ Scripturæ libros recẽsendi fuissent: quod inconsulte nimis fecisse reprehenditur Damascenus b. Quod ergo inter canonicos libros non essent adnumerati, ea ex parte Apocrypha dicti sunt: sicut & eadẽ ratione Athanasius c eiusdem Clementis scripta inter Apocrypha illa adnumerat, quæ ab antiquo Scripturarum Canone essent aliena, postea vero recepta, vt sunt libri Esther, Iudith, Tobiæ, & alij eiusmodi.

a *Gelas. decr. de lib. Apocry.*

b *Damasc. 4. de fid. Orth. 18*

c *Athan. in Synop. & ex noua epist.*

VI. QVOMODO RECEPTI.

Quapropter quod quæ in eisdem Canonibus decreta esse noscuntur, ab omnib. æquè recepta fuerint; iidem merito, licet non canonici, tamen authentici dici debent; cum vix sit reperire Catholicum scriptorem d Ecclesiasticũ, aut sacrum Conuentum Episcoporum, penes quem aliquis ex canonibus illis non inueniatur pari consensione probatus. Vnde coarguas falsam Isidori Mercatoris apud Gratianum electionem, qua dicitur, SS. Patres illis minimè assensum præbuisse, quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscerentur, cum tamen nihil in illis quinquaginta à Dionysio translatis, nisi quod Apostolicam doctrinam, & sanctissimam morum disciplinam redoleat, sit inuenire: & illam prorsus veriorem atque probatiorem agnoscas eiusdem Isidori sententiam, quam idem Gratianus f paulo inferius ex legitimo atque germano textu reddidit. Denique quod ex parte quidem nominis (quia videlicet incertum est eos ab ipsis Apostolis esse conscriptos) iidem censerentur Apocryphi; & tamen nonnisi ex traditione Apostolica eorum doctrinam manasse, sanctissimi Patres & sacrosancta Concilia certo exploratum haberent; ea de causa imprimis factum videtur, vt quamuis ex illis firmissimã consueuerint auctoritatem petere, tamen Apostolorum nomine speciatim citare temperauerint, & potius sententiam quam verba descripserint. Sane consueuisse Apostolos, obortas controuersias communi consessu atq; consensu statutis quibusdam regulis definire, datur satis intelligi ex iis quæ facta sunt Hierosolymis g cum de legalium vsu agitata est quæstio. Illic autem non tantum de legalibus actum esse, verum & Apostolos per aliquot dies simul pertractasse de aliis rebus ad Ecclesiæ vtilitatẽ & regimen pertinentibus, declarat apud Clementem h appendix ad Epistolam Apostolorum ex eo Conuentu Hierosolymitano conscriptam. At Sophronius i tunc supradictos canones putauit conditos, cum Paulus Hierosolymã k veniens mansit apud Petrum diebus quindecim: quod nobis haudquam probatur: nondum n. primo illo Ecclesiæ ortu eas natas esse causas apparet, vt necesse fuerit tot sancitis legibus opportunitati Ecclesiæ consulere: Apostolos autem liquet, nonnisi nouis emergentibus causis, nouas instituisse regulas. Tradunt vero alij, Antiochiæ ab Apostolis, ad sedandas controuersias illic exortas, habitam esse Synodum; de qua à nobis alia occasione actum est superius l.

d *Vid. Tur. aduers. Magdeb. lib. 1. c. 12. &c.*

e *Dist. 16. c. 1.*

f *Dist. 16. c. 4.*

g *Act. 15.*

h *Clemen. 6. Const. 12.*

i *Sophron. hõ. de agn. Pet. & Pauli.*

k *Gal. 1.*

l *Ann. 58. XLVIII.*

VII. DE NVMERO EORVM.

Quod vero ad numerum Canonum de quibus agimus attinet; qui primus è Græco in Latinum eos vertit, Græcus & ipse auctor, sed inter Latinos magna cum laude diu versatus, Dionysius cognomento Exiguus, meritis Maximus, qui à doctissimo viro Cassiodoro m mirificè prædicatur; is, inquam, quinquaginta tantum reperit, quorum vltimus habetur ille de trina in baptismate mersione. Qui autem supersunt vsque ad numerum octogesimum quintum, quos habet canon ille qui dicitur Sextæ n Synodi, (cum alioqui septuaginta, vel etiam sexaginta tantummodo ab aliis numerentur) aliunde emanarunt. Magnam vero imposturæ faciunt suspicionem, tum ille sexagesimus quintus de interdictione Ieiunij Sabbati, tum qui de Libris Canonicis omnium postremus habetur, in quo multi libri sacri omittuntur tam Veteris quam Noui Testamenti, alijq; Apocryphi apponuntur. His autem duobus o exceptis, reliqui illis quinquaginta superadditi, sic aliis locis positi esse noscuntur, vt in dubium æquè reuocari possit, an inde accepti fuerint, vel illuc translati. Sed vtcunq; acciderit, quod sancta Ecclesia eos probasse noscatur, siue quod ab Apostolis fuerint instituti, siue quod Conciliorum decretis fuerint confirmati; merito iure q; authentici habeantur.

m *Cassiod. de diuin. lect. c. 23.*

n *Sext. Syn. c. 2 ap. Theod. Balsam.*

o [Quid si & certiũ addas? nempe 67. de baptizatis, & ordinatis ab hæreticis.]

Inter alia quoque eiusdem Clementis Scripta, recensentur decem libri *Circuitionum*, seu *Periodorum Petri*, qui ab aliis *Itinerarium Petri*, ac rursum *Recognitiones Clementis*, ac demum à Beda a *Historia Clementis*, appellati reperiuntur. Equidem à Clemente eius argumenti libros esse cõscriptos, nulla fuit apud antiquos dubitatio: sed eos, adhuc ipso Clemente viuente, ab Ebionæis hæreticis esse depranatos, auctor est Epiphanius b: idemq; ab Eunomianis factum, Ruffinus affirmat in præfatione quam eorundem versioni esse concinnatæ apposuit. Vt merito libri illi ab antiquioribus Patribus c tam Græcis quam Latinis inueniantur esse proscripti: licet Clemens Alexandrinus & Origenes aliquando eos citasse reperiantur.

VIII. CLEMENTIS ITINERARIVM.

a *Bed. de rat. temp. c. 3. & in Act. 5.*

b *Epiph. har. 30.*

c *Athan. in Synop. Epiph. har. 30. Philastr. de har. Gelas. decr. de lib. Apocry. & alij.*

Traditio est insuper, eundem Clementem, quem acceperat à Petro ritum offerendi sacrificium (MISSAM nempe ipsam) Romanæ Ecclesiæ scriptis consignatum reliquisse: cui traditioni adstipulatur Proclus d Episcopus Constantinopolitanus, aliique Græcorum qui de sacris ritibus commentarios scripsere; quamuis aliqui putarint, per *Liturgiam Clementis* intelligi, quæ de eodem sacratissimo sacrificio scripta habentur in eius e Constitutionum libris. Cæterum quã vniuersa Occidentalis Ecclesia præscriptam habet sacræ Missæ formam, (quibusdam exceptis, quæ sunt addita vel mutata) non tam à Clemente, quam ab ipso Apostolorum Principe Petro sibi vendicat antiqua traditio; cum eius institutionis nullum aliud sit principium, aliamve originem demonstrare. At de Scriptis Clementis iam satis.

IX. MISSA CLEMENTIS.

d *Bibl. Patr.*

e *Clemen. 7. Const. 25. & lib. 8. c. 15. &c.*

Qui autem vniuersæ per Orbem diffusæ Ecclesiæ pastorali cura præfuit, idem vti opus esse videret, plures etiam ordinasse reperitur sanctissimos Episcopos, puta *Taurinum* quem dedit Ebrodicensibus, *Lucianum* Bellouacensibus, *Dionysium* Parisiensibus, *Eutropium* Santonensibus, *Nicasium* Rotomagensibus, & alios aliis cum nouas erigeret diuersis locis Ecclesias; de quorum nonnullis dictum est superius, de aliis quamplurimis fit mentio in Tabulis Ecclesiasticis. Eo vero martyrio functo, cessasse Episcopatum eius diebus viginti vno amplius, habet Liber de Romanis Pontificibus. Verum si successoris electio Romæ (vt creditur) facta est, longiori tempore sedem vacasse necesse est; quod non tam breui dierum spatio, Chersoneso Romam de eius obitu certum nuncium deferri potuerit, nec de successore eligendo haberi comitia. Quamobrem vacasse sedem vsque ad mensem Aprilis anni sequentis inferius demonstrabitur.

X. EPISCOPI ORDINATI AB EO.

De quibus alias occasione Baron. To. 1. an. 95. in fin.

IESV CHRISTI ANN. 103.

ANACLETI ANN. 1.

TRAIANI IMP. ANN. 4.

ANNO CHRISTI centesimo tertio, Traianus Imperator quartum gessit Consulatum vna cum Sexto Articuleio, siue (vt vocat Spartianus f) Aurunculeio. Meminit Plinius g de quarto Consulatu Traiani mox post tertium subsecuto; quem cum gerere recusaret, Senatus (inquit) & rogauit & iussit. Quo item anno idem C. Plinius Secundus Iunior (eius qui historiam naturalem conscripsit sororis filius) & Cornutus Tertullus VV. CC. atq; prudẽtissimi, honorarium gessere Consulatum; vt declarat idem Plinius in Panegyrico pro gratiarũ actione Traiano dicto: vbi quod ait, suum ipsius nomen fore addendũ Fastis, quibus ipse Traianus perscriberetur; eodem sane modo dictũ est, quo de Frontone Oratore ab Augusto suffecto Con-

I. DE CONSVLATV PLINII SECVNDI.

f *Spart. in Hadria.*

g *Plin. in Panegyr.*

sule Ausonius scribit, quærendum fuisse quibus Coss. gessisset Consulatum; nempe quod Coss. ordinarij (vt alibi a dictum est) nomen darent anno; suffecti vero sic adderentur Fastis honoris causa, vt subordinariis Coss. honorarium dicerentur gerere Consulatum.

a *Vid. sup. an. 74. 1.*

II. ANACLETVS PAPA CREATVR.

Hoc eodem anno, tertia die Aprilis ANACLETVS natione Græcus, patre Antiocho, creatus est Romanæ & Vniuersalis Ecclesiæ Pontifex. Ex die namq; obitus eius, qui ponitur decimus tertius Iulij, dies pariter ordinationis colligi posse videtur, habita simul ratione annorum sedis; quem quidem Liber de Romanis Pontificibus, atq; Indices Vaticani ponunt sedisse annis nouem, mensibus tribus & diebus decem. Cæterum depraua tam esse primorum istorum Pontificum Chronologiam per Consules, sed & Anacletum cum Cleto ab aliquibus fuisse confusum, iam dictum est in Lino.

III. DECEBALVS VICTVS.

Quod aũt ad res externas seu profanas pertinet; hoc eodem anno Traianus Imp. profectus aduersus Decebalum Regem Dacorum, quem Domitiani ignauia reddiderat feroc issimum, eundem ingenti edita cæde deuicit, & ad se aduentantem, atq; humi ad pedes procumbentem excepit, ac perdifficiles pacis conditiones subire coegit, rebusq; compositis, in Italiam rediens cum triumpho, *Dacici* est cognomentum adeptus. Quo bello & illud memoria dignum præstitit, vt cum post prælium vulneribus ligamenta suis deessent, propriam vestem in lacinias conscissam sauciatis partitus fuerit. Militibus quoq; qui in ea pugna conciderant, aras constitui, & annua parentalia peragi voluit. Hæc omnia Dio *a* vberius.

a *Dio lib. 68.*

[Hoc bellum Decebalicum quidam referunt in annum superiorem, auctoritate cuiusdam Inscriptionis quam refert Scaliger in Eusebium. Attamen Pontacus in eundem Eusebium, plurib. aliis testimoniis id firmat præsenti anno. Ita namq; plurima nutant in antiqua historia, vt nõ leue sit negotium quibus standum sit decernere, quod tamen tanta passim sit confidentia, vt diceres ex tripode Apollinis oracula proferri.]

IESV CHRISTI ANN. 104.

ANACLETI ANN. 2.

TRAIANI IMP. AN. 5.

I

ANNO CHRISTI centesimo quarto, Sarano iterum & Seruiano Coss. *b* C. Plinius Secundus, post functionem superioris anni Consulatus, more maiorum prouinciam suscepit administrandam; cui tributa est Bithynia. Quod vero Romanæ consuetudinis esset (vt docet Varro *c*) de rebus diuinis primum, ac subinde agere de humanis; Proconsulis quoq; munus erat, cum prouinciã ingrederetur, ædes *d* sacras & opera publica circumire, & nequid detrimenti religio pateretur attendere: cum alioqui apud Plinium nihil religione esset antiquius, quippe qui inter alios magistratus à Traiano Imper. Auguratum *e* accepisset.

b *Spart. in Hadria. Plin. 10. ep. 18.*

c *Var. de ling. Lat.*

d *l. 7. D. de offic. Procoss.*

e *Plin. 10. ep. 8.*

II.

Cum igitur in prouincia religionem Christianam adeo propagatam inuenisset, vt iam templa deorum viderẽtur esse deserta, perrarique inuenirentur qui diis sacrificia immolarent; (Huic enim ac finitimis prouinciis olim Petrus Apostolus, vt vidimus, Euangelium prædicauerat: è quibus & Pontum repletam fuisse hoc sæculo Christianis, apud Lucianum *f* testatum habetur:) his permotus Plinius, postquam primo, iuxta edictum Traiani, de quo superius, conuẽtus Christianorum vetuisset, atq; inde quibusdam tormenta & mortem intulisset; tandem multitudine turbatus, quod in omnes animaduertere durum admodum, imo impossibile videret; quid de cætero ageret, scripta Epistola *g* (qua & probatos mores, sanctosque ritus illorum Christianorum descripsit) Traianum consulens, rescriptum *h* ab eo accepit, Christianos conquirendos non esse; si autem deferrentur & arguerẽtur, ac in sententia persisterent, puniendos esse; sed sine auctore libellos aduersus eos recipi non debere. Ita Traianus. Et hoc quidem de auctore libellorum, iuxta placita legum: eos n. notatos esse oportere Consule & die, atq; Iudicis & accusatoris nomine, merito Iurisconsultus *a* admonuit. Ipsum vero Traiani rescriptum iure redarguit Tertullianus *b*, quod neget inquirendos Christianos vt innocentes, & tamen mandet puniri vt nocentes. Si n. damnandi, cur non & inquirendi? si non inquirendi, cur non & absoluendi? Agens quoque pluribus de eodem rescripto Eusebius *c*, demum subdit, etsi post illud feruor persecutionis imminutus fuerit; nihilominus siue furore populorum, siue Magistratuum insidiis, quamplurimos vbiq; Fideles variis martyriorum generibus obtruncatos fuisse. Certè n. licet vetarentur inquiri, tamen satis amplus fuit ad eos persequendos delationis aditus.

f *Lucian. in Pseudom.*

g *Plin. 10. ep. 97.*

h *Ibid ep. 98.*

a *l. libellorum D. de accus. & inscript.*

b *Tert. Apol. c 2.*

c *Euseb. 3. hist. 27.*

III.

Sed tantum abest, vt accidere posset quod Plinius spe vana concipiebat, futurum vt si Christianis (quod ait ad Traianum) pœnitentiæ locus daretur, Christiana religio extingueretur, vt contra adeo in immensum cresceret eorum multitudo in Asia, (in qua & Bithynia erat) vt vnius tantummodo ciuitatis populus Arrium Antoninum Asiæ Proconsulem in stuporem magnum alias adduxerit. Hic enim (vt ait Tertullianus *d*) cum persequens instanter eos qui fidem CHRISTI susceperant, aliquando in vna ciuitate de illis quæstiones haberet; omnes ante tribunal eius se manufacta obtulerunt: cum ille paucis duci iussis, reliquis ait: *O miseri, si capitis perire, præcipitia & restes habetis.* Hęc Tertullianus.

d *Tert. ad Scap. cap. vlt. Ap. Baron. ann. 123.* ALACRITAS CHRIST. IN SVBEVNDO MARTYRIO.

IV. VNDE TOT ROMA MARTYRES.

Cæterum ex iisdem Plinij ad Traianum literis obserues, Proconsules ac Præsides sic in suis prouinciis animaduertere solitos in Christianos quoslibet, vt tamen quos inuenissent ciues Romanos, (quod in eiusmodi homines ius gladij non haberent) vel trãsmitterent more maiorum Romam iudicandos, vel saltem de iis ad Imperatorem referrent: vt factum constat in Attalo *e* martyre Lugdunensi, & aliis quamplurimis. Sed ex his etiam colligas, immensum plane fuisse numerum martyrum qui Romæ sunt passi, cum non tantum qui illic agerent, quorum erat ingens multitudo, supplicio afficerentur, sed ex aliis etiam prouinciis eo mitterentur. Denique quod nullam apud Græcos aut Latinos inuenerimus mentionem eorum martyrum, qui iussu Plinij (vt ipse testatur) morti sunt traditi; vel hoc vno exemplo plane intelligas, innumerum ferme eorum fuisse numerum, quorum non tantum Acta oblitioni sint tradita, sed & omnis ab Ecclesiasticis Tabulis memoria penitus exsita.

e *Ap. Euseb. lib. 5. c. 1.*

IESV CHRISTI ANN. 105.

ANACLETI AN. 10.

TRAIANI IMP. ANN. 6.

I.

ANNO CHRISTI centesimo quinto, Traiano quintum & Appio Maximo Coss. rebellantem Decebalũ idem Traianus facto ponte ingentis magnitudinis & artificij in Istro, seu Danubio dicto, debellauit, Daciamq; redegit in prouinciam. Hæc pluribus Dio. Alia vero quæ his addit Eusebius *, non hoc anno, sed sequentibus gesta, idem Dio demonstrat. Cæterum prædictum pontem euertit postea Hadrianus, ne illo ad facilem transitum vterentur barbari.

* *Euseb. in Chron. ann. 105. 106.*

II. ELXAI PSEVDOPROPHETA.

His Traiani temporibus, instante (vt vidimus) persecutione, scelestissimus Pseudopropheta, ELXAI nomine siue *Helxeus*, ex Iudæis oriundus, & cũ Iudæis sentiens, non secundum legem conuersans, Ossenis se, Ebionæis, ac Nazoræis coniunxit: atq; insuper imaginaria quædam, velut ex reuelatione introduxit; aduersansq; virginitati, coegit ad nuptias: sed & asseruit, non esse peccatum in persecutione

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

tione fidem abiurare, dummodo corde retineretur. Prohibebat etiam orare ad Orientem; & faciem ex omnibus partibus versus Hierosolymam conuertere docebat. Christum nomine tantum confitebatur, ac creaturam duntaxat esse dicebat, semper apparentem, primo in Adam, inde in CHRISTO: eundemq; describebat esse quandam virtutem habentem mensuras milliariorũ nonaginta sex in longitudinem, quatuor autem & viginti in latitudinem; crassitudinem similiter emetiens, & pedes, & reliqua fabulamenta. Sororem ipsius esse Spiritum sanctum femineo sexu, instar statuæ super nubes & in medio duorum montium stantem. Septem quoq; testes iurisiurandi suis præscripsit, nimirum salem, aquam, terram, panem, cœlum, æthera, & ventum; quos iurisum aliquando variauit: & versutus homo suorum scriptorum interpretationem prohibuit, quæ tanquam è cœlo delapsa promulgauit; reijciens vniuersam ferme Scripturam sacram. Hæc & alia de eo Epiphanius *a*: qui & addit, *Helcesaitas*, siue *Helcesaos*, qui se ab Elxai descendere gloriarentur, tanti existimasse duas mulieres, alteram *Marthus*, *Marthanam* alteram nuncupatam, quæ ex semine eius dicerentur descendisse, & vixetunt ipsius Epiphanij tempore; vt eas adorarent veluti deas, earumque sputa, & reliquas sordes corporis, vt res sacras adhiberent (licet frustra) in auxilium morborum. Tradit insuper Philastrius *b*, hos ex vana quadam superstitione cõsuetisse nudis pedibus incedere; solitosque vti incantionibus, mathesi, magia, & aliis superstitionibus. Meminit vero etiam eiusdem hæresis Eusebius *c* ex Origene, necnon Augustinus *d*, & alij recentiores: eosdemque hæreticos idem Epiphanius, *Sampsaos*, quoq;, à nouo, vt puto, auctore, dictos scribit.

a *Epiph. hær. 19. & 53.*

b *Philast. de hæres. cap. 82.*

c *Euseb. 6. hist. 31.*

d *Aug. de hær. cap. 52.*

IESV CHRISTI ANN. 106.

ANACLETI ANN. 4.

TRAIANI IMP. ANN. 7.

ANNO CHRISTI centesimo sexto, Surano atque Marcello Coss. Traianum Dacico bello cõfecto Romam repetentem (vt ait Dio) plurimæ barbararum gentium legationes, atq; etiam Indorum adiere. Itemque Bibliothecas extruxit, & ingentem columnam cochlidem statuit in Foro dicto ab ipsius nomine Traiano. Fuit autem hoc Forum cæterorum omnium celeberrimum; quod vna cum dicta columna, præ cæteris Vrbis nobilissimis structuris, longe post hæc admirationi fuisse Constantio Imperatori Romam venienti, tradit Ammianus *e*. Nec immerito: nihil enim vsquam terrarum eadem columna admirabilius, nihil magnificentius: in qua cælatæ sunt in circuitu res gestæ ipsius Traiani bello Dacico, aliisq; militarib. expeditionibus: quam quidem hoc anno cœptam, nonnisi post septennium esse absolutam, demonstrant antiqua *f* numismata, in quibus vna cum Consulatu sexto eiusdem Imperatoris, (quem gessit anno decimoquinto Imperij) ipsa columna cũ Traiani simulacro desuper collocato habetur expressa; cum ante illud tempus nunquam effigiata alicubi reperiatur. Adeo vt detentus bellis Orientalibus Traianus, eam non viderit, quod rediens victor in itinere obierit. Porro illa in hanc vsq; diem integra permanente, Sixtus Quintus Pontifex Maximus super eius verticem, Principis Apostolorum Petri ingentem æneam inauratam statuam sacris ritibus solemniter collocauit.

I.

COLVMNA TRAIANA.

e Amm. Marcel. lib. 16.

f Refert Baron. Annal. Tom. II. hoc an. ex musæo Laly Pasqualini.

II. PETRI ET PAVLI TROPHÆA ROMÆ.

Sed antequã Traiani columna consurgeret, erant Petri trophæa Romæ conspicua. Siquidem Anacletus (vt habet liber de Romanis Pontificibus) cum adhuc presbyter esset, construxit desuper eius corpus in Vaticano, Memoriã siue Ecclesiam: quam perseuerasse in posterum, nec tot diri-ssimarum persecutionum turbinibus (quod omnem admirationem superat) postratam esse, affirmat Gaius *g* antiquus Theologus, qui sub Zephyrino vixit, atque ea tunc Romæ existens scripsit. Imo non Petro tantum erectam memoriam celebrem, sed & Paulo Via Ostiensi tradit; easdem *Trophæa Apostolorum* appellans, quod victorias Sanctorum de subactis hostibus repræsentarent.

g Gaius ap. Euseb. 2. hist. 24.

IESV CHRISTI ANN. 107. 108.

ANACLETI ANN. 5. 6.

TRAIANI IMPER. ANN. 8. 9.

ANNO CHRISTI centesimo septimo, Candido & Quadrato secundũ Coss. Traianus *a* Armenis ac Parthis, aliisq; finitimis populis bellum intulit, quorum alios in deditionem recepit, alios bello subegit.

I.

a Dio in Traiano.

POPVLI à TRAIANO DEVICTI.

II.

Sequenti vero (qui fuit Christi centesimus octauus) Commodus Verus ac Cerealis Cõsulatum inierunt. Quo anno, & sequentibus, idem Imperator perseuerans in expeditione Orientali, Iberos, Hosdroenos, Arabas, Bosphoranos, Colchos, Assyrios, Persas, aliasque nationes, sed & celeberrimas vrbes Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem, aliasque, partim vi occupauit, partim in deditionem aut fœdus accepit; & *Arabici* ac *Parthici* cognomen est adeptus. Denique literis ad Senatum scriptis victarum à se gentium nomina recitans, tantus (inquit Dio) fuit earum numerus, vt vix recensери aut numerari possent, ac permiserit ei Senatus quot vellet triumphos: quippe Tigrim etiam transgressus, vsque ad Oceanum & Indiæ terminos protulit Imperium; professus, si iunior fuisset, etiam se Indiam tentaturum.

[Victorias à Traiano de his populis partas prolixè Dio prosequitur, & Baronius recensет diuersis annis quibus eæ contigerunt; quas nos compendiosè in vnum congessimus. Sed quod audis de victis *Persis*, & *Parthis* cognomine, hic in transcursu monere visum. Parthos pro Persis, ac vice versa à veteribus Scriptoribus tam Græcis quam Latinis sæpe sine delectu accipi consueuisse, (prout etiam multis exemplis probauit Pont in Not. ad Euseb. Chron.) tum propter vicinitatem, tum quia vterque populus vni eidemq; Regi plerumq; subdebatur, & maxime ab eo tempore quo Parthi cœperunt habere Regem *Arsacem* (quod Eusebius ponit sub Olympiade 133.) cuius suasu defecerunt ab Imperio Macedonum, & ab eo ipsius successores Reges dicti sunt *Arsacidæ*: tenueruntq; regnum vsq; ad *Artabanum*, cum quo Parthis ab *Artaxerxe* Persa sub Alexandro Seuero Imper. deuicto, omnis inde potentia Parthorum rursum ad Persas, quibus olim subditi fuerant, translata fuit, quadere Herodianus libr. 5 & 6 Dio lib. 80. Agathias libr. 4. & alij. Fuit autem Rom. imis primo cum Parthis, deinde cum Persis bellum atrox, sæpe interruptum, tum sæpe integratum, a. fere infaustum; à Parthica illa expeditione, in qua periit Crassus, ad istam extinctionem Imperij Persici ab Arabibus, qui eo potiti sunt sub Heraclio Imp. ficuti videbitur inferius suis locis.]

DE IMPERIO PERS. ET PARTHICI.

Sed quod res nostras spectat; in his expeditionibus aliquando accidit, vt idem Imp. more maiorum lustrans exercitum, inuentos in eo vndecim mille Christianos in Armeniam relegarit, ea spe vt ignominia notati, Christiani esse desinerent: ac *Romulum* Domus Imp. præpositum, eiusmodi sæuitiam detestantem, ac se Christianum profitentẽ, capite damnarit: prout narratur in Actis eiusdem Romuli, quæ Metaphrastes ex antiquioribus monumentis descripsit: cuius etiam martyrium tam Orientalis, quam Occidẽtalis Ecclesia annua celebritate recolere *b* consueuit. De Militibus vero relegatis quid factum sit, licet ibi non narretur, conijcimus tamen, hos illos esse *Decem mille Martyres*, qui in siluis montis Ararath in Armenia sunt crucifixi: nam etsi sub Hadriano Acta ipsorum passos ponant, tamen (nisi velimus ad Hadriani Imperium esse reseruatos) cum certum sit, Hadrianum Traiano in militarib. expeditionibus adhæsisse, & apud eum, tanquã ipsius nepotem, principem locum obtinuisse, nihil est quod vetitati historiæ deroget: sicut nec alia quædam minima, quæ Scriptorum incuria irrepserunt. Eodem quoq; tempore passum putamus *Hyacinthum d*, qui eidem Traiano erat à cubiculo, in carcere fame necatum Cæsareæ in Cappadocia.

III. MILITES CHRIST. MARTYRES.

b Martyrol. Rom. & Menol. Græc. 5. Sept.

Ap. Sur. 22. Iunij. & vide Baron. in Not. ad Martyrol. Rom. ead. die.

Martyrol. tom. 5. Nouembr.

IESV CHRISTI ANN. 109.

ANACLETI ANN. 7.

TRAIANI IMP. ANN. 10.

I.

ANNO CHRISTI centesimo nono, Senecione & Sura Coss. cum Traianus ageret in Imperio annum decimum *a*, SYMEON Frater Domini dictus, filius Cleophæ, Hierosolymitanus Episcopus, à quibusdam qui erant ex Iudæorũ sectis, tum vt ex Dauidis stirpe ortus tum vt Christianus, in iudiciũ coram Attico Consulari vocatus; annos natus centum & viginti, postquã verberibus crudelissimè cæsus est, fortissimum crucis supplicio martyrium cõsummauit. Remgestam pluribus narrat ex Hegesippo Eusebius *b*. In Symeonis vero locum suffectus est *Iustus*, reiecto THEBVLE quodam, vno ex eisdem Iudæorum sectis: qui repulsæ impatiens, Ecclesiam Hierosolymitanam (quæ q hactenus immunis ab hæresi conseruata fuerat, *Virgo* dicebatur) erroris labe secreto inficere exorsus est; prout testatur idem Eusebius *c*.

a *Euseb. in Chron.* SYMEONIS MARTYRIŨ.

b *Id. 3. hist. 26.* THEBVLIS HÆRETICVS.

c *Id. 4. hist. 21.*

II.

Eodem quoq; decimo Traiani anno, ad Christi nominis confessionem S. IGNATIVS Episcopus Antiochenus vinctus abducitur Romam, tradendus bestiis. Cum n. passum constet Calendis Februarij, vt Romanum habet Martyrologium, & anno vndecimo Traiani, vt Eusebius *d* & Hieronymus *e* scribunt; merito hoc anno eius abductio & iter, sequenti vero martyrium ponitur. Quod autem Romam ad dicendam causam & ad supplicium missus fuerit, inde accidisse putamus, quod non illi tantum (sicut ex literis Plinij vidimus) qui inter Christianos ciues essent Romani, eo mitti consueuissent; sed & illi qui inter quoscunque delinquẽtes, factiosorum viderentur auctores, vt Iosephus pluribus declarat exemplis, & alij rerum Romanarũ scriptores: cuius certè æstimationis apud Gentiles erat Ignatius, qui primus inter Orientales Episcopos haberetur, tum sedis prærogatiua, tum vitæ meritis.

IGNATIVS ROMAM MITTITVR.

d *Id. in Chron.*

e *Hieron. de Script. Eccles. in Ignat.*

ILLVSTRIORIS REI ROMAM MITTI SOLITI.

III.

Cæterum Smyrnam maritimam Ioniæ ciuitatem, cum peruenissent qui eum ducebant milites, (quos ipse ob feritatem & inhumanitatem, *Leopardos* f nominat; qui & beneficiis affecti peiores, vt ait, fierent) & aliquantisper ibidem consisterent; ea bene vsus mora Ignatius, ad Ecclesias à quibus honestissimas legationes in itinere acciperet, (quarum etiam meminit Chrysostomus in oratione de ipsius translatione) literas rescribens, easdem ad pietatem & disciplinam Ecclesiasticã, prout ab Apostolis consignata fuerat, conseruandam diligenter hortatus est; simulq; ingens martyrij desiderium quo flagrabat, sæpius inculcauit. Smyrnam n. insignes illas ad Ephesios, Trallianos, & Magnesianos Epistolas dedisse, ex iisdem apparet. Sed & cum reperisset quosdam Christianos Ephesios Romam recta vẽturos, eisdem ad Romanos (vt ipse ad finem testatur) celeberrimam omnium dedit Epistolam, qua plane insignibus eam Ecclesiam titulis atque præconiis exornauit, dum ipso eius exordio hæc habet: *Ignatius, qui & Theophorus, Ecclesiæ sanctificatæ & illuminatæ, per voluntatem Dei operãtis omnia quæ pertinent ad fidem & charitatem Iesu Christi Dei & Saluatoris nostri, quæ præsidet in loco Romanæ regionis, Deo digna, decentissima, beatificanda, laudanda, digna qua quis potiatur, castissima & eximiæ charitatis, Christi & Patris nomen ferens, Spiritusq; plena.* Ex quibus in tanta scriptorum huius temporis inopia, intelligas eam Ecclesiam tunc florentissimam extitisse. Smyrna vero Troadẽ perductus, alias inde literas ad Philadelphios, Smyrnenses, nec non ad istorum Episcopum Polycarpum scripsit; aliasq; rursum Philippis Macedoniæ ad suos Antiochenos, & ad Heronem diaconum, (cui & prænunciauit fore vt sibi in eius Ecclesiæ regimine succederet) nec nõ ad Tarsenses: & inde terrestri itinere versus Dalmatiam deductus, ad Philippenses quos reliquerat, dedit omnium (vt videtur) nouissimas.

IGNAT. SCRIBIT AD DIVERSAS ECCLES.

Quod autem ad cunctarum ipsius Epistolarum numerum spectat; Eusebius *a* & Hieronymus *b* earum tantummodo meminere, quæ datæ sunt Smyrnæ ac Troade, priusquam ipse ex Asia recessisset, omnes numero septem: reliquæ vero eos præteriisse videntur; sicut & illa quam longe antea, simul atque Clemens creatus est Romanus Pontifex, scripsit ad Mariam Cassobolitem. Sed de harum quoque fide, parum est vt citem vetustissimos Græcos codices, qui tum in diuersis Vrbis Bibliothecis, tum aliis vbiq; locorum habentur; vel Photium in testem adducam: quandoquidem iudicio omnium eruditorũ, stylo, charactere, aliisq; complurib. notis verborum, sententiarum, ac rerũ, ex septem illis omnium auctoritate probatis certã sibi venient fidem. Quod autem septem illæ seorsum positæ haberentur, fuit illa prima collectio facta à Polycarpo Smyrnensium Episcopo, qui rogatus à Philippenſibus, eas adipsos misit, vt ipse testatur in Epistola *c* quam mox post discessionem Ignatij è Macedonia, scripsit ad eosdem. Hi vero illis à Polycarpo acceptis, quatuor alias, tum apud se, tum ad se datas, addiderunt: quam ipsorum collectionem non Græcis tantum, sed & Latinis postea innotuisse constat. Denique præter duodecim numeratas, plurimas alias ab eo ante vincula diuersis occasionibus fuisse scriptas, neminem puto dubitare; cum id præsertim postularet numerus Episcopale. Quæ idcirco dixerimus, quod legantur eiusdem titulo duæ ad S. Ioannem Apostolum, ac tertia ad sanctissimam Deiparam, cui & iuncta est alia Virginis ad ipsum reddita. Sed cuius istæ sint fidei, iudicium esto penes prudentem piumque lectorem: quas quidem scimus S. Bernardum *d* citasse aliquando earumq; memisse alios.

IV.

a *Euſ. 3. hiſt. 30.*

b *Hieron. in Ignat.*

NVMERVS ET FIDES EPIST. EIVS.

c *Ap. Euſ. 3. hiſt. 30. in fin.*

d *Ber ſer. 1. in Pſal. 90.*

V.

At de Ignatij Epistolis hactenus; quarum (vt vidimus) meminit Polycarpus *e*, citantq; Dionysius *f*, Irenæus *g*, Athanasius *h*, Eusebius *i*, sæpe Hieron. *k*, crebrius Theodoretus *l*, & alij Latinorum atq; Græcorum complures. Quæ autem in eis sinceritissima Apostolica traditio, tum de doctrina, tum de disciplina Ecclesiastica contineatur, dictum est magna ex parte variis locis superius, secundum disputationum necessitates: puta de Conuentibus Ecclesiasticis, & vsu diuinorum Sacramentorum, atq; imprimis sanctissimæ Eucharistiæ, de Ordinibus Ecclesiasticis, de Hierarchia Ecclesiæ, de sacris Virginibus & Viduis, & de Ieiuniis, & Festiuitatibus, aliisq; eiusmodi ritibus & institutis. Ex quibus quænam esset primitiuæ illius Ecclesiæ ab Apostolis ordinatæ facies, certissimè datur intelligi. Non n. alia Ignatium inculcasse, quam quæ Apostoli cum quibus ipse vixit docuissent, exploratum est. Vnde & Eusebius testatur *m*, eum hoc tantum Epistolis suis conatum esse, vt Apostolicas traditiones consignatas relinqueret. Qui & idem ad Trallianos scribens, primus in Ecclesia nomina nouem ordinum Angelorum vna coniunxit: cum alioqui eadem diuersis sacræ Scripturæ locis (vt Gregorius *n* docet) reperiantur. Nam Dionysium, qui de cœlesti hierarchia plura conscripsit, cum in suis commentariis Ignatium citet, post ipsum scripsisse æquum est existimare. Sed de his modo satis: iam ad iter Ignatij redeamus.

c *Polycarp. ep. ad Philipp.*

f *Dionyſ. de diuin. nomin.*

g *Iren. lib. 5.*

h *Athan. de Synod.*

i *Euſ. 3. hiſt. 30.*

k *Hieron. de Script. Eccleſ. in Matth. Ignat. & Polycarp.*

l *Theodor. in dialog.*

m *Euſeb. 3. hiſt. 30.*

n *Greg. hom. 34.*

VI.

Ipse igitur transiens per Epirum, Adriaticum mare primum, inde Mediterraneum nauigans, Puteolos tandem appulit, ac demum Romam perductus est; vt narrat Metaphrastes, dum ex antiquis monumentis Acta eius recentet. De martyrio vero dicetur anno sequenti. Interea hoc eodem anno pro confessione Christi certauerunt Philippis PARMENAS vnus ex septem primis Diaconis: & in Pisidia, *Zozimus* p miles.

o *Mart. R. 18. Dec. & 23. Ianuar.*

p *Mart. & Menol. 19. Iunij. Ext. eius Acta ap. Metaphr.*

VII.

At quoniam nuper mentio facta est de DIONYSIO AREOPAGITA, citante Epistolas Ignatij; hic nobis accuratius de illo agendum; (quod polliciti sumus, cum eum in Gallias à Clemente Papa missum diximus:) & illud primo inuestigandum, quonam tempore martyrium consummarit. Qui dixerunt id accidisse sub Domitiano Imp. puta ex Græcis Metaphrastes *q*, ex Latinis Hilduinus *r*, & Hincmarus *s* Rhemensis; satis ipsi refelluntur ex ea q̃ supe-

DE TEMPORE MARTYRII DIONYSII AREOP.

q *Metaphr. in Diony. 9. Oct.*

r *Hild. in Areopag.*

s *Hincmar. ap. Sur. 9. Oct.*

rius

tius diximus, quamque iidem germanam agnoscunt, Epistola Dionysij ad Ioannem Euangelistam scripta, cum adhuc exularet in Patmo; dum in ea dicit, sibi diuinitus esse reuelatum breui futurum esse vt mutuo fruerentur congressu; certum autem sit, nonnisi post necem Domitiani, sub Nerua Ioannem esse liberatum, quando Dionysium illum adijsse oportuit. Rursum vero cum iidem alia eius recipiant scripta, ipseque in libro de Diuinis Nominibus, Ignatij Epistolæ ad Romanos hoc anno (vt vidimus) scriptæ adducat testimonium; plane certum redditur, eum cõplures sub Traiano vixisse annos. Rectius itaq; Michael *a* Syncellus presbyter Hierosolymitanus, qui (vt ipse profitetur, ac de eo testatur Suidas *b*) tum ex maiorum scriptis, tum ex traditione, res gestas Dionysij est prosecutus, eius obitum ad finem Imperij Traiani contigisse scribit. Imo & antiqua Martyrologia, quorũ maior est fides, Bedæ *c*, Adonis, & alia olim scripta, sub Hadriano Imper. Dionysium subijsse martyrium ponunt: idq; etiam Ado confirmat auctoritate Aristidis Athenienſis, qui sub Hadriano vixit, in commentario de Christiana religione, cuius etiam meminit Hieronymus *d*.

Sed quod à nonnullis dubitatum est, an idem Areopagita sit ille Dionysius Parisiorum Episcopus: Beda quidem, & ipsum secutus Ado, diuersis diebus duos ponunt Dionysios, videlicet *Areopagitam* quinto Nonas Octobris, ac *Parisiensem* Episcopum septimo Idus eiusdem. Verum antiquissimum Bedæ Martyrologium, quod extat apud nos scriptum, itidem & Romanum dictum, vnum tantum habet Dionysium, Parisiẽsem scilicet septimo Idus Octobris. Vnde non à Beda posita, sed ad Bedam ea de Dionysio Areopagita addita esse oportuit; ex Græcorum forte Menologio, in quo agitur quinto Nonas Octobris de Dionysio Areopagita. Sæpe n. accidit vt alia ratione Græci, alia Latini, imo & ipsi inter se Latini, eiusdem Sancti diuersis diebus celebritatem agant; quod nimirum alij natalitium, inuentionis, seu translationis alij, vel forte dedicationis Ecclesiæ diem celebrent: qua etiam ratione de vno eodemq; Sancto iterum agi solemnitatem facile inuenies. Cæterum Bedæ tempore ea de Dionysio Areopagita, ꝙ vnus idemque esset cum Parisiorum Episcopo, adeo visa sunt explorata, vt postea temporibus Ludouici Pij Imperatoris (ad quem Hilduinus Abbas S. Dionysij commentarium ab eo rogatus conscripsit, qui extat *e*) absque aliqua dubitatione fuerint accepta. Sicut & ad Carolum Caluum eiusdem Ludouici filium scribẽs Hincmarus Rhemensis Episcopus, vir illorum temporum eruditissimus, vt in re comperta, atque omnium fide tellata, asseruit id *ratum esse Græca testificatione, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ attestatione, atq; intima Gallicana contestatione.*

Certè quod ad *Græcam testificationem* attinet; quid aliud professus est Michael Imper. qui ad hoc subtilius perscrutandum omnem impendit operam, cum ad eundem Ludouicum imper. publica legatione misit *f* commentarios omnes Dionysij Areopagitæ? Qui Parisios perlati ipsis vigiliis celebritatis S. Dionysij, cuiusnam illi fuerint, edita diuinitus miracula certo certius declarãt. Constat insuper auctore Anastasio *g* Bibliothecario, S. Methodium Constantinopolitanum Episcopum scriptis mandasse Vitam Dionysij Areopagitæ, atq; in ea de eius aduentu in Gallias fidem confirmasse; eandemq; ipsum cum adhuc presbyter legatum ageret apud Romanam Ecclesiam, eidem Ecclesiæ tradidisse. Et idem qui supra Michael Syncellus, Methodio æqualis, & in martyrio sub Theophilo Imp. Iconoclasta socius, scripta oratione panegyrica de rebus gestis S. Dionysij Areopagitæ, pariter profitetur eum auocatum ab Ecclesia Athenienſi, & missum in Gallias curasse Ecclesiam Parisiensem. Denique Metaphrastes ex antiquioribus monumẽtis eiusdẽ Dionysij vitã describens, iisdem adstipulatus est, & alij cõplures ex recentioribus. Testaturque insuper Hilduinus, etiam ipsos Athenarum incolas, veterum historiarum scriptis & successionum traditionib. doctos, eandem sententiam confirmasse. Adeo vt vel his duntaxat testibus, causa euicta videri possit: cum præsertim nullus vnquam inter Græcos ausus fuerit vel leuiter contradicere, quos alioqui constat adeo rerum suarum studiosos exstitisse vindices, vt nisi res plane perspecta fuisset, nunquam tantum virum tam facile donatum fuissent Gallis. Sed de Græcorum testificatione iam satis.

Quod autem de eadem veritate Hincmarus testem adduxit *S. R. Ecclesiam*, aliqua fortasse extabant ea de re Pontificum Romanorum diplomata: vel si hæc deerant, satis est quod Hilduinus ad eandem rem probandam citat aliqua Missalia Gallicana, quæ ait probata fuisse auctoritate Romanorum Pontificum Innocentij, Gelasij, & Gregorij, eorundemque extare ad Parisiensem Ecclesiam eo argumento scriptas Epistolas. Moris enim erat, vt in Sanctorum Natalibus, in sacris Missæ Præfationibus res ab eis gestæ summatim collectæ in Ecclesia publice recitarentur: sicut veteris cuiusmodi consuetudinis fidem faciunt Missale Ambrosianum, & Sacramentarium Gregorianum. His accedit Stephani Papæ auctoritas, factis istis rem confirmãtis: qui cum in Gallis ope Dionysij è morbo conualuisset, translatis Romam eius Reliquiis, in eius honorem monasterium erexit, quod Græcis monachis tanquam ipsius Areopagitæ gentilibus habitandum tradidit; prout ista habentur egregiè testata in Areopagiticis eiusdem Hilduini. Deniq; quod Ecclesia Romana scriptã à S. Methodio (vt dictum est) Dionysij Vitam susceperit, eandemq; eiusdem Bibliothecarius Anastasius Latinitate donatam ad Carolum Caluum Imperatorem in Gallias misisset; argumentum haud leue videri potuit eam veritatem ab Ecclesia Romana esse receptam.

Ad *contestationem* autem *Ecclesiæ Gallicanæ*, qua partet Hincmarus vtitur, satis videri possunt quæ ex antiquioribus monumentis Acta Dionysij Hilduinus collegit; quæ si aliqua in re (vt quod diximus de tempore eius martyrij) minus vera habeantur, non ob eam causam cætera omnia quibus tam Græci quam Latini astipulantur, falsa esse dicenda sunt; cum diuinarum tantum sit Scripturarum, inconcussam continere veritatem. Quod autem his omnibus adeo firmiter stabilitis, Gregorius *a* Turonensis opponitur, dum ait missum Parisios Dionysium tempore Decij Imp. id quidem tam verum est, quam quod ibidem asserit eiusdem Decij tempore Trophimum Arelatem, Paulum Narbonam, & Martialẽ item in Gallias amandatos; quos eorum Acta, antiqua Martyrologia indubitate affirmant ab ipsis Apostolis illuc esse directos. Sed hæc, sicut alia plura, auctoris sanctissimi viri simplicitati, multa tam facile admittenti donanda sunt; prout etiam Hilduinus iam olim eum excusauit.

Quoniam vero in colligendis annis ætatis Dionysij multi decepti sunt; facile est rei veritatẽ ex ipsiusmet scriptis colligere. Cum enim ad Apollophanem scribens testetur, admirandam illam Solis Eclipsim tempore Passionis CHRISTI, contigisse anno suæ ætatis vigesimo quinto; si ad vltima Traiani tempora, vel etiam ad Hadriani Imp. dixerimus peruenisse; (quod probe testatum nuper vidimus) necesse est affirmare, saltem decimum supra centesimum ætatis annum attigisse. Quod haud mirandum erit, si quis consideret quæ de longissima complurium aliorum ætate dictum est alia occasione superius.

Sed quod pertinet ad eius Scripta; cum ea iam ante septingentos annos communi Græcorum omnium ac Latinorum consensione, vt vere Dionysii Areopagitæ, post exquisitissimum examen cognita probataq; fuerint, haud æquum putamus de illis sic agere ac si nunc primum controuersia orta esset, cum præsertim pro illis cõpositæ sint à cõpluribus viris eruditis *b* apologiæ. Quamobrem omissis reliquis leuioribus, aut explicatu facilioribus obiectionib. vni tantum & alteri immorabimur, quæ validiores putantur, & magis ad historiam Ecclesiasticam pertinere noscuntur. Quod igitur imprimis obiicitur, libros *de Diuinis Nominibus* inscriptos esse ad Timotheũ Episcopum Ephesinum, cum tamen in iisdem citetur Epistola Ignatii ad Romanos hoc ipso anno scripta, Timotheum autem constet iam ante hac fuisse defunctum: huic obiectioni haud insulse responderi posse videtur, si dicimus ab ipso auctore ea verba Ignatii postea esse addita. Quis n. dubitet, quemlibet tractatorem ad extremum vsque vitæ diem suas lucubrationes addendo, minuendo, vel immutando solitum expolire?

a *Mich. Syncel. in encom. de Dionys. ap. Lipom. tom. 4*
b *Suid. verb.* Dionys.
c *Bed. & Ado 3. Oct.*
d *Hieron. de Script. Eccles. in Aristid.*
e *Ap. Sur. 9. Oct.*
f *Recitat hæc pluribus Hild. vbi sup.*
g *Anast. ep. ad Carol. Cal. Imp. ap. Sur. 9. Oct.*

VII. FVIT EPISCOPVS PARISIEN.

IX.

X. ROM. ECCLESIÆ DE EADEM RE TESTIMONIA.

XI.

a *Gregor. Tur. 1. hist. Franc. 30.* OBIECTIO EX GREGOR. TVRON. DILVITVR.

XII. ÆTAS DIONYSII.

XIII. DE SCRIPTIS EIVS.
b Numerat illos Sixt. Sen. Bibl. libr. 2. in Dionys. Adde & Matt. Galen. in Areopag. Sid & ipsum Baron. Anual. To. II. hoc an. Dionys. vbi de his agit plurib. Copiose vero Mart. Delrio in Via dic. Areop. col. Scalig & ingeniosissimè Pet. Lanssel. in præfat. ad Opera eiusde Dionysii vbi et vide Sirmondum opere suisse Episcopum Parisiensem.

polire? Sed quis nos compellit, vt affirmemus hunc Timotheum fuisse Pauli discipulum Episcopum Ephesiorum? Nam quæ operi *de Ecclesiastica Hierarchia* præposita est inscriptio, *Compresbytero Timotheo Dionysius presbyter*, sicut & commentario *de Mystica Theologia*; ea prorsus germana, & ab ipso auctore apposita noscitur: illam autem quæ præfixa est libro de Diuinis Nominibus in hæc verba, *S. Dionysii Areopagitæ Atheniensis Episcopi ad Timotheum Episcopum Ephesinum liber de Diuinis Nominibus*, à librariis esse appositam omnes iure consentiunt. Imo quod auctor in ipso exordio commentarij de Ecclesiastica Hierarchia, illum Timotheum vocet *filium*; alium quempiam simplicem presbyterum omnino signare vius est: siquidē vt Episcopus Coepiscopū, etiam ætate iuniorem, nominare consueuerit *Fratrem*, non *Filium*, mille antiquorum exemplis esset facile demonstrare. Quid autem absurdum, plures eius nominis eo tempore fuisse Christianos? Certè quidem tunc quoq; vixisse filium Pudentis Romani nobilissimi Senatoris Timotheū, eundemq; Petri & Pauli discipulum, atq; etiam presbyterum, constat ex Actis *a* SS. Pudentianæ & Praxedis ipsius sororum, necnon ex Romano Martyrologio *b*. Quapropter eadem quoque facilè dissoluitur obiectio de Clemente presbytero, citato in iisdem libris. Quid n. cogit vt intelligamus (quod isti volunt) Clementem Alexandrinum; maximè cum in illis nihil prorsus eiusmodi inueniatur, quale ipsi fingunt? Cæterum cum auctor citans *Clemētem*, nominauerit tantum *Philosophum*, nec aliquo digniori honestet titulo, sicut alias solet cum Christianos auctores citat, veluti cum dicit *Diuinus Ignatius, Eximius Hierotheus*, &c. plane significat se aliquem Philosophum Ethnicum intelligere; siue is fuerit Actius Clemens, ad quem extat Plinij Secundi Epistola, siue quis alius eius nominis.

Sed cur Eusebius & S. Hieronymus, quorum præcipuū fuit studium rerum Ecclesiasticarum Scriptores colligere, de Dionysio Areopagita ne verbum quidem fecisse noscūtur? Quod ad Eusebium spectat; iam olim Maximus monachus, strenuus veritatis Catholicæ aduersus Monothelitas propugnator, eius de Dionysio silentium, affectatum nimis, ac dolo malo simulatum demonstrauit: quippe qui Arianorum vexillarius (vt eum appellat S. Hieronymus) auctores illos prodere timuit, quorum vel solo aspectu Ariana hæresis sterneretur. Et vt omittamus de aliis dicere, quos idem Maximus recenset; nonne dolo malo Theognosti celebertimi Theologi nomen & scripta siluit, quod nominis Cōsubstantialis esset assertor; quem ad hoc constat ab Athanasio *d* sæpe citatum? Porro Dionysij opera, potentissima arma contra hæreticos ad expugnandam Arianam impietatem, quem superius citauimus Michael Syncellus in illis apprimè versatos, plenissimam fidem facit. Sed quod S. Hieronymi nullus omnino dolus subesse possit, eius de Dionysio silentij ratio petenda est ab ipsius scribendi operis instituto: quippe qui in præfatione ad Dexterum, eos se colligere professus antiquos Scriptores Ecclesiasticos, quos inuenisset ab Eusebio recensitos; id duntaxat præstitisse cognoscatur: illis tantum superadditis, qui post Eusebij obitum vsque ad sua tempora floruissent: reliquos enim Sophronium addidisse, omnes intelligunt.

Cæterum Dionysij opera nota fuisse antiquissimis Patribus, satis docet idem Maximus, dum asserit *e* Dionysium Alexandrinum eadem illustrasse scholiis. Et auctor Quæstionum Athanasio *f* tributarum citasse reperitur commentarium *de Cœlesti Hierarchia*. Cuius etiā respectu, Chrysostomum appellasse Dionysium, ob sublimem Theologiam, *Velocem coli*, auctor est Anastasius *g* Bibliothecarius: diciturque extare Venetiis in Bibliotheca S. Marci oratio illa Chrysostomi qua id continetur, eiusque esse titulus *Cygnea Vox Chrysostomi*; quam videlicet habuit Constantinopoli tunc cum in exilium iam abducendus esset: cuius & meminere complures antiqui scriptores. Cyrillum quoque Alexandrinum Scripta Dionysij Areopagitæ sæpe citasse, fidem facit Liberatus Diaconus. Estque item apud Origenem (& licet non Origenis, antiqui tamen auctoris aduersus Arianos pugnantis) Sermo, in quo idem Areopagita allegatur. Cæteri autem Græcorum qui post-ea claruere, vt Anastasij Sinaita & Nicænus, Maximus monachus, Suidas, Damascenus, Photius, Andreas Cretensis, Georgius Pachymerius, & alij denique omnes, nemine aduersante, non solum eiusdem Dionysij scriptis sunt vsi; sed & ipsa eius esse auctoris, pugnaciter defenderunt: meminitque idem Photius commentarij Theodori cuiusdam presbyteri, quo soluit obiectiones curiosorum Græcorum, negantium iisdem fermè cauillationibus quibus hodieque Nouatores vtuntur, ea opera esse Dionysij Areopagitæ Romani Pontificis, Gregorius *a*, Martinus *b*, Agatho *c*, Hadrianus *d*, Nicolaus *e*.

Quod demum ad martyrium pertinet; constat eum à Fescennio Præfecto, post grauissima tormentorum genera, (inter quæ, fuit etiam in craticulam subiecto igne conjectus) vna cum sociis *Rustico* presbytero, & *Eleutherio* diacono, Parisiis gladio percussum esse; sicut pluribus Acta *f* describunt. Quod autem & sanctum Caput suum post decollationem sustulerit, & propriis manibus ad duo milliaria portauerit vsque in locum vbi postea nobilissimum monasterium in ipsius honorem erectum est; id quidem Hilduinus ex antiquioribus monumentis, atq; etiam Metaphrastes & Nicephorus *g* profitentur.

a Ap. Adon. 12. Cal. Iul. Mombrit. tom. 2.
b Mart. R. 20. Iunij.
c Plin. l. ep. 10.
a Greg. hom. 34. in Euang.
b Mart. in Concil. Rom. Act. 3. & 5.
Vid. ap. Bar. To. VIII. an. 649. n. XVIII.
c Agath. in Syn. Rep. ad Heracl. & Tib. Imp. quæ ext. in Sext. Syn. Act. 4.
d Hadria. ep. ad Carol. Mag. c. 36.
e Nicol. ep. ad Mich. Imp.
d Athan. de Syn. Nyc. decr. cont. Arian. & de pec. in Sp. S. ad Seraf.
f Ap. Sur. 9. Oct. Mart. R. ead. die.
g Niceph. 2. hist. 20.
h Liber Breuiar. c. 10.

XV. DE S. DENTIO EVSEBII, ATQVE HIERONYMI.

XVI. OPERA DIONYSII COGNITA MAIORIBVS.

XII. DIONYSII MARTYRIŪ.

IESV CHRISTI ANN. 110.

ANACLETI ANN. 8.

TRAIANI IMP. ANN. 11.

ANNO CHRISTI centesimo decimo, Gallo & Bradua Coss. cum Traianus vndecimū ageret annum in Imperio, (vt tradunt Eusebius *h* & Hieronymus *i*; quibus præstat fidem adhibere, quam recentioribus hæc ad alios Traiani annos referentibus) IGNATIVS Episcopus Antiochenus, leonum dentibus (quod genus supplicij vehementi desiderio optasse, eius Epistolæ *k* demonstrant) in theatro dilaniatus, martyrium feliciter consummauit Romæ, quo vidimus eum superiori anno ex Syria ductum. Rem gestam iidem auctores paucis absoluunt, sed pluribus Metaphrastes *l* ex vetustis ibus tabulis: addens & de Ignatij contestatione, cum iamiam feris obijciendus esset populo spectatori facta, se ista non perpeti ob maleficium aliquod, sed vt Deum assequeretur cuius esset frumentum; atque ideo dentibus bestiarum molleretur, vt fieret eius purus panis. Id ipsum de contestatione apud Adonem *m* legitur; ac præterea multis aliis supplicijs Ignatius affectus traditur, antequam feris obijceretur; quæ & Martyrologium Romanum videtur agnoscere ex parte. Dissentit autem ab eodem auctore Metaphrastes, quod iste Ignatium ita deuoratum à leonibus ait, vt sola asperiora ossa relicta fuerint; Ado vero ita præfocatum, vt carnes intactæ remanserint. Sed quod tam Ado, quā Romanum Martyrologium ipso præsente Traiano passum dicunt; cōmune id est multis Martyrum Actis, vt quæ sub aliquo Imperatore à Præfectis sunt gesta, coram ipso facta dicantur: cum alioqui sciamus, Traianum in Oriente his temporibus egisse cum exercitu.

Post vero necem sanctissimi viri, Syros qui eum comitati sunt Romam, susceptas eius sacras Reliquias Antiochiam ouantes, magno omnium ciuitatum quæ in itinere essent occursu & applausu, solemniter retulisse, egregius est testis Ioannes Chrysostomus *n*, & ipse ciuis Antiochenus. Collocatas autem esse in suburbio ad portam Daphniticam, Hieronymus *o* tradit: ibique magnis ac continuis coruscasse miraculis, idem Chrysostomus testatur. Ex quibus redarguas Nicephorum *p*, qui eiusdem Ignatij translationem Roma Antiochiam factam, ponit sub Theodosio Imperatore Iuniori. Videtur autem secunda ea fuisse, quando idem Theodosius *q* à priori loco sepultu-

i Euseb. in Chron. & 3. hist. 30.
i Hieron. de Script. Eccles. in Ignat.
IGNATII MARTYRIŪ.
k Ignat. ep. ad Tars. Rom. Ephes.
l Metaph. ap. Sur. 1. Febr.
m Ado in Martyrol. 1. Febr.
II. RELIQVIÆ ANTIOCHIÆ RELATÆ.
n Chrys. ser. de S. Ignat.
o Hieron. in Ignat.
p Niceph. l. 14. c. 45.
q Euag. l. 1. c. 16.

sepulturæ, in Fortunæ templum solemni apparatu transferri iussit. Cæterum ex ea quæ hoc tempore facta est, videas quanti iam ab ipso Ecclesiæ exordio facerent Christiani (omnes haud dubium Apostolorum discipuli) Reliquias SS. Martyrum, dum nec Gentilium persecutionem veriti, nec viarum pertæsi difficultates & longitudinem, Roma Antiochiam eas magna pompa & veneratione retulerunt. Quam licentiam ingenti pecunia redemisse, dicendum est: siquidē & antiquo iure Romanorum, reliquiæ defunctorum prohibitæ essent transferri absque a licentia collegij Pontificum; & alioqui frequentissimis Historiæ Ecclesiasticæ exemplis constet, solitos persecutores Martyrum reliquias aut igni tradere, aut in fluenta proijcere, ne à Fidelibus debito ac consueto cultu honorarentur. Porro subrogatus fuit ab Antiochenis in locum Ignatij (quod ipse prædixerat) *Hero* eiusdem Ecclesiæ diaconus.

a *Plin. 10. ep. 73. ad Traian.*

At non solum Ignatium, sed & alios variis locis Episcopos æquè petitos esse ad necem, idem qui supra Chrysostomus testatur. Quod postea accidit de *Onesimo* b Pauli discipulo, Epheliorum Episcopo, Timothei successore; qui ab Asiæ Proconsule vinctus Romam missus, ibi lapidibus obrutus est; eiusq; corpus Ephesum relatum. Quem cum certum sit superuixisse Ignatio, (quippe cui, dum Romam ad martyrium duceretur c, occurrit in itinere) erroris arguitur Nicephorus d, dum eū sub Domitiano occubuisse tradit. Edessæ quoque in Syria, hac eadem Traiani Persecutione passum esse *Barsimæum* Episcopum, & qui ab eo baptizati fuerant, *Sarbelium* idolorum Sacerdotem, & *Barbeam* sororem eius, (quorum ille inter duo ligna sectus est, hæc capite truncata) Tabulæ e Ecclesiasticæ testantur. Et Dyrrachij in Macedonia *Astius* f (aliter Antistius) Episcopus supplicio crucis martyrium consummauit; alijq; ibidem Fideles, eius constantia in cruce pendentis permoti, magno animi ardore sese martyrio offerētes, iussu Præsidis in mare demersi sunt. Ac Synope in Ponto, *Phocas* g itidem Episcopus, post vincula, ferrum, ignemq; superatum, euolauit in cœlum. Pariterq. in Gallia *Crescens* h discipulus S. Pauli, & qui ei in sede Viennensi successit *Zacharias* i; atque in Apulia *Maurus* k Episcopus cum sociis, sub eodem Traiano martyrium consummasse reperiuntur.

III. b *Martyr. Rom. 16. Febr.* ONESIMI, ET ALIOR. EPISCOP. MARTYRIA. *Quæ pmit Baronius diuersis annis Traiani, nos vero in vnum collegimus, cum non sint illorū certi anni quibus adscribantur.* c *Ignat. ep. ad Ephes.* d *Niceph. 3. hist. 11.* e *Martyr. & Menol. 29. & 30. Ianuar.* f *Mart. Rom. 7. Iul.* g *Ibid. 14. Iul.* h *Ibi. 27. Iunij* i *Ibi. 26. Maij.* k *Ibi. 27. Iul.*

Hoc eodem anno vndecimo Traiani Cerdo l Episcopus Alexandrinus, cum ageret in sede annum vndecimum, ex hac vita decessit; estq; in locum eius subrogatus *Primus*.

IV. l *Euseb. in Chron.*

IESV CHRISTI ANN. III. 112.

I.

ANACLETI 9. EVARISTI 1.

TRAIANI IMP. ANN. 12. 13.

II. m *Anast. de Rom. Pontif. Martyr. Rom.*

ANNO CHRISTI centesimo vndecimo, Palma iterum & Caluisio Tullo Coss. nihil gestum reperimus ad res nostras pertinens. Sed

Anno centesimo duodecimo, Traiani decimotertio, (cui Cassiodorus Pisonem & Hastam tribuit Consules, alij rectius Crispum & Orfitum: cæterū cum Imperatoris annis certa ratio temporis constituitur, minus est de Consulibus laborandum, quorū in Fastis, per hæc Traiani & Hadriani tempora, perturbatissimus est ordo: tertio *m* Idus Iulij, *Anacletus* Papa, cum sedisset annos nouem, menses tres, & dies decem, martyrio est coronatus; sepultusq; in Vaticano iuxta corpus S. Petri, cuius memoriam (vt supetius vidimus) ipse constructat.

ANACLETI PP. OBITVS.

Leguntur eius titulo tres Epistolæ; in quarum vltima quod trium Sedium Patriarchalium series ponatur, tum nomen PATRIARCHARVM, tum res ipsa displicet Nouatoribus. At vero nomen antiquissimum esse constat, quod tam in sacra Scriptura sæpe vsurpatum, & à recentioribus *n* Iudæis retentis, quam à Gentilibus susceptum, (nam qui Ægyptiis sacris præessent, Patriarchas dictos esse, & Herodotus docet, & Hadrianus à Imperator confirmat:) sicut alia multa, in Ecclesiam feliciter transiit. De Sedium vero prærogatiua, à Petro primum instituta, iam dictum est superius *b*; eademq; habentur in Romanis Conciliis *c* sub Damaso atq; Gelasio repetita: ageturque de iis sæpe inferius & de generatiori eiusdem vocis acceptione alias if opportunius.

III. PATRIARCHÆ NOMEN n *Vid. Epiph. hær. 30. & tit. Cod. Theod. de Iuda.*

Cum autem post Anacleti martyrium sedes vacasset dies tredecim, in locum eius suffectus est EVARISTVS, & ipse natione Græcus, ex patre Iudæo nomine Iuda Bethleemitico. Cuius quidem Euaristi meminerunt Irenæus *e*, Optatus *f*, Epiphanius g, & Augustinus *h*. Sed quod in Libro de Romanis Pontificibus traditur, ipsum TITVLOS *in vrbe Roma diuisisse presbyteris*: per *Titulos* vtique intelliguntur domus Fidelium diuino cultui mancipatæ, in quibus Christiani Synaxes agere consueuerant, quas nos *Ecclesias* dicimus: de quibus est exemplum in breuioribus illis; sed plane aureis Pij Papæ Epistolis *i* ad Iustum Episcopum Viennensem. Accepta (vt videtur) nomenclatura à rebus fiscalibus, cum Tituli impositione rem aliquam sibi fiscus solitus *k* esset vendicare, ac Principi consecrare: quæ constat fuisse vela quædam, imaginibus, aut certe nominibus *l* Imperatorum insignita, quæ Ambrosius *m* *cortinas regias* appellat: eaque vetuit Gregorius *n* imponi Ecclesiasticis rebus, quippe qui sciret Titulos Ecclesiasticos longe à fiscalibus diuersos esse debere. Quamquam puramus eam fuisse inter *Vela* & *Titulos* differentiam, quod in Velis *o* imago esset depicta Imperatoris, in Titulis *p* nomen eius inscriberetur. Cæterum apud Christianos, Titulum quo domus aliqua diuino cultui manciparetur, fuisse Vexillum Crucis, ex eo possumus intelligere, quod Theodosius Imper. edicto *q* præcepit, vt delubra Gentilium, Christianæ legis cultui manciparentur *collocato in eis venerando Christiana religionis signo*. Eaque ratione, quod titulo Crucis censerentur res dicatæ religioni, Leo *r* itidem Imperator vetuit, *venerabilem Crucem, aut sanctorum Martyrum Reliquias*, inferri in ædes publicas, vel loca populi voluptatibus fabricata; ne sic *occuparentur ea, quæ ad causas publicas, vel ad populi oblectamenta, exstructa essent*. Præter quæ sunt & alia *s* permulta exempla, veteraque monumenta, quibus probetur, Crucis signo illato, velut præfixo titulo, res Deo dicari consueuisse. Sed quod ad *Tituli* nuncupationem spectat; ea quoque ratione dici potest, Ecclesiam appellatam esse Titulum, quod qui ei presbyter adscriberetur, ab eo nomen titulumq; acciperet. Verum Romæ obtinuit tandem; vt non omnis Ecclesia Titulus diceretur, sed tantum insigniores quibus præficerentur Cardinales.

Post hæc additur in eodem libro, insuper Euaristum *septem Diaconos ordinasse, qui custodirent Episcopum prædicantem* (hoc est, ei assisterent) *propter stylum veritatis*; nempe ob muneris maiestatem, & functionis amplitudinem: non autem, sicut aliqui sunt interpretati, vt eum tuerentur ab irruentibus Christianæ fidei hostibus. Instar enim cœlestis illius præstantissimæ Hierarchiæ, Ecclesiastica pariter esse compositam,* certissimum est. At vero in illa septem spiritus in circuitu throni Deo assistere visi *t* sunt; ostensumq; est diuinitus Zachariæ *u*, in lapide illo septem infixos esse oculos: aliaque pariter de iisdem septem Angelis ante thronum Dei assistentibus, sunt symbolicè demonstrata. Qua ratione, sicut Angeli, qui *administratorij Spiritus* ab Apostolo *x* dicti sunt, & olim à Prophetay Deo adstant; ita pariter & Diaconi, qui ministri Ecclesiæ sunt, non tantum vt Episcopo (quod ab ipsa primitus eorum institutione factam vidimus) sacrificium offerenti, sed etiam eidem Euangelium annuncianti præsto sint, institutum fuit. Cæterum perseuerauit per multa sæcula, vt septem tantum in Ecclesia Romana Diaconi ministrarent: quibus Fabianus *z* illud muneris postea addidit, vt quatuordecim Vrbis Regionibus præessent, singulis binas assignās vt pauperum in eis degentium curam agerent; vnde & DIACONI REGIONARII dicti sunt: iidemque in Concilio *Romano sub Syluestro, nominati reperiuntur DIACONI CARDINALES, quod licet diuersis in locis agerent, vnius tamen Ecclesiæ, eiusdemque primariæ, cardine continerent-

a *Hadr. Imp. ep. ad Seruian. Conf. ap. Flau. Vop. in Saturn.* b *Ant. 43. num. XVI.* c *Tom. 1. Con. Adde etiam Greg. 6. ep. 37.* d *Ann. 570. num. III.*

VI. EVARISTVS PAPA. e *Iren. li. 2. c. 3.* f *Opt. lib. 2.* g *Epiph. hær. 27.* h *Aug. ep. 165* DE TITVLIS ROMÆ INSTITVTIS. *De quibus Baron. hic, & Tom. V. ann. 439. & in Not. ad Martyrol. 26. Iul.* i *Ext. in Bibl. Patr.* k *L. si quidē. C. de bon. vacant. lib. 11.* l *Vid. Aug. in Ps. 21. expos. 2.* m *Ambr. ep. de Basil. trad. ad Marcel.* n *Greg. 4. ep. 44.* o *Greg. 11. ep. 1* p *Pet. Chrysol ser. 154. de S. Steph.* q *l. vlt. C. Th. de pagan. l.* r *l. decernimus. C. de Episc. & Cler.* s *Nou. 117. c. 7. ex Iulian. & cōst. 4 c. 1. Auth coll. 5. tit. 17. vt nul. fabric. c. nemo Eccl. de consecr. dist. 3. ex Conc. Aurel. & in Capit. Franc. lib 5. c. 239. Ordo Rō. de diu. offic. c. de ædif. Eccles. Prud. hym 5. & 12. Perist.*

V. t *Ignat. ep. ad Tral.* u *Apoc. 1. 3.* x *Zach. 3.* x *Hebr. 1.* y *Psal. 103.* DIACONORVM MVNVS, ET MYSTERIVM.

z *August. de Rom. Pontif. in Fabian.*

* *Conc. Rom. II. cap. 7.* DIACONI CARDINALES.

tinerentur: cum alioqui non deesſent in aliis Vrbis Eccleſijs Diaconi, in ſingulis ſaltem duo; vt eiuſdem Siluestri eodem Concilio *a* edita conſtitutio demonſtrat.

a *Ibid. c.6.*

VI. PANTHEON ICTVM FVLMINE.

Hoc eodem anno decimotertio Traiani Imp. *Pantheon* Romæ fulmine concrematū eſſe, traditur apud Euſebium in Chronico. Nempe quod erat Iouis Vltoris *b* delubrū, iuſte numine vlciſcente de cœlo tactum incenſum eſt, cum vera religio Romanorum perſecutione vexaretur Non n. Anacleti ſanguine exatiata eſt perſequentium rabies; ſed aliis ad pœnam quæſitis, maiori aucta furore in quoslibet Chriſtianos ſæuijt.

b *Plin. lib. 36. c. 5.*

IESV CHRISTI ANN. 113.

EVARISTI ANN. 2.

TRAIANI IMP. ANN. 14.

ANNO CHRISTI centeſimo decimotertio, Calpurnio Piſone & Rutilio Bolano Coſſ. Iuſtus Hieroſolymitanus Epiſcopus ex hac vita ſubtractus eſt, poſtquam ſedisſet annos tres: cui ordine ſucceſſerūt c intra viginti quinque annos, nempe vſque ad decimumnonum Imperij Hadriani, alij tredecim, videlicet *Zacchæus, Tobias, Benjamin, Ioannes, Matthias*, alter *Benjamin, Philippus, Seneca, Iuſtus, Leui, Ephræm, Ioſes, Iudas*, qui vltimus ex progenie Iudæorum præfuit illi Eccleſiæ. Cæterum frequens hæc Epiſcoporum ſucceſſio grauem perſecutionem arguit. Quantum autem quisq; illorum, ſicut & aliorum qui poſtea per multa tempora in ea Eccleſia ſucceſſerunt, ſederit, licet recentiores ediderint, tamen cum ipſe Eutebius Cæſarienſis in Palæſtina Epiſcopus, ſub cuius metropoli Hieroſolymæ erant, idemque eiuſmodi rerum curioſiſſimus explorator, ſe id minimè inuenire potuiſſe ſæpe teſtetur *d*; nos quoq; ue id ignorare fateri malumus, quam cum aliis temere diuinare. Numerat & Epiphanius *e* omnes Epiſcopos Hieroſolymitanos ad ſua vſq; tempora: verum méda aliqua, quæ ex Euſebio poſſunt corrigi, in eam ſeriem irrepſerunt.

c *Euſeb. in Chron.* EPISCOPI HIEROSOLYMITANI. *Ap. Baron. hoc an. & 127*

d *Id. 4. hiſt. 5. & lib. 5. c. 12. & in Chron.*

e *Epiph. hær. 66.*

IESV CHRISTI ANN. 114. 115.

EVARISTI ANN. 3.4.

TRAIANI IMP. AN. 15.16.

I. RES ROMANÆ LANGVESCVNT.

ANNO CHRISTI centeſimo decimoquarto, Traiano Auguſto ſextum & Iulio Africano Coſſ. idem Traianus poſt multa bella feliciter confecta, de quibus dictum eſt breuiter ſuperius; langueſcente corpore ac deficientib. viribus, ſed & laborante iam Imperio Rom. amplitudine ſua; plures quas ſubegerat prouincias, ſiue quod ægrè poſſet eas in officio continere, ſiue tædio bellorum, coactus eſt liberas facere; neq; amplius quicquam rebus ante geſtis dignum efficere valuit: cœpitq; Imperium à tanto faſtigio ſenſim declinare.

II.

Nam & ſequens annus, qui Coſſ. habuit (vt eſt in Faſtis, licet alij alios ponant) Publium Celſum & Clodium Criſpinum, rebellione gentium domitarum haud parum fuit eidem Imperio funeſtus. Sed hæc omnia pluribus Dio; qui inter alia refert de Agarenorum in Arabia rebellione, quoties cum eis Romani manus conſererent, ictu fulminis auerſos fuiſſe: ortamq; ſubito muſcarum vim, eduliis & poculis inſidentem fœdo contactu cuncta Romanis grauia & moleſta feciſſe. Cæterum Traianum multos ex rebellibus iterum domuiſſe, ex eodem auctore conſtat.

IESV CHRISTI ANN. 116. 117.

EVARISTI ANN. 5.6.

TRAIANI IMP. ANN. 17. 18.

I.

ANNIS CHRISTI centeſimo decimoſexto & centeſimo decimoſeptimo, Traiani vero decimoſeptimo & decimooctauo; (quorum priori Conſules fuere Ninnius Haſta & Manlius Vopiſcus, poſteriori Lucius Vipſtanus Meſſala & Marcus Vergilianus Pedo:) tradit Euſebius *a* Iudæos variis locis rebellantes arma cepiſſe. Qua vero audacia & feritate id aggreſſi fuerint, Dio demonſtrat, dum ait eos ſine diſcrimine Romanos & Græcos obtruncaſſe, eorumq; cœpiſſe carnibus veſci; ſed eorundem inteſtinis ſtillante adhuc ſanguine ſe ipſos cingentes, ac pellibus obuoluentes, multos per medium vſq; ad verticem ſecuiſſe plures beſtiis dilaniandos obieciſſe, alios inter ſe digladiarii coegiſſe: adeo vt tantummodo apud Cyrenen ducenta, & amplius hominum millia, in inſula vero Cypro circiter ducenta & quadraginta capitum millia, eo Iudæorum furore & armis interierint. Sed eos à Traiano miſſis exercitibus coercitos fuiſſe, & ingentibus vbiq; cædibus profligatos, infinitaq; eorum millia ſublata, iidem auctores tradunt. Quod vero ad eorum effuſam rabiem ſpectat; qui non Romanis tantum, ſed & omnib. vbiq; Chriſtianis eſſent infenſiſſimi, ab horum nece haud ſe temperaſſe putandum eſt.

a *Euſeb. in Chron. an. 17. & 18. Traiani & hiſt. lib. 4. c. 2.* IVDÆI REBELLANT, ET IMMENSIS CLADIB. AFFICIVNTVR.

II. TEMPVS CONSVLATVS PEDONIS.

Cæterum quod diximus hoc Chriſti anno centeſimo decimoſeptimo, Traiani decimooctauo, Coſſ. fuiſſe Meſſalam & Pedonem, id quidem contra Faſtos Caſſiodori eſt qui eodem anno habent Hadrianum & Salinatorem: Verum præterquam quod his Traiani, necnon Hadriani eius ſucceſſoris temporibus, eoſdem Faſtos plane inuerſos ac corruptos eſſe conſtat; inſuper reperta eſt vetus inſcriptio, cum adiecta nota numeri annorū ab Vrbe Condita, quæ eoſdem L. Vipſtanum Meſſalam & M. Vergilianum Pedonem anno ab Vrbe Condita octogintеſimo ſexageſimo ſeptimo (qui incidit in hunc præſentem CHRISTI centeſimumdecimum ſeptimum, ſecundum initam à nobis in CHRISTI Natiuitate annorum Vrbis ſupputationem) Coſſ. extitiſſe aſſerit, totamq; Chronologiæ noſtræ rationem mirifice confirmat.

III. TERRÆMOTVS INGENS ANTIOCHIÆ.

Conſtituta porro certa atque fixa Conſulatus Pedonis ſede, ſequitur etiam vt dirum illum terræmotum, quo ciuitas Antiochena concuſſa eſt ac funditus euerſa, cum in ea Pedo ipſe Conſul (Dione *b* teſte) interijt, non alio quam hocipſo anno contigiſſe intelligamus. Quamuis enim, quod anni Vrbis à Palilibus Aprili menſe inciperent, maxima pars anni eius octingenteſimi ſexageſimi ſeptimi reſpondeat ſuperiori anno Chriſti, nempe centeſimo decimoſexto: tamen cum terræmotum hiberno tempore contigiſſe Dio ſcribat, eum nonniſi hoc præſenti anno, quo Pedo Calendis Ianuarij Conſulatum inijt, collocari poſſe, exploratiſſimum eſt. Rem autem atrocem, ac plane luctuoſam, & quæ terræmotum præceſſerunt, horrenda fulmina, inſolitos ventos, violentiſſimos maris æſtus, præclarè admodum idem Dio deſcribens, inter alia ait, cum occaſione tum ipſius vrbis toto Oriente celeberrimæ, tum Imperatoris qui ibi eſſet in hibernis, eo concurriſſent ex vniuerſo Orbe homines; nullam fere nationem aut ciuitatem detrimento & clade immunem extitiſſe, cum ex tot mortalium numero vix ſine noxa vnus aut alter euaſerit, interq; illos Pedonem Conſulem eliſo pectore ſanguinem euomentem, animam emiſiſſe: ipſum vero Traianum Imp. per feneſtram domus vix ablatum eſſe, cum accedens (inquit Dio) forte quidam humana maior effigie, illum inter exiguos tectorum lapſus incolumem ſubtraxit: tanta alioqui obducta caligine cunctos opprimente, vt alterum videre, alloqui, & audire, minimè cuiquam, imo ne ſpirare quidē, ingruente vento ac puluere, liceret. Tradit inſuper, ſubſe-

b *Dio in Traia.*

dille

IV. CAVSA CLADIS.

dissè montes,& aquarum fontes non antea visos emicuisse, ac fluuios quoque defecisse.

Sic igitur auulsa ab ea vrbe,ingenti illa animata columna,cuius virtuti inuisibili quodam modo innitebatur, nempe Ignatio Episcopo,ipsam corruere necesse fuit: hisce nãque cladibus Deum vlcisci solitum neces Sanctorum, cõplura exempla declarant,de quibus agetur suis locis.Quod vero ad Christianos Ecclesiæ Antiochenæ spectat; nequaquam putamus iisdem cum Gentilibus affectos malis. Etenim si ex iis quæ post multa sæcula sub Leone Imperatore, eidem ciuitati pari terræmotu iterum prostratæ horribilia contigerunt,sumendum est argumentum, hæc obuentura mala Christianis ante fuisse diuinitus reuelata putandum est, ne scilicet cum impiis perirent pariter iusti, quod non esse Dei voluntatis contestatus est olim Abraham. *a* Certe Heronem ipsorum Episcopum diutius superuixisse constat,licet quæ tum ab eo vel aliis Christianis gesta sint,Scriptorum inopia,vel potius scripturarum naufragio, remanserint alto silentio consepulta.

a *Gen.*18.

V.

Cum autem ex Pedonis Consulatu,tamquam certissimo indicio demonstratum sit hæc contigisse præsenti anno, ab hoc vero anno vsque ad secundum Leonis Augusti (qui fuit Domini quadringentesimus quinquagesimus octauus)quo alteram eiusdem ciuitatis cladem accidisse,cõmemorat Euagrius, *b* non plures quam trecenti quadraginta & vnus anni reperiantur: necesse est affirmare, eumdem auctorem male calculos subduxisse,dum ab hoc terræmotu sub Traiano vsque ad illum sub Leone, intercurrisse vult annos trecentos quadraginta septem.Propius ad verũ accessit Eusebius in Chronico, dum hanc cladem decimosexto Traiani collocat:& fortasse,nisi quod innumeris eius locis euenisse constat,vt rerum ordo à librariis perturbaretur,id huic etiam accidisset: suo prorsus anno,hoc est octauodecimo Traiani legeretur. Sub finem plane Imperii Traiani rem gestam esse,ex eo confirmatur, quod eumdem Imperatorem statim post hæc Antiochia profectum, trans Euphratem copias duxisse,Dio testatur, in eaque expeditione diem clausisse.

b *Euag. lib.* 2. *cap.*12.

IESV CHRISTI AN. 118.

EVARISTI AN. 7.

TRAIANI IMP. AN. 19.

ANno Christi centesimo decimooctauo, Æliano& Vetere Coss.cum Traianus Imperator nullum vmquam persequendi Christianos finem faceret,quid demum addiderit cum rediit Antiochiam Nicephorus *c* rem prodigiosam narrat : nempe cum inter multos alios quos peremit Christianos, quinque Virgines palam fidem profitentes combussisset,& ex earum cineribus æri commixtis conflata ænea vasa, publico balneo ab ipso magnificentissime constructo dicasset,accidisse vt quicumque eo lauatum ingrederentur, cum primum calidas attigissent aquas, caligine simul & vertigine corriperentur: causa vero mali cognita, Traianum alia ex ære puro vasa balneo procurasse, priora autem illa iterum conflata, in quinque transformasse statuas virginum combustarum forma & habitu, ac pro balneo collocasse. Hæc Nicephorus. Quo etiam vltimo Traiani tempore contigisse oportuit,quod tradit Suidas, *d* ab eodem Imperatore promulgatum esse edictum de Persecutionis cessatione, ea videlicet occasione, quod Tiberianus qui primæ Palæstinorum genti præerat, ad ipsum retulisset, se non parem esse Christianis occidendis qui vltro supplicia appeterent.

I.

c *Nic.li.*3.*c.*23 QVINQVE VIRGINVM MARTYRVM PRODIGIVM.

d *Suid. verb.* Traian.

II. ERROR DE MILLENARIO.

Iisdem quoque vltimis Traiani temporibus, error de MILLENARIO irrepsit in nonnullos Fideles auctore PAPIA Episcopo Hierapolitano, Ioannis Seniotis (non Apostoli, vt quidam putarunt, quos redarguunt ipsiusmet Papiæ verba apud Eusebium *e*) auditore, viro magni nominis & celebritatis: qui quod est in Apocalypsi, *f* regnaturos Fideles cum Christo mille annis, quasi ex traditione non scripta,(vt ait Eusebius)hoc est, ex perperam facta ab aliis quibusdam eorum verborum interpretatione,putauit intelligendum de regno terreno, post resurrectionem mortuorũ ad illum annorum numerum hic stabiliendo: de quo,eiusque scriptis plura Eusebius.Eumdem vero ,, ob magnam hominis æstimationem,in eo errore complures magni pariter nominis viri sunt secuti, & inter cæteros Irenæus, Iustinus martyr, & alii, de quibus dicetur suis locis. Neque enim hic error eo vsque progressus est, vt transieret in hæresim, nisi postquam in Apollinare qui eum pertinacius propugnauit, à Damaso Papa damnatus est.Porro & ipsum *Papiam* sanctitate spectarum vitæ finem clausisse,certam fidem faciunt Ecclesiasticæ *a* Tabulæ, in quas eius natalis dies anniuersaria celebritate iugiter renouandus relatus est.

e *Euſ.*3.*hiſt.*3. f *Apoc.* 20.

PAPIAS INTER SANCTOS.

a *Mart. Rom* 22.*Febr.*

IESV CHRISTI AN. 119.

EVARISTI AN. 8.

TRAIANI IMP. AN. 20.

ANnus Christi centesimus decimusnonus Coss.habuit Nigrum & Apronianum, vel (vt ponit Cassiodorus) Catilium & Fuluum.Cum Traianus(inquit Dio) Romam reuersus, apud Selinuntem Ciliciæ ciuitatem(quæ postea cognominata est Traianopolis) siue morbo, siue veneno extinctus est tertio Idus Augusti,cum imperasset annos vndeviginti, menses sex & dies quindecim, vixisset annos sexaginta vnum, & menses ac dies modo enumeratos: quamquam Aurelius Victor annos tribuit eius ætati sexaginta quatuor,Eutropius *b* sexaginta duos, menses nouem & dies quatuor. Exusti autem corporis cineres Romam esse perlatos, & sub eius columna positos, imagine ipsius superposita,idem Aurelius tradit: sed ossa ipsa intra vrnam auream translata esse, Dio & Eutropius asserunt : solus omnium (inquit Eutropius) intra Vrbem sepultus, quod lege *c* Duodecim tabularum vetitum erat: eumdemque inter diuos relatum tradit, eiusque memoriæ tantum delatum, vt ab hoc tempore non aliud in Senatu Principibus acclamaretur, nisi, *Felicior Augusto, Melior Traiano.*

I. TRAIANI OBITVS.

b *Eutrop. l.* 8.

c *Cic. l.* 2. *de leg.*

Sed quod fertur *de Traiani anima* d *precibus S. Gregorii Papæ ab inferis liberata*, imprimis cum eius probitas & vitæ integritas veluti fundamenti loco statuatur,quam illud sit inane satis antiquorum testimoniis constat: quippe quem Dio Cassius tui temporis Scriptorum facile princeps,cum multa de eo laude dignissima prædicasset, tandem asserit fuisse vini appetentem,& in masculorum amores pronum. Immo nec in sua eiusmodi explenda libidine, proprio nepoti Hadriano,filio consobrini sui peperciisse,auctor est Ælius Spartianus. Ac denique illum ob eiusmodi impuritatem, Iulianus *e* Augustus in deorum conuiuium admitti non concessit,nisi prius cautum esset Ganymedi, cui admodum timebatur ex Traiani aduentu. An igitur inter optimos,vel saltem bonos, recensendus ille videri potest, qui ipsorum etiam Ethnicorum testimonio turpissimus habendus est? An vero & pro eius in suis adeo horrendis peccatis mortui, liberatione ab inferis,dicemus orasse Gregorium,& exauditum esse, cum pro eiusdem criminis reis Sodomitis adhuc viuentibus,magnus Pater credentium Abraham intercessor factus,non valuerit exaudiri? His vero si addas impensissime ab eo exhibitum idolis cultum, & crudelitatem, quatot innocentissimorum Christianorum millia, nulli parcens ætati vel sexui,necari fecit,qua iam fronte diuinum in laudem virtutum eius citant oraculum, in reuelatione quam dicunt factam S. Mathildi? cum præsertim clamet Spiritus sanctus per Apostolum, *f Qui in vno offenderit, factum esse omnium reum.*

II a d *Hanc dissertationem transtulit ex Bar. To. VIII. Ann. post obitum Gregorii Magni anno Domini 604. Vnde nos eam huc in primum tomum reiiciendam censuimus, vt Iulius Cæsar.*

e *Iulian. Cæs.*

f *Iacob.*2.

Sed videamus an solidiora sint, quæ super adeo inane probitatis Traiani fundamentum sunt ædificata. Aiunt igitur Gregorium, cum aliquando procederet cum clero ex basilica Lateranensi ad S. Petri, per forum Traiani transeuntem,inter alia ibi posita egregia simulacra, admiratum esse ea quæ reddebant Traiani, cum in procinctu belli Dacici esset, ex equo desilientis imaginem, & viduæ de occiso filio querenti adhibentis aures,& quod petebat implenti:

III. REPELLITVR FABVLA DE ANIMA TRAIANI E CAVMERCEPTA.

tuncque eumdem Gregorium eiusmodi nobilis facti intuitu ita fuisse in Traianum compassione affectum, vt pro eius animæ liberatione Dominum exorarit, quem & exauditum fuisse, per visum Angelus indicauit, monens tamen ne ampliùs talia præsumeret. Hæc summatim ex multis, cum tamen in eiusdem historiæ narratione non vna sit omnium assertio.

IV. REPVGNAT HISTORIÆ.

Quoniam autem in vna narratione duæ longe diuersorum temporum iunguntur in vnum historiæ, altera de vidua sub Traiano, altera de eo quod post quingentos fere annos factum sit à S. Gregorio: vt de priori primum agatur, syllogem eos qui ista asserunt, quisnam eius narrationis auctor exstat: neminem prorsus habent antiquorum historicorum quem prodant, non Dionem, non eius breuiatorem Xiphilinum, non Plinium qui Traiano Panegyricum dixit, non denique vllum qui vel res gestas Traiani sit prosecutus, vel qui ante sexcentos post Traianum annos vixerit. Quid vero quod nec tempore Gregorii, eo splendore quo ante fuerat perstitit Forum Traiani, statuæque erectæ super bases suas perseuerarunt, cum iam antea tot Wandalorum, Erulorum, Gothorum expilationibus Vrbs crebris ruinis (vt ipsemet Gregorius, *a* aliique testantur) attrita esset, & omnibus suis ornamentis ac statuis spoliata? Denique quod nonnulli addunt, Traianum viduæ vindictam de filio occiso petenti, filium suum vsque ad reditum ab expeditione bellica obsidem reliquisse: hoc quidem apertissimi mendacii arguitur, quod maiorum omnium auctoritate constet nullum fuisse Traiano filium, nec adoptiuum quidem, nisi quod Spartianus ait, ipsum longe postea cum in extremis esset, adoptasse Hadrianum, de quo dicetur in fine huius anni.

a *Greg. in Ezech hom. 18. & dial. li. 2. c. 1. Proc. de Bel. Vand. lib. 1. Cas. 3. ep. 31. & alii.*

V. REPVGNAT DOCTRINÆ GREGORII. b *Greg. 6. ep. 15. Ind. 15.*

Quod vero ad rem gestam Gregorii spectat, tantum abest vt is pro anima Traiani orasse dici possit, vt ne cogitatione quidem aliquando fuerit meditatus, quippe qui è contrario reperiatur *b* eos acriter insectatus esse, atque etiam hæreticos appellasse, qui dixerunt Redemptorem nostrum cum descendit ad inferos, saluasse peccatores omnes confitentes ipsum Deum, asserens Dominum illos solummodo ab inferni claustris eripuisse, quos viuentes in carne per suam gratiam in fide & bona operatione seruasset: nec trahi ad Deum post mortem potuisse, qui se à Deo male viuendo separassent. Quæ ipse cum doceat, quis adeo imprudens dixerit tentasse Gregorium precibus obtinere, quod nec à CHRISTO ad inferos descendente fuisse factum asseruit, & secus sentire esse hæreticum prædicauit?

VI. PRIMI EIVS ASSERTORES.

Damas. orat. de fid. defunct.

Cum igitur hæc nunquam accidisse constet, vt tamen à magni etiam nominis recentioribus Theologis accepta fuerint, fecit imprimis assertio vir sanctissimi & merito laudatissimi Ioannis Damasceni, qui post centum & amplius annos à S. Gregorio, eamdem historiam vti rem certam, & ab Oriente atque Occidente testatam, (vt ait ipse, ita ab aliis sermone persuasus) bona fide scriptis *c* mandauit. At vero Ioannes Diaconus, qui sub Ioanne Papa Octauo, trecentis ferme post Gregorium annis, eius Vitam in Vrbe conscripsit, vbi ad eum locum deuenit vt narraret rem adeo celebrem, certisque testimoniis consignaret, hæsisse plane visus est in salebris, dum nihil habuit quod ex Archiuo Romano, vel ex aliarum ecclesiarum prouinciarum Ecclesiis produceret, sed migrandum ei fuit ad diuisos toto Orbe Britannos, & eius rei testimonium ex Ecclesia Anglicana petere: multum in eo laborans, vt cum videret (sicut ait) maxime de ea re dubitari in ipsa Vrbe Roma, quod & diuinæ Scripturæ, & ipsius Gregorii doctrinæ repugnaret, eamdem quoquo modo fieri potuisse demonstret. Cum vero se probationibus destitutum cerneret, eo tandem redactus est, vt dixerit animam Traiani ita fuisse à pœnis inferni liberatam, vt tamen haud fuerit in cælum assumpta.

VII. VARIA CIRCA EAM COMMENTA.

Qui autem eiusmodi commentum sectati sunt recentiores, delinientes nullo stantem fundamento structurâ, alii alia addidere pro mentis arbitrio: hi quidem, Traianũ ad vitam reuocatum à S. Gregorio & baptizatum, rursumque vita functum abiisse in cælum: illi autem, non reuixisse corpus, sed clanculo animam à Gregorio baptizatam: alii denique haudquaquam ab inferis liberatam, sed tantummodo pœnis alleuiatam: atque ita fabulas fabulis addidere, vt ridiculum etiam illud sit demum superadditum, de Traiani cranio cum viuida adhuc lingua reperto, qua ipse suam miseriam deplorans, S. Gregorium ad commiserationem, & ad preces pro ipso ad Deum fundendas commouerit. Quod vero insuper adducunt ex SS. Brigidæ siue Brigittæ, atque Mathildis Reuelationum libris: veneror quidem (vt par est) Sanctas ipsas, & colo, sed de reuelationibus eis factis, vel potius ipsarum nomine ab aliis promulgatis, ea dumtaxat recipio, quæ Ecclesia Catholica recipit, quam scimus non potuisse ista probare, quæ sunt tum inter se pugnantia, tum diuinæ Scripturæ repugnantia. Quapropter facetiant isthæc de Traiani anima liberata, risu potius despicanda, quam disputatione seria confutanda. Laudetur tamen zelus eorum, qui quod assertum inuenerunt, quomodo se habere potuerit, scholastice disseruerunt: magis vero laude digni habeantur, qui emunctis naribus odorati falsitatem, eamdem procul abiecerunt.

VIII. HADRIANVS IMPERAT.

Traiano igitur mortuo, & ad inferos in æternum detruso, HADRIANVS antiquum genus ex Hadria Picentum ciuitate, recentius ex Italica Hispaniæ Bæticæ vrbe ducens, natusque Romæ patre Ælio Hadriano cognomento Afro, Traiani consobrino, cum hoc anno Legatum agens in Syria, quinto Idus Augusti adoptionis tabulas à Traiano in extremis posito accepisset, tertio Idus eiusdem nuntiato sibi eius obitu, capessiuit Imperium. Hæc Spartianus: *a* cui ius etiam auctoritate, iuncta veterum nummorum *b* inscriptione, liquet hoc anno quo Hadrianus adoptatus est, fuisse quoque designatum secundo Consulem: quamuis Cassiodorus secundum eius Consulatum ponat anno superiori. Sed & vidimus cusum numisma *c* argenteum, in quo eius Adoptio vna cum Consulatu & Tribunitia Potestate habetur expressa: quantumuis adoptionem neget Dio.

a *Spart. in Hadr.*
b *Ap. Goltz. in Thes.*
c *Habet Bar. Ann. Tom. II. hoc an. ex museo Lahi Pasqualini Rom.*

IESV CHRISTI AN. 120.

EVARISTI AN. 9.

HADRIANI IMP. AN. 1.

I. HADRIANI STVDIA ERGA ROMANOS.

ANno Christi centesimo vigesimo, Coss. (vt ex Spartiano & nummis superius vidimus) Hadriano secundum ac Fusco Salinatore, idem Imperator cum res Orientales summo studio ac diligentia composuisset, reuersus in Vrbem, nihil antiquius habuit, quam exemplo Traiani de Republica bene mereri: nam quod eius ætuitia suspecta esset, (inquit Dio) iurauit numquam Senatorem aliquem nisi ex Senatus consulto se puniturum. Idque per edictum ciuibus vbique Romanis dimisit omnia debita, siue ea pertinerent ad Imperatorem, siue ad Ærarium, quorum summa fuit viginti duarum myriadum auri cum dimidia, syngraphis publice combustis. Porro hanc eius liberalitatem hoc anno cœptam, in sequentem propagatam esse, quo ipse tertiam gereret Tribunitiam Potestatem, tertiumque Consulatum, docent antiqui nummi *d* & inscriptiones. Sicque multis beneficiis tam publice quam priuatim sæpe collatis, animos sibi omnium conciliauit: sed eo magis, quod quæ à Traiano fuissent optime constituta, integra eadem & à se aucta seruauit, aliaque summa laude digna peregit, quæ à Dione & Spartiano narrantur.

d *Ap. Bar. Ann. Tom. II. hoc an. ex Sambuci Embl. & Seb. Erizz.*

II. PERSEQVITVR CHRISTIANOS. e *Sen. hist. li. 2.*

Sed & cum nihil charius se habere monstraret, quam patriam superstitionem tueri, aduersantem ei Christianam religionem immenso est odio prosecutus. Sane Seuerus *e* PERSECVTIONEM QVARTAM ordine ponit, quæ est ab eodem Imperatore concitata, licet alii aliam in Persecutionibus numerandis rationem iniisse noscantur. Et quamuis nullum in Christianos Edictum ab Hadriano promulgatum appareat, (quod testatur etiam Tertullianus *f*) tamen, sicut alias dictum est, satis erant antiqua Romanorum iura, quibus noua & peregrina vetabatur religio, vt quilibet Magistratus in eosdem posset lege agere: quod & faciendum esse, vetus Traiani exemplum admonebat, à quo quæcumque facta essent, omni ex parte iustissima censerentur.

f *Tert. Ap. c. 5.*

Hadria-

III. EVSTACHII ET SOCIORVM MARTYRIVM.

Hadrianus igitur ipso sui aduentu, etsi erga omnes Romano subiectos Imperio optimum Principem, tamen in Christianos exhibuit se Phalaridem. Quamobrem inter primos *Eustachium*, (qui Placidus ante baptismum dictus, ille ipse videtur esse qui in Bello Iudaico *a* sub Vespasiano & Tito Præfectus equitum, egregiam nauauit operam: quē & inde constat *b* sub Traiano in difficillimo bello Dacico Ducem exercitus egisse) ad fidem Christi diuinitus vocatum, cum ab instituto diuellere non posset, vna cum vxore ac duobus filiis pariter Christianis, leonibus tradi iussit, & à bestiis intactos, in bouem æneum candentem inclusit, vbi gloriosum martyrium consummarunt duodecimo Calendas Octobris, quo die tam Græci quam Latini, eorumdem anniuersariam agūt celebritatem. Ipsum autē Eustachium, ob miram quandam in tolerandis quamplurimis aduersis patientiam, Nicephorus *c alterum Iob* appellat: cuius Acta citantur à S. Ioanne Damasceno, extantque *d* descripta à Metaphraste ex veteribus monumentis, quamuis multa eis superaddita existimemus.

a Ioseph. 3. de bel. 4. & lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 3.
b Act. Eustac. & socior. ap Sur. tom. 5.
c Nic. lib. 3. cap. 29.
d Ap. Sur. to. 5

IV. HÆRESES SVB HADRIANO EXORTÆ.

At non eiusmodi tantum acerbissima persecutione vexabatur Ecclesia, sed & (quod grauius videbatur) hæreticorum prauis dogmatibus: qui licet iam antehac cœpissent sinceræ fidei integritatem errorum labe conspergere, nempe Basilides, Saturninus, & omnium sordidissimus Carpocras, de quibus iam aliquoties dictum est superius, tamen *e* quoad vixerunt Apostoli, vel Discipuli Domini, (qui Traiani temporibus esse penitus desiere) haud tam procaciter vt postea fecerunt, in Ecclesiam grassantes irrumpere conati sunt: quamobrem & sub Hadriani Imperio HÆRESES cœpisse, Clemens *f* Alexandrinus scribit, & antecedentium temporum Ecclesiam antonomastice dictam esse VIRGINEM, Hegesippus *g* testatur. Quæ quidem etsi nunquam, quouis hæreticorum excrescente diluuio, incorrupta esse desierit, tamen quod huiusmodi hæresum sordibus forinsecus adspergeretur, facies eius haud decora, vt prius, inuentibus videri poterat: perinde ac si Sol densis nubibus obtegatur, quamuis semper esse perseueret quod erat, tamen spectantibus haud apparet qualis ante fulgebat.

e Vid. Eus. 3. hist. 26.
f Clem. Alex. Strom. lib. 7.
g Hegesip. ap. Euseb. 4. hi. 22

V. BASILIDES HÆRESIARCHA.

Sed vt de BASILIDE primum agamus, fuisse illum patria Alexandrinum, Eusebius *h* tradit, & ex commentariis Castoris Agrippæ, præclari eo tempore scriptoris, aduersus illum editis, ait eumdem hæresiarcham quatuor & viginti libros in Euangelium scripsisse, & non modo nouos Prophetas ad errorem suum nobilitandum excogitasse, quos *Barrabam & Barcoph* appellaret, sed & barbara Angelorum nomina confinxisse, quo sectatores suos in maiorem traduceret admirationem. Docuisse præterea, Idolothyta comedere, & in persecutione fidem eiurare, res esse indifferentes: ac denique Pythagoræorum more, quinquennii silentium suis præcepisse. Hæc de Basilide Eusebius ex Agrippa. Verum præter ista Ignatius ad Tralianos demonstrat, commune eidem hæresiarchæ fuisse cum Simone & Menandro (è quibus ducebat originem) vt Christum à Deo Patre alienum prædicarent, partum Virginis calumniarentur, passionem ac resurrectionem negarent, Deum ignotum introducerent, & Christum ingenitum censerent, ac Spiritum sanctum non crederent, licet ex iis aliqui vnam esse personam Patris & Filii & Spiritus sancti commenti essent, omniaque à Deo creata, verum non per Christum, sed per alienam potestatem affirmarent. Hæc de illis Ignatius.

h Eus. 4. hi. 7.

VI

At Irenæus *i* de Basilide nominatim asserit, docuisse Nun primo ab innato natum Patre, ab hoc autem natum *Logon*, deinde à Logo *Phronesin*, à Phronesi *Sophiam & Dynamin*, à Dynami & Sophia *Virtutes & Principes & Angelos* primos, & ab his factum esse primum cælum, ab horum vero deriuatione alios similiter factos, aliud cælum simile priori fecisse, & rursum ex istorum deriuatione alios factos, aliud tertium formasse cælum, ac sic deinceps vsque ad trecentos sexaginta quinque ordines Angelorum, totidemque cælos, secundum quorum numerum, totidem diebus compositus esset annus. Angelos autem nouissimi cæli, qui etiam à nobis videntur, constituisse omnia quæ sunt in mundo, ac mundum, & gētes quæ in eo sunt, sibi per partes

i Iren. lib. 1. c. 23.

diuisisse: esse autem Principem ipsorū, eum qui Iudæorum putatur esse Deus: & quoniam hic suis hominibus, id est, Iudæis, voluisset subigere reliquas gentes, reliquos omnes Angelos ei restitisse, pariterque reliquas gentes eius genti: Innatum autem & innominatum Patrem, videntem perditionem ipsorum, misisse primogenitum Nun suum in forma hominis, (& hunc esse qui dicitur Christus) vt liberaret credentes in se à potestate eorum qui mundum fabricassent. Ipsum autem non esse passum, aut crucifixum, quod esset virtus incorporalis innata æterni Patris, inuisibilis omnibus, transfigurans se quemadmodum vellet, atque adeo cum non posset ipse teneri, suam formam indidisse Simoni Cyrenæo, qui crucem eius portauit, & pro eo crucifixus est: ipsum vero formam sibi Simonis sumentem, adstitisse cruci irridentem eos qui Simonem crucifigerent. Itaque non oportere confiteri eum qui esset crucifixus, sed eum qui putatus esset crucifixus. (Verlutum plane diaboli commentum, vt qui Crucis potentia victus esset, eam negando, crucifixum etiam negandum esse contenderet.) Quapropter & suos docuit ad negandum esse paratos, ne quid ea causa paterentur: ac sua patefacere mysteria prohibuit, illam addens sententiam, *Tu omnes cognosce, te autem nemo cognoscat.*

CRVCIS NEGATOR.

Addit ad hæc Irenæus, eosdem Basilidianos vti solitos imaginibus, & incantationibus, & inuocationibus: idque ipsum tradit Ignatius. Sed non erant certe eiusmodi, (quod Nouatores stulte fingunt) imagines Christi Redemptoris: nam quomodo, quæso, cum Basilides credi nolebat Christum esse corporeum ac crucifixum? sed potius id genus fuerunt, quibus ad suas perficiendas artes, incantatores vti solerent. Quod vel maxime comprobatur duabus gemmis *a* non ita pridem inuentis, quarum altera refert imaginem hominis, qui vna manu clypeum, alia bidētem tenet, totumque ferme corpus vsque ad plantas pedum per singula membra portentosis est nominibus inscriptum: altera vero refert figuram quamdam æque portentosam, seu spectrum, characteribus pariter quibusdam inscriptum: cuiusmodi scilicet Basilidiani solerent loco bullæ vel amuleti, aut alia causa superstitiose gestare.

VII. IMAGINES EIVS QVALES

a Ponit earum figuras Bar. Ann. Tom. II. hoc an. ex Fulvio Vrsino.

Ad quod probandum euidens imprimis suppetit argumentum ex nomine summi Dei Basilidis, quem ipse ABPACAΞ nominabat, quod disertis literis incisum legitur in priori gemma ad finem bidentis, in posteriori vero ex parte aduersa. His namque elementis testantur antiqui *b* Patres Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, & alii, Basilidem concepisse summæ Virtutis nomen, ex qua dii reliqui siue Angeli dimanarent, secūdum numerū dierum & cælorū, nempe (vt vidimus) trecēti sexaginta quinque, qui numerus Græcis illis elementis cōficitur: siquidem A & B vnum & duo, P & A centū & vnū, C & A ducenta & vnum, Ξ sexaginta sunt, quæ simul iuncta summam efficiunt CCCLXV. Ex quo etiam eodē nomine in gemmis inciso, magis probatur lectio S. Epiphanii scribentis *Abrasax*, quam aliorum *c* legentium *Abraxas* vel *Abraxan*, cum & primam illam lectionem habeant etiam scripti libri Tertulliani. Quod autem hisce characteribus atque figuris diuersimode concinnatis, vti solerent eiusmodi hæretici impostores ad amuleta conficienda, habes de his egregium exemplum apud Q. Serenum Samonicum antiquum medicum, & eiusdem (vt apparet) Basilidis sectatorem, qui præcepta medica carmine scripsit heroico, & ad curandum morbum hemitritæum confecit amuletum ad collum ægrotantis appendendum, ex his characteribus ABRACAΔABPA, superstitioso modo per diminutionem vltimæ literæ singulorum versuum, ad vnicam literam A in formam triangularem redactis: hoc nempe modo,

VIII. DE ABRASAX.

b Iren. lib. 1. cap. 23. Tert. de præscr. c. 46 Epiph. hær. 24. Aug. de hær. ad Quod-vult-deus. c. 4. Theod. hær. fab. lib. 1. & alii.

c Iren. Tert. Aug. vbi supra Hier. aduers. Lus. & in Amos 3. & in Abd. 1. & in Naum 3.

ABPACAΔABPA
ABPACAΔABP
ABPACAΔAB
ABPACAΔA
ABPACAΔ
ABPACA
ABPAC
ABPA
ABP
AB
A

Rursum vero quod totum corpus prædictæ imaginis hominis, diuersis nominibus habetur inscriptum, inde quoq; euidentius deducitur argumentum, eam esse id genus imaginum, quas solerent Basilidiani effingere: Siquidem Epiphanius ait, ipsum in homine trecenta sexaginta quinque membra constituisse, & vnicuique Virtutum attribuisse vnum membrum. Quapropter & in eiusdē imaginis diuersis membris, diuersa nomina Virtutum habentur inscripta, illa nimirum, quibus videretur opus habere qui gestabat imaginem, cum alioqui impossibile esset in tam arcto spatio omnia trecenta illa & sexaginta quinque exarari.

[Præter has gemmas, quarum figuras potuit hoc anno Baronius videmus & nos apud V. C. *Paulum Petauium* olim Senat. reg. in Curia Paris. altam antiquam, retro eorum altera parte imagines Principum Apostolorum Petri & Pauli, alteram vero inscriptam habentem vocem ABPACAΞ, de qua egit hic Baronius. Curios adeo discrepantis coniunctionis dum ea ratio apud nos quærimus, occurrit potuisse Basilidianos id eo animo agere quo videmus imaginem Christi Apostolorum numero xvi. Carpocratianos promiscue imagines Christi Apostolorum, Platonis, Aristotelis, &c. Gentilitio more sacrificiis, aliisque diuinis honoribus prosequi consueuisse. Vel forte, quod viderent Catholicis summæ auctoritati ac venerationi esse Principes Apostolorum, ingentiaque eorum nominum inuocatione aut etiam Reliquiarum aut imaginum virtute, edi vbique sanationes aliaque mirabilia, ac dæmonum repelli insultus atque præstigias, ipsos quoque vna cum sui Abrasax nomine, eorum imagines amuleti loco portare tentasse: quemadmodum (vt non extra nostros Annales exempla quæramus) vidimus sup. an. 56. nu. 1. quosdam Iudæos, admirantes quæ fierent à Paulo, tentasse & ipsos eadem præstare virtute nomen Iesv quem Paulus prædicaret, & infra an. 118. II. visuri sumus, ab ipsis etiam Gentilibus amuleta atque remedia sanitatis colligi ex scutibus, simulque ieuenilibus supplicijs Constantium Imp. punisse, an. 358. nisi Vel potius, simulem hanc fuisse affectam spiritus malitiam quam detexit Augustinus tract. 1. in cap. 1. Ioan. his verbis: *Fingunt spiritus mali vanitates quasdam honoris sibimet ipsis, vt sic decipiant eos qui se quærunt Christum vbique vel ipsi qui seducunt per ligaturas, per præcantationes, per maleficiatos animos, miscent per incantationibus nomen Christi: quia istum non possunt seducere Christianum, vident venenum, addunt mellis aliquantum, vt per illud quod dulce est, lateat quod amarum est, & bibatur ad perniciem.* Quemodo & Origenes lib. 1. & 4. contra Celsum testatur, olim magos apud Ebraicos, Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, sursum pia fingus & sanctis proficuum inuocasse & inuocasse. Sed hæc hactenus quæ & aliorum iudicio supponamus. Cæterum quod apud Irenæum legitur Basilidianis fuisse in vsu imagines, pro *imaginis* vt legendum esse *magia*, probat eo loco seuerdentius ex veteri codice, Epiphanio, & Theodoreto.]

Sed quod rursum spectat ad eiusdem Basilidis hæreses, recensetque eadem ipsius dogmata Tertullianus, *a* qui addit, resurrectionem carnis ab eo vehementer impugnatam, negante salutem corporib. esse promissam, sed solis animabus: quod etiam Irenæus testatur. Insuper Clemens *b* Alexandrinus ait, Basilidem ac Basilidianos docuisse, non omnia à Deo dimitti peccata, sed tantum inuoluntaria quæ per ignorantiam facta essent: itemque, animam prius peccasse in alia vita, hic autem pati supplicium. Fidem quoque esse naturalem: & in homine habitare exercitum spirituum, qui essent passiones per quas vnusquisque emoueretur, nec pugnandum aduersus naturales insurgentes passiones, sed eis esse assentiendum, ac proinde libidinibus inquinari licitum esse. Sed & eo arrogantiæ Basilidem peruenisse Epiphanius *c* tradit, vt se ac suos solos diceret esse homines, cæteros omnes sues ac canes, ob idque non propalanda eis esse sua mysteria. Ausum præterea scribere Euangelium, & suo ipsius inscribere nomine, auctor est ante Ambrosium Origenes *d* qui & alibi ait, eiusdem asseruisse non esse alias peccatorum pœnas, nisi transcorporationem animarum post mortem. Quod insuper negaret carnis Christi veritatem, ea falsa assumptione sacratissimam quoque Enchatistiam damnasse, ex Ignatio ad Smyrnenses recitat Theodoretus. *f*

Mortuus est Basilides (inquit Hieronymus *a*) in Alexandria temporib. Hadriani: qua tempestate Barchochebas (ita enim restituendum est hoc nomen) dux Iudaicæ factionis Christianos variis suppliciis enecauit. Fuisse vero Basilidi filium *Isidorum* nomine, paternæ impietatis hæredem & propugnatorē, auctor est Clemens *b* Alexandrinus, qui ab eo *Moralia* esse scripta testatur, quæ tamen essent omnium impuritatum cloaca: aliudque eiusdem citat opus *de Adnata anima*. Aduersus autem istos pro Catholica veritate scripsisse constat, Agrippam Castorem, Iustinum martyrem, Irenæum, qui omnes hæreses quæ ante se extiterunt confutarunt: hisque addit Theodoretus Clementem Alexandrinum, & Origenem: quibus adnumerandus quoq; est Epiphanius, & alii recentiores Scriptores.

SATVRNINVM, quem alii *Saturnilium* dicunt, post Basilidem ordine recensemus, (licet aliqui de illo prius egerint) quod cum (vt ait Eusebius *e*) patria fuerit Antiochenus, & in Syria scholam erroris aperuerit, nec tamen S. Ignatius, qui sicut multos hæresiarchas, ita Basilidem in Ægypto agentem nominatim expressit, Saturnini Antiocheni ipse Episcopus Antiochenus, & totius Syriæ Orientisque magister, vllam prorsus habuerit mentionem, in eam facile adducar sententiam, vt existimemus post mortem Ignatii emersisse impudentem hæreticum. Qui quidem (vt ait Irenæus *d*) Menandro inhærens, sic Deum Patrem omnium dixit esse creatorem, vt tamen mundum à septem Angelis creatum, hominemque voluerit esse Angelorum factura: rursus Deum Iudæorum vnum ex Angelis esse dixerit, quodque aduersus Patrem rebellasset, in eius destructionem missum esse Christum, & in salutem credentium, eumdemque ignotum & incorporalem ac sine figura, putatiue tantum visum esse hominem: Duo insuper hominum genera ab Angelis esse facta, alterum nequam, alterum bonum: & quod hoc dæmones pessimos adiuuaret, missum esse Saluatorem ad perditionem malorum & salutem bonorum. Nubere & generare à Satana esse: & quasdam Prophetias ab Angelis, quasdam à Satana esse reuelatas. Hæc Irenæus: qui addit, complures Saturnini sectatores sic abstinentiam coluisse, vt ab animatis abstinerent, quo ista virtutis specie plures seducerent. Habet amplius Tertullianus, Saturninum negasse resurrectionem futuram. Eademque de ipsius impietatibus, qui de Hæresib. tractatus edidere, Epiphanius, Theodoretus, Philastrius, Augustinus, & alii.

Eodem quoque tempore CARPOCRAS, fax omnium hæreticorum, & fax totius incontinentiæ apparuit, vt ex Irenæo tradit Eusebius: *e* quem & Alexandrinum fuisse, scribit Clemens *g* gentilis eius, & in nonnullis consensisse Basilidi: sed & alia multo deteriora commentum esse constat. Mundum quidem, vt ille, ab Angelis factum dixit: IESVM vero Redemptorem ex Ioseph natum vt cæteros homines, probitate tantum præstitisse aliis, sed se tuosque ei similes esse, & ex his nonnullos eo fortiores. Artes insuper magicas operari consueuerant Carpocratiani, & dæmones aligatos habere, gloriantes se ea arte illos habere subiectos. Omne delictum non solum apud eos non vetitum, sed imperatum: vsque adeo vt perpetua animarum transmigratione foreplectendos dicerent, qui suæ quæcunque cupienti aduersarentur: concupiscentiæ, Scripturæ *g* etiam præceptum impudenter ad hoc adducentes: postquam autem omnia, quæ mundi & concupiscentiæ sunt opera prauа expleissent, tunc libere profecturos ad illum Deum qui est supra Angelos mundi fabricatores. Denique adeo horrēda de huiusmodi sectę hominib. se accepisse Irenæus *h* tradit, vt non induci possit ad ea credēda. Addit Tertullianus, *i* Carpocratē tum Christi tum cæterorum mortalium carnis resurrectionem negasse. Eademque de illo eiusque sectariis Epiphanius, *k* & alii qui commentarios de Hæresibus conscripserunt.

Insuper tradunt, hos, ipso Carpocrate auctore, in velamen obscœnitatum multarum, perpulchrum sibi nomen indidisse vt GNOSTICI dicerentur, quasi præstantiori quam alii homines, eruditione & rerum diuinarū cognitione præditi essent: licet Hieronymus *l* & Eusebius *m* velint à Basilide *Gnosticos* esse nominatos. Sed sicut venena, ita & nomina

inter

X
a *Hier. de Scrip. Eccl. in Agrip.* ISIDORVS FILIVS BASILIDIS.
b *Clem. Alex. lib. 2. & 3. Strom.*

XI. DE SATVRNINO HÆRESIARCHA.
c *Euf. 4. hiſt. 7*

d *Iren. lib. 1. cap. 22.*

XII. DE CARPOCRATE HÆRESIARCHA.
e *Euf. 4. hiſt. 7*
f *Clem. Alex. l. 3. Strom.*

g *Matt. 5. verſ. 25. Luc. 12. verſ. 58.*

h *Iren. lib. 1. cap. 24.*
i *Tert. de præſ. c. 48.*

k *Epi. hær. 27.*

XII. GNOSTICI VNDE.
l *Hie. de Scrip. Eccl. in Agrip.*
m *Euſ. in Chr.*

IX. ...ERA HÆRE... BASILI... ...
Tert. de præſ. ...
...m. Alex. Strom. li. 2 & 4
Epi. hær. 24.
Orig. hom. 1. ... Luc.
Id tract. 28.
Matth.
Theod. li. 3. al.

inter seipsos communicasse, dici posse videtur: nam eadem ratione, qui ex Nicolaitis prodierunt æque *Gnosticos* esse dicos, Epiphanius *a* affirmat. Sed quænam fuerint ipsorum turpitudines, idem auctor, *b* etsi renitens admodum, accurate describit, postquam ab eorum illecebris in Ægypto, ne in errorem laberetur, fuisset diuinitus liberatus, Recensebimus & nos post illum, quod maxime conferant ad veritatem historicam huius temporis elucidandam, & vt talia propalantes, simul quæ qualisue fuerit Ecclesia Catholica, à qua illa damnata sunt, manifestemus.

a *Epi. har.* 26.
b *Id. ibid. & har.* 27.

XIV. NEFANDÆ EORVM TVRPITVDINES.

Air igitur eos communes vxores habuisse, & suam ipsorum Synaxim turpitudine multiplicis ac promiscui fortuitique concubitus polluisse, eam rem appellantes, *Dilectionē facere*. Sed & cum peregrinus aliquis accederet, statim vt signo quodam in salutando libidinosæ contrectationis manuum, agnitus esset eius dogmatis sectator, ad conuiuium vocari solitum, & mox ad concubitum cum vxore eius à quo in domum reciperetur. Postquam autē permixti fuissent, suscipere solitam mulierem, itemque virum, fluxum à masculo in proprias manus, & in cælum intuentes dicere, *Offerimus tibi hoc donum, corpus Christi*, & sic edere dicentes, *Hoc est corpus Christi, & hoc est Pascha: ideo patiuntur corpora nostra, & coguntur confiteri passionem Christi*. Eodemque modo vbi contigisset feminas in sanguinis fluxu esse, menstruum collectum de ipsis, in cōmuni edere, & dicere, *Hic est sanguis Christi*. Liberorum autem generationem omni modo impedire solitos, & interdicere. Si vero præter sententiam prægnans fieret mulier, tunc detractum fœtum in mortario quodam pistillo tundere, & admixto melle, ac pipere, aliisq; aromatibus ad auertendam nauseam, congregatos omnes participes fieri consueuisse contusi pueri, & additis ad Deum precibus, hoc perfectum Pascha dicere. Cum vero rursus libidinis insania eos apprehenderet, inquinantes manus turpitudine sua, nudos toto corpore precari solitos, tamquam per eiusmodi operationem inuenirent dicendi apud Deum libertatem. Insuper omnem speciem coitus in singulis corporis membris, incantationesque, ac veneficia, & idololatrias perficere solitos, & hoc esse rationem redditionis debitorum in corpore, vt nō amplius accusarentur, nec aliud opus ab ipsis exigeretur. Corpora autem sua, tam viros quam mulieres, noctu ac diu curasse vnguentis, balneis, & epulationibus, quo possent fructus pollutionum suarum reddere in tempore: detestantes ieiunium, quod esset à Principe qui fecit mundum.

XV. CONSILIVM DIABOLI DE GNOSTICIS.

Hæc & alia de eorum nefandis turpitudinibus, & execrandis mysteriis Epiphanius: quibus quidem conatus est diabolus sanctam ac puram Christianam religionem infamare, vt Gētiles, qui ista ab iis qui se & Christianos & Gnosticos dicebant, fieri cernerent, putantes eiusmodi esse in vniuersum doctrinam Christianæ religionis, eamdem cum ipsius sectatoribus execrarentur. Hoc enim fuisse Satanæ consilium in istis nefariis mittendis, declarauit idem Epiphanius, *c* & longe ante ipsum Irenæus, *d* Origenes, *e* & Eusebius. *f* Porro Iudæorum opera, Christianis semper aduersantium, has esse calumnias aduersus eos toto Orbe diuulgatas, idem Origenes testatur. Et vix dici potest, quantum laborauerint qui in Ecclesia olim fuere sanctissimi ac eruditissimi viri, vt eiusmodi calumnias in omnes Christianos à Gentilibus iactari solitas (videlicet quod in suis nocturnis conuentibus, infantium occultis vulneribus extinctorum carnibus vescerentur, & post epulum, lucernis ministerio canum ad illas alligatorum euersis, extinctisque luminibus, promiscuo vt fors tulisset vterentur concubitu) diluerent, atque imprimis Iustinus *g* martyr, Athenagoras *h* Christianus philosophus, Theophilus *i* Episcopus Antiochenus, Origenes, *k* Tertullianus, *l* ac Minutius *m* Felix, quantosque eiusdem occasione calumniæ, Viennenses *n* ac Lugdunenses, & aliarum *o* vbique prouinciarum Christiani, coram Iudicibus pro veritate certantes passi sint cruciatus.

c *Epi. har.* 27.
d *Iren. lib.* 1. *c.* 24.
e *Orig. li.* 6. *cont. Celf.*
f *Euf. l.* 4. *hi.* 7.

CALVMNIÆ IN CHRISTIANOS.

g *Iuſt. orat. ad Ant.*
h *Athen. orat pro Chr.*
i *Theop. ad Aut. lib.* 3.
k *Orig. cont. Celf. li.* 7.
l *Tert. Apol. cap.* 7.
m *Min. in Octa.*
n *Ep. ad Chr. Aſia, ap. Euſ. hiſt.* 5.
o *Iuſt. mart. orat. ad Sen.*

[Potuit tamen ea de humanarum carnium esu calumnia, non tantum ex Gnosticorum facinoribus esse conflata, sed etiam ex veritate mysterii male accepti, nimirum quod in confesso esset apud omnes Catholicos, se in sacris carnem Christi Domini nostri esu, & sanguinem potu participare. Sic enim & pleraque alia dogmata Christianorum, non bene intellecta Gentiles in prauum sensum accepisse, multis constat antiquorum exemplis. Quæ enim ad Sacramenta Ecclesiæ, ac præcipue ad diuinissimum illud sacrosanctæ Eucharistiæ pertinebant, ita erant Gentilibus incognita, vt ne etiam catechumenis ante baptismum communicarentur. Vnde & Cyrillus Hierosolymitanus in prologo catecheseon Fideles solicite adiurat, ne ipsas catechumenis, vel aliis non Christianis tradat, alioquin facti ratione Deo reddituros. Et apud Dionysium Areopagitam passim disseritur de hoc silentio, atque id sanctissime seruandum præcipitur. Eademque apud Orig. cont Celf. Basil de Sp. S. cap. 27. Greg. Naz. orat. 42. Chryf. hom. 4. in 1. Cor. Theod. dial. 2. Ambr. de init. Aug. 10. de ciuit. 6. in pſal. 39 & 109. in Ioan. tract. 26. & alios fere omnes antiquos Patres, apud quos etiam frequentissimo in vsu est formula in mentione Sacramentorum, *Norum initiata quod dicitur*, vel alia eiusmodi. Denique vulgabantur ea quibus Ethnici ad fidem adduci poterant, reliqua cum illis tum etiam catechumenis clausa manebant, donec per baptismi portam in consortium Fidelium introducti, etiam mysteriorum disciplinæ participes fierent. Vt non debeat mirum videri, si plurima in Patrum scriptis reperiantur de Sacramentis subobscure & ambigue dicta. Sed de his abunde alii.

XVI.
a *Iren. lib.* 1. *cap.* 24. *in fin. Epiph. Aug. de hær.*

Sed vt quæ reliqua sunt impurissimi pariter ac impiissimi Carpocratis prosequamur, Irenæus, *a* & alii post eum tradiderunt, eius discipulos consueuisse posteriorem auris dexteræ partem perforare, vt eo signo se inuicem dignoscerent: sed & habere imagines quasdam vel depictas vel aliter compositas, & ex eis aliam Christi, quam dicerent à Pilato factam, Pythagoræ aliam, itemque alias Platonis, Aristotelis, & aliorum, easq; perinde ac Gentiles idola, coluisse. Denique fuisse Carpocrati filium nomine *Epiphanem*, paternæ impietatis heredem, Clemens *b* Alexandrinus testatur: vixisse vero tantummodo annis septemdecim, ac post mortem in Cephalenia (vnde ex matre oriundus erat) vt Deum esse cultum: eumdemque à patre edoctum oriem disciplinarum, & Platonis philosophiam, fuisse auctorem & principem Monadicæ cognitionis. Sicque accidit iis, quod de Philosophis tradit Origenes, *c* vt cum suam ipsorum philosophiam conarentur introducere in Ecclesiam, polluerent ipsam non habentem maculam neque rugam. Et merito dixerit Tertullianus, *d* *Philosophos extitisse Patriarchas hæreticorum*. Nam de iisdem Carpocrate & Epiphane idem Clemens tradit, cum legissent in Republica Platonis, vxores debere esse communes, hoc ipsum suos docuisse obseruare. Verum quod Gnostici abuterentur Platonis sentētiis, ea de causa Plotinus Platonicorum princeps edidit aduersus eorum insanias commentarium, *e* quo & insuper eorumdem incantationes ac magicos susurros, quibus se cælestia mouere posse profiterentur, fugillat, moribusque longe deteriores Epicureis esse confirmat. Addit vero Porphyrius *f* Plotini discipulus, suo tempore Gnosticos Romæ quosdam vulgasse libros, quos appellarent *Zoroastris Reuelationes*.

DE EPIPHANE CARPOCR. FILIO.
b *Clem. Alex. Strom. lib.* 3. *Adde Epiph. hær.* 32.
c *Orig. hom.* 7. *in Ieſue.*
d *Tert. adu. Hermog.*

EX PHILOSOPHIS HÆRESES.

e *Plot. cont. Gnoſt.*
f *Porphyr. in Plotin.*

Cæterum prauum genus Carpocratis latius est propagatum. Nam eiusdem stirpis extitit nefandissimus PRODICVS auctor ADAMITARVM: qui nihilo secius eadem quæ Carpocratiani, & Gnosticorum reliqui, turpissime perpetrarunt, assimentes & ipsi nomen vt *Gnostici* dicerentur, prout refert Theodoretus. *g* Sed de eis pluta Epiphanius, *b* qui eorum ecclesias lupanaria fuisse tradit, vbi nonnisi nudos commorari liceret, quas *Paradisum* nominabant. Addidit vero Prodicus, vt quatuor Elementa deos esse diceret, *i* deinde Solem & Lunam. Et tam ipse quam sui affirmabat *k* se esse liberos, nec vlla lege teneri, nec etiam esse orandum. Fuitque *l* illis communis cum cæteris Gnosticis sententia, non esse palam confitendum Christum, nec pro eo subeundum martyrium.

XVII. PRODICVS AVCTOR ADAMITARVM
g *Theod. lib.* 1. *hær. fab.*
h *Epi. hær.* 52.
i *Epi. in comp. doctr.*
k *Clem. Alex. Strom. lib.* 3. *& 7.*
l *Tert. in Scorp.*

Porro tradit Epiphanius, *m* Gnosticos diuersis nominibus fuisse appellatos, nimirum *Borborianos* siue *Borboritas*, (quos & futurum iudicium negasse Philastrius ait) *Coddianos, Stratioticos, Phibionitas, Barbelitas, & Zacchæos. Naasenos* etiam esse dictos, scribit Theodoretus. Et Clemens Alexandrinus aliam subdit Gnosticorū sobolem *Antitactas* dictos, qui enormiter asserterent peccatum non esse malum, sed præmio dignum. Verum hoc ipsum, quantum pertinet ad corporis naturalem voluptatem explendam, sensisse Basilidianos, Carpocratianos, Valentinianos, Secundianos, & Epiphanis sectatores, Epiphanius docet. At de Valentino & Secundo inferius: hæc iam de reliquis satis.

XVIII. VARIÆ GNOSTICORVM APPELLATIONES.
m *Epi. hær.* 26.

IESV CHRISTI AN. 121.

ALEXANDRI AN. 1.

HADRIANI IMP. AN. 2.

I. ANnus Christi centesimus vigesimus primus, qui est secundus Hadriani Imperatoris, in Fastis Græcis, aliisq; recentioribus, recte notantur Coss. ipse Hadrianus tertium & Iunius Rusticus, etsi mendose Græci Hadrianum secundo, pro tertio scriptum habeant. Cassiodori autem, siue Mariani Scoti, qui ex illius codice iam deprauato sumpsit, nulla per hos Hadriani annos habenda est ratio.

II. EVARISTVS PP. MARTYR. Hocigitur anno *Euaristus* Papa, cum sedisset annos nouem & menses tres, vigesima sexta Octobris martyrio coronatus est: (ea enim die in Tabulis Ecclesiasticis, natalis eius consignatus habetur:) sepultusq; est in Vaticano: cuius titulo duæ leguntur epistolæ. Cum autem post eius mortem (vt habet liber de Romanis Pontificibus) vacasset Sedes dies octodecim, in locum eius subrogatus est ALEXANDER Romanus, parte Alexandro natus de regione Caputtauri, quem locũ Sueronius *a* nominat Capita bubula, vbi natus est Octauianus Augustus. Cæterum Index Romanorum Pontificum, ab Honorio Papa Tertio collectus, hoc pariter anno Domini centesimo vigesimoprimo, Alexandri Papæ Primi ingressum ponit.

ALEXANDER PAPA. a *Suet. in Octa. c. 5.*

III. IVDÆI DOMITI. Hoceodem anno secundo Hadriani (vt habet Eusebius in Chronico) Iudæi iterum rebellantes, rursus domiti sunt: idque (Hieronymus *b* docet) sub Annio Rufo Iudææ Præside. De alia vero longe terribiliori Iudæorum debellatione facta à Iulio Seuero, dicetur postea suis locis.

b *Hier. in Dan. 9.*

IESV CHRISTI AN. 122.123.

ALEXANDRI AN. 2.3.

HADRIANI IMP. AN. 3.4.

I. ANno Christi centesimo vigesimo secundo, Cæcilius Seuerus & Aurelius Fuluus (qui postea dictus est Antoninus Pius Imperator) creati sunt Coss. Quo anno, qui numeratur tertius Hadriani, *c* in Ecclesia Alexandrina defuncto Primo Episcopo, postquam sedisset anno duodecim, subrogatus est *Iustus*.

c *Euſ. in Chr.*

II. HADRIANVS IMPERIVM PER-GRAT. Eodemque tempore Hadrianus, cum res Vibinas firmasset, peregrinationem per vniuersas Romani Orbis prouincias instituit, & (vt habet Spartianus) primo in Galliam atque Germaniam transiit, inde in Britanniam transmissurus, vniuscuiusque prouinciæ prospiciens securitati atque vtilitati. Vnde & cuius reperiuntur multi nummi *d* his inscriptionib. LOCVPLETATORI ORBIS TERRARVM, aut simpliciter singularum prouinciarũ, *Restitutori Galliæ, Restitutori Africæ, Italiæ, Hispaniæ*, & aliarum quas peragrauit. Res autem in ea peregrinatione gestas describunt Dio & Spartianus.

d *Ap. Adol. lib numiſm. e Habet Bar. Ann. Tom. II. hoc an. ex muſæo Lalii Paſqualini.*

Porro cum Spartianus dicat, eum sacra Romana diligentissime curasse, peregrina vero contempsisse, haud dubium est, ipsum quo cœperat animo in christianissimo in religionem Christianam sæuire non desiisse. Nam & iturus in Gallias, agente Italico qui Rhætias curabat prouincias, *Faustinum* presbyterum & *Iouitam* diaconum Brixiæ condemnans ad bestias, vna cum *Calocero* & aliis complaribus ex ipsius familia Imperatoris, itemque *Afra* Præsidis vxore, (qui quod vidissent bestias parcere Faustino & Iouitæ, eo miraculo ad fidem Christi conuersi sunt) post varias tentationes atque tormenta, diuersis locis necari iussit: quorum singulorum natalis dies in Tabulis Ecclesiasticis est notatus. Sed & in eorumdem martyrum Actis *e* scriptum legitur, Romanum Pontificem qui his temporibus præerat Ecclesiæ Dei, vna cum multis in Catacumbis Persecutionis causa latuisse. Et passos eodem tempore Romæ complures alios vtriusque sexus, testantur Ecclesiastica monumenta.

III. MARTYRES BRIXIANI. e *All. Fauſt. & Ion. ap. Sur 16. Febr.*

Anno vero Christi centesimo vigesimo tertio, Annio Vero & Augure Coss. Hadrianus Britanniam petens (inquit Spartianus) multa correxit, murumque per octoginta millia passuum direxit, qui barbaros Romanosq; diuideret. Transgressus vero in Galliam, Alexandrina seditione commotus est, cum repertus post multos annos *Apis*, turbas inter populos creauit apud quẽ deberet collocari. Hæc Spartianus. Magna quidem Dei prouidentia factum est, vt quo tempore Hadrianus Christianam religionem insectabatur, quales essent dii Gentium, fierent manifesti. *Apim* enim bouem non Ægyptios tantũ coluisse, sed & Romanos, Minutius *a* Felix eis exprobrat. Porro erat Apis (inquit Herodotus *b*) è vacca genitus, quæ nullum alium posset cõcipere fœtum, quam Ægyptii aiebant fulgure ictam ex eo cõcipere Apim. Erantq; eiusmodi vitulo hæc signa, Toto corpore niger in fronte habens candorem figuræ quadratæ, in tergo effigiem aquilæ, canthatũ in palato, duplices in cauda pilos. Hæc Herodotus: idemq; testatur, consueuisse eiusmodi animal raro videri, cum autem appareret, Ægyptios omnes maxima lætitia affici & feriari solitos. Iudæos autẽ, qui olim in Ægypto assueuissent, secundum eorumdem superstitionem, dum in deserto *c* conflarunt vitulum, Apim repræsentare voluisse, certa sententia est plurium auctoritate firmata. Sed de Api & aliis Ægyptiorum diis, plura ex antiquis collegit Eusebius. *d*

IV. DE APIDE ÆGYPTIORVM INVENTO. a *Minut. in Octa.* b *Her. in Thal.* c *Exod. 32. Pſal. 105.* d *Euſ. 2. de prapar. Euang. 11.*

IESV CHRISTI AN. 124.125.126.127.128.

ALEXANDRI AN. 4.5.6.7.8.

HADRIANI IMP. AN. 5.6.7.8.9.

I. ANno Christi centesimo vigesimo quarto, qui est Hadriani quintus, Auiola & Pansa Coss. idem Imperator Hispanias peragrauit, secundum ea quæ à Spartiano scribuntur.

II. Anno vero Christi centesimo vigesimoquinto, Coss. secundum Cassiodorum Vero & Ambiguo, vel secundum alios Atrio Petino & Aproniano, Hadriani anno sexto, (vt habet Eusebius *e*) idem Augustus Achaiam, & inde Athenas petens, exemplo Herculis, & Philippi, sacra Eleusinia suscepit, multaque in Athenienses contulit quæ referunt historici. Quam autem *Eleusinia* sacra, turpia essent & obscœna, omnes fere non tantum ex scriptis Gentilium, sed Christianorum *f* norunt. Sed quo ardentius vir sus est Hadrianus colere superstitionem Gentilitiam, eo vehementius Christianam religionem insectatum esse, nemo poterit dubitare: ipsamque Athenarum Ecclesiam hoc tempore florentissimam, ab eodẽm vehementer exagitatam esse, facile monstrant quæ scribit Eusebius in Historia, *g* & S. Hieronymus *h* in *Quadrato* Apostolorum discipulo: qui (vt ait) *Publio* Athenarum Episcopo ob Christi fidem martyrio coronato, in locum eius substitutus est, & Ecclesiam grandi terrore dispersam fide & industria sua congregauit. Porro martyrium Publii, & Ecclesiæ dispersionem, hoc primo Hadriani Athenas aduentu contigisse putamus: quid autem in secundo ibidem egerit, dicetur paulo post.

I. e *Euſ. in Chr.* II. QVID HADRIANVS ATHENIS. f *Tert. aduerſ. Valen. c. 1. Arnob. aduerſ. Gent. lib. 5.* g *Euſ. 4 hiſt. 3* h *Hier. de Script. Eccl.*

Interea namque Anno Christi centesimo vigesimo sexto, (quo Gallicanus & Titianus à Cassiodoro ponuntur Coss. è Græcis autem Fastis promuntur Glabrio & Torquatus, quibus aliquando, prout ratio postulauerit, adhærebimus. Inuersos enim plane iam diximus Fastos Consulares Imperii Traiani, Hadriani, & Antonini: sed id absque præiudicio rectæ chronographiæ, quæ ex annis Imperatorum optime disponitur) idem Imp. transacta (inquit Eusebius *i*) Athenis hyeme, inde recessit, quem quidem rediisse Romam, & inde in Africam traiecisse, Spartianus *k* tradit.

III. FAST. COSS. INVERSI. i *Euſ. in Chr.* k *Spart. in Hadria*

Anno autem sequenti, Scipione & Aquilino Coss. ex Africa reuersum esse Romam. At vero

V. VI. APOLOGIA PRO CHRISTIANIS.

Anno Christi centesimo vigesimo octauo, Coss. Vero & Bibulo (habent alii Celsum & Marcellinum) Rom.

in Orien-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

in Orientem profectus, Athenas repetiit, & Iouis Olympii ædem atque aram sibi dedicauit. Eodemque tempore, vt habent Eusebius *a* & Hieronymus *b*, *Quadratus* discipulus Apostolorum & Athenarum Episcopus, necnon *Aristides* Atheniensis philosophus Christianus, libros pro Christiana religione eidem Augusto obtulere: ipseque Quadratus *c* orationem insuper eadem de re coram Imperatore habuit, ac tantum profecit *d* vt persecutionem grauissimam sedauerit. Sed his Hadrianum mitiorem redditum, æque ad concedendam pacem Ecclesiis impulerunt literæ *Serenii Graniani* Asiæ Proconsulis; qui cum ce neret non iam de Christianis legitima exerceri iudicia, sed clamoribus vulgi delatos innocentissimos homines neci tradi, è prouincia discessurus, literas ea de re ad Imperatorem scripsit, iniquissimem esse dicens, sine vllo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. Quibus commotus Hadrianus, ad Minutium Fundanum Serenii successorem rescripsit, sine obiectu criminum Christianos non esse condemnandos. Narrat ista Eusebius *e* hoc anno nono Hadriani: ipsam autem epistolam Hadriani ad Fundanum, recitat alibi *f* descriptam ex Iustini martyris Apologia ad Antoninum Pium. Nec vero tantum ad Asiæ Proconsulem, sed ad alios etiam prouinciarum Præsides eadem rescripsisse Hadrianum, testatur Melito *g* Sardensis Episcopus in libello, quem postea obtulit Marco Aurelio Imperatori. Quamuis haud existimemus, persecutionem omnino cessasse: etenim etsi nomen non esset in culpa, plurimas tamen calumnias à Gentilibus in Christianos strui solitas, easque libentissime auditi à Iudicibus, exemplo sunt quæ de plurimorum martyrio dicentur inferius. Denique apud Cassiodorum *h*, nonnisi post annos tres persecutionem cessasse, traditur.

g Eus. in Chr. an. 9. Hadria. b Hier. de Scr. Eccl. in Quadrag. & in Aristid. & ep. 48. ad Magn. c Eus. 4. hist. 3. d Hier. d. ep. 48

e Eusseb. in Chron. f Id. 4. hist. 8. & 9.

g Melit. ap. Eusc. 4. hist. 25.

h Cassiod. in Chron.

HADRIANVS REDDIT PACEM ECCLESIÆ.

IESV CHRISTI AN. 129.130.

ALEXANDRI AN. 9. 10.

HADRIANI IMP. AN. 10. 11.

ANNO Christi centesimo vigesimo nono, Gallicano & Titiano Coss. Hadrianus Imperator Minorem Asiam peragrauit, multa componens, & templa sibi erecta consecrans; ac Præsidum delicta seuere puniens.

Sequenti vero, Domini centesimo trigesimo, Torquato & Libone Coss. ex Asia in Syriam venit: quando (inquit Spartianus) Antiochenses ita odio habuit, vt Syriã à Phœnice separare voluerit, ne tot ciuitatum Antiochia metropolis diceretur. Cuius odii causam cum non afferat, quæ multæ esse potuerunt; haud absre dicetur, contigisse ob Christianorum eiusdem ciuitatis in suam ipsorum religionem vehemens studium, cuius Hadrianus inimicissimus erat.

[Hanc odii Hadriani causam habet Baron. an. seq. Præterquam, alii quidam referunt ad dicacitatem Antiochenum, qui cum gratiam Principum semper quam dictum malint, ut perdere hoc vitio sæpe torum in se odia concitarunt; vt patet ex Lucia. de salta. Herodia. lib. 2. Iulia. Aug. in Misopog. & aliis. Ac propterea Hadrianus tristis seriusque semper, & nimia sæpe notus seueritate, offensus procacibus Antiochensium dicteriis, odium eiusmodi aduersus eos conceperit.

Addit his Spartianus, mouisse ea tempestate & Iudæos bellum, quod vetarentur mutilare genitalia. Sed aliam Dio belli Iudaici affert causam; nempe quod cum Hadrianus Hierosolymam pridem euersam rursum habitari iussisset, indito ei nomine ÆLIÆ CAPITOLINÆ, ac Ioui ex aduerso templi ædem excitasset; ea de re indignati Iudæi, (videlicet quod templum Iouis in monte Sion constructum videret) in arma merint: cum vero & qui vbique gentium erant, vna cum Hierosolymitanis conspirassent, inde (inquit) bellum graue & diutinum exortum est, vniuerso fere terrarum orbe ex motu Iudæorum concusso. Verum extructionem Æliæ post debellatos penitus Iudæos factam esse, Eusebius scribit; de quo postea *k*. Rursum autem Præfectum Iudææ, auxiliaribus copiis ab Imperatore acceptis, virorum ac mulierum vna cum liberis infinita prope millia confertim concidisse, idem Eusebius *a* tradit. Quanquam & postea, ingrauescente bello, opus fuit alios (vt videbitur) duces illuc mittere.

a Eusc. 4. hist. 6

IV. BARCHOCHEBAS DVX IVDÆORVM.

Fuit autem eo tempore (vt idem auctor scribit) Iudæorum dux *Barchochebas*, vir quidem (vt ait) cruentus, ac prædo nefarius, sed ipsa appellatione (quod eius nomẽ astrum significaret) se diuinitus missum mentiens, quod in oraculis *b* Propheticis scriptum esset, *Orietur stella ex Iacob*: qui & nolentes sibi Christianos aduersus Romanos ferre subsidium, omnimodis cruciatibus enecauit. Idemq; præstitisse, quod nollent Christum abnegare, *Iustinus d* martyr scribit, qui genere Samarita hæc oculis spectasse potuit. Compulsus est enim ipse eiusdem Belli Iudaici occasione alio migrare: hocque eodem tempore (vt ex eius scriptis Eusebius *e* collegit) ex Hellenismo, & Græcorum philosophia, cuius omnes pene sectas, veræ sapientiæ adipiscendæ causa, curiose persecutatus fuerat; tandem veram ac perfectam philosophiam, quæ ex CHRISTI doctrina est, ab homine incerto agente numine edoctus, ad religionem Christianã in se transtulit: quod pluribus ipsemet, quonã pacto contigerit, descripsit in Dialogo quem Ephesi habuit cum Tryphone Iudæorum eius temporis coryphæo, qui & ipse ex eodem Iudaico bello profugus patrium solum verterat. At de Iustino plura suis locis inferius.

b Num. 24. c Eus. in Chr. an. 17. Hadr. d Iustin. orat. ad Anton.

e Eus. 4. hist. 8. IVSTINVS PHILOSOPHVS CHRISTIANVS.

IESV CHRISTI AN. 131.

ALEXANDRI AN. 11.

HADRIANI IMP. AN. 11.

ANNO Christi centesimo trigesimo primo, Celso & Balbo Coss. ex commotione quam diximus Hadriani Imperatoris in Christianos Antiochenos, *Hero* eiusdem ciuitatis Episcopus pro grege sibi commisso martyr occubuit *f* decima septima mensis Octobris, postquam sedisset annos viginti: cui successit hoc eodem anno *g Cornelius*. Quo item anno (quantum ex Spartiano colligitur) Hadrianus ex Syria in Arabiam, res Imperii Romani vbique compositurus, profectus est; ac sequenti (vt ex Eusebio constat) in Ægyptum descendit.

I. HERO EPISCOPVS ANTIOCH. MARTYR.

f Martyrol. Rom. ea die. g Eus. in Chr.

IESV CHRISTI ANN. 132.

SIXTI AN. 1.

HADRIANI IMP. AN. 13.

ANNO Christi centesimo trigesimo secundo, Catullino & Apro Coss. quinto Nonas Mart. *Alexander* Papa, quod Senatores complures, & Præfectum Vrbis Hermeten, aliosque Romanos ciues ad Christi religionem perduxisset, in carcerem trusus; cum per eum multa ibi Deus miracula edidisset, ac rursum Quirinum Tribunum, eiusque filiam Balbinam virginem, contactu catenarum suarum sanitati redditam, ad fidem conuertisset; multis diritque cruciatibus affectus, creberrimis punctis confossus, iussus est occidi; sicut habent eius Acta. Sed quod Liber de Romanis Pontificibus capite truncatum habet; vtrumque facile potuit accidisse. Insuper *Euentius & Theodulus* presbyteri, iidemq; *Hermes & Quirinus*, aliiq; plurimi diuersis mortis generibus sunt affecti. Quorum omnium natalitia, diuersis diebus quibus sunt passi, relata sunt in Ecclesiastica monumenta. Extant (vt diximus) eiusdem Alexandri Acta *h*, sed (quod multis aliis accidit) nimia antiquitate nonnihil mendosa. Sedit (vt habet Eusebius) annos decem: addit liber de Romanis Pontificibus, menses septem & dies duos. Sed quem creatum vidimus post

I. ALEXANDRI PP. MARTYRIVM.

h Ap. Sur. 3. Mart.

i Spart. in Hadria.

II. HADRIANI ODIVM IN ANTIOCHENOS.

k An 135.

III. BELLVM IN IVDÆOS.

a Martyr. Rom. ea die.

cessationem sedis Euaristi die decima tertia Nouemb. mortuus vero habetur *a* tertia Maii; sedisse oportuit vltra decennium, menses quinq; & dies viginti.

II. VT AQVA BENEDICTA.

Quod autem in eodem libro de Romanis Pontificibus, de ipso inter alia traditur, constituisse vt *Aqua aspersionis cum sale benediceretur in habitaculis hominum*; id sane iampridem Apostolica institutione traditum, ab Alexandro potius decreto roboratum, quam recens statutum dici debet. Nam præter quod apud Clementem *b* est Matthæi nomine Apostolica institutio; nonne Paulus *c* scribit, *omnem creaturam per verbum Dei & orationem sanctificari?* Quapropter non aquæ tantum, sed & olei, aliarumque rerum hominum vsui inseruientium, benedictionem ex Apostolica traditione iure sibi Ecclesia Catholica vendicat; exemplo Christi *d*, qui panem turbæ daturus antea benedixit ei. Et tantum abest, vt (quod Nouatores oblatrant) species sit quædam incantationis atque magiæ; vt potius ad eas dissoluendas, aliasque diaboli artes auertendas, eiusmodi AQVA BENEDICTA solita sit adhiberi; diuino vtique in miraculorum virtute suffragio comprobata, prout multis illustribus exemplis declaratur apud Epiphanium *e* de Iosepho Comite, Hieronymum *f* de Sancto Hilarione, Theodoretum *g* de Sancto Marcello Episcopo Apameensi, Palladium *h* de Sancto Macario, Bedam *i* de Sancto Germano Episcopo Antisiodorensi, itemq; de aliis apud alios quamplurimos probatæ fidei auctores, qui de rebus Ecclesiasticis ac gestis Sanctorum scripserunt: quibus non solum magicas incantationes, aliasque prauorum dæmonum molitiones, Aquæ Benedictæ aspersione constat esse dissolutas; sed & varias diuersarum sanitatum operationes, aliaq; multiplicia mirabilia, eiusdem virtute sibi diuinitus insita, per cuncta sæcula in præsens vsque peracta esse: quæ magna ex parte collegit Marsilius Columna Archiepiscopus Salernitanus in sua Hydragiologia. Denique eiusmodi aquæ benedictionem ad quemcunque vsum, ex Apostolicarum traditionum fontibus manare, non modo quæ sunt dicta demonstrant, sed vt in re comperta ingenue professus est Sanctus Basilius *k*, cum agit de aqua baptismatis tolita ante benedictione sanctificari. Sicut & de eodem Ecclesiastico ritu meminerunt quoque Cyprianus *l*, Cyrillus *m* Hierosolymitanus, Ambrosius *n*, Augustinus *o*, & alii. Qua vero ratione in Ecclesia vsu venerit, vt aqua ad domesticum vsum sanctificata, ipso ingressu ecclesiæ ad leuium sordium expiationem sit exposita, dictum est alio loco superius *p*. Si quis autem dicat, Gentiles etiam in vsu habuisse aquam lustralem, audiat is prædictum Cyrillum respondentem: *Vt illa quæ in aris offeruntur, cum natura sint pura, inuocatione dæmonum impura efficiuntur: sic contra aqua simplex per S. Spiritus, Christi, & Patris inuocationem accepta virtute, sanctitatem consequitur.*

b Clem. 8. Const 35. c 1. Tim. 4.

d Luc. 9.

e Epip. hær. 30. f Hier. in Vit. Hilario. g Theodor. 5. hist 21. h Pallad. in Lausiac. c. 6. i Bed. 2. hist. Angl. 17.

EIVS VSVS CONTRA DÆMONES.

k Basil. de Sp. S. c. 27. l Cypr. ep. 70. m Cyril. Hieros. catech. 3. n Ambr. 2 de Sacram. 5. o Aug. 6. cont. Iulian 8. p An. 57. n. 33.

III. ALEX. EPISTOLÆ.

Habentur Epistolæ tres, eiusdem Alexandri Papæ titulo inscriptæ; in quibus agitur pariter de aliis ritibus Ecclesiasticis, tanquam ab ipso primum statutis: quod tamen non ita accipiendum est; sed vt quæ traditione Apostolica accepta à Catholicis seruabantur, nequa hæreticorum fraude consuetudo irreperet in contrarium, ab eo fuerint decretis firmata: sicuti quod ibi traditur de vino aqua miscendo in sacrificio, iam superius vidimus, ex Apostolica, vel etiam Dominica traditione manasse: & de plurimis aliis abunde probatur variis horum Annalium disputationib. Cæterum sepultus est Alexander via Nomentana, vbi & martyrium consummauit septimo ab Vrbe milliario. Et postquam vacasset ab eius obitu Sedes Romana dies viginti quinque, subrogatus est in locum eius SIXTVS, patria Romanus, patre Pastore de regione Via Lata. Hæc in libro de Romanis Pontificibus.

SIXTVS PAPA.

IV. ANTINOVS DEVS AB HADRIANO FACTVS.

Hoc eodem anno Hadriani Imperatoris decimo tertio, cum idem Augustus ex Arabia in Ægyptum venisset, *Antinoum* eximiæ pulchritudinis puerum, quem habebat in deliciis, dum per Nilum nauigaret, perdidit; siue in flumen ceciderit, siue ab eodem Hadriano diuinationibus atque magicis artibus deditissimo immolatus fuerit, quod indigeret ad ea quæ parabat anima hominis qui voluntarie occubuisset. Quapropter seu ob amorem, siue ob spontaneam mortem, solenni consecratione inter deos retulit, eiusq; nomine aram, templum, festa dicauit, & ciuitatem, quo loco oppetiit extruxit. Rem gestam narrant Dio & Spartianus, nec non Eusebius *a*: sed & qui his temporibus vixere scriptores Ecclesiastici, vel postea floruere, cum aduersus Deos Gentilium scriberent inuectiuas, Hadriani exemplo in Deum referentis & colere iubentis Antinoum, quales exteri ipsorum dii fuissent, frequenter argumentati sunt; puta Hegesippus *b* & Iustinus martyr, Theophilus *c* Antiochenus, Athenagoras *d*, Origenes *e*, Epiphanius *f*, Chrysostomus *g*, Hieronymus *h*, Prudentius *i*, & alii.

a Euseb. in Chron. b Ap Euseb. 4 histor. 8. c Theoph. Antioch. ad Autol. d Athenag. or. adu. Gent. e Orig. l. 3. cont. Cels. f Epip. in Epit. & in Ancor. g Chry. ho. 27. in Cor. 2. & hō. 66. ad pop. Antioch. h Hie. in Isa. 2 & l. 2. cont. Iouin. & de Scr. Ecc. in Heges. i Prud. in Symmach.

Quod autem Christiani qui in Ægypto erant hæc publice deriderent, & alii Ægyptii in Hadrianum, qui multa illis concesserat, cum recessisset parum grato visi essent animo; ipse postea scribens ad Seruianum Consulem, multa in Ægyptios Gentiles, Christianos, atque Iudæos, nulla pene illorum habita religionis differentia, epistolam dedit inuectiuam, quam ex libris Phlegontis liberti eius recitat in Saturnino Flauius Vopiscus. Ea vero cum de Christianis mira inconstantia dicat, modo cum Ægyptiis colere Serapim, modo Christum, modo Deum vnum cum Iudæis & Gentibus; sed & illis mathesim, & aruspicinam, & alia id genus tribuat: si velimus haud calumniose locutum, necesse est intellexisse de sectatoribus Basilidis atque Carpocratis, quos fuisse Alexandrinos, omnium que turpitudinum ibi gymnasium aperuisse, sed & absque culpa posse Christum negare & Deos venerari, suos docuisse, superius vidimus. Cæterum in odium Christianorum, noui atque turpissimi Dei cultum adeo subsannantium, eosdem Antinopolim, vbi recens idolum erectum est, cum aliunde tum Alexandria ad supplicium mitti solitos, constat ex iis quæ de *S. Iraide* virgine Alexandrina & sociis martyribus habentur in Tabulis *k* Ecclesiasticis: quæ videlicet ad hauriendam ex proximo fonte aquam egressa, cum vidisset nauem confessoribus Christi onustam, relicta hydria se protinus illis adiunxit, ac simul cum eis Antinopolim ducta, prima omnium post multa supplicia capite cæsa est, deinde presbyteri, diaconi, & virgines, aliique omnes eodem mortis genere consumpti sunt.

k Martyrol. Rom. & Menolog. Græc. 22. Sept.

IESV CHRISTI AN. 133.134.135.

SIXTI AN. 2.3.4.

HADRIANI IMP. AN. 14.15.16.

I. l Euseb. in Chron.

ANNO Christi centesimo trigesimo tertio, Pontiano & Ruffino Coss. defuncto *l* Iusto Episcopo Alexandrino postquam sedisset annos vndecim, in locum eius suffectus est *Eumenes*.

II. m Euseb. ib. EDICTVM SALVIANVM.

Anno vero centesimo trigesimo quarto, (quo à Cassiodoro ponuntur Coss. Pompeianus secundum & Commodus, à Græcis Augurinus & Seuerianus) Hadriani decimo quinto *m*, *Saluius* IVLIANVS eiusdē Imperatoris iussu *Perpetuum* composuit *Edictum*, quo omnes imposterum Prætores vterentur, cum antea suo arbitratu proponerent edicta annua, duratura tantummodo anno suæ Præturæ. Sed & eodem statutum *n* est, debere omnes ciuitates consuetudinem Romanæ Vrbis sequi ac leges, non ipsam quæ essent aliarum ciuitatum. Cuius occasione putamus sæpius exagitatos esse Christianos, cum cogerentur sequi leges ac consuetudines, quæ vt plurimum aduersarentur ipsorum institutis. Proposuit & Hadrianus edictum de vigesima parte hæreditatis fisco applicanda: cuius occasione putamus accidisse, vt idem primus (quod ait Spartianus) Fisci Aduocatum instituerit. quippe ante Hadrianum, iura Fisci curabant procuratores Cæsarum. Sed ipsum Hadriani edictum fuit postea à Iustiniano *o* Imp. abrogatum.

n Cōst. de vet. iur. enucleād.

o l. 2. C. de ed. D. Hadri toll.

III. REBELLES IVDÆI OPPRESSI.

Anno porro Christi centesimo trigesimo quinto, Hyberro & Silano Coss. cum Bellum Iudaicū multis annis à Rufo Iudææ Præside administratum, difficilius in dies instau-

raretur,

raretur, Hadrianus præcipuos Romanorum duces aduersus eos misit: quorum præstantissimus Iulius Seuerus è Britannia ad hoc euocatus, non tam vi aperta, quam arte eos tandem penitus oppressit, quinquaginta millia eorum cæcidit, arces quinquaginta celeberrimas diruit, vicos nongentos & octoginta quinque nominatissimos diripuit ac cremauit, totamque fere Iudæam desolauit: quam cladem etiam ante bellum multa ipsis denunciauerant, dum Salomonis sepulchrum sponte corruit, & lupi atque hyenæ passim per vrbes vlulantes incesserunt. Hæc Dio de Iudaico Bello: quod quia Eusebius *a* tradit finem accepisse anno decimo octauo Imperii Hadriani, reliqua eo remittimus.

a Euſ. in Chr. & 4. hiſt. 6.

IESV CHRISTI AN. 136.

SIXTI AN. 5.

HADRIANI IMP. AN. 17.

I. QVADRAGESIMALE IEIVNIVM QVANDO INSTITVTVM.

ANNO Christi centesimo trigesimo sexto, Coss. Seruiano & Vero, anno decimo septimo Imperii Hadriani, in Eusebii Chronico ponitur IEIVNIVM QVADRAGESIMALE Romani Pontificis auctoritate præscriptum. Quod si hoc anno factum est; non Thelesphoro, vt ponitur, sed Sixto adscribendum esset. Eo enim errore semel lapsis Græcis, dum duos Pontifices Cletum & Anacletum in vnum conflarunt, accidit vt confusis temporibus confusæ sint pariter actiones. Cæterum cum eiusmodi Ecclesiastica sanctio Telesphoro adscribitur, non hoc ita intelligendum est, quasi ipse Quadragesimæ Ieiunium seruandum recens instituerit, quod vidimus *b* ab Ecclesia ex Apostolica traditione susceptum, sed quod eam traditionem placuit decreto edito stabiliri: sicut & de aliis dictum nuper est in Alexandri obitu.

b Anno 57. num. 57.

MVLTA ADDITA EVSEBII CHRONICO.

] Quinimo licet hæc ita legantur in Eusebii impressis codicibus, reclamant tamen omnes manuscripti, vt videre est in Notis Ant. Pontaci: nihilque penitus eiusmodi reperitur in Historia eiusdem Eusebii, nec apud Hieronymum, Orosium, aut alios illius temporis, vel superioris auctores. Sicuti & id ipsum obseruat Pontacus de pluribus aliis eiusmodi decretis, quæ dicuntur a Romanis Pontificibus edita de nonnullis Ecclesiasticis obseruationibus, quas certo constat descendisse ex traditione Apostolica. Adeo vt etiam ipse Scaliger eadem omnino sustulerit ex sua Chronici Eusebiani editione. De prædicto tamen Telesphoriano decreto dicam, fuisse fortasse illud conditum de numero dierum, seu hebdomadarum, quibus ieiunandum esset ante festum Paschatis; quem olim varie in Oriente & Occidente obseruari consueuisse, vidimus anno 57. numero 58. Sic enim & Albinus Flaccus de diuin. Offic. capit. de Septuagesim. ait *Græci hebdomadam Sexagesimæ sanctificasse pro ieiunio, clericis vero Latinos, auctore Telesphoro Papa, sequentem, id est Quinquagesimam: qui constituit septem hebdomadarum ieiunium ante Pascha.* Eiusmodi decretum refertur a Grat. ano distinct. 4. cap. statuimus. & ab aliis Canonum collectoribus.]

IESV CHRISTI AN. 137.

SIXTI AN. 6.

HADRIANI IMP. AN. 18.

I. *c Euſ. in Chr. & 4. hiſt. 6.*

IVDÆI PROHIBITI ASPECTV PATERNI SOLI.

ANNO Christi centesimo trigesimo septimo, Pompeiano & Aciliano Coss. decimo octauo Imperii Hadriani (inquit Eusebius *c*) bellum Iudaicum in Palæstina finem accepit: & ex eo tempore vniuersæ Iudæorum genti prorsus interdictum est, pedem in agrum Hierosolymitanum aliquando inferre, vel ex edito loco paternum solum aspicere: ipsaq; vrbs Hierosolyma cæteris hominib. incolenda tradita, nomen commutauit, vt in honoré Ælii Hadriani Imperatoris qui eam deuicisset, ÆLIA sit appellata: ac super portam qua Bethleem egrediebantur, *Sus* positus est in marmore sculptus. Hæc Eusebius; quorum nonnulla ante vel post hunc annum gesta esse, diuersi auctores volunt, cum tamen in re ipsa consentiant. Toto autem bello tradunt quidam, variis prælijs ad quingenta & octoginta millia Iudæorum periisse; eorum vero qui fame, morbo, & igne interierunt, infinitam fuisse multitudinem.

Sicitaque vltus est Hadrianus (inquit Orosius *a*) Christianos, quos Barchochebas dux Iudæorum, quod sibi aduersus Romanos non assentirentur, excruciabat. Verumtamen & Iudæis quoque qui ad Christianam religionem transissent, fuisse veterum Hierosolymæ ingressum, Seuerus *b* testatur. Cæterum *c* persecutionem fuisse impositum eandem ab Hadriano (quam & postea Seuerus Imperator confirmauit) inflictam Iudæis pœnam, vt à patrio solo excluderentur; argumento est quod non solum Tertullianus *d*, sed & postea Cyprianus *e*, & longe post hunc Hilarius *f*, ac demum Hieronymus *g*, eam sua ætate viguisse testantur: additque Hieronymus, (quod & alias diximus) eosdem miseros Iudæos, in die quo capta est à Romanis & diruta Hierusalem, venire, & vt ruinam ciuitatis ac templi flere liceret, pretio à militibus redimere consuetuisse. Quemadmodum & nomen *Ælia*, vrbi Hierusalem inditum, adeo inualuit, antiquata penitus veteri appellatione; vt cum in persecutione Diocletiani, Firmilianus Iudææ Præses & in ipsa Iudæa diutius agens, audisset à quodam martyre de patria interrogato, se esse ex Hierusalem; quod penitus id nomen Præses ignoraret, magnis cruciatibus eundem martyrem diuexarit, vt quæ tandem ciuitas illa esset, & vbi terrarum sita, intelligeret; prout id pluribus Eusebius *h* commemorat.

II. *a Oroſ. l. 7. c. 13.*

b Seuer. hiſt. l. 2.

c Quæ ſequuntur hoc art. de ſumpta ſunt ex an. 72. n. 1. 199. & 307. n. 6.

d Tert. Apol. ca. 21. & cont. Iuda. c. 13.

e Cypr. de id. vanit. ad fi.

f Hilar. in Pſal. 58.

g Hieron. in Sophon 1.

HIEROSOL. DICTA ÆLIA.

h Euſ. 8. hiſt. 12.

Sed cur *imago Porci* super Æliæ portam est ab Hadriano posita? Num quod eiusmodi simulacrum esse soleret hieroglyphicum *i* hominum profanorum, pernicioſorumque, ac denique eorum qui à Deo penitus essent auersi? Aut quod porcus *k* finis belli symbolum esset; & ob infractum in bello robur, solerent nonnulla Romanorum militaria signa porcorũ imaginibus effigiari? An vero quod (vt aliqui *l* scripsere) in ciuitate Bethleem, quo porta illa ducebat super quam positus est porcus, fuisset ab Hadriano erectum templum Adonidi quem aper occidit? cum alioqui sciamus Plutarchum *m* cultum Adonidis, itidemque Bacchi, atque etiam porci, impingere Iudæis. An potius quod cum sciret Hadrianus, olim eiusmodi animal primum fuisse signum Æneæ *n* condendi Lauinii; sic & ipse in noua condenda ciuitate Ælia, idem antiquitatis nobile monumentum reddere voluerit? quo & numisma eiusdem Hadriani *o* expressum vidimus, nempe porcam cum porcellis fugentibus vbera, vt Æneæ fuit demonstratum. An denique Hadrianus eo signo, Iudæis inter cætera omnia infensissimo, significare voluit eos propria ciuitate, patrioque solo esse penitus interdictos: quippe quod eiusmodi animalium genus *p* Iudæis esset omnino nefandum, atque visu etiam execrandum? Cæterum hæc licet ab hoste, tamen nonnisi diuino suadente numine, atque in Iudæos vlciscente, facta esse quisque prudens intelliget: vt qui olim *q* super portarum postes verba Dei scribere iussi essent, spreto iam diuino Verbo in salutem ipsorum à Deo misso, ac proinde ab eo reiecti, eiusmodi tam insignem ignominiæ notam in postibus positam intueri cogerentur.

III. CVR PORCI IMAGO SVPER PORTAM.

i Horus in hieroglyph. Pier. hieroglyp. Ly.

k Feſt. verb. Porcus. Pier. ibi.

l Hiero. ep. 13. ad Paulin. & Paulin. ep. 12. ad Sener.

m Plutarc. in Sympoſ. 5.

n Virg. Æneid. 8. & alii.

o Aſp. Sibaſ. Erizzo in.

p Ioſeph. 5. de bel. c. 8. antiq. 7.

q Deut. 11.

Porro non solum (quod scribit Dio *r*) Hadrianus in contumeliam Iudæorum ex aduerso templi Hierosolymitani ædem Ioui excitauit; sed & in odium Christianorum ibi degentium, quæ sanctissima habebantur loca æque polluit simulacris. Siquidem existimans (vt aiunt Hieronymus *s* & Plinius *t*) se fidem Christianam locorum iniuria peremptum; in loco Passionis Domini simulacrũ Veneris, Iouis autem in loco Resurrectionis consecrauit, & in Bethleẽ fanum Adonidis erexit; quæ sic vsq; ad Imperium Constantini remanserunt. Seuerus *u* etiam meminit simulacri dæmonum in loco Passionis constituti: & S. Ambrosius *x* plane significat, eundem locum fuisse *Veneratum* nominatum, à Veneris ibi posito simulacro. Sed quod ad Bethleem pertinet; Origenes, qui longe ante claruit quam à Constantino loca illa expurgarentur, dum eius meminit, non solum nihil tale de eo loco attingit; sed & fam-

IV. *r Dio in Hadr.* LOCA SANCTA PROFANATA.

s Hier. ep. 13. ad Paulin.

t Paulin. ep. 12. ad Sener.

u Sene l. 2. h.

x Ambr. in Pſal. 43.

ORIGENIS OPVS CONTRA CELSVM.

Vere de Celso egit Baron. an.132.

celebrem ob Natiuitatem Domini ipsis etiam Gentilibus fuisse tradit, agens contra *Celsum* philosophum Epicureum illum ipsum cui Lucianus eiusdem sectæ professor Pseudomantem librum dicauit: qui quidem Hadriani & Antonini Imperatorum tempo: ibus vixit, scripsitq; commentarium insigni dicacitate ac petulantia aduersus Christianam religionem, simulq; Iudaicam quod ex ista esset illa progressa: quem postea Origenes erudite fortiterq; refellit celebertimo omnium illo edito commentario, quo cum Celsi, tum etiam Gentilium ac Iudæorum, disiecit in Christianam pietatem molitiones.

V. *Epiph. de mensur.* DE AQVILA PONTICO, EIVSQVE INTERPRETATIONE.

Sed quod ad extructionem Æliæ pertinet; tradit Epiphanius *a* Hadrianum ei operi præfecisse AQVILAM *Ponticum* Sinope oriundum; hunc q; dum illic videret discipulos discipulorum Apostolorum, magna signa operari sanationũ, & aliorum miraculorum, (erant enim, inquit, reuersi ab vrbe Pella, quo antequam Hierosolyma caperetur à Tito, aufugerant) & ipsum Christianismo credidisse: cum autem à pristina astronomiæ iudiciariæ, quæ circa natiuitates versatur, & fortunas (vt vocant) hominum, profana curiositate, sæpe licet à doctoribus redargutus, minime cessaret; rursum expulsum esse ab Ecclesia, & abnegato Christianismo circumcisum esse Iudæum: denique laborioso studio linguam Hebræorum apprime edoctum, Scripturam sacram malo animo in Græcum transtulisse, irruentem impie & inuidiose in Septuaginta duorum interpretationem, vt testimonia de Christo alter ederet. Hæc Epiphanius: licet Hieronymus *b* aliorum quorundam secutus opinionem, Aquilam ante Christi tempora claruisse putauerit: sed à reliquis quoque scriptoribus receptum videtur, eum sub Hadriano vixisse. Eius autem Interpretatio, sicut ab Epiphanio haud probatur, ita ab Hieronymo interdum reiicitur, vocante eum Iudaizantem hæreticum; quamuis in aliquib. interdum probet; qui etiam ex duabus quas idem Aquila elaborauit diuinæ Scripturæ Interpretationibus, posteriorem fuisse fideliorem asserit.

b Hier. in Isa. 8.

c Hier. in Zachar. 3. & 4. & de quæst. Hebr.

IESV CHRISTI AN. 138.

SIXTI AN. 7.

HADRIANI IMP. AN. 19.

ANNO Christi centesimo trigesimo octauo, Coss. Commodo Vero & Pompeiano, omni penitus Iudæis occluso aditu Hierosolymam veniendi, deficientibus omnibus qui ex circumcisione hactenus eidem Ecclesiæ præfuerant Episcopi, primus ex Gentibus ordinatus est *Marcus*. Hæc Eusebius *d*. Sed & vsque ad præsens tempus, quousq; ex Iudæis eam Ecclesiam rexerunt Episcopi, perseueraſſe in ea legalium obseruationem, Seuerus *e* testatur. Quod quidem intelligendum est de leuibus quibusdam rebus, arbitrio potius quam necessitate seruatis; vt scimus sub Apostolis factum pro occasione & tempore: neq; enim eos recessisse ab Apostolorum Concilio ibidem habito, dignum est existimare; cum & omnes rectæ fuisse fidei, Eusebius *f* demonstret.

I. *d Euseb. in Chron. & 4. hist. 6. Seuer. l. 2.* LEGALIVM IN HOC TEMPVS OBSERVATIO.

e Euſ. 4. hist. 5.

II. MARTYRES CHRISTIANI.

Eodem tempore Iudaicis rebus compositis, totoq; Oriente sedato, Hadrianus Imperator Romam, peragrato iam toto Orbe Romano, se contulit. Vbi rursum Christianis defetri incipientibus vt Deorum contemptoribus; inter alios *Getulius*, idemque dictus Zoticus, Christianorum hospes & monitor, eiusq; frater *Amantius* Tribunus, & vxor *Symphorosa* cum *septem filiis*; *Cerealis* item qui Vicariam agebat præfecturam, alii q; tenti; post acerbissimas quæstiones, variaque tormenta, alii Romæ, Tibure alii, diuersis mortis generib. extincti sunt; quorum omnium extant Acta gantiquitus scripta, nominaque relata in Tabulas *h* Ecclesiasticas.

c Ap. Sur. 10. Iunii & Mēbrit. tom. 2.

h Martyrol. Rom. 10. Iun. & 18 Iul.

III. *i Bed. in Martyrol. 5. Cal.*

Sed de septem Getulii ac Symphorosæ filiorum corporibus legitur apud Bedam *i*, ab Hadriano iussa esse in foueam altam proiici, ac Pontifices templorum posuisse nomen loci illius, *Ad septem biothanatos*. Vox Græca in Latinitatem conuersa à *βία vis*, & *θάνατος mors*: seu *Biaeothanatos*, *à βιαίῳ θανάτῳ*, id est *violenta morte*, qua voce sic Latine composita vtitur Lampridius *b*, & Tertullianus *c* iterum: sed & in nonnullis aliis sanctorum Martyrum Actis reperitur, Christianos ab Ethnicis ignominiæ causa, quod violentæ mortis sententiæ obnoxii essent, *Biothanatos* nominari consueuisse. Cæterum reperiuntur & alii complures martyres, tum Episcopi, tum omnis conditionis Fideles, eadem Hadriani persecutione diuersis in prouinciis passi; quorum certi dies extant in iisdem Ecclesiasticis Tabulis, pro anniuersaria ipsorum commemoratione conscripti: fueruntq; & alii quamplurimi, quorum nomina exciderunt.

BIOTHANATI.

b Lamprid. in Helagab.

c Tert. de anima, c. 57.

Ad hunc vsque annum, quo incipit numerari Olympias ducentesima vigesima nona, *Phlegõ* nobilis horũ temporũ chronographus, Hadriani Imperatoris libertus, Olympiadas supputauit, atque res vbique gestas in eis breuiter attigit potius, quam tractauit; vt tradit Suidas *d* ex Philostorgio, cum & alia eiusdem auctoris scripta recenset. Cuius quidem licet scriptoris Ethnici, meminisse voluimus, quod ab Origene sæpe, Eusebio, & aliis Ecclesiasticis tractatoribus citatus esse reperiatur. Extabant quoque eiusdem auctoris nomine de Hadriani vita libri; sed eos ab ipso Hadriano (ira fuit famæ cupidus) esse compositos, Spartianus testatur.

IV. DE PHLEGONTE CHRONOGRAPHO.

d Suid. verb. Phlegon.

IESV CHRISTI AN. 139.

SIXTI AN. 8.

HADRIANI IMP. AN. 20.

ANNO Christi centesimo trigesimo nono; Ælius Verus vna cum Vibullio Pio adscribitur Consularib. Fastis; quamuis (vt tradit Spartianus *e*) idem Verus Consulatum auspicaturus Calendis Ianuarii diem obierit. Fuerat is (vt ait) ab Hadriano Imperatore iam antea adoptatus futurus Imperii hæres: & qui antea L. Ceionius Commodus appellabatur, post adoptionem dictus est *L. Ælius Verus Cæsar*. Nam & eidem omnium primo eum titulum & honorem delatum esse, vt CÆSAR appellaretur, idem Spartianus est auctor; cum ante Imperatoribus hoc nomen esset proprium: tunc que primum nouum id genus honoris in Rempublicam inductum esse, vt essent CÆSARES velut candidati quidam Imperii, & designati eius hæredes; relicta videlicet ipsis Imperatoribus prærogatiua appellationis *Augusti*. Sed & huic Vero simul cum appellatione *Cæsaris*, tributam etiam facultatem *vtendi coccineo pallio* præsente Hadriano, atque etiam *purpura*, sed sine auro, scripsit Commodus Imperator ad Albinum. Porro eo defuncto, *Arrius Antoninus*, qui postea *Pius* est dictus, ab eodem Hadriano adoptatus est quinto Calendas Martii; sed ea demum lege, vt ille sibi duos adoptaret, *L. Verum, & M. Antoninum*; quorum iste filius erat Annii Veri fratris Sabinæ vxoris Hadriani, ille autem filius prædicti Ælii Veri, quem diximus prius ab Hadriano adoptatum.

I. *e Spart. in Æl. Vel.*

CÆSARES QVI DICTI. [Porro etiã ante hunc Verum, ipsũmet Hadrianum primũ *Cæsarem à* Traiano esse dictũ, Aur. Victor scribit. Et vt de his, aliisque taceam, sane Tacitus hist. l. 1 Pisonem, mox post adoptionem, licet Galba superstite, *Cæsarem*, appellat.]

Adductus est autem ad huiusmodi adoptiones faciendas Hadrianus, quod liberis careus, insuper profluuio sanguinis correptus esset in villa Tiburtina, quam omnium sumptuosissimam construxerat, inscriptis in ea prouinciarum & locorum celeberrimis nominibus, ipsisque etiam (vt nihil prætermitteret) inferis fictis; quod tradit Spartianus. Nec cessauit morbus, donec lenta labe corpus paulatim deflueret, ac demum in hydropisim incidisset, quæ nec medicorum arte, nec magicis incantationibus (nam & his vsum, Dio tradit) curari valuit. Itaque viuendi tædio affectus, mori decreuit: sed recusantibus omnibus aut venenum aut gladium, instanter, & promissa pecunia, & data venia, nonnunquam etiam minaciter postulanti porrigere, vel eidem ipsi cædem inferre; multum de se conquerens quod mori non posset, maxime quando etiam multa

II. HADRIANVS DAT POENAS CRVDELITATIS.

APFECTATA FALSA MIRACVLA.

super alios posset, nouis rursum inuentis à desiderio mortis distractus est: cum videlicet mulier quædam, aliusque vir, cæcitatem fingentes, ad ipsum diuersis temporibus accesserunt, quasi in somnis moniti Hadriano significare eum sanitatem recuperaturum, quemadmodum & ipsi cum hoc renunciassent, aut corpus eius tetigissent, visum recepturi essent. Quod cum accidisset, (quæ tamen omnia per simulationem facta esse, vt spem valetudinis Hadrianus acciperet, Spartianus ex sententia Marii Maximi nobilissimi historici affirmat) his artib. Hadrianus distentus, in sequentem annum vitam coactus est prorogare.

III. ANTON. CVR PIVS DICTVS

Cæterum cum multi disputent causam, cur Antoninus filius eius adoptiuus, & Imperii heres, *Pius* sit cognominatus, aliique alias afferant; mihi certe ea *a* probatur, quod tamdiu Hadrianum viuere coegerit, cum etiam natura filii soleant interdum parentum, quo summa rerum potiantur, optare, vel etiam accelerare mortem. Hæc vero tam dira passum esse Hadrianum, numine vleiscente quod Seruianum sororis suæ maritum, virum optimum & iam nonagenarium necauerit: opinati sunt Dio & Spartianus. Addit insuper Aurelius Victor, eundem pariter coegisse Sabinam Augustam coniugem suam; voluntariam mortem subire: hancque palam testatam esse, se studiose conatam ne ex eo ad humani generis perniciem grauidaretur. Sed quantumuis hæc pessime ab Hadriano commissa, diuinam vindictam meruerint; tamen qui omnia ab ipso gesta æquioti lance expenderit, proculdubio intelliget, ob plurimorum innocentium Christianorum cædem sæpius perpetratam, ea pati maxime commeruisse.

VNDE VINDICTA IN HADRIANVM.

a Iul. Capitol. in Anton.

IESV CHRISTI AN. 140.

SIXTI AN. 9.

ANTONINI PII IMP. AN. 1.

I. HADRIANI MORS.

ANno Christi centesimo quadragesimo, Camerino & Magno Coss. ordinariis, (post quos, Antoninus Pius hoc ipso anno honorarium adiit, auctus insuper Tribunitia Potestate) Hadrianus Imperator agens annos ætatis sexaginta duos, menses quinque & dies sex, Imperii vero annos viginti & menses vndecim, cum mortem voluntariam diutius exoptatam sibi adsciscere non daretur, tandem consilio medicorum cibo & potu abstinens (finem viuendi fecit apud Baias sexto Idus Iulii: sepultusq; ad tempus in villa Ciceroniana Puteolis, postea translatus est Romam, locatusq; in mole, quam ab eo denominatam trans pontem Tiberis ipse iam antea construxerat, & in ea quem adoptauerat Ælium Verum sepelierat: quod etiam declarat eiusdem sepulchri cubitalis inscriptio. Hæc autem de Hadriani obitu, deq; cæteris ab eo gestis, vitæq; moribus, narrant pluribus Dio & Spartianus.

II. SCRIPTA EIVS.

Sed quod pertinet ad eius *Scripta*; præter ea quæ diximus de sui ipsius Vita Phlegontis nomine publicata, constat ipsum *b* scripsisse in medicos Epistolam exprobratricem, artem ipsorum culpantem: sed & morientem illud vulgatum dixisse *c*, *Turba medicorum interfecit Regem*: itemque suos occinuisse versiculos *d* de dubio vel potius misero futuro statu animæ suæ:

Animula vagula, blandula,
Hospes, comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec vt soles, dabis iocos.

Magiam præterea calluisse tradunt *e*; adeoque fuisse matheseos peritum, vt cuncta de se sciuerit, & omnium dierum vsq; ad horam mortis futuros actus suos ante præscripserit. Quibus, vt puto, de causis Tertullianus *f* eum vocat *omnium curiositatum exploratorem*. Athenæus *g* autem μηχανικώτατον, hoc est literarum amantissimum, tum quod & doctus ipse esset, ac viros literatura insignes magno in pretio haberet.

b Epiph. de mensur.
c Dio in Hadria.
d Ext. ap Spar. in Hadr.
e Dio & Spar. in Hadria. & Æl. Ver.
f Ter. Apol. c. 5
g Athen. li. 8. c. 16.

Eo defuncto, T. *Ælius Hadrianus* ANTONINVS PIVS Imperium capessiuit, annos natus quinquaginta tres, qui paternum genus è Gallia Transalpina Nemauso ciuitate ducebat, vt tradit Iulius Capitolinus in eius Vita. Ipso primo regni initio cum nouisset Senatum Hadriano fuisse infensum, conarique eius acta rescindere ob nobilium cædes quas fecerat; his verbis vsus, *Igitur nec ipse Princeps vester ero, si omnia acta eius, in quibus est adoptio mea, rescindam*; Senatum placauit; ipsumq; Hadrianum inter diuos retulit, & sacerdotes ac certamina instituit, templumque erexit: qua de causa & multi putarunt ipsum PIVM esse cognominatum. Hæc omnia Spartianus *a*, Capitolinus *b*, & alii *c*. Ferunt quoq; ea de causa Imperii initio *Pium* esse ab omnibus nominatum, quod multis tunc reis factis, postulatisque nonnullis ad supplicium, neminem puniit, *Non oportere*, inquiens, *ab his rebus Principatus exordium ducere*. Qua de re cunctis laudabilis extitit, animi tranquillitate Numæ Pompilio comparatus. Et vsq; adeo (inquit Capitolinus) sub eo nullus percussus est Senator, vt etiam parricida confessus in insula deserta poneretur, quia viuere ei naturæ legibus non licebat.

III. ANTON. PII VVIMPERAT

a Spart. in Hadria.
b Capitol. in Anton. Pio.
c Aurel. Vict. in Cæs.

IESV CHRISTI AN. 141.142.

SIXTI AN. 10. TELESPHORI I.

ANTON. PII IMP. AN. 2.3.

ANno Christi centesimo quadragesimo primo, Antoninus Augustus secundum vna cum Bruttio Præsente adiit Consulatum: quo nihil gestum reperimus ad res nostras pertinens, quod ei certo adscribi possit.

I.

Anno vero centesimo quadragesimo secundo, eodem Antonino Augusto tertium & M. Aurelio Cæsare Consulibus, tertio anno Imperii sui, idem Augustus Annium *Faustinam* Augustam coniugem suam morbo defunctam, inter diuos à Senatu referri curauit, delatis Circensibus, & templo ac Flaminicis, statuisque aureis atque argenteis: quod tradit Capitolinus. Ex his vero magnam esse factam religioni Christianæ accessionem, nemo iure poterit dubitare; cum eam viderent Gentiles signis atque virtutibus toto terrarum orbe effulgere, econtra vero singulis fere annis nouos à se fieri deos, eosdemq; vt plurimum homines nequissimos atq; turpissimos.

II. FAVSTINA AVG. INTER DIVOS RELATA.

Hoc eodem anno *Sixtus* Papa martyrio coronatus est. Quem enim tam Græci *d* quam Latini contentiunt sedisse annos decem, habita temporis ratione quo sedere cœpisse vidimus, insuper & natalis eius dici, qui in Tabulis Ecclesiasticis ponitur octauo Idus Aprilis; hoc ipso anno eum desisse oportuit, cum sedisset annis decem, vno minus mense & viginti duobus diebus. Qui vero secuti sunt Eusebium, vnum ex Romanis Pontificibus præte. mittentem, nempe Cletum, sub Hadriano Sixti ponunt obitum: & æque falluntur illi, qui in annis Romanorum Pontificum, addititios, nec sibi constantes, in libro de Romanis Pontificibus positos secuti sunt Consules.

III. SIXTI PP. MARTYRIVM.

d Euf. in Chr. & 4. hist. 5. Anast. de Rb. Pont. & alii.

Sed quod ad eius martyrium pertinet; etsi certum sit, Tertulliano teste, nullum ab Antonino Imperatore aduersus Christianos esse promulgatum edictum; tamen vel calumniis aduersariorum, vel inuidia Magistratuum, quod Christianam religionem mirifice propagatam viderent, (quam *f* enim ea longe lateque toto terrarum orbe, etiam apud ignotas Romanis nationes, his temporibus dilatata esset, egregii sunt testes Iustinus martyr, Irenæus *h*, Tertullianus *i*, & alii; adeo vt, quod idem ait Tertullianus, Christiani implerent vrbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, Forum:) eandem religionem nonnihil esse vexatam, tum cædes Sixti, & aliorum qui eodem Antonino imperante sunt passi, tum quæ de his habent auctores huius temporis, indubitatam fidem faciunt. Nam & potuit eo-

IV.

e Tert. Apolog. c. 5.
f Baron. an. 140
g Iust. dial. cum Tryph.
h Iren. l. 1. c. 3.
i Tert. Apol. c. 37. & ad. Iudæ c. 7. & 8

OCCASIONES CÆDIS CHRISTIANORVM. *Ap. Baron. hoc & seq. an.*

rundem Christianorum neci occasionem dare, edictum eiusdem Imperatoris, de prohibita sub pœna mortis, Sibyllinorum carminum, & aliorum Gentilium vatum ac prophetarum lectione; quod intellexisset eorundem librorum occasione, in quibus multa de CHRISTO prædicta essent, complures relicta patria superstitione ad religionem Christianam confluere. De quo quidem edicto, non nisi instinctu hostis humani generis promulgato, grauiter Iustinus *a* martyr apud eundem Imperatorem conquestus est. Sed rursum ad Sixtum.

a Iust. Apol. ad Anton.

V. ROM PONT. ANTIQVVS TITVLVS.

Leguntur eius titulo Epistolæ duæ: sed quod in altera ipsarum, VNIVERSALIS APOSTOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPVS inscriptus habetur, miramur adeo offendisse Nouatores, perinde ac si fuerit humanum inuentum, vt Petrus, & qui in Petro susceperunt à Domino (quod est suo loco demonstratum) totius ouilis Dominici curam, *Vniuersalis Ecclesiæ* inscribantur *Episcopi*: quandoquidem & hoc eodem sæculo apud Tertullianum *b* Zephyrinus Romanus Episcopus, nonnisi secundum veterem nomenclaturam, appelletur PONTIFEX MAXIMVS, & EPISCOPVS EPISCOPORVM. Sed de his alias. Quod item ad scripta Sixti spectat; tentatum fuit olim à Ruffino Aquileiensi presbytero Origenista, (in quem ea de causa sæpius inuectus est Hieronymus *c*) vt Sixti philosophi Pythagorici hominis Ethnici commentarium, in Latinum à se translatum, nomine Sixti Papæ & martyris vulgaret, quo eum suo dogmati fauisse monstraret: licet priorisne, vel posterioris Sixti itidem martyris nomine ediderit, non constet. Leguntur insuper eiusdem Sixti Papæ Primi decreta quædam de rebus Ecclesiasticis, in libro de Romanis Pontificibus. Inter quæ illud est, vt *quicunque Episcopus euocatus fuerit ad Sedem Romanam Apostolicam, rediens ad parochiam suam non suscipiatur, nisi cum Formatis salutationis ad plebem à Sede Apostolica.*

b Tertul. de pudic. c.1.

SIXTO PP. LIBER FALSO ADSCRIPTVS *c Hier. ep. ad Ctesiph. & in Hierem. 21. & in Ezec. 18*

VI. DE LITERIS FORMATIS. *d Opt. lib. 2. cont. Parm. e Aug. ep. 163. ad Eleus. f Attic. to. 1. Conc post Syn Chalced. g Theoph. Alex. ep. 1. & 3. Pasch. g Conc. Chalced. c. 11. h Theo. Balf. in Nomoc. Phot. i Conc. Chalced. c. 11. 13.*

Eiusmodi quidem commercio FORMATARVM, vnius Ecclesiæ Catholicæ seruari, ac proinde probari solitam vnitatem, docent Optatus *d* & Augustinus *e*: quarum in Magno Concilio Nicæno certa quædam forma (vnde & *Formatæ* dictæ) ne fraus irreperet, est instituta, de qua dicetur suo loco. Quæ autem dicebantur *Formatæ*, seu COMMVNICATORIÆ (nam & hoc quoque nomine eas vocat ibidem Augustinus) eædem CANONICÆ ab Attico *f*, & ECCLESIASTICÆ, necnon PACIFICÆ à Theophilo * Alexandrino, & Concilio *g* Chalcedonensi nominatæ reperiuntur: sed & solitas easdem Pacificas recens ordinato Episcopo ad collegas dari, tradit Theodorus *h* Balsamon. Concedebantur etiam ab Episcopis, pauperibus peregrinantibus, ad testandam eorum fidem Catholicam. COMMENDATITIÆ vero iis tantum dabantur, qui essent in Ecclesia operæ clariores *i*, vel etiam clericis: nam qui Commendatitiis literis peregrinabantur, quocunq; pergerent, apud Christianos erant illæ pro viatico.

VII. *k Plin. 10. ep. 121. 122. ad Traian.*

His similia erant apud Gentiles, quæ Plinius *k* Secundus DIPLOMATA vocat; quæ scilicet dabantur missis vel euocatis à Principe, cursu publico vtentibus, adscriptis etiam statiuis, id est, diuersoriis & mansionibus, quibus alerentur sumptibus publicis: quæ quidem docet Plinius tantæ fuisse æstimationis, vt absque Imperatoris assensu nequaquam à Proconsule [illegible] solerent. Hæc autem postea TRACTORIÆ Literæ sunt appellatæ; de quibus est titulus cum in Codice Theodosiano *l*, tum in Iustinianeo *m*, vbi earum formulam Cuiacius recenset. Easdemque Imperatores Christianos Episcopis ad Concilia conuocatis concedere solitos, dicetur suis locis. Vnde putamus factum, vt & Literæ ipsæ Ecclesiasticæ, quibus Episcopi à suis Primatibus vocarentur ad Synodos, eodem nomine appellarentur, prout docet Augustinus *n*: nempe quod vocatis his litteris causa publica Episcopis, quocunq; irent viaticum præstaretur, exemplo earum quæ ab Imperatoribus concedi consueuissent. Sed diuersa plane erat Epistola TRACTATORIA, cuius meminit idem Augustinus *o*, qua quid de aliqua re (puta de alicuius damnatione) gestum esset, Episcopi alios redderent certiores. Quæ autem à Catholicis Episcopis ad hæreticos vel schismaticos, aut etiam Paganos scriberentur, PRIVATAS dici solitas idem Sanctus affirmat *a*; quod videlicet nullas eis apponere liceret publicæ communicationis notas, vt pacis, salutis, benedictionis, &c. quæ Communicatoriis Catholicorum præfigi solerent.

LITERÆ TRACTORIÆ. *De quibus Baron. hoc an. & 314. l C. Theod. l. 8. m C. Iust. l. 12. n Aug. ep. 217. ad Victor. & lib. cont. Donat. post colla. cap. 24. o Id. in Ps. 36. conc. 2. & ep. 162. ad Glor.*

Sed quod semel occasione Formatarum, de Ecclesiasticis literis agere cœpimus; de aliis quoque eiusdem generis addimus, fuisse & DIMISSORIAS, quibus (vt ait Theodorus *b*) clericus demonstrabatur voluntate sui Antistitis esse profectus atq; dimissus: sine his enim non licebat clericis extra diœcesim peregrinari, nec inter alterius Ecclesiæ clericos cooptari, immo nec Episcopis ad Comitatum proficisci. Erant insuper MEMORIALES, seu *Commonitoria* dictæ, quibus Legati quid agere deberent per singula commonebantur. Itemque SYNODICÆ, quæ ad diuersos dabantur à Synodis: si vero scriptæ essent ad omnes Christi Fideles, à quibuscunque eæ darentur, dicebantur ENCYCLICÆ, hoc est *Circulares*, siue etiam CATHOLICÆ, quod ad vniuersam Ecclesiam datæ essent: quarum omnium extant complura exempla, de quib. suis locis. DECRETALES vero dicebantur Romanorum Pontificum epistolæ, quibus vel ad diuersorum consultationes respondere solerent, vel cum quid seruandum vitandumue esset decernerent. PASTORALES autem, quæ pro institutione darentur à quibuscunque Episcopis. Erant & tempore persecutionis CONFESSORIÆ, quæ ab iis qui pro Christi nomine detinerentur in carcere, pro commendatione lapsorum ad Episcopos scribebantur; quarum frequenter meminit Cyprianus in suis epistolis, estq; earundem mentio in Conciliis Eliberitano *c* & Arelatensi * Primo. Quæ autem pro redemptione captiuorum dari consueuerant, literæ *Captiuorum* appellantur in Concilio *d* Lugdunensi.

a Ad. 15. apost. ro accuratissimum tractatum edidit Franc. Bern. Ferrarius Ambrosiani collegii Medicol. Doctor: ex quo nonnulla in his Baronii observationibus explicet. b Balsa. in Nomoc. Phot.

*c Conc. Elib. c. 25. * Conc. Arel. I. c. 9. d Conc. Lugdun. II. c. 2.*

IX. LITERÆ BREVES. *e Opt. l. 8.*

Insuper habentur literæ dictæ APOSTOLICÆ, quæ Apostolica auctoritate à Romanis Episcopis dari consueuerant; quarum diuersæ sunt genera, sed frequentiores illæ quæ BREVES dicuntur. Est vero ea vox penes antiquos diuersæ significationis. Nam apud Optatum *e* *Breuis* dicitur illa charta, in qua conscripta essent bona Ecclesiastica; quam alio nomine idem auctor vocat *Commemoratorium*, nos visitatis *Inuentarium*: in quem etiam sensum eandem vocem *Breuis* vsurpant Augustinus *f* & Gregorius *g* Papa; sed & Cassiodorus *h* pro regiis iussionibus: apud Lampridium *i* pro matricula, seu catalogo in quo nomina scriberentur; sicut & in Codice *k* Iustinianeo, & in aliis locis. Quæ vero sede vacante à clero scribi solerent Epistolæ, eas CLERICAS Cyprianus *l* nominauit. Denique consueuisse Episcopos scribere literas in tabellis eburneis, vel in chartis, raro vero, nec nisi chartæ inopia, in membranis, argumento sunt quæ habet Augustinus *m* ad Romanianum. Ac demum solitos eosdem suas quas publice darent literas, annulo signatorio communire, tum idem Sanctus *n* indicat, tum in Synodo *o* Aurelianensi habetur expressum. Sed de his hactenus; rursumque ad Sixtum redeat oratio.

f Aug. 5. cont. Crescon. 29. g Greg. 6. ep. 201. h Cassiod. 4. ep. 21. i Lamprid. in Alex. k l. inter Chartulas. C. de ædif. priu. Fisci debit. l. 10. l Cypr. ep. 4. edit. Pamel. m Aug. ep. 133. n Aug. ep. 217. ad Vitt. o Conc. Aurel. I. in præf. Clodon.

Legitur eiusdem decretum in Libro de Rom. Pontificibus, *Ne sacra vasa ab aliis quam à sacris ministris tangerentur.* Si enim in iis quæ futurorum erant vmbra, tanta Dei monitu inerat obseruantia, vt sacra vasa filiis *p* Caath non nisi tecta portare liceret; quomodo non religiosiori cultu seruanda essent, quibus sacrificium omnium præstantissimum exhiberetur? Quod autem eodem libro traditur, Sixtum constituisse, vt Missarum actionem sacerdote incipiente, populus hymnum decantaret, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, &c.* fuisse iam id in vsu temporib. Apostolorum, asseritur in Constitutionib. *q* Clementis: quod Sixtus, vt ab vnoquoque sanctius custodiretur, literis suis firmauit. Subditur demum, ipsum sepultum esse in Vaticano iuxta corpus B. Petri: & postquam Sedes vacasset duos dies, in locum eius suffectum esse TELESPHORVM natione Græcum, ex anachoreta.

X. ALIA SIXTI DECRETA. *p Num. 4.*

q Clem. 8. Const. 16.

TELESPHORVS PAPA.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 143.144.

TELESPHORI AN. 2.3.

ANTON. PII IMP. AN. 4.5.

I. ANNO Christi centesimo quadragesimo tertio, Prisco & Seuero Coss. anno Antonini Imperatoris quarto, Cornelius Episcopus, Antiochenus vita functus, postquam sedisset annos tredecim, successorem habuit *Heronem* eius nominis Secundum.

II. Anno vero centesimo quadragesimo quarto, Rufino & Quadrato Cos. defuncto pariter Eumeni Episcopo Alexandrino, cum sedisset æque annos tredecim, suffectus est *Marcus* itidem eius nominis Secundus, qui sedit annos decem. Hæc omnia ex Eusebii Chronico & Historia *a*, licet in situ annorum aliquot Alexandrinorum Antistitum aliquis videatur error irrepsisse in Chronicon.

a *Euſ. 4. hiſt. 10. & 19.*

IESV CHRISTI AN. 145.

TELESPHORI AN. 4.

ANTON. PII IMP. AN. 6.

I. DE VALENTINO HÆRESIARCHA.

ANNO Christi centesimo quadragesimo quinto, Torquato & Attico Herode Coss. nouum monstrum apparuit VALENTINVS hæresiarcha, vt Eusebius tradit in Chronico: sed & eum sub Antonino Pio prodiisse, Tertullianus *b*, Irenæus *c*, Theodoretus *d*, aliique omnes affirmant: quem & fuisse philosophum secta Platonicum, ingenio potentem & eloquio; lapsum autem in hæresim, quod in petitione Episcopatus ei prælatus esset alius ex martyrii prærogatiua, idem Tertullianus *e* scribit. Epiphanius *f* vero, fuisse natione Ægyptium, patria Phœbonitem, quæ est ciuitas maritima; calluisse Græcas literas, imitatumque esse Hesiodum de Theogonia triginta Deorum: fidem Catholicam in Ægypto prædicasse, & in Ecclesia Romana; sed in Cyprum venientem, passum esse fidei naufragium. Hæc Epiphanius: cui consentiens Tertullianus, æque ait eum primo Romæ secutum esse doctrinam Catholicam. Hic igitur, sicut ab Hesiodo triginta Deos, ita à Platone mutuatus est Ideas, (vnde non immerito Tertullianus *g* dixit, horum temporum hæreses prodiisse ex philosophorum officina) hæcque simul miscens cum Euangelio Ioannis quo tantum vtebatur, monstrum horrendum conflauit tricipiti Cerbero longe deformius. Triginta enim Deos finxit, quos *Æonas*, hoc est *Sæcula* nominauit, eorumque quindecim masculos ac totidem feminas, quorum permixtione alii generarentur; atque ex iis Saluatorem omnium, veluti Pandoram Hesiodi ex omnium Deorum munere, esse perfectum. Quæ illius deliria pluribus iidem auctores refellunt: sed & eorundem triginta Æonum nomina magno labore distincta ac figurata, habes à Pamelio apud Tertullianum.

b *Tert. de præſcr. c.30.* c *Iren. l.2.c.4.* d *Theod. hær. fab. l.1.* e *Tert. ibi. & cont. Val. c.4.* f *Epip. hær.31.*

II. Docuit præterea IESVM CHRISTVM sic natum de Virgine, vt ex ea nihil acceperit, sed per ipsam velut per canalem transierit *h*, carnemque è cælo secum deuexerit. Negauit & resurrectionem carnis, sed aliud ex alio esse corpus componendum; immo nec omnium esse resurrectionem. Tria enim constituit genera hominum, Carnale, Animale, & Spirituale. *Spiritualibus* autem (cuius generis se suosque esse dicebat) negabat esse necessarias operationes, sed *Psychicis*, hoc est Animalibus; horumque, vt Spirituales effici possent, debere esse Abstinentiam, atque Martyria, & alia eiusmodi bona opera, quibus Spirituales essent soluti quod iam perfecti euasissent. *Carnalium* vero esse deteriorem conditionem, quod licet bonis niterentur operibus, nullatenus tamen consequi possent salutem. Rursum Spirituales saluandos anima & corpore, Animales vero tantum anima: porro animas Angelis nuptui tradendas. Quæ omnia, aliaque eiusmodi Valentinianorum deliramenta, pluribus Tertullianus *a* aduersus eos scribens refellit. Sed & quod iidem æque ac alii Gnostici (nam & ipsi eo nomine dici voluerunt) martyrium subeundum esse negarent, dicentes vanitatem esse atque dementiam homines innocentes pro Deo mori; satisque Christum semel pro nobis occisum ne nos occideremur; neq; ipsum expectare salutem de aliorum nece, sed peccatoris pœnitentiam malle quam mortem; atque huiusmodi sermonibus magna Fidelibus inferri solita esse tempore persecutionis iactura: hac, inquam, de causa idem Tertullianus aduersus omnes eiusmodi hæreticos commentarium scribens, *De bono Martyrii* inscribi voluit, siue etiam *Scorpiacum*, hoc est Antidotum contra ictum Scorpii.

a *Id. c. 29. & 30.*

III. VALENTINIANORVM MORES.

Quam autem nefandi fuerint Valentinianorum mores, qui se nullis bonis operibus teneri obligatos dicerent, ac collegio se turpissimorum Gnosticorum sociassent, facile quisque poterit existimare: quos & Irenæus valide insectatus, ostendit eos omni fuisse luxuria inquinatos, carnis voluptatibus insatiabiliter inseruientes, adeo vt vxores à maritis auellerent, ac proprias etiam sorores corrumperent: Idolothyta quoque indifferenter manducasse, & festa Gentilium obseruasse: Solitosque arguere Catholicos, quasi idiotas & nihil scientes, quod peccare timerent; se ipsos autem extollere, perfectos vocantes & semina electionis: Sed & Catholicos gratiam in vsum tantummodo accipere, ideoque ab eis auferri; se vero tanquam proprietarios eam possidere. Hæc Irenæus *b*: qui & initiandorum credentium sex modos refert *c*; totque fuisse apud eos eiusmodi mysteriorum ritus, quos Antistites affirmat. Tradit quoque Tertullianus *d*, eosdem consueuisse appellare Catholicos *Simplices*: sed & suis ipsorum ritibus imitatos esse secreta Eleusinia, solitosque velis obducere fores ne viderentur, & silentium perpetuo custodire, atque adeo occultare quod prædicarent. Vnde & accidisse putamus, vt Romæ, vbi Valentinus diu versatus est, nequaquam ipsa sacra (vt mos est in Oriente) velis inter agendum obductis operirentur, sed patentibus omnibus, non tantum clara diei luce, sed luminaribus incensis fierent vbique clara atque perspicua: siquidem nihil veritas erubescat, nisi abscondi. Denique Clemens *e* Alexandrinus scribit, Valentinum docuisse, in homine inesse habitantes iniquos spiritus, qui eum ad omne malum impellant: itemque *f* tantam fuisse Christo vim continentiæ, vt etiam cibos quos vere sumeret non redderet; nec ii in eo interierint, quoniam ipse non habuit interitum.

b *Iren. l.1.c.1.* c *Id.c.18.* d *Tert. aduer. Valent. c.1.2.3* OCCVLTA MYSTERIA HÆRETICORVM. e *Clem. Alex. Strom. l.2.* f *Id. l.3.*

IV. VALENTINI SCRIPTA.

Cæterum præter Epistolas Valentini ad diuersos scriptas, quas citant iidem Clemens & Epiphanius, scripsisse quoque Euangelium Tertullianus *g* ait; eoque descriptam fuisse Infantiam Saluatoris, Irenæus *h* innuit: sed & addit, inenarrabilem multitudinem apocryphorum ab eo fuisse collectam, quibus ad suas præstigias illustrandas vti soleret. Meminit insuper Tertullianus *i* Psalmorum eius, ac commentarii cuius esset titulus *Sophia*. Quanta vero fuerit Valentinianorum procacitas, egregie paucis idem auctor declarauit, dum ait *eos conuincere potuisse, sed non suaderi*: pluribusque Irenæus *k* docet, fuisse veluti lubricos angues spiris inflexos, vndique latebras captantes; ita vt cum ex Scripturis arguerentur, in accusationem conuerterentur ipsarum, confugientes ad traditionem; cum vero Traditionibus Apostolicis vrgerentur, iisdem aduersarentur, dicentes se Apostolis esse sapientiores, & melius quam ipsum Saluatorem interpretari doctrinæ mysterium. Quinam autem scripserint aduersus Valentinum & sectatores, Tertullianus *l* nominat Iustinum martyrem, Miltiadem, Irenæum, & Proculum: addendus & ipse, qui plura aduersus illos egregie scripsisse noscitur. Ad-

g *Tertul. de præſcr. c.49.* h *Iren. l.1.c.17* i *Tert. de car. Chr. c.20. & aduer. Val. c.2* k *Iren. l.3.c.2.* l *Tert. aduer. Valent. c.5.*

II. h *Tert. aduer. Valent. c.27. & lib. de car. Chr.*

tur. Addit insuper Theodoretus Theophilum Antiochiæ & Philippum Gortynæ Episcopos, Modestum, Origenem, Rhodonem, Hippolytum, & Eusebium Emesenum: quibus & iungendi fuissent Clemens Alexandrinus, & Epiphanius.

V. OPHITARVM HÆRESIS.

Sed quod ad Valentini progeniem spectat, ex eius schola, quæ & Gnosticorum dicta fuit, progressa est hæresis OPHITARVM; cuius auctorem fuisse *Euphratem* quendam, tradit Origenes *a*. Dicti *Ophitæ* à serpente, quod (vt ait Irenæus *b*) Sapientiam serpentem factam dicerent, & agnitionem hominibus immisisse. Immo Tertullianus *c* in tantum eos serpentem magnificasse tradit, vt illum ipsi CHRISTO præferrent: atque etiam introducerent ad benedicenda Eucharistica sua: cum videlicet (vt Epiphanius *d* & Augustinus *e* describunt) eorum sacerdotes incantationibus quibusdam operarentur, vt egrediens de cauerna serpens ascenderet super altare, & oblationes eorum lamberet inuoluens se circa eas: sic vero quasi à serpente CHRISTO sanctificatas, confringebant in Eucharistiam, ac populo tradebant; qui & salutabat serpentem, & adorabat, eundemque præstigiis quibusdam mansuetum reddidum, sed & blandientem, ore osculabatur. Quod autem Augustinus ait, Ophitas dixisse CHRISTVM fuisse serpentem illum qui decepit Euam; Theodoretus *f* addit, ex Ophitis quosdam affirmasse, CHRISTVM in speciem serpentis transmutatum: & in eundem, puto, sensum Origenes ait, eos blasphemiis & maledictis IESVM impetere solitos; adeo vt ne eius nomen vellent audire; nempe quod loco Christi IESV, serpentem illud adorarent. Detestabantur quoque Deum omnium creatorem, quem humano generi inuidentem dicerent esse Deum Iudæorum. Cæterum licet antiquam, tamen obscurissimam hanc dicit Origenes fuisse hæresim, quippe quod iam suo tempore propemodum desiisset. At de Ophitis plura Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus, Isidorus, Damascenus, & alii qui hæreticorum catalogum texuere: & quamuis alii à Valentino, alii à Nicolaitis, à Carpocrate alii originem duxisse dicant; tamen hos omnes æque Gnosticos fuisse, vnoque nomine dictos, superius demonstratum est.

a Orig. lib. 6. cont. Cels.
b Iren. lib. 1. c. 34. in fi.
c Tertul. de præscr. c. 47.
d Epiph. hær. 37.
e Aug. de hæres. ad Quodvult.

VI. DIABOLVS ITERVM IN FORMA SERPENTIS VVLT COLI.

Videas ex his plane diabolum, CHRISTI Crucis virtute percussum, & ex idolis fugatum, pristinam illam quam olim decipiens primos parentes induerat formam repetere, & diuinum in ea sibi cultum vendicare; nec tantum ab hæreticis, sed & iisdem plane temporibus ab Ethnicis. Sub hoc enim Antonino Imperatore prodiit *Alexander* ille, ex schola Tyanæi magus & incantator; qui ex confictis Sibyllinis oraculis Æsculapium in Bithynia appariturum prænuntians, *Serpentem* palam adorandum exposuit; illumque Æsculapium esse falso commentus, ingentem ob responsa quæ à se ficta dare solebat, pecuniam corrasit ex oblationibus hominum, ab vniuersa Asia, atque etiam Roma, ac tota pene Italia, aliisque prouinciis, ad eiusmodi vocale oraculum confluentium Abonum in Ponto, vbi ipse huius dementiæ officinam aperuisset: cuius insignem impostura, tanquam in scena tragœdiam, egregie Lucianus *g* repræsentauit: addit-que confinxisse impostorem, numen illud serpentinum professum esse, se præ cæteris odio habere Christianos, itemque Epicureos, quod Deos negarent: perdurasse vero eiusmodi fabulam multis annis; quorum singulis septuaginta vel octoginta drachmarum millia ex ea Alexander eliceret; donec tandem pede scatentibus vermibus putrefacto, annos propemodum septuaginta natus miserando consumptus est interitu. Sed quomodo post hæc in quibus versamur tempora, Romanorum exercitum falsis responsis elusum bis in discrimen adduxerit, dicetur suis locis.

g Lucian. in Pseudom.

VII. *h Edidit Lips. in Antiq. inscript. edit. Plant. fol. 19. Habetque Baron. an. 139.* FALSA GENTILIVM MIRACVLA.

Nec prætermittendum de cultu Serpentis, quod Dio scribit, Imperatorem Hadrianum in templo Iouis Olympii, quod Athenis sumptuosissime erexerat, posuisse pro numine Draconem ex India deportatum. Extatque *h* Romæ antiqua tabula marmorea, non ita pridem è ruderibus templi Æsculapii eruta, qua nonnulla ab eodem Æscula-

pio (quem, vt diximus, sub forma serpentis colebant) his iisdem Antonini temporibus facta miracula referuntur: quę omnes consentiunt eiusdem generis esse, cum illis quę olim à Vespasiano, & postea ab Hadriano facta esse dicuntur, de quibus satis superius. Nunc ad Valentini sobolem redeamus.

VIII. DE CAIANIS HÆRETICIS.

Eius fœturam aliam fuisse CAIANOS hæreticos; Irenæus *a* imprimis affirmat. Verum non à Valentino tantum, sed & à Nicolao, Carpocrate, & Gnosticis omnibus, hos mutuatos esse venenum ac turpitudinem, Epiphanius *b* tradit: qui eo impietatis atque dementiæ prorupere, vt malum bonum, & qui ab eo denominati essent mali omnes, hos sanctos dicerent atque perfectos; & ex quadam potenti virtute conceptos, quę operata esset in ipsis; puta *Cain*, *Chore*, *Sodomitas*, & alios id genus homines; & summum omnium *Iudam Iscariothem*, propter vtilitates quas humano generi intulisset, cum videns Christum velle subuertere veritatem, vel potestates huius mundi nolle Christum pati, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur; ipse Iudas saluti consulens hominum, tradidit Christum. Nec saluari aiebant quempiã, nisi omnes turpitudines, & omnia peccata consummaret; ac cuique perficiendo peccato Angelum esse præfectum. Angelos enim oppressores esse bonorum, adiutores vero malorum; & vnum ex iis Moysem excæcasse. Hæc de istis fusius Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, & alii his recentiores, qui de hæresibus commentarios scripsere. Addit autem Irenæus, eosdem vsos esse pseud Euangelio, quod Iudæ dicebant: Epiphanius vero, confinxisse etiam librum nomine Pauli, quam vocarent *Ascensum Pauli*.

a Iren. l. 1. c. 35
b Epiph. hær. 38

IX. DE SETHIANIS.

Sed his aduersi SETHIANI, à Seth filio Adam nominati hæretici, ex eodem Valentino aliqua ex parte descenderunt; dum sicut ille, nouam esse in Seth generationem hominum dicerent; quorum meminit Irenæus *c*. Sed aliis additis fictionibus, à Valentino longius recesserunt, dum duos homines dicerent ab Angelis constitutos, *Cain & Abel*, & propter hos magnas inter Angelos contentiones extitisse; atque ob hanc causam, illam Virtutem quæ super omnes virtutes esset, quam matrem pronunciabant, Abele interfecto voluisse concipi eius loco Seth, purum semen, vt euacuarentur Angeli illi qui duos priores illos homines condidissent. Permixtiones autem Angelorum & hominum iniquas fuisse; ideoq; illam Virtutem matrẽ, ad vindictam cataclysmum induxisse, vt & illud permixtionis semen tolleretur, & solum semen purum conseruaretur: verum & illos qui semen prius instituissent, clam matre Virtute, cum illis octo animabus in arcam missise etiam semen Cain, quo semen malitiæ non periret, sed post cataclysmum exemplo cæterorum excresceret, ac totum orbem impleret & occuparet. De CHRISTO autem sic sentiebant, vt dicerent illum tantummodo Seth, & pro ipso Seth ipsum fuisse. Hæc omnia de illis Tertullianus *d*. Addit Epiphanius *e*, (qui & prædicta dilucidius explicat) eos conscripsisse libros quosdam nomine magnorum virorum, nempe nomine Seth libros septem, & alios quos *Alienigenas* vocarent; aliumque rursum nomine Abraham, quem & Reuelationem esse dicerent omni malitia refertum: alios item nomine Moysis, & alios aliorum. Meminerunt quoque de Sethianis, iidem qui supra scriptores Ecclesiastici. De reliquis autem discipulis Valentini, agetur suis temporibus. Sed Caiani & Sethiani, quod illorum ortus certum tempus inexploratum sit, sub Valentino, ex quo deduxere principium, sunt collocati; quamuis à Tertulliano ante Valentinum ponantur, ab Epiphanio & aliis postea.

* * *
* *

c Iren. lib. 1. c. 7. 14. 24.
d Tert. de præscr. c. 47.
e Epiph. hær. 39.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 146.

TELESPHORI AN. 5.

ANTON. PII IMP. AN. 7.

I. DE MARCIONE HÆRESIARCHA.

ANNO Christi centesimo quadragesimo sexto, Auito & Maximo Coss. MARCION Ponticus emersit hæresiarcha. Cum enim sub Antonino Pio eum docere cœpisse, omnes consentiant: Tertullianus *a* etiam id accidisse ponit post Christum passum annis centum quindecim cum dimidio, mensisq; dimidio. Cum vero is (vt vidimus) existimauerit Christum passum anno ætatis suæ trigesimo; si quis ab eo tempore deducat præscriptum annorum numerum, plane inueniet Marcionem hoc anno Domini centesimo quadragesimo sexto cœpisse docere.

a *Tert. l. cont. Marc. 19.*

II. DE CERDONE MARCIONIS MAGISTRO.

At quoniam (vt idem ait) Cerdonis Marcion discipulus extitit, sciendum prius est hunc CERDONEM introduxisse Initia duo, id est duos Deos, vnum bonum, & alterum sæuum: bonum, superiorem; sæuum, mundi creatorem. Prophetas & Legem repudiauit; Deo creatori renunciauit: superioris vero Dei filium Christum asseruit venisse non in substantia carnis, sed in phantasmate; nec omnino natum vel passum, sed quasi natum ac passum. Resurrectionem animæ tantummodo probauit, corporis negauit: solum Euangelium Lucæ, nec tamen totum recepit: Pauli Epistolas neque omnes, neque totas sumsit: Acta Apostolorum & Apocalypsim, quasi falsa reiecit. Hæc de Cerdone Tertullianus: de quo & sæpe Irenæus. Non solum autem à Simone Mago, sed & à Saturnino accepisse quam propalauit hæresim, auctor est Epiphanius *c*; qui eum primo docuisse tradit in Syria, ac demum se contulisse Romam: sed de eo rursum inferius.

b *Tert. de præscript. c. 51.*

c *Epip. hær. 41*

III. MARCIONIS MORES.

Quod vero pertinet ad *Marcionem* ipsius discipulũ; prodiit hic primo ex Stoicorum schola philosophus, genere Ponticus ex vrbe Sinope, filius Episcopi pietate illustris. Qui quidem prima sua ætate virginitaté exercens, & solitariam vitã excolens, progressu temporis cum virgine corruptus est: qua de causa à proprio patre Ecclesia pulsus, cum ab eo veniam non impetraret, Romam venit post Hygini Papæ obitum: sed nec illic receptus, quod pater obstitisset, Cerdoni hæresiarchæ se iunxit. Hæc de Marcione Tertullianus *d* & Epiphanius *e*. Verum non tantum propter stupri crimen, & excommunicationem, fuisse ab Ecclesia Romana repulsum, sed maxime propter hæresim quam iam antea docuisset, multa probant.

d *Tert. de præscri. c 30. & 51*

e *Epp. hær. 42*

IV.

Sed quod eum Epiphanius ait post Hygini mortem se Romam contulisse; idem ipse inferius, post tempora Aniceti venisse asserit. At Irenæus *f* eum iam ante Anicetum, vel saltem sub eo Romæ fuisse, quo tempore S. Polycarpus eo venit, aperte demonstrat. Et Tertullianus *g* sub Aniceto venisse, aliquando affirmat; alias *h* autem, sub Eleuthero ab Ecclesia eiectum. At vero in vnam hæc omnia consentient veritatem, si dixerimus, (quod & verum esse liquet) Marcionem sæpe Romæ palinodiam recantasse, eaque de causa sæpius eo venisse: neque ibi primum, sed in Oriente sub Antonino Pio hæreses docere cœpisse. Immo si Origeni credimus *i*; dicenti Celsum Epicureum sub Hadriano Imperatore, scripsisse aduersus Christianos commentarios suos; cum in iis sæpe mentionem ille habuerit *k* hæresum Marcionis, omnino asserendum esset iam ante Antonini tempora eas esse peruulgatas. Philastrius *l* quoque tradit, eum primo in Asia errores docuisse, ibique à Ioannis Apostoli discipulis, potius quam ab ipso Ioanne, conuictum Romam venisse. Quapropter quod ait Tertullianus *m*, eum in Catholicam primo Romæ doctrinam credidisse, intelligendum est, ipsum (sicut alibi *n* dicit) vt reciperetur, scriptis Catholicam fidem professum esse. Sed quomodo sæpe ad vomitum reciderit, dicetur inferius: nunc eius hæreses recenseamus.

f *Iren. l. 3. c. 2.*

g *Tert. carm. aduer. Marc. l. 3. in fin.*

h *Id. de præscr. c. 30.*

SÆPE PALINODIAM RECANTAVIT.

i *Orig. cont. Cels. l. 1.*

k *Cels. ap. Orig. l. 25. c. 6.*

l *Philastr. de hæres. c. 40.*

m *Tert. de præscrip. c. 30.*

n *Id. 4. cont. Marc. 4. & de car. Chr. c. 2.*

Imprimis vt Cerdo, duos posuit Deos sibi contrarios, alterum bonum, alterum malum; hunc legis veteris auctorem, illum nouæ; à malo mundum esse creatum, à bono restitutum atque redemptum; hunc que fuisse IESVM à Deo Patre missum, qui legem tanquam malam soluit atq; Prophetas. Putarunt alii *a*, tres Deos à Marcione poni, ac proinde tria Principia; vnum supremum & innominatum & inuisibile, quod etiam bonum diceret; quod nihil ex iis quæ in mundo sunt creasset: alterum visibilem Deum, & opificem, hunc q; esse Deum Iudæorum: tertium vero diabolum. At Origenes ita numerat *b* tres Deos Marcionis; Deum Iudæorum, Deum Christianorum, Deum Gentilium. Tertullianus *c* autem: qui cæteris accuratius eius hæreses disquisiuit, conuincit nouem posuisse Deos; in superioribus tres substantias diuinitatis, Deum bonum, Deum malum, & Mundum superiorem; in inferioribus quatuor, Factorem; Locum, Materiam, & Malum; quæ omnia innata voluit atque infecta esse, & Deo coæterna: insuper & duos Christos quorum alter apparuisset Tiberii tempore, alter à Creatore promitteretur: cum alioqui non nisi duos se Deos ponere profiteretur, bonorum auctorem alterum, alterum malorum. Sed apud Eusebium *d* testatur Rhodon Asiaticus; non Marcionem, sed quosdam ex Marcione descendentes, auctore *Synero* quodam, tres naturas atq; principia rerum statuisse.

V. EIVS HÆRESES.

a *Ap. Epiph. hær. 42.*

b *Orig. dial. cont. Marc. l.*

c *Tert. l. cont. Marc. 15.*

d *Ap. Euse. l. hist. 13.*

Respuit insuper vetus Testamentum, tanquam à malo Deo prolatum; nouum vero ex animi sui sententia mutilauit, ex illo auferens quicquid ageret de carne & generatione Christi quam ipse negaret, nec non de creatione mundi per Deum Patrem, & de aduentu Dei. Sed hæc pluribus Irenæus *e*, Tertullianus, & alii. Itemque, cum carnem à malo principio diceret esse exortam, eius omnino negauit resurrectionem, vetuitq; propagationem: licq; ex ea causa virginitatem prædicans, coniugia respuit atque damnauit, coniugatosque à salute penitus exclusit, quos nec vellet *f* baptizare. Illarum autem tantummodo animarum esse salutem asserebat *g*, quæ eius doctrinam didicissent; earundemque itidem non vnam, sed variam atque diuersam esse naturam. Adiecit *h* & horrendam blasphemiam, vt diceret Christo ad inferos descendente, esse saluatos Cain, Sodomitas, Ægyptios, & alios omnium nequissimos; Abel autem, Enoch, Noe, & reliquos iustos, eo quod non occurrissent ei, nullam participasse salutem; quippe qui amici fuissent Dei Hebræorum, quem Malum diceret.

VI.

e *Iren. l. 1. c. 33*

f *Tert. l. cont. Marc. 29.*

g *Orig. in Rom. 2.*

h *Iren. ibid.*

Animatorum quoq; esum damnasse traduntur: immo & in odium eiusdem Dei Creatoris, omnes simul res creatas execrari solitos Marcionitas, nec illis vti nisi necessitate cogente, Theodoretus *i* exemplo declarat. Sed & in odium pariter Creatoris, & quod carnem detestarentur tanquam ab eo creatam, vt eam perderent, se sponte martyrio obtulisse, testatur Clemens *k* Alexandrinus. Pariterque eodem odio permotos, sabbato ieiunare consueuisse Epiphanius tradit: cum alioqui Occidentales longe ante Marcionis tempora (vt suo loco dictum est) alia ratione ieiunium sabbati religiose suscepissent. In suis itidem sacrificiis atq; mysteriis aqua vti solitos idem Epipha. scribit: itemq; per Marcionẽ non modo anabaptismum introductum fuisse, sed & tertium quoque ad peccata diluenda concessisse baptismum; feminasq; apud eos solitas baptizare. Quin etiam consueuisse baptizare viuentes pro mortuis absque baptismo defunctis, dictum est superius ex Chrysostomo *l*.

VII.

i *Theod. l. 1. hær. fab.*

k *Clem. Alex. Strom. l. 4.*

l *Chrys. hom. 40. in Cor. 1.*

Ad hæc autem quæ diximus, & alia id genus quæ ex falsis propositionibus consequuntur, conualidanda, Marcionem complures scripsisse libros Tertullianus *m* tradit, nimirum Euangelium, Epistolam, Antitheses, & Apostolicum Instrumentum. Aduersus ipsum vero scripsere, primus quidem omnium Iustinus *n* martyr, qui iisdem temporibus claruit; & paulo post, omnium qui extant copiosissime, Tertullianus tam metro quam soluta oratione; Irenæus etiam, Rhodonque *o*; necnon (vt testatur Theodoret. *p*) Theophilus Antiochenus, Philippus Gordinensis Episcopi, Modestus, Hippolytus insuper, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus Hierosolymitanus, Eusebius Emesenus Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Chrysostomus,

VIII. ET SCRIPTA

m *Tert. aduer. Marc. l. 1. Pamel. ibi, Scholia.*

n *Iren. l. 5. Hier. de Scr. Eccles. in Iustin.*

o *Euse. l. 5. hist. 13*

p *Theod. lib. 1. hær. fab.*

ipſeque Theodotetus, & alii recentiores qui de Hæreſibus conſcripſerunt. Cætera vero de Marcione ſuo loco; & de Marcionitis ſæpe infertus. Nec enim vt aliæ hæreſes, ita hæc cito extincta eſt; quandoquidem Epiphanii ac Theodoreti teſtimonio conſtet, adhuc ſuis temporibus, poſt trecentos ferme abhinc annos, ingenti viguiſſe numero.

IV. DE APELLE HÆRESIARCHA.

Numerantur a autem complures Marcionis diſcipuli; ſed inter illos famoſiſſimus APELLES. Qui quidem (inquit Tertullianus b) poſteaquam in carnem ſuam lapſus eſſet, à Marcione ſegregatus eſt. Introduxit autem vnum Deum infinitis ſuperioribus partibus, qui poteſtates multas, Angelosque fecerit; propterea & aliam Virtutem quam diceret, Dominum dicebat, ſed Angelum ponebat. Hoc voluit videri, mundum inſtitutum ad imitationem mundi ſuperioris, cui mundo permiſcuiſſe pœnitentiam, quia non illum tam perfecte fecillet, quam ille ſuperior mundus inſtitutus fuiſſet. Legem & Prophetas, Chriſtum vero neque in phantaſmate dixit fuiſſe, neque in ſubſtantia veri corporis; ſed in eo quod è ſuperioribus partibus deſcenderat, ipſo deſcenſu ſide eam ſibi carnem & aream contexuiſſe: hunc que in reſurrectione ſingulis quibuſq; elementis quæ in deſcenſu ſuo mutata fuiſſent, in aſcenſu reddidiſſe, & ſic diſpe ſis quibusque corporis ſui partibus, in cælo ſpiritum tantum reddidiſſe. Carnis reſurrectionem negauit; & animarum ſolarum ſalutem eſſe dixit. Solo vtebatur Apoſtolo, ſed non toto. Habuit præterea priuatas, ſed extraordinarias lectiones ſuas, quas appellant Phaneroſes, *Philumenes* cuiuſdam puellæ, quam quaſi prophetiſſam ſequebatur: habuitque inſuper ſuos libros, quos inſcripſit Syllogiſmorum; in quibus probare voluit, omnia quæcunque Moyſes de Deo ſcripſiſſet, falſa eſſe. Hæc de Apelle Tertullianus. Qui & c alibi (& ante ipſum Rhodon d) ait eius erroris fuiſſe auctricem prædictam PHILVMENEM puellam à dæmone agitatam, quam Apelles diceret inſpiratam diuinitus ad prænuncianda futura; aſſerens prophetias noſtras ex ſpiritu contrario & ſibi repugnante editas. Agit de eadem, deque eius diuinationibus diabolicis atq; præſtigiis, Auguſtinus e; meminitque Hieronymus f, dum multis exemplis oſtendit nullam prope fuiſſe vnquam hæreſim, quæ non habuerit feminam auctricem, vel adiutricem. Porro eandem immane proſtibulum euaſiſſe, & ipſi quoq; Apelli fuiſſe in delicijs, Tertullianus g aſſerit.

a Rhod. ap. Euſeb. 5. hiſt. 13. Tert. de præſcript. c 51. Theo. l. 1. hær. fab. & alii.
b Tert. de præſcr. c. 51.
c Tert. ib. c. 6.
DE PHILVMENE FEMINA.
d Ap. Enſeb. 5. hiſt. 13.
e Aug. de hær. ad Quodvultd. c. 24.
f Hier. ad Cteſiph. aduerſ. Pelag.
g Tert. de præſcr. c. 30.

X. ARMA POTISSIMA ADVERSVS HÆRETICOS.

Cæterum qui pro veritate tuenda aduerſus tantam impoſtorum colluuiem, egregiam nauarunt operam, etſi compluribus aliis ad eos conuincendos vſi ſunt argumentis, nullum tamen eo viſum eſt ipſis eſſe præſtantius, quam ad Eccleſiam Catholicam prouocare: mirum vt cum quę in ea ab Apoſtolorum temporibus viguiſſet traditio atque conſuetudo per continuam & nunquam interruptam perſonarum ſucceſſionem perſpicue demonſtrarent, hoc vno omnes illorum infringerent impetus, qui nihil tale oſtendere poſſent. Sic enim Irenæus h: *Traditionem Apoſtolorum toto mundo manifeſtam in Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire: & habemus numerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum vſque ad nos: qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt, quale ab his deliratur.* Et Tertullianus i de iis qui ſe æque Apoſtolicam doctrinam prædicare iactarent: *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum: euoluant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, vt primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeuerauerint, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt &c.* Habent & alia multa variis locis iidem auctores in hanc ſententiam: eandemq; firmam certamque rectæ fidei explorandæ regulam, nouerunt pariter, ac ſecuti ſunt Auguſtinus k, aliiq; ſanctiſſimi Patres, quotquot aduerſus hæreticos manus conſeruerunt.

h Iren. l. 3. c. 3.
i Tert. de præſcri. c. 33.
k Aug. ctr. ep. Manich. c. 1.

XI. CVR PLVRES HÆRESES.

Quod vero his potiſſimum temporib. Hadriani & Antonini, tot hæreſes obortæ eſſent, hinc Celſus Epicureus (de cuius in Chriſtianos ſcriptis iam dictum eſt) occaſionē ſumpſit inſultandi Chriſtianis de ſua ipſorum diſſenſione. Cui præclare reſpondit Origenes l, & tam exemplo philoſophiæ, medicinæ, aliarumque eiuſmodi ſcientiarum & facultatum, quarum profeſſores in varias ſectas diuiſi eſſent, quam etiam auctoritate Sancti Pauli dicentis a, *Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt manifeſti fiant*, oſtendit nihil id nocere Catholicæ fidei. Cuius etiam quæſtionis ſcopum videtur attigiſſe Iſidorus b Peluſiota, dum ad Apollonium Epiſcopum ſcribens, rationem reddit cur plures quotidie naſcantur hæreſes. Permittere autem illas Deum Auguſtinus c ait, quoniam *ſi doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet, & nullis extrinſecus hæreticorum dogmatibus cingeretur, non poſſet tam clara & tam examinata videri fides Catholica: cum vero quæ d ſunt fidei Catholicæ, hæreticorum callida inquietudine agitantur: ea vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur.* Deniq; Lactantius e de eadem re agens, ac demum docens quomodo inter tot ſectas dignoſcenda ſit vera Eccleſia, *ſciendum eſt*, inquit, *illam eſſe veram, in qua eſt religio, confeſſio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus eſt ſubiecta imbecillitas carnis, ſalubriter curat.* Sed de his hactenus.

a 1. Cor. 11.
b Iſid. Peluſ. 2. ep. 90.
c Aug. ſer. de temp. 98.
d Id. 16. de ciuit. 2
e Lact. lib. 4. c. vlt.

IESV CHRISTI AN. 147.148.149.

TELESPHORI AN. 6.7.8.

ANTON. PII IMP. AN. 8.9.10.

I.

ANNO Chriſti centeſimo quadrageſimo ſeptimo, Antoninus Pius Auguſtus quartum & M. Aurelius Cæſar ſecundum ponuntur in Faſtis Coſſ. à Caſſiodoro vero Orfitus & Priſcus.

II.

Anno autem centeſimo quadrageſimo octauo: Erucius Clarus & Claudius Seuerus: ac rurſum

III.

Anno centeſimo quadrageſimo nono, à Caſſiodoro Gordianus & Maximus, ab aliis vero ex Græcis Faſtis duo Valerii Largus & Meſſalinus. Porro hi omnes rerum Eccleſiaſticarum notitia prorſus ſteriles remanſerunt. Quod vero ad rectam chronologiam ſpectat; dum Clemens f Alexandrinus ab excidio Hieroſolymitano vſq; ad hunc Antonini decimum annum, ſeptuaginta ſeptem numerat annos, vides eius ſupputationem noſtræ apprime conuenire.

f Clem. Alex. li. 1. Strom.

IESV CHRISTI AN. 150.151.152.153.

TELESPHORI AN. 9.10.11.12.

ANTON. PII IMP. AN. 11.12.13.14.

I.

ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo, ſecundum Græcos Torquato & Iuliano, vel ex Chronico Caſſiodori Romulo & Glabrione Coſſ. *Iuſtinus* philoſophus Chriſtianus & poſtea martyr, Romæ exiſtens, cum pro Chriſtianis ſcripſiſſet Apologeticam orationem, qua liberrime exprobraret iniquiſſima in Chriſtianos iudicia, calumniasque ſingulas purgaret, & innocentiam demonſtraret; eandem obtulit Antonino Pio Imperatori, eiuſque filiis adoptiuis Marco & Lucio Philoſophis, ac denique ipſi Senatui Populoque Romano. Nam cum ad eius ſcriptionis tempus ipſemet numeret g annos centum quinquaginta à Chriſti Natiuitate; eſt quod inde corrigas Euſebium h, qui anno tertio Antonini, & Caſſiodorum qui anno quarto eandem ſcriptam aſſirmant. Nec obſtat quod Iuſtinus in ea vocet nuperum, illud bellum Iudaicum, quod vidimus finem accepiſſe ante annos tredecim. Haud enim id modus loquendi abnuit; cum nullum eiuſmodi aliud ab eo tempore excitatum à Iudæis, aut in ipſos fuerit; extiteritque illud toto Orbe celebratiſſimum.

I. IVSTINI APOLOGIA PRO CHRISTI.

g Iuſtin. orat. ad Anton.
h Euſeb. & Caſſiod. in Chron.

An vero annuerit Iuſtini petitionibus Imperator, non conſtat: nam poſt hæc Romæ patratas eſſe religionis

II.

cauſa

cauſa Chriſtianorum cædes, inferius apparebit. Et quo minus aſſentiamur affirmantib. Antoninum Iuſtini oratione perſuaſum, mox illud quod extat in fine eius, dediſſe reſcriptum; hoc impedit, quod illud Aſiæ populis poſt trienniũ fuiſſe datum apparet, nimirum eius Imperii anno decimo quinto. Cum enim ibi Tribunitię Poteſtatis inſcriptio notata habeatur decies quinquies, totidem eum annos tunc egiſſe in Imperio certum eſt: teſtante Dione *a*, pro numero annorum Imperii multiplicari vices Tribunitiæ Poteſtatis; adeo vt illi quibus cum Imperio collata eſſet Tribunitia Poteſtas (quod Antonino accidiſſe, nummi *b* & inſcriptiones antiquæ declarant) quoto aucti reperiantur numero Tribunitiæ Poteſtatis, totidem eos agere in Imperio annos neceſſe ſit pariter affirmare: ſecus autem ficui ante Imperiũ (quod in Tiberio *c*, Hadriano *d*, aliisq; non raro contigit) collata eſſet.

a *Dio lib.* 53.

b *Habet Bar. Tom. II. an.* 140. 160. 163.

c *Suet. in Tiber. c.* 9. & 16. *Dio lib.* 55.

d *Spart. in Hadria.*

III

Cæterum Anno Chriſti centeſimo quinquageſimo primo, Orfito & Priſco Coſſ. vel ſecundum Caſſiodorum Præſente & Rufo, Antonini anno duodecimo *e*, poſt *Marcum* Iuniorem ſubrogatur in Eccleſia Alexandrina *Celadion* Epiſcopus.

e *Euſeb. in Chro. & hiſt. lib.* 4. *c.* 18.

IV.

Anno vero centeſimo quinquageſimo ſecundo, Gallicanus & Vetus, vel, vt habet Caſſiodorus, Commodus & Lateranus creati ſunt Coſſ.

V.

Pariterque anno centeſimo quinquageſimo tertio, pro Gordiano & Maximo, quos alii Faſti habent, Caſſiodorus ponit Verum & Sabinum Coſſ. quibus nihil geſtum repetitur ad res noſtras pertinens.

IESV CHRISTI AN. 154.

HYGINI AN. I.

ANTON. PII IMP. AN. 15.

I. TELESPHORI PP. MARTYRIVM.

ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo quarto, Glabrione & Veriano Coſſ. *Theleſphorus* Papa, cum ſedi ſſet annos vndecim menſes nouem, minus diebus tribus, martyrio *f* coronatur. Tribuit eidem Euſebius *g* annos vndecim exactos; itidemq; Indices Creſconiani. Qui vero volunt ſediſſe annos vndecim, menſes tres & dies viginti vnum; haud rationem viſi ſunt habuiſſe temporis creationis eius, quæ contigit octaua Aprilis, & obitus qui apud omnia Martyrologia poſitus habetur quinta Ianuarii. Sicuti & Euſebius cum primo Antonini anno eum deceſſiſſe ponit, errore lapſus ex eo intelligitur, quod (vt ſæpius diximus) in ſerie Romanorum Pontificum Cletum prætermiſerit. Deniq; quod inter alia decreta, tribuitur Theleſphoro conſtitutio de Quadrageſimali Ieiunio; de eo dictum eſt ſuperius in Sixto *h*. Traditur vero inſuper in Libro *i* de Rom. Pontificibus, eundem Teleſphorum decreuiſſe, vt in Natali Domini noctu Miſſæ celebrarentur, *cum* (inquit) *omni alio tempore ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret Miſſas celebrare, quia ea hora Dominus aſcendit in Crucem.* Verum ſunt hæc accipienda de iis quæ frequentiori vſu in Eccleſia ſeruarentur; cum alioqui multis conſtet exemplis, in ſacris Vigiliis noctu ſacrificium offerri conſueuiſſe. Additur ibidem, ſtatuiſſe Theleſphorum, vt ante ſacrificium diceretur Angelicus hymnus, *Gloria in excelſis Deo &c.* Sepultum autẽ eſſe iuxta corpus B. Petri in Vaticano: & cum poſt eius necem ſedes vacaſſet dies ſeptem, creatum eſſe Romanum Pontificem HYGINVM Græcum Athenienſem, ex Philoſopho.

f *Iren. l.* 3. *c.* 3. *Tert. carm. cont. Marcio. l.* 3. *in fi. Anaſ. de Rom. Pont. Martyrol. Rom. & alia.*

g *Euſe.* 4. *hiſt.* 10.

II. MARTYRES SVB ANTONINO.

Paſſus eſt etiam ſub eodem Antonino Imperatore inſignis martyr *Alexander* Epiſcopus (cuius ciuitatis neſcitur) via Claudia vigeſimo ab Vrbe milliario; atque Spoleti *Pontianus*: & alii plures tam in Italia & Gallia, quam in aliis Occidentis & Orientis prouinciis; quorum nonnullorum in Romano Martyrologio certa paſſionis dies adſcripta habetur, cum longe eorum maior ſit numerus, quorum iniuria temporum, & incendio ſcripturarum, memoria periit.

III.

Porro Sanctorum ſuorum vindex Deus, haud alia de cauſa his diebus tum ipſam Vrbem Romam, tum alias Imperii prouincias, multiplicibus cladibus afflictauit, nempe fame, terræmotibus, inundationibus, incendiis, quæ recitat Capitolinus *a*; quam vt manifeſtis declararet ſignis, eſſe Gentilibus diuinum numen infenſum. Ea vero non ſolum populis terrorem incuſſiſſe, ſed & ipſum Imperatorem pariter commouiſſe, ex eo facile opinari licet; quod hoc anno ſui Imperii decimo quinto (vt dictum eſt ſuperius) reperiatur promulgaſſe edictum pro cohibenda Chriſtianorum perſecutione. Deſcriptum habetur integrum apud Euſebium *b*; niſi quod in titulo, errore poſitus eſt *Marcus Aurelius*; cum apud Iuſtinum *c* recte habeatur T. *Aurelius Hadrianus Antoninus Pius.* Et quamuis inſcriptum ſit tantummodo ad populos Aſiæ; tamen & ad alias quoque prouincias miſſum eſſe, conſtat tum ex ipſius reſcripti verbis, tum ex Melitone *d* Epiſcopo Sardenſi in Apologia ad Verum.

CLADES IMPERII OB PERSECVT.

a *Capitol. in Anton. Pio.*

ANTON. RESCRIBIT PRO CHRIST.

b *Euſ. 4. hiſt.* 12.

c *Iuſt. in fin. or. ad Anton.*

d *Ap. Euſ. 4. hiſt.* 25.

IESV CHRISTI AN. 155.156.157.

HYGINI AN. 2.3.4.

ANTON. PII IMP. AN. 16.17.18.

I.

ANNO Chriſti centeſimo quinquageſimo quinto, Præſente & Rufino Coſſ. Hygino Romanam Eccleſiam adminiſtrante (inquit Irenæus *e*) *Valentinus* hæreſiarcha Romam ſe contulit, & permanſit vſque ad Anicetum, vel etiam vſque ad Eleutherum, vt Tertullianus *f* aſſerit. Sed & *Cerdonem* pariter hæreſiarcham ſub eodem Hygino in Vrbem ſe contuliſſe, & tam ipſum quam Valentinum primo ſe Catholicos præſeferentes, in eius Eccleſiæ communionem receptos eſſe, ſed poſtea detectos hæreticos, ſæpius exomologeſin egiſſe, & relapſos iterum Eccleſia penitus eiectos eſſe, iidem auctores *g* æque teſtantur. Quænam autem fuerint iſtorum hæreſes, dictum eſt ſuperius. Illud autem obſeruatione magnopere dignum, cariosos atque putentes hæreſiarchas, tam iſtos, quam alios complures, de quibus dicetur ſuis locis, ficte vel vere palinodiam recantaturos, id ſibi potiſſimum apud ſedem Romanam faciendum putaſſe; quod in confeſſo eſſet apud omnes, eam eſſe Eccleſiæ totius metropolim, etiuſq; præcipue eſſe fidem probare, & perfidiam condemnare, cum ob auctoritatem, tum ob fidem illibatam quæ inſeparabiliter eſt ei annexa. Ex *h* quibus etiam merito arguas ineptias Nouatorum, garrientium prædicatione huiuſmodi hæreticorum Romanæ Eccleſiæ doctrinam fuiſſe violatam; cum econtra non ſolum iidem ab ea damnati reperiantur, ſed & ipſi quos citauimus, Irenæus *i* & Tertullianus *k*; ad eoſdem fortius conuincendos, nullum potentius adhibeant telum, quam vt ad eiuſdem Eccleſiæ prouocent integritatem, in qua ab Apoſtolis accepta fides incorrupta permaniſſet.

e *Iren. l.* 3. *c.* 4. *& ap. Euſ. lib.* 4. *c.* 10.

f *Tert de præſcrip. c.* 30.

VALENTINVS ET CERDO ROMAM.

g *Iren. lib.* 1. *c.* 28. *& l.* 3. *c.* 4. *Tert. de præſcr. c.* 30. *& carm. cõt. Marc. l.* 3. *in fi.*

II.

Cæterum anno Chriſti centeſimo quinquageſimo ſexto, Coſſ. L. Ælio Commodo Cæſ. & Sextilio Laterano, vel ſecundum Caſſiodorum Tertullo ac Sacerdote, nihil geſtum reperitur ad res Eccleſiaſticas pertinens.

III.

Anno vero centeſimo quinquageſimo ſeptimo, Seuero atque Sabino (aliter Sabiniano) Coſſ. ſiue (vt Caſſiodorus habet) Quintillo ac Priſco, anno decimo octauo Antonini Imperatoris, Euſebius *l*, cum (vt profitetur) ſic ſibi explorata eſſet Hieroſolymitanæ Epiſcoporum ſedis ſucceſſio, vt tamen quot quiſque ſediſſet annos haberet incompertum, poſt Marcum, quem ſuperius vidimus creatum primum ex præputio, *Caßiani* ponit ingreſſum; & poſt hunc ordine

Publium, Maximum, Iulianum, Gaianum, Symmachum, Caium, Iulianum, & Capitonem;

qui deſiit ſub Commodo Imperatore.

h *Baron. hoc an. &* 145.

i *Iren. l.* 3. *c.* 3.

k *Tert. de præſcr. c.* 36.

l *Euſ. in Chr.* HIEROSOL. EPISCOPI.

IESV CHRISTI AN. 158.

PII AN. 1.

ANTON. PII IMP. AN. 19.

ANNO Christi centesimo quinquagesimo octauo, Siluano & Augurino Coss. *Hyginus* Papa, cum sedisset annos quatuor, duobus minus diebus, (vt colligitur ex tempore ingressus eius, vsque ad obitum qui notatur in Martyrologijs vndecima Ianuarii) moritur martyr. Æque .n. consentiunt Latini *a* & Græci *b*, cum sedisse annos quatuor. Sed quod Irenæus *c*, Tertullianus *d*, Epiphanius *e*, & alii numerant à Petro Hyginum nonum ordine Romanum Episcopum, qui decimus extiterit, id inde accidit, quod (vt sæpe dictum est) alii Clerum, alii vero Anacletum prætermiserunt, ex his duobus vnum conflantes. Cæterum leguntur Hygini titulo Epistolæ duæ, & à Gratiano recitantur plura eiusdem decreta *f*. Quod vero in Libro de Rom. Pontificib. dicitur, eum *composuisse clerum, & distribuisse gradus*; cum quæ ad Ecclesiasticam pertinent hierarchiam iam à temporibus Apostolorum composita esse, superius demonstratum fuerit, nunc ab Hygino aliqua antiquæ formæ fuisse, addita, vel eadem illustrata, æquum est existimare. Sepultus autē dicitur iuxta corpus B. Petri in Vaticano.

Cumque post eius necem sedes vacasset dies tres, decima quinta die Ianuarii in locum eius subrogatus est PIVS natione Italus, patria Aquileiensis, filius Rufini, frater Pastoris; vt habetur in eodem libro de Romanis Pontificibus: licet de successore Hygini diue rò fuerint antiquorum sententia, dum alii *g* Pium ei subrogatum ponunt, ac post Pium numerant Anicetum; alii *h* ordine inuerso, Pio præponunt Anicetum. Sed verior ac receptior est illa sententia, qua prior locus Pio tribuitur.

I. HYGINI PP. MARTYRIVM.
a Lib. de Rom. Pont. Collect. Cryscon. &c.
b Euſ. in Chr. & 4. hiſt. 10.
c Iren. l. 3. c. 4.
d Tert. carm. cont. Marc. l. 3. in fi.
e Epp. hær. 41
f Habentur collecta to. 1. Conc. in Hygin.

II. PIVS PAPA
g Hegeſ. ap. Euſ. 4. hiſt. 21 Iren. l. 3. c. 2. & 4. Tert. l. 5. carm. cont. Marc. Euſ. in Chron. & 4. hiſt. 10. Epiph. hær. 27. Nicep. Conſt. in Chr. Niceph. Calli. l. 3. c. 25. & alii tam Græci quàm Latini re centiores aëti.
h Opt. l. 2. cōt. Parm. Hier. de Scr. Eccl. in Hegeſip. Aug. ep. 165. & alii nonnulli.

I. PASCHA CELEBRANDVM DIE DOMIN.
i Euſ. in Chro. Vid. ſup. ad an 136.
k Soc. 5. hiſt. 21
l Ap. Bed. de rat. temp. c. 42.
m Euſ. 5. hiſt. 22.
n Ign. ep. ad Philadelph.
o Id. eap. ad Philip.
p Soer. l. 5. c. 22

II.

IESV CHRISTI AN. 159.

PII AN. 2.

ANTON. PII IMP. AN. 20.

ANNO Christi centesimo quinquagesimo nono, Barbato & Regulo Coss. Pius agens in Pontificatu annum secundum, decretum edidit *de celebrando Paschate die Dominico*; sicut legitur apud Eusebium *i*. Quod tamen ita intelligendum, vt quod iam antea ab Apostolis esset traditum, ipse Pius corrigendas hactenus Iudaizantes Ecclesias, quæ decima quarta Luna Pascha celebrarent, voluerit decreto firmasse. Sane quidem (vt ait Socrates *k*) tam Romana quam reliquæ omnes Occidentales Ecclesiæ, Petrum & Paulum Apostolos hanc ipsis doctrinam reliquisse, vt Pascha die Dominico celebraretur, semper sunt professæ. Et Protherius *l* Episcopus Alexandrinus scribens ad Leonem Papam; æque testatus est id Petrum Apostolum Romæ docuisse, & ab eo acceptum Ægyptiis Sanctum Marcum tradidisse. Pariterque Victoris Papæ tempore, qui de his egerunt sanctissimi Patres, non nisi ex Apostolica traditione id sibi vendicasse docet Eusebius *m*. Quinimo & Ignatius, qui Dominum in carne vidit, & cum Apostolis diu versatus est, ac sedem Antiochenam, quam Petrus fundarat, & Paulus docuerat, administrauit, nec alia docuit aut scripsit, quam quæ ab eis accepisset; non solum ait *n* diem Dominicam celebrandam esse vt reginam ac principem dierum, resurrectioni Domini consecratam; sed & contestatus est *o*, si quis cum Iudæis celebraret Pascha, participem esse eorum qui occidissent Dominum & Apostolos eius. Quapropter manifeste idem Socrates Nouatianus homo hallucinatur *p*, dum contestatur esse debere in cuiusque voluntatis arbitrio quando velit Pascha peragere, quod nulla dicat antiqua traditione constitere quando illud sit celebrandum.

Quod autem contrariæ opinionis (vt videlicet decima quarta Luna, quocunque die ea accideret, cum Iudæis celebraretur) Ioannem Euangelistam fuisse auctorem, non solum Quartadecimani hæretici, sed & Polycarpus, Polycrates, & alii Asiatici asseruerint *b*: cum potius id, sicut alia multa, in illa tunc nuper in Asia coalescente primitiua Ecclesia tolerasse putandum est; cum alioqui ipsius etiam Ioannis manifesta testificatione, rata haberi videatur celebratio Paschæ die Dominico. Nam quænam potuit esse ratio, vt in Apocalypsi *c* eius diei meminerit, tanquam celebris in Ecclesia ac nominati, nisi quod dies ille (sicut dixit Ignatius) consecratus esset resurrectioni Dominicæ? Quod si eodem quolibet octauo die, resurrectionis memoria solennibus ritibus Apostolica institutione repeti consueuit; quorsum alia die ipsam anniuersariam Paschatis celebritatem iussissent peragi? Certe enim si more Iudaico decima quarta Luna eius memoria in Ecclesia ageretur; quod incerta dies eius esset, vtpote quæ singulis annis mutaretur, omnis diei Dominicæ (quæ prima erat) celebrandæ ratio cassa reddita videri potuisset. Quapropter iure Pius, ne ob alterecantium studia conuelleretur quæ ab Apostolis de ea re traditio esset, eandem decreto edito stabiliendam curauit. Cui accessisse diuinum quoque suffragium, liber de Romanis Pontificibus *d* testatur; dum ait tunc fratrem ipsius Pii Hermē, librum scripsisse, in quo mandatum continetur quod ei præcepisset Angelus Domini apparens in habitu pastoris, vt sanctum Pascha die Dominica celebraretur.

Porro hunc *Hermen*, illum fuisse quem Paulus ad Romanos *e* scribens salutari mandat, testantur Origenes *f*, Eusebius *g*, Hieronymus *h*, & alii. Liber autem Hermæ, seu Hermetis, qui inscriptus est *Pastor*, antiquis optime notus extitit, quem citasse reperiuntur Irenæus *i*, Origenes *k*, Clemens *l* Alexandrinus, Tertullianus *m*, Athanasius *n*, Eusebius *o*, Hieronymus *p*, & si qui alii; eundemque vt vtilem librum laudant: quem tamen Origenes à nonnullis contemni tradit; Hieronymus vero, apud quasdam Græcas Ecclesias publice legi, sed apud Latinos pene ignotum esse. Et quidem Latinus sic eis innotuit, vt tamen eum inter apocryphorum genera adnumerarint, quæ legi in Ecclesia possint, non tamen citari ad fidem Catholicam stituendam: hac enim censura à maioribus fuisse notatum, affirmant Tertullianus *q*, Rufinus *r*, & Prosper *s*; idemque à Gelasio *t* Romano Pontifice æque inter apocrypha recensetur. Vsos eo quoque Arianos ad suam ipsorum hæresim confirmandam, testatur Athanasius *u*. Et ante Gelasium etiam, atque Prosperum, vt apocryphum, non absque trepidatione citari solitum, Sanctus Hieronymus *x* significat. Quod a. alii Hermam, Hermen, vel Hermetem, eum appellent, quod vtrinsq; nominis meminerit Paulus; haud multum refert: frequentiori a. vsu *Hermam* inuenimus nominatum, cognomento *Pastorem*. Ipsum vero eius librum etiam his titulis, *Duæ Viæ*, vel *Iudicium Petri*, fuisse à quibusdā nominatum, Rufinus tradit.

Sed quod (vt vidimus) in libro de Romanis Pontificib. dicatur, tempore Pii Papæ Hermetē scripsisse librum, quo Angeli, pastoris habitu apparentis, (vnde & forte nomen ipsi libelli auctoritatis inditum, vt Pastor diceretur) mandatum de celebrando Paschate die Dominico contineretur; nec tamen in commentario, qui *Herma Pastoris* inscribitur, & citatus à Patribus reperitur, vlla prorsus de celebrando Paschate habeatur mentio; hicq; insuper longe ante ista tempora scriptus appareat, nempe sub Clemente, cui duos illos libellos dandos, & in exteras ciuitates mittendos, (qui locus iisdem verbis ab Origene *y* quoq; citatur) Herma scriptor admonitus est: plane dicendum videtur, (si velimus vnum eundemque esse auctorem) diuersos hos inter se fuisse commentarios, diuersis temporibus scriptos; quorum prior vsu celebrior Græcis imprimis habitus sit, posterior tam Græcis quam Latinis obscurior, cuius nulla mentio ab aliquo antiquorum facta inueniatur. Porro Hermę quoque Pastoris nomine censetur libellus de Rebus gestis Sanctę Praxedis virginis & sororis Pudentianæ, ac fratrum Nouati & Timothei, filiorum Pudentis Senatoris, apud quem Sanctus Petrus Apostolus hospitatus est Romæ. Cuius etiam domus erecta est in Titulum, *Pastoris* dictum, quod curam idem Pastor eius construendi susceperit: vt

QVID IOANNES APOST. DE EA RE.
b Ap. Euſ. 5. hiſt. 23. & 24.
c Apoc. 1.
PII PP. DECRETVM.
d Lib. de Rom. Pont. in Pio.

III. DE HERMAE IVSQVE LIBRO PASTORIS.
e Rom. 16.
f Orig. in Rom 16.
g Euſ. 3. hiſt. 3
h Hier. de Scr. Eccl. in Herm.
i Iren. ap. Euſ. 5. hiſt. 9.
k Orig. Periarch. li. 4. c. 2.
l Clem. Strom. li. 1. & 6.
m Tert. de or. c. 12. & cont. Marci. carm. l. 3. in fi.
n Athanaſ. de incar. verb.
o Euſ. l. 3. c. 3.
p Hiero. de Script. Eccl.
q Tert. de pudic. c. 10.
r Ruff. expoſ. Symb. Apoſt.
s Proſp. ad aduer. Collat.
t Gelaſ. decr. de lib. apocryp.
u Athan. Q. ad Aſr. ep. Theo. 1. hiſt. 8.
x Hier. in Amos 7.

IV. DIVERSA HERMAE PASTORIS SCRIPTA.
y Orig. 4. Periar. 2.

TITVLVS PASTORIS.

plurib⁹

vt pluribus ipsemet declarat iisdem Actis. Hodie vero dicitur vulgo *Ecclesia S. Pudentiana*. Cæterum quod idem Hermæ cognomento Pastor, ille ipse à multis (vt vidimus) censeatur esse cuius Apostolus meminit in epistola ad Romanos, hinc asserere necesse est, ipsum saltem peruenisse ad annum ætatis centesimum trigesimum, cum & adhuc post aliquot annos superstes fuerit, de cuius obitu dicetur suo loco.

IESV CHRISTI AN. 160.161.162.

PII AN. 3.4.5.

ANTON. PII IMP. AN. 21.22.23.

I. ANno Christi centesimo sexagesimo, Tertullus & Sacerdos creati sunt Coss. Quo anno (qui numeratur vigesimus primus Antonini Pii Imperatoris) perperam ponitur à Cassiodoro Consulatus eiusdem Antonini quintus, cum nonnisi quatuor in antiquis monumentis notati habeantur, & quartus componatur cum eiusdem vigesima quarta Potestate Tribunitia, qui fuit vltimus ipsius Imperii annus.

II. Anno vero Christi centesimo sexagesimo primo, Quintillus & Priscus inierunt Consulatum: Et

III. Anno centesimo sexagesimo secundo, Vibius Barrus & Annius Bradua: quibus nihil momenti gestum est, quod hic *a* præcipue collocetur.

a Habet tamen hic annis aliqua Baronius, quæ nos commodius alibi posuimus.

IESV CHRISTI AN. 163.

PII AN. 6.

M. AVRELII, L. VERI AN. 1.

I. ANno Christi centesimo sexagesimo tertio, Cæsaribus M. Aurelio tertium & Lucio Vero secundum Coss. *Antoninus Pius* Imperator diem obiit. ANTONINI IMP. OBITVS. Qui enim primo Imperii sui anno auctus est Tribunitia Potestate, & in *b* eius monumentis antiquis ea quater & vigesies repetita habeatur, quam vidimus annuatim conferri solitam, necesse est ipsum ad hunc vsque annum peruenisse: quemadmodum & ea ratione se collegisse ex Dione Xiphilinus tradit, imperasse Antoninum annos viginti quatuor: eumdemque Eutropius ei tribuit annorum numerum. Ex quibus arguas Cassiodorum, & alios qui iam ante hac eum decessisse scripserũt. Cæterum ex iis viginti quatuor annis, viginti duos tantum explesse patet, duos autem extremos (quos & frequenter numerari consuesse *c* constat) nonnisi attigisse. Nam cum anno Domini centesimo quadragesimo, die decima Iulii, post mortem Hadriani cœperit imperare, desieritque hoc anno septima die Martii, reliquum est vt affirmemus, ipsum imperasse annos viginti duos, menses septẽ, & dies viginti sex. Quod etiam Theophilus *d* Episcopus Antiochenus, qui hoc tempore claruit, asserit, nisi quod loco dierum viginti sex, apud eum sex tantum positi habeantur.

b Ap. Panu. in Fast. & Adol. Oecom. de num.

c Vid. Gord. in Ap. ad tom. 2. Chr. edit. 2. c. 19.

d Theop. ad Aut. lib. 3.

II. ELVS LAVDES *De quibus Bar. an. 141. 161.*

Mortuus est autẽ Antoninus apud Lorium villam suam, de familiaribus & aliis optime meritus: quem Senatus retulit inter diuos, erexitque templum & Sodales Antonianos. Solus omnium prope Principum (inquit Capitolinus) prorsus sine ciuili sanguine & hostili, quantũ ad ipsum pertinuit. Sed & tantam eius æquitatem fuisse ferunt, vt (quod notant Eusebius, *e* & Eutropius) ea permotæ plures exteræ gentes, depositis armis se eius voluntati subdiderint. Hos autem fuisse Bactros, Hyrcanos, & Indos, Aurelius Victor testatur. Plurima quoque bella (vt ait Capitolinus) per Legatos suos gessit: quibus Britannos vicit, alio muro cæspititio, summotis barbaris, ducto: Mauros ad pacem postulandam coegit: Germanos, & Dacos, & multas gentes, atque Iudæos rebellantes contudit: in Achaia & Ægypto rebelliones repressit: Alanos molientes sæpe refrenauit. Sed & Iberorum Rex Romam veniens, permotus eius virtute, sponte acquieuit iis quæ Hadriano negauerat: & Vologesus Parthorum Rex solis eius literis perlectis, Armeniam quam inuaserat reliquit. Celebrant præterea eumdem Antoninum egregiis laudibus iidem Victor, ac Capitolinus, & alii qui res ab eo gestas fusius sunt prosecuti. Laudat & S. Augustinus *a* æquissimam eius legem, qua sanxit vt non solum maritus adulterii accusare nõ possit vxorem, si ipse impudice vixerit, sed & vt eo casu idem ipse maritus legi Iuliæ subiiciatur: cuius eiusdem legis meminit etiam Vlpianus. *b* Qui autem natus est (vt tradit Capitolinus) Domitiano duodecimum & Dolabella Coss. nẽpe anno Domini octogesimo octauo) dicendus est vsq; ad hunc annum vixisse annos septuaginta quinque. Sepultus vero est in mole Hadriani.

a Aug. lib. 1. de adul. coniug. c. 8. EIVS ÆQVISSIMA LEX.

b l. miles. §. index. D. ad l. Iul. de adult.

III. MARCVS AVRELIVS ET LVCIVS VER. IMPP.

Eo defuncto, *M. Aurelius Antoninus*, vulgo *Philosophus* nuncupatus, *& L. Aelius Verus Antoninus*, quos idem Pius viuente & iubente Hadriano adoptauerat, succedunt in Imperium. Sed quoniam horum Imperatorum diuersa repetitur apud antiquos nomenclatura, (quod nonnullis etiam auctoribus Ecclesiasticis erroris causam præbuit) de his breuiter habe ex Dione, Capitolino, & aliis, cum vterque siue à maioribus, siue ex adoptionibus, aut mutua coniunctione, *Aelius* atque *Aurelius*, itemque *Verus & Antoninus* sint dicti, proprio tantum nomine discriminari ab inuicem, vt alter MARCVS, alter LVCIVS nominetur. Cum autem *Verus* tãtum nominatus reperitur, Marcum plerumque intelligi solere, constat ex eo quod Eusebius *c* ponit Eleutheri Papæ ingressum anno decimoseptimo Imperii Antonini Veri, cum Lucius nequaquam ad eum numerum annorum peruenerit: pariterque Theophilus *d* Antiochenus ait Verum imperasse annos nouendecim, quod de Lucio dici non potest. Ac denique frequens est apud Vulcatium, *e* & alios, vt Veri nomine iidem Marcum intellexerint.

c Eus. 5. hist. 5.

d Theoph. ad Aut. lib. 3.

e Vulc. in Avi Cass.

IV. DIVI FRATRES.

Porro cum ex Senatusconsulto nonnisi Marcus declaratus esset Imperator: idem Lucium collegam sibi adsciuit tuncque primum duo simul regnare visi sunt Imperatores, qui & DIVI FRATRES sunt appellati, eo quod ambo fuissent ab Antonino Pio adoptati. Quod tamen Marcus esset natu grandior, & fama præstantior, ita se gessit erga Lucium tamquam parens eius esset: quem & desponsata ei Lucilla filia, suum generum fecit. Sed retardatæ sunt nuptiæ, quod cum Vologesus *f* Parthorum Rex aduersus Romanos bellum mouisset, & in Armenia exercitum Romanum vna cum Seueriano duce (qui *g* falsis Æsculapii recens apparentis in Ponto responsis, ab impostore Alexandro, de quo plura superius, deceptus inconsulte nimis contra Parthos perrexerat) penitus deleuisset, missus est à Marco aduersus eum Lucius hoc ipso Imperii anno primo: prout ex Capitolino simul & Eusebio colligitur, dum ille *h* dicit Lucium Parthici belli causa quinquennium fuisse ab Vrbe absentem, ille *i* vero anno sexto Imperii Romæ de Parthis triumphum egisse.

f Dio & Cap. in Marco.

g Luc. in Pseu.

h Capit. in Marco.

i Eus. in Chr.

V. *k Cap. in Vero* LVCILLA ARREPTITIA SANATVR AB ABERCIO EPISC.

Cum autem fuisset *k* condictum inter eosdem Impp. vt Lucilla sponsa Ephesum ad Lucium mitteretur, nouus rursum incidens casus in annũ sequentem coegit differre nuptias: quippe arrepta à dæmone Lucilla, haud medicorum, vel aruspicum vndique conquisitorum arte curari valuit, contestante dæmone, se nonnisi ab Episcopo Hierapolitano in Phrygia, *Abercio* dicto, quem habebat infensissimum, fore pellendum. Quare mox idem per *Magistrianos* (dicebantur illi alio nomine *Agentes in rebus*, quibus cum alia, tum etiam euectiones publici cursus commissæ erant: quem Magistratum perperam quidam putarunt institutum esse à Constãtino.) honorifice accersitus est Romam à Marco, & obsessam virginem liberauit, eique pro munere Imperator concessit, vt Hierapolitanæ Ecclesiæ pauperibus (tota enim ciuitas acceperat Euangelium) donarentur quotannis ter mille modii frumẽti: quæ pensio, quantumlibet increbrescentibus persecutionibus, numquam cessauit, quousque eam Iulianus Apostata sustulit. Sed hæc pluribus in Actis eiusdem Abercii, quæ apud Metaphrastem *l* descripta habentur: in quæ tamen nonnulla irrepsisse noscuntur, quæ haud nobis omnino probantur. Quod autem ait Capitolinus, ob coniunctionem Lucii cum Lucilla, Imperatores præcepisse, pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adscribi, dictũ forte id fuerit de hac erogatione

l Met. 22. Oct. HOMINES NOVI.

tione frumenti in gratiam Abercii facta Christianis, qui noui homines à Gentilibus appellarentur: Vel sane de nouis ciuibus, qui in Vrbem nuper adscripti frumentationum iure hactenus caruissent.

IESV CHRISTI AN. 164.

PII AN. 7.

M. AVREL. } AN. 2.
L. VERI }

I. PERSECVTIO IN CHRIST.

ANno Christi centesimo sexagesimo quarto, Iunio Rustico & Vectio Aquilino Coss. grauis in Christianos PERSECVTIO est excitata, quæ à Seuero *a* QVINTA ponitur, etsi Tertullianus *b* nullam aduersus Christianos à Vero datam esse legem affirmet. Per *Verum* autem (quoniam Imperatores optimos quosque recenset) non Lucium, sed Marcum esse accipiendum constat, cum & Veri appellationem communi huius temporis vsu Marco fuisse tributam, iam antea demonstratum fuerit. Nec probamus quod Pamelius in Tertulliano, loco *Veri* apposuerit *Seuerum*. Nam & antiquitus scripti codices, & typis olim excusi, sed & ipse Eusebius *c* Tertulliani verba reddens, *Verum* habent, non *Seuerum*.

a Seu. hi. lib. 2.
b Ter. Ap. c. 5.
c Eus. 5. hist. 5 in fi.

II. QVOMODO SVB MARCO AVREL. IRRE PSIT.

Cæterum etsi (quod ait Tertullianus) nullum Verus aduersus Christianos publicum promulgauerit edictum, tamen aliquando priuata ad Proconsules ipsum de iis consulentes dedisse rescripta, satis constat ex sincerissimis Actis Martyrum Viennensium ac Lugdunensium, quæ recitat Eusebius. *d* Immo & in Actis *e* SS. Martyrum Victoris & Coronæ, quæ pariter noscuntur esse fidelia, necnon in superius citatis Abercii, itemque S. Glyceriæ, *f* & S. Iustini, *g* promulgatum dicitur ab eodem Marco edictum, vt omnes publice diis sacrificarent. Quapropter licet haud nominatim Christianos expresserit, tamen ea iussione satis amplam occasionem datam esse eos persequendi, nemo non videt, cum & alioqui satis id permissum videretur antiquo iure Romanorum, quo (vt sæpe dictum est) peregrina quæque religio vetita esset.

d Id. 5. hi. 1.
e Ap. Sur. 14. Maii.
f Ap. Sur. 10. Maii.
g Ibid. 3. Id. Iunii.

III.

Quamobrem cum aliis locis, tum in Asia his temporibus Christianos varie fuisse exagitatos à Præsidibus prouinciarum, multum conqueritur Meliton *h* Sardensis Episcopus eo libro quem pro Christianis ad Imperatorem Antoninum scripsit. Sed & temerario populorum impetu, in quibusdam prouinciis acerbam persecutionis procellam per singulas vrbes, sub hoc eodem Imperatore Marco excitatam esse, Eusebius *i* testatur. Et ipse Imperator, etsi alias indulgentissimus videri vellet, (qua de re multum à Gentilibus *k* historicis prædicatur) puta in philosophia Stoicos sectatus, tamen aduersus manifestos & grauium criminum reos inexorabilem permansisse, Capitolinus testatur. Quare & quod ipse auitæ superstitionis tenacissimus existens, nõ posset non odisse illos qui impietatis arguerentur quod deos sperneret ac detideret, & ab eorum cultu homines auocarent, & quod præterea Christiani nefandorum criminum rei (vt sæpius vidimus) calumnioſe deferrentur: haud dubium seuera iidem animaduersione digni videri potuerunt.

h Ap. Eus. 4. hist. 25.
i Eus. 5. hi 1.
k Capit. in Marc. Vulc. in Auid. Cass.

IV. IVSTINVS SCR BIT APOLOG. AD SENAT. ET IMP.

Quo tempore Iustinus philosophus Christianus, cum iam ante hac fortem illam quam vidimus Apologiam Pio, ipsisque Cæsaribus tradidisset, aliam rursum noua obortа occasione, (quod videlicet cum per *Crescentem* quemdam philosophum Cynicum hominem impurissimum, & alios Gentiles passim Christiana religio calumniis publice impeteretur, & qui eam profiterentur vbique variis prætextibus iniuste duci à Magistratibus iuberentur:) pro iisdem Christianis aduersus eorum calumniatores, necnon aduersus Magistratus qui tam facile fidem eis adhiberent, scripsit defensionem, non ad Senatum Romanum tantum, (vt habet inscriptio) sed & ad ipsos Imperatores Marcum Aurelium & Lucium Verum, prout demonstrat Eusebius, *l* qui eam *Librum secundum* appellat. Cum vero multa ex eo recitet, quæ prorsus eadem habentur in Apologia ista secũda ad Senatũ inscripta, luce clarius apparet vnam eamdemq; esse, quæ ad Senatum data dicitur, & hactenus cõseruata est integra, (licet præpostero ordine ante priorẽ Pio oblatam collocata habeatur) & quam Eusebius ad dictos Imperatores scriptam ait: quamuis pleriq; hoc non attendentes, eam deperditã esse querantur. Sed nec ꝙ apud Hieronymum *a* de eadem agentem, Lucio superadditum est nomen Commodi, inde putet aliquis intelligi filium Marci, dictum L. Aurelium Commodum: nam iste nõnisi longe post Iustini martyrium cœpit cum patre regnare, & præterea Lucium Marci fratrem, Commodum quoq; dictum fuisse, quod filius L. Ceionii Commodi esset, Capitolinus *b* docet.

l Eus. lib. 4. c. 15. 17.

a Hier. de Scri Eccl. in Iust.
b Capit. in Vero.

V. c Mart. Rom. 19. Octob. PRAXEDIS OFFICIA ERGA CHRIST. ET OBITVS.

Sed quod ad persecutionẽ spectat, præter illos tres, quos Iustinus eadẽ Apologia iussu Vrbicii Præfecti necatos tradit, (quorum & dies natalis *c* ab Ecclesia celebratur) aliquos insuper ex Romano Clero hoc ipso Persecutionis exordio nobilitatos esse martyrio, docent Acta S. Praxedis virginis: quæ eodem tempore cum Christianos domi suæ occultare ac nutrire, & necatos sepelire consueuisset, tot ærumnis afflicta rogauit Dominum, vt ex hac vita subduceretur, atque impetrauit, prout hæc fuse descripsit iisdem Actis *Pastor* presbyter, de quo superius. Qui & ipse post multos labores persecutionis tempore exantlatos, in Domino quieuit, eiusque natalis dies cõmemoratione annua repetendus Ecclesiasticis est Tabulis consignatus, sicut & ipsius *Praxedis*, ac sororis eius *Pudentianæ*, fratrumq; *Nouati & Timothei*, ac denique eorumdem parentum *Pudentis & Priscillæ*, qui omnes vario fine & tempore in cælum recepti sunt.

IESV CHRISTI AN. 165.

PII AN. 8.

M. AVRELII, } AN. 3.
L. VERI, }

I. IVSTINI MARTYRIVM.

ANno Christi centesimo sexagesimo quinto, Papirio Æliano & Iunio Pastore Coss. *Iustinus* philosophus Christianus, mercedem Apologiæ nuper pro Christianis compositæ, recepit Romæ martyrium: quod non modo Latinorum, *d* sed & Græcorum *e* antiquis monumentis Ecclesiasticis, licet diuersis diebus, contignatum reperitur. Extant *f* eius ac sociorum Martyrum qui cum eo passi sunt Acta, atque illa ipsa (vt apparet) quæ à Notariis publicis sunt scripta, nullis paraphrasib. circumducta, quæ Epiphanius *g* visus est cognouisse, dum (vt in eisdem etiam Actis legitur) sub Rustico Vrbis Præfecto subiisse martyrium tradit: quãuis apud eum irrepserit error, vt id sub Hadriano Imp. accidisse dicatur. Sicut & quod apud eumdem legitur, fuisse tunc Iustinum annorum triginta, suspicor in numero, mẽdum, cum ex iis quæ ipse Iustinus scribit in Dialogo cum Tryphone, hæc eum ætate maiorem fuisse conijci posse videatur. Porro agunt etiam de eius martyrio Eusebius *h* & Hieronymus. *i*

d Mart. Rom & alia 15. April.
e Menol. Cal. Iunii.
f Ap. Met. Lipom. & Sur 3. Id. Iunii.
g Epi. hær. 46.
h Eus. 4. hi. 15
i Hier. in Iust.

II. DE SCRIPTIS EIVS.

Quod autem pertinet ad nobilissimi ingenii lucubrationes, recensetas in vnum collectas Eusebius. *k* Sed iis addendus Commentarius contra omnes hæreses, quam se scripsisse ipse in oratione ad Antoninum auctor testatur, cuiusque iidem Eusebius *l* & Hieronymus *m* meminerunt. Ac præterea ista feruntur eiusdem alia scripta: sed quænam ex his quæ nec Eusebius nouit, legitima sint, quæue spuria vel ambigua, haud est præsentis negotii fusius disputare. Pro Iustini vero purgatione de Millenarii opinione, consule quæ de his dicta sunt superius *n* in Papia.

k Eus. 4. hi. 17
l Ib. c. 10.
m Hie in Iust.
n An. 118. 11.

III. CALVMNIA NOVATORVM EX IVST VERB. S. o [Est eius nominis memoria, insignis martyris Lycaonis in Menol & Martyr. 16. Mart. Tribui turque hæc eadem nuncupatio Crispo militari Præfecto in Breuiar. S. Nicep. quod edidit Dion. Petau.]

Est autem in eius epistola ad Zenam & Serenum de Vita Christiana, quod Nouatores in calumniam vertant, dum quod ait se scripsisse ad *Papam*, de nonnullis qui corrupissent institutionem & disciplinam Ecclesiasticam per traditiones hominum, mox illi interpretantur, Iustinum scripsisse ad Romanum Pontificem de corrupta Romanæ Ecclesiæ doctrina. Sed vnde ipsis, vt ea potius ad Romanum Episcopum quam ad aliũ quempiam scripta fuerint, cum extra omne sit dubium, *Papæ* nomen olim commune fuisse omnibus Episcopis, immo & penes Græcos interdum contigerit fuisse proprium *o* alicuius viri? Deinde, quamuis ea scripta essent ad Romanum Pontificem, cum non dicat Iu-

ECCLESIÆ ROM. TVGIS INTEGRITAS

stinus illam corruptionem factam esse Romæ, qua ipsi auctoritate eam illi Ecclesiæ impingunt, & non potius, quod Romani Episcopi muneris esset non tantum Ecclesiæ Romanæ prospicere, sed omnibus vbique positis, intelligant Iustinum monuisse illum, vt quæ alibi à recto sanctarũ traditionum tramite declinassent, auctoritate sua in pristinum restituenda curaret. Deniq; etsi Iustinus intellexerit de iis quæ Romæ agerentur, cum constet diuersarum sectarum hæreticos tunc in Vrbe fuisse, quid tam mirum erit, Iustinum admonuisse Pontificem vt saluti gregis sui consuleret? Cæterum ea nequaquam de Romanæ Ecclesiæ doctrina vel disciplina corrupta accipi posse, abunde probat sincerissimus eiusdem temporis auctor S. Irenæus, dum in suis scriptis (quæ constat post Iustini martyrium edidisse, cum in eis Eleutheri Papæ meminerit) luculentissimum *a* profert de conseruata semper à Romana Ecclesia Apostolicæ fidei & traditionis integritate testimonium, quod nos alia occasione iam superius recitauimus.

a Irem. lib. 3. c. 3. 4.

IV. DE NOMINE PAPÆ.

Sed vt eius Iustini epistolæ occasione, aliquid de nomine PAPÆ *b* dicamus, putarunt nonnulli eam vocem complexam esse ex duabus dictionib. vt idem sit PA. PA. quod Pater Patrum, meritoque Romano Pontifici tribui solitam, quippe PA. pro Patre, positum in Saliari carmine, testatur Festus. Verũ nec in his refellendis multũ immoremur, sciendum est, etsi eiusmodi titulus PATER PATRVM, tribui consueuit Romano Pontifici, vt totius Catholicæ Ecclesiæ Episcopo, nihilominus PAPÆ nomen diuerso modo acceptũ fuisse à maioribus: sicut inter alia antiquarum Inscriptionũ exempla, apparet ex epigraphe epistolæ Synodi Epiri ad Hormisdam Papam scriptæ, *Synodus veteris Epiri Domino nostro per cuncta sanctissimo & beatissimo Patri Patrum, Comministro, ac Principi Episcoporum Hormisdæ Papæ.* Cum enim Hormisda & *Pater Patrum*, & *Papa*, vna eademq; inscriptione dicatur, plane constare videtur, diuersæ significationis esse voces. Porro germana est eius interpretatio, vt à Græco πάππας, id est Pater, descendat: eoque sensu (vt scribit Walfridus *c* Strabo) transiit in dignitatis nomen, vt clerici venerandi eo nomine appellarentur. Postea tamen cœpit esse peculiare Episcoporum, vt ii *Papæ* dicerentur, vt sunt de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Ruffinum, Prudentium, Seuerum, Sidonium, Fortunatum, & nouissime apud Eulogium Cordubẽsem, qui floruit anno Domini octingentesimo quinquagesimo. Vsque enim ad illud tempus, id nomen commune fere fuit omnib. Episcopis: licet peculiarius tribui consueuisse Romano Pontifici, quisq; facile obseruare possit tam ex epistolis Ennodii & Cassiodori, quam ex aliis antiquis monumentis atq; insigniter ex Actis Synodi Toletanæ *d* Primæ sub Anastasio Papa Primo & Quintæ *e* Vniuersalis sub Vigilio. Cum autem sequentibus temporibus obtinuisset communis vsus, vt tantummodo Romano Pontifici tribueretur, & schismatici illud sibi in odium eiusdem Romani Præsulis fastu superbo vendicarent, demum Gregorius Papa Septimus, Cõcilio Romæ aduersus Schismaticos habito anno Domini milletimo septuagesimo quinto, Pontificatus sui tertio, Indictione decimatertia, statuit inter alia plura vt PAPÆ nomen vnius dumtaxat Rom. Pontificis esset in toto Christiano Orbe, nec liceret alicui alii, vel seipsum, vel alium ea nũcupatione insignire: prout constat ex Actis eius Synodi, quæ habentur in Regesto Epistolarum illius Pontificis in Bibliotheca Vaticana. Sed & seruasse id ipsum Græcos, vt nomine Papæ Romanum Pontificem intelligant, ex Nicetæ Choniatæ scriptis apparet. At de his satis.

b Hæc disp. excerpta est ex Not. Bar. ad Rom. Mart. 10. Ianuar.

c VValf. de reb. Eccl. c. 7.

d Ap. Bar. Tom. V. an. 425.

e Syn. V. col. 2.

QVANDO PROPRIVM REMANSIT ROMANO PON.

VI.

Hoc eodem anno, cum Celadion Episcopus Alexandrinus sedisset annos quatuordecim, ex hac vita migrans, successorem habuit *Agrippam* siue *Agrippinum*, qui præfuit annis duodecim. Ita quidem Eusebius *f* in Historia, licet in Chronico numerus annorum Agrippini vltra annos quatuor lapsus esse reperiatur, & diuersis Imperatorum annis horum ipsorum Episcoporum (quod & in plerisque aliis accidit) vtrobique apud eumdem auctorem ingressus atque exitus ponantur.

* * *

f Euf. 4. diff. 18. & 5. hist. 9

IESV CHRISTI AN. 166.167.

PII 9. ANICETI AN. 1.

M. AVREL. L. VERI } AN. 4.5.

I.

ANno Christi centesimum sexagesimum sextum, Iulio Macrino & Cornelio Celso Coss. ieiunum rerum Ecclesiast. carum præterimus.

II. PII PP. MARTYRIVM. *a Mart. Rom & Alia.*

Anno vero centesimo sexagesimo septimo, Atrio Pudente & Gabino Orfito Coss. vndecima Iulii *Pius a* Papa martyrio coronatus est, cum sedisset annos nouem, menses sex, tribus minus diebus. Longius enim erratur in libro de Romanis Pontificib. dum pro nouem annis positi sunt decem & nouem. Sane quidem Eusebius in Chronico, cum annos tantum quatuor tribuit Hygino qui præcessit Pium, postea vsque ad Anicetum Pii successorem decem numerat, quibus Pium sedisse oportuit: cui hæc dicenti potius assentimur, quam cum alibi *b* tribuit eidem Pio annos quindecim: priori enim sententiæ propius accedit vetustissima Cresconiana Collectio. Sepultus autem dicitur in Vaticano.

b Euf. 4. hist. 10

III. DE EPIST. EIVS.

Extant *c* duæ eius Epistolæ ad Iustum Episcopum Viennensem in Gallia, paulo ante obitum scriptæ, perbreues illæ quidem, sed plane aureæ, & quæ simplicissimum illum antiquitatis candorem in omnibus præse ferre noscuntur. Leguntur item duæ aliæ eiusdem Pontificis prolixiores, de quibus alii disseruerunt: insuper & completa eiusdem decreta, quæ tum à Gratiano diuersis locis relata sunt, tum in vnum collecta post easdem epistolas habentur. Cum autem post eius necem sedes vacasset dies quatuordecim, suffectus est in locum eius ANICETVS natione Syrus filius Ioannis.

c In Bibl. Pat.

ANICETVS PAPA.

IV.

Quo Ecclesiam administrante, *S. Polycarpus* Smyrnæ Episcopus & S. Ioannis Euangelistæ discipulus, Romam venit (quod ex Irenæo refert Eusebius *d*) vt dissidia quæ de tempore celebrandi Paschatis essent obortæ, componeret. Addit vero idem auctor, ita de illis inter eos transactum esse, vt cum neuter alterum in suam sententiam perducere potuisset, (defendebat Polycarpus Asianorum opinionem, de Paschate celebrando decimaquarta Luna) nihilominus communicauerint inter se mutuo, ac tandem in pace discesserint ab inuicem. Qua de re meminisse oportet (quod alias dictum est) sic statuisse olim Apostolos, celebrandum Pascha die Dominico, vt tamen sicut in multis aliis, Iudaizantes adhuc complures Christianos (eos nimirum qui essent ex circumcisione, quorum ingẽs erat in Asia numerus) æquanimiter tolerarent. Sed de his rursum inferius. Quod vero Hieronymus *e* dicit, Polycarpum venisse Romam ad Anicetum temporibus Antonini Pii, vel secutus est Chronicon Eusebii, qui sub Imperatore Pio ponit Anicetum, vel potius & ipse (sicut alias vidimus) post Hyginum Papam posuit Anicetum.

d Euf. 4. hist. 13 & lib. 5 c. 24.

POLYCARPI ROMAM ADVENTVS PRO QVÆST. PASCH.

e Hie. de Scrip. Eccl. in Polyc.

V.

Tradit insuper post Irenæum *f* Eusebius, *g* cum eodem tempore Marcion ille scelestissimus hæresiarcha, de quo dictum est superius, Romam venisset, & aliquando occurrisset Polycarpo, ac rogasset, *Nosce nos, amabo*, Polycarpum respondisse, *Noui equidem primogenitum Satanæ.* Sed & eumdem Polycarpum, ex eo quod cum Apostolis versatus esset, magnam apud omnes existimationem consecutum, complures eorum quos Marcion ac Valentinus (nam & hunc, æque ac Cerdonem pariter hæresiarcham, his temporibus Romæ fuisse, iam antea dictum est) seduxerat, ad veram religionem reduxisse, iidem auctores affirmant. Porro Marcionem Romæ primo fidem Catholicam simulasse, sed & vt illi Ecclesiæ se ex animo adhærere demonstraret, ducenta sestertia ei contulisse, verum postea ad vomitum redeuntem, sub Eleuthero Papa cum suis sestertiis eiectum esse, Tertullianus *h* est auctor. Agetur itaque de illo rursum inferius.

f Iren. lib. 3. c. 3.
g Euf. 4. hi. 11.

MVLTOS HAERET. CONVERTIT.

h Ter. de præf. c. 30.

VI. MARCELLINA HAER.

Cæterum præter hos quos diximus hæreticos, Romam quoq; sub Aniceto se contulisse procacem feminam MARCELLINAM, sectatricem nefandissimæ sectæ Gnosticorum,

ac multos seduxisse, Irenæus, *a* Epiphanius, *b* & alii testantur. Tantum autem abest (quod & sæpe dictum est) vt Romana Ecclesia eiusmodi hæreticorum sordibus fuerit inquinata, vt huius temporis scriptores, ad eos errores redarguendos, Romanæ Ecclesiæ in medium adducant fidei quam ab Apostolis acceperat, integram puritatem ac solidam firmitatem. Et S. *Hegesippus* ex Iudæo Christianus factus, Theologorum eruditissimus, ac scriptor celeberrimus, (quem pariter sub eodem Aniceto Romam venisse, & ibi permansisse vsque ad Eleutherum, Eusebius ac Hieronymus *d* ex eius scriptis collegerunt) indubitanter asserit, *e* vsque ad eumdem Eleutherum sub quo ea scribebat, nullam fuisse Ecclesiam, in qua non ita seruata fuisset omnia vt Lex præscripserat, docuerant Prophetæ, & Dominus ipse prædicauerat.

a *Iren. lib. 1. c. 24.*
b *Epi. hær. 27.*
MIRA CONSENSIO ECCLESIARVM.
c *Euſ. 6. hi. 21.*
d *Hier. de Scri. Eccl. in Hege.*
e *Ap. Euſ. ibid.*

IESV CHRISTI AN. 168.169.

ANICETI AN. 2.3.

M. AVRELII, L. VERI } AN. 6.7.

I. ANno Christi centesimo sexagesimo octauo, Sernilio Pudente & Sufidio Pollione Coss. Parthico bello post quinquennium absoluto, *f* Lucius Imperator qui illud gessit, vna cum Marco triumphauit anno sexto *g* eorumdem Imperii.

f *Cap. in Mar.*
g *Euſ. in Chr.*

II. PERSECVTIO ACRIVS SÆVIT.

Anno vero centesimo sexagesimo nono, Lucio Aurelio Vero tertium, & Vinidio Quadrato Coss. cum magnus metus ex Marcomannico bello immineret, (quod, vt ait Capitolinus, arte suspensum fuerat vsque ad finem Parthici) M. Aurelius Imperator vndique sacerdotes acciuit, (inquit idem auctor) peregrinos ritus impleuit, Romam omni genere lustrauit, & Romano ritu per septem dies lectisternia celebrauit. At si (vti moris erat) iis temporibus quærebantur à diis responsa, eadem fictionibus Gentilium sacrificulorum in necem Christianorum conspirasse, & quasi prætextu placandorum numinum, & victoriæ ab hostibus adipiscendæ, eos esse tollendos respondisse, par est existimare. Sic enim eo prætextu hoc eodem bello Marcomannico, neci traditos esse Mediolani SS. fratres *Geruasium & Protasium*, eorum Acta *h* testantur, quæ S. Ambrosii nomine conscripta habentur: etsi *i* alii ad alia tempora illorum martyrium referunt.

h *Ap. Sur. 19. Iunii.*
i *Vid. Bar. in Not. ad Mart. 19. Iunii.*
II. POLYCARPI MARTYRIVM.

Cum autem huiusmodi prætextibus, vel aliis obortis occasionibus, qui inter Christianos essent omnium spectatissimi ad necem quærerentur, accidit etiam vt *S. Polycarpus* (de quo nuper dictum) Smyrnensis Episcopus, Apostolorum discipulus, & totius Asiæ princeps & doctor, ipsisque Gentilibus vsque in hanc diem post tot tantasque persecutiones reuerendus, ibidem Smyrnæ inter multos alios Christianos neci traditos, (inter quos mire eluxit cuiusdã constantia adolescentis nomine *Germanici*, qui feram ad se laniandum attraxit, ac prope impulit) quæsitus pariter ad martyrium, illud feliciter consummauerit hoc ipso anno septimo M. Aurelii Imperatoris, vt ponit Eusebius in Chronico. Qui quidem cum clamore vulgi, in amphitheatro aliorum Christianorum necem spectantis, petitus & ductus, audita in ipso stadii ingressu voce de cælo, FORTIS ESTO POLYCARPE, ET EXCELSO ANIMO REM GERE, insignem coram Proconsule & vniuerso populo, edidit nominis Christiani confessionem: qua inter alia cum instaret Proconsul, vt si saluus esse vellet, conuiciis Christum afficeret, egregiam hanc edidit vocem: *Octoginta sex annos illi iam inseruio, & nullo me hactenus affecit incommodo, quomodo igitur Regem meum, qui me ad hoc tempus seruauit incolumem, contumeliosis verbis possum afficere?* ac demum igni traditus, cum ab eo minime læderetur, gladio confossus est, tantamque effudit sanguinis copiam, vt ignem prorsus extinxerit: cuius corpus Gentiles simul & Iudæi igni combusserunt, ne (vt dicebant) Christiani illud Crucifixo relicto venerarentur, quod scilicet Christianis solerent Martyrum corpora honori esse: sicut & Polycarpi quæ superfuerunt ossa ac reliquias, eiusdem Ecclesiæ Fideles colligentes, honesto loco repo-

PIORVM STVDIVM ERGA SS. RELIQ.

suerunt, eiusque diem natalem solemni cultu celebrare cœperunt. Porro harum rerum gestarũ Acta, ab eadem Smyrnensi Ecclesia exacte tunc descripta, & omnibus vbique Finelibus per epistolam communicata, recitat Eusebius *a* in Historia, eademq; publice in Ecclesia legi olim consueuisse, testatur *b* Gregorius Turonensis. Passus aũt asseritur in dicta epistola die festo magni Sabbati: cuius tamen memoria celebratur à Latinis vigesimasexta Ianuarii, à Græcis vigesimatertia Februarii. Quoto vero ætatis suæ anno decesserit, ignoratur: sed ipsemet (vt vidimus) coram Proconsule testatus est, se iam octoginta sex annos Domino seruisse: eumdemq; valde senem martyrium cõsummasse, Irenæus *c* testatur, qui haud immerito se tanti viri fuisse discipulum gloriatur. *d*

a *Euſ. 4. hi. 24.*
b *Greg. Tur. de glor. mart. c. 89.*
c *Iren. li. 3. c. 3.*
d *Id. ep. ad Flor. ap. Euſ. 5. hiſt. 19.*

De eius autem Scriptis, præter Epistolam quam ab eo ad Philippenses scriptam superius vidimus, quamq; legi olim publice in Ecclesia consueuisse Hieronymus *e* testatur, affirmat Suidas ipsum pariter scripsisse ad Dionysium Areopagitã, & ad alias Ecclesias: quod de Ecclesiis, alii sq; Fratribus, testatur etiam Irenæus. *f* Sed & in antiquis Tabulis Ecclesiasticis memoriæ proditur, quosdam alios eius discipulos ab eo in Gallias esse missos. Mutuam sane quamdam inter Asianos Christianos & Gallos intercessisse amoris & consuetudinis coniunctionem, tum Polycarpi de eis adeo bene merentis declarat studium, tum Lugdunensium & Viennensium ad Asianos *g* literæ indicant. Idque prouenisse putandum, vel ex amicitiæ vsu inter Dionysium, qui dictus est Galliarum Apostolus, & ipsum Polycarpum, vel quod Polycarpus ad Anicetum Romam veniens, discipulos secum ex Asia ductos, prædicandi Euangelii gratia in Gallias amandarit.

IV. POLYCARPI SCRIPTA.
e *Hier. in Pol.*
f *Iren. de ep. ad Flor.*
GALLI ET ASIANI CHRIST. CHARITATE CONIVNCTI.
g *Ext. ap. Euſ. 5 hiſt. 1.*

IESV CHRISTI AN. 170.

ANICETI AN. 4.

M. AVREL. L. VERI } AN. 8.

I. ANno Christi centesimo septuagesimo, Vettio Paulo & Iunio Montano Coss. anno octauo Imperii Marci & Lucii, lues magna (inquit Eusebius *h*) prouincias occupauit, Romam ex magna parte vexauit. Eamdemq; Capitolinus tempore apparatus expeditionis Marcomannicæ, cum M. Aurelius totus esset in cõcilianda sibi deorum gratia, ex oraculo tradit: natam *k* vero in Babylonia, vbi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, spiritus pestilens euadens, inde Parthos, Orbemque compleuit, sed à Lucio Imperatore ab Oriente in eas oẽs propulsus, Romam vsque. Galenus *l* eamdem appellat maximam, atque fuisse longissimam, *m* ac persimilem *n* ei quam Thucydides describit: quando & ipse Galenus Romæ agens, eius vitandæ causa in patriam *o* rediit. Adeo denique sæuiit, vt cum depasta esset innumeram Romanorum multitudinem, ad bellum Marcomannicum oportuerit *p* fetuos & gladiatores, & lattrones, alioſq; præter vsum armare. Præterea ingenti Tiberis inundatione, indeque secuta grauissima fame, Vrbem vexatam esse, Capitolinus tradit.

h *Euſ. in Chr.*
i *Cap. in Mar.*
k *Id. in Luc. Vero.*
l *Gal. de præſ. expul. li. 3. c. 3.*
m *Id. de morb. vulg. li. 3. ager. 1. & li. 6. c. 29.*
n *Id. ſimp. med. lib. 9.*
o *Cap. in Vit. Gal.*
p *Id. in Marc.*
I. PESTIS INGENS DEPASCITVR ROM IMP.

Porro tantum abest vt Gentiles his cladibus, in vltionem sanguinis Christiani diuinitus immissis, afflictati ab eius effusione cessarint, vt potius quod sibi persuaderent, eas ob spretum à Christianis deorum cultũ immitti, sæuius in eos insanire studuerint, & quasi auctores malorũ omniũ acerbius persequi. Testatur n. ista Tertullianus. *q* Ac persecuerauit eiusmodi Gentilium querela, quamdiu ipsi fuere: adeo vt non solum sub Imperatoribus Ethnicis frequenter Tertulliano, Cypriano, Arnobio, & aliis complurib. Ecclesiasticis tractatoribus, diluenda fuerit illa calumnia, quod postquam esse Christiana religio cœpisset, multiformis cladibus affectum esset genus humanũ: sed & sub Christianis Imperatoribus, cum adhuc eadem procaciter obiectare Gentiles non desisterent, eorum causa Orosius scribendas susceperit Historias suas, & Augustinus eruditissimum opus de Ciuitate Dei, de quibus dicetur suis locis.

II. CHRIST. MALORVM OMNIVM CAVSA CREDITI.
q *Tert. Apol. cap. 40.*

Hoc

III. THEOPHILI ANTIOCH SCRIPTA.

a Euſ. 4. hi. 23. b Hie. de Scrip Eccl. in Theop & Prop. 151. ad Algaſ. q. 6. & præf. in Matt. & in Epiſt. Paul.

Hoc eodem anno octauo Imperatorum, poſt Heronem Iuniorem Antiochenum Epiſcopum, qui ſedit annos viginti ſeptem, eligitur *Theophilus* vir perquam eruditus, de cuius ſedis annis dicetur in obitu: lucubrationes autem, excellentis illius ingenii ac pietatis indices, relegerunt Euſebius *a* & Hieronymus: *b* extantque hactenus commentarii in quatuor Euangelia, & tres eiuſdem libri ad Autolycũ, qui inter Gentiles cumprimis diſertus, aduerſus religionẽ Chriſtianam ad ipſum Theophilum commentarium conſcripſerat, quem ille egregie confutans, & veritatem religionis Chriſtianæ demonſtrauit, & falſitatem Gentilitiæ ſuperſtitionis redarguit.

IV.

HERMOGENIS HÆRESIS.

Cæterum quod iidem Euſebius & Hieronymus tradãt, ſcriptum ab eodem Theophilo fuiſſe librum aduerſus Hermogenem hæreſiarcham, neceſſe eſt affirmare, falli eos qui hanc hæreſim poſt hæc tempora dixerunt erupiſſe. Docuit autem HERMOGENES in Africa: picturæque ſtudioſus, ex Chriſtianis tranſiit ad philoſophos Stoicos, ex quibus conceptis eſt inferre in Eccleſiam de materia ingenita, ex qua Dominus omnia fecerit opinionẽ, ab aliis vero ſectis, turpiſſimam rerum: aduerſus quem Tertullianus eruditum ſcripſit commentarium, quo & inſuper tradit, ipſum doctrinam ſuam à materia prodiiſſe: ſed & ei adhæſiſſe ſodalẽ Nigidium quendam alibi *d* teſtatur. Addit vero Philaſtrius, eumdem dixiſſe corpus Domini in Sole eſſe repoſitum, diabolum autem & dæmones eſſe in materiam refundendos. Porro aduerſus eum ſcripſerunt, non tãtum quos diximus Theophilus & Tertullianus, ſed & Origenes, *e* Euſebius, *f* & alii qui in Hexameron commentarios ediderunt.

d Tert. de præſ. c. 30. c Orig. Periarchon. l. 2. f Euſ. de præp. Euang. lib. 7. c. 8. 9.

V. QUI EX HERMOGENE PRODIERE.

Ex Hermogenis autem hæreſi, *Manichæorum* eſſe deductam, Gregorius *g* Nyſſenus docet, *Sabellianorum* quoque, Philaſtrius. *h* Hicque addit, Galatas homines SELEVCVM & HERMIAM eamdem de materia Deo congenita opinionem ſectatos, alia quoque addidiſſe, nempe Paradiſum viſibilem, & animas hominum de igne & ſpiritu eſſe, Angelos creatores animarum noſtrarum: mundum iſtum, infernum eſſe, & reſurrectionem in filiorum procreatione hanc eſſe, quæ fit in humano genere quotidie, haud illam immortalitatis futuram & glorioſam expectantes. Sed & qui ab his deſcenderant, *Hermiotitæ* dictos, alios quoq; errores, quos recenſet, cumulaſſe tradit. Eos autem omnes *Hermianos* ab Hermia, vel *Seleucianos* à Seleuco nominat Auguſtinus. *i* Quod vero iidem auctores nonniſi cum agunt de Sabellianis, de Hermogene meminerunt, accepta inde eſt à quibuſdam occaſio, vt putarint poſt Sabellium vixiſſe Hermogenis ſectatores, ab Hæreſi quam aſſererent, *Materiarii* nuncupari ſunt à Tertulliano: *k* quos æque omnes *Hermogenianos* dictos, Lactantius confutat. *l*

g Greg. Nyſſ. de hom. c. 24. 25. h Phil. de hær. ca. 55. 56. i Aug. de hær. ad Quoduult. cap. 59. k Tert. cont. Hermog. c. 25. l Lact. li. 2. c. 9

IESV CHRISTI AN. 171.

ANICETI AN. 5.

M. AVRELII, L. VERI } AN. 9.

I. LVCII IMP. OBITVS.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo primo, Soſio Priſco & Cælio Apollinare Coſſ. cum ambo Imperatores Marcus & Lucius, ad Marcomannicam expeditionẽ iam diu ante præparatam, Roma exeuntes Alpes tranſcendiſſent, Lucius ſedens cum fratre in vehiculo, apoplexia arreptus periit: cuius corpus Romam aduectum eſt, atq; ipſe inter diuos à Senatu relatus, eodem Marco hæc omnia procurante, cum intermiſſo bello finus Lucii curaturus & ipſe Romam adueniſſet. Hæc plenius Capitolinus. *m* Porro in Lucii ſepulchro ad Hadriani molem poſito, inſcriptio legitur, qua erroris redarguitur tum ipſe Capitolinus, tum Aurelius Victor, qui dixerunt eum imperaſſe annos vndecim, cum nouies tantum reperiatur in ea inſcriptione Tribunitia Poteſtate auctus. Ex numero enim Tribunitiæ Poteſtatis, quæ ſingulis annis repeti conſueuiſſet, certam ſtabiliri chronographiam annorum cuiuſque Imperatoris, ſæpius auctore Dione *n* notaſſe meminimus.

m Capit. in Marco. n Dio lib. 55. Vid. ſcip. an. 150. II.

II. o Gal. de prac. ad Poſth. c. 9.

Poſt hæc autem Marcus ſuſceptum Marcomannicum bellum proſecutus, eo diutius (vt docet Galenus *o*) detentus eſt. In quo accidit aliquando (quod Lucianus *a* recitat) vt falſo oraculo opera Alexandri impoſtoris (de quo ſuperius) tamquam ab Æſculapio prodito, idem Imp. inſigniter deceptus fuerit, & Romanus exercitus ingenti clade affectus, qua deſiderata ſunt viginti ferme militum millia. Sed quod ad *Lucianum* pertinet, qui hæc ſcripſit, licet omnes affirment claruiſſe temporibus Traiani Imperatoris, tamen ex iiſdem ſcriptis liquido conſtat ad hæc tempora peruenifſe, atque etiam ſuperſteſſum eſſe. Porro interiiſſe à canibus, quod rabiem ſuam contra veritatem Chriſtianam exercuiſſet, Suidas *b* tradit. Quod vero etiam dicat fuiſſe Antiochiæ concionatorem, inde complures exiſtimarunt eum conſectatum eſſe religionem Chriſtianam, ſed à fide apoſtatam in eamdem eſſe furioſe graſſatum. Sane quidem ex eius ſcriptis ſæpe citatis cognoſcitur, ipſum res Chriſtianas apprime calluiſſe.

a Luc. in ſeu. FALSO ORACVLO DECEPTVS IMP.

b Suid. verb. Lucian.

IESV CHRISTI AN. 171.

ANICETI AN. 6.

M. AVREL. IMP. AN. 10.

I. c Euſ. in Chr. MELITONIS APOLOGIA PRO CHRIST.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo ſecundo, Seuero Cethego & Iullo Claro Coſſ. M. Aurelii Imp. anno decimo, *c Melito* Sardenſis in Aſia Epiſcopus, pro Chriſtianis ſæua perſecutione exagitatis eidem Imperatori Apologeticum obtulit: quod quam neruoſum fuerit, & tanto Epiſcopo dignum, facile demonſtrant pauca illa quæ ex eo accepta Euſebius *d* recitat, dum multiplicium eius lucubrationum ſeriem exactiſſime texit. Quas cum pariter Hieronymus *e* enumeret, neuter vero libelli *De Tranſitu Virginis*, eiuſdem Melitonis nomine decorati, vllam mentionem fecerit: plane conſtat eum alterius potius, eiuſdemque recentis eſſe auctoris, quem omnes antiquos latuiſſe certum eſt, nec vel apicem continere Melitonis, ac proinde apocryphum iure cenſendum.

d Euſ. 4. hi. 15 e Hie. de Scrip Eccl. in Mel.

II. SCRIPTORES ECCLES HVIVS TEMPORIS.

At non Melitonem ſolum, ſed & *Apollinarem* Hierapolitanæ Eccleſiæ Epiſcopum fama conſpicuum, itemque *Miltiadem* eiuſdem temporis egregium Theologum, ſcripſiſſe libros pro fidei Chriſtianæ defenſione, idem teſtatur Euſebius, *f* ſimul & reliqua ab eis edita ſcripta recenſens. Meminit *g* & aliorum huius temporis Scriptorum Eccleſiaſticorum, ſanctitate & doctrina egregie excultorum, puta *Pinyti* Gnoſiæ, & *Philippi* Gortynæ in Creta Epiſcoporũ, itemque *Modeſti & Muſani*: quorum pariter omnium meminit S. Hieronymus, *h* ſicut & aliorum complurium, de quibus nos alias opportunius, qui ſuis eruditiſſimis ſcriptis tum hæreſes inualeſcentes repreſſerunt, tum Gentilium ſuperſtitionem exagitarunt, eorumdemque in Chriſtianos calumnias retuderunt.

f Euſ. 4. hi. 25 26. & 5. hi. 16. g Id. 4. hi. 20. 24. 27.

h Hie. de Scrip Eccl.

IESV CHRISTI AN. 173.

ANICETI AN. 7.

M. AVREL. IMP. AN. 11.

I. i Euſ. in Chr. DE MONTANO HÆRESIARCHA. k Epi. hær. 48. l Ap. Euſ. 5. hiſt. 15.

ANno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo tertio, Seuero & Herenniano Coſſ. Marci Imperatoris anno vndecimo, (inquit Euſebius *i*) *Pſeudoprophetia* quæ κατὰ ΦΡΥΓΑΣ nominatur, accepit exordium, auctoribus MONTANO, *Priſcilla, & Maximilla*, inſanis vatibus. Verum Epiphanius *k* tradit eos fuiſſe circa annum decimumnonum Antonini Pii: Apollinaris *l* autem, qui eodem quo Montanus vixit tẽpore, ſub Grato Aſiæ Proconſule Montanum ad fidem veniſſe, ac mox cœpiſſe ſe efferre ſuperbia. Porro mentio de Grato Conſule apud Caſſiodorum habetur anno quarto eiuſdem Pii Imperatoris. At poſſunt hæc ita conciliari, vt tria tempora Montani ac ſociorum conſiderentur: primum cum iidem in Eccleſia viti ſunt prophetare, ac miracula edere, & ab omnibus in admiratione ſunt habiti, ſecundum, cum de illis dubitari cœptum eſt, (quæ duo tempora ſimul Euſebius *m* coniunxit) tertium, cum palam detecti hæretici atque impoſtores, ab Eccleſia ſunt penitus eiecti.

m Euſ. 5. hi. 3

Enitus

II. ROM. ECCLESIA EVM REPROBAT.

a Tert. aduerſ Prax. c. 1.
b Id. de præſc. c. 52.
c Euſ. 5. hiſt. 3. Phil. de har. c. 50 Epi. har. 48. Theod. har fab. li. 3. & alii

Enituit tunc temporis quæ de Sede Petri impolluta ſeruanda viguit ſemper vigilans diuina prouidentia, cum videlicet Romanus Pontifex, qui falſis ipſorum aſſertionibus deceptus, (conati ſunt enim quoquo modo Romanæ Eccleſiæ communicationē ſuffurati, quo ſic ab vniuerſa Catholica Eccleſia viderentur eſſe recepti) pacificas eis litteras dediſſet, eas continuo reuocauit, ſimul ac aduenientes ex Aſia, vbi illi ſuos errores ſeminarent, Praxeas tunc Catholicæ religionis homo, de eorumdē hæreſibus & impoſturis ipſum Romanum Pontificem certiorem reddidit. Teſtatur id quidem, ea de cauſa in Praxeam cōmotus Tertullianus, *a* cum iam plane infelix in errores Montani delapſus eſſet, quas antea fortiter impugnauiſſet. *b* Necleuis certe Montani ac ſociorum fraus, tentatio fuit in Eccleſia, quando quidem in omnib. ſpeciem pietatis præſeferrent, & donis prophetiæ ac miraculorum apparerent ornati: atque adeo (vt docent qui de iis ſcripſere) non ſolum Scripturas oēs cum Catholicis reciperent, ac de Patre, Filio, & Spiritu Sancto paria cum Eccleſia ſentirent, ſed & diſciplinam Eccleſiaſticam arctiſſime ſeruare, ac ieiunia, continentiam, martyria, aliaque cuncta quæcumque in pretio eſſent apud Catholicos, excolere diligentiſſime curarent. In quo videas ſubdolum diaboli conſilium: qui cum nihil per Gnoſticorum, & aliorum quos retulimus hæreticorum turpitudines profeciſſet aduerſus Eccleſiam, eamdem iam contrariis armis per ſanctitudinis ſpeciem expugnare conatus eſt.

III. d Hier. ep. 54. ad Marc. ELVS EXORDIVM, PROGRESSVS, ET FINIS.

Quod vero ad ipſum *Montanum* ſpectat, imprimis S. Hieronymus *d* eum abſciſſum & ſemiuirum appellans, eunuchum fuiſſe declarat. Qui quidem nuper baptizatus, propriæq; excellentiæ gloria elatus, & inſatiabili primatus cupiditate incenſus, malo arreptus ſpiritu, furioſo impetu ac peregrinis vocibus prophetam cœpit profiteri: nactus ad eam rem duas quas ſeduxit & à maritis abduxit, nobiles & opulentas mulieres, *Priſcam* (quam alii *Priſcillam* nominant) & *Maximillam*, quas pariter maligno ſpiritu afflatas, & arreptitias, prophetare docuit, ac per illas (inquit Hieronymus *e*) multas Eccleſias primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Dicta eſt autem hæreſis *Kata Phrygas*, quod prædicti eius auctores ex Phrygia orti eſſent, eiuſque ſectatores maxime illic verſarentur. Sed de Montani primordiis, progreſſibus, ac dogmatibus, deque ipſius pſeudoprophetiſſārum artibus & ſeductionib. falſiſque vaticiniis, item de eorumdem damnatione in frequentib. Synodis ab Epiſcopis Aſiæ & aliis facta, ac demum de eiuſdem ſectæ quos ipſi iactabant pſeudomartyrib. plura recitantur apud Euſebium *f* ex Claudii Apollinaris Hierapolitani Epiſcopi, ac Miltiadis, Apollonii, & Serapionis, præſtantiſſimorū horum temporum Theologorum commentariis aduerſus eoſdem Caporum Theologorum commentariis aduerſus eoſdem Caphrygas editis: ſicut & eoſdem condemnatos fuiſſe in diuerſis Conciliis ab Epiſcopis Græciæ, Tertullianus *g* inſinuat. Cæterum ipſum tandem Montanum cum ſua Maximilla, dæmonum impulſu qui in illis inhabitabant, laqueo ſibi mortem conſciuiſſe, & eumdē cum Iuda proditore vitæ exitum adeptos eſſe, ſed & *Theodotum*, qui primus illius cōmentitiæ prophetiæ quaſi procurationem ſuſceperat, mente captum fraudulento ſpiritui ſe ipſum concredidiſſe, & ab eo ſublimem aliquando in aerem ſublatum, ac deinde præcipitem deiectum, miſere periiſſe, apud eumdem Euſebium *h* Apollinaris teſtatur. Addit autē Epiphanius, *i* Maximillam aſſeruiſſe, non amplius poſt ſe futuram Prophetiſſam, ſed venturam conſummationem ſæculi, eiuſque vaticinii falſitatem coarguit.

d Hier. ep. 54. ad Marc.
e Id. ad Creſip
f Euſ. 5. hiſt. 15. &c.
g Tert. de ieiun. adu. Pſyc. c. 13.
h Euſ. 5. hi. 15.
i Epi. har. 48.

IV. DOGMATA.

Sed quod ad Montani praua dogmata pertinet, qui de illis ſcripſerunt, aiunt primum eius & maximum errorem, à quo fluxerunt cæteri, fuiſſe quod diceret ſe eſſe PARACLETVM illum ſpiritum veritatis qui promiſſus eſſet Apoſtolis, (quo etiam nomine ſæpe eum citat Tertullianus *k*) ac proinde negaret Apoſtolos accepiſſe Spiritum Paracletum. Et de Trinitate Montaniſtas docuiſſe quod poſtea Sabellius, nempe Trinitatis vnicam eſſe perſonā, teſtatur S. Hieronymus. *l* Vnde & potuit accidiſſe, vt qui ſe Paracletum diceret, idem quoque ſe eſſe Deum Patrem Omnipotentē impudentiſſime affirmaret, φ de illo tradit Epiphanius. *m* Quæ quidem ſi vera ſint, falſum eſſe oportet quod vidimus eumdem Epiphanium alioſque dixiſſe, Montanum de Patre, Filio, ac Spiritu Sancto eadem ſenſiſſe quæ Eccleſia Catholica.

k Tert. de fug. in perſecut.
l Hier. ep. 54.
m Epi. har. 48

Equidem hæc omnia arbitror iactata potius à Montaniſtis, quam à Montano: nam nec Tertullianus, qui eum nominat Paracletum, nec aliquis eorum qui Montani fæcem vixerunt, & aduerſus eum ſcripſerunt, quicquam huiuſmodi de Trinitate ſenſiſſe demonſtrant. Sicut nec illum de Sabellianiſmo ſenſiſſe Montanum, nec Montaniſtas quidē omnes, ſed ex eis aliquos, affirmat Theodoretus, *a* nempe quos Tertullianus *b* vocat κατ' ἐξοχὴν Æſchinem.

a Theod. har. fab. li. 3.
b Tert. de præſ. c. 52.

V. QVID DE SP. S.

Nec item credimus, licet dixiſſet ſe eſſe Paracletum, ſignificare voluiſſe ipſum Paracletum humanam accepiſſe carnem, & illum ipſum ſe eſſe Montanum, vel ſe abſq; carne ſpiritum tantū eſſe, (nam nullus plane eſt, qui id aliquando de illo dixerit) ſed eo nomine à Tertulliano vel aliis appellatū putamus, quod diceret ſe illum accepiſſe Spiritum Paracletum, quem Chriſtus pollicitus fuerat à Patre mittēdum, ſeque illum maiori cum abundantia quam feciſſent Apoſtoli, aliis impertiri: quippe licet Spiritus Sanctus in eis fuiſſet, non tamen fuiſſet Paracletus: hunc vero ſe omnimoda plenitudine accepiſſe, immo eumdem ipſum Paracletum in ſe ac ſuos deſcendiſſe, & plura *d* in ipſis docuiſſe, quam Chriſtus in Euangelio protuliſſet, nec tantum plura, ſed meliora atque maiora. Ea quippe ratione ſecundas nuptias, quas non reiicit Apoſtolus, ipſe tāquam maiori ſcientia præditus vt fornicationem damnauit, atque inſuper, quod nec Chriſtus, nec Apoſtolus admiſiſſet, nuptiarum docuit ſolutionem, nimirum occaſione ſuarum pſeudoprophetiſſarum, quas à maritis abduxiſſe Apollonius *e* & alii teſtari ſunt.

c Phil. de har. c. 50.
d Ter. de præſ. c. 52.
e Ap. Euſ. 5. hiſt 17.

VI. IEIVNIA QVALIA

Sic etiam Ieiunia quædam noua & penitus inuſitata (quod iidem auctores aſſerunt) in Eccleſiam conatus eſt introducere: de quibus agens Hieronymus, *f* ait Montaniſtas tres in anno feciſſe Quadrageſimas, quaſi tres paſſi eſſent Saluatores. Non quidem quod diceret Montanus ſe tertio Quadrageſimale ieiunium repetere, quod tres paſſi re vera eſſent Saluatores, (cum vna tantum ea ratione in Eccleſia ex traditione Apoſtolorum poſt Chriſti paſſionem fit ſolita celebrari) ſed alias ab hac diuerſas prætexebat ieiuniorū cauſas, quas refert Tertullianus, *g* nempe ad auertendas imminentes clades & tentationes, itemque ad exercendam ſobrietatis & abſtinentiæ diſciplinam. Quæ licet bona per ſe eſſent, ab Eccleſia tamen Catholica penitus reiecta ſunt, tum ne Spiritum Montani cōprobaſſe viſa eſſet, tum quod non Montani, ſed Epiſcoporum eſſet munus (quod ipſe etiam Tertullianus docet) indicere ieiunia, præſertim cum ad ea ſeruanda vniuerſa obliganda eſſet Eccleſia: hoc enim Montanū voluiſſe, plane declarat Hieronymus, & Tertullianus non obſcure ſignificat, cum ſæpius in Catholicos inuehitur quod à Paracleto tradita ieiunia non ſeruarent. Ex quibus apparet, quam agāt calumnioſe qui ſanctos monachos, alioſque regulares plura in anno Ieiunia ſeruantes, Montanizare dicunt: nam huiuſmodi leges, non vt Montani, vniuerſæ præſcriptæ ſunt Eccleſiæ, ſed illis tantum qui arctiori diſciplinæ vinculo, ſua ſponte ſe voto ad ea ſeruanda obligarint, quamdiu idoneæ vires ſuperfuerint.

f Hier. ep. 54.
g Tert. aduerſ Pſych. c. 13.

VII. QVID DE FVGA IN PERSECVT.

Aſſeruit præterea Montanus, *h* Prophetas in extaſi eſſe locutos, adeo vt nec ipſi ſcirent quid dicerent. Item martyrii tempore nequaquam fugiendum eſſe, ſed loco ſiſtendū, immo nec quauis occaſione martyrium redimere licere: quod ex eiuſdem Paracleti auctoritate Tertullianus *i* ſcripto de ea re commentario diſputauit, cum tamen ex Apollonio *k* liqueat, eiuſdem ſectæ virum eorum opinione celebrem, ingēti collata pecunia ſe à martyrio redemiſſe. Cæterū & in hoc ſubdolum conſideres diaboli conſilium, qui quod cerneret nihil profeciſſe per Gnoſticos, & alios quos vidimus negaſſe ſubeundum eſſe pro Chriſto martyrium, mox contrariam hic ſtruens aciem, Chriſtianos ſua ſponte ſatis ad martyrium properantes, in præceps agere contendit, quo oēs ſe neci dederent, & ſic Eccleſia Chriſti omnino deficeret. Præter hæc etiam animam eſſe corpoream, coloratam, & anthropomorphitam, quamdam ex Montani Prophetiſſis docuiſſe, (deluſam videlicet falſis viſionibus à dæmone) idem Tertullianus, *l* qui omnes illorum errores ſectatus eſt, declarat.

h Hier. in ep. ad Eph. li. 2. c. 3.
i Tert. de fug. in perſec.
k Ap. Euſ. 5. hiſt. 17.

ALIÆ IMPIETATES.

l Tert. de anima, c. 9.

Rur-

VIII. *Epiphan. ep. 54.*

Rursum de Montanistis ac Cataphrygibus Hieronymus *a* tradit, eos docuisse Deum primum in veteri Testamento voluisse per Moysen & Prophetas saluare mundũ; sed quia non potuisset explere, corpus sumpsisse de Virgine, & in Christo sub specie Filij prædicantẽ, mortem obiisse pro nobis: quod vero per duos gradus mundum saluare nequiuisset, ad extremum per Spiritum sanctum in Montanum, Priscam, & Maximillam descendisse. Addit insuper idem auctor, eosdem hæreticos collocasse Episcopos tertio loco, qui apud Catholicos Apostolorum locum tenẽt. Habuisse n. primos de Pepuza Phrygiæ oppido *Patriarchas*, secundos quos appellabant *Cenones*, tertios demum *Episcopos*: quasi exinde ambitiosior religio fieret, si quod apud nos primum est, apud illos nouissimum esset. Sed & vsq; adeo rigidos fuisse, vt pœnitentiam ablegantes, ad omne pene delictum Ecclesiæ obserarent fores; non quod ipsi peiora non peccarent, sed quod erubescerent confiteri peccata quasi iusti.

MONTANISTARVM RIGOR.

IX. *b Philastr. de har. cap. 50.* NEFANDA MYSTERIA.

Habet insuper Philastrius *b*, eosdem Cataphrygas consueuisse mortuos baptizare (quod & de aliis hæreticis iam dictum est superius.) Ferebaturq; de eis horrendum illud, quod in suis mysterijs infantis anniculi sanguinem, quem de toto eius corpore minutis punctionum vulneribus extorquerent, miscentes farinæ, Eucharistiam inde sibi conficerent: isq; puer si mortuus fuisset, apud illos celebraretur pro martyre; si vero vixisset, pro magno Sacerdote. Referunt n ista, vt de re vulgata, Hieronymus *c*, Epiphanius *d*, Philastrius *e*, Augustinus *f*, & alij; sed nullus eorum pro certo affirmat, imo Theodoretus *g* asserit solitos id Cataphrygas negare, & calumniam appellare. Certe à Montano factum non credimus, cum nullus antiquorum qui lõge his minora exaggerarent, eiusmodi scelus in eum intulerit. Sed tale quid his temporibus à Gnosticis perpetrari, dictum est superius. Num vero qui à Montano prouenerunt hæretici, (puta qui sunt *Quintilliani* dicti, quibus id tribuere maluit Epiphanius) eadem factitarint, aliorum sit iudicium.

c Hier. ep. 54. *d Epiph. hær. 48.* *e Philad. c. 50.* *f Aug. de hær. ad Quod-vult d. c. 26.* *g Theod. hær. fab. lib. 3.*

X. SECTÆ DIVERSÆ. *h Tertul. de præscr. c. 52.*

Sane ipso sectæ Mõtani exordio, asseclas eius inter se diuidi cœpisse, ac quemq; ex suo nomine sectam confecisse, Tertullianus *h* cum sanioris mẽtis esset testatus est, & alios ☧ *Phrygas*, alios ☧ *Proclum*, & alios ☧ *Æschinem* dictos esse affirmat: & qui ☧ Æschinem essent, priuatã habuisse blasphemiã, q̃ dicerent CHRISTVM ipsum esse Filiũ & Patrẽ. De Proclo vero opportunius inferius. Recenset etiam inter Montani descendentes Epiphanius *i Trascodrugitas*, seu dicas *Perticonasatos*, quod dum orarent digitum indicem naso imponerent; tristitiæ nimirum & vltroneæ iustitiæ gratia: *Trascus* n. apud ipsos pertica appellabatur, *Drusus* vero nasus siue rostrum. Qua eadem ratione apud Philastrium *k* & Augustinum *l*, *Pattalorincitæ*, siue *Passelorincitæ* hæretici vocantur; qui videlicet in tantũ silentio studerent, vt naribus & labiis suis digitũ opponerent, ne vel ipsam taciturnitatem voce præriperent quando tacendum sibi esse arbitrarẽtur: πέτταλον n. palum significat, & ῥίγχος nasum. Quod n. nasus esset iudicij signum, & digitus hieroglyphicum dimensionis; (vt est apud Orum Apollinem) digito nasum tangere, idem significare videbatur quod recto iudicio cuncta metiri, ac diiudicare: cum & alioqui iactarent se imitari Propheram dicentem *m*, *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labiis meis.*

i Epiph. hær. 48. *k Philastr. cap. 77.* *l Aug. c. 63.* *m Psal. 140.*

XI.

Numerat insuper Epiphanius inter Montani descẽdentes, *Quintillianos* à Quintilla dictos, *Priscillianos* à Priscilla Pseudophetissa Mõtani, & *Pepuzianos* à Pepuza vico Phrygiæ, quem & Hierusalem *n* nuncupabant, & omnes vndique eo conuenire cupiebant: apud quos (vt ait) Episcopi ac presbyteri erunt fœminæ. Addit & *Arthotyritas*, sic dictos eo quod in n ysteriis suis apponerẽt panem & caseum. Quod vero & *Tessaredecatitas*, quos dicimus *Quartadecimanos*, ab iisdem prognatos esse affirmat; equidem illorum puto esse aliam rationem, de quibus alias dicturi sumus. Habet præterea Philastrius *o Ascodrogitas*, qui Montani Pataclete se plenos esse iactãtes, insanis mentibus instar bacchantium furentes agebantur. Sed de horum omnium deliriis plura apud eosdem auctores, & alios qui de hæresibus tractarunt. Eosdem vero occupasse vsque ad tempora Epiphanij Phrygiam, Cappadociam, & Galatiam, ac viguisse plurimũ in Cilicia, & Constantinopoli, ipse testatur *a*: pariterque Hieronymus *b*, hæc ipsa, & alia his cognata mõstra suo tempore apud Ancyram Galatiæ ciuitatem extitisse tradit: quorum etiam fit mentio in Christianorum Imperatorum rescriptis *c*.

n Apollon. ap. Euseb. 5. hist. 17. *o Philastr. cap. 76.*

a Epiph. hær. 48. *b Hier. præf. lib. 2. ad Gal.* *c Leg. C. Th. de hæret.*

IESV CHRISTI ANN. 174.

ANICETI ANN. 8.

M. AVREL. IMP. ANN. 12.

ANNO CHRISTI centesimo septuagesimo quarto, Maximo & Orfito Coss. Marci Aurelij Imper. anno duodecimo, (inquit Eusebius *d*) TATIANVS hæreticus agnoscitur, à quo ENCRATITÆ. Ex his vero, & aliis de tẽpore martyrij Iustini (cuius hic discipulus extirit) superius enarratis, corrigendus est textus Epiphanij *e*, vbi Tatiánus dicitur post obitum Iustini sub Antonino Pio ab Vrbe recessisse; & Philastrij *f*, quo post Decij tempora vixisse traditur. Cæterum hic natione Syrus, ex Philosopho Platonico Christianus factus, florẽtissimus olim in Ecclesia fuit, docuitque *g* summa cum æstimatione Romæ; & inter infinita prope quæ scripsit volumina, (vt Eusebius *h* & Hieronymus *i* tradunt) insignem edidit commentarium pro Christianis aduersus Græcos, hoc est Gentiles; qui etiam laudatur ab Origene *k*, extatque *l* hactenus. Porro quamdiu Iustinus vixit, quem non vt magistrum tantum, sed vt parentem reuerebatur; itemq; quamdiu Romæ fuit, veritus fortasse illius Ecclesiæ sincerissimam puritatem, constans in fide permansit: at vero cum in Orientem regressus est, idem doctrinæ supercilio elatus, à fide defecit, & in errores Valentini delapsus, eosdẽ Antiochiæ & in Cilicia ac Pisidia docuit; prout Epiphanius tradit, & lõge ante ipsum Irenæus *m* ac Tertullianus *n*, qui eodem cum Tatiano tempore vixerunt.

d Euseb. in Chron. DE TATIANO HÆRESIARCHA. *De quo etiam Baron. ann. 165.* *e Epiph. hær. 46.* *f Philastr. cap. 49.* *g Euseb. 5. hist. 13.* *h Id. 4. hist. 25.* *i Hieron. de Script. Eccles. in Tatia.* *k Orig. libr. 1. cont. Celf.* *l In Bibl. Patr.* *m Iren. li 1. c. 3. & ap. Euf. 4. hist. 27.* *n Tertul. de præscr. c. 52.*

II.

De ipsius autem impiis dogmatibus, aiunt asseruisse Adam minime cõsecutum esse salutem: & Marcionis ac Saturnini continentiam amplexatum, detestatum esse nuptias, easque nihil differre à scortatione dixisse: Ideoque auctor ponitur *Encratitarum*, id est, qui se continentes vocabant; de quibus agetur paulo post. Addit vero Epiphanius, eundem in mysteriis aqua tantum vsum esse: cuiusmodi hæreticos Augustinus *o Aquarios* nominat, Theodoretus *p Hydroparastatas*. Imo penitus vsum vini suis prohibuisse, auctor est Clemens *q* Alexandrinus. Docuisse etiam ab animantibus abstinentiam, ex Irenæo recitat Eusebius *r*: eiusque sectarios omnem carnem execratos esse, Augustinus *s*, alijque tradunt. Addit insuper Clemens *t*, à Tatiano esse dictum, alterius Dei esse Legem, alterius Euangelium: quod & à Marcione mutuatum apparet, vt auctorem Legis Deum diceret aduersarium esse Euangelij conditoris. Eundemque nonnullas Pauli Apostoli voces, vtpote qui dictionis & loquendi compositionem in illis corrigere moliretur, audaciter commutasse, Eusebius *u* scribit.

o Aug. de hæres. c. 64. *p Theod. lib. 1. hær. fab.* *q Clemen. 2. Paedag. 2.* *r Eus. 4. hist. 27.* *s Aug. c. 25.* *t Clemen. Strom. lib. 3.* *u Eus. 4. hist. 27. in fin.*

III. TATIANI DIATESSARON: *x Theod. hær. fab. lib. 1.*

Ab eodem elaboratum constat opus, quod Διὰ τεσσάρων, siue *Ex-quatuor* appellauit; quo videlicet vnum ex quatuor Euangelium contexuit. Sed demonstrat Theodoretus *x*, eum mala fide sic illud compegisse, vt omnia omiserit, quæcunq; de Christi genealogia, ac carne humana ab eo susceptа, essent ab Euangelistis tradita; quippe qui eam cum Marcione negaret. Quod quidem oportuit latuisse Victorem Capuanum, dum quodnam esset eiusmodi Tatiani opus, & quod *Ammonij* Alexandrini eodem argumento conscriptum, dubitasse se dicit *y*: & quod deterius est, post longam de ea re habitam discussionem, quod Ammonij erat opus, *Harmoniam* nuncupatum, Tatiano tribuit, & *Diatesseron* Tatiani Ammonio. Existimo n. hæresiarchæ opus

y Vict. Cap. præf. in Harm. Ammon. & ext. in Bibl. Patr.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

absq; auctoris titulo ob sectæ infamiam fuisse descriptum, cum alioqui Theodoretus asserat eodem vsos etiam Catholicos, compositionis fraudem non cognoscentes, sed simplicius eo tanquã libro compendioso vtentes. Auctor est insuper Clemens *a* Alexandrinus, ab eodem Tatiano scriptum esse librum *De perfectione secundum Saluatorem*, sed refertum blasphemiis, quod totus fuerit auctor in cõdemnatione nuptiarum, & earundem primi institutoris, nempe Dei.

a *Clem. Strõ. lib. 3.*

IV. DE ENCRATITIS.

Porro Tatianos cum Encratitis cõiungit Epiphanius *b*, adeo vt appareat vnius monstri ex diuersis actibus duo fuisse nomina, vt etiam Augustinus *c* docet: & Encratitas fuisse Tatianum ducem, eiusq; doctrinam sectatos, Irenæus *d* quoque, Theodoretus *e*, & alij affirmant: imo & in deteriora prolapsos Epiphanius demonstrat, dum ait eos asseruisse Principatus quosdam esse, & qui diaboli est, aduersus Dei opera oppositum esse, & Deo non subiectũ, sed facientem velut ex propria potestate, & non velut qui abierit. Additq; eos ad suorum dogmatum adstipulationem, aucupatos esse scripturas quasdam Apocryphas, nimirum Acta quæ dicerentur Andreæ, Ioannis alia, alia vero Thomæ, & aliorũ: insuper admittere consueuisse feminas ad sacra mysteria, inter quas & viuerent; adeo vt qui nomine *Continentes* dicerentur, re ipsa turpes essent: eorumque non exiguum numerum sua adhuc ætate fuisse in Phrygia, Galatia, Pamphylia, Cilicia, atq; Syria.

b *Epiph. hær. 47.*
c *August. de hær. c. 25.*
d *Iren. lib. 1. c. 30.*
e *Theod. hær. fab. lib. 1.*

V. SEVERIANI HÆRETICI

Sed & auxisse Tatiani dogmata SEVERVM quendam, à quo dicti *Seueriani*, Eusebius *f* tradit; quos ait de Paulo Apostolo male locutos, eiusq; Epistolis fidem abrogasse, & Acta pariter Apostolorum reiecisse. Addit Augustinus *g* eos vinum non bibisse, quod fabulosa vanitate de Satana & terra geminasse asserent vitem: & insuper carnis resurrectionem, cum veteri Testamento respuisse: ipsumq; Seuerum Philumenæ cuiusdam puellæ, quam dicebat inspiratam diuinitus, vtum esse diuinationibus & præstigiis. At vero Philumenen (vt dictum est superius) alij tribuunt Apelli hæresiarchæ: nisi forte & hæc diuersa sit ab illa. Meminerunt autem Seueri, Hieronymus quoque ac Theodoretus. Addit præterea Clemens *h* Alexandrinus, IVLIVM CASSIANVM Valentini hæresiarchæ discipulum, eosdem Tatiani errores sectatum esse, & ad illos roborandos scripsisse librum de Continentia vel castitate: fuisse vero principem hæresis *Docitarum*, siue dixeris *Opinatorum*, qui Christum asserentes corpus sumpsisse phantasticũ; nec vere (prosũ asserentes corpus sumpsisse phantasticũ; nec vere (prout addit Theodoretus *i*) sed sola visione & apparitione fuisse mysterium Incarnationis. Quos etiam ad suam ipsorum hæresim confirmandam, vsos esse Pseudoeuangelio secundum Ægyptios vel secundum Petrum dicto, idem Clemens, & ex Serapionis scriptis Eusebius *k* tradit. Cæterum scripsisse aduersus Tatianum & Encratitas Musanũ, tradit Theodoretus *l*, cui & adnumerat Apollinarem, Hierapolitanum, Clementem Alexandrinum, & Origenem. Rhodonem quoq; Tatiano aduersatum esse, licet ipsius fuisset olim discipulus, Eusebius *m* significat.

f *Euseb. 4. hist. 27.*
g *August. de hæres. c. 24.*
h *Clem. Strõ. lib. 3.*
IVLIVS CASSIANVS ENCRATITA.
i *Theod. diuin. decret. lib. 5.*
k *Euseb. 6. hist. 10.*
l *Theod. hær. fab. lib. 3.*
m *Euseb. 5. hist. 13.*

Sed quod ad *Dionysium Corinthium* spectat, cuius non solum ad Romanos scriptam Epistolam, sed alias plerasque ad diuersas Ecclesias idem Eusebius recenset, earumque argumenta recitat; tanta fuit illius viri, tum ob insignem eruditionem, tum ob egregiam vitæ sanctimoniam, apud omnes existimatio; vt cum exdẽ ipsius Epistolæ maximi esse ponderis viderentur, hæretici adhuc ipso auctore viuente eas conati fuerint deprauare, quo tantum vitium faterent suarum ipsarum hæresum assertorem. Habet eiusdem ipsius ea de re querelam Eusebius *f*: qui post hæc alios recensens egregios eiusdem temporis Scriptores Ecclesiasticos, quorum superius variis occasionibus facta est mentio; demum de *Bardesane* *g* Syro narrationem instituit, quem sub Sotere Romano Pontifice vixisse, significat; eundemque in Chronico ponit anno superiori (nempe duodecimo Antonini) alterius hæreseos principem notum factum esse.

f *Id. d. cap. 28.*
g *Id. 4. hist. vlt.*

Cæterum Epiphanius *h* de BARDESANE agens, eius sententiæ fuisse videtur, vt ille primo recta dogmata fuerit confectatus, ac complures egregios libros conscripserit, demum autem impegerit in hæresim Valentini. Eundemq; secutus Augustinus *i*, ait Bardesanẽ prius in doctrina Christi insignem extitisse, sed postea, quamuis non per omnia, in Valen-

h *Epiph. hær. 56.* DE BARDESANE SYRO.
i *Aug. de hær. cap. 35.*

ceti ratum erit: cum præsertim Indices Vaticani, qui descripti habentur in codice qui dicitur *Liber Consuum*, ingressum Soteris successoris Aniceti hoc anno Domini ponant. Cur aũt minus sequamur Chronologiam Eusebij, & Consules in Libro de Romanis Pontificibus appositos, sæpe dictum est superius. Sepultus autem traditur Anicetus in Cœmeterio Callisti via Appia; hoc est, in eo arenario, quod post ea Callistus Papa Cœmeterium fecit. Et postquam sedes vacasset dies septendecim, suffectus est SOTER, natus Fundis in Campania ex patre Concordio.

SOTERIS CREATIO. II.

Passi sunt eadem persecutione vrgente sub Marco, Romæ alij complures martyres, & inter alios illustris illa *S. Felicitas*, quæ cum septem filios hortationibus suis roboratos, præmisisset diuerso martyrij genere coronatos ad gloriã, ipsa demum eandem adepta palmam, secuta est ad triumphum: quorum omnium extant *a* Acta ex antiquis monumentis edita; meminitq; Gregorius *b* Papa in homilia, quã in eiusdem S. Felicitatis Ecclesia Romæ posita habuit ad populum in eius die natali, qui positus habetur in Tabulis Ecclesiasticis die vigesima tertia Nouembris, filiorum vero decima Iulij. Sub eodem quoque Marco Imp. nobilissimum certamen subiit Heracleæ *Glyceria*, cuius celebre fuit toto Oriente nomen, ob liquorem *c* medicum, ad infirmitates curandas ex membris eius iugiter effluentem: cuius etiam extant *d* Res gestæ antiquitus conscriptæ. In Ponto quoq; mirabile illud accidit in confessione *Hermiæ* martyris, vt dirissimè torquentẽ se carnificẽ conuerterit ad Christum, & post se martyrij reliquerit heredem. Porro tum horum, tum aliorum plurimorum, qui in diuersis Orbis regionibus hac eadem persecutione sunt palmam martyrij consecuti, certa dies natalis in Romano Martyrologio adscripta habetur; præter immensam aliorum multitudinem, quorum memoria excidit.

a *Ap. Sur. 10. Iul.*
b *Greg. hom. 31. in Euang.*
c *Niceph. libr. 18 c. 28 32.*
d *Ap. Sur. tom. 3.*

III. ROM. ECCLESIÆ MVNIFICENTIA IN FAVTORES.

Cum inter hæc Soter Papa, longe positas Ecclesias ea persecutione vexatas, non literis modo consolatus est, sed & pecunus subleuauit, ac Christianis ad metalla damnatis pari liberalitate subuenit. Narrat enim ist hæc Dionysius celebris tunc nominis Corinthiorum Episcopus, in Epistola quam ad Ecclesiam Romanam eodem Sotere sedente scripsit; qua & asserit eam eiusdem Ecclesiæ piam consuetudinem iam à primis ipsius iactis fundamentis obseruatam esse: sicut & qui Dionysij ea de re verba recitat Eusebius *e*, testatur eadem ipsa liberalitatis officia vsq; ad suam ætatem in ea Ecclesia perseuerasse. Adeo vt ab eo iam tẽpore tantam haberet opum abundantiam, vt non solum sufficerent ad Fideles pauperes qui Romæ essent vbertim alendos, sed etiam ad subleuandas siue prope siue longe positas Ecclesias egentes, & fouẽdos Christianos ad metalla damnatos, quorum ingens soleret esse numerus: cum & præter hæc haud putandum sit, Gentiles tempore persecutionis se temperasse à bonorum rapina, qui adeo immaniter sæuierat in corpora.

e *Euseb. 4. hist. 22.*

IV. DE DIONYSIO CORINTHIO.

Sed quod ad *Dionysium Corinthium* spectat, cuius non solum ad Romanos scriptam Epistolam, sed alias plerasque ad diuersas Ecclesias idem Eusebius recenset, earumque argumenta recitat; tanta fuit illius viri, tum ob insignem eruditionem, tum ob egregiam vitæ sanctimoniam, apud omnes existimatio; vt cum exdẽ ipsius Epistolæ maximi esse ponderis viderentur, hæretici adhuc ipso auctore viuente eas conati fuerint deprauare, quo tantum vitium faterent suarum ipsarum hæresum assertorem. Habet eiusdem ipsius ea de re querelam Eusebius *f*: qui post hæc alios recensens egregios eiusdem temporis Scriptores Ecclesiasticos, quorum superius variis occasionibus facta est mentio; demum de *Bardesane* *g* Syro narrationem instituit, quem sub Sotere Romano Pontifice vixisse, significat; eundemque in Chronico ponit anno superiori (nempe duodecimo Antonini) alterius hæreseos principem notum factum esse.

f *Id. d. cap. 28.*
g *Id. 4. hist. vlt.*

Cæterum Epiphanius *h* de BARDESANE agens, eius sententiæ fuisse videtur, vt ille primo recta dogmata fuerit confectatus, ac complures egregios libros conscripserit, demum autem impegerit in hæresim Valentini. Eundemq; secutus Augustinus *i*, ait Bardesanẽ prius in doctrina Christi insignem extitisse, sed postea, quamuis non per omnia,

h *Epiph. hær. 56.* DE BARDESANE SYRO.
i *Aug. de hær. cap. 35.*

IESV CHRISTI ANN. 175.

SOTERIS ANN. I.

M. AVREL. IMP. ANN. 13.

I.

ANNO CHRISTI centesimo septuagesimo quinto, Aurelio Seuero secundum & Claudio Pompeiano Coss. die decima septima Aprilis *n*, *Anicetus* Papa martyrio clarus migrauit ad Dominum, cum sedisset annis octo, mensibus tribus ac diebus septem: licet alij decem, vndecim alij eidem tribuerint annos; & quã in multis sequimur, Crescioniana series octo annos & menses tres. Cæterũ si ratio habeatur dierũ, quibus Pius eius antecessor, ipseq; Anicetus decessisse reperiuntur, qui Tabulis Ecclesiasticis antiquitus ascripti habentur; præscriptũ tempus sedis Ani-

n *Martyrol. Rom. ea die.* ANICETI PP. MARTYRIÛ.

in Valentini hæresim lapsum esse. At Eusebius *a* eum primo in schola Valentini educatum tradit; eius tamen hæreses postmodum coarguisse, adeo vt videretur ad meliorē sententiam se transtulisse, sed demum in veterum errorum sordes recidisse. Porro Bardesanem virum fuisse omni doctrinæ genere cumulatissimum, omnes affirmant: & in Mesopotamia multa Syriacè scripsisse contra Marcionitas, aliarumq; hæresum sectatores, idem Eusebius testatur. De quō & illud memorabile Epiphanius refert, quod cum eius fama celebris Romæ innotuisset, & Apollonius Chalcedonius inter Stoicos illius sæculi Philosophos facile princeps (adeo vt ipse M. Aurelius factus etiam Imperator, cum discendi causa domi conuenire solerer, vt Capitolinus testatur) aliquando conatus esset illum ad Gentilissimum perducere, nō solum constanter renuerit Bardesanes, sed & pro Christiana religione egregiā defensionē instituerit: quod etiam eius opus laudat Hieronymus *b*. Docuisse etiam ipsum cum sui cōpos esset Edessæ, eoq; familiarissimè vsum Augarum Edessenorum Principem virum sanctissimum, imo & eius auditorem fuisse, idem Epiphanius scribit. Mētio aūt est eiusdem Abgari apud Capitolinum *c*. Omnesq; eius prouinciæ Reges nominatos fuisse *Augaros*, siue *Abgaros*, vt olim Ægyptiorum *Ptolomæos*, narrationes historicorum *d* demonstrant.

Sed Bardesanem, præter quod Valentini dogmata amplexus esset, negasse insuper resurrectionem mortuorum, Epiphanius tradit: feruntur q; multa alia de ipsius erroribus, sed ex iis multos adscribendos esse ipsius sectatoribus qui postea fuerunt; & ab eo *Bardesanistæ* sunt dicti, potius quā ei, putarim. Certè quod apud Augustinum eidem imputatur, Fato adscripsisse conuersationes hominum, falsum esse omnino constat. Nihil n. validius à Bardesane impugnatum esse arq; Fatum, cum omnes affirmant, tum ipsius de Fato dialogus ad M. Antoninum Imp. scriptus, in iis quæ ex eo ab Eusebio erecitantur, aperte declarat: quod eius opus omnium ore laudatum, Hieronymus etiā egregiè prædicat. Deniq; illa verba, additamentum potius ad Augustinum, quam ipsius Augustini esse, conuincitur, quod ea in plerisq; antiquis exemplaribus desint. Porro Bardesani fuisse filium *Harmonium* nómine, Athenis Græcis literis excultum, multaq; scripsisse, tradit Theodoretus *f*, additque, vtriusq; errores S. Ephræm Ecclesiæ Edessenæ diaconum egregiè confutasse.

At quoniam de primario discipulo Valentini, Bardesane, opportuna semel est suscepta narratio, argumēti ratio postulat vt reliquos eiusdem discipulos hic breuiter recenseamus. Ponitur primo loco PTOLEMÆVS, quē Irenæus *g* nominat *Floscul. Valentini*. Hunc Tertullianus *h* ait nomina & numeros Æonum distinxisse in personales substātias, sed extra Deum determinatas, quas Valentinus in ipsa summa diuinitatis, vt sensus & affectus motus includerat. Abbibi tamen huic adiungens SECVNDVM, ait ambos cum Valentino per omnia consensisse, nisi quod triginta Valentini Æonibus isti alios cōplures addidissent. Sed & secundum Epiphanium *k* Ptolemæus duas Deo tribuebat vxores, Intelligentiam & Voluntatem, ex quibus alios generaret deos. Pariterq; Irenæus *l* de Secundo differens, plura ostendit, in quibus ipse à Valentino discreparet in Æonibus. Addit vero Epiphanius *m*, eundem Secundum tandem se coniunxisse Epiphanis Carpocratis filio, etiamsi (vt ait) aliqua parte intet se differrēt. Post hos prodiisse HERACLEŌNEM, testatur Tertul. *n*, quem ait cum Valentino paria sensisse, sed nouitate quadam pronunciationis voluisse videri alia sentire: introduxit enim (inquit) imprimis illud fuisse, quod pronunciat: & deinde ex illa monade, duo ac deinde reliquos Æonas. Memnit eiusdem tanquam socij Ptolemæi Irenæus *o*; sed pluribus Epiphanius *p* eius ac sectatorū fabulas & cōmenta recensens, ait inter alia eos consuesse, inuocatis super morientes quorundam principatuum nominibus, vngere defunctos oleo & aqua, interdum balsamo, vt (quod somniabant) incomprehensibiles fierent: & inuisibiles supernis principatibus, ac sic ab eorum potestate redimerentur.

Sed nemo ex omnibus Valentini discipulis nequior MARCO, nec qui maiorē cladem intulerit Ecclesiæ: quippe qui addens hæresi magiam, inter alia profana quæ in sacris mysteriis operari soleret, calicē Eucharisticum purpureum & rubicundum apparere faciebat, vt putaretur ea gratia ab iis quæ sunt super omnia, suum sanguinem stillare in illius calicem per inuocationem eius: aliaque eiusmodi permulta faciebat, quæ miracula esse viderentur; quibus homines in sui admirationem excitans, eosdem (quotquot dignos putabat fieri participes gratiæ suæ) cæteris præstigijs & inuocationibus, quasi prophetarent, multa deliria proferre cogebat; cum ipse dæmonem quendam parhedrum haberet, per quem prophetare videretur: hisq; artibus circumiens Christianum orbem, seduxit quamplurimos; maximè circa mulieres quæ pulchriores ac ditiores essent vacans, quas eiusmodi curiositatibus seductas & bonis & honore spoliauit. Cuius etiam discipuli eadem turpia perpetrantes, se tamen *Perfectos* vocabant, quasi nemo posset exæquari agnitioni eorum, necipsi etiā Apostoli: solos n. se magnitudinem agnitionis inenarrabilis virtutis ebibisse, sicq; super omnem esse virtutem, ac ideo libere omnia agere posse quæcunq; vellent. Hæc & alia pluribus Irenæus *a* aduersus Marcum: ex quibus videas, grauiorem Dei Ecclesiam passam esse iacturam ab eiusmodi impostoribus, quam à persecutoribus ipsis; cum præsertim ad sectā aliā essent illecebræ, quod Valentinianī omnes (vt scribit Tertullianus *b*) non esse confitendum Christum in persecutione, nec subeundum martyrium prædicarēt. Cæterum huius Marci magi meminerunt etiam Eusebius *c*, Hieronymus *d*, Epiphanius *e*, & alij qui de Hæresibus scripserunt.

Cui æquè Irenæus *f* & Tertullianus *g* COLARBASIVM quendam coniungunt; (qui apud Philastrium BASSVS dictus reperitur;) licet Augustinus *h*, Theodoretus *i*, & Damascenus eos separēt: sed Epiphanius *k* nodum dissoluere videtur, dum ait Colarbasium primo de hæreū Valentini fensisse cū Marco, sed postea ab eo diuisum deteriora, quæ refert, coagmentasse delira. Ambos autem tradit Tertullianus, nouam hæresim ex Græcorum alphabeto composuisse, quod negarent veritatem sine illis literis posse inueniri, sed totam plenitudinem & perfectionem veritatis in iis esse dispositam, ob idq; Christum A & Ω esse pronunciatum in diuina Scriptura. Porro Marci sectatores, Theodoretus *Marcosios*, Augustinus & alij *Marcitas* vocant.

His idem Theodoretus adiungit *Ascodrytas*, & *Archontico's*, qui pemtus abiicerent diuina Sacramenta; dicentes nō oportere esse diuina mysteria, quæ sunt intuisibilium signa, nec incorporalia per visibilia arq; corporalia communicāda. Dicebant insuper, repositam esse redemptionem perfectam in cognitione, vocabantq; redemptionem vniuersorum cognitionem: quamobrem baptismum etiam prorsus abiiciebant. Archonticos item addidisse tradunt confictos quosdam libellos, quos appellarent *Reuelationes Prophetarū*, alium autem nominarent *Symphoniam*: atque etiam vngere consueuisse mortuos oleo & aqua, vt de Heracleonitis vidimus: insuper & Dominum Sabaoth blasphemare, quod dicerent ipsum in septimo cœlo exercere tyrannidem, ab eodemque genitum esse diabolum, ex quo per Euam Cain & Abel sint prognati. Negasse hos quoque resurrectionem mortuorum, Epiphanius *l* tradit nouosque Prophetas finxisse *Martiadem* & *Marcianum*, eosque raptos in cœlum, ac post triduum descendisse. Porro hos cæteris ad allos fallendos constat fuisse astutiores, quod solitariè agentes renunciationem omnium præseferent: eosque ad sua tempora in Palæstina coaluisse, idem Epiphanius testatur. Addit vero his omnibus Valentini discipulis, Tertullianus *m* THEOTIMVM; qui multum (inquit) circa imagines legis operatus est. Meminitq; alibi *n* ALEXANDRI cuiusdā, ex eiusdem Valentini secta descendentis, qui Christi carnem sui ortu dicebat infectam fuisse peccato.

Non placet autem inter eosdem Valentini discipulos ab aliis recenseri PRODICVM, quod Tertullianus *o* æquè adnumeret Valentinos & Prodicos plures deos introducentes: nam ante Valentinum vixisse Prodicum Adamitarum hæresis auctorem, superius dictum est. Iure igitur idem Tertullianus *p*, agens aduersus Gnosticos martyrium negantes, primo loco Prodicum recensuit, ac subinde Valentinum. Qui autem scripserint aduersus Valentinianos, iam

a *Euſ. l. cap. vlt.*

OLIM CONFESSORI.

b *Hieron. de Script. Eccleſ. in Bardeſ.*

c *Capitol. in Anton. Pio.*

d *Dio, Herodian. & alij.*

VI. POSTEA HAERESIARCHA.

e *Euſ. 6. de præpar. 8.*

HARMONIVS FILIVS BARDEI.

f *Theod. haer. fab. lib. 1.*

VII. VALENTINI DISCIPVLI.

g *Iren. lib. 1. in præf.*

h *Tert. aduerſ. Valent. c. 4.*

i *Id. de præſcr. cap. 49.*

k *Epiph. haer. 33.*

l *Iren. lib. 1. cap. 5.*

m *Epiph. haer. 32.*

n *Tertul. de præſc. c. 49.*

o *Iren. lib. 1. cap. 4.*

p *Epiph. haer. 36.*

VIII. MARCVS IN SCRANDVS IMPOSTOR.

a *Iren. lib. 1. c. 8. & 9.*

b *Tertul. in Scorp. ea vlt.*

c *Euſ. 4. hiſt. 10.*

d *Hier. in epitaph. Lucin. Bat.*

e *Epiph. haer. 30.*

IX.

f *Iren. lib. 1. cap. 10.*

g *Tertul. de præſcr. c. 50.*

h *Aug. de haer. c. 14. 15.*

i *Theod. haer. fab. lib. 1.*

k *Epiph. haer. 35.*

X. SACRAMENTARII HAERETICI.

l *Epiph. haer. 40.*

m *Tertul. aduerſ. Valent.*

n *lib. de car. Chr. cap. 15. & ſeqq.*

XI.

o *Id. aduerſ. Prax. c. 5. in fi.* PRODICVS HAERESIARCHA QVANDO VIXERIT.

p *Id. in Scorp. cap. vlt.*

dictum est in Valentino. Inter quos Irenæus *, non tantum commentarios eorum se legisse, verum etiam congressus cum illis habuisse testatur.

* Iren. præf. lib. 1.

IESV CHRISTI ANN. 176.

SOTERIS ANN. 2.

M. AVREL. IMP. ANN. 14.

ANNO CHRISTI centesimo septuagesimo sexto, Gallo & Flacco Coss. Romanus exercitus in expeditione Germanica aduersus Marcomannos, Quados, Sarmatas, aliasq; complures finitimas nationes, iam quadriennio perdifficili bello detentus, precibus militum Christianorum, non solum ab infestis casibus quibus vrgebatur ereptus est, sed victoria diuinitus parta potitus. Quæ quidem hoc ipso anno gesta esse, ex eo euidēter apparet, quod in litens M. Aurelij Imper. tunc ad Senatum ea de re datis (de quibus inferius) inscripta habeatur eius Tribunitia Potestas vigesima octaua; quarum primam cœptam esse post annum sequentem à secundo eiusdem Consulatu, (hoc est anno Domini centesimo quadragesimo nono) non solum ex Capitolino & nummis colligitur, sed & certius demonstratur, quod eo anno quo tertium Consulatum gessit, & Imperium cœpit post Pium, in nummis & aliis inscriptionibus Tribunitia eius Potestas numeratur decima quinta: qua per singulos annos ex more aucta, hoc ipso decimoquarto eius Imperij vigesima octaua iure connumeratur. Porro tantam Christianorum gloriam iniquo animo ferentes scriptores Ethnici, quod contigit prægrande miraculum, aut arti quorundam magorum Gentilium tribuerunt, vt Dio *a*, Claudianus *b*, & alij *c*, aut ipsius Marci Imperatoris precibus ac meritis, vt Capitolinus *d*, & alij. At Christiani scriptores omnes, tum qui his ipsis temporibus, vt Tertullianus *e*, & Apollinaris *f* Episcopus Hierapolitanus, tum qui postea vixerunt, vt auctor *g* Actorum Sanct. Polyeucti martyris qui sub Decio passus est, itemque Eusebius *h*, Gregorius *i* Nyssenus, & alij recentiores, id factum fuisse Christianorum precibus, apertè testati sunt, etiam cum agerent scriptis suis aduersus Gentes; vt nulla prorsus de falsitate suspicio esse possit.

I. TEMPVS VICTORIÆ MARCOMAN. PRECIBVS CHRIST. OBTENTÆ.

a Dio in M. Aurel.
b Claud. in 6. Honor. Cons. lib. 1.
c Ap. Suid. verb. Iulian 2.
d Capitol. in Marc.
e Tert. Apol. cap. 5. & ad Scap. cap. 4.
f Euseb. lib. 5. hist. 5.
g In p. Metaph. 9. Ianuar.
h Euseb. & in Chron.
i Greg. Nyss. orat. 2. in 40. mart.

Cum vero de re gesta tam Gentiles, quam Christiani Scriptores æquè consentiant; quorumnam fides præstet, iudicium omnium recte sentientium libenter appellarem, si in re dubia & non omnino certa quæstio versaretur; quā videlicet ipsius Marci Imperatoris literæ post rem gestam (vt tradit Dio) ad Senatum scriptæ definiunt, dum disertis verbis asserunt, id Christianos milites qui in exercitu erāt, à Deo suo humilibus precibus impetrasse. Porro harum literarum auctoritate vsi sunt Tertullianus & Eusebius, in probationem suæ de eadem re gestæ narrationis: earumque exemplaria suo tempore complura extitisse, tradit Orosius *k*; quæ & hactenus descriptæ repetiuntur ad calcem Iustini Apologiæ ad Antoninum Pium. Res autem sic se habuit, vt cum Romani ab ingenti hostium multitudine aliquando ita concluſi apud Carnuntum oppidum fuissent in locis difficilibus, vt nulla exeundi nec vi nec arte facultas daretur, atque insuper tum aliis incommodis, tum maximè siti vexarentur, & Marcus Imperator deos suos precatus, ab illis non exaudiretur: tunc milites Christiani, qui magno numero in exercitu erant, (quos ex Melitina ciuitate Armeniæ fuisse volunt) flexis genibus ad Deum se conuerterint; qui mox illos exaudiens, non solū aquam Romanis qua reficerentur immiserit, sed & eodem momento hostes vehementi grandine, igne, & fulminibus consumpserit. Recitantur hæc pluribus in prædictis Marci Imper. literis, & ab auctoribus citatis; quibus Xiphilinum iungas, arguentem voluntarij mendacij Dionem, quod id magicis artibus tribuerit cuiusdam Arnuphis Ægyptij. In

II.

k Oros. lib. 7. cap. 15. RES GESTÆ SERIAS. (Cæterū hās literas quæ nunc extant, sunt qui cōtendant non esse illas ipsas quæ scriptæ sunt à Marco, sed longe postea conflictas a quodā rerū Rom. imperitis. Hæc ipsi præsumptio. quid vero de eo sit

tanti vero beneficij remunerationem, iisdem suis literis Imperator generali edicto sanxit, neminem quod Christianus esset in iudicium vocari, eorumque vt talium, accusatores viuos exuri. Cuiusmodi edictum etiam temporibus Commodi Marci filij viguisse Romæ, Eusebius *a* exemplo demonstrat.

Sed quod spectat ad nomen Legionis in qua iidem Christiani militarent; cum omnes ferme prædicti auctores consentiant, eam ex admiranda illa fulminum immissione, dictam esse posthac Κεραυνοβόλον, hoc est, *Fulmineam* siue *Fulminatricem*; non sic quidem accipiendum est, vt tunc primum eo nomine legio Romana insignita fuerit; cum ex Dione *b* & antiquis monumentis *c* constet, iam ante hæc tempora, atque etiam sub Augusto, Duodecimam nominatam legionem dictam esse Fulminatricem. Verum nihil impedit, quo minus & illa alia ob tam illustre miraculum eundem nobilem gloriæ titulum meruerit: sicut in aliis plerisque Legionibus obtinuit, vt duæ, tresve, aut etiam plures iisdem nominibus insignirentur. Extat porro hactenus Romæ tam egregij miraculi præclarum monumentum, in nobilissima Antonini columna cochlide insigniter sculptum, vna cum aliis Marci in Bello Marcomannico facinoribus fortiter gestis. Inter quæ visitur *d* figura Iouis, imbres vndique fundentis, & fulgura admiscentis, qualem dicere solerent *Pluuium*: ex diuersis enim effectibus, diuersis quoque nominibus Iouem appellari consueuisse, puta *Nubicogum*, *Grandistrepum*, *Pluuium*, *Fulminatorem*, &c. Phornutus declarat in libro de Natura Deorum: suntque Tibulli *e* versus de Ioue Pluuio Ægyptiis tantum ignoto; quem etiam ab Indis coli solitum, auctor est Strabo *f*. Eum Tertullianus *g* eadem ex causa *Aquilicem* nominat; qui apud Virgilium *h* *Æther* appellatur; & ab aliis etiam *Pluuia*, vt Arnobius *i* scribit. A Græcis itidem ab imbre ὑσβέας & ζεὺς dictus, atque ὕειος, aliisque nominibus *k* eandem rem significantibus. Quamuis autem Marcus Imper. publicis suis literis, tantam diuinitus impartitam gratiam, Christianorum precibus acceptam tulerit; tamen vel quod numen Christianorum illi esset incognitum, vel quodore omnium Gentilium diffamaretur eam à Ioue fuisse concessam; (cui & reliquæ res omnes prosperæ, etiam si Christianorum precibus impetrarentur *l*, tribui solerent) idcirco Iouis imago pluuiam dantis in columna fuit expressa. Cæterum eandem columnam, vt Christianæ fidei (vtcunque expressum sit) præclarissimum monumentum, barbarico olim furore deorsum incensam, ac desuper fulmine tactam, iam deformatam & collabentem, Sixtus Quintus Pontifex Maximus summo studio in pristinum splendorem restituendam curauit, collocata super eius verticem ærea inaurata Pauli Doctoris Gentium sacra effigie; vt vbi olim à Marco statutum Pio parenti fuerat simulacrum, ibidem illius qui ad veram pietatem Vrbem excoluit, & Gentiles CHRISTO subegit, signum nobilissimum cerneretur.

III. LEGIO FVLMINATRIX.

a Euseb. 5. hist. 20.
b Dio. lib. 55.
c Ap. Lips. in Inscript. ant. ed. 1. Plant. fol. 86. inscr. 1. fol. 194. inscr. 9.
MONVMENTVM ANTIQVVM EIVS REI.
d Habet etiam Bar. Annal. Tom. II. hoc an.
e Tibul. 1. eleg. 7.
f Strab. lib. 15.
g Tert. 3. cont. Marcion. 5.
h Virg. Georg. lib. 2.
i Arnob. lib. 5.
k Vid. Lyl. Giral. hist. deor. Syntag. 2.
l Vid. Tert. Apol. c. 40.

IESV CHRISTI ANN. 177. 178.

SOTERIS ANN. 3. 4.

M. AVREL. IMP. 15.

ANNO CHRISTI centesimo septuagesimo septimo, Pisone & Iuliano Coss. nimirum *m* post victoriam à Marco Imp. de Marcomannis adeptam, AVIDIVS CASSIVS, (quo olim duce Lucius Verus Parthos vicerat) falso nuntio Marci morte accepta, inuadens in Oriente Imperū, cui à multo tempore inhiabat, post tres menses à Centurione vulneratus, à Decurione necatus est: de cuius in milites crudelitate, potius quam seueritate, deq; Marci Imperatoris clementia in eos qui cum illo conspirauerant, plura Vulcatius *n* Gallicanus.

I. m Dio. & Capitol. in Marc. CASSII DESECTIO ET INTERITVS

n Vulcat. in Cassio.

Anno

II. FAVSTINA AVG INTER DIVOS RELATA.

Anno vero Christi centesimo septuagesimo octauo, Pollione & Apro secundum Coss. idem Marcus Imp. vt nutantem rebellione Cassij Orientem stabiliret, eo profectionem instituit vna cum filiis & Faustina coniuge, quam in æstiuis secũ habere consueuerat, vt *Matrem castrorum* appellaret. Eidem vero in radicibus montis Tauri subito morbo exanimatæ, petiit à Senatu honores ædemque decerni; ac *Diuam* appellatam gratulatus est; nouasque puellas Faustinianas in eius honorem instituit: cum tamen illa impudicitiæ fama grauiter laborasset, quod ipse vel nescisset, vel dissimulauit. Orientalibus vero rebus ordinatis, Athenas petiit, & inter alia Cereris templum adiit vt se innocentem probaret, & sacrarium solus ingressus est. Inde in Italiam rediens, quinto Calendas Decembris his iisdem *a* Coss. Romam ingressus est, triumphans cum filio *Commodo*, quem & Imperatorem appellauit, & sibi collegam in Tribunitia Potestate iunxit, & Consulem designauit, impetrata venia legis Annariæ (inquit Lampridius) cum nondum ad id esset legitimæ ætatis. Sed de Marci peregrinatione, acrebus in ea gestis, plura Capitolinus. Ad quam etiam spectat, quod de eodem Imperatore Ammianus *b* scribit; nempe cum Palæstinam transiret Ægyptum petens, *Fœtentium* (vt vocat) Iudæorum & tumultuantium sæpe tædio percitum, dolenter exclamasse: *O Marcomanni! ô Quadi! ô Sarmatæ! tandem alios vobis deteriores inuenì.*

a *Lamprid. in Commod.* COMMODVS IMP.

b *Ammian. lib. 22.* QVID DE IVDÆIS MARCVS IMP.

III. VATICINIA PROHIBITA.

Quod denique ad prædictam Cassianam tyrannidem attinet; cum eam quidam fuisset vaticinatus, & alia prædixisset quibus animi perturbarentur, idem Marcus in insulam relegauit; vt auctor est Vlpianus *c* Iurisconsultus; qui & addit, *non debere impune ferri huiusmodi homines, qui sub obtentu & monitu deorum, quædam vel renunciant, vel tractant, vel scientes effingunt.* Quibus sane Christianos prophetantes voluisse cohibere, mihi facile persuadeo: nam quæ è suis ipsorum templis vaticinia ederentur, qualiacunque essent, Gentiles magni facere consueuisse, auctorum omnium attestatione exploratum habetur. Christianos quoque à Modestino *d* notatos opinor, dum eiusdem Marci legem recitans, ait illos ab eo in insulam relegari iussos esse, *qui aliquid facerent, quo leues hominum animi superstitione numinis terrerentur*: nempe intelligens Christianos, qui signis & prodigiis, ac malorum futurorum prædictionibus, Gentilium animos perterrerent. Quam enim indigno animo ea Gentiles ferrent, locuples testis est Luciani Philopater: fuitque eadem querela Celsi Epicurei, quam Origenes *e* diluit.

c *Vlp. lib. 7. de off. Procõs. ex fragm. Pithœi.*

d *L. si quis alig. D. de pœn.*

e *Orig. lib. 3. cont. Cels.*

IESV CHRISTI ANN. 179.

ELEVTHERI ANN. I.

M. AVREL. IMP. 17.

I. GENTIL. SEDITIONES IN CHRIST.

ANNO CHRISTI centesimo septuagesimo nono, Commodo Aug. & Quintillo Coss. anno decimoseptimo Marci Imper. (vt ait Eusebius *f*) grauis & acerba in nõnullis terræ partibus persecutionis procella, extemerario populi impetu per singulas vrbes excitata, cõtra Christianos ingrauescere cœpit. Eademq; de tempore habent Acta *g* SS. *Epipodij & Alexandri* martyrum, qui eadem persecutione Lugduni sunt passi. Ar quoniam edicto Marci vetitum erat, nequis ob id tantum quod esset Christianus accusaretur, Gentiles illam consuetam ab eis exerceri fraudem denuo prætexentes, tum aliorum criminum, tum maximè impietatis in deos, esus humanorum carnium, & incestorum concubitũ, apud Præsides prouinciarum Christianos accusare iterum aggressi sunt.

f *Euseb. 5. hist. 1.*

g *Ext. ap. Sur. 22. & 24. April.*

II. EPIST. ECCLES. LVGDVN. ET VIEN. DE PERSECVT.

Quam porro crudelis & aspera hæc fuerit Persecutio, abunde colligi potest ex Literis Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis in Gallia, ad Ecclesias Asiæ & Phrygiæ conscriptis, quarum bonam partem Eusebius *h* in Historia recitat, cum & integras se libro quem de Martyribus conscripsit (qui diu quæsitus nusquam apparet) inseruisse testetur. Namque, vt idem auctor ait, si ex martyriis quæ in locis tunc confecta sunt, coniectura plane de aliis licet augurari; infiniti prope Christiani in reliquis Orbis terrarum regionibus, generosa cæde pro Christo tolerata nobilitati sunt. Cæterum agunt etiam de martyribus vtriusque sexus, tunc apud easdem Galliæ ciuitates variis supplicijs ac cruciatibus necatis, (inter quos ab omnibus recensetur imprimis *Photinus* Ecclesiæ Lugdunensis Episcopus, iam plusquam nonagenarius) tum Gregorius *a* Turonensis, tum Ado *b* eiusdem Ecclesiæ Viennensis Episcopus, qui eosdem *Martyres*, à loco in quo passi sunt Athanaco dicto, appellatos esse *Martyres Athanacenses* ait; additque historiam inuentionis cinerum ipsorum, (siquidem corpora canibus exposita, canumque reliquias igni consumptas, cineres autem in Rhodanum proiectos esse, præter hos auctores Gallos, etiam Eusebius, & ex eo Augustinus *c* tradunt) & anniuersariam ea de causa celebritatẽ antiquitus peragi solitam. Passi tunc quoque sunt in eadem Gallia apud Lingonas vna cum aliis quibusdam, *Tergemini Fratres*, quorum etiam extant *d* germana martyrij Acta: apud Cabilonem *e Marcellus & Valerianus*; & aliis locis permulti alij, quorum nonnullorum nomina descripta habentur in Tabulis Ecclesiasticis, plurimorum vero memoria periit. Quod autem Seuerus *f* de hac Persecutione, quam QVINTAM nominat breuiter agens, tunc primum in Gallijs ait visos fuisse martyres; manifestissimi erroris facile potest argui testimonio plurium, qui de multis longè ante diuersis Galliarum locis martyrium cõsecutis meminerunt, de quibus etiam facta est mentio suis locis superius.

a *Greg. Tur. de glor. mart. c. 49.*

b *Ado in Martyrol. 1. Iunij.* MARTYRES ATHANACENSES.

c *Aug. de cur. pro mort. c. 6.*

d *Ap. Sur. 17. Ianuar.*

e *Ado 4. & 15. Sept.*

f *Seuer. hist. lib. 2.* SEVERI ERROR DE MARTYRIBVS GALLIÆ.

At non modo Galliæ, huius popularis reuiniscentis persecutionis furore exagitatæ fuerunt; sed & Orientis quoque Ecclesias à Gentilibus vbique immaniter esse vexatas, ipsis Imperatoribus non quidem persecutionem edicentibus, sed tamen non prohibentibus; Legatio ab *Athenagora* Athenensi Christiano Philosopho tunc ad eosdem Imperatores suscepta, ac disertissima Apologia pro iisdem Christianis, falsis vbique criminibus accusatis, ab eodem conscripta, certam fidem faciunt: cuius etiam extat *De mortuorum resurrectione*, quæ ab iisdem Gentilibus detidebatur, egregius commentarius. Quod vero ea Apologia inscripta habeatur Imperatoribus M. Aurelio Antonino & Aurelio Commodo Armeniacis & Philosophis; eundemque præseferat titulum quæ à sancto Hieronymo *g* tribuitur Iustino Martyri secunda Apologia, siue liber, datus (vt ait) Marco Antonino Vero & Lucio Vero Commodo: inde vehemens permouit multos suspicio, vt credant istam Athenagoræ tributam, esse illam Iustini, eo quod ad Marcum & Lucium data nulla alia reperiri videretur. Verum hæc dubitatio facile dissoluitur ex iis quæ superius dicta sunt de posteriori illa Iustini Apologia. Istam autem Athenagoræ scriptam esse hoc anno, plane significatur ex eo quod ipso pene eius exordio ait, tunc vniuersum terrarum orbem in altissima pace fuisse. Nam vsque ad annum superiorem, quo Marcus sibi filium Commodum collegam adsciuit, Imperium sub eo, cõtinuo vidimus vexatum motu, aut Parthico, aut Marcomannico, aut Cassiano; ab hoc autem anno eundem Marcum vsque ad obitum fuisse in armis inuenies. Siquidem hoc ipso anno, qui est tertius *h* ante eius obitum, procedendum fuit aduersus eosdem Marcomannos, qui iusto Dei iudicio, quod victoria precibus Christianorum parta Gentiles abusi essent, bellum iterum acerrimum vna cum aliis finitimis populis aduersus Romanum Imperium excitarunt. An autem Marcus postulatis Athenagoræ, vt persecutionem prohiberet, annuerit, haud liquet: imo secus, cum ad eius obitum illam perseueraſſe, qui his ipsis diebus vixit Theophilus Antiochenus significet.

g *Hieron. de Script. Eccles. in Iustin.*

h *Capitol. in Marco.*

IV. SOTERIS PP. MARTYRIŨ.

Sed & hac ipsa persecutione sublatum fuisse *Soterem* Papam, literæ Martyrum Lugdunensium hoc eodem tempore ad Eleutherum eius successorem scriptæ, necessario affirmare compellunt; licet alij annos octo vel nouem eidem tribuerint. Eusebius quidem in Chronico, anno superiori, nempe decimosexto Marci Imperatoris, ponit subro-

garionem Eleutheri; sed in Historia *a* hoc anno decimo-septimo; cui, quoniam credimus id accepisse ex iisdem literis Martyrum Lugdunensium, haud inuiti adstipulamur cū alioqui in præteritis Romanis Pontificibus, quod prætermiserit Cletum, minimè potuerimus eidem assentiri. Dicendus igitur Soter sedisse annos quatuor, minus diebus duodecim, cum defunctus reperiatur *b* die vigesima secunda Aprilis. Cuius feruntur à diuersis canonum collectoribus nonnulla decreta, quæ in vnum simul congesta *c* habentur. Quod vero in Libro de Rom. Pontificibus extat, *Ne vlla diaconissa* (licet *monacha* in quibusdā editionibus legatur) *pallam sacram contingat, nec incensum ponat in sancta Ecclesia*: id ea de causa tunc potuit cōstitui, quod ex Mōtani secta feminæ (vt vidimus) sese sacris ministeriis immiscerent. Sepultus est autem Soter in eo quod superius dixi-mus cœmeterio Callisti via Appia: ac postquam Sedes vacasset dies vndecim, suffectus est in locum eius ELEVTHERVS natione Græcus, patria Nicopolitanus, ex patre Abundio.

a *Euseb. 5. hist. 1. ex vers. Russ.*

b *Lib. de Rom. Pont. Martyrol. Rom.*

c *Tom. 1. Cōcil. in Soter.*

ELEVTHERI ELECTIO.

V.

Scripserunt mox ad eum (vt dictum est) Martyres Lugdunenses qui adhuc tenebantur in vinculis, per *S. Irenæum* eiusdem Ecclesiæ id temporis presbyterum, petentes vt pax & concordia in Ecclesiis constitueretur. Hæc quidem Eusebius *d*: cui consentiens Hieronymus *e*, ait eundem Irenæum ab illis missum fuisse legatum ad Eleutherum ob quasdam Ecclesiæ quæstiones. Quas quidem puto fuisse (sicut & Eusebius significare videtur) de prophetia Montani, qua nulla grauior his temporibus videretur esse in Ecclesia quæstio; de qua & ipsi martyres priuatum, vt ait Eusebius, iudicium tulerant, occasione *Alcibiadis* vnius ex iisdem martyribus, qui cum ad illud vsque tempus vitam austere solo pane & aqua contentus duxisset, iamque vellet eodem modo in carcere viuere, coactus est ab aliis mutare propositum, & deinceps quibuslibet cibis vti, ne videretur Montanistarum superstitiosas xerophagias obseruare. De his igitur consultus Eleutherus, rescripsit ad Episcopos Galliarum, admonens ne quis escam aliquando repudiaret vt malam, quæ à Deo creata esset; quod affinis ea esset hæresis dogmati Marcionis, à malo principio hæc omnia creata esse dictantis. Vnde autem acceperit *f*, qui Irenæum in Asiam mandatum, in itinere Eleutherum inuisisse occasione literarum à Martyribus ad eum scriptarum tradit, non inuenimus: nam licet vnus idemque fuerit literarum fasciculus, legatio tamen (vt ait Hieronymus) ad Eleutherum missa est ob Ecclesiæ quæstiones: an autem & ad Asianos literas ipse tulerit, nulla penes Eusebium (quem non putamus id taciturum fuisse) mentio est, sed neque apud Sanct. Hieronymum, vel alium antiquorum quempiam. De cæteris autem rebus ab Irenæo Romæ gestis, plura anno sequenti.

d *Euseb. 5. hist. 3. & 4.*

e *Hieron. de Script. Eccles. in Iren.*

IRENÆI LEGATIO AD ROM PONT.

f *Feuard. in vit. S. Iren.*

IESV CHRISTI ANN. 180.

ELEVTHERI ANN. 2.

M. AVREL. IMP. ANN. 18.

I.

IRENÆVS CREATVR EPISCOPVS LVGDEN.

ANNO CHRISTI centesimo octogesimo, Rufo & Orphito Coss. cum S. Photinus Episcopus Lugdunēsis in Gallia anno superiori, vt vidimus, in communi illa Ecclesiæ suæ clade, vt bonus pastor animam suam pro ouibus ponens, glorioso martyrio ex hac vita migrasset; in locum eius suffectus est *g* IRENÆVS, post reditum à legatione ad Eleutherum Papam susceptā. Auditor hic fuerat Polycarpi, vt ex ipsius scriptis Eusebius *h* recitat: ab eoque fuisse ex Asia amandatum in Gallias, tradit Gregorius *i* Turonensis. Quin & Papiæ, Ioannis item discipuli, fuisse auditorem, S. Hieronymus *k* testatur: ideoque, quod discipulorum Apostolorum auditor fuerit, eundem appellat *virum Apostolicorum temporum*; & Epiphanius *l Apostolorum successorem, priscumq; Theologum*: Tertullianus *a* autem, ob multiplicem ipsius doctrinam, *omnium doctrinarum curiosissimum explorato rem*: qui & insuper ab omnibus aliis Patribus egregiè commendatur.

g *Euseb. 5. hist. 6. Hier. ep. 84. ad Magn. & de Script. Eccl. in Iren.*

h *Euseb. 5. hist. 19.*

i *Greg. Tur. 1. hist. 29.*

k *Hier. ep. 29. ad Theodor.*

l *Epiph. hær. 24. 31.*

a *Tertul. aduerf. Valent. c. 5.*

Hic igitur cum Romæ vidisset curiosum senem Valentinum hæresiarcham, hactenus in Vrbe perseuerantem; & inter alios eius fœtus, *Florinum & Blastum* olim Romanæ Ecclesiæ presbyteros, sed ob impietatē ab Eleuthero Pontifice gradu depositos (vt docent Eusebius *b* & Theodoretus *c*) ad eandem impietatem alios plerosque pellicere: inde occasione accepta idem Irenæus postquam in Gallias rediit, aduersus eos omnes stylum suum exerens, tum ad Blastum & Florinum Epistolas *d* scripsit, quibus eorum errores redarguit, tum aduersus omnes Valentinianos eruditissimum ac plane celebertimum (quod solum ex multis præ manibus habetur) opus elucubrauit. Quo dum eosdem, & alios simul hæreticos prouocans ad Apostolicas Traditiones, in Romana Ecclesia illibate custoditas per successores Pontifices, numerat eos *e* à Petro vsque ad Eleutherum, plane significat se sub eodem Pontifice illud scripsisse. Græcè vero id fecisse, omnes consentiunt.

II.

EIVS SCRIPTA ADVERSVS HÆRETICOS.

b *Euf. 5. hist. 14.*

c *Theodor. hær. fab. lib. 1.*

d *Euf. 5. hist. 19.*

Cæterum FLORINVM olim vna cum Irenæo auditorem fuisse Polycarpi, testatur ipse Irenæus in prædicta Epistola *f* ad illum scripta, dum ad memoriam reuocans disciplinam quā à pueris amboimbuti fuissent à Polycarpo, conatus est eum in pristinum sensum reuocare. Quod si qui dicti sunt à Philastrio *g Floriani*, à Florino velimus esse denominatos; impurissimo Carpocrati adhæsisse oportuit, quādo quidem qui Floriani, iidem Crapocratiani etiam dicerentur. Verum nihil tale Augustinus *h* de Florini sectatoribus, quos idem *Florianos* vocat. Theodoretus *i* autem tam ipsi quam BLASTO, nōnisi Valentini sectam impingit. At cum Eusebius *k* eos separatim nouam hæresim excogitasse tradat, aliquid amplius Valentini hæresi oportuit addidisse. Fuit autem illud, quod Florinus (vt iidem Eusebius & Augustinus docent) Deum causam malorum dixit; Blastus vero (quod Tertul. *l* & Eusebius demonstrant) de Paschatis tempore Iudaizarit, eaque de causa schisma conflarit.

e *Iren. lib. 3. cap. 3.*

III.

f *Ap. Euf. d. c. 19.*

g *Philaſt. c. 58.*

h *Aug. de hæreſ. c. 66.*

i *Theod. hær. fab. lib. 1.*

k *Euf. d. c. 19.*

FLORINVS ET BLASTVS HÆRESIARCHÆ.

l *Tertul. de præſcr. c. 53.*

Porro ad hæc Eleutheri tempora perseuerasse Romæ vna cum Valentino etiam Marcionem; amboſque cum sæpe fidem Catholicam simulassent, & de erroribus exomologesin fecissent, tandem ab eodem Pontifice ob inquietam semper eorum curiositatem, qua reliquos quoque Fideles vitiabant, ab Ecclesia in perpetuum eiectos esse, & Tertullianus *m* scribit, & iam à nobis dictum est superius. Addit vero idem auctor, cum postmodum Marcion pœnitentiam denuo confessus esset, ea demum conditione fuisse ei promissum reditum in Ecclesiam, si cæteros quoque quos perditioni eruditisset, Ecclesiæ restitueret (nimirum vt publice contraria iis quæ docuerat prædicaret) dumque ei conditioni sibi datæ occurreret, morte præuentum esse.

IV.

m *Id. ibid. c. 30.*

QVÆ MARCIONI INIVNCTA VLTIMA PŒNITENTIA.

IESV CHRISTI ANN. 181.

ELEVTHERI ANN. 3.

M. AVREL. IMP. AN. 19.

I.

ANNO CHRISTI centesimo octogesimo primo, L. Aureliano Cōmodo Aug. secundum & Candido Vero Coss. nihil certi rerum Ecclesiasticarum gestum repertur horum Annalium relatu dignum. Apponimus tamen quod his vltimis Marci Aurelij temporibus, à Nicephoro *n* contigisse narratur de quodam Iudæo catechumeno: vt cum per deserta & arida loca iter faciens vna cum Christianis, in grauissimum incidisset morbum, ita vt moriturus crederetur; cœpit à comitibus petere vt ipsum baptizarent priusquam moreretur: hæsitantibusque illis quod aqua carerent,

n *Niceph. lib. 3. c. 37.*

BAPTISMVS ARIANÆ.

caterent, rursus illum tanta eos instantia adiurasse, vt arena pro aqua vsi, terillum ea conspergentes, in nomine Patris & Filij & Spiritus S. baptizarint. Mox autem sanitati restitutum, postquam vna cum aliis reliquum iter peregisset alacriter, re ad Dionysium Episcopum Alexandrinum (seu potius Corinthiorum, qui his temporibus claruit, Alexandrinus longe postea) delata, habitaq; consultatione, aqua iuxta Ecclesiæ traditionem ablutum fuisse, vt ita quod Sacramento ei deesset, sarciretur. Hæc Nicephorus; quorum fides sit penes auctorem.

IESV CHRISTI ANN. 182.

ELEVTHERI ANN. 4.

COMMODI IMP. ANN. 1.

I.

ANNO CHRISTI centesimo octogesimo secundo, Brutio Præsente secundum, & Quintilio Gordiano Coss. M. Aurelius Antoninus Imperator, cum in expeditione Marcomannica ageret Sirmij in Pannonia, morbo affectus, abstinentia cibi mortem voluntariam oppetiit die decimaseptima Martij, vt ex Tertulliano *a* & alijs constat; postquã imperasset annos decem & nouem continuos, vt habet Eusebius *b*; quibus decem dies addit Theophilus *c* Episcopus Antiochenus qui tum scribebat. Vixisse vero annos propemodum quinquaginta nouem, ex Iulio Capitolino colligitur, dum natum dicit Vero & Augure Coss. sexto Calendas Maias, qui est annus Domini centesimus vigesimus tertius. Vnde eundem ipsum Capitolinum, Eutropiumq; redarguas, quod eum anno ætatis sexagesimo primo obijsse scribant. Cæterum Dio & Victor æquè annos tantummodo quinquaginta nouem ei tribuunt.

a *Tert. Apol. c. 25.* MARC. IMP. MORITVR.
b *Euſ. 5. hiſt. 9.*
c *Theoph. ad Autol. lib. 3.*

II.

Eo defuncto, filius eius COMMODVS, qui cum patre in castris agebat, hereditarij Imperij solus administrationem suscepit, annos natus (vt docet Lampridius *d* vnde viginti, minus tribus mensibus & diebus tredecim. Qui mox bellum prope confectum remittens, Romam se contulit: vbi postquam pauculis annis (vt est apud Herodianum *e*) nihil non honoris paternis amicis exhibuisset, omnibusque eos in negotiis in consilio habuisset; postea in imum scelerum prolapsus est: & qui à prima statim pueritia (inquit Lampridius) turpis, improbus, crudelis, libidinosus, oreq; pollutus & constupratus fuit; licet habuerit egregios disciplinarum magistros, prævaluit tamen in eo aut ingenij vis, aut eorum qui in aula institutores habentur. Deniq; fertur (inquit Capitolinus *f*) Marcum ipsius patrem mori voluisse, cum filium talem videret futurum qualis extitit post eius mortem, nempe similis Neroni, Caligulæ, atq; Domitiano: adeo vt post obitum (quod ex Mario Maximo nobilissimo historico refert Lampridius) acclamatus fuerit patriæ hostis, parricida, occisor Senatus, carnifex eiusdem, ciuiũ necator, impurus gladiator, sæuior Domitiano, Nerone impurior. Qui & insuper Deus dici voluit, & vt Herculi sibi sacra fieri; templa vero reliquorum deorum stupris & humano sanguine polluit, ac ornamentis spoliauit. Sed quod non est nostri instituti, omnia ab Imperatoribus gesta prosequi; qui huius monstrosissima facinora scire cupierit, consulat Dionem, & Herodianum, atq; imprimis Lampridium.

d *Lampr. in Commod.*
e *Herod. lib. 1.*
f *Capitol. in Marco.*

COMMODVS IMPERAT.
EIVS SCELERA.
DEVS DICI VOLVIT.

III.

Illud tamen non prætermittimus admonere; cum talis esset Commodus, nec tamen aliquod vnquam negotium facessisse Christianis reperiatur; manifeste apparere, eiusmodi monstrum ob vindictam Christiani sanguinis abirato numine immissum esse, quod in Senatores, Magistratus, & populos, de iisdem Christianis pessime meritos, adeo immaniter sæuiret. Ad quod non absque diuino nutu accidit, vt *Marcia* vna ex ipsius concubinis, quam prope loco vxoris, vt tradit Herodianus, habuit, (siquidem honores Augustæ, præter Ignem, nempe faces accensas Imperatoribus, eorumq; coniugibus præferri solitas, ei tribuit) Christianorum *a* esset studiosissima: quam quidem, quod magna apud eum polleret auctoritate, pro Christianis intercessisse par est credere. Sed vtcunq; id acciderit; quod Imperator sæuitiam in omnes longe lateque grassantem, in Christianos tantummodo progredi cohibuerit; quodque Gentiles immenso semper odio prosecuti hactenus Christianos, eos vexare iam prætermiserint; miraculum propemodum reputatur. Sicut olim accidit in Ægypto *b*, dum clades diuinitus immissæ, Ægyptios tantum afficerent, nec filiis Israel molestiæ quicquam inferrent. Sed iam quæ sub Commodo facta sunt, ad res Ecclesiasticas pertinentia, enarremus.

a *Dio in Commod.*
b *Exod. 9.*

IV.

Hoc ipso primo anno eius Imperij Eusebius *c* ponit ingressum *Iuliani* in sedem Alexandrinam, in locum Agrippini, cum hic (vt ait) sedisset annis duodecim; qui tamen secundum ea quæ dicta sunt in eius ingressu, etiam vltra annos sexdecim sedisse dicendus esset. In hunc quoque item vsque annum vixisse oportuit Theophilum Episcopum Antiochenum: quandoquidem ad finem cõmentarij ad Autolycum meminit mortis Marci Aurelij Imperatoris, (quẽ, vt vidimus, nominat Verum) cui Commodus successit. Quamobrem corrigendum est Chronicon Eusebij, vbi ante annos quatuor ponitur Theophili successor *Maximinus*; & standum potius Nicephoro *d*, qui sedisse Theophilum tradit annos tredecim.

c *Euſ. 5. hiſt. 9*
d *Niceph. Callisti. in Chron.*

IESV CHRISTI ANN. 185.

ELEVTHERI ANN. 5.

COMMODI IMP. ANN. 2.

I.

ANNO CHRISTI centesimo octogesimo tertio, Cõmodus Augustus tertium adiens Consulatum, collegam sibi sumpsit Antistium Burrhum. Quo tempore (vt ait Eusebius *e*) Christiana religione ad tranquillum statum deducta, & pace omnes totius Orbis Ecclesias occupante, magna facta est cum aliis locis tum Romæ, accurrentium ad fidem suscipiendã accessio, ac eorum præsertim qui nobilitate generis, diuitiarum affluentia, & animi ingenuitate præstarent. Inter quos Lucius Britannorum Rex, iam sæpe antea Christianorum admiratus miracula & integritatem vitæ, demum diuina luce perfusus, legatos ad Eleutherum Papam direxit ad suscipiendos ab eo sacros ministros: à quo missi *Fugatius* & *Damianus* siue Donatianus, tam ipsum Regem, quam eius vxorem, ac multum populum Christiana religione imbutum, sacris mysteriis initiarunt. Hæc autem cum omnes ad Eleutheri referant tempora, erroris arguuntur qui scripserunt *f* facta sub M. Aurelio & L. Vero fratribus: vt potius iis sit assentiendum, qui ad tempora Commodi retulerunt *g*. Rei vero gestæ memoria extat etiam in Libro de Romanis *h* Pontificibus; & quod aliis testimoniis præstat, ipsis antiquis Martyrologiis habetur adscripta. Cum tamen diu ante (vt testatur Gilda *k* Sapiens) CHRISTI Euangelium fuisset in Britanniam perlatum.

e *Euſ. 5. hiſt. 20.*

LVCII BRITAN. REGIS LEGATIO AD ELEVTH. PP.
f *Bed. de geſt. Ang. lib. 1. c. 4. & de ſex ætat.*
g *Ado in Chron. & alij.*
h *Lib. de Rom. Pontiff. in Eleuth.*
i *Martyrol. Rom. & alia. 26. Maij. & 1. Dec.*
k *Gild. Sa. excid. Britan.*

Nec mireris si redacta iam sub Claudio (vt vidimus *l*) Britannia in prouinciam, Regibusq; extinctis, iterum in ea Lucium regnare audias. Nunquam enim Romani ante hæc tempora tota Britannia potiti sunt; sed in ea complures populos indomitos permãnisse liquet; nempe citra muros illos, quos in ea insula Hadrianum & Antoninũ Pium construxisse, vt barbari à Romanis diuiderentur, Spartianus *m* & Capitolinus *n* affirmant. Deniq; Tertullianus *o*, qui his vinebat temporibus, testatur Britannorũ inaccessa Romanis loca CHRISTO fuisse subdita. Cum alioqui & ipsi populi debellati, sæpe sæpius rebellare consuescerent: qui etiam his ipsis Marci & Commodi temporibus *p*, Romanis exercitibus negotium haud leue facessierunt. Potuit

II.

l Ann. 48. STATVS BRITANNICARVM.

m *Spart. in Hadr.*
n *Capitol. in Pio.*
o *Tert. adu. Iudæos 7.*
p *Capitol. in Marc. Lamp. in Com. Dio in Com.*

insuper & Lucius aliquis esse Regulus sub Romana ditione in Britannia positus, secundum quod Iudææ, & Armeniæ *a*, aliisq; sæpe prouinciis concessum fuisse à Romanis constat. Quin & ipsam Britanniam, postquam redacta est in prouinciam, reperies *b* tempore Neronis habuisse Regẽ Iceno:ũ populorum, nomine Præsutagum, longa (inquit Tacitus) opulentia clarum. Porro *c* scribunt aliqui, hunc Lucium Regem sponte regno posthabito venisse in Germaniam, & ibi Euangelium publicasse: factumq; Curiæ Episcopum, à Gentilibus lapidatum esse & occisum: cuius & dies natalis adscriptus est in Tabulis Ecclesiasticis.

a *Spart. in Hadrian.* b *Ep. Vict. Annal.* 14.

c *Ap. Baron. in Not.* 3. *Dec.*

III. PANTÆNVS FIDEM PRÆDICAT IN INDIA.

Hoc etiam tempore (cum scilicet imperante Commodo Iulianus quem diximus, sederet Alexandriæ) *Pantænus* Christianus Philosophus, vir omni eruditionis genere præstantissimus, sacras literas Alexandriæ docens, desiderioque flagrans propagationis fidei, ad Indos profectus est; vbi Euangelium Matthæi Hebraicè scriptum, à Bartholomæo Apostolo illuc delatum, reperit in manibus quorundam hactenus illic Christum profitentium. Ita Eusebius *d*: verum profectionem Pantæni in Indiam sub Iuliani successore Demetrio Episcopo contigisse, ab eoq; missum fuisse expoſcentib. illius gentis legatis; sed & quos Indos dicunt, fuisse Brachmanas, Hieronymus *e* scribit. Cæterum: Pantænus Alexandriam demum reuersus, obdormiuit in Domino, relictis egregiis scriptorum monumẽtis: cuius etiam memoria ob vitæ sanctitatem relata est in Tabulas *f* Ecclesiasticas. Inter eius porro discipulos, laudatissimus extitit *Clemens* Alexandrinus, de quo plura inferius.

d *Euseb. 5. hist.* 10.

e *Hieron. de Script. Eccles. in Panta. & ep.* 84. *ad Magn.*

f *Martyrol. Rom.* 7. *Iul.*

IV. THEODOTIONIS TRANSLATIO SCRIPTVRÆ.

Hoc item tempore innotuit diuinæ Scripturæ noua Translatio facta à THEODOTIONE. Cum enim Epiphanius *g* editam sub Commodo dicat; constetq; Irenæum *h*, his ipsis Eleutheri Papæ & Cõmodi Imperatoris temporibus scribentem, dum agit de cunctis diuinæ Scripturæ Interpretibus qui hactenus extitissent, deque eius restauratione facta olim (vt putauit) per Esdram, meminisse etiam eiusdem Theodotionanæ: sanè illa ad hæc priora potius quam posteriora Commodi tempora referenda videtur. *Tertia* hæc Translatio dici consueuit. *Primam* enim numerant illam nobilissimam Septuaginta duorum, à Christianis olim, atque Iudæis ipsis frequentiori vsu receptam: *Secundam* sub Hadriano (vt vidimus) ab Aquila Pontico elaboratam; hanc vero *Tertiam*: sed *Quarta* recensenda esset, si illius omnium antiquissimæ ratio haberetur, quam ante tempora Alexandri Magni in lucem prodiisse ferunt *i*, & ex ea Platonem, aliosq; complures Philosophos Gentiles accepisse multa. Verum quod incerto authore prodiisset, nec vllum extet eius exemplar, & an integra fuerit ignoretur; desiit inter alias numerari: cum præsertim de ea nulla videatur habita ratio, vt quæ & ipsis quoq; Iudæis incognita fuerit: Nam Philo *k* Iudæorũ peritissimus illam Septuaginta primam omnium nominat, nec vllam antea factam affirmat: habetq; id ipsum Iustinus *l* martyr. Vnde verius existimo, (quod & idem Philo indicat) potius ex conuersatione cum Iudæis, innotuisse Gentilibus aliquas diuinæ Scripturæ sententias, quam eius editam fuisse aliquam ista Septuaginta priorem Interpretationem. Nam & insuper Iosephus *m* & Aristæas *n* docent, ea de causa initum esse cõsilium accersendi Septuaginta Interpretes, quod licet libri Iudæorum innotuissent Gentilibus, nondum tamen qui eos interpretati fuissent inuenti essent: quinimmo cum ex Gentilibus quidam tractare illam ausi essent, & temeraria curiositate nonnulla illinc suis scriptis admiscere, diuinitus pœnas dedisse.

g *Epiph. de mens. & pond.*

h *Iren. lib.* 3. *c.* 24. 25. *& ap. Euseb.* 5. *hist.* 8.

i *Clem. Alex. Strom. lib.* 1. *Euseb.* 10. *de præpar.* 1. 2. 3. *& aly.*

VARIÆ SCRIPTVRÆ TRANSLATIONES.

k *Phil. in Vit. Moys.*

l *Iust. aduer. Gent.*

m *Ios.* 12. *antiq.* 2.

n *Aristæ. de* 70. *Interp.*

[De asserta à multis restauratione Librorum Scripturæ per Esdram, agit pluribus Baronius an 180. eamq; multis argumẽtis & rationibus confutat, docens Scripturam nunquam fuisse deperditã. De antiquissima vero eiusdem Scripturæ ante Alexandri tempora Translatione, deque illa Septuaginta, disputat fusè ann. 231. ac demum de Theodotionana ann. 184. Nobis autem commodius accidit hoc loco de ijs omnibus simul agere: cum & alioqui nulla sint certa tempora, quibus singulas assignemus. His autem poteris vtiliter addere, quæ de isdem tractat Sc.arius in Prologom. Bibli. cap. 16. & 17.]

V. DE INTERPRETATIONE LXX.

Vt autem hac occasione de eadem SEPTVAGINTA INTERPRETATIONE breuiter agamus; facta est illa ducentis octoginta ante Christum annis, (vt quidem ex Olympiadum supputatione apud Eusebium *a* colligitur, licet alij aliter numerauerint) tempore Ptolemæi Philadelphi Regis Ægypti, qui tertius regnauit ab Alexandro Magno; procurante illam Demetrio Phalereo regiæ Bibliothecæ Præfecto, vt quæ iam ad ducenta voluminum toto Orbe ingẽti cura ab eo conquisitorum millia contineret, etiam libris Iudæorum illustraretur. Quæ propter Ptolemæus missa legatione ad Eleazarum Summum Iudæorum Pontificem, impetrauit ab eo Septuaginta duos peritissimos Iudæos, nempe senos ex singulis tribubus, (siue ij fuerint Seniores Sanhedrim, vt nos cum Hilario *b* existimamus, ad quorum munus, vt alias vidimus, hæc spectare viderentur; siue alij ad id operis electi) qui diuino ac Prophetico afflante Spiritu, apud Alexandriam in insula Pharo, separatis ab inuicem cellulis, singuli opus elaborarũt, ac postea facta collatione, nihil penitus reperti sunt inter se dissentientes scripsisse. Ita namq; hæc gesta esse, plerique è Patribus affirmant *c*: cum sint *d* tamen, qui binos & binos id peregisse velint; quidam *e* etiam, omnes simul in vnum collectos. Quorum aũt librorũ facta fuerit ab eis interpretatio; Hieronymus *f* videtur aliquando sensisse de solo Pentateucho: sed ei cæteri omnes refragantur, affirmantes de singulis & omnib. veteris Testamenti, qui extabãt, libris: quod & plura alia argumenta confirmãt, ipseq; etiam Hieronymus agnoscit, dum Prophetas interpretando, textum Septuaginta interserit, de eoq; pariter differit, & Septuaginta esse fideliter recognoscit. Deniq; quod nonnulli ex Aristea & Philone tradunt, eosdem Septuaginta verba verbis reddidisse; haud istud placuit eidem Hieronymo: qui quamuis & ipse Aristæam & Philonem legisset; minimè tamen eo sensu illorũ verba accipienda putauit: sed scribens ad Pammachium de optimo genere interpretandi, sæpius testatus est, Septuaginta non verba verbis, sed sententias sententiis reddidisse. Receptam autem esse eorum Interpretationem communi consuetudine, nõ tantum à Iudæis, sed & ab ipso Christo Domino, eiusq; Apostolis, & iam à nobis dictum est superius, & alij *g* pluribus ostenderunt. Quæ & merito in Ecclesia *Cõmunis* est habita *h* & dicta, quamdiu sincera permansit: cũ vero corrupta est, vel ab ipsis Iudæis *i* post Christi aduentũ, vel à nostris *k* librariis perperã describentibus; ea primum ab Origene, deinde à Luciano Martyre, postea ab Hesychio, quarto demum à S. Hieronymo, fuit mendis expurgata, vt etiam dicetur suis locis: eademq; nuper, opera & industria *Antonij Caraffæ* S.R.E. Cardinalis Bibliothecarij, tam Græco quam Latino sermone, veluti post liminio summo honore reuersa, totius exultantis Ecclesiæ excepta plausu, in summæ auctoritatis throno pristino collocata fuit. Sed iam ad Theodotionem redeamus.

a *Euseb.* 10. *de præp.* 17.

b *Hilar. in Psal.* 2.

c *Iustin. orat. ad Gent. Iren. li.* 3. *c.* 25. *Tert. Apol. cap.* 18. *Clem. Alex. Strom. lib.* 1. *Cyril. Hieros. catech.* 4. *Hilar. in Psal.* 2. *Philastr. de hær. cab.* 139. *& aly recẽtiores complures.*

d *Epiph. de mensur.*

e *Hier. præf. in Pentat.*

f *Id. præf. qui in Gen. & alibi.*

g *Vid. Leon. Castr. de* 70. *Interp.*

h *Orig. ad Afric. Philastr. c.* 139. *Vsq; ad* 143. *Hier. sæpe.*

i *Iust. dia. cũ Tryph. & aly.*

k *Hieron. ep.* 108. *Aug.* 15. *de ciuit.* 23.

Ferunt *l* hunc Tatiani fuisse auditorem, ac dogmatum sectatorem, moxq; se Marcionitis *m* adiunxisse, ab his porro ad Iudæos transisse, & iam proselytum eam subiisse prouinciam, vt ex Hebræo in Græcum Volumina sacra transferret. Appellant eum quoque nonnulli Ebionæũ, ea fortasse ratione quod Irenæus *n* dicat Ebionæos translationẽ Theodotionis, sicut & Aquilæ Pontici, sectatos esse. Cum aũtẽ idem Irenæus eum patria Ephesium nominet, miramur ab Epiphanio Ponticum appellari. Sed multo magis mirandũ, quod tam ipse, quã ante ipsum Athanasius *o*, post Symmachum ponant Theodotionem, & Symmachi Tertiam, Theodotionis vero Editionem Quartam numerent: cum satis exploratum habeatur, Symmachum Seueri tantummodo temporib. suam promulgasse Editionẽ, Theodotionem vero sub Cõmodo. Nisi dixerimus, eos non ordine temporum easdem numerasse, sed sicut in Hexaplis ab Origene positæ essent, in quibus alia ratione quam temporum ordine, tertio loco Symmachi, quarto vero Theodotionis erat collocata. Cæterum Theodotionem maiori fide in interpretatione sua vsum esse, quam cæteros ei similes hæreticos Iudaizantes, Epiphanius testatur: ipsamq; Ecclesiam Catholicam, Danielem ab eo translatũ in frequentiorem vsum olim recepisse, Hieronymus *p* tradit: idq; ea forte de causa, quod ad coarguendos Iudæos plurimum valere conspiceret, si ea editio afferretur, quæ ab hoste Christianorum, Iudæorum vero studiosissimo, fuisset elaborata. Idem tamen Hieronymus alibi *q* asserit, vniuersam

l *Euthym. in Panopl.*

m *Epiph. de mensur. & pond.*

VI. RVRSVM DE THEODOTIONE, EIVSQVE INTERPRETATIONIBVS.

n *Iren. lib.* 3. *c.* 24. *& ap. Euseb.* 5. *hist.* 8.

o *Athan. in Synop. in fin.*

p *Hier præf. in Dan.*

q *Id. præf. in Pentat. & præf. in Paral.*

eius in-

eius interpretationem fuisse ab Origene asteriscis & obelis notatam, vt quæ deessent quæve abundarent manifesta fierent. Fertur præterea eiusdem Theodotionis alia editio ex Hebræo in Syriacum versa. Fuitq; insuper opinio * quorundam, eiusdem esse Paraphrasim Ionatæ nuncupatam.

* Sixt. Sen. Bibl. lib. 4. vers. Syr.

IESV CHRISTI ANN. 184. 185. 186.

ELEVTHERI ANN. 6.7.8.

COMMODI IMP. ANN. 3.4.5.

I. ANNO CHRISTI centesimo octogesimo quarto, Petronio Mamertino ac Trebellio Rufo Coss. & Anno centesimo octogesimo quinto, Commodo Augusto quartum & Aufidio Victorino Coss. nihil rerum Ecclesiasticarum gestum reperimus, quos his potissimum annis consignemus.

II. HIEROSOL. EPISCOPI. Anno vero centesimo octogesimo sexto, Marcello & Æliano Coss. anno quinto Commodi Imper. ponit Eusebius in Chronico ordinationem *Maximi* Episcopi Hierosolymitani in locum Capitonis: post quem glomeratim enumerat *Antoninum, Valentem, Dolichianum, Narcissum, Ælium*; (siue, vt legunt scripti codices) *Dium, Germanium, Gordium*, & alterum *Narcissum*: (de quo agetur sub Seuero) quod, vt alias dictum est, non potuerit discernere tempora vel annos quibus singuli eorum eam Ecclesiam gubernarunt.

IESV CHRISTI ANN. 187.188.

ELEVTHERI ANN. 9.10.

COMMODI IMP. ANN. 6.7.

I. ANNO CHRISTI centesimo octogesimo septimo, Maternus & Bradua creati sunt Coss. ordinarij, multi vero suffecti. Tunc enim primum (inquit Lampridius) Consules viginti quinque in vnum annum lecti sunt; venditæque omnes prouinciæ. Prædictis autem Materno & Bradua Coss. consignata reperitur Epistola Eleutheri Papæ ad Episcopos Galliarum, aduersus Montani ac Marcionis hæreses; de qua dictum est superius *a*. Porro qui impugnant veteres Decretales Epistolas Rom. Pontificum, huic ab Eleuthero conscriptæ fauent, quod in fine hæc habeat verba ad Episcopos Gallicanos: *Huius rei gratia vniuersalis vobis à* CHRISTO IESV *commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Sed vt omittamus suspicionem adulteratæ Epistolæ, cum quæ in ea posita sunt de Iudicijs, excripta videantur ex Constantini Imper. constitutione, & interpretatione ad eam appositæ, quæ in Codice Theodosiano *b* leguntur: dicimus, horum quæ recitauimus verborum esse legitimum sensum, vt oppugnantibus hæreticis vniuersalem Ecclesiam, (quorum his temporibus ingens erant numerus) omnibus Episcopis eius defensio competat. Reperitur ab Apostolo Paulo *c* eadem fere vsurpata phrasis, cum dixit: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hocque illud ipsum est, quod cum Cyprianus *d* primum dicit: *Vna est Ecclesia, per totum mundum in multa membra diuisa; & Episcopatus vnus est, Episcoporum multorum concordi numerositate diffusus*; post multa subdit, *Episcopatus vnus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur, vt Episcopatum vnum indiuisum q; probemus*: nimirum cum quodlibet membrum pro toto corpore, cuius vnum est caput, intelligitur laborare.

a Ann. 197. num. v. DVPLEX VNIVERSALIS PRÆFECTVRA.

b L. 2. C. Th. de iudic.

c AR. 20.

d Cypr. de vnit. Eccl.

Quo etiam sensu egregiè Gregorius * Nazianzenus de S. Athanasio: *Creditur illi populi Alexandrini præsidentia: quod perinde est, ac si dicam, totius Orbis præfectura. Cur ita? quia scilicet præfuit Ecclesiæ Alexandrinæ, vt vniuersali prodesset.* Eadem fere habet & de S. Cypriano in eius encomio: & plura alia ad hæc possunt addi exempla: sed hæc plus satis ad dictorum verborum elucidationem, quorum causa Nouatores hierarchico ordini, à Christo in Ecclesia instituto, negotium facessere contendunt.

* Greg. Naz. orat. in laud. Athan.

Cæterum Annũ Domini centesimũ octogesimũ octauũ, quo Commodus Aug. quintum iniit Consulatum cum Acilio Glabrione, rebus Ecclesiasticis prorsus sterilem prætermisimus. Nisi quod hoc anno septimo eiusdem Commodi, tributa traditur Præfectura Augustalis Ægypti, Philippo patri Eugeniæ; de quibus, eorumq; martyrio, dicetur inferius suo loco.

II.

IESV CHRISTI ANN. 189.

ELEVTHERI ANN. 11.

COMMODI IMP. AN. 8.

I. APOLLONII SENATORIS MARTYRIVM. ANNO CHRISTI centesimo octogesimo nono, Crispino & Æliano Coss. *Apollonius* Senator Romanus, cum cæteris literis, tum Philosophiæ scientia celeberrimus, ab vno ex seruis propriis quod Christianus esset accusatus, rogatusq; fraudulenter à Perenni Iudice fidei suæ rationem coram Senatu reddere; simul atque accuratissimam orationem apologeticam, à se pro Fide Christiana compositam, coram omnibus recitasset, sententia Senatus secuti percussus nobilissimum martyrium consummauit: quippe vetus lex apud illos extabat, Christianos qui semel in iudicio comparuerant, nisi sententiam mutarent, plectendos esse. Hæc apud Eusebium in Chronico, hoc anno octauo Cõmodi Imp. accidisse ponuntur; rem vero gestã ipse pluribus in Historia *a* describit. quãse fusissimè in libro quem de Martyribus cõposuerat (qui maximo historiæ Ecclesiasticæ detrimento periit) tractasse testatur. Quodañ Nicephorus *b* hunc Apollonium, eundem vult esse cum illo celebri inter scriptores Ecclesiasticos, qui aduersus Cataphrygas commentarios edidit; tum Eusebius & Hieronymus *c* eos plane diuersos fuisse ostendunt; tum ratio temporis aperte contradicit, quandoquidem Ecclesiasticum scriptorem multis post hæc annis scripsisse *d* constat.

a Euſ. 5. hiſt. 20.
b Niceph. lib. 4. c. 25. 26.
c Hieron. de Script. Eccleſ.
d Euſ. 5. hiſt. 17.

II. SENATOR ROM. APOSTATA. Ad hæc quoque tempora pertinere videtur, quod habet Tertullianus *e* de quodam alio Senatore, qui Christianus cum fuisset, & Consulatum gessisset, postea lapsus miser inter Sacerdotes Isidis profiteri cœpit: cuius idoli sacra cum multis olim Senatusconsultis, & Imperatorum edictis fuissent penitus, vnacum Serapidis, aliorumq; deorum Ægyptiorum cultu, in Vrbe prohibita, eorundemque templa diruta, & Sacerdotes expulsi, vel etiam necati; vt ex Suetonio *f*, Tacito *g*, Dione *h*, aliisq; constat: nihilominus eadem postea & Senatusconsulto recepta, & iis templa erecta fuere: adeo vt Consulares etiã homines iis turpiter initiarentur, ipseq; Cõmodus Imp. vt habent Lampridius *i* & Spartianus *k*) sic coluerit sacra Isidis, vt & caput raderet, & Anubin portaret, & omnes partes expleret: vt haud mirum videri debeat, si & alij Romani proceres in eius gratiam eidem numini propensiorem cultum exhiberent.

Quisnam autem fuerit ille Senator & Consul transfuga, in quem Tertullianus scripto carmine acriter inuectus est, qui etiam (vt ait) Philosophum fingeret; haud satis compertum habetur. Fortasse vero accusatus & ipse Christianitatis apud Senatum, ne eandem quam Apollonius pœnam pateretur, à Fide apostatauit. Cum 1 alioqui eiusmodi esset Christianorum Senatorum causa, vt oporteret aut discedere penitus à Senatu, aut longe ab Vrbe aliquo prætextu à comitijs abesse: siquidem Augusti *m* lege adstringebantur Senatores, antequam loco consi-

e Tert. carm. ad Senator. DE CVLTV ISIDIS ROMAE.
f Tac. Annal. lib. 2.
g Dio lib. 40. 42. 47. 53. 54.
h Lamprid. in Commod.
i Spart. in Pescen. Nigro.
k Ap. Baron. an. 192. III.
l In Sueton. in Aug. c. 35.
m

deret,

derent, in ara eius Dei in cuius templo comitia haberentur, thure ac mero supplicare. In templis n. consueuisse cogi Senatum, & antequam rogatio fieret immolari solitum sacrificium, narrat etiam ex Varrone Gellius *a*. Sed obseruandum est, non Commodi Imperatoris sententia Apollonium fuisse damnatum, sed ex Senatusconsulto, Perenni iudice decernente. Neminem enim est reperiri, cui sola religionis causa, Commodo iubente, aut etiam sciente, negotium sit exhibitum. Quinimo viguisse hactenus M. Aurelij edictum, quod vidimus, ne solo Christianitatis nomine quis in iudicium vocaretur, eiusdemque vigore eundem ipsum seruum Apollonij delatorem, eiusdem Perennis sententia crurifragio punitum esse, Eusebius ibidem testatur.

a *Gel. lib. 14. cap. 7.*

IV. PERENNIS PRÆF. SCELERA.

Fuit porro *Perennis* iste Præfectus Prætorianis militibus: qui (vt ait Lampridius *b*) Commodi animum perficiens, cum ei persuasisset vt ipse deliciis vacaret, idem vero Perennis curis incumberet; dum Commodus cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumq; delectu ad formæ speciem conciliauerat, trecentisque aliis puberibus exoletis, quosque æquè ex plebe ac nobilitate nuptusque forma dilectatrice collegerat, in Palatio per conuiuia & balneas debaccharetur: Perennis cuncta sibi, tam Romæ, tum in prouinciis vindicans, quos voluit interemit, spoliauit plurimos, omnia iura subuertit, prædam omnem in suum contulit. Hæc & alia plura cum ipse Lampridius, tum Dio & Herodianus recensent. Quomodo vero qui diu ad vindictam aliorum toleratus fuerat, vbi Christiano se sanguine polluit, idem Perennis, ob intolerandam superbiã, contumeliamque, inuisus redditus, primum ab homine quodam Philosophi habitu apparente, conspirationis in Commodum publice in scena accusatus, (qui tamen à Perenni comprehensus, ignique tanquam furiosus damnatus, pœnas dedit intempestiuæ libertatis) inde vero multis aliorum querelis ac delationibus appetitus, demum Imperatoris iussu, vna cum vxore, sorore, ac liberis occisus fuerit, Herodianus cæteris fusius narrat. Sed & hoc eodem anno post Apollonij necem, Eusebius tradit in Capitolium fulmen ruisse, & magna inflammatione facta, Bibliothecam & vicinas ædes concrematas esse. Magnam quoque subsecutam esse pestilentiam, eaque tum vniuersam Italiam, tum maxime Romam fuisse afflictatam, adeo vt duo millia mortuorum corpora quotidie efferrentur, Dio tradit.

b Lamprid. in Commod.

ET CASVS.

CLADES SECVTA NECEM APOLLONII.

IESV CHRISTI ANN. 190.191.

ELEVTHERI ANN. 11.

COMMODI IMP. ANN. 9.10.

I.

ANNO CHRISTI centesimo nonagesimo, Fusciano & Silano Coss. anno nono Imperij Commodi, defuncto Iuliano Episcopo Alexandrino, subsitit vtus *Deinetrius* ab Eusebio ponitur in Chronico; licet in Historia *c* Iulianum vsque ad Seueri persecutionem peruenisse, demonstrare videatur.

c Euseb. 6. hist. 2.

II. *d Euseb. in Chron. sed Hist. an. seq.* SERAPION EPISC. ANTIOCH. *e Id. 6. hist. 10*

Anno vero centesimo nonagesimo primo, duobus Silanis Coss. Iunio arq; Seruilio, Commodi Imp. anno decimo *d*, post Maximinum subrogatur in Ecclesia Antiochena *Serapion*, celebris inter scriptores Ecclesiasticos huius temporis; cuius lucubrationes quæ apud se extarent, recenset Eusebius *e*.

III. MATERNI SEDITIO, ET POENA.

Quo etiam anno, Galliæ & Hispaniæ res turbatæ sunt a quodam *Materno* milite; qui repente desertis castris, & collecta non parua perditorum hominum manu, pecuniæque vi magna, eo rem adduxit, vt non tam latronum, sed iustorum hostium haberent auctoritatem. Commodo vero Imper. exercitum aduersus illos cogi iubente, decedêdum sibi ex illis regionibus rari, clam per amicos quosdam compendia, seorsum alij ab aliis, in Italiam perueniunt, deliberato animo obtruncandi in quadam solemnitate Imperatorem, & occupandi Imperium. Fecissetq; Maternus quod animo conceperat, nisi à quibusdam ex sociis, ipsius futuræ fortunæ inuidentibus, proditus fuisset: qui comprehensus, mulctatus est capite, & qui eiusdem factionis erant meritis supplicijs affecti. Hæc pluribus Herodianus *f*.

f Herod. lib. 1.

IESV CHRISTI ANN. 192.193.

ELEVTHERI ANN. 13.

COMMODI IMP. AN. 11.12.

I.

ANNO CHRISTI centesimo nonagesimo secundo, Cõmodo Aug. sextum & Petronio Septimiano Coss. Eusebius *a* tradit eundem Imperatorem omniũ celebertimam munerum editione exhibuisse; cuius etiam meminere Dio *b* & Herodianus; cum ipse ad spectandũ veniens, pelle leonis & claua processit insignis. Nam qui Hercules videri voluit & coli, non solum depolito cultu Romanorum Imperatorum, Herculis insignia suscepit; sed etiam è Neronis, siue Solis colosso caput auferens, (habuit n. primum ille colossus vultum Neronis, sed postea fuit à Vespasiano refectus in solis effigiem) suum collocauit, quod hactenus Romæ visitur: nec amplius filius Marci vocari, sed Commodianus Hercules Iouis filius, & tanquam Deo sibi voluit immolari; ridente quidẽ ist hæc, sed tamen adulante ei ad omnia præ timore Senatu. Hæc pluribus iidem auctores, cum Lampridio.

a Euseb. in Chron.
b Dio in Cõmod. Herodian. lib. 1.

COMMODVS VVLT HABERI DEVS HERCVLES.

II.

Quo tempore accidit, vt non solum in theatro plurimi è Gentilibus, prædicta Commodi ludicra deridentes *c*, gladio peremti fuerint, sed & Christiani quidam eadem publicè per vias Vrbis subsannantes, martyrium subierint. Inter quos *Iulius* Senator renuens Herculi, hoc est, ipsi Commodo sacrificare, fustibus vsque ad mortem cæsus est; cæteri vero Christiani cum eius corpus sublatum cutassent, in crimen vocati quod eiusdem bona diripuissent, post varia tormenta necati sunt ad Petram sceleratam: quidamque *Lupulus* nomine, ex Iouis Capitolini Sacerdotibus, oculorum cæcitate ab iis curatus, CHRISTO credidit: ac denique *Antoninus* carnifex qui primus eos torsit, cum vidisset vnum ex illis nomine *Eusebium*, post linguam radicitus præcisam adhuc libere loqui, CHRISTVM & ipse profitens capite truncatus est: quorum omnium hactenus extant *d* Acta; sed & nomina suis quibusq; passionis diebus in Tabulis Ecclesiasticis *e* adnotata. De Iulio vero mentem dubitatio pulsat, num hic ille ipse sit Iulius Proculus, quem Lampridius inter Senatores ab eodem Commodo occisos enumerat. Cæterum mox diuina sequente vltione, non solum Vitellius Tribunus militum, cui Iulius ex carnificandus traditus fuerat, repentina morte (quod eadem Acta tradunt) miseram animam efflauit, sed &

c Dio ibid.
MARTYRES ROMÆ.

d Ap. Sur. 25. Aug.
e Martyrol. Rom. 19. 22. 25. Aug.

III. PRODIGIOSVM INCENDIVM.

Anno sequenti, CHRISTI centesimo nonagesimo tertio, Bradua secundum & Aproniano Coss. exiguo terræmotu præcedente, seu nocturni casu fulminis, siue igni aliquo in ipso motu terræ excito, celeberrimum omnium, & opulentissimum templum Pacis, vna cum amplissimis diuitiis, quas in illud, quasi in thesaurum, vniuersi fermè conferre consueuerant; itemq; augustissimum templum Vestæ, & pulcherrima Vrbis ædificia, ipsumque ferme totum Palatium (exustis etiam plerisque libellis, qui ad Principatum pertinebant) consumptum est incendio; quod plurimos dies peruagatum, maximam Vrbis partem solo æquauit, nec prius quatuis arte sedari valuit quam repentinis imbribus restingueretur, vt ita manifestum fieret; & diuinitus inchoasse & desisse. Hæc pluribus Dio *f* & Herodianus *g*; quæ anno Cõmodi duodecimo contigisse, Eusebius ponit. Sed & voluisse ipsum Commodum totam

f Dio in Commod.
g Herod. lib. 1.

Vrbem

Vrbem incendere, nisi Lætus Præfectus Prætorio eum deterruisset, affirmat Lampridius *a*. Prodigia autem hæc fuisse cum bellorum quæ deinceps sunt insecuta, tum mortis Principis, (nimirum ob incendium templi Pacis, & Palatij) iidem qui supra auctores putauerunt. Cæterum consumpta tunc quoq; fuisse incendio putãtur sacra spolia, quæ è templo Hierosolymitano sublata Vespasianus in templum Pacis intulerat; etsi vasa quædam integra forte alibi seruata, ad Valentiniani postremi eius nominis Imperatoris tempora permansisse, eaque cessisse Wandalorum spoliis, Procopius *b* tradit.

a *Lamprid. in Commod.*

b *Procop. de bel. VVand.*

IESV CHRISTI ANN. 194.

VICTORIS ANN. 1.

COMMODI IMP. AN. 13.

I. ANNO CHRISTI centesimo nonagesimo quarto, Commodo Imper. septimum & Pertinace secundum Coss. septimo *c* Calendas Iunij, *Eleutherus* Papa, cum sedisset annos quindecim, & dies viginti tres, ex hac vita sublatus est, ac sepultus in Vaticano. De cuius sedis annis cum omnes consentiant tam Latini quam Græci; quod apud Eusebium *d* in Historia tredecim tantum ei assignantur, aut errore numeri accidit, aut quod eum obiisse ponat ante biennium; cum tamen in Chronico hoc anno habeat Victoris ingressum. Vtrum autem Eleutherus gladio sublatus fuerit, nobis incompertum est: nisi quod in antiquis omnibus Martyrologiis, Martyr reperitur adscriptus: cum alioqui certum sit *e*, MARTYRIS nomen apud Tertullianũ, Cyprianum, & alios plerosq; antiquorum, tribui consueuisse nõ iis tantum qui mortem, sed etiam qui cruciamentum aliquod CHRISTI causa subiissent: qui & aliquando dicti reperiuntur CONFESSORES, cum & si vim harum vocum expendas, eædem sint. Cæterum postquam Sedes vacasset dies quinque, subrogatus est VICTOR Afer, Felicis filius.

c *Martyrol. Rom. Lib. de Rom. Pontiff.*

ELEVTHERI PP. OBITVS; VICTORIS ELECTIO.

d *Euſ. 5. hiſt. 21.*

e *Vi. Pamel. in ſchol. ad Cypr. ep. 9.*

MARTYRES; CONFESSORES DICTI.

II. COMMODI IMP. INTERITVS.

Postrema quoque huius anni die, *Commodus* Imperator cum statuisset complures viros Consulares ac Senatores occidere, imprimisque ipsam Marciam, quam loco coniugis habebat, necnon Lætum Præfectum Prætorio, ac Electum custodem cubiculi; re comperta, eorumdem conspiratione ab athleta quodam, cum quo is exerceri solebat, oppressis faucibus in ipsa palæstra strangulatus est, ingenti gaudio Senatus & totius Vrbis. Hæc pluribus Dio, Herodianus, & alij. Eiusmodi tamen impurissimum & immanissimum hominem, in quem omnes à maioribus vsque ad minimos merito omnia dira conclamassent, Seuerus, qui paulo post suscepit Imperium, & quod amantissimus esset nominis Antoninorum, & in odium Senatus cum ei aliquando iratior esset, oratione laudauit, & inter deos retulit, Flamine addito (quem ipse viuus sibi parauerat) Herculaneo Commodiano; vtque eius dies natalis celebraretur instituit: sicut Lampridius *f* & Spartianus *g* scribunt. Regnasse vero annos duodecim, menses nouem, dies quatuordecim, vixisse triginta vnum, & menses quatuor, Dio tradit: cui alij tredecim annos Imperij tribuunt, vtique inchoatos. Cum autem Clemens Alexandrinus, qui his diebus illustris habebatur Alexandriæ, libro primo Stromatum supputans tempora, affirmet ab anno quo natus est Dominus vsque ad mortem Commodi, annos numerari centum nonaginta quatuor; iam vides Chronologiam nostram his egregiè consentire.

* * *

f *Lamprid. in Commod.*

g *Spart. in Seuer.*

IESV CHRISTI ANN. 195.

VICTORIS ANN. 2.

SEVERI IMP. ANN. 1.

I. PERTINAX IMP.

ANNO CHRISTI centesimo nonagesimo quinto, Sosio Falcone & Erutio Claro Cossibus Calendis Ianuarij ÆLIVS PERTINAX origine Ligur, cuius pater tabernam coctiliariã exercuerat, per singulos militiæ gradus, ad Consulatum & Præfecturam Vrbi euectus; militibus Prætorianis iuuantibus, ac Senatu libentissimè cõsentiente, decernitur Imperator. Qui cum perditissimum Reipub. statum quamprimum festinaret in pristinum restituere, à militibus occisus est quinto Calendas Aprilis, cum imperasset tribus ferme mensibus, vixisset annis sexaginta septem & mensibus quatuor; bonis omnibus, quod vir optimus haberetur, sui desiderio relicto. Hæc ex Dione, Capitolino, & aliis.

II. DID. IVLIANVS IMP.

Post quem DIDIVS IVLIANVS, militiæ domique spectatus, homo disertissimus, pollicitus dare singulis militibus Prætorianis aureos ducentos quinquaginta, ab eis in Imperium euectus, à Senatu perterrito tandem confirmatus est; tenuitque reclamante populo, dies sexaginta sex. Cum interim qui tribus Romanis exercitibus præerant duces, *Pescennius Niger* Antiochiæ in Syria, *Clodius Albinus* in Britannia, & *Septimius Seuerus* in Pannonia, ab eo deficientes Imperium arripuere. Appellatus est autem SEVERVS ab exercitu Imperator apud Carnuntum Idibus Aprilis (sic enim corrigẽdum esse apud Spartianum, pro eo quod legitur, *Idibus Augusti*, ex iis quæ de tempore dicta sunt quæque dicentur, apparet) idemque inito pacto cum Albino Romam proficiscens, literis ad se pertractis militibus Prætorianis, cum ijdem Iulianum interfecissent, ipse consensu militum arq; Senatus, acclamatus est Imperator die prima Iunij; vt ex Dione *h* colligitur, qui tũ clarus inter Senatores comitiis quibus hæc decernebantur interfuit. Sed & amore Pertinacis boni Principis, à Senatu *Pertinacis* nomen oblatum idem Seuerus libenter accepit, eundemq; inter deos retulit.

SEVERVS IMP.

h *Dio in Iulian.*

III. ALBINVS CÆSAR.

Fuit autem Seuerus patria Afficanus ex ciuitate Lepti nobilissimo genere ortus, literis humanioribus excultus, militiæque peritissimus. Qui ipso sui Imperij exordio, creato Cæsare ALBINO Galliarum & Britanniæ exercitus duce, omnibusque honorum & gratiarum generib. sibi deuincto; postquam triginta dies Romæ exegisset, profectus est in Orientem aduersus Pescennium Nigrum. Hæc Dio, Herodianus, ac Spartianus pluribus. Auctor quoque est Tertullianus *i*, eundem primis Imperij sui annis bene Christianos habuisse, atque etiam nonnullos eorum testimonio exornasse, & aduersus furentem populum defendisse; nimirum quod à Christiano quodam nomine Proculo cognomine Toparcion, procuratore Euhodeæ, (seu potius Euodi, qui fuit Antonini filij Seueri educator) per oleum aliquando curatus esset; quem etiam in palatio suo habuit vsque ad mortem eius. Imo & ipsum quoq; Antoninum Seueri filium lacte Christiano fuisse educatũ, idem auctor asserit: eundemq; cum puer esset, amantissimum colluſorem habuisse puerum Iudæum (hoc est Christianum) Spartianus *k* scribit. Quando autem acciderit, quibusve impulsoribus, vt Seuerus Christianos persequi cœperit, dicetur suo loco.

i *Tertul. ad Scap. cap. 4.*

SEVERI FILIVS LACTE CHRIST. EDVCATVS.

k *Spart. in Caracal.*

IV. STATVS ECCLESIÆ FLORENS.

Hoc vero tempore res Christianorum valde floruisse, Nicephorus *l* tradit, cum (vt ait) in dies fidei professio augmenta caperet, & Ecclesiasticorũ doctorum scriptis atq; doctrinis eam prouehentibus, vniuersæ multitudines & domus totæ passim in maximis vrbibus ad fidem accederent, quidnis pati aut facere paratæ, quam vt quicquã contra religionẽ agerent, aut nouarẽt. Sicut & Tertullianus *m*, qui sub eodem Seuero Imp. aduersus Gentiles & Iudæos scripsit,

l *Niceph. lib. 5. c. 26.*

m *Tert. Apol. c. 37. aduerſ. Iuda. c. 7. 8.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

scripsit, iuste gloriatur iam tum Christianos omnia vbique implesse, vrbes, insulas, castella, municipia, cõciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, Palatiũ, Senatum, Forũ; & CHRISTI Regnum atq; nomen longe latius quã Romanum Imperium se prodens, vbiq; porrigi, vbiq; credi, vbiq; regnare, vbiq; adorari. Idq; ipsum asseruerunt alij Ecclesiastici tractatores, qui iisdem temporib. vel aduersus hæreticos vel Gentiles, aut Iudæos locuti sunt.

IESV CHRISTI ANN. 196.

VICTORIS ANN. 3.

SEVERI IMP. ANN. 2.

I.

ANNO CHRISTI centesimo nonagesimo sexto, Seuero Augusto & Albino Cæsare Coss. anno eiusdem Seueri Imperij secundo, Eusebius in Chronico ponit CLEMENTEM Alexandrinum clarissimum horum temporum Ecclesiasticum tractatorem; quem alibi *a* vocat *Titum Flauium Clementem*. Porro cum sub Seuero scripsisse eruditissimos libros Stromatum, argumento plane est (vt etiam Eusebius *b* notauit) qp in eisdem sæpe texens Chronologiã temporum, semper ad Commodi obitum, nec vlterius eam perducit. Cum vero & in iisdem mentio fiat de Christianorum persecutione tunc vigente; necesse est affirmare eos scriptos esse post annum decimum Seueri, quo illa cœpta est. Cæterum quod Alexandriæ diutissimè docuerit (factus *c* in schola præceptoris sui Pantæni successor) & vsque ad finem vitæ commoratus sit; inde accidisse videtur, vt Alexandrini cognomen ei datum fuerit, cum patria esset Athenienſis, è qua etiam nonnunquã à maioribus (vt scribit Epiphanius *d*) dictus est *Athenienſis*. Sed & *Stromatum* siue Contextorem nuncupatum fuisse, Cassidorus *e* testatur; non ob aliam certe causam, quam ob prædictos insignes illius octo libros *Stromatũ* luculentissimè scriptos; quos quidem isto à se titulo insignitos esse ob varietatem argumenti, seu quod variè contexti essent, ipsemet testatur Clemens *f*.

a Euseb. 6. hist. 11.

DE CLEMENTE ALEXANDRINO.

b Id. 6. hist. 5.

c Eus. ibid.

d Epiph. hær. 32.

e Cassiodor. præf. Instit. diuin. lect.

f Clem. Str. lib. 4.

II.

EIVS SCRIPTA.

g Eusebius 6. hist. 11.

h Hieron. de Script. Eccles.

Quantæ autem eruditionis fuerit & eloquentiæ, multiplices eius lucubrationes, quæ hactenus reliquæ factæ sunt, vel tacentibus omnibus clamant: plures vero ab eo elaboratas enumerarunt olim Eusebius *g* & Hieronymus *h*. Sed & præter illas, vtique aliarum à se editarum ipse meminit, nempe de Resurrectione, de nuptiis, & de Continẽtia: Ac demum Cassiodorus eundem recenset inter eos qui à principio vsq; ad finẽ explanarunt diuinas Scripturas. Cæterum quod aliquibus næuis eius commentarij respersi reperiantur, ne occasione celeberrimi illius nominis, Fideles quæcunq; apud eum scripta inuenirent, incaute amplecterentur, prouide Gelasius Papa eius opera Apocryphorum nota voluit innuisse: cum alioqui ex eius commentariis nonnulla ab Arianis fuisse deprauata, Ruffinus *i* affirmet. Habuit autem inter alios plerosq; magni nominis discipulos *k*, *Origenem*; quem & nactus est in schola Alexandrina successorem, de quo pluribus dicetur inferius.

i Ruff. Apolog. pro Orig. k Eus. 6. hist. & Hier. ep. 65.

III.

THEODOTVS HÆRESIARCHA.

l Theod. hær. fab. lib. 2.

m Eus. 5. hist. 27.

Hoc eodem tempore (licet annus certus definiri non possit) Victor Romanus Pontifex recens agnitum THEODOTVM *Byzantium* hæresiarcham damnauit, & ab Ecclesia eiecit: quod Theodoretus *l* affirmat, & ante ipsum Eusebius *m* antiquiorum scriptorum auctoritate. Fuerat iste coriarius quidem arte, verum multæ eruditionis & doctrinæ. Qui cum tempore persecutionis sub Marco Aurelio comprehensus, & in iudicio examinatus, CHRISTVM negasset, idq; postea ei exprobraretur cum in patria, tum Romæ cum eo præ pudore gentilium suorum aufugisset: in defensionem suæ culpæ nouum excogitauit errorem, vt assereret se Deum non negasse, sed hominem: sicque docuit CHRISTVM hominem tantummodo, non etiam Deum esse; Spiritu quidem sancto natum ex Virgine, sed hominem nudum, nulla alia præ cæteris, nisi sola iustitiæ, auctoritate. Tradunt hæc de eo Tertullianus *n*, Epiphanius *o*, Augustinus *p*, & alij nuper recensiti auctores. Ac licet Theodoti immanis blasphemia, à Cerintho tempore Apostolorum iure dici possit duxisse principium; tamen Epiphanius * propugnatores eius post Montanum exortos existimat, qui Cerinthi & Ebionis conati sint impia dogmata in Asia instaurare, quiq; ALOGI (ratione vel Verbo carentes) fuerint appellati, quod S. Ioannis Apostoli Euangelium atq; Apocalypsim respuerent: & ex ea Alogorum secta propagatum fuisse Theodotum. Porro qui huius sectam secuti sunt, *Theodotiani* ab auctore sunt appellati.

n Tertul. de præscr. c. vlt.

o Epiph. hær. 54.

p Aug. de hær. c. 33.

**Epiph. hær. 51.*

ALOGI HÆRETICI.

IV.

ARTEMON HÆRESIARCHA.

Quibus dederunt manus, qui sunt hoc eodem tempore ab ARTEMONE hæresiarcha progressi; qui & ipsi *b* Christi diuinitatem negantes, hominem tantum esse asseruere, sed tamen Prophetis maiorem. Iidemque Theodotiani & Artemoniani, iunctis animis atque conatibus, eo impudentiæ processerunt, vt asserterent tum Apostolos eandem de Christo doctrinam quam ipsi nunc prædicarent, ab ipsomet Domino accepisse, & alios docuisse; tum omnes postea Doctores Ecclesiasticos vsque ad Victoris Papæ tempora, eidem adhæsisse; sed à Zephyrino Victoris successore sinceram doctrinam fuisse penitus deprauatam. At hoc tantum nefas exhorrescentes pij ac doctissimi viri qui his temporibus in Ecclesia floruerunt, scriptis suis impudens mendacium egregiè refellerunt; quos recenset Eusebius *c*, dum hæc omnia plutibus describit.

b Euseb. 5. hist. 27.

c Id. 5. hist. 26. 27.

V.

THEODOTVS ALTER HÆRESIARCHA.

Post Theodotum Byzantium, hoc eodem tempore alter quoque THEODOTVS (inquit Tertullianus *d*) hæreticos erupit; qui & ipse hominem tantummodo Christum dixit ex Spiritu Sancto & Maria Virgine pariter eõceptum & natum, sed inferiorem quam Melchisedech, quod dictum esse de eo, *Tues Sacerdos secundum ordinem Melchisedech*: nam illũ Melchisedech præcipuæ gratiæ cœlestem esse virtutem; & quod agat Christus pro hominibus, deprecator & aduocatus ipsorum factus, Melchisedech facere pro cœlestibus Angelis atq; Virtutibus: esseq; illum adeo Christo meliorem, vt *f* apator, ametor, agenealogitus sit, cuius neq; initium, neque finis comprehensus sit, aut comprehendi possit. Hæc de eo Tertullianus. At sicut alter ille Theodotus fuit opifex coriarius, ita istum arte fuisse argentariũ siue trapezitam, Eusebius *g* ex antiquiori scriptore, necnon Theodoretus *h* affirmat: Vt non adeo mirandum sit, cum audiuntur huius temporis Nouatores è sutrinis, calcearijs, vel fabrilibus tabernis conscendere pulpitum laici homines; atq; adeo si tam audacter Scripturas diuinas negent, detruncent, augeant, immutent, corrumpant, atq; peruertant: quæ omnia ipsos quoq; Theodotianos magna insciția & impudentia ausos esse, dicẽtes se illa corrigere quæ non bene haberent, atq; ita se Sancto Spiritu sapientiores pronunciantes; magisq, Philosophiæ humanæ, & geometriæ, atq; medicinæ studuisse, quam Theologiæ, iidem autores scribunt.

d Tertul. de præscr. c. vlt.

e Psal. 109.

f Hebr. 7.

OPIFICES HÆRESIARCHÆ.

g Euseb. l. c. 27.

h Theod. hær. fab. lib. 2.

Quod autem ad præcipuum caput huius hæresis spectat, ex qua appellati sunt *Melchisedechiani* hæretici; grauissimos quoque viros reperio errore lapsos de Melchisedech, quod Paulus eum sine patre & matre, ac sine genealogia fuisse describat. Nam Origenem & Didymum in eam pariter sententiam abiisse, vt putarint eum fuisse Angelum, testatur Hieronymus *i*; meminitque de quodam, qui eum diuinioris naturæ fuisse affirmaret, ac demum illum ipsum Spiritum Sanctum, qui apparens Abrahæ in figura hominis visus esset. Quam eandem opinionem Epiphanius *k* Hieracitis tribuit, de quibus dicetur suo loco. Denique in libro quæstionum *l* veteris & noui Testamenti, Augustini nomine scriptum legitur, Melchisedech non fuisse hominem, sed supra hominem. At vero istam sententiam non suam esse, sed quorundam aliorum, satis ipse Augustinus ad Quodvultdeum *m* demonstrat, dum talia sectantes adnumerat inter hæreticos. Agit pariter de iisdem hæreticis Epiphanius *n*; quos & sibi libros commentitios finxisse tradit: subditque de aliis eiusdem sectæ in Arabia Petræa, qui *Moysen* quoque Deum esse putarent, propter diuina quæ fecisset; adorarentque ipsius imaginem.

VI.

MELCHISEDECHIANI HÆRETICI.

i Hieron. ep. 126. ad Euagr.

k Epiph. hær. 67.

l Aug. q. 109. ex vtroque mixt.

m Id. de hær. c. 34.

n Epiph. hær. 55.

QVID DE MOYSE HÆRETICI.

Rursus

VII. PRAXEAS HÆRESIARCHA.

Rursus vero de aliis, qui sub Victore Romano Pontifice prodierunt, hæreticis, eorumque auctore PRAXEA agēs Tertullianus, cum in fine commentarii aduersus hæreses, tum in libro quem priuatim in eum scripsit, ait eum dixisse, Deum Patrem Omnipotentem esse IESVM CHRISTVM, illumque crucifixum ac passum, mortuum præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam. Cæterum si Praxeæ exquiramus originem, cum primo fuisse Montani sectatorem, ex eorum numero quos idem Tertullianus *a* vocat κατ' ἐξ. Proclum, Pacianus *b* demonstrat. Sed postea ab iisdem desciscens seque Romam conferens, de secta Montani (vt alias vidimus) Romanum Pontificem reddidit certiorem. Detectus tamen & ipse hæreticus, itidēq; Romæ *damnatus, (quod factū sub Zephyrino Victoris successore, Optatus *c* affirmare videtur) erroris pœnitens recantauit palinodiam: sed eundem rursum latentem in stomacho hæresim euomuisse, Tertullian. est auctor. Qui vero ab eo progressi sunt hæretici, primo *Monarchici*, quod vnam tantum personam statuerent sanctissimæ Trinitatis; deinde *Patropassiani*, quod Patri æque crucem adscriberent, sunt appellati. Meminit eiusdem Praxeæ S. Augustinus *d*, agitque de *Praxeanis* ab eo deriuatis hæreticis.

a Tert. de præscript. c. 52.
b Pacian. ep. ad Sympron.
* Tert. aduer. Prax. c. 1.
c Opt. contr. Parm. li. 1.

PATRO PASSIANI HÆRETICI.
d Augu. de hæres. c. 41.

IESV CHRISTI AN. 197.

VICTORIS AN. 4.

SEVERI IMP. AN. 3.

I.

ANNO Christi centesimo nonagesimo septimo, duob. Flauiis Tertullo & Clemente Coss. Seuerus Imp. occiso Pescennio Nigro qui Orientale Imperium occupauerat; relictaq; parte copiarum ad expugnationem Byzantii, (quod post triennalem obsidionem captum, & in vicum redactum est) ipse aduersus barbaros, qui ab eodem Nigro stetissent, progressus, accepit in deditionem Parthos ac Medos, Adiabenos, Arabas & Osroenos cladibus affecit, atq; Nisibim occupauit; Romamq; rediens triumphauit. Hæc Dio *e*, Spartianus, & Herodian. *f* pluribus; quæ biennio ante cœpta, nonnisi anno sequenti consummata sunt.

e Dio & Spar. in Seuer.
f Herod. l. 2. c. 3

II. FIL. SEVER QVANDO CREATI IMP.

Qui vero putarunt, Antoninum Seueri filium vna cum patre imperare cœpisse, Getamque minorem natu eiusdem Seueri filium, ante hæc tempora Cæsarem iam dictū fuisse, non leuem & in aliis sibi errandi occasionē dederunt. Cæterum nonnisi Albinum hactenus à Seuero creatum fuisse Cæsarem, Dio imprimis affirmat: Antoninum autem anno tantummodo Seueri quinto Cæsarem dictum, sexto vero labente Augustum, inferius videbitur. Denique Getam confecto bello Parthico, nempe anno Seueri nono, Cęsarē esse creatum; triennio vero ante eiusdem Seueri obitum (qui fuit annus eius decimus sextus) accepisse nomen Augusti, Spartianus demonstrat. Ex quibus omnibus errorem corrigas Pamelii *g*, putantis hunc ipsum annum tertium Seueri, à Tertulliano *h* esse notatum quo ipse pallium superinduit, cum (vt ait) eradicato omni aconito hostilitatis, frigidior esset Imperii virtus; hoc est (vt ipse interpretatur) tot Augusti simul regnarent. Nullum enim aliud reperiri est apud historicos tempus sub Seuero, quo ista de pace & tribus Augustis à Tertulliano dici potuerint; nisi cum Seuerus vna cum Antonino & Geta filiis Augustis creatis regnauit; domitaque Britannia, pax tranquillissima est vbiq; parta.

g Pamel. in Vit. Tertul. & Tert. de pal. c. 2.
h TERTVL. QVANDO IN CVR. T PALLIVM.

III.

Sed nec assentiri possumus eidem Pamelio, tunc Tertullianum cum Pallium induit, primū Christo nomen dedisse vel baptizatum esse. Nec enim iis qui catechumeni fierent, necesse erat togam relinquere, atq; induere pallium; & baptismi tempore non pallium, quod futuum esse consueuerat, sed candidam tunicam induebant: ac deniq; ipsius Tertulliani *i*, atq; etiam Cypriani *k* testimonio constat, non omnes æque Christianos pallium induere, sed vt plurimum communi cum Gentilib. indumento incedere consueuisse. Sed nec qui pallium gestarent, mox Christianos conuinci potuisse, vel inde fit manifestum, quod non solum turba philosophorum omnium, sed & cuncti liberalium artium professores (ipsomet Tertullia. teste) eo vterentur: Quapropter in eam adducimur sententiam, vt opinemur inter Christianos, perpaucos pallium induisse, illos nempe qui arctius vitæ genus amplecterentur, & eminentioris philosophiæ cultum profiterentur; nimirum: vt sicut eo habitu inter Gentiles eminerent philosophi, ita & inter Christianos effulgerent qui se arctioris vitæ vinculis, ac monachismo mancipassent.

i Tert. Apol. cap. 2.
k Cypr. de hab. virgin. PALLIVM NON FVISSE GENTILIVM CHRIST.

IV.

Hoc enim satis probatur, tum ex eo quod Sanctus Hieronymus *b* iterum scribit, suo tempore Romæ cum aliqui Christiani austeriori vitæ se dederent, solitos eos vocari *Impostores, & Græcos*, (nimirum quia amictu Græco & philosophico, nempe pallio, vterentur) tum quod Saluianus *c* ait, Africanam prouinciam à barbaris affligi commeruisse, quod inter alia sanctos monachos palliatos incedentes ludibriis ac sibilis insectari consueuissent. Vt quid enim tunc temporis eiusmodi irrisiones Romæ & Carthagine, quæ Christianis essent refertissimæ, si iidem omnes pallio vterentur? Denique Patres Concilii Gangrensis *d* manifeste distinguunt pallium à communi cæterorū Christianorum veste, docentque eo tantum vti consueuisse sanctioris propositi viros. Et antiquissimus Origenes *e* laudans Heraclam Christianum presbyterum, ait eum deposita vulgari ac communi veste, philosophi apparatum, hoc est pallium sumpsisse. Pariterque in Porphyrio adolescente Christiano Eusebius *f* magnopere laudat, quod pallium, habitum philosophicū induisset: in quo vtiq; nulla esset laudis particularis occasio, si id ipsum eque oēs facerent Christiani.

b Hier. ep. 10. ad Eur. & ep. 11. ad Marcel.
c Saluia de ver. iudic. l. 8.
d Concil. Gangr. c. 12.
e Orig. ap. Euseb. 6. hist. 13.
f Euseb. 8. hist. 21

V. TERTVLL. CVR INDVIT PALLIVM.

His igitur omnibus rationibus facile persuademur, Tertullianum cum pallium induit, nequaquam tunc primum Christianum factum esse; (Quomodo enim potuit, cum antequam ipsum sumeret, his ipsis Seueri temporibus, complures consummatissimo homine Christiano dignos ediderit commentarios?) sed inter arctioris & eminentioris vitæ Fideles profiteri cœpisse, à sæcularibus se prorsus negotiis abdicando, vt satis ipsemet eodem tractatu de Pallio *g* significat, dum ait: *Ego quidem nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria obseruo, cancellos non adoro, subsellia non cōtundo, iura non conturbo, causas non elatro, non iudico, non multo, non regno: secessi de populo, immo vnicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo quam ne curem.* Quæ quidem minime de omnibus Christianis dicta intelligi possunt; cum nemini Christianorum illis interdictum fuisse operibus, aliqua lege constet; quinimo & ipsemet Tertullianus in Apologetico *h*, hæc & alia plura, quæ etiam Ethnici exercere consueuerant, Christianos pariter factitasse tradat. Cæterum fuisse TERTVLLIANVM natione Afrum, patria Carthaginiensem, patre Centurione Proconsulari natum, cum alii plures, tum Sanctus Hieronymus *i* imprimis affirmat, eundemque omnium scientiarum peritissimum, cunctorumque eius temporis Latinorum disertissimum, omnes prædicant: quod & innumerarum ipsius lucubrationum lectio satis conuincit. Adolescens autem cum esset, scripsisse librum de molestiis nuptiarum, tradit idem Hieronymus *k*: sed illum ab eo iam Christiano, atque etiam vxorato, elucubratum esse, mihi facile persuadeo, cum aliis rationibus, tum quod non sit verisimile, duri ingenii hominem, suæque sententiæ tenacissimum, aliter faciendo quam scripsisset, se omnium derisioni exponere voluisse. Scripsisse autem circa hæc tempora egregium illum commentarium aduersus hæreticos *de Præscriptione*, argumento est, quod cum omnes ab initio nascentis Ecclesiæ progressos hæresiarchas recenset, de Artemone qui sub Victore prodiit, nullam penitus mentionem fecit, quod is nondum cognitus esset.

g Tert. de pal. c. 5.
h Id. Apol. 42.

EIVS PRIMORDIA.

i Hier. de Scr. Eccl. in Ter.
k Id. cont. Iouin. li. 1. & ad Eustoch. ep. 8.

IESV CHRISTI AN. 198.

VICTORIS AN. 5.

SEVERI IMP. AN. 4.

I. CONTROVERSIA DE TEMPORE CELEBRANDI PASCH.

ANno Christi centesimo nonagesimo octauo, Dextero & Prisco Coss. annum Imperii quartum inchoante Seuero quæstionem de die celebrandi Paschatis iterum in Asia exortam esse Eusebius *a* tradit. Itaque tum *Romæ* à Victore Papa, tum in *Palæstina* à Theophilo Cæsarienti Metropolitano & Narcisso Hierosolymorum Episcopo; itemque in *Ponto* à Palma Episcopo, in *Gallia* ab Irenæo Lugdunensi, in *Græcia* à Bacchillo Corinthio, in prouincia *Osroena*, ac denique per vniuersum terme terrarum Orbem, ab Episcopis ad Synodos conuocatis, (vnde obiter notabis Ecclesiarum omnium toto Orbe tranquillissimam hoc tempore pacem) vno omnium consensu ex antiqua Apostolorum traditione statutum est, Pascha celebrandum esse tantummodo die Dominico. Narrat hæc plenius Eusebius *b*. Porro omnia ista Concilia celebrata esse auctoritate Victoris Romani Pontificis, ex eo satis colligi posse videtur, quod Beda ex Actis prædictę Synodi Palæstinæ, (quorũ fragmentum egregium de dignitate diei Dominicæ recitat in Commentario quę scripsit de Æquinoctio Vernali) distertis verbis asserat eumdem Victorẽ direxisse auctoritatẽ ad Theophilum Cæsariensem eam celebrandi; eique immunxisse, vt de ea re cum aliis Episcopis deliberaret. Quem & ipsum Theophilum, ad quoddam certum Concilium Romanum, circa hæc tempora à Victore celebratum, accersitum fuisse, habet Liber de Rom. Pontificibus: etsi perperam ibi pro Cæsariensi scriptus sit Theophilus Alexãdrinus, quem sub Arcadio Imp. vixisse constat. Ceterũ & Asianos ipsos Episcopos qui contrariam de Paschate sectarentur sententiã, eiusdem Victoris auctoritate in vnum conuocatos esse à Polycrate Ephesino Episcopo, testantur literæ ab ipso *c* ad Victorem relatæ: (videlicet iidem traditionem Ioannis Euangelistæ iactantes de Paschate celebrando decimaquarta Luna, quocumque tandẽ die, (hoc est, siue Dominicus is esset, siue non) ea accideret, vehementer obnixi fuerint Victoris, & aliorum vbique Episcoporum contrario iudicio. At de testimonio Ioannis Apostoli dictũ *d* est in Pio Papa, sub quo hæc primum orta est controuersia. Ceterum Victor (vt habet Eusebius *e*) his rebus adductus, totius Asiæ Ecclesias, & alias huiusmodi, tamquam alterius fidei & opinionis, litteris grauiter obiurgatas, simul omnes à communione Ecclesiæ secludendas edixit. Quibus omnibus sane videre est perspicuo exemplo, quanta auctoritate per vniuersum Christianum Orbem polleret Romanus Episcopus.

a *Tert. de præscr. c. 53.*
b *Euseb. 5. hist. 19.*
c *Niceph. l. 4. c. 30.*

II. QVID IRENÆVS AD VICTOREM.

At vero quod potestate iure faciebat, rectene fecerit à multis est dubitatum: immo & ipsum Eusebius *f* tradit nimiæ seueritatis cũ ab aliis Catholicis Episcopis qui eodem quo ipse die Pascha celebrarent, recta gutum fuisse; tum maxime ab Irenæo Lugdunensi, qui suis ad eum scriptis literis testatus est, præclare cessores Rom. Episcopos aliis qui secus ac ille eum ritum obseruabant, nihilominus communicationem suam non denegasse, quin & absentibus Eucharistiam mittere consueuisse. Verum quamuis de rectitudine facti Victoris plurimi dubitauerint, tamen de potestate ne minimum quidem ab aliquo, non modo Catholicorum, sed nec schismaticorum, controuersum reperitur. Et vt rem ipsam accuratius perlustremur, quamdiu cum Catholicis tantum acta res est, tolerabile visum fuit Romanis Pontificibus, permittere Asianos more Iudæorum decimaquarta Luna Pascha celebrare: at cum hæc indulgentia hæresis validandæ esse videretur occasio, ab ea cessare consultius visum est. Qui enim his temporibus inualuissent in Asia Montani sectatores, (quod Pacianus *g* significat) & ipsi die decimaquarta esse Pascha celebrandum, secus autem agentes errore duci omnino affirmabant. Differebant *h* tamen ab aliis Quartadecimanis, quod illi Lunæ cursum Iudæorum more obseruabant, hi autem Solis. Nec tantum Montani-

e *Euseb. 5. hist. 24.*

f *Id. cap. 25.*

g *Pac. ep. ad Sympron. de nomine Cathol.*

VICTOR PP. EXCOMMVN. QVARTADECIMANOS.

QVARTA DECIMANI CVR NON AMPLIVS TOLERANDI.

h *Socom. 7. c. 18.*

stæ eum fouerunt errorem, sed ipse, & quem vidimus, Blastus Romanæ Ecclesię presbyter, ea ratione Iudaismum latenter (vt ait Tertullianus *a*) introducere conatus est; & quod ei contradiceretur, schismate se ab Ecclesia præcidit *b*, compluribus aliis in suam sententiam perductis. Quapropter cum hæc amplius tolerare, idem iam videretur quod schismati fauere; etsi durum ac violentum visum est multis remedium Victoris Papæ, perneccssarium tamen ad vlcus sanandum: cum præsertim nõ eadem præsens esset Asianorum causa, ac fuisse vidimus tempore Polycarpi; quando quidem olim illi ex permissione, illi nunc ex necessitate eid se agere dicerent, ac proinde eos qui secus facerent, errore labi iactarent.

Ne autem aliquæ Occidentalium Ecclesiarum in eiusmodi Asianorum errorem laberentur, curauit idem Victor eas omnes admonere, vt in antiqua Apostolorum traditione permanerent: nam quæ extant binæ ipsius ad Desiderium, & Patacodam, Episcopos Viennenses, & per eos ad vniuersam Ecclesiam Gallicanam datæ diuersis temporibus de ea re literæ, argumento sunt eum & alias eiusdem generis ad reliquas Occidentalis Orbis Ecclesias direxisse. Porro qui in Oriente ea de causa auulsi sunt ab Ecclesia, magna ex parte in schismate permanserunt in longum tempus: licet enim ingens eorum numerus tempore Concilii Nicæni (à quo probata est sententia Victoris) ad Ecclesiam fuerit reuocatus; tamen etiam postea Syros, Cilices, & Mesopotamos in eodem errore permansisse, S. Athanasius etradit. Fauerunt & alii eidem sententiæ, de quibus dicetur suis locis.

a *Tert. de præscr. c. 53.*
b *Euseb. 5. hist. 19.*
c *Niceph. l. 4. c. 30.*

IESV CHRISTI AN. 199.

VICTORIS AN. 6.

SEVERI IMP. AN. 5.

ANno Christi centesimo nonagesimo nono, Laterano & Rufino Coss. Seuerus anno Imperii quinto proficiscens in Gallias aduersus Albinum rebellantem, in itinere *Bassianum* filium suum maiorem, Cæsarem dixit, & *Antonini* appellatione auxit, quam etiam postea Getæ minori filio detulit, in animo habens (quod tradit Spartianus) vt omnes deinceps Principes, quemadmodum AVGVSTI, ita etiam ANTONINI dicerentur. Ac certe ab Antonino Pio qui primus id cognomen gessit, ad Maximinum vsque, reliqui omnes Imperatores eo prænomine vsi reperiũtur, tamquam omnibus Augustis debito: qua de re præclare postea disseruit apud Populum Romanum Alexãder Seuerus referente Lampridio. Ceterum Seuerus difficillimo prælio apud Lugdunum obtinuit Albinum, eoque occiso solus secutusque potitus est Imperio.

I. ANTONINI PRÆNOMEN COMMVNE IMPERATORIBVS.

Ponitur item ab Eusebio hoc anno Iudaicum Bellum atque Samariticum simul exortum, vel (vt ait) potius resumptum. Infelicissima plane fuit Seueri temporibus conditio Iudæorum; quippe quos primo Pescennius Niger adeo tributis oppressit *f*, vt etiam aerem eorum conferre cuperet; eo vero extincto, Claudius *g* ex Nigri partibus homo Romanus, latronem agens, incursionibus suis deprædatus est: iisdemq; ipsis rebellantibus à Romanis, atque anno sequenti à Seuero debellatis, decretus fuit de illis à Senatu triumphus: ac demum idem Imp. Iudæos fieri sub graui pœna vetuit, prout testatur Spartianus.

II. IVDÆI RVRSVM APPLICATI.

f *Spart. in Pescen.*
g *Dio in Seuer.*

Interea vero cum quæ iisdem locis esset Ecclesia pace tranquillissima frueretur, *Narcissus* Hierosolymorũ Episcopus sanctitate & miraculis illustris post Cõcilium anno superiori celebratũ, quorumdã hominum nequam, qui eius reprehensiones non ferrent, calumniis circũuentus, quamuis ii nullam fidem apud populum inuenissent, ipse tamen tum indignatione quadam obiectę criminationis, tum maxime amore tranquillioris vitæ quã iam diu optauerat, volens libensq; magno omnium mœrore solum vertit, & in secretam solitudinem se recipiens, multis annis anachoreticam vitam duxit: cuius interim accusatores eadem diuinitus acerbissimas pœnas publice meruerũt, quas sibimetipsi

III. DE NARCISSO HIEROS. EPISCOPO.

optaue-

optauerant, vt fidem calumniarum suarum populo facerent: quippe vnus cum tota familia, suaque stirpe, rapido flammarum ardore diuinitus immisso conflagrauit: alius fœdo morbo ab extremis pedum digitis ad caput vsque infectus contabuit: tertius pœnas aliorum intuens, reformidansque, reatum palam confessus, vsque eo lacrymas fundere non destitit, quoad vtrumque oculum sibi penitus extinxerit. Porro cum in Narcissi locum Hierosolymis suffectus esset *Dius*, huic vero non longo tempore Ecclesiam gubernanti *Germanion*, & isti *Gordius*, rursum Narcissus ab Hierosolymitanis repertus, & instantissime rogatus, eius Ecclesiæ gubernacula suscepit, dato ei, diuino monitu, ob ingrauescentem ætatem centum amplius annorum, collega *Alexandro* iam alterius in Cappadocia Ecclesiæ Episcopo, qui voti & locorum visendorum causa Hierosolymam aduenerat. Hæc omnia pluribus Eusebius, *a* qui Alexandri ingressum contigisse scribit post obitum Seueri Imperatoris, quem tamen hic occasione continuationis historiæ recensuisse oportuit. Sed de ipso iterum agetur suis locis inferius.

a *Euſ. 6. hiſt. 8. 9.*

IESV CHRISTI AN. 200.

VICTORIS AN. 7.

SEVERI IMP. AN. 6.

I.

b *Herodia. li. 3 Spart. in Sen.* SEVERVS SAEVISSAEVIT IN SVOS.

ANno Christi ducentesimo, Satutnino & Gallo Coss. Seuerus Imp. è Galliis Romam victor ingressus est ouans: recusasse enim tradunt *b* triumphũ, ne videretur de ciuili sanguine captasse gloriam, qui tamen paulo post quãplurimos, qui Albino & Pescennio fauissent, clarissimos viros occidit, nulli parcens eorum qui vel leuitantummodo suspicione laborassent: recenseturque Spartianus nomina vnius & quadraginta Consularium ac Prætorianorum virorum, qui tunc ab eo necati sunt iussi. Damnati quoque plerique, qui loco dixerant, *Vere Imperator nominis sui, vere Pertinax, vere Seuerus.* Multos insuper, quasi Chaldæos aut vates de sua salute consuluissent, interemit, præcipue vero suspectos, vnumquemque idoneum Imperio, quod ipse paruos tantum filios haberet. Quibus factis nomen consecutus est infame, vt diceretur à pluribus *Sylla Punicus.* Hæc Spartianus. *c*

c *Spart. in Sen. & in Pescen.*

II.

d *Tert. Apol. cap. 35. & ad Scap. cap. 2.* CHRIST. ACCVSATI HOSTES IMP.

Sed quod in tam immensa ciuium cæde, Christiani soli malorum spectatores quiete agerent, (quippe quos nulli tyrannorum adhæsisse, tam gloriose quam vere Tertullianus *d* prædicat) Gentiles liuore correpti, haud valuerunt se vltra eius continere, quin foras in persecutionem erumperẽt ea nimirũ honestissima (vt videbatur) occatione, quod cum omnes reliqui ciues victorem Imperatorem epulis publicis, & lectisterniis, floribus, laureis, sutilibus, luminibus, & aliis id genus officiis in lætitia publica exhibere solitis excepissent, ab his Christiani abstinuissent, ac proinde se Imperatorem odio prosequi ostenderent. Hæc quidem obiecta fuisse, docet Tertullianus *e* in forti illa Defensione, quam pro iis & aliis eiusmodi criminationibus diluendis conscripsit, de qua anno sequenti, simulque de inchoata persecutione.

e *Id. Ap. c. 35.*

IESV CHRISTI AN. 201.

VICTORIS AN. 8.

SEVERI IMP. AN. 7.

I.

ANTONINVS IMP.

f *Collegerunt Ald. Pauu. Adolph. & Suet. Egitſſ de iis Bar. an. 197.*

ANno Christi ducentesimo primo, Anulino secundum & Frontone Coss. Seuerus labente sexto Imperii anno, antequam septimus numerari inciperet, maiorem natu filium ANTONINVM Cæsarem, ex Senatusconsulto (vt habet Spartianus) creauit Imperatorem. Vnde in antiquis *f* inscriptionibus Tribunitia Potestas, solita cum Augusti nomine conferri, sexies, in aliis vero quinquies, amplius in Seuero quam in Antonino iterata reperitur: ex quibus plane mendosi arguuntur tituli præfixi rescriptis quibusdam Seueri, cum ante Consules huius anni Antoninus ei collega apponitur. Placuit autem Seuero * ad conciliandum sibi populum, præter munificentissimas munerum editiones, congiariumque magnum populo collatum, militibus etiam erogare donatiuum, cuius hactenus nonnulla extant *a* numismata, quæ docent id factum esse hoc ipso anno, cum iam Seuerus auctus esset septima potestate Tribunitia.

* *Herod. lib. 3. Spart. in Sen.*

a *Ap. Pyrrh. Ligor.*

Huius autem exhibitionis tempore, illud de Christiano milite accidit, quod Tertullianus Romæ tunc existens in libro *b de Corona militis* describit: nempe, cum is noluisset (quod alii omnes Christiani milites absque scrupulo facerent) coronam lauream, ex more, donatiuum accepturus in capite gestare, à Præfecto militia depositum, ac fustibus cæsum, tussisse in carcerem detrusum. Additque idem auctor, eum militem & à Christianis quoque fuisse culpatum, tamquam nimis præcipitem & mori cupidum, & quod eo facto longam Ecclesiæ tranquillitatem in discrimen adduxisset. Qua de re cum ipse grauiter indignetur, simulque in ipsos etiam Christianorum Antistites, atque adeo Romanæ Ecclesiæ Pontifices inuehatur, quod asserent non temere se offerendum esse martyrio, sed licitas esse persecutionis tempore latebras atque fugam, satis demonstrat iam tunc se mutatum fuisse, & in Montani errores infelicem prolapsum, quibus inter alia, contra præceptum *c* Domini negaretur fugienda esse vllo modo martyria.

b *Tert. de cor. mil. c. 1.* DE MILITE CHRIST. CORONARI RENVENTE.

c *Matt. 10.*

III.

TERTVL. LAPSVS CAVSÆ

Cæterum causam cur ab Ecclesia desciuerit, S. Hieronymus *d* recensens, ait illum, cum vsque ad mediam ætatem presbyter Ecclesiæ permansisset, inuidia postea & contumeliis clericorum Romanorum, ad Montani dogma dilapsum esse. At vero ipsi Tertulliano de seipso potius credendum videtur, asserenti *e* agnitionem atque defensionem Paracleti ipsum disiunxisse à Psychicis, hoc est Catholicis, postquam Montani Prophetia à Romano Pontifice cognita est atque damnata. Quod si post hæc à Clero Romano passus est aliquid, fuit ea criminis pœna, & non causa delicti. Sed insuper quid causæ fuerit, cur adeo moribus, eruditione, & zelo Christianæ religionis vir præstãs, (ipsius enim scripta sunt horum omnium manifestissima signa) tam infeliciter se præcipitem dederit in hæresim quam iam antea condemnasset, *f* & adeo turpiter defecerit ab Ecclesia Romana, cuius fidem tantopere commendasset, *g* haud est facile consequi. Indigne fortasse tulit, gentilem suum Victorem Romanum Pontificem (sub quo eius lapsum accidisse constat) sibi honore prælatum, vel quod ab ipso non eo quem sibi præsumpserat, coleretur honore. Sane quidem apud S. Ambrosium, *h* (quisquis ille fuerit, antiquus est auctor) Tertullianus Nouatiano coniungitur, vt asseratur amborum iniuriæ tabo infecti ab Ecclesia desciuisse. Putauit Pamelius, ob repulsam Episcopatus Carthaginiensis illud præstitisse: sed & aliæ *i* ab aliis causæ, quantumlibet leuissima coniectura nitantur, in medium adducuntur.

d *Hier. de Scr. Eccl. in Tert.*

e *Tert. adu. Prax. c. 1.*

f *Id. de præſc. c. 52.*

g *Ibid. c. 36.*

h *Ap. Ambr. in 1. Cor. 13.*

i *Vid. Pam in Vit. Tert.*

IV.

TERTVL. IN GENIVM FACILE DECIPI.

Equidem dum attentius considero durum hominis ingenium, austerumque animum, (qui affectus in eius scriptis vbique elucent) facile adducor vt credam, hominem qui vitæ Christianæ professionem in seueritate atque austeritate nimia tantummodo collocaret, cum in Proclum seu Proculum moderatiorem Montani sectatorem, omniumque disertissimum impegisset, (quem & mirifice *k* laudasse reperitur) deceptum ab eo fuisse, quod ille doctrinam suam nõ ab homine, sed à Paracleto qui descendisset in hominem se accepisse profiteretur, quodque præferret veritatem Catholici dogmatis in his quæ spectarent ad Christum atq; sanctissimam Trinitatem, castitatem item ac continentiam celebraret, ieiunia austeriora instinctu Spiritus seruanda indiceret, vigilias ac preces multiplicaret, martyrium adeo extolleret, vt nec fugam, aliasque latebras, vel redemptionem vitæ admitteret: hæc, inquam, & alia id genus, è poculo Procli homo eorum sitientissimus hauriens, (quem & alioqui in credendo adeo facilem fuisse constat, vt etiam qualiumcumque muliercularum *l* somniis fidem præstaret) mox ebrius redditus, in Catholicos furere, quod tam bonas à Spiritu reuelatas institutiones damnassent,

k *Tert. adu. Valent. c. 5.*

l *Id. de anima cap. 9.*

PSYCHICI QVI DICTI.

mnassent, eosdemque ideo non Christianos, sed *Psychicos*, hoc est Animales, nominare cœpit, calumniis iniquissimis ac contumeliis eosdem onerare non cessans. Sed quod spectat ad *Psychicorum* appellationem; fuit Valentini hæresiarchæ primum inuentum, vt (quod scribit Irenæus *a*) Psychicos nominaret homines, qui non essent, sicut suos esse dicebat, spirituales. Transiit vero eadem vox ad Cataphrygas: à quibus æque omnes non suscipientes Paracletum, *Psychicos* appellatos esse, Clemens *b* Alexandrinus testatur. Indeque est quod apud Tertullianum non Catholici modo, sed & hæretici quoque omnes qui suum ipsius spernerent Paracletum, dicti sunt *Psychici*.

a *Iren. lib. 1. cap. 1.*

b *Clem. Strom lib. 4.*

V. LAVREAM GESTARE LICITVM.

Et quod ab Ecclesia semel desciscens, in eamdem immortale iurasset bellum, inde accidit vt quod Catholici improbarent, mordicus ipse defenderet; vt de milite illo accidisse vidimus, qui renuisset lauream in capite. Non certe ex idolo eâ sumebant, vel ei postea offerebant: nulla cum earthuris oblatio, vel alia intercedebat superstitiosa libatio, nihilq; aliud præsefe ferebat quam insigne victoriæ: qua quidem nec qui tunc aderant, nec qui alias sub aliis Imperatoribus militassent, abstinuisse vnquam, nec quod retinuerint reprehensi inueniuntur. Nec rursus quod Laurus Apollini diceretur esse dicata, ea coronari vetitum erat: nam hac ratione nec ipsis quatuor elementis (quod deridet Augustinus *c*) nec arboribus, aliisue plantis, & animalibus, diuersis diis dicatis, vti concessum fuisset: Cum alioqui etiam idolothyta nulla facta disquisitione manducari permiserit Apostolus *d*, dum nullum imminet scandalum. Quapropter cum nullus penitus ex eiusmodi corona esset offensioni locus, eaque non esset eius temporis & actionis voluntarium, sed omnino necessariũ militum capitis ornamentum, (licet nostratum non sit partium, militem illum absoluere, aut condemnare) certe non temere audax eius facinus cæteri improbarunt Christiani, cuius occasione mox fuerit post longam pacem Ecclesia noua persecutione concussa. Atqui Tertullianus, cum tam vehementem pro coinstituisset defensionem, eo erroris est etiam prolapsus, vt negaret e Christianum hominem posse fide salua militem agere: sed & in plures alios inductus est, de quibus dicetur suo loco. Illud tamen non male, etiamsi ad malum abuteretur, cum non ex Scriptura tantum, sed ex lege quoque non scripta, ex Traditionibus scilicet, ac Consuetudine diu ab Ecclesia obseruata, licere sumere argumentum affirmat: hæque dicens, antiquas rerexit Ecclesiæ Traditiones, nobilissimum plane Christianæ religionis monumentum. Nec enim eas deducit ex schola Montani, (vt calumniose prætexunt Nouantes) cuius vix limen ingressus tum erat; sed quod aduersus Catholicos ageret, ad eos conuincendos non alias certe quam ex Catholica Ecclesia petitas (vt argumentatio vires haberet) traditiones antiquas eum recensuisse oportuit. Verum & de hoc iam dictum est superius, quas namq; ille traditiones commemorauerit, æquale plurimis, pro disputationum opportunitate, suis locis tractatum est.

c *Aug. ep. 54. ad Publicol.*

d *1. Cor. 10.*

e *Tert. de cor. mil. c. 11. An. 53. IV.*

VI. PLAVTIANI FASTVS ET SVPERBIA.

Interea Seuerus Imperator ingenti expeditione aduersus Parthos comparata, vna cum filiis in Orientem proficiscens, reliquit Romæ qui omnium curam ageret *Lucium Septimium* PLAVTIANVM, cuius filiam Antonino filio suo dederat in vxorem: qui quidem genere Afer & ipsius Seueri municeps, ex humili fortuna in tantam potentiam euectus est, vt ipsi etiam Imperatori videretur imperare; cuius immensas diuitias ex damnatorum bonis partas, truculentiam, & arrogantissimum fastum, pluribus describunt Dio *f* & Herodianus *g*: quippe *quacumque incederet*, (inquit Herodianus) *adeo trux & horribilis erat, vt non modo non adiretur à quoquam, sed etiam qui fortuito occurrebant, ab eo auerterent oculos; quia antecambulones aliquot denuntiabant, nequis in proximo consisteret, neue illum contueri auderet, sed auerterent vniuersi oculos, terramque despectarent.* Hic igitur talis, cum ex sententia Imperatoris (quod Dio & Sparrianus tradunt) animaduerteret in reliquos qui suspecti essent de commercio cum Nigro vel Albino; (Hæc namque illa est racematio, quam vocat Tertullianus *h*, post vindemiam parricidarum sceleratum patrium:) nec Christianis pepercit, quod & ipsi contemptæ maiestatis, ob prætermissa quæ diximus ab aliis exhiberi solita officia, ab inuidentibus in crimen adducerentur: quem & nouus casus de milite coronam ferre recusante, vehementer exacerbauit.

f *Dio in Seuer.*

g *Herod. lib. 3.*

h *Tert. Apol. cap. 35.*

Sed & accidit hoc eodem tempore (quod narrat Tertullianus *a*) vt in eorumdem Christianorum contumeliam, pictura quædam fuerit Romæ publicata cum eiusmodi inscriptione, DEVS CHRISTIANORVM ONONYCHITES; qui quidem erat auribus asininis, altero pede vngulatus, libram gestans, & togatus. Hæc vero non ob aliam causam puto Gentiles effinxisse, quam quod (vt idem *b* testatur) à Cornelio Tacito *c* diffamatum vbique fuisset, Christianos caput asini adorare, quod eũ ipsi Ægypto extorres, in vastis Arabiæ desertis aquarum egentissimis siti macerarentur, onagris indicibus qui forte de pastu potum petebãt, fontem reperissent. Asseruere pariter idem commentũ Plutarchus *d*, & alii: sed haud dubium illud mutuati ex scriptis Apionis Alexandrini, infensissimi Iudæorum hostis; quem ista & alia multa de Iudæis mentientem, egregie olim Iosephus *e* confutauit. Hæc itaque à Gentilibus obiecta Iudæis, transierunt in calumniam Christianorum: sicut & eadem paulo post, apud Minutium Felicem Cæcilius exprobrauit Octauio. Potuit tamen & ex Gnosticis hæreticis eadem calumnia, sicut & aliæ multæ, ad Gentiles esse prolapsa; quod (vt alias dictum est) librum scripsissent nomine *Stirpis Mariæ*, in quo inter alia horrenda asseruissent *f*, Dominum Sabaoth fuisse figuræ hominis asini formam habentis.

a *Tert. Apol. cap. 16.* CAPITIS ASININI ADORATIO OBJECTA CHRISTIANIS.

b *Ibid. cap. 25.*

c *Tac. hist. lib. 5.*

d *Plut. 4. Sympos. 5.*

e *Ioseph. cont. Apion lib. 2.*

His igitur omnibus quas diximus accusationibus, aliisque item de infantium cæde, esu humanarum carnium, & promiscuo in Synaxibus post extinctionem luminum concubitu, iactari olim solitis calumniis, denuo apud Gentiles ore omnium diffamatis; factum est rursum (quod quidem alias sæpius accidisset, sed ab Imperatoribus Traiano, Hadriano, ac Marco Aurelio prohibitum fuisset) vt nomen ipsum Christianum, esset in manifestum crimen tot horrendorum scelerum, & immanis inde his diebus excitata Romæ fuerit in Christianos Persecutio, quatum à Magistratibus innoxii & inauditi, vel crucibus impositi sunt, vel bestiis & ignibus viui obiecti, vel in metalla damnati, vel denique post varia alia crudelissima tormenta necati aut relegati; atque ipsæ fœminæ castitatis amantissimæ, lenonibus traditæ vt pudicitiæ dispendium paterentur: tum ab ipso furente populo ignominiis affecti, lapidibus inuasi, immo & post obitum de requie sepulturæ ausi: vt de his omnibus Tertullianus queritur in eruditissimo *Apologetico*, quem hoc ipso anno absente Seuero Imp. ad Magistratus Romanos, ipsos, vt vocat, Romani Imperii Antistites, ibidem Romæ (vt multa demonstant) suo tacito nomine, pro Christianis elucubrauit: eodemque prædictas omnes calumnias, aliasque in eosdem coniici solitas, vehementissime more suo purgauit & confutauit: multa immiscens de innocentissima simul & vtilissima (nam & inertiæ accusabantur) Christianorum vita, deque eorum fidelitate erga Imperatores, ac precibus pro eis fieri solitis. Etsi porro aspera hæc videri poterant, potius tamen præludia quædam persecutionis fuere. Nam ad hunc diem (vt eodem commentario idem auctor *g* asserit) nullum à Seuero aduersus Christianos fuerat promulgatum edictum; quod post bellum Parthicum, (abhinc scilicet triennium,) fuisse editum Spartianus est auctor. Quæ vero interim Romæ agerentur, auctoritate fiebant Plautiani.

VII. TERTVL. APOLOGIA PRO CHRIS.

g *Tert. Apol. cap. 5.*

VIII. PERSECVTIONEM RECRVDESCIT.

IESV CHRISTI AN. 202.

VICTORIS AN. 9.

SEVERI IMP. AN. 8.

ANnus Christi ducentesimus secundus adscribitur Fastis Claudio Seuero & Aufidio Victorino Coss. Cuius Claudii Consulatu notata habentur Acta *h* *Martyrum Scillitanorum*, septem virorum & quinque feminarum, qui pro Christi nomine Carthagine in Africa sub Proconsule Saturnino capite truncati sunt decimaseptima Iulii; quæ etiam natalis eorũ dies hactenus anniuersaria commemora-

I. ACTA MARTYRVM SCILLITANORVM

h *Descripsit Baron. Annal. Tom. II. hoc an. ex cod. ms.*

tione co-

tione celebratur ab Ecclesia Catholica : testaturque Possidius, *a* iam olim in eorum laudem S. Augustinum habuisse tractatum. Meminit eiusdem Saturnini Proconsulis Tertullianus *b* ad Scapulam, eumque ait primum omnium sub Seuero Carthagine gladium in Christianos egisse, acinde lumina amisisse; sed & ob Christianum sanguinem fusum, excrescentibus imbribus homines grauia passos esse, aliaque contigisse prodigia, de quibus dicetur anno sequenti.

Porro ex iisdem Actis colligi videtur, non Christianitatis aperta causa, quod nondum lege Principis edicta esset persecutio, sed maiestatis prætextu quod Imperatores nollent venerari, & per eorum genios iurare, eos martyres necatos esse. Magnum quippe plane videbatur Gentilibus eiusmodi iusiurandum: adeo vt (quod ait Minutius *c* Felix) grauius existimarent per genium Regis, quam genium Iouis peierare. Ideoque ad huiusmodi iuramentum his temporibus consueuisse Gentiles Magistratus adigere Christianos, docet Tertullianus in Apologetico: *d* & ad Scapulam demonstrat, qui iurarent per genios Imperatorum, arguit illis esse fideles, ac contra infideles & inimicos, qui id detrectarent.

Adde quod cum penes Gentiles (vt testatur idem auctor, & alii qui pro Christianis scripserunt Apologias) inualuisset opinio, Christianos de regno assidue loquentes & Christo venturo, esse Imperii perduelles, & moliri ab Imperatoribus defectionem, eam ob rem ab eis iuramentum eiusmodi exigere consueuerant: quemadmodum & a Polycarpo, *f* & ab aliis martyribus, petisse Præsides reperimus vt iurarent per fortunam Imperatorum. Eademque de causa, non solum vt Christum negarent, sed etiam vt eum blasphemarent ac male dicerent, iuberi solitum, constat ex eadem martyrii Polycarpi historia, necnon ex passione Biblidis *g* Lugdunensis, aliisque SS. Martyrum Actis, ac denique ex epistola Plinii *h* Secundi ad Traianum Imperatorem de Christianis scripta. Porro sic iurasse Christianos Principibus, vt etiam licite per salutem ipsorum iurarent, sed tamen abstinerent penitus à deorum & geniorum, tamquam dæmoniorum nominibus, idem Tertullianus *i* docet. Viguitque diutius apud nonnullos idem vsus, & adhuc viget, vt sic homines iurent. Sed temerarium ac periculosum visum *k* est Francorum Regibus, eiusmodi à quocumque passim fieri solita salutis Regis per iuramentum oppignoratio numini: quamobrem lege cauerunt, nequis præsumeret per vitam Regis ac filiorum eius iurare. Ceterum militum Christianorum sub Gentilibus Imperatoribus solitum iuramentum, Vegetius *l* ait fuisse, quod *iurarent per Deum, Christum & Sanctum Spiritum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se strenue facturos quæ præcepisset Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.*

a *Pos. Ind. c. 9.*

b *Tert. ad Scap. c. 3.*

II. CHRIST. REI MAIEST. FACTI.

c *Minut. in Octau.*

d *Tert. Apol. cap. 32.*
e *Id. ad Scap. cap. 2.*

III. DELVRAMENTO A CHRIST. EXIGI, ET FIERI SOLITO.

De quo Bar. an. 169. 179. 197.
f *Ap. Eus. 4. hist. 14.*

g *Ibid. 5. hi. 1.*
h *Plin. 10. ep. 97.*

i *Ter. Ap. c. 32.*
k *Pam. in Ter Apol. c. 32. not. 450.* [vbi hanc legem tribuit Clodoueo. Atin Capit. Car. Mag. lib 3. c. 42. & in Leg. Long. lib. 3. tit. 34. tribuitur Carolo Magno Potuit ab vtroque diuersis temporibus & occasionibus promulgari.]
l *Veget. lib. 2. de re mil.*

IESV CHRISTI AN. 203.

ZEPHYRINI AN. 1.

SEVERI IMP. AN. 9.

ANno Christi ducentesimo tertio, Annio Fabiano & Nonio Muciano Coss. anno nono *m* Seueri Imperatoris, *Victor* Papa auspicatus iam annum decimum sui Pontificatus per mensem vnum & dies viginti octo, martyrio coronatus est die vigesima octaua Iulii, sepultusque in Vaticano. De cuius decretis, præter illa quæ superius dicta sunt, traditur in Libro de Rom. Pontificibus, ipsum constituisse, *vt necessitate faciente, vbicumque inuentus fuisset quicumque hominum ex Gentibus veniens, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, siue in stagno baptizaretur, (tantummodo Christiana credulitatis confessione declarata) integer efficeretur Christianus.* Cuius sedes *n* cum vacasset dies vndecim, ordinatus est in locum eius ZEPHYRINVS patria Romanus, Abundii filius.

Hoc eodem anno Saturnino Africæ Proconsuli subrogatus Scapula, accepto à Plautiano (penes quem absente Imperatore erat summa rerum Occidentalium) man-

I. n *Eus. 5. hist. 17.* VICTORIS PP. MARTYRIVM.

Lib. de Rom. Pont. ZEPHYRINI VBROGATIO.

II. TERT. SCRIBIT AD SCAPVLAM PRONS. PRO CHRIST.

m *Eus. 6. hi. 11. Hier. de Scr. Eccl. in Ori. Oros. lib. 7. c. 17.*

dato vt in eos qui maiestatis suspecti essent animaduerteret, eo nomine (vt Romæ factum vidimus) in Africa persecutionem aduersus Christianos mouit, cum nullum adhuc in eos Imperatoris edictum promulgatum esset. Hæc enim docet Tertullianus in commentario, quem hoc eodem anno reuersus Carthaginem, scripsit ad eumdem *Scapulam*, declamatorium potius quam supplicem, quo violentos illius impetus sisteret. Et quod ea potissimum causa Christianos exagitaret; quod viderentur esse rebelles Imperatori, eamdem (vt fecerat Romæ in Apologetico) fortissime redarguit atque refellit, pluribus demonstrans eos Imperatori fideliissimos esse: Quo vero eum dem à cœpto retraheret, terrorem maxime incussit cum prodigiorum quæ accidissent; nempe imbrium excrescentium, ignium in cælo apparentium, horrendorum tonitruum, & praeter tosi Solis defectus, tum exemplo Præsidum qui olim in Christianos sæuissent, & grauiter mulctati fuissent, addens & laudem aliorum, qui iussi persequi Christianos, dissimulassent.

His item Seueri temporibus (nescitur certus annus) post Aquilam & Theodotionem, SYMMACHVS nouam diuinæ Scripturæ Interpretationem edidit, quam fuisse duplicem testatur Hieronymus, *a* nec verbum ex verbo reddidisse, sed sententiam ex sententiis, & sensum ex sensu. Ipsum autem Symmachum tradit Epiphanius *b* fuisse genere Samaritam, ex numero sapientum qui essent apud eos, sed cum non reperisset fidem apud propriam gentem, principatus cupidum ad Iudæos accessisse, & factum proselytum circumcisum esse secunda circumcisione. Verum Eusebius *d* & Hieronymus *e* testantur ipsum fuisse ex Christiano Ebionitam.

Cæterum apud plerosque antiquos auctores mentio habetur de *Symmachianis* hæreticis, non quod à Symmacho Interprete deriuentur, (nam id quidem apud neminem testatum reperi) sed quod fuerit quidam *Symmachus*, qui non statum reperi) sed quod fuerit quidam *Symmachus*, qui non sperans iudicium, vitiis sæcularibus & carnalibus concupiscentiis seruiendum prædicaret, vt tradit Philastrius: *e* qui tamen eum à PATRICIO quodam institutum fuisse dicit, auctore *Patricianorum* hæreticorum, qui carnem hominis à diabolo factam assererent, ideoque contemnendam & modis omnibus abiiciendam esse, adeo vt etiam quidam ex illis sibi mortem inferre non dubitarent. Fuerunt & alii *Symmachiani*, maiorem habentes cum Symmacho Interprete conuenientiam, qui apud Ambrosium *f* dicuntur ex Pharisæis originem traxisse, ac seruata omni Lege, cum Christianos se dicerent, Christum tamen hominem tantummodo definisse.

III. DE SYMMACHI INTERPRETATIONE.

a *Hier. in Hier. rem. 32.*
b *Epi. de mens. & pond.*
c *Eus. 6. hi. 11.*
d *Hier. Apol. aduers. Ruff. præf. in Esdr. & alibi.*

IV. SYMMACHIANI HÆRETICI.

e *Phil. c. 63. 64.* PATRICIVS HÆRESIARCHA.

f *Amb. præf. in ep. ad Gal.*

IESV CHRISTI AN. 204.

ZEPHYRINI AN. 2.

SEVERI IMP. AN. 10.

ANno Christi ducentesimo quarto, Seuerus Aug. cum bello Parthico feliciter anno superiori confecto in Syriam rediisset, illic tertium iniit Consulatum, collegam sibi assumens Antoninum filium Aug. Quando Alexandriam petens, *in itinere* (inquit Spartianus *g*) *Iudæos fieri sub graui pœna vetuit, idemque de Christianis sanxit.* Eusebius *h* etiam atque Hieronymus, *i* hoc anno decimo Seueri excitatam hanc communem omnibus PERSECVTIONEM affirmant: quam QVINTAM Orosius *k* nominat, Seuerus *l* SEXTAM. Habet autem Eusebius, *m* eam adeo Christianos perturbasse, vt iam omnes existimarent Antichristi aduentum appropinquasse, ac proinde mundi interitum breui affore. Peculiare namque fuit antiquis Christianis, nec priuatis tantum, sed & ipsis sanctis Episcopis, vt qui ad Dotum Fidelibus, sed & ipsis sanctis Episcopis, vt qui ad Dominii aduentum solicite vigilarent, cum impiissimam alimini aduentum solicite vigilarent, cum impiissimam alicumque passim fieri solita salutis Regis per iuramentum oppignoratio numini: quamobrem lege cauerunt, nequis præsumeret per vitam Regis ac filiorum eius iurare. Ceterum militum Christianorum sub Gentilibus Imperatoribus solitum iuramentum, Vegetius *l* ait fuisse, quod *iurarent per Deum, Christum & Sanctum Spiritum, & per maiestatem Imperatoris, omnia se strenue facturos quæ præcepisset Imperator, numquam deserturos militiam, nec mortem recusaturos pro Romana Republica.*

I. EDICTVM DE PERSECVTIONE.

g *Spart. in Seu.*
h *Eus. in Chr. & 6. hist. 2.*
i *Hier. de Scr. Eccl. in Ori.*
k *Oros. lib. 7. c. 17.*
l *Seu. hi. li. 2.*
m *Eus. 6. hi.* ANTICHRISTI PVTAT ADESSE TEMPORA.

idem Seuerus *a* speciale etiam rescriptum Romam dedit, quo Præfecto Vrbi cognitionem tribuit Collegiorum illicitorum, nempe conuentuum Christianorum.

Cum autem Alexandriam peruenisset, vt sibi Ægyptiorum conciliaret animos, concessit (quod scribit *b* Dio) vt non amplius Equitem Romanum, sed Senatorem haberent *Præfectum Augustalem*: ita illum dictum, quod olim Augustus Imperator, cum cæterarum prouinciarum administrationem Senatoribus assignasset, Ægyptum, prouinciam aditu difficilem, annona fœcundissimam, superstitione ac lasciuia discordem & mobilem, insciam legum, ignaram magistratuum, expedire putauit per Equites retinere, ne per Senatores potentiores ad res nouas moliendas instigarentur: ideoque nec illustrioribus Equitibus eam committi voluit. Tradunt hæc pluribus Tacitus *c* & Dio. *d* At vero non solum Seuerus Ægyptiis concessit Senatores Præfectos, sed & Antoninus eius filius (vt idem Dio scribit) eosdem Ægyptios in Senatum Romanum adscripsit. Perseuerauit tamen idem titulus, vt qui præesset prouinciæ diceretur *Præfectus Augustalis*, de cuius officio est titulus in Digestis.

His autem diebus, qui eamdem Præfecturam iam à tempore Commodi Imperatoris optime administrauerat, *Philippus* Christianus factus, à Seuero non solum dignitate depositus est, sed & à Terentio Læto eius successore dato, percarios clam domi, ne tumultus ob eam oriretur in populo, iussus occidi: cuius anniuersaria dies Idibus Septembris in Ecclesiasticis antiquis Tabulis descripta est. Fuit ei filia *Eugenia*, quam cum Acilio viro Consulari despondisset, illa nuptias auersata, vna cum fidelibus eunuchis Proto & Hyacintho secedēs, virili habitu delituit inter monachos, quos Essenos à Philone dictos esse superius demonstrauimus, hæc omnia perficiente S. Heleno Episcopo Heliopoleos. Extant eius Acta, in quibus hæc & alia ad partem filiamq; spectantia narrantur fusius, quæ ex antiquioribus monumentis Metaphrastes *e* excerpsit: Iisque plane consentientia esse noscuntur, quæ ab Alcimo Auito Episcopo Viennensi post trecentos ferme ab hinc annos, ad Fuscinam sororem scripta sunt de eadem Eugenia diu inter monachos incognita habita, quæ demum rea facta stupri, quod erat propalare coacta fuerit. Ea vero post necem patris, vna cum Claudia matre Romam egressa, tandem sub imperio Gallieni martyrium est consecuta. Sed in iisdem Actis corrigendum de eius patre Philippo, quod dicitur Episcopus Alexandrinus: nam eius Præfectura læcularis fuit, non sacerdotalis. De quo etiam hallucinati sunt, *f* qui putarunt eumdem fuisse cum Philippo Imperatore.

Hoc item decimo Seueri Imp. anno, inter alios plurimos, quos ipso persecutionis exordio ibidem Alexandriæ passos Eusebius *g* tradit, agit imprimis de *Leonide* Origenis patre (qui apud Suidam *h* Episcopus fuisse legitur) sub eodem Læto Præfecto martyrio coronato, additque de eminentissimo ipsius Origenis ingenio, & curiosissimo in ipsa etiam pueritia, cum aliarum omnium scientiarum, tum maxime diuinarum literarum interpretationis, sed & de ardentissimo ipsius desiderio suscipiendi martyrii, adeo vt cum patrem vidit captum, vix à matre non quidem precibus, sed vestium subtractione, potuerit retineri, ne se ipsum persecutoribus offerret: quando cum nihil aliud potuit, saltem eumdem patrem suum in carcere detentum literis hortatus est ad subeundum fortiter martyrium. Hæc Eusebius de primordiis Origenis, quem aut post necem patris relictum fuisse vna cum matre & aliis sex fratribus minoribus natu, agentem ætatis annos decem & septem. Reliqua de eo sequentibus annis.

IESV CHRISTI AN. 205.

ZEPHYRINI AN. 5.

SEVERI IMP. AN. 11.

ANno Christi ducentesimo quinto, Plautiano Sillano secundum & Geta Cæs. Coss. primum à Seuero factum est (sicut Dio *a* testatur) Consulatus suffecti cum ordinariis numerarentur, idque in gratiam eiusdem Plautiani soceri Antonini, de quo superius, cui cum olim honores Consulares tribuisset, eumdemque iam Consulem fateretur, iterum Consulem esse dixit: quod exemplum alii deinde secuti sunt. Vnde & quod filius Imperatoris Geta, Cæsar iam dictus, in Consularibus Fastis non prioti loco, sed posteriori ponitur, illud plane tunc accidit (sicut & alias nō raro) quod S. Gregorius *b* Papa (sed ex eodem Dione) tradit, veteris fuisse moris vt quisquis Consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret, & si quis posterius ad Consulatum veniens, Consul non semel, sed bis forte aut tertio fieret, etiam illos laude & honore transcenderet, qui non plusquam semel Consules extitissent.

Cæterum hoc eodem anno Seuerus Imperator vna cum filiis ex Ægypto Romam rediens, de Parthis, aliisque debellatis nationibus amplissimum triumphum duxit: eidemque hoc ipso anno, quo vndecies repetitam suscepit Tribuniciam Potestatem, insignis Arcus marmoreus ex Senatusconsulto erectus est in Foro Romano ad radices Capitolii, qui hactenus extat integer, in quo affabre sculptæ sunt eiusdem belliceæ terra marique expeditiones. Ipse vero erogatis in milites Prætorianos & populum, tot aureis quot imperasset annis, Decennalia sui Imperii celebrauit: hoc quippe anno expleuit decennium, atque vndecimam auspicatus est annum. Hæc Dio, & Herodianus. *d*

Quod autem pertinet ad seuerè cæpeam Christianorum Persecutionē, mira quædam de Origene narrat Eusebius, *e* nimirum, cum anno præterito post martyrium patris relictus annum agens decimumseptimum, ob proscriptionem bonorum paternorum egestate premeretur, mulieris cuiusdam locupletissimæ opibus primo sustentatum fuisse, ac postea scholam aperuisse præceptorum Grammaticorum, demumque his relictis, venditisque humaniorum literarum quos haberet libris, ea conditione vt ab emptore in dies singulos quatuor obolos ad victum acciperet, sic magna continentia & frugalitate vitam transigentem, (cum interim omnes fere doctores, error & persecutionis acerbitas Alexandria procul abegisset) acceptā à Demetrio Episcopo potestate, ibidem anno ætatis decimooctauo profiteri cœpisse diuinarum literarum interpretationem, idq; adeo feliciter, vt complures studiosos suos, tam ex iis qui iam Christiani essent, quam ex Gentilibus quos ad fidem conciliarat, viros & feminas, ad martyrium promouerit, & omnibus pietatis officiis publice inter ipsa supplicia affecerit: ipsum vero diuina prouidentia mortem effugientem, domicilium subinde mutare coactum fuisse, ne à persecutoribus ei magna sollicitudine insidiantibus comprehenderetur. Hæc & alia Eusebius de Origene. Citaturque alibi ipsemet Origenes suarum latebrarum assertor, cum aliquando fugiens persecutionem Gentilium, integrum biennium latuit Cæsareæ Cappadociæ apud virginem quamdam nomine Iulianam, vbi & reperit Interpretationem Symmachi.

Fuit namque illud vrgentibus persecutionibus Christianorum Catholicorum institutum, vt cum pro fide quam susceperissent millies si liceret vitam profundere in voluntate haberent, ac semel tenti magnæ constantiæ in subeundo martyrio specimen ederent, tamen ex præscripto Euangelii, *Cum g persequentur vos in ista ciuitate, fugite in aliam*, latebris vel fuga, cum liceret, à furore persequentium se subducerent, nisi Sanct. Spiritus priuatus impulsu (quod de plurimis contigit) aliter faciendum esse eis suasisset. Hancque sinceram ac veram Christianam esse doctrinam, cum idem Origenes, *h* & Clemens *i* Alexandrinus hac persecutione, tum alii alii sanctissimi æque ac fortissimi viri (de quibus dicetur suis locis) tam scriptis quam exemplis confirmarunt. At contra Marcionitæ, hisque cognati Montanistæ hæretici, cum nefas ducerent persecutionis tempore fugam capere, tamen ipsō hæreseos illorum exordio, *k* nullus inter eos inuentus est, qui vel leuem Christianitatis causa persecutionem sit passus, immo contra reperti *l* sunt, qui ingenti vi pecuniæ vitam redemerint. Porro insanias Montanistarum, Tertullianus in præceps semel infeliciter actus, edito de ea re commen-

a Dio. hi. li. 46 COSS. SVFFECTI NVMERARI COEPTI.

Qua de re vide sup. ad an. 74. num. 1.

b Greg. hom. 3. in Euang.

Ap. Bar. an. 175.

II. TRIVMPHVS SEVERI.

c Dio. in Sept. d Herod. lib. 3.

III. ORIGENES DOCERE INCIPIT.

e Euſ. 6. hiſt. 3.

RIVS IN PERSECVT. OFFICIA.

f Ap. Pallad. in Lausiac. cap. 51.

IV. DE PVGA IN PERSECVTIONE INEVNDA

g Matt. 10.

h Orig. in Ie. cap. 31. i Clem. Strom. lib. 4.

k Vid. Euſ. 5. hiſt. 15.

l Ibid. c. 17.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

commentario validissime tutari conatus est; quo imprimis eos taxat qui fugerent, ac subinde in eos qui collata pecunia suam vexationem redimerent, inuehitur acerbissime. Ex cuius verbis *a* plane videtur, hac vrgente persecutione à Catholicis excogitatum fuisse, vt non solum redemptione martyrii priuatim quisq; sibi consuleret; verum etiam ipsæ Ecclesiæ, vt quiete sibi liceret agere, & conuentus celebrare, certam pecuniarum summam tanquam tributum Principi penderent: quòd ipse quidem valde improbat, sed tamen licite agi constat exemplo Iasonis *b*, & aliorum Apostoli Pauli discipulorum, qui satisdatione data, hoc est (vt interpretatus est olim S. Petrus *c* martyr Episcopus Alexandrinus de eadem hac re agens) pecuniarum largitione facta, se redemerunt à vexatione Gentilium & Iudæorum Thessalonicensium: secundum quod alibi *d* dictum est, *Pretium redemptionis animæ hominis, propriæ diuitiæ.*

Cæterum inter illos quos Eusebius *e* recenset ex discipulis Origenis martyrium subiisse Alexandriæ, insignis extitit confessio S. *Potamiænæ*, eximiæ formæ virginis, quæ post defensim fortiter ab insanis amatorum conatibus pudicitiam, & superata ingenti animo varia pro fide Christi certamina, non solum vna cum matre *Marcella* gloriosissimum incendio martyrium consummauit; sed & post necem frequentibus apparitionibus, tum *Basilidi* (qui eam ad supplicium deduxerat, & à circumstantium contumeliis defenderat) martyrii, tum aliis plurimis Gentilibus, fidei Christianæ conciliatrix extitit. Sed & hoc eodem anno iisdemq; Coss. in antiquis Ecclesiasticis *f* Tabulis, post crudelissima tormenta, passa Carthagine ponitur *S. Gundenis* virgo. Eademque persecutione nobilissimum martyrium consummarunt Tuburbi in Mauritania præclarissimæ re ac nomine *Perpetua ac Felicitas* nobiles feminæ: de quarum altera, nempe Perpetua, deque pauenda simul ac consolatoria visione Scalæ Paradisi ei ante martyrium oblata, meminerunt Tertullianus *g* & Augustinus *h*, quæ quidem sic in Actis eius describitur, vt viderit Scalam auream vsque ad cælum erectam, dextera & læua cultris & gladiis plenam, adeoque angustam vt nonnisi vnus & paruus per eam inter gladios ascendere posset: subtus ad pedes eius draconem tetetrimum, quem omnes volentes ascendere formidabant. Viditque *Satyrum*, vnum ex sociis martyribus, per eam sursum ascendentem, ac socios incitantem vt ascenderent, nec draconem metuerent. Qua visione audita, inquiunt Acta, omnes lætati sunt. Ex iisdemq; rursum Actis tradit Augustinus, recitari historiam de *Dinocrate* septenni puero, eiusdem Perpetuæ fratre; qui vita functus, & pœnis obnoxius, Perpetuæ precibus æterna fuerit felicitate donatus. De vtraque vero, Perpetua & Felicitate, necnon de quibusdam aliis viris, qui vna cum illis martyrium subierunt, (quorum etiam nomina eadem die adscripta habentur Tabulis Ecclesiasticis Nonis Martii) agens alibi idem Augustinus *i*, ait Perpetuam tunc fuisse lactantem, Felicitatem prægnantem: sed Perpetuam præ desiderio dulcedinis felicitatis perpetuæ, contempto filio, spreto patre, maluisse etiam animam perdere pro Christo, quam inhærere mundo. Felicitatem autem in partu grauiter doluisse, obiectam bestiis exultasse potius quam timuisse. Cuius differentiæ eam ipsamet rationem reddidisse traditur in antiquo Lectionario, quod naturæ debitas pœnas naturali tantum virtute persolueret, supplicia vero quæ subministraret impietas diuina gratia superaret. Addunt insuper ex antiquioribus tabulis Beda & Ado, Perpetuæ concessum fuisse diuinitus, vt mente extra se rapta impetum vaccæ non senserit, quem auide expectaret: Felicitati vero, dum adhuc esset seruanda in carcere vt parturiret, quo vna cum aliis martyrii coronam accipere posset, omnium sociorum precibus impetratum esse vt octauo mense pareret. Harum autem corpora esse postea delata Carthaginem, & in primaria basilica collocata, Victor Vticensis *k* affirmat. Sed quod ad differendum Felicitatis supplicium attinet; æquissima erat lex, quæ prægnantis pœnam differebat vsque ad partum; non tamen Romanorum originaria, licet vt Romanorum ab Vlpiano *l* recensita: quippe quam ab Ægyptiis primo fuisse promulgatam, à Græcis deinde acceptam, Plutarchus *m* affirmet: à quibus Romani eam, sicut & alias complures, sunt mutuati.

Passus item habetur *a* hac eadem persecutione *Zoticus* Episcopus Otrenus in Armenia; cuius laborum aduersus Montani sectatores susceptorum, mentio est apud Eusebium *b*. Et in Ægypto, inter alios martyres *Serapion* cruce combustus est. In territorio quoque Viuariensi *Andeolus* d subdiaconus, olim à Polycarpo cum aliis in Gallias missus, spinosis fustibus cæsus, demum ense ligneo (ad maiorem pœnam) capite in quatuor partes in modum crucis conscisso, martyrium consummauit. Eademque persecutione (licet annus certus non tradatur) magnus ille Sanctus IRÆNEVS Episcopus Lugdunensis, de quo sæpe superius, Galliam quam mirifice doctrina illustrauit, nobilitauit & sanguine; iussu Seueri Imperatoris à militibus passus martyrium *e*, vna cum omnibus fere ciuitatis Christianis. Insignes eius lucubrationes recensent Eusebius & Hieronymus; ex quibus omnibus nonnisi libri quinque aduersus hæreses elaborati supersunt: qui & ipsi diutius obscuri *f* permansere in Occidente, forte quod Græce scripti essent.

IESV CHRISTI AN. 206.

ZEPHYRINI AN. 4.

SEVERI IMP. AN. 12.

ANNO Christi ducentesimo sexto, Chilone Septimio secundum & Annio Libone Coss. *Plautianus* socer Antonini Imperatoris, quem vidimus persecutionem in Christianos excitasse, hac ætate omnium hominũ (vt ait Dio *g*) potentissimus atque ditissimus, qui opibus Imperatores antecedebat, dotemq; filiæ suæ dederat quæ vel quinquaginta Reginis satis fuisset; quem magis quam ipsum Principem metuebant omnes; quique spe multo maiore elatus fuerat; de quo denique diceretur, cælum ruere citius posse, quam Plautiano damnũ ab Imperatore inferri: hic inquã, cum Seuero & Antonino Augustis cædem machinatus esset; (vt quidem testatur Herodian. *h*; sed id calumniose ab Antonino fictum Dio tradit) vel potius diuino numine Christianum sanguinem vlciscente, ab eodem genero suo Antonino Romæ occisus est in Palatio, corpusq; proiectum in viam, quod tamen efferri Seuerus iussit, ac sepeliri: filius vero & filia, Plautus & Plautilla, primo in insulam Liparim relegati, post multas ærumnas pariter necati sunt: sed & eius nomen ex omnibus tabulis atque inscriptionibus abrasum expunctumque fuisse, plane indicant vetera monumenta *i*. Eo vero sublato, Persecutio etsi non penitus ablata, saltem moderationem non mediocrem accepit.

Eodem quoq; anno celebrati sunt Romæ *Ludi Seculares*, peragi soliti (vt ait Herodianus *k* decurso trium spatio ætatum: qui cum celebrandi essent, *Vrbe tota* (inquit) *atq; Italia præcones itabant conuocatum omnes ad Ludos, quos nec vidissent hactenus, nec visuri postmodum forent.* Sed de iis, deq; tempore quo celebrati sunt, vel celebrari debuerunt, agunt plurib. Censorinus *l* & Zosimus *m*, qui & dictis Coss. celebratos ponunt: idemque docent veteres inscriptiones à diuersis *n* collectæ, in quibus Seueri nomen scriptum est cum Tribunitia Potestate duodecies repetita. Horum porro occasione scriptum putant à Tertulliano librum *de Spectaculis*, & alterum *de Idololatria*; quib. plane declarat, rectam Christianæ religionis institutionem abhorruisse penitus ab eiusmodi spectaculis à Gentilib. edi solitis; exemplisque probat *o*, grauissimam diuinam vltionem expertos esse, qui iisdem adesse non essent veriti. Edidit & postea in eorundem Spectaculorum damnationem Cyprianus libellum eruditissimum; extantque insuper ea de re tam superiorum, quam horum temporum Scriptorũ Ecclesiasticorum, Iustini, Athenagoræ, Theophili Antiocheni, Minutii Felicis, & aliorum, qui pro Christianis Apologias ediderunt, testimonia, necnon posteriorum sacrarum Synodorum decreta plurima, sanctorumque Patrum pro concion-

a *Tert. de fug. in persec. cap.* 12.13.
REDEMPTIO MARTYRII LICITA.
b *Act.* 17.
c *Pet. Alex. can.* 12.
d *Prouerb.* 13.
V.
e *Euseb. 6. hist.* 4
INSIGNES FEMINÆ MARTYRES.
f *Martyrol.* 15. *Cal. Aug.*
PERPETVÆ FELICITATIS CERTAMEN.
g *Tert. de anim. cap.* 55.
h *Aug. 4. de anim.* 18. & *lib* 1. *c.* 10. & *lib.* 3. *c.* 9.
i *Aug. de tep. barb. c.* 5.
k *Vict. lib.* 1. *de persec. Vandal.*
PRÆGNANTIS SVPPLICIVM DIFFERENDVM.
l *Prægnantem. D. de pœn.*
m *Plut. de fort. Rom. vind.*

VI.
a *Martyrol. Rom.* 22. *Iul.*
b *Euseb. 5. hist.* 15.17.
c *Martyrol.* & *Mensol.* 13. *Iul.*
d *Martyrol.* 1. *Mai.*
IRENÆI MARTYRIVM.
e *Ibid.* 28. *Iun.*
f *Vid. Greg.* 9. *ep.* 50. *ad Æthar.*

I.
PLAVTIANI MEMORANDVS CASVS.
g *Dio in Seuer.*
h *Herod. lib.* 3.
i *Smet. fol.* 22. *n.* 4 *fol.* 24 *n.* 1 *fol.* 67. *n.* 1.

II.
LVDI SÆCVLARES.
k *Herod. lib.* 3.
l *Censor. de die nat. c.* 17.
m *Zosim. li.* 2.
n *Panuin. in Fast. Adolph. de Num.*
o *Tertull. de Spect. c.* 26.
SPECTACVLA ADIRE NEFAS CHRISTIANIS.
Ap. Baro. hic & an. 201.

dictæ acerrimis inuectiuis sententiæ. Quin etiam in solenni illa tempore baptismi solita ab omnibus fieri renunciatione, Spectaculis quoque abrenunciare Fideles, moris fuisse in Ecclesia Gallicana, Saluianus *a* testatur: & sub pompis diaboli quibus renunciari mos est, incluſa censita fuisse Spectacula, Cyrillus *b* docet, & alii omnes interpretantur.

a Saluian. de prouid. l. 6.
b Cyr. catech. 4. Mystag.

IESV CHRISTI AN. 207.208.

ZEPHYRINI AN. 5.6.

SEVERI IMP. AN. 13.14.

ANNO Christi ducentesimo septimo, Antonino Augusto & Geta Cæsare fratribus secundum Coss. nece Plautiani Romæ iam prope mitigata persecutione; aceidisse putamus vt Zephyrino Romano Pontifice è latebris emergente, & munia Pontificia obeunte, *Natalius* olim confessor, sed postea pecuniæ corruptione factus Theodotianorum hæreticorum Episcopus, tandem cum frequentibus Domini visionibus atq; monitionibus, tum maximis grauissimis flagris à sanctis Angelis nocte quadam illatis, sui compos redditus; cilicio sacco indutus, ac cinericibus aspersus, ad Zephyrinum venit, atq; ad pedes eius se supplicem abiiciens, patrati sceleris exomologesim egit. Quæ ab auctore eius temporis diligenter conscripta, ab Eusebio *c* ad verbum referuntur.

I. NATALIS EX OMOLOGESIS

c Euſ. 5. hiſt. 27

Anno vero Christi ducentesimo octauo: quo Annius Albinus & Fuluius Æmilius Consulatum inierunt, putamus contigisse, vt Origenes partim sententiam Domini *d* de castratione propter regnum cælorum simplicius interpretatus, partim quod cum ætate adhuc adolescens esset, & non solum cum viris, sed etiam cum mulieribus, frequenter sermones de rebus diuinis conferret; vt omnem obtrectationibus causam calumniantis adimeret, seipsum secreto castrauerit. Rem gestam narrat Eusebius *e*: additque, ea cum resciſſet Demetrius Episcopus Alexandrinus, primum celasse, postea vero in odium eiusdem Origenis omnibus patefecisse; de quo dicetur suo loco.

II. ORIGENIS IPSIVS CASTRATIO

d Matth. 19.

e Euſ. 6. hiſt. 7

IESV CHRISTI AN. 209.

ZEPHYRINI AN. 7.

SEVERI IMP. AN. 15.

ANNO Christi ducentesimo nono, Flauio Apro & Allio Maximo Coss. Seueri Imperatoris anno decimo quinto, Eusebius in Chronico memoriam ingerit *Tertulliani*; fortasse quod ipse Tertullianus *f*, se hoc eodem anno Seueri aduersus Marcionem scripsisse declaret. Quibus etiam temporibus alia plurima exaratse nosci tur, cum aduersus eosdem Marcionitas, tum contra Valentinianos, Iudæos, & alios eiusmodi hæreticos & infideles.

I. *f Tert. 1. cont. Marc. 15.* TERTVL. SCRIBIT CONTRA HAR. ET IVDÆOS.

His quoq; temporibus cum Zephyrinus Romanæ præesset Ecclesiæ, (vt auctor est Hieronymus *g*) *Minutius Felix* Romæ insignis causidicus, scripsit Dialogum Christiani & Ethnici disputantium, qui *Octauius* inscribitur. Porro *Cæcilium* Rhetorem, qui apud eum interloquitur religionem Christianam vehementer impugnans, quod is tandem Octauio alteri dialogi interlocutori visus sit manus dedisse, & Christo credidisse; vehemens me coniectura adducit, vt existimem fuisse Cæcilium illum insignem eruditione virum, Cypriani Carthaginiensis magistrum, à quo idem Cyprianus honoris causa *Cæcilii* nomen accepit. Conueniunt enim tempus, studium, nomen, patria, ac religio. Cæterum extat hactenus idem Minutii commentarius, quo eadem plane calumnias in Christianos obiectas, quas Tertullianus & alii Apologiarum scriptores, erudite refellit. Sed & illa amplius addita reperitur, Christianos colere Antistitis genitalia. Quam quidem ea occasione irrogatã putamus, quod Christiani omnes ad genua sacerdotum flexis genibus, manibusq; suppliciter iunctis, more maiorum procumberent ad confessionem peccatorum faciendam. Quod vero quę Cęcilius obiicit Octauio, Christianos nullas aras habuisse, templa nulla, nulla *nota simulacra*, Nouatores transferunt ad demoliendas ecclesias, altaria, & imagines, quasi ea non sint ex antiquo Ecclesiæ vsu: id plane vanum esse & inane, iam satis superius demonstratum est suis locis, quibus de eadem rerum, ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, recepto vsu actum est, & ipsi Minutii citato loco satisfactum.

II. *g Hier. de Scr. Eccl. in Minu.* MINVTII FELICIS DIALOGVS PRO CHRISTI. *Ap. Baro. an. 211. sed absque vlla certa temporu nota.*

CALVMNIA DE CVLTV GENITALIVM, VNDE.

IESV CHRISTI AN. 210.211.212.

ZEPHYRINI AN. 8.9.10.

SEVERI IMP. AN. 16.17.18.

ANNO Christi ducentesimo decimo, Antonino, Augusto & Geta Cæsare tertium Coss. celebratis Romæ eiusdem Antonini Decennalibus, Seuerus Imp. vna cum eisdem filius suis & exercitu, aduersus Britannos, qui fines eg. essi Romanorum ditionem inuaserant, est profectus. Id enim hoc anno contigisse, nempe tertio ante obitum Seueri, auctor est Dio. Quo item anno GETAM Cæsarem cum Tribunitia Potestate Imperatoris & Augusti nomen accepisse, nummorum inscriptiones *a* significant. Hoeq; plane illud tempus esse constat, quod Tertullianus scribens librum de Pallio, (vt superius *b* alia occasione dictum est) sub triplici Imperii virtute, tribus regnantibus Augustis, felicissimum appellat. Confirmanteq; eius temporis æra *c* cusa, in quibus, cum trium Imperatorum & Iuliæ Augustæ imaginibus, inscripti habentur tituli *Publica Felicitatis*, & *Perpetuæ Concordiæ*.

I. GETA IMP.

a Ap Panuin. in Faſt. Adol. de Num. & alios.
b An. 195. II. c Hab. Baron. Annal. To. II. hoc an. ex muſeo Lal. Paſqualini.

Cæterum anno sequenti, qui fuit Christi ducentesimus vndecimus, Claudio Pŏpeiano & Lolliano Autio Coss. Seuerus *d* Britannos coercuit, ac muro centum triginta duorũ millium passuum per transuersam insulam ducto, vtrinq; finem Oceani communiuit, ac *Britannici* nomen accepit.

II. *d Dio & Spart. in Seuer. Caſſiod. in Chron.* BRITANNI COERCITI.

Anno vero Christi ducentesimo duodecimo, Acilio Faustino & Marco Rufiniano Coss. eundem Imperatorẽ *e* Antoninus eius filius inter equitandum, coram vniuerso exercitu, & cum hostium copiæ viderentur, districto gladio sua manu à tergo occidere conatus est: fecisset que, ni clamore eorum qui simul equitabant, perterritus fuisset. Nihil ei molestiæ inde pater intulit; sed tãtum obiurgans, quod reliquum fuit vitę cum mœrore duxit, timens maxime Getæ alteri filio, cui sciret Antoninum esse infensum.

III. *e Dio ibid.* ANTON. PATREM OCCIDERE TENTAT.

IESV CHRISTI AN. 213.

ZEPHYRINI AN. 11.

ANTON. CARACAL. IMP. AN. 1.

ANNO Christi ducentesimo decimo tertio, Gentiano & Basso Coss. pridie Nonas Febru. (vt auctor est Dio) *Seuerus* Imperator, mœrore magis scelerum filii Antonini, quam morbo consumptus, (vt ait Herodianus *f*) vita defunctus est Eboraci in Britannia, cui imperasset annos septemdecim, menses octo, & dies tres, vixisseque sexaginta quinq;, menses nouem, & dies quindecim. Porro ista eum passum esse à filio, vlciscente numine Christianorum sanguinem, ę quius dici posse videtur, quam (quod tradit Orosius *g*) priores illas ærumnas ciuilis belli: nondum enim illis temporibus negotii aliquid ille facesserat Christianis.

I. SEVERVS IMP. MORITVR. *f Herod. l. 3.*

g Oroſ. l. 7. c. 17.

Eo defuncto, ANTONINVS & GETA fratres vna simul adierunt Imperium. Ipseq; Antoninus confestim (inquit Herodianus) medicos supplicio affecit, quod sibi parum

II. ANTON. & GETA IMP.

obtem-

obtemperassent iubenti patris maturare necem; nutritiosque suos iuxta & fratris, quod de reconciliandis eis egissent; ne vno quidem reliquo suæ crudelitatis facto ex eo ordine hominum qui in honore aliquo fuerant, quique ipsius parentem obseruauerant. Hæc ille. Soluentes autem ambo pariter fratres ex Britannia (cum tamen alter alteri insidias moliretur) parentis cineres Romam detulerunt: Senatus vero inter diuos eum retulit consueto ritu, quem Herodianus *a* huius temporis scriptor accurate describit. Cæterum Antoninus cognominatus est, vulgo potius quã maiorum exemplo, vel origine, CARACALLVS, siue CARACALLA; ea nimirum de causa (vt Dio, Spartianus, Victor, & alii tradunt) quod sic dicta vestimenta antea Romæ non visa, ipse primus è Gallia detulisset, ac populo donasset, ad talos vsque demissa. Quæ & fuisse olim clericis in vsu, docet Beda *b* agens de S. Albano.

a Herod. lib. 4.

ANTON. CVR DICTVS CARACALLA.

b Bed. 1. de gest. Ang. 7.

III.

Hoc eodem anno, defuncto Serapione Episcopo Antiocheno, ponitur ab Eusebio *c* subrogatus *Asclepiades*, confessione pro Christi nomine clarus. Eodemq; anno pariter ponit *d Alexandrum*, & ipsum nobili sub Seuero confessione auctum, ordinatum fuisse Episcopum Hierosolymitanum cum adhuc sederet Narcissius: qua de re dictum est superius.

c Euseb. de Chron.
d Id. ibid. & 6. hist. 8.

IESV CHRISTI An. 214.

ZEPHYRINI An. 12.

ANTON. CARACAL. IMP. An. 2.

ANno Christi ducentesimo decimo quarto, Aspetis duobus Coss. quinto Calendas Martii, *Geta* Augustus iussu Antonini fratris occisus est in Iuliæ matris gremio, annos natus viginti duos ac menses nouem; sicq; solus imperans Antoninus, omnes qui fratri studuerant interemit, nec illis parcens qui vel leuissime hominem coluissent, vel post mortem scripsissent aut pronunciassent Getæ nomen. Hæc Dio *e*, & alii. Qui autem subito ex fautoribus aut ministris Getæ, qua in Palatio qua in Vrbe interempti sunt, numerat eos idem auctor viginti millia. Sed accesserunt his postea Senatorum cædes, eorumque potissimum qui parenti cari fuissent; & inter alios viros clarissimos, recenset PAPINIANVS Iurisconsultorum huius temporis facile princeps, olim fisci Aduocatus, tunc autem Præfectus Prætorio; qui securi percussus est, quod noluisset Antonini fratricidium in Senatu excusare: quem & securi percussum audiens, (vt ait Spartianus) doluit quod non gladio; quod honestiori visus esset interitu decessisse. (Siquidem Consulum & Proconsulum secures erant, gladius etiam insegne.) Demum vero cum in Circensibus ludis populus in aurigam cui ille studebat, nescio quid cauillatus esset, repente militibus immissis, quamplurimi necati fuere.

I. GETA IMP. OCCIDITVR.

e Dio in Caracal. Spart. in eod. Herod. l. 4

SAVITIA CARACALLI

Porro qui omnia immaniter ab Antonino perpetrata considerauerit, plane intelliget diuinitus ea contigisse in vltionem innocentis Christiani sanguinis, quem Seuerus Imperator ac Senatus Populusque Romanus paucos ante annos iniustissime effudissent: Cum alioqui Antonini pueritia fuisset (vt ait Spartianus) blanda, ingeniosa, patentibus affabilis, amicis parentum iucunda, populo accepta, Senatui grata; seseq; ipse præbuisset omnibus benevolum, largum, atq; clementem; adeo vt si quando feris obiectos damnatos vidisset, flere aut oculos auertere consueuisset. Hi nimirum mores decebant eum quem vidimus lacte Christiano educatum: At postquam à patre (quod Spartianus significat) & nutritio, distractus est à consortio Christianorum; & iisdem paternis moribus, vt tradunt, è puero excedens, animo elatior, truxque vultu redditus est; & pater primus omniũ, postea nutritius; ac demum reliqui omnes senserunt eum atrocissimum vindicem suæ ipsorum iniustitiæ: cum interim (vt magis pateret hæc esse à Domino) Christiani nullum prorsus vel leue damnum ab eo acceperint. Cæterum ipse in imum omnium scelerum delapsus,

II. IVSTA VINDICTA DE SANGVINE CHRISTI.

f Sigon. de Iudic. l. 1. c. 7.

detur: præter illa quæ dicta sunt, quatuor insuper ex sex quæ erant Vestales Virgines, consueto supplicio viuas infodi iussit, addens & sæuitiæ impuritatem, cum ex eis vnam violauit, ac demum (quod omnem turpitudinem superat) Iuliam nouercam duxit vxorem.

CARACALLI TVRPITVDO.

[Quinimmo hanc ipsam *Iuliam* æque matrem fuisse ipsius Antonini ac Getæ, scripserunt Dio & Herodianus; à quibus & multi ex recentioribus fluxerunt, ea maxime ratione, quod vix sit credibile, Dioni qui sæpe Antoninum vidit, & familiarius cum eo egit, eius *a* matrem fuisse ignotam; sicut & ætatem, de qua inferius in eius obitu.]

IESV CHRISTI An. 215.216.

ZEPHYRINI An. 13.14.

ANTON. CARACAL. IMP. An. 3.4.

ANno Christi ducentesimo decimo quinto, Antonino Augusto quartum & Balbino Coss. cum tranquillissima pace Ecclesia frueretur, Romæ coram Zephyrino Papa & vniuersa Ecclesia, *Gaius* spectatissimæ vitæ & eruditionis vir disputationem valde insignem habuit (quã & postea edidit) aduersus *Proclum* celeberrimum inter Cataphrygas omnes Montani discipulum, qua eum manifestæ arguit temeritatis super noua prophetia defendenda. Testatur hæc S. Hieronymus *a*, & ante eum Eusebius *b*, Zephyrinum autem post conuictum Proclum, aduersus omnes pseudoprophetię defensores, & inter alios in ipsum Tertullianum *c* anathema dixisse; aliosq; pariter Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, collectis *d* variis locis CONCILIIS, eandem de damnatione Cataphrygum sententiam confirmasse, idem ipse Tertullianus significat in libro *de Ieiunus*. Qui &

I. CAII DISPVTATIO ADVERSVS PROCLVM.

a Hier. de Scr. Eccl. in Caio.
b Euseb. 6. hist. 14.
c Tert. de ieiun. c. 1. in fi.
d Ibid. c. 3.

Anno Christi ducentesimo decimo sexto, Messala & Sabino Coss. eorum opiniones pugnacius tueri contendẽs, imprimis conatus est Bigamiam, humanæ infirmitatis remedium, secundum Apostolicam institutionem & antiquam traditionem in Ecclesia toleratam, sed Pseudoparacleti instinctu improbatam, edito commentario *de Monogamia*, penitus proscribere: quem quidem hoc anno edidisse declarat *e*, dum à tempore scriptæ primæ Pauli Epistolæ ad Corinthios (hoc est anno Domini quinquagesimo septimo) numerat annos centum sexaginta. Quo eodem tẽpore alium quoq; elaborauit commentarium, in defensionem illorum *Ieiuniorum* quæ idem pseudo-paracletus indixisset, & Catholici pariter abrogassent: & alium denique *de Pudicitia* aduersus eosdem Catholicos; qui mœchos & fornicatores post pœnitentiam reciperent in Ecclesiam. Quibus omnibus lucubrationibus, cum in omnes Catholicos, (quos more suo *Psychicos*, hoc est, animales appellat) tum maxime in ipsum Romanum Episcopum miser ac mentis impos inuehitur, quod de recipiendis mœchis pœnitentib. (quæ fuit semper Christi, Apostolorum, & vniuersæ Ecclesiæ doctrina) promulgasset edictum.

II. TERTVLL. FVRIT IN CATHOL.

e Tertull. de Monog. c. 3.

Sed quod edicti prima verba recitans, inscriptionem ponit *f*, PONTIFEX MAXIMVS, EPISCOPVS EPISCOPORVM; plane demonstrat, secundum veterem nomenclaturam Zephyrinum hos edicto suo apposuisse titulos; aut si velimus esse verba Tertulliani, ipsum ea dixisse secundum receptam iam tunc Romani Episcopi appellationem, nunquam enim titulos istos commemorasset, nisi eos communi more & vsu Romanis Episcopis tribui vidisset. Sic enim & in Actis *g* sinceriss. sanctorum Martyrum Sebastiani & sociorum, Caius Papa à Tiburtio Chromatii filio vocatur *Episcoporum Episcopus*, & ab aliis postea frequentissime. Nimirum cum & alii quoque Episcopi dicerentur *Summi Sacerdotes*, atq; *Pontifices*, Romanorum Pontifex ob singularem reliquorum dignitatem meruit *Maximus*, ob insignem eius sacerdotii eminentiam, & *Episcopus Episcoporum*, quod tam eorundem, quam cunctarum rerum ac causarum ad religionem Christianam pertinentium, sit iudex & arbiter à Deo constitutus. Qui tamen haud iis titulis in omnibus vti solitus fuisse vi-

OBSTREPIT IN ROM. PONT.

f Id. de Pudic. c. 1.

III. DE TITVLIS ANTIQVIS ROM. PONT. *g Ap. Sur. 30. Ianuar.*

[Cæterũ hic quoq; titulus ab aliis etiam aliquãdo tributus reperitur, vt ap. Clem. Rom. ep. 1. Sidon. 6. ep. 1 qui postea proprius remansit Rom. Pontifici, sicut & ipsum *Papæ* nomen & alia eiusmodi.]

detur; sed interdum quando quid publice in Ecclesia edicendum esset, vt impræsentiarum accidit. Rursum vero dum Tertullianus in eundem Rom. Pontificem inuehitur recipientem pœnitentes, inter alia pristinum illum ritum quo publici pœnitentes Romæ recipi solerent, describit his verbis *a*: *Et tu quidem pœnitentiam mœchi ad exorandam fraternitatem in ecclesiam inducens, conciliciatum & concineratum, cum dedecore & horrore compositum prosternes in meduem ante viduas, ante presbyteros, omnium lacrymas suadentem, omnium vestigia lambentem, omnium genua detinentem: inque eum hominis exitum, quantis potes misericordiæ illecebris, bonus pastor & benedictus Papa concionaris, & in parabola ouis capras tuas quæris: tua ouis ne rursus de grege exiliat, quasi non exinde tam liceat, quod nec semel licuit, cæteras etiam metu complescum maxime indulges.*

a *Ibid. c.13.* RITVS RECIPIENDI POENITENTES.

IV. DE CALICIS VITREI ANTIQVO VSV.

Sed & eodem commentario aliud referatur egregium antiquitatis monumentum, cuius & facta est mentio cum egimus de Imaginum in Ecclesia vsu: nimirum, in sacris calicibus effigiari consueuisse pastorem, ouem humeris gestantem: sic enim ait *b*: *A parabolis licebit incipias, vbi est ouis c perdita, à Domino requisita, & humeris eius reuecta. Procedant ipsæ picturæ calicum vestrorum, si vel in illis perlucebit interpretatio peculis illius, vtrumne Christiano, an Ethnico peccatori, de restitutione colliniet*, perperam quidem interpretatus parabolam illam; quam intelligendam esse tradit de Ethnico ad Ecclesiam inducendo, non de lapso in eam per pœnitentiam reuocando. At cum inferius *d* iterum ait: *Patrocinabitur pastor, quem in calice depingitis*: ac subdit, *Ego eius pastoris scripturam haurio, quæ non potest frangi*: plane ea allusione significare videtur, calices illos fuisse vitreos. Nam & patenas ministeriales fuisse vitreas, ipsius Zephyrini Papæ decretum *e* ostendit. Quem *f* vsum diu perseuerasse apud nonnullos constat: siquidem tradit Hieronymus *g*, Exuperium Episcopum Tolosanum *Corpus Domini canistro vimineo, Sanguinem portare in vitro*. Et Cyprianus Gallus in Vita Sancti Cæsarii Arelatensis, *Annon* (inquit) *in vitro habetur Sanguis Christi?* & dum olim Marcus hæresiarcha, magicis suis præstigiis *h* vini colorem album, quo in sacris vtebatur, foris apparere rubrum faciebat, ipsum vitreo calice vsum esse constat. In Concilio autem Rhemensi *i*, quod temporibus Caroli Magni est celebratum, calix vitreus vetitus est, ob periculum materiæ fragilis. Sicut & extat *k* alius canon de calice ligneo item veneno. Quæ tamen non sic accipienda esse, vt nouum eiusmodi calices essent in illa primitiua Ecclesia, satis apparet ex iis quæ alias *l* diximus de aureis & argenteis vasis, quibus Ecclesiæ Christianorum ipsis etiam Persecutionum temporibus abundabant.

b *Ibid. c.6.* c *Luc. 13.* d *Ibid. c.10.* *Lib. de Rom. Pont.* e *Ap. Baron. Not. in Mart. 7. Aug.* g *Hier. ep. 7.* h *Vid. Epiph. hær. 34.* i *c. vt calix. d. de consecr. dist. 1.* k *c. vasa ibid.* l *An. 57. 36. & 58. 37.*

Quid autem post hæc egerit Tertullianus, nulla est memoria: nisi quod Sanctus Augustinus *m* testatum reliquit, eum à Cataphrygibus diuisum suos habuisse sectatores, qui ab eo fuerint *Tertullianistæ* nominati. Ac præter alios eius errores, ait illum docuisse animarum hic statum per traducem propagari, pessimas autem post mortem conuerti in dæmones. Sed cunctos eius errores summa diligentia Pamelius in vnum collegit; vt nihil sit nobis in his amplius laborandum. Quod autem iisdem omnia eius opuscula, perpaucis exceptis, sint aspersa, ea propter hæc censura Gelasii *n* Papæ relata sunt inter apocrypha. Sed ea ratione qua de eo solitus erat dicere Hieronymus *o*, *Laudo ingenium hominis, damno hæreses*: Cyprianus quoque apud eundem *p* fertur nunquam absque Tertulliani lectione vnam diem pertransisse; & cum eius scripta peteret, solitum dicere, *Da magistrum*. Ac certe tanti viri lapsum, magnam fuisse in Ecclesia tentationem, egregie describit Vincent. *q* Lirinensis. Affirmat vero Hieronymus, *de Trinitate* librum Tertulliano tributum, esse Nouatiani: eundemque Tertullianum materiam ministrasse errantibus Nouatianis, Pacianus testatur.

m *Aug. de hæres. 86.* TERTVLLIANISTÆ HÆRETICI.

n *Gelas. in Conc. R. decr. de lib. apocry.* o *Hier. Apol. aduers. Ruff.* p *Ap. Hier. ep. 65. ad Pammach. & de Scrip. Eccl. in Tertull.* LECTA SEMPER AVIDE OPERA TERTVLL. q *Vinc. Lirin. cap. 24.*

IESV CHRISTI AN. 217.

ZEPHYRINI AN. I.

ANTON. CARACAL. IMP. AN. 5.

I.

ANNO Christi ducentesimo decimo septimo, Æmilius Lætus, & Anicius Cerealis Consulatũ administrarunt, cum Antoninus annum quintum ageret in Imperio. Cuius quidem tempore Christianis pacatissimo (certus tamen annus ignoratur) *Agrippinus* Carthaginiensis Episcopus, quem his Tertulliani temporibus sedisse volunt, antiquam salubertimam Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem *a*, ex Apostolica traditione venientem, qua ratus haberetur hæreticorum baptismus secundum Catholicę Ecclesię formã collatus; prætextu quodam pietatis, quod quæcunq; hæreticorum essent deberet Ecclesia abominari, conuellere nisus; collecto Episcoporum Africæ atq; Numidiæ CONCILIO, (vt scribit Cyprianus *b* eius postea sedis Episcopus, & erroris fautor) ex eorundem consensu, *de iterando hæreticorũ baptismate* cum ad Ecclesiam transirent, canonem statuit. Docuisse quoque eandem sententiam Tertullianum, cum adhuc inter Catholicos conuersans acerbissimo odio hæreticos omnes infectaretur, eoq; argumento commentatiũ Græce conscripsisse, ipsemet testatur in libro *de Baptismo c*, quo eandem iterum sententiam confirmauit. Quæ miramur vehementer præteriisse Augustinum, alios q; antiquiores eius erroris oppugnatores; cum demonstrasse tantum, eius sententiæ primum assertorem extitisse Tertullianum, tot aliis hæresibus infectum, vicisse aduersarios videri propemodum potuisse nt. Nisi ex eiusmodi eorundem silentio colligere potius velimus, id Tertullianum ab Agrippino mutuatum esse, quod incertum sit quo potissimum tempore vixerit Agrippinus, & quam diu sederit. Cæterum de ipsa controuersia, pluribus inferius sub Stephano Papa.

a *Aug. 1. de baptis. cont. Don. 7. & 8.* CONCILIVM AGRIPPINI DE ITERANDO BAPT. HÆRET. b *Cypr. ep. 71. ad Quint. & 73. ad Iubaian.* c *Tertul. de bap. c. 14.*

II. VLTIO IN ALEXANDRINOS DE NECE CHRIST.

Hoc eodem anno Antoninus Imperator, cum Germaniam, inde Asiam, ac postea Syriam peragrasset, audiens se ab Alexandrinis argui & illudi multis de causis, sed præsertim propter cædem fratris; dissimulata ira eo pacifice veniens, dato mox militib. mandato, ingentem ciuium multitudinem sustulit, vrbemq; diripuit, ac fana spoliauit: quã immensam tantæ ciuitatis cladem, breuiter Spartianus *d*, fusius Dio, sed omnium lamentabilius Herodianus *e* describsit. Porro quod nulla alia ciuitas tot tantaque passa sit ab hac truculentissima fera, nisi Vrbs Romana, & Alexandrina; satis indicat id diuinitus accidisse in vltionem innoxii sanguinis Christiani, quod sub Seuero nullibi acrius in Christianos fuerit sæuitum; cum interim nulla sit nostrorum querela, ab Antonino negotium Christianis esse lacessitum.

d *Spart. & Dio in Carac.* e *Herod. l. 4.*

III. ORIGENIS ADVENTVS ROMAM.

His *f* item temporib. existimamus accid sse aduentum Origenis Romam; quem Eusebius *g* ait sub Zephyrino Papa eo se contulisse, vt Ecclesiam illam planè antiquissimam viseret. Sed non diu ibi commoratus, Alexandriam reuersus est, ac consuetum docendi munus studio omni & industria, nec minoti tam Catholicorum cuiuscunq; generis & conditionis, quam ipsorum etiam hæreticorum atq; Gentilium fructu, exequi perrexit; inter multos alios, Ambrosium quendam hominem eruditissimum, sed Valentini Marcionisque hæresibus infectum, ad Catholicam fidem conuertens: à quo idem ipse postea Origenes omnibus rebus tam ad victum quam ad studia necessariis adiutus, illius maxime impulsu commentarios in sacras Literas scribere adorsus est, idq; tanto ardore simul & facilitate, vt celeres scribæ plures quam septem ei dictanti præsto adessent, qui præstitutis temporibus scribendi laborem vicissim susciperent; ac librarii non pauciores, puellæque, à quibus eadem dictata scite & concinne exscriberentur. Narrat hæc Euseb. *h* Origenis studiosissimus, conuersionem Ambrosii sub Caracalla ponens; sed annus ignoratur: meminitq; eo-

f *Hæc Baro. posuit an. 210. sed hinc petita collecta esse, docere videtur narrationis series. Vt vt sit, nullibi extat aliqua certa temporis nota* g *Euseb. 6. hist. 12. 13.* AMBRO. AVCTOR ORIGENI EXPOSIT. SCRIPTVRÆ. h *Euseb. 6. hist. 12. 13. 14. adde Orig. de princ. in Deum fid. in præf.*

rundem

rundem Sanctus Hieronymus *a*, qui & *Ambrosium* eo gloriæ prouectum esse tradit *b*, vt confessione claruerit. Insuperque in præfatione apposita libro ipsius Origenis *de recta in Deum fide* traditur, post conuersionem Ambrosii, quosdam hæreticos eam ægre ferentes, disputare præsumptisse cum Origene, delecto iudice philosopho Ethnico; sed victoria cedente Origeni, tam eundem ipsum iudicem, quam alios plurimos Gentiles & hæreticos, fidem Christianam & Catholicam amplexos esse.

Cæterum vt & alias quasdam Origenis peregrinationes summatim relegamus; constat *c* post hæc ipsum à Præside Arabiæ vocatum, eo perrexisse, ac sacras literas docuisse; indeque reuersum Alexandriam, non longe post in Palæstinam profectum Cæsareæ docere cœpisse, præsentibus etiam Episcopis nondum presbyterum. Hinc que cœptæ dissensiones inter Demetrium Episcopum Alexandrinum & Alexandrum Hierosolymitanum, quod iste patereturlaicum hominem docere Episcopos; quæ & auctæ sunt quando idem Origenem ordinauit, de quo dicetur suo loco.

a Hier. de Scr. Eccl. in Hippol.
b Ib. in Amb.

IV. ALIÆ ORIG. PEREGRINATIONES. *Ap. Baro. an. 231. sed absq; vlla certa temporum nota.*
c Euseb. l. 6. c. 15.

IESV CHRISTI AN. 218.

ZEPHYRINI AN. 16.

ANTON. CARACAL. IMP. AN. 6.

ANNO Christi ducentesimo decimo octauo, Sabino secundum & Annullino Coss. Antoninus Imperator Parthos dolo potius quam armis subegit, Arbela cepit, ac sepulchra Regum Parthorum abiectis ossibus subuertit: occurrentemque sibi Abgarum Regem Osroenorum, tanquam amicum & Roman. socium, (quippe qui *d* receptus in amicitiam à Seuero, et quoque auxilio fuerat aduersus Parthos) impie coniecit in vincula, eiusque regia potitus est. Hæc Dio; quæ pluribus Herodianus, licet paulo diuerse. Abgarum autem his temporib. regnantem Edessæ, Africanus *e* eorum Ecclesiasticarum scriptor nobilissimus, Christianum fuisse & virum sanctum prædicat. Sed rupti fœderis, antequam præterlaberetur annus, apud eandem Edessam Antoninus (vt videbimur) pœnas dedit.

1. ABGARVS REX CHRIST. MALE HABITVS A CARACAL. *d Herodia. l. 4.*
e Afric. ap. Euseb. in Chron. an. seq.

Cæterum cum de futura breui eius morte multa essent præsagia, ipse (vt Dio *f* scribit) omnibus dæmonis malum studuit effugere, quem & alioqui idem auctor tradit adeo magis & præstigiatoribus delectarum fuisse, vt & Apollonium Tyanæum insignem olim arte magica, iam ante centum & viginti fermè annos mortuum, honoribus coluerit, eique monumentum erexerit; ac multas defunctorum animas ab inferis, vt ab eis exploraret occulta, per necromantiam euocauerit: nec hominem tantum (vt ait Herodianus) sed & deorum dæmoniumque rimari arcana curiosus extiterit, & magos ad hoc vndique conquisierit. Cum tamen qui sic compositus esset, damnaret omnes (quod Spartianus *g* narrat) qui remedia quartanis & tertianis collo annexa gestarent. Sed hæc cum docent Plinius *h*, fragmenta solita fuisse clauorum ex crucibus sublatorum, aut spartum è cruce; fortasse accidit ea etiam tum, ac frequentius postea, hisque temporibus, auferri ex crucibus illis, quibus sæpe Fideles affigerentur, vnde & virtutem aliquam hausissent. Nam si ex magica superstitione ea illis præstandi vis inerat, quomodo eius facultatis studiosissimus hæc adeo auersatus, non potius in pretio habuisset? Sed & hinc magna oritur admirationis occasio, quod homo sic affectus, à Christianorum exeidio temperauerit, ad quod (si alia omnis occasio præteriisset) dæmones impulsores haberet.

II. *f Dio in Caracal.* CARACAL. MAGIÆ INSTITVTVS.

g Spart. in Caracal.
h Plin. 28. hist. 4. REMEDIA MORBORVM EX CRVCIB.

IESV CHRISTI AN. 219.

ZEPHYRINI AN. 17.

MACRINVS DIADVMEN } IMP.

ANNO Christi ducentesimo decimo nono, Præsente & Extricato Coss. *Antoninus* Imperator in Mesopotamia inter Edessam & Carras, Macrini opera à Martiale Centurione pugione confossus occiditur sexto Idus Aprilis, cum imperasset annos sex, menses duos, dies quinque, ætatis annum agens vndetrigesimum. Hæc Dio: cum tamen apud Spartianum legatur occisus octauo Idus Aprilis, vixisseque annos quadraginta tres. Variant enim de eius vitæ annis Scriptores; sicut & de matre ipsius, dum alii *a* Iuliæ posterioris Seueri vxoris, alii *b* Martiæ prioris coniugis filium faciant: quod postremũ qui sentiunt, longiorem Antonini vitam asserant necesse est, cum à Martiæ excessu ad eius cædem fluxerint anni supra quadraginta. Cæterum hic omnium dirissimus (subdit Spartian.) & particida, & incestuosus, patris & fratris & matris inimicus, à Macrino qui eum occiderat, timore militum inter Deos relatus est; habuitque templum, Salios, & sodales Antoninianos: cuius etiam corpus Romam Antoninorum sepulchro illatum est.

I. CARACALLA OCCIDITVR.

a Oppian. Dio, Herodian.
b Spart. Vict. Eutrop. & alii Latini.

Post diem vero quartum ab eius nece, idem OPELIVS MACRINVS *c*, natione Maurus ex ciuitate Cesarea, Præfectura Prætorii imprimis nobilis, sed ignobili loco natus, & (vt vocat Capitolinus) homo vitiorum omnium, (de cuius etiam in delinquentes sæuitia magis quam seueritate, horrenda quædam scribit) conciliatis sibi magnis promissionibus militibus, Imperium arripuit, filio Diadumeno, aut (vt veteres nummi) DIADVMENIANO, nouem annorum puero, sibi in collegam allecto: quem & *Antoninum*, nomine militibus gratissimo, appellari voluit.

II. MACRINVS IMP.
c Lamprid. in Diadum. Capitol. in Macrin.

DIADVMENIANVS IMP.

Hoc eodem anno, cum adhuc viueret Antoninus Caracalla, annum auspicatus sui imperii septimum, tradit Epiphanius *d* inuentos esse Hiericho in dolio occultatos diuinę Scripturę libros ex Hebræo in Græcum translatos: quam nominant QVINTAM EDITIONEM. Quomodo autem inuenta sit, ab Origene in ipsa scriptum esse testatur Eusebius *e*.

III. *d Epiph. de mens. & pond.* QVINTA SCRIPT. EDITIO INVENTA.

Hoc item anno, iam Macrino imperante, defuncto post septem sedis annos Asclepiade Episcopo Antiocheno, in eius locum suffectus est *Philetus*.

IV.

IESV CHRISTI AN. 220.

ZEPHYRINI AN. 18.

ANTON. ELAGAB. IMP. AN. 1.

ANNO Christi ducentesimo vigesimo, Diadumeniano Aug. & Adueuto Coss. octauo Idus Iunii, idem Imperator ac ipsius pater Macrinus à militibus rebellantibus occisi sunt, cum imperassent annum vnum, mensem vnum, dies viginti octo.

I. MACRIN. ET DIADVMEN. IMPP. OCCIDVNTVR.

Ante vero quam occiderentur, decimo sexto Calendas Iunii Imperator ab exercitu acclamatus fuerat *M. Aurelius Antoninus* adhuc adolescentulus, Antonini Caracalla (vt credebatur) natus ex Soæmiade, Mæsę sororis Iuliæ Augustæ filia, Mamææ sorore; quam alii *Semiamirã*, alii etiam aliis nominibus appellant. Ipse vero eius filius agens sacerdotẽ in templo Solis in Phœnicia, quod populi illi Solem nominarent Elagabalum, inde cognomentum duxit vt ELAGABALVS diceretur: ita enim veteres nũmi appellant, lapidesque, vel *Alagabulum*, quem omnes ferme historici tam Græci quam Latini *Heliogabalum*. Quantum autem hic omnes

II. *e Dio, & Capitol. in Macr.*

ANTON. ELAGAB. IMPERAT.

impuriſſi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

impuriſſimos ſuperauerit turpitudine Imperatores, Dio, Herodianus, atque Lampridius fidem faciunt; à quibus temperamus, cum nec ipſi abſque rubore referant: nam & propterea nominatur à Dione *Sardanapalus*; & Capitolinus ait, eum dedecoraſſe Imperium vitiis ingentibus, luxuria, turpitudine, abligurition e, ſuperbia, immanitate.

IESV CHRISTI AN. 221.222.223.

CALLISTI AN. 1.2.3.

ANTON. ELEGAB. AN. 2.3.4.

I. ZEPHYR. PP. OBITVS.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo primo, Antonino Auguſto ſecundum & Sacerdote Coſſ. cœpto iam anno ſecundo eiuſdem Imperatoris, vigeſima ſexta menſis Auguſti, *Zephyrinus* Papa cum ſediſſet annos octodecim, totidemque dies, moritur, ſepeliturque in cœmeterio ſuo via Appia. De tempore namque eius obitus, & annis ſedis, Euſebio *a* potius acquieſcimus, quod Vaticano Indici magis ſit conſentiens, quam ceteris, qui aliis Coſſ. & ad alia tempora eius obitum referunt. Quod vero in antiquis Eccleſiaſticis Tabulis legitur ſubiiſſe martyrium, ſane id ei priuatim oportuit accidiſſe (vt aliis ſæpe euenit) in pace Eccleſiæ; cum & alioqui ſuperius viderimus, olim maiores conſueuiſſe eos appellare *Martyres*, qui Chriſtianæ confeſſionis occaſione aliquid paſſi eſſent, licet diem extremum in pace clauſiſſent. Cum autem poſt eius obitum ſedes *b* vacaſſet dies ſex, in locum eius ſuffectus eſt CALLISTVS, patria Romanus ex patre Domitio.

a *Euſ. in Chr. & 6. hiſt. 15.*

b *Lib. de Rom. Pontiff.* CALLIST. PAPA.

II. ELAGAB. VVLT SOLVM DEVM SVVM AB OMNIBVS COLI.

Hoc eodem anno Antoninus Imperator Romam veniens, deum ſuum, cuius ſacerdos fuerat, ELAGABALVM ſecum aduexit; eumdemque conatus eſt ſupra omnes deos extollere, in tantum vt ei templo in Palatino monte conſtructo, ſtuduerit & Matris Deorũ typum, & Veſtæ ignem, & Palladium, & Ancilia, & omnia Romanis veneranda in illud transferre: id præterea agens, vt non ſolum Romæ, ſed & in vniuerſo terrarum orbe, extinctis cũctis religionibus, & aliorum omnium deorum cultu abolito, vnus Elagabalus vbique ab omnibus coleretur; adeo vt etiam Iudæorum & Chriſtianorum religiones illuc transferendas eſſe diceret. Hæc & alia de his Lampridius *c*. Quæ certe nonniſi diuino conſilio facta eſſe creduntur, vt quod minime liceret facere Chriſtiani, nempe Gentilitiam ſuperſtitionem conuellere; id nemine ex Gentilibus reclamante, ipſorum præſtaret Imperator, Gentilis & ipſe, & moribus perditiſſimus, & pene puer.

c *Lamprid. in Heliogab.*

III. ELEPHANT. QVADRIGE. d *Putauit Panuinius, tunc dirutum quoque fuiſſe Sepulchrum S. Petri: quem refellit Baron. Tom. II. hoc an.*

Scribit præterea idem Lampridius (quod eſt etiam memorabile) eumdem Imperatorem agitaſſe in Vaticano quatuor Elephantorum quadrigas; eaque de cauſa demolitum eſſe aliquot ædificia atque ſepulchra, *d* quæ obſiſterent.

IV. e *Euſeb. in Chron.* AFRIC. LEGATIO AD IMP. *Id. 6. hiſt. 14.* *Hier. de Script. Eccleſ.* *Phot. in Biblioth.*

Ad quem etiam anno ſequenti, qui fuit Chriſti ducenteſimus vigeſimus ſecundus, eodem ipſo Antonino Auguſto tertium & Eutychiano ſecundum Coſſ. *Iulius Africanus*, inter viros eruditos huius temporis clarus, legationem ſuſcepit pro reſtituenda olim incenſa ciuitate Nicopoli Paleſtinę, quę antea Emmaus vocabatur: quod & obtinuit. Agunt Euſebius *f* & Hieronymus *g* de eiuſdem eruditione & ſcriptis: teſtaturque Photius, *h* integram ad ſua tempora peruenſſe eius Hiſtoriam, qua à mundi exordio vſque ad Macrinum Imperatorem res geſtas ſummatim perſtrinxiſſet.

V. ALEX. MAMMÆÆ ALEXANDRI IMP. *Lampr. in Alex.*

Anno vero proximo, Chriſti ducenteſimo vigeſimo tertio, Grato & Seleuco Coſſ. ALEXANDER Mammææ filius, Elagabali Imperatoris conſobrinus, ab eodem creatus eſt Cæſar, & nouo *i* exemplo vno eodemque die Cæſaris nomen, & Auguſti ac Patris patriæ appellationem, Pontificatum Maximum, Tribunitiam Poteſtatem, & Proconſulare Imperium, accepit à Senatu, cum eæ amplißimæ dignitates diuerſis temporibus conferri ſolerent. Sed & cum illum Elagabalus in filium adoptaſſet; vt eum ſuis moribus inſtitueret, viros omnes probos & eruditos, quibus Mamæa mater, laudatiſſima femina, puerum tradiderat educandum, partim morte, *a* partim mulctauit exilio. Ex quibus aliquem fuiſſe Chriſtianum facile ſuademur, cum conſtet huius religionis hominum matrem ſtudioſiſſimam fuiſſe: quam & fama Origenis permotam, eum aliquando ad ſe Antiochiam accerſiuiſſe, & ab eo ſacratum Litterarum expoſitionem accepiſſe, Euſebius *b* eſt auctor.

a *Herod. lib. 5.*

b *Euſ. 6. hiſt. 25.*

IESV CHRISTI AN. 224.

CALLISTI AN. 4.

ALEXANDRI IMP. AN. 1.

I. ELAG. IMP. OCCIDITVR.

ANno Chriſti ducenteſimo vigeſimo quarto, Antonino Auguſto quartum & Alexandro Cæſare Coſſ. ipſe Antoninus *Elagabalus*, cum imperaſſet annos tres, menſes nouem, & dies quatuordecim, annos natus decem & octo, ob nefandas ſuas turpitudines Senatui Populoque Romano, atque etiam militibus redditus execrabilis, occiſus eſt vna cum matre æque impuriſſima: corpuſque eius in viam proiectum atque tractum, demum in Tiberim merſum eſt, ex quo ipſe *Traclitus & Tiberinus* meruit appellari: quem & præter alia horrenda ſcelera, etiam pueros magię cauſa occidere ſolitum, Dio tradit. Cui proxime hæc omnia intuenti, de ætate Imp. & annis quibus regnauit, magis aſſentimur, quam Herodiano, Aurelio Victori, vel aliis, alia ſentientibus. Eo vero ſublato, ALEXANDER miro conſenſu militum, Senatus, actotius Populi acclamatus eſt Imperator *c* pridie Nonas Martii, annum agens ætatis decimumſextum.

ALEX. IMP.

c *Lamprid. in Alex.*

II. QVO MODO CHRISTVM COLVIT.

Hic igitur, vt qui à matre non abhorrente à Chriſtiana religione educatus eſſet, non ſolum (quod ait Lampridius) Chriſtianos eſſe paſſus eſt, ſed & ipſi Chriſto qualemcumque cultum exhibuit, dum inter animas, quas habuit ſanctiores, vna cum Apollonio Tyanæo, Orpheo, & aliis eiuſcemodi diis, Chriſti quoque imaginem, æque ac Abraham Patriarchæ, in ſuo larario poſuit, coluitque. Quin & *Chriſto* (inquit idem auctor) *templum facere voluit, eumque inter deos recipere; quod & Hadrianus cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus ciuitatibus ſine ſimulacris iuſſerat fieri, quæ hodie idcirco quia non habent numina, dicuntur Hadriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur: ſed prohibitus eſt ab iis qui conſulentes ſacra, repererant omnes Chriſtianos futuros, & templa reliqua deſerenda, ſi id optato veniſſet.* Hæc Lampridius. Porro Alexander non ſolum Chriſtianorum ſtudioſus fuiſſe videtur, ſed eorumdem quoque inſtitutorum imitator; dum in conſtituendis quibuſcumque Magiſtratibus, nomina eorum proponens, hortabatur populum vt ſiquis quid haberet criminis manifeſtaret; dicens (inquit idem auctor) *graue eſſe, cum id Chriſtiani & Iudæi facerent in prædicandis ſacerdotibus qui ordinandi eſſent, non fieri in prouinciarum rectoribus, quibus fortunæ hominum committerentur & capita.* Quibus videas reſeratum antiquum morem, in electionibus & ordinationibus miniſtrorum Eccleſiæ: quem inter alios exacte deſcripſit his itidem temporibus Origenes *d*, & paulo poſt Cyprianus *e*. Hanc vero ſententiam, *Quod tibi fieri nõ vis, alteri ne feceris*, quã *à quibuſdam ſiue Iudæis ſiue Chriſtianis audierat*, pronunciabat ſæpius, & per præconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat; eamdemque vſque adeo dilexit, vt & in Palatio & in publicis operibus perſcribi iuberet.

RES CHR. IMITATVR.

d *Orig. cont. Cel. lib. 8.*

e *Cypr. ep. 68. ad Hiſp.*

Recitat inſuper idem Lampridius eiuſdem Imperatoris iudicium pro Chriſtianis exhibitum, cum (vt ait) Chriſtianis quemdam locum qui publicus fuerat occupantibus, & contra popinariis dicentibus ſibi eum deberi; reſcripſit, melius eſſe vt quomodocumq; illic Deus coleretur, quam popinariis dederetur. Hũc vero locum arbitror fuiſſe illum trans Tiberim poſitum, vbi Auguſti tempore *Taberna Meritoria* erat, ex qua oleum magno miraculo è terra erumpens copioſe fluxiſſet, in ſignum (quod in Apparatu dictum eſt)

III. TABERNAM MERITORIAM CHRISTIANIS ADIVDICAT.

proximi

proximi Chriſti aduentus. Vbi Chriſtiani poſt ſententiam Alexandri, nobilem erexerunt Eccleſiam in honorem Partus ſanctiſſimæ Virginis Dei-Genitricis MARIÆ, olim eo prodigio præſignati. Nam & in Rebus geſtis *a* S. Calliſti Papæ qui tunc ſedit, legitur ab eo erectam fuiſſe Eccleſiam S. Mariæ-trans-Tiberim; nec vlla extat memoria quod alia fuerit ſub Alexandro Romæ excitata.

a *Lib. de Rom. Pont.*

IV. FAVET IVDÆIS.

Quod vero pertinet ad Iudæos; auctor eſt Lampridius, Alexandrum priuilegia eis reſeruaſſe, & quod ipſis faueret dictum eſſe per deriſionem *Syrum Archiſynagogum*. Sed & permiſiſſe vt in Palæſtina habitarent, ac præfectum loco Regis haberent qui ius eis diceret; docet Origenes in epiſtola de Suſanna ad Africanum.

V. b *Hier. de Scr. Eccl. in Hippol.*

In hunc vſq; primum annum Alexandri, (vt auctor eſt Hieronymus *b*) Hippolytus Epiſcopus, inter Scriptores Eccleſiaſticos celebris, rationem Paſchæ, temporumq; canones perduxit; & ſexdecim annorum circulum, quem Græci κυκλον εξαεκαιδεκαετηριδα vocant, reperit; & Euſebio, qui ſuper eodem Paſcha canonem, decem & nouem annorum circulum, id eſt ενεακαιδεκαετηριδα compoſuit, occaſionem dedit. Hæc Hieronymus: reliqua vero de Hippolyto inferius.

IESV CHRISTI AN. 225.

CALLISTI AN. 5.

ALEXAN. IMP. AN. 2.

I. CONSILIARII ALEX. IMP.

ANNO Chriſti ducenteſimo vigeſimo quinto, Maximo & Æliano Coſſ. Alexander Imperator mutatis Magiſtratibus, quos turpiſſimos Elagabalus iuſſerat præſidere; quos ipſe putauit optimos, Vrbanis præfecit negotus, & ſibi adhibuit Conſiliarios; puta Fabium Sabinum, Domitiũ Vlpianum, Ælium Gordianum, Iulium Paulum, alioſque clariſſimos viros & Iuris peritiſſimos, quos Lampridius recenſet in eius vita. Eorum vero omnium facile princeps apparuit *Vlpianus*; quem idem auctor affirmat Alexandrum Imperatorem habuiſſe pro tutore, aſſidentem Principi primo loco; eidemq; Præfecturam Prætorii, dignitatem omnium ampliſſimam, contuliſſe; atque Scriniorum Magiſtrum creaſſe: proximumq; huic locum tenuiſſe *Paulum*, quorum arbitrio cuncta faceret Alexander.

II. PCti CHRISTIANORVM HOSTES. c *Lact. l. 5. c. 11. 12.*

Hos tamen, & maxime Vlpianum infenſiſſimum fuiſſe Chriſtianis, & cuncta quæ valuit aduerſus eos ſcripta Principum collegiſſe, quo ſe in eos iure agere demonſtraret, tradit Lactantius *c*, in eum eiuſque collegas acriter ea de cauſa inuectus. Vt non ſit mirandum, ſi ſub Alexandro plurimi in Eccleſiaſticis Tabulis reperiantur martyrio coronati, ac præſertim Romæ. Id enim etiam neſcio Imperatore, Præfectis quibus adeo ipſe fideret facile fuit eius nomine & auctoritate exequi, prætextu ſolito aliorum confictorum criminum. Alioqui namque repugnant his, non ſolum quæ ſuperiori anno recitata ſunt ex Lampridio, ſed etiam quod ab omnibus Chriſtianarum rerum antiquis ſcriptoribus æque affertur, nullam ſub Alexandro excitatam in Eccleſia perſecutionem; quamuis quod ait Herodianus *d* deduxiſſe Imperium ſine ſanguine, mendacii arguatur à Lampridio. Cæterum Vlpianus, Deo vlciſcente, haud ſero debitas pœnas dedit, occiſus noctu (vt auctor eſt Dio *e*) à Prætorianis militibus.

d *Herodia. l. 6*
e *Dio in Alex.*

IESV CHRISTI AN. 226.

CALLISTI AN. 6.

ALEXAN. IMP. AN. 3.

I CALLISTI PP. MARTYRIVM. f *Martyrol. Rom. & alia.*

ANNO Chriſti ducenteſimo vigeſimo ſexto, Iuliano & Criſpino Coſſ. pridie f Idus Octobris *Calliſtus* Papa, diuturno carcere detentus, poſt longam famem, & quotidiana verbera, è feneſtra domus in qua cuſtodiebatur, in puteum præcipitatus, martyrii coronam adeptus eſt, cum ſediſſet annos quinque, menſem vnum, & dies duodecim. In hunc enim vſq; annum eum perueniſſe, Euſebii Chronicon admonet; & de eodem numero annorum idem auctor *a* alibi fidem facit. Liber autem de Rom. Pontificib. de eo tradit, *conſtituiſſe ieiunium ter in anno fieri frumenti, vini, & olei gratia, ſecundum prophetiam.* Sed porro legendum, *quater in anno*: nam prophetia quam citat, Zachariæ *b* eſt, monentis quater in anno ieiunium eſſe celebrandum, quod quidem ex Apoſtolica traditione manaſſe diximus, vbi egimus de Ieiuniis. Adeo vt non ſit dicendus Calliſtus eiuſmodi ieiunii primus inſtitutor, ſed confirmator antiquæ piæ traditionis: ſicuti & de plurimis aliis eiuſmodi ſæpius monuimus. Sepultus eſt autem in Cœmeterio Calepodii Via Aurelia milliario tertio; & poſtquam eius ſedes vacaſſet ſex diebus, ſubſtitutus ei VRBANVS patria Romanus patre Pontiano.

a *Euſ. hiſt. 25.*
b *Zachar. 8.*

Extant *c* eiuſdem Calliſti Acta, licet haud in omnibus ſincera) in quibus recenſentur plurimi alii ſub Alexandro Imperatore variis ſupplicüs Romæ ob Chriſtianitatem necati, quos Calliſtus ad fidem conuerterat; & inter alios, *Palmatius* Conſularis, cum vxore & filiis, aliiſque quadraginta duobus ex domo ſua: *Simplicius* Senator, cum vxore & ſexaginta octo de familia ſua; itemque *Felix* cum vxore *Blanda*: quorum etiam capita ſuſpenſa fuiſſe dicuntur per diuerſas Vrbis portas, ad exemplum Chriſtianorum. Eorundem vero omnium eſt memoria relata in Tabulas Eccleſiaſticas; ſicut & aliorum complurium, qui tum Romæ, tum alibi paſſi ſunt ſub eodem Alexandro, Præſidum (vt vidimus) ac Præfectorum iuſſu.

II. c *Ap. Sur. in Octobr.* MARTYRES ROMÆ SVB ALEX.

Paſſus quoque tunc ibidem Romæ *Calepodius* presbyter, cuius nomine fuit Cœmeterium in quo ſepultum vidimus Calliſtum; quamuis & eſſet aliud nominatiſſimum ab eodem Calliſto conſtructum, & eius appellatione nuncupatum. Fuere vero, & alia eiuſmodi quamplurima extra Vrbem, (intra mœnia enim prohibitum erat Romanis legib. defunctos ſepelire) quæ modo *Arcæ*, interdum *Tumbæ*, *Catatumbæ*, vel *Cryptæ arenariæ*, ex loci natura nomine comparato, dici conſueuerunt; ſed frequentius COEMETERIA, quod fides doceret, Chriſtianos *d* non mori, ſed rurſus excitandos interea in Domino obdormire. Porro eiuſmodi Cryptarum recenſentur *e* nomina quadraginta trium in Libro de Romanis Pontificibus, Martyrologio Romano, & aliis locis. Erantq; *f* ſpecus ſubterraneæ, cum ad ſepeliendos Fideles, tum ad Conuentus & Synaxes peragendas tempore perſecutionum. Indeque fiebat, vt edictis Impp. (quod docet Euſebius *g*) ab eis Chriſtiani arcerentur, reddita vero pace eadem frequentare permitterentur. Quæ & poſtea quamdiu in eis fuerunt corpora ſanctorum Martyrum, frequenti cœtu à Fidelib. viſitari conſueuiſſe, Hieronymus *h* & Prudentius *i* docent. Ceſſarunt autem eiuſmodi Fidelium ſtudia, poſtquam ea quæ ibi ſita erant corpora Sanctorum, ſub Chriſtianis Imperatoribus delata ſunt in Vrbem, & diuerſis eccleſiis honorificentius collocata.

III. DE COEMETERIIS VRBIS, EORVMQVE VSV.

d *Min. Fel. in Oct. Tert. de Cor. & alii.*
e *Recenſet etiam Baronius hoc an.*
f *Ap. Bar. an. 130.*
g *Euſ. l. 6. hiſt. 10 12.*
h *Hier. in Ezech. c. 40*
i *Prud. hym. 11 de S. Hippol.*

Sed & accidit, vt ſicut maiorum conſuetudine, etſi non iiſdem ſepulchris, iiſdem tamen cœmeteriis ſepelirentur aliorum quoq; corpora Chriſtianorum, qui fide conſtantes in communicatione Catholica diem claüſiſſent extremum; ſic translatis ſanctorum Martyrum reliquiis in eccleſias intra ciuitates poſitas, in eiſdem etiam cæterorum Fidelium corpora cœpta ſint ſepeliri; quod eos doceret fides Catholica, meritis ſanctorum Martyrum adiuuari animas defunctorum. *Ideo namque* (inquit Maximus *k*) *hoc à maioribus prouiſum eſt, vt ſanctorum oſſibus noſtra corpora ſociemus, vt dum illos tartarus metuit, nos pœna non tangat: dum illis Chriſtus illuminat, nobis tenebrarum caligo diſſugiat. Cum ſanctis ergo Martyribus quieſcentes, euadimus inferni tenebras eorum propriis meritis, attamen conſocii ſanctitate.* Hæc ille. Eodemque conſilio Ambroſius & fratrem ſuum Satyrum *l* iuxta Martyrem Victorem ſepeliuit, & voluit ipſe ſepeliri in Ambroſiana à ſe erecta eccleſia, in quam tranſtulerat corpora ſanctorum martyrum Gerualii & Protaſii diuina reuelatione repetta. Et ipſum imitata ſoror eius Marcellina *m*, Romæ cum virginibus ſacris degens, voluit ibi patriis ſepul-

IV. SEPELIRI IVXTA MARTYRES FIDELIBVS OPTATISSIMVM. [Ap. Baron. Tom. II. hoc an. & Tom. IV. an. 383.]

k *Max. ſer. 77 de SS. Oct. Aduent. & Soluz.*
l *Dungal. cõt. Claud. Turi.*
m *Epitaph. S. Marcel. ap. Bar. Tom. 4. an. 383.*

chris condi, sed iussit Mediolanum transferri corpus suum, ponique apud prædictos Satyrum & Ambrosium fratres suos, ambos æque iuxta sanctos martyres tumulatos. Sicut & Paulinus Nolanus Episcopus, Cynegium *a* & Celsum ad tumulum Martyrum mandauit apponi; ac literis impetrauit à sancto Augustino, vt egregium illum eodem argumento sciberet commeatarium *De cura pro mortuis agenda*; quo respondit eius quæstioni, *Vtrum prosit alicui post mortem, quod corpus eius apud sancti alicuius memoriam sepeliatur.* Sed de his fusius alij *b*; quæ modo attigimus occasione Cœmeteriorum Vrbis.

a *Aug. de cur. pro mort. ia pr. Paul. Paul. v. Cels. ep. 45.*

b *Vid. sup. ad an. 34. n. 91.*

IESV CHRISTI AN. 227.228.

VRBANI AN. 1.2.

ALEXANDRI IMP. AN. 4.5.

I. ALEX. BENE ET MALE CONSVLIT IMPERIO.

ANNO Christi ducentesimo vigesimo septimo, Dextero atq; Rufo Coss. Alexander Imp. promulgatis optimis legibus, restituere conatus est Reipublicæ statum ab Elagabalo deprauatum: & inter alia (vt ait Lamprid.) lenonum vectigal, & meretricium, & exoletorum, in sacrum ærarium inferri vetuit; sed sumptibus publicis ad instaurationem Theatri, Circi, Amphitheatri, &c. Ærarii deputatis. Habuit & in animo vt exoletos vetaret: sed vetitus est ne prohibens publicum dedecus, in priuatas cupiditates conuerteret, cum homines illicita magis postulent, prohibitaque furore prosequantur. Hæc Lamprid. Sed Principum Christianorum scopis euertenda Vrbs & Orbis pariter erat tot tantisq; sordibus obscœnissimis; cum primo Philippus, inde Constantinus exoletos penitus sustulit, vt videbitur suis locis. Cæterum cum multa alia ab Alexandro laude digna statuta fuerint, illud tamen male, quod (vt testatur idem auctor) Mathematicos & Genethliacos, ab aliis Imperatoribus sæpe Roma pulsos, iussit publice profiteri atq; docere, quod his artibus addictus & ipse esset.

II. MARTYRES ROMÆ.

Quod vero ad res Christianorum spectat, Anno Domini ducentesimo vigesimo octauo, eodem Alexandro secundum & Marcello Coss. eiusdem Imperatoris anno quarto nondum expleto, *S. Martina* virgo Romæ passa est, cuius extant *c* Acta, sed in multis emendanda. Insuper passos tradunt septemdecim milites, carnificinæ Sanctorum ministros, Martinæ opera ad Christum conuersos.

c *Ap. Sur. Cal. Ianuar.*

IESV CHRISTI AN. 229.

VRBANI AN. 3.

ALEXAN. IMP. AN. 6.

I. BERYLLI HÆRESIS, ET REDVCTIO.

ANNO ducentesimo vigesimo nono, Balbino & Maximo Coss. Alexandro annum agente sextum in Imperio, Eusebius in Chronico recenset claros Scriptores Ecclesiasticos: *Geminum* presbyterum Antiochenum, & *Hippolytum*, & BERYLLVM Episcopum Bostrenum in Arabia. Sed hunc postremum in hæresim postea lapsum (quasi assereret Christum propria substantia ei cum scriptione non ante fuisse, quam in humanam carnem migraret; nec; propriam habuisse ex se diuinitatem, sed tolam Patris in eo extitisse:) Synodo in Arabia aduersus eum celebrata, ab Origene ad rectam fidem reductum fuisse, idem auctor *d* alias scribit.

d *Euſ. 6. hiſ. 36*

II. DE HIPPOLYTO, ET EIVS SCRIPTIS. *Euſ. 6. hiſ. 36 Hier. de Scr. ec. in Hippo. Theod. dial. ib. 4.*

Quod vero pertinet ad *Hippolytum*; recenset idem Eusebius *e* multas egregias ipsius lucubrationes, quibus multo plures addunt Hieronymus *f*, Theodoretus *g*, & alii; è quibus omnibus vix vnus ille superest *h de Antichristo*, seu *de Iudicio* libellus, & excerpta quædam de Theologia & Incarnatione. In cuius æmulationem, Ambrosium illum, quem de Marcionis hæresi ad veram doctrinam per Origenem conuersum vidimus, cohortatum esse ipsum Origenem in Scripturas commentarios componere, Hieronymus tradit. Cuius autem Ecclesiæ Episcopus extiterit, Gelasius (quisquis ille fuerit auctor libelli *de duabus in Christo naturis aduersus Eutychen*) cum citat eius librum *de Hæresibus*, Metropolitanum Arabiæ nominat: quod verum esse puto antequam veniret in Italiam. Nam discipulum eum fuisse Clementis Alexandrini, eiusque persuasione Romam se contulisse, vt Limina Apostolorum inuiseret, & Sanctorum Cœmeteria studiose perquireret, alibi legimus. Ibique à Romano Pontifice Callisto (nam ante ipsum nulla extat de eo memoria) Portuensis Ecclesiæ Episcopatu donatum, fidem faciunt Tabulæ Ecclesiasticæ, atq; eius ac sociorum martyrii Acta; eodemque titulo Nicephorus *a* eundem nominat, & alii pene innumeri recentiores. *Nonnum* vero (quod idem *b* est ac Monachus) fuisse cognominatum, Petrus Damiani *c* tradit: additque ab eo in Oriente plusquam triginta millia Ethnicorum fuisse conuersa. Sed quod eidem tribuit Pelagiæ famosissimæ meretricis conuersionem, conflasse eum cum alio Nonno qui vixit temporibus Theodosii Iunioris, cuius est illud memorabile factum, certissimum est.

e *Euſ. in Chr. h Id. 6. hiſt. 37*

f *An. 224. V.* STATVA IN BIBLIOTH. VATIC.

g *Theod. dial. 1. to. 4.*

h *In Bibl. Patr. & ap. Canis. Antiq. Lect. to V.*

a *Nic. l. 5. c. 15.*
b *Cap. Franc. l. 5. c. 2. & 3. Vid. Cal. Rhodig. lect. antiq. l. 5. c. 13.*
c *Pet. Dam. ep. ad Nicol. II. Pap.*

Passum autem Hippolytum, non sub Claudio, (vt depranati codices habent) sed sub Alexandro, Ecclesiasticæ *d* Tabulæ testitutæ declarant: quod ex eo etiam euidentius redditur, quia sub Vlpiano Vrbis Præfecto (vt habet codex scriptus, licet alicubi Vlpius pro Vlpiano legatur) martyrium consummauit, manibus pedibusque ligatis præcipitatus in altam foueam aquis plenam: sub quo eodem Vlpiano etiam alii eiusdem Hippolyti socii passi reperiuntur *e* ad Ostia Tiberina. Fuisse vero magnæ planè existimationis virum, testis est statua illa, qua eius memoria illustrata tunc fuit; quæ non ita pridem è ruderib. effossa, visitur hactenus in Bibliotheca Vaticana; ac in eius sede Græcis literis inscriptus legitur canon ille temporis de ratione Paschatis, de quo dictum est superius *f* ex Hieronymo. Denique in Hippolyto vtraque conueniunt, vt Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ ingens decus merito dici possit.

d *Tabulæ Ecclesiasticæ.*

III. EIVSDEM MARTYRIVM. *d Martyrol. Rom. 13. Aug. & ibi Baron.*

e *Ib. 23. Aug.*

IESV CHRISTI AN. 230.

VRBANI AN. 4.

ALEX. IMP. AN. 7.

ANNO Christi ducentesimo trigesimo, Modesto & Probo Coss. Alexandri Imp. anno septimo, Philetus Episcopus Antiochenus vita functus est, postquam sedisset annos duodecim; successorque ei datus *Zebennus*, alias *Zebinus*. Hæc Eusebius *g*. Quibus (vt ait *h*) temporibus, Origenes necessitate cuiusdam negotii Ecclesiastici, in Græciam per Palæstinam iter faciens, Cæsareæ à Theoctisto eius ciuitatis Episcopo, & Alexandro Hierosolymorum, ordinatus est presbyter. Cuius rei inuidentia (vt addit) affectus Demetrius Alexandrinus Episcopus, non solum ipsos eius ordinatores per litteras arguit, quod eum qui seipsum castrasset ordinassent, sed & eandem eius abscissionem cunctis postea Episcopis toto Orbe vulgauit. Erat autem Origenes hoc anno natus annos quadraginta tres, quem vidimus decimo Seueri, cum orbatus est patre, egisse decimum septimum.

g *Euſ. in Chr. h Id. 6. hiſt. 17* ORIGENIS PRESBYTER. ORDINATVS

I

II. DE EA ORDIN. PERPETRAM FACTA.

Cæterum post habitis Eusebii aduersus Demetrium querelis, (quippe quod vbicunque agit de Origene, encomiasten se potius quam historicum præbeat; pro quo etiam Apologiam se scripsisse testatur *i*, quę ipsa credita est, quam nomine Pamphili martyris, in Latinũ à se conuersam Ruffinus edidit:) iusta plane Demetrii indignationis causa hæc præcessisse videri potuit, quod Palæstinæ Episcopi alterius Ecclesiæ hominem, eundemque sponte abscissum ordinare præsumpsissent. Nam quod à seipso illud fecisset, & non ab alio inuitus passus esset, lex diuina & Ecclesiasticæ

i *Id. 6. hiſt. 11.*

k *Deut. 23*

regulæ

regulæ *a* omnino repellebant à suscipiendis, vel etiam à susceptis Ordinibus: sicut accidit postea Leontio, quem Socrates *b* ait depositum à presbyteratu fuisse, quod se ipsum abscidisset; quemque ea de causa nec laica communione dignum fuisse, Athanas. *c* asseruit. Sed & illud facinus humano etiam iure vetitum fuisse, ostendit Iustinus *d* martyr, dum refert Alexandriæ itidem suo tempore accidisse, vt adolescens quidam Christianus, quo careret omni carnis irrationali motu, obtulerit libellum Præfecto Augustali, vt medico id facere detrectanti timore pœnæ, licentiam impertiret. Sed qui Origenem defendebant, id non ab eo factum ferro, sed pharmaco, quo rebellem corporis partem penitus exsiccaret, aiebant: quanquam diuersas de ea re sententias fuisse, Epiphanius *e* tradit.

a *can. Apost.* 21. 22. SE CASTRANS IRREGVLARIS HABITVS. b *Socr. l.2. c.*13 c *Athan. ep. ad Solitar.* d *Iust. Apol. ad Anton.*

e *Epip. hær.*64

III. f *Epip. hær.*58 *Aug. de hæres. c.*37. VALESIORVM, SEV EVNVCHORVM HÆRESIS. De qua Bare. hic & an. 294. *in fin.* g *Vit. SS. Pat. lib.2. c.*172.

Porro semel male præsumptus error, transiit in hæresim. Prodiit senim postea (neque enim scribitur certus annus) secta *Valesiorum*, à VALESIO Arabe diffamata, eademq; *Eunuchorum* dicta; quæ omnes quos reciperet, vt semetipsos castrarent adigebat: quod si facere detrectassent, alii eos vinculis alligatos exsecabant; putantes implendum esse ad literam, quod dixisset Dominus, esse Eunuchos qui seipsos castrarent propter regnum cælorum. Quo nomine dum Eusebius Origenem excusat, plane eiusmodi sectæ auctorem constituit. Eiusq; fortasse exemplo duo illi monachi *g*, postea itidem in Ægypto se in eundem modum abscidêrũt, qui à Theophilo Episcopo Alexandrino communione priuati, à nemine vnquam Orthodoxorum Antistitum peruagantes Orbem recipi valuerunt, donec ab Epiphanio tandem admoniti fuerunt atque correcti. Nec tamen ob hæc damnamus S. Alexandrum Hierosolymorum Episcopum, quod Origenem ordinauerit: nam testatur Hieron. *h*, eundem se excusasse quod illud egisset iuxta testimoniũ ipsius Demetrii. Nempe puto Demetrium dedisse Origeni literas Commendatitias, quarum auctoritate satis visus fuerit Alexandro Origenes probatus. Cæterum quando iam hac occasione actum est de Valesianis; tradit insuper Epiphan. *i*, eos ante abscissionem abstinuisse ab animatis, sed postea omnibus vti fas fuisse.

EXCVSATVR ALEX. HIEROSOL. h *Hier. de Scr. Ecc. in Alex.*

i *Epip. hær.*58.

IV. SEXTA EDITIO SCRIPT. INVENTA. k *Epiph. de mens.* l *Euseb. 6. hist.*12. m *Id.6. hist.*20

Cum autem Eusebius causam profectionis Origenis in Græciam minime explicet, ego eam existimamus fuisse, quod SEXTA diuinæ Scripturæ EDITIO hoc ipso anno, nempe (vt auctor est Epiphanius *k*) medio tempore Imperii Alexandri, Nicopoli apud *l* Actium in doliis occultata reperta sit: ac propterea eiusmodi instituisse profectionem, vt qui magna diligentia quinque iam Versiones conquisisset, Sextam illam eis adiungeret, ad sua Hexapla concinnanda & Octopla, de quibus dicetur post biennium. Interim enim rediit *m* Alexandriam, (prius, vt puto, conciliato Demetrio Episcopo) ac ibi mansit vsque ad annum decimum Alexandri Imperatoris.

IESV CHRISTI AN. 231.232.

VRBANI AN. 5.6.

ALEX. IMP. AN. 8.9.

I.

II.

ANNO Christi ducentesimo trigesimo primo, Alexander Imper. tertium adiens Consulatum, collegam sibi sumpsit Dionem historicum; qui huius sui ipsius Consulatus meminit in Vita eiusdem Alexandri: idemque ad hunc annum protraxit Historiam suam.

Anno vero ducentesimo trigesimo secundo, Agricola & Clementino Coss. agente Origene Alexandriæ, nouæ rursus in eum turbæ excitantur, quæ & illum inde recedere coegerunt. Meminit earum ipsemet in præfatione sexti tomi commentariorum in Ioannem, quos hoc tempore scribebat: citatque eundem eius locum Eusebius *n*, dum elucubratos ab eo Alexandriæ & tempore Alexandri Imperatoris commentarios recenset: Inter quos fuit ille *Periarchon*, siue *de Principiis*, qui præ cæteris omnibus, densioribus maioribusque refertus est erroribus. Quapropter cum alioqui nouorum istorum motuum haud adeo causa sit explorata; equidem puto illam extitisse, quod (vt Hieronymus *a* scribit) ob multas hæreses quæ in vulgatis ab Origene scriptis reperirentur, prolata fuerit in eum à Demetrio Episcopo Alexandrino excommunicationis sententia, quam cæteræ quoque Ecclesiæ ratam habuerunt. Porro eius rei gratia mox Origenes pro sui defensione literas circulares scripsit, quibus (vt ait idem Hieronymus) & ipsum Demetrium lacerataret, & in totius Orbis Episcopos ac clericos inueheretur; frustraque ab Ecclesiis excommunicatum se esse diceret, quod quæ in suis scriptis arguerentur, ea ab aliis hæreticis fuissent deprauata. Quæ quidem videri potuissent ad eius excusationem satis idonea, quantumlibet fuisset eiusmodi errorum assertor, dum eos non modo non defendit, sed nec suos esse asseruit. At in eo minus fuit excusatione dignus, quod cum sciret sua ab omnibus impugnari, retractatorum nullum ediderit commentarium.

n *Eus.6. hist.*18

a *Hier. Aduer. Ruff. l.*2. ORIGENES EXCOMMVNICATVR OB ERRORES

Eodem tempore, annum vltimum in sede Vrbano Papa agente, nouis in Christianos Romæ (quo impulsore nescimus) excitatis turbis; à *Cæcilia* clarissima virgine eius sponsus *Valerianus* admonitus, & ab eodem Pontifice baptizatus, Angelico factus est dignus aspectu; ac paulo post vna cum fratre *Tiburtio*, & *Maximo* cubiculi Imperatoris Præfecto, coronatus martyrio: ipsa vero Cæcilia balneo calido inclusa cum illæsa permansisset, ab immisso carnifice ter securi percussa, necdum truncato capite semiuiua relicta, post triduum obdormiuit in Domino decimo Calendas Decembris: in cuius Actis *b* antiquitus scriptis, hæc omnia fusius narrantur. Quod autem de ipsa ibi legitur, consuesse Euangelium Christi gestare in pectore; ab aliis quoque id factitatum inuenimus: & si fidem præstemus Andreæ Apostoli Actis, etiam Apostolorum temporibus id vsurpatum apparet. Sancta enim piaque maiorum hæc fuit consuetudo, nisi aliqua accedente superstitione labefactetur. Quam eandem suo tempore in frequenti vsu fuisse, dum mulieres Euangelia ex collo appendere consuescuissent, testatur Sanctus Ioannes Chrysostomus *c*.

III. CÆCILIÆ MARTYRIVM.

b *Ap. Sur.* 22. *Nouemb.*

CHRIST. AMYRTA.

c *Chrys. hom.* 73. *in Matth.*

IESV CHRISTI AN. 233.

PONTIANI AN. 1.

ALEX. IMP. AN. 20.

I. VRBANI PP. MARTYRIVM. d *Martyrol. Rom.*

ANNO Christi ducentesimo trigesimo tertio, Pompeiano & Feliciano Coss. vigesima quinta *d* Maii *Vrbanus* Papa vexatione anno superiori excitata, cum plurimos ad fidem Christi conuertisset, & hortationibus suis ad gloriam martyrii perduxisset, & ipse capite truncatus martyrio coronatus est, cum sedisset annos sex menses septem & dies quatuor: licet Eusebius *e* eum sedisse dicat annos nouem, & anno duodecimo Alexandri ponat successoris ingressum. Sed Indices Vaticani & Cresconiani huic positioni magis assentiri videntur.

e *Euseb. in Chron.*

II. VASA SACRA ARGENTEA ET AVREA. f *Greg. Turo. de glor. mart. c.*38.

De eo vero traditur in Libro de Romanis Pontificibus, *fecisse ministeria omnia sacra argentea, & patenas argenteas viginti quinque apposuisse*. Porro adeo his abundasse, etiam primis illis temporibus ecclesias, vt etiam lucernas habere solerent argenteas, iam alias dictum est. Sed quod pertinet ad Romanam Ecclesiam, testis est quoq; Greg. *f* Turonen. dum refoderetur quædam crypta qua Fideles sacra agentes occlusi fuerant, inuenta esse in ea multa sacra ministerialia vasa ex argento confecta. Et in Rebus gestis S. Laurentii, quas Prudentius sacro hymno cecinit, non tantum argento, sed & auro offerre Romanos Pontifices incruentum sacrificium cõsueuisse, immo & aureis cãdelabris in sacris vti, narratur. Ex quibus quidem videas, veluti diuino quodam consilio Christi Regale Sacerdotium eodem tempore his etiam fulgoribus illustratum, quo Gentilitia superstitio ea in re decrescere visa est. Siquidẽ non solum qui temporibus Vrbani imperauit Alexander (vt ait Lampridius) in templis nunquam; præter quatuor aut quinq; argenti libras, auri ne

a *Lib. de Rom. Pontif.* PONTIANVS PAPA.

guttulam quidem aut bracteolam posuit; sed & qui ei successit Maximinus (quod testatur Herodianus) templorum omnium donaria, statuasque Deorum, heroumque honores, tum quicquid publici operis & ciuilis ornamenti, aut materiæ denique fuit nummis idoneæ conficiendis, omnia pariter ignibus conflari iussit. Cæterum sepultus a est Vrbanus in Cœmeterio Prætextati via Appia: & postquam sedes vacasset dies triginta, suffectus est in locum eius PONTIANVS, patria Romanus patre Calpurnio.

III.

b *Euseb. 6. hist. 20 23. Epiph. de mensur.* DE TETRAPLIS, HEXAPLIS, ET OCTAPLIS ORIGENIS. *Ap. Baro. an. 231. item, de Vulgata de qua infernus.*

Hoc item anno, cum Alexander decimum in Imperio ageret, Origenes (vt tradit Euseb. b) Alexandria Cæsaream in Palæstina profugit. Quo tempore secessum Tyri petens, (vt ait Epiphan. c) ibi Hexapla sua, atque Octapla, in Veteris Testamenti Scripturam composuit. Qui enim *Tetrapla* imprimis collegisset, adsic in codicib. Græce scripsisset, nempe in singulis paginis quatuor columnas, quarũ prima esset editio Septuaginta Interpretum, secunda translatio Aquilę, tertia Symmachi, quarta Theodotionis, (de quibus omnib. dictum est superius) *Hexapla* posterior elaborauit; in quorum videlicet singulis paginis sex columnæ essent distinctæ, quarum prima contineret textum Hebraicum Hebraice scriptum, secunda eundem textum Hebraicum, sed Græco charactere exaratũ, tertia Aquilæ versionem, quarta Symmachi, quinta Septuaginta Interpretum, sexta Theodotionis. Repertis vero postea Quinta & Sexta Editionib. ab Hebræis, sed piis (vt putat Hieron.) hominib. elaboratis; easdem Origenes Hexaplis addens, *Octapla* composuit. Hæc fusius Epiphan. qui licet Origeni infensissimus, eiusmodi ab eo nauatam egregie operam non semel laudauit. Reddit & ipse sæpe Origenes d instituti sui rationem: eiusdemq; meminit Eusebius e, & alii recentiores complures. Quod vero antiquam Septuaginta translationem ita concinnasset: vt vbicunq; Septuaginta plus dixissent quã haberetur in Hebræo, obelos apponeret; vbi vero minus, ex Theodotione adderet præfixis asteriscis: hanc eius operam non solum commendauit sæpius Hieronymus f, sed & ipse secutus est exemplum, dum eandem Septuaginta editionem vertit in Latinum. Ex quibus videas, quam perperam ab aliquo g Hieronymus dicatur questus de Origene, quod eo tempore non tam correxerit, quam corruperit Septuaginta translationem.

d *Orig. ep. ad Afric. de Susan. & tract. 8 in Matth.*
e *Euseb. 6. hist. 12.*
f *Hier. præf. in Pentat. ep. 104 & ep. 89. ad Augu. Apol. aduers. Ruff. l. 2. & in ep. ad Tit. c. 3.*
g *Gales. de 70. interp.*

IV.

h *Hier. ep. 107 quæ est præfat. lib. Paralip. & præf. lib. 16. in Isa.* S. HIERON. LABOR IN VERSIONE SCRIPTVR.
i *Id. præfat. in Tob. ep. 113.*
k *Id. aduers. Ruff. l. 1. præf. in Ps. ep. 133. & alibi sæpe.*
l *Ap. Aug. 2. de doc. Chr. 11 & Ibid. c. 15.*
m *Id. 18. de ciuit. 43. Isid. 6. Etymol. 6.*
n *Euseb. lib. Reg. Greg. pr. l. 5. Moral. & lib. 20. c. 23.*

Cum autem postmodum ob triplicem Septuaginta editionem, videlicet h illam Origenis, & quæ deinceps subsecutę sunt, Luciani martyris, & Hesychii, non leues inter Ecclesias conflarentur seditiones; his & aliis rationib. permotus idem Hieron. i, Hebraicam quoq; editionem primus omnium in Latinum conuertit: cuius instituti sui coactus est sæpius k rationẽ reddere aduersus obtrectatores. Cumque & alii plerique (antea ipsum, Græcas editiones Septuaginta in Latinum transtulissent, (inter quas *Italam*, nempe Romana, præstabat certe is) tic Occidentalis Ecclesia nouam accepit l editionem à S. Hieronymo ex Hebræo elaboratam, vt tamen & antiquiore illam ex Græco Septuaginta retineret m sub appellatione *Veteris*, indita Hieronymiane nuncupationi *Noua*. Sed rursum post Gregorii Papæ tempora, (quoto vero postissimum anno, quoue auctore, incertum remanet) ad tollendas dissensiones, quas eiusmodi diuersitatis causa oriri contingeret in Officiis diuinis, vna ex illis duab. constituta est, quæ vsui cunctis esset Ecclesiis, & *Communis* ab omnib. ac *Vulgata* vno nomine diceretur; eadem ipsa qua hodie Ecclesia Romana vtitur: licet non eadem sit ratio omnium qui in ea continentur librorum, quod alii Communem illam Septuagintæ, alii versionem Hieronymi ex Hebræo magis sequantur.

V.

EDITIO NOVI TESTAM.

o *Hier. præf. in Euang. ad Damas. ep. 123 Bellar. controuer. de Verb. Dei l. 2. Sixt. Sen. li. 8. & alii ante eos.*

Quod vero pertinet ad Editionem item Latinam Noui Testamenti; eam quæ antiquitus extabat, ab eodem Hieronymo iussu Damasi Papæ ad Græcos codices emendatam esse, ipse testatur p: & quam ipse correxit, eandem illam esse qua nunc Ecclesia vtitur, plurimorum est sententia, quorũ & longe potiora sunt iura, quam eorum qui contradicunt: Sed de hoc alii q plurib. Certe quod à nonnullis obiicitur de humili & impolito eius stylo, qui minime Hieronymiano conueniat; vel hac ipsa ratione probatur, eam esse Hieronymi: siquidem quod non nouam ipse cuderet, sed veterem emendaret editionem, illa ipsa verba rudia, simplicẽq; dicendi stylum ne in minimo quidem mutare voluit, vbi verba atq; sententię à Græco (vt ait) non dissentirent: hanc enim & in aliis obseruasse consuetudinem, sæpe idem a declarat.

a *Hier. in Ezech. 40. 47.*

VI.

DE SIMPLICITATE SERMONIS SCRI b *1. Cor. 1.*

Eodemq; modo & alii sanctissimi Patres, Pauli Apostoli affectantes vestigia b, qui non in sublimitate sermonis, nec in sapientia verbi Euangelium prædicauit, periculũ immensum cauens ne secus faciens gloriam humilitatis Crucis Christi euacuaret: nihil prętera curarũt in diuina Scriptura emendare quod spectaret ad cultum orationis, vbi consultum veritati cognoscerent: cum alioqui non defuerint in Ecclesia Dei eloquentiæ facultatibus prædili viri, qui id prętare felicissime potuissent: qui tamẽ vel isthęc vt leuia c contempserunt, vel etiam alios nimiæ ob id curiositatis d reprehenderunt. Nam etsi sic rudis apparens ipsa diuina Scriptura derideretur olim e ab Ethnicis; ob vim tamen verbis insitam, omnem illorum disiecit siue scientiis siue armis comparatam omni ex parte potentiam ac fortitudinem: indeque consulto factum est, vt in *Vulgata* qua Ecclesia vtitur, ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini emendandã, qui operi præfuit ob eximiam doctrinam electus à Sixto V. Pont. Max. *Antonius Caraffa* S. R. E. Card. Bibliothecarius; vna cum aliis selectissimis viris eandem inierit rationem, vt explorata veteri lectione ex acceptis toto Orbe Christiano vetustissimis exemplaribus, in omnibus esset Ecclesiasticæ antiquitati consultum: omnia cognoscente, deligente, atque summa industria disquirente eodem ipso Summo Pontifice, cuius ingens studium atque solertiã in eo opere diutissime & accuratissime vigilauit. Quo tempore hæretici, nulli acquiescentes, omnibus detrahentes, quæque carpentes, susdeque miscentes, & pro arbitratu innouantes atque immutantes, eandem Scripturam sæpe verterunt, inuerterunt, ac plane peruerterunt. Quod autem iidem aduersus nostram VVLGATAM Editionem, velut furore quodam perciti hostiliter debacchantur; complures extiterunt nobiles Ecclesiastici tractatores, qui eorum calumnias vt leuissimas refellerunt; quos consulant qui hæc fusius pertractata cupiunt.

c *Augu. 2. de doctr. Chr. 13.*
d *Vid. Niceph. l. 8. c. 42. de Spirid.*
e *Arnob. adu. Gent. li. 1.*

DE EMENDA TIONE EDIT. VVLGATÆ.

VII.

Sed vt ad Origenem redeamus; cum is peruenit in Palæstinam, non sic secessum petiit Tyrium vt penitus docere desineret. Siquidem Eusebius f ait, ad eum Cæsareæ consueta disciplinæ munera exequentem, non solum indigenas, sed ab exteris etiam regionib. pene infinitos discipulos aduentasse; & ex iis maxime insignes *Theodorum*, & fratrem eius *Athenodorum*, cum integro quinquennio in eius schola versati, magnam in sacræ Theologiæ studiis fecissent progressionem, ambos adhuc admodum adolescentes, Ecclesiarum in Ponto creatos esse Episcopos. Hęc Euseb. qui tamen quarum Ecclesiarum hi fuerint electi Antistites, non dicit. Constat autem Gregorii Nysseni g testimonio, alterum ipsorum, nempe Theodorum (dictum postea nomine *Gregorium*, & ob ingentia præclaraque facinora prænomine *Magnum*, & agnomine *Thaumaturgum*) creatum fuisse patriæ suæ Episcopum, nempe Neocæsareæ in Ponto. Germanus autem eius, licet cuius sedis fuerit Episcopus non satis liqueat; illud tamen certum est, eum vitam suam omnibus scientiis egregie excultam, demum post exantlatos immẽsos cum aduersus Gẽtiles tum hæreticos iuges labores, glorioſi palma martyrii h (in hoc maiorem fratre suo) illustriorem reddidisse in Persecutione Aureliani. Fuerunt ambo Gentilibus parentib. geniti; & Alexandriæ primum philosophicis, postea vero sacris literis operam dederunt indeq; in Palæstina ad audiendum Origenem profecti sunt, vna cum Firmiliano nobili Cappadoce, magni quoque postea nominis Cæsareæ Cappadociæ Episcopo: vt plurib. idem Nyssenus tradit, quamuis solius Gregorii reb. gestis intentus. De quo & illud egregium plane facinus, cum Alexandriæ auditor esset, narrat; nempe, cum aliquando vna cum viris doctis & grauibus de quadam quæstione philosophica ex more disputaret, immissaque ab æmulis luxurioſis meretricula, mercedem turpitudinis cum eo commissæ impudenti importunitate peteret; ipsum nihil turbatum, nihilq; innocentiam suam contestatum, sedata voce conuersum ad quendam familiarem, iussisse numerare ei pecuniam, ne diutius importunitate sua propositæ quæstionis

f *Euseb. 6. hist. 23.*
g *Greg. Nyss. in Vit. Greg. Thaumatur.* GR. THAVMAT. PRIMORDIA.
h *Martyrol. Rom. 18. Oct.*

tracta-

tractatum conturbaret. Quod vbi factum est, confestim miseram feminam, in ipso medio cœtu, maligno conceptam spiritu, non prius ab eius crudelissima vexatione liberatam esse, quam pius atq; pudicus adolescens Gregorius pro ea preces ad Deum fudit. Quem quidem, paulo post quam audiendo Origeni operam dedit, (vt idem Nyssen. narrat) cum Phædimus Amasenus Episcopus, cui diuinitus præscia futurorum vis inerat, consecrare vellet Episcopum, idque Gregorius fugiens diuersas latebras peteret, tandem impetu quodam diuino Phædimus, nihil curans interiectum spatium, quo à Gregorio itinere triduo dirimebatur, sed ad Deum suspiciens, precatusq; vt & ipse & ille pariter in illa hora à Deo respicerentur, demum loco manus impositionis Gregorio adhibens sermonem, Deo consecrauit eum, ac Neocæsariensem ei ciuitatem assignauit. Quo ille inuisibili fune inuitus retractus, consuetam Ecclesiæ manus impositionem accepit.

FIT EPISC. NEOCÆS

VIII.

Accidit autem, vt cum totus intentus curæ pastorali optime administrandæ, nocte quadam rationem dispiceret prædicandæ populo suo sinceræ fidei, ac de variis quæ tunc controuerterentur quæstionibus animo agitaret; apparuerit ei vere, ingenti fulgore, ac forma & habitu mirabili, sacratissima VIRGO DEI GENITRIX cum *Sancto Ioanne Euangelista*, ac per hunc docuerit illum perfectam fidem Trinitatis; dicta ei verbatim formula, seu regula, quam mox Gregorius post visionis disparitionem scriptis mandans, & secundum illam postea in Ecclesia docuit, & eandem posteris prædicandam reliquit: quam & Orientalis & Occidentalis Ecclesia cognitam comprobauit, & vt sacrosanctum depositum cælitus collatum religiosissime custodiuit. Recitat illam Nyssenus, dum huius apparitionis historiam narrat; habeturque descripta in Quinta Oecumenica Synodo: quam & post multa sæcula Apocrisarii Gregorii Papæ Nomina citarunt aduersus Germanum Iuniorem Episcopum Constantinopolitanum, in eam sententiam quod Spiritus sanctus à Patre Filioque procedat. Est autem illa huiusmodi: *Vnus est Deus Pater Verbi viuentis, Sapientiæ subsistentis, & Potentiæ, & Figuræ æternæ: Perfectus Perfecti genitor, Pater Filii vnigeniti. Vnus Dominus solus ex solo, Deus de Deo, figura & imago Deitatis, Verbum efficax, Sapientia constitutionis rerum vniuersarum comprehensiua, & Potentia vniuersæ creaturæ effectrix, Filius verus veri Patris: visum effugiens visum effugientis, & corruptioni non obnoxius non obnoxii corruptioni, & morti non obnoxius non obnoxii morti. & AEternus AEterni. Vnus Spiritus sanctus, ex Deo orum & existentiam habens, quippe per Filium apparuit, videlicet hominibus: imago Filii perfecti perfecta, Vita, viuentium causa, Fons sanctus, Sanctitas sanctificationis suppeditatrix: per quem manifestatur Deus Pater, qui est super omnia & in omnibus, & Deus Filius, qui per omnia permanet. Trinitas perfecta, quæ gloria, atque æternitate, & regno, non diuiditur, neque abalienatur.* Quam etiam eandem Regulam constat fuisse ab eodem ipso Gregorio accuratissime explicatam, appositio commentario *De Expositione Fidei* inscripto, qui citatus repetitur inter alios à Basilio *b* Magno, & Leontio *c* Scholastico. Sed *d* erroris iste arguitur, dum ait dubitatum à Patribus an Expositio fidei vere fuerit ab ipso Gregorio scripta. Nam Basilius, qui omnia Gregorii accurate perspecta habuit, vt eius opus citat, & ab eo editum fuisse non dubitat: licet idem ibi de Subsistentiis aliquid minus proprie videretur esse locutus; sicut & accidere potuit ex eodem textu ab hæreticis (vt ait Euagrius *e*) depraua to, aut perperam interpretato.

DIVINITVS ACCIPIT REGVLAM FIDEI.

a Regest. ep. Greg. IX. an. 7. eius Pontif.

b Basil. de sp. S. c. 29. & ep. 64. ad Neoc. c. Leont. e scholl. ad S. d Baron. 266.

e Euagr. lib. 3. c. 31.

[Cum ait Leontius, dubitatum de Expositione Thaumaturgi, forte intellexerit de alia quam quæ à Basilio memoratur: eaque ipsa fuerit, quem edidit Vossius inter Opera Thaumaturgi: quippe illa verba quæ citat Leontius, eadem ipsa reperiuntur in Vossianis. At Vossianam nequaquam illam esse cuius Basilius meminit, variis argumentis contendit Bellar. de Scr. Eccles. in Greg. Thaumat.]

IX. ALEX. CARBONARIVS FIT EPISC. COMANVS.

Cæterum qui magna Dei virtute ac prouidentia ad munus Episcopale in Ecclesiæ vtilitatem euectus est Gregorius, idem eiusdem diuinæ bonitatis consilio, cum quodam post hæc tempore à finitima ciuitate Comana Pontica vocatus esset vt Episcopum ei præficeret, nec inter ciues conueniret de eo qui ordinandus esset; *Alexandrum* quendam carbonarium, quem ciues derisui haberent, per iocum à quodam propositum, & à Gregorio diuinitus detectum (qui, vt qui eruditissimus cum esset, ex philosopho Gentili Christianus factus, vt occultior sublimiorem exerceret philosophiam, & egregiam corporis formam continentiæ causa tegeret, inter ea bonarios voluisset profiteri:) eidem Comanæ ciuitati, communi omnium, post rem cognitam, accedente suffragio, Episcopum præfecit atque ordinauit; qui postea sub Decio tanti sacerdotii amplitudinem post egregiam nauatam operam in cura pastorali, insigni per ignem martyrio illustrauit. Refert hæc pluribus in Vita Thaumaturgi Nyssenus.

IESV CHRISTI AN. 234.

PONTIANI AN. 2.

ALEXAND. IMP. AN. 11.

ANNO Christi ducentesimo trigesimo quarto, Lupo & Maximo Coss. mortuo Demetrio Episcopo Alexandrino, cum sedisset annos quadraginta tres, successit *Heraclas* ingentis vir famæ atque doctrinæ: qui iam olim Origenis discipulus, eidem postea in schola Alexandrina socius accesserat, ac demum illo in Palæstinam fugiente, integrum docendi munus susceperat; in quo, Episcopus factus successorem habuit *Dionysium* vnum item ex Origenis discipulum. Hæc omnia Eusebius *a*.

I. HERACLAS EPISC. ALEX.

a Euseb. 6. hist. 11. 20. 23.

Eodem quoque anno, itidem Alexandriæ profitente publice philosophiam Platonicam *Ammonio* Christiano philosopho, *Plotinus* Ægyptius patria Lycopolitanus, homo Gentilis, annos natus viginti octo ad eum audiendum se contulit, audiitque annos vndecim. Testatur id Porphyrius in Vita Plotini. Sed quod dicit, Ammonium à Christianis ad Ethnicos defeciisse, redarguunt eum impudentissimi mendacii Eusebius *b* & Hieronymus *c*, ex ipsius Ammonii quæ recensent scriptis. Cæterum quod audis Christianum hominem externam philosophiam publice profiteri coram auditoribus Gentilibus; non sine diuino consilio id fieri consueuerat his temporibus, tum Alexandriæ, tum aliis locis, ad magnam Christi gloriam & Euangelii profectum, quod eiusmodi scholæ, essent complurib. veluti introductio quædam ad fidem capessendam, dum quæ apud sapientiores Gentiles philosophos sublimiora essent, eadem longe facilius feliciusque ipso doctrinæ Christianæ exordio ediscerentur: qua via constat quamplurimos, ac præsertim Platonicos *d*, ad Ecclesiam esse perductos; & qui se profiterentur Orbis magistros, libenter factos esse discipulos humilitatis Christianæ. Conducere namque ad Christianam pietatem philosophicas disciplinas, præstareque vt Christiani homines illis instituantur, non semel Clemens Alexandrinus, & ipse eas ibidem professus insinuat, & imprimis cum aduersus eos agit *e* qui Christianis philosophiam profitentibus detrahebant. Sed quod ea interdum abuti homines contingat, videlicet cum non ea vt organo ad veritatem vtuntur, sed finem in ea constituunt; idcirco apprime post Philonem *f* Clemens *g*, symbolicis figuris Agar & Saræ *h*, docent ancillam debere subiici dominæ, nempe humanam philosophiam diuinæ Theologiæ. Et æque eleganter Gregorius *i* Nyssenus alienigenæ feminæ comparat externam philosophiã, quam Iudæus rite, legitimeque accipiet in vxorem *k*, dummodo ipsa deponat vngues & capillos, & eius partus circumcidatur. Plura alia in hanc sententiam congeri possent; sed temperamus, illud vnum ex Augustino *l* monentes, Platonis philosophos, qui Christi discipuli fieri superbe neglexerint, sese magiæ illi quæ per inuocationem dæmonum fieri solet penitus adduxisse: idque ipsum tam Plotino, cuius occasione in hæc diuertimus, quam eius discipulis contigisse.

II. PLOTINVS AD AMMONIVM.

b Euseb. 6. hist. 13.

c Hier. de Scr. Eccl. in Ammon.

CVR CHRISTIANI DOCERENT PVBLICE PHILOSOPHIAM.

d Vid. Aug. de ver. rel. c. 4.

e Clem. Alex. Strom. l. 1. & 6.

f Philo de congres. quær. erud. grat.

g Clem. l. 1.

h Gen. 16.

i Greg. Nyss. in Vit. Moys.

k Exod. 4. Deut. 21.

l Aug. ep. 56. ad Dioscor.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 235.236.

PONTIANI AN. 3.4.

ALEXAND. IMP. AN. 12.13.

I. ANNO Christi ducentesimo trigesimo quinto, Maximo & Paterno Coss. nihil gestum reperimus, quod ei certo adscribi possit; ad res nostras pertinens.

II. ALEXANDRI IMP. VICTORIA DE PERSIS. a *Vid. sup. an. 108. ad num. 2.*

Anno vero ducentesimo trigesimo sexto, Maximo & Vrbano Coss. Alexander Imperator Artaxarxem Persarum Regem potentissimum, qui inflatus reb. secundis *a* aduersus Parthos gestis, cū vtgenti exercitu (in quo essent septingenti elephāti turriti cum suis sagittariis, falcati currus mille, centum vigiliti millia equitum cataphractariorum) Romanū Imperium inuaserat, & literas pacis ad ipsum ab Alexandro missas barbarico fastu contempserat, deuicit, ac de illo nobilissimum triumphū Romæ egit septimo Calendas Octobris. Idem enim Lampridius ex Actis Senatus, & Annalibus asserit: quantumuis Herodian. fuisse toto eo bello infelicissimum Alexandrum scribat; cuius etiam dissensum ab aliis in huius belli historia, notat idem Lampridius. Cæterum tum primum Persas seruos apud Romanos visos, mox redemptos esse, quod indigne ferrent Persarum Reges quempiam suorum alicubi seruire, idem auctor scribit.

III. DE TRANSLAT. S. THOMÆ APOST.

Fertur quoq; à nonnullis, eodem bello Persico cōfecto, translatū fuisse ex India corpus S. THOMÆ Apostoli Edessam: sed quod absq; antiquorum testimonio traditur, fides sit apud auctores. Certe haud integrum transferri permissū constat: nam Indi adhuc se illud possidere profitentur: q & qui res Indicas nostri temporis sunt prosecuti, testantur.

IESV CHRISTI AN. 237.

PONTIANI AN. 5.

MAXIMINI IMP. AN. 1.

I. ALEXANDER IMP. NECATVR.

ANNO Christi ducentesimo trigesimo septimo, Seuero & Quinctiano Coss. decima octaua Martii *Alexander* Imperator in expeditione Germanica apud Moguntiacum siue (vt alii) in Gallia, vna cum Mamæa matre, Maximini dolo occiditur, maximo Senatus Populiq; Romani, atque omnium prouincialium, ipsiusq; exercitus luctu; cum imperasset (vt tradit Lampridius) annos tredecim, & dies nouem, vixisseque annos viginti nouem, menses tres, dies septem. Qui quod iisdem Coss. (vt habet Liber de Romanis Pontificibus) *Pontianum* Papam vna cum Philippo presbytero relegasset in Sardiniam, (aliqua potius, vt puto, calumnia circumuentos, quam Christianæ religionis causa) sic occidi, Deo facinus vlciscente, permissus est. Porro auaritiā Mamææ ipsius matris, occasionem dedisse commotioni in eum; Lampridius & alii tradunt. Ipsa enim post stabilitum filii Imperium, visa est desciuisse à pristina illa optima morum institutione, ex Christianorum consuetudine comparata: Cum & alioqui ipsum Alexandrum in animaduersionibus asperum extitisse, & propter austeritatem *Severum* à militibus appellatum fuisse, Lampridius scribat. Eum autem post obitum à Senatu inter Deos relatum tradit.

II. MAXIMINVS IMPERAT. *Capitol. in Maxim.*

Occiso vero illo, idem *Iulius* MAXIMINVS *b*, Thrax genere, humili loco natus, barbarisq; parentibus, patre nimirum Gotho & matre Alana, qui & ipse pastor olim fuerat; ex tyronum Tribuno, primus (inquit Capitolinus) è corpore militari & nondum Senator, Augustus ab exercitu appellatus est, filio MAXIMINO sibimet in participatum Imperii dato.

III. *c Euseb. 6. hist. 28.* PERSEQVITVR CHRISTIANOS.

Idem vero confestim, ob grauem inuidiam (inquit Eusebius *c*) qua contra Alexandri familiam, in qua complures erant Christiani, flagrabat, acerbam Persecutionem excitauit; iussitque solos Ecclesiarum Præsides, tanquam auctores doctrinæ Euangelicæ, neci dari. SEXTAM hanc Orosius *a* & Augustin. *b* PERSECVTIONEM appellant, qua non modo Præsules, sed & clericos omnes à Maximino vexatos, Seuerus *c* tradit. Porro huius persecutionis eam præcessisse causam, quod cum grauissimi terræmotus Orientis oras acerbissime exagitassent, ea mala Gentiles more solito adscriberent Christianis, quasi qui non colerentur ab illis Dii, his vel aliis cladibus Orbem sæpe irati concuterent; tradunt huius temporis scriptores Origenes *d*, & Firmilianus *e* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus: quorum etiam auctoritate constat, eandem persecutionem vehementer grassatam esse in Oriente. Sed & illius occasione eundem Origenem scripsisse librum *de Martyrio*, Eusebius * tradit.

a Oros. l. 7. c. 19. b Aug. 2. de ciuit. 52. c Sever. hist. 2.

d Orig. com. 28. in Ioan. e Ap. Cypr. ep. 75.

* *Euseb. 6. hist. 21.*

IV. PSEVDOPROPHETISSA MVLTOS DECIPIT.

Eademq; durante, *Pseudoprophetissam* quandam in Cappadocia & Ponto erupisse, idem Firmilianus testatur; quæ (vt ait) multos Fideles per præstigias dæmonis seduxit; inter cætera hæc frequenter ausa, vt certa quadam inuocatione sanctificare se panem, & Eucharistiam facere simularet, & sacrificium Domino non ritu Ecclesiæ offerret, baptizaret tamen vsitato more. Quæ tandem ab Exorcista quodam redarguta impostura, euanuit; dum esse neq; iustissimus spiritus, qui prius sanctus putabatur, ostensus est.

V. MAXIMINI OMNIVM SÆVISS. *f Capit. in Maxim.*

Sed vt ad Persecutionem reducamur; quam ea sæua fuerit, ex barbari Imperatoris qui eam indixit natura in omnē crudelitatem effusa, poterit quisque facile colligere: quippe quem adeo immanem etiam in suos fuisse Capitolinus *f* tradit, vt illum alii *Cyclopem*, alii *Busiridem*, alii *Scironem*, nonnulli *Phalarim*, multi *Typhonem* vel *Gygem* vocarent: quem & Senatus tantum timuit, vt vota in templis publice priuatimque, mulieres etiam cum suis liberis facerent, ne ille vnquam Vrbem Romā videret; quod sine iudicio, sine accusatione, sine delatore, sine defensione, sine delectu, dimissis & exquisitis suppliciis omnes interimeret, omniumq; bona auferret. Erat enim ei persuasum, nisi crudelitate Imperium non teneri. Hæc ille auctor.

VI. PONTIANI PP. MARTYRIVM. *g Martyrol. Rom. 19. Nou.*

Vrgente igitur sub tali bellua persecutione, quæ in Præsides Ecclesiarum præcipue indicta fuerat; visum est ab omnium supremo initium sumere. Siquidem hoc ipso anno, iisdemq; Coss. *Pontianus* Romanus Pontifex, quem diximus Alexandri iussu in Sardiniam deportatum, eiusdem Maximini mandato fustib. verberatus, martyrium consummasse reperitur decima nona Nouembris: cuius corpus postea à Fabiano Papa Romam translatum est, & in cœmeterio Callisti sepultum. Ita Tabulæ *g* Ecclesiasticæ, & Liber de Romanis Pontificibus. In quo additur, cessasse Episcopatum eius dies tredecim, ac postea suffectum in eius locum esse ANTERVM natione Græcum ex patre Romulo. Non autem audiendi penitus quidam recentiores, qui (vt puto) ex commentitiis Actis SS. Vrsulæ & sociarum, post Pontianum introducunt *Cyriacum* quendam, cuius nulla prorsus extat mentio in serie Romanorum Pontificum à Latinis vel Græcis descripta. Sed quod ad reliquos sub Maximino martyres; confusos simul esse plerosque, nec satis distinctos haberi, qui sub isto *Iulio Maximino* passi sunt, inuenimus; præsertim vbi nulla cuiusq; eorum prænominis facta mentio reperitur; cum & æque certum sit, librariorum sæpius errore, *Maximinus & Maximianus* nomina inuicem mutata esse.

ANTERVS PAPA.

MAXIMINI PLVRES CONFVSE SIMVL.

VII. *h Herod. l. 7.*

Cæterum iste Maximinus, confecto feliciter hoc anno bello Germanico, aliisque obtentis victoriis, Sirmium veniens illic hiemauit *h*; cum interim Romæ per Sabinum Præfectum Vrbi, & Vitalianum Præfectum Prætorio, homines natura feros, & ad Maximini ingenium optime comparatos, acerrime sęuiret in populum.

IESV CHRISTI AN. 238.239.240.

ANTERVS. FABIANI AN. 1.2.3.

MAXIMINI IMP. AN. 1.2.3.

I. ANNŌ Christi ducentesimo trigesimo octauo, Maximino Augusto & Iulio Africano Coss. die tertia Ianua-

ANTERI PP. MARTYRIVM.

tii *Anterus* Papa coronatus est martyrio, cum vix mensem (vt habet Eusebius *a*, licet perperam eius necem sub Gordiano ponens) in Pontificatu egisset. Cuius martyrii causam Liber de Romanis Pontificibus hanc assignat, quod *Gesta Martyrum diligenter à Notariis exquisisset, & in ecclesia recondidisset.* Cæterum à Clemente Papa primum magna diligentia curatum fuisse, vt à septem Notariis Gesta Martyrum scriberentur, iam vidimus. His vero Fabianus Papa, qui successit Antero, vt omnia accuratius perficerentur, septem præfecit Subdiaconos.

a *Euseb. in Chron. & 6. hist. 22.*

II. NOTARIORVM MVNVS.

Porro eiusmodi NOTARIORVM hac in re (siquidem & cetera quæ ad Ecclesiam pertinent, eorum muneris fuisse *b* constat) opus fuisse existimamus, vt non ipsa tantum Acta, cruciatus nempe & tormenta describerent; sed etiam quæcumque Martyres locuti essent dum caperentur, aut torquerentur, vel ad supplicium ducerentur, quam celerrime adnotarent consuetis notis, quibus non verba tantum, sed etiam sententiæ integræ continerentur: quarum inuentionem Eusebius *c* Tironi Ciceronis liberto Dio *d* Mecœnati, eiusque liberto Aquilæ tribuit. Illa autem quæ intra cancellos, obducto velo, à Iudicibus martyres interrogati dicerent; publicorum Exceptorum muneris erat, inter publica Acta referre: quæ cum agerentur in prouinciis *Proconsularia* ab Augustino & aliis dicta reperimus: eademque ipsa, vel eorum potius exempla, à Christianis collata pecunia redimi solebant, & inter Acta Martyrum sedulo asseruari; cuius rei causa Anterus martyrio subiisse dicitur. Non solum autem à Romana Ecclesia, vt Acta martyrum accurate conscriberentur, sed ab aliis quoque diligenter curatum esse, exant clarissima antiquitatis testimonia de insignibus Ecclesiis Smyrnensi *e* Viennensi *f* & Lugdunensi, Alexandrina *g*, Carthaginensi *h*, & aliis. Quæ quidem tanto studio perquisita, maxima ex parte Diocletiani edicto flammis tradita lugemus. Porro de mira quorumdam Notariorum in scribendo pernicitate, sunt elegantes versus Martialis *i* & Ausonii *k*; laudat que Augustinus *l* nonnullorum peritiam, non in conscribendis dumtaxat Martyrum Actis, sed & in publicis excipiendis cum hæreticis disputationibus, mutuisque collationibus, & in sacrorum Conciliorum gestis scribendis.

b *Euseb in Cicron. Olymp. 193. an. 4.*

c *Euseb. in Chron.*

d *Dio hist. lib. 55.*

ACTA PROCONSVLARIA.

[Plac. huc ad maiorem superiorum elucidationem, ex I. Dartis Animaduersionibus adnotare, um olim Clemens septem Notarios instituisset, vt celeriter exciperent verborum notis gesta diaque Martyrum, iam Fabianum considerantem hanc scribendi rationem esse valde obscuram, ideo septem Notariis totidem præfecisse Subdiaconos, qui curarent literis integre perscribi quod notis compendiose excipiebatur antea erat: dicendum anastasio ad hoc Fabianum *fecisse septem subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, vt Gesta Martyrum integre colligerent.* Quomodo & Epiphanius lib. 3. cont. hær. in fi. scribit libros suos ab Anatolio notis excepios esse, & ab Hypatio integra scripti ne in mundum seu in purum relatos. Et Paulus Iurisconsultus l. 40. D. de test. mil. respondet quæstioni sibi factæ de milite, qui testamentum scribendum notis dictauerat, & antequam litteris præscriberetur decesserat.]

e *Ap. Euseb. 4. hist. 14.*

f *ibid. 5. hist. 2.*

g *Ibid. 6. hist. 33. & lib. 7. cap. 10.*

h *Ap. Cypr. ep. 37. ad prob. Carthag. Pontius diac. in vit. Cypr.*

i *Mart. Epigr. lib 14. 2. Auson. ep. 27. 3 Aug. 2. de doctr. Chr.*

AD QVID SVB DIACONI PRÆFECTI NOTARIIS.

III. FABIANVS PAPA.

Antero igitur martyrio sublato, sepulcroque in cœmeterio Callisti via Appia; post dies tredecim (vt habet Liber de Romanis Pontificibus) in eius locum subrogatus est FABIANVS, patria Romanus patre Fabio: quem diuinitus electum esse, dum in ipsis Fidelium comitiis derepente columba è sublimi deuolans eius capiti insedit, Eusebius *m* scribit. Sed quæ huius anni Coss. Calendis Iulii data habetur Fabiani nomine epistola ad omnes Ecclesiæ comministros; ea additionem accepit de Nouati ex Africa Romam aduentu, & Nouatiani peruersione, quandoquidem hæc nonnisi sub Cornelio Fabiani successore contigisse, certa est assertio Cypriani *n*, Paciani *o*, Eusebii *p*, Libri etiam de Romanis Pontificibus, ac denique cetetorum omnium qui de his egere.

m *Euseb. 6. hist. 22.*

n *Cypr. ep. 49. 52. 76.*

o *Pac. ep. 3. ad Sympron.*

p *Euseb. in Chron.*

IV. GORDIANI ACCLAMANTVR IMPP. SVB NECANTVR.

Quod ad ciuilem Imperii statum pertinet; post innumeras cædes à Maximino eiusque ministris perpetratas, delectis hoc eodem anno in Africa GORDIANO Proconsule iam octogenario, eiusque filio, quadraginta sex annos nato Imperatoribus, eosque approbante Romæ Senatu, & Maximinum hostem iudicante; primum omnium Vitalianus & Sabinus, quos diximus Præfectos Prætorio & Vrbi, cum aliis plurimis Maximini fautoribus occisi fuere; consligentibusque inuicem Populo Romano, & Prætorianis militibus qui illic à Maximino starent, magna facta est vtriusque partis occisio, vsque adeo vt Vrbs à militibus inflammaretur. Cùm interim ambobus Gordianis, agente contra eos Capelliano Mauritaniæ Præfecto, extinctis, à Senatu delecti sunt ad Rempublicam aduersus Maximinum tuendam Viginti viri: ex quibus mox *Clodius Maximus* PVPIENVS & *Cælius* BALBINVS Augusti acclamati sunt, & ab iisdem cooptatus GORDIANVS, Senioris Gordiani nepos, puer in Cæsarem: sed & tolli sunt per vniuersum Imperium Legati à Senatu, qui prouincias ad defectionem aduersus Maximinum solicitarent. Hæc omnia fusius Herodianus *a* & Capitolinus *b* (quorum tamen partem in annum sequentem reiiciendum putamus). Cæterum has ingentes turbas cohibuisse edimus Maximinum, eiusque ministros, (coactos nimirum sua curare negotia) à persecutione Fidelium.

PVPIENVS ET BALBINVS IMPP.

a *Herod. lib. 7.*

b *Capitol. in Maximin. & in Gord.*

V.

Sed quod eius exitum complures ponunt anno Christi ducentesimo trigesimo nono, quo Perpetuum & Cornelium siue Cornelianum Coss. Cassiodorus habet, illorum magis probatur sententia, qui dixerunt eum regnasse annos tres absolutos, & quarto occisum esse, vt Eusebius in Chronicomam & Cassiodorus quatuor ponit Consulatus sub eius Imperio. Immo & Herodianus *c* (licet in hoc non audiatur) nonnisi post triennium exactum rebellasse ponit Africanos. Igitur qui tres annos Maximino tribuerunt, expletos intellexisse oportuit.

c *Herod. lib. 7.*

VI.

Anno itaque Christi ducentesimo quadragesimo, Vlpio Crinito & Proculo Pontiano Coss. (hos enim ex Censorino, anno præsenti collocari debere, alias ostensum *d* est: quamuis & hoc eodem anno quo occisus est Maximinus, ille ipse legatur *e* fuisse Consul; forte ciuili bello variis ex vtraque parte creatis) idem Maximinus ex Germania in Italiam aduersus nouos Imperatores & Senatum venturus, Alpibus superatis dum Aquileiam munitissimam vrbem obsidione tentat, à propriis militibus ira eius sæuitiam pertæsis, vna cum filio obtruncatur, abscissaque eorum capita Romam transmittuntur; corpora vero in profluentem proiiciuntur. Sed & paulo post ægre ferentes milites parere Pupieno & Balbino Imperatoribus à Senatu datis, ambos Agonalibus Ludis Capitolinis ludibriis affectos miserrime occiderunt; ac GORDIANVM, Cæsarem iam antea creatum, Augustum acclamarunt, annum ætatis agentem decimumsextum, vel tantum (vt alii scripserunt) decimumtertium. Hæc autem de necibus Imperatorum, pluribus narrat post Herodianum *f* Capitolinus *g*.

d *Au. 88. I.*

e *Ap. Adolph. de Num. & ap Capitol.*

MAXIMINVS NECATVR.

GORDIANVS IMPERAT.

f *Herod. lib 7.*

g *Capitol. in Maximin. in Gord. & in Max. ac Bal.*

IESV CHRISTI AN. 241.242.

FABIANI AN. 4.5.

GORDIANI IMP. AN. 1.2.

I.

ANno Christi ducentesimo quadragesimo primo, Gordiano Augusto & Autiola Coss. defuncto *h* Zebino Episcopo Antiocheno, subrogatus est magno eius Ecclesiæ bono, clarissimus inter huius temporis Orientalis Ecclesiæ Episcopos, *Babylas*: qui in persecutione Daciana cum ceteros omnes, tum ipsos etiam pueros ad martyrium instruxit, & inflammauit; & in desolatione Persiana dissectos omnium animos erexit. Subiit & ipse martyrium, post quam sedisset annos duodecim, vt dicetur suo loco.

h *Euseb. in Chron.* BABYLAS EPISC. ANTIOCH.

II.

Interea vero, postquam Imperator anno Christi ducentesimo quadragesimo secundo, Sabino & Venusto Coss. *Sabinianum i* cum suis in Africa rebellantem compressit, summum in Romano Imperio otium, & in Ecclesia pax fuit tranquillissima: (si quidem, vt fiebat) obtenta causa, reperiatur *k* sub Gordiano passa *Helconides* martyr Corinthia, quæ diu tormentis vexata, dissectis mammis, feris obiecta, igneque vexata, tandem abscissione capitis migrauit ad Dominum. Pace vero bene vsi Ecclesiarum Præsides, Christianam religionem propagare, propagatamque illustrare ædificiis, pro viribus studuerunt. Nam, vt ceteros taceam qui in suis parœciis id diligenter præstitisse reperiuntur, habet Liber de Roman. Pont. Fabianum Papam multa ædifi-

i *Capitol. in Gord.*

k *Martyrol. Rom. & Menol. Græc. 28. Mart.* ERGVNTVR ECCLESIÆ. *Bar. an. 145. aliquot alia certatim enarrata.*

cia in cœmeteriis Romæ fieri instisse: quippe quæ in cryptis arenatis subtus terram latebant sepulchra SS. Martyrum, in quibus Synaxes à fidelibus haberi consuevisse videmus, erectis desuper ædificiis reddita sunt clara, atque conspicua.

III. CONC. LAMBESIT. ADVERSVS PRIVAT. HÆRET.

Sed & cum eiusdem pacis beneficio, sanctissimi Episcopi omnem nauarent operam, vt hæreticos à Dominico grege fugarent, congregatum est ab Episcopis Africanis apud LAMBESITANAM Coloniam, nonaginta Episcoporum CONCILIVM aduersus PRIVATVM hæreticum; quem omnium sententia damnatum, Fabianus quoque Romanus Pontifex, & Donatus Carthaginensis Episcopus, paribus votis suis literis infamia notatum, Ecclesiastica communione privarunt. Meminit horum Cyprianus [a], cum iterum ipsius temporibus idem Privatus nouas turbas in Ecclesia commouisset. Quænam autem essent eius hæreses, haud potuimus reperire: quamobrem potius existimamus, fuisse alienæ hæresis sectatorem, quam nouæ institutorem.

a *Cypr. ep. 55. ad Cornel.*

IESV CHRISTI AN. 243.244.245.

FABIANI AN. 6.7.8.

GORDIANI IMP. AN. 3.4.5.

I. BELLVM PERSICVM.

ANno Christi ducentesimo quadragesimo tertio, Gordiano & Pompeiano secundum Coss. Sapores Rex Persarum vlcisci cupiens cladem eis illatam ab Alexandro Imperatore, Romanum Imperium aggressus, Syriam populatus est, ipsamque Antiochiam subegit. Quare Gordianus, vt virum fidum haberet, cuius optimo consilio iuuaretur, priusquam ad bellum proficisceretur, duxit vxorem filiam Misithei doctissimi viri, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putauit, & Præfectum Prætorio statim fecit. Hæc Capitolinus [b]: qui addit, fuisse quoque tetrarchorum eo vsque grauem, vt ciuitates etiam terræ hiatu cum populis deperierint; eaque propter sacrificia per totam Vrbem, totumque Orbem terrarum ingentia celebrata fuisse.

b *Capitol. in Gord.*

II.

Anno vero ducentesimo quadragesimo quarto, Attico & Prætextato Coss. (vt idem auctor habet) Gordianus aduersus Persas cum ingenti exercitu procedens, eosdem frequentibus præliis victos ad sua remeare coegit. Ac demum

III. PHILIPPVS ARABS REGNANDI CVPIDVS.

Anno ducentesimo quadragesimo quinto, Appiano & Pappo Coss. Misitheo eiusdem Imperatoris socero, *Philippo* Arabe impellente, medicorum fraude sublato, collata à Gordiano fuit eidem Philippo Præfectura Prætorii: qui humili licet genere natus, praua arreptus regnandi cupidine, æque dolo tentauit Gordiano reddere infensos milites: nec solum illud, sed etiam vt eius collega fieret, impetrauit.

IESV CHRISTI AN. 246.

FABIANI IMP. AN. 9.

PHILIPPI AN. 1.

I. GORDIANVS IMP. OCCIDITVR.

ANno Christi ducentesimo quadragesimo sexto, Peregrino & Æmiliano Coss. mense Martii (vt auctor est Aurelius Victor) *Gordianus* Imperator à PHILIPPO collega impie atque crudeliter iussus est occidi in finibus Persidis, postquam regnasset annis sex inchoatis; & à mœrente Senatu relatus est Romæ inter diuos: cui & milites sepulchrum fecerunt, titulum huiusmodi addentes, Græcis, & Latinis, & Persicis, & Iudaicis, & Ægyptiacis literis, vt ab omnibus legeretur: *Diuo Gordiano, victori Persarum, victori Gothorum, victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, victori Germanorum: sed non victori Philipporum.* quod ideo videbatur additum, quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario prælio victus abscesserat, simul etiam quod à Philippis videbitur occisus. Omnes autem qui eum gladio appetierunt, nouem numero, postea interemptis Philippis, sua manu, suisque gladiis, & eisdem quibus illum percusserant, interierunt. Hæc pluribus Capitolinus in Gordiano.

Magnopere vero mea sententia errant, qui hoc iam tempore Philippum fuisse Christianum affirmant; cum nemo Gentilium historicorum vel leuiter id annuisse reperiatur, multaque sint præterea antiqua monumenta, quæ eum fuisse deorum cultorem manifeste significent. Itaque quod tum Eusebius [a] & alii Græci, tum inter Latinos Vincentius [b] Lirinensis, Orosius [c], Cassiodorus [d], & alii recentiores plane innumeri, ipsæque etiam Tabulæ [e] Ecclesiasticę eum Christianum fuisse tradunt; ne quaquam in hoc tempus referri potest; quod quidem anno Vrbis natalis millesimo, nempe quarto Imperii Philippi, Pontii Præfecti opera contigisse, Acta [f] martyrii eiusdem Pontii declarant. Ceterum labem inuasi Imperii optimis institutis delere studuit, dum inter alia exoletos [g] penitus sustulit, & garrulam poetarum [h] linguam, licenter nimis famam honestissimorum virorum carpentem coercere conatus est. Siquid autem post baptismum quauis occasione deliquit, quo ab Ecclesia iure deberet esse extorris; idem facta exomologesi publice in Ecclesia (quod Eusebius [i] narrat) Fabiano Papa aliter cum ad preces cum reliquis celebrandas, postrema vigilia Paschatis admittere recusante, magnæ pietatis exemplo diluit.

a *Euseb 6. hist. 27.*
b *Vinc. Lirin. cap. 23.*
c *Oros. lib. 7.*
d *Cassiod. in Chron.*
e *Martyrol. Rom. 14. Maii in Pont. mart. Vsuar. ea die.*
f *Ap. Sur die 14 Maii.*
g *Lamprid. in Alex.*
h *l. poeta. C. de profess. lib. 10.*
i *Eus. 6. hist. 27.*

IESV CHRISTI AN. 247.248.

FABIANI AN. 10.11.

PHILIPPI IMP. AN. 2.3.

I. PHIL. P. IMP. QVANDO FACTVS CHRISTIANVS.

ANno Christi ducentesimo quadragesimo septimo, Philippo Augusto & Fabio Titiano Coss. idem Imp. è Perside Romam se cõtulit, adscito Pantea in collegam Imperii PHILIPPO filio suo. Quo eodem anno *Plotinus* Platonicorum Gentilium facile princeps, cum Ammonii Christiani philosophi vndecim annis Alexandriæ auditor fuisset, anno ætatis suæ quadragesimo (vt auctor est Porphyrius in eius Vita) Romam veniens, publice profiteri cœpit. Porro eũ non fuisse penitus à Christiana lege alienũ, ex eius rebus gestis collegit Marsilius [l] Ficinus, qui eiusdem commentarios egregie illustrauit. Sed Porphyrius eũ magiæ deditum extitisse demonstrat; & multos ex eius discipulis Romæ magicarum artium curiositate deprauatos fuisse, S. Augustinus [m] testatur, licet & aliquos Christi fidem amplexatos esse asserat. Sed de his iam superius dictum.

k *Num. ap. Adolph.* PLOTINVS ROMAM VENIT.
l *Marsil. in comment. Ploti. lib. 8. cap. 7.*
m *Aug. ep. 56. ad Dioscor.*

Quod vero nunc ad Plotinum attinet; cum ex eodem Porphyrio certum reddatur, ipso Romæ docente sub Philippo Imp. Origenem eo accessisse, & cum Plotino congressum esse: vt eius itineris causam exquiramus, sciendum est, mortuo Heracla Alexandrino Episcopo, & in eius locum subrogato *Dionysio*, Origenem tum ad Fabianum Romanum Pontificem, tum ad alios Episcopos rectæ fidei confessionem scripsisse: quod Eusebius [n] vult cõtigisse Philippi anno tertio, qui fuit Christi ducentesimus quadragesimus octauus, Præsente & Albino Coss. Cum vero nihil aliud de his dicat Eusebius, (dolo, vt puto, reticens quę in reprehensionem Origenis essent, cuius erat studiosissimus) existimamus factum, vt cum Heraclas Origeni fauisset, quem Demetrius Heraclæ prædecessor excommunicauerat ob multiplices errores in eius libris contentos; iam defuncto Heracla Dionysius, licet, & ipse eiusdem fuisset Origenis discipulus, omnia tamen veritati postponens, Demetrii sententiam secutus, ipsum Origenem rursum exagitare cœperit; Origenes autem vt se defenderet, rectæ fidei professionem promulgauerit: veneritq; Romã, vel à Fabiano Papa ad dicendam causam vocatus, vel quod Fabianus non admisisset scriptam ab eo fidei confessionem, ipse spõte apud eum se purgaturus accesserit. Ceterum de congressu eius cum Plotino haud tacendum quod Porphyrius scribit; nempe cum

n *Eus. 6. hist. 28. 29.*

ORIGENIS APOLOGIA.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ORIG. ROMAM VENIT AD FABIAN. PP.

pe cum aliquando Origenes venisset in Scholas vbi Plotinus publice profiteretur, Plotinum statim genas rubore suffusum assurgere voluisse: sermonesque ab Origene continuare rogatum, respondisse, studium loquendi cessare quando qui loquitur animaduertit se ad illos qui idem ipsi nouerint verba facturum: atque ita cum pauca quædam disseruisset, inde surrexisse. Ex quibus quantæ æstimationis habitus fuerit Origenes etiam ab externis, plane demonstratur.

IESV CHRISTI AN. 249.

FABIANI AN. 12.

PHILIPPI IMP. AN. 4.

I. MILLESIMVS ANNVS VRBIS.

ANno Christi ducentesimo quadragesimo nono, duobus Philippis patre & filio Augustis, secundum illo, isto primum Coss. MILLESIMVS ANNVS AB VRBE CONDITA numeratur, quem Philippus insignibus editis muneribus celebrauit, vt Capitolinus *a* testatur. Vnde intelligas Varronianam supputationem annorũ Vrbis, publicis monumentis esse receptam, iuxta quam præsens annus numeratur Millesimus Vrbis. Addit Aurelius *b* Victor, in his Ludis Philippum patrem petulantius cachinnantem, à Philippo filio vultu auerso notatum, ac tacite redargutum. Admirandum enim omnibus fuit, puerum præter ætatis vsum fuisse à risu abstinentem, quamobrem ἀγέλαστος dictus est: sic fortasse à Seuera matre Augusta Christiana femina moribus informatus.

a *Capitol. in Gord. in fi.*

b *Aurel. Vict. in Philip.*

Quod autem in antiquis nummis SÆCVLARES AVGG. notati inueniantur Consulatu patris Philippi tertio ac filii secundo, nempe anno sequenti, ea ratione accidisse putatur, quia annos qui ab V. C. consueuerunt numerari, non à Calendis Ianuarii Romani auspicabantur, sed à natali Vrbis, ipsis Palilibus, nempe vndecimo Calendas Maii: sicq; hoc anno Vrbis Millesimus inchoatus, sequenti anno die vigesimaprima Aprilis fuerit absolutus. Sed & quod grandiora eiusmodi missilia numismata ab vsualibus distincta, ipsis Calendis Ianuarii (vt ex Herodiano *d* constat) ab Imperatoribus erogari solerent, inde quoq; factum est vt Sæculares Ludi non anni huius Consulatu, sed sequentis in illis notati fuerint. Porro eos editos à Philippo tempore natalis sui Imperii, nempe mense Martii, aliqui putant, sed nonnisi leui opinatione, cum constet messis tempore circa finem Iunii mensis (vt testatur Zosimus *f*) celebrari solitos.

II. c [Ita enim vocati sunt isti Ludi; cum tamen Sæculares nonnisi post annos centũ & decem in orbem rediret, vt scribit Zosimus lib. 2. & eos Seuerus quadragesimo tribus antea annis edidisset, sup. an. 206.]

d *Herod. lib. 1.*

e *Pomp. Lat. in Philip. Panuin. de lud. Sæcul. & alii.*

Cæterum notatur eiusdem Zosimi, in Christianos infensissimi, odium, & inuidia, dũ mendacitet nimis post Seuerũ Imperatoré negat Ludos Sæculares amplius instauratos, quos sub Philippo fuisse habitos Iulius Capitolinus, antiqui nummi, aliæq; inscriptiones, & ex nostris Eusebius, & Cassiodorus, & alii aperte testantur. Sed fortasse eos tacendos existimauit, quod à Christiano Imperatore non more maiorum (vt Orosius *g* testari videtur) immolatis sacrificiis, aliisq; superstitionis Gentilitiæ officiis, (nam cum se accingeret ad diis sacrificandum, Pontii Præfecti hortatione & instructione à proposito destitisse, ac fidem Christianã cum filio suscepisse, amboq; à Fabiano Papa baptizatos esse, eiusdem Pontii Acta *h* narrant:) sed editione tantũ munerum celebrati fuerint, cetera vero idololatriæ Pontificibus agenda ipse reliquerit. Nam & eadem ratione idem Zosimus sequentes tacuit ab Honorio celebratos, de quibus suo loco. Sicut & de ceteris rebus à Philippo gestis, non absque inuidia & odio Christiani nominis factum existimo, vt septennium eius Imperii obscurum valde remanserit: quæ si improbæ fuissent perinde atq; eius ingressus, scriptores Ethnici non tacuissent, qui scelus illud egregie reliquere testatum. Sed de eius Christianitate, ac piis legibus, satis superius in eius ingressu.

III. ZOSIMI HISTOR. DOCTVS.

g *Oros. lib. 7.*

h *Ap. Sur. die 14. Maii.*

IV.

Per idem tempus (inquit Eusebius *i*) quidam in Arabia falsi cuiusdam dogmatis auctores nati sunt, asserentes hominum animas vna cũ corporibus extingui, ac rursum tempore resurrectionis vniuersæ carnis cum eisdem vitam denuo recuperaturas. Sed SYNODO aduersus eos ibidem habita, plerosque eorum Origenes (qui ad Synodum ad hoc vocatus fuit) disputatione superatos rectæ fidei restituit. Addit post hæc Eusebius de hæresi *Helcesaitarum*, tamquam hoc primum tempore orta esset. Verum ea tunc potius restituta videri potest, cum eius auctorem Helxeum hĩc ante hac vixisse Epiphanius tradat de quo, eiusque erroribus, actum est suo loco. Quod vero apud Eusebium in Chronico legitur, hoc anno Vrbis millesimo Atlantem montem fuisse loco motum, fides sit penes auctorem.

i *Euseb. 6. hist. 30.*

SYNODVS IN ARABIA.

a *Anteq. num. 11.*

IESV CHRISTI AN. 250.

FABIANI AN. 13.

PHILIPPI IMP. AN. 5.

I. CYPRIANVS ORDINATVR EPISC. CARTH.

ANno Christi ducentesimo quinquagesimo, duobus Philippis Augustis, patre tertium, & filium secundum Coss. *Cæcilius Cyprianus* summo Cleri & populi consensu (vno tantum aduersante *b* Felicissimo presbytero) Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus eligitur. Id enim hoc anno accidisse, ex eo posse deduci videtur, dum ipse scribens ad Cornelium anno secundo ex quo factus ille erat Romanus Pontifex, quartum annũ tunc elapsum fuisse suæ sedis testatur. Cuinam autem in Episcopatũ successerit, veriorem esse sententiam dicentium subrogatum fuisse in locum Donati, ipsemet declarare videtur, dum ad eumdem Cornelium scribens, eodem gradu anteceſſionis ponit Donatum ante se, quo Fabianum ante Cornelium. Vnde quod S. Augustinus prædecessorẽ Cypriani sæpe nominat Agrippinum, non sic intelligendum est, vt immediata fuerit successio, sed quod eodem pariter nomine omnes qui Cyprianum præcesserũt censerentur. Nam & alibi iidem Augustinus *d* & Cyprianus *e*, plane significant Agrippinum longe antea vixisse.

b *Cypr. ep. 40. ad pleb.*

c *Id. ep. 55.*

d *Aug. de bapt. cont. Don. lib. 3. cap. 12.*

e *Cypr. ep. 71. 73.*

Antequam vero Cyprianus ad Episcopatum, immo ad Christianam religionem vocaretur, (explosa fabula de eius magica arte, quam alterius Cypriani patria Antiocheni, Nicomediæ cum Iustina sub Diocletiano Imperatore passi, fuisse constat:) Rhetoricam maxima laude Carthagine publice docuisse, Hieronymus *f* tradit: cuius eloquentiã tam Latini quam Græci Patres, & inter eos disertissimi Lactantius *g*, & Gregorius *h* Nazianzenus, mirum in modum extulerunt; quamuis ipsemet testetur *i*, se factum Episcopũ eam missam fecisse, & ad Christianam simpliciratem demigrasse. Fuisse porro genere illustrem, potentia clarum, suæque ciuitatis Senatorem primarium, atq; disciplinis philosophicis insigniter ornatum, testatur idem Gregorius. Cum autem religionem Christianam amplexus est, scribit Lactantius derisum à suis fuisse quibus antea admirationi esset; & loco *Cypriani*, dictum *Caprianum*, (seu potius, vt emendatiores codices habent; *Copricanum*, hoc est, Stercoratium) quasi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum, ad aniles se fabulas contulisset.

II. ERVDITIO MORDIA.

f *Hier. de Script. Eccl. in Cypr.*

g *Lact. lib. 5. cap. 1.*

h *Greg. Naz. orat. in laud. Cypr.*

i *Cypr. ep. 2.*

Pontius autem diaconus qui eius Res gestas prosecutus est, ait ipsum Christianum factum, sæculo penitus renuntiato, non solum longo tempore acquisitas diuitias in pauperes erogasse, sed & carissima coniuge ac dulcissimis liberis commendatis Cæcilio presbytero, à quo fuit *k* ad fidem conuersus, eminentioris vitæ confestim iter arripuisse. Iam porro senescentem Christo nomen dedisse, sui ipsius *l* testimonio constat: ac paulo post baptismum, adhuc neophytum & nouellum, ad sedis Episcopalis fastigium esse prouectum, Pontius testatur. Vnde mireris, tantam mox ei Christianæ Theologiæ inhæsisse doctrinam, & Ecclesiasticæ disciplinæ vsum accreuisse, vt diuinarum scripturarum scientia imbuta memoria, & intellectus exaltatus, sui exuberantia mox in torrentes ad alios irrigandos foras erumperint. Sed de eius primordiis modo satis.

QVALIS POST BAPTISMVM.

k *Vid. sup. an. 209.*

l *Cypr. ep. 2.*

IESV CHRISTI AN. 251.252.

FABIANI AN. 14.15.

PHILIPPI IMP. AN. 6.7.

I. ANno Christi ducentesimo quinquagesimo primo, Æmiliano & Aquilino Coss. Philippum sexto Imperii sui anno inchoato occisum multi volunt; sed magis probatur sententia dicentium annis septem imperasse, quam inferius firmabimus.

II. Anno vero ducentesimo quinquagesimo secundo, (Coss. vt ponit Cassiodorus, Decio & Grato) qui præcessit Decii Persecutionem, graui tumultu Alexandriæ à mago quodam in Christianos excitato, complures eorum fidem negare recusantes, post multa tormenta necati sunt; interque illos *Apollonia* virgo iam ætate prouecta, quæ post maxillas crudeliter diuerberatas, omnesq; dentes excussos, maluit seipsam in rogum ipsi præparatum sponte inuicere, quam verba blasphemiæ loqui. Narrat hæc pluribus Eusebius *a*, ex litteris Dionysii eiusdem ciuitatis Episcopi ad Fabium Antiochenum. At quisnam fuerit magus ille, non liquet: scimus tamen, Porphyrium *b* de Ægyptio sacerdote dæmonum excantationibus dedito scribere, qui paulo post circa Gallieni tempora Romam venit: quem & illum ipsum putamus, qui postea Valerianum aduersus Ecclesiam concitauit.

PERSEC. EXCITATA IN ÆGYPTO A MAGO.

a *Euseb. 6. hist. 34.*

b *Porphyr. in Vit. Ploti.*

[Solent Consules huius anni Decius & Gratus, a nonnullis præteriri. Nec nouum, quosdam ab aliquibus poni, qui ab aliis omittantur: nemoque est qui nesciat, quam in his varient Fastorum concinnatores, ac Chronicorum conscriptores; dum quisque rem incertam, aut mutatu facilem, ad suas trahit, torquetq; coniecturas. Ceterum hi iidem Coss. repetuntur à Baronio post biennium, sed aucto vicium suarum numero. Quemadmodum etiam in sequentium aliquot annorum Consulibus, itemq; in Imperatorum annis vsque ad Diocletianum, variat fere ab aliis, vt & iidem alii ab inuicem. Nobis nihil licuit, libuitue immutare, ne vel auctoris nostri sententiam conuelleremus, vel aliorum errores augeremus.]

IESV CHRISTI AN. 253.

SEDES VACAT.

DECII IMP. AN. 1.

I. ANno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio, Decii secundum & Etrusci ponitur Consulatus. *Etruscus* autem, Decius fuit Iunior, sic cognomento dictus, vt antiqua *c* monumenta demonstrant. Ponitur ab aliis Consulatus Decii secundus cum Grato, quem putamus suffectum: nam hic ille plane Consulatus duorum Deciorum, cuius mentio est apud Trebellium Pollionem in Valerianis.

c *Panuin. in Fast. hoc an.*

II. His Coss. (inquit Cassiodorus) occisi sunt Philippi pater & filius Imperatores, ille Veronæ, hic Romæ: Imperiumque inuasit DECIVS, Budaliæ, seu Bubaliæ, in Pannonia inferiori natus: qui mox DECIVM filium Cæsarem dixit. Estque inscriptio Veronæ, qua pariter dicitur, *Anno Christi ducentesimo quinquagesimo tertio Philippum Seniorem Veronæ, Romæ Iuniorem à satellitibus occisos esse.* Descripserunt illam Adolphus, & alii; sed à Panuinio, licet Veronensi ciue, est prætermissa, quod suis aduersaretur Fastis, dum Philipporum necem ponit anno Christi ducentesimo quinquagesimo. Porro eiusmodi inscriptioni, tum septem Consulatus in Fastis Cassiodori sub Philippo positi consentiunt, tum numerati ab Eusebio *d* anni septem eius Imperii, & deducta ab eodem annorum Christi chronographia, qua æque ponitur hic annus à nato Christo ducentesimus quinquagesimus tertius. Sed & Orosius *e*, cum tradit occisos Philippos & subrogatum Decium anno millesimo quarto ab V. C. huic nostræ assertioni suffragatur. Sicque videas omni genere chronographiæ, nempe annis Christi, Imperatoris, Vrbis, atque Consulibus: hoc anno occisos esse Philippos, & Decium imperare cœpisse: qui viuentibus adhuc Philippis, post MACRINVM (qui cito sublatus est ab exercitu Illyricorum) Imperator fuerat acclamatus. Quod vero Eutropius dicat Philippos inter diuos fuisse relatos, ex his plane cognoscitur, tum eos, licet Gordiani nece perosi olim fuissent, mutatis moribus Senatus Populique Romani sibi conciliasse animos; tum sic eos Christiana fuisse religione initiatos, vt tamen nullum facesserint Gentilitiæ superstitioni negotium.

II. PHILIPPI IMP. OCCISI.

[An igitur iam eo tempore anni numerati consueuerãt a Christo? Vid. infr. an. 127 num. VIII.]

d *Euseb. in Chron. & 6. hist. 32.*

e *Oros. lib. 7.*

DECIVS IMPERAT POST MACRINVM.

III. Cum autem omnium consensione constet, ipso Decii Imperatoris ingressu Persecutionem ab eo in Christianos esse conflatam, eaque confestim *Fabianum* Papam sublatum; qua ratione stabilitus à nobis est annus primus Decii, eadem hoc anno ponitur Fabiani martyrium, sin quodcumque tandem tempus alii referant: estque dicendum, ipsum sedisse annos quindecim & dies quatuor; necemque subiisse vigesima Ianuarii, qua die natalis eius habetur in Tabulis Ecclesiasticis consignatus. Ponitur & ab Eusebio hoc Christi anno Fabiani exitus; & in Libro de Romanis Pontificibus traditur sedisse ad præsentem vsque annum, quo Decius gessit Consulatum secundum: licet inter se de tempore sedis aliquid iidem auctores dissentiant. Habet idem Liber, Fabianum sepultum in Cœmeterio Callisti via Appia. Sed quod additur, sedem eius vacasse diebus tantummodo sex, ostendetur paulo post vacasse vno anno & amplius.

III. FABIANI PP. MARTYRIVM.

IV. Quod vero pertinet ad ipsam PERSECVTIONEM; Eusebius *a* imprimis ait, eam Decium odio quodam capitali quo cum Philippo dissidebat concitasse. Et Orosius *b* eam SEPTIMAM numerans, scribit Decium vt Christianos persequi posset, Philippos interfeciisse, moxque feralia edicta sparsisse. Hæc autem Dionysius *c* Episcopus Alexandrinus, qui ea legisse potuit, talia fuisse testatur, qualia Dominus prædixisset futura, in quibus terribilissima iam propemodum compleretur sententia, nimirum electos si possibile esset in errorem inducendos fore. Porro Decium illa promulgasse ira & inuidia motum, quod falsa Deorum superstitio iam vbique neglectui esset, ac fides Christi per totum Orbem multiplicaretur, necnon plerisque in locis Christiani fana Gentilium idolaque & altaria demoliti essent, ac in Christi nomine ecclesias & oratoria extruxissent; Gregorius *d* Nyssenus tradit: additque terribiles Decium supplicii minas in Præsides prouinciarum statuisse, nisi omnibus probris & cruciatibus Christianos cogerent deos adorare: singulis autem Magistratibus vnum fuisse studium, vt nouis excogitatis suppliciorum generibus, nullus eo posset ostendi scelere superior. De qua etiam persecutione Cyprianus *e* agens, ait primo eam sibi à Deo prænuntiatam fuisse & præfiguratam, dum in visione patrem quemdam familias vidit, & ad eius dexteram iuuenem mœstum quod præcepta sua non seruarentur, in sinistra vero alterum rete manu tenentem, & gaudentem quod daretur sibi sæuiendi potestas. In ipsa autem persecutione ait tormenta illata fuisse, sine fine tortoris, sine exitu damnationis, sine solatio mortis; quæque ad coronam non facile dimitterent, sed tam diu torquerent quam diu deficerent. Qui & in libro *de Lapsis* differte testatur, hæc Christianos pati meruisse, quod traditam diuinitus disciplinam Ecclesiasticam pax longa corrupisset, essentque admodum deprauati tam populorum quam ministrorum Ecclesiæ mores; iaceretq; fides, & quasi dormiret: atque ideo opus fuisse, vt erigeretur eiusmodi cœlesti censura.

IV. PERSEC. DECIANA CRVDELIS.

a *Eus. 6. hist. 32.*

b *Oros. lib. 7. cap. 11.*

c *Ap. Eus. 6. hist. 34.*

d *Greg. Nyss. in Vit. Greg. Thaumatur.*

e *Cypr. ep. 8.*

Accidit tamen (quod idem auctor *f* imprimis deplorat) vt complures quos antea deliciæ & concupiscentia subiugassent, amore patrimonii, & facultatum suarum velut compedibus irretiti, nec secedere valentes, nec supplicia pati; ipso primo huius turbinis impetu prostrati fuerint, eorumque nonnulli etiam ante aciem sine congressione manus turpiter dederint, & alios ad eamdem nequitiam hortati fuerint. LAPSORVM autem duplex ab eodem Cypriano ponitur differentia; aliorum, quos nominat *Sacrificatos*, vel *Thurificatos, ac Idololatras* communi voce; aliorum, quos appellat *Libellaticos*. Dicebantur por-

V. f *Cypr. de Lps.*

LAPSORVM DIVERSA GENERA.

to *Sacri-*

ro *Sacrificati*, omnes qui quomodocumq; immolassent, vel immolata gustassent, *Thurificati*, qui thus obtulissent, *Idololatræ* æque omnes, qui quemlibet religionis cultum idolis publice exhibuissent. *Libellatici* vero, qui Christum publice negare erubescentes, tantum id vel per se, vel per alios suo nomine facerent, & à Magistratibus libellos securitatis impetrarent, ne amplius inquirerentur, soluta pro eiusmodi dispensatione pecunia.

VI. LIBELLATICI QVINAM DICTI.

Hanc enim fuisse Libellaticorum causam, ex variis Sancti Cypriani *a* locis euidenter colligimus: ex quibus errare existimamus, qui puta unt dictos esse Libellaticos, qui pretium soluerent ne cogerentur fidem negare. Nam nullum fuisse crimen, vexationem à Gentilibus pecunia redimere, iam superius *b* est demonstratum aduersus id negantem ex Montani doctrina Tertullianum. Nec putandum, improbatam in Ecclesia eius opinionem Cyprianum esse sectatum, minus Romanam Ecclesiam, quæ pariter cum Cypriano Libellaticos damnauit. Ceterum diuersum plane ab iis *Libellorum* genus erat, quo Christiani illi nequissimi, statim atque audissent promulgatum edictum, ne caperentur, vel iacturam aliquam in bonis paterentur, suæ negationis libellos offerebant Præsidi, quorum meminit Plinius *c* ad Traianum. In aliquos autem Lapsorum, admiranda quædam hac persecutione contigisse prodigia, Cyprianus testatur eodem libro *De lapsis*, quem anno sequenti statim post redditam Ecclesiæ pacem edidit. Ait enim, vnum ex his qui sponte Capitolium negatum ascenderat, postquam Christum negauit, obmutuisse. Aliam in balneis constitutam, ab immundo spiritu correptam, cecidisse, ac laniasse dentibus linguam, qua fuerat vel pasta impie, vel locuta: ac postmodum doloribus ventris & viscerum cruciatam defecisse. Paruulam, quæ à nutrice ad Magistratum ducta, panem immolatum mero mixtum gustasset, cum facinus commissum tam loqui & indicare per ætatem non posset, quam nec intelligere prius potuit nec arcere, vbi postmodum ei in Synaxi diaconus, licet reluctanti, de Sacramento calicis infudit, protinus singultantem euomuisse, nec potuisse in eius corpore & ore violatam Eucharistiam permanere. Aliam in annis adulterioribus constitutam, velut quædam venena letalia, inter fauces & pectus admittentem Sanguinem palpitantem & trementem concidisse. Et cum quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterritam esse ne auderet attingere. Et alium, qui & ipse maculatus, sacrificio à sacerdote celebrato, partem cum ceteris ausus est latenter accipere, Sanctum Domini edere & contrectare non potuisse, cinerem ferre se apertis manibus inuenisse. Multos quoque alios immundis spiritibus impletos esse, multos vsque ad insaniam mentis excordes, dementiæ furore quassos esse: denique per Orbis multiformes ruinas, tam delictorum pœnam fuisse variam, quam delinquentium multitudinem numerosam. Hæc Cyprianus de prodigiis in Lapsos: quos & diligenter hortatur ad confessionem peccatorum, & seueram pœnitentiam.

PRODIGIA CIRCA EVCHARISTIAM.

VII. DEVTYRNA SEDIS ROM. VACATIO.

Sed quod rursum ad Persecutionem attinet; fuisse eam omnium acerbissimam in Ecclesiam Romanam, illud vnum potest esse perspicuo argumento, dum Fabiano Papa martyrio coronato, ne per annum quidem valuit ei subrogari successor: nempe (vt ait Clerus *d* Romanus ad Cyprianum) propter rerum & temporum difficultates, quibus qui residui ex eodem Clero erant, magno mœstiæ exemplo ab electione Romani Pontificis abstinuerunt, quod sæuiens persecutio collegas complures in carceres abduxisset, alios que aliter dispersisset. Siquidem inter ceteros constat *e*, post Fabiani passionem *Moysen* & *Maximum* presbyteros, & *Nicostratum* diaconum carceri esse mancipatos. Ad quos cum adhuc Sede vacante Cyprianus iterum scribens *f*, eos iam annum in carcere exegisse testetur, plane apertissime ostendit, non sex dies vel menses, vt alii affirmant, sed vltra anni spatium fuisse Romanam Ecclesiam sine pastore. Scriptam enim esse ad dictos Confessores eam epistolam priusquam Cornelius crearetur, illud certo est argumento, quod scribit ad eos tunc pace & vnitate concordes, quos postea in electione Cornelii constat fuisse schismate diuisos, quibusdam eorum Nouatiano studentibus.

Interim vero qui residui erant Cleri Romani, probe scientes ex antiquata consuetudine, sublato visibili Vniuersalis Ecclesiæ capite, sanctum esse partium (quippe qui propinquiora membra capiti inhærent) Catholicæ Ecclesiæ prospicere: in iis quæ iuberent ipsius capitis munera explentes, inter alia ceteras Ecclesias hortati sunt, diligentem curam habere quorumcumque Fidelium, ac sepulturæ martyrum, & fortiter in persecutione se gerere. Ex literis enim, quas de his rebus ad Cyprianum & Clerum Carthaginiensem scripsere *a*, quid cum ceteris principaliorib. Ecclesiis egerint, facile possumus intelligere.

VIII. ROM. CLERVS SEDE VAC. CVRAT ECCLESIAS.

a Vid. ep. Cypr. ep. 3. 4. 15. 30. 31.

Cum autem eadem persecutio vehementer vbique sæuiret, accidit vt complures licet fortissimi, sed ad tempus subduxerint: inter quos sanctissimus Cyprianus magno Gentilium ardore quæsitus *b* ad necem, sæpiusque ad leonem petitus in Circo, proscriptusque *c*, & bonis spoliatus, non quidem formidine *d*, sed peculiari Spiritus sancti monitu latebras quæsiuit, ne per eius præsentiam persecutio in ceteros Fideles acrius sæuiret, vt idem ipse testatur, tum ad Clerum suum *e*, tum ad Romanum de his scribens, rationemque facti sui reddens, cum apud eumdem Clerum Romanum eius recessus fuisset ignauiæ nomine redditus falsa relatione suspectus, ad quem etiam in sui excusationem, tredecim transmisit epistolas ad suos scriptas, quibus probaret se licet absentem corpore, haud tamen in aliquo defuisse Ecclesiæ suæ, quin & spiritu, & actu, & monitis præsto fuerit tam iis qui adhuc liberi essent, vel etiam in carceribus detinerentur, quam eorum corporibus & memoriæ quitiam martyrium subiissent, Cui & Pontius tradit tantam fuisse sacri cupidinem sermonis ad populum suum habendi, vt optaret sic sibi passionis vota contingere, vt de Deo loquens in ipso sermonis opere necaretur. Ex vna sane ipsius epistolarum, è latebris scriptarum, illud inter alia notatu dignissimum, adeo flagrasse desiderio sanctissimos illorum temporum Christianos, sacratissimi in Ecclesia offerri soliti sacrificii, quod Missam maiores dixerunt, vt sacerdotes Christianæ religionis intimos etiam carceres penetrarent, offerrent, & positis ibi confessoribus participarent. Sic enim ait ad Clerum suum: *Estis fratres pro dilectione sua cupidi sunt ad conueniendum & visitandum confessores, tamen caute hoc, & non glomeratim, puto esse faciendum, ne ex hoc ipso inuidia concitetur, & introeundi aditus denegetur. Prouidete ergo vt cum temperamento hoc agi tutius possit: ita vt presbyteri quoque qui illic apud confessores offerunt, singuli cum singulis diaconis per vices alternent, quia & mutatio personarum, & vicissitudo conuenientium minuit inuidiam.*

IX. EVOA CYPRIANI.

b Cypr. ep. 55. ad Cornel.
d Id. ep. 69. ad Florent.
c Pont. in Vit. Cypr.
e Cypr. ep. 8.

EXCVSAT SE AD CLERVM ROM.

Sed cum eodem tempore Lapsi, & ceteri delinquentes, quibus resisteret seueritas Ecclesiasticæ disciplinæ, ne nisi pœnitentia peracta in Ecclesiam reciperentur, consuecuissent detentos in carcere, ferre Martyres & Confessores, ab eisque pacem petere, & ad Episcopos ac ceteros Sacerdotes accipere literas, quibus in Fidelium consortium admitti postularent: (tanta enim reuerentia & honore, non laici tantum, sed & clerici, & ipsi Episcopi, detentos in carcere martyres & confessores prosequi consueuerant, vt ab illorum rogatione desciscere, & quos illi commendassent despicere, inuidiosum nimis & asperum censeretur:) quoniam ex facili eiusmodi indulgentia eneruari videbatur disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, si omnes indistincte reciperentur; ea de causa tres tunc inter alias ex eodem recessu Cyprianus *g* dedit epistolas, vnam ad Clerum Carthaginiensem, alteram ad Martyres & Confessores in carceribus detentos, tertiam denique ad Plebem fidelem; quibus eos omnes admonitos reddidit, ne temere Lapsis ea indulgentia præstaretur, nondum pace reddita, nec Episcopo annuente, nec nisi iis quorum pœnitentia satisfactioni proxima conspiceretur: & vt iidem nominatim designarentur, cum iam essent qui indistincte libellos darent his verbis conscriptos, *Communicet ille cum suis.*

f Cypr. ep. 5. ad cler. Carthag.

g Id. ep. 10. 11. 12.

LAPSORVM INTEMPESTIVA SVGGESTIO.

Porro quod frequenter *Martyres* distinguit à Confessori-

XI.

a Plin. Sec. 10. ep. 97.

b Ap. Cypr. ep. 34.

c Anast. de Rom. Pont.

f Cypr. ep. 16.

QVI CONFESSORES, ET QVI MARTYRES DICTI.

bus, cum nihilominus re ipsa eadem sit nominis significatio; constat antiquo loquendi vsu CONFESSORES esse dictos, qui licet confessi Christum essent, & carceri mancipati, nondum tamen suscepissent in quæstione tormenta: MARTYRES autem, qui tormentorum quoque sæuitiam constantia superassent, licet nondum mortem subiissent. Sed & *Confessorum* numero comprehendebantur, qui alio nomine dicebantur *Extorres*, hoc est, qui ne Christum negare cogerentur, neue per ipsos religio dispendium pateretur, dimissis omnibus bonis se subtraherent, quæ facti potius, quam verborum confessio videbatur: & hi si eo statu mortem oppetissent, numero Martyrum recensebantur. Qui vero non interpellati se martyrio ingererent, dicebantur *Professores*. Constant hæc ex Tertulliani, Cypriani, & aliorum veterum auctorum scriptis.

EXTORRES.

PROFESSORES.

XII.

Verum haud tempore Cypriani primum introductus fuit vsus, vt consistentes in carcere martyres & confessores, pro lapsorum reconciliatione ad Episcopos darent Libellos. Siquidem Tertullianus *a* eorumdem libellorum sæpius meminit, licet iam labe Montani fœdatus, ægre ferret carnis crimine lapsos per eos ad pœnitentiam recipi. Ex quo etiam intelligitur, pro quolibet Lapsorum genere à Martyribus rogari consueuisse libellos quemadmodum non carcere tantummodo detentos Confessores id officii præstare solitos, sed & eos qui fidei causa ad metalla damnati essent, idem auctor eo loco demonstrat. Quenam porro esset eiusmodi forma Libellorum, ex eo quem Lucianus *b* Confessor ad Cyprianum scripsit, licet improbato, potest facile intelligi: cuius hæc sunt verba: *Vniuersi confessores Cypriano Papæ Salutem. Sciasnos vniuersi, de quibus apud te ratio constiterit quid post commissum egerint, dedisse pacem: & hanc formam per te & aliis Episcopis innotescere voluimus. Optamus te cum sanctis martyribus pacem habere. Præsente de clero & Exorcista & Lectore, Lucianus scripsit.* Fluxisse autem inde ea videtur Libellorum consuetudo, quod Lapsi priusquam reconciliarentur Ecclesiæ, ab Episcopis pro pace consequenda mitterentur ad Confessores, vt ab illis primo veniam peterent, in quos inuerecundius deliquissent, dum fortiter confitentibus illis ipsi ignauiter pernegassent. Consulebatur enim hac via & Confessorum dignitati, & Lapsorum vtilitati; qui sic cogerentur vt victi se victoribus subiicere, eaque animi demissione eorum precibus veniam ab Ecclesia promereri.

a *Tert. de pudic. cap. 22.* DE LIBELLIS MARTYR. ET CONFESSORIBVS CONCIDI SOLITIS.

b *Ap. Cypr. ep. 17. & 23.*

XIII. LVCIANVS CONFESSOR CONCITAT TVRBAS.

Cum autem sic moniti de lapsis magna cautela recipiendis Martyres & Confessores, omnes æque magna animi submissione Cypriano Episcopo suo obtemperaretur, vnus tantummodo, quem diximus, Lucianus Confessor inuerecundius agens, primo quorumdam Confessorum nomine libellos passim dedit, postea eo audaciæ prorupit, vt etiam (sicut ex eius libello vidimus) vniuersorum Martyrum & Confessorum nomine, vniuersis lapsis pacem dederit. Cuius causa magnæ excitatæ sunt turbæ, dum qui libellos sibi minuissent, in Episcopos impetum facientes, pacem sibi datam extorquere cœperunt; quod videlicet non satis esset Lapsis, à Martyribus pacem obtinuisse, nisi per Episcopos reconciliarentur Ecclesiæ. Cum vero plerique Episcopi, atque imprimis Cyprianus, detrectarent hos indistincte admittere, visum est ipsi, ceu in re magni momenti, Apostolicam Sedem, tametsi pastore vacantem, consulere: eamque de omnibus quæ acciderant plenissime certiorem reddens *c*, quid posthac in his agendum esset, ab ea regulam acciperet, quo primariæ sedis auctoritate suffultus, oblatrantium ora compesceret. Iis autem acceptis, Cletus Romanus matura consultatione habita cum quibusdam Episcopis vicinis, aliisque quos ex variis prouinciis persecutionis ardor Romam iecerat, Synodice Cypriani sententia gestisque confirmatis, de cetero nihil ante creationem Episcopi Romani innouandum decreuerunt, sed Lapsorum curam interim ita ex antiqua disciplina Ecclesiæ Romanæ temperandam esse, vt eorum causa qui moras possent dilationis sustinere in suspenso habita, infirmis in exitu constitutis, si vere pœnitentis animi signa proderent, pax concederetur. Quæ omnia idem Romanus Clerus grauibus firmata assertionibus, per literas *d* eidem Cypriano signi-

c *Cypr. ep. 23. & 29.*

ROMÆ CLARI DECRETVM DE LAPSIS.

d *Ap. Cypr. ep. 30. 32.*

ficauit, eademque decreta per totum mundum missa esse, & in notitiam Ecclesiis omnibus & vniuersis Fratribus perlata, ipse Cyprianus *e* alibi asserit.

e *Cypr. ep. 52. ad Anton.*

XIV. SEVERA CENSVRA IN CLERICOS REGREDIENTES.

Sed & illud non est omittendum, (quod ad exactam disciplinam Ecclesiasticam spectat) haud Cyprianum sine aliqua pœna relinqui Clericos illos voluisse, qui in persecutione sua sponte absque accepta licentia Carthagine recessissent: quos (quantumlibet Episcopi sui haberent exemplum qui se subtraxissent, & adhuc persecutione durante iidem in certamen rediissent) omnino voluit *b* à diuisione mensuma (vt vocat) hoc est à stipendio menstruo clericorum abstinere, donec eorum causa ipso redeunte Episcopo plenius cognosceretur. Quod autem agens de Aurelii & Celerini insignium Confessorum ordinatione, per ipsum facta in Lectores Ecclesiæ ob tolerata ab iis pro fide tormenta ait *c* eos pro illa functione *ascensuros forem pulpitum, ibique audiente populo Euangelium alta voce lecturos*: diuersam in hoc Africanæ Ecclesiæ à Romana & ceteris Latinis fuisse consuetudinem insinuat, cum in illis Diaconi eam functionem exercere solerent, in Africa vero Lectores minorum Ordinum clerici infra Acolythos positi: sicuti etiam manifestius colligitur ex Concilio Carthaginensi *d* Quarto, vbi dum agitur de ordinatione Diaconi, nulla habetur mentio de munere Euangelicæ lectionis, sed publice diuina legere in ecclesia, Lectoris esse muneris traditur. Atiam hactenus de Cypriani in administranda Ecclesia Carthaginiensi vigilantissima cura, deque rebus inter ipsum & Romanum Clerum hoc anno transactis: reliqua autem dicentur postea. Interim tamen non prætexerimus dicere, ipsum in quibusdam earum, quas diximus, epistolarum e testari, sibi inter frequentes visiones quibus diu noctuque honestaretur, diuinitus fuisse reuelatum de pace proxime ventura. De Martyribus autem hac persecutione in Africa passis, præter illos quorum apud eumdem Cyprianum fit mentio, recensentur quoque alii in Tabulis Ecclesiasticis, cum infinitorum propemodum nomina exciderint. Extantque g nonnullorum Acta, in quibus etiam mentio habetur de Lapsis, qui solo aspectu terribilium tormentorum pauore concussi, defecerunt à fide, cum in eos qui animo alacri ea contemnere præferrent, ad cæteros terrendos omnis crudelitas Præsidis inuigilaret. Vt de nonnullis accidit, qui postquam cæsi sunt virgis atque flagellis, fustibus contusi, succensi humeros ignibus, vngulisque lancinati, horribilibus traditi sunt serpentibus deuorandi: qui tamen illæsis relictis martyribus, in Ethnicos insilientes, ex illis complures interfecerunt, martyres vero capitis tandem subiere supplicium.

b *Cypr. ep. 8. 10.*

c *Cypr. ep. 8.*

d *Conc. Carthag. IV. can. 4. & 8.*

f *Id. ep. 9. 22. 23. & de Lapsi.*

g *Ap. Sur. 30. April.*

XV. DE MARTYRIB. ALEXANDRINIS.

Quam item dire vexatæ fuerint Alexandrina ceteræque Ægypti Ecclesiæ, egregie descripsit insignis tunc eruditione ac pietate eiusdem ciuitatis Episcopus (qui & ipse diuino secedens monitu, ac nihilominus in manu persecutorum incidens, mirabiliter euasit) *Dionysius h* literis scriptis ad Germanum, & ad Fabium Antiochenum; quibus permultos recenset omnis sexus & conditionis, qui eadem persecutione Alexandriæ martyrium adepti sunt, cũ aliis supplicionum generibus, tum maxime igne. Quo pœnæ genere cum Christiani in Persecutionibus frequentius afficerentur, inde etiam accidit (quod scribit Tertullianus *i*) vt iidem *Sarmentitii*, & *Semaxii* siue *Semaxii* dicerentur, quia (vt addit) ad stipitem dimidii assis, siue axis, reuincti sarmentorum ambitu exurerentur.

h *Ap. Euseb. 6. hist. 35. 54.*

CHRIST. SARMENTITII DICTI.

i *Tert. Apol. cap. 50. Ap. Baro. an. 201.*

XVI. DE SECESSV PAVLI PRIMI EREMITÆ, EIVSQVE ÆTATE.

Quod autem insuper Dionysius refert de pluribus aliis, qui relicta patria solitudines montium desertaque regiones petierunt, fuit vnus ex illis apud inferiorem Thebaida PAVLVS Anachoretarum princeps, cuius res gestas Hieronymus diserte admodum accopiose prosecutus est. Qui quidem post mortem parentum in hæreditate locupleti relictus annorum circiter quindecim, tam Græcis literis quam Ægyptiacis apprime eruditus, mansueti animi, Deum valde amans, cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Sed cum sororis maritus, bonis eius inhians, cœpisset eum prodere velle, ipse ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in

[Adverte tamen, Hieronymi editiones Pontacii & Scaligeri habere Antonium decessisse anno decimonono Constantii: idque ipsum referre Ge-

volun-

gorium Turon. 1. hist. Franc. 35. & Vinc. Spec. hist. libr. 14. cap. 14. Ex quibus dicendum esset, Paulū obijsse an. 4 Constātij. Cuius etiam ætatē quindecim annorum recte aptari eius secessui, agnoscunt Martyrologium Rom. & alia, in quibus disertè asseritur, Paulum à decimosexto ætatis anno (nimirū post decimumquintum absolutū) vsq; ad decimūtertiū supra centesimum in eremo permānisse.] a *Hieron. in Cleron.*

voluntatem vertit : ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, & ad eius radicem haud procul grandem speluncam, & intus amplum vestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens : ibique quod superfuit vitæ, cunctis hominibus ignotus permansit, victum & vestitum à palma sumens, & post triginta ferme eiusmodi incolatus annos, dimidium panis quotidie ministerio corui ad victum accipiens. Cæterum quod Hieronymus sub Decio & Valeriano eius secessum ponit, quo (vt addit) tempore Cornelius Romæ & Cyprianus Carthagine martyrium subiere; id accidit quod licet non simul regnarint Decius atque Valerianus, fueritque breui aliquo pacis interstitio eorum Persecutio interrupta; tamen quod iisdem edictis quibus promulgata, etiam repetita fuerit, vna eademque censita sit, ac Decij pariter & Valeriani nomine dicta, vt inferius videbitur : cum alioqui Cornelium & Cyprianum sub Valeriano decessisse, Paulum sub Decio secessisse constet. Cum enim idem Hieronymus dicat Paulum centesimum decimum tertium egisse ætatis annum, quando visitatus ab Antonio tunc nonagenario decessit; cumque rursum tradat *a* decessisse Antonium anno ætatis centesimo quinto, Imperij vero Constantij vigesimo primo : ex his colligitur, Paulum obiisse anno sexto Constantij absoluto, & septimo inchoato, qui numeratur CHRISTI trecentesimus quadragesimus tertius; hoc autem anno ducentesimo quinquagesimo tertio fuisse ætatis annorum viginti trium. Vnde etiam colligas, quod Hieronymus in principio eius Vitæ recensetipsius ætatem annorum quindecim, eam non de tempore secessus, sed obitus parentum, cuius proximè meminit, accipiēdam esse : alioqui eiusdem secessus, non ad procellosum Decij aut Valeriani, sed ad Gordiani tranquillissimum tempus referendus esset.

XVII. ARTES PERSECVTORVM AD SVPERĀDOS CONFESSORES.

Nec vero hic omittenda duorum Martyrum in eadem inferiori Thebaide hac ipsa persecutione certamina; quæ idem Hieronymus prædictæ Pauli Vitæ initio recensuit : cum, vt ait, desiderantibus Christianis pro Christi nomine gladio percuti, callidus hostis tarda ad mortem supplicia conquireret, animas cupiens iugulare, non corpora. Quare perseuerantem in fide martyrem, & inter equuleos laminasque victorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole ligatis manibus post tergum resupinari; scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines ante superasset.

XVIII.

Alium iuuenili ætate florentem in amœnissimos hortulos præcepit abduci, ibique resupinari; & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cum aduenies meretrix speciosa, delicatis complexibus, & attrectationibus corpus ad libidinem concitaret; sentiens se miles Christi superari voluptate, quem tormenta non vicerant, cælitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedentis doloris magnitudo superauit.

DE SEPTEM DORMIENTIBVS.

Quod vero rursum ad eos spectat, qui hac sæuiente persecutione loca deserta petierunt; accidisse Ephesi traditur, vt inter alios, Septem iuuenes in antrum fugientes, occluso à persecutoribus ostio, in Domino obdormierint: vnde & nomen consecuti sunt, vt dicti sint SEPTEM DORMIENTES. Cum autem duplex eius nuncupationis afferatur ratio; altera, quod illi intra speluncam consummarint martyrium, ac demum sub Theodosio Iuniore reserato ostio, inuentis eorum corporibus veluti rediuiui iterum apparuerint; dictiq; sint Dormientes consueto diuinæ Scripturæ loquendi vsu, quæ eos qui piè religioseque vita functi sunt, *Dormientes* consueuit appellare : altera, quod ijdem reuera intra specum somno capti, toto eo tempore ad ducentos ferme annos dormierint : Harum sententiarum quænam præferenda sit, non equidem definio; quamuis quod multa videantur obstare posteriori *b*, (quæ tamen pluribus fulcitur, sed posteriorum temporum auctoribus) in priorem sim procliuior. Quicquid vero sit, optimo iure dicimus tam Latinos quam Græcos religiose ac piè celebrare horum Sanctorum anniuersariam memoriam, cum gratia passi sint hac Decij persecutione, ac reuera in Domino obdormierint.

b *Vide, si cupis, hac copiosius tract. in Not. Baro. ad Mart. tyrol. Rom. 27 Iulij. vnde ista huc translata sunt.*

Sed vt in Ægyptum redeamus; narrat quoque Eusebius *a* Origenis egregium pro fide Christiana certamen, superata tormenta, fortiterque tolerata crudelissima vincula: quæ quidem apud Alexandriam ei contigisse Epiphanius *b* asserit, dum & eum per vrbem tractum, probris affectum, & cruciatibus immanibus applicarum tradit. An vero adueniente pace, sicut alij plures, vinculis solutus fuerit, an quod (vt alij volunt) thus obtulerit; haud satis compertum habetur. Apud Epiphanium certe negationis eius turpissima illa affertur causa, quod abusum corporis ab Æthiope pati, aut idolis sacrificare iussus, hoc vltimo potius electo, non tamen id sponte egerit, sed tantum permiserit vt iniecto in manum thure ad aræ rogum adduceretur. Porro sic ab Ecclesia Alexandrina reiectum, Hierosolymam se recepisse tradit; ibique multum rogatum in Ecclesia docere, aperto libro in eam sententiam Psalmi quadragesimi noni incidisse, *Peccatori dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* eaque lecta librum deposuisse, & cum fletu ac lachrymis consedisse, omnibus simul cum ipso plorantibus. Hæc apud Epiphanium. At in libello qui *Lamentationes* seu *Pœnitentia Origenis* inscribitur, alia adumbratur potius quam describitur causa lapsus eius; nec quodnam eius crimen fuerit quod tanta amaritudine deplorare repræsentatur, nec si ab hæreticis an Gentilibus seductus sit, haud satis potest intelligi. Verum sicut ille libellus à Gelasio velut adulterinus respuitur, ita etiam ea quæ ex Epiphanio recitauimus falsa esse multa persuadent, etsi non ignoramus ea confirmari à posterioribus scriptoribus, Leontio *c* Scholastico, Suida *d*, Zonara *e*, Nicephoro *f*, & aliis recentioribus Græcis & Latinis. Non n. antiquiores illi rerū Ecclesiasticarum tractatores, siue qui Origenis errores oppugnarunt, vt Hieronymus, Theophilus Alexandrinus, Vincentius Lirinensis, vel alij qui de eo pluribus egerunt, necnon qui sub Iustiniano Imperatore eius rursum damnationem operati sunt; siue qui pro illo Apologias scripserunt, vt Pamphilus, (seu potius Eusebius eius nomine) atque Ruffinus; siue denique Ethnici qui de eo scripserunt, vt Porphyrius, licet Ecclesiæ gloriæ inuidus Ammonium Origenis contemporaneum, & in schola Alexandrina socium, à fide CHRISTI ad Ethnicos desciuisse, non erubuerit (vt vidimus) mendacissimè literis prodere : nullus inquam, horum vel aliorum eorundem temporum scriptorum, eiusmodi Origenis lapsus vel nutu tantum meminit. Vt protsus verisimile sit, quæ de eo apud Epiphanium leguntur, addita esse ab aliquo fabularum concinnatore : cum Augustinus *g* de duplicibus Origenianis hæreticis agens, eaque omnia se ab Epiphanio mutuatum esse testatus, nihil penitus de Origenis negatione habeat; quam vel obiter attigisse, si eam apud Epiphanium reperisset, facile adducimur vt credamus. Et ipse Epiphanius alibi de eodem verba faciens *h*, id tantum dicit, eum in persecutione Deciana multa passum, ad finem martyrij non peruenisse. Id namque ipsum & Eusebius tradit; qui licet Origenis laudes qualibet captata occasione, parum sincere interdum fuerit prosecutus; tamen in iis quæ de eius confessione scribit, haud putandus est fuisse mentitus, cum antiquorum neminem habuerit repugnantem. Sed hæc satis pro historiæ elucidatione; cum alioqui in dogmatibus Origeni minimè faueamus.

XIX. a *Euseb. 6. Hist. 32.*

b *Epiph. har. 64.* DE ORIGENIS LAPSV DISPVTATIO.

c *Leon. de sect. act. 10.* d *Suid. verb. Origen.* f *Zonar. Annal. libr. 2.* e *Niceph. lib. 1. 24.*

Hac eadem persecutione Decij vrgente, *Alexandrum* Hierosolymorum Episcopum, iam extrema senectute venerandum, post egregiam coram Præside apud Cæsaream CHRISTI confessionem, mortuum esse in carcere, eique subrogatum *Mazabenem*, Eusebius *i* tradit : quo etiam auctore *k* constat, inter cætera clarissima monumenta, ab eodem Alexandro collectam esse Hierosolymis nobilem Bibliothecam; quam ad sua tempora perseuerasse, & complura se inde collegisse testatur. Ibidem quoque Cæsareæ in Palæstina, nobile martyrium subiit *Reparata* l virgo; quæ post alia tormenta, in crate ferrea semiustulata per ciuitatem ducta est, ac tandem capite truncata. Eo-

g *Aug. de hæres. ad Quodvultd.*

h *Epiph. de mensur.*

XX. MARTYRES PALÆSTINÆ.

i *Euseb. 6. hist. 32.* k *Ibid. c. 14.*

l *Martyrol. Rom. 8. Octob.*

demque tempore (vt ait Eusebius *m*) *Babylas* Episcopus Antiochenus, ad exemplum Alexandri Hierosolymitani, post fidei confessionem in vinculis vitam deseruit, & cum iisdem sepelirivoluit: datusque est ei successor *Fabius*. Sed & in Tabulis Ecclesiasticis referuntur cum eo tres alij passi, quos ille in fide Christi instituerat. Idem vero Eusebius in Chronico, hoc pariter anno eiusdem Babylæ martyriũ ponit: sicut & Epiphanius *n* ac Hieronymus *o* æquè sub Decio passum consentiunt.

Vnde hallucinari recentiores *p* non dubitamus, qui sub Numeriano id accidisse tradunt; quique vt suam vtcunque defendant opinionem, recentem quempiam Babylam antiquis penitus ignotum excogitarunt. Forte vero inde irrepsit error, quod tempore Decij reperiatur Numerius *q* quidam dux exercitus sæuissimus Christianorum persecutor. Agit de Babyla sæpissimè Chrysostomus *r*, qui in eo videtur ab Eusebio discrepare, *q* cum non in carcere mortuum tradat, sed è carcere foras ductum ad mortem, quod generosè testatisset Imperatori in Ecclesiã Christianorum, vt templo Dei inferret iniuriam, contumelioseve venienti. Quæ vero tempore Iuliani Apostatæ, in eius ossa ad Daphnem apud Antiochiam sepulta debacchantis acciderint, suo loco dicturi sumus.

m *Euseb. 6. hist. 32.*

De Babyla martyrio.

n *Epiph. de mens.*

o *Hieron. de Scrip. Eccl. in Alex.*

p *Metaphr. Nicephor. &c.*

q *Act. S. Isid. ap. Sur. tom. 1. Chrys. orat. aduer. Gent. orat. in Iuuent. & Max. hom. 4. de Lazar. &c.*

XXI. Gregorii Thavmaturgi recessvs.

Hæc itidem grassante persecutione, Magnus ille Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ in Ponto Episcopus, (perinde ac Cyprianus & Dionysio Alexandrino contigit) diuino plane consilio furorem declinans Gentilium debacchantium, recessit in solitudinem, suisque vt idem facerent persuasit, ne adhuc nouelli in fide deficerent in tormentis. Sed cum nihilominus diligentissimè quæreretur in solitudine, accidit aliquando vt detectus, flexis ad orationem genibus vna cum suo diacono, ambo circumstantibus inimicis visi sint arbores, sicque manus eorum euaserint; qui vero index relictus erat vt eum detegeret, cognito miraculo conuersus fuerit.

Hæc pluribus Gregorius Nyssenus in eiusdem Thaumaturgi Vita: vbi & plura alia recensetimmensa ab eo edita miracula; puta cum saxum ingens, quod Ecclesiæ ædificationem impediebat, alio transtulit; cum absens corpore præsto fuit *Troadio* pro fide agonizanti, eiusque insignem victoriam intuitus est: cum solo signo crucis dæmones ex quodam Gentilium templo, vbi responsa dare solerent, eiecit; iterumque vt redirent misso scripto iussit, quo hæc tria tantummodo verba continebantur; *Gregorius Satanæ, Ingredere*: idque vt tanto miraculo CHRISTI potentiam Ædituo templi patefaceret; quem & aliis editis signis ad fidem conuertit, ac postea diaconum ordinauit, fidumq; in secessu socium habuit.

Greg. Imperat dæmonibus.

XXII. Censvra Valeriani, et svmma potestas.

Hoc idem primo sui imperij anno, Decius comparato exercitu bellum suscepturus aduersus Persas, reliquit Romæ *Valerianum*; cui ex Senatusconsulto, magnis eius sinceritatis præconiis, summam Censuræ contulit potestatem, vna cum legum scribendarum facultate: quod magnificè describit Trebellius Pollio *s*. Inde vero accidit, vt in Edictis nomina inscriberentur Decij atque Valeriani; quorum nominibus extat edictum de persecutione aduersus Christianos in Actis *t* S. Mercurij martyris; licet & Augusti nomen Valeriano legatur inditum, quod addititicium putamus. Atq; ex his complures tricas & ambages soluas, dum plerique martyres in persecutione Decij & Valeriani vna passi leguntur, quos constat non simul eodem, sed diuerso tempore imperasse: sicut eadem ratione, nonnulli sub Valeriani Imperio passi, Decij persecutioni assignantur; quod vna eademq; persecutio vtriusque habita fuerit.

* * *

s *Trebel. in Valer.*

t *Ap. Sur. 25. Nouemb.*

IESV CHRISTI ANN. 254.

CORNELII ANN. I.

GALLI & VOLVSIANI } ANN. I.

I.

ANNO CHRISTI ducentesimo quinquagesimo quarto, qui numeratur Decij Imperatoris secundus, à diuersis diuersi ponuntur Coss. sed illi nobis magis probantur, quibus Acta Pionij martyris consignantur, nimirum Messio Quincto Traiano Decio (tot enim nominibus appellatus reperitur Decius Imper. apud historicos) tertium & Grato secundum. Inter alios enim qui hoc anno in Oriente passi sunt, magnopere celebratur *Pionius* Smyrnensis Ecclesiæ presbyter, cuius tunc potissimum Sacerdotale robur enituit, cum eius Ecclesiæ Eudæmon Episcopus cum aliis nonnullis turpiter lapsus est. Suscepit autem martyrium per crucem & ignem, & nihilominus corpus eius ita molle & floridum permansit, ac si viuus esset. Extant *a* eius Acta, à Christiano homine qui aderat fidelissime scripta; atque illa ipsa (vt apparet) quæ ex Archiuo Ecclesiæ Smyrnensis (vbi adtexta erant Actis martyrij Polycarpi eiusdem olim ciuitatis Episcopi) in commentarium *de Martyribus* à se scriptum illata, Eusebius *b* tradit. Detergendus tamen puluisculus ille, quo (vt in antiquis penè omnibus accidit, ac iis præsertim quæ è Græco in Latinum translata sunt) in nonnullis aspersa habentur. Scimus quidem alios Pionij martyrium referre ad Persecutionem Marci Aurelij & Lucij Veri Impp. auctoritate eiusdem Eusebij, asserentis illum eodem tempore, quo Polycarpus, passum esse. At non de Persecutionis, sed de anni tempore id esse intelligendum, declarant ipsa Acta; nimirum vt Pionius eodem recurrentis anni tempore, quo gentilis eius Polycarpus, captus ad martyrium fuerit, etsi non eadem persecutione. Nam & hoc modo Græcos omnes accepisse verba Eusebij, constat ex ipsorum Menologio, vbi absq; controuersia habent Pionium sub Decio passum.

Pionii Presbyt. martyrium.

a *Ap. Metaphr. & Sur. 1. Febr.*

b *Euseb. 4. hist. 14.*

[Vt hæc de Pionij martyrij tempore ita se habeãt, quid vero est quòd tam in Actis ab Eusebio citatis, quam istis Pionij, Polycarpus dicitur passus Sabbato magno; & tamen his i sdem Pionij, ipse Pionius dicitur martyrium consummasse quarto Idus Martij more Romano, hoc est, die vndecima mensis Martij: cum citra vllum Pascha incurrat in vigesimam secundam Martij? An dicemus, conuenisse martyrium Pionij cum passione Polycarpi in die tantummodo Sabbati; sed ita vt Polycarpi fuerit Sabbatum sanctum maioris Hebdomadæ, Pionij hebdomadarium sacræ Quadragesimæ, instante iam Paschate? Quod vero præterea in Martyrologio Roman. Polycarpus adscribitur diei 26. Ianuarij, in Menologio Græcorum 23. Februarij, Pionius vero in Martyrologio Calendis Februarij, in Menologio vndecimo Martij: horum quidem discrepantium molæ, vt in alijs complurib s, causæ adduci possunt; nimirum Reliquiarum inuentio, aut translatio, depositio, seu in honorem ipsorum Ecclesiarum dedicatio.]

TEMPVSQVE EIVS.

II. De martyribvs hac persecvtionis passis.

Sed quoniam perdifficile esset omnes enumerare martyres qui sub Decio sunt passi, satis putamus hic admonere, non omnium memoriam fuisse literis consignatam; & quæ scriptis sunt commendata, maiori ex parte Diocletiani incendio deperiisse; quorundam autem qui siue Romæ aut reliqua Italia, siue in Gallia, Hispania, Britannia, Sicilia (vbi inter alios celeberrima *Agatha* virgo, post acerbissimam mammillarum abscissionem, ac volutationem in testulis & carbonibus, aliaque dira tormenta, tandem in carcere spiritum reddidit) aliisque Europæ, atque etiam Asiæ & Africæ prouinciis passi sunt, nomine Tabulis Ecclesiasticis esse suis diebus adscripta, atque nonnullorum extare hactenus Acta antiquitus scripta. Ignoscatque lector, si ea leuiter tantum attingamus; tum quod id alieni muneris esse sciamus (longe enim distant inter se, Annales Ecclesiasticos posteris commendare, & singulorum Acta Martyrum, Vitasque Sanctorum conscribere:) tum etiam

cum

cum in iis recenſendis multæ interdum incidant difficultates, ſingulas enodare velle, longe longius ab inſtituto diuertendum eſſet.

III. FELICISSIMVS AVCTOR SCHISMATIS IN AFRICA.

Interim vero obortum eſt in Africa Schiſma *Felicißimi* presbyteri; antequam Cyprianus Eccleſiæ ſuæ reſtitueretur. Hic enim cum iam olim eiuſdem Cypriani electioni magnopere aduerſatus eſſet; captata occaſione eius receſſus, vna cum aliis quinque presbyteris ſuæ factionis, nihil non egit vt cum Lapſos, tum ipſos etiam Confeſſores quos Cyprianus redarguiſſet de nimia facilitate in danda Lapſis pace, à ſuo Epiſcopo diuelleret. Cum autem iam plures ſuis partibus addixiſſet, eoſdem ſeorſum in monte quodam cœpit colligere; eoq; tandem audaciæ proceſſit, vt omnes pronunciaret excómunicatos qui Cypriano adhærerent. His igitur, & aliis nefandis eius ſcelerib. (quippe qui & Magiſtratibus ſæcularibus ſecum adhibitis, impediſſet debitorum pauperum expũctionem à Cypriano fieri iuſſam, & præterea *a* pecuniæ commiſſæ fraudator, virginum ſtuprator, matrimoniorum depopulator & corruptor audiret) Cyprianus prouocatus, qui ſe hactenus patienter continuiſſet, ſententia excómunicationis tam ipſum quam eius ſocios percellens, eam per quoſdam Epiſcopos ac presbyteros vbiq; promulgandam curauit. Conſtant n. iſta ex variis ea de cauſa tunc ab ipſo Cypriano ex receſſu ante Paſchæ tempus ſcriptis Epiſtolis *b*. Hinc autem cœpta omnium malorum origo: cum hoc tempore cõflatum ſchiſma in Eccleſia Africana tam altas fixit radices, vt nec multis ſæculis valuerit quauis arte conuelli; quin ſæpe ramis exciſis, ex veteri trunco nouis germinibus *Montenſium, Nouatianorum*, & *Donatiſtarum* hæreticorum pullulantibus, in dies magis magisq; ex iſto Feliciſſimo infeliciſſime fuerit propagatum.

a *Cypr. ep. 55. ad Cornel.* EXCOMMVNICATVR À CYPRIANO.

b *Id. ep. 38. 39. 40.*

IV. NOVATVS ROMAM ACCEDIT.

Eodem quoque tempore, quamuis adhuc perſecutione durante, multis tamen exigentibus cauſis, atque ea maximè quod Nouatus *c* Epiſcopus Africanus (qui licet ſe non palam prodidiſſet, incentor tamen fuerat & impulſor ſchiſmatis Feliciſſimi) Romá ſe contuliſſet, vt in ea Eccleſia æquè diſcordias conflaret: coeuntibus ſimul Romanis clericis cum ſexdecim Epiſcopis qui in Vrbe repetti ſunt, adhibitoq; populi ſuffragio; ſumma omnium conſenſione electus eſt in Chriſtianæ religionis Pontificem, CORNELIVS patria Rom. ex patre Caitino, vir laudatiſſim⁹; qui per omnia Eccleſiaſtica officia promotus, & in diuinis adminiſtrationibus Dominũ ſæpe promeritus, ad ſublime Sacerdotij faſtigium, inuitus & coactus, Dei iudicio peruenit. Narrat hæc plurib⁹ Cyprianus *d* in Epiſtola ad Antonianum ſcripta: vbi aperte demonſtrat, ea geſta eſſe viuente adhuc Decio, & perſecutione Romæ furente; atque (vt puto) menſe Aprilis. Nondum n. tempore electionis eius celebratum fuerat Concilium in Africa, quod hoc anno menſe Maij collectum fuiſſe, idem Cyprianus *e* affirmat ad ipſum Cornelium ſcribens. Rurſum vero cum non fuiſſe creatum ante Paſchale tempus, eiuſdem Cypriani *f* literæ inſtante Paſchate ad ſuos datæ ſatis demõſtrant, dum de Clero tantum Romano, non etiam de Epiſcopo mentionem habet.

c *Id. ep. 49. ad Cornel.*

CORNELII PAPÆ ELECTIO QVALIS.

d *Id. ep. 52.*

e *Id. ep. 55.*

f *Id. ep. 40.*

V. DECII IMP. OBITVS.

Ab electione vero Cornelij haud multum poſt temporis ſpatium, Decium Imperatorem bello victum extinctumque eſſe, idem Cyprianus ad Antonianum ipſo Cornelij ſedis exordio ſcribens, ſatis expreſſe affirmat; qui & in libro *de Lapſis* plane teſtatur, diuina vltione Decium fuiſſe extinctum. Ex quibus apparet, veriorem eſſe ſententiam dicentium eum regnaſſe annum vnum, & ſecundum inchoaſſe per aliquot menſes. Id enim Euſebius *g* imprimis tradit in hiſtoria, affirmans eum nequaquam regnaſſe biennium; & diſtinctius in Chronico, imperaſſe tradit anno vno & menſibus tribus; quod etiam Caſſiodorus confirmat: quippe qui regnare cœperit menſe Ianuario, & euoluto anni circulo defierit menſe Aprili. Quod ſi Tribunitia illius Poteſtas in antiquis monumentis tertio repetita inuenitur; id accidit quod anno ante Philippi necem ab exercitu Imperator eſt appellatus, quando etiam Tribunitiam Poteſtatem ex more conſecutus eſt.

g *Euſeb. 7. hiſt. 1.*

Quantumlibet autem Principis optimi ſpecimen edidiſſe vilus ſit, qui à ſuis *Traianus* cognomento dici meruit; reus tamen effuſi innocentis Chriſtiani ſanguinis, vlciſcente numine meritas dedit pœnas, dum aduerſus Gothos Mœſiam & Thraciam infeſtantes dimicans, à Trebontano Gallo Limitanei exercitus in Mœſia duce proditus, extincto filio ipſe equo ſalutem captans in profundam paludem incidit, à qua confeſtim abſorptus nuſquam amplius viſus eſt: quod pluribus narrat Aurelius Victor. Adeoque concidit hac clade Romanum Imperium, vt tum primum, pro pace redimenda, Scythis Romanus populus tributum *a* pependerit. Cæterum quod in antiquioribus omnibus Martyrologiis *b*, die decimaoctaua menſis Octobris in Sanctos adſcripta habetur *Tryphonia* vxor Decij Cæſaris; eam Decij Iunioris qui cum patre imperauit, coniugem fuiſſe exiſtimo, potius quam Senioris, cuius vxor dicta reperitur *Herennia Salluſtia*; niſi forte plures habuerit vxores. Inuenitur porro & *Calocerus c* præpoſitus cubiculi vxoris Decij Imperat. martyrium paſſus, vna cum *Partheno* alterius muneris primicerio. Extinctis autem Deciis, idem qui ſupra *Caius Vibius Trebonianus* GALLVS inuaſit Imperium, filiumque VOLVSIANVM poſtea collegam ſibi adiciſcens, Auguſtum creauit: quorum quidem imperij primo tempore Eccleſiam Dei à perſecutione quieuiſſe, itaque extortes omnes ad ſua reduſſe, teſtatur Dionyſius Alexandrinus, qui hæc omnia præſens ſpectauit oculis. Reſtitutum autem Carthagini Cyprianum, quod literis *d* ante pollicitus fuerat, Natalitia Martyrum qui ea perſecutione coronati fuiſſent, oblatione ſacrificij incruenti, & aliis ſolemnibus ritibus celebraſſe, putandum eſt. Nam & Gregorium Thaumaturgum, poſt reditum à ſuo receſſu id præſtitiſſe conſtat: quem Gregorius Nyſſenus in eius Vita tradit, omni circa regione vndique peragrata & perluſtrata, additamentum & quaſi corollarium ſtudij erga numen diuinum inſtituiſſe; apud omnes vbique populos ſancientem, vt nomine eorum qui pro fide decertaſſent, dies feſti, atque ſolemnes conuentus celebrarentur. Idq; ipſum & alios vbiq, Epiſcopos peregiſſe credibile eſt.

VI. DIVINA VLTIONE SVBLATVS.

a *Pom. Lat. in Gallo. ap. Bar. an. ſeq.*

b *Martyrol. Rom. Sed. Vſuard. Ado. &c.*

c *Ibid. 19. Maij.*

GALLVS ET VOLVSIANVS IMPERANT.

d *Cypr. ep. 57.* NATALITIA MARTYRVM CELEBRATA.

Quo tempore ab eodem qui in Africa ſchiſmatis incentor extiterat, Nouato, Romæ pariter maxima eſt diſſenſio concitata. Porro fuiſſe eum in Africa Epiſcopum, (licet cuius Eccleſiæ, haud compertum habeatur) ex eo certum deducitur argumentum, quod Feliciſſimum quẽdam (alium ab illo quem diximus presbytero) fuiſſe ab eo, nec permittente, nec ſciente Cypriano, diaconum ordinatum, idem Cyprianus *e* queritur: qui & eiuſdem nefandiſſima ſcelera deſcribens, ait eum rerum nouarum ſemper fuiſſe cupidum, auaritiæ inexplebili rapacitate furibundum, arrogantia ſuperbi tumoris inflatum; quaſi hæreticum ſemper & perfidum, omnium Epiſcoporum voce damnatum; curioſum, vt proderet; adulatorem, vt falleret; nunquam fidelem, vt diligeret; facem & ignem, ad conflanda ſeditionis incendia; turbinem & tempeſtatem ad fidei facienda naufragia; hoſtem quietis, tranquillitatis aduerſarium, pacis inimicum: ſpoliatos ab eo eſſe pupillos, fraudatas viduas, pecunias Eccleſiæ denegatas: patrem eius in vico fame mortuum, & ab eo in morte poſtmodum nec ſepultum: vterum vxoris calce percuſſum, & abortione properante in parricidium partus expreſſum. Hæc & alia de Nouato Cyprianus; ob quæ (vt ait) cum mox eijci de Eccleſia haberet, iudicium Epiſcoporum voluntaria diſceſſione præceſſit, ac ſeipſum à communione Catholicorum præſcidit.

VII. DE NOVATO, EIVSQVE SCHISMATE.

e *Cypr. ep. 49. ad Cornel.*

Hic igitur talis cum in Vrbe *Nouatianum* presbyterum Romanum, qui ex Philoſophia & dicẽdi peritia magnum faſtum ſibi comparaſſet, ob Cornelij electionem inuidiæ ſtimulis agitatum cerneret; cœpit vna cum illo aduerſus eundem Cornelium agere, & multa de eo falſa iactans, alios quoſcunque ab eius communicatione retrahere, adeo vt etiam nonnullos ex Confeſſoribus, qui nupera perſecutione vincula ſuſtinuiſſent, in partes ſuas traxerit. Docet hæc fuſius ſuis Epiſtolis *f* Cyprianus. Porro ſicut quando Nouatus qualis eſſet ſe oſtendit, accidit vt Feliciſſimi auctoris ſchiſmatis nomen velut obſcurum exoleuerit, &

VIII. NOVATVS IVNGIT SE NOVATIANO.

f *Id. ep. 51. 52.*

ÀMBORVM NOMINA INTER SE CONFVSA.

Nouatus schismaticæ factionis antesignanus ab omnibus nominaretur: ita & postea factum est, vt quamuis nonnulli antiqui scriptores nominum similitudine Nouatum pro Nouatiano interdum vsurparint, & alij ambos in vnum conflarint: tamen *Nouatiani*, sic dicti schismatici & hæretici, à Nouatiano vt principaliori denominati fuerint; prout constat ex Cypriano *a*, dum alicubi eosdem *Nouatianenses* appellat.

a *Id. ep. 73. ad Iubaian.*

IX.

Auditis vero Carthagine electione Cornelij, & aduersariorum conatibus; quod ea de re multorum esset anceps sententia, visum *b* est Cypriano ac collegis Episcopis in vnũ coeuntibus, Caldonium & Fortunarum Episcopos Romã mittere, qui dissidentes conciliarent, aut saltem rerum gestarum veritatem in Africam scribarent; vt quibus cõmunicandũ esset, cunctis liquido innotesceret. Sed cum missi legati incassum omnia pertentarent; loco pacis viderunt ex improuiso maius bellum exortum, dum aduersarij primi omnium ausi Sanctam Romanam Ecclesiam turpi scindere Schismate, quæ hactenus vnita permansérat iuncta capiti firma compaginatione membrorum; factioni suæ caput constituerunt NOVATIANVM: quem impudenter nimis per tres tudiores ac simpliciores Episcopos, vi & fraude ad hoc adactos, eosdemque ebrios redditos, clandestine ordinarunt Romanum Episcopum: qui eius dignitatis fuerat aduersus Cornelium appetentissimus, licet multis esset vitiis inquinatus, atque etiam ante baptismum fuisset exorcistarum opera à maligno spiritu liberatus: imo & secundum *c* regulas Ecclesiasticas, haud debuisset in clerum assumi, quod in lecto ægrotans baptismum susceperit; sicque non libere, sed timore mortis Christianus factus videretur: idemque nec cætera quibus post baptismum imbui oportuerat, accepisset, neque Domini sigillo, nempe sacro chrismate, ab Episcopo obsignatus fuisset; factusque presbyter, in persecutione se presbyterum esse negasset. Idem vero adeo fuit in fulciendo schismate sacrilegus, vt etiam in dispertienda sanctissima Eucharistia, suos cogeret iurare per corpus & sanguinem CHRISTI, ipsos nunquam desertur[illegible]llum, nec ad Cornelium reuersuros.

PRIMVM IN ECCL. ROM SCHISMA.

NOVATIANVS ANTIPAPA QVALIS.

c Cornel. ad Fab. Antioch. ap. Euseb. 6. hist. 35. Conc. Neocæsar. c. 12.

BAPTIZATI IN LECTO.

[Qui in lecto baptizabantur, ab aliquibus (vt auctor est Cyprianus ep. 76.) non Christiani, sed *Clinici* appellabantur. Quæ vox etiam apud Hieronymum ep. 27. ad Eustochium & ep. 30. ad Oceau. accipitur pro ægro qui lecto decumbit, nec inde se mouere potest à κλίνη, lectus. Vtiturque ea voce eadem significatione Plinius libr. 25. capit. 5. Et paralyticum, cuius fit mentio Ioann. 5. idem Cyprianus d. ep. 76. Clinicum vocat, eo quod 38. annis in infirmitate fuisse dicatur. At hæc obiter; de quibus alij otiosius.]

X.

Sed habentur hæc omnia, & alia permulta huc spectantia, diffusius enarrata in Epistolis *d* S. Cypriani, & in ea quam ipse Cornelius Papa *e* scripsit ad Fabium Antiochenum Episcopum, in causa Nouatiani titubantem; cum idem Nouatianus mox post suam illegitimam ordinationem, legatos cum litteris tam suo, quam illorum Confessorum qui ei adhæserant nomine conscriptis, misisset tum ad eundem Fabium, tum ad Dionysium *f* Alexandrinum, necnon Cyprianum *g*, atque omnes *h* denique Ecclesias: quibus & ipsum Cornelium eiusdem cum Lapsis apostasiæ criminaretur, quod eosdem Lapsos post actam pœnitentiam in Ecclesiã reciperet; & omnes hortaretur, ne eos qui post baptismum grauiter deliquissent, ad communionem admitterent. Qui n. in Africa primo (vt vidimus) Nouatus cum suis, Lapsos aduersus Cyprianum concitauerat, quod non protinus in Ecclesiam reciperentur, sed ex decretis Ecclesiasticis iuberentur prius agere pœnitentiã; idem postea à Felicissimo se separans, & more omnium hæreticorum atque schismaticorum mutans pro occasione laruam, Romæ in gratiam Confessorum, quos ex fraude demulsit negotium Cornelio facessit, quod Lapsos pœnitentes reciperet in Ecclesiam.

d Cypr. ep. 42. 52.
e Ap. Euseb. 6. hist. 35.
f Ibid. c. 37.
g Cypr. ep. 1.
h Socr. lib. 4. c. 23.

NOVATIANI ARTES IN SCHISMATE FVLCIENDO.

XI.

SYNODI CARTHAG. ET ROM. IN CAVSA LAPSORVM.

Cum autem & Cornelius suas pariter ad omnes Ecclesias direxisset Epistolas, Cyprianus illis acceptis copiosam habuit *Carthagine* Episcoporum SYNODVM in eorundem causa Lapsorum: vbi post iteratam Felicissimi schismatis Africani auctoris, (qui & ipse causam suam acturus ad Synodum venit) eique adhærentium damnationem & excõmunicationem; de Lapsis illud salubri moderamine (ne vel ipsi desperatione deficerent, vel rursus censura Ecclesiastica solueretur) statutum est, vt traheretur diu pœnitentia, & examinatis singulorum causis & casibus, secundum eorum lapsus differentiã, post præscriptum tempus & modum pœnitentiæ, in Ecclesiam reciperentur. Quod ipsum, *Romæ* itidé habita à Cornelio Papa SYNODO, est firmius stabilitum: illudq; amplius statutũ, sic Sacerdotes lamios stabilitum: illudq; amplius statutũ, sic Sacerdotes lapsos pœnitentes ad Ecclesiam admittendos esse, vt tamen à Sacerdotali functione abstinerent, & tantum laica communicatione impertirentur: quod obseruatũ à Cornelio, admittente Trophimum Episcopum lapsum, haud seruatum à quibusdã alijs, Cyprianus exclamat. Docentur abunde hæc omnia in eiusdem Epistolis *a* Cypriani: quæ vero postea in eadem causa Lapsorum gesta sunt, dicentur anno sequenti.

a *Cypr. ep. 52. 55. 68.*

XII.

CYPRIANVS SCRIBIT: VNIT. ECCLESIÆ.

Hoc autẽ ferme eodem tempore, idem Cyprianus cõsulere studens iis qui illorum Confessorum, quos Nouatus & Nouatianus Romæ seduxerant, exemplo & litteris in ruinam inducebantur; librum illum meditatus est, quẽ *De Vnitate Ecclesiæ Catholicæ* titulo prænotauit; ita quidem cõparatum, vt non ad Nouatianos tantum conterendos, sed ad oẽs quotquot vnquam fuissent vel futuri essent, hæreticos atque schismaticos prosternendos, solus sufficiens omnino foret. Quippe qui ostensa semel ac demonstrata vna tantum Ecclesia, eaq; in Petri cathedra cognoscenda, cæteras aũt eidem vt membra capiti esse connexas; plane declaret omnes ab Ecclesia Catholica esse diuisos, eosdemque schismaticos vel hæreticos iudicandos, qui vni Ecclesiæ, ipsi (vt ait) Cathedræ Petri, non essent compage communionis vniti. Porro sedem Romani Pontificis esse Petri Cathedram, idem alias sæpe demonstrat; nosq; ea de re plura superius.

XIII.

CONFESSORVM RESIPISCENTIA.

Interea dum contigisset, Nouatum vna cum aliis quibusdam schismaticis, Roma in Africam ad euertendam illam Ecclesiam legationem suscepisse, feliciter accidit vt qui ab eodem Nouato Romæ fuerant seducti Confessores, cognito dolo & malitia hominis, ad Ecclesiam sponte sint reuersi, & Cornelium legitimum Catholicæ Ecclesiæ Episcopum agnouerint; eorumque exemplo magna eorum pars qui seducti in Africa fuerãt, pariter errorem suum deposuerint: prout de his omnibus testes sunt Cornelij & Cypriani vltro citroque scriptæ Epistolæ *b*. In quibus notanda est formula professionis, sub qua pœnitentes ad Ecclesiam reuersi sunt: quæ est huiusmodi; *Nos Cornelium Episcopum sanctissimæ Catholicæ Ecclesiæ, electum à Deo omnipotente & Christo Domino nostro scimus: Nos errorem nostrum confitemur: nos impostoram passi sumus: circumuenti sumus perfidia & loquacitate captiosa. Nam etsi videbamur quasi quandam communicationem cum schismatico & hæretico homine habuisse: sincera tamen mens nostra semper in Ecclesia fuit. Nec enim ignorabamus vnum Deum esse, vnum Christum esse Dominum, quem confessi sumus, vnum Spiritum Sanctum; vnum Episcopum in Catholica Ecclesia esse debere.* Econtra vero addens ad schisma Nouatianus & hæresim, asseruit Lapsos Dei iudicio relinquẽdos, nec vllum eorum habendum esse discrimen, criminumve distinctionem. Hæc autem illum ex Stoica Philosophia quam professus erat, conatum esse in Dei Ecclesiam introducere, Cyprianus *c* demonstrat: quamuis & iam essent eiusmodi peruersi dogmatis in Montani hæresi impressa vestigia; dum ex Mõtani Paracleto illud quoq; sibi vendicauit Tertull. *d* vt in mœchiam lapsos, in Ecclesiam recipiendos esse negaret. Quapropter & Pacianus *e* ad Sympronianum Nouatianum scribens, eam Nouatianorum opinionem pœnitentiam vsquequaque damnantium, ab hæresi κατὰ Phrygas sumptam esse, & Nouatianum suosq; secutos esse Tertullianum, demonstrat.

b *Ap. Cypr. 46. 47. 48. 59. Et Prosat. 10.*

c *Cypr. ep. 52.*

d *Tert. lib. de Pudicit.*

e *Pac. ep. 1. & 3.*

NOVATIANI HÆRESIS.

DOGMATA NOVATIANORVM.

Sed hæc à Nouatiano excogitata impietatis dogmata, à successoribus (vt de aliis quoque hæresibus accidere consueuit) aucta sunt, ac turpius deformata. Eos enim non admittere secundas nuptias, & hoc ipsum ex secta Montani; abnegasse quoque baptismum, & quæ præcedunt baptismum, fidem scilicet & confessionem, scribit Dionysius *f* Episcopus Alexandrinus. Hocq; puto esse quod Theodo-

f Dionys. Alexand. ap. Euseb. 7. hist. 7.

retus

retus *a* affirmat, baptizatos in Ecclesia Catholica iterum à Nouatiano baptizari consueuisse. Rursum vero Nouatiani sectatorem quendam negasse Petrum Apostolum fuisse baptizatum, Augustinus *b* affirmat. Quod præterea se *Mundos* dicerent, nec vel aliquando lapsos, ac neque cõsortium vellent habere cum lapsis, pulchro nomine Καθαρὸς se dici voluisse, affirmat Eusebius *c*; eosdemque decoros candidis vestibus incedere solitos, Socrates *d* tradit: qui tamen nomen suum si voluissent agnoscere, mundanos se potius quam mundos vocassent, vt egregiè inquit Augustinus *e*, dum in illos inuehitur, quod negarent Ecclesiæ datas esse claues ad dimittenda peccata; adeoq; articulum Symboli Apostolici quo remissionem peccatorum confitemur, proscriberent. Quod autem de Nouato, seu Nouatiano, apud Epiphanium *f* legitur, Trinitatis confusionem docuisse, quam postea Paulus Samosatenus asseruit; puto eius nomen irrepsisse in textum aliunde. Nam & Nouatum & Nouatianos recte sensisse de Trinitate, probauit Nicæna Synodus.

a *Theod. hær. fab. lib. 3.*

b *Aug. ep. 108.*

c *Euſ. 6. hiſt. 35.*

d *Soc. lib. 6. c. 20.*

e *Aug. de agon. Chriſt.*

f *Epiph. hær. 65. Ap. Baron. an. 265.*

IESV CHRISTI ANN. 255.

CORNELII ANN. 2.

GALLI & VOLVS. } ANN. 2.

ANNVS CHRISTI ducentesimus quinquagesimus quintus, Gallo & Volusiano Augg. secundum Coss. ex antiquis *g* inscriptionibus est adscribendus, licet ab aliis Galli secundus tantum Consulatus, Volusiani primus ponatur. Quo anno videtur habita *Romæ* SYNODVS illa maxima, (vt vocat Eusebius *h*) sexaginta Episcoporum, totidemque presbyterorum & amplius, vna cum diaconis, aduersus Nouatianum (quem ipse Nouatum vocat) & alios eiusdem schismatis sectatores: additq; & per singulas vbique prouincias alios Episcoporum conuentus in eadem causa habitos esse; ac tandem ab omnibus esse decretum, Nouatianos omnes ab Ecclesia exclusos esse, Lapsos autẽ post pœnitentiam recipi debere. Extat præterea apud eundem Eusebium *i*, dum recenset Epistolas à Dionysio Alexandrino diuersis ex causis scriptas, peculiaris mentio *Concilij* habiti *Antiochiæ* aduersus eos qui in Oriente partib. Nouatiani fuerent: contra quos eundem Dionysium validissimè decertasse, satis constat ex ipsius scriptis apud eundem Eusebium. Idq; ipsum in Africa à Cypriano præstitum esse, docent plurimæ ab eo scriptæ Epistolæ, aliæq; eiusdem lucubrationes.

Sed ab & eodem habita est hoc ipso anno Idibus Maij *Carthagine* SYNODVS, cui interfuerunt quadraginta duo Episcopi: ex qua missa est ad Cornelium Romanum Pontificẽ Synodica *k*, qua Patres declararunt se frequentibus visionib. & ostensionibus admonitos de proxima rursum persecutione, coactos fuisse ab omnibus lapsis, qui se hactenus vere pœnitentes demõstrassent, statim aperire portas Ecclesiæ, vt in caroborati cõmunione sanctissimæ Eucharistiæ, tutiores redderẽtur fortioresq; aduersus ingruẽtes hostes. *Idoneus enim* (inquiunt) *esse non potest ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, & mens deficit, quam non recepta Eucharistia erigit & accendit.* Sed & ad hæc plane tempora referendũ esset, quod tradit Socrates *l*, & ipse secta Nouatianus, ab illo tempore quo Nouatiani se ab Ecclesia seiunxerunt, Episcopos Catholicos in singulis Ecclesiis Presbyterum Pœnitentiarium constituisse. Verum Presbyterorum pœnitentiariorum qui occulta audirent delicta, antiquiorem fuisse in Ecclesia vsum, iam satis demonstratum est alia occasione superius *m*. Lapsorum autem restitutio (quod ij publicè deliquissent) haud tale erat opus, q vni posset demandari presbytero: quandoquidem id tunc fieri solitum ab Episcopo, de totius Cleri populiq; consensu, Cyprianus *n* ad Cornelium scribens sui exemplo satis ostendit.

h *Euſeb. 6. hiſt. 35.* CONCILIA PLVRA IN CAVSA LAPSORVM.

i *Ibid. c. vlt.*

k *Ext. ap. Cypr. ep. 54.* FVTVRÆ PERSECVT. PRÆSAGIA.

l *Socr. lib. 5. c. 19.*

m *Ann. 56. num. VIII. &c.*

n *Cypr. ep. 55.*

Accidit præterea, vt cum *Priuatus* Lambesitanus Afer, veterator hæreticus, de cuius damnatione dictum est superius, (qui & postea vacante Sede Romana, ab ea Ecclesia communicationem Catholicã fraudulenter *a* suffurari frustra tentauerat) vna cum suis ad nuper dictam Carthaginiensem Synodum venisset, quasi acturus causam suam; sed quod fuisset antea sæpe damnatus; ab eodem tunc conuentu exclusus esset: idem collectis secum quibusdam Pseudoepiscopis, sui similibus, cum paucis aliis, multorum criminum atque etiam apostasiæ reis, ideoq; & Catholicorum Episcoporum iudicio communione Ecclesiastica iam antea priuatis; ibidem Carthagine aduersus S. Cyprianum creauerit Pseudoepiscopum *Fortunatum*, vnum ex illis quinque presbyteris schismatis Felicissimi consciis, iampridem excõmunicationis sentẽtia ab Ecclesia electis: hic vero mox eundem ipsum Felicissimum schismatis auctorem, cum magna suorum caterua legatum Romam ad Cornelium Pontificem misit ad obtinendam ab eo Catholicam communicationem, & aduersus Cyprianum accusationem intentandam: qui tamen à Cornelio penitus repulsi sunt. Narrantur hæc omnia pluribus in prolixa illa Epistola, quam post eadem peracta Cyprianus *b* ad Cornelium aduersus eosdem schismaticos scripsit. Quid vero post hæc de illis actum sit, non satis constat.

III.

a *Ap. Cypr. ep. 30.*

FORTVNATVS PSEVDO-EPISCOP. CARTHAG.

b *Id. ep. 55.*

IV.

Persecutio enim hoc eodem anno iterum renouata, istas impræsentiarum controuersias diremisse visa est: quã & tum iam cœpisse cum has de schismaticis Cyprianus ad Cornelium literas dedit, inde manifestum redditur, quod edicta proposita, seque ipsum in Circo acclamationibus populi ad leonem denuo postulatum paulo antequam illas scriberet, ipse iisdem testetur. Porro leges de Lapsis, quæ Romæ & in Africa fuerant constitutæ, (nimirum eos probandos prius in pœnitentia, nec ante eam absolutam recipiendos, nisi periculum mortis instaret, aut alia vrgeret causa) eadem seruari quoq; fuisse solitas in Ægypto, & alibi in Oriente, satis demonstratur Epistola quam Dionysius *c* Alexandrinus hoc ipso tempore scripsit ad Fabiũ Antiochenum; quem nõnihil erga Nouatianum inclinatum, in Catholica communione stabiliuit: sicuti & ipsum Cornelium Papam fecisse, superius vidimus: Cæterum eundem Fabium sub horum Imperatorum tempore diem obiisse, & in eius locum subrogatum esse *Demetrianum*, Eutebius in Chronico ponit.

LEGES DE PŒNITENTIA LAPSORVM VBIQVE SERVATÆ.

c *Ap. Euſeb. 6. hiſt. 36.*

V.

Sed quod pertinet ad excitatam PERSECVTIONEM, qua idem Dionysius *d* queritur crudelissimè exagitatos esse sanctissimos viros, qui pro Imperatorum incolumitate ac pace Imperij enixè Deum precari solerent; quãto ea furore grassata fuerit, nõ solum docet quod Cyprian. *e* existimauit occasum sæculi & tempus Antichristi appropinquasse; sed etiam quod Cornelius Papa scribens ad Lupicinum Viennensem Episcopum, ait Romæ Imperatorem ad hoc constitutum esse, ideoque nec in Cryptis notioribus Missas agere Christianis licuisse.

PERSECVTIO GALLI ET VOLVSIANI.

d *Ib. 7. hiſt. 1.*

e *Cyp. ep. 66. & lib. de exhort. mart.*

Quibus verbis plane significare videtur *Volusianum* Galli filium, à patre Augusti nomine insignitum: nisi magis intelligi placeat HOSTILIANVM PERPENNAM, qui (vt tradit Aurelius Victor) regnantibus Gallo & Volusiano, Imperator à Senatu creatus est; quem perperã Eutropium cum Gallo confudisse constat. Ac fortasse Senatus Deorum cultui deditissimus, quod vidisset Gallum & Volusianum pacem reddidisse Ecclesiæ; ad exturbandos (quod cœperat Decius) Christianos, eundem Hostilianum in Imperium prouexerit; Gallus autem & Volusianus ex Senatus sentẽtia, à Decio cœptam, & ab Hostiliano instauratam, prosecuti sint Christianorum vexationem. Hostilianum n. haud multo post absumptum esse pestilentia, idem Victor tradit.

ELIGITVR IMPER. AD CHRIST. PERSEQVENDOS.

VI.

PESTIS IMMANIS.

Ap. Baron. an. seq.

f *Eutrop. in Gal. & Volus.*

Siquidem hoc ipso anno secundo Galli & Volusiani inchoante, Domini vero ducentesimo quinquagesimo quinto, (vt ponitur in Chronico Eusebii) cœpta est immanis illa *Lues*, quæ vniuersum fere depasta est Orbem, quã æquè Scriptores *f* Ethnici sub iisdem Imperatoribus collocant; eandemque ab Æthiopia originem duxisse, ac in vni-

uersum Orbem progressam, vix intra decennium *a* quieuisse tradunt.

a Pomp. Lat. in Gal.

De qua & Orosius *b* ait, nullam fere prouinciam Romanam, nullam ciuitatem, nullam domum fuisse, quæ nō illa correpta atque vastata fuerit. Agens paritet de eadem Gregorius Nyssenus in vita Magni Thaumaturgi, docet eam in Neocæsarienses per dæmonem immissam esse; cum ipsi solemni eius dæmonis festiuitate ad spectacula concurrentes, ob tumultum sese mutuo constipantium, communi voce ab eo petijssent vt faceret iis locum, confestim enim plausibus & cantibus in luctus & calamitates conuersis, ita morbus ignis instar eos depastus est, vt superstites sepeliendis mortuis non sufficerent. Sic autem vlciscente numine Neocæsariensium impietatem, ad Euangelij tamen profectum id permisit, cum illi causa morbi cognita ad Thaumaturgum recurrentes, eius precibus ab eo liberati, omnes ferme CHRISTO nomen dederunt.

b Oros. libr. 7. cap.

VI. PROFICVA CHRISTIANIS.

De eadem quoque Lue Africam infestante, deq; Cypriani sedulo tunc officio, non solum erga Fideles, sed etiam ipsos Gentiles impenso, plura habet Pontius in eius Vita. Quo etiam tempore idem Cyprianus libellum *De Mortalitate* scripsisse cognoscitur; quo cum debiles ad tolerantiam, & ad contemptū humanæ vitæ excitauit; tum etiam eos arguit, qui offenderentur quod debitum Gentilium crudelitati supplicium Christianos quoque pertingeret: docens pluribus, mortalitatem istam, sicut Iudæis, & Gentilibus, & CHRISTI hostibus pestis esset, ita DEI seruis salutarem excessum esse; dum videlicet excederent in pace tutæ cum gloria sua virgines, venientes Antichristi ruinas, & corruptelas, & lupanaria non timentes: pueri periculū lubricæ ætatis euadentes, ad continentiæ & innocentiæ præmium feliciter peruenirent: tormenta iam non timeret delicata matrona, metum persecutionis, & manus cruciatusque carnificis, moriendi celeritate lucrata: pauore mortalitatis & temporis accenderentur tepidi, cōstringerentur remissi, excitarentur ignaui, desertores compellerentur vt rediret, Gentiles cogerentur vt crederent.

Et post alia eiusmodi multa annumerata; vt etiam diuino confirmaret calculo, his Dominum suis consulere ad salutem, visionem refert, qua Sacerdoti cuidam iam pene morienti speciosissimus adstans iuuenis, honore & maiestate venerabilis, nec sine quadam animi & vocis indignatione infremens, dixit; *Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis?* Cæterum quod non hæc Lues ante persecutionem instauratam exorta fuerit, apparet scelerum impiorū vltricem, & sanguinis Christiani eandem vindicem, prodisse: quod & Orosius, & alij Christiani scriptores æquè testati sunt.

VIII. CORNELII PAPÆ EXILIVM.

Porro persecutione grassante, ipso ferme eius exordio *Cornelius* Romanus Pontifex, post gloriosam, cum suam, tum totius Cleri sui confessionem, vna cum maxima eiusdem Cleri parte exul missus est ad Centumcellas: (describitur locus ille egregiè à Plinio *c* Secundo:) vbi positum, & de prostrata perfidia triumphantem, S. Cyprianus *d* literis visitauit, & immensis laudibus prosecutus est. Quod vero ad tempus eius martyrij pertinet; præterquam ex dictis de Fabiani eius antecessoris martyrio, annoq; vno & amplius vacationis sedis, ac institutione ipsius Cornelij, satis perspicuè declaratur, ipsum non sub Decio, sed sub Gallo & Volusiano passum esse; accedit insuper Eusebij *e* repetitum testimonium, necnon Sanct. Hieronymi *f* auctoritas, qui absque vlla dubitatione ponunt Cornelium sedisse, & martyrio coronatum esse sub iisdem Gallo & Volusiano.

c Plin. 6. ep. 31.

d Cypr. ep. 57.

e Euseb. in Chron. & 7. hist. 1. 2.

f Hieron. de Script. Eccles. in Cornel.

Quapropter his auctoritatibus atque rationibus reliqui omnes scriptores, quantuscunque sit eorum numerus, errotis redarguuntur, qui siue passum sub Decio, siue sub Valeriano scripserunt: quamquam & persecutionem istam sub Decio semel cœptā, à Gallo postea & Volusiano, demumq; à Valeriano restitutam, non diuersas esse numeratas, sed vnam eandemq; ab auctore Decio qui eam indixit, esse denominatā; & quæ sub Decio gesta sunt, sub illis aliis contigisse, vel contra quæ sub istis acciderunt, Decij temporibus attribui consueuisse; permultā suppetunt exempla in Martyrologiis, Actisq; Martyrū, atq; aliis probatis auctoribus *g*. Sed tamen necisto modo ab errore vacant, qui Cornelium viuente Decio dixerunt subiisse martyrium. Quod vero sedis eius duos, alij tres vel circa potyrium. Quod vero sedis eius duos, alij tres vel circa potyrium. Quod vero sedis eius duos, alij tres vel circa pot

tiles eorumq; superstitiones inuectiuam, magna dicendi libertate scripsit orationem, sæuiente adhuc (vt apparet) persecutione. In qua quod Lactantius *a* desiderasse se dicit, vt aliis argumentis quam ex Scriptura petitis cum Demetrianus non crederet, vius esset, eumq; iudem facilioribus principijs instituisset: haud Cypriano (vt apparet) illud fuit ea ratione consilium, vt Demetrianum, vel alios Gentiles ad fidem Christianam institueret; sed vt ab eis obiectas in Christianos calumnias, nec quidem omnes, sed eã tam quæ ingruentis pestis, famis, & belli occasione iactabantur, confutaret. Ad quæ petitis cum ex ratione, tum ex diuinis Scripturis propheticè aliquid prænunciantibus, argumentis vtitur; ad persuadendum inde accommodatis, quod demonstret iam impletum quod fuerat ante prædictum.

a Lact. lib. 5. c. 4.

III. GALLVS ET VOLVS. IMPP. QVANDO OCCISI.

Sed & quod eadem oratione contestatus est, nunquam Deum fuisse inultum Christianum sanguinẽ; re ipsa paulo post impletum est, occisis ipsis Imperatoribus Gallo & Volusiano; licet de eorum necis tempore diuersæ reperiantur auctorum sententiæ. Aurelius enim Victor eos biennium imperasse tradit: Eutropius *b* vero dictum tempus non explesse; idque ipsum Orosius *c*: At Eusebius in Chronico tribuit eis annos duos & menses quatuor; in Historia *d* vix biennium integrum: annis autem duobus & mensibus quatuor, consentiunt pariter Epiphanius *e* & Cassiodorus *f*. Quod vero horum temporum res gestæ, scriptorum inopia tantis tenebris inuolutæ remanserint, vt difficile sit aliquam earum partem notare, in qua veteres auctores inter se consentiant: aliunde prorsus colligenda est istorum Imperatorum ratio annorum; nempe ex nummis & lapidibus antiquis, quibus ad id genus controuersias dissoluendas non aliud certius præsidium. Quamobrem cum ex veteribus eiusmodi monumentis *h* constet, eosdem quarto Tribunitia Potestate auctos esse; sitque sæpius demonstratũ, singulis Imperij annis Tribunitiam Potestatẽ conferri solitam; ex his manifeste videas, ad quatuor annos Imperium prorogasse. Quoniam vero iisdem imperantibus, Valerianus ab Alpinis militibus anno superiori acclamatus Imperator, consecutus est pariter Tribunitiam Potestatem: (Id enim exploratum redditur ex antiquis nummorum inscriptionibus *i*, in quibus primus Gallieni, qui vna cum patre Valeriano regnauit, Consulatus, quem gessit anno sequenti, iunctus repetitur cum Tribunitia Potestate tertium repetita; secundus vero, quem post annum sequentem gessit, cum quarta:) inde factum existimamus, vt nonnisi biennium Gallo & Volusiano à nonnullis tributum fuerit; videlicet quod non ad eorũ necis, quæ tantum contigit anno sequenti, sed ad Valeriani & Gallieni, qui eisdem superuixerunt, creationis tempus respectum habuerint.

b Eutrop. l. 9.
c Oros. lib. 7. cap. 31.
d Euseb. 7. hist. 9.
e Epiph. de mensur.
f Cassiod. in Chron.
h Habent Hubert. in Thesau. & Adolph. in Num. & ex eis Baron. hoc an.
i Adolph. ibi.

IV. ORIGO SCHISMATVM ET HÆRESVM.

Hoc item anno, qui prædicti Cypriani sedis numeratur sextus, rursum ipse à Schismaticis pressuram passus est, nouis calumniis ab vno ex iis, nomine Florentio Puppiano appetitus. Ad quem ipse rescribens *k*, tum ironicè (vt par erat) proteruiam eius elusit, tum grauibus rationibus eundem ad emendationem prouocauit. Ostenditq; inde hæreses & schismata oborta esse, & oriri, dum Episcopus qui vnus est, & Ecclesiæ præest, superba quorundam præsumptione contemnitur: ac frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Dei Sacerdotibus non habentes obrepũt, & latenter apud quosdam cõmunicare se credunt. Sibi autem iam ostensum à Domino in visione, ac reuelatum esse, imo de diuina auctoritate præceptum, quod *qui Christo non credit Sacerdotem facienti, postea credere incipit Sacerdotem vindicanti.*

k Cypr. ep. 69.

V. ORIGENIS OBITVS.

Hoc eodem anno Domini ducentesimo quinquagesimo sexto, Origenem extremum clausisse diem ex Eusebio *l* colligitur, dum ait accidisse anno illius ætatis sexagesimo nono; quem videlicet eiusdem Eusebij testimonio superius vidimus, anno decimo Seueri Imperatoris (est is Domini ducentesimus quartus) natum annos septemdecim. Qui autem viuens in scribendo sæpe redargutus est erroris, multo amplius post mortẽ est hæresis infamatus. Quamobrẽ pluribus opus habuit Apologiis: quarum primam à Pamphilo martyre conscriptam credidit aliquando Hieronymus *a*, sed postea retractasse *b*, Eusebij, nõ Pamphili esse affirmauit. Sane quidẽ suam esse testatur ipse Eusebius *c*, quã tamen scripserit adiutus à Pamphilo. Vulgata quoq; extat pro eodem Origene Ruffini Apologia, sed à S. Hieronymo in multis reprehensa. Hæc vero olim ad Hieronymi vsque tempora fortasse licite facta sunt. Sed mutatis sum vehementer, post damnationem Origenis ab Anastasio Papa factam, post eiusdem reprobationem in Quinta Oecumenica Synodo pronunciatam, post tot antiquorum Patrum in id ipsum conspirantes sententias; adhuc recentiores quosdam ausos esse, pro eodẽ nouas edere Apologias, & auctoritate totius Catholicæ Ecclesiæ iudicatas sæpiũ controuersias denuo temere excitare: quod visus est fecisse paulo ante nostram ætatem Ioannes Picus, atq; haud pridem Sixtus Senensis.

l Euseb. 7. hist. 1.

a Hieron. de Scr. Eccl. in Pamph.
b Id. ep. 92. ad Pammach. de error. Orig. & in Apol. cont. Ruff.
c Euseb. hist. 2624.

APOLOGIÆ PRO ID EDITÆ.

Cæterum Origenis operum lectionem, sicut nec Tertulliani, vel horum similium, non inuenimus penitus improbatam: licet quod spectat ad dogmata, ea sit de eius scriptis censura *d* Gelasij, vt illa tantum quæ S. Hieronymus non repudiat, dicat esse suscipienda, reliqua vero cum suo auctore reijcienda. Quod aũt aliquando Ariani quandam eius disputationem, in suam sentẽtiam trahere conati sunt; eundem Athanasius *e* hac ex parte Catholicum, ab eorum calumniis reddidit immunem. Inualuit vero apud antiquos de eodem, illa sententia à Cassiodoro *f* recitata: *Vbi bene, nemo melius; vbi male, nemo petus.* At de eius Scriptis alias pluribus, cum ea cõtrouersia sæpius in Ecclesia est agitata, & errores eius singillatim enumerati. Seriem autem librorum, cum Eusebius tum alij plures descripserunt. Sed quod tradit Epiphanius *i*, & alij, scripta fuisse ab eo librorum sena millia; haud facile Hieronymus *g* credidit. Quanta vero fuerit tanti viri lapsus in Ecclesia De offensio atq; tentatio, fuse describit ac peregregiè Vincentius *h* Lirinensis: eandemq; fuisse docet salubertimam commonitionem, ne quempiam quantumlibet eruditum sibi quis sequendum suscipiat, quem non insistere traditionibus Ecclesiasticis & sanctorum Patrum vestigiis inuenerit.

d Gelas. in Conc. Rom. decr. de lib. Apocry.
e Athan. de Syn. Nic. decr. cont. hær. Arrian.
f Cassiod. hist. diuin. Lect.
g Epiph. hær. 64. Ruff. in Apol.
h Hier. ep. 82. & Apol. cont. Ruff. lib. 2.
i Vinc. Lirin. cont. hær. c. 23.

VI. DE SCRIPTIS EIVS.

Duo porro constituuntur à nonnullis Origenes: quorum alter *Adamantius*, de quo est sermo, dictus sit; alter plane ignotus, ex quo Origenistæ *Turpes* sint cognominati, Φ cum matrimonium damnarent, in omnium libidinũ cœno velut sues volutarentur; quorum meminerunt Epiphanius *k* & Augustinus *l*. Verum existimamus, nonnisi vnum Adamantium extitisse aliquando Origenẽ; qui vero alium effinxerunt, ideo fecisse vt de Origene labes aspersas in illum egererẽt; vel quod Origenis sectatores in deterius prolapsi, etiam Gnosticorum sordibus sint infecti, & ad differentiam aliorum Origenistarum, *Turpes* à dogmate, non ab auctore *Origenistæ* sint dicti.

VII. DE DVOBVS ORIGENIS OPINIO.

k Epiph. hær. 63.
l Aug. de hær. c. 43.

IESV CHRISTI ANN. 257.

STEPHANI ANN. 1.

VALER. & GALLIENI } ANN. 3.

I.

ANNO CHRISTI ducentesimo quinquagesimo septimo, à Cassiodoro ponuntur Valerianus secundum & Gallienus Coss. Porro cum ex antiquis inscriptionibus (vt vidimus anno superiori) hic Gallieni primus Consulatus iungatur eiusdem tertiæ Tribunitiæ Potestati; ex ils redditur manifestum, anno præsenti eorundem Valeriani & Gallieni numerari cœptum tertium Imperij; qui tamen (vt diximus) æquè habetur quartus Galli & Volusiani.

II. LVCII PP. MARTYRIVM *Euseb. 7. hist. 2.*

His vero adhuc imperantibus, *Lucium* Romanum Pontificem gladij martyrio coronatum esse, Eusebius in Chronico & in Historia *m* testatur. Quod autem Liber de Romanis Pontificibus, & Ecclesiasticæ Tabulæ habent eum

passum esse sub Valeriano quarto Nonas Martij; cum ipsum Valerian. primis Imperij sui annis Christianis admodũ fauisse, paulo post visuri simus, nihil est quod ad eum Lucij necem, quam parente persecutione factam esse constat, referre possimus; præsertim si Eusebio assentiamur, decenti ipsum octo vix mensibus sedisse.

Verum cum in eodem Libro duæ à Lucio Ordinationes factæ dicantur mense Decembri; in hunc vsque annum propagatam fuisse illius sedem oportuit: quod & ibi signati huius anni Coss. quib. defuisse ponitur, manifestius significant. Ex quibus etiam occasio fortasse orta est, vt idem dicatur sub Valeriano passus: vel certe, quod (vt de aliis factum diximus) licet aliquo temporis interstitio pax fuerit in Ecclesia, tamen legibus Decij Imperatoris & Valeriani Censuram agentis persecutio semel promulgata, sic perseuauit vt omnis illa reliquorum temporum persecutio, Decij & Valeriani nomine diceretur: Cum & alioqui à secundo Consulatu Galli & Volusiani, in publicis monumẽtis cæptos numerari annos Imperij Valeriani & Gallieni, sic satis superius demonstratum.

III. EIVS DECRETA.

Cæterum quod à Lucio statutum habet idem Pontificum Liber, vt duo presbyteri & tres diaconi in omni loco Episcopum assectarentur, nec desererent, *propter testimonium* (vt ait) *Ecclesiæ*: huius sanciendi decreti causam dedisse putantur calumniæ in Cornelium Lucij prædecessorem à Nouatiano confictæ. Alia vero præter hæc extant eiusdem decreta in vnum simul *a* collecta: estque eiusdem, & Cornelij, decretorum de Lapsis præclarum Cypriani *b* elogium. Cum autem post necem Lucij (qui sepultus est in cœmeterio Callisti via Appia) sedes vacasset dies triginta quinque, STEPHANVS patria Romanus Iulij filius, creatus est Summus Pontifex.

a *Tom. 1. Concil.*
b *Cypr. ep. 67.*

STEPHANVS PAPA.

IV.

Sed quod ad Gallum & Volusianum Imperatores spectat; quam diuinam vltionem fuso Christiano sanguine antea prouocauerant, patrata nuper Lucij nece vehementiorem in se acceleratunt. Siquidem rebellantes milites, & C. *Iulio* ÆMILIANO à Mœsiacis legionibus creato fauentes, eosdem aduersus Æmilianum proficiscentes apud Interamnam occiderunt. Sed eodem Æmiliano quarto post mense æquè à suis sublato, VALERIANVS, eiusque filius GALLIENVS, soli Imperio potiri cœperunt, quod iam ante biennium (vt vidimus) adepti fuerant: vt ita tertius hic eorum sit numerandus annus. Porro cum ex Dionysio *c* Alexandrino, huius ipsius temporis scriptore accuratissimo, satis constet, Valerianum principio Imperij sui Christianis adeo fauisse, vt & familiarissimè & amicissimè cõ omnibus eos exciperet, ac tota domus eius pijs hominibus referta esset, videreturq; plane Dei Ecclesia; nec persecutionem instauratse, nisi tribus annis ac sex mensibus antequam à Persis caperetur: iam perspicuum redditur, ferme biennio Ecclesiam quieuisse.

VALER. ET GALLI. IMPP.

c *Ap. Eus. 7. hist. 9.*

Reddita igitur Ecclesiæ pace, S. Cyprianus more suo inuigilans saluti Fidelium, cum quosdam intellexisset in Sacrificio aquam tantum offerre absque commixtione aliqua vini; (consentiens erat hæc hæresis Encratitis *d*, qui aqua tantum vtebantur in sacrificio:) eiusmodi errore longiori tractatione *e* confutauit; qua etiam de sacratissimo à CHRISTO relicto in Ecclesia sacrificio Missæ, ab Apostolis frequentato, & in omnibus Catholici Orbis Ecclesiis ad sua tempora ex maiorum traditione inuiolabiliter custodito, multa præclare ingessit. Vnde autem prouenisset eiusmodi de aqua sola offerenda erroris occasio, ex eadem tractatione declaratur; videlicet ne persecutione vrgente, summo mane, seu potius nocturno tempore conuenientes secreto ad sacram Synaxim & Eucharistiam Christiani, ex vini odore possent detegi.

V. HÆRESIS AQVARIORVM.

d *Epiph. hær. 46.*
e *Cypr. ep. 63. ad Cæcil.*

Eodem quoque tempore idem Cyprianus Episcoporum SYNODVM celebrauit: ad quam inter alia memorabilis illa perlata est querela, quod moriens Christianus homo presbyterum filiis suis tutorem ex testamento nominasset contra Ecclesiasticos canones. Quod factum seuere admodum vlta sancta Synodus, secundum antiquam disciplinam censuit, ne pro eodem defuncto sacrificium offerretur, aut preces frequentarentur in Ecclesia: vt sic cæteris daretur exemplum, nequis Sacerdotes & ministros Dei, altari eius & Ecclesiæ vacantes, ad sæculares molestias deuocaret. Narrantur hæc pluribus in litteris ex eadem Synodo à Cypriano *a* scriptis: quibus videas, & peculiare fuisse *pro Fidelibus defunctis offerre Deo sacrificium*, & solitos *excommunicari defunctos*, quos viuentes iam vinxissent delicta: sed & Episcopos nullam habuisse rationem legum ciuilium quæ tutelis prouiderent, (à quibus nec ipsam Senatoriam *b* dignitatem, non Ædilitatem *c*, nõ collegia *d*, non diuersam religionem, non immunitatem *e* ciuilium ac publicorum munerum, non denique à gentilium *f* suorum tutela ipsam à tutela immunitatem excusare, Imperatores rescripserunt) quin eas, cum impedimẽto esse viderentur Ecclesiasticis functionibus, posthabuerint sacrorum canonum obseruationi. Cæterum fauerunt postea Christiani *g* Imperatores eiusmodi Episcoporum decreto, sancientes ne clerici vel monachi ad tutelam suscipiendam compelli possent. Sacrosanctum vero Concilium *h* Chalcedonense, à legitima tutela & datiua quæ ab Episcopo imperata esset, noluit clericos excusari.

VI. CONCIL. AFRICANVM.

A TVTELIS IMMVNES CLERICI.

a *Id. ep. 66.*
b *l. Spadonem. D. de excus. tut.*
c *l. non tantũ. §. is quis ædil.*
d *ead. l. §. non omnia.*
e *d. l. §. ad.*
f *ead. l. §. qui accepit.*
g *d. l. non tãt. §. 1 lien. sib.*
h *l. generaliter. C. de Epis. & Cler.*
i *Conc. Chalced. c. 3.*

IESV CHRISTI ANN. 258.

STEPHANI ANN. 2.

VALER. & GALLIENI } AN. 4.

I. CONTRARIÆ SCHISMATICORÜ FACTIONES.

ANNO CHRISTI ducentesimo quinquagesimo octauo, Valeriano tertium & Gallieno secundum Augustis Coss. Schismaticorum prælia aduersus Ecclesiam concitata, sed persecutione vrgente paululum intermissa, acriori sunt impetu remouata. Erant horum (vt demonstratum est) contrariæ factiones, pari tamen conatu ad oppugnandam Ecclesiam conspirantes; quarum alterius Nouatianus Pseudoepiscopus Romanus, alterius Felicissimus presbyter olim Carthaginiensis, dux ac propugnator erat acerrimus. Aiebat ille, Lapsorum neminem nec cum pœnitentia in Ecclesiam recipiendum esse; iste Lapsos omnes absq; vlla pœnitentia, vel aliquo gradus & honoris dispẽdio, mox suscipi debere. Inter quæ duo extrema, via media incedẽs Ecclesia Catholica, sic Lapsis pacem dabat, vt tamen præuia pœnitentia ipsi sibi aditum patefacerent; & qui in aliquo Ecclesiastico gradu constituti essent, posthac communicatione tantum laica communicarent. Declarata sunt ista pluribus superius.

II. SEPVLTVRÆ GENTILIVM DISCRETÆ À CHRISTIANIS.

Sic igitur accidit in Hispania, vt *Basilides* & *Martialis*, alter Legionensis, Asturicensis alter Episcopus, ambo Libellatici lapsi, aliorumque criminum rei (inter quæ Martialis illud fuit grauissimũ, quod filios exterarum gentium more, apud profana Gentilium sepulchra depositisset, & alienigenis consepelisset) non solum in Ecclesiam recipi, sed etiam in ea vt prius præsidere satagerent: quibus obnitentes Fideles, loco ipsorum substituendos curarunt Episcopos Sabinum atq; Felicem.

CONC. APRICA IN CAVSA BASILIDIS & MARTIALIS.

Porro cum Basilides ad Apostolicam Sedem Romam se conferens (ad quam vel hoc exemplo perspicuè videas, iam tum prouocare solitos ex remotis etiam partibus, Episcopos, qui aliquid iniusti à collegis passos esse prætexerent:) vt in Episcoparum restitueretur, Stephanum Romanum Pontificem multis mendaciis interpellasset: Hispaniæ Episcopi suffectos in eorundem lapsorum locum Sabinum & Felicem, in Africam ad Cyprianum miserunt, eo fine (vt putamus) vt eius ac collegarum suffragio muniti, tum ipsi Romano Pontifici facilius persuaderent quæ vellent, tum contumaces Hispanos compescerent. Itaque Cyprianus conuocata Episcoporum SYNODO, ex anteriorum Conciliorum, ipsiusq; Cornelij Papæ sententia decreuit, Episcopos lapsos ab ordinatione cleri atq; Sacerdotali

tali honore prohiberi; eaq; de re Synodi nomine litteras *a* reddidit ad Legionensem & Asturicensem Ecclesias; quibus totius rei gestæ seriem quam recensuimus comprehendit. Quæ autem hæc secuta sint, nulla prorsus extat memoria.

a *Cypr. ep. 68.*

III. CASVS MARCIANI EPISCOP. ARELAT.

Cum autem ex aduerso accidisset eodem tempore, vt hæresis Nouatiani fautor *Marcianus* Episcopus Arelatensis, multos induceret in errorem; hoc cernentes reliqui Galliarum Episcopi, ac præcipuè Faustinus Lugdunẽsis, cum ad ipsum Romanum Pontificem Stephanum litteras aduersus eundem Marcianum dederunt; tum etiam ad Cyprianum, quem scirent aduersus Nouatianos impigrè laborasse. Qui quidem mox ad eundem Stephanum scribens *b*, rogauit vt pleniſſimas faceret ad Episcopos Gallos & populum Arelatensem literas, quibus abstento & deposito Marciano, alius in locum eius substitueretur. Quippe tam ipse Cyprianus, quam Episcopi Galli, agnoscentes suam ipsorum potestatem limitibus esse coartatam, ad deponendum Metropolitanum hæreticum, principis omnium Episcoporum interpellarunt auctoritatem.

b *Id. ep. 67.*

IV. DE BAPTISMO HÆRETICORVM EXORTA QVÆSTIO.

Sed & Nouatianorum & Cataphrygum occasione, illa his temporibus magna in Ecclesia agitata est controuersia: *Num qui ab hæreticis baptizati erant, ad Ecclesiam Catholicam se conferrent, essent denuo baptizandi?* Quod enim vtrique iidem hæretici soliti (vt vidimus) essent, quos ab Ecclesia Catholica diuulsissent, tanquam immundos rebaptizare; id prouocauit ad æmulationem quosdam Episcopos Catholicos, vt & ipsi quos ad Ecclesiam redeuntes susciperent hæreticos denuo baptizarent, tati apud se solum, nempe in Ecclesia Catholica, verum esse baptisma. Quæ quidem tam magna, tamque potens fuit tentatio in Ecclesia, vt veluti quodam vehementissimo turbine magnopere quassatæ fuerint firmissimæ Ecclesiæ turres, quæ inconcussæ olim tot persecutionum impetus pertulissent.

V. SYNODVS ICON. IN EA CAVSA.

At non quidem (vt multi putant) in Africa hoc tempore à Cypriano tantum eiusmodi cœpta est controuersia agitari, sed primo ea mota est in Oriente; ea nimirum occasione, quod *Iconium* in Phrygia conuenientes finitimarũ prouinciarum Episcopi, in odium Cataphrygum statuissent, nihil eorum quæ ab hæreticis facta essent, ab Ecclesia Catholica recipiendum esse, non ordinationes, non baptismum, non manuum impositionem, nec aliud quoduis sacrum. Testatur hæc de ICONIENSI SYNODO, quici interfuit Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, ad Cyprianum c scribens. Meminitq; eiusdem, & aliarum in eandem sententiam celebratarum in Oriente Synodorum antequã ea quæstio in Africa agitaretur, Dionysius *d* Episcopus Alexandrinus: qui & addit tam eundem Firmilianum, quam alios eiusdem opinionis sectatores, ab Stephano Papa Apostolicæ Sedis communione priuatos esse. Et idem ipse Firmilianus eadem quam postea ad Cyprianum scripsit Epistola, multa oblocutus est in eundem Stephanum, quod (vt ait) legatos ab Orientalibus ad ipsum missos, nec ad sermonem saltem colloquij communis admittere voluisset, & nequis eos Fidelium in domum suam reciperet, prohibuisset.

c *Ap. Cyp. ep. 75.*
d *Ap. Eus. 7. hist. 4. & 6.*

STEPH. PP. EXCOMMVNICAT ORIENTALES.

VI.

Post hæc igitur re in controuersiam vbique deducta, Ecclesia Africana nutauit; quippe quæ tantum, quem intrepide sequeretur haberet Antistitem Cyprianum, vehemẽtissimo hæreticorum odio in eam partem inclinatum; & ipse, cuius affectaretur inuenisset prædecessoris Agrippini *e* impressa vestigio, & quem magistrum vocare soleret Tertullianum, incaute nimis hanc secutum sententiam. Sed dubium est an id illi acceperint à Montano; an vero ab illis transierit in scholam Montani. Montanistas enim rebaptizare consueuisse Catholicos qui ad suam ipsorum hæresim defecissent, Philastrius *f* quoque asserit: idemq; æmulatum esse Nouatianum, testis est Cyprianus *g*. At vero de eodem Cypriano mendax est Nicephorus *h*, dum ait eum non aliter recipere consueuisse lapsos qui in persecutione negassent, quam per sanctum baptismum. Siquidem ex omnib. eius scriptis manifeste apparet, eos ipsum baptizasse tantum quos hæretici antea baptizassent, negãtem extra Ecclesiam vllum posse repeti baptismum. Nouatiani autem in rebaptizando illud putamus fuisse consilium, quod cum Catholicos omnes qui lapsos recepissent diceret immundos esse, se autem suosq; puros ac sanctos; ne videretur illorum qui ex Catholica ad se transirent sordibus inquinari, eos nouo statuerit sanctificare baptismate. Erat ergo illis loco pœnitentiæ secundum hoc baptisma; quo non tantum (sicut ait Dionysius *a* Alexandrinus) sacrosanctum Ecclesiæ lauacrum abrogarent, sed & reijcerent fidem & confessionem quæ lauacrum præcedere consueuerunt.

e *Cypr. ep. 71.*
f *Phil. de har. c. 50.*
g *Cypr. ep. 73. ad Iubaian.*
h *Nicepb. lib. 6. c. 2.*

CYPRIANI & MONTANI DIFFERENTIA IN REBAPTIZANDO.

a *Ap. Eus. 7. hist. 7.*

VII. CONCILIA, ET SCRIPTA CYPRIANI DE EA.
b *Ap. Cypr. ep. 70. 71.*

Hanc igitur quæstionem occasione Nouatianorum in Africa restauratam, Episcopi Africani vna cum Cypriano ad SYNODVM coacti *Carthagine*, cum de ea consulti fuissent à Ianuario & sociis Episcopis Numidiæ, ita definierunt *b*, vt omnino negarent baptismum vllo modo repeti extra Ecclesiam; ideoq; qui apud hæreticos vel schismaticos baptizari viderentur, cum ad Ecclesiam venirent vere baptizari debere. Rursumq; intell. gens Cyprianus, adeo fixum alta radice multorum animis insidere, vt quas accepissent de non iterando ab hæreticis rite collato baptismate maiorum traditiones vellent illibatas seruari; maiori remedio his quos errare putaret conatus occurrere, celebriorẽ collegit CONVENTVM septuaginta vnius ex tam Africa quã ex Numidia Episcoporum, in quo pariter omnium sentẽtia confirmatum fuit, hæreticorum baptisma nullius momenti penitus haberi. Tuncq; placuit de iis omnibus per Synodicam *c* reddi certiorẽ Stephanum Papam, hactenus rerum gestarum inscium. Eodemq; tempore Cyprianus de eadem quæstione à Iubaiano Episcopo rogatus, Epistolam *d* rescripsit, qua multis Scripturæ auctoritatibus, aliisq; rationibus sententiam suam firmare, & quæ ex aduerso obijcerentur confutare studuit. Veritus autem ne magnum aliquod hinc schisma in Ecclesia conflaretur, tum iisdem Synodicis & ad Iubaianum litteris cõtestatus est, se haud cuiquam vim facere aut legem dare, sed saluo inter collegas pacis ac concordiæ vinculo liberum cuiq; relinquere quã vellet sequi sententiam; tum ad anteuertenda futura mala, & vt quisque aduersantem sibi fratrem æquanimiter ferret. *De Bono Patientiæ* libellum ad eundem Iubaianũ scripsit. Quod sincerum eius propositum de vnitate conseruanda, tam Hieronymus *e*, quam sæpe Augustinus *f* laudauerunt.

c *Ibid. ep. 72.*
d *Ep. 73.*
e *Hieron. aduers. Lucifer. f Aug. 3. cont. Crescon. 2. & de bapt. cont. Donat. lib. 2. cap. vlt.*

VIII. *g Cypr. ep. 74.* STEPHANI PAPÆ DECRETVM.

Quid autem ad Synodicam illam Stephanus Papa rescripserit, docent literæ *g* Cypriani ad Pompeium Sabratẽsem in eadem Africa Episcopum; nempe vt *Siquis à quacunque hæresi ad Ecclesiam veniret*, NIHIL INNOVARETVR, NISI QVOD TRADITVM ESSET; (nempe, seruaretur) vt *manus illi imponeretur in pœnitentiam.* In quibus confutandis, eaq; antiqua consuetudine, quæ opponebatur, conuellenda, Cyprianus totam longiorem illam insumpsit Epistolam: & qui ne vel leuiter læderet charitatis fraternæ concordiam, de Bono Patientiæ libellum se scripsisse professus erat; modo (ô infelicem humanæ imbecillitatis conditionem!) non ferens veram Apostolicæ Sedis definitionem, Stephano notam inussit non solum superbiæ & imperitiæ, sed & quod hæreticorum causam contra Ecclesiam DEI asserere conaretur. Non quidem id agens, vt legitimas Traditiones impugnet, sed vt quam Stephanus traditionẽ prætendebat, haud de Apostolico fonte dimanare demonstret, sed obrepentem errorem esse prauamq; consuetudinem. Verum Augustinus *h* Stephani sententiam propugnans, quæ aduersus eam à Cypriano congesta fuerant pluribus confutauit. Cumq; aliam rursum idem Cyprianus numerosiorem SYNODVM (nempe octoginta septem Episcoporum ex Africa, Numidia, & Mauritania) Calendis Septembris *Carthagine* celebrasset, in qua, reperita denuo contestatione de pace conseruanda cum iis qui secus sentirent, permultis pro se allatis diuinæ Scripturæ testimonis, vno omnium cõsensu firmatum esset prius ipsorum decretum de rebaptizatione hæreticorum; idem S. Augustinus *i* sententias singulorum recensens, eas omnes scite impugnauit, erroresq; redarguit.

h *Aug. de bapt. cont. Don. lib. 2.*

QVID RVRSVM CYPR. AMVS.

i *Ibid. lib. 3. & 7.*

IX.

Cyprianus autem cõfestim post Synodum, tum ad alios eiusdem erroris Episcopos, tum maximè ad Firmilianũ il-

lius pro-

lius propugnatorem acerrimum, vt sibi eum coniungeret, litteras scripsit per Rogatianum diaconum, eodem plane argumento quo ad Pompeium antea contra Epistolam Stephani scripsisset. Constat enim ista ex literis *a* ab eodem Firmiliano ad ipsum redditis: quibus videas hominem iam antea in Stephanum agitatum, quod (vt dictum est) ab eo cõmunione priuatus esset; acceptis Cypriani de eodem pariter conquerentis litteris, vehementiori furore concitum erumpere in conuicia, multaque improuide obloqui: seque insuper Quartadecimanorum fautorem detegere, dum Romanam Ecclesiam calumniatur, quod diuersa die celebraret Pascha ab ea quæ instituta fuerat ab Apostolis.

a *Ap. Cypr. ep. 75.* FIRMILIANI NAVFRAGIŨ.

X

ET RESIPISCENTIA.

Cæterum magnam profecto attulit offensionem cunctis Ecclesiis illud Firmiliani naufragium, qui & doctrina & sanctitudine morum nulli propemodum illorum temporum videretur esse secundus. Sed eundem postea ad meliorem frugem redditum, & Catholicæ communioni restitutum, sanctoq; fine defunctum esse, satis intelligi potest ex eo quod in Catholicorum Episcoporũ celebri illo Antiocheno conuentu, ipse cum aliis aduersus Paulum Samosatenum sederit; eundemq; Græci *b* inter alios Sanctos colant. Sed & reliquisse post se de Catholica fide nobilis ingenij sui clara monumenta, ex S. Basilio eiusdem sedis post euolutum ferme sæculum successore apparet, dum ea citat *c* in famosa illa de eadem ista cõtrouersia ad Amphilochiũ scripta Epistola, quam Græci Canonicam vocant: qua & ipsius Firmiliani, & Cypriani, aliorumq; indistincte omne reijcientium baptisma hæreticorum & schismaticorum, opinionem improbat *d*; docens eorum admitti debere, qui in eius forma cum Ecclesia integre consentirent, secus autem illorum, qui præscriptam in Ecclesia baptismi regulam non seruarent.

b *Menolog. 28. Octob.*

c *Basil. de Spir. S. ad Amphil. c. 29.*

d *Ibid. cap. 1.*

XI.

Eandem porro, quam Cyprianus & Firmilianus propugnabant, Dionysium quoque Episcopum Alexandrinum confessione & eruditione clarissimũ, eodem tempore complures scriptis literis conatũ esse defendere, testis est S. Hieronymus *e*. At vero hoc sic illum egisse constat *f*, vt nihilominus apud Stephanum Papam pro Episcopis eidem reconciliandis sequester accesserit. Deniq; licet (vt dictũ est) ex Oriente, Ægypto, & Africa, complures Episcopi patrocinati videantur sententiæ de rebaptizandis hæreticis; tamen illi ipsi qui extra Ecclesiam positi, eidem sententiæ postea studuerunt Donatistæ, vel alij nonnisi quinquaginta Orientales Episcopos, & Africanos septuaginta vnum numerare potuerunt. Certe quidem nonnullos Asianos in eandem cum Stephano sententiam conspirasse, S. Basilius *g* testatur; & multos in Africa cum Cypriano sentire noluisse, Augustinus *h* tradit; qui & multa Episcoporum millia Stephani sententiæ adhæsisse affirmat. Sed & omnes illos qui in Oriente contrariã secuti fuerant, eandem rescidisse, tum idem *i* scribit, tum aperte docetur in ipsius Dionysij *k* Alexandrini ad Stephanum & Sixtum Romanos Pontifices ea de re paulo post datis literis. Ipsosq; Africanos qui Cypriano consenserant, aliud priori contrariũ edidisse decretum, Hieronymus *l* est auctor. Ac demum Cyprianum ipsum mutasse sententiam, verius esse, idem Augustinus *m* affirmat. Certè constat illum in eadem cum Ecclesia Romana vnitate vsque ad martyrium perstitisse, & mirificis præconiis post obitum ab omnibus Patribus celebratum esse.

e *Hieron. de Script. Eccles. in Dionys.*

f *Ap. Euseb. 7. hist. 4.*

g *Basil. ad Amphil. c. 1.*

h *Aug. 3. cont. Crescent. 1.* REVOCATI EPISC. AD RECTÃ SENTENTIAM.

i *Aug. ibid. c. 2 & 3.*

k *Ap. Euseb. 7. hist. 4. & 8.*

l *Hier. cont. Lucifer.*

m *Aug. ep 48. ad Vinc. & de bapt. cont. Don. lib. 2. c. 4.*

XII. STEPHANI PP. LAVS.

Quod vero ad Stephanum pertinet; quas antiquorum Patrum traditiones summo studio & intrepido animo acerrime propugnauit, eædem his turbinibus superatis sinceræ & integræ in Ecclesia Catholica custoditæ permanserunt; qui vero contrariam sectati sunt sententiam, iidem omnes pro hæreticis sunt habiti. Enimuero plane in hoc tanto certamine, quanta in Traditionibus vis, & in Apostolica Sede inesset auctoritas: quando (vt ait egregiè Vincentius *n* Lirinensis, dum de hac re pluribus ac plane grauiter more suo agit) Stephanus Papa, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris, huic nouitati restitit; dignum existimãs, si reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat. Qui quidem ob Catholicam Traditionem egregiè propugnatam, meruit omnium præconiis celebrari, & anniuersaria commemoratione non solum à Latinis, sed & Græcis (quod de aliis Occidentalis Ecclesiæ sanctis Martyribus raro accidere consueuit) in Tabulis Ecclesiasticis commendari. De quo & illud stupore dignum Augustin. *a* iudicauit, quod cum hæretici Donatistæ postea aduersariam Stephano sententiam, Africanorum Conciliorum auctoritate defensarẽt; in ipsum tamen, ob eminentem iudicij cum sanctitate cõiunctam auctoritatẽ, ne mutire quidem ausi sint, imo & laudare compulsi, & Episcopatum illibate gessisse confiteri.

n *Vinc. Lirin. cont. haer. c. 9.*

a *Aug. de vn. bapt. cont. Petil. c. 14.*

IESV CHRISTI ANN. 259.

STEPHANI ANN. 3.

VALER. & GALLIENI } AN. 5.

ANNO CHRISTI ducentesimo quinquagesimo nono, (quo ponuntur à Cassiodoro Coss. Valerius Maximus & Acilius Glabrio) Valerianus Imperator aduersus Christianos dirã PERSECVTIONEM excitauit, quæ OCTAVA ordine numeratur à S. Hieronymo *b*, Augustino *c*, Orosio *d*, atq; Seuero *e*: eandemq; anno præsenti cœptam esse, ex Dionysio *f* Alexandrino colligitur, dum eam significat durasse annos tres & menses sex, quæ euisse autem cum Valerianus à Persis captus est; quod contigit anno ab hinc quarto. Eodemq; auctore constat, Valerianum antehac de Christianis optimè meritum, vt quam acerbissimè in eos sæuiret permotum fuisse ab Ægyptio quodam mago; cui semel admouens aures, adeo est deprauatus, vt ad magiam humanas victimas immolaret, visceraq; scrutaretur infantium.

I. PERSECVTIO VALERIANI.

b *Hieron. de Script. Eccles. in Cypria.*

c *Augus. 18. de ciuit. 52.*

d *Oros. lib. 7. c. 22.*

e *Seuer. lib. 2.*

f *Ap. Eus. 7. hist. 9.*

Sæuiit autem vsque adeo Persecutio, vt idem Dionysius tempora illa omnium infelicissima de Antichristo à Ioanne in Apocalypsi prædicta, in Valeriano putauerit esse impleta. Quæ quidem lento gradu Romæ primum cœpta est, cum absque edicto pro arbitrio in Christianos Imperator ageret; concessa tamen delatoribus bonorum possessione illorum: vt hæc pluribus declarantur in Actis fidelissimis SS. Martyrum *Eusebij g* presbyteri & sociorum, qui his iisdem Coss. Romæ passi sunt; necnon in æquè germanis Stephani *h* Papæ, in quibus multi viri feminæq; illustres iisdem Coss. Imperatorum iussu necati traduntur ob Christi confessionem: quorum pleriq; ipsius Stephani, in cryptis vt plurimum latentis, prædicatione & miraculis conuersi fuerant.

II. SÆVITIA PERSECVTIONIS.

g *Agitur de horum martyrio in Martyrol. Rom. 4. No. Dec. Acta vero ipsorum edidit Bar. Annal. To. II. hoc an.*

h *Ap. Metaphr. Lipom. & Sur. Recitat vero emendatiora Baron. hoc an.*

IESV CHRISTI ANN. 260.

SIXTI II. ANN. 1.

VALERII & GALLIENI } ANN. 6.

ANNO CHRISTI ducentesimo sexagesimo, Impp. Valeriano quartum & Gallieno tertium Coss. *Stephanus* Papa; quod multos Gentiles ad Christi fidem conuerteret, eorundem Impp. iussu quæsitus ad necẽ, tentusq;, & ad templum Martis ductus; cum ad eius orationem facto tonitruo & fulgure, templum ex parte corruisset, omnesque diffugissent, in cœmeterium Lucillæ se recepit: vbi rursum inuentus sacrificium Deo offerens, post intrepide peracta mysteria, in eodem loco ante altare in sua de-

I. STEPHANI PP. MARTYRIVM.

collatus

collatus est sede; sepultusq; cum eadem ipsa sede sanguine eius aspersa, in cœmeterio Callisti quarto Nonas Augusti. Rem gestam pluribus narrant ipsius Acta; quibus etiam continentur multorum aliorum tam ex Clero quam populo Martyrum passiones, Consulibus iisdem anno post Consulatum Maximi & Glabrionis consignatæ. Ex quibus dicendus est Stephanus sedisse annos tres, menses tres, & dies viginti duos; licet alij diuersa sentiant. Est vero in fine eius Actorum memorabilis historia de *Tarsicij* acolythi martyrio: qui cum Corpus CHRISTI secum deferret, discutientibus obuiis militibus quid gereret, ille indignũ ratus porcis prodere margaritas, nequaquam voluit detegere sacrosancta mysteria: quare tamdiu fustibus & lapidib. contusus ab eis est, quousq; animam efflaret: reuoluto vero eius corpore, nihil valuerunt de sacris mysteriis reperire. Sed & iisdem Coss. ante Stephanum passæ sunt itidem Romæ nobiles virgines duæ, ambæ sorores, *Ruffina & Secunda*: quæ desponsatæ viris Christianis qui metu persecutionis defecerunt à fide, ambæ à sponsalibus quoq; pactis resiliẽtes, & abillis Christianitatis accusatæ, neci datæ sunt: quarũ extant *a* gloriosæ confessionis, & consummati martyrij Acta fidelia. Vt autem ad Stephanum redeamus; idem in Libro de Rom. Pontificibus asseritur constituisse, vt Sacerdotes & Leuitæ sacratis vestibus in vsu quotidiano nõ vterentur, sed tantummodo in Ecclesia. Cumque Sedes vacasset dies viginti duos, ei subrogatum esse nono Calendas Septembris SIXTVM natione Græcum patria Athenensem, huius nominis Secundum.

a *Ap. Sur.* 10. *Iulij.*

SIXTVS PAPA II.

II. EDICTO VALERIANI QVÆ PROHIBITA.

Cæterum illud quidé hoc anno à Valeriano primum in Orbis Romani prouinciis constat fuisse promulgatum edictum, vt Christiani prohiberentur cõuentus agere, & Cœmeteria (in quibus iidem conuentus fieri, & mysteria celebrati solerent) adire: vt apud Pontium *b* Procõsularia Acta declarant, & apud Eusebium *c Dionysius* Episcopus Alexandrinus, qui tunc ab Æmiliano Augustalem Ægypti Præfecturam administrante, peculiari Imperatorũ rescripto exulare iussus, multa mala pertulit, alij vero quamplurimi omnis sexus, ætatis, & conditionis homines, ibidé in Ægypto martyrium consecuti sunt. Id ipsum accidisse nonnullis Cæsareæ Palæstinæ, Eusebius *d* testatur. Sed inter eos qui in Syria passi sunt, celebrior est *Nicephori e* fama, qui Antiochiæ in locum Sapricij presbyteri qui negarat se sufficiens, desertoris damna reparauit. Editumq; tunc est pauendum plane exemplum, quo Fideles oẽs admonerentur, frustra quæq; magna conari hominem Christianum, nisi fraternæ charitatis compage fuerit solidatus: cum Sapricius vita iam oppignerata martyrio, ꝙ veteri odio flagraret in Niceph. ipsum prope ictum vibrãte carnifice, maluit Christum negare, quã Nicephor. per quæq; sacra Christiana illum instantissimè de reconciliatione adiurantem, in gratiam recipere. Porro aliorum quoq; in diuersis Asiæ & Græciæ prouinciis passorum, extant nomina in Tabulis Ecclesiasticis, præter innumeram illorum multitudinem quorum memoria excidit.

b *Pont. in Act. Passion. S. Cypria.*
c *Euſ. 7. hiſt. 10.*
d *Ibid. c. 11.*
e *Ext. ainus Alex ap. Sur 9. Feb. ex Metaphr.*

III. EXILIVM CYPRIANI.

Quæ autem passus est Dionysius in Ægypto, eadem plane in Africa primus omnium pertulit *Cyprianus*, ac cæteri subinde Episcopi, quod vna eademque sententia omnes compellerentur exulare; vt sic illis longius amandatis, nulla reliquis Christianis conuentus agendi (qui maximè prohibebantur) daretur facultas. Quamuis enim de cæteris Præsulibus non sit adeo expressa testatio; ex illis tamẽ quæ de Dionysio & Cypriano sunt litteris compendata, de reliquis existimare licet. Porro de Cypriani exilio, iisdem huius anni Coss. literis Imperatorum irrogari iussio, agente Paterno Proconsule in Africa, tum Pontius *f* diaconus exilij comes scripsit, tum etiam Acta *g* ipsa fidelissima tunc à Notarijs diligenter excepta, quorum Põtius *h* & Augustinus *i* meminerunt, certam fidem faciunt. Sed & alios complures in Africa, tam Episcopos & alios omnis generis clericos & Ecclesiæ ministros diligenter quæsitos, quam laicos omnis sexus & ætatis, partim fustibus cæsos aliisq; pœnis affectos ad metallum esse damnatos, partim carceribus manciparos; satis exploratum redditur ex litteris *k* ad ipsos à Cypriano exule scriptis, & ab illis ad eum redditis. Qui autem ad metallum damnati sunt, iidem omnes consummantes agonẽ suum, de longo exantlato martyrio parem martyribus coronam retulerunt; quos Dei Ecclesia anniuersaria commemoratione antiquitus venerata est quarto Idus Septembris. Cætera vero de Cypriano anno sequenti.

f *Pont. in Vit. Cypr.*
g *Habentur eiusmodi Acta duplicis generis posita à Pamelio ante opera Cypriani: sed qua primo ponuntur, multis additionib. corrupta sunt: ea autem legitima, quæ secundo loco, die ac Coss. conjugata.*
h *Pont. in Vit. Cypr.*
i *Aug. cont. duas ep. Gaudent. libr. c. 32*
k *Ap. Cypr. ep. 77. vſq. 81.*

Interea vero idem quem diximus Dionysius Alexandrinus, cum (vt vidimus) illorum olim sententiæ suffragatus esset, qui dicerent extra Ecclesiam baptizatos iterum baptizandos esse; nouo emergente casu de baptizato ab hæreticis non secundum Ecclesiæ Catholicæ ritum; quamuis eum libere baptizare potuisset, tamen ne videretur adhuc perstare in sententia, quam à Stephano Papa reprehensus cum aliis Orientalibus damnauerat; non ausus hominem, id licet enixius exposcentem, baptizare, quid agendum esset in re quam putaret ambiguam, Sedem Apostolicam statuit consulendam, scriptis ad Sixtum Stephani successorem literis, quarum de hac re fragmentum recitat Eusebius *a*. Cumque eodem tempore SABELLIANA HÆRESIS patefieri cœpisset Ptolemaide Pentapolis, de ea pariter eundem Dionysium ad Sixtum retulisse, testatur idem Eusebius ***.

IV. DIONYS. ALEX CONSVLIT SIXTVM PP.

a *Euſ. hiſt. 8.*
SABELLIANÆ HÆR. ORTVS.
* *Ibid. cap. 5.*

Sed quod ad hæresim Sabellij pertinet; non ipse eius impietatis auctor, sed potius dicẽdus est propagator; quippe quem affirment omnes eam didicisse à NOETO præceptore suo, homine Smyrnensi (vt vult Theodoretus *b*) siue Ephesino, vt Epiphanius *c*: qui addit, eum in tantum fastum elatum esse, vt auderet se Moysen, & fratrem suum Aaron asserere: quamquam Philastrius *d* tradit, Noeti fratrem, non Aaron, sed Eliam ab eo fuisse dictum. Addit denum Epiphanius, Noetum cum suis ab Ecclesia electum, paulo post esse mortuum vna cum fratre suo, neminemque Fidelium eos voluisse sepelire. Haud vero eidem assentimur, dum affirmare videtur, neminem ante Noetum dicere ausum, Patrem esse passum: nam diu ante innotuisse hæresim *Patripassianorum*, constat ex Cypriano *e*, necnon Tertulliano *f* eam Praxeæ tribuẽte; imo & ex Ignatio Apostolicorum temporũ viro, qui æquè testatur *g* suo tempore diabolum ore suorum iactasse, Patrem natum & passum. Theodoretus aũt illam hæresim ab EPIGONIO quodam primum excogitatam fuisse dicit.

V. DE NOETO HÆRESIARCHA.

b *Theodo. hær. fab. lib. 3.*
c *Epiph. hær. 57.*
d *Philaſtr. de hæreſ. c. 53.*
e *Cypr. ep. 73.*
f *Tert. de præſcr. cap. vlt. & aduerſ. Prax. c. 1.*
g *Ignat. ep. ad Philip.*

Cæterum ex omnibus Noeti discipulis, qui impietate reliquos antecelluit, SABELLIVS fuit, ex Ptolemaide Libyæ oriundus: qui factus potentissimus impij dogmatis propugnator, negauit Personarum in Trinitate distinctionem; dicens ea tantum esse nomina, ad diuersos effectus diuinitatis insinuandos composita. Vnde cum vnam tantum personam assereret, illa necessario deducebatur consequentia, vt sicut Filius, ita & Pater & Spiritus Sanctus æquè dicerentur incarnati & passi. Hæc n. erat præcipua Sabellij blasphemia: cui & alteram adiecit ex Hermogene mutuatus, vt diceret materiam ingenitam esse; quod testatur imprimis Eusebius *h* ex Dionysio. Quodaũt Sabelliani non possent mendacia sua diuinis Scripturis omni ex parte fulcire, Ægyptiorum Pseudoeuangelio & aliis Apocryphis libris vsos esse, Epiphanius *i* tradit. Miratur vero Augustinus *k*, cum iidem esse videantur Noetiani & Sabelliani, cur tam Epiphanius quam Philastrius eos ab inuicem distinctos posuerint: planeq; accidisse tradit, vt sicut in Montanistis, Donatistis, Pelagianis, & aliis; sic in istis, vnius hæresis diuersa fuerint nomina.

VI. DE SABELLIO HÆRESIARCHA.

h *Euſ. 7. de præpar. 8.*
i *Epiph. hær. 62.*
k *Aug. de hær. c. 41.*

Quod vero Epiphanius inter Noetum atq; Sabellium eius discipulum, alias quasdam recẽseat hæreses; eas his tẽporibus emersisse, facile potest intelligi. Iam diximus de ea quæ à Valesio prouenit *Eunuchorum* secta, & quæ à Nouatiano exorta est hæresi *Catharorum*. His aũt qui subduntur ANGELICI hæretici, quo auctore sint progressi, & quæ fuerint eorum dogmata, Epiphanius *l* tradit haud se potuisse habere compertum; quippe quorum secta citius extincta fuerit, quam nomen eius cum auctore latius posset diffamari. At August. *m* Angelicos dicit in Angelorum cultum fuisse inclinatos. Quinam autem olim receptus, quive improbatus fuerit iam ab Apostolorum temporibus Angelorum cultus, dictum est alias *n*.

VII. ANGELICI HÆRETICI.

l *Epiph. hær. 60.*
m *Aug. hær. 39.*
n *Sup. an. 60.*

Post Angelicos, iidem auctores ponũt APOSTOLICOS, quos putant germen fuisse Encratitarum & Catharorum;

XIII. APOSTOLICI HÆRETICI.

hoc se

hoc se nomine appellantes ob exactũ disciplinæ studium: sed & *Apotactitas* se dici voluisse tradunt, à renunciatione, eo quod coniugiis & bonorum possessionibus renunciarent. At non in hoc (vtinam SS. Patres monent) errorem ipsorum, cum tales habeat Catholica Ecclesia & monachos & clericos plurimos: sed ideo isti habiti sunt hæretici, quoniam se ab Ecclesia separantes, nullam spem salutis putarent eos habere qui vterentur iis rebus. Porro vsos esse eiusmodi hæreticos ad suam impietatem roborãdam, Actis Andreæ & Thomæ ab Ecclesia reiectis, idem Epiphanius tradit: qui eorum numerũ haud multum creuisse ait; cum alioqui Paupertas & Continentia in agro Ecclesiæ semel legitime seminatę, amplissimos semper in horrea Domini prouentus inferant, & fœcundis germinibus latissime propagentur.

IESV CHRISTI ANN. 261.

DIONYSII ANN. I.

VALER. & GALLIENI } AN. 7.

I. SIXTI PAPÆ MARTYRIŨ.

ANNO CHRISTI ducentesimo sexagesimo primo, Aurelio Memmio Tusco & Pomponio Basso Coss. octauo Idus Augusti *Sixtus* Papa in cœmeterio Callisti capitis abscissione coronatus est martyrio, atque ibidem à Fidelibus sepultus: cum nouo à Valeriano Imperatore absente dato ad Senatum rescripto, Persecutio in Christianos acrior sæuiorque vbique decreta esset. Extant tum de Valeriani rescripto, tum de Sixti martyrio, Cypriani in exilio agentis litteræ *a* ad Successum Episcopum: quibus tradit, Valerianum rescripsisse ad Senatum, vt Episcopi, presbyteri, & diacones, in continenti animaduerterentur; Senatores, & viri egregij, & equites Romani, dignitate amissa etiam bonis spoliarentur, & si ademptis facultatibus Christiani esse perseuerarent, capite mulctarentur; matronæ ademptis bonis in exilium relegarentur; Cæsariani, quicunq; vel prius confessi fuissent, vel nunc confiterentur, confiscarentur, & vincti in Cæsarianas possessiones descripti mitterentur. Porro & plures alios ex Clero Romano vna cum Sixto martyrium subiisse, docent Ecclesiasticæ *b* Tabulæ. Quod vero vnus Prudentius *c* Sixtum cruci affixum tradit, ab aliis minimè confirmatur.

a *Cypr. ep.* 82.

b *Martyrol. Rom.* 6. *Aug.*

c *Prud. hym.* 2.

II. S. LAVRENTII MARTYRIVM.

Post triduum autem elapsum à Sixti martyrio, (sicut ipse prædixerat) nempe quarto Idus Augusti, primarius diaconorum Ecclesiæ Romanæ LAVRENTIVS, clarissimus athleta fidei, perillustre certamen obiens, post alia diuersa tormenta, demum craticulæ impositus, igneque assatus, nobilissimam martyrij, cuius erat appetẽtissimus, coronam ibidem Romæ consecutus est. Extant eius Acta præsui excellentia diuerso scriptorũ genere contestata, nempe oratione soluta SS. Patrum *d* encomiis celebrata, atque poesi *e* egregiè decantata; eademque ore omnium peruulgata. Cuius celebritatem solemni cultu non solum Latini, sed & Græci agere consueuerunt. Quæ autem habentur à Metaphraste, & ab aliis ex eo recitata eiusdem Laurentij Acta, haud sane pristina illa à Notariis excepta videntur, sed ab aliquo alio scripta, quibus & quæ à Patribus de S. Laurentio dicta essent vna adtexta fuerint: siquidem nonnulla habent, quibus historica veritas refragatur. Porro ipsum fuisse Hispanum, in Rebus gestis S. Damasi expressum habetur: de cuius consanguineis, qui res Hispaniarum prosecuti sunt, agunt. De miraculis autem ad Reliquias eius patrari solitis, pluribus Gregorius *f* Turonensis; & de sepultura, ac prodigiis quæ aliquando in ea acciderunt, deque eiusdem *Craticula* multis miraculis illustrata, Gregorius *g* Papa.

Sed quod multorum testificatione iidem Sixtus & Laurentius in persecutione Decij passi dicuntur, quos certissimè constat *a* sub Valeriano Imperatore, iisdemque huius anni Coss. quibus & Cyprianus passus est, necatos esse: cur quæ sub Valeriano facta est persecutio, Decij etiam nomine consignata aliquando reperiatur, sæpe dictum est superius. Sed & sub vno typo *Leonis*, persecutionem Decij & Valeriani fuisse à Daniele ostensam, scribit Optatus *b* Mileuitanus. Cum igitur hoc anno dicta die Sixtus occubuerit; respectu habito ad tempus eius ingressus, dicẽdus est sedisse annum vnum, minus diebus decem & octo: & ex iisdem erroris argui posse videntur, qui longius tempus, pluresque quam vnam Ordinationem ei tribuunt. Postquam vero sedes vacasset dies triginta quinque, substitutus est in locũ eius pridie Idus Septembris DIONYSIVS natione Græcus, qui aliquãdo monasticam vitam in solitudine egerat; quẽ à Maximo Episcopo Ostiensi consecratum fuisse, habent Acta S. Laurentij. Sane quidem antiqui moris fuisse, vt Romanus Episcopus consecraretur, ab Episcopo Ostiensi, testis est etiam Augustinus *c*.

a *Cypr. ep.* 82. *Pont. in Vit. Cypria.*

b *Opt. lib.* 3.

DIONYSIVS PAPA.

c *Aug. Breuic. collat. die* 3. *c.* 16.

Hoc eodem anno iisdemque Coss. Basso & Fusco, *S. Cyprianus* Episcopus Carthaginiẽsis, post integrum annum in exilio consumptum, inde ad necem reuocatus, iussu Galerij Maximi tunc Africæ Proconsulis qui Paterno successerat, secundum reuelationem diuinã longe antea ipsi tam de morte, q̃ etiam de genere mortis prænunciatam, volens, libensque, primus omnium Episcoporum Carthaginiensium, insigne martyrium subiit capitis abscissione. Qui cum accepisset, missos esse qui eum perducerent Vticam vbi ageret Proconsul; quod iniquo animo ferret alibi quam in Ecclesia sua martyrium subire, paululum interim secedens, tunc se prodidit cum Proconsul reuersus est Carthaginem: de cuius animi consilio extat perbreuis ipsius Epistola *d* ad suos ex eodem secessu scripta; eademq; omnium nouissima, quam martyrij iam candidatus cõscripsit. Res autem accidit ex sententia: nam etsi non intra Carthaginis mœnia, in conspectu tamen vniuersorum ciuiũ, tam fidelium quam infidelium, ad locum martyrij concurrentiũ, (Fuit is *Sexti* dictus, sexto ab vrbe distans lapide) Proconsuli præsentatus, & fidem Christi fortiter confessus, acceptа capitis damnationis sententia, intrepide, *Deo gratias*, inquit, *quime à vinculis huius corporis dignatur absoluere*. Post inde ad locum supplicij ductus, iussit spiculatori se ferienti viginti quinque aureos dari, capite truncatus est decimo octauo Calen. Octob. Christianis linteamina & oraria ante eum ponentibus, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra: ac demum cũ cereis & scholaribus *e*, Christiano ritu, magno triumpho sepultus est. Quomodo autem hæc omnia se habuerint, qui ea præ oculis habuit Pontius eius diaconus accuratissimè descripsit; cuius lucubrationis honorificam Hieronymus *f* mentionem facit: eademque ferme continentur in fidelissimis Cypriani passionis Actis *g* tunc à Notariis exceptis. In quibus & illud additur, post paucos ab eius nece dies, Galerium Maximum Proconsulem decessisse.

d *Cypr. ep.* 83.

e [Pro *Scholaribus*, (quã vocem, diuersarũ classium clericos, Baron. interpretatur) legendũ potius videtur *scolaeibus*, hoc est, facibus: ex Isidoro 20. Orig. 10. & Pet. Damiano 6. ep. 7.]

f *Hieron. de Script. Eccles. in Pont.*

g *Diximus de illis an. super. ad num.* III.

IV. CYPRIANI MARTYRIŨ.

Quod vero pertinet ad martyris Cypriani memoriam; auctor est Victor *h* Vticensis Episcopus, duas insignes basilicas, veluti egregia tanti viri victoriæ trophæa, fuisse erectas; alteram ad Sexti vbi passus, alteram in Mapalensi via vbi sepultus est. Sed & Augustinus *i* testatur, locum illum vbi sanguinem fudit, dici postea cœpisse *Mensam Cypriani*, ob altare illic in eius honorem Deo erecti. Eius vero natalem diem æque Orientales annua celebritate frequentarunt; vt Gregorius Nazianzenus est testis, qui eadem die egregiam in eius laudem habuit orationem. Cum autem eius lucubrationes ore omnium in Ecclesia sint celebratæ; Gelasius *k* Papa eiusdem Opuscula inter Apocrypha reposuit: nempe intelligens (vt putamus) editos ab eo de rebaptizatione hæreticorum tractatus: reliqua namque sunt eiusmodi, vt ea cum Latini tum Græci fuerint inoffenso pede magna admiratione sectati. Quis autem in sede Carthaginiensi ei subrogatus fuerit; quantũ ex Optato *l* colligere licet, fuit *Lucianus*, post quem *Mensurius* tempore Diocletiani, ac deinde *Cæcilianus*, de quo plura suis locis.

h *Vict. de persec. Wandal. lib.* 1.

i *Aug. ser.* 313. *de diuers.*

k *Con. Rom. de lib. Apocry.* ET SCRIPTA.

l *Opt. lib.* 1.

Cæterum eodem die & loco, quo Cyprianus, passos esse quatuor alios SS. Martyres, habent tabulæ *m* Ecclesiasticæ.

VI.

m *Martyr. 14. Sept.*

a *Cypr. ep.* 82.

b *Martyrol. Rom.* 6. *Aug.*

c *Prud. hym.* 2.

d *Ambros. 1. de offic. 41. & li. 2 c. 28. Aug. tract. 27. in Ioan. & ser. 3. de Sanct. & ser. 37. 38. 111. 123. de diuers. Max. Taur. ser. 12. 13. Leo PP. ser. 1. Pet. Chrysol. ser. 135. & alij recent.*

e *Prudent. in hym.*

f *Greg. Tur. de glor. mart. c. 42.*

g *Greg. PP. 3. ep 30. & 2. cap. 33.*

III.

ALII MARTYRES AFRICANI. Quæ vero hic sequuntur de Martyribus Occidentalibus, habet Baron. dijuje hoc & seq. an. quæ nos breuiter in vnum collegimus, cum omnium fere incerti sint anni.

sticæ. Adeo namque incaluerunt corda Fidelium (quod Acta Passionis eius testantur) ipsius martyrio, vt omnes optarent cum illo mori, idq; magnis clamoribus expeterent. Haud enim sic grassabatur persecutio in Carthaginiensem Ecclesiam, vt cūctos quos scirent Christianos, Magistratus ad negationem cōpelleret (quod enim cuncta loca Christianis referta essent, impossibile videbatur in omnes animaduertere:) sed tantum ministros Ecclesiarum, quos præcipue inter illos enitere conspicerent, qui & fidei capessendæ ceteris auctores viderentur, vel eos qui aliquo alio modo prouocassent Magistratuum inuidiam. Itaque post Cypriani necem, & mortem Galerii Proconsulis, antequā successor alicui eorum datus esset, sub Solone Procuratore Fiscali, plecti que ministri eiusdem Ecclesiæ Carthaginiensis, cum nonnullis aliarum Episcopis: martyrium passi reperiuntur a: quorum extant germana Acta ab iis qui tunc aderant scripta, vna cum epistola ab iisdem Martyribus adhuc in carcere constitutis ad reliquos Fideles data, qua etiam videre est multos ex iis à Christo diuersis visionibus ad pœnarum tolerantiam esse roboratos, ac de martyrio certiores redditos. Passi sunt pariter eadem Valeriani persecutione (sed quo anno ignoratur) apud Carthaginem trecenti martyres, dicti *Massa candida*, quod cum esse in fornacem calcariam, ipsis præparatam nisi Iouithus incendere nt, impellente diuino spiritu coniecissent, ex cineribus eorum calci permixtis vna candida massa constata fuerit. Relatum est ipsorum martyrium in Tabulas b Ecclesiasticas, quod Prudentius c sacro hymno celebrauit, & Augustinus d in die eorum natali tractatum habuit ad populum, cuius meminit Possidius in Indiculo. Sed inter totius Africæ carnificinas hac Valeriani persecutione peractas, illa ceteris immanior fuisse videtur, quæ in Numidia hoc ipso anno, qui vltimus huius persecutionis censetur, tam in clericos quam in laicos facta comperitur: de qua, variisque diuinitus eis ad futurum martyrium ostentis visionibus extat f ab vno ex confessoribus illis, iam martyre designato, inlignis scripta epistola: eorumdem vero commemorationem Ecclesia g celebrat.

a *Ibid. 6. Cal. Mart.*
b *Ap. Sur. 24. Febr.*
b *Martyrol. 24. Aug.*
c *Prud. hym. 13.*
d *Aug. Ser. 112. de diuers.*
e *Ap. Sur. 30. April.*
g *Martyrol. Rom. 3. Cal. Maii.*

VII.

Romæ quoque eadem persecutione (sed annis incertis) multi reperiuntur passi martyres omnis sexus & conditionis, quorum æque nomina relata habentur suis diebus in Tabulas Ecclesiasticas: atq; inter alios *Eugenii* h virginis filiæ *Philippi* Augustalis præfecti, de qua, eiusq; patre dictum est superius. Sed & in aliis Occidentalis Orbis prouinciis, alii pene innumeri passi sunt, quorum nomina exciderunt. Illustriores vero in Galliis habentur, *Priuatus* Episcopus Gabalitanus, *Florentius* item Episcopus Viennēsis, & *Pontius* ille, cuius opera superius dictum est Philippos Augustos ad fidem esse conuersos: quem perperam nonnulli confuderunt cū *Pontio* Cyprianidiacono, qui tamen & ipse sancto fine quiescens, relatus est in Tabulas Ecclesiasticas, sed diuerso ab illo die. Hispaniam quoque martyrio illustrarunt *Fructuosus* Episcopus Tarraconensis, & *Augurius* atq; *Eulogius* eiusdē diaconi, qui omnes igne cremati, aperte visi sunt coronati cælum conscendere: iidemque paulo post Æmiliano Præsidi, qui eos damnauit, insultantes apparuere. Extant i Præclara fidelissima eorum Acta, quæS. Augustinus k in Ecclesia legi consuecisse tradit, rectaque nonnullas ex illis sententias, integra vero ferme sacro hymno cecinit Prudentius l. Quod autem nonnulli istorum Occidentalium martyrum passi dicuntur sub Gallieno Imperatore, non quidem id accidit quod cessante Valeriano fuerint martyrio coronati, (quandoquidem, vt dicemus, Gallienus capto à Persis patre, mox persecutionem cessare iussit) sed quod solus Gallienus in Occidente imperaret, Valeriano agente cum exercitu in Oriente.

h *Ibid. 25. Dec.*
MARTYRES IN OCCIDENTE.
i *Ap. Sur. 21. Ianuar.*
k *Aug. ser. de diuers. 101. cap. 2.*
l *Prud. Perist. hym. 6.*

VIII.

Denique haud prætermittimus hic dicere, fastu glorioſos Nouatianos falso iactare solitos, *Nouatianum* suæ ipsorum sectæ auctorem, ante S. Cyprianum martyrium consummasse: quod Pacianus m aduersus Sympronianum hæc iactantem scribens refellit. Sed nec Socrates n, & ipse Nouatianus, dum illud ipsum scribit, vllo certo affirmat auctore. Sane quidē sicut de nonnullis Marcionitis, & aliis diuersarū hæresum assertoribus, qui necē subierunt, scriptores Ecclesiastici absq; inuidia scriptis prodiderunt, nō existimandum de Nouatiano tacuisse, si id aliquo modo factum nouissent: sicut nec S. Hieronymus, eius scripta quæ post se reliquit, recensere prætermisit.

m *Pacian. ep. 2. de Catholicum.*
n *Socr. lib. 4. cap. 23.*

Hoc eodem anno iisdemq; Coss. INGENVVS qui Pannonias regebat, à Mœsiacis legionibus Imperator appellatus, per Celerem Verianum victus atq; prostratus est vicissente Gallieno seuerissime, etiam in senes & pueros qui ab eō steuissent. Sed hæc fusius Trebellius à Pollio.

IX.

a *Trebel. de 30. Tyran. in Ingen. 8.*

IESV CHRISTI AN. 262.

DIONYSII AN. 2.

VALER. & GALLIENI } AN. 8.

ANno Christi ducentesimo sexagesimo secundo, perperam Fastis à Cassiodoro & aliis eum secutis, Fulvius Æmilianus & Pomponius Bassus ponuntur Coss. quorum loco reponendos esse constat Gallienū quarto & Valerianum Iuniorem, quem alii legunt Volusianū, licet eos magno sane præiudicio rectæ chronologiæ, alii reiecerunt post sequentem annum, sicut & anno qui præsentem sequitur, superuacaneum addiderunt Consulatum Secularis atque Donati. Cæterum anno præsenti, qui sequitur Consulatum Memmii Tusci, eosdem Gallienum & Valerianum creatos esse Coss. ordinarios, iisdemq; vndecimo die Calendarum Iuniarum suffectos esse Aurelianum & Crinitum, satis declarat Vopiscus in Aureliano. Cui etiam consentiunt antiqui nummi b, in quibus quartus Gallieni Consulatus iungitur cum octaua eiusdem Tribunitia Potestate, hoc est, anno eius Imperii octauo, nempe præsenti, secundum initam à nobis superius supputationem.

1. COSS. HVIVS ANNI.

b *Ap. Adolph. de Num.*

Hoc igitur anno cum Valerianus Senior aduersus Persas duceret exercitum, proditione siue Macriani, siue alterius cuiusdam sui ducis captus est à Persis: quod quidem hoc anno sexto eiusdem Imperatoris ab obitu Galli numerādo, vel octauo secundum stabilitam à nobis supputationē contigisse, tum ex iis quæ superius ex Dionysio Alexandrino dicta sunt, tū etiam auctore Trebellio c Pollione & Eusebio d liquido constat. Idem vero à Sapore Rege in Persidem abductus, non solum nullis valuit complurium Regum fœderatorum petitionibus, quas recitat Trebellius e, dimitti, sed & ob insignem ignominiam, (quod restantur Aurelius Victor, Eutropius, & alii) quamdiu ipse vixit, Sapores eo incuruato, pede calcans ceruicē, quasi suppedaneo vsus subsellio, equum conscendere consueuit: vltione hac profecto dignus, qui Christianam religionem pedibus toties proculcauerat. Immo & tandem iussum esse excoriari, saleq; condiri, in sempiternum eius infortunii trophæum, Constantinus f Magnus pro concione asseruit.

II. VALERIANVS IMPICAPTVS A PERSIS.

c *Trebel. in Gallie.*
d *Eus. in Chr.*
e *Treb. in Valer.*
IGNOMINIOSE HABETVR.
f *Const Mag. orat. ad S. Coet. cap. 14. ap. Euseb.*

Hunc igitur in modū sublato Valeriano, MACRIANVS dux collecto exercitu, cui cum *Balista* præerat, Imperium vsurpauit: cum & pariter Gallieni contemptu, ignauissimam ac luxuriosissimam vitam Romæ agentis, AVREOLVS in Illyrico VALENS in Achaia, PISO in Thessalia, ÆMILIANVS in Ægypto in Galliis POSTHVMVS, & alii alibi à militibus suis oblatum sumpserunt Imperium. At ne in his diutius immoremur, alios q; ex iis ortos Imperatores minusculos referre, & mutuas inter eos cōflictationes enarrare, cum non sit nostri instituti, qui hæc cupit, consulat Trebellium Pollionem in libro quem contexuit de TRIGINTA TYRANNIS, qui diuersis temporibus, atq; ex iis nonnulli imperante adhuc Valeriano, rebellarunt. Illud tamē plane magna admiratione dignū est, vt aduersus tot fortissimos duces (quales fuisse eos omnes, Trebellius testatur) Gallienus, homo non solum impurissimus, sed & ignauissimus, maxima eorum parte per alios eius duces, vel mutuis ipsorum armis sublata, securus diutius regnauerit, inuito licet Senatu, & exercitibus. Sed vnde hæc tantaci contigerint, ex Dionysii g Alexandrini scriptis rimari causam licet, nimirum quod sicut Valerianus pater eius vir fortissimus tamdiu florentissimum est moderatus Imperium, quamdiu de Christianis bene est meritus, sed eodē in illos sæuiente, in-

III. DE TRIGINTA TYRANNIS. *Ap. Baro. hoc an. & 264.*
g *Ap. Euseb. lib. 7. hist. 9.*

GALLIENVS PACEM REDDIT ECCLESIIS.

a *Treb. in Gallien. & de 30. Tyran. Oros. l. 7. c. 22.*

b *Euseb. l. 7. hist. 12.*

uersa mox fuit summa felicitatis alea: sic econtra Gallienus ignauus & socors, quod pacem concessit Christianis, aduersus tot tyrannos, aliosq; barbaros vndiq; erumpentes, tenuit tot annis Imperium. Quamuis enim natura *a* læuissimus esset, nec parte remissiori in iisdem Christianis persequendis antehac extitisset: his tamen cladibus commonitus, euestigio furentem adhuc persecutionem compressit, antiquatisque prioribus contra Christianos promulgatis edictis, noua pro illis edidit, quæ recitat Eusebius *b*, quibus & conuentus agendi, & cœmeteria adeundi, aliaque omnia de more agendi facultatem concessit: quo etiam nomine à Dionysio laudatur. Accidit tamen inuidia quorundã, vt in summa Ecclesię pace *Marnis* insignis militia vir, librum Euangeliorum præferens gladio quo cingebatur, quod Christianus esset, martyrio coronatus fuerit Cæsareæ Palæstinæ: cuius corpus Asterius, siue Astyrius, nobilissimus Senator Romanus, qui ei in martyrio præsto fuit, propriis humeris sublatum, splendide sepeliuit. Testatur hæc Eusebius *d*: qui & de Astyrio addit, eum aliquando Cæsareæ Philippi, dæmonem homines ludificantem pia oratione coercuisse.

c *Ibid. c. 18.*

d *Ibid. c. 14. Martyr. Rom. 3. Mart.*

IV.

Hoc item anno octauo Valeriani Imperatoris, sexto vero ab obitu Galli & Volusiani Demetrianus Episcopus Antiochenus ex hac vita decessit: in cuius locum substitutus est *Paulus Samosatenus*, de quo supe inferius.

IESV CHRISTI AN. 263.

DIONYSII AN. 3.

GALLIENI AN. 9.

I.

a *Ap. Panuin. in Fast. & Adelph. de num.*

ANno Christi ducentesimo sexagesimo tertio, Fastis adiicitur à Cassiodoro Coss. Gallienus quintum & Victorinus, vel (vt alii Fasti habent) Faustinus: hisque consonant nummorum antiquorum inscriptiones *e*, quibus annus nonus Imperii Gallieni, ex nona Tribunitia Potestate monstratus, eiusdem Consulatui quinto coniungitur.

II.

b *Treb. in Gallie.*

c *Plutar. in Flac. Imag. sap. Dio l. 39 Theod. de 30. tyran. in Æmil. Vopisc. in Saturn.* PESTE ALEXANDRINÆ.

Quo anno Romanum Orbem peste, fame, bello, terræmotibus, aliisque cladibus dirissime vexatum esse, testis est Pollio *f* Trebellius. Eodemq; tempore Ægypto iisdem malis immaniter affecta, vibs quoque Alexandrina, ciuilibus factionibus fere ad interitum perducta est, cum ciues familiari furore, quo vel ex leuissimis causis ad maximas cædes, & ad summa Reipublicæ pericula perducti consueuerãt, ob cæsum à milite seruum curatoris qui Alexandriam tunc regebat, quod dixisset crepidas suas meliores esse quam militis, aduersus Æmilianum Ducem insurrexerunt: Æmilianus vero coactus sumere ad tutelam sui, Imperium, strenue in eo se gerens, paulo post à Theodoto duce Gallieni obsessus in ipsa vrbe Alexandrina, captusque strangulatus est more veterum in carcere. Narrantur hæc à Trebellio: meminitq; eorumdem tumultuum, necnon famis ac pestis quibus tũc eadem ciuitas immensum laborauit, itemque officiorum à Christianis erga obsessos, & indigentes, ac ægros, atque defunctos, exhibitorum, Eusebius *h* ex scriptis Dionysii Alexandrini Episcopi, qui nuper post limino reuersus, spontanea rursum secessione hos tumultus euitare delegit; testatus hæc omnia à Deo immissa esse, in vltionem effusi innocentis sanguinis Christiani. Porro eorum qui peste laborantibus ingenti charitate ministrantes, mortem libentissime oppetierunt, (quos non paruo numero tam ex clero quam ex populo fuisse, apud eumdem auctorem narratur) adeo remansit illustris memoria, vt anniuersaria celebritate recolenda adscripta sit Tabulis Ecclesiasticis pridie Calendas Martii.

h *Euseb. 7. hist. 20. 17. 26.*

III.

Oros. l. 7. c. 22. IMMENSÆ CLADES ROMANI IMPERII.

Sed quod de vltione diuina diximus, eiusmodi quoque Dei iudicium diligenter examinans Orosius *i*, eadem de causa factum ait, vt non solum persecutionis iussor Valerianus male perierit, sed etiam executores, delatores, accusatores, spectatores, ac iudices, postremo omnes qui iniustissimæ crudelitati vel tacita voluntate assensi essent, eadem vltionis plaga correpti fuerint: cum (vt ait) solutæ vndique ad hoc circumpositæ gentes, in omnes Romanos fines inuehi cœperunt, ac Germani Alpibus, Rhætia, totaque Italia penetrata, Rauennam vsque peruenerunt, Alemanni Gallias peruagantes, etiam in Italiam transierunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, Gothorum est inundatione deleta, Daciaque trans Danubium in perpetuum ablata: Quadi & Sarmatæ Pannoniam depopulati sunt, Germani vlteriores abrasa potiti sunt Hispania, Parthi Mesopotamiã abstulerunt, Syriamque corrasserunt. Meminit quoq; earumdem barbaricarum incursionum Trebellius: additq; tunc à Scythis, hoc est parte Gothorum, Asiam vastantibus, Dianæ Ephesiæ templum (quod tamquam eximium Orbis miraculum vniuersa Gentilitas admirabunda spectabat, de quo dictum est alio loco) despoliatum esse atque incensum. Sed & eadem irruptiones ad Christianæ fidei propagationem magnopere contulisse, Sozomenus *a* aliique testantur: quod videlicet multi Christiani sacerdotes facti captiui, & in exteras regiones abducti, cum vitæ sanctitate, tum miraculis & prædicatione quamplurimos ad fidem Christi perduxerunt.

i *Oros. l. 7. c. 22.*

a *Sozom. l. 1. c. 5. Nicepho l. 8. c. 33.*

FIDEI CHRISTIAN. PROPAGATIO PER CAPTIVOS IACTA.

IV.

GREGORII THAVMAT. EPIST. CANONICA.

b *Ap. Theod. Balsam. & in Bibl. Patr.*

Hoc item ipso tempore quo Gothi Pontum incursarunt Magnus ille Gregorius Thaumaturgus Neocæsareæ primariæ eius prouinciæ ciuitatis Episcopus, ad emendationem complurium delictorum quæ tũc perpetrata fuissent, eam Epistolam scripsit quam Græci Canonicam vocant, quæque in canone ad Sextam Synodum appositio inter alias epistolas canonicas annumerata est: quæ & hactenus extat *b* delinquentium, ac pœnitentium, aliorumq; ad ecclesiam conuenientium classes & loca distincta pulchre referans. Hisque item prope temporibus, idem Gregorius commentarium *De Expositione Fidei* aduersus Ælianum cõscripsit, quo vt illatam ab eo calumniam confutaret, qua dicebat Christianos plurium Deorum esse cultores, eo quod Trinitatẽ colerent personarum, dum vnam essentiam diuinam Ethnico homini demonstrare conatus est, quibusdã impropriis vocib. visus diuinas confudisse personas, à nonnullis calumniam passus est quasi hæresi faueret Sabellii, quę (vt vidimus) sicut vnam tantum substantiam in Trinitate, ita & vnam pariter personam prædicaret. Sed eum S. Basilius *c* defendens, ostendit ipsum sententiam suam aduersus Sabellium probe reliquisse testatam: quin & ipsam Sabellii hæresim, traditione eiusdem Gregorii in illis partibus consopitam fuisse affirmat.

c *Basil. ep. 64. ad Neocæs.*

V.

DESCRIPTIO DIONYSII ALEX. CONTRA SABELLIVM.

Contra vero cum hoc ipso tempore, eadem hæresi Sabellianã in Ægypto & Pentapoli, vnde oriebatur, validius ab ipso eius auctore propagatã, Dionys. Episcopus Alexandrinus erudite aduersus eam ad Ammonium & Euphranorem scripsisset; dum personas accuratius distinguere curaret, in contrariam inflecti visus est partem, nimirũ diuinas personas non tantum dixisse, suis proprietatib. singulis attributis, sed etiam substantia diuisisse ab inuicem. Quapropter à Pentapolitanis quibusdam læsæ fidei reus factus apud Romanum Pontificem, eodem quoq; tunc nomine Dionysiũ appellatum; cum in ea causa *Romæ* SYNODVS Episcoporum celebrata esset, idem Alexandrinus ab ea monitus sententiam suam declarare, Apologiam ad prędictum Romanum Pontificem scripsit, qua se defendens à calũniis illatis, ægregie fidem Catholicam sartam tectam custodiuit, eidemq; Pontifici in omnibus satisfecit. Hæc autem ita gesta esse, testatur S. Athan. eiusdem Alexandrinæ Ecclesiæ posteà Episcopus, tum in cõmentario *de Synodis*, tum maxime in libro quem *de Sententia Dionysii* conscripsit aduersus Arianos, qui Dionysium suæ ipsorum opinionis iam olim fuisse professorem falso iactarent: quos refellẽs Athanasius, docet Dionysium recte in omnibus de fide Catholica sensisse, & quæ ambigue alicui dixisset, eadem postmodũ multis aliis suis scriptis dilucidius explicasse; ac præcipue illis quæ ad sui cognominem Romanum Pontificem scripsit: quæ quidem quatuor libris fuisse comprehensa, Eusebius *d* atq; Hieronymus *e* testantur. Sed qui hæc ignorarunt, & minus legerunt quæ pro Dionysii defensione scripta sunt ab Athanasio, non dubitarunt eundem Dionysium post etiam accusare quod Arianis arma subministrasset: puta Basil. *f*, & Gennadius *g* Massilienses: quanquam Basilius, re postea cognita

d *Euseb. 7. hist. 26.*

e *Hier. de Scr. Eccl. in Dionys. Alex.*

f *Basil. ep. 41. ad Max.*

g *Gennad. de Eccles. dogm.*

de co-

de eodem vt de Orthodoxo honorifice meminit a. Deceptus vero & in eo est Ruffinus b Aquileiensis, dum existimauit Dionysii qui videntur errores, non fuisse ab eo conscriptos, sed ab Arianis additos: nihil enim huiusmodi Athanasius eum defendés causatur, sed illa vt ab eo sunt scripta, integra atq; sincera perseuerasse indicat, quibus ipsum recte sentisse perspicue innotesceret.

a *Basil. ad Amphil. de Sp. S. c. 29.*
b *Ruff. de adult. lib. Orig.*

VI. SUPREMVM ECCLESIÆ TRIBVNAL.

Ceterum ex his quę in eius causa, testimonio eiusdem Athanasii, Romæ iudiciali examine apud Dionysium Papam facta noscuntur, non est qui nō videat Romanæ Sedis prærogatiuam, ad quam ex principalioribus, pariterq; remotioribus Orbis Ecclesiis, causæ Episcoporum, ac fidei, deferri solerent ab eius Pontificibus iudicandæ, ac definiēdæ. Nec verō his contentus Dionysius Papa, nec satis sibi visus damnasse cum dogmate impium Sabellium, etiam contra illius sectatores edidit commentarium, aliumque rursum aduersus oppositam ei sententiam, quam postea Ariani amplexi sunt; cuius vtriosq; commētarii idem Athanasius c meminit: ex quibus plane videas ipsum Dionysium Romanum Pontificem, vt quisque declinaret extrema, mediam sternentem viam, sinceræ fidei veritati omni ex parte prospexisse.

c *Athan. ep. Arian. bar. decr. & de sent. Dionys. cont. Arian.*

IESV CHRISTI AN. 264.

DIONYSII AN. 4.

GALLIENI IMP. AN. 10.

I. NEPOS ASSERTOR MILLENARII.

ANno Christi ducentesimo sexagesimo quarto, Albino & Maximo Coss. quiescente à bellicis tumultibus Ægypto, Ecclesia in ea posita nonnihil fuit exagitata per *Nepotem* quendam Episcopum Catholicum, qui sententiam illam de *Millenario* ab aliis iam (vt vidimus) magni nominis viris assertam, necdum ab Ecclesia Catholica omnino proscriptam, adeo vehementer scriptis voluminibus propugnauit, vt complures sibi adsciuerit sectatores. Sed huic malo Dionysius Episcopus Alexandrinus occurrens, eandem opinionem iam in hæresim erumpentem, cum scriptis contrariis, tum viua voce compressit. Quomodo autem se ista habuerint, Eusebius d ex iisdem eius scriptis declarat. Testatur vero etiam Hieronymus e, ab eodem Dionysio scriptum fuisse commentarium aduersus Irenæum eiusdem olim sententiæ assertorem. Idemque asserit, eumdem Dionysii aduersus Nepotem commentarium, postea Apollinarem Laodicenum Episcopum contrariis scriptis ausum esse impugnare, de quo dicetur suo loco.

d *Euf. 7. hist. 19.*
e *Hier. præf. lib. 8. in Isa.*

II. PORPHYRIVS VENIT ROMAM. *De illo Baron. hoc an. & 302.*

Hocipso anno decimo Imperii Gallieni, PORPHYRIVS philosophus secta Platonicus, Christianæ religionis hostis infensissimus, è Græcia Romam venit annos triginta natus, & Plotino adhæsit eiusdem sectæ tunc facile principi, quem iam olim ad eamdem Vrbem aduenisse vidimus. Narrat hæc ipse Porphyrius in eius Vita. Porro Porphyrium fuisse patria Tyrium, Eunapius f tradit, sed Baranæotem (quæ est ciuitas in Iudæa) S. Hieronymus g appellat. Nempe Tyrius ille dici voluit potius quam Batanæus, pertæsus Iudæum genus. Addit vero Eunapius, fuisse ei initio nomen *Malchū*, quod Syrorum lingua Regem sonat, sed detorta appellatione ad purpuram regiam, *Porphyrium*, veluti purpureum, eum nominasse Longinum, apud quem sublimibus studiis eruditebatur. Fuisse autem aliquando Christianum, sed non ferentem Cæsareæ Palæstinæ maiorum iustam reprehensionem, esse factum desertorem, Socrates h ex Eusebio tradit. Sane cū ipsemet de se Porphyrius i testetur, se adeo ad iracundiā & furorem præcipitem fuisse, vt aliquando seipsum interimere cogitauerit, nisi à Plotino demotus esset, haud mirum si tam indomita fera minime valuerit cum Christi ouibus esse, & si moribus sic comparatus truculentus apostata, canina rabie in Christianos debacchatus fuerit. Sed de his alias k.

f *Eunap. in Vit. Philos.*
g *Hier. præf. in ep. ad Gal.*
h *Socr. lib. 3. cap. 19.*
i *Porphyr. in Vit. Ploti.*
k *Infr. an. 302.*

III. DEPLORATA CONDITIO PHILOSOPHORVM IN SVIS DOGM. PROPAG.

Interim vero ipsum Plotinum idem auctor tradit tentasse agere cum Gallieno, à quo habebatur in honore, vt dirutam quamdam olim in Campania ciuitatem instauraret, concederetq; Platonicis philosophis inhabitandam, qui eam *Platonopolim* appellarent, & Platonis legibus gubernarent, sed quosdam Imperatoris familiares, ne id fieret, inuidia vel indignatione, vel alia iniqua de causa obstitisse: Ex quibus plane consideres inopem Philosophorum conditionem, dum post tot sęcula, vbique gentium promulgata quæ sanctiora videbantur Platonica dogmata, nec id efficere potuerunt vt in toto Orbe vel vnica ciuitatula ex eorum præscripto regeretur: cum econtra Christiana religio piscatorum ore vulgata, totum plane Orbem repleuerit, gentesque omnes vi quadam diuinitus insita coegerit patrios & inolitos mores omnino relinquere, aduersariasque propriis concupiscentiis leges amplecti, ac easdem vitæ quoque dispendio profiteri.

IESV CHRISTI AN. 265.

DIONYSII AN. 5.

GALLIENI IMP. AN. 11.

I. ODENATVS IMPERAT IN ORIENTE.

ANno Christi ducentesimo sexagesimo quinto Gallieno Imperatore sextum & Saturnino Coss. (inquit Trebellius) ODENATVS Palmyrenorum in Syria Princeps obtinuit totius Orientis Imperium, fortibus factis se tantæ maiestatis insulis dignum declarans, Gallieno interim aut nullas aut luxuriosas, aut ineptas & ridiculas res agēte. Hęc Trebellius a, qui res ab Odenato fortiter aduersus Persas (quos & fugauit, & occupatis Nisibi & Carris, Ctesiphontem vsque peruenit) in vindictam Valeriani gestas, plurimis prosequitur: traditq; eumdem captos Satrapas, insultandi prope gratia, & ostentandi sui, ad Gallienum misisse: cumque ii Romam deducti essent, vincente Odenato triumphasse Gallienum, & Odenatum vocasse Augustum. Erat Odenato coniux insignis pudicitiæ atq; prudentiæ femina, ZENOBIA dicta, quam idē Trebellius mirifice laudat; quæque scientiis erudita, vsa est in Græcis litteris Longino philosopho præceptore, vt tradit Vopiscus b. Sed & cupida Christianarum litterarum, male consulta adsciuit sibi magistrum Paulum Samosatenum Episcopum Antiochenum hæreticum, qui eam docuit Iudaizare, vt tradit Philastrius: c immo & ipsam fuisse Iudæam, Athanasius d asserere videtur. Nicephorus e vero ait, Paulum cum illam Iudaizantem ad rectam fidem reducere vellet in hæresim Artemonis impegisse.

a *Treb. in Gallie. & de 30. Tyr. 28.*

ZENOBIA INSIGNIS FEMINA.

b *Vopis. in Aurelia.*
c *Philast. de hæres. cap. 65.*
d *Athan. ep. ad Solitar.*
e *Nic. lib. 7. cap. 27.*

II. DE PAVLO SAMOSAT. EPISC. ANTIOCH.

Sed vt de PAVLO SAMOSATENO expressius agamus, quod primum ad rationem temporis spectat, cum illum ab vtroq; Dionysio Romano & Alexandrino damnatum esse, constet auctoritate S. Athanasii f, haud subsistere potest quod S. Epiphanius g ait, ipsum tempore Aureliani & Probi Imperatorum creatum fuisse Antiochenum Episcopum, cum certum sit neutrum Dionysium ad illa tempora peruenisse: multo vero minus fidei habebit, quod Euthymius & siqui alii Græcorum affirmarunt, eumdem Paulum Manichæa matre natum, cum ipse hæresis auctor Manes nonnisi eiusdem Aureliani Imperatoris temporibus innotuerit. Impia autem sua dogmata videtur ipse Paulus aliqua ex parte à Sabellio mutuatus, dum nullam admittens in diuinitatis substantia personarum distinctionem, sed sicut vnum Deum, ita pariter vnam personam dicens Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, totam Ecclesiæ de sanctissima Trinitate doctrinam cum Sabellio atque Iudæis penitus abstulit: verum à Sabellio discrepauit in eo, quod Sabellius cum vnam tantum affirmaret diuinam esse personam, ex necessaria consequentia æque introduceret Patris simul & Spiritus Sancti cum Filio incarnationem ac passionem; Paulus vero omnem prorsus auferens diuinæ naturæ cum humana coniunctionem, Christum hominem tantum, sed iustitia præditum fuisse diceret, sicque extinctam ferme reuiuiscere faceret Artemonis hæresim, de qua dictum est superius. Asserebat insuper, Verbum Dei in Christum venisse, & solum opetarum esse, & ad Patrem

f *Athan. de Synod.*
g *Epiph. hær. 65.*

IMPIA EIVS DOGMATA.

trem qui illud spirauerat reduisse. Tradit hæc de Paulo Epiphanius.

Ex epistola quoque Dionysii Alexandrini, aduersus eumdem Paulum scripta a tempore prioris Concilii Antiocheni contra eumdem collecti, plane idem Paulus detegitur duas constituisse Personas inter se disiunctas, Filium Dei Verbum, & Christum quem aiebat non fuisse ante Mariam nomenq; Filii Dei accepisse ex bona operatione ipsius. Certe quidem Nestorius accusatus fuit hæresis Samosateni, cum in duas personas Christum diuideret. Rursum etiam ex iisdem principiis de Christi humanitate perperam constitutis, aliam netatiam sententiam Paulus deduxit, vt diceret in Sacramento Eucharistiæ esse Christi sanguinem corruptibilem: quam blasphemiam idem Dionysius æque eadem epistola egregie retellens, manifeste docet non magis corrumpi Christi sanguinem viuum & viuificum in Eucharistia, quod diuidatur & effundatur, quã corruptus est Spiritus sanctus, cum diuisus est & effusus in Fideles. Cum autem aduersus detestandas Pauli impietates, mox vt innotuere, sancti Episcopi insurrexerint, id imprimis præstiterunt, qui cæteros dignitate & auctoritate antecellerent, Dionysius Romanus, & alter Dionysius Alexandrinus Episcopus, à quibus sublatum esse Paulum, S. Athanasius scribit: quod tamen sic accipiendum existimo, vt hi primum scriptis editis eius hæreses confutauerint, atque damnauerint. Nam & alios Episcopos bis ea de re conuenisse Antiochiæ constat, primum quidem anno sequenti, rursum vero tempore Aureliani Imperatoris, de quibus dicetur suis locis.

III.
a *Meminit eius Euseb. 7. Hist. 22. & Hier. de Script. Eccles. in Dionys. Extat autem ipsa à Turriano Latina facta, sed non integra edita, quã citat lib. de Sacram. Eucharist. cap. 10. & 11.*

ET OPPVGNATORES.

IESV CHRISTI AN. 266.

DIONYSII AN. 6.

GALLIENI IMP. AN. 12.

I.
b *Pagin. de Fast. & Hubert. in Gallie.* SYNODVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.
c *Euseb. 7. hist. 22.*

ANno Christi ducentesimo sexagesimo sexto, Valeriano Gallieni filio (vt nummi *b* declarant, non fratre, quod Trebellius existimauit, licet non abnuamus habuisse Gallienum eiusdem nominis fratrem, de quo postea) secũdum & Lucillo Coss. celebrata est *Antiochiæ* SYNODVS aduersus Paulum Samosatenum eiusdem ciuitatis Episcopum cui inter alios pene infinitos (vt inquit Eusebius *c*) Episcopos, cum presbyteris & diaconis, præcipui interfuerunt Firmilianus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæsariensis, ciusque frater Athenodorus pariter Episcopus Ponti, Helenus Tarsensis, Nicomas Iconiensis Hymenæus Hierosolymitanus, Theotecnus Cæsariensis Palæstinæ, & Maximus Bostrensis. Hæc autem non ante præsentem annum gesta esse, inde exploratum redditur, quod *Hymenæum* qui ei interfuit, nonnisi hoc anno Gallieni duodecimo in locum Mazabanis defuncti subrogatum esse, idem Eusebius *d* tradit. Nec vero post hũc annum eadem contigisse, tum eodem auctore cõstat, dum scribit Dionysium Alexãdrinum ad eamdem Synodum vocatum, cum non posset ipse ob senectutem & corporis infirmitatem eo accedere, interfuisse tamẽ per litteras aduersus Pauli errores scriptas, tum ex eo quod testatur Hieronymus *f*, easdem litteras scriptas esse paulo ante Dionysii obitum, qui accidit hoc ipso anno,

d *Id. in Chron.*
e *Id. d. cap. 22.*
f *Hier. in Dionys.*

II.

Ceterum Patres Synodi ipso primo confesse, ante omnia Catholicam fidem de Filio Dei, quam per maiorum traditionem *b* Apostolis accepissent, scripto editam declararũt, eamque ad ipsum Paulum ex Synodo miserunt, quæ & hactenus est conseruata *g*, præclarissimũ antiquitatis fidei Catholicæ monumentum. Post hæc autem, damnatam esse Pauli impietatem, ipsumq; cum promisisset se mutaturum sententiam, permissum esse in eadem Ecclesia Episcopum permanere, docent litteræ *b* Episcoporum, qui tempore Aureliani Imperatoris, posteriori conuentui eadẽ de causa itidem Antiochiæ celebrato interfuerunt. Quod si interdum liceat agere coniecturã, equidẽ arbitror mitius actum esse cum hæretico scelestissimo, vt recantata palinodia nullum

g *Rec. eam satis prolixam, post Turrian. Baron. Ann. To. II. ioc. an.*
h *Ap. Euseb. 7. hist. 24.* PAVLVS DOLOSE POENITENTIAM SIMVLAT.

sedis dispendiũ passus sit, quod illi faueret Zenobia eius (vt vidimus) discipula, quæ cum viro suo Odenato his temporibus Orientale Imperium possidebat, quam & S. Athanasius *a* eiusdem Pauli protectricem appellat.

a *Athan. ep. ad Solit.*

III.

Inter hæc vero insignem illum pietate & doctrina, cuius sæpissime meminimus, Dionysium Episcopum Alexandrinum, cum decem & septem annis eam Ecclesiam gubernasset, hoc ipso anno Imperii Gallieni duodecimo ex hac vita migrasse, Eusebius *b* & Hieronymus *c* testantur: ex quibus corrigas eiusdem Eusebii Chronicon, in quo Dionysii obitus ponitur anno Gallieni decimo. Eius Scripta iidem auctores recensent, de quorum nonnullis actum est superius: natalis vero dies tam in Orientali quam Occidentali Ecclesia decimoquinto Calẽdas Decembris anniuersaria memoria celebratur. Suffectus autem est in locum eius *Maximus*, quem interdum Maximianum inuenimus appellatum.

DIONYSIVS ALIX MORITVR.
b *Euseb. d. c. 22.*
c *Hier. in Dionys.*

Quod autem nec post hæc vlla amplius mentio habeatur de Magno illo Gregorio Thaumaturgo, quem diximus prædicta Synodo interfuisse, existimare nos admonet, ipsum quoq; haud diu post ex hac vita migrasse. Quare & improbatur sententia Nicephori *d*, peruenisse ad tempora Diocletiani, ac multo magis Suidæ superuixisse ad Imperium Iuliani; sed forte Iulianus ibi pro Gallieno positus legitur. Ceterum Gregorius (vt ait Nyssenus in eius Vita) vbi cognouit suum instare obitum, ciuitatem ac totam diœcesim suam perlustratus, cum septemdecim tantum Ethnicos in ea reperisset, gratias Deo egit, quod suo successori tot relinqueret simulacrorum cultores, quot ipse eius Ecclesiæ curam susceperat in ea Christianos inuenisset. Moriens vero mandauit necessariis suis, vt nullum proprium locum ei compararent ad sepulturã: quod sicut viuus non sustinuisset vocari alicuius loci dominus, sed inquilinus vixisset in alienis, ita post mortem vellet etiam esse inquilinus alienorum sepulchrorum. At licet ipse commune ceteris sepulchrum optauit, tamen corpus eius theca priuata repositum fuit, atque magno honore habitum, quod miraculis coruscaret. Adeoque charæ fuerunt eius sacræ reliquiæ Deo omnipotenti, vt ecclesia in qua res eæ repositæ sunt, quam ipse Gregorius antea in vsum Fidelium condiderat) superuenientibus licet diris terræmotibus, quibus illa propemodum funditus ciuitas corruit, publicaque cum priuatis ædificiis prostrata sunt, nihilominus diuino miraculo remanserit semper integra & illæsa: prout idem Nyssenus & Theodorus e Lector, & alii, de diuersis variorum temporum terræmotibus testantur.

d *Nic. lib. 6. cap. 17.*

DE EIVS SEPVLCHRO.

Porro anniuersaria eius natalis memoria eadem die ab Ecclesia celebratur, qua & prædicti Dionysii Alexandrini, nempe decima quinta Calendas Decembris: quem quidem inter alios Patres, miris laudum præconiis sæpe Basilius extulit: qui & ait tantam fuisse miraculorum eius præstãtiam vt ab ipsis etiam veritatis hostibus alter Moyses appellaretur. Quæ autem præstantissimi ingenii sui vir sanctissimus reliquerit monumenta; præter illa quæ superius variis occasionibus recensita sunt, alia quoque S. Hieronymus *g* enumerat: cuncta vero summa diligentia collegit, & nuper edidit Gerardus Vossius vir eruditus. *Athenodorus* autem Gregorii germanus, qui eidem pariter Synodo Antiochenæ interfuit, in hoc maior illo, in vltima senectute sub Aureliano Imp. Christianos persequente, glorioso martyrii *h* palmam consecutus est.

c *Theod. Lect. lib. 2. Collect. Cedren. in cap. an. 12. Anast.*

IV.
GREGORII THAVMAT. OBITVS.
d *Nic. lib. 6. cap. 17.*

V.
f *Basil. de Sp. S. cap. 29. ep. 64. & alibi.*

DE EIVSDEM SCRIPTIS.

g *Hier. de Script. Eccles. in Theodor.*

h *Martyrol. Rom. 15. Cal. Nouemb.*

IESV CHRISTI AN. 267.268.

DIONYSII AN. 7.8.

GALLIENI IMP. AN. 13.14.

I.
VALERIANVS IVNIOR IMP.
i *Treb. in Gallie.*

ANno Christi ducentesimo sexagesimo septimo, Gallieno Augusto septimum & Sabinillo Coss. VALERIANVS Cæsar, eiusdem Gallieni frater, Augustus appellatus Tribunitiam Potestatem accepit, vt ex Trebellio i Pollione colligitur: quem præterisse alterum VALERIANVM

filium

filium Gallieni, ipsumque auctum Imperio, superius dictum est.

II. a *Cassiod. in Fast.* CLAVDIVS DVX IN DACIA. b *Treb. in Claud.*

Anno vero ducentesimo sexagesimo octauo, Paterno *a* & Arcesilao Coss. *Claudius* dux exercitus in Dacia, vir domi militiæque spectatus, pertæsus socordiam Gallieni, qua noui quotidie tyranni vbique excitarentur, de vindicando sibi Imperio consilium iniit: quem frustra Gallienus multis pretiosis donis, quæ Trebellius *b* enumerat, placare studuit.

IESV CHRISTI AN. 269.270.

DIONYSII AN. 9.10.

CLAVDII IMP. AN. 1.2.

I. GALLIENVS NECATVR.

ANno Christi ducentesimo sexagesimo nono, Paterno secundum & Macriano Coss. duodecimo Calendas Aprilis, conspiratione Claudii aliorumque ducum, *Gallienus* Imp. ab eodem Claudio persuasus vt contra hostes moueret, annos natus quinquaginta, vna cum fratre & filiis apud Mediolanum occisus est, prout Trebellius, Victor, & alii narrant. Quod vero addit Trebellius, diuersas scriptas fuisse de annis eius Imperii sententias, Epiphanius *c* quoque nonnisi annos duodecim ei tribuit: at Eusebius *d*, Victor, & alii quindecim; quibus consentiunt veteres nummi *e*, decimamquintam Tribunitiam Potestatem eius recensentes.

c Epiph. de mens. *d Euf. 7. hist. 23.* *e Hubert. in Thes.*

II. CLAVDIVS IMP. *f Treb. in Claud.*

Illo vero sublato, electus est à militibus, & à Senatu magnis acclamationibus approbatus, idē *Flauius* CLAVDIVS, cuius laudes vberius est prosecutus Trebellius *f*, in gratiam Constantii Cæsaris parentis Constantini Magni volumen scribens, quo profitetur ipsum Constantium ex Claudii stemmate esse progenitum; natum videlicet ex Claudia filia Crispi fratris Claudii, & Eutropio Dardano eiusdē Claudiæ marito. Ipsius vero Claudii genus idem auctor ex Dalmatis deducit, licet ab Ilio originem traxisse alii affirmarēt. Addit etiam de trecentis viginti millibus Gothorum, aliarumque gentium barbararum, quæ cum duobus millibus nauium, audita Gallieni morte se effuderunt in Romanum Imperium, cum & Gallias & Hispanias, vires (vt ait) Reipublicæ, TETRICVS teneret, & totum Orientem post Odenati obitum ZENOBIA eius vxor plusquam virili animo possideret.

III. MARTYRES SVB CLAVDIO. *g Ex Act. S. Laurent. in fi.*

At plane consilium Dei fuit, vt tot hostibus Claudius refertum inueniret Imperium, vt qui in Christianos infensissimus esset, his detentus difficillimis occupationibus, haud facile posset quam animo conceperat eorumdem carnificinam edere. Cum alioqui non destiterit in Vrbe præsertim negotium illis facessere, dum *Cyriliam g* filiam Tryphoniæ, Decii Imperatoris siue coniugis siue concubinæ, virginem Deo dicatam, & multos alios tam milites Prætorianos cum vxoribus suis, quā alterius generis ciues Romanos, Christianę religionis professores, necari iussit, quorum omnium memoria suis quibusque diebus relata est in Tabulas Ecclesiasticas.

IV. PERSECVTIO IN CHRIST. *h Ap. Sur. 14. Febr.* *i Martyrol. Rom. eā die.*

Anno vero sui Imperii secundo, quo etiam Consulatum secundum (priorem enim suffectum gesserat sub Valeriano) vna cum Paterno iniit, edictum promulgauit, vt qui in carcere tenerentur Christiani, vel foris in vulgo inuenti essent, absque interrogatione punirentur. Est enim eius mentio in Actis *h* SS. Martyrum, qui tūc magno numero Romæ sunt passi, inter quos fuere, *Marius* & *Martha* eius coniux, cū filiis *Audifax* & *Abachum*, qui è Perside Romam ad orationem Apostolorum venientes, post edita multa pietatis & charitatis officia, crudeliter sunt necati. De quorum ardenti martyrii zelo illud plane memoria dignum, quod lauantes pedes eorum qui vinculis constricti tenebantur, ipsam eamdem aquam super capita sua ac filiorum suorum spargebant: & cum & ipsi à carnificibus torquerentur, ingenti mater gaudio, mariti ac filiorum sanguine liniebat caput suum: qui demum post alia tormenta, capite plexi sunt, ipsa vero in puteum proiecta.

Iisdem Coss. quinto Idus Septembris data reperitur Dionysii Papæ epistola ad Seuerum Episcopum Cordubensem de Parochiarum diuisione: sicut & Libro de Rom. Pontificibus traditur, ipsum presbyteris diuisisse ecclesias & cœmeteria, parochiasque & diœceses constituisse. Verum cum iam ab aliis antecessoribus Romanis Pontificibus id reperiatur factum, intelligendum est, quod in persecutione Valeriani ab Ecclesiis essent ausulsi presbyteri, & cœmeteria prohibita, illo sublato, & à Gallieno restituta pace, Dionysium easdem parochias & cœmeteria iterum recta ratione aliis presbyteris assignasse.

V. EPIST. DIONYSII PP. DE DIVISIONE PAROECIARVM.

IESV CHRISTI AN. 271.

DIONYSII AN. 11.

AVRELIANI IMP. AN. 3.

I. *a Euseb. in chron.* CLAVDII IMP. OBITVS. QVINTILLVS NECATVR.

ANno Christi ducētesimo septuagesimo primo, Antiochiano (aliter Actatiano) & Orfito Coss. Claudius Imperator confecto feliciter formidoloso bello aduersus Gothos alios q; barbaros suscepto, (ob quod tradit Eusebius *a* suspensum ei fuisse clypeum in Capitolio) Sirmii in Pannonia lue tactus occubuit: & qui in eius locū à militibus suffectus est; ipsius germanus QVINTILLVS, quod se grauem & seuerum ostenderet, ab iisdem decimaseptima post die occisus est. Hæc pluribus Trebellius: qui eumdem Claudium tertio Imperii anno ætatis tempore defunctum esse, citato de ea rē oraculo significare videtur, licet alii dicant id accidisse Nonis Februarii. Sed & quod iidem alii annū tantum vnum mensesdecem & dies quindecim Claudio tribuunt, tum ex eodem Trebellio erroris arguuntur, tum maxime ex Porphyrio, qui his temporibus Romæ agens, ait Plotinū philosophum iam peracto Claudii anno secundo diem obiisse. Porro mortem Quintilli Vopiscus *b* narrans, ait ipsum cum Aurelianum comperisset imperare, & se ab exercitu derelictum cerneret, incisis sibimet venis die vigesimo sui Imperii periisse. Iis igitur sublatis, *Lucius Domitius* AVRELIANVS, obscuris parentibus siue in Dacia, siue in Mœsia, vel in Pannonia Sirmii natus, (diuersas enim de ea re fuisse maiorum sententias, idem Vopiscus testatur) fauore militum oblatum solus tenuit Imperium, homo æqui amantissimus visus in præscribendis legibus militibus suis, sed in delinquētes nimium seuerus, quod idem auctor pluribus exemplis declarat. Idem vero confestim pace in Pannonia firmata, regressus est in Italiam aduersus Marcomannos, eam ingēti multitudine, & magna ipsius Vrbis trepidatione, inuadentes.

b Vopis. in Aurelia. AVRELIANVS IMP.

II. *c Porphyr. in vit. Plot.* PLOTINI OBITVS. *d Iul. Firm. lib 1. cap. 3. 9. 9.*

Quod vero ad *Plotinum* attinet, tradit Porphyrius *c* eum tactum angina, accedentibusque manuum ac pedum vlcetibus, in Campaniam secessisse, & ibi diem obiisse natum annos sex & sexaginta. Sed eiusdem plane horrēdum morbum atq; mortem, quam paucis Porphyrius absoluit, Iulius Firmicus *d* Maternus, & ipse Ethnicus, qui sub Constantio Imperatore vixit, exactius descripsit, affirmās hæc illam Fati contemptorem à Fato vlciscente perpessum, quod cōtra Fatum accurate scripsisset. At infelicis eius exitus causa inde certius veriusque petenda est, quod auditor Christiani philosophi Ammonii, & familiariter vsus Origene, interq; Christianos diu versatus, fieri tamē Christianus abhorruerit, præferens Christi religioni familiaris dæmonis cultum, immo & præ isto cæteros omnes deos contemnens, vt ex eodem Porphyrio intelligitur: qui etiam tradit, eum in ipsius Plotini obitu in forma draconis visum esse sub lecto perrepentem, & tandem in parietis foramen se prorsus occuluisse. Tantę vero apud suos ęstimationis post obitum Plotinus fuit, vt diuinos illi honores fuisse impertitos, aras que erectas, Eunapius scribat.

IESV CHRISTI AN. 272.

DIONYSII AN. 12.

AVRELIANI IMP. AN. 2.

ANno Christi ducẽtesimo septuagesimo secundo, Aureliano Augusto & Basso Coss. cum Paulus Samosatenus Episcopus Antiochenus damnatã à se in priori Concilio Antiocheno hæresim, iterum restituere conatus esset, illic rursum conuenientibus regionum finitimarum Episcopis (vt Eusebius *a* tradit) prope infinitis, à Malchione eiusdem Ecclesiæ disertissimo presbytero, egregia disputatione *b* per Notarios excepta de errore conuictus; omnium Patrum sententia damnatus est, ac sede pulsus, subrogato in eius locum *Domno* Demetriani (qui ante Paulum eamdem Ecclesiam optime rexerat) filio, omni genere virtutum exornato. De quibus omnibus mox ab iisdẽ Patribus data est ad Dionysium Romanum, & Maximum Alexandrinum, alioſq; vniuersos Catholicæ Ecclesiæ Episcopos, Synodica *c*, qua præter hæresim, reliqua etiam describserunt Pauli scelera ac facinorosa, turpitudines, rapinas, fraudes, luxuriam, fastumq; in sedendo ac incedendo, necnon intolerabilem impietatem, qua in locum psalmorum & cantuum Ecclesiasticorum, in media ecclesia, solemni Paschatis die, inanes cantilenas, in laudem suam paratas, à mulierculis cantari iussit. Cæterum cum hanc Synodum sub Aureliano Imperatore celebratam esse, in Historia Eusebius tradat; ex ea corrigendum est, quod in eiusdem Chronico Pauli damnatio & Domni subrogatio ponitur anno decimotertio Gallieni.

Meminit eiusdem Synodi Athanasius, dum aduersus Arianos, Nicænam carpentes quod vocem *Consubstantialis* aliter accepisset quam Patres Antiocheni, demonstrat vsãque Synodum idem de Filii diuinitate sensisse, licet ob iustam causam vario modo sua verba temperarit. Ipsos vero Antiochenos Patres non tantum studuisse Paulum, sed etiam Sabellium, aliqua ex parte (vt vidimus) pugnantes inter se hæreses inducentes, confutare, apparet ex ipsorũ Fidei professione nunc edita, quæ apud Synodũ Ephesinam habetur intexta. In qua cum pariter quæ de eorũ sententia aduersus Arianos Athanasius disputat, dilucidius explicẽtur, ex his detegitur conniuentia Eusebii historici cum iisdẽ Arianis: quippe qui hãc retexens historiam, atq; Synodicam à Concilio scriptam recitans, quæ in ea de fide Catholica tractatio scripta erat subduxit, quod in ea Christi natura diuina Patri Consubstantialis assereretur.

Tradit vero idem auctor *f*, cum post damnationem Pauli ipse exire nollet ex domo Episcopali Ecclesiæ Antiochenæ, Imperatorem Aurelianum de ea re illa rogatum, rescripto iussisse vt ea domus illis tribueretur, quibus Italiæ & Vrbis Romæ Episcopi per literas tribuendam præscriberent, tunc que penitus Paulum esse eiectum. Nimirum vsque adeo innotuisse apparet Romani Pontificis toto Orbe potestatem, vt & Ethnicos non lateret sic demum aliorum Episcoporum sententias esse ratas, (si quidem iam in Synodo Antiochena, cui tribuenda domus esset præiudicatum fuerat) si eas ipse confirmasset. Quod vero scire etiam potuit Imperator, ab eodẽ Pontifice in eamdẽ causam fuisse *Romæ* congregatos Italiæ Episcopos ad SYNODVM, (hoc enim Athanasius eadem aduersus Arianos de Synodo Antiochena disputatione testatur:) idcirco dixit, id esse debere ratum quod vna cum Romano Episcopo ceteri Italiæ Episcopi decernerent.

Hæc quidem his decernebat temporibus iustitiæ æqua lance Aurelianus, non aliqua ergà Italiæ Episcopos vel Romanum Pontificem affectione permotus: quippe licet nondum Christianos persequeretur, tamen quod patrio idolorum cultui addictissimus esset, omnes Christianos æque odio prosequebatur; hocque maxime tempore, quo occupatus in expeditione aduersus Marcomannos, acceptaque apud Placentiam clade *g*, totus existens in variis auxiliis comparandis, consulendisque libris Sibyllinis; Senatum litteris redarguit, quod eos libros inspicere cunctaretur, *perinde* (inquit *a*) *quasi in Christianorum Ecclesia, & non in templo omnium Deorum tractarent.* Cuius etiam erga cultum deorum propensissimi studii non leue est argumentum, quod cum neminem voluerit habere collegam Imperii, HERCVLEM tantum dixit suum esse consortẽ, quem & nominauit Augustum, prout docet vetus inscriptio *b* his verbis concepta; HERCVLI AVG. CONSORTI D. N. AVRELIANI INVICTI AVG. RESPVB. PIS. &c.

Hoc eodem anno iisdemque Coss. septimo Calendas Ianuarias *S. Dionysius* Romanus Episcopus, pro Ecclesia Dei aduersus hæreticos & persecutores plurimis laboribus exantlatis, feliciter migrauit ad Dominum, cum sedisset annos vndecim, menses tres, & dies quatuordecim. Ad hũc quippe annum peruenisse, epistola ad ipsum ex Synodo Antiochena scripta affirmare nos cogit, pariterque illos erroris arguere, qui eius obitum ad anteriora tempora referunt. Sepultus *c* est via Appia in cœmeterio Callisti: & cum cessasset Episcopatus eius dies quinque, vltimo huius anni die subrogatus est FELIX natione Romanus ex patre Constantio.

IESV CHRISTI AN. 273.

FELICIS AN. 1.

AVRELIANI IMP. AN. 3.

ANno Christi ducentesimo septuagesimo tertio, Quieto & Valdumiano Coss. Aurelianus Imperator (inquit Vopiscus) vt erat natura ferocior, pleniusque irarum Romam petiit vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat: inciuilius deniq; vius Imperio, seditionum auctoribus interemptis, cruentius ea quæ mollius fuerant curanda compescuit, interfectis etiam quibusdam nobilibus Senatoribus, cum his leue quiddam, vel vnus, vel leuis, vel vilis testis obiiceret. Hæc Vopiscus. Qui cum nullam aliam eius contentionis causam afferat, haud abs re existimare quisq; poterit, Senatores illos qui de inspiciendis libris Sibyllinis (quod vidimus anno superiori) ceteris obnisi essent, Christianos extitisse, ideoque Imperatorem sæuius in eos egisse. Quod vero qui ab eo sunt interfecti, dicantur à Vopisco seditionis auctores, eiusmodi criminis, nempe seditionis infamari solitos Christianos, cum sæpe alias diximus, tum de his plane temporibus Acta *S. Symphoriani*, quæ habentur *d* germana, significant: dum aiunt, ipsum, quod noluisset Augustoduni itaque Berecynthiæ, quæ carpento vehebatur agminibus stipata populorum, adorare, publicæ seditionis prætextu comprehensum esse, ac post virgas & carcerem gladio necatum, egregiis monitionibus à pia matre confortatum ad martyrium.

Porro licet iam sic in Christianos Aurelianus permotus esset, nequaquam tamen cum primum voluit persecutionẽ lege statuere, sibi licuit; siquidem (quod Eusebius *e* narrat) cum litteras cõtra Christianos compositas subscribere vellet, diuina vltio, brachiorum commissuris eneruatis, illum ab instituto repressit. Sed eumdem nihilominus persecutum esse Fideles, & ob eam causam cælesti vindicta sublatum, idem auctor *f* alibi affirmat. Eaque sub Aureliano facta, idem auctor *f* alibi affirmat. Eaque sub Aureliano facta PERSECVTIO ab Augustino *g* & aliis NONA, Octaua vero à S. Leone *h* & qui eamdem cum eo inierunt numeri rationem connumeratur. Denique & in Tabulis Ecclesiasticis, aliisque antiquis monumentis, quamplurimi reperiuntur in Persecutione Aureliani passi: & iisdem Symphoriani Actis habetur intextum ipsum ab Aureliano rescriptum contra Christianos, ad prouinciarum Rectores datum. Ex quibus omnibus satis refelluntur Orosius *i* & Seuerus *k*, qui hanc persecutionem non agnouerunt, nisi intentatam.

IESV

I. CONCIL. POSTERIVS ANTIOCH. CONTRA PAVLVM SAMOSAT.

a *Euseb. 7. hist. 23.*

b *Meminit etiam huius Hieron. de Sc. Eccles. in Malchio.*

c *Ext. ap. Euseb. 7. hist. 42.* PAVLI SCELERA.

II. d *Athan. de Synod.*

e *Conc. Ephes. edit. Pet. tom. 6. c. 11. in fi.* EVSEBI DOLVS.

III. f *Eus. d. c. 42. ad fi.*

AVREL. IMP. COGNOSCIT PRIMATVM ROM. ECCLESIÆ.

IVs AVREL. SVPERSTITIONI DEDICTVS.

Eutrop. ex. Aur. & alii.

a *Ap. Vopisc.*

b *Extat Pisauri in Vmbria in Palatio Ducis Vrbini, & ap. Baron. an. seq.*

V. DIONYSII PAPÆ OBITVS.

c *Anast. de Rom. Pontif.* FELICIS ELECTIO.

I. AVRELIAN. IMP. SÆVIT IN SENATORES.

d *Ap. Sur. 22. Aug.*

II. e *Euseb. 7. hist. 24. in fi.* PERSECVTIO AVRELIANI.

f *Id. in Chr. g. Aug. 18. de ciuit. 52.*

h *Leo. ser. 2. de Pentec.*

i *Oros. lib. 7. cap. 25.*

k *Seuer. lib. 2.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 274.

FELICIS AN. 2.

AVRELIANI IMP. AN. 4.

I. AVRELIAN. TRIVMPHAT DE ZENOBIA

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo quarto, Tacito & Placidiano Coss. (quantum ex Vopisco colligi licet, & ex Eusebii Chronico affirmari) gestum est ab Aureliano bellum aduersus Zenobiam Palmyrenorum Reginam, quæ post Odenati viri sui obitum, quod ille inuaserat, filiorum nomine possidebat Romanum Imperium Orientis: quam Aurelianus obtinuit, duxitque in triumphum captiuam: Longinum autem philosophum necari iussit, quod scriptor esset creditus insolentium litterarum Zenobiæ ad ipsum Aurelianum. Hæc pluribus Vopiscus. Addit vero Trebellius *a*, Zenobiam post triumphum dimissam liberam, maximeque laudatam ab Aureliano apud Senatum, concessa ei possessione in agro Tiburtino, vna cum filiis superstitibus vixisse more Romanæ matronæ. Denique Eusebius *b* & Eutropius *c* asserunt eam in Vrbe summo honore consenuisse, ab eaq; posteris quoque temporibus extitisse Romæ familiam, ob claritatem tantæ feminæ *Zenobiam* nuncupatam. Ex qua fortasse nomen & originem accepit *Zenobius*, insignis ille Florentinus Episcopus æqualis Ambrosii. Quam quidem, quod ex Hebræis venerat, & exculta erat (vt alias dictum) Christianis litteris, damnato iam eius magistro ac doctore impietatis Paulo Samosatenò, & ex Imperii fastu depositam, redditam putamus sapientiorem, atq; probe Christianam Romanæ Ecclesiæ fidem sectatam esse.

a *Treb. de 30. tyran. in Zen.*

b *Euseb. in Chron.*
c *Eutrop. l. 9.*

ZENOBIA CHRIST.

IESV CHRISTI AN. 275.

EVTYCHIANI AN. 1.

AVRELIANI IMP. AN. 5.

I. FELICIS PP. MARTYRIVM.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo quinto, Aureliano Augusto secundum & Iulio Capitolino Coss. tertio Calendas Iunii *Felix* Papa martyrio coronatur, cum sedisset (habita ratione temporis quo eum creatum esse diximus) annos duos & menses quinque, vno minus die. Sed Anastasius libro de Romanis Pontificibus, licet iisdem Coss. eum obisse dicat, tamen quod eius ingressum citius posuerit, plures sedi eius annos tribuit; quod & alii fecerunt. Eum autem consummasse martyrium, præter eundem librum & Tabulas Ecclesiasticas, testatur epistola ab eo ad Ecclesiam Alexandrinam aduersus errores Pauli Samosateni & Sabellii scripta, (quæ citata reperitur apud Cyrillum *d* Alexandrinum & Vincentium *e* Lirinensem, necnon in Concilio *f* Chalcedonensi) dum martyrii titulo nomen eius inscribit. Sepultus *g* est autem in cœmeterio suo, vbi & basilicam fecit, via Aurelia secundo ab Vrbe milliario. Quod autem dicitur constituisse, *super sepulchra aut memorias Martyrum Missas celebrari*: hanc quidem constitutionem longe ante Ecclesia sibi vendicat; testimonio etiam diuinæ Scripturæ *h*, *Vidi subtus altare Dei, animas interfectorum propter verbum Dei, &c.* Nam in id tam Græci quam Latini Interpretes pariter consentiunt, sepulchrum martyrum fuisse altare, ac super illud offerri consueuisse sacrificium. Felicis ergo decretum stabilisse videtur, quod absque scripto canone, simplici traditione seruabatur: sicut & de aliis eiusmodi rebus sæpe dictum est superius. Cæterum postquam ab eius obitu sedes vacasset dies quinque, pridie Nonas Iunii suffectus est in locum eius EVTYCHIANVS natione Tuscus, patria Lunensis patre Marino.

d *Cyr. in Apol.*
e *Vinc. Lirin. c. 42.*
f *Conc. Chalced. Act. 1.*
g *Anast. lib. de Rom. Pont.*
h *Apocal. 6.*

EVTYCHIANI SVBROGATIO. II.

Plurimos vero alios, passos hac eadem persecutione Aureliani, cum Romæ, tum in reliquis Italiæ prouinciis, necnon in Galliis, (quo Aurelianum hoc ipso anno aduersus irruentes in eas barbaros profectionem instituisse, Vopiscus tradit) atque etiam in Oriente variis locis, continent suis quibusq; diebus Ecclesiasticæ Tabulæ; ex quibus coniecturam facere licet de cæteris, aliis locis supplicio affectis, quorum memoria non extat.

III. *a Euseb. in Chron.* SOLIS AGON INSTITVTVS.

Sed & hoc quarto anno Aureliani, auctor est Eusebius *a* ab eo erectum templum Solis, primumque *Solis Agonem* institutum esse: cuius etiam numinis cultum cum Romæ tum in Oriente, ab eodem Imperatore actum esse, Vopiscus tradit. Quod vero eodem anno firmioribus muris vallatam Vrbem, auctamque, Eusebius dicit; idem Vopiscus tradit, Aurelianum muros Vrbis sic ampliasse, vt quinquaginta prope passuum millia eorum ambitus teneret. Sed quo potissimum anno id opus inchoatum, perfectumque fuerit, diuersa est auctorum sententia: nam & illud consummasse Probum, aliqui tradunt.

IESV CHRISTI AN. 276.277.

EVTYCHIANI AN. 2.3.

AVRELIANI IMP. AN. 6.7.

I. TEMPORIS IMP. AVREL. RATIO.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo sexto, Aureliano Augusto tertium & Marcellino Coss. perperam ab aliquibus recentioribus ponitur obitus ipsius Aureliani, non absoluto anno quinto Imperii: cui veteres auctores & inscriptiones contradicunt. Siquidem annos saltem quinque & menses sex, Eusebius, Eutropius, Epiphanius, Cassiodorus; & alii tribuunt: Vopiscus autem sex annos, paucos minus dies. Sed cum eiusdem reperiatur in antiqua nummi *b* inscriptione Potestas Tribunitia septimum iterata; septimum quoque pertigisse Imperii annum affirmare necesse videtur. Cui sententiæ adstipulantur Cassiodori Chronicon & vetus Græcus Index, in quib. post Consulatum Aureliani tertium, qui accidit hoc anno, duo alii Consulatus ponuntur, in quorum vltimo eius obitus contigisse legitur.

b *Ap. Adolph. de Num.*

II.

Anno igitur proximo, Christi ducentesimo septuagesimo septimo, quo à Cassiodoro & Græco Indice ponuntur Coss. Probus atque Paulinus, (quos tamen prætermiserunt, qui Aurelianum anno superiori putauerunt defunctum, quoniam superuacaneos esse existimarunt) hæresis MANICHÆORVM innotuit, vt S. Leo *c* testatur. Sed quod Probum Consulem, æque nominat Imperatorem, id accidit quod postea creatus est Imperator, non quod tunc esset. Nam cum addat collegam Paulinum, & temporis horum Consulum viguisse persecutionem subiiciat; constat eum de temporibus Aureliani esse locutum, post quem vsque ad Diocletianum nulla persecutio vexauit Ecclesiam. Sed & quod rursum apud eundem numerantur à Resurrectione Domini vsq; ad dictos Consules, anni ducenti sexaginta, errorem plane in notam numeri irrepsisse arguit nimia discrepantia, cum ducenti quadraginta tres veniant tantummodo numerandi. Sicuti cum apud Epiphanium *d*, ab Ascensione Christi vsque ad Manetem, & Aurelianũ ac Probũ Imperatores, anni ponuntur ducenti septuaginta sex, secundum aliquos chronographos, iuxta alios vero ducenti quadraginta sex; ita restituendus est locus, vt prior numerus non ab Ascensione Domini, sed à Natiuitate ducatur; posterior ab Ascensione vsq; ad Probi Imperium: qui annorum numerus egregie nostræ chronographiæ consentit. Cæterum alibi idem Epiphanius *e* ad Gallieni annum bonum refert Manetis initia, alibi *f* vero circa annum quartum Aureliani: sub quo etiam Imperatore eum ponit Suidas, & alii: aliiq; rursum sub Tacito, sub Caro alii *h*; deniq; Cyrillus *i* Hierosolymitanus sub Probo; itemq; Eusebius anno secundo eiusdem Probi Imperatoris, & Cassiodorus eodem Imperatore quintum Consule cum Victorino.

c *Leo Ser. 2. de Pentec.* MANES HÆRESIARCHA COGNOSCITVR.

d *Epiph. Hær. 66.*

e *Id. de mens. Hær. 66.*
f *Bed. de 6. ætat. in Act.*
g *Zonar. Annal. parte 3.*
h *Cyr. catech.*

III. SCYTHIANVS MALORVM ARCHITECTVS.

Huius autem originem altius repetens idem Cyrillus, ait fuisse quendam SCYTHIANVM in Ægypto genere Saracenum, nihil cum Christianismo commune habentem, eundemque Alexandriæ Aristotelicam vitam imitatum, quatuor libros composuisse, vnum quem appellauit *Euangelium*, alterum *Capitum*, tertium *Mysteriorum*, quartum *Thesaurorum*: ac postea cum in Iudæam venisset, vt pestilenti contagione afficeret illam regionem; ipso morbo extincto, sedatam esse pestilentiam. Hæc autem cum scribat antiquissimus Cyrillus, perspicue docet errare Suidam, & alios qui cum Manete confundunt Scythianum, eumque genere Brachmanum dicunt. Nam & Epiphanius *a* de Scythiano prolixiorem contexens historiam, ait fuisse genere Saracenum, in Arabia nutritum, philosophicis Græcorum litteris imbutum; & mercatura intercedente cum Indis prædiuitem factum, in Ægyptum descendentem, adsciuisse sibi ex lupanari mulierculam; ibique de duobus Principiis hæresim ex Pythagoreis haustam promulgasse: Hierosolymamque profectum, quod omnes sibi aduersantes nactus esset, totum se magiæ studio mancipasse. Sed quod ait, Scythianum circa tempora Apostolorum vixisse: haud facile assentietur qui considerabit ei proxime in schola impietatis successisse Terebinthum eius discipulum, & huic mox Manetem esse suffectum.

a *Epip. har.66*

IV. TEREBINTHVS DISCIPVL. SCYTHIANI.

De TEREBINTHO vero Cyrillus subdit; cum is auri, & librorum, atque hæresis Scythiani factus hæres, à Iudæa pulsus esset, transisse in Persidem, & ne cognosceretur ex nomine, *Buddam* se vocasse: sed cum & illic aduersarios haberet sacerdotes Solis, essetque ab illis comprehendendus, profugisse ad quandam viduam; apud quam cum ascendens supra domum inuocaret aereos dæmones, quos Manichæi postea in abominandis suis sacris æque inuocare consueuerunt, diuinitus percussum de domo prostratum esse atq; extinctum, relictis apud viduam libris & pecuniis.

V. MANETIS ORIGO.

Hæc autem cum neque cognatum neque amicum vllum haberet, emisse seruum *Curbicum* nomine, quem postea adoptauit, & Persicis disciplinis erudiendum curauit: eumque in semiphilosophum euadentem, mortua vidua libris & pecunia potitum, ne seruitutis nomen ei contumeliosum esset, MANEM se, (quod lingua Persica Homiliã significat) tanquam optimum disputatorem appellasse: sed diuina prouidentia factum, vt nolens seipsum argueret, indito sibi eo nomine quod apud Græcos Insaniam significaret. Hęc Cyrillus. De nomine vero addit Augustinus *b*, Manetis discipulos vitantes nomen insaniæ, geminata N. littera, Mannichæum quasi manna fundentem, pro Manichæo, id est, insano, appellasse. At Epiphanius *c* illud nomen aucupatum Curbicum ait, quod iuxta Babylonicam linguam Manes Vas significet; æmulatum nimirum Apostolum, qui Vas electionis à Christo est appellatus. Sed & si vocis huius à Latinis sumas interpretationem, idem est *Mania* (vt tradit Festus) quod *turpis larua*, plane Maneti congrua. Eundem autem à plerisque *Manichæum* quoque nominatum reperimus: quanquam hęc appellatio eius sectatores magis designat. Iidem vero indiderunt *d* etiam sibi postea nomina, vt *Catharistæ* dici vellent, atque *Macarii*, (nempe Mundatores, & Beati) itemque *Electi*.

b *Augst. de har. c.46.* DE NOMINE MANETIS.
c *Epiph. ibid.*
d *Aug. ibid.*

VI. DISPVT. ARCHELAI CVM MANETE.

Hoc quoque tempore (vt auctor est Epiphanius) idem Manes misit tres ex suis discipulis Hierosolymam, emptum sacros libros, quo Christianorum res calleret, atque inde si posset de duobus Principiis dogma fitmaret. Cum vero (inquit Cyrillus) auderet dicere se esse Paracletum, & supra vires humanas sese iactaret; ægrotante filio Regis Persarum, ipse remouens medicos promisit se eum per orationem sanaturum: sed mortuo paruulo, qui medicorum opera sanari potuerat, Manes carceri mancipatus, inde aufugiens venit in Mesopotamiam. Vbi occasione Marcelli cuiusdam insignis pietate viri, in Caschara Mesopotamiæ habitantis, quem ipse sibi adsciscere studeret, cum Archelao Episcopo coactus est inire disputationem, constitutis communi consensu iudicibus, philosopho, medico, grammatico, & sophista; quos licet Ethnicos Archelaus non recusauit, quo magis aduersarii, homines etiam Ethnici os impudens obstrueret. Quapropter omnium sententia superatus Manes, inde fugit in quendam viculum eiusdem diœcesis Cascharorum: vbi cum adhuc presbyterum eius loci sollicitaret, ab aduenient Archelao iterum disputatione conuictus, eiusdemque præsidio à furore populi eum interficere studentis præseruatus; fugit vnde venerat, in castellum Arabionis. Describunt hæc pluribus iidem Cyrillus & Epiphanius. Auctorque est Hieronymus *a*, priorem illam cum Manete initam Disputationem, ab ipso Archelao fuisse Syro sermone conscriptam, ac postea in Græcam linguam conuersam; ex qua etiam nonnulla Cyrillus recitat. Qui addit, satellites Regis Persarum vbique fugitiuum Manetem perquirentes, eundem post hæc comprehensum ad Regem duxisse, Regem autem lege Persica eum excoriari iussisse; & corpus quidem bestiis deuorandum tradidisse, cutem vero tanquam vtrem ante portas suspendi curasse. Quare quod Manes arundine excoriatus fuit, inde sumpsisse Manichæos vt eorum nonnulli super arundines accubarent; & quod super matras iacerent sic compositas, nomen quoque profluxisse vt *Mattarii* iidem fuerint appellati; Sanctus Augustinus *b* affirmat.

a *Hier. de Scr. Ecc. in Archa.*

MANES A REGE PERSARVM NECATVR.

b *Augst. ſ. cont. Faust. ſ.*

VII.

Cum igitur videret satanas, prope penitus exoleuisse ob sceleris immanitatem, quas per Gnosticos docuisset turpitudines, & iam deficere quem in Montano effinxisset Paracletum, atque ab eo superinducta ieiunia esse neglectui; conatus ex duobus vnum conflare monstrum, additisque aliis deformitatibus, Manetem eduxit ex inferis, qui sui horrore vniuersum obstupefecit Orbem, & fuligine obduxit. Quo vero facilius blasphemias suas simplicioribus persuaderet, *Apostolum* se IESV *Christi* nominauit vt tradit Augustinus *c*, & vt constat ex ipsa epistolarum eius inscriptione, quas *d* tum ad Marcellum quem diximus scripsit, tum de Fundamento *e* ad suos direxit. Sed non sic quidem se vocabat Apostolum, vt se tantum Apostolis Domini conferret; sed quod profiteretur (vt vidimus, & S. Augustinus *f* declarat) se esse Paracletum, quem Christus prædixerat à Patre mittendum.

c *Augst. de hæres. c.46.*
d *Ext. ap. Epiph. hær.66.*
e *Ap. Augu. cont. ep. Fund.*
f *Aug. d.c.46.*

VIII. MANETIS, AC DISCIPVLORVM IMPIA DOGMATA, ET TVRPITVDINES.

Primum autem atque præcipuum ipsius dogma, ex quo alia veluti riui ex cœnoso fonte dimanarunt, fuit quod cõstituerit duo *Principia* æterna sibi inuicem contraria, duasq; naturas æque substantias; *Boni* scilicet, & *Mali*: totumque hominem è duobus illis creatum esse Principiis, ex bono animam, corpus vero fabricatum à malo. Itaque negabant Christum humanam suscepisse naturam: eademque ratione carnem, vt malum ex mali Principio germen, odio prosequentes, perpetuum contra eam bellum sic conflarunt, vt eam probrosis etiam afficerent contumeliis & immunditiis; eoque insano prætextu in immensum gurgitem turpitudinum mersi, omni pariter libidinum genere frequentissime se ipsos polluerent, quod dicerent eo modo iniuria carnem affici, malumque purgari: quibus & illud horrendum adderent, vt conspersa farina humano semine, instar Gnosticorum velut Eucharistiam conficerent. Eadem quoque ex causa quod carnem ex materia, & materiam à mali Principio fluxisse dicerent, licet mulieribus iungerentur, omnem tamen generationem sedulo vitabant, quod ex ea augeretur materia, ac proinde mali Principii causa ageretur. Vnde & nuptias necesse erat damnare, quando generare prohiberent, propter quod coniugia copulanda sunt. Ac pariter in odium carnis (quod fuit illis commune cum Marcionitis) negabant carnis resurrectionem. Traduntur autem hæc omnia de Manichæis à SS. Patribus Cyrillo *g*, Epiphanio *h*, Augustino *i*, & aliis. Sed & eadem de causa quod dicerent nullum materiæ esse dandum adminiculum, eo dementiæ peruenisse, vt execrarentur eos qui pauperibus eleemosynam darent, Athanasius *k* & Theodoretus *l* affirmant. Pariterq; in odium carnis, execrari eos ait Augustinus *m* Sanctorum Reliquias; maximeque inuehi in Christianos qui Martyres colerent, eorumq; celebrarent festos dies.

g *Cyr. catec.6*
h *Epip. hær.66*
i *Aug. hær.46 & cont Faust.*
k *Athan. ep. ad Solit.*
l *Theodo. hær. fab. li.1.*
m *Aug. cont. Faust. lib.20. c.21. & l.22. c.11.*

XI.

Duas item animas cuilibet homini insitas dicebant, easdemque diuersas, atque è contrariis plane principiis dimanantes; nempe malam alteram, à mali Principio genera-

ratam;

ratam; alteram bonam, infusam à boni Principio, eandemque esse diuinæ substantiæ atque naturæ. Aduersus cuiusmodi commentum ideo n Augustinus pluribus disputauit scripto *de duabus Animabus* contra Manichæos commentario. Transmigrationem quoque Pythagoream docuisse, Cyrillus, Epiphanius, & Augustinus affirmant: & purgationem quandam fatuam bonarum animarum, atque itidem malarum punitionem introduxerunt, quam idem Augustinus *a* describit. De Christo autem, non tantum (quod dictum est) sentiebant eum minime humana indutum carne, ac proinde nec natum, nec passum; sed & testatur Hilarius *b*, Manetem negasse vnam eandem Christi esse cum Patre substantiam, sed partem ex ipsa. Immo vsque eo productum est eius mentis delirium, vt illum dixerit fuisse serpentem, qui Adæ atq; Euæ per esum pomi infuderit scientiam boni & mali. Rursus vero eum esse Solem hunc Orbis, Manichæos tradere, Theodoretus & alii affirmant. Verum non proprie Solem Christum dixisse, sed in Sole Christum esse, sicut in secreto quodam lumine Patrem, in Luna Sapientiam, & in aere Spiritum, Augustinus *d* docet. Quapropter Solem & Lunam eos adorare solitos, idem alibi testatur: eosdemq; ex diuina esse substantia existimasse, Epiphanius tradit. Præterea Solem & Lunam naues esse dicebant; & Lunam quidem factam ex bona aqua, Solem quoque ex bono igne: aliaque tum de illis, tum de quinque quæ fingebant elementis malis, totidemque bonis, deque pugna illorum inter se, delira docebant, quæ idem Augustinus *e* refert. Mundum autem non ex nihilo creatum dicebant, sed ex præexistente materia; vt scribit Hieronymus *g*. Addit Augustinus, illos confiteri mundum à natura boni, hoc est à natura Dei factum; sed de permixtione boni & mali, quam factam dicunt cum inter se vtraque natura pugnauit: id porro agi per Christum, & Dei substantiam in creaturis infusam, vt aduersariam partem superando fieret omnium exacta purgatio. Addit denique Epiphanius, Manetem dixisse Principem boni spoliatum fuisse à Principe mali, dominio mundi; sed restitutionem procurari per Christum.

a *Id. de hær. c.46.*

b *Hil. de Trinit. l.6.*

c *Aug. d. c.46*

d *Id. 20. cont. Faust. 6. & 7.*

e *Ibid. lib. 14. c.11.12.*

Id d. c. 46.

g *Hier. in ep. ad Eph. c.6.*

X.

Reiiciebat *h* omnino Prophetas, quos dicebat spiritu erroris afflatos; qui enim cum illis locutus esset, affirmabat fuisse vnum ex Principibus tenebrarum: pariterque veteres Patriarchas *i* variis criminibus infamabat. Contempsit *k* & præcepta Decalogi; quippe qui non vnũ Deum coleret, sed multos Deos, immo & Deorum agmina. Totum insuper politicum dominiũ sustulit, dum derogaret publicis Magistratibus, & Bella *l* ex causa etiam iusta suscepta damnaret. Creatorem & creaturas execrabatur: atque agriculturam *m* damnauit, tanquam plurium cædium ream, quod in qualibet herba vel planta ineſſe diceret, vt homini, insitam animam: itaque & qui illas euelleret, in eadem mutatum iri: sed hæc peccata illis condonari, qui suis sectariis pararent cibũm. Quare qui in duas classes, hoc est *Auditorum & Electorum*, vniuersum cœtum suum diuisum haberent, cum paupertatem voluntariam affectarent, in Auditoribus suis ditissimi erant; quibus omnia, quæ cæteris hominibus, permissa esse Manes voluit *n*. Introduxit insuper superstitiosum ciborum delectum, nempe abstinentiam à carnibus, vino, ouis, caseis, quod diceret non ineſſe illis diuinam substantiam, sed à mali Principio generata. Earum insuper introduxisse, tradit Socrates *o*: & negasse futurum Iudicium, Philastrius affirmat.

h *Epiph. & Aug. ibid.*

i *Augu. cont. Faust. l.21.*

k *Id. 15. cont. Faust. 7.*

l *Id. lib 22.*

m *Cyril. catech. 6. Aug. d. c. 46.*

n *Aug. 20. cont. Faust. vlt.*

o *Socr. l.1. c.22*

XI.

Addit Augustinus *p*, eos penitus baptismum reiecisse, tanquam nihil ad salutem conducentem: cum tamen Hieronymus *q* doceat, ipsos baptizare solitos, sed diuersa ab Ecclesia forma. Porro ipsum Manetem neque ex Christianis prodiisse, neque Christianis vnquam adhæsisse constat; etsi multa quæ in Ecclesia essent salubriter instituta, imitatus sit: qui & Scriptura Noui Testamenti sæpius vsus est, & virginitatem *r* excolere docuit; cum tamen quæ sunt in Ecclesia veræ virgines, condemnarent eius sectatores, quod diuersam ab eis virginitatis custodiendæ rationem inirent. Insuper sicut Ecclesia vniuersum populum in duas classes, nempe *Laicos*, *Clericosque* distinguit; ita Manes suos inter *Auditores & Electos* partitus est *s*. Habuitque discipulos duodecim, ad instar Apostolici numeri; quem numerum postea Manichæi custodierunt. Nam ex Electis suis habebant duodecim, quos appellabãt *Magistros*, & tertiumdecimum *Principem* ipsorum: Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinabantur à Magistris; & Presbyteros, qui ordinabantur ab Episcopis: habebantque Episcopi diaconos.

p *Aug. d. c.46*

q *Hier. ad. uers. Lucif.*

r *Aug. de moriб. Manich.*

Id. d. c. 46.

Cæterum cum præter illa quæ de Manichæis diximus, alia quoque plurima iidem qui supra auctores recenseant; tamen impossibile ferme esset vniuersas eorum impietates & turpitudines, atque ineptias enarrare; quandoquidem (vt ait Leo Papa) cum diabolus in cunctis peruersitatibus multiformem teneat principatum, arcem tamen sibi in Manichæorum struxisse insania videatur, vbi non vnius prauitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possideret: quod enim in Paganis profanum, quod in Iudæis cœcum, quod in secretis magiæ artis illicitum, quod denique in omnibus hæretib. sacrilegum atque blasphemum esset; hoc in istos, quasi in sentinam quandam, cum omnium sordium concretione confluxisse. Quod quidem eo consilio à Manete excogitatum est, vt facilius omnes sectas ad se alliceret.

XII. MANICHÆI SENTINA OMNIVM SCELERVM.

a *Leo Ser. 5 de stigm.*

Diffamauit autem suas hæreses non voce tantum, sed & variis Scriptis quorum superius facta est mentio, aliisque de quibus agit Epiphanius; inter quę fuit illud, quo sub titulo astrologiæ docuit magicas incantationes: eademque vim maximam ex blandiloquentia comparata ad persuadendum, habuisse insitam constat. Sed & eius discipulos ac sectatores potentes admodum fuisse ad refellendas aliorum sententias, Augusti. affirmat: eosdemque præstigiis vti solitos in initiandis illis qui ad eos accederent, atque adeo valde difficile fuisse eiusmodi initiatos ad Ecclesiam reducere, Theodoretus asserit. Et ad propagandam hæresim, peculiare illis fuisse suos in diuersas Orbis partes mittere doctores impietatis, qui ad alliciendos homines nudam pollicerentur veritatem, & sepositа omni personarum auctoritate, simplici ratione eos qui se audire vellent introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos; August. ea expertus sæpe *b* commemorat, suique erroris causam refricat dolens.

XIII. MANETIS SCRIPTA.

b *Aug. de vtil. cred. 2. Confess. li.4. c.6.11. & l.5.c.6.*

Scripserunt autem aduersus Manetis errores Archelaus Cascharorum Episcopus, Titus Bostrensis, Diodorus Cilicus, Serapion Thmuensis, Athanasius Alexandrin. Georg. Laodicenus, Eusebius Cæsariensis, Eusebius Emesenus, Apollinaris Laodicenus, & alii Græcorum complures, quos omnes Epiphanius *c* numerat. Quod vero tradit, ab Origene quoque eandem hæresim impugnatam, non inde accidere potuit, quod Manes vixerit temporibus Origenis, sed in Manetis magistris Alexandriæ agentibus ea opinio de Principiis ab Origene fuerit confutata. At nullus locupletius id præstitit atque felicius Augustino, qui plures commentarios aduersus eosdem Manichæos conscripsit. Sed de Manete, & eius origine hactenus: de primis vero eius discipulis agunt Cyrillus & Epiphanius; acturi & nos sæpe inferius de eiusdem sectatoribus.

XIV. ET OPPVGNATORES.

c *Epip. lib.66*

Hoc eodem anno, post quinque sedis annos defuncto Domno Episcopo Antiocheno, suffectus est *Timæus*. Tot enim annis Domnum sedisse, testatur in Chronico Eusebius: qui tamen semel errore lapsus in tempore eius ingressus, nec eius sedis finem, nec successoris initium suo posuit loco.

XV.

IESV CHRISTI AN. 278.

EVTYCHIANI AN. 4.

TACITVS IMP. AN. 1.

I. AVRELIANVS IMP. NEGATVR.

ANNO Christi ducentesimo septuagesimo octauo, à Cassiodoro & Græcis Indicibus ponuntur Paternus & Probus secundum Coss. Quibus *Aurelianus* auspicatus septimum Imperii annum, cum ob nimiam seueritatem suis inuisus esset redditus, in expeditione aduersus

Persas

Persas per Thraciam iter agens, inter Byzantium & Heracleam, ministri scelere cui se cretorum officium crediderat occisus est: quam rem gestam Vopiscus *a* narrat. Id vero in vltionem sanguinis Christiani ab eo effusi contigisse, Constantinus *b* Magnus pro concione asseruit. Sed & antequam occideretur, fulmen ante eum magno cum ipsius tum circumstantium pauore ruisse, Orosius *c* ex Eusebii Chronico tradit: idemque testatum habetur in fine Actorum *d S. Patrochi*, qui paulo ante Trecis in Gallia martyrium subiit.

a Vop. in Aurelian.
b Const. or. ad S. Cœt. c. 24. ap. Euseb.
c Oros. l. 7. c. 23.
d Ap. Sur. 21. Ianuar.

II.

Cum autem post necem Aureliani, de Imperatore deligendo exercitus retulisset ad Senatum, quod nullum de iis faciendum putaret qui Aureliani neci consensissent; Senatus autem sciens, non libenter iam milites recipere Imperatores à Senatu, eandem delectionem in exercitum retudisset; idque tertio factum esset: demum post sex menses (aut, vt ponit Victor, septem) ex Senatusconsulto *Claudius* TACITVS Princeps Senatus, vir laudatissimus, sed iam ætate prouectus, creatus est Imperator septimo Calendas Octobris: quod Vopiscus edescripsit pluribus, simul & ingens Senatus gaudium, cum iam putaret sibi restitutam esse Reipublicæ administrationem.

TACITVS IMPERAT.
e Vop. in Aurel. & Tac.

III.

Quod autem pertinet ad res Christianas; *Acta f Charitonis* habent, eundem Tacitum, simul ac Imperium est adeptus, supplicio Aureliani edoctum, datis ad omnes prouincias rescriptis, persecutionem vbiq; cessare iussisse.

f Ap. Sur. 28. Sept.

IESV CHRISTI AN. 279.280.281.282.

EVTYCHIANI AN. 5.6.7.8.

PROBI IMP. AN. 1.2.3.4.

ANno Christi ducentesimo septuagesimo nono, Tacito Imperatore secundũ & Fulvio Æmiliano Coss. (quos enim Cassiodorus & Græci Indices habent, Probus & Paternus tertium sustecti fuerunt) idem Augustus cum expleret, vt omnes consentiunt, Imperii menses sex, apud Pontum in expeditione Mœotica decessit mense Martio; siue morbo, siue gladio; quã de re diuersas fuisse sententias, Vopiscus *g* tradit. Eo vero mortuo, FLORIANVS ipsius germanus, nullo Senatus seu militum consulto, sed veluti hæreditario iure inuadens Imperium, cum vix duob. mensib. tenuisset, occisus est à militibus apud Tarsum, postquam auditum esset, ab Orientali exercitu electum esse, quem Senatus optarat, & Populus Romanus acclamationibus petierat, *Marcum Aurelium Valerium* PROBVM, è Pannonia oriundum ciuitate Sirmiensi, patre Maximo Tribunatu militiæ claro; de cuius electione ac virtutibus, fusius Vopiscus *h*.

I. TACITVS IMP. MORITVR.

g Vop. in Tac.

FLORIANVS IMP. NECATVR.

PROBVS IMPERAT.

h Id. in Prob.

II.

Anno vero Domini ducentesimo octogesimo, Messala & Grato Coss. (vt à Cassiodoro & Græcis Indicib. ponuntur) Gallias ab eodem Probo Imperatore barbaris liberatas esse, Eusebius *i* & Cassiodorus ponunt: traditque Vopiscus, cum quadraginta tunc millia Germanorum, qui eas post necem Aureliani occupauerant, cæcidisse, reliquias vero vltra Nigrum fluuium & Albim remouisse. Meminit etiam Gregorius *k* Turonensis de cladibus ab Alemannis tunc in Gallos inflictis, duce ipsorum *Chroco*, qui etiam Christianos afflixit: sed apud Arelatem captus, diuersis suppliciis meritas pœnas luit. Econtra vero accidit Probo, vt cum Christianos in pace viuere relinqueret, eidem à Deo victoriæ aduersus barbaros impertirentur. Sic enim &

i Euse. & Cassiod. in Chron.

k Greg. Tur. 1 hist. Fran. 32.

III.

Cassiod. & Gr. Indic.
Vopisc. in Prob.

IV.

Anno Christi ducentesimo octogesimo primo, eodem ipso Probo *l* quartum & Tiberiano Coss. idem in Illyrico Sarmatas, vna cum aliis barbaris eo progressis debellauit *m*.

Anno vero ducentesimo octogesimo secundo, se iridem quintum & Victorino Coss. Gothos in Thracia, & Latrones Isauricos domuit, subegit Blemyas, cum Parthis ac Persis pacem composuit. Vopiscus hæc pluribus: qui tamen, perinde, ac si encomium potius quam historiam scriberet, lucra posuit, damna præteriit. Nam constat his Probi temporibus FRANCOS gentem fortissimam, & clades pati nesciam, in vindictam suorum in Galliis interemptorum, breui temporis spatio totum Romanum Imperium incursione turbasse, & timore vehementi concussisse; cum incredibili audacia, & indigna felicitate, (vt loquitur auctor Panegyrici dicti Maximiano) à Ponto vsque correptis nauibus, Græciam Asiamque populati, & plerisque Libyæ litoribus appulsi, ipsas postremo naualibus quondam victoriis nobiles ceperunt Syracusas, & immenso itinere penetrati Oceanum intrauerunt. Egregium plane *Francorum* antiquæ gloriæ monumentum; quos Christiana Religio longe clariores postea fecit.

FRANCORVM INGENS RACINVS.

l Inscript. antiq. edit. Plantin. pag. 156. n. 1. Panuin. in Fast. Hubert. in Thes. rei anti. in Carv.
m Inscr. Plant. & Panuin. ib.

V.

Sed & putamus has clades accidisse in vltionem SS. Martyrum *Trophymi a* & sociorum, qui his Probi temporibus Antiochiæ furore Heliodori Vicariam præfecturam gerentis mortem pro Christo obierunt.

a Ext. Act. ap. Metaphr. & Sur. 19. Sept.

IESV CHRISTI AN. 283.

EVTYCHIANI AN. 9.

CARI IMP. AN. 1.

ANno Christi ducentesimo octogesimo tertio, Caro *b* & Carino Coss. *Probus* Imperator quibusdam tyrannis compressis Romam rediens, de gentibus à se deuictis triumphauit: mox vero bellum Persicum parans, apud Sirmium à militibus suis, quos paulo seuerius habebat, per insidias interemptus est anno Imperii sui quinto; vt scribit Vopiscus. Sed de annis Imperii Probi aduersantur ei, cum Ethnici scriptores Aurelius Victor, Eutropius, & Iulianus *c* Imperator, tum ex nostris Eusebius *d*; qui omnes volunt Probum imperasse vltra sexennium expletum, ita vt septimum inchoarit: Orosius *e* autem & Cassiodorus etiam vlterius protendunt. Abiissemus & nos in illorum sententiam, nisi veterum lapidum inscriptiones, quæ cæteris omnibus testibus præualere consueuerunt, necessario nos fateri compellerét, hoc ipso anno Probum regnandi finem accepisse; aliisq; certis testificationibus comitaret, Diocletianum, qui post Carum Probi successorem regnauit, anno sequenti auspicatum esse Imperium.

I. *b Cassiod. & Gr. Indic.* PROBVS IMP. NECATVR.

c Iulian. de Cæsar.
d Euseb. in Chron. & 7. hist. 14.
e Oros. lib. 7. c. 24.

Namque Probo extincto, creatum esse hoc ipso anno à militibus *M. Aurelium* CARVM, quem alii Romæ ex parentibus Illyricis, alii Narbone in Gallia natum tradunt) ex eo manifeste cognoscitur, quod Consulatus eius secundus, qui ab omnibus ponitur anno sequenti, in veteribus Inscriptionibus iunctus reperitur Tribunitiæ Potestati secundæ, qua notatur annus secundus eius Imperii. Filios autem eius *Carinum & Numerianum*, non mox dictos esse Augustos, (quod alii scripserunt) sed tantum Cæsares, aliæ itidem Inscriptiones *g* demonstrant; idemque Vopiscus asserit.

II. CARVS IMPERAT.

f Inscript. antiq. edit. Plantin. pag. 156. n. 1. Panuin. in Fast. Hubert. in Thes. rei anti. in Carv.
g Inscr. Plant. & Panuin. ib.

Hoc eodem anno, quo quartus Probi absoluitur & quintus inchoatur, vita functo (inquit Eusebius *h*) Timæo Episcopo Antiocheno, substitutus est in locum eius *Cyrillus*. Cuius occasione sermonem idem auctor *i* habet de *Dotheo*, in signi pietate & eruditione eiusdem Ecclesiæ Antiochenæ presbytero, eunucho nato; quem Scripturas in Ecclesia explicantem se audiuisse testatur. Additq; de *Eusebio & Anatolio*, patria Alexandrinis, qui his temporibus alter post alterum præfuerunt Ecclesiæ Laodicensi, viris pietate & doctrina præstantibus. Præcipue vero Anatolius omni philosophiæ ac literaturæ sacræ atque profanæ genere exculti ssimus, multa reliquit post se ingenii sui monumenta, ac tandem sancto fine quieuit. Sed de Dorotheo errasse videntur, qui Tyri fuisse Episcopum dixerunt: nam licet patria Tyrius fuerit, tamen Eusebius & Nicephorus *k* presbyterum tantum fuisse aiunt: exploratumque habe-

III.

h Euseb. in Chron.
i Id. 7. hist. vlt.

DOROTHEVS TYRIVS. ANTIOCH.

k Nic. l. 6. 37

tur *a*,

IESV CHRISTI AN. 284.

CAII AN. 1.

DIOCLETIANI IMP. AN. 1.

ANNO Christi ducentesimo octogesimo quarto, Caro *a* Augusto secundum & Numeriano Coss. idem *Carus b*, dum cœptam à Probo in Persas expeditionem prosequeretur, ægrotans, vel (vt alii dixerunt) supernente fulmine extinctus est, anno Imperii secundo inchoato. Sumpserunt mox Imperium filii eius Cæsares CARINVS & NVMERIANVS, hic in Oriente, quod cum patre in expeditione ageret, Carinus in Galliis, quo missus fuerat. Propagauit autem iste Imperium vsque ad Consulatum Maximi & Aquilini post sequentem annum: sed Numerianus mœrore obitus patris ægrotans, ab Arrio Apro socero suo Prætorii Præfecto paulo post interfectus est vt ipse regnaret. Verum re comperta, ab exercitu acclamatus est Imperator *Aurelius Valerius* DIOCLETIANVS, obscurissimo loco natus Dioclea Dalmatiæ oppido, (vnde & Diocletianus appellatus, siue à matre eodem nomine Diocles dicta) libertus quondam Anullini Senatoris. Hæc Vopiscus *c*, Victor, & alii qui de eo scripserunt. Porro sic electus, ipsis Palilibus, nempe vndecimo Calendas Maii Imperium suscepit, vt expressum habetur in Panegyrico ei dicto: idemque statim Aprum fatalem, quem putauit, occidit: videlicet vaticinium de suo Imperio compleret, quo ipsi prædictum fuerat, imperaturum eum, si aprum occidisset.

Quod vero ad rationem temporis spectat; quamuis apud Eutebium, Cassiodorum, & alios hos secutos, post annos tres exordium Diocletiani Imperii ponatur; tamē hoc ipso anno à maioribus collocatum esse, ex multis constat. Ac primum id declarat vetus inscriptio *d*, qua secundus eius Consulatus notatus habetur secunda Tribunitia Potestate, ac proinde signatur secundus annus Imperi. Cum enim idem secundus eius Consulatus ponatur ab omnibus anno sequenti; necesse est affirmare hoc anno ei fuisse collocatū Imperium, & cum illo ex more primam Tribunitiam Potestatem. Sed extant insuper ea de re certa testimonia eorum, qui posteriorum temporum annos numerare consueuerunt ab ipso primo Diocletiani Imperij ingressu, secundum institutum ab eodem Imperatore vsum, qui perseuerauit apud nonnullos vsq; ad tempora Iustiniani. Quapropter cum Epiphan. in Ancorato, nonagesimum Diocletiani annum iungit cum decimo Valentiniani & Valentis, ac Consulatu Gratiani tertio & Equitij, qui incidit in annum Domini trecentesimum septuagesimum quartum, certum est eum hoc anno Diocletiani ingressum collocare. Itemque cum S. Ambrosius epistola ad Episcopos Æmiliæ, numerat tempus à die Imperii Diocletiani vsq; ad annos octogesimum, & nonagesimum tertium, quib. decima quarta Luna incidit nono Calendas Aprilis; colligitur ex tabulis Astronomicis, eum ab hoc anno & die dictum annorum numerū auspicatum esse. Sed & quod Euagrius *e* Scholasticus, ab eodem primo anno Diocletiani vsque ad obitum Zenonis Imperatoris, ponit annos ducentos septem; manifestum est, ipsum ab hoc item anno Domini ducentesimo octogesimo quarto deducere numerum, vsque ad annum Domini quadringentesimum nonagesimum primum quo Zeno decessit. Denique idipsum probat, quod Diocletianum iam Imperatorem factum dicit Ammianus *f* Marcellinus, adsciuisse sibi collegam Aristobulum; quem constat gessisse Consulatum anno sequenti. Qui vero Diocletiani ingressum post tres annos ponunt, videntur habuisse respectum ad mortem Carini, qui adhuc biennium tenuit in Occidente Imperium: nec nisi eo sublato, Diocletianus liberas habuit Imperii habenas, quando & collegam sibi adsciuit Maximinianum. Sed & nostra chronologia firmabitur etiam inferius aliis argumentis.

Cæterum

a Vide hac pro Caro à Baron. Vsh. Not. ad Roman. Martyr. 9 Iunii.

ERROR DE DOROTHEO.

b Menol. 18. Cal. Maii.

IV. EVTYCHIA. PP. OBITVS.

RITVS SEPELIENDI MARTYRES.

c Gr. dial. 4. c. 40. d Id. 4. ep. 44.

e Vid. l. 1. Inst. Cassia. c. 5. & not. verb. Colob.

f Baron. Not. in Mart. Rom 31. Maii. b.

V.

g Apost. can. 3. 4. Clem. Const. l. 8. c. 46.

h Cyr. Hieros. catech. 6. i Tom. 1. Concil. in Eutych.

CAIVS PAPA.

VI. MARTYRES SVB NVMERIANO. [Ap. Baron. an. seq.]

k l. 8. C. de sacros. Eccles.

a Cassiod. & Fasti Gr.

b Vopisc. in Car. & Numer.

CARVS IMP. FVLMINE PERIIT.

DIOCLETIANVS IMPERAT.

c Id. ibid.

II.

d Habet Baron. Ann. 284. 11. hoc anno ex edicto Tib. Conss Roma. [Constat vetustissimi vetera Inscriptiones, quas Golzius habet, & confirmant hanc chronol. quā Calvisius, Goroonus, & alii.]

e Euagr. lib. 3. c. 29.

f Ammia. l. 23

III. Cæterum profuit Diocletiano Carini morum turpitudo, atque arrogantia & mentis tumor, quibus Senatus ac militum in se odium concitauit; vt hæc pluribus prosequitur Vopiscus *a*. Perperam vero ponitur cum à Cassiodoro tum ab aliis eum secutis, vno eodemque anno Numerianum atque Carinum extinctos esse. Nam præter ea quæ iam dicta sunt, auctor est Victor Carinum post parentis ac germani obitum, aduersus *Sabinum* Italiam inuadentem bellum suscepisse; eoque victo & occiso, in ipsum Diocletianum arma mouisse.

a *Vopisc. in Carin.*

IESV CHRISTI AN. 285.

CAII AN. 2.

DIOCLETIANI IMP. AN. 2.

I. ANno Christi ducentesimo octogesimo quinto, à Cassiodoro & aliis ponuntur Coss. Diocletianus Augustus secundum & Aristobulus: quibus consignata hagustus secundum & Aristobulus: quibus consignata habebantur Acta *b* Proconsularia (hoc est, quæ sunt à publicis Notariis coram Proconsule excepta) Martyrum *Claudii*, *Asterii*, & *Neonis* fratrum, qui à nouerca delati, sub Proconsule Lysia apud Ægeam Cilicię ciuitatem variis cruciatuum generibus sublati sunt. Qui quidem Lysias cum in aliis æque legitimis Actis *c Zenobii* in eadem prouincia Episcopi, eademque persecutione necati, à Diocletiano Imperatore præfectus esse Ciliciæ dicatur; constetque nuper dictos Claudium & socios eius passos ibi esse his ipsis Coss. sub eodem Lysia: ex his etiam apparet veram esse chronologiam, qua diximus ipsum Diocletianum creatum esse Imperatorem anno superiori. Perseuerauit autem Lysias spectatæ crudelitatis homo in eodem magistratu annis pluribus. At inter complures insignes martyres qui sub eo coronati sunt, omnium clarissimi habentur *Cosmas & Damianus* fratres, qui (vt habent Ecclesiasticæ *d* Tabulæ) Ægeæ post multa tormenta, vincula & carceres, post mare & ignes, cruces, lapidationes, & sagittas, diuinitus superatas, capite plexi sunt: cum quibus etiam referuntur passi tres alii ipsorum fratres germani, *Antimus*, *Leontius*, & *Eutrepius*.

b *Ap. Sur. 23. Aug.* MARTYRES SUB LYSIA PROCOS.

c *Ap. Metaph. 30. Oct.*

COSMAS ET DAMIANUS MARTYRES. d *Martyrol. Rom 5. Cal. Octob.*

II. Hoc eodem anno Domini ducentesimo octogesimo quinto, (vt ponit *e* Eusebius) defuncto Maximo Episcopo Alexandrino, postquam sedisset annos decem & octo, in locum eius subrogatus est *Theonas*. Cuius occasione idem auctor agit de *Achilla & Pierio* Alexandrinis presbyteris, & *Meletio* Ponti Episcopo, insignis eruditionis & sanctitatis huius temporis viris.

e *Eusseb. in Coron. & 7. hist. vlt.*

IESV CHRISTI AN. 286.

CAII AN. 3.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 3.

I. ANno Christi ducentesimo octogesimo sexto, Maximo & Aquilino Coss. *Carinus* Imperator, postquam multis præliis cum Diocletiano conflixisset, demum de summa Imperii apud Margum in Mœsia aduersus eundem pugnans, à suis proditus & derelictus, vnius ex suis Tribunis gladio necatus est, cuius dicebatur coniugem polluisse. Hæc Victor *f*, Eutropius *g*, & alii: at nihil de proditione Vopiscus, sed tantum Carinum ea vltima pugna victum occubuisse. Quod quidem his ipsis Coss. Maximo & Aquilino contigisse, testantur etiam Acta fidelissima *h* SS. Martyrum Sebastiani & sociorum, à Notariis S. Romanæ Ecclesię tunc conscripta. Itaque post hæc Diocletianus vna cum Maximiano liberum administrauit Imperium, vt idem Vopiscus affirmat. Siquidem hoc anno Diocletianum, Carino sublato, collegam sibi Imperii adscisisse *M. Valerium* MAXIMIANVM, Sirmio in Pannonia oriundum, antiqui probant nummi *a*, dum primum Maximiani Consulatum ordinarium, qui accidit anno sequenti, describunt cum Potestate Tribunitia secundo aucta. Sumsit autem sibi cognomentum *Herculii*, sicut & Diocletianus *Iouii*. Eidemq; Diocletianus curam concredidit Occidentis, intentus ipse potissimum tutando à barbaris Orienti.

I. ARINVS IMP. OCCIDITVR.

Vict. in Cari. Eutrop. l. 9.

f Ap. Sur. 10. Ianuar.

a *Aur. Adolph. de Num.* MAXIMIANVS IMP

II. Occiso porro Carino, tradunt eadem Acta tam immanem exortam esse in Christianos Persecutionem, vt nulli quicquam vel vendere, vel emere liceret, nisi paruis quibusdam statuis vbique passim collocatis thura prius incenderet: essentque constituti circa insulas, vicos, & aquas, compulsores, qui neque molendi, neque aquas hauriendi potestatem facerent, nisi iis qui idolis libassent. Quo tempore, ope *Chromatii* V. C. nuper ex Præfecto persecutore redditi fidei Christianæ studiosissimi cultoris, & *Castuli* Zætarii Palatii pariter Christiani hominis, (Erant *Zetæ* portatilia quędam cubicula, quæ describit Plinius *b* Iunior, memoratque Lampridius *c*:) plerique alii Christiani vna cum ipso Caio Papa, à persecutione defensi sunt; donec proditione Torquati cuiusdam apostatæ, tam idem Castulus, quam *Marcus & Marcellianus* fratres diaconi, aliique vtriusque sexus tenti, variis cruciatuum & mortium generibus necati sunt; quorum natales dies perpetuis monumentis adscripti habentur.

II. PERSECVTIO RECRVDESCIT IN CHRIST.

b *Plin. 6. ep. 5.*

c *Lamprid. in Elagab.*

[De *Zeta & Zetariis* (de quibus ex Baronio art. præced.) plura alii. Summa est, Zætam idem esse quod Diætam, vt indicat Plinius 2 ep. 17. & 5. ep. 2. more veteri D I in Z contrahendi: vt Zabulum pro Diabolo apud Hilar. cap. 16. in Matth. Ambros. 5. de fid. ad Grat. 1. & Paulin. ep. 4. aliaque eiusmodi multa. Nisi & forte dixerit aliquis, sicut Diæta à δίαιτα ἀφ᾽ ὕδατος vino, ita & Zætam à ζέω, quod idem significat, deductam esse.) Esse autem Zætam, siue Diætam, cœnationem, seu triclinium vbi cœnatur, constat ex Sidonio 2. ep. 2. docetque Ful. Vrsinus in appendic. ad P. Ciac. Eratque Zætarii munus, zætæ curatio. Nihil porro Zętarium à Diætario differre, patet ex eo quod qui l. quæsitum est 12 § 41. D. de iustr. leg. ab Vlpiano vocatur *Diatarius*, aperte à Iulio Paulo l. 3. Sent. tit. 17. de leg. vocatur *Zetarius*. Meminit vero etiam Sidonius *Zothecule* (quæ est parua Zorbeca: quomodo & in antiquis Inscriptionibus legitur) 8. ep. 16. & 9. ep. 11. & ex eo clare apparet, sic dici quæ hodie Itali & Galli vocant *Studia*, aut *Cabineta*.]

III. Inter eos vero eminuit *Tiburtius* præstantissimæ indolis filius Chromatii, nobilitate, eruditione, sanctitate, & miraculis clarus, qui post egregiam coram Vrbis Præfecto confessionem, capite truncatus est: itemque prædictum Torquatum detexisse dicitur falsum Christianum, quod inter alia capillos tonsoris arte componeret, scapulis molliter gestiret, fluxum gressum improbo nixu distenderet. Huiusmodi namq; signis alios quoq; sanctissimos viros consuesse de fallis Christianis coniecturam facere, docent vaticinia Gregorii *d* Nazianzeni de Iuliano Augusto, Ambrosii *e* de duobus clericis, Hieronyn. *f* de aliis pseudoclericis.

III. SIGNA FALSORVM CHRIST.

d *Vid. inf. an. 354. n. 4.*

e *Ambr. 1. Offic. 18.*

f *Hier. ep. 22.*

Nec omittendus, immo vero maxime memorandus, SEBASTIANVS primæ Prætorianorum cohortis ductor, Narbone oriundus Mediolani educatus, vel (vt S. Ambr. *g* & alii tradunt) patre Narbonensi matre Mediolanensi natus Mediolani: qui ipsius Diocletiani iussu à militibus hericii instar sagittis confixus, & pro mortuo derelictus, diuina ope, & Irenes pientissimæ feminę relictę Castuli cura, conualescens, obuiam Imperatori factus, eiusque impietatem liberius redarguens, virgis ad necem vsque cæsus est. Cuius corpus cum à persecutoribus noctu in cloacam vnco tractus esset, ne Christiani illud, sicut cæterorum martyrum, venerarentur; ipsemet Sebastian. apparens in somnis Lucinæ cuidam religiosæ feminæ, indicauit locum vbi corpus vnco penderet, & vt ad catatumbas iuxta vestigia Apostolorum sepeliret, admonuit. Hæc pluribus eadem ipsius Acta, post redditam Ecclesiæ pacem (vt apparet) scripta: in quorum etiam principio nonnulla habentur, quæ pertinere noscuntur ad persecutionem Numeriani, antequam Carinus à Diocletiano tolleretur; & rursum alia, quæ post hæc gesta noscuntur. Cæterum (quod no-

IV. SEBASTIANI MARTYRIVM.

g *Ambros. in Ps. 119. ser. 20.*

tatione

MVNVS ECCLESIÆ DEFENSORIS.

tatione dignum eſt) in eis prima reperitur mentio *de Eccleſia* DEFENSORE; quod munus à Caio Papa eidem Sebaſtiano duci collatum eſſe tradunt. Qui magiſtratus impoſterum in Eccleſia perſeueraſſe videtur; cuius cum multis in locis; tum præſertim in epiſtolis Gregorii Papæ frequens eſt mentio; ex quibus colligi poteſt, quodnam eſſet eius officium.

V.

Vt autem quam acerbiſſime ipſo exordio Imperii Diocletiani & Maximiani, in Chriſtianos Romæ perſecutio graſſaretur, illam præceſſiſſe cauſam eadem Acta ſignificãt, quod Pontifices Gentilitiæ ſuperſtitionis Chriſtianos more ſolito calumniis circumueniſſent, quaſi aliquid contra Imperium molirentur. Quamobrem quod promulgatum diximus in Chriſtianos Romæ agentes edictum, nequaquam vniuerſo Imperio commune fuit; quin potius ab Euſebio *a* ipſi Imperatores in aliis regionibus de Chriſtianis benemeriti fuiſſe traduntur, nec niſi ad vltima Imperii tempora in eos per Orbem edicta dediſſe: quando & inter alia (plura enim recenſet *b* ab iiſdem promulgata) hoc ipſum quod diximus, editum eſt, necui illis vendere aliaue naturæ vſui neceſſaria impartiri liceret. Quod quidem in vniuerſum Orbem datum fuiſſe, alia certa ac fidelia martyrum Acta declarant: prout de Galliis teſtatur Beda *c*, qui verſu ſcripſit certamen *Iuſtini* martyris; de Oriente Aretas *d* Epiſcopus Cęſarienſis, oratione de Sanctis Martyribus *Guria* atque *Samona*. Sed & ante illa tempora quæ Euſebius memorat, nonnulla ingruentis grauioris procellæ præceſſiſſe tonitrua, germana aliquorum Acta teſtantur. Ac denique teſtimonio Conſtantini *e* Imperatoris, cœptam eſſe perſecutionem ipſo exordio Imperii Diocletiani, manifeſte colligitur.

a *Euſ. 8. hiſt. 1.*

b *Ib. c. 3.*

c *Bed. Tom 3.*

d *Ap. Lipom. Tom. 3.*

e *Ap. Euſ. 1. de Vit. Conſt. 49. 50.*

IESV CHRISTI AN. 287.288.289.

CAII AN. 4.5.6.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 4.5.6.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo octogeſimo ſeptimo, Diocletianus tertium & Maximianus ſecundum (primum enim iſte iam ante Imperium ſuffectus geſſerat) Conſulatum inierunt.

II.

Anno autem ducenteſimo octogeſimo octauo, Maximus ſecundum atque Ianuarius; &

III.

Anno ducenteſimo octogeſimo nono, Baſſus & Quinctianus creati ſunt Coſſ. Quibus omnibus nihil certi memoria dignum, ad res Eccleſiaſticas pertinens, inuenimus accidiſſe. De bellis autem ab Imperatoribus feliciter geſtis contra barbaros, quain Oriente, qua in Occidente, agunt Eutropius in Hiſtoria, & Mamertinus, in Panegyricis.

IV. HIERACITÆ HÆRETICI.

His tamen Diocletiani temporibus (certum enim annum nemo deſcripſit) progreſſa eſt in Ægypto HIERACITARVM hæreſis, quam omnes ponunt poſt Manichæam, eiuſque, ſicut & Gnoſticorum fuiſſe participem tradunt. Fuit eius auctor HIERAX quidem ex Leonto Ægypti, (vt tradit Epiphanius *f*) vir non exiguæ eruditionis, & omniũ Græcarum diſciplinarum peritiſſimus, nec non aſtronomię & magiæ deditus; qui Scripturarum receptam in Eccleſia interpretationem contemnens, propria vanitate in multas impegit hæreſes. Nam carnis reſurrectionem negans, animæ tantum eam eſſe aſſeruit: nuptiaſque damnans, cælibum duntaxat dixit eſſe vitam æternam. Pueros ante perfectam cognitionem morientes à ſalute reiiciebat; nec credebat Paradiſum eſſe ſenſibilem. Melchiſedech autem dicebat eſſe Spiritum Sanctum. Ciborum quoque abſtinentiam, ac vini præſertim docuit: multa inſuper ex Origenis erroribus mutuatus. Et ad hęc omnia confirmanda, commentarios quoſdã Græce & Ægyptiace ſcripſit; ac pleraſq; ſcripturas allegorice expoſuit. Hæc plurib. Epiphan.: qui addit, multos pietatis exercitatores ſtatim ab Hierace fuiſſe ſeductos; cum alioqui in ſuam conuerſationem non reciperet niſi virgines, aut ſolitariam vitam agentes, continentes, ac viduas. Sed & Hilarius *a* (apud quem is *Hieracas* dicitur) explicans quod de Filio Dei profitetur Eccleſia, *Lumen de Lumine*, ait illum neſcientem Vnigeniti natiuitatem, vnius lucernæ duo lumina prædicaſſe, vt lychnorum. bipertita diuiſio ſubſtantiam Patris & Filii æmularetur, quæ ex vnius vaſculi vnguine accenderetur in lumen, tanquam eſſet ſubſtantia exterior, vt oleum in lucerna continens luminis vtriuſque naturam; vel certe, vt lampas papyro eidem intexta, vtroque capite luceret, eſſetque media materies, lumen ex ſe vtrumque protendens. Cæterum Hieracitas alio nomine Philaſtrius *b* *Abſtinentes* appellat; eoſdemque ſuo adhuc tempore in Galliis & Hiſpaniis fuiſſe tradit. Deniq; conflictationem *Macarii* monachi Ægyptii Catholici cum quodam Hieracita hæretico, Euagrius deſcribit in Vitis Patrum: qua (vt ait) Macarius, cum videret illum ſanam doctrinam argumentis callidis eludere, atque inde fidem Fratrum periclitari; prouocans eundem ad probationem doctrinæ per ſuſcitationem mortui, cum ipſe Macarius mortuum coram omnib. ſuſcitaſſet, Hieracita confuſus abſceſſit, quem & Fratres extrà terminos illos expulerunt.

f *Epip. hær. 67*

a *Hil. l. 7. de Trinit.*

b *Philaſt. c. 8.* MACARIVS MIRACVLO (VERAX HI ERACITAM.

Inualeſcente quoque his temporibus turpiſſima Manichæorum hæreſi, & Africæ iam prouincias penetrante, vbi altàs poſtea radices fixit; dato ad Iulianum Proconſulem Africæ reſcripto *c*, Diocletianus & Maximianus Imperatores iuſſerunt eorum doctores & ſcripta ignibus tradi, & ſectatores capite puniri, honoratiores autem perſonas ad metalla damnari, & quorumcunque bona Fiſco vindicari.

V.

IMPP. RESCRIBVNT ADVERSVS MANICHÆOS.

c Edictum Dio. Greg. l. 1 Theod. de Collat. Moſſ. & Rom. legum, tit. 15.

IESV CHRISTI AN. 290.291.292.

CAII AN. 7.8.9.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 7.8.9.

I.

ANNO Chriſti ducenteſimo nonageſimo, Imperatores Diocletianus quartum & Maximianus tertium adierunt Conſulatum quibus inſcripta habentur Proconſularia Geſta *d* publice à Notariis excepta, inſignis Confeſſionis & Paſſionis ſanctorum Martyrum *Tharaci*, *Probi*, *& Andronici*, Tarſi in Cilicia: qui poſt alia ſæuiſſima tormenta, beſtiis ferociſſimis obiecti, cum ab illis, licet ipſimet eas irritarent, illęſi permanſiſſent, demum gladiis confoſſi ſunt: corpora vero ab Ethnicis permixta corporibus extinctorum gladiatorum, apparentibus diuinitus ſuper illa faculis, à Chriſtianis ſunt agnita, & honeſtæ ſepulturæ tradita.

d *Edidit Bar. Ann. Tom II. an. 290. ex vetd. mſ.*

II.

Anno vero ducenteſimo nonageſimo primo, Iunio Tiberiano & Caſſio Dione Coſſ. nihil geſtum reperitur Annalibus Eccleſiaſticis dignum. At

III. CONSTANTIVS ET GALERIVS CÆS.

Anno ducenteſimo nonageſimo ſecundo, Annibaliano & Aſclepidoto Conſulibus aſſumptos eſſe in regnum, *Flauium Conſtantium Chlorum* (Magni Conſtantini parentem) & *Maximianum Galerium* cognomento *Armentarium*, Euſebius *e* teſtatur. Qui quidem Conſtantius (vt ibidem dicitur) Claudii Iunioris Imperatoris ex filia nepos fuit; ſeu potius (vt ex Trebellio dictum eſt ſuperius) Criſpi fratris Claudii ex filia nepos: Galerius autem in Dacia natus eſt: amboque vxores quas prius habuerant repudiare compulſi, Conſtantius priuignam Maximiani Herculii Theodoram ex Eutropia ipſius vxore genitam accepit, Galerius filiam Diocletiani Valeriam. Hæc Euſebius hoc ipſo Chriſti anno, licet in numero annorum imperii Diocletiani (vt diximus) errore labatur. Sicut & errare certum eſt *f*, qui horum Cæſarum creationem ponunt anno ſuperiori. Nam cum in inſcriptione edicti *g* eiuſdem

e *Euſeb. in Chron.*

f *Panuin. Faſt.*

g *Ap. Euſ. l. 9. c. 9.*

eiusdem Galerii pro Christianis editi, simul iungatur eius Consulatus octauus cum Tribunitia Potestate vicies repetita, incidisseque habeatur in annum Domini trecentesimum vndecimum; necesse est ab hoc anno ducere eius regni principium. Cæterum præter matrimonia quæ diximus contracta, Diocletianum adoptasse sibi in filium Galerium, & Maximianum Constantium, testatur Panegyricus eidem Diocletiano dictus. Quod vero ab Eusebio adsciti dicantur hi Cæsares, ad propulsandos barbarorum, vel tyrannorum insultus; alius Panegyricus Maximiano inscriptus, contrarium potius videtur adstruere: nempe parato Imperio, quæsisse Diocletianum & Maximianum, qui parta tuerentur, ac nouis accessionibus propagarent.

IESV CHRISTI AN. 293.294.295.

CAII AN. 10.11.12.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 10.11.12.

I. ANno Christi ducentesimo nonagesimo tertio, Diocletiano quintum & Maximiano quartum Augustis Coss. qui secundus est annus Imperii Galerii Maximiani, consignata habentur exordia Actorum *a* Martyrum *Nicomediensium*, de quibus postea.

II. Anno vero ducentesimo nonagesimo quarto, Constantio Chloro & Galerio Maximiano Cæsaribus Coss. tertio Idus Augusti *Susanna* filia Gabinii fratris Caii Papæ, cum ad nuptias eiusdem Galerii à Diocletiano affine, nullis suasionibus, nec diuturno carcere, aliaue vlla arte induci valuisset, Christiana cognita, post exitatam diuina protectione vim à Galerio virgini afferendam; (quippe resiliit Galerius correptus numine, cuius fulgore eam ambiri atque custodiri cognouit; etsi totum hoc magiæ tributum fuerit:) post quæ Iouis statuam, quam adorare compellebatur, precibus suis alio amandatam: demum eiusdem Diocletiani iussu, in paternis ædibus capitis abscissione martyrii palmam est consecuta. Sed & alii Imperatoris affines, tam viri quam feminæ, ab iisdem Caio & Gabinio eodem patre affinibus Christiani reddiți, ad Ostia Tiberina ab Vrbe abducti, incendio consumpti sunt, cineresque in fluenta iactati. Hæc fusius eiusdem Susannæ Acta *b*, quibus & vetera quæque Martyrologia eidem adiiciunt.

Habetur & in iisdem Actis mentio *Serenæ* Augustæ vxoris Diocletiani, Christianæ feminæ prientissimæ: cui Christum clam colenti, cum vir eius curam dedisset abducendi Susannam à Christiana religione; non solum id ipsa non præstitit, sed & magnopere eandem ad fidei constantiam roborauit: & postquam illam martyrium consummasse audiuit, noctu ad eius ædes accedens, propriis manibus corpus extrauit, & aromatibus condiuit; velumque, quo sanguinem eius absterserat, apud se in theca argentea seruauit, diu noctuque fortuitis horis ibi orans. Hæc in Actis Susannæ de Serena Augusta: cuius etiam fit mentio in Rebus *c* gestis Sancti Marcelli Papæ: eandemque sancto demum fine quieuisse, Occidentalis Ecclesiæ e Tabulæ omnes antiquitus scriptæ affirmant: cum alioqui apud auctores Ethnicos, vel antiquas Inscriptiones, nulla penitus habeatur de nomine Diocletiani coniugis mentio.

Ad res autem Susannæ elucidandas intelligendum est, Diocletiani filiam, quæ coniugio iuncta fuerat Galerio, haud diu post nuptias fuisse superstitem; siquidem nulla extat alia eius memoria in antiquioribus monumentis, nec ex ea proles aliqua legitur suscepta. Pater autem vt filiæ defunctæ memoriam consecraret æternitati, Pannoniæ partem (vt inquit Ammianus *f*) eius nomine institut atq; cognominari voluit: cuius post Ammianum Zosimus *g*, & ex nostris Sanctus Ambrosius *h* meminerunt: quæ dicì consueuit *Valeria Pannoniæ*, ad distinctionem Valeriæ prouinciæ in Italia, cuius est frequentior apud veteres mentio. Eundemque insuper Diocletianum eiusdem filiæ suæ nomine, *Valeriam* nuncupasse ciuitatem sitam ad ripam Danubii, Eutropius *i* tradit. Mortua igitur Valeria, Diocletianus Galerium sibi affinitatis vinculis iterum obligare studens; quam in sua cognatione haberet gradu propinquiorem virginem, eam illi fœdere nuptiarum coniungere decreuit, nisi ipsa Susanna restitisset. Cuius quidem stemma in eius Actis sic deducitur, vt Maximus seu Maximinus Diocletiani germanus duos reliquerit liberos, Caium atque Gabinium, quos Christianæ religionis professio ab eiusdem Diocletiani consuetudine segregauit: duxerit autem vxorem Gabinius, & ex ea Susannã susceperit; idemq; postea vxore defuncta presbyter factus fuerit; & egregia eruditione præditus, aduersus Gentiles se ipserit pro religione Christiana defensionem. Caius autem, quod duxisset vitam cœlibem, totius quoque religionis Christianæ Pontificatum nactus fuerit. De nece vero vtriusque fratris occasione Susannæ, dicetur paulo post. Namque sequenti

Anno Christi ducentesimo nonagesimo quinto, Tusco & Anullino Coss. nihil præterea gestum reperitur, nisi quod pars Actorum in causa eiusdem Susannę ad eum vsq; protracta esse videatur.

IESV CHRISTI AN. 296.

MARCELLINI AN. 1.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 13.

I. Anno Christi ducentesimo nonagesimo sexto, Diocletiano Augusto sextum & Constantio Cæsare secundum Coss. decimo Calendas Maii, *Caius* Papa martyrio coronatur, cum sedisset annos duodecim, menses quatuor, & dies quinque; idque (vt habet Anastasius libro de Romanis Pontificibus) propter Susannam Gabinii filiam, de qua nuper dictum. Sed & ipse Gabinius *e*, post diuturnas vinculorum ærumnas, pretiosa morte cœli gaudia comparauit. Fertur Caii nomine epistola hoc anno iisdemque Coss. Calendis Martii ad Felicem Episcopum data. Quod autem in dicto libro de Rom. Pontif. ab eodem constitutum dicitur, vt per omnes septem Ordines ad Episcopatum ascenderetur; neq; aquam sic intelligendum est, vt ipse primus id instituerit, quod iam temporibus Apostolorum stabilitum fuisse vidimus; sed ipsius de hac re decretum eiusmodi fuisse videtur, vt non prouehereturad thronum Episcopalem, nisi qui in singulis inferioribus Ordinibus consueto tempore ministrasset.

Eo vero sepulto in Cœmeterio Callisti via Appia, post dies vndecim subrogatus est in locum eius quinto Nonas Maii, MARCELLINVS patria Romanus, patre Proiecto. Quem quidem sic post Caium Eusebius, & alii eum secuti posuerunt, vt Marcellum qui Marcellino successit, omnino prætereuntes, ex ambobus ob nominis similitudinem vnum conflarint. Verum Tabulæ Ecclesiasticæ, in quibus series Romanorum Pontificum habetur adscripta, Martyrologia, vetusq; illa Scriptus Liber de Romanis Pontificibus, Tabulæ Cresconianæ, ac denique Latini omnes qui texuere catalogum Romanæ Vrbis Episcoporum, atq; inter alios Optatus *d* & August. *e*, omnes pari consensione ambos ponunt; quos & ipsa suaipsorum Acta plus satis distinguunt ab inuicem. Cæterum extat eiusdem Marcelli nomine inscripta epistola hoc anno iisdemq; Coss. octauo Idus Septembris, ad Salonionem Episcopum, qui ipsum consuluerat de hæreticis ex Pauli Samosateni schola nuper emergentibus.

Hoc eodem anno decimo tertio Imperii Diocletiani, post Hymenæum ponitur ab Eusebio *f Zambdas* Episcopus Hierosolymitanus.

IESV

I. a *Ap. Metap. & Sur. 26. Dec.*

II. APPINIS DIOCLETIANI CHRISTIANI MARTYRES.

b *Ap. Sur. 11. Maii. Martyrol. 18 Aug. & 18. Febr.*

III. SERENA AVGVST. CHRISTIANA.

c *Ap. Sur. 16 Ianuar. Martyr. Rõ. & alia omnia 6. Aug.*

IV.

Amm. l. 19. Zos. l. 2. Amb. de fid. 4. in fi.

a *Strab. l. 5. C. Th. l. 9. tit. 30. quibus equat. vs. l. 5. Greg. PP. in dial. Paul. diac. de gest. Longob. l. 2. c. 11. &c.*

b *Eunod. in Act. S. Anto monach.*

SVSANNÆ MARTYRIS STEMMA.

V.

I. CAII PP. MARTYRIVM.

c *Martyrol. Rom. 11. Cal. Mart.*

II. MARCELLINVS PAPA.

d *Opt. lib. 2. cont. Parm. e Aug. ep. 163*

III. f *Euf. in Chr.*

IESV CHRISTI AN. 297.

MARCELLINI AN. 2.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 14.

I. MILITVM THEBÆORVM MARTYRIVM.

ANNO Christi ducentesimo nonagesimo septimo, Maximiano Augusto quintum & Maximiano Cæsare secundum Coss. Legio Christianorum militum *Thebaorum* ab Oriente Romam euocata, & à Marcellino Papa exhortatione firmata, missa est à Diocletiano Imperatore in supplementum exercitus ad Maximianum Herculium collegam in Gallias, aduersus rusticanos, qui ducibus Amando & Æliano tumultuantes, factioni suæ *Bagaudarum* nomen imposuerant. Meminerunt huius Bagaudarum commotionis, & Maximiani ad eam cõpescendam expeditionis, præter eorundem Thebæorum militum Acta, ex alienis Eutropius *a*, ex nostris Orosius *b*. Cum autem in lustratione exercitus, præter militum consuetum iuramentum, de quo dictum est alias *c*, eadem legio contra morem ad Diis sacrificandũ compelleretur, eam ipsa impietatem abominata, iussu Maximiani semel atque iterum decimationem pãssa est, omnesque tandem eius milites qui tunc adfuere, vna cum Tribuno *Mauritio*, à reliquo exercitu interempti, mira patientia martyrium susceperunt decimo Calendas Octobris in loco Agauno in finibus Sedunorum.

a *Eutr. lib. 9.*
b *Oros. l. 7. c. 25.*

II.

Hoc autem nobilissimum eorundem certamen, ex antiquioribus monumentis restitutum, Sanctus Eucherius Episcopus Lugdunensis posteris legendum tradidit *d*: quod & Marbodum Episcopum Redonensem scriptis consignasse, auctor est Sigebertus *e*. Scripsit etiam de iisdem carmen Venant. *f* Fortunatus; & de miraculis ad eorum sepulchrũ fieri solitis meminit Gregorius *g* Turonensis: sed & frequentem fuisse Fidelium Occidentalium ad Agaunenses peregrinationem, quamplurima probant antiquitatis monumenta. Denique reperiuntur in Tabulis Ecclesiasticis, diuersis temporibus alibi passi nonnulli ex eiusdem legionis Thebææ militibus, siue antea variis (vt fit) occasionibus, siue post cædem legionis, cum duæ tunc cohortes aduersus *Carausium* quendam rebellantem (cuius etiam meminit Eutropius *h*) in expeditione essent; quæ integræ cum suis ducibus *Gerione & Victore* deletæ sunt: Eorum vero, aliorumque plurimorum militum, tunc pariter in Gallia iussu Maximiani pãssorum, martyrium, ex antiquioribus monumentis descripsit Helinandus *i* celebris suorum temporum auctor. Cæterum quod & Græci quoq; sub Diocletiano & Maximiano suum habeant *Mauritium*, & commilitones martyres Apameæ in Syria, (quorum gesta descripsit Metaphrastes *k*) inde factum est vt pleriq; vtrumq; Mauritium perperam in vnum confuderint.

d *Ext. ap. Sur. 22. Sept.*
e *Sigeb. de vir. Illust. c. 139.*
f *Ven. Fort. l. 2.*
g *Gr. Tur. de glor. mar. c. 76*
h *Eutrop. l. 9.*
i *Ap. Sur. 22. Oct.*
k *Habet etiã Sur. mẽs. Iul.*

III. MAXIMIANVS QVALIS.

Porro Maximiani in Gallias expeditionem, licet Eutropius & alii ad exordia ipsius Imperii referant; (ac proinde Thebæorum martyrium nonnulli ad eadem initia reducant:) quod tamen iidem Eucherius & Helinandus eam sub Marcellino Papa contigisse testentur, hic potius de illa agendum putauimus. Haud vero mirum, si hæc & alia id genus in Christianos meditatus est Maximianus, cum esset homo (vt ait Victor) natura ferox, ardens libidine, consilio stolidus, ortu agresti Pannonioque; & (vt ait Eutropius) inciuilis ingenii, asperitatem suam & vultus horrore significans: quem & Iulianus *l* Apostata egregiis ignominiæ notis sugillans, quod acerbus & intemperatus esset, rerumq; nouarum cupidus, & perfidiæ plenus, à bonorum exclusit consortio Principum.

l *Iul. in Cæs.*

IV.

Sed & hoc eodem anno Diocletiani decimo quarto, Veturium militiæ Magistrum Christianos milites in Oriente persecutum esse, scribit Eusebius *m*, & ex illo tempore persecutionem aduersus Christianos vehementius processisse. Etenim qui penitus Religionem Christianam conuellere decreuerant, à Militibus incipiendum existimarunt; ne cum publica eorum per vniuersum Imperium edicta sæuirent, essent qui obsisterent armati Christiani.

m *Euseb. in Chron. & 8. hist. 4.*

PERSECVTIO COEPTA IN MILITES CHRIST.

IESV CHRISTI AN. 298.

MARCELLINI AN. 3.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 15.

I.

ANNO Christi ducentesimo nonagesimo octauo, Fausto & Gallo Coss. Persecutio in Christianos milites sæpe grassari cœpta, totum inuasit Romanum Orbem. Sed inter alios magnopere elucet *Marcelli* Centurionis martyrium; qui abiecta militia ne sacrificare cogeretur, Tingi in Mauritania, post egregiam Christi nominis cõfessionem, capite truncatus est; suique certaminis ac triumphi participes habuit *filios suos duodecim*. Ea vero de re hactenus extant *a* Acta sincerissima; aliaq; citantur *b* consignata huius anni Coss.

a *Ap. Sur. 30 Oct.*
b *Ap. Vasæ in Chro. ex Breuiar. Eborẽs.*

II.

Sed non contentus Maximianus veloci martyrio necare milites; vt eos more seruorum diuturno labore fatigaret, ad opus damnauit. Hoc namque anno decimo quinto Imperii Diocletiani (inquit Eusebius *c*) *Thermæ Diocletianæ* Romæ factæ sunt, & Carthagine *Maximianæ*. Verum non hoc anno perfectæ, sed cœptæ esse dicendæ sunt; quæ post annos septem absolutæ & ornatæ, à Constantio & Maximiano Galerio Augustis, necnon à Seuero & Maximino Cæsaribus (vt vetus fert inscriptio *d*) dedicatæ sunt, & publico vsui mancipatæ: cum integro isto septenio eiusmodi immensæ molis operi construendo, (erant enim Thermæ Diocletiani, vt Ammiani *e* verbis vtar, in modum prouinciarum extructæ, præ incredibili sui amplitudine) Maximianus Herculius Romæ tunc agens, Christianos milites, quos vel ibi reperiri vel ex variis prouinciis illuc perduci contigit, adscripsit; haud tamen cessans illorum quamplurimos inter ipsa opera diuersis occasionibus ferro flammisq; necare. Inter quos maxime enituit *Maximi* Millenarii constantia; qui vna cum vxore & liberis varie torti, nobilissimum consummarunt martyrium. Factumque est vt *Flauianus* Præfectus de prædictis liberis quæstionem habens, viso super eorum capita cælestis nuntii splendore, perterritus à cœpto iudicio desistens Christianamque religionem vna cum omnib. suis amplectens, martyrium eum iisdem obtinuerit.

c *Eus. in Chr.* THERMÆ DIOCLETIANÆ.
d *Ap. Panui. in Fast.*
e *Amm. lib. 16.*

At hæc omnia quomodo gesta fuerint, narratur pluribus in Actis Marcelli *f* Papæ: in quæ tamen errorem nominis irrepsisse puto, vt quæ primo loco dicuntur facta sub Marcello & à Marcello, tribui debeant Marcellino: nam hoc tempore Maximiani Herculi; Romanæ Ecclesiæ Marcellinum, non Marcellum præfuisse, quæ inferius dicturi sumus, aperte declarant. Perperamque ibidem Claudii Imperium & Maximiani coniungitur: Sicut & quæ habent de Arthemia, vsque ad Acta & exitum Marcelli Papæ, additamentum putamus, quod in multis fide vacillent: nam nec vlla mentio fit *de Arthemia* filia Diocletiani virgine & martyre in Tabulis Ecclesiasticis, cuius tam nobilis memoria mille fuisset monumentis exprimenda; nec de illa præterea mentio est apud scriptorem quemquam.

f *Ap. Sur. 16. Ianuar.*

Cæterum quod milites seruilibus pœnis subiectos certis in ignominiam plane Christianæ factum est Religionis; cum alioqui Romanis *g* legibus non liceret militem ad metalla damnare, vel torquere. Sicq; videas Christianos milites transfugarum loco habitos; quos fas esset (vt & alias sæpe contigit) ad bestias ac furcas damnare. Thermis porro absolutis, qui constantes in confessione Christi perstitissent, ne forte laborum opere alleuiari, (quod ingens esset illorum numerus, nempe decem millium ducentorum trium) aliquid in Imperium moli-

IV.

g *l. 3. §. nã in. D. de re mil.*

rentur, omnes pariter vna cum *Zenone* Tribuno, qui inter eos dignitate excellere videbatur, extra portam Trigeminam ad Aquas Saluias in loco dicto *Gutta iugiter manans*, necati sunt septimo Idus Iulii, quo celebri memoria annuatim eorundem triumphi dies natalis recolitur.

V. Hoc eodem anno decimo quinto Diocletiani, (vt auctor est Eusebius) defuncto Zambda Episcopo Hierosolymitano, in locum eius subrogatus est *Hermon*, qui & Thermon dictus reperitur.

IESV CHRISTI AN. 299.300.

MARCELLINI AN. 4.5.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 16.17.

I. ANNO Christi ducentesimo nonagesimo nono creati sunt Coss. ambo Augusti Diocletianus septimum & Maximianus sextum; quibus notata habentur Acta a SS. Martyrum *Gurie & Samonæ*; qui quod Edessæ in Syria puri vitam agentes alios ad Christianam fidem hortarentur, post horrenda diutinaque tormenta, capite truncati sunt: quos etiam Aretas b Cæsariensis egregia est prosecutus oratione; qua & complexus est reliqua à Diocletiano aduersus Christianos eadem persecutione decreta.

a *Ap. Sur. 15. Nouemb.*

b *Ap. Sur. ibi.*

II. Hoc quoque eodem anno c decimo sexto Diocletiani, vita functo Cyrillo Episcopo Antiocheno, locum eius obtinuit *Tyrannus*.

c *Euseb in Chron.*

III. Anno vero Christi trecentesimo, Diocletiani d decimo septimo, Constantio & Galerio Cæsaribus tertium Coss. mortuo Theona Episcopo Alexandrino subrogatus est *Petrus*, de quo plura infertur.

d *Eus. ibid.*

IESV CHRISTI AN. 301.

MARCELLINI AN. 6.

DIOCLET. & MAXIMIANI } AN. 18.

I. TRIVMPHVS DE PERSIS AC PARTHIS. ANNO Christi trecentesimo primo, Titiano & Nepotiano Coss. agens Diocletianus Imperii annum decimum octauum, vna cum Maximiano collega insignem Romæ (quo rebus in Oriente feliciter compositis aduenerat) triumphum egit de Persis seu Parthis, per Galerium Maximianum Cæsarem, post multa prælia vario Marte cum illis pugnata, penitus deuictis, fugatoque ad inuios Parthiæ montes Narsæo, siue Narsete ipsorum Rege, ac propagato vltra Ctesiphontem Tigrim que (quod vix antea Romanorum cui quam Imperatorum licuisset) Imperio; ductis ante currum Narsæi coniuge, sororibus, liberisque, ac Persica gaza copiosissima. Hæc ex Eusebio e, & Eutropio f. Porro enituit in bello Persico sub Antiocho exercitus duce, eximia virtus *Andreæ* Tubani militum: sed eundem Christianum detectum, Galerius cum subiectis ipsi fortissimis militibus pariter Christianis, omnes per immissum exercitum in angustiis montis Taurí, sponte se neci pro Christi nomine offerentes, interemit decimoquarto Calendas Septembris, quo tum à Græcis, tum à Latinis celebratur eorum memoria: extantque f germana eorundem Acta, à Petro tunc Episcopo Tarsensi (à quo iidem baptismum susceperant, & post necem sepulti fuerunt) collecta, ut putatur, & scripta.

e *Eus. in Chr.* f *Eutrop. l. 9.* ANDREÆ DUCIS MARTYRIVM.

II. PERSECVTIONIS DIRISS. APPARATVS. Post hæc autem quiescentibus vndique bellis externis, ac ciuilibus penitus excirpatis, summa pace pariterque felicitate Imperio Romano gaudente, sub concordi administratione quatuor Imperatorum; qui præcipuus inter illos erat Diocletianus, his prosperis fastu elatus, primus omnium, (inquit Aurelius Victor) Caligulam post, Domitianumque, Dominum palam dici passus est, & adorari se, coliq; vti Deum: sed & veste ex auro quæsita, serici ac purpuræ, gemmarumq; vim plantis concupiuit: cum (vt subdit Eutropius) prius Imperii insigne in chlamyde purpurea tantum esset, reliquaq; communia. Iidem porro Imperatores, cum felicissimum rerum statum Diis acceptũ ferrent; ad maiorem eorum gratiam promerendã vnanimiter consilium inierunt, infestum Diis Christianum nomen prorsus extinguere; cuius roburi am disiecisse propemodum videbantur, dum fortissimos Christianos milites vbique locorum diuersis suppliciis è medio sustulissent. Adeoq; hoc ipso anno de inferenda vniuersis toto Orbe Christianis tæuissima omnium Persecutione edicta promulgarunt. Quod vero Eusebius a dicit, anno decimo nono Imperii Diocletiani, nempe anno sequenti, eiusmodi persecutionem cœptam esse; illud quidem intelligendum est de promulgatis edictis in ecclesiarum demolitionem & librorũ conflagrationem, ex quo plane tempore idem auctor numerare aggreditur persecutionis annos: cum alioqui & ipse (vt vidimus) æque fateatur, ante illud tempus in Christianos, præsertim milites, nonnihil esse sæuitum; (licet totum negotium ducibus tribuat, excusans Imperatores:) & quæ iuperius singulis ferme annis dicta sunt, aperte doceant ab ipso Imperii Diocletiani initio, ipsis iubentibus Imperatoribus persecutionem paulatim grassari cœpisse. Verum quod respectu subsecutarum calamitatum, illæ priores sint potius visæ velitationes quam pugnæ; eam Eusebius rationem numerandi annos Persecutionis iniisse videri potest.

a *Eus. l. 8. hist.*

De his autem acturis primo se se offert, quod in Actis b plane sinceriſſimis *Sancti Sabini* illustris martyris & Episcopi Spoletini traditur; nempe, cum Maximianus Herculius Romæ esset, & decimo quinto Calendas Maias in Circo Maximo Ludos Circenses spectaret; Sexto misso Veneto vincente, acclamatum esse à populo, *Christiani tollantur* duodecies, & *Christiani non sint* decies: atque ex eo factum, vt Eugenio Hermogeniano Præfecto Prætorio referente in Senatu de Persecutione in Christianos decernenda, eademque decreta, Maximianus pridie Calendas Maias ad Venustianum Augustalem Tusciæ rescriptum dederit, vt vbicunque Christiani inuenti essent, aut sacrificare cogerentur Diis, aut pœnis subiicerentur, eorumque facultates Fisco vindicarentur. Hæc ibi. Porro hic idem ille est Hermogenianus, sub quo passus itidem Romæ legitur *Restitutus*, cuius extant martyrii Acta. Quanta vero impietate simul cum iniustitia, Senatus annuerit Gentilibus, necem Christianorum clamoribus in theatro poscentibus; quamque inique aduersus legem nuper à se promulgatam Maximianus in eosdem rescripserit; testis est ipsa edita ab eo simul cum Diocletiano sanctio c, qua decreuerunt, vanas acclamationes populi petentis necem alicuius, non esse audiendas: nec vocibus eorum credi oportere, quando aut noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari expetunt. Verum quod dicerent Imperatores, Christianos perduelles esse Imperii, dum Gentilitiam superstitionem à maioribus acceptam impugnarent; se iure necem illis inferre, errore decepti putabant. Quomodo autem *Venustianus* post hæc *Exuperantium* atq; *Marcellum*, religionis causa tormentis exagitatos morte damnarit; rursumque de Sabino Episcopo quæstionem habens, eius precibus meruerit fieri particeps veritatis, & ad Christum conuerti, ac deniq; tum ipse, tum *Sabinus* à Lucio Tribuno ad eos misso fuerint vltimo affecti supplicio, ipsa citata desuper Acta monstrant.

III. b *Habuit ea Baron. MS.* AD CLAMORES POPVLI DECRETA.

c *L. decurionum. C. de pœn.*

IV. PERSECVT. IN ORIENTE. Eodem quoque tempore in Oriente alter Maximianus cognomento Galerius Nicomediæ in Bithynia, nihil commotus horribili tonitruum sonitu, & elisso ex nubibus igne, denſaque grandine & profundis tenebris, quibus die sereno interrupta est eius oratio, Deos suos in opprobrium Christianorum extollentis; postquam frustra tentasset eosdem Christianos minis ac promissis ad idolorũ cultum allicere, magnam in eos persecutionem excitans, cum alios quamplurimos tam ex Clero, quam ex populo

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

variis cruciatibus extinxit, tum multa millia virorum simul & feminarum puerorumque, qui Natali Christi in Ecclesiam conuenissent, recusantes aræ pro foribus ad hoc positæ thus imponere, clausis ianuis, igneque circumquaque extructo, omnes intus cum ipsa ecclesia incendit. Describuntur hæc pluribus in germanis Actis SS. Martyrum Nicomediensium, *Indes* principis Eunuchorum Imperatoris, & *Domnæ* virginis, olim maximæ sacerdotis Dianæ ac Mineruæ, postea Christianæ factæ, aliorumque omnis sexus & conditionis sociorum martyrum; quæ ex antiquioribus monumentis Metaphrastes *a* descripsit: eisdemque adstipulantur Nicephorus *b*, & Ecclesiasticæ Tabulæ Græcorum & Latinorum; sed sunt ab Eusebio prætermissa, quod ipse res Nicomedienses à promulgatis tantummodo edictis de diruendis ecclesiis enarrare aggressus sit.

MARTYRES NICOMEDIENSES.

a *Metaphr. 26 Dec. & ap.*
b *Nic. lib. 7. c. 5. & 6.*

V. MONASTERIA VIRORVM ET VIRGINVM ANTIQVA IN ECCLESIA.

Nec quenquam moueat, si in eisdem Actis de *Asceteriis*, siue monasteriis, mentio habeatur; quod errore decepti multi putant, nonnisi à temporibus Constantini fuisse eiusmodi res, & nomen inuentum. Nam præter illa quæ superius de Essenis dicta sunt, & quæ de existentibus Apostolorum temporibus Virginum collegiis Ignatius *c* scribit; si de his dubitans, Eusebio fidem adhibet; equidem ipse hac eadem persecutione vrgente nonnullos ex Ascetis passos esse martyrium tradit *d*. Porro si Ascetæ erant, oportuit Asceteria quoque fuisse quibus ii continerentur, quod si virorum, multo magis sacrarum Virginum, quas timor facilis lapsus, & virgineus pudor magis includi debere suadent. Non fuisse namque asceticam vitam cuius illic Eusebius meminit, institutionem anachoreticam ab hominum remotam consortio; satis constat quod ait Seleucum militem qui se ei mancipauerat, vidnarum ac pupillorum prospexisse necessitatibus. Sed de his alias è pluribus.

c An. 57. n. 18

VI.

Cæterum in easdem virgines sacras dire tunc sæuitum esse Nicomediæ, sed eas tum fuga tum diuina custodia stuprum euasisse, eadem Acta declarant. Tunc enim accidit quod Sanctus Basilius *f* scripsit; Cum ferueret persecutionis immanitas, electas virgines propter sponsi fidem, ad illudendum impiis hominibus traditas esse, sed eum cuius gratia id perferrent, integra earum corpora non sine prodigio & virtute seruasse. Quod quidem demonstrat exemplum in iisdem Actis *Theophile* forma & genere cæteris præstantis; quæ à lictorib. ad lupanar tracta vt violaretur, sic à iuuene quodam pulcherrimo & lucidissimo, qui veluti quædã tela fulguris emittere ex oculis videretur, custodita est, vt primus qui ad eam ingressus esset, statim ceciderit mortuus, reliqui vero cæcitatem & acerbiora mala passi fuerint, ipsaque inde in ecclesiam Christianorum intacta reducta. Extant vero & alia similis custodiæ exempla in aliis antiquis monumentis, quorum nonnulla memorabuntur suis locis.

f Basil. de ver. virg.

THEOPHILA VIRGO DIVINITVS LIBERATA A PROSTIBVLO.

IESV CHRISTI AN. 302.

MARCELLINI AN. 7.

DIOCLET. & MAXIMIANI } IMP. AN. 19.

I.

ANno Christi ducentesimo secundo, Constantio Chloro & Galerio Maximiano Cæsaribus quartum Coss. Diocletiani Imperii decimo nono, sæuissimam omnium PERSECVTIONEM (quam DECIMAM vocant *g*) nouis aduersus Christianos, mense Martio, aduentante die Paschatis, per vniuersum Imperium Romanum promulgatis edictis, concitatam esse tradit Euseb. *h*; qui (vt sæpe dictum est à tempore eiusmodi edictorum, huius Persecutionis numerat annos. Fuerunt autem (vt ait) illa edicta vt diruerentur Ecclesiæ, & omnes Christianorũ Scripturæ igni traderentur; & qui honores fuissent adepti deponerentur, cæteri vero libertate priuarentur; deniq; vt omnes vbique Ecclesiarum Præsides conicerentur in vincula, & quibuscunq; adhibitis machinis victimas idolis immolare cogerentur. Hæc de edictis hoc anno latis Eusebius.

g Aug. 18. de ciuit. 52. Oros. l. 7. c. 27.

h Euseb. 8. hist. 3. PERSECVTIONIS EDICTIS AVCTA

II.

Qui dum paulo ante suum in hac describenda Persecutione institutum aperiens *a*, ait se haud prosecuturum esse lapsus Christianorum qui tunc à fide defecerunt, sed triumphos duntaxat Martyrum: cum accurati sit historici, æque damna atque victorias recensere, suspectum hoc eius nobis silentium reddidit, vt pudori suo potius quam aliorum consuluisse visus sit. Etenim ipsum à fide excidisse, & vt liberaretur à paratis sibi tormentis, Gentilibus obtemperasse; in Conuentu Tyrio (sicut refert Epiphanius *b*) Magnus ille Potamon Heracleæ in Ægypto Episcopus, qui eodem cum Eusebio carcere detentus oculum amisit pro defensione veritatis, in faciem exprobrauit. Sed & cum postea *c* instituti sui rationem iterum recensens, abstinere se ait à pœnis vltricibus quas Ecclesiarum pastores pro male gubernato grege senserunt, dum alii camelorum & equorum curæ mancipati sunt à ministris Imperatorum, alii contumeliis, iniuriis, tormentis affecti; hæc quidem non apud alios fidem inuenerunt: quippe Constantinus ipse Magnus in edicto *d* quod pro Christianis promulgauit, rem sibi apprime cognitam testatur, nempe Apollinem id temporis ex antro quodam oracultum edidisse, Iustos qui in terris erant, impedimento ipsi fuisse quominus vera loqueretur: atq; inde Diocletianum Imp. cum à suis vatibus audisset, per illos *Iustos* intelligi Christianos, acerbiorem in eos persecutionem intentasse. Quare quod Eusebius Sacerdotibus eo nomine detrahit, (tum etiam si fuissent antea vitâ turpissimi, confessione tamen nominis Christi ea tormenta patientes, omnes apud Deum & homines anteactæ vitæ notas expungere potuissent) infensum plane in eos præsefert animum, inducitque vt illud de eo opinemur, hominem semel lapsum, & ab Episcopis Catholicis (vt moris est) communione Fidelium interdictum, eos contumeliis proscidisse, & confessionis eorum gloriam obscurare voluisse. Nam quem semel diabolus fecit fidei desertorem, eundem quoque adiungens postea Ario, constituit perfidiæ defensorem. Ex quibus intelligas opus esse nobis, illum hactenus intrepide secutis, posthac cautius eius vestigia assectari præsertim in iis quæ ad Ariani dogmatis historiam spectant.

a Ibid. c. 2. DE EVSEBII CÆSAR. LAPSV, ET MALA FIDE. [Bar. hoc an. & 308.

b Epiph. hær. 68

c Euseb. 8. hist. 12

d Ap. Euseb. 2. de Vit. Constant. 49. 60.

III. DEMOLITIO ECCLESIARVM.

Vt autem sigillatim de rebus in hac persecutione gestis agamus, quod imprimis attinet ad edictum de Ecclesiis demoliendis, Theodoretus *e* affirmat eas omnes vna die, nempe Passionis Domini, ex composito diruras fuisse: Eusebius *f* autem non vna die, sed ipsis diebus Paschalibus id contigisse tradit. Quod vero pertinet ad iussionem de sacris Codicibus concremandis; scribit Arnobius *g*, fuisse etiam nonnullorum Gentilium sententiam, non tantum vt Christianorum codices igni subiicerentur; sed & illi omnes, licet à Gentilibus scripti, quibus Gentilitia superstitio videretur posse conuelli, ac præsertim quos Cicero de Natura Deorum vel de Diuinatione conscripsit, pariter abolerentur. Porro Imperatoris edicto promulgato, cum in omni prouincia Præsides, & in singulis locis quique Magistratus, omni studio & adhibitis tormentis inuigilarent vt à Christianis codices traderentur, qui atrocitate pœnarum perterriti, quos apud se haberent tradiderunt, vocati sunt *Traditores*, de quibus agetur sæpe inferius: qui vero mortem opperere maluerunt; cum præ nimio eorum numero impossibile videretur singulos recensere, omnium simul vna die memoriam Romana *h* Ecclesia celebrare consuetit. Vniuersę autem in omnis generis Christianos persecutionis acerbitatem, eorundemque in perferendis tormentis alacritatem, egregie inter alios describere Constantinus *i* Imperator, ac Seuerus *k* historicus.

e Theod. 5. hist. 38. init.
f Euseb. in Chr.
g Arnob. l. 3.

EDICTVM DE LIBRIS COMBVRENDIS.

h Martyrol. Rom. 2. Ian.
i Ap. Euseb. 2. de Vit. 51. 52.
k Seuer. l. 2.

Et quod spectat ad eorum numerum qui sunt eadem persecutione sublati; si ex vno mense totius decem annorum temporis quo ea post hæc perdurauit, licet deducere rationem, plane in immensum excrescet numerus. Nam in Libro Anastasii de Romanis Pontificibus traditur in Mar-

IV. DE IMMENSO NVMERO MARTYRVM IN HAC PERSECVT.

[Tractu quidem aliquanto, in vna Egypto ciuitate, centum quadraginta quatuor millia hominum, ac septingenta millia in exilium esse iecta]

V.

a *Euseb. 8. hist. c. 6.*

MARTYRES NICOMEDIENSES

cellino, (ex quo descripserunt alii) vno duntaxat mense numeratos esse decem & septem millia martyrum. Tantumq; abest vt temperantius post hæc actum fuerit, vt aliis etiam quæ videbimus edictis aucta persecutio, ferociorin dies vita fuerit: præterquam in prouinciis, quas Constantius Chlorus Cæsar regebat: qui etsi Christianus non esset, mitius tamen cum iis egit, vt dicetur inferius. Denique (vt Seuerus loquitur) omnis fere sacro martyrũ cruore Orbis infectus est: quippe certatim gloriosa in certamina tuebatur: nec vllis magis vnquam bellis mundus sanguine exhaustus est, neque maiori vnquam triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.

His igitur de illa summatim præmissis, iam præcipua quæ in singulis prouinciis gesta fuere, æque breuiter indicabimus. Ac primo Eusebius *a* à rebus Nicomediæ gestis exordiens, (vbi, inquit, duo ex Imperatoribus aderant, quorum alter ætate præcæteris prouecta primum Imperii gradum, alter quantum ab eo obtinuit; his videlicet notis Diocletianum & Galerium Maximianum designans) primum qui tunc ibi passus est, tradit fuisse illustrem quendam virum, qui magno fidei ardore edictum Imperatorum publico loco affixum, tanquam profanum & impium, manu auulsum dilacerauit. Postea vero ad Imperatorum aulicos eximium describit Præfecti *Dorothei*, aliorumque nonnullorum certamen, & post sepulturam corporum effossionem, (quippe quæ sepeliri prohiberentur, ne à reliquis Christianis consueta veneratione colerentur) & in mare proiectionem: additque *de Antimi* eiusdem Ecclesiæ Episcopi passione, ac de ingenti martyrum turba qui ei fuere per varia supplicionum genera adiuncti. At vero has easdem res tunc Nicomediæ gestas, quas Eusebius leuiter tantum attigisse visus est, pluribus descriptas habes in prolixioribus iisdemq; sinceris Actis *Nicomedienſium Martyrum*, de quibus dictum est anno superiori: in quibus inter alia illud memoria dignum *de Domna* maxima olim sacerdote Dianæ traditur, quod anxie quæsita ad necem, sub virili habitu diu latuerit, & tandem delata quod martyres sepultura donaret, capite truncata sit.

VI.

b *Lact. l. 5. c. 2.* ETHNICI SUB BUNT ADVERSUS RELIG. CHRIST.

Sed & quod ad easdem res Nicomedienses spectat; qui tunc ibidem Rhetoricam publice profitebatur, Lactant. *b* orator Christianus, testatur hoc ipso anno quo Ecclesias demoliebantur Imperatores, duos in eadem ciuitate extitisse qui aduersus religionem nomenque Christianum scripta virulenta ediderint: alterum quidem Philosophum, & inter philosophos huius temporis principem sibi locum vindicantem, cum tamen libidinibus omni ex parte turpissimus esset; alterum vero è numero Iudicum, qui auctor imprimis faciendæ persecutionis extitisset. Porro licet quinam illi fuerint, Lactantius reticendum existimauerit; posterior tamen non alius quidem ex titulo quem operi suo imposuisse tradit, nempe *Veritatis amatoris*, esse cognoscitur, quam *Hieroclis*, quem eo titulo libros suos contra Christianos adnotasse, Eusebius est auctor, dum aduersum eum scribens omnes impudentis hominis conatus temerarios insectatur.

VII.

DE PORPHYRII SCRIPTIS IN CHRIST.

c *Sup. an. 264.*

Euseb. in l. philos. Cyr. Alex. cont. Iul. l. 3. Id. lib. 1.

De puore vero illo philosopho, nullus alius quem opinari possimus occurrit, nisi *Porphyrius*, quem inter Platonicos horum temporum excellusse, sed & perfidum apostatam aduersus Christianam religionem commentarios edidisse, exploratissimum est, de cuius patria, religione, ac moribus dictum est *c* sub Gallieno Imperatore, occasione ipsius Romam aduentus. Cum autẽ ipsiusmet testificatione constet, eum anno decimo Gallieni fuisse ætatis triginta annorum; hoc tempore sexagesimum octauum attigisse certum est: sed & peruenisse ad extremam senectutem, atq; Romæ obiisse, Eunapius *d* scribit. Porro ipsum *Calumniarum patrem* inter Cyrillus *e* appellat, quod amaros (vt ait *f*) libros in Christianos effuderit. Nec tamen omne simul virus iste serpens euomuit; sed primũ tres illos, quorum Lactantius meminit libros edidit, ac postea alios vsq; ad quindecim (teste Suida) addidit. Quod autem S. Augustinus *g* existimauit duos fuisse Porphyrios, alterum qui contra Christianos scripsit, alterum Siculum fama celeberrimum: reliqui omnes plane consentiunt, vnum tantum eundemq; fuisse qui aduersus Christianos scripsit, Porphyrium Platonicũ, cum eo qui (vt ipsemet *a* testatur) diutius apud Lilybæum in Sicilia habitauit.

a *Porphyr. in Vit. Ploti.*

[Fuit tamen *Pubillius Optatianus Porphyrius* poeta; cuius exstat ad Constantinum Imp. carmen panegyricum de laudibus eius & Crispi filii; eiusque beneficio reuocatus est ab exilio quo mulctatus fuerat; vt habetur in Chronico Hieronymi. Egit quoque de illo Baronius Tom. III an. 325. num. 90. posterioris editionis; retractans quod priori cum confuderat cum Porphyrio Platonico, de quo hic agitur. Nam & alioqui hunc impium philosophum non vltra Diocletiani tempora vitam extendisse, auctor est Suidas.]

Vt igitur tam Porphyrii, quam Hieroclis in Christianam religionem vulgatos commentarios penitus confutaret, veritatemque calumniis oppressam magis illustraret; idem Lactantius nobilem illam suscepit prouinciam, vt *Diuinarum Institutionum* septem luculentissimos libros conscriberet, sicut ipsemet sui instituti rationem reddens testatur *b*; cum tamen eos nonnisi sub Constantino ediderit. Sed & eosdem infames Porphyrii libros, simul ac prodierunt, aduersariis commentariis egregie confutasse insignẽ doctrina & sanctitate *Methodium* Tyri Episcopum, Hieronymus *c* est auctor: qui & alia eiusdem Methodii scripta recensens, addit eum ad extremum huius nouissimæ persecutionis in Chalcide Græciæ martyrio coronatum esse, Testatur *d* insuper, post Methodium etiam Eusebium, ac denique Apollinarem contra eundem Porphyrium commentarios ediditse: quem etiam sparsim cum idem Hieronymus, tum Augustinus, Cyrillus, & alii, cum se obtulit occasio, refellere non prætermiserunt. Demum vero Imperatoriis *e* sanctionibus iidem libri combusti iussi; penitus desierunt.

b *Lact. l. 5. c. 4.*

c *Hier. de Scr. Eccl. in Method.*

d *Id. in Euseb. & in Apollin.*

e *Extat an de re edicta Theodosii Iunioris & Valentin. Tert. in Act. Conc. Ephes. edit. Pelt. tom. 3. c. 29.*

Sed admirandum in eo præsertim diuinum consilium, quod hoc ipso tempore quo oblatrantium Infidelium studiis Christiana religio oppugnaretur, & maxima omnium persecutio in eam ingrueret, sed & Fidelium alii fugam arriperent, latebras quærerent alii, tursusque alii tormentorum metu succumberent: hoc, inquam, tempore Dominus Ethnicum hominem, eundemque Christianorum antea acerrimum hostem, diuina luce perfuderit, moxque antequam plene per baptismum fieret Christianus, vel etiam inter Catechumenos profiteretur, in ipsos Gentiles debellaturum immiserit: nempe *Arnobium* Afrum, inter Rhetores huius temporis facile principem; qui (inquit Hieronymus *f*) cum in ciuitate Siccæ ad declamandum iuuenes erudiret, & adhuc Ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab Episcopis impetraret fidem quam semper impugnauerat; elucubrauit aduersus pristinam religionem septem luculentissimos libros; & tandem veluti quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetrauit. Porro scripsisse eum commentarium hoc tempore, post promulgatum edictum de incensione librorum & ecclesiarum demolitione, facis constat, quod eius ipse g meminerit. Quod autem suum illud opus, vt inter Fideles admitteretur, festinus absoluit; hinc plane est quod in eo visus est Hieronymo *h* inæqualis & nimius, & absque operis sui partitione confusus. Rursumque quod nondum plene esset rerum Christianarum cognitione imbutus, venia dignus censeatur in aliquibus næuis apparuit commentarius ille respersus; qui in eo totus est vt refellat multiplices ab Ethnicis illatas in Christianos contumelias.

VIII.

LACTANTIVS SCRIBIT PRO CHRISTIANIS.

b *Lact. l. 5. c. 4.*

f *Hier. in Chron.*

g *Arnob. lib. 4. in fi.*

h *Hier. ep. 13. ad Paulin.*

Habuit olim inter alios insignes discipulos (vt ex eodem Hieronymo *i* colligitur) *Lactantium*, cuius nuper facta est mentio, & ipsum natione Afrum, scriptoremq; luculentissimum; sed quem scholasticum magis quam Ecclesiasticũ Damasus *k* Papa censuit, & Hieronymus eloquentem potius quam diuinarum scripturarum peritum; cuius & libri illi septem *Institutionum*, alteri *de Ira*, & *de Opificio Dei*, visi sunt quasi dialogorum Ciceronis epitome. Quapropter sacrarum Scripturarum ignorantia in enormes lapsum errores alibi idem Hieron. *m* docet: vt merito eiusdem opuscula percellantur censura Gelasii *n*. Sed errores diuersis locis librorum ipsius sparsos, collectos in vnum habes in fine Operum eius recentiorum edi. ionum).

i *Id. in ep. ad Gal. l. 2. c. 4.*

k *Ap. Hier. ep. 184.*

l *Hier. ep. 15. & 84.*

m *Id. in ep. ad Gal. l. 2. c. 4.*

n *Gelas. decr. de lib. apocr.*

IX.

ARNOBIVS SCRIBIT ADVERSVS GENTES.

VII. DE DVOBVS PORPHYRIIS.

g *August. 2. Retract. 31.*

X.

DE LACTANTII SCRIPTIS

Ap. Bar. hoc an. & 316.

i *Id. in Lact.*

k *Ap. Hier. ep. 184.*

l *Hier. ep. 15. & 84.*

m *Id. in ep. ad Gal. l. 2. c. 4.*

n *Gelas. decr. de lib. apocr.*

Vt ve-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

XI.
a *Eus. 8. hist. 6 in fi. &c.*
CARNIFICINA SANCTORVM DIVERSA.

Vt vero ad Persecutionem redeamus, pòst res Nicomedienses Eusebius *a* addit, occasione cuiusdam in Melitina regione & Syria aduersus Imperium cõspirationis, nouum exitisse Imperatorum edictum vt omnes Ecclesiarum Præsides, vtpote de conspiratione suspecti, in vincula & carceres conicerentur, indeque accidisse vt infinitus numerus episcoporum, presbyterorum, aliorumque Ecclesiæ ministrorum, vbique gentium in custodiam conclusus fuerit: Mox vero alio promulgato edicto, vt quicumque Christiani detinerentur in carcere, si immolare vellent, sinerentur liberi abire, recusantes autem diuissimis tormentis diue xarentur, innumerabilem tunc Christianorum omnis sexus & conditionis multitudinem alacri animo martyrium subiisse, ac præsertim in Africa, Mauritania, Thebaide, Ægypto, Syria, & Palæstina: quorum tamen omnium varia potius ac multiplicia tormenta, diuersaque necis genera summatim idem auctor recẽsuit, quam res ipsas aut personas singillatim descripsit: quamuis & harum nonnullas minime prætermiserit, atque inter alias *Phileam* Episcopum Thmuitẽsem, sanctitate, eruditione & prudentia clarissimum, de cuius etiam lucubrationibus & martyrio S. Hieronymus, *b* necnon Tabulæ Ecclesiasticæ meminere.

b *Hier. de Scr. Eccl.*
c *Mart. prid. Non. Feb.*

XII.
d *Tom. 1. Conc.*
DE MARCELLINI PP. ASSERTO LA PSV.
Ap. Bar. hoc an. & seq.

Interim verò dum hæc in Oriente gererentur, haud minor extitit in Occidente Persecutio, ac præsertim Romæ. Ferũtur imprimis Acta *d* quædam de *Marcellino* Papæ lapsu, deq; eius condemnatione in CONCILIO trecentorum Episcoporum anno sequenti Diocletiani octauum & Maximiano septimum Coss. decimo Calend. Septembris in crypta Cleopatrensi in ciuitate *Sinuessana* celebrato. Sed eadem Acta, licet triplici editione excusa, adeo cuncta sunt deprauata, vt perdifficile sit sensum ex eis germanum exquiri, & quæ scripta legimus in Cresconiana antiqua Collectione, haud emendatiora esse reperimus. Hoc autem (vt cõiectura assequi datur) significare prætendũt: nimirum cum Marcellinus Papa, vt thurificaret, per Vrbanum Iouis Capitolini Pontificem insulsis quibusdam rationibus pertentatus, eum refellisset, & prouocante Vrbano ad iudicium Imperatorum, ipsis Vulcanalibus; quæ mense Augusti Romæ agebantur, iisdem Principibus ambo ex condicto obtulissent contrariis sententiis libellos scriptos, Diocletianum consultius existimantem cum Marcellino leniter agere, blandis eum confabulationibus ad templum Vestæ perduxisse, & ad thurificandum compulisse, eiusque rei testes oculatos fuisse Christianos viros septuaginta duos, & (vt habent Acta) omnes electos esse viros Libram Occiduam, qui testimonium perhiberent se Marcellinum vidisse sacrificantem.

XIII.
DE LIBRA OCCIDVA.
e *Ext. post. Cod. Theod.*
f *l. quoties-cumque C. de suscептor. lib. 10 & l. 1. C. Vnde obl. voc*
g *l. 1. C. Th. de ponder.*
TESTES LXXII.

Sed antequam de Actis ipsis differamus, quod attinet ad *Libram Occiduam*, cum inoleuisset apud antiquos mos ille vt interdum ponderum notis numerum consignarent, veluti cum integram hereditarem pondo vnius libræ comprehenderent, partes eius secundum libræ pondus in alia quoque minora pondera (quod Volusius e Metianus describit) partirentur, ea ratione libram Occiduam hic vocatum esse numerum septuaginta duorum testium constat, quod scilicet sicut illius libræ legitimus solidorum numerus erat septuaginta duorum, (prout declaratur quibusdam legibus f ab Imperatoribus Valentiniano Romæ & Honorio Mediolani satis) ita idoneus ac sufficiens ad legitimam accusationem Marcellini faisset numerus septuaginta duorum testium. Et puto libram illam Occiduam dictam, ad differentiam prioris, quæ contineret octoginta quatuor solidos, iuxta partitionem primo (vt videtur) à Constantino g factam in Oriente, qua statuit continere auri vnciam septem solidos, quemlibet vero solidum quatuor appendi scrupulis: cum alioqui nonnisi viginti quatuor scrupuli pondus sit vnciæ. Cum ergo per Constantinum & Valentinianum illud sit discrimen inductum inter Libram Occiduam & Orientalem, nec penes antiquiores sit reperiri eiusmodi differentia, quippe nonnisi vna esset vbique libra: ex his plane intelligi potest, Acta illa Marcellini nequaquam his temporibus esse conscripta, sed post dictas promulgatas leges.

[Est tamen caput tertium Synodi Romanæ sub Siluestro ex quo apparet, etiam longe ante prædictarum legum promulgationem, necessarium fuisse numerum 72. testium ad alicuius Episcopi damnationem, quamuis nec illum, nec quemuis illum testium aut illicum numerum, sufficere ad condemnationem Rom. Pont. satis, & ibidem subdatur, & in hac ipsa præcepta Synodo Sinuessana sæpius repetatur.]

XIV.
DE ACTIS MARCELLINI.

His autem declaratis, vt de Actis recensitis agamus, quamuis ea veneranda extent antiquitate signata, veteribus testata monumentis, Tabulis Ecclesiasticis cogniti, plurimorumque testificationibus confirmata, tamẽ de veritatis certa fide dubitandum, multa monere videntur: atq; imprimis quæ in iisdem parum sibi constantia notantur. Quid enim est quæso, quod cum in templum Vestæ & Isidis introductus à Diocletiano Marcellinus dicatur, non tamen illis diis, sed Herculi, Ioui, & Saturno thurificasse narratur? cum secundum diuersa numina, distincta quoque solerent esse templa deorum, ac eorum pariter cultus, nec in templo Vestæ coli Iouem, vel in templo Iouis Vestæ sacra fieri solita, vel Marti, aut cæterorum cuipiam deorum, certum sit? Deinde quonam pacto asseritur hoc tempore, quo maximæ omnium persecutionis flagraret incendium, valuisse trecentorum Episcoporum cogi conuentum, paulo minorem illo qui sub maxima omnium Ecclesiæ pace, totis viribus adnitente ipso Constantino Imperatore, Niceæ fuit postea congregatus? Sed & quomodo in fine eorumdem Actorum de Diocletiano traditur, illum eodem sequenti anno, quo Concilium celebratum ponitur, expeditionem aduersus Persas comparasse, quos certum est iam anno superiori fuisse superatos?

XV.
TESTIMONIA ANTIQ. PRO MARCELLINO.
a *Eus. lib. 7. cap. 16.*
b *Theod. lib. 1. cap. 3.*
c *Aug. de unic. bapt. cont. Pet. c. 16. & cont. lit. Pet. lib. 2. c. 92.*

At licet ista satis fortia videri possint, addi tamen & alia fortiora valent. Si enim Græcos auctores de eodem Marcellino consulas, satis constat Eusebium *a* non nouisse eius lapsum, sed martyrium tantum, & Theodoretum *b* aperte de illo testari, magna fuisse gloria in ista persecutione nobilitatum. Immo & inter Latinos, qui vnus instar omnium videri possit S. Augustinus, cum Petilianus acerrimus Donatistarum patronus, & Pontificum Romanorum hostis, eumdem Marcellinum traditionis sacrorum codicum & thurificationis crimine argueret, Sanctus, inquam, Augustinus aduersus eum iterum scribens, omnino negauit id aliquando accidisse, eumdemq; Marcellinum plane innocentem fuisse pronuntiauit. At quomodo tam libere atque secure, id à Donatistis nulla probatione iactari affirmare ausus esset, si vel extitissent eius rei Acta, vel ipsa res pro cõstanti tunc habita fuisset? Aut si hæc vere gesta essent, quomodo ea solus Augustinus ignorare potuisset, quæ in medio Vrbis in qua, se diu versatus esset, ac coram Imperatore & in templo idolorum facta essent, à tali præsertim tantoque viro, & à tanto Concilio trecentorum Episcoporum condemnato? Vel denique cur id Augustinum negantem Petilianus aduersariis scriptis postea non redarguit, & à se absque aliqua probatione antea dicta, adeo certis firmisq; testimoniis postea non confirmauit? Sed & cum non Marcellinum tantum thurificationis criminis Petilianus argueret, verum etiam (testante ibidem Augustino) Marcellum, Melchiaden, atque Siluestrum Ecclesiæ Romanæ Episcopos, plane videri potest eadem facilitate ac falsitate qua cæteros, de quibus nulla vnquam fuerit suspicio, fugillasse et tam Marcellinum, in quem nihil amplius quam in reliquos intulerit: cum præsertim nec reliqui eiusdem temporis Donatistæ in tot Concilijs & Collationibus, nec ipsorum maiores tempore Constantini Imperatoris, cum omnem verterint lapidem, vt vnum diaconum Cæcilianum criminis traditionis arguerent, quem à Melchiade absolutum querebantur, pariter quos accusarent Romanorum Pontificum, ac Marcellini præsertim, cum opus fuit, (quod Augustinus obiicit) lapsus prodiderint ac probauerint, qui alioqui (vt videbitur sæpè infestius) consueuissent abdita quæque perscrutari, & quæ non inuenissent facta mentiri, vt Catholicos crimine thurificationis vel traditionis aspergerent.

XVI.
LAPSVS MARCELLINI NON OBEST ROM. SEDI

Hæc pũtro à nobis ex munere elucidandæ historicæ veritatis sunto allata; non autem vt lapsus Romanorum Pontificum, si vere contigerint, quouis prætextu siue in Marcellino, siue in aliis excusandos sumamus. Quantũlibet n. consen-

sensérimus id accidisse; nec certe animus est hic ceteris præscribere: vt aliter sentiant, cum nec ea quę diximus, eiusmodi esse reperiamus, vt ex eis Acta *a* Concilii asserti Sinuessani falsa penitus demonstrentur:) nihil est tamen quod huiusmodi peccatū circa charitatē meru mortis actu externo commissum, (qualis fuit olim Petri Apostoli negationis) aliquod præiudicium afferat Catholicæ veritati, fideiq; sinceritati, quæ semper in Ecclesia Romana illibata permānsit. Et vt aitegregie de his ipsis rebus Augustinus *b* contra Donatistas, *Non sane parua est, parumque gloriosa consolatio cuiusque nostrum, si ab inimicis Ecclesiæ cum ipsa Ecclesia criminamur: eius tamen defensio non in eorum hominum defensione consistit, quos isti nominatim falsis criminationibus appetunt. Prorsus quales fuerint Marcellinus, Marcellus, Siluester, Melchiades, Mensurius, Cæcilianus, atq; alii, quibus obiiciunt pro sua defensione quod volunt, nihil præiudicat Ecclesiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffusæ: nullo modo eorum iniquitate damnamur. Si boni fuerunt, in area Catholicæ tritura tamquam grana mundati sunt: si mali fuerunt, in aream Catholicæ triturā tamquam stipula comminuti sunt. Intra istam aream boni & mali esse possunt.* Deniq; & illud notandum, ex isdem Actis valde confirmari auctoritatem Romani Pontificis. Licet enim de actu infidelitatis Marcellinus accusatus, & tot testibus conuictus sibi referatur, tamen numquam trecenti illi Episcopi ausi sunt in eum ferre sententiam damnationis, antequam ipse se condemnasset: quin potius sępe ab omnibus acclamatum est, PRIMA SEDES A NEMINE IVDICABITVR. *Tu rem, tu iudex: ex ore tuo iustificaberis, & ore tuo condemnaberis. Nemo vnquam iudicauit Pontificem*, &c.

a *Prætermisso Concilio multa habet Baron. an. seq.*

b *Aug. de vnic. bapt. cont. Petil. cap. 16.*

XVII. MARCELLINI PRESB. ET PETRI MARTYRIVM.

Sed iam à Marcellino Romano Pontifice, ad Marcellinum eiusdem Ecclesiæ presbyterum trāseāmus. Inter multos enim qui his temporibus ex Romano Clero reperiūtur subiisse martyrium, enituit maxime eiusdem *Marcellini* presbyteri, & *Petri* exorcistæ certamen: qui quod multos, etiam in vinculis constituti, ad fidem Christi hortationibus & miraculis conuerterent, interque alios *Arthemium* carceris custodem, cuius filiam arreptam à dęmone liberassent; (qui & ipse cum suis martyrio coronatus est) iidem vt malefici longius amandati, ad *Siluam Nigram* perducti sunt capite truncandi, quorum animæ in cælum ferri visæ sunt, corpora Senatoriæ quædam Christianæ feminæ diuinitus monitæ sæpeliere. Locus vero martyrii eorumdem memoria illustris redditus, à fidelibus mutato nomine *Silua Candida* dictus est, idemq; præ Martyrum excellentia, sede quoq; Episcopali postea insignitus. Sed & illorum memoriam Constantinus Magnus via Lauicana erecta ecclesia digne prosecutus est, eorumdemq; nomine fuit Romæ Titulus institutus. Deniq; extant ipsorum ac sociorum Martyrum Acta *c*, quæ reddita Ecclesiæ pace, ab eodem ipso qui eos decollauit nomine Dorotheo, Damasus Papa tunc Lector & adhuc puer accepit, idemq; nobili epitaphio eorum sepulturā iam Pontifex exornauit. Ipse namq; *Dorotheus* sub Iulio Papa publicam agens pœnitentiam, populo indicauit quæ vidisset; & baptizatus in senectute sua, quieuit in Domino.

c *Ap. Sur. 2. Iunii.*

XVIII.

Tunc quoq; enituerunt nomine celebres *Maximus* presbyter & *Sisinius* diaconus eiusdem Ecclesiæ Romanæ, gloria confessionis, & virtute miraculorū illustres: qui pro religione Christiana amplificanda egregiam nauantes operam inter alios *Faltonium Pinianum* virum Consularem, eiusque coniugem *Lucinam* ad Christi fidem opportune perduxerunt, qui facti sunt Romæ agentibus fidelibus ab impetu persecutorum perfugium atq; solatium. Quomodo vero ista se habuerint, quibusq; mortis generibus iidem Maximus, Sisinius, & alii plurimi martyrium consecuti fuerint, declaratur pluribus in eorum Actis *d*, quæ hactenus extant, in aliquibus tamen corrigenda. In quibus etiam legas, nonnullos ex persecutoribus arreptos à dæmonib. misere periisse: quæ haud dissimilia ab iis esse noscuntur, quæ à Tertulliano in libello ad Scapulam, & ab aliis alibi recēsentur. Porro ex hoc Piniano, illum S. Albinæ generum fide Christiana clarissimum prouenisse putamus, cuius nomen SS. Hieronymi & Augustini chartis egregie illustratur. Ac de reliquis Martyribus dicetur anno sequenti.

d *Ibid. 11. Maii.*

XIX.

Præ omnibus autem prouinciis sensit Ecclesia Africana iacturam, quæ nullo vmquam remedio posterioribus temporibus redimi valuit: non quidem cæde martyrum, (nam id lucrum fuerat existimandum) sed quod Episcopi complures impio parentes Imperatorum edicto, sacros codices cum tradidissent, vna simul cōspirantes aduersus pios, schisma immortale conflarunt, de quo postea. Quamuis non defuerint etiam illic plurimi, qui tormenta mortemq; subire maluerint, quam eosdem sacros codices comburendos Iudicibus tradere: quorum omnium primus fuisse reperitur *Felix* Episcopus Thibarensis, in cuius martyrio Luna in sanguinem est conuersa, vt testantur sincera ipsius Acta *a*, ex Gestis Proconsularibus magna ex parte (vt apparet) accepta & eiusdem celebratur memoria in Tabulis *b* Ecclesiasticis. Similiter etiam in Actis Proconsularibus Saturnini & sociorum, de quibus agetur anno sequenti, est mētio de aliorum infracti animi constantia, qua ne traderent sacros codices, neue sacros conuentus prætermitterent, pœnis subiici sæpius ac deniq; morte mulctari fortiter pertulerunt. Vbi & ingens narratur miraculum de sactis Scripturis à Fundano Episcopo Alutinensi traditis, quas cum Magistratus igni apponeret, repentina pluuia sereno cælo ignis extinctus est adhibitisque grandinibus tota illa regio deuastata.

MARTYRES AFRI, OB NON TRADITAS SCRIPT.

a *Ibid. 24. Oct.*

b *Martyrol. Rom. 9. Cal. Nouemb.*

Porro vigebat his tēporibus in Africa cōsuetudo, (quam in aliis quoq; prouinciis seruatam credimus) vt quāuis immensus esset martyrum numerus ingraueścēte persecutione, non tamen absque delectu omnes qui passi essent in Ecclesiasticas Martyrum Tabulas referrentur, neq; passim cunctis deferretur honor & cultus probatis tantum martyribus debitus. Sub cuius enim Ecclesia aliquis passus esset, Episcopus rem gestam ad Primatem eius prouinciæ perferebat, ille vero rursum ad totius Africæ Primatem Carthaginiensem Episcopum, qui omnibus accurate perspectis, & (vt puto) communicato cum aliis Episcopis consilio, decernebat cuinam Martyris cultus deberet impendi, cuive denegari. Est enim de his egregium exemplum Mensurii huius ipsius temporis Episcopi Carthaginiēsis, litteras rescribentis ad Secundum Primatem Numidiæ, quibus illos interdixit honore martyrii, qui non diuini Spiritus impulsu, sed temeritate quadam, nulla à persecutore facta interrogatione, se sacros habere codices quos non essent daturi profiterentur. Eademque ex causa contra Cæcilianum eiusdem Mensurii Archidiaconum, exstitit furor Lucillæ potentissimæ feminæ Hispanæ, quæ ab eo correpta quod ante sacræ Eucharistiæ sumptionem (vt ait Optatus *d* hæc narrans) os nescio cuius hominis mortui, etsi martyris, sed nondum vindicati, libare diceretur; magna iracundia in eum debacchata est, vnde infinitæ postea turbæ secutæ sunt, de quibus agetur inferius suis locis.

c *Ext. ap. Aug. in Breu. Collat. die 3. cap. 13.*

d *Opt. lib. 1. cont. Parm.*

XX. MARTYRES LEGITIME PROBANTVR.

IESV CHRISTI AN. 303.

MARCELLINI AN. 8.

DIOCLET. & MAXIMIANI } AN. 20.

ANno Christi trecentesimo tertio, Diocletiano octauum & Maximiano septimum Augustis Coss. quarto Nonas Martii, cum *Cirtam* in Numidia vna cum Secundo Episcopo Tigisitano Numidiæ Primate conuenissent nonnulli alii Antistites, vt ibi in locum defuncti Episcopum ordinarent, cognita est pariter causa Episcoporum, qui codices ex Imperatorū edicto comburendos tradidissent. Cumque ii ferme omnes qui illi cōuentui interessent, ab eodem Secundo conuincerentur de traditione, ipse pariter de eadem à Purpurio Limatensi Episcopo, reo necis filiorum sororis suæ, accusatus; de quorumdam qui supererant cōsilio, ad vitandum schisma eos omnes in communionem recipere coactus est, causam eorum Deo reseruans: sicq; ab omnibus simul ordinatus est Episcopus Cirtensis, quidam Paulus nomine, qui hoc eodem anno conuentus à Magistratibus, libros & Ecclesiæ suppellectilia tradidit, sicut & Siluanus tunc eiusdem subdiaconus, postea vero & ipse Cirtensis Episcopus. Constant autem ista, cum ex ipsis eiusdem CIRTENSIS CONCILII Actis, quæ ab Augustino *e* & Optato *a* re-

e *Aug. 3. cont. Cresc. 39. &c.*

I. CIRTENSIS SYNODVS TRADITORVM.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

to a recitantur, (licet in mense & die celebrationis, alter ab altero nonnihil dissentiat) tum ex aliis actis, iisdem huius anni Coss. decimoquarto Calendas Iunii ibidem Cirtæ sub Munatio Felice Flamine perpetuo Curatore Coloniæ Cirtensis habitis, quæ pariter Augustinus b recitat ex aliis item Proconsularibus Gestis imperante Constantino aduersus eumdem Siluanum habitis sub Zenophilo Consulari, in quibus illa Munatii fuerant recitata ac simul intexta, cum & alioqui extent hactenus eadem ipsa integra Zenophili Acta.

a Opt. lib. 1. cont. Parm.

b Aug. ibid. cap. 29.

c Rec. Bar. Ann. Tom. II. hoc an. ex biblioth. Pithoei.

II.

Porro cum longe postea tempore Augustini, Donatistæ horum Traditorum progenies, in celeberrima illa Collatione Carthaginiensi, prædicta Cirtensia Episcopalia Gesta negarent, dicentes non potuisse tunc colligi Episcopos, quod ingrueret persecutio, instarentque vt hoc ex aliis Cōcilii, Episcopi Catholici ostenderent, si aliquo tempore persecutionis facta Episcoporum Concilia reperire potuissent, tunc que Catholici nihil aliud quam Gesta quædam functorum Martyrum protulerint, quibus probaretur huius persecutionis tempore, licet ecclesiæ dirutæ essent, in domibus priuatis Christianorum conuentus agi consueuisse: ex his, inquam (quæ quidem S. Augustinus d recitat) etiam apparet, de celebri illo quod hoc ipso anno dicitur factum trecentorum Episcoporum Concilio in causa Marcellini, de quo dictum est anno superiori, nullam fuisse eo Augustini tempore memoriam penes Catholicos Africanos Episcopos, quo vnico exemplo à Donatistarum cauillatoria obiectione se confestim liberare potuissent.

d Aug. Breu. Coll. die 3 c. 17.

III.

c Ap. Sur. 11. Febr. PERSECVTIONIS TEMPORE AGI SOLITI CONVENTVS ECCLESIASTICI.

Ipsa vero tunc à Catholicis citata atq; edita Martyrum Acta, quibus de celebratione sacrorum Conuentuum agebatur, ex Gestis Proconsularibus excepta, hactenus extant e sub nomine *SS. Saturnini* presbyteri Alutinensis in Africa & sociorum, qui eorumdem Conuentuum occasione diriissima sunt passi tormenta. Siquidem ex iis constat, etiam illa grauissimæ persecutionis tempore adeo solicitos fuisse Christianos, Synaxes agere, & (vt ibi vocatur) *Dominicum celebrare*, hoc est, ipsum sacrosanctum incruentū sacrificium (hoc enim ea voce ibi significari, f apertissime demonstrant interrogationes Proconsulis & responsiones Martyrum, cum alias frequentius accipiatur pro ecclesia, in quam Fideles conuenire consueuerunt:) vt nefas, ut arent illud quacumque de causa omittere, potiusq; morti parati essent, quam eo carere sine quo esse Christiani non possent, sicut diserte professi sunt coram Proconsule. De qua eadem Ecclesiastica disciplina in Orientali Ecclesia vigente, est etiam huius ipsius temporis simile testimonium in Actis *S. Anysiæ* g martyris Thessalonicensis, quæ cum iret ad Dominicum, ne capta est ab vno ex satellitibus Imperatoris, eius pulchritudini insidiante. Quamuis enim (vt diximus) ea vox etiam pro templo accipiatur: tamen quod edicto Imperatorum ecclesiæ oēs solo æquatæ fuissent, non nisi sacrificium Missæ posse intelligi, satis ex prædictis Africanorū Actis declaratur.

e Ap. Met & Sur. 30. Dec.

IV.

CALVMNIÆ IN MENSVRIVM, ET CÆCILIANVM.

Sed quod rursum ad eadem Acta spectat, sciendum est, superadditam illis fuisse à posterioribus Donatistis (vt manifeste apparet) Appendicem contra Mensurium Episcopum Carthaginiensem, atque Cæcilianum tunc ipsius diaconum, quos vehementi odio prosequebantur, dum Mensurium non solum traditorem fuisse librorum calumpniantur, sed & auctorem vt iidem martyres in carcere constituti fame necarentur, procurantem videlicet per Cæcilianum ne vlli cibi illis inferrentur. En quo prouenerent schismaticorum procacia, (quod sæpius Augustinus deplorat) vt tam impudenter in Catholicos fide probatissimos moribusque sanctissimos, illud ipsum crimen quod ipsi turpiter perpetrassent, impingerent! Qui insuper, quasi hoc parum esset, vniuersam Ecclesiam Catholicam, quod horum communicatione pollutam esse iactarent, iurato in eam bello, sunt in perpetuum auersati. Hæcque est origo, & hoc incrementum Schismaticorum, qui à superueniente Donato, sceleris propagatore, nomen adepti sunt, vt *Donatistæ* fuerint appellati, de quorum in Ecclesiam Africanam cladibus dicetur pluries inferius. Porro prædictam Appendicem nondum fuisse confictam quando ab Episcopis Catholicis Augustini tempore eadem Acta aduersus Donatistas sunt prolata, vel inde necessario conuincitur, quod in tot Conciliis aliisque Gestis antea in causa Cæciliani habitis, numquam sunt ab eius impugnatoribus citata: Itemque quod veri nulla sit similitudo, in prædicta illa Collatione Carthaginiensi Catholicis eiusmodi publicis Actis vti voluisse, quibus tam aperte Mensurii atque Cæciliani adeo immania scelera probarentur, quorum vtrumque innocentiam atque integritatem tantopere propugnabant. Sed vafer Donatista eiusdem Appendicis concinnator, quod sciret à maioribus suis Mensurium & Cæcilianum eorumdem criminum accusatos esse, sed plane in omnibus tam Episcopalibus quam sæcularibus Iudiciis eorumdem innocentiam esse probatam, veris certisque martyrum Actis attexuit Appendicem illam, postquam demum in magno illo Collationis conuentu Donatistæ à causa penitus excidissent. Sed de his plura suis quibusque locis.

V.

Quod vero spectat ad reliquos Martyres huius Dioclesiani Persecutionis, inter plurimos quotūtum Romæ tum in ceteris Italiæ prouinciis fortiter passorum memoriam Tabulæ conseruant Ecclesiasticæ, eosque, quorum adhuc extant, sed incerti temporis, Acta: (nam quorum certi sunt dies & Consules, suis meminimus locis:) insigniter emituit S. AGNETIS Romanæ virginis duodecim tantummodo annorum illustre martyrium, scriptorum prope omnium memoria celebratum, in cuius natali die S. Ambrosius *de Virginibus* tractationem tribus libris distinctam cōscripsit, eamdemque egregiis præconiis laudauit. Cuius etiam sancti Doctoris nomine fusius descripta habentur eiusdem virginis martyrii Acta, ab iis tamen quæ in prædicto tractatu de Virginibus traduntur, nonnihil discrepantia. Procaſſ tate vero & fide certasse, vtrisque plane scriptis cōfirmatur. Cecinit & Prudentius a sacro hymno eius agonem, interseruitque historiam, quomodo ad prostibulum damnata, diuinitus liberata fuerit. Denique (vt de ea scribit Hieronymus b) omnium gentium literis atque linguis, præcipue in Ecclesiis Agnetis vita laudata est, quæ & ætatem vicit & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecrauit.

S. AGNETIS MARTYRIVM.

A. Barr. an. seq. sed alii quæ alia certa temporis nota.

a Prud hymn. 14.

b Hier ep. 8. ad Demet.

Sed nec illud egregium spectaculum hic recitare prætermittimus, quod Vrbi præbuit *Genesius* mimus, qui in theatro, Imperatore spectante, cum mysteriis Christianorum illuderet, repente Dei virtute mutatus, serio agere cœpit quæ iocis antea actitabat, vsq; adeo vt perfecte factus Christianus, post multa tormenta martyrii palmam cōsecutus fuerit. Longe plane felicius, quam ille miser qui Aiacis furentis personam agens, tantopere eo est raptus affectu, vt in insaniam vere fecisse cōuersum recitet Lucianus d. Porro quod Genesio accidit, *Ardalioni* quoque contigisse, eumque mimum ex ioco factum serio Christianum & martyrem, tam Græcorum quam Latinorum Tabulæ e testantur. Estque haud longe dissimile illud quod de *Dioscoro* Archimimo ad Alypium Augustinus f scribit: qui cum in deridendis Christianorum rebus esse soleret effusus, effectus est & ipse, licet sæpe frustra renitens, Christianus.

VI.

c Mart. Rom. 25. Aug. & Acta ipsius ap. Sur.

MIMI MARTYRES.

d Lucian. de salt. prope fin.

c Mart. & Menol. 25 Cal. Maii.

Quibus autem exagitatæ fuerint cladibus Ecclesiæ Galliarum & Hispaniarum sub Rictiouaro & Daciano crudelissimis Præfectis, aliæque Occidentales prouinciæ sub aliis eiusmodi feris rabidis, neminem puto pro dignitate aſſequi aliquando oratione posse. Quandoquidem cum vniuersum Romanū Imperium refertum esset cultoribus Christi, & tota vis Imperatorum in hoc posita vt Christianam religionem radicitus exturparent, non prouincia, non ciuitas, oppidum, vicus, rus, prædium, casa, vel hortus, aut angulus exstirit, in quibus de Christianis cuiuscumque essent ordinis vel dignitatis, sexus & ætatis, non fuerit habita diligens inquisitio, & crudelis animaduersio. Cum præsertim hoc ipso anno (qui numeratur ab Eusebio g secundus Persecutionis) generale rursum ab Imperatoribus promulgatum, vt ait, fuerit edictum, vt vniuersa plebs in singulis ciuitatibus idolis immolare omnium tormentorum generibus cogerentur: Ac præterea in superius citatis Actis S. Anysiæ martyris traditur, ab iisdem Imperatoribus licentiam vniuersis concessam esse, vt quos vellent Christianos sine pœna occidere possent.

VII. IMMANITAS PERSECVTIONIS.

g Euseb. lib. ix.

Sed inter quamplurimos alios celebres martyres in Galliis tunc passos, *Victorinus* Episcopus Pictauensis excelluit, qui & ob multiplices commentarios à se editos, quos S. Hieronymus

VIII. VICTORINVS MARTYR.

a *Hie. de Script Eccl. in Vict.*
b *Conc. Rom. decr. de li. apoc*
c *Hie. ep. 75.*

ronymus *a* recenſet, clarus eſt habitus inter Scriptores Eccleſiaſticos: etiamſi (vt ait idem auctor) quod non æque Latine vt Græce noſſet, opera eius grandia ſenſu, viliora viderentur compoſitione verborum. Quod vero Gelaſius *b* Papa recenſuerit eius opuſcula inter apocrypha, duplex potuit eſſe ratio, tum quod (vt de eo idem teſtatur *c* Hieronymus) in explanatione Scripturarum ſecutus eſſet Origenem, tum etiam quod Milenariorũ eſſet ſectatus opinionem. Quod autem reperiatur in Romano Concilio *d* habito ſub Siluestro, cuiuſdam *Victorini* illic præſentis damnatio, qui Paſchale feſtum nequaquam ex inſtituto Eccleſiæ, ſed decimo Calendas Maii diceret celebrandum: rerum ignarus, ubique aliqua teſtificatione antiquioris editionis, addidit et nomen, *Pictauienſis Epiſcopum*. Nam quomodo quæſo, ſub Siluestro temporibus Conſtantini potuit Victorinus Pictauienſis illi intereſſe Concilio, quem multos ante id temporis annos conſtat fuiſſe martyrio coronatum?

d *Conc. Rom. ſub Siluſ. cap. 2.*

VTRVM GALLVS.

[Victorinum martyrem non *Pictauienſem* in Gallia Epiſcopũ, ſed *Petauienſem* ſeu *Petauionenſem*, (quæ erat olim ciuitas Pannoniæ Superioris, nunc vbi Petræ poſt Græcium primatia, vulgo dicta *Petaw* Germanis *Beetau*) illic multi volunt. Sicque etiam legi in antiquis S. Hieronymi exemplaribus lib. de Script. Eccl. & ep. 75. vbi de eodem Victorino agit, notat Scholiaſtes: ſicut denique lectionem agnouit Græca verſio Sophronii dicti hoc Hieronymiani.]

IX.
c *Ap. Sur. 25. Oct.*
RICTIOVARVS DAT POENAS CRVDELITATIS.

Porro quem finem acceperit Rictiouari Præſidis ſæua crudelitas, Acta ſanctorum Martyrum, quos multis affectos ſuppliciis Sueſſione interfici iuſſit, *Criſpini & Criſpiniani* declarant: dicunt aiunt, ipſum cernentem ſe nihil ſuis efficere ſupplicijs, furibundum & (vt creditum eſt) arreptum à dæmone, in ignem ſeſe præcipitaſſe.

X.
S. VINCENTIVS MARTYR.
f *Ap. Met. & Sur. 22. Ian.*
g *Prud. peri. hym. 5.*

In Hiſpaniis vero præ aliis infinitis omnis ſexus, ætatis, & conditionis martyribus, ex diriſſima perſecutoris crudelitate celeberrimus extitit *Vincentius* diaconus Cæſaraugustanus, opere, ſermoneque pollens, Valentiam ad ſupplicium amandatus: cuius extant *f* martyrii Acta fideliſſima, non tantum Latinis, ſed & Græcis ob ſuam excellentiam facta conſpicua, quæ etiam Prudentius *g* ſacro hymno cecinit, & omnes ferme Latini Patres celebrarunt. Innumerabilem autem propemodũ fuiſſe multitudinem eorum, qui Cæſaraugustæ diuerſo eruciamentorum genere tunc martyrii coronam conſecuti ſunt, S. Catholica Eccleſia teſtatur in ſuis *h* Tabulis: & Prudentius ſcribit, vix eam ciuitatem numero martyrum cedere ipſi Romæ. Sed maior omnium ille tumulus erat, qui cineres cõbuſtorum martyrum prope innumerabilium continebat, quos ab aliis cineribus candore diſtinctos, atque ſelectos, ſimulque congeſtos, *Maſſam candidam* dictam ferunt.

h *Mart. Rom. 1. Nouemb.*
i *Prud. hym 4 in laud. 18. mart. Cæſarau.*

XI.
ALII MARTYRES IN HISPANIA.
k *Mart Rom. 16. April.*

At quam immanis eſſet Daciani Præfecti crudelitas, in Deo dicato puriſſimo *Encratidis* virginis corpore, ibidẽ Cæſaraugustæ ſtylo ferreo preſſis plane notis perpetuo monumento teſtato remanſit, dum *k* eius laniato corpore, mammilla abſciſſa, ictore a tergo, adhuc ſpirantem in carcere inclusit donec vlceratum corpus putreſceret. Sed & valde inſignis extitit Compluti duorum puerorum, quos ad martyrium pij parentes inſtituerant, triumphus, *Iuſti & Paſtoris*: qui audito Daciani aduentu, relictis tabellis, quibus in litteris addiſcẽdis tenella ætas detinebatur, ambo pariter mira alacritate eſſe martyrio obtulerunt, & diris cruciamentis exagitari, gladio demum perempti ſunt. Nec minor duarum *Eulaliarum* victoria, quarum altera Barcinone Crucis ſupplicium paſſa eſt, Emeritæ altera, duodecim tantum annos nata, poſt plurima tormenta nouiſſime in equuleo ſuſpenſa & exungulata, facilis a dentibus ex vtroque latere appoſitis, hauſto igne ſpiritum reddidit. Huius martyrium cecinit hymno ſacro Prudentius: *l* vbi inter alia de teneræ virginis pluſquam virilis pectoris infracto robore, ait eam in Præfecti oculos deſpuiſſe, ſimulacra diſſipaſſe, & quæ ad ſacrificandum oppoſita erant, pedibus procudeaſſe. At vero quod cæteri Chriſtianorum Eulaliæ exemplo permoti, intrepido animo ad idola frangenda paſſim proſilirent diſpendio vitæ ſuæ, non placuit Hiſpanis Epiſcopis, quod primato impulſu diuini Spiritus Chriſti vigoreſcilicet, ab omnibus temere vſurpari. Quamobrem qui paulo poſt Eliberim conuenerunt, canonem ſtatuerunt, *m* vt ſi quis idola frangeret, & ibidem occiſus eſſet, in numerum Martyrum non recipe-

Prud. hym. 3.
m *Conc. Elib. c. 60.*

retur. Cæterum agunt de eadem virgine plures alii, inter quos Gregorius *a* Turonenſis multa habet de miraculis ad eius ſepulchrum fieri ſolitis. Et ſcribit Iſidorus, *b* Gothos ab Emerita abſtinuiſſe, territos oſtentis beatiſſimæ Eulaliæ.

a C... de ...
b I... Goth...

XII.
OSII CONFESSIO.

Qui etiam hoc tempore nobiliſſimæ Eccleſiæ Cordubenſi præerat, magnus ille OSIVS toto Orbe celeberrimus, de quo ſæpiſſime agendum inferius, & ipſe inter reliquos ciuitatis ſuæ martyres, hac eadem perſecutione Chriſti fidẽ magna conſtantia coram Præſide confeſſus eſt, ſicut ipſemet poſtea in literis *c* ad Conſtantium Imperatorem ſcriptis teſtatus eſt. Quod vero cum ipſe, tum æque gloria confeſſionis inſignis *Valerius* Epiſcopus Cæſaraugustanus, & ſiqui alii eiuſmodi, nequaquam vt complures alii martyrium conſummauerint, id quidem ea ex cauſa accidiſſe putamus, quod dum adhuc detinerentur in carcere, Diocletianus atque Maximianus ſe abdicauerint Imperio, ſicque perſecutio aliquantum remiſſa fuerit: licet ea ſemel ab iiſdem Imperatoribus excitata, ad decennium vſque (quod omnes affirmant) eodem quo inchoata eſt nomine propagata fuerit.

c *Ap. Athan. ep. ad Sol.*

XIII.
MARTYRES IN INSVLIS.

Peruaſit & Inſulas eiuſdem furoris impetus. Siquidem nonnullos in Britannia paſſos, alioſque in Sardinia, habent Tabulæ Eccleſiaſticæ. Et in Palmatia inſula quæ adiacet Latio, *Anaſtaſia* mulier Senatoria, cum poſt diram & immitem cuſtodiam, à viro ſuo Publio homine Ethnico Romæ in priuatis ædibus toleratam, (in qua tamen à *Chryſogono* fortiſſimo Chriſti Confeſſore multum roborata fuit, quorum extant *d* vltro citroque datæ ea de re litteræ) finiſſet, eo defuncto, in eandem inſulam deportata cum ducentis viris & ſeptuaginta feminis, (qui omnes variis interfectionib. martyrium conſummarunt) poſt alia rurſum tormẽta ſuperata, demum igne feliciter migrauit in cælum. Inter eos vero qui Siciliam ſuo ſanguine inſigniter illuſtrarunt, præcipua effulſit claritate *Lucia* virgo Syracuſana: quam cum lenones, quibus à Paſchaſio Præfecto tradita fuerat vt à populo virginitati eius illuderetur, ducere vellent, nulla vmquam vi, vel funibus additis, vel boum iugis plurimis, loco mouere potuerunt: deinde vero picem, reſinam, feruens oleum nihil læſa ſuperans, tandem gladio percuſſa martyrium conſummauit. Referũtur hæc breuiter in Tabulis *e* Eccleſiaſticis, quæ fuſe narrant ipſius Acta *f* ore omnium decantata, & à pluribus omni genere ſcriptionis celebrata. Extant vero etiam huius anni notata Conſulibus, *Euplis* diaconi Catanenſis Acta perbreuiter, ſed fideliter ſcripta: qui cum inuentus eſſet legere Euangelia, & docere Chriſtianos, iuſſu Caluiſiani Conſularis poſt alia tormenta, Euangelio ad collum appenſo decollatus eſt pridie Idus Auguſti.

d *Ap. Nic. lib. 24. in fi. & Bar. an. 300.*

S. LVCIÆ MARTYRIVM.

e *Mart. Rom. 13. Dec.*
f *Ap. Sur. eo die.*

At de martyribus prouinciarum Occidentalium hactenus: cum præter iſtos pauciſſimos, quos exempli tantummodo gratia recenſere voluimus, aliorum *g* quam plurimorum natales dies adſcripti habeantur publicis Eccleſiaſticis Tabulis, maiorque plane ſit eorum numerus, quorum memoriam priuatim ſingularum Eccleſiarum monumenta celebrant, innumerorum vero memoria penitus exciderit. Adeo namque acerbe perſecutio graſſata eſt, vt creditum à Gentilibus fuerit, Chriſtianam religionem eſſe penitus abolitam, ac de ſubactis deletiſque Chriſtianis, columnas erexerint. Hæc enim Clumiæ in Hiſpania inſcriptio legitur: DIOCLETIAN. IOVIVS. MAXIMI. HERCVLEVS CÆSS. AVGG. AMPLIFICATO PER ORIENTEM ET OCCID. IMPE. ROM. ET NOMINE CHRISTIANOR. DELETO QVI REMP. EVERTEBANT. Rurſuſque ibidem hæc altera: DIOCLET. CÆS. AVG. GALERIO IN ORIENTE ADOPT. SVPERSTITIONE CHRISTI VBIQ. DELETA, CVLTV DEORVM PROPAGATO. Eademque leguntur etiam *h* Areuaci Hiſpaniæ in columnis pluribus. Nec vero tantum in Hiſpaniis eiuſmodi fuiſſe de Chriſtiana religione proſtrata erecta trophæa, ſed toto Orbe Romano ſimiliter factitatum exiſtimamus, verum in odium impietatis & impiorum Principum, reddita Eccleſiæ pace eadem penitus fuiſſe deleta: hæc autem relicta memoriæ cauſa, non ſine nutu diuino, vt eiuſmodi monumentis immanitas perſecutionis intelligi poſſet, ac longe minora eſſe quæ de martyribus tunc paſſis diuerſis in locis ſcripta habentur, quam quæ à prouinciarum Præſidibus facta ſunt.

XIV.
TROPHÆA INANIA AB EXTINCTA CHRIST. RELIG.

g *De iis Baronius diſſeruit hoc an.*

h *Hab. Ald. Manut. poſt Schol. in Com. Caſ. & Adolph. Occ. de num. in Dioc. & Bar. an. ſeq.*

IESV CHRISTI AN. 304.

MARCELLINI AN. I.

CONSTANTII & GALERII } AN. I.

I. DIOCLET. ET MAX. SE ABDICANT.

ANno Christi trecentesimo quarto, Diocletiano nonum & Maximiano octauum Augustis Coss. vigesimo anno eiusdem Diocletiani Imperii nõdum exacto, ambo Augusti, *Diocletianus* Nicomediæ, *Maximianus* Mediolani, vno eodemque die deposita purpura se Imperio abdicarunt: idque vndecimo Calendas Martii, non Maii, vt Panuinius posuit. Erroris namque ex ipso arguitur, dum affirmat id factum esse nondum expleto biennio persecutionis indictæ, (quod & sæpius testatur Eusebius:) a quando quidem eiusdem Eusebii *b* auctoritate constat edictum de illa promulgatum esse mense Martii. Sed ex prædictis illi erroris arguuntur, qui anno superiori hæc acciderunt contigisse: nam sub huius anni quos posuimus Coss. æque Zosimus collocat, licet apud eum perperam dicantur interlapsi anni centum & vnus à Consulatu c Chilonis & Libonis, quo Seuerus Ludos Sæculares exhibuit, cum numerentur tantummodo centum vno minus. Cæterum & Gallicanus ille orator in Panegyrico Maximiniano & Constantino postea dicto, eorumdem Imperatorum abdicationem accidisse testatur eodem octauo Maximiani Consulatu, nempe hoc anno. Quod autem æque numerat eiusdem Imperii annum vigesimum, id est intelligendum de initio Diocletiani, à quo annos eorundem Imperii numerari solitos constat. Denique id factum esse anno ipsius Diocletiani vigesimo, tum Eusebius in Chronico & Historia locis supra citatis docet, tum plures alii consentiunt.

a *Euſ. in Chr. & 8 hiſt. 13. 16. 19.*
b *Id. 8. hiſt. 3.*
c *An. 306.*

II. CVR SE ABDICARINT.

Gaudam autem cur Diocletianus se abdicauerit, idem auctor Panegyrici refert ad eius ingrauescentem ætatem & malam valetudinem: Maximianum vero qui cum illo summa semper concordia vixisset, nec in hoc facto discordem se exhibere voluisse. Sed Eusebius, d ipseque Constantinus Imperator in oratione *e* quam habuit ad Sanctorum cœtum, testatum reliquere, Diocletianum se abdicasse, quod in amentiam incidisset: ac paulo inferius in Actis *f* SS. Mennæ & sociorum martyrum, quæ germana esse noscuntur, traditur ambos eosdem Imperatores, licet abdicationis suæ causam publice prætexerent fortunæ satietatem, & amorem mutationis: tamen priuatim amicis fidelioribus fassos esse, id se mœrore & desperatione agere; quod cum sperallent immanibus suis persecutionibus Christianam religionem radicitus excindere, tamen præter expectationem viderent eam fœcundiori germine propagari. Verum quod hæc ipsorum abdicatio, quamuis ignominiosa, non satis videri posset esse in vltionem effusi sanguinis Christiani, ideo vt magis appareret id accidisse ex diuina indignatione, eorum prior velut Cain tremens ac semper sibi metuens (quod testatus est eadem oratione Constantinus) ne aliquando fulminis ictu cõcideret, quo semel palatium eius combustum fuerat, aspera insuper corporis ægrotatione contabescens, diem extremum infelicissime clausit, posterior vero spontaneo laqueo se præfocans, vitam abrupit: prout de vtroque demonstrabitur suis locis.

d *Euſ. 8. hiſt. 16.*
e *Ap. Euſ. c. 25.*
f *Ap. Sur. 10. Dec.*

III. ACTA EORVM OBSCVRA.

Cæterum præter illa quæ ad ipsorum in Christianos persecutionem spectant, reliquæ eorum res gestæ remanserunt obscuræ admodum: adeo vt quatuor lustra quibus imperarunt, & aduersus barbaros atque tyrannos feliciter decertarit, relicta sint ferme oblitione sepulta: cum alioqui hoc tempore non defuerint historici nobilissimi, nempe Ælius Spartianus & Lampridius, Iulius Capitolinus, Trebellius Pollio, & Flauius Vopiscus, qui cum ipsi Diocletiano, tum Constantio Cæsari, siue Constantino eius filio, illorum qui præcesserant Imperatorum Vitas à se conscriptas dedicauerunt. Testatur sane Vopiscus se scripturum fore Diocletiani res gestas, ac Claudium Eutthenium qui Diocletiano ab epistolis fuit, descripsisse Acta quatuor Principum, Diocletiani, Maximiani, Galerii, & Constantii, totidem libris, quæ omnia perierunt: merito hæc passi in scriptis rerum suarum commentariis, qui in Christianorum libros adeo fæuierant.

g *Vopiſ. in Bonoſ. & in Car.*

Cum autem Diocletianus & Maximianus depositi essent simul Imperium, qui Cæsarum ritu horum cum eis in hanc diem Rempublicam administrarant, Augusti sunt appellati, nempe CONSTANTIVS CHLORVS, & GALERIVS MAXIMIANVS, qui per eram apud Eusebium, & alios plerosque tam Græcos quam Latinos, nominatus reperitur *Maximinus*, cũ in omnibus antiquis nummis aliisq; monumentis quæ alii collegerunt, necnon apud Zosimum *a* Socratem, *b* & si qui sint alii, *Galerius Maximianus* semper scriptus legatur: Sed libentius ab scriptoribus acceptum credimus nomen *Maximini*, quam *Maximiani*, quod alius huius nominis Imperator tunc viueret *Maximianus Herculius*. Sicut etiam iisdem antiquarum Inscriptionum monumentis plane declaratur, diuersos fuisse Galerium Maximianum, & Galerium Maximinum, ac priorem Galerium de quo est sermo, vna cum Constantio post Diocletianum imperasse, posteriorem vero ab eodem priori Galerio creatum Cæsarem, et in Imperium successisse. Quamobrem sicut duo Galerii, ob inuicem distincti sunt, & suo quisque dicendus est nomine, nempe hic Maximianus, ille Maximinus: ita quoque vt discernantur duo Maximiani, prior suo cognomento Herculius, posterior Galerius nominandus est, qui etiam cognomento *Armentarius*, necnon & *Iouius* (æque ac Diocletianus) dictus à plerisque reperitur. Cum igitur Constantius Herculio in Occidente, Galerius Diocletiano in Oriente successisset, sic inter illos tradit Eutropius fuisse partitum Imperium, vt Constantius Galliis, Hispaniis, Italiæ, & Africæ præesset, Galerius Illyrico, Græciæ, & Orienti.

a *Zoſ. lib. 1.*
b *Soc. lib. 1. c. 1.*

IV. CONSTANTIVS GALERIVS SIBI.

MAXIMIANORVM ET GALERIORVM DISCRIMINATIO.

Sed quod pertinet ad Constantium, quem idem Eutropius commendat ob morum integritatem, is cum se cunctis amabilem præberet, erga Christianos potissimum omnem præstitit humanitatem. Qui & cæpta à reliquis Imperatoribus persecutione, præclarum illud omnique memoria dignum prudentissimæ pietatis exemplum exhibuit, vt vocatis domesticis suis qui Christiani essent, eisdemque oblata conditione, vt vel diis immolando honoribus pristinis perfruerentur, vel id recusando procul reicerentur, sic tentato eorum animo, quos vidisset abire malle quam Deum suum negare, hos apud se retinuerit, & honoribus auxerit, alios vero qui honores religioni suæ prætulissent, procul à se repulerit, tamquã videlicet perfidos ipsi Imperatori Reique publicæ futuros, qui Deo suo fidem non seruassent. Narrat hæc inter alias eiusdem Imperatoris laudes Eusebius in Vita Constantini eius filii.

V. CONSTANTII EGREGIVM FACTVM IN TENTANDA SVORVM RELIGIONE.

c *Euſ. 1. de vit. C. c. 16.*

Verum quantumlibet sic compositus esset Constantius, etiam antequam Diocletianus & Maximianus rerum administrationem desererent: tamen quantum apparet ex rebus gestis, haud statim vt ipse plenũ est adeptus Imperium, omnimodam pacem Ecclesiæ Occidentalis est consecutus, et id Eusebius *d* significare videatur, dum ait, omnes illas Imperii Occidentalis oras nondum absolutis duobus persecutionis annis tranquillitatem adeptas esse. Neque enim ipse Constantius statim videri voluit, aut etiam potuit, edictis Imperatorum adhuc viuentium aduersantium: tum quod in extremis mundi partibus, nempe in Britannia ageret, tum etiam quod statim ac Maximianus se abdicauit, tota Italia ipsaque Roma bello ciuili magnopere exagitata fuerit: vt testatur idem qui supra Gallicanus orator in Panegyrico ipsi Maximiano & Constantino postea dicto. Accidit quæ plane vt fieri mare vehementibus ventorum flatibus semel exagitatum, licet ventorum cessent impulsus, haud tamen continuo eius fluctus omnino quiescant: ita quamuis Maximiani furor ipso se abdicante videri posset extinctus, tamen haud facile valuerit contineri concitatæ persecutionis impetus: Romæ præsertim vbi ciuiles motus vigerẽt, & Magistratus à Maximiano præfecti, quod in Christianos cœperant affligendos Cereris superstitionis Pontificibus agere non desiterant. Cum & insuper Eutropius asserat, Constantium Augusti dignitate contentum, sollicitudine administrationis Italiæ atque Africæ cessisse Galerio, qui Christianorum erat hostis infensissimus.

d *Euſ. lib. 8. hiſt. c. 13. in fi.*

VI. PERSECVTIONIS EIVS EXORDIA.

VII. MARCELLINI PP. MARTYRIVM.

Quamobrem accidit vt hoc ipso anno, iisdemque Coss. (vt habet Liber de Romanis Pontificibus) sexto Calendas Mai

das Maii Romanæ Ecclesiæ Pontifex *Marcellinus*, vna cum aliis quibusdam capite truncatus sit. Qui quidem ea ratione dicendus est sedisse annos octo, minus septem diebus: vel si dixerimus diem sextum Calendas Maii, non martyrii, sed sepulturæ esse memoriam, quod ibidem tradatur dies triginta sex Marcellini & sociorũ corpora insepulta iacuisse, totidem dies à præfinito tempore sedis eius demendi erunt. Tandem vero eorumdem corpora (vt ibidẽ ponitur) à Marcellino presbytero noctu sublata sunt, sepultaque Via Salaria in cœmeterio Priscillæ, cum hymnis, à presbyteris & diaconis. Verum quod additur, vacasse sedem Pontificiam annos septem, menses sex, dies viginti quinque, illud de annis, merum commentum est omnino tollendum. Ei enim contradicunt & quæ idem auctor tradit in sequentib. Pontificibus, & alii omnes qui de Romanis Præsulibus scripserunt. Sicut & quod numerus mensium ac dierum vacationis sedis Marcellini ab aliis diuersus ponatur, & tempus Marcelli varie notetur, nihil certi de his affirmari potest. Constat tamen hoc eodem anno eumdem MARCELLVM, patria Romanum, Benedicti filium, ex presbytero creatum esse Pontificem, de quo plura inferius.

MARCELLI CREATIO.

Eodem quoque anno, iisdemque Coss. (vt habetur in Actis *a* S. Pancratii martyris) passa est ibidem Romæ *Soteris* virgo: quæ vt scribit S. Ambrosius *b*) cum esset decora facie valde, & nobilis maiorum prosapia, Consulatus & Præfecturas parentũ sacra posthabuit fide, & immolare iussa, nec acquiescens, post deuicta multa pœnarum genera, gladio martyrium consummauit. Quæ vero passam illam ponunt in Oriente, auctoritate eiusdem Ambrosii refelluntur.

VIII.

a *Ap. Sur.* 12. *Maii.*

b *Amb. exhor ad virg. & de virg. lib.* 3.

Quod autem spectat ad res Orientalis Ecclesiæ, qui aduersus Christianos semper se hostem infensissimum gesserat Galerius Maximianus, post Diocletiani abdicationem solus Imperium administrans, hoc tertio cœptæ persecutionis anno, (vt ab Eusebio numeratur: siquidem licet qui eam excitassent se abdicarint, tamen quæ eorum edictis semel cœpta est, eorumdem quoque nomine dici perseuerauit, quousque penitus tam in Oriente quam Occidente sopita est) eamdem nouis edictis acrius instaurauit, plurimosque insignes martyres sustulit, quorum nõnullorum idem Eusebius *d* certamina descripsit: puta *Vlpiani* adolescentis Tyrii, qui more parricidarum insutus culeo in mare demersus est, & *Apphiani* atque *Ædesii* fratrum, ipsi Eusebio familiaritate coniunctorum, quorum ille Cæsareæ in Palæstina passus est, quod Præsidem sacrificantem arguisset, iste Alexandriæ, quod Iudicem reprehendisset de sententiis in Christianos latis, quibus sæpe viros graues & modestos variis ignominiæ notis afficeret, ac mulieres summæ continentiæ, virgines que Deo dicatas lenonibus traderet.

IX. MARTYRES IN ORIENTE.

d *Euf. 8. hist.* 14. 15.

Consuetum enim fuisse tum aliis præcedentibus, tum hac potissimum vltima persecutione, Christianas feminas confessione constantes & pudicitia insignes tradi lenonib. prostituendas, & multis iam superius declaratum est exemplis, & plurimis aliis constat diuersorum Auctorum, Actorumque, ac Tabularum Ecclesiasticarum testimoniis. Habesq; de hac ipsa persecutione insignia valde exempla virginum, Antiochenæ apud Ambrosium, *e* Corinthiæ apud Palladium, *f* Alexandrinæ ac Byzantinæ in veteribus *g* monumentis, quæ ad lupanaria ductæ, mira Dei prouidentia à viris qui se fingerent ad eas violandas ingredi, mutato cum illis habitu intactæ emissæ sunt: sed ea tantæ pietatis mercede, vt iidem liberatores vna cum virginibus liberatis coronam martyrii consecuti fuerint. Denique extant *h* iisdem huius anni Coss. consignata pura atque sincera, prout à Notario publice excepta fuere, Acta Procõsularia SS. Martyrum *Agapes, Chionia, & Irenes* sororum, quæ Thessalonicæ sub Dulcitio Præside viuæ combustæ sunt, quod idolothytis vescinoluissent, & quos haberent sacros codices non tradidissent: in quibus Irene Præsidis iussu ad publicum lupanar ducta legitur, quæ tamen (vt aliis fere semper accidit) Dei virtute pura atque intacta seruata est martyrio.

X. VIRGINES CHRIST. DAMNATÆ AD LVPANAR MIRE LIBERATÆ.

e *Ap. Bar. an.* 309.

e *Amb. lib.* 3. *de virg.*

f *Pallad. in Lausiac. c.* 53.

g *Mart. Rom.* 28. *Apr. & 3. Maii.*

h *Ap. Meta. & Sur. Cal. April.*

Sed cum plures alii reperiantur ibidem Thessalonicæ hac persecutione passi, præ cæteris *Demetrius*, qui ex Proconsule Ethnico effectus Christianus, iussu Maximiani lanceis confossus martyrium consummauit, ore omnium Orientalium immensis laudib. celebratur: cuius etiam memoria in Latinis *a* Tabulis florentissima viget: Acta vero eius ex antiquis monumentis edidit Metaphrastes, *b* quæ donata fuisse olim Latinitate ab Anastasio Bibliothecario, auctor est Vincentius. *c* Frequentemque fuisse concursum Christianorum Thessalonicam ad eius sepulchrum, ex quo vnguentum medicum scaturire iugiter consueuisse, testantur Glycas, Cedrenus, Zonaras, & alii.

XI. DEMETRIVS PROCONS. MARTYR.

a *Mart. Rom. 8. Oct. & ibi Baron.*

b *Halt. etiã Sur.*

c *Vinc. lib.* 32. *cap.* 150.

Denique adeo his temporibus sub Galerio Maximiano recruduit in Oriente persecutio, vt quamplurimi desperatione rerum præsentium, qui hactenus ciuitatum latebras esse tutas experti fuissent, iam earum diffidẽtia siluas petierint, & montana latibula. Id quidem inter alios complures, proauos quoque Basilii Magni esse, auctor est Gregorius *d* Nazianzenus: cum & de prouidentia Dei erga eos disserẽs, asserit feras bestias, ceruos, aues, se quotidie sponte illis obtulisse ad cibum, absq; vlla venatione alioue labore. Iidem vero postquam cessauit persecutio, Cæsaream in Cappadocia concessere, qui olim habitarunt Neocæsareæ in Ponto: vbi S. Macrina eiusdẽ Basilii auia, doctrina Gregorii Thaumaturgi fuit insigniter ab eius Ecclesiæ viris ad pietatem exculta, vt suis epistolis eidem Basilius sæpe testatur. Eorum vero qui in eadem prouincia Ponti martyrium consecuti sunt, præ cunctis celebratus à maioribus *f* habetur *Theodorus* miles, qui cum diuino impulsu templum Martis deorum Amaseæ inflammasset, post dirissima tormenta demum viuus incendio consumptus est. Cuius res gestæ, ac præclarũ certamen, ex antiquioribus monumentis descripta habentur à Metaphraste: vbi etiam recitantur duæ orationes in eius laudem, altera Gregorii Nysseni, altera Nectarii Episcopi Constantinopolitani.

d *Greg. Naz. orat. in laud. Basil.*

Sed non leuiora his fuisse quæ in proxima prouincia Cappadociæ contigerunt, apprime docet Basilius, dum agit de fuga Christianorum illius regionis in montes vt à persecutorum rabie securi essent, deque sæuis cruciamentis martyrum, in oratione qua *Gordii* Cæsariensis Centurionis agonem tunc pro Christo susceptum celebrauit. Quj & insigni pariter laudum præconio prosecutus nobilissimum martyrium ignobilis licet genere viri *Barlaham* rustici, ibidem Cæsareæ martyrio coronati, præter alia recitat admirabile eiusdem infractæ constantiæ specimen, qua immobiliter passus est adustionem dexteræ manus, super quam vi arreptam ardentes carbones cum thure persecutores posuissent, vt ille incendii dolorem sentiens, eos motu suo in aram suppositam excuteret. Cuiusmodi supplicium eadem fortitudine pertulisse hac eadem persecutione Cyrene in Libya *Cyrillam* virginem, fidem faciunt Ecclesiasticæ Tabulæ. *g* Quin & huiusmodi nouam crudelitatis artem alios quoque plurimos Christianos expertos esse, quo vel specie tenus diis obtulisse thus viderentur, constat ex Regulis pœnitentialibus S. Petri Alexandrini, de quibus agetur postea, necnon ex aliorum Martyrum Actis: quamuis eos qui hac violentia coacti thus excussissent, nullius vel leuis argui culpæ debere, idem Petrus docet.

XII. PARENTVM S. BASILII VITA.

c *Bas. ep.* 79. *ad Neocæs.*

XIII. MARTYRES PONTICI.

i *Mart. Rom. 9. Nouemb. Menolog. Gr. 17. Febr. Meta. 17. Feb.*

Nec infeliciorem exitum habuit fiducia *Dorotheæ* virginis eadem Cæsarea passæ: quæ cum ad supplicium duceretur, à Theophilo quodam Aduocato Præsidis per irrisionem rogata vt ei de paradiso sponsi sui, quem illa valde prædicaret, mitteret rosas aut mala, (erat autem dies sextus Februarii) ipsaque promisisset, in ipso ferme percussoris ictu, apparuit ante illam puer ferens in oratio tria mala pulcherrima, & tres rosas elegantissimas: cumq; per eumdem puerum mox eas misisset ad Theophilum, commotus hic tanto miraculo, Christum & ipse confessus paulo post martyrium subiit, prout hæc pluribus narrantur in eiusdem virginis *h* Actis.

BARLAHAM MARTYRIS MIRA CONSTANTIA.

g *Mart. Rom. 5. Iul. & Bar. an.* 310. *in fi.*

XIV. DOROTHEA MARTYR.

h *Ap. Sur. 6. Febr.*

Tunc etiam eadem ciuitas Cæsariensis insigniter illustrata est corona *Iulittæ* martyris, quam idem Basilius laude celebrauit: simulque ostendit, addidisse illud Imperatorem ad priora in Christianos promulgata olim edicta, vt qui deos colere detrectarent, haberentur infames, nulloque legum adminiculo iuuarentur aduersus insurgentes in se calumniatores. Extatque insuper nonnullorum aliorum tam in iisdem Ponti & Cappadociæ regionibus, quam in Mesopotamia, Armenia Minori, & Arabia passorum memoria in Tabulis Ecclesiasticis. Quam vero immania & inaudita

XV. DE ALIIS MARTYRIBVS.

dita cruciamenta iidem perpessi sunt, Eusebius a generatim tantum res illarum Ecclesiarum prosecutus describit. Inter eos autem qui in Mesopotamia passi sunt, memorabilis extitit *Athenodorus* b: qui cum ignibus, & aliis cruciatibus diutius tortus, capitis damnatus esset, & ictum illaturus carnifex à numine repulsus corruisset, nullusq; alius eum ferire auderet, orans obdormiuit in Domino. De cæteris autem Martyribus in aliis Orientis prouinciis coronatis, agetur opportunius annis sequentibus.

a *Euseb. 8. hist. 24.*

b *Martyr. Rom. 11. Nouembr.*

IESV CHRISTI ANN. 305.

MARCELLI ANN. 2.

CONSTANTII & GALERII } AN. 2.

I. IANVARIVS MARTYR.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinto, Constantio & Galerio Augustis quintum Coss. *S. Ianuarius* Episcopus Beneuentanus, postquam virtute diuina illæsus euasit dentes bestiarum, & flammas fornacis ardentis, aliaq; superauit tormenta, obtruncatione capitis vna cum sociis martyrium consecutus est ab ingrato Præfecto, cui ipse ereptum diuinitus oculorum lumen precibus suis restituerat. Isthæc enim his Coss. contigisse reperimus in Actis c manuscriptis eorundem SS. cum in illis quæ edita d habentur, à Ioanne diacono olim concinnata, desint Consules quibus passi sunt. Cæterum eiusdem S. Ianuarij corpus, longum post ambitum, translatum demum Neapolim, ob ingentem atque frequentem miraculorum operationem, magna illic celebritate colitur. Vigetque hactenus insigne illud & perenne miraculum sanguinis eius; vt qui vitrea ampulla concretus contineatur, quotiescunq; ad caput admouetur, quasi vicino illius coronæ martyrij lætetur aspectu, protinus liquefieri, mox fluere & ebullire maxima omnium admiratione conspiciatur.

c *Rec. Baron. Annal. To. 11. hoc an.*

d *Ap. Sur. 19. Sept.*

MIRACVLVM DE EIVS SANGVINE.

II. ALII MARTYRES IN ORIENTE.

In Oriente vero sæuius grassante persecutione, hoc eiusdem indictæ anno quarto, (vt ab Eusebio numerantur) ponit ipse nobile certamen *Agapij* martyris, qui Cæsareæ Palæstinæ Galerio Imperatore ludos in Amphitheatro spectante, bestiis obiectus est. Eodemq; anno Tarsi in Cilicia passus est *Bonifacius* procurator *Aglaidis* nobilis fœminæ Christianæ: qui cum ei turpibus vlibus hactenus inseruisset, ab eadem iam pœnitente ipse pœnitens Roma Tarsum missus vt emeret corpora SS. Martyrum, quæ Simplicius Proconsul non minus auarus quam crudelis pretio distrahere consueuisset; oblata occasione aliorum martyrum, quos pro CHRISTO fortiter pati videret, & ipse martyr effectus est, atque à suis redemptus ad eandem Aglaidem Romam relatus: sicut hæc pluribus describuntur in eius passionis Actis e. Sed & memoratur in Tabulis Ecclesiasticis *Pelagia* virgo, quæ ibidem Tarsi in candentis ærei bouis ventrem inclusa, insignem martyrij suscepit coronam: itemque alij tam in eadem ciuitate, quam in cæteris eiusdem Ciliciæ, & adiacentium, aliarumque toto orbe Romano prouinciarum locis, eadem persecutione vrgente variis tormentorum generibus martyrio coronati: præter innumeros, quorum memoria penitus excidit.

e *Ap. Metaph. 14. Cal. Ianuar. & Sur. Non. Iunij.*

III. CANONES PETRI ALEXAN. DE LAPSIS.

Cum autem hoc eodem anno quarto Persecutionis, instante Paschate frequens Lapsorum numerus (sicut olim accidisse vidimus temporibus Cypriani) admissi sceleris pœnitentes, confestim in Ecclesiam recipi vrgerent, sed Episcopi Catholici eos indistincte absque digna præuia pœnitentia recipere recusarent: inter alios *Petrus* illustris nominis Episcopus Alexandrinus, diuersos lapsorum casus considerans, diuersaque pro conditione cuiusque medicamenta vulneribus adhibens, Regulas f aliquot scripsit, quæ à Patribus præsertim Orientalibus cognitæ probatæque, atque vsu receptæ sunt; quibus etiam demonstrantur ingentia mala, quibus Ecclesiæ Dei contigit his temporibus premi, necnon multiplices artes persecutorum ad subuertendos Fideles, & diuersos eorundem Christianorum lamentabiles lapsus. Quæ vero occasione eorundem Lapsorum ortæ fuerint turbæ, dicetur anno sequenti.

f *Ext. ap. Theod. Balf. in Nomocan. in fin. & in Bibl. Patrū.*

IV. DE SYNODO ELIBERINA.

At non tantum Episcopi Orientales, furente licet persecutione, de componenda eiusmodi Ecclesiastica disciplina adeo soliciti fuerunt; sed & in Occidente illud ipsum præstitisse reperiuntur Hispani Episcopi nobiles Confessores: qui decem & nouem numero conuenientes ELIBERIM, (Bæticæ a prouinciæ ciuitatem, cuius postea sedem Granatam translatam tradunt) austerioti quodam spiritu propemodum visi sunt Nouatianorum limites attigisse, dum Lapsis nec in fine communionem dandam esse statuerunt b. Qua de causa factum putatur, vt cum hæc displicuerint successoribus, nulla, sicut de aliis, eius Synodi nominatim ab antiquioribus mentio habeatur, atq; sic prope antiquata remanserit. At cum quæ ab iisdem Patribus de ea re sunt statuta, excusentur ab Innocentio c Papa, dum licet tacito Eliberinæ Synodi nomine, de rebus in ea decretis agit; nemo sit qui accusare præsumat: cum & eidem Synodo interfuisse noscantur magni illi pietate, doctrina, & confessione illustres, *Osius* Cordubensis & *Valerius* Cæsarauguſtanus, de quibus dictū est superius; & multa tunc accidere potuerint quæ nobis sunt incomperta; in quibus austeriora illa lapsis remedia oportuerit adhibere; maximè vt reliquos omnes Fideles ab idololatria longius absterrerent. Qua etiam ratione & in publica lætitia lucernas, & in cœmeterio cereos accendere, & in Ecclesia Imagines pingi vetuerunt; de quibus rebus luculenter à nobis disputatum est superius d; sicut & de plerisque aliis ad antiquos Ecclesiæ mores spectantibus, quarum in reliquis eiusdem Synodi canonibus fit mentio. Eam enim nondum persecutione extincta, ac proinde ante Imperium Constantini (sub quo plerique alij ponunt) celebratam, cum eiusdem Innocentij testimonio constat, tum ex regulis ibidem scriptis satis colligitur.

a *Plin. lib. 3. c. 1.*

b *Conc. Elib. c. 1. 2. 3. 6. 8. 12. 17. 18. 63. 64. 65. 71.*

c *Innoc. ep. 1. c. 1.*

d *An. 57. & 58.*

IESV CHRISTI ANN. 306.

MARCELLI ANN. 3.

CONSTANTINI ANN. 1.

I. e *Euseb. 8. hist. 17.*

ANNO CHRISTI trecentesimo sexto, Constantio & Galerio Augg. sextum Coss. quinto e Persecutionis anno, *Theodosia* virgo Tyria Cæsareæ in Palæstina post dira tormenta in mare est præcipitata; & alij plurimi Fideles ad metalla damnati, nonnulli etiā bestiis igniq; traditi, multi carcere coerciti & vinculis: inter quos enituit maximè *Pamphilus*, ipsi Eusebio hæc pluribus describenti familiaritate coniunctissimus; de cuius consummatione martyrij dicetur anno post sequentem.

II. SEVERVS & MAXIMINVS CÆSS.

Hoc eodem anno Galerius Maximianus Imperator, existimans vtium se tot prouinciis regendis non sufficere, duos Cæsares creauit, nempe *Flauium Valerium* SEVERVM, & MAXIMINVM natum (vt testatur Zosimus f) ex sorore eiusdem Galerii Augusti, & ab eodem adoptatum: quorū creandorum illa alia adducitur ex Eutropio causa, quod Constantius, cum in diuisione Imperij cum Galerio, Italiam, Africam, & Gallias in sortem accepisset, cessetit collegæ Italiam & Africam. Itaq; agente illo in extrema (vt dictum est) mundi parte, nempe in Britannia, Maximianus Galerius (quod scribit Socrates g) profectus in Italiam, duos designauit Cæsares quos diximus, Maximinum quē Orienti, & Seuerum quem Italiæ præfecit: idemque *Constantinum* Constantij filium Romæ agentē, ne facessere negotium posset rebus à se statutis, tenuit sub custodia. Te-

f *Zos. lib. 2.*

g *Socr. lib. 1. c. 1.* CONSTANTINVS ROMÆ DETENTVS, FVGAM SIBI CONSVLIT.

statur namque Victor, eundem Constantinum, dum à Galerio Romæ religionis specie obses teneretur, fugam arripientem, atq; in fruitandos insequentes, publica tumenta quaqua iter ageret interficientem, ad patrem in Britanniã peruenisse, cum eum forte iisdem diebus fata vltima peruterent. Hæc Victor: qui quod ait, religionis specie obtidem detentum Cõstantinum, de religione Christiana puto intelligendũ: siue id de ipso Constantino intelligamus, qui natus ex Helena Christiana femina, aliquod de patrocinio Christianæ religionis specimen edidisset: seu potius ad ipsum Constantium patrem referamus, qui ob propensiorem erga Christianos animum, apud Galerium de prodita auita superstitione in suspicionem venisset. Cæterum insidias ab aliis Imperatoribus Constantino structas, eiusdemq; fugam, & ad patrem aduentum cum is esset ferme in extremis, Eusebius *a* descripsit plutibus.

a *Euseb. l. de vit. Const. 14. 15.*

III.

b *Socr. lib. 1. c. 1.*

Sic igitur hoc eodem anno, iisdemque Coss. anno primo (vt scribit Socrates *b*) ducentesimæ septuagesimæ primæ Olympiadis, octauo Calendas Augusti, *Constantius* Imperator Eboraci in Britannia diem extremũ clausit: cuius erga Deum pietatem vsque ad supremum diem seruatam, eiusq; mores optimos, numerosam liberorum sobolem, aliasque felicitates sæpius prædicat Eusebius *c*. Eidem vero defuncto (vt addit) ipsius vltima voluntate, totiusque exercitus voto idem CONSTANTINVS eius primogenitus felicissimè subrogatus est, diuino potissimum numine suffragante, quo huius opera Ecclesia tandem dura diuturnaque ducentorum & septuaginta annorum captiuitate sub Gentilibus Imperatoribus in præsentem vsq; annum producta, libera respiraret. Quod autem scribit Zonaras *d*, Constantio ægrotanti, & ob cæterorum filiorum ineptam indolem mœsto, Angelum adstitisse iubentem vt Constantino relinqueret Imperium; itemq; quod addit de Sarmatarum duce atque Icone ab eodem Constantino adhuc adolescente superatis, cum ad eam pugnam iussu Galerij, eidem ex inuidia insidias struentis, accessisset: hæc, inquam, quod nec Eusebius, qui Constantini primordia accurate descripsit in eius Vita, atque eius laudandi nullam vnquam vel leuem omisit occasionem, nec qui in laudem eius dixerunt encomiasticas orationes, vllo modo attigerint, quæ ob sui dignitatem prædicari maximè debuissent; ea nos pariter vt commentitia reijecimus.

c *Euseb. hist. lib. 29. & 1. de vit. Const. 11. 12. 15. 16.*

CONSTANTINVS IMPERAT.

d *Zonar. lib. 12 Annal. in Dioclet.*

IV.

[HIC INCIPIT TOMVS III. ANNALIVM BARONII.]

c *Cassiod. Tripart. lib. 1. cap. vlt.*

Porro cum tam ex Olympiadum supputatione, quam ex Consulatibus Fastis, adeo certus habeatur annus quo Constantinus in locum demortui patris successit; Cassiodori Chronicon erroris arguitur, dum post biennium sub Consulatu Diocletiani decimo & Maximiani septimo ponit eiusdem Cõstantini exordium: quod quidem vel ex eiusdem auctoris Historia Tripartita *e* corrigitur, dum ait ex Socrate, Constantinum defunctum esse cum imperasset annos triginta vnum Feliciano & Titiano Coss. hac n. ratione oportuit ipsum hoc anno imperare cœpisse. Illud autem exploratum habetur, eum, licet à patre & ab exercitu fuerit hoc anno renunciatus & acclamatus Augustus, tamen nonnisi Cæsaris nomen tunc accepisse; Augusti vero eo tantummodo tempore, cum Faustam filiam Maximiani Herculij anno sequenti vxorem duxit: quod docetur in Panegyrico iisdem Maximiano & Constantino tunc dicto.

V.

CONSTANTINI PATERNVM GENVS.

f *Treb. in Claud. Iun.*

Sed quod ad eiusdem Constantini genus attinet; ex patre à Claudij Iunioris Imperatoris stemmate originem ducere, sæpius dictum est. Si vero eiusdem stemmatis principium altius reperatur, Trebellius *f* est auctor, ipsum à Vespasiano Augusto descendere, vnde Flauiæ gentis est nomen & insignia consecutus. Vnde autem mater eius HELENA sit orta, non leuis est controuersia. Scimus Græcorum recentiores, (Eusebius enim, rerum licet Græcarum amplificator egregius, hæc tacuit) Nicephorum *g* & alios affirmare eam fuisse Bithynam genere, filiamque hospitis eiusdam Drepanensis, cum qua Constantius ad Persas Legatus quondam missus, Drepane iter habens concubuisset; ac cum ibidem Cõstantinum peperisset, post aliquot annos vna cum filio euocatam esse in Italiam. Porro cum eam fuisse Britannam constet, (vt iam omittamus eiusmodi commentum aliis rationibus confutare) facile potuit accidisse, vt scriptoris incuria alicubi Bithynia loco Britanniæ scriptum esset, vnde & reliqua cõfingendi occasio sit accepta: cum præsertim ille color accederet, quod Drepane dictum oppidum in Bithynia, ab eadem Helena admodum illustratum, fuerit postea Helenopolis *a* appellatum. Sane quidem ipsum Constantinum non in Bithynia, sed in Britannia fuisse ortum, disertis verbis coram amplissimo conuentu testatus est celebris ille Gallicanus orator, Panegyrico dicto in publicis nuptiarum eiusdem Cõstantini cum Fausta solemnitatibus. Qua pariter ratione æquius est dicere, Helenam fuisse Britannam, quam Bithynam; quam certum est peperisse in Britannia Constantinum.

g *Niceph. lib. 7. c. 18.*

HELENÆ PATRIA & GENVS.

a *Sozom. lib. 2. cap. 1. Niceph. lib. 8. cap. 31.*

VI.

HELENA VXOR CONSTANTII.

b *Zonar. Annal. Tom. 3. in Constantino.*

An autem adhæserit concubina Constantio, an vxor legitima fuerit, auctor est Zonaras *b* controuersia agitatum; ipse vero nihil definiens, litem reliquit sub iudice. At cum exploratum habeatur apud omnes antiquos historicos qui res Constantij sunt prosecuti, Maximianum Herculium, cum sibi eundem Constantiũ adoptasset in filium, vt ei cõiungeret in matrimonium Theodoram priuignam suam, coegisse repudiare eam quam prius vxorem acceperat; id Eutropio *c*, Victore *d*, ac reliquis attestantibus: compellimur ex quadam necessitate dicere, Helenam legitimam eius coniugem fuisse; cum nulla prorsus extet memoria, Constantium aliam aliquam habuisse vxorem, præter Helenam, & Theodoram. Quinimo dum idem Gallicanus orator, ipsum Constantium summæ continentiæ laudans, ait Constantinum quo magis continentiam patris æquaret, ab ipso fine pueritiæ matrimonium iniisse, vt nihil de vagis cupiditatibus admitteret; satis demonstrat ipsam Helenam vere fuisse Constantij coniugem, non pellicem. Ex iis igitur, cum cæteri omnes qui dicunt natum Constantinum ex concubina, mendacij redarguuntur, tum Zosimus Comes, dum ait genitum ex muliere non matrona. Ethnicus enim homo, & in religionem Christianam infensissimus, Constantinum vt desertorem deorum sæpe exagitans contumeliis, in eum Philippicas potius, quam eius historiam conscripsit. Inde autem manasse videtur illa opinio, quod Helena fuerit Constantij concubina, quia non creditæ sunt nuptiæ quas ciuis Romanus cum peregrina contraxisset; atque amplius, quod Romanorum *e* legibus cautum esset, vt si aliquis Præfectus vxorem duceret in ea prouincia in qua officium gerebat, matrimonium irritum fieret, quod ratio potentatus eiusmodi nuptias prohiberet. Cum isdem legibus *f* iustæ efficerentur nuptiæ, si post depositum officium in eadem voluntate perseueraret; constat Helenam vere fuisse Constantij coniugem, ac matrimonium ratum, quod ille sic eam duxit, vt cum à prouincia discessisset, ac magistratum deposuisset, nunquam illam dimiserit vsque ad nuptias Theodoræ.

c *Eutrop. l. 9.*

d *Victim. Dioclet.*

CVR DICTA CONCVBINA.

c *l. Præfectus D. de ritib. nupt.*

f *l. eos. qui. D. eo.*

Cæterum Eutropius *g* cum affirmet eam coniugem fuisse Constantij, obscuro tamen loco natam testari videtur: eandemq; *Stabulariam* fuisse, à nonnullis assertum S. Ambrosius *h* tradit. Sed eõ plane nomine vulgo dicta est, quod hospitis apud quem diuertit Constantius in Britannia filia fuisset. At qualis hospitis, qui ducem totius exercitus domi exciperet? Quamobrem qui antiquas res Britannicas sunt prosecuti, (quod cõpertum habuerunt ex antiquis Annalibus) Helenam tradunt fuisse filiã vnius ex Britanniæ Regulis Coel nomine; apud quem hospitatus Constantius, quã pulcherrimam nouit eius filiam accepit in coniugem; quando videlicet missus est primum ab Aureliano Imp. in Britanniam cum exercitu, vt populos illos sæpius tumultuantes in officio cõtineret. Respectu vero clarissimarum nuptiarum quas postea cum Theodora contraxit, quibus & Imperium consecutus est, prius illud coniugium æstimatum est à Romanis obscurum; ipsaq; Helena per contemptum *Stabularia* dicta: Sicut & Galerius Maximianus, qui eodem tempore imperauit, ob humile genus vulgo dictus est *Armentarius*. At de Helena modo hactenus: ex qua Constantium genuisse alium filium, vel filiam, præter Constantinum, memoria nulla est. Ex Theodora vero Augusta suscepit *Constantiũ*, qui pater fuit Galli & Iuliani, Del-

VI.

g *Eutrop. lib. 10. in fi.*

h *Ambr. orat. in fun. Theodos.*

ET STABVLARIA.

LIBRI CONSTANTII IMP.

MACIANI

matium patentem Delmatij Iuniotis Cæsaris, & *Annibalianum*; quibus addunt aliqui alium *Constantinum*: filias vero *Constantiam* quæ postea Licinio Imperatori nupsit, *Eutropiam* coniugem Nepotiani, & (vt putant alij) *Anastasiam*: sed iis omnibus posthabitis, Constantinum Helena genitum Imperij reliquit heredem. Quem cum Eusebius *a* tradat, tot annos natum fuisse quando suscepit Imperium, quot vixit postea Imperator; eundem hoc tempore triginta vnum, vel triginta duos inchoatos annos egisse, satis probatur: quod & pleriq; *b* alij testantur. Quamobrem qui ætate iuniorem iniisse Imperium tradunt, respectu seniorum Imperatorum locuti esse videntur.

a *Euſ. l. de vit. Conſt. l. in fi. & lib. 4. c. 53.*
b *Epiph. de menſ. Hier. in Chron. Vict. in Conſt. & alij.*

VIII. MAXENTIVS OCCVPAT IMPERIVM.

Postquam autem res in Britannia gestæ essent in Vrbem perlatæ, & noui Imperatoris Constantini imago Romæ ex more (inquit Zosimus *c*) esset exhibita; MAXENTIVS quoque Tribunos quosdam & milites Prætorianos multis promissionibus sibi deuinciens, ab iisdem acclamatus est Imperator. Qui quidem licet vt Maximiani Herculij filius educatus fuisset; tamen nõ vere ex illo natum, sed plane terræ filium ab Eutropia Maximiani vxore fuisse suppositum, ab antiquis historicis *d* creditum est; & videtur apud Maximianum fidem inuenisse, dum ei Constantium priuignæ suæ maritum prætulit in successione Imperij. Sed quod reuera non esset vel haberetur vt filius, vetus nummus *e* haud pridem inuentus, qui latuit antiquos omnes & recentiores historicos, euidentissimè demonstrat; dum eum generum tantummodo fuisse Maximiani, huiusmodi apposita inscriptione docet, IMP. MAXENTIVS DIVO MAXIMIANO SOCERO. Porro cum sciisset Constantinus Maxentium Romæ occupasse Imperium; quæsiuisse cum eo res cõponere, habereq; collegam, sed hunc omnino recusasse, quin etiam Constantini deiecisse imagines, & iniuria affecisse; testatur Nazarius in Panegyrico eidem Constantino post victoriam dicto.

c *Zoſ. libr. 2.*
d *Vict. in Maxim. & alij.*
e *Refert Baron. Annal. Tom. III. hoc an. ex muſeo Lal. Paſquali.*

IMPENSVS CONSTANTINO.

IX.

Maxentius autem vt sibi omni ex parte Imperium stabiliret, sciens Christianos erga Constantinũ esse propensiores, Christianam & ipse religionem simulauit. Id namque diserte asserit Eusebius *f*: eoque spectare videtur quod apud Augustinum *g* scribitur, Melchiadem (hoc tempore Romanum presbyterum, postea Pontificem) misisse Stratonem diaconum vna cum literis Maxentij Imperatoris, & Præfecti Prætorio, ad Præfectum Vrbis, vt reciperet loca quæ fuerant à Christianis tempore persecutionis ablata. Deniq; restitutam fuisse libertatem Christianis Afris, indulgentiam mittente Maxentio, Optatus *h* tradit. Quamquam si Eusebio *i* credamus, affirmanti iam ab ipsa Maximiani abdicatione, cum alias Occidentales oras, tum Africam & Mauritaniam à persecutione quieuisse; dicendum erit, eiusmodi indulgentiam à Maxentio missam in Africam, haud pertinuisse ad sopiendam persecutionẽ in Christianos excitatam, quippe quæ iam antea extincta esset; sed potius ad iras, quibus hactenus haud leuiter sæuierat in Africanos (vt auctor est Zosimus) quod perlatam in Africam eius imaginem prohibuissent circumferri, & *Alexandro* fauissent qui ex Præfecto Prætorio Imperatoriã quoq; purpuram induisset: quem per Volusianum extinxit, & de perpetratis Carthagine malis triumphauit.

f *Euſ. 8. hiſt. 26.*
g *Aug. in Breuic. collat. di. 3. c. 18. & poſt Collat. c. 13.*

SIMVLAT CHRISTIANVM.

h *Opt. lib. 1.*
i *Euſ. 8. hiſt. 25. in fin.*

X. MARCEL. TITVLOS AVGET.

Hoc igitur tempore concessa Ecclesiis Occidentalibus vbique pace, ea bene vsus Marcellus Papa, componendi dissipatam longa persecutione Ecclesiam Rom. consilium iniens (inquit Anastasius libro de Romanis Pontiff.) *viginti quinque Titulos in Vrbe constituit, quasi diœceses, propter baptismum & pœnitentiam multorum qui conuertebantur ex Paganis, & propter sepulturas Martyrum.* Nempe Marcellus, quod maior in dies ex Gentilibus ad Ecclesiam accessio fieret, parœcias illas per diuersas Vrbis regiones commoditati publicæ consecrauit. Videturq; illud à Maxentio fuisse Rom. Ecclesiæ concessum, vt corpora Christianorum Martyrum sepelire liceret intra vrbem; quod omnibus veritum *k* olim erat lege duodecim Tabularum. Cæterum de *Titulis* dictum est alias pluribus.

k *Cic. lib. 2. de leg.*

XI. CÆCILIANVS ELIGITVR EPISCOP. CARTHAG.

Concessit quoque (vt vidimus) Ecclesiæ Africanæ pace, conuenientes Carthaginẽ vicini Episcopi, in locum defuncti Mensurij totius cleri populiq; suffragio *Cæcilianum* eius olim diaconum, Episcopum Carthaginiensem ordinarunt, manus ei imponente Felice Aptungitano; repulsis Botro & Cælesio, qui eundem Episcopatum ambiebant. Cum autem creatus Cæcilianus, à senioribus repeteret Ecclesiæ vasa aurea & argentea, quæ ne raperentur à persecutoribus Mensurius prædecessor eis commendauerat; iidem ne reddere cogerentur, iungentes se ambitoribus *Botro* & *Cælesio*, & in consortium adhibita *Lucilla* factiosissima & pecuniosissima femina, quam olim non potuisse ferre Cæciliani disciplinam Ecclesiasticam dictũ est superius; ab eiusdem Cæciliani communione se subduxerunt: sicq; tribus conuenientibus diuersis causis & personis, ingens conflatum est SCHISMA, quod confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutriuit, auaritia roborauit.

SCHISMATIS DONATISTARVM ORIGO

XII.

Vt autem vitiosa Cæciliani; ordinatio diceretur, (tanquam videlicet ipse martyribus olim in carcere constitutis victum afferri prohibuisset, & à Traditoribus ordinatus esset) ab iisdem schismaticis accersitus est Carthaginem ipsorum Traditorum princeps Secundus Tigisitanus Numidiæ Primas, cum aliis Traditoribus Episcopis quos olim Synodo Cirtensi interfuisse vidimus. Qui omnes Carthaginem aduenientes, ac seorsum à Cæciliano coeuntes, aduersus eum creauerunt Pseudoepiscopum *Maiorinum*, qui Lector in Diaconio Cæciliani fuerat, domesticum Lucillæ, ipsaque suffraganteeoq; impudentiæ progressi sunt, vt ijdẽ ipsi Traditores manifestissimi, eiusmodi traditionis crimen in Cæcilianum, eiusque ordinatores, scriptis per vniuersam Africam litteris, falsissimè deriuarint. Sic enim hæc omnia gesta esse, pluribus Optatus *a*, paucioribus ex illo Augustinus *b* commemorat. Qui quod alibi *c* scribit, gloriari solitos Donatistas de Concilio ferme septuaginta Episcoporum Carthagine celebrato, in quo Cæcilianus absens, vocatus & non parens fuisset damnatus, & alij cum eo; si non hæc fuit impostura eorundem Donatistarum, existimandum est eos intellexisse de isto *Concilio* à Secundo & suis celebrato. Siquidem Augustinus *d* demonstrat, illud de quo ipsi loquebantur, celebratum esse ante Acta publica habita coram *Zenophilo* Consulari aduersus Siluanum Cirtensem Episcopum Traditorem, qui ab eodem Zenophilo in exilium pulsus est: quæ quidem (hoc ipso anno Idibus Decembris confecta esse, apparet ex Coss. ibi positis, nempe Constantio Augusto & Constantino Cæsare, qui fuit in locum patris suffectus. Quæ vero fiducia fuerit Cæciliani aduersus conspirantem multitudinem inimicorum; idem Augustinus *e* scribens de eo Concilio ad Episcopos Donatistas illud ostentantes, demonstrat satis sibi visum esse, quod Romanæ Ecclesiæ, *in qua semper* (inquit) *Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*, & cunctis terris, vnde Euãgelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras coniungeretur: vbi & paratus esset causam dicere, si ab eo illas Ecclesias aduersarij conarentur alienare. Sed quæ post hæc secuta fuerint, dicetur suis locis.

a *Opt. lib. 1. cont. Parm.*
b *Aug. 1. cont. Parm. 3.*
c *Id. Breuic. Collat. di. 3. c. 14.*

CONCILIVM SCHISMAT. DONATIST.

d *Id. 3. cont. Creſcon. 28. 28. 29.*

MAIORINVS PSEVDOEPISC. CARTHAG.

Cæterum quamuis schisma conflatum præcipuè fuerit à Botro & Cælesio, necnon à senioribus, ac Lucilla, auctumq; à Secundo, & in creatione Maiorini stabilitum: constat tamen à nullo dictorum nomen accepisse, sed qui ei adhæserunt dictos esse DONATISTAS; nempe (vt ex Augusti. *f* certum redditur) à *Donato* Episcopo à Casisnigris in Numidia, qui primus instigante *g* Lucilla, Cæciliano *h* adhuc diacono, apud Carthaginem schisma fecit, & postquã Cæcilianus factus est Episcopus, iunctis sibi aliis suæ factionis Episcopis *i*, aduersus eum ordinauit Maiorinum. At erubescentes Donatistæ denominari ab isto Donato, quẽ constaret *k* à Melchiade Papa esse damnatum; potius ab alio DONATO, qui Maiorino in schismate successit, nomen se accepisse iactarunt, quem pro magno *l* habebant, atq; ab omni labe purissimum defendebant; quemq; eloquentia sua illam hæresim valde confirmasse, Augusti. *m* tradit; de quo dicentur plura inferius.

e *Id. ep. 162.*

XIII. DONATISTÆ VNDE SIC DICTI.

f *Theodo. hær. fab. lib. 3.*
g *Aug. Breuic. Col. di. 3. c. 12.*
h *Id. de hæreſ. c. 69.*
i *Id. Bre. Col. di 3. c. 18. 20.*
k *Id. poſt col. c. 13.*
l *Id. de hær. c. 69.*

XIV. SCHISMA MELETII IN ÆGYPTO.

Hoc item anno Domini trecentesimo sexto, aliud infaustum *Schisma* conflatum est in Ægypto à MELETIO Episcopo Lycopolis. Id namque de tempore certum redditur, quod Athanasius oratione prima contra Arianos, ab eius ortu vsque ad tempus quo eam habuit orationem, (nempe anno trecentesimo sexagesimo primo) numeret annos

quinquaginta quinque. Rem vero gestam Epiphanius *a* describens, ait contigisse vt cum fidei causa Meletius vna cum Petro Episcopo Alexandrino & aliis Episcopis, monachis, ac omnis generis clericis in carcere detineretur Alexandriæ; controuersia inter eos mota propter Lapsos qui petebant ad communionem per pœnitentiam recipi, ac resistente Meletio cum maxima parte reliquorum confessorum, ne reciperentur nisi post pacem Ecclesiæ redditam, Petro vero cum paucis aliis asserente statim ad pœnitentiam admittendos esse; inde diuisis ab inuicem partibus, & seorsum preces & alia mysteria peragentib. Schisma in ipso carcere cœptum fuerit. Hæc Epiphanius: quæ tamen non aliunde, quam à Meletiani cuiusdam scriptis, longe postquam ea acciderunt, nesciens mutuatus esse noscitur. Siquidem Athanasius, qui ea ob oculos habuit, disertis verbis tradit *b*, Meletium multis conuictum criminibus, & imprimis quod idolis sacrificasset, in cõmuni Episcoporum Synodo depositũ à Petro, dedignatum esse ad aliam Synodum confugere, ac se purgare; sed schisma fecisse, & in Petrum alios q; Episcopos multa conuicia calumniasque confinxisse. Hæc Athanasius: cui etiam in omnibus consentiunt Socrates *c*, & Nicephorus *d*. Quinimo si consulas sincera martyrij Acta eiusdem Petri, ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donata, inuenies Meletium non tantum fidem negasse, & idolis sacrificasse, sed etiam pro Maximino Imp. tum aduersus cæteros Alexandrinæ Ecclesiæ Fideles diram persecutionem exercuisse, & multos coegisse prænaricari; tum ipsum Petrum adeo exagitasse, vt coactus fuerit capessere fugam & latebras quærere. Vt plane appareat, Meletianos in Ægypto imitatos esse Traditores Africanos; qui convicti traditionis criminis, quo se purgarent, id ipsum in innocentes retorserit. Quod vero addit Sozomenus *e*, Petrum improbasse Meletij baptisma; non sic accipiendum est, vt baptizatos ab eo non reciperet; sed (quod tradit Nicephorus) vetuisse ne baptizaret in Ecclesia.

a Epiph. hær. 68.

b Athan. Apol. 2.

c Socr. lib. 1. c. 3.

d Niceph. lib. 8. c. 5.

e Soz. lib. 1. c. 14.

IESV CHRISTI ANN. 307.

MARCELLI ANN. 4.

CONSTANTINI ANN. 2.

I.

ANNVS CHRISTI trecentesimus septimus, Constantini Cæs. Consulatu ordinario consignatur: cuius collega rectius ponitur Maximianus nouies, quam Diocletianus eodem numero auctus; cum constet nonum Diocletiani Consulatum ante triennium incidisse. Hoc autem ipso anno cum Maximianus Galerius (vt auctor est Zosimus *f*) cognitis quæ tyrannicè Romæ à Maxentio gererentur, Seuerum Cæsarem misisset bellum ei facturum; corruptis à Maxentio Seueri militibus, idem Seuerus nullo negotio victus, Rauennam se recepit; indeque fraudulentis Maximiani Herculij Maxentio fauentis suasionibus Romam pergens, in itinere à militibus Maxentij insidiose necatus est. Ita quidem Zosimus. At Eutropius *g* Rauennæ tradit interfectum, cum obsidens Vrbem, à suis derelictus, eo confugisset. Addit vero Zosimus, ad eum vindicandum Galerium ab Oriente in Italiam appulisse; sed cum parum fidos erga se militum animos sensisset, ad Orientem nullo commisso prælio rediisse. Tunc & Herculium has turbas indigne ferentẽ, Diocletiano apud Carnutum Celticum oppidum degenti frustra persuadere conatum vt Imperium resumeret, versus Alpes ad Constantinum contendisse; eundemque specie nuptiarum Faustæ filiæ suæ, quam ei in vxorem dedit, fraudulenter impulisse vt Galeriũ persequeretur, & insidias Maxentio strueret; nempe sperantem se his artibus Imperij administrationem recuperaturũ: sed cum eius technas Fausta, in virum quam in parentem propensior, Constantino indicasset, Herculium in desperationem rerum omnium adductum, morbo extinctum esse. Hæc Zosimus.

f Zos. lib. 2. SEVERI CÆS. INTERITVS.

g Eutrop. li. 9.

MAXIMIANVS ITERVM AFFECTAT IMPERIVM.

[Fœdus est error apud Zosimum, dum dicitur Diocletianus tunc fuisse apud *Carnutum Celticum oppidum*: legendumque *Carnuntum*, quæ est vrbs in Pannonia, cuius meminit Plin. lib. 4. capit. 12. & lib. 37. cap. 3. Antoninus in Itiner. & alij. Sunt q; viri docti, qui putant eandem esse, quæ hodie *Perronella* dicitur in Austria. *Carnutum* Celticum oppidum vulgo indigitatur *Chartres* à Gallis. Habetur porro in Aurelij Victoris Epitome, Diocletianum, cum ab Herculio & Galerio solicitaretur ad recipiendũ Imperium, id tanquam pestem aliquam detestantem, respondisse: *Vtinam Salonæ possetis visere olera nostris manib. instituta; profecto nunquam istud tentandum iudicaretis.*]

CARNVNTŨ PANNONIÆ.

II.

Sed quod imprimis ad Constantinum spectat; cum iam ipse post Constantii parentis obitum duos Francorum & Alemannorum Reges Gallias inuadentes compressisset, eosdemq; bestiis, cum magnificum spectaculum muneris parasset, obiecisset, indeque timorem vniuersis ineussisset; (quod tradunt auctores *a* Panegyricorum, ac Eutropius *b*, & Eusebius *c*; licet ea prætermiserit Zosimus, Constantini gloriæ infensissimus:) auctor est idem Eutropius, Herculium existimantem male consultum fore Maxentio suo, quamdiu eiusdem Constantini res starent, eum de medio tollere decreuisse: ideoque simulatis cum Maxentio inimicitiis, ad Constantinum in Gallias veniisse, tanquam à Maxentio esset expulsus quod ei Imperium abrogare voluisset, sed re vera vt eundem Constantinum reperta occasione interficeret. Nempe cum instante Seueri bello, Herculius à Senatu & exercitu (vt Gallicanus orator demonstrat in Panegyrico) impulsus fuisset resumere Imperium; (non alio quidem consilio, quam vt illud Maxentio stabiliret;) eius rei gratia cætera quæ postmodum secuta sunt, scilicet iras in Maxentium, & nuptias Faustæ, ex composito ad fallendum Constantinum gesta esse, Eutropio visa sunt; etiamsi ea serio accidisse Zosimus, Socrates *d*, & alij tradant: re vera autem Herculium fuisse in Constantinum animo infensissimo, certum est.

a Gallican. Panegyr. Maxim. & Constant. Nazar. Panegyr. Constant. 3.

b Eutrop. lib. 10.

c Euſ. 1. de Vit. 19.

INSIDIATVR CONSTANTINO.

d Socr. lib. 1. cap. 1.

III.

Sic igitur idem Maximianus Herculius, qui olim Theodoram priuignam, ex Eutropia Augusta genitam, in vxorem coniunxisset Constantio, & cum ea Imperium eidem tradidisset; modo filiam suam *Faustam* ex eadem Eutropia susceptam, cõiugem dedit Constantino; & Imperiũ quod iterum susceperat, deponendo iterum in eundem Constantinum transferre videri voluit; addito ei nomine *Augusti*, (vt declarat idem auctor Panegyrici *e*, in iisdem nuptiis publicè dicti) cum hactenus *Cæsaris* appellatione contentus fuisset: quamuis anni eius Imperij cœpti sint numerari ab obitu patris eius Constantij, à quo re vera Imperium accepisset. Porro non Faustam primam Cõstantinum coniugem accepisse, sed iam antea vt ex ephebis excessit vxorẽ duxisse, ne cõiunctione aliqua illegitima fœdaretur, in eodem Panegyrico testatum habetur: hanc q; fuisse *Minerui-nam*, ex qua natus est *Crispus*, verior sententia est; tametsi Victor *f* & Zosimus *g* eam fuisse Constantino non coniugem, sed concubinam velint.

NVPTIÆ CONSTANTINI & FAVSTÆ.

e Panegy. 1.

Cum autem post hæc rursum idem Herculius resumere tentans Imperium, Constantino insidias strueret; eius perfidiam vlterius non ferens Cõstantinus, eundem cum exercitu insecutus fugam capessere cõpulit, ac de salute desperantem apud Massiliam laqueo sibi mortem inferre. Errat enim Zosimus, dum Tarsi morbo periisse tradit: sicut & Socrates, & aliqui ex recentioribus. Nam non Maximianus Herculius, sed Maximianus Galerius, (vt auctor est Victor) Tarsi diem obiit. Idemq; Victor *h* tradit, eundem Herculium apud Massiliam à Cõstantino obsessum captumque, pœnas fractis laqueo ceruicibus luisse; alij vero (vt dictum est) seipsum strangulasse volunt. Eutropius *i* pariter Massiliæ dedisse meritas pœnas testatur; itemq; Orosius *k*, & ante oẽs Eusebius *l*, qui id accidisse ponit hoc anno secundo Imperij Constantini; idque quod *m* insidias molitus Constantino deprehensus esset: eaque propter turpissima morte extinctum esse, dum dæmonis *n* incitatione ac pulsu extremum vitæ laqueo interrupit. Sed & auctor Panegyrici *o*, eidem Constantino dicti statim post interitum Maximiani, æquè testatur eundem Maximianum, beneficiorum à Constantino acceptorum immemorem,

f Victor in Constant. & Zos. lib. 2.

IV.

MAXIMIANI INTERITVS.

h Vict. in Maximia.

i Eutrop. li. 9.

k Oros. lib. 7. c. 28.

l Euſeb. in Chron. m Id. 8. hist. 26.

n Ibid. c. 29.

o Panegyr. 4.

morem, bisque depositum Imperium ter iam vsurpare quærentem, atque ea de causa Constantino insidias molientem, ab eodem fugatum esse, & Massiliæ obsessum spontaneo interitu occubuisse. Hunc; tandem cõsecutus est finem Christiani nominis immanissimus hostis, carnifex sanctorum martyrum: cuius & obitum paulo ante *Victor a* insignis miles Christianus natione Maurus, eiusdem Herculij mandato ob CHRISTI nominis confessionem duci iussus, mox plectendus ipsi prænunciari iusserat. Cæterum eundem relatum inter diuos opera Maxentij generi, temploq; auctum; docet numisma, cuius anno superiori facta est mentio.

a *Ext. eius Acta ap. Sur. 8. Maij.*

V. MAXIMINVS QVID CONTRA CHRISTIANOS.

Interea vero in Oriente hoc ipso anno Persecutionis sexto (vt numerat Eusebius *b*) eandem persecutionem iam diuturnitate temporis flaccescentem, Galerius Maximinus Cæsar ex integro valentiorem, renouatis antiquis aduersus Christianos edictis, nouisque additis, acerbiori conatu restituit: qua hoc eodem anno in Ægypto & Palæstina, immensa Fidelium omnis sexus, ætatis, & conditionis multitudo, partim se sponte martyrio offerentes, partim vi tracti; alij præcisis ferro candenti sinistrorum pedum commissuris, & oculis dextris effossis, in metalla damnati sunt; alij flammis traditi, vel capite truncati; alij denique aliis horrendis cruciatibus diuexati: occisorum vero cadauera, insepulta proiecta, canibus & feris atque auibus dilanianda & voranda exposita sunt, custodibus adhibitis ne à Fidelibus subriperentur. Quo eodem tempore Cæsareæ Palæstinæ visæ sunt in summa serenitate columnæ ciuitatis, forum item, & plateæ ac porticus aqua aspersæ madere; quasi rerum id temporis gestarum scelus & impietatem deflerent. Sed hæc omnia pluribus Eusebius *c*; qui & ipsius *d* Maximini, cuius nutu cuncta gerebantur, perditissimos mores describit, luxuriam, gulam, rapinas, ac immensam crudelitatem tam in ipsos Gentiles, quam maximè in Christianos, quos multiplicibus tormentorum generibus, acerbius quam vlli alij antehac Imperatores, vexauit; quod (vt ait) arti magicæ, diuinationibus, & vanis superstitionibus deditissimus esset.

b *Euſ. 8. hiſt. 18.*

c *Ibid. cap. 18. 19. 20.*

d *Cap. 27.*

VI. S. CATHERINÆ CERTAMEN.

Inter cæteras vero feminas, quas ab eodem impurissimo tyranno aut stupratas refert, aut tentatas; meminit Christianæ cuiusdam virginis Alexandrinæ, genere, opibus, pulchritudine, doctrina, & pudicitia insignis: quam cum Maximinus deperiret, nec vlla arte sceleris ei persuadere potuisset, eandem fuga lapsam facultatibus omnibus spoliauit. Porro istius nomen licet Eusebius non referat; inducimur tamen vt credamus, fuisse illam in Ecclesia celeberrimam CATHERINAM, (seu potius *Hecaterinam*, vt apud Græcos, & in aliquibus etiam codicibus Latinis dicta repetitur) cuius Acta omnibus nota sunt: eius vero Eusebius nobilem tantummodo primi certaminis victoriã attigit; quem & complures alios insignes Ægypti martyres omnino prætermisisse contigit. Haud enim putandum est, Maximini libidinis faces fuisse possessione diuitiarum illius extinctas; & qui pollebat rerum Imperio, insequi desiisse abreptam fuga prædam tam ardenter amatã: quippe ait idem auctor, libidinem potius quam iracundiam, Maximini mentis circa eam virginem tenuisse imperium. Nec retardat fidem, quod Ruffinus *e* hanc ipsam nominat *Dorotheam*: nam quod Hecaterinæ ab Hecate nomen deriuatum esse videtur, id ei fuisse primo inditum à Gentilibus apparet, cum ipsa Gentilis nata esset: factam autem Christianam, (vt de multis accidit) mutato nomine dictam esse Dorotheam, sed priori appellatione magis notam: quamuis nec vnde Ruffinus eiusmodi nomen acceperit, inuenerimus. Quod autem fuga lapsa dicatur; contigisse credimus, ipsam montes Arabiæ petiisse, (eo enim confugere solitos Christianos Alexãdrinos in persecutione, Eusebius *f* est auctor:) eamque fido comitatu Christianorum, conscendisse verticem Sinæ montis: sed & perquisitam denuo, inuentamq;, & Alexandriam reductam, postquam frustra tentata esset disputationibus Philosophorum à fide Christiana diuelli; ipsaque eos omnes tum scientia qua egregiè imbuta erat, tum etiam diuinitus inspirata sibi sapientia superasset; denum tormentis exagitatam fuisse martyrio coronatam; corpusque diuinitus eo translatum, vbi latebras nacta fuisset in fuga. Quæ cum dolcamus ab Eusebio prætermissa; magis angimur, ab incerto auctore, quo fusius, eo minus fideliter quam par erat, Acta * nobilissimæ martyris fuisse conscripta. Melius enim consulitur Ecclesiasticæ veritati, rerum quæ non sunt adeo exploratæ silentio, quã mendacio aliquo, veris licet admixto, atq; adulteratæ orationis eloquio.

e *Ruff. lib. 8. cap. 17.*

EIVSDEM LAVRENTIÆ, ET MARTYRIÜ.

f *Euſ. 6. hiſt. 34.*

* *Ext. ap. Metaphr. & Sur. 25. Nouemb.*

Sub eodem etiam Maximino, (certus tamen annus ignoratur) cum ipse in Oriente, in Gallijs Constantinus, Maxentius in Italia imperarent; *Menas* patria Athenienſis, ordinis Senatorij Christianum occultum agens, ob incredibilem quandam in rebus agendis solertiam domi forisq; spectatus, ab Imperatore Augustalis Præfectus missus Alexandriam, multos illic ad fidem conuertit, editis etiam quibusdam miraculis. Acciditq; insuper, vt qui à Maximino ad vlciscendum facinus delegatus est *Hermogenes*, & ipse patria Athenienſis, cum post Menæ pedum plantas excoriatas, linguamque præcisam, & oculos conuulsos, nihilominus videret eum pristinæ diuinitus redditum sanitati, aliaq; in eo miracula effecta; ipse quoque de fide suscipienda consilium iniens, baptizatus fuerit. Quapropter Maximinus confestim Alexandriam veniẽs, Hermogenem primum in fidei confessione perstantem, manibus ac pedibus amputatis, vna cum Mena aliis tormentis exagitato, capite truncari iussit. Sunt ista ex Græcorum Menologio accepta; estq; celebris etiam in Occidente *a* tantorum Martyrum memoria. Quæ vero extant *b* prolixiora eorundem Acta, nonnulla habent in fide nutantia; vt quæ in eis de Hermogene leguntur creato Alexandrino Episcopo; cum certum sit eidem Ecclesiæ his temporibus Petrum Antistitem præfuisse.

VII. MENÆ PRÆFECTI CERTAMEN.

a *Martyrol. Rom. 10. Dec.*

b *Ap. Metaphr. & Sur. 10. Dec.*

Hoc eodem anno, occiso (vt vidimus) Seuero Cæsare in Italia, Galerius Maximianus LICINIVM creauit Cæsarem, virum strenuum, Dacia (vt ait Eutropius *c*) oriundũ: idque scribit accidisse per illud tempus, quo Maximianus Herculius Massiliæ male periit. Sed & Zosimus *d* hoc anno, ante tamen quam Herculius moreretur, Licinium creatum Cæsarem tradit: quamobrem erroris arguuntur, qui in alia tempora eius exordium referunt. Vt autem crearetur; illam causam fuisse existimamus, quod hoc ipso anno in Oriente *Valens* inuasit Imperium; ad quem debellandum homine opus esset, qui præstaret militari virtute atque peritia. Talis vero erat Licinius; qui mox eundem Valentem compressit, ac debellatum occidit. Maximinus enim, quod esset vita turpissimus, laboribus militaribus impar existimatus est.

VIII. LICINIVS CÆS.

c *Eutrop. lib. 10*

d *Zoſ. lib. 2.*

IESV CHRISTI ANN. 308.

MARCELLI ANN. 5.

CONSTANTINI ANN. 3.

I.

ANNO CHRISTI trecentesimo octauo, Diocletiano decimum & Galerio Maximiano septimum Coss. anno pariter septimo Persecutionis, (vt numerat Eusebius *e*) *Monachus* quidam *Catholicus*, & Macedonita Episcopus hæreticus, vno eodemque rogo, sed non eadem spe vitæ æternæ, pro CHRISTI nomine combusti fuere. Eodemq; anno *Pamphilus* Cæsariensis in Palæstina presbyter, post biennium carceris, & alij duodecim eiusdem socij è diuersis locis illuc collecti, ibidem Cæsareæ, iussu crudelissimi Firmiliani Præsidis, variis supplicionum generibus necati sunt: quorum martyrium pluribus describens Eusebius *f*, eosdem numerat vltimos martyres toto Persecutionis tempore Cæsareæ passos: additque, ipsum persecutorem Firmilianum, cum aliis eiusdem sceleris participibus, extrema non longo post tempore supplicia subeuntem, gladio finem viuendi fecisse.

e *Euſ. 8. hiſt. 10.*

PAMPHILI ET SOCIORÜ MARTYRIÜ.

f *Ibid. cap. 21.*

IESV CHRISTI ANN. 309.

EVSEBII ANN. 1.

CONSTANTINI ANN. 4.

ANNI IMPERII DIOCLET.

[Quod vidisti Diocletianum huius anni Consulem; mirum quibusdam visum est, hominem qui ab anno Christi 304. priuatam vitam ad extrum vsque agere instituisset, neque pedem ex agro suo tollere consensisset, creatum esse Consulem. Qui te Aur. Victor putauit ipsum rexisse Imperium annis viginti quinque: quippe Consulatus eius decimus, qui anno præsenti ei tribuitur, competit in annum ab initio suscepti Imperij vigesimum quintum. Cui tamen reliqui omnes aduersantur, tribuentes ei annos dumtaxat viginti, eosque non exactos: consentitque vniuersa Chronologorum cohors. Vide Gord. Chronol. tom. 2. ann. 303.]

II. a *Ibid. cap.* 27.

Porro cum eiusdem Eusebij testificatione *a* constet, hanc eandem persecutionem vsque ad annum decimum perdurasse; dicendum est, non in omnibus locis eadem grassatione sæuisse; vel de rebus patriis Eusebium scribentem, in charissimo sibi Pamphilo eas terminare voluisse; aut siquid postea addidit, omnino periisse: Cum alioqui præter recensitos ab eo martyres, alij quoque ibidem Cæsareæ in Palæstina, eadem persecutione passi reperiantur: atque inter alios, insignis ille Dux *Procopius*, cuius fortissima certamina ex antiquioribus monumentis edidit Metaphrastes *b*, quæ citata reperiuntur in Secunda Synodo Nicæna *c*, occasione mirabilis Crucis ab eo fabricari iussæ: quemadmodũ & de sublimi eius ab ipso CHRISTO Domino de cœlo facta vocatione, & glorioso martyrio, agit summatim Nicephorus *d*. Illum porro alium prorsus diuersumq; exitisse, ab eo *Procopio*, quem Eusebius *e* anno primo persecutionis necatum esse tradit; satis ex eo intelligi videtur, quod ille momentaneo ferme martyrio sublatus est; iste longo certamine fatigatus, plurima meruit de diuersis tormentis variis temporibus exantlatis, confessionis stipẽdia. Sed & in eius Actis additur de duarum cohortium militibus Christianis cum eorum ducibus, necnon de *Theodosia* eiusdem Procopij matre, cum duodecim aliis feminis Senatoriis, martyrio coronatis.

PROCOPIVS DVX MART. b *Metaphr. & Surd. 8. Iul.* c *Syn. Nic. II. Act. 4.* d *Nic. lib. 7. c. 15.* e *Euf. 8. hist. 11.*

III. PAMPHILI LVCVBRATIONES. f *Hieron. de Scrip. Eccl. in Pamphil.*

Quod vero rursus ad Pamphilum spectat; adnumeratur ipse non tantum inter nobiles Martyres, sed inter illustres Scriptores Ecclesiasticos; quem præ cæteris Hieronymus *f* egregio ornauit elogio: factumq; est, vt ob præclaram insignis martyris laudem, Eusebius eius perneccssarius, vt decorum quoddam ornamentum, eiusdem sibi nomen addiderit, volueritq; dici *Eusebius Pamphili*: vtinam sic feliciter ac glorioſe; quantam enim nomini sancto, negando Christum, & sectando hæresim, ignominiam irrogarit, præter ea quæ iam superius dicta sunt, apertius videbitur inferius suis locis.

IV. ALII MARTYRES. g *Euseb. in Chron.*

Hoc quoque eodem anno, qui numeratur tertius Imperij Maximini, *Quintus* (inquit idem Eusebius *g*) Episcopus Scisicanus in Illyrico, glorioſe pro CHRISTO interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata, è ponte præcipitatus in flumen, diutissimè supernatauit; & cum spectãtibus collocutus, ne sui terrerentur exemplo, vix orans vt mergeretur obtinuit: cuius Prudentius *h* cecinit martyrium sacro hymno. Sed & alij quoque eadem persecutione vrgente variis eiusdem Illyrici locis passi habentur, quorum memoria in Ecclesiasticis Tabulis hactenus perseuerat.

h *Prud. peristeph. hym. 7.*

V. i *Aug. ep. 48. ad Vincent.*

Hoc item anno, qui numeratur quadragesimus *i* ante tempora Macariana in Africa, quæ cœperunt anno Domini trecentesimo quadragesimo octauo; Africani Schismatici, iuncti impiis Traditoribus, (de quibus omnibus dictum est superius) & ad factionem suam pertractis Episcopis Numidis, solicitatisq; Mauritanis, collegerunt *Carthagine* numerosissimum CONCILIVM (mirum dictu) ducentorum septuaginta Episcoporum; cuius Sanct. Augustinus meminit sæpius: in quo (vt ait *k*) per septuaginta quinque dies, postpositis omnibus præteritis, limata est sententia atque decreta, vt Traditoribus immensi criminis reis, si baptizari nollent, pro integris communicaretur. Quid autem post hæc ab iisdem actum sit, dicetur suis locis.

CONCILIVM SCHISMATICORVM IN AFRICA. k *Aug. ibid.*

* * *

ANNVS CHRISTI trecentesimus nonus, nullis notis creatis Coss. Post Consulatum anni superioris, nempe Diocletiani & Maximiani, notatur à Cassiodoro, & aliis. At in Libro *a* de Romanis Pontificibus idem annus præsens, quo Marcellus Papa decessit, adscriptus habetur Consulatui Maxentij quarto atq; Maximi. Itaq; videtur accidisse, vt Maxentio à Constantino superato, & Romanæ Reipublicæ perduelle iudicato, eius memoria à publicis monumentis abrasa penitus fuerit; sicque annus Cõsulatu Maxentij notatus, Post Consulatum Diocletiani ac Maximini habeatur inscriptus.

I. a *Lib. de Rom. Pont. in Marcel.* CONSVLATVS È TABVLIS DEMITI.

Quamuis enim ea fuisset *b* olim penes Romanos consuetudo, ne Consules quantumlibet criminosi, expungerentur è publicis tabulis: eam tamen his temporibus iam ex parte antiquatam fuisse, certissimè testantur veteres nummi *c*, in quibus Maxentius Imperator Consul secundo inscribitur; cum tamen in his qui extant Græcis pariter ac Latinis Fastis, nulla reperiatur mentio eiusdem Consulatuum. Porro qui secundus fuit eius Consulatus ordinarius, illum in dicto libro de Romanis Pontificibus, habita Consulatuum suffectorum ratione, quartum adnumerari existimamus, cui collegam (vt vidimus) tradit Maximum: alium vero Consulatum eundem Maxentium gessisse cum *Romulo* filio suo, (quem Cæsarem creatum, *Aurelium Valerium Maxentium* nominauit, vt veteres docent Inscriptiones *d*) conijcere possumus, quod reperiantur *e* plura numismata eiusdem Romuli Consulatu expressa. Cum autem tyrannorum & hostium Reipublicæ Consulatus deleri cœperunt, vel ex alia causa noui Coss. creati non sunt; ne in numerum annorum, qui per Consulatus recenseri solerent, error irreperet, optime consultum est, vt sequentes anni signarentur Post Consulatum vltimorum Consulum primo, vel secundo, &c. prout vacasse contigisset: quod sæpius factitatum inferius videbitur. Sed & accidit aliquando, vt quamuis certi essent alicuius anni Coss. tamen Acta publica Post Consulatum superioris anni consignarentur; idq; nonnunquam honoris causa: nam Acta Concilij Ephesini interdum adnotata reperiuntur Post Consulatum Theodosij Imperatoris & Valentiniani; cum tamen constaret, eodem anno Consules creatos esse Bassum & Antiochum. Sed de his hactenus.

II. b *Tac. Ann. 3.* c *Habet Baron. Annal. Tom. III. hoc an. ex Ang. Bresten. Rom.* ROMVLVS CÆS. d *Ap. Panuin. in Fast.* e *Adolph. de Num. Goltz. in Thes.*

Iisdem igitur Maxentio & Maximo Coss. decimoseptimo Calendas Februarij *Sanct. Marcellus* Papa mortuus ponitur in Libro de Romanis Pontificibus, cum sedisset annos quatuor, mensem vnum, & dies viginti quinque; licet de his alij aliter statuant: verũ habito respectu ad tempus, quo eum post vacationem sedis Marcellini sedere cœpisse diximus; hanc nostram Chronologiam recte computatam inuenies. Sed quod attinet ad eius obitum; in eodem libro traditur, ipsum quod dissipatam longa persecutione Ecclesiam componeret, comprehensum esse à Maxentio, & quod diis sacrificare renuisset, damnatum in catabulum; (stabulum scil. iumentorum, publico vsui adscriptorum: quo pariter ignominiæ genere, hac eadem persecutione, complures alios constantes in fide Episcopos in Oriente afflictatos esse, nempe vt curæ iumẽtorum adscriberẽtur, Eusebius *f* scribit:) cumq; inde post nouem menses à clericis suis noctu erutus, & à Lucina vidua receptus, eiusdem Lucinæ domum in Ecclesiam conuertisset sub titulo B. Marcelli, ibiq; munia Ecclesiastica obiret: his auditis Maxentium, iussa eadem Ecclesia plancis (hoc est tabulis planis) sterni; collocatis ibi iumentis catabularijs,

III. MARCELLI PP. ARDEATINÆ, ET OBITVS. CATABVLVS QVID. f *Euf. 8. hist. 11.*

Marcel-

Marcellum iterum eorum seruitio mancipasse : illudque exequentem Marcellum nudum, & cilicino habitu amictum, post multos dies defunctum esse; ac eius corpus collectum ab eadem Lucina, sepultum esse in cœmeterio Priscillæ via Salaria: deniq; ipsam Lucinam proscriptione damnatam esse.

IV.
a *Ap. Sur. 16. Ianuar.* ACTA EIVS MENDOSA.

Extant quoque eiusdem Marcelli Acta *a*, sed in nonnullis (vt & alias attigimus) corrigenda. Inter quæ haud satis nobis arridet, quod ibi legitur de Cyriaco diacono cũ Largo & Smaragdo misso à Diocletiano ad Saporem Regem Persarum, vt eius filiam à dæmone obsessam liberaret; deque eadem filia, ipsoque Sapore cum aliis baptizatis. Nam cum duo his temporibus fuisse reperiantur *b* Sapores Reges Persarum, nempe Senior qui Valerianum Imp. captiuum duxit, & Iunior, Narsetis (qui tertius seu, vt alij numerant, quintus post Saporem illum Seniorem regnauit) nepos, quiq; his temporibus floruit, & regnum ad annos septuaginta propagauit; quippe natus posthumus, ipso suo ortu Rex declaratus est : sane si horum alteruter fuisset aliquando Christianus, non id reticuisset Constantinus, cum ad Iuniorem litteras *c* scribens, commendauit illi Christianos qui erant in Perside : quinimmo ab eodem diram persecutionem aduersus Christianos fuisse excitatam, Sozomenus *d* Theodoretus *e*, & alij testantur.

b *Agath. lib. 4. hist.*

c *Ext. ap. Eus. 4. de Vit. Const. 9. & Theodor. lib. 2. c. 25.*
d *Sozom. lib. 2 c. 8.*
e *Theod. lib. 1. c. 24.*

V. MAXENTIVS IN PRAVVM MVTATVS.

Ex iis autem quæ de Maxentio nuper sunt dicta, certum redditur, vafrum hominem quam simulasset fidem vt Christianos Romanos & Afros sibi deuinciret; eidem penitus renunciasse, postquam extinctis Seuero Cæsare in Italia, & Alexandro in Africa, res nouas molientibus, firmasse Imperium sibi visus est. Quapropter & Marcellum Romæ primum appetẽs, misere (vt vidimus) vitam finire coegit, quem blandis antea verbis à fide auocare studuerat. Extat enim scripta ad illum eo argumento Epistola *f* eiusdem Marcelli, eum acriter redarguentis de mutatis in prauum moribus, & cœpta in Christianos persecutione : quã licet additamentum aliquod extrinsecus accepisse putemus, quod cunctæ res ibi scriptæ non æquè sibi cohærere videantur; in his tamen de quibus agimus, auctoritatem ea sibi ab eiusdem Pontificis Epitaphio *g*, quod postea scripsit Damasus Papa, vindicat; dũ eo traditur, multas discordias, seditiones, ac cædes ortas esse, quod Marcellus Lapsos ad pœnitentiam compelleret; ipsumq; ab impio tyranno in exilium pulsum fuisse.

f *Egit de illa Baron. an. iuper.*

g *Ext. in Antiq. Inscript. in Append. pag. 1172. num. 3.*

VI. h *Zos. lib. 2.* FORTVNÆ TEMPLVM INCENSVM.

Quibus item temporibus accidisse putamus, quæ incerto anno scribit Zosimus *h* contigisse Romæ de incenso Fortunæ templo, & turbis ea de causa excitatis : cum (vt ait) orto igne, incertum ex aere, an è terra, concurrentibus ad extinguendum incendium omnibus, miles quidam contumeliosa in Fortunæ numen proferens verba, interemptus est à plebe religionis causa : vnde militari seditione orta, parum abfuit quin ad Vrbis internecionem progrederentur, nisi Maxentius eorum furorem celerius mitigasset. Hæc ille : qui cum religionis causa ea dicat fuisse concitata, facile adducor vt credam fuisse istum militem Christianum, qui spreti numinis causa à plebe necatus est.

VII. EVSEBIVS PAPA.
i *Theod. lib. 1. c. 3.*

Cæterum cum post Marcelli Papæ obitum sedes vacasset diebus viginti, quinta Febtuarij creatus est EVSEBIVS natione Græcus : quem quidem Theodoretus *i* non agnouit, sicut nec Marcellũ, dum Melchiadem successisse Marcellino affirmat : verum non tantum nostrates, sed etiam transmarini vtrumq; nouerunt; vt Optatus *k*, Augustin. *l* alijq; recentiores omnes.

k *Opt. lib. 2.*
l *Aug. ep. 165.*

VII. MAXENTII SÆVITIA, ET TVRPITVDO. *De quibus agit Baron. hoc an. & 308 ac 312.*

Quod autem spectat ad Maxentium; eum non solum in Marcellum aut Christianos, sed & in quoscunque Romanos ciues, ac præcipuè Senatores se crudelissimum præbuisse, Orosius, Victor, & Eutropius tradunt : additq; auctor Panegyrici post victoriam Constantini dicti, quae mille & sexaginta annis contractas ex toto Orbe diuitias Vrbs haberet, monstrum illud redemptis in ciuile latrocinium manibus ingessisse; & quod militibus se tantum addictum profiteretur, quoties eos in concionem vocaret, hortatum esse vt fruerentur, dissiparent, prodigerent : adeo vt non vnum duntaxat Vrbs, eidemque monstro subiectum Imperium, tyrannum passum fuerit, sed tot tyrannos, quot milites. Quanta vero insuper turpitudine cum crudelitate coniuncta affectus fuerit, quantisque pariter adulteriis, cædibus, rapinis, Vrbem repleuerit, & in quantã denique penuriam homines Imperio suo subiectos redegerit; quomodo item magicis artibus deditus, interdum mulieres grauidas dilacerit, nonnunquam etiam tenerorum infantium viscera scrutatus fuerit, aliisq; eiusmodi adiurationibus dæmones excitarit : hæc, inquam, omnia pluribus Eusebius *a* prosequitur.

a *Eus. 8. hist. 26. & 1. de Vit. Const. 27. &c.*

IV.
b *Russ. lib. 9. c. 17.* FEMINAE CHRIST. PVDICA IACTORA PRO CONSERVATIONE PVDICITIÆ.

Quo tempore, vt idem auctor subiungit, *Sophronia* (sic enim Russinus *b* vocat, cuius nomen Eusebius reticet) nobilis matrona Romana, cum à Maxentij satellitibus abducenda ad stuprum esset, consentiente etiam præ metu marito Præfecturam agente; exiguo temporis spatio postulato quo se decenter ornaret, in cubiculum suum ingressa gladio sibi transfixit pectum, ac mortua concidit. Porro quamuis violentas sibi manus inferre, nec Gentilis nec lex Christiana concedat : tamen (quod de Sampsone S. Augustinus *c* ait) quia latenter Spiritum Sanctum hoc iussisse putandum est; Sophronia extra illorum classem reponenda est, qui tædio vel desperatione vitæ, eiusmodi scelus perpetrasse dicuntur. Sicut & *Pelagia* virgo Antiochena, quæ cum matre & sororib. hac eadem persecutione manus carnificis, & sententiam Principis eas lenonibus illudendas tradentis effugerunt, Pelagia è sublimi domus tecto præcipitẽ se dando, mater & sorores aquis se immergẽdo : quas ob præclarum facinus S. Ambrosius *d* celebrauit præconiis, & S. Chrysostomus *e* pro concione laudauit; earumdemque, tacitis nominibus, Eusebius *f* & Augustinus *g* meminisse videntur. Sic & Athanasius *h* scribit, post hæc tempora nonnullas virgines Alexandrinas, dum grassarentur in eas Ariani, sese in puteos præcipites egisse. Extantque alia complura eiusmodi exempla, admiranda illa quidem, sed non facile imitanda. Illud vero plane egregium *Euphrasiæ* virginis Nicomedientis; quæ eadem Diocletiani persecutione ad lupanaritidem ducta, cum iam ab introiisso iuuene esset violanda; mercedem ingẽrem consecutura pudicitiæ pollicita, pharmacum aduersus quoscunque ferri aut telorum ictus; simulque cera oleo liquefacta collum suum inungens, vim remedij in se experiri hortata; vnico eiusdem iuuenis gladij ictu, & suæ virginitatis integritati prospexit, & coronæ martyrij percupide lucrum fecit. Recẽset hæc Nicephorus *i*; quæ vulgatis ille poeta, hac ex parte nec nominandus, impiè poeticis figmentis attexere non est veritus.

c *Augustin. de ciuit. 21. 26.*

d *Ambr. lib. 3. de Virg.*
e *Ext. duæ ab argu. Chrys. orat. ap. Sur. 9. Iunij.*
f *Eus. 8. hist. 3.*
g *Aug. 1. de ciuit. 26.*
h *Athan. in Apolog. ap. Baron. in Not. ad Martyrol. 9. Iunij d.*

i *Nic. lib. 7. c. 13.*

Hoc item anno; qui ab Eusebio enumeratur octauus Persecutionis, ab eodem recensentur martyria quædam Episcoporum, aliorumque Fidelium iam antea ad metalla damnatorum, qui in Palæstina passi sunt : inter quos fuit *Ioannes* quidam Ægyptius cæcus, qui integros sacrarũ Scripturarum libros memoria tenebat. Quæ vero acciderint duobus aliis vltimis Persecutionis annis, haud ita distincte Eusebius; sed paucis exceptis, diuersarum Orientis prouinciarum martyres generatim dumtaxat complexus *l* est; imo varia potius, atque sæuissima martyriorum genera; quam ipsos martyres recensuit : cum tamen plurimorum extet memoria in Tabulis Ecclesiasticis, quorum licet insignium nullam prorsus ipse habuit mentionem. Illud certe notatu dignum, quod ait vrbem quamdam Phrygiæ, cuius vniuersi ciues ac magistratus fidẽ Christianam iamdudum amplexati fuerant, ab hominibus armatis vndiquẽ cinctam, integram cum omnibus omnis sexus, ætatis, & conditionis incolis incensam fuisse. Cuius forte rei meminit Lactantius *m*, qui his temporibus docebat Rhetoricam Nicomediæ, dum exprobrans Imp. sæuitiam, & Iudicum illi parentium immanitatem, ait vnum ex illis in Phrygia vniuersum populum cum ipso pariter conuenticulo concremasse.

X. k *Eus. 8. hist. 12.* PALÆSTINI MARTYRES.

l *Ibid. cap. 13. & seqq.*

VRBS INTEGRA INCENSA CVM INCOLIS CHRISTIAN.

m *Lact. lib. 5. c. 11.*

IESV CHRISTI ANN. 310.

EVSEBII ANN. 2.

CONSTANTINI ANN. 5.

I. PETRI ALEXAN. MARTYRIVM.

ANNVS CHRISTI trecentesimus decimus, eadem occasione quæ dicta est anno superiori, nullis Coss. sed Post Consulatum Diocletiani secundo notatus habetur. Quo magnus ille *Petrus* Episcopus Alexandrinus, capitis abscissione martyrium consummauit, anno nono cœptæ à Diocletiano Persecutionis. Cum enim Eusebius *a* tradat cum duodecim annis sedisse, & triennio ante persecutionem creatum esse; vtiq; præsenti anno recensendum est eius martyrium: quod quidem, vna cum aliorum quotundam Ægypti Episcoporum ac presbyterorũ simili passione, idem Eusebius *b* breuiter perstingit, dum recapitulatione quadã recenset insigniores aliquos passos hac persecutione Antistites: inter quos impense & ad miraculum vsq; laudat Petrum. Extant vero eius Acta martyrij in codicibus M.S. quæ Anastasius Bibliothecarius ex Græco Latina fecit; nonnihil diuersa ab iis quæ eius nomine habentur edita *c*, sed fideliora.

a *Euſ. 7. hiſt. vlt.*

b *Id. 8. hiſt. 13. & lib. 9. c. 5.*

c *Ap. Sur. 26. Nouemb. Vid. Not. in Martyrol.*

II. QVID PETRVS CVM ARIO.

Ac quidem quod in editis perperam traditur, excommunicatum fuisse ARIVM diaconum à Petro, ob hæresim de Filio Dei, nequaquam legitur in illis germanis; sed tantum, Arium à Petro Ecclesiastica communione interdictum fuisse ob schisma Meletianum cui adhæsisset; cum vero ad Ecclesiam rediens indulgentiam impetrasset, ab eodem Petro ordinatum fuisse diaconum; sed cum iterum ad Meletium descuisset, rursumque dolose communionem Catholicam affectaret, eidem Petro in carcere constituto noctu CHRISTVM Dominum apparuisse veste discissa, causamq; rei sciscitanti dixisse Arium eam dilacerasse; eundemq; monuisse, tum ne ipse eum reciperet, tum Achillæ & Alexandro presbyteris pro eodem Ario deprecantibus, qui ipsi Petro in Episcopatu successuri essent, omnino præciperet ne vnquam illum in Ecclesiam admitterent, quam foret sceleratissimè conscissurus. Hæc in iisdem Actis. Qui igitur ab eodem Petro ob schisma est ab Ecclesia segregatus, postea subdole se Petri successori Achillæ insinuans, ab eo incaute receptus est, ac presbyter ordinatus: inde vero ab Alexandro Achillæ successore (vt S. Athanasius *d* ait) noua intercedente hæresis causa fuit à communione reiectus. Quamobrem sicut edita illa Acta adulterata mentiuntur; ita pariter cum eis hallucinantur, qui dicunt Arium à Petro hæresis causa fuisse proscriptum: cum nefas sit Athanasio Alexandri successori non acquiescere, eidem Alexandro primas ea in re tribuenti.

VISIO OSTENSA DE ARIO.

d *Athan. orat. 1. cont. Arian.*

III. PETRVS SE INIMICIS EXHIBET.

Postridie autem eius diei quo hæc gesta sunt, idem Petrus glorioſissimum subiit martyrium; cum diligentissimè custoditus à Christianis Alexandrinis, ne à Tribuno ei necem inferre quærente abduceretur, ipse & martyrij amore flagrans, & metuens ne sui causa Christiani cum militibus manus conserrent; monito Tribuno, vt à parte posteriori carceris murum noctu perfoderet, per foramen eo modo factum se militibus tradidit, & ab illis ad supplicium ductus, post preces Deo pro pace Ecclesiæ oblatas, (quas & exauditas esse, euentus probauit; eodemque temporis momẽto, sacrata Deo virgo, eius orationis ignara, has à numine allatas voces se audisse fidem fecit. *Petrus initium Apostolorum, Petrus finis Episcoporum martyrum Alexandriæ.*) in eodem loco vbi olim S. Marcus, martyrium consummauit sexto Calendas Decembris; cum trepidantibus ad eius maiestatem militibus, vix ex eis inuentus est vnus, qui acceptis pro pretio quinq; solidis aureis, ictu valido caput eius amputauit.

IX. EVNVS ET S. PVLTVRA CIVS.

Sed mirum dictu, abscisso capite in terram delapso, reliqua pars corporis innixa genibus erecta immobilisq; permansit, donec rem gestam tandem qui in carcere excubias agebant Christiani audientes accurrerent; qui sacrum pignus, iterum oblati, officij memores, delibutum vnguentis, vestibusque Sacerdotalibus indutum, perinde ac si viueret, in sede S. Marci Episcopali collocarunt; indeque sublatum magna pompa cum hymnis, cereis, & incensis, ex more, sepulturæ mandarunt; quæ omnia fusius in iisdem Actis narrata habentur. Ex quibus etiam illud memoria dignum intelligitur; præter morem, Petri corpus post obitum à Fidelibus in Episcopali throno collocatum fuisse, quòd cum ipse dum viueret, frequenter in eodem throno quamdam videret diuinam sedere virtutem fulgore luminis admodum radiantem, ideoque præ animi submissione non auderet eo accedere, plerumque in suppedaneo eius scabello sedere solitus esset. Quapropter populus, qui quoties Petrus in scabello sedebat, acclamare consueuerat vt cathedram ascenderet; cum semper in his victus ab eo viuente fuisset, iam defunctum voluit superasse, collocans venerandum corpus ipsius, superposito sacto capite, in cathedra Pontificia. Cuius natalem diem consueuisse postea Alexandrinos anniuersaria celebritate, maximo hominum cœtu, pompaque splendida celebrare, testatur Sozomenus *a*; meminitq; eius diei festi Ruffinus *b*. Et quod ad eius Scripta pertinet; præter Canones pœnitentiales, de quibus actum est superius, ex eiusdem commentario de Diuinitate recitatur fragmentum in Concilio *c* Chalcedonensi.

a *Sozom. lib. 2. c. 16.*

b *Ruff. lib. 1. c. 14.*

c *Conc. Chalced. Act. 1.*

V. ACHILLAS ARIVM SVSCIPIT.

In locum Petri subrogatus est *Achillas*, vir quidem ille pietate & doctrina insignis, sed cuius nimia animi facilitas ab aliquibus reprehenditur, quod contestationis sui prædecessoris oblitus, Arium pœnitentiam simulantẽ non solum non reiecit, sed etiam ad presbyterij gradum euexit; vt inter alios testatur Sozomenus *d*. Arium vero præfectum fuisse vni ex Ecclesiis ciuitatis Alexandrinæ, nomine Baucalidi, Epiphanius *e* docet; imo & eidem sacrarũ literarum interpretationẽ concreditam esse, Theodoretus *f* significat. Accidisse porro videtur, vt in odium Meletianorum schismaticorum, quos Achillas vehementer est auersatus, ipse tunc Arium ab illis deficere profitentem susceperit atque fouerit. Sicut enim aduersus Petrum, ita pariter in Achillam & Alexandrum eius successores, Meletianos maximas turbas concitasse, Athanasius* Alexandri successor fidem facit: ex quibus Epiphanium *g* redarguas, tum in eo quod tradit Meletium amicitia fuisse cum Alexandro coniunctum; tum quod Alexandrum ante Achillam sedisse scribit. Quot autem annis Achillas sederit, non leuis est controuersia. Eusebius sua Historia prosecutus seriem Alexandrinorum Episcoporum, eam vsque ad martyrium Petri perduxit: Chronicon autem eius in his vltimis temporibus constat in multis esse deprauatum: & quod habet de sede Achillæ, monstrosas parit absurditates, dum ponitur sedisse ab anno Christi trecentesimo decimo octauo vsque ad trecentesimum vigesimum tertium. Cætetum Epiphanius *h* tribuit ei tres tantum menses; Nicephorus autẽ Episcopus Constantinopolitan. in Chronologia à se scripta (quam & Athanasius Bibliothecarius in Latinum transtulit) annum vnum. Sane breui tempore cum sedisse, multa quoq; alia inferius probabunt.

d *Sozom. li. 1. c. 14.*

e *Epiph. hær. 68. 69.*

f *Theodor. lib. 1. c. 2.*

* *Athan. orat. 1. cont. Arian. prope fin.*

g *Epiph. vbi ſup.*

h *Id. hær. 69.*

Præter autem illos martyres quorum mentionem facit Eusebius, est etiam aliorum quorundam tam in Ægypto, quam in Thebaide & Cyrene passorum, illustris memoria in Tabulis Ecclesiasticis, & aliis antiquis monumentis. Agitque insuper Athanasius in Vita Magni ANTONII (cuius ptimordia, & quo consilio petierit solitudinem, allegerit discipulos, & monasteria ante præsens tempus in eremo propagauerit, pluribus narrat) de officiis quæ idem Sanctus Alexandriam accedens, martyribus, & confessoribus in carceribus constitutis exhibuerit, vsque in præsentem annum quo Petrus occubuit: cum & idem ipse Antonius martyrij cupidissimus, non solum cæteros palam exhortaretur ad palmam; sed & ipse candente indutus veste, ex eminenti loco procedẽtem Iudicem suo prouocaret aspectu. Verum à Deo (vt ait Athanasius) seruatus est firmandæ Monachorum institutioni: post Petri vero necem persecutionis turbine quiescente, ad pristinũ monasterium reuersus est, vbi quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium mererետur, actionibus se ieiuniis vigiliisque confi-

VI. ANTONIVS MAGNVS MARTYRII CVPIDVS.

ciens,

ciens, cilicinoq; vestimento intrinsecus, desuper pelliceo vtens.

VII. *a Pallad. in Lausiac. c.1.* POTAMENIÆ VIRG. CONSTANTIA.

Inter Martyres vero quos diximus, memorabilis est cõstantia *a Potamenia* puellæ pulcherrimæ, ancillæ cuiusdam viri Alexandrini; quæ cum nunquam ad stuprum Domini allici potuisset, ab eodem Domino suo tradita Præfecto, ea silenter pacta conditione, vt si ipsius mallet acquiescere voluntati, quam tormenta pro fide Christiana quam profitebatur pati, eam restitueret; sin minus, tormentis enecaret: minitante Præfecto inter alia supplicia, se eam in vas immensum ahenum feruenti pice repletum demersurum, *Per caput* (inquit puella) *Imperatoris tui, quod tu veneris, obtestor, vt si apud te statutum est his me tormentis necare, non simul totam, sed paulatim me in feruentem iubeas mitti picem; vt possis videre, quantam mihi dederit ignotus tibi patientiam Christus.* Quæ per vnius horæ spatium paulatim in ahenum candens demissa, defecit vbi primum pix ebulliens ad eius colla peruenit. Sed & in *Philemone* Coraule, miro quodam modo virtus CHRISTI effulsit in Thebaide: siquidem cum Apollonius Lector tormenta expauescens, ne fidem omnino negaret, quatuor Philemoni dedisset aureos, vt se Apollonium mutato habitu fingens, coram Præside vna cum aliis immolaret; iste mente diuinitus illustratus, qui alienam gerebat personam vt negaret, propriam repræsentans, se vere in CHRISTVM credere constanti voce professus, post varia tormenta insignem martyrij coronam adeptus est: cuius exemplo *Apollonius* roboratus, & ipse forti animo idem certamen obiit. Extant *b* eorum Acta fusius scripta.

PHILEMONIS MIRA CONFESSIO.

b Ap. Sur. 14. Decemb.

IESV CHRISTI ANN. 311.

EVSEBII ANN. 3.

CONSTANTINI IMP. ANN. 6.

I.

ANNVS CHRISTI trecentesimus vndecimus, Galerio Maximiano August. octavum & Licinio Cæsare Coss. numeratur decimus ac nouissimus Persecutionis: quo licet ab ea Gentiles præ nimia sanguinis effusi satietate (vt ait Eusebius) propemodum quieuisse viderentur; in aliquos tamen adhuc grassari non destiterunt. Hoc n. anno contigisse martyrium *Luciani* piissimi & doctissimi presbyteri Antiocheni, satis ex eo colligitur, quod cum passus habeatur septimo Idus Ianuarij, tamen id accidisse post necem Petri Alexandrini, (quem anno superiori sexto Calendas Decembris defunctum vidimus) eiusdem Luciani acta *c* germana declarant: quorum etiam auctoritate liquet, ipsum subiisse martyrium sub Galerio Maximiano; licet Eusebius *d* & Hieronymus *e* sub Maximino ponant: sed cum ambo eodem tempore in Oriente regnauerint, facile potuit in adeo similia nomina error irrepere.

S. LVCIANI CERTAMEN, & MARTYRIVM.

c Ap. Metaphr. & Sur. 7. Ianuar.
d Euſ. l. 8. hiſt. 5.
e Hieron. de Scrip. Eccl.

II.

Cæterum cum antea sæpe idem Lucianus furentem persecutionem caute declinasset, demum proditus à quodam Pancratio presbytero hæresis Sabellianæ, quam ipse acerrimè oppugnasset, à persecutoribus tentus est; & Nicomediam ductus vbi Imperator agebat, tam in itinere, quam in ea vrbe, plures milites lapsos ad martyrium restituit, alioſque per pœnitentiam Ecclesiæ reconciliauit: cum autem coram vrbis Præfecto, audiente etiam Imperatore, apologiam pro Christiana religione dixisset, in carcerem conjectus est, ibique trucidatus. Hæc paucis tractat Eusebius *f*, pluribus Acta ipsius Luciani narrant: in quibus etiam describitur, quam dira passus sit in carcere: cum præter alia tormenta, pedibus in cippum iniectis, & in quatuor foramina ingenti dolore distractis, manibusque ad lignum quod erat super caput vinctis, ne aliquo modo moueri posset; super densos testarum aculeos nudum cubare cogerent, & omnem cibum interdicerent nisi idolothytorum: sed ipse ne iis contaminaretur, maluit fame necari, cum integros quatuordecim dies eo in statu perdurasset: vt testatum etiam habetur apud Origenem *a* in commentatiis in Iob; quos vel ex hoc intelligas alterius potius auctoris esse, cum Origenes longe ante hæc tempora decesserit. Pridie vero eius diei quo Lucianus decessit, nempe solemni die Epiphaniæ, tam in suam ipsius, quam discipulorum qui aderant consolationem mirando prorsus modo obtulit Deo sacrificium incruentum; cum deficiẽte mensa, sicut erat stratus atq; supinus, iussis suo pectori imponi signis diuini sacrificij, eius solemnia rite celebrauit, & tam ipse fuit particeps Sacramentorum, quam etiam ad absentes transmisit. Hæc autem, aliaq; admiranda quæ secuta sunt, postquam eius corpus alligato lapide proiectum est in mare, & delphini obsequio litori restitutum, ac Drepanum delatum; eadem fidelissima ipsius Acta fusius explicant: quibus & plurimorum aliorum martyria recensentur. Inter quos perenni plane memoria digni habentur duo *Pueri* fratres, illustri loco nati; qui quantumlibet adhuc balbutientes, cum nullis illecebris allici, nullis minis aut verberibus ad gustanda idolothyta à Maximiano cogi valuissent; aspertimo quodam sinapis medicamẽto, rasis tenerisq; ipsorum capitibus adhibito, mira constantia, lætitiaque, crudelissimum martyrium felicissimè consummarunt.

f Euſ. hiſt. 25. & libr. 9. cap. 5.

STRATVS OBTVLIT SACRIF.

INSIGNE DVORVM PVERORVM MARTYRIVM.

In iisdem etiam Actis (quod ad Luciani lucubrationes spectat) declaratur, ipsum, cum vidisset sacros Libros esse valde adulteratos, eos rursum ex lingua Hebraica, cuius erat scientissimus, in Græcam transtulisse; idque ipsum ex iisdem Actis acceptum, Suidas *b* recitat. Affirmat vero Hieronymus *c*, eiusmodi Luciani versione omnes Ecclesias quæ ab Antiochia Constantinopolim vsque interiacerent, vti consueuisse; sed & suo tempore extitisse eiusdem auctoris de Fide libellos, ac breues ad nonnullos Epistolas. Accidit autem illi, quod contigisse vidimus *d* Dionysio Alexandrino; vt dum ambo in Sabellij hæresim cõciti nimis ferrentur, vterq; creditus sit materiam Ario præparasse: adeo vt inde ipsos Arianos nonnulli *Lucianistas* appellarint; sicut fecisse videntur Alexander *e* Episcopus Alexandrinus, & Marius *f* Victorinus: Constarque *g* gloriari solitum Arium tali auctore, ac proinde suæ hæresis sectarios *Colluciamistas* dicere. Verum sicut Dionysium Athanasius ab eiusmodi calumnia egregiè liberauit; ita idem ipse & Lucianum, vt hominem à Catholicorum partibus stantem, dum *h* agit de eius editione *Lucianea* dicta, egregio laudauit elogio: & dum Arianæ hæresis principia repetit, nullam vnquam Luciani vel leuem mentionem habuit, sed Pauli Samosateni. Quam veto pure & sincere de CHRISTO Lucianus crediderit, ex ipsa eius fidei professione *i*, quam iidem Ariani tempore Constantij Imper. Antiochiæ ediderunt, satis apparet; in qua communis Filij cum Patre substantia, potentia, gloria, imago, & alia demum omnia insunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ filij profitentur; excepto solo *Consubstantialitatis* verbo, (qua etiam ratione ab Arianis tanquam sibi fauens solebat recitari) quod postea ad eludendas *k* varias Arianorum strophas fuit in Concilio Nicæno appositum, cum antea minus esset in vsu. Habuisse quidem illum discipulos, qui primo tyrannorum crudelitati cedentes idolis immolarunt, posteaq; ope magistri, ad pœnitentiam redeuntes, demum ipsius doctrinæ renunciantes in Arianam hæresim se præcipites dederunt; testatur Nicephorus *l*, qui inter eos numerat *Eusebium* Nicomediensem, *Marin* Chalcedonensem, *Theognidum* Nicænum, *Leontium* Antiochenum, *Eudoxium*, &c. In Actis vero eiusdem recensentur etiam feminæ eius discipulæ, *Euſtolia*, *Dorothea*, *Seuera*, & *Pelagia* martyr Antiochena.

III. DE LVCIANI SCRIPTIS.

b Suid. verb. Lucian.
c Hier. ep. 107 ad Chrom. & de Scrip. Eccl. in Lucian.
d Sup. an. 263.
e Ap. Theodor. lib. 1. c. 4.
f Mar. Victor. aduerſ. Arian. lib. 1.
g Theod. ibid. cap. 5. Epiph. her. 69.
h Athan. in Synodſ.
i Rec. Sozom. lib. 3. 5. & Niceph. lib. 9. c. 5.
k Athan. de cr. cõt. Arian.

DISCIPVLI DEGENERES.

l Nicoph. lib. 8 c. 51.

Haud vero tantum in prouinciis Romano Imperio subiectis, sed & in aliis quæ suos proprios habebãt Reges, persecutionem his temporibus viguisse constat. Siquidem in superiori Armenia, cui Tiridates imperabat, non solũ *Gregorius*, qui eius postea creatus est Episcopus, grauissima ab eodem passus est; sed & multæ virgines Deo dicatæ, pro tuenda castitate & fide Christiana, post dira tormenta neci sunt traditæ: cum Tiridates à numine ob immanem impietatem

IV. MARTYRES IN ARMENIA.

GREGORIVS EORVM EPISCOPVS.

pietatem percussus insania, tandem ope eiusdem Gregorij pristinæ mentis sanitati restitutus, colere cœpit Christianos: cuius tempore magna facta est in ea regione ad Christianam religionem accessio, ipso etiam Rege ad Christum conuerso. A quo missus Gregorius ad Leontium, Cæsareæ Cappadociæ magni hoc tempore nominis Episcopum, & ab eo Episcopus ordinatus, in Armeniam rediens eam Ecclesiam optime composuit. Traduntur hæc omnia pluribus in eiusdem Gregorij Actis *a*, quæ quamuis haud cunctis arrideant in omnibus, tamen citantur ab Euthymio *b* accuratissimo scriptore sub nomine librorum Armenorū. Sed & de ordinatione eiusdem Gregorij agens S. Nicon *c* aduersus errores Armenorum, testatur eum cauisse, Armeniæ Episcopum à nullo alio esse ordinandum, quam ab illius temporis Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopo, vt ipse fuerat ordinatus.

a *Ap. Metaphr. & Sur. 30. Sept.*
b *Euthym. in Panopl. part. 2. tit. 20.*
c *Nicon ep. ad Euelyst. quæ ext. in Bibl. Patr.*

V. PAX REDDITA ECCLESIÆ ORIENT.

At modo satis de Martyribus huius Persecutionis: cum præter illos quorum meminimus, infiniti ferme alij vbique sint passi, sicut sæpe diximus. Ea porro ita ad decem annos propagata est, vt tamen eos non absoluerit; vnde Theodoretus *d* & alij nonnisi nouem numerant, vtique absolutos. Qua autem occasione hoc anno conquieuerit, Eusebius fait accidisse, quod Deus tandem Ecclesiæ suæ recordatus, Galerio Maximiano præcipuo eiusdem persecutionis auctori vlcus immiserit, quod primum verenda, posteaque interiorem corporis recessus occupans, infinitamque vermium multitudinem generans, ac fœtorem pestiferum exhalans, ipsum breui consumpserit: Cum interim huius suæ calamitatis causam agnoscens, edictum promulgauit, quo persecutionem vbique cessare iussit, Christianos templa sua reædificare permisit, remque eos maturare, & preces pro ipso proque felici Imperij statu fundere hortatus est. Recitat ipsum edictum Eusebius; sed in eo depranatum, quod in inscriptione Maximinum habeat pro Maximiano, & Constantium pro Constantino. Nam illud Galerij Maximiani esse, apparet tum ex Consulatu octauo, tum etiam ex Tribunitia Potestate vicies iterata: tot n. fluxerunt anni, ex quo eam accepit cum primum creatus est Cæsar. Addit *f* insuper, hoc promulgato edicto, Maximinum quoque, licet inuitum, omnibus Præfectis iussisse vt persecutionem remitterent: sicque factum esse, vt quicunque vel in carceribus vel ad metalla detinerētur, continuo liberi sint dimissi, & in singulis ciuitatibus conuentus celebrari cœperint.

d *Euseb. 8. hist. 25. 29.*
e *Euseb. 8. hist. 17.*
f *Id. 9. hist. 1.*

VI. MAXIMINVS ITERVM PERSEQVITVR ECCLESIAM.

Sed cum necdum sex menses præterlapsi essent, idem Maximinus Christianis infensissimus, qui post mortem Maximiani vna cum Licinio liberam adeptus est Orientalis Imperij administrationem, immane rursum in Christianos bellum nouis edictis restituere parauit; auctore maximè *Theotecno* quodam Antiocheno Curatore, homine crudeli & vafro; qui præter alias calumnias & criminationes in Christianos ingestas, ad idolum quoddam Iouis Philij falsa præstigiis suis excogitans miracula, asseruit Deum præcepisse, vt Christiani tanquam ei infesti vndique expellerentur. Eodemque tempore Acta quædam Pilati & Saluatoris nostri, ingentibus referta blasphemiis conficta sunt, & præcepto Imperatoris vbique publicata, ac ipsos etiam pueros à ludimagistris doceri iussa. Denique infames quædam Gentiles mulierculæ minis inductæ sunt, asserere se Christianas olim fuisse, sed ob immensa q̄ in eorum Ecclesiis patrarentur facinora, libidinesque, ab eis recessisse. Quapropter huiusmodi fictionibus acre in Christianos sub ditione Maximini bellum paratum esse, Eusebius *g* hæc omnia pluribus prosecutus tradit. Quod autem eidem narrationi interseruntur *h* Petri Alexandrini, & Luciani Antiocheni martyria; tanquam hac noua persecutione illata; cum ea viuente adhuc Maximinio accidisse satis superius ex eodem Eusebio declaratum fuerit, dicendum omnino est, vel additamentum esse alterius, vel extra ordinem hic positum; sicut & ipse Eusebij narrationis nexus aperte demonstrat: cum & alioqui certum sit, restitutam hanc per Maximinum persecutionem nequaquam progressam esse vsque ad sanguinem. Quomodo vero cito extincta fuerit, dicetur anno sequenti.

CALVMNIÆ ET FICTIONES IN CHRIST.

g *Id. 9. hist. 2. & seqq.*
h *Ibid. cap. 5.*

Hoc eodem anno, vigesima sexta Septembris, *Eusebius* Papa mortuus est, sepultusq; in cœmeterio Callisti via Appia, postquam sedisset annos duos, menses septem, & dies viginti vnum; cum tamen in Eusebij Chronico septem tantum menses ei tribuantur, sex vero anni in Lib. de Romanum mensesei tribuantur, sex vero anni in Lib. de Romanis Pontificibus. Sed magis placuit sequi Indicem Crenis Pontificibus. Sed magis placuit sequi Indicem Crenisconianum, in quo ponuntur anni duo, mensis vnus, & dies viginti quinque; nisi quod ratio temporis, quo sedere cœpit ac desiit, aliter in mensibus & diebus definisse compulit. Quod autem in eodem Lib. de Romanis Pontificibus traditur, huius tempore CRVCEM Domini nostri IESV CHRISTI inuentam esse; magis probatur, id longe posthac contigisse; de quo dicetur suo loco. Postquam vero sedes vacasset diebus septem, quinto Nonas Octobris electus est MELCHIADES natione Afer, qui à nonnullis *Miltiades* dictus reperitur: in cuius sedis Consulatibus adeo deprauatus est prædictus liber, vt nulla prorsus sit spes eius restituendi.

VII. a *Martyrol. Rom. ea die.* EVSEBII PP. OBITVS.

MELCHIADIS SVBROGATIO.

Hoc item anno, cum Achillas Episcopus Alexandrinus ex hac vita migrasset, subrogatus est in locum eius *Alexander*: cuius Episcopatus exordio ea contigisse videntur, quæ Ruffinus *b* & Sozomenus *c* scribunt de lusu puerorum se presbyteros & diaconos fingentiū, & quæ in Ecclesiis fieri solent imitantiū; inter quos ATHANASIVS, & ipse adhuc puer, agens Episcopum, aliquos catechumenos baptizauit: quæ videns eminus Alexander, eademq; rite & secundum Ecclesiasticam consuetudinem gesta esse intelligens, statuit eos haud esse rebaptizandos, sed tantum adimplenda ea quæ à Sacerdotibus mos est: Athanasium autem vna cum aliis instruendum traditum, postea conuictorē suum ac scribam constituit. Hæc pluribus iidem auctores. Porro non semper Athanasium apud Alexandrum mansisse, sed profectum in eremum adhæsisse Magno illi Antonio, ipse in eius Vita à se scripta docet. Et quod ad eruditionem pertinet; non tantum fuit valde imbutus Theologicis facultatibus, sed etiam humanioribus disciplinis; quem & Iurisconsultum Seuerus *d* appellat.

VIII.

b *Ruff. lib. 1. c. 14.*
c *Sozom. lib. 2. c. 16.*

ATHANASII PVERI LVDVS PROPHETICVS.

d *Seuer. hist. lib. 2.*

IESV CHRISTI ANN. 312.

MELCHIADIS ANN. 1.

CONSTANTINI IMP. ANN. 7.

ANNO CHRISTI trecentesimo duodecimo, Constantino & Licinio Impp. secundum Coss. furētis iterum (vt dictū est anno superiori) in Christianos Orientales Maximini impetus penitus remissus est, ob multiplices à Deo in illum & ei subiectos Gentiles immissas clades; primo belli, cum idem tyrannus ab Armeniis (quos ob Christianam fidem ab iisdem religiose cultam bello oppetierat) deuictus est; deinde dirissimæ omnium famis; ac postremo gratissimæ pestis: agente id iusta Dei vindicta, quod idem Maximinus in promulgato nuper aduersus Christianos edicto insolenter gloriatus esset, obseruantiæ suæ in idola, & persecutionis in Christianos motæ causa, nec famem, nec pestem, nec bellum suis temporibus accidisse. Hæc autem quomodo se habuerint, Eusebius *e* describit plurib. Quomodo vero post auditam Constantini de Maxentio victoriam, idem Maximinus noua pro Christianis promulgarit edicta, inferius narrabitur.

I. ANNVS ECCLESIÆ FELICIS SIMVS.

VINDICTA DIVINA IN GENTILES.

e *Eus. 9. hist. 6. 7. 8.*

Porro Maxentij cladem hoc anno contigisse, ipso vltimo die anni sexti eius Imperij, fidem facit Panegyricus *f* post eum debellatum Constantino dictus. Sed & Eusebius *g* sic ponit eum sex annis imperasse, vt tamen hoc anno, quo Constantinus auspicatur septimū, obitum eius referat. Eundemq; secutus Socrates *h*, æquè Maxentij obitum refert anno Cōstantini septimo. Ex quibus Eutropius redargui videtur, dum ait Constantinum anno quinto sui Imperij aduersus Maxentium prælium mouisse. Nam neque

I. TEMPVS VICTI MAXENTII.

f *Panegyr. 2. Const.*
g *Eus. in Chron.*
h *Socr. lib. 1. c. 1.*

amplius

amplius quam vnius anni spacium totam Constantini expeditionem complexam esse, idem Panegyrici auctor affirmat.

III.

Quod autem ad belli causas attinet; præter illas quæ superius ex Nazario recensitæ sunt, nempe respuisse Maxentium quam ei Constantinus offerebat pacem, & recusasse eum habere collegam Imperij, sed & imagines eius iniuria affecisse; tradunt insuper alij *a*, occulte ad eundem Constantinum ab Vrbe missos esse legatos, qui animum illius aduersus intolerabilem Maxentij tyrannidem cõcitarent, vrgerentque. Quinimmo impellente numine, exercitibusque apparentibus qui se in Constantini auxilium missos assererent, eum expeditionem in Italiam suscepisse, idem Nazarius, omnium Galliarum vbi hæc gesta sunt attipulatione, egregiè pro concione testatus est. At plane decebat vt cælitus missæ copiæ, cæleste signum pariter secum ferrent. Quod licet Ethnici scriptores ignorarint, aut potius dissimularint; illud certe palam testati *b* sunt, cælitus promissam fuisse victoriam Constantino; eaq; numinis sponsione ipsum certum atque securum, contra auspicum monita, contraq ducum fere omnium militumq; sententiam, longe imparem copiis perdifficile bellum aggressum esse.

a Zonar. & Cedren. in Annal.

NVMEN FAVET CONSTANTINO.

IV

Cæterum signum etiam sanctissimæ CRVCIS factum esse Constantino è cœlo conspicuum, cum Scriptores omnes Christiani affirment, ipse omnium antiquissimus Eusebius eiusmodi tam re adeo mirifica recensenda, ipsiusmet Constantini hæc sibi iureiurando affirmantis fidem obligat: cum (vt ait) iam Sole in pomeridianam tempus paululum inclinãte, tam ipse quam vniuersus exercitus vidit CRVCIS signum ex lucis splendore figuratum in cœlo Soli imminẽs, inque eo inscriptionem huiusmodi, EN TOVTῼ NIKA, IS HOC VINCE: cumque dubius de ostenti significatione hæreret, nocte sequenti Christus ei cũ signo in cœlo monstrato apparens, præcepit vt exemplari ad imitationem eiusdem signi fabricato, eo tanquam præsidio vteretur deinceps in præliis. Quapropter accersitis Christianæ religionis Sacerdotibus, & de CHRISTO Domino, eiusque Signo, ac significatu, ab eis instructus; tum illos posthac tanquam assessores secum habuit, tum Deum qui sibi apparuisset omni cultus genere venerari decreuit: ac sicut iussus fuerat, signum mox fieri auro & gemmis ornatum curauit; nimirum hastam oblongam, cum ligno breuiori parte superiori transuerso in formam Crucis, ad cuius cornua velum appenderentur, & in summitate Crucis nomen Christi per Græcam literam X, litera P intermedia, expressum esset, hoc scilicet modo ☧: eaſdemq; sic contextas literas postea semper in galea gestare consueuit. Hæc pluribus Eusebius *d*: cuius tamen verba recte percepta significant, non elementa CHRISTI nomen signantia, sed ipsam Crucem puram Constantino ostensam: idque etiam qui interfuit visioni Artemius miles testatus est: professaque semper videtur Ecclesia, vt intelligere potes ex Epistola Nicolai Papæ ad Bulgarorum consulta. Porro nomen CHRISTI aliter quoque postea aliquando effigiari, & ipso etiam velamine appenso imprimi solitum, & vel in galeis vel in scutis notari; necnon interdum in iisdem armis, vel in vertice hastæ, aut in ipso velamine appenso, purum signum Crucis insculpi; multi visuntur *e* nummi, lapidesque antiqui, qui id demonstrent. Atque hæc maximè obseruata sunt in præcipuo illo militari signo, quod postea frequentiori appellatione dictum est LABARVM: cum alioqui longe etiam ante Constantini tempora, fuerint quoque in exercitu Romanorum Gentilium alia militaria signa, quæ signum Crucis exprimerent; vt hactenus Romæ & alibi cernere licet in multis trophæorum imaginibus, nummisque, & aliis antiquis monumentis; & vt Iustinus *f* martyr, Tertullianus *g*, & Minutius *h* Felix ipsis Gentilibus Crucis ostentibus frequenter exprobrarunt.

SIGNVM CRVCIS ET APPARET. c Eus. l. de Vit. Const. 22.

LABARVM CRVCE ORNATVM.

d Ibid. c. 24. & seqq.

e Habet eorum formas Baron. hoc an. ex diuersis Rom. prom. ptuarijs. Quibus adde Ciacc. Tom. 1. de Cruc. lib. 2. cap. 37. 28. & Tom. 3. l. 1. c. 4.

f Iust. orat. ad Anton.

g Tert. Apol. c. 16.

h Minut. in Octa.

V.

DE LABARO, PRÆCIPVO MILITARI SIGNO.

Sed quod ad LABARI antiquitatem pertinet; facilius erit in vetustis Imperatorum victoriarum monumentis sculpta oculis spectare Labaro signa similia, quam eius nomen apud veteres scriptores Ethnicos legere. Cæterum *Vexillorum* appellatione illud expressisse, eademque *Cantabra* etiam nuncupasse; ex iisdem, quos citauimus, Tertulliano & Minutio manifestum redditur. CANTABRA vero (sic enim omnino legendum esse, non vt quidam volunt *Contabra*, docent scripti omnes antiqui libri, confirmatq; lectio Codicis Theodosiani *De Signiferis & Cantabrariis*:) dicta putamus à Cantabris in Hispania populis, quos magnis tandem laboribus, multoque fuso Romano sanguine, Augustus debellauit. Mutuari namque solitos fuisse Romanos signa hostium quos subiugassent, de *Draconibus* manifestum est exemplum; qui non ante esse cœperunt in vexillis Romanorum insignia, quam Traianus vicisset Dacos qui eis vtebantur. Sed licet Cantabra, & Labara eadem fuisse signa videri possent; fuisse tamen differentiam aliquam, eorum figuræ lapidibus exsculptæ vel nummis impressæ declarant. Siquidem in veteri illa forma, sic velum illud transuersæ hastulæ alligatum erat, vt rugas aliquas sui contractione admitteret: at in Labaro sic erat expansum, vt integras in se depictas Imperatorum, vel Crucis, apponi solitas imagines demonstraret. Præterea in exercitu plura fuisse Cantabra, loca citata docent; Labarum autem, ex quo eius introductus est vsus & nomen, nonnisi vnum, idemque omnium præcipuum, in exercitu esse consueuit.

LABARIVM CANTABRI DIFFERENTIA.

VI

Vnde vero sic appellatum fuerit, Gregorius *a* Nazianzenus inuectus in Iulianum Apostatam, qui Labarum Cruce decorum abstulerat, ait à Latinis esse dictum quod laborum vim haberet. Forte, quasi Labo is ὅρος, hoc est finis seu terminus: siue ita Constantinus appellauerit, quod Vrbem à tyrannide Maxentij liberando, tot laboribus finem imponeret; vel, quod Crucis fulgore turilante, Persecutionis laboribus terminus figeretur: siue etiam quod (vt scribunt Eusebius *b* & Sozomenus *c*) cum aliqua cohors laboraret, ad subsidium inferretur Labarum, cuius aduentu mox victores existerent. Porro quod Latini *Labarum* dicebant, Græci λάβαρον nominabant, vt ex Græco habet Latina vox tradita in Codicibus Theodosiano & Iustinianeo, titulo *de Præpositis Laborum*, & ibi positis de eximia eorundem dignitate legibus. λάβαρον quoque vocat Sozomenus; licet alij Labarum legant: sed vbiq; *Laborum* legendum esse, obseruarunt etiam Turnebus *d* & Cuiacius *e*: quæ præterierunt Aliciatum, dum minus æquè inuehitur in Accursium. De Præfectis enim Laborum, hoc est Vexillariis, illic agi certum est: de quibus Eusebius *f* meminit; electos dicens à Cõstantino quinquaginta præstantes viros, quibus per vices portandi Labarum onus incumberet. Eos vero postea ex Consularibus haberi solitos, leges superius citatæ demonstrant. At de his hactenus.

LABARVM VNDE DICTVM

a Greg. Nazian. or. 1. in Iulian.

b Eus. l. de Vit. 7.

c Soz. lib. 1. c. 4.

d Turn. 15. Aduers. 16.

e Cuiac de præpos. lab. C. lib. 12.

f Eus. l. de Vit. 8.

VII.

Iam ad Constantinum redeamus, cum insigni eiusmodi apparatu in Italiam proficiscentem aduersus Maxentium; qui se intra muros Vrbis concludens (vt Eusebius *g* & Zosimus *h* tradunt) totus interim erat in præstigiis agendis, victimis offerendis, aruspicibus de belli euentu consulendis: quin & Sibyllina oracula perueſtigantem, ait Zosimus repertisse, in fatis esse, vt qui ad pernicie Populi Romani spectantia designaret; miserabili morte periret; idq; eum de semetipso accepisse. Nam & machinis præstigiarum magis quam subiectorum beneuolentiæ confidisse, Eusebius scribit. Auctor vero est idem Zosimus, eius exercitum cõstitisse centum & septuaginta peditum & octodecim equitum millibus, Constantini aũt nonaginta tantummodo peditum & octo equitum: cum alioqui auctor eius temporis qui Panegyricum *i* Constantino post victoriam dixit, asserat ipsum Constantinum vix quarta exercitus parte pugnasse aduersus centum millia armatorum.

CONSTANTINI & MAXEN. APPARATVS.

g Eus. l. de Vit. 31.

h Zosi. lib. 2.

i Panegyr. 2. Const.

VIII.

Sic igitur Constantinus (inquit Eusebius) Dei auxilio nixus, primam, & tertiam aciem adoritur, & omnibus perfacile subactis, quam proximè Romam aduentat: Porro pugnarum esse ab eo sæpius in itinere cõtra Maxentij copias, dum vrbes resistentes oppugnaret, maximè vero apud Taurinos, Brixam, & Veronam, vbi insignibus potitus est victoriis aduersus Maxentij duces; plurimus narratus est victoriis aduersus Maxentium *k*; in quibus etiam multa habentur in iisdem Panegyricis de eiusdem fortitudine, & ipsum cum prodigiis protegente diuina manu: Expugnatisque mira facilitate & felicita-

CONSTANTINI VICTORIÆ

k Eod. Paneg. 2. & Nazar. in Panegyr. Const.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

felicitate cunctis ferme aduersarij præsidiis, Romam iter dirigens, ipsum Maxentium cum magnis pauendisque copiis de summa rerum dimicaturum, licet infaustis prodigiis exagitatum, sibi trans pontem Miluium occurrentem, ingenti prœlio deuicit; quo idem Maxentius, suis vbique fugatis, & plerisque in flumine quod à tergo esset submersis, fugam & ipse arripiens, pariter è ponte, quem ea occasione super Tiberim constituxerat, (siue tignis tanto fugientium oneri sufferendo imparibus, vt vult Zosimus; siue ea arte à Maxentio antea compactis, vt artificis arbitrio nullo negotio soluerentur, sicque Constantinum pontem occupare tentantem in aquas facile demitterent, quod tradit Eusebius:) in fluctus decidens, absorptus est: eiusque corpore mox ab vrinatoribus extracto, sectum caput hastæ affixum in Vrbem delatum, inde vero postea in Africam missum, vt quam maximè viuus Maxentius afflixerat, laceratus expleret: ipse autem victor Constantinus, Vrbem post hæc triumphans mira omnium exultatione ingressus est. Quæ omnia, aliaque huc pertinentia, fuse prosecuti sunt iidem auctores Panegyricorum post victoriã Constantino dictorum, necnon Eusebius *a*, Zosimus, & alij.

MAXENTII INTERITVS.

a Euseb. de Vit. 32. & 9. hist. 8.

IX. ARCVS TRIVMPHALIS CONSTANTINI ROMÆ.

Extat etiam hactenus tantæ victoriæ nobile monumentum Romæ inter montes Palatinum & Cœlium, haud longe à Domitiani Amphitheatro, *Triumphalis arcus* à Senatu ei constructus; cui & ob inopiam sculpturæ artis opificum, (quorum insigniores ad Christianam fidem conuersi, à persecutoribus sublati fuerant: vt de nonnullis nupera Diocletiani persecutione neci traditis, quod cũ essent eius artis scientissimi, nullo modo adduci potuissent vt idolorum statuas facerent aut adorarent, testantur historiæ *b* Ecclesiasticæ:) ex Traiani & Marci Aurelij Imperatorum memoriis, aliisq; insignioribus Vrbis monumentis, sublati lapides affabrè facti intexti fuere, vt ex ipsa operis diuersitate cuique etiam rudiori facile est iudicare. In eo vero, præter alias inscriptiones, hæc in fronte legitur, quæ ad res nostras pertinet: IMP. CÆS. FL. CONSTANTINO MAX. P.F. AVGVSTO S.P.Q.R. QVOD INSTINCTV DIVINITATIS, MENTIS MAGNITVDINE, CVM EXERCITV SVO, TAM DE TYRANNO, QVAM DE OMNI EIVS FACTIONE, VNO TEMPORE, IVSTIS REMP. VLTVS EST ARMIS, ARCVM TRIVMPHIS INSIGNEM DICAVIT. Quod enim qui hunc extruendum curauit Senatus Gentilis esset, haud quidem vexillum Crucis erexit; sed tamen quod sciret Constantinum palam profiteri se auxilio Dei veri deuictissetyrannum, idcirco ipso inscriptionis exordio ex animi ipsius sententia illa posuit verba, QVOD INSTINCTV DIVINITATIS.

b Breuiar. Rom. 8. Non. Agit vero de his Baron. tum hoc an. tum Tom. II. an 303. num. CXVI.

X.

At ipse Constantinus (vt narrat Eusebius *c*) post gratiarum actionem Deo Opt. Max. de accepto beneficio redditam; nequid gloriæ Crucis videretur esse detractum, seorsum in ipso Vrbis meditullio sibi statuam erexit, quæ manu signum illud sublime teneret, clarissima huiusmodi inscriptione notatum, HOC SALVTARI SIGNO, VERO FORTITVDINIS INDICIO, CIVITATEM VESTRAM TYRANNIDIS IVGO LIBERAVI, ET S.P.Q.R. IN LIBERTATEM VINDICANS, PRISTINÆ AMPLITVDINI ET SPLENDORI RESTITVI. Quapropter & postea Senatus, quæ ei gratiora sciret præstans, signum Dei (vt habet Gallicanus *d* orator) aureumque simulacrum ei dicauit. Eius videlicet Dei, quẽ videret ipsum publica attestatione professum, nempe CHRISTI Saluatoris. Neq; n. de alicuius deorum Gentium aurea statua posse intelligi, id maximè demonstrat, quod sic videri Senatus potuisset Constãtinum iniuria magis quam honore afficere. Porro Senatum sciunt omnes qui Cæsarum historias callent, quæ etiam maximè horreret consueuisse Imperatoribus officia deferre. Nec ob eam causam videri poterat ab auita superstitione descisscere; sicut nec Alexander Seuerus, cum eiusdem CHRISTI Domini imaginem, inter alios quos coleret deos, in sui larario collocauerat. Quod autem Prudentius *e*, qui in fine huius sæculi vixit, post recensitam virtute Crucis illatam tyranno necem, Vrbemq; à funesta clade liberatã, addit Senatum ad inclyta procubuisse vexilla, & militiæ vltricis titulum, Christiq; verendum nomen, quod collucebat tot armis, adorasse: haud ista quidem sic intelligenda sunt, vt Senatus mox factus fuerit Christianus; sed quod Labarum primarium militiæ signum ex more salutans, fuerit veneratus. Siquidem Senatus magna ex parte, quibus erat obuolutus Gentilissimi tenebris, in iisdẽ diu volens libensque permansit. Quanquam magnam accessionem factam esse fidei Christianæ, tanto CRVCIS patefacto miraculo, & Imperatore credente, nemo iure possit dubitare: sicut & idem Prudentius de nonnullis Senatoribus, aliisq; viris clarissimis, eodem carmine testatum reddidit.

c Euseb. l. de Vit. 33. 34. & 9. hist. 8.

d Panegyr. 2. Const. CHRISTI IMAGO AVREA A SENATV ERECTA.

e Prud. aduers. Symmach. lib. 1. de potest. Cruc.

XI. CONSTANTINI RESCRIPTA PRO CHRIST. *a Euseb. 10. hist. 1. 6. 7.*

Quæ autem edicta pro Christianis Romæ, vel aliis in prouinciis, tunc Constantinus promulgauerit, non extant: perbreuia tantum rescripta de restituendis bonis Ecclesiarum, deque immunitate Clericorum, ad Anulinum Proconsulem in Africa, recitat Eusebius *a*; necnon eiusdem Imperatoris ad Cæcilianum Episcopum Carthaginiensem Epistolam, de pecuniis ipsi à Quæstore Africæ dari iussis, ad subleuandos longa persecutione afflictos Christianos. Ex quibus, quid aliarum Occidentalis Orbis prouinciarum Ecclesiis contulerit, possumus intelligere: sed de iis inferius, vt se dabit occasio, vel ratio temporis.

XII.

Quod vero nonnulli argumentati sunt, Constantinum etiam post hæc idololatram fuisse, eo quod titulum PONTIFICIS MAXIMI retinuisse inueniatur; facile ea obiectio diluitur ex eo quod auctore Zosimo *b* constat, non ipsum solum Constantinum, sed eum secutos omnes Imperatores Christianos vsque ad Gratianum, vna cum Imperio, Pontificis Maximi titulum suscepisse, & Stolam Pontificiam induisse. Id enim insuper ex Ausonio *c* probatur, qui eundem Gratianum appellat *Pontificem Maximum*: extantque in antiquis lapidibus *d* inscriptiones, quæ id ipsum de Valentiniano, Valente, eodemque Gratiano testentur. Cur autem illum titulum susciperent, ea ex eodem Zosimo causa potest colligi, quod sic videretur Imperatoriæ dignitati Summus Pontificatus adiunctus, vt sine illo Imperator esse non posset; & in eum facile Senatus Populusque Romanus Gentilitiæ factionis conspiraturi essent, quẽ non viderent patria religione firmatum. Cum tamen non consueta Gentilium superstitione (quam describit Prudentius *e*) Christiani Imperatores id agerent, sed tantum (quod Zosimus docet) amictu Pontificio oblato, eoque accepto titulum *Pontificis Maximi* vsurparent. Alia vero fuit etiam eius suscipiendi causa, quod amplissima *f* esset illius magistratus auctoritas: quippe qui posset comitia dirimere, Consules abdicare, factaque reddere irrita; decretis à Senatu intercedere, eademq; intercidere; ac fierent ne bella, ex eius arbitrio penderet: ideoq; eam sibi auctoritatem omnes Romani Imperatores pernecessariam iudicarunt, vt summo religionis iure Senatum in ipsos sæpe molestum, obsequentem in omnibus redderent. Qua sane causa postea cessante, cum Senatores maiori ex parte Christiani fuere, desierunt pariter Christiani Imperatores Summi Pontificatus titulum & stolam sumere, de quo dicetur suo loco *g*.

b Zos. lib. 4.

c Auson. in grat. act. pro suo Consul.

d Habet Baron. Annal. Tom. 3. hoc an. extantes, variis locis Romæ CHRIST. IMPP. CVR RETINERĒT TITVLVM PONT. MAX.

e Prud. Peristeph. lib. 4.

f Vid. Cic. de nat. deor. lib. 2. & de legib. li. 2. Tac. de morib. Germ. Valer. lib. 1. cap. 2. 3. & alios.

Quonam autem potissimum huius anni mense, ac die, Vrbs à Constantino fuerit liberata; qui putauit *h* huius rem demonstratione posse etiam INDICTIONVM, quibus anni supputantur, exordiũ definiri, firmiter asseuerat Maxentium extinctũ esse octauo Calen. Octobr. à quo die prima Indictio inchoatur. Sed cum ea assertio nullis probetur auctoribus, nec quos ille citat id aliquo modo testentur; tota illa tractatio de Indictionum intentione, omnino nutet necesse est. Nam quamuis Panegyricus incerti auctoris sæpe citatus, affirmet Maxentium Tiberinis vndis absorptum esse eo ipso die quo sextum absoluit Imperij annum, antequam septimum inchoaret: tamen vt id contigerit octauo Calendas Octobris, oportuit testatum reddidisse ipsum Maxentium septimo Calendas eiusdem mẽsis regnare cœpisse; quod nec ipse, nec alius quisquam possit demonstrare, cum res penitus apud antiquos auctores indefinita remanserit. Quinimo ex Nazario *i*, dicente Constantinum vix duos menses post Maxentij necem Romæ constitisse, antequam aduersus Germanos iterum proficisce-

g Ann. 383. III.

XIII. TEMPVS VICTORIÆ CONST. *h Pannin. fast. hist. Cons.*

i Nazar. in Panegyr. Const.

ficisceretur, iuncto Constantini rescripto, *a* dato Romæ anno sequenti decimoquinto Calendas Februarii, colligi posse videtur, victoriam de Maxentio habitam esse mense Nouembri: quod etiam ex eo firmatur, dum idem Nazarius ait, caput Maxentii mox post triumphum Constantini in Africam missum esse, cum nondum mare tempestiuum esset, hoc est ipsa hieme, qua à nauigatione cessabatur.

a *l.1.C.de cens. lib.11.*

DISPVT. DE ORIGINE INDICTIONVM.

Sed nec illa probatur, quæ ab Emendatore *b* temporum excogitata est de inuentione Indictionis opinio, dum ait ab exhibitione munerum Quinquennalium Imperii Constantini vsque ad Vicennalia, statuta periodo annorum quindecim, esse numerum Indictionum inuentum. Nam cum ipse falso niratur fundamento, dum putauit hoc anno celebrata esse Quinquennalia Constantini, quem iam septimum Imperii annum inchoasse vidimus cum Maxentium debellauit, rotam super ædificatam structuram æque corruere necesse est.

XIV.

b *Ios. Scal. de emend. temp. lib.5.*

[Aduersus Scaligerum steterit etiã à Baronio *Sethus Caluisius* in sua Chronologia, licet & ipse hæreticus, & summus alioqui Scaligeri laudator, laudatusq; impensum vicissim ab eo. Cæterum cum multa de his *Indictionibus* controuertantur, duo tamen præcipue quæruntur, videlicet quo tempore, & quanam ex causa institutæ fuerint. De vtroque hic Baronius accurate. At Scaliger in Canon. & Not. ad Euseb originem earum altius repetens, ab Æra Antiochena deducit, quam ponit cœpisse 48. annis ante initium annorum Christi Dionysianorum: eamque esse omnium antiquissimam, quam subinde plures aliæ exceperint, puta Iuliana, Hadrianea, Antoniniana, Constantiniana. Singulas enim epochas, vel solemnes Imperatorias largitiones, appellat Indictiones. Chronicon vero Alexandr. ab anno quo Iul. Cæsar renuntiatus est Dictator eas inchoat, ita vt ties solidi Indictionum cycli fluxerint ante Christi natiuitatem, & alii 11. cycli vsque ad Indictiones Constantinianas. Alii vero ab Augusto tantummodo Imp. eas deducunt, atque inter alios Paulus Petauius ex eiusdem Augusti censibus, qua in agros, qua in capita indictis, quos Dio recenset. Et possent quidem istæc admitti, si Quindennales huiusmodi largitiones, censusue, aut quadrare cum Imperatorum rebus gestis, aut fuisse iam tum in vsu ad certum annorum numerum computandum, demonstrari posset: quod nullus prædictorum præstitit auctorum. Quemadmodum nec Heruvartus, dum in sua Chronologia illas deducit ex quorundam Patrum dubitatione de vero anno Christi natiuitatis, & census Quirinii. Quapropter cum nullum huius rei ante Constantinum habeatur apud antiquiores vestigium, stat quoque nec veras Indictiones, quales nunc tractamus, cœpisse ante eiusdem Constantini tempora. Potuissent earum institutores his nos molestiis leuare, si quemadmodum factum fuerat in Olympiadibus, ita & ipsi curassent non solum notari annum currentis Indictionis, sed etiam quota fuisset currens Indictio. Etenim cum dicimus Indictionem primam, secundam, tertiam, &c. intelligendus est annus primus, secundus, tertius, &c. Indictionis quæ explicatur annorum orbe quindecim: quo nomine à Græcis dicitur πεντεκαιδεκαετηρίς. Fuit nihilominus hæc per Indictiones numerandi ratio, ex quo semel suscepta est, tantæ inter Christianos auctoritatis, vt posteà Iustinianus Imp. (quo ipsius loco videbitur) decreuerit, validum non esse instrumentum, cui non vna cum anno Imperatoris, & Consulibus, apponeretur etiam Indictio. Fuerunt autem Imperatoriæ Indictiones eo à Pontificiis Romanorum Præsulum distinctæ, quod Imperatoriæ inciperent à die 24. Septembris, qua primum sub Constantino sunt institutæ, (cum tamen posteriores Orientis Impp. à Calendis Septembris suas ordirentur:) Pontificiæ vero initium sumant à Calendis Ianuarii sequentis. Quæ tamen in Gregorii Magni Epistolis notantur, æque à Septembri inchoari perhibentur, atque etiam aliquot posteriorum Pontificum. Cœpisse vero Constantinianas hoc Christi anno 312. plerique consentiunt.]

XV. NOSTRA DE HIS SENTENTIA.

Vtinam vero tam facile esset de istis vera statuere, quam falsa destruere: adiiciemus tamen quæ nobis interdum cõtigit ex coniecturis opinari. Imprimis igitur explosis iis quæ à quibusdam recentioribus, de Indictionum exordio iam ab ipsis Augusti temporibus, absque aliqua testificatione feruntur: (Quid enim, vt alias rationes taceam, quod Censorinus egregius auctor, qui longe ante hæc tempora scripsit, dum exacte agit de antiquis omnibus, quæ in vsu fuissent, annorum supputationibus, Indictionum nullam prorsus fecit mentionem?) assentimur & nos, non ante præsentem annum eas ad annorum numerum consignandum inuentas esse, tum quod nulla de iis apud externos ante Constantini tempora mentio habeatur, & apud Ecclesiastica monumenta prima mentio reperiatur in Concilio Romano sub Iulio Papa, qui Siluestro successit, & apud Ambrosium in epistola ad Episcopos Æmiliæ prouinciæ, tum quod ex Græcis Fastis exploratum reddatur, sub huius anni Coss. cœptas numerari Indictiones Constantinianas.

Sed quanam ex causa vsu venerit, vt eiusmodi quindenus inuentus sit numerus ad annos sub Indictionis nomine supputandos, id vero præcipue inuestigandum relinquitur. Sane vt quindecim annorum periodo aliquid cœptum absolueretur, & in tabulas publicas referretur, nullam aliam apud antiquas huius temporis memorias rationem repetire licuit, nisi stipendia militaria, cum quindenis emeritis miles honesta missione, concessa capitationis immunitate, si vellet, solutus militia liber abire posset, si nollet, maioribus priuilegiis augeretur. Est enim de eiusmodi missione mentio in rescripto *a* eiusdem Constantini ad Maximum, cum tamen antiquitus (vt est apud Tacitum *b*) sexdecim annorum stipendia merere milites tenerentur: sed Constantinum magis augeri voluisse priuilegia Veteranorum, quam minui, ipse publice professus *c* est. Vt autem quindecim annorum stipendia per totidem numerarentur Indictiones, inde prouenisse videtur, quod annis singulis eroganda militibus Principis rescripto prouincialibus indicebatur annona, missis ad hoc exactoribus, qui eam colligerent, & debita militibus darent, vt patet ex Arcadii & Honorii de re illa rescriptis: *d* estque titulus in Codice Theodosiano *de Erogatione militaris annonæ*, vbi inter alia, nequid fraudis à ministris eam curam gerentibus admitteretur, cauerunt iidem Imperatores, *e* vt Breues ante Indictionis principium summa fide ac veritate confecti ad Imperatoria scrinia dirigerentur, secundum quos à susceptoribus erogatio celebrati deberet. Quod vero eiusmodi annona militibus distribui & erogari soleret per singulas Indictiones, inde quoque accidit vt Indictio eadem diceretur *Distributio*, vel *Fusio*. Etenim de priori nomine, apud Palladium *f* traditur, Tertiadecima Distributione venisse Cõstantinopolim Asiæ Episcopos, &c. de posteriori est mentio in alio rescripto *g* Honorii Imperatoris, vbi indulget debita contracta vsque ad initium Fusionis quintæ: qua voce Indictionem significari, quæ præcedunt & subsequuntur leges sub eodem titulo *de Indulgentiis debitorum* positæ indicant. Vt autem octauo Calendas Octobris initium sumat Indictio, inde accidisse videtur, quod eo tempore Imperatores exhibendam militibus annonam proposito edicto indicere annis singulis consueuissent, cum iam plenissima frugum omnium collectio facta esset. Quod etiam colligi potest ex quodam Gratiani Augusti rescripto *h* ad populum. Probauit vero postea vsus tam in censualibus tabulis, quam in matriculis militaribus, eiusmodi per quindena stipendia emerita numeratione, quindecim Indictionum reuoluta periodo, concinne, facile, & absque errore tempora numerari, qui & à posteris retentus est. At de nostris ea de re coniecturis hactenus. De modo vero inueniendi anni excurrentis Indictionis, dicetur posteà. *i* Inuenimus autem ab Imperatore indicente, Indictiones interdum denominatas, sicque dictam Indictionem *Valentiacam* *k* à Valente Augusto.

XVI.

a *l.4.C. Th. de veteran.*

b *Tac. lib.1. Annal.*

c *l.2.C.Th.eo.*

d *l.1.C. Th. de Indict. l.16.C. Th. de exact.*

e *l.24.C.Th. de erog. mil. annon.*

f *Pallad. dial. de reb. gest. S. Io. Chrys.*

g *L6. C. Th de indulg. deb.*

h *l.18. C. Th. de ann. & trib*

i *An. 562. num.11.*

k *l.10. C. Th. de indulg. deb.*

Hoc eodem anno, qui primus pacis Ecclesiæ post decennium persecutionis illuxit, Tyrannus Episcopus Antiochenus defunctus est, postquam sedisset annos tredecim, vt est apud Eusebium in Chronico, eique subrogatus est *Vitalis*, vt habet Appendix S. Hieronymi, & Theodoretus affirmat. *l* Hocque ipso anno septimo Constantini, apud eumdem Eusebium ponitur post Hermonem, *Macarius* Episcopus Hierosolymitanus, quem Theodoretus ob beatam viuendi rationem, & multiplices virtutes, vere nomini suo respondisse tradit. Agetur autem pluribus de vtroque eodem Episcopo inferius.

XVII.

l *Theod. l.1.c.7.*

* * *

IESV CHRISTI AN. 315.

MELCHIADIS AN. 2.

CONSTANTINI IMP. AN. 8.

I.

ANno Christi trecentesimo decimotertio, Constantinus Imp. tertium adiens Consulatum, habuit, sicuti superiore anno, collegam Licinium: cuius Consulatum cum plerique tertium æque ponant, vt Zosimus, *a* Opatus, *b* & alii, S. tamen Augustinus *c* ex libellis Consularibus quos citat, tertio Consulatui Constantini secundum Licinii adiungit, nisi sit mendum in codice. Porro sub huius anni principium, optime iam rebus Vrbanis compositis, idem Constantinus aduersus rebellantes in Germania barbaros progressus, eumdem Licinium, qui cum exercitu agere tuleret in Illyrico, sibi in via occurrentem Mediolanum duxit, siue (quod vult Zosimus) accersiuit, eidemque sororem suam *Constantiam* in matrimonium tradidit, quam quidem fuisse Christianam, Acta *d* Basilei Episcopi Amaseæ in Ponto significant, de qua plura inferius. Tertur quoque Aurelius Victor, *e* ad has nuptias vocatum fuisse Diocletianum, sed per senectam, quo minus interesse valeret, excusasse: rescriptis vero minacibus acceptis, quib. increpabatur Maxentio fauisse, & adhuc Maximino fauere, suspectâtem necem dedecorosam, venenum hausisse. Sed de eius obitu dicetur post triennium.

a Zos. lib. 2.
b Opt. lib. 1.
c Aug. post col. c. 33.

NVPTIÆ LICINII ET CONSTANTIÆ.

d Ap. Met. & Sur. 26. April.
e Vid. in Dioc.

II.

EDICTA IMP. PRO CHRIST.

At non ea tantum quæ ad connubium spectarent, inter Constantinum & Licinium transacta esse, sed etiam quæ ad pacem Orientalis Ecclesiæ pertinerent, cõstat fuisse dispositata, & amborum Augg. nomine pro Christianis promulgata edicta, quæ Eusebius *f* recitat, quibus libertas data est Christum vbique colendi, iussaque bona cuncta & loca publica absque pretio restitui: nempe hæc omnia eliciente Constantino, inter alia initi fœderis placita, à Licinio Ethnico homine, cum alioqui iam alia prius (vt apparet) sed alia qua parte ambigua, pro iisdem Christianis edicta fuissent edita. Quod autem non satis prospectum esset Ecclesiis Orientis, nisi Maximinus, cuius illic potiores essent partes, assensum suum præberet, scriptæ *g* sunt ad illum ea de re eorumdem amborum Impp. nomine litteræ: quibus illae acceptis licet inuitus admodum, & metu tantum iubenle

f Euseb. lib. 10. hist. 5.

g Id. 9. hist. 8.

III.

Cum autem Constantinus Mediolano cum exercitu recederet, rebellantes Germanos primo sui aspectu, non solum repressisset, sed & mirifice delusos vicisset atq; subegisset, (quæ in Panegyrico *h* Oratoris Gallicani narrantur, à nullo enim alio memoriæ commendata reperiuntur) hicque virtute Crucis, cui solum fidebat, Romanum imperium sibi subiectum, à tyrannis & barbaris quietum reddidisset: tam abiis quæ essent Gentilitiæ superstitionis officiis procul abhorrens, SÆCVLARES LVDOS, qui in præsentem annum, nempe tertium ipsius Consulatum (vt tradit Zosimus *i*) incidissent, ab aliis cupide expectatos, ipse celebrare contempsit, magno Gentilium mœrore, qui eos dicerent ad pestes morbosque sanandos, & bella auertenda, fuisse diuinitus institutos, esseque carminibus Sibyllinis veluti fatales Vrbi præscriptos. Quapropter cum aliis eorum neglectus visus est omẽ casuri Imperii, tum hoc ipsum Zosimus petulantius iactant, dum non aliam scribẽdæ historiæ (vt ipsemet testatur) inijens rationem, quam vt doceret culpa Christianorum Romanum Imperium esse collapsum, rem tantam, vt ab omnium malorum causa atque principio, à præmissis (inquam) à Constantino Sæcularibus Ludis auspicatur, & in ipsum Constantinum calumnias aggerat & exaggerat: Cum tamen constet, sæcula illa quibus sint celebrati, nec peste vel lue, aut aliis casibus aduersis caruisse, & econtra præsens sæculum quod iis caruit, fuisse Vrbi & Orbi felicissimum, tot tyrannis extinctis, ac barbaris debellatis. Quam autem male acciderit, cum Gentilium improbitate *k* Honorio Christiano Imp. id extorquentium, sunt iidem restituti, dicetur suo loco. Interea vero cum hoc tempore tanta gloria Christi Ecclesia aucta esset, plane accidit vt Gentiles inuidia tabescentes, quo solatio aliquo lenirent mœrorem suum, excogitauerint (sicut ait hæc ridens Augustinus *a*) nescio quos versus Græcos, tamquam consulenti cuidam diuino oraculo effusos, vbi Christi cultum per trecentos & sexaginta quinque annos duraturum, ac deinde sine mora finem sumpturum confinxerunt.

h Pan. Const. 2

i Zos. lib. 2.

SÆCVLARES LUDI A CONSTANTINO CONTEMPTI.

ZOSIMI INSCRIBENDI CONSILIVM.

FALSVM ORACVLVM GENTILIVM.

a Aug. 18. de ciu. 53. Vid. ins. an. 398. nu. 11

Sed quod minus posset Gentilium calumniis diabolus aduersus Christianam religionem, conatus est præstare studiis factiosorum schismaticorum. Siquidem Donatistæ in Africa, qui contra Cæcilianum Episcopum Carthaginiensem rebellauerant, valentioribus rursus eum impulsibus vrgentes, hoc eodem anno, sub Consulatu Constantini tertio, egerunt apud Anulinum Proconsulem Africæ vt suos ea de re libellos mitteret ad Constantinum in Galliis agentem, prout de his constat ex litteris *b* longe post hæc scriptis ab Hipponẽsibus ad Ianuarium primæ sedis Numidiæ Donatistarum Episcopum, quibus & Anulini ad Constantinum epistola, missorumque libellorum tituli continentur. Nec tamen his contenti Donatistæ, nauigarunt quoque nonnulli eorum ad Imperatorem in Gallias, & petentes de iisdem Gallijs dari Iudices in ea causa, cum ipse (inquit Optatus *c* hæc narrans) pleno liuore respondisset, *Petitis à me in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium expectem*: extorserunt tamen ab eo, parum adhuc in ordine Iudiciorum Ecclesiasticorum versato, Iudices *Maternum* Episcopum Agrippinensem, *Rheticium* Augustodunensem, & *Marinum* Arelatensem.

IV. SCHISMATICORVM FACTIO.

b Ap. Aug. ep. 68.

c Opt. lib. 1.

Sentiens vero postea Constantinus, iudicia Episcoporum absque primariæ sedis Antistite non rite cognosci, ad *Melchiadem* Romanum Pontificem causam deferens, curauit vt Cæcilianus vna cum decem Episcopis suarum partium totidemque ex schismaticis Donatistis Romam apud eumdem Melchiadem, tresque illos Episcopos Gallos, iudicium experturi se conferrent: eaque de re extat hactenus apud Eusebium, *d* eiusdem Constantini ad Melchiadem tunc scripta epistola, sed in titulo deprauata, dum ita legitur, *Constantinus Augustus Melchiadi Episcopo Romano & Marco S.* Etenim cum quisnam fuerit iste Marcus, penitus ignoretur, haud dubitauerim asserere, non καὶ μάρκῳ, sed ἐς ἔτος scriptum fuisse, e quæ vox Melchiadis titulum demonstraret, facili autem mutatione, aliquem exscripsisse καὶ μάρκῳ. Sic igitur ad Vrbem Romam (inquit Optatus) ventum est ab iis tribus Gallis, & ab aliis quindecim Italis, (non enim recensentur qui ex Africa aduenerunt, quod illi in hoc iudicio vel acto es vel defensores se habuerint:) qui vna cõuenerunt in domum Faustæ in Laterano, Constantino & Licinio tertium Coss. sexto Nonas Octobris, die sexta feria. Hæc Optatus.

V. CONSTAN. DEFERT IVDICIA ECCLES. EPISCOPIS.

d Euseb. lib. 10. hist.

Sed imprimis quod audis illos *conuenisse in domum Faustæ in Laterano*, admodũ probabilis est coniectura, ibi fuisse Melchiadis Papæ sedem, quorsum enim extra eius domum ampliora ædium spatia requirerentur, ad exiguum conuentum Episcoporum decem tantum & nouem, quos idem Optatus enumerat? Cum autem istæ ædes antea Imperatorum fuisse reperiantur, eas hac ratione dicendum videtur, datas esse ab ipso Constantino Melchiadi Papæ, cum superiorum annorum res Christianorum edictis, aliisque officiis, beneficiisque auxisset. Nam & hoc exploratum redditur ex ipsa earumdem ædium ab isto tempore semper continuata possessione, cum à nullo alio Imperatore, nec alio prorsus tempore, illæ Romanis Pontificibus datæ reperiantur. Nempe quod nefas esse sciret Constantinus, Gentilitiæ superstitionis Summum Antistitem aliam quamuis domum quam publicam habitare, (quamobrem & coactus olim est Augustinus, *f* suam priuatam, vt in ea agere liceret, publicam facere:) nequaquam passus est absq; publico ædificio Christianæ Religionis Pontifices Maximos Romæ agere.

VI. ÆDES IMPER. DONATÆ MELCHIADI PP.

Sua de re egit Baron. ann. CCCXV. §. 27.

e Dio. hist. lib. 54.

Dictæ

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Dictæ autem illæ ædes fuere *Faustæ* (vt par est credere) quod Fausta Maximiani Herculii filia in florentissimo ac diuturno patris Imperio Romæ agens, illas habitasset, quæ olim Plautii Laterani prædiuitis & Consularis hominis cum amplissimæ essent, occiso illo *a* à Nerone, Fisci inscriptione sunt publicatæ. Semel autem nomen inditum ædibus Lateranis, non solum perseuerauit in posterum, (quod inter alia multa exempla, contigit etiam ædibus hortisque Sallustii, qu' licet Imperatorum vsui cessissent, Sallustii tamen nomine semper dicti reperiuntur:) sed & factum est, vt Basilica ibidem postea ab eodem Constantino erecta, LATERANENSIS fuerit appellata, cuius meminerunt Hieronymus *b* & Prudentius: *c* quæ & eodem nomine hactenus perseuerat.

a *Tac. An. 15. Iuuen. lib. 4. Sat. 10. Vide sup. an. 67. 111.*

b *Hier. ep. 30.* c *Prud. lib. 1. cont. Sym.*

V. I. CONCILIVM ROM. IN CAVSA CÆCIL. ET DONAT.

Sed vt ad SYNODVM in illis ædibus habitam redeamus, testatur ex eius Actis Optatus, causa Donati à Casisnigris (primi, vt vidimus, schismatis auctoris) & Cæciliani in medium proposita, eumdem Donatum omnium Iudicum sententiis damnatum esse, quod confessus sit se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, Cæcilianum vero innocentem pronuntiatum, quod testes aduersus eum inducti negauerint se aliquid habere quod in eum dicerẽt. Hæc autem omnia in perpetuis seruata sunt Actorum Ecclesiasticorum monumentis, eademq; postea in magna illa inter vtramque partem facta Collatione singillatim recitata, vt scribit S. Augustinus, *d* eadem breuiter repetens. Melchiadem vero post hæc admodum laborasse, vt Donatistæ qui Maiorino Carthaginiensi pseudoepiscopo fauebant, Catholicæ vnirentur Ecclesiæ, oblata etiam conditione, vt quibuscunque in locis duo essent contrariarum factionum Episcopi, is confirmaretur qui prior fuisset ordinatus, & alteri plebs alia regenda prouideretur, S. Augustinus *e* demonstrat, Melchiadis ea de re sententiam mirifice laudans.

d *Aug. Breu. Coll. ar. 3. c. 12.*

e *Id. ep. 162. ad Epist. Don.*

VIII. DE RHETICIO EPISC. AVGVSTOD.

Cæterum qui huic iudicio sub eodem Melchiade Romæ interfuisse noscitur, *Rheticius* Episcopus Augustodunẽsis, à S. quoque Hieronymo *f* asseritur sub Siluestro Papa in Vrbem missus à Constantino ob causam Montensium, nempe Donatistarum. Quã in re scimus ab aliquibus creditum esse, eumdem Hieronymum memoria lapsum, Siluestrum pro Melchiade scripsisse: sed facile potuit contigisse, Rheticium iterum Romam sub Siluestro missum esse: cum præsertim Melchiadis tempore nondum Donatistæ fuerint appellati *Montenses*, sed tunc primum cum sub Siluestro Romæ cœperunt habere Episcopum. Laudatur vero ipse Rheticius, ob egregia quæ edidit scripta, cum ab eodem Hieronymo alibi, *h* tum etiam ab Augustino. *i*

f *Hier. ep. 133. g. Hæc habet Bar. an. 321. num. VIII.*

h *Id. de Script. Eccl. in Rhet.* i *Aug. 1. cont. Iul. 3.*

IX. DONAT. APPELLANT AD IMP.

At quod rursum ad Donatistas attinet, eosdem, nulla habita iuris vel recti facti ratione, sed imitantes impiissimum hæresiarcham Paulum *k* Samosatenũ, qui primus omnium viam aperuit vt ab Episcoporum iudicio Imperator adiretur, à quo tamen, licet Ethnico, nempe Aureliano, rursum causa ad Episcopos remissa est, vt vidimus suo loco: eosdem, inquam, Donatistas à Melchiadis & collegarum iudicio ad Constantinum appellasse, Optatus *l* tradit, sed ad eam appellationem Constantinum sic respondisse, *O rabida furoris audacia! sicut in causis Gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Extatque *n* ipsa eiusdem Constantini epistola tunc ad Episcopos Catholicos scripta, qua inter alias vehementissimas aduersus eiusmodi appellantium procaciam inuectiuas, ipsa quoque eadem ab Optato recitata verba continentur, itemque ista, *Dico enim (vt se veritas habet) sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si ipse Dominus residens iudicet. Nihil n. licet his aliud sentire, vel aliud iudicare nisi q Christi magisterio sunt edocti.*

k *Vid. Bar. an. 314. nn. XXXV.* l *Opt. lib. 1.* m *In Appen. ad Opt. ex Bib. Pith. recitat. & Bar. hoc an.* [*Quam tamen potius scriptam dixeris post Concilium Arelatense, de quo anno seq.*]

Post hæc autem, cum ad conciliandas partes idem Imperator Cæcilianum & Donatum, alioſque eorumdẽ fautores Episcopos Africanos, antequam in Africam aliqui redirent, Brixiam ad se vocasset, nec quicquam (refragantibus Donatistis) efficere potuisset, misit Carthaginem duos alios Episcopos; Eunomium & Olympium, vt remotis Cæciliano & Maiorino, vnum alium ordinarent: qui cum pronuntiassent, Ecclesiam Catholicam illam censendam esse quæ toto terrarum Orbe diffusa esset, nec sententiam decem & nouem Episcoporum Romæ datam dissolui posse, reuersi sunt in Italiam: tuncque demum re prorsus infecta, permissi sunt redire in Africam vtriusque partis Episcopi. Hæc autem ita gesta esse, constat tam ex epistola *a* Constantini ad Episcopos Donatistas scripta, quando eos Brixiam accersiuit, quam ex narratione Optati. Cæterum eo impudentiæ peruenerunt sequentis sæculi Donatistæ, vt petulanter iactarent, non solum causam à Constantino adiudicatam fuisse Donato, Cæcilianum vero damnatum esse, sed etiam vt Melchiadis ea de re prolatam in suos sententiam eleuarent, eumdem ipsum traditionis crimine infamare auderent. Verum cum ista in magna illa Collatione Carthaginiensi, post centum ferme annos habita, in iudicium perducta essent, quanto ea risu excepta fuerint, quibusque rationibus, & publicorum Actorum testificationibus confutata, pluribus demonstrat Augustinus *b* Quod autem causa Cæciliani in plures annos producta esse cognoscatur, agetur rursum de illa suis locis inferius.

a *Extat in Append. ad Opt.* POSTERIORVM DONATISTARVM MENDACIA.

b *Aug. Post Coll. c. 13. & 31. ep. 152. & cont. ep. Parm. c. 5.*

Interim vero in fine huius anni, nempe quarto Idus Decembris, *Melchiades* Papa, cum sedisset annos duos, menses duos, dies septem, spiritum Deo reddidit, sepultusq; est in cœmeterio Callisti via Appia: & in antiquis Ecclesiasticis monumentis reperitur titulo Martyris consignatus, q (vt alias diximus) qui persecutionis tempore perpessus esset pro fide Christi tormẽta, licet superstes in pace quieuerit, *Martyr* appellari consueuisset. Cum autem de sedis eius annis diuersæ reperiantur sententiæ, eum tamen hoc anno desisse, inde certa deducitur assertio, quod sequenti anno celebratum appareat Concilium Arelatense sub Siluestro eius successore, longe ante mensem Decembrem quo Melchiades decessisse ponitur. In Indicibus quoque Vaticanis, qui habentur in codice cuius est titulus *Concordia canonum*, nonnisi anni duo, menses septem, & dies octo ei tribuuntur: sed habita ratione diei quo is sedere cœpit, constat in numerum mensium errorem irrepsisse, facili mutatione notæ numeri 7. in 2.

XI. MELCHIADIS PP. OBITVS.

Quod autem in libro de Romanis Pontificibus traditur, ipsum inter alia decreta constituisse, vt *Oblationes consecratæ per ecclesias ex consecratu Episcopi dirigerentur, quod declaratur* (hoc est appellatur) *fermentum*, sitque eiusmodi erogationis fermenti mentio in eodem libro in Siricio, necnon apud Innocentium *c* Papam, & in antiquo Rituali: res est plane obscurissima, & in qua elucidanda multi frustra desudarunt, an feliciores nos extiterimus, prudens lector iudicabit. Ac primo fuisse eiusmodi FERMENTVM, vnionis symbolũ, quæ habet Innocentius satis declarare videntur, dum ait, dieb. Dominicis diuersorum Titulorum, siue ecclesiarum, presbyteros, quod illis diebus singuli in suis Titulis Synaxim agerent, atque ideo cum ipso pontifice conuenire non possent, ab eodem per acolythos missum accipere solitos Fermentum ab ipso confectum, (hoc est, vt ex iis quæ habentur in Melchiade & Siricio declaratur, consecratum, siue benedictum) quo significaretur, eos cum illo esse fide atque charitate coniunctos, accepto plane (vt videtur) exemplo ab Euangelica *d* parabola, qua regnum cælorum fermento comparatur.

XII. DE FERMENTO ET VIGILIA.

c *Inn. ep. 1. ad Decen. c. 5.*

d *Matth. 13.*

Quisnam vero eius rei vsus soleret esse, non aliunde opportunius intelligi potest, quam ex Oblationibus panum à populo fieri, vel à presbyteris de proprio subministrati solitis in Ecclesia, de quibus est antiquus canon, *e* Pii Papæ & martyris titulo prænotatus, constituens vt de illis à presbytero benedictis, & in frusta sectis, post Missarum solemnia, qui communicare non fuerint parati, *Eulogias* omni die Dominico & in diebus festis accipiant. Quapropter vt eiusmodi panem fermentatum ab Episcopo singulorum Titulorum presbyteri acciperent, à Melchiade fuisse institutum apparet: siquidem eiusmodi Fermentum idem esse quod Oblationem, eius decreti verba satis ostendunt. Verum id non tantũ Romæ & in Ecclesia Occidẽtali, sed & in Orientali fuisse seruatum, Concilium Laodicenum declarasse videtur, cum decreuit *f* sanctas Oblationes ad vicem Eulogiarum per festiuitatem Paschalem ad alias parochias mitti minime oportere: idque idcirco, puto, quod ea die nequaquam Eulogiis, sed Eucharistia populus omnis communicare deberet: in cæteris autem anni diebus licenter, præterquam in diebus ieiunii Quadragesimæ, (vt eadem Synodus *g* decreuit) ne occasione Eulogiarum ieiunium

XIII. DE OBLATIONIBVS RITVS.

e *Tom. 1. Conc. sub Pio, ex cod. quinque librorum, ii. 2. c. 117.*

f *Conc. Laod. can. 14.*

g *Ibid. c. 49.*

frangeretur. Meminit & Gregorius *a* Nazianzenus de eiusmodi Panibus benedictione sanctificatis.

Greg. Naz. or. in fun. pat.

[*Eulogia* quoque pro ipso sacrosancto Eucharistiæ sacramento accepta aliquando reperitur apud antiquos Patres. Etenim Euangelistæ, quam Apostolus Paulus in explicanda Dominica eiusmodi institutione, duobus verbis promiscue vtuntur, Εὐλογῶν, & Εὐχαριστῶν, ex quibus duo sanctissimi Sacramenti nomina orta habuerunt *Eulogia & Eucharistia*. Quare & prædictum Concilii Laodicenι decretum ita Balsamon & Zonaras interpretantur, vt prohibuerit mittere sacratissimæ Eucharistiæ particulas, seu buccellas, ad alias parœcias: sicut & consuetum fuisse mitti ad absentes à Romanis Pontificibus etiam his Annalibus ostensum est. De his porro fuse disputauit Bulengerus in suis Diatribis aduersus Exercitationes Casauboni, & Andr. Eudæm. lib. 2. Defens. Baron. cap. 15.]

EVLOGIA DICTA EVCHARISTIA.

Ex his igitur, aliisque eiusmodi antiquorum testimoniis, constat nihil aliud fuisse *Fermentum*, quam fermentatum panem benedictum, quo ob communionis symbolum ab Episcopo impertirentur cuncti parochiales presbyteri, qui eumdem sub se constitutis Fidelibus distribuerent certis diebus, quod quidem diuersis nominibus appellatum reperitur: puta *Fermentum*, ad distinctionem azymi panis ex quo soleret confici Eucharistia: item *Eulogia*, seu *Benedictio*, quod ab Episcopis benedici designari soleret, vt est etiam ea de re elegans exemplum in Actis *b* S. Albini Episcopi Andegauensis: ac denique *Sacramentum*, ob sacræ rei signũ, nempe Catholicæ vnionis, quo nomine ab Innocentio e appellatur: sicut & S. Augustinus *d* æque nominat Sacramentum, panem benedictum catechumenis impertiri solitum. Porro fuisse quoque alias priuatas Eulogias, quas scilicet amici inter se vltro citroque dare atque accipere consueuissent, multa suppetunt antiqua exempla: & inter alia, Paulini *e* Nolani Episcopi, ad Augustinum, Alipium, Romanianum, & Seuerum, *f* è Campania in Africam & Gallias panes pro Eulogia mittentis, & pariter Augustini, *g* ad eumdem Paulinum remittentis.

XIV. EVLOGIA SYMBOLVM VNITATIS.

b Ap. Sur. 1. Mart.
c Inn. ep 1. cap 5.
d Aug. lib. 1. de pec. mer. & remis. c. 26.
e Ap. Aug. ep. 31. 35. 36.
f Paul. ep. 1. in fin.
g Aug. ep. 34.

Hoc eodem anno Constantinus *h* Imp. rescripto confirmauit immunitatem clericorum à nominationibus, seu susceptionibus publicis: ne videlicet Deo militantes, distinerentur negotiis sæcularibus.

XV.
h Lx. C. Th. de Epis. & cler.

IESV CHRISTI AN. 314.

SILVESTRI AN. 1.

CONSTANTINI AN. 9

I. SILVESTER PAPA.

ANno Christi trecentesimo decimoquarto, Volusiano & Aniano Coss. Calendis Februarii, SILVESTER Romanus Rufini filius, ex presbytero subrogatus in locum Melchiadis, sedere cœpit. Hæc ex libro de Romanis Pontificibus. Errare autem illos qui ingressum Siluestri ponunt anno septimo, vel etiam quinto Imperii Constantini, satis apparet ex iis quæ ex Optato, Augustino, Eusebio, & Actis Ecclesiasticis ac Proconsularibus, superius sunt recitata de tempore sedis Melchiadis eius prædecessoris.

II. MAXIMINI IMP. MISERANDVS EXITVS.

Hoc eodem anno Maximinus Imperator nulla occasione, sed arrogantia bellum aduersus Licinium in Imperio consortem mouens, ab eo superatus est. Qui cum à suis ad Licinium transeuntibus derelictus, vix manus hostium deposito regio apparatu euasisset, in sua regressus, primum in deorum sacrificos & pseudoprophetas, quorum oraculis impulsus bellum susceperat, tamquam præstigiatores & proditores, animaduertit, postea vero Christianorum Deo laudem tribuens, pro eorum plenissima libertate promulgauit edictum, quo etiam loca publica eis restitui iussit, & ecclesias ædificare permisit: moxque repentina diuinitus plaga percussus, putrefacta & pedetentim exesa carne, & sponte exilientibus è propria sede oculis cæco reddito, demum inuocata morte, & propter scelera in Christianos admissa, merito se illa pati confessus, miserabiliter animam efflauit. Describit hæc omnia pluribus Eusebius. *i* Maximinum autem diem apud Tarsum obiisse, Zosimus *k* & Eutropius *l* testantur. Addit vero Eusebius, eumdem ab aliis Imperatoribus, nempe Constantino & Licinio, edictis publicis tyrannum fuisse declaratum, eiusque, & liberorum nomina ex tabulis & inscriptionibus erasa, vel nigro colore obliterata, statuasque deiectas: atque insuper eiusdem asseclas, Christianorum persecutores, omnibus honoribus & dignitatibus spoliatos, quosdam etiam nequiores morte mulctatos esse. Scribit denique idem Eusebius, *a* Maximinum molitum esse insidias Constantino, sed hunc visione diuinitus admonitum, anteuertisse periculum.

i Eus. 9. hist. 8.
k Zos. lib. 2.
l Eutr. lib. 10.

a Eus. 1. de Vit. Const. 40.

III. PAX VBIQVE RESTITVTA.

Sic igitur Persecutione vbique & omni ex parte sublata, deinceps (inquit idem auctor) videre erat dedicationum festiuitates per vrbes singulas, ecclesiarum nuper exædificatarum consecrationes, frequentes Episcoporum in vnum conuentus, peregrinorum ab exteris regionibus accedentium concursus, mutuas populorum beneuolentias, decoros ritus Ecclesiæ redditos, vnam omnium Fidelium mentem & sententiam. Sed hæc ipse *b* pluribus, simul & immensam narrans Fidelium lætitiam de pace restituta, & egregiam recitans orationem Panegyricam tunc temporis in dedicatione Ecclesiæ Tyri habitam, ex qua intelligere quisque potest, singulas structuræ ecclesiarum partes quid mysticum præsignare, ideoque haud perfunctorie absque spirituali intelligentia, sed summo religionis studio, consueuisse à maioribus erigi.

b Id. hist. lib. 10

IV. DONATISTARVM VRGENT CÆCILIANVM.

Interea vero tumultuantibus rursum in Africa Donatistis, Felicemque Aptungitanum Episcopum, Cæciliani ordinatorem, traditionis accusantibus, de mandato Constantini Imperatoris, cognoscens de eius causa Ælianus Proconsul Africæ, iisdem Coss. Volusiano & Aniano decimoquinto Calendas Martii, post varias Donatistarum detectas falsitates, & superatas fraudes, eumdem recto & legitimo iudicio innocentem pronuntiauit, sicut breuiter declarat Optatus, *c* fusius vero sæpiusque Augustinus *d* extantque *e* insuper ipsa Felicis Acta, sed in nonnullis (vt in antiquis accidere solet) deprauata, quæ ex Augustino corrigenda sunt. Cum autem refractarii Donatistæ his minime contenti, (vt ex eodem auctore *f* constat) ab Æliani sententia Imperatorem appellantes, ad ipsum profecti essent, aduersus Felicem, & ab eo ordinatum Cæcilianum, rursus iudicium prosecuturi, tamquam in præcedentibus prætermissa essent quæ viderentur esse potissima: quod hoc negotium esset Episcoporum, voluit etiam Constantinus id ab Episcopis iudicari, minime ausus (vt ait Augustinus *g*) de Episcoporum iudicio qui Romæ sederant, ipse iudicare, sed alios dedit Episcopos iudices, electa ad hoc Arelatensi ciuitate, quod ipse tunc in Galliis ageret: Scripsitque ad præcipuos Occidentalis Ecclesiæ Metropolitanos, vt ipsi cum duobus aliis quos vellent suarum prouinciarum Episcopis, cõducto publico ad eamdem ciuitatem properarent ad Calendas Augusti. Extat *h* enim eius argumenti tunc ab eo scripta epistola ad Chrestum Episcopũ Syracusanum; aliaque *i* ad Ablauium Africæ Proconsulem, de dandis tum Catholicis tum Donatistis, literis Tractoriis *k* ad sumptus itineris: quorum exemplorum reliquas omnes, tam ad Episcopos, quam Præsides, fuisse putamus.

c Opt. lib. 1
d Aug. Post Col. c. 32. 33. ep. 68. 152. 162.
e In Ap. ad Opt.
f Aug. ep. 68.

Quod autem ad numerum Episcoporum, ducentos cõuenisse Augustinus *l* significare videtur. Scimus tamen Adonem *m* Episcopum Viennensem affirmare, sexcentos interfuisse Concilio Arelatensi celebrato sub Constantino: sed errare constat, dum ait illud Concilium coactum fuisse tempore Nicænæ Synodi, cum Donatistæ tum primũ aduersus Catholicos insurrexissent. Quemadmodum & manifesto librariorum errore factum est, vt in Tomis Conciliorum, ARELATENSE PRIMVM absque aliqua nota subscriptionis Episcoporum qui interfuerunt, editum habeatur, eorumdem vero nomina inscripta ponantur Secundo, quod celebratum esse post Nicænum, & post Photini hæresim emergentem, post denique Vasense Concilium, canones *n* in eo positi plenissimam fidem faciunt. Neque aliud sub Constantino Imp. & Siluestro Papa Arelate coactum est, præter hoc Primum habitum in causa Cæciliani, quod huius anni Coss. Volusiano & Aniano celebratum esse constat: licet falso ab aliquo superadditum fuerit, id accidisse circa annum Domini trecentesimum vigesimum

V. CONCILIVM ARELATENSE.

l Aug. 1. cont. ep. Parm. 5. m Ad. in Chr. ad 6.

n Conc. Arel. 1. can. 9. 16. 18.

sextum;

sextum, cum exploratum sit, Acta etiam Ecclesiastica non-nisi Consulibus consignari consueuisse, non autem à Christi aduentu; quod primo factum esse à Dionysio Exiguo, Beda [a] testatur. Porro Balduinus, qui Optati opera egregie illustrauit, asserit ex fragmẽtis quibusdam compertum habuisse, Siluestrum Romanum Episcopum eidem Synodo præfuisse: nempe per Legatos, qui in superius citato catalogo quatuor nominantur, videlicet *Claudius & Vitus* presbyteri, *Eugenius & Cyriacus* diaconi.

[a] *Bed. de rat. temp. c. 45.*

VI.

Quæ vero nomina Episcoporum descripta eodem catalogo repetiuntur, plerumque mendosissima sunt; cum & maximæ partis, penitus desint. Etenim plane ingentẽ fuisse illorum numerum, ex eo quoque potest intelligi, dum præter illos qui ex vniuersa Gallia, Italia, Hispania, & Africa conuenerunt, ab extremis etiam Orbis Occidentalis oris aliquos aduenisse constat, nempe ex Britannia, ciuitate Londinensi, *Restitutum*, & ex Sicilia *Chrestum* Syracusanum, qui tamen ibi male *Sixtus* appellatur, quod scriptor indecorum putauerit, Christianum aliquem dici *Chrestum* nomine proprio. At non à Christo *Chresti* nomen descendit: erat enim æque Gentilibus vsitatum, licet (quod alias [b] dictum est) Christum quoque Dominum perperam illi *Chrestum* dicerent, cum alioqui honestissimum hoc nomen esset, bonum & commodum significans. Contra vero *Chrestologi* dicebãtur, qui cum bene loquerentur, male agerent: quo nomine Pertinacem Imperatorem dictum esse, affirmat Iulius Capitolinus: eodemque sensu Paulus ad Romanos χρηστολογίαν nominat.

DE NOMINE CHRESTI.

[b] *Sup. an. 43. num. III.*

VII. ACTA CONCILII, ET SCRIPTA OPTATI, CORRUPTA A DONAT.

Cæterum quod eadem Episcoporum serie Cæcilianus Carthaginiensis, non Episcopus, sed presbyter nominatur, vehemens suspicio est, à Donatistis deprauatũ mutilatumque fuisse idem Concilium: quemadmodum & ex Optati commentario, cum in Africa postea dominarentur, apparet eos sustulisse quæcumque de Concilio Arelatensi, deque sententia Constantini postmodum Mediolani aduersus eosdem lata, ille scripsisset: neque enim quæ conscio toto Orbe facta essent, potuerunt Optatum præterisse. Quin etiam licet indubitatum, ipsorum etiam Donatistarum cõfessione, remanserit, adiudicatam à Patribus causam fuisse Cæciliano, ac nonnullos ex aduersariis cum eo in concordiam rediisse, tamen horum omnium, aliorumq; in eadem causa tunc Arelate gestorum memoria, fraude eorumdem schismaticorum penitus periisset, nisi eam suis scriptis Augustinus [c] obiter inseruisset. Denique & in ipsos canones, quos more maiorum sacer ille cœtus, post absolutam Cæciliani causam, ad optimum Ecclesiarum regimen statuit, mala manus eorumdem Donatistarum grassata esse videtur. Siquidem cum in octauo iidem damnati essent, quod venientes ad se rebaptizarent, pro eo quod scriptum fuerat *Asru*, illi repoluerunt *Arianis*: quod mendum ex veteribus codicibus magisque probatis restituitur, cum & alioqui nondum hoc tempore Ariana hæresis adeo Occidenti innotuisset.

[c] *Aug. 1. cont. ep. Parm. 7. & ep. 68. ad Ian.*

VIII. DE CANONIBVS CONC. ARELAT.

Numerantur autem canones omnes ibidem statuti, viginti tres: quorum primus est de obseruatione Paschæ Domini, vt iuxta consuetudinem literæ à Romano Pontifice ad omnes dirigerentur, quatenus vno die & tempore per vniuersum Orbem celebraretur. Reliqui vero ad rectam Ecclesiasticam disciplinam informandam pertinent, quorum etiam nonnullorum facta est superius variis occasionibus mentio. Ille vero maxima consideratione dignus, quo hæreticos atque schismaticos à Præfecturis, cæterisq; magistratibus penitus excluserunt, dum statuerũt, *d* vt Præsides prouinciarum, aliique Reipublicæ Magistratus Christiani, Literas acciperent Ecclesiasticas Communicatorias: ita tamen vt vbicumque agerent, eorumdem locorum Episcopi curam de illis agerent, vt cum inciperent contra disciplinam publicam agere, tunc demum à communione excluderentur. Quod autem Eusebius testetur, in medio consessu Patrum quasi vnum è multis assedisse Constantinum Imperatorem, par est credere, aut ipsummet auctorem fuisse, aut saltem annuisse vt eiusmodi decretum à Patribus sanciretur. Porro iidem omnes tunc statuti canones missi sunt ad Siluestrum Romanum Pontificem, eius auctoritate probandi, & in vniuersas Ecclesias promulgandi, scripta ad illum ea de re epistola Synodali, cuius in editis canonibus inscriptio tantum notata reperitur: sed eadem integra postmodum edita [a] est, qua & sanciti canones continentur, licet ex parte mutili. Quod vero impii Donatistæ ab hac Synodo iterum appellauerint ad Imperatorem, agetur de eius iudicio post biennium, quando id fieri contigit.

DE CANONIBVS CONC. ARELAT.

[d] *Conc. Arel. l. c. 7.*

PRÆSIDES SVBIECTI EPISCOPIS.

DECRETA SYNODI AD PAPAM MISSA.

[a] *Rec. Bar. Annal. Tom. III. hoc an. ex bibl. P. Pithœi*

IX.

Sed quod ad res Orientis pertinet, cum testetur Eusebius, [b] extincto Maximino mox agi cœptos frequentes Episcoporum Couentus: in hoc ipsum tempus referenda putamus, quæ celebrata fuere CONCILIA, ANCYRÆ in Galatia, & NEOCÆSAREÆ in Ponto. Nam quod in *Ancyrano* imprimis agitur de illis qui in persecutione lapsi per pœnitentiam restituendi essent, confestim post sedatam persecutionem celebratum fuisse videtur. In *Neocæsariensi* vero, cui cõplures ex iis qui Ancyræ interfuerant subscripti habentur, iidem post aliquod tempus suppleuisse visi sunt ea quæ in Ancyrano fuerant prætermissa. Quod enim inter alios *Basilius* Episcopus Amaseæ vtrique interfuisse legatur, idemque in persecutione Licinii, quæ proxime est subsecuta, martyr occubuerit, plane necesse est affirmare, haud diu post Ancyranum, iterum Neocæsareæ eosdem ferme Antistites cõuenisse; antequam Licinius Orientalem Ecclesiam persequi aggrederetur: ex quibus etiam plurimi subscripti reperiuntur Nicænæ postea celebratæ Oecumenicæ Synodo.

[b] *Euseb. hist. 3. & 9.*

CREBRA IN ORIENTE CONCILIA.

X.

Cæterum ab iis qui *Ancyræ* conuenerunt decem & octo magni nominis Episcopis, statuti sunt canones viginti quatuor, tum de pœnitentia pro criminum differentia Lapsis iniuncta, secundum quod iam olim ab aliis vidimus diuersis locis atque occasionibus factitatum, tum de Ecclesiastica disciplina incorrupte seruanda, ac imprimis de cælibatu clericorũ, qui in eadem Synodo est firmius stabilitus. Illos tamen diaconos eximi voluit, qui dum ordinarentur nuptiis, fuissent pariter contestati se non posse continentes viuere: etenim qui sic clamassent, etiam post susceptum diaconatus ordinem posse vxorem ducere, Patres illi consenserunt, si vero tacuissent, continentiam debere seruare statuerunt, aut à ministerio diaconatus cessare, & laica tantummodo communione impertiri. In *Neocæsariensi* porro Synodo, à septemdecim Episcopis statuti sunt quatuordecim canones, tam ad eumdem clericorum cælibatum, quam ad œconomiam Ecclesiasticam, & pios Fidelium mores spectantes. *Vitalis* autem Episcopus Antiochenus, qui eidem vtique Synodo primus subscripsit, haud diu post hæc superstes existens, (quem his temporibus, cum Licinius in Oriente regnaret, decessisse Theodoretus scribit) successorem habuit *Philogonium*, insigni & ipsum pietate virum.

CONC. ANCYRANVM.

CONC. NEOCÆSAR.

[c] *Theod. l. hist. 3.*

XI.

Cum autem de CONCILIO LAODICENO, [d] antiqua nobilitate percelebri, Græcorum ac Latinorum scriptis memoriæ commendato, incertum sit quo potissimum tempore celebratum fuerit, de eo tractaturi, primo corrigemus errorem, quo à plerisque celebratum dicitur Laodiceæ quæ est in Syria, cum tamen in ipsius titulo diserte legatur *Laodicea Phrygiæ Pacatianæ*. Græuior vero ille, quo Laodicea quæ est in Syria, eadem asseritur quæ est ad Lycum flumen: cum ex Strabone, [e] Plinio, [f] Ptolemæo, & aliis Cosmographis, duas constet fuisse *Laodiceas*, alteram Syriæ, quæ dicta est *Seleucia Tetrapolis*, alteram in Phrygia, dictam à Strabone *Laodiceam Hierapolim*: quinimmo ponunt [g] & aliam in Media, à Macedonibus conditam. Quæ autem in Syria est, haud procul distat à ponte Orontis fluuii, Chalcidis confinia, condita à Seleucio. Sed quæ in Phrygia est ad Lycum sita, nobilis quidem ciuitas, ac totius prouinciæ (vt ait Theodoretus [h]) metropolis; sed nobilior elogio SS. Apostolorum Pauli [i] & Ioannis. [k] Ex his pariter redarguitur; [l] qui putauit hanc Synodum celebratam esse sub Theodosio Episcopo. Fuit enim iste Laodiceæ Syriæ Episcopus, [m] qui in Concilio Magno Nicæno subscriptus habetur inter Episcopos Cœlesyriæ. Quo tempore Laodiceæ Phrygiæ præerat Nunechius, qui itidem Nicæno Concilio reperitur primo loco subscriptus inter Episcopos Phrygiæ. Sed hæc satis de loco.

[d] *De hoc Concilio egit Bar. in fi. Tom. IV. Annal. Sed ex eiusdem sententia, fuit omnino collocandum hoc loco.]*

[e] *Strab. l. 13.*

[f] *Plin. lib. 5. cap. 20.*

[g] *Strab. l. 11.*

[h] *Theod. in Col. 2.*

[i] *Col. vlt.*

[k] *Apoc. 3.*

[l] *c. 11. dist. 16.*

[m] *Euseb. lib. 7. cap. vlt.*

DE CONCILIO LAODICENO.

XII.

[n] *Theod. in Col. 2.*

quem eiusdem meminisse certum est, dum ait *a* Catharo-
tum (hoc est Nouatianorum) baptismum suscipiendum es-
se, quod nonnullis Asiaticis visus sit suscipiendus. Id enim
statutum habetur in Laodiceno Concilio, canone septimo.
A quo etiam cum reiiciatur Cataphrygarum baptismus, ex
eiusdem sentẽtia Basilium itidem deinisse apparet. Vtrum
autem post Nicænum Concilium, vel ante habita fuerit,
diffinita causa esset, si quod in eodem septimo canone Pho-
tinianorum hæreticorum baptismus approbatur, omnium
exemplarium & editionum vna esset eademque lectio. Ve-
rum cum plerique scripti codices, necnon editio posita in
cusis libris posteriori loco, careant illis verbis, *Aut Photinia-
nis*: manifestumq; sit ex Cõcilio *b* Arelatensi Secundo, col-
latum à Photinianis baptisma, ab Ecclesia numquam fuis-
se receptum: (quod sc. omnino negarent diuinitatem Filii
Dei, quem hominem tantummodo fuisse dicebant:) idem-
que confirmetur ex eo quod Theodoretus *c* affirmat Pho-
tinianos eadem sensisse cum Paulianistis, quos Concilium *d*
Nicænum venientes ad Ecclesiam baptizari voluit: His, in-
quam, ita existentibus, & penitus ab eodem canone septi-
mo explodenda est lectio de approbatione baptismi Pho-
tinianorum, nihilque est quod inde conuinci possit, istud
Concilium celebratum fuisse post Nicænum.

Sunt vero nonnulla, quæ ante celebratum persuadent:
veluti quod constat auctoritate S. Hieronymi, *e* receptum
in Nicæno Concilio librum Iudith, qui tamen in serie li-
brorum Scripturæ à Patribus Laodicenis omissus est: quod
minime contigisset, si eum Nicæni iam ante approbassent.
Præterea cum reperiantur quinque *f* canones Laodicen
Concilii, eadem omnino continere quæ in Nicæno statuta
sunt, nec in eis vlla prorsus habeatur mentio Nicæni eadem
statuentis, argumentum est ea prius Laodiceæ decreta fuis-
se: siquidem vel non oportuerat ea paulo post iterum san-
ciri à Prouinciali Concilio, quæ decreta nuper fuerant in
Oecumenico, vel saltem ad maiorem Ecclesiasticis legibus
auctoritatem conciliandam, debuerant Patres meminisse
Nicænorum canonum, sicut in aliis Conciliis factum esse
reperitur, & in hoc ipso Laodiceno *g* seruarum, dum decre-
tum est, Bigamos ad breue tempus pœnitere debere, idque
(vt ponitur) secundum Ecclesiasticum canonem, nempe
Neocæsariensis *h* Concilii, in quo id statutum fuit: vnde &
manifestum est, Laodicenum celebratum fuisse post Neo-
cæsariense: & ex his omnibus colligas, eos grauiter errare,
qui ad longe alia tempora, quam ista, referant.

Sunt autem quinquaginta nouem eiusdem canones, à
triginta duobus Episcopis instituti, ad disciplinam & œco-
nomiam Ecclesiasticam pertinentes: quibus & Ecclesiæ an-
tiquæ traditiones referantur, vt de Confessione *i* peccato-
rum, cultu *k* sanctorum Martyrum, vsu *l* sacri Chrismatis,
ieiunio *m* Quadragesimæ, & aliis. Qui autem postremus
statutus est, de non canendis in ecclesia psalmis vulgaribus,
sed iis tantum qui in sacris libris inuenirentur, equidem
aduersum prauum vsum à Paulo Samosateno (vt dictum
est alias) primitus introductum, consulto sanctus esse vi-
deretur. Denique de Angelorum cultu, quem eadem *n* Syno-
do veritum nonnulli putarunt, dictum est abunde iuper-
rius. *o*

Hoc eodem anno Imperii Constantini nono, ponitur à
Cedreno *p Metrophanes* creatus quartus Episcopus Byzan-
tii, quem & Zonaras *q* ait successisse fratri suo *Probo*, ambo
autem filios fuisse *Domitii* fratris Probi Imperatoris, eum-
demque ipsum Dominum eiusdem ciuitatis ante Probum
filium, extitisse Episcopum. Cæterum cum Cedrenus quar-
tum nominet Metrophanem Episcopum Byzantinum, Ni-
cephorus *r* tamen Callistus, necnon alter Nicephorus epi-
scopus Constantinopolitanus, seriem texentes eiusdem ci-
uitatis Episcoporum, ab ipso Andrea Apostolo exordium
sumpsere, vt demonstrarent eam Ecclesiam Apostolicam
esse. At vero non tantum nullus antiquorum id dixisse re-
peritur, sed & testatur Gelasius, *s* ne Metropolim quidem,
sed parochiam tantum fuisse Heraclientis Ecclesiæ: & Aga-
petu *t* Papæ testificatione palam factum est ipsis Constan-
tinopoli agentibus Episcopis, non ab Andrea, sed à Petro
datum esse primum Episcopum Byzantinis.

[Quod Heraclienti subiecta olim esset Ecclesia Byzantina, in-
de accidisse ait Balsamon ad Conc. II. c. 3 quod Seuerus Imp. Byzantium (captum videlicet à se post longam obsidionem, vt supr. an. 197. I.) Heracleæ æque ciuitati Thraciæ subiecisset. Cum vero postea Constantinus Byzantium in Constantinopolim euexisset, factum paulatim est, vt contra Heracleensis Ecclesia subiecta sit Constantinopolitanæ, hoc tamen priuilegio, vt eius Episcopus consecraret Constantinopolitanum, (vt infra an. 936. I.) quemadmodum Ostiensis Romanum.]

a *Bas. ep. ad Amph. c. 1.*

b *Conc. Arel. II. can. 16.*

c *Theod. hær. fab. l. 2.*
d *Conc. Nic. can. 19.*

XIII.
e *Hier. ep. III.*

f *Conc. Laod. c. 35. 58. 59. 20. Nic. 2. 18. 19. 4. 14.*

g *Conc. Laod. can. 1.*

h *Conc. Neocæs. c. 3.*

XIV.
DECRETA SYNODI LAODIC.
i *Conc. Laod. can. 2.*
k *Ibid. c. 34. 51*
l *c. 48.*
m *c. 49. 50.*

n *c. 35.*
o *Sup. an. 60. num. VI. & segq.*

XV.
BYZANTINI EPISCOPI.
p *Ced. in comp.*
q *Zonar. Annal. tom. 3. in Const.*
r *Nic. l. 8. c. 6. & aliter Nic. in Chron.*
OLIM SVBIECTI HERACLEENSIBVS
s *Gela. ep. ad Episc. Dard.*
t *Agap. ep. ad Petr. quæ ext. in Quinct. Syn. Act. 2.*

IESV CHRISTI AN. 315.

SILVESTRI AN. 2.

CONSTANTINI IMP. AN. 10.

I.

ANno Christi trecentesimo decimoquinto, Constantino & Licinio Augg. quartum Coss. idem Constantinus auspicatus Imperii sui annum decimum, Decennalia celebrauit, nõ quidem ritu Gentilium, sed vt Christianum decebat, pro sacrificiis animalium, Deo pũras gratiarum actiones, precesque solemniter fundens, vt Eusebius *a* tradit. In his autem solemniis consueuerat fieri Votorum nũcupatio pro salute Principum tertia die *b* post Calendas Ianuarias, quando singulis annis vna libra auri in septuaginta duobus solidis *c* obrizis ipso anni principio offerri solebat. Sed hæc temporibus Christianorum Impp. Nam olim (vt obseruauit Alexander *d*) collectam stipem ex voto nũcupato pro salute Principis, iaciebant in Lacum Curtium. Quamuis quod in eiusmodi votorum nuncupationibus (vt docet Tertullianus *e*) soleret voueri Ioui bos cornibus auro decoratus, ne eiusmodi impietatis vota pro sua salute nuncuparentur, vide i possit Constantinus in dictam auri pensitationem ex mutari voluisse.

Isdem vero ipsius Decennalibus, ab eodem Imperatore creatos esse Cæsares duos ipsius filios, CRISPVM & CONSTANTINVM, Nazarius testatur oratione Panegyrica quam habuit in Quinquennalibus eorumdem Cæsarum, dum affirmat Constantinum peruenisse iam in annum Imperii decimum quintum, cum iidem auspicarentur annum quintum. Ex quibus erroris imprimis arguitur Eusebii Chronicon, in quo id legitur accidisse anno octauo Constantini: nam & ipse *f* in Vita eiusdem tradit, hoc eodem anno eius Imperii decimo, Constantinum filium Cæsarem à patre nuncupatum esse, præteriens eo loco Crispum, ne parentis in eum facinus recoleretur aliquando. Corrigendus ex his etiam Aurelius Victor, *g* qui tempore conuentus Mediolanensis inter Constantinum & Licinium, ambos Constantini filios, necnon LICINIANVM eiusdẽ Licinii filium, (quẽ plerique alii *Licinium Iuniorem* nominant) creatos fuisse Cæsares tradit. Etenim cum ille ex Constantia sorore Constantini, quæ tunc nuptui tradita fuit Licinio, natus sit, quomodo nondum in vtero conceptus potuit Cæsar creari? Denique & emendandus Zosimus, *h* dum hos creatos ait post certamen Cibalense, quo Licinius superatus est à Constantino. Porro de iisdem tribus simul creatis Cæsaribus, est quoque mentio in Eusebii Chronico: & de Crispo additur, litteris eruditum esse à Lactantio, viro omnium suo tempore eloquentissimo, sed adeo in hac vita paupere, vt plerumque etiam necessariis indiguerit: de quo, ac scriptis eius, alia occasione dictum est *i* superius.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. idem Constantinus Imperator dignam plane Christiano Principe edidit sanctionem, *k* qua in Italia parentum inopiæ, (cum illi filios, quos alere non possent, occiderent) tum ex fiscali, tum ex priuata Imperatoris pecunia subueniri voluit: reliquis vero prouinciis sic alia lege, *l* prouidit, vt parentibus egentibus ita demum concederetur distractio liberorum, vt tamen redimi semper vel ab iis qui vendidissent, vel à quacumque alia persona possent, siue reddito pretio, siue alio mancipio oblato. Denique ea quæ Italis placuit impertiri, *m* postea quoque ad alios prouinciales egentes prorogauit, quibus pariter ex fisco & horreis publicis subueniri voluit, antequam aliquid indigni pati aut facere cogerentur. Ex

quibus

a *Eus. I. de Vit Const. 41.*
VOTORVM SOLEMNIS NVNCVPATIO.
b *l. Sicalumnietur. §. post Cal. D. de verb. sig.*
c *De obl. vot. C. Th. l. 7. in fi. & C. Iust. l. 12. tit. 48.*
d *Alex. Gen. dier. l. 3. c. 22.*
e *Tert. de cor. mil. c. 12.*

II.
CRISPVS ET CONSTANT. CÆSS.

f *lib. l. 4. c. 40*

g *Vict. in Const.*

LICINIANVS CÆS.

h *Zos. l. 2.*

i *Sup. an. 302. VIII. X*

III.
CONST. MVNIFICENTIA IN PAVPERES.
Cæterum ipsas leges Constantini, nõ omnes hoc anno Baronius posuit, sed diuersis, quas nos in vnum collegimus, quod vnius fere argumenti videbantur.
k *l. 1. C. Th. de alim.*
l *2. C. de pat. qui fil. distrax.*
m *1. 2. C. Th. de alim.*

quib. plane perspicias patentes Zosimi calumnias in Constantinum: dum ait *a* fuisse adeo in exactione tributorum tenacem, vt passus sit ob eorum solutionem, parentes filios distraxisse, atque filias prostituisse: quem è contrario prouidisse constat *b*, vt exactiones absque concussione fierent, & ne debitores experiri cogerentur carcerem, vel pœnas aliquas corporales, quibus antea affligebantur, ac licet fisci debitores essent, nonnisi in eorum bona ageretur: quemq; antiquæ inscriptiones *c* docent tributa aliquando vbiq; remisisse. Ettametsi non aliud, certe Legis Papiæ (vt videbimus) ex ea parte detruncatio, ex qua ingentem pecuniarũ vim conflare potuisset, magnum eius largitatis, & à populorum vexatione continentiæ, fuit documentum. Quibus optime suffragantur quæ ab Eusebio *d* traduntur, de quarta parte tributorum ab eodem Imperatore agrorum possessoribus in perpetuum relaxata, deque adæquationibus tributorum grauiorum, aliisque eiusdem beneficentiis; per quas nec condemnatus tristior è iudicio decedebat, quam qui causam obtinuerat. Sicut & aliquando *e* prouidisse reperitur, ne prouinciales à Præsidibus, cæterisque Magistratibus comprimerentur variis pecuniarum indebitis exactionibus. Idemq; Eusebius alibi *f* eiusdem prædicat erga pauperes quoscunq; munificentiam ac profusam liberalitatem; de qua etiam erit nonnunquam agendi inferius occasio.

Quod vero rursum ad calumniam Zosimi de filiarum prostitutione spectat, tantum abest id Constantinum passum esse, vt contra hactenus extet lex *g* eius, qua etiam ancillas Christianas tradi lenonibus vetuit, easdemq; redimi voluit. Desideratur vero illud piissimo Principe dignum edictum, cuius meminere Hieronymus *h* & Sozomenus *i*, quo cœnosas illas sordidissimarum libidinum cloacas obstruxit, cum in fornicibus spectaculorum inter scorta starent pueri publicæ libidini expositi. Sicut & periit æque laudata alia eiusdem lex, qua (vt testis est Lampridius *k*) vetuit Eunuchos, Principum pestes, gerere Præfecturas & magistratus.

Sed & pœnis reorum humánissime prouidens, iisdem huius anni Coss. *l* illam aboleuit, qua miserorum hominũ, in ludum vel in metallum pro criminibus damnatorum, vultus inscriberentur; iussa damnationis causa in manibus vel suris inscribi, ne (vt ait) facies, quæ ad similitudinem pulchritudinis cælestis est figurata, macularetur. Sed hanc ignominiam restituit postea Theophilus Imperator Iconoclasta aduersus Catholicos, vt dicetur suo loco. Eademque solitos interdum Christianos Confessores in persecutionibus affici, docet Pontius diaconus in Vita Sancti Cypriani. Erat porro apud Romanos supplicium tam seruorum *m* seu mancipiorum, (vnde & *n* *Stigmatici*, vel etiam *Litterati*, aut *Inusti* dicebantur) quam etiam seruorum *o* pœnæ. Thracibus *p* autem (vt varia est hominum consuetudo) notæ in facie apponebantur in signum nobilitatis: indeq; in prouerbium adductæ *Thracia notæ*. Et pariter Dacos ac Sarmatas consueuisse frontes notis inscribere, auctor est Plinius *q*. Denique fuerunt & Syri stigmatici; non tamen in vultu, sed in vola *r* manus, vel in ceruice. Ac Britonum insignia, fuisse Stigmata, Tertullianus *s* tradit.

Hocitem anno idem Constantinus Iudęorum procaciã edicto *t* cohibuit: qui cum eos, qui à sua ipsorum secta ad religionem Christianam transirent, saxis aliisque furoris generibus persequi non desisterent; eosdem talia posthac præsumentes, cum omnibus suis participibus concremari præcepit: & siqui Christiani ad illorum sectam transirent, iisdem pœnis subiici voluit. Sed & eosdem Iudæos aliquando rebellantes, (quo autem anno id acciderit, haud exploratum habetur; rei vero gestæ testis est Chrysost. *u*:) idem Constantin. amputatis articulis, signoq; rebellionis corpori impresso, ceu fugitiua mancipia, per omnia loca circumferri iussit, quo cæteri erudirentur Christianorum iugum tolerare. Postea vero quiete agentes, eadem qua reliquos sibi subditos benignitate prosecutum esse, data pro illis ab eo rescripta *x* declarant.

Cæterum ex iis quæ hoc anno aduersus eos statuta diximus, coniectura aliqua comprobari videtur illa pars Actorum Siluestri Romani Pontificis, qua iisdem huius anni Coss. narratur habita Romæ coram Constantino Imperatore & Helena eius matre celebris Disputatio inter Iudæorum præcipuos sacerdotes, qui eandem Helenam ad Iudaismum inuitarant, & ipsum Siluestrum Papam, aliosque Episcopos; delectis arbitris Cratone philosopho, atq; Zenophilo V. C. qua iisdẽ Iudæis deuictis ac penitus confutatis, Constantinus ea quæ sunt recensita aduersus eos hoc eodem anno statuerit. Porrò cum de eadem disputatione agant pariter Græci scriptores Metaphrastes *a*, Zonaras *b*, Glycas *c*, Nicephorus *d*, atque Cedrenus *e*, vt eam paucis absoluamus, sicut haud abnuimus eam vere accidisse, ita omnino asserimus non in omnibus vera esse quæ de illa hodie scripta leguntur; corruptis magna ex parte iisdem Siluestri Actis. Quæ vero legitima in illis erant, sicut ante Gelasium *f* tantum eis antiquitas detulit, vt cum Romæ, tum in multis aliis Ecclesiis legerentur; ita post Gelasium, tempore etiam Hadriani *g* Papæ & Caroli Magni Imperatoris, absq; dubitatione eadem pro vera certisque sunt habita.

Tale namque est, quod ibidem additur de *Dracone* in specu morante, & lethali halitu homines enecante, quem Siluester obsignatis signo Crucis æreis quibus specus claudebatur ianuis, perpetuo ergastulo manciparit. Siquidem hac quoque ex parte Acta ipsa aliquibus superadditis deprauata putamus; quamuis res ipsa complures habeat Latinos & Græcos assertores. Ex quibus inter Latinos antiquissimus, & eruditione clarissimus, Venantius Fortunatus Episcopus Pictauiensis, qui vixit longe ante mille annos, in Rebus gestis *h* S. Marcelli Parisiorum Episcopi, dum agit de immani serpente ab eo superato, eundem Siluestro Romano comparat, quod sicut iste draconem sigillauit, ita Marcellus iactauit. Inter Græcos autem, præter Cedrenum, & recentiores alios, Metaphrastes *i* eiusdem rei assertor est, & ante baptismum Constantini accidisse tradit, (licet alii in posteriora tempora referant) draconemque latuisse sub Capitolio.

Sed quod omnes afferant eiusmodi serpentem apud Romanos sacrosanctum fuisse, in memoriam reuocant ex Epidauro olim in Vrbem legatione publica allatum ad pestem euertendam serpentem Æsculapium, quem Plin. *k* testatur, licet tot intercurrentibus sæculis, suo tempore fuisse superstitem, vulgoque in domibus pastum esse, ac nisi incendiis semina exusta fuissent, non fuisse fœcunditati eorum resistere. Sane quidem eius colubri quem Romani colerent, cellam fuisse ad extinctionem superstitionis obsignatam à Siluestro, perfacile est creditu, cum posthac nulla penitus eius extet memoria: nisi quod Gentiles Deo suo carere nolentes, quem fame extinctum nossent, (nam de eodem agens Festus *l*, ait nonnisi canis vberibus nutriri solitum) ex ligno aliaue materia alium fabricarunt, gladium ore gestantem, oculis rutilantibus gemmis metuendum ac terribilem; eidemq; pariter in specu collocato, deuotas vigines floribus exornatas eo modo in sacrificium offerebant, quatenus inicię munera deferentes, gradum scalæ quo frans tegebatur, contingentes, impetus venientis gladii perimeret, quod sic manuit vsq; ad Honorium Imperatorem, cum iterum per sanctum monachum impostura detecta, ipsoque confracto serpente, cauere penitus superstitionis alumni auito suo Deo. Rem gestã S. Prosper *m*, quæ accidit Romæ suo tempore, narrat. Vt plane liceat intueri, draconem illum viuentem à Siluestro extinctum, cuius imagini tanquam viuenti eiusmodi virginum deuotione ministraretur. Nam & eandem Siluestri victoriã magis confirmat, quod eius imagines in ecclesiis pingi solitæ erãt cum dracone ad pedes eius vincto. Cæterum in aliis quoque prouinciis, immanes interdum colubros fuisse conspectos, eosdemq; à sanctis viris necatos, abunde testantur antiquæ Sanctorum historię: siquidem id de SS. Alfacio apud Nicomediã, & Donato in Epiro, tradit Sozomenus *n*; de S. Hilarione, Hieronymus; de Sancto Theodoro, Metaphrastes, de S. Marcello, Fortunatus; de S. Crescentino martyre Vibinate, eius Acta; & alii auctores, de aliis. Narratq; insuper Bibliothecarius de Leone Quarto Papa, quod dirum serpentem Romæ, in caverna apparentem,

---

a *Zos. lib. 2.*

b *l. 2. 3. 4. C. Th. de exact.*

c *Ap. Ald. post schol. in comment. Cæs. & Baro. Annal. Tom. 3. an. 312 n. 86.*

d *Euseb. 4. de Vit. 2. & seqq.*

e *l. 2. C. Th. de off. Rect. prou.*

f *Euseb. 1. de Vit. 36.*

IV. LEGES PRO PVDICITIA.

g *l. 1. C. Th. de lenon.*

h *Hier. 2. in Isa. 2.*

i *Soz. l. 1. c. 8.*

k *Lamprid. in Alex.*

V. *l. 2. C. Th. de pœn.*

CONTRA INSCRIPTIONES IN VULTV.

Quæ vero hic de Notis habẽtur, excerpta sunt ex Not. Baro. in Mart. rol. Rom. 22. Decemb.

m *Plin. l. 18. c. 3 Var. l. 2. de re rust. Val. Max. l. 6. c. 8.*

n *Ap. Dion. hist. l. 67.*

o *Suet. in Cæs. c. 27. Senec. 3 de ira 3. & 4 de benef. 337. 338. & alii*

p *Vid. Cæl. Rhodig. 7. antiq. lect. 31.*

q *Plin. l. 22. c. 1.*

r *Lucian. in Dea Syria.*

s *Tertul. de virg. vel.*

VI. IVDÆI COHIBITI.

t *l. 1. C. Th. de Iuda.*

u *Chrys. adu. Iudæos hom. 2.*

x *l. 2. 3. 4. 5. c. Th. de Iuda.*

VII. DISPVT. IVDÆORVM CVM EPISCOPIS.

a *Metaphr. 3. Ianuar.*

b *Zonar. Annal. part. 3.*

c *Glycas An.*

d *Nic. l. 7. c. 36*

e *Cedren. in Cop.*

DE ACTIS SILVESTRI PAPÆ.

f *Gelas. in Cõc. Rom. decr. de libr. auth.*

g *Hadr. ep. 3. ad Carol. M.*

VIII. DE DRACONE A SILVESTRO PP. INCLVSO.

Quam historiam tractat Baro. an. 324. n. 97. & seq.

h *Ap. Surr. 2. Nou.*

i *Metaph. in Silues.*

IX. SERPENS ROMÆ CVLTVS.

k *Plin. l. 29. c. 4.*

l *Fest. verb. Injul. Æscul.*

DRACO EFFIGIVS.

m *Prosp. de prad. part. 3.*

DRACONES A SANCTIS VIRIS OCCISI

n *Soz. l. 4. c. 15 & l. 7. c. 25.*

& ipso halitu homines enecantem, publicis indictis precibus, ad locum procedens, penitus effugarit, vt amplius non fuerit visus. Sed de his modo, occasione Actorum Syluestri satis.

X. ARIANA HÆRESIS INNOTESCIT.

His quoque temporibus ARIVS, qui hactenus à tempore Petri martyris Episcopi Alexandrini, velut Proteus sub diuersis latuerat formis, modo Catholicis, modo inhærens schismaticis; impius omnino detectus est. Propalatum quidem à Meletio, & ad Alexandrum Episcopum delatum, Epiphanius *a* est auctor: Socrates *b* vero & Sozomenus *c*, occasione cuiusdam disputationis coram Alexandro habitæ, virus suum euomuisse tradunt. At Theodoretus *d* eius lapsum refert in inuidiam, qua aduersus Alexandrum incensus est, cum eum vidit ad Episcopatum euectum. Porro ad hunc ipsum annum, quo Crispus & Constantinus creati sunt Cæsares, hæresis Arianæ manifestationem Orosius *e* referre videtur: eandemque antequam Licinius Imp. Christianos sequenti anno persequi aggrederetur, iam diffamatam fuisse, ex Lactantio satis intelligitur; dum his temporibus magistrum agens eiusdem Crispi Cæsaris, in libris *f* diuinarum Institutionum, quos (vt apparet ex præfatione) eadem grassante Persecutione scripsit ad Constantinum, expeditionem aduersus eundem Licinium parantem inter alios hæreticos quos enumerat, etiam *Arianos* nominat: licet aliqui, contra omnium plane exemplarium antiquitus scriptorum auctoritatem, eam vocem è textu Lactantii expunxerint. Denique Arianam hæresim innotuisse ante exortam Licinii Persecutionem, eo quoque redditur argumento perspicuum, quod cum S. Basileus Episcopus Amasenus, ipso eiusdem persecutionis initio Nicomediæ detineretur in carcere, paulo post martyrium subiturus; dissidia iam ibidem Nicomediæ de Arii opinione oborta esse, deque iis interrogatum Basileum rectam fidem egregie perdocuisse; idem ipse qui eum tunc ea de re consuluit, Ioannes presbyter Nicomediensis in Actis *g* eius martyrii à se conscriptis testatur.

a *Epip. hær.* 68
b *Socr. l.*1. *c.*3.
c *Soz. l.*1. *c.*14.
d *Theo. l.*1. *c.*2
e *Oros. l.*7. *c.*8.
f *Lact li.*4. *c. vlt.*
LACTANTII LOCVS RESTITVTVS.
g *Ap. Metaph. & Sur.* 26. *April.*

At quoniam de Ario possunt diuersa tempora considerari, inde quoque euenit vt de eius temporibus variæ sint sententiæ. Primum enim tempus perpendendum est, cum ab Alexandro Episcopo de eo iudicium factum est: quando detectum, ac sæpe monitum pugnaciter hæresim defendentem, exuit presbyteratus ordine, & vna cum septem presbyteris, duodecim diaconis, & septingentis virginibus professis quas ipse seduxerat, (vt quidem habetur apud Epiphanium *h*; licet ipse Alexander suis literis testetur, se tantum vndecim tam presbyteros quam diaconos ab Ecclesia eiecisse:) collecto aduersus eos CONCILIO *i* centum fermè Episcoporum Ægypti & Lybiæ, à Catholica communione eiecit: quæ omnia hoc tempore ante persecutionem Licinianam gesta fuisse videntur. Aliud verò tempus Arianæ hæresis tunc accidit, quando eius patrocinium suscipiente Eusebio Nicomediensi Episcopo, eadem toti plane innotuit Orbi, ac de rebus eo vsque gestis Alexander omnes Catholicæ religionis Antistites certiores reddidit: quod contigisse post victum Licinium, reddita Ecclesiæ pace, suo loco dicturi sumus. Nam quod Arium, postquam excommunicatus est, multo tempore Alexandriæ versatum Epiphanius affirmet; opinamur illum vsque ad id temporis ibi permansisse. Testatur vero Sozomenus *k*, ab hoc tempore quo Arius de doctrina differens, insolitam introduxit; in Ecclesia Alexandrina consuetudinem inoleuisse, vt nullus presbyter, sed tantum Episcopus populum doceret.

h *Epip. hær.* 69
i *Ap. Socr. l.*1. *c.*5.
k *Soz. l.*7. *c.*19

XI. DE ORTV ARIANÆ HÆRESIS, DIVERSA TEMPORA CONSIDERANDA.

His quoque fere temporibus quibus Arius prodiit, COLLVTHVS æque presbyter Alexandrinus, & vni ex ecclesiis eiusdem ciuitatis præpositus, se, cum non esset, Episcopum gerens, cœpit ordinare presbyteros, & docere hæresim: nempe (vt Philastrius *l* & Augustinus *m* tradunt) Deum non esse malorum creatorem. Agit quoque de eo Epiphanius *n*: eiusdemque ambitionem taxauit Alexander *o* Episcopus Alexandrinus. Porro licet ipse paucis annis grauisus sit hæresis suæ coalescentia, quod paulo post (vt videbitur) damnatus fuerit atque depositus; tamen qui ab eo sunt nominati *Colluthiani* hæretici, Arianis se atq; Meletianis aduersus Catholicos coniunxerunt: quod Athanasius *a* sæpe deplorat, aliique Orthodoxi.

XII. COLLVTHI TEMERITAS.
l *Philastr. de hær. c.*8.
m *August. de hær. c.*65.
n *Epip. hær.* 69
o *Ap. Theod. l.*1. *c.*4.
COLLVTHIANI HÆRET.

IESV CHRISTI AN. 316.

SILVESTRI AN. 3.

CONSTANTINI IMP. AN. 11.

ANNO Christi trecentesimo decimo sexto, Sabino atque Ruffino Coss. qui & tertius numeratur à Consulatu tertio Constantini atque Licinii, (vt Zosimus *b* est auctor) *Diocletianus* olim Imperator est mortuus in villa sua Spalato haud procul à Salonis: quem sane diuina dispensatione ad hæc tempora Christianis felicissima reseruatum constat, vt quorum extirpationē fuerat meditatus, eosdem imperare videret. Porro diuturna & aspera corporis ægrotatione pedetentim contabescentem occubuisse, Eusebius *c* tradit, & post eum Zonaras *d*: Cedrenus *e* autem eundem plane describit eius morbum, ac morbi causam, exitumque, quem superius vidimus Eusebium tribuisse Maximino: addens tamen, Diocletianum insuper ex faucibus multitudinem vermium ipsa cum lingua quæ computruerat, eiecisse. Quæ quidem omnia ipse pati meruit, qui olim (vt vidimus) adorari se iusserat vt Deum, & gemmatos calceos atq; vestes, non contentus purpura, se ipsum induerat. Miserandum autem eius exitum ne mireris prætermissum ab Ethnicis scriptoribus, vtpote ignominiosum illis. Inter quos iam diximus Aurelium Victorem scripsisse, quod cum recusasset interesse nuptiis Licinii & Constantiæ, rescriptis minacibus acceptis, suspectans necem dedecorosam, venenum hauserit. Addit vero Eutropius, contigisse ei quod nulli post natos homines, vt cum priuatus obiisset, inter diuos referretur. Sed qui hunc ei impium honorem stulto conatu reddidit Licinius, mercedem mox & ipse recepit, Imperii ac vitæ amissionem.

I. DIOCLETIANI IMP. OBITVS.
b *Zos. li.*2.
c *Euse.* 8. *hist. vlt.*
d *Zonar. part.* 2. *in Diocle.*
e *Cedr. in Comp.*

[Arguitur Baronius à nonnullis, quod obitum Diocletiani in hunc annum distulerit, quem volunt triennio ante contigisse. Nisus est autem Baronius auctoritate Zosimi: ex qua pariter Pontacus in Notis ad Eusebii Chronicon, collegit Diocletianum decessisse tribus annis post Consulatum tertium Constantini & Licinii, & duodecim post Imperium depositum, Cedrenum etiam producens eiusdem sententiæ sectatorem. Quippe cum apud Zosimum (vt recte obseruauit Gordonus in sua Chronologia anno Christi 311.) vox ὕστερον patiat difficultatem, debeatne referri ad tertium Consulatum Constantini, an vero ad nonum Diocletiani, cuius vtriusque proxime meminerat; maluerunt isti referre ad tertium Constantini. Nec forte obstabit Aurelius Victor, quem in contrarium proferunt alii. Licet enim diserte is scribat, vixisse Diocletianum annis 68. & ex iis communi habitu prope nouem exegisse: cum tamen idem eodem ipso loco dicat eundem Diocletianum imperasse annis viginti quinque, (vt etiam notaui supra annum 308. I.) æque ex hac Victoris sententia (quicquid sit de re ipsa) haud absone Diocletianus mortuus ponetur hoc anno Christi 316. nec ita absolute dicendes erit Baronius errasse, aut sibi contradixisse.

Quod vero pertinet ad tempus eiusdem Licinii defectionis ab amicitia Constantini; extat ipsius Constantini rescriptum *g* de Veteranis, datum post annum sequentem Licinio quintum & Crispo Coss. quarto Idus Aprilis, in quo habetur mentio de obtenta ab eo victoria in Thracia anno illum præcedente quinto Nonas Iulii, qui est sequens post præsentem annum Gallicano & Basso Coss. Sed cum antequam dimicaretur in Thracia, constet auctore Zosimo, & aliis, pugnatum fuisse apud Cibalem Pannoniæ oppidum hac ratione dici posse videtur, discordias hoc anno inter vtrumque esse conflatas. Earum vero causa à Zosimo *h* in Constantinum infenso, necnon à Victore *i* & ipso Ethnico, eiusmodi redditur, quod Constantinus pacta inter eos stabilita parum integra fide seruasset, ac nationes quasdam ad Imperium Licinii pertinentes auertere voluisset. Sed illam priorem atque veteriorem intercessisse, quod Licinius de Christiana religione protegenda pactis non stetisset

II. DISCORDIÆ INTER CONSTAN. ET LICINIVM.
g *L. C. Th. de veter.*
h *Zos. l.*2.
i *Vict. in Constant.*

conuen-

conuentis, immo & ipsi Constantino insidias strux isset; pluribus ostendunt qui hæc omnia præsentes spectarunt, Eusebius *a* in Vita ipsius Constantini & Ioannes Nicomediensis presbyter in Actis *b S. Basilei*, siue Basilii, Amaseni in Ponto Episcopi, (quem Sanctus Athanasius *c* inter celeberrimos huius sæculi, sanctissimosque Antistites commendat:) qui ipso LICINIANÆ PERSECVTIONIS initio Nicomediæ, vbi Licinius degebat, martyrium sibi ante à Domino reuelatum, fortiter passus est, ob nominis Christi confessionem, & seruatam à turpitudine eiusdem Licinii *Glaphyram* virginem, vnam ex iis quæ Constantiæ Augustæ ministrabant. Ipsum enim Licinium adeo salacem fuisse idem Ioannes presbyter testatur, vt violenter Senatorias mulieres abripiens, in conspectu hominum intemperatum facinus committeret, non matribus neq; filiabus parcens, quo minus cum illis coiret.

a *Euſ. l. de Vit. 42.*
b *Ap. Metaph. & Sur. 26. April.*
c *Athan. or. 1. cont. Arian.*

III. LICINIVS PERSEQVITVR CHRISTIANOS.

Porro quamuis apud Eusebium in Chronico, anno sequenti, nempe Constantini duodecimo, martyrium Basilei ponatur; tamen quod idem auctor testetur, Constantinum literis Constantiæ sororis permotum, cum de nece sanctissimi Episcopi, deque aliis per Licinium patratis scelcribus certior redditus esset, aduersus eum expeditionem parasse; necem Basilei hoc potius anno accidisse affirmari posse videtur, quo in Licinium Constantinus copias in sequentem annum comparauit. Hoc autem anno Constantini vndecimo, ponitur ibidem expulsio omnium Christianorum è Palatio Licinii: quorum etiam crudeles pœnas, quibus ab eodem affecti sunt, alibi idem Eusebius iterum *d* memorat. Habet & de Conuentibus Episcoporum ab eodem Licinio prohibitis, & ne viri simul cum mulieribus in ecclesiis interessent, neve Episcopi mulieribus sacra Dei eloquia explicarent; sed mulieres ipsę alias mulieres à quibus eruditentur sibi deligerent: deniq; ne conuentus Christianorum intra ciuitates, sed extra mœnia fierent, quod (vt argute sibi dicere videbatur) aer qui extra portas est, permultum ei præstaret qui esset intra ciuitates & templa. Tradit insuper Socrates *e*, prohibuisse Episcopis ne cum Gentilibus in colloquium aliquando venirent, eo videlicet consilio, vt Christiana religio inter eos minime propagaretur.

d *Euſeb. l. de Vit. 45. & 10. hiſt. 8.*
e *Socr. l. 1. c. 2.*

IV.

Sicut autem legum iniquarum iniustissimus promulgator extitit, ita pariter se veritissimum se earundem custodem exhibuit. Nam & *Paulum* Episcopum Neocęsareę Euphratensis, quod minime destitisset munus suum explere in institutione feminarum, vinciri iussit, ludibriique causa eius genitalia igne comburi, & articulorum manuum neruos succendi: sicut testantur Gregor. *f* presbyter, ac Theodor. *g*. Et Heracleæ *Ammonem* diaconum, cum quadraginta quas instituebat, *Virginibus* Hadrianopolitanis in Macedonia, post alia crudelia tormenta, partem igne, partem gladio necauit: quædam cruciarentur, sacerdos idolorum arreptus à dæmone, suspensus in aera: & in terram collisus; misere periit. De his vero Virginibus plane hallucinatus est Nicephorus, dum quas omnes attestantur virgines, ipse tradit vxores fuisse illorum *Quadraginta* celeberrimorum tam Orientali, quam Occidentali Ecclesia *Militum* Cappadocum; qui eadem persecutione Sebastæ in Armenia Minori, sub Præfecto Agricolao, post dira alia tormenta, noctu in stagnum gelu constrictum nudi iniecti, frigore rigentes nobilissimam martyrii coronam adipisci digni fuerunt. Quando & illud duplex miraculum accidit, vt cum eos in illo agone constitutos obseruans custos balnei calidi iuxta positi, (res enim sic fuerat excogitata, talem inuenire certaminis locum; in quo paratum haberent refugium:) vidisset Angelos è cælo descendentes, coronas singulis vno excepto distribuere; idem tanto prodigio obstupefactus, cum is qui incoronatus remanserat; desertor factus ad aquã calidam aufugisset, (in qua tamen statim vt eam attigit, corpore quod glacie torpebat dissoluto interiit:) in eius locum succedens, coronam desertori denegatam suscepit, & simul cum aliis eodem mortis genere martyrium consummauit. Sed vnius illorum mater, cernens alios iam frigore extinctos plaustris perduci ad ignem paratum cremãdis eorum corporibus, suum vero filium ob validiores vires adhuc viuentem remanere: eadem virile robur assumens, eum propriis humeris sustulit vt sociis aggregaret. & cum ad collum matris animam efflasset, eidem igni comburendum tradidit. Recenset insignem hanc historiam Basilius oratione in laudem tantorum Martyrum habita; quæ fusius describitur in antiquis eorundem Actis *a*. Porro sacri illorum cineres in alueum iniecti, sed diuina virtute seruati, perq; totum ferme Orbem distributi, solenni cultu honorari meruerunt: vt tum ex eodem Basilio patet, tum ex Gregorio Nysseno, Ephrem Syro, Gaudentio Brixiano, qui & ipsi egregias in eorundem Martyrum laudem habuerunt orationes.

f *Greg. presb. or. de Patrib. Nic. Conc.* g *Theo. l. 1. c. 7.*

QVADRAGINTA MARTYRES.

a *Ap. Metaph. & Sur. 9. Mart.*

Licet autem iræ Licinii in Christianos conceptæ aliquandiu (vt tradit Euseb. *b*) ob Constantini metum ab eo primum fuerint studiose compressæ; ac postea patefactæ, lento gradu progredi visæ sint: tamen quod ex impie cœptis addantur vires ad grauiora facinora perpetranda, mox acerbius Christianos exagitans, quos omnes studere Constantino persuasum haberet, maxime Episcopos & alios Ecclesiarum ministros, variis per prouinciarum Præsides mortis generibus affecit, ac nonnullorum corpora in multas particulas minutatim dissecta, in profundos maris gurgites piscibus voranda proiecit: milites sacrificare recusantes, balteum deponere iussit: omnisque generis & conditionis Christianos, exiliis, bonorum publicationibus, carceribus, aliisq; supplicis crudeliter afflixit: & ecclesias à Christianis vbique ædificatas iterum diruit. Describit enim hæc omnia Eusebius *c*. Sicut & complures alios militia nobiles, ignominiæ causa ad opus publicum, vel ad textrinam, aliaq; opera gynæcea damnatos esse, testatur ipsemet Constantinus Imperator in edicto *d* quod post expugnatum Licinium pro Christianis edidit. Deniq; quod hostis humani generis (vt tradit Gregorius *e* Nyssenus) Licinio suasisset, de hostibus nequaquã victoria potiturum, nisi quos sciret colere Christum, occideret: magis ac magis furore in eos excandescens, per sæuissimos Præsides, quamplurimos alios in diuersis Orientis prouinciis sustulit: quorum multorum nomina relata inueniuntur in Tabulas Ecclesiasticas, nonnullorum etiam Acta supersunt, cum infinitorum prope memoria perierit.

b *Euſeb. l. 1. de Vit. Conſt. l.* SÆVITIA PERSECVT. LICIN.
c *lb. l. 1. c. 45. 47. 49. & l. 2. c. 2. & hiſt. l. 10. c. 8.*
d *Id. 2. de Vit. 25.*
e *Nyſ. orat. 2. in 40. mart.*

Sed quod ea clades nihil prorsus partes Orbis Occidentalis in quo Constantinus imperaret, pertigerit; Sulpitio *f* Seuero haud digna est visa, quæ inter Persecutiones adnumerari deberet: nempe quod numerum mysticum Decem Persecutionum, quas numerat instar Decem Plagarum Ægypti, voluit integre custoditum: prætermittiq; illam Licinii, quod esset vndecima numeranda. Sed quod ait eam adeo leuionis fuisse negotii, quam vt ad Ecclesiarum vulnera peruenirent: plane dissimulauit, aut ignorauit necem tot martyrum Orientalium. Quare haud eiusmodi supputatio decem Persecutionum, S. Augustino *g* placuit, dum à tempore nascentis Christi Ecclesiæ multo plures recenset. Denique acerbam satis fuisse hanc Licinianam, ingens etiam Lapsorum numerus arguit, de quibus in Magno Concilio Nicæno *h* statuendi fuere canones. Cum & alioqui acciderit, vt cum ea breuis admodum fuerit, nonnulli martyres, qui post nouissimam atque longissimam illam Diocletiani passi habentur, sub eadem necati ponantur. Sic enim *Blasius* Sebastenæ in Armenia ciuitatis Episcopus, licet alicubi sub Diocletiano martyrio coronatus asseratur; tamen quod & Sebaste, & sub eodẽ Præside Agricolao, qui quadraginta illos Milites morti addixit, & post diuturnas latebras passus dicatur, merito ad Licinii tempora referendus videtur. Qui quidem, vt habent Ecclesiasticæ *i* tabulæ, post diutinã cæsionem, atq; in ligno suspensionem, vbi ferreis pectinibus carnes eius diruptæ sunt: post teterrimum carcerem, & in lacum demersionem, vnde saluus exiit iubente eodem Agricolao, vna cum duobus pueris capite truncatus est: & ante eum septem mulieres, quæ guttas sanguinis eius, dum torqueretur, colligebant, post dira tormenta gladio percussæ sunt.

f *Seuer. hiſt. l. 2.* QVALIS EA FVERIT.
g *Aug. 18. de ciuit. 52.*
h *Conc. Nic. can. 11. 12.*

5. BLASII MARTYRIVM.

i *Martyrol. Rom. 3. Febr.*

Hoc item anno, iisdemq; Sabino ac Ruffino Coss. (vt Augustinus *k* scribit) quarto Idus Nouembris, Constantinus Imperator ad Eumalium Vicarium Africæ scripsit de purgatione Cæciliani Episcopi Carthaginiensis: cum post

VII.

k *Augu. poſt Collat. c. 33.*

interpo-

interpositam à Donatistis appellationem à sententia Conuentus Arelatensis ante biennium celebrati, qua idem Cæcilianus absolutus est, aliud (vt apparet) intercessisset iudicium, in quo itidem probatus fuisset innocens. Hoc vero, de quo modo agimus, postremum iudicium, idem Augustinus *a* testatur prolatum esse Mediolani ab ipso Constantino Imperatore, importunis & sæpius repetitis Donatistarum appellationibus coacto eos audire; (à sanctis tamen Antistitibus, inquit Augustinus, postea veniam petituro, quod de illa causa post Episcopos iudicaret) quo omne iisdem subterfugium prorsus ademptum foret, cum se ab ipsomet Imperatore, ad quem toties prouocassent, damnatos cernerent. Quapropter eundem Constantinum summa diligentia atque cautela, vocatis & præsentibus ipso Cæciliano & aduersariis Donatistis, atque inuicem disceptantibus, causam cognouisse, & Cæcilianum innocentissimum, Donatistas vero improbissimos iudicasse, idem Augustinus docet. An autem nouas posthac aduersus Cæcilianum calumnias excogitarint, haud quicquam certi affirmari potest.

a Ad ep. 68. & 162. CONST. CVR APPELLANTES ITERVM DONAT. AVDIERIT.

— VIII. —

Illud quidem constat, eosdem in African. reuersos basilicam inuasisse, quam in Constantina ciuitate Numidiæ idem Imperator erigendam curauerat: qua priuati Catholici, Christiana patientia ab excitandis turbis abstinuerunt; atque humiliter ad Imperatorem recurrentes, alium ab eo impetrarunt locum, sumptusq; fiscales, ad nouam erigendã ecclesiam; vt constat ex ipsius tunc ad eos redditis *b* literis. Sed & fuisse animi sui consilium in Africam proficisci, & Donatistarum furorem compescere, idem Imperator datis aliis literis ad Celsum Vicarium Africæ significauit. Quod vero iisdem de falso à Donatistis præsumpto martyrio inculcat, inducit vt opinemur, eos contemptis quæ aduersus ipsos Imperator decreuisset, iactasse paratos se esse subire martyrium: quemadmodum quos Proconsularis postea sub Constante eiusdem Constantini filio iuste necauit gladius, iidem illos coluere vt martyres. Quamobrem hæc etiam causa interceßisse videtur, quo minus in eos vt in cæteros delinquentes Constantinus animaduerteret; videlicet ne quos occidi mandasset, ab illis martyres haberentur. Nam & illud visus est declarasse, quando ab ipsis calumniam passus, quod gratia corruptus iniquissimam aduersus eos tulisset sententiam; iussis aliquibus ad supplicium duci, abstineri tamen ab eorum nece præcepit, ac tantum exilio damnauit, basilicisque priuauit, eas fisco vendicans: vt hæc omnia variis locis Augustinus *c* testatur. Quæ vero postea secuta sunt, dicentur suis locis.

b Edidit Pet. Pithœ.

CVR IN EOS NON ANIMADVERTERIT.

c Aug. con. ep. Parm. l. 1. c. 6. & 8. & cont. ep. Pet. l. 2. c. 92. & ep. 68.

— IX. —

Iisdem quoque Coss. Constantinus *de Manumissionibus in ecclesia* coram Episcopis, spectante plebe, celebrandis rescripsit *d*: hoc amplius paulo post Episcopis, quam cæteris Magistratibus concedens, vt ab illis sic manumissi non tantum libertate, sed ciuitate quoque Romana, perinde ac si essent adscripti tabulis Romani census, iure amplissimo donarentur. Qua de re tres ab eo latas esse leges, Sozomenus *e* testatur. Eiusmodi vero manumissionum exemplum recitat S. Augustinus *f*.

MANVMITTERE CONCESSVM EPISCOPIS.

d l. 1. & 2. C. de his qui in eccl. manum. e Sozom. lib. 1. c. 9. f Aug. ser. de diuers. 50.

IESV CHRISTI AN. 317.

SYLVESTRI AN. 6.

CONSTANTINI IMP. AN. 12.

ANNO Christi trecentesimo decimo septimo, Gallicano & Basso Coss. Constantinus Imperator aduersus Licinium bello agens, eum duobus ingentibus præliis superauit, primo Cibale in Pannonia, mox in Thracia cum fugientem insecutus esset. Hæc autem cum omnes alii tam Christiani quam Ethnici scriptores testentur, Zosimus *g* rem gestam fusius prosecutus est, licet infensus Constantino, secundo prælio æquo Marte pugnatum esse tradat, ne eius humanitatem erga Licinium exhibitam prædicare cogatur. Porro Licinium in Thracia penitus superatum esse, testatus est etiam ipse Constantinus in edicto *a*, quod anno sequenti Licinio quintum & Crispo Coss. de indulgentia tunc temporis veteranis concessa promulgauit: quo etiam constat, victoriam Thracicam (quam Imperator *primam* vocat, respectu aliarum, quas postea in eadem prouincia aduersus eundem Licinium consecutus est) obtentam esse hoc ipso præsente anno quinto Nonas Iulii. Ex quibus plane erroris arguuntur, qui anno decimo quarto Constantini ac decimo quinto Licinianam Persecutionem ponunt, & decimo nono bellum eidem illatum; vt Cedrenus perperam supputauit: aut denique, quicunque ad aliud tempus Bellum Licinianum retulerunt.

a l. 1. C. Th. de Vet.

I. VICTORIÆ CONSTANTINI DE LICINIO.

g Zos. lib. 2.

— II. —

Quinam autem fuerit vtriusque Imperatoris apparatus, Eusebius *b* imprimis narrans, docet Constantinum precibus sibi opus esse intelligentem, multos secum Episcopos duxisse; & certæ in Deum fiduciæ insigne, præuium semper habuisse vexillum Crucis, eiusque virtute hostes deuicisse: Sed & illud mirandum accidisse, vt qui vexillum erectum portabat, nunquam ab hostibus læsi valuerit, & infinita aduersus eum ab hostibus tela immissa in exiguo hastilis ambitu fixa hæserint: deniq; cum viri quinquaginta fortitudine & pietate eximii ad vexillum illud salutare, singuli ordine, circumferendum destinati essent, nullum eorum vnquam aliquid damni incommodive accepisse, nisi qui præ metu illud deseruissent: Antea vero aliud prodigium de futura Constantini victoria in cunctis ferme ciuitatibus Licinio subiectis apparuisse; nempe varias turmas Constantini, per medias vrbes tanquam victrices transeuntes. Econtra vero Licinium, Constantini apparatum, eiusque in Christo fiduciam irridentem, variis sacrificiis litasse; & vatum Ægyptiorum, augurumque, atque aliorum præstigiatorum, falsa idolorum oracula effutientium pollicitationibus, de victoria redditum securum, ad prælium processisse, Hæc omnia Eusebius. Cæterum post victoriam Thracicam, pacem inter eos conciliatam esse constat; mulctato Licinio amissione prouinciarum Illyrici, Græciæ, & aliarum omnium quotquot vlterius essent porrectæ, relicta ei Thracia & Oriente: quod cum Zosimus, tum alii omnes testantur.

b Eus. 2. de Vit Const. 3. &c.

VTRIVSQVE IMP. APPARATVS.

Hoc eodem anno, cum Metrophanes Episcopus Byzantii sedisset annos tres, senio valde confectus substituendum sibi *Alexandrum* curauit: quod hoc anno contigisse, ex Socrate *c* & Sozomeno apparet, dum habent Alexandrum annos viginti tres sedisse, qui defunctus est anno Christi trecentesimo quadragesimo. Ex his autem eluditur, tum qui volunt Metrophanem Ecclesiæ præfuisse annos decem, tum quæ feruntur incerto auctore ex quadam oratione de Nicæno Concilio, eum post finitam Synodum coram Patribus egisse de subrogatione Alexandri. Hunc enim iam ante *d* Concilium sedere cœpisse, multa demonstrabunt.

— III. —

ALEXANDER EPISC. BYZANT.

c Soc. l. 2. c. 4. Sozom. li. 3. c. 3. d [Gelasius tamen Cyzicenus, qui historiam Concilii Nicolim edidit, testatur lib. 2. c. 5. Metrophanem non quidem Synodo interfuisse, obingrauescentem ætatem, sed Legatos ad eam misisse presbyteros quosdam, atque inter eos illum ipsum Alexandrum qui ei postea in Episcopa tu successit.]

IESV CHRISTI AN. 318.

SILVESTRI AN. 5.

CONSTANTINI AN. 13.

ANNO Christi trecentesimo decimo octauo, Licinio Augusto quintum & Crispo Cæsare Coss. idem Licinius rupto fœdere anno superiori stabilito, aduersus Constantinum iterum in Thracia bellum parauit; quod secundum in ea prouincia gestum est. Culpa datur ab historicis Licinio, qui sæpius fortunam tentauit, ac postea infidus, tandem & naualibus & terrestribus præliis victus, deditionem Nicomediæ fecit; vt Lætus *e*, Eutropius *f*, & alii tradunt: habetque plura Eusebius *g* de Licinii animi obstinatione, etiam post renouatum iterum fœdus. Porro hæc omnia huius anni exordio perfecta fuisse, Constantini

I. LICINII IN CONSTANTIA.

e Let. in Lic. f Eut. lib. 10. g Eus. 2. de Vit. 12. &c.

resci-

rescriptum [a] de indulgentia Veteranorum, cuius anno superiore facta est mentio, planissime demonstrat; dum huius anni Coss. quarto Idus Aprilis illud scribens, meminit de iisdem à se dimissis apud Nicomediam postquam ea iam potitus esset. Quamobrem cum multa post primum certamen in Thracia anno superiori quinto Nonas Iulii initum, facta reperiantur, quæ tam paucorum mensium spatio claudi posse nequaquam videantur; ex eis aliqua anno præterito facta iure putantur. Licinianum autem bellum non excessisse biennium, immo annum & menses octo tantum perduravisse, Cedrenus [b] affirmat.

[a] l. 1 C. Th. de Veter.

[b] Cedr. in Annal.

II. LICINIVS VBIQVE VICTVS.

Quonam autem modo, eodem ferme tempore, Licinius terra marique ingentibus præliis victus sit, ac primo Byzantii, post inde Nicomediæ obsessus, tandem se Constantino dedens, ab eo Thessalonicam relegatus fuerit, fuse narrat Zosimus [c]: sed quod addit, non modo post eidem Licinio Constantinum, violata iurisiurandi religione, laqueo vitam ademisse: ab aliis auctoribus redarguitur, qui & plures numero & digniores fide, sic Licinium tradunt contra iusiurandum ei præstitum vt priuatam vitam agere sineretur, necari iussum, quod res nouas, vt sæpe fecerat, solicitans barbaros moliretur: quamuis Ioannes [d] presbyter Nicomediensis, qui hoc ipso tempore ibidem Nicomediæ agebat, tradat illum relegatum in Galliam, ibi iisdem vlceribus, quibus Maximinus extinctus fuerat, vexatum, ex hac vita misere auulsum esse, grauiter ingemiscentem, & Deum verum à se reprobatum fuisse confitentem. Quoro vero Imperii Constantini anno (vtcunque acciderit) mortem obierit, nullibi certa est mentio: nisi apud Eusebii Chronicon, in quo longe post Bellum Cibalense occisus ponitur anno decimo octauo Constantini: à Victore [e] vero & Socrate [f], haud multo postquam vltimo victus est, cum esset prope sexagenarius. Fuit (inquit idem Victor) auaritiæ cupidine omnium pessimus, necalienus à luxu venereo, asper admodum, haud mediocriter impatiens, infestus literis, quas per inscitiam immodicam virus ac pestem publicã nominabat, præcipue forẽsem industriam: agrariis plane ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus altusq; erat satis vtilis, ac militiæ custos ad veterum instituta seueriss. mus, spadonum & aulicorum omnium vehemens domitor, tineas soricesq; Palatii eos appellans. Fuisse porro vita turpissimum, ac nullum stupri libidinisq; genus omisisse, abunde testantur idem Eusebius [g] & Ioannes [h] Nicomediensis. Eundemq; Iulianus [i] Imperator tradit, ob multa ac turpia scelera, à Deorum & bonorum Principum consortio exclusum esse. Cæterum vna cum ipso extinctum quoque fuisse *Martinianum*, quem idem ex Officiorum magistro Cæsarem creauerat, Victor & Eutropius habent.

[c] Zos. lib. 1.

[d] In Act. S. Basil. Amas. ap. Sur. 26. April.

[e] Vict. in Constant.

[f] Socr. l. 1. c. 2.

[g] Eus. 10. hist. 8. & 1. de Vit. 48.

[h] Ioan. Nicom. in Act. S. Basil. vbi supra.

[i] Iul. Aug. de Cæsar.

QVANDO CONTIGERIT.

[Quod pertinet ad tempus obitus Licinii; cum Aur. Victor in Cæsar. notare videatur, ab interitu Maxentii vsque ad Bellum Cibalense, annos tres; indeque ad ineptam pacem, ex: si anno septimo Constantini extinctus est Maxentius, & ineunte decimo gestum bellum Cibalense, reliqua; decimo septimo inchoatum sit Thracicum. Quod cum decem & octo mensibus confectum fuisse Cedrenus scribat, videtur posse asseri, profligatum fuisse Licinium anno Constantini decimo octauo, & decimo nono vel vigesimo occisum, vt etiam obseruauit Goltzius in sua Chronologia ad annum Christi 313. Quare & quæ in Eusebii mss. codicibus, diuersis annis collocari, testatur Pontacus in Notis ad illum apposita.]

III. VISIONES OSTENSÆ CONSTANTINO.

Deniq; tam in hoc bello, quam etiam in Maxentiano, prælianti Constantino ostentas esse visiones, armari Equitis signum Crucis pro vexillo ante aciem ferentis, & Adolescentum phalangas hostium cædentium, Igniſque noctu exercitum vallantis, Zonaras [k] scribit: quibus alias addit Nicephorus [l] de Scriptura stellarum ordine atque distinctione conformata, qua iuberetur spem in Deo ponere: rursumque de alia Cruce stellis pariter formata, ac simili ei quam in Maxentiana expeditione vidisset. Quæ licet à recentioribus auctoribus referantur: scimus tamen Eusebium in oratione habita de Constantini laudibus, constanter affirmare diuinas ei visiones non semel, sed sæpenumero illuxisse. Vnde non mirum, si adeo signum Crucis horreret simul & timeret Licinius, vt (quod ait Eusebius [m]) cum intelligeret quanta esset in Cruce vis, (qua roboratus Constantini exercitus in bello superiori esse consueuerat,) ipse suos milites hortaretur, ne ei ex aduerso irent, sed cauerent ne vel fortuito, vel per imprudentiam oculos in illam conicerent: quippe eam & virtute valere plurimum, & sibi aduersariam, infaustamque esse. Qualem vero erga hostes se ostenderet Constantinus, intelligitur ex eo quod idem Eusebius [a] scribit, ipsum diligentem adhibere solitum cautionem, ne inter dimicandum fieret multorum cædes: cumque adeptus esset victoriam, hortari suos consueuisse, vt captiuorum misererentur: & si quando eorum animos ferociores cerneret, muneribus eos continere, sed & iis qui aliquem ex hostibus viuum cepissent, certam pecuniæ summã proponere solitum fuisse; adeo vt infiniti ex ipsis etiam barbaris incolumes euaserint, Imperatore vitam ipsorum auro redimente.

[k] Zonar. Annal. tom. 3.

[l] Nic. l. 7. c. 47.

[m] Euseb. 2. de Vit. 16.

[a] Ibid. c. 3.

Testatur porro idem auctor [b], in hoc Liciniano bello Crispi Cæsaris, filii Constantini, virtutem enituisse, quem ad debellandum tyrannum pater secum duxerat. Idemque huc vsque suam producens historiam, eundem Crispum cum gloria voluit sepeliisse, prædicans pietate patri non imparem: nec in aliis suis de Constantini Vita scriptionibus quicquam amplius de eo, ne ipsius nece patris gloriam obscuraret, cui tantum visus est hisce suis lucubrationibus studuisse. In quibus (quod ad hæc tempora spectat) diffuse narrat [c], quomodo extincto Licinio, sub vno Christiano Imperatore Constantino, omnes Romani Imperii populi coeuntes, tranquillissimo rerum statu potiti sint: quibusq; legibus & edictis idem Imperator exulem Religionem Christianam restituerit, & Orientalem Ecclesiam dira persecutione prostratã erexerit: Fideles exules & profugos reuocauerit; detentos in carcerib. aut metallis, aliisq; operibus seu publicis seu priuatis addictos, relaxauerit: seruos factos in libertatem reduxerit: cunctis deniq; suas dignitates, bonaque adempta, siue à priuatis, siue à fisco possessa essent, restituerit: defunctorum Martyrum facultates cognatis, vel si ii deessent, Ecclesiis addixerit: omnium denique necessitatibus prouiderit.

IV. VIRTVS CRISPI CÆS.

[b] Euf. 10. hist.

[c] Id. 2. de Vit. Const. 19. vsque 42.

IN MONARCHIA CONSTANTINI PAX SVMMA.

Sunt quæ plane illa tempora optatissima atque felicissima, cum Episcopi suis singuli Ecclesiis restituti, egregiam nauarunt operam vt idolorum cultum prorsus abolerent, & fidem Christianam quam latissime propagarent. Sed & illos qui iis locis præfecti erant, vbi Christianorum maior esset numerus, in delubra Deorum iniecisse manus, & idola demolitos esse; vnius S. NICOLAI Myræ in Lycia Episcopi fama celebertimi & miraculis clarissimi exemplo, de reliquis opinari conceditur: quem habent eius Acta, post edictum Constantini, & ipsum è vinculis quibus religionis causa detinebatur in carcere, suæ Ecclesiæ restitutum, omnem illam circuisse regionem, & aras quamplurimas, nonnullaq; templa prostrauisse, ac dæmonia inde eiecisse. Porro [d] peregrinationem ipsius Hierosolymam ad inuisenda loca sancta, ac postea mirificam eius, Dei iussu factam, in Episcopum Myrensem electionem: (quæ ante Licinianam Persecutionem contigerunt) itemque admiranda vitæ cunabula, auctosq; cum ætate sanctissimos mores, egregia edita miracula, cæteraſque res præclare gestas: eadem eius Acta [e], cum à Græcis, tum à Latinis scripta, atque omnib. peruulgata continent: vt non sit opus singula recensere, sed pro temporum ratione pauca duntaxat attingere, quæ ad Annales Ecclesiasticos magis spectare noscuntur. Studium autem Christianorum in comminuendis idolis, ad statuas quoque Imperatorum persecutorum excidendas progressum esse, testatur Greg. [f] Nazianzenus de Maximini simulacris.

V. S. NICOLAVS DEMOLITVR IDOLA.

[d] Hac de Nicolao habet Bar. an. 316. nu. 36. sed absque certa temporis nota.

[e] Ap. Metaph. & Surium. Dec. [f] Greg. Naz. orat. 1. in Iul.

Nec vero pace vbique reddita, tantummodo ciuitates exultæ Christianis legibus redditæ sunt pulchriores, sed & deserta loca Monachorum coloniis mirifice illustrata. Inter quos hoc eodem tempore, qui postea fama celeberrimus in Thebaide claruit *Pachomius* Abbas, cum militasset tyro in castris Licinii, eo deuicto, dimissis tyronibus, Christianæ militiæ nomen dedit, & sub Abbate insignis nominis *Palemone* profiteri cæpit vitam anachoreticã: cuius extant [g] Acta clarissima, & omni ex parte sincerissima: in quibus, sicut in Vita Sancti Antonii, præclara fit mentio quamplurimorum aliorum celebrium virorum,

VI. DE PACHOMIO ABBATE

[g] Ap. Metaph. & Sur. 14. Mai.

eandem

eandem hoc tempore eremum illustrantium; de quibus alias.

[Militasse Pachomium in castris Maxentii, non Licinii, ex codd. ms. aliisq; rationibus & auctoritatibus, contendit Rosweidus in Notis ad Vitam eiusdem Sanct. vbi & quædam alia habet, ex quibus lux afferatur Baronio]

VII. ARIVS TVRBAT PACEM ECCLESIÆ.

Cum autem iam ex victoria Constantini, editisq; ab eo pro pietate legibus, fulgentissimus illuxisset Orienti pacis radius; hostis humani generis, quod sibi ex animo accidisse senserat in Occidente, cum per eundem Constantinum collocata Ecclesia in summa gloria atque splendore, eam per Donatistas schismate labefactare conatus est; idem plane intens in Oriente consilium, igne impietatis Arianæ omnes propemodum Ecclesias inflammauit. Quippe exutus (vt dictum est) Arius ab Alexandro Episcopo Alexandrino munere presbyteratus, idemq; vna cum sociis in Alexandrino centum Episcoporum Concilio excommunicatus; cum nihilominus toto tempore Persecutionis Licinianæ permansisset Alexandriæ, tandem reddita Ecclesiæ pace, ab eodem Alexandro inde eiectus, profectus est in Palæstinam, & ab illius prouinciæ Episcopis impetrauit publicos vna cum suis conuentus agere; monitus tamen studere pacem inire cum Alexandro, eiq; se subiicere. Hæc plurib. Sozom. *a*.

a Soz. l.1.c.14. in fin.

VIII. EVSEBIVS ET ALII ARII FAVTORES.

Sed his minime acquiescens Arius, homo ingenio vafer, & callidus actionibus, potentissimo vsus administro Eusebio Episcopo Nicomediensi, (qui insano ambitionis furore percitus, fuerat non ita pridem, fauore, vt creditur, Constantiæ vxoris Licinii, ab Ecclesia Berytensi translatus Nicomediam) quo maiori fretus est potentia, eo grauiores excitauit tumultus. Siquidem ad eum scribens *b*, post querelas de sua ab Alexandrina pulsione, blasphemias suas in Dei filium euomens, quem principium habuisse, nec ex Patris substantia natum esse docebat, eundem Eusebium ad sui protectionem hortatur: gloriatus secum sentire Eusebium Cæsariensem Palæstinæ, Theodotum Laodicenum, Paulinum Tyrium, Athanasium Anazarbensem, Gregorium Berytensem, Aetium Lyddensem, & omnes denique Orientales Antistites, præter Philogonium Antiochenum, Macarium Hierosolymitanum, & Hellanicum Tripolitanum; quos ideo impudentissimus hæresiarcha appellare hæreticos non dubitauit, atq; etiam calumniis onerare quasi Filium ingenitum prædicarent. Porro hanc epistolam cum accepisset Eusebius, impigre negotium curans, quem videbat Paulinum Tyrium, licet cum Ario sentientem, haud tamē audere quod sentiret scriptis prodere; eundem literis *c*, exemplo Eusebii Cæsariensis, ad propugnationem impii dogmatis cohortatus est, ipse quoq; impietatis suæ virus euomens. Id autem præstitisse Paulinum opinamur: sicut fecisse constat alios superius nominatos, Eusebium Cæsariensem & Athanasium Anazarbensem, atque etiam Georgium Laodicenum; id testante S. Athanasio *d*: Extantque eiusdem Eusebii Cæsariensis ad Alexandrum eade re scriptarum fragmenta literarum, in Actis Concilii *e* Nicæni Secundi: sicut & auctor est Socrates *f*, ipsum quoque Eusebium Nicomediensem pariter ad Alexandrum pro Ario scripsisse. Quinimo & ipse Arius, ac qui cum eo erant clerici Alexandrini, alias *g* dederunt ad eundem Alexandrum; quibus turpiter mentiti sunt, se prædicare doctrinam, quam à maioribus accepissent, & ab ipsomet Alexandro publice docente audissent.

b Ext. eius litera ap. Epiph. hær. 69. & Theodo. l.1.c.5

c Ap. Theod. ibid.

d Athan. de Syn. Arian. Conc. Nic. ii. AA. 6. Socr. l.1.c.5.

e Ext. ap. Epiph. hær. 69

f Socr. l.1.c.5.

IX. ALEXANDRI EPISC. ALEXAND. LABORES PRO TVENDA. *Epiph. ibid. Socr. li.1.c.5. Theo. l.1.c.4* ARII IMPIA DOGMATA.

Quod autem omnes eiusmodi epistolæ sic ad Alexandrum essent scriptæ, vt tamen earum exemplaria cunctis palam innotescerent; fuit ei pariter opus contrarias reddere literas Circulares: cuiusmodi ab eo conscriptas fuisse numero septuaginta, Epiphanius *h* tradit; sed ex iis binæ tantummodo supersunt, quarum alteras recitat Socrates *i*, Theodoretus *k* alteras longe prolixiores. Quib. quidem Alexander Arii dogmata manifestans, simul & egregie confutans, ait eum docuisse, Deum non semper Patrem fuisse, sed tempus aliquando extitisse cum non esset Pater: non ab æterno Verbum Dei fuisse, sed ex nihilo ortum esse: nam Deum qui est, eum cum non erat, ex eo quod non est procreasse, & propterea tempus fuisse aliquando cum non esset. Creatum enim & factum esse Filium; eundemque neque essentia Patri similem, neque natura verum Patris Verbum, neque veram eius Sapientiam esse, sed per abusionem Verbum & Sapientiam dici: Ipsum factum esse proprio Dei Verbo & Sapientia quæ in Deo est, per quam eum cætera omnia, tum illum fecit Deus, & ob eam causam posse natura sua conuerti & mutari, sicut animantia omnia ratione vtentia, immo & quemadmodum diabolus mutatus est: Verbum esse peregrinum, alienum & seiunctum à Sapientia Dei: Patrem à Filio minime explicari posse, nec perfecte cognosci in sua essentia: quippe Filium nostra causa factum esse, vt Deus per ipsum tanquam per instrumentum nos crearet; neque extitisse aliquando, nisi Deus nos creare in animum induxisset. Hæc de Arii blasphemiis Alexander in epistola quæ est apud Socratem: cuius labores pro tuenda Filii Dei aduersus Arianos diuinitate, egregie laudauit Athanasius *a*. Ex iis vero quæ ex eadem epistola recitata sunt, plane constat Arium sensisse aliud esse Dei Verbum, aliud Dei Filium; quem vellet non esse Verbum, sed qui esset factus per Verbum, ipseque nonnisi abusiue esset Verbum, quod ipsum Arianis obiiciens Athanasius *b*, æque demonstrauit eos plura Verba constituisse. Quinetiam eosdem asseruisse, Christum corpus sine anima assumpsisse, & pro anima Deitatem habuisse, ita vt affectiones quoquē ei assignarent, expressum habetur in Secunda Nicæna *c* Synodo auctoritate Gregorii Nazianzeni:

a Athan. ora. 1. cont. Arian.

b Id. in decr. Nic. Syn. cont. hær. Arian.

c Concil. Nic. II. Act. 6.

Cæterum cum post scriptam priorem illam epistolam, idem Alexander à quamplurimis diuersarum Orientis prouinciarum Episcopis aduersus Arium scripta suscepisset; iidemque contra Arianos conscripto ab Alexandro fidei libello subscripsissent: optans ipse hæc eadem præstari à reliquis, tunc Circularem illam prolixiorem emisit, quam Theodoret. recitat, eiq; & exemplaria literarum ab iisdem Orientalib. Episcopis aduersus Arium scriptarum subiunxit: quæ quidem licet (vt præsefert titulus) ad Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum data dicatur; ex eius tamen lectione apparet ad plures scripram esse, vtpote Encyclicam. Quem vero citat Apostolicum canonem, aduersus Episcopos qui excommunicatos à se in Ecclesiam reciperent; plane cognoscitur esse trigesimus tertius ordine, quo præcipitur, ne clerici à suo Episcopo excommunicati, ab alio Episcopo recipiantur, quem etiam nouit, & confirmauit Magnum Concilium Nicænum *d*: repetituſque habetur in Antiocheno *e*.

X. ALIÆ ALEX. LITERÆ ADVERSVS ARIVM.

d Cōc. Nic. c.5

e Conc. Antioch. c.6.

Cum vero de his omnibus Alexander imprimis scripsisset ad primariæ Sedis Antistitem Siluestrum Romanum Pontificem; (vt constat ex epistola *f* Liberii Papæ ad Constantium Imperatorem:) intendens ille ad componendas eiusmodi turbas animum, quod eius præcipue muneris esset obortas hæreses damnare, & dissentientes Episcopos conciliare; haberetq; insuper exemplum Dionysii prædecessoris sui, qui eiusdem Alexandrinę Ecclesiæ turbas, tempore alterius Dionysii Alexandrini Episcopi, summa diligentia sedauerat: ipse, inquā, Siluester his monitus, OSIVM Cordubensem in Hispania clarissimum confessione & eruditione Episcopū, Legatū in Orientem misit, & primo Cōstantinum conuenire iussit, literas ab eo accepturum; siue eidem iam apud Constantinum Imperatorem in Bithynia degenti (vt potius Euseb. *g* & Socrates *h* significare videntur) id muneris delegauit, vt excitatum per Arium incendium extingueret. Id enim vt affirmemus factum esse per Siluestrum, omnino cogit quod idem Osius reperiatur in ea causa Concilium generale Alexandriæ celebrasse, & postea Nicæno & Sardicensi Oecumenicis præfuisse, quod non nisi auctoritate Sedis Apostolicæ vllatenus præstare valuisset. Neque enim est, quod dici possit missus à Constantino Legatus in Ægyptum; quandoquidem in literis tunc per eum ab eodem Imperatore scriptis, quas Eusebius *h* recitat, nulla prorsus de ipso Osio, aut aliquo alio misso à se legato, mentio habeatur: quod imprimis necesse fuerat expressisse. Sed par est credere, eundem à Siluestro delegatum, ab ipso quoque Constantino literas *i* accepisse, quo facilius munus sibi iniunctum exequeretur.

f Ext. in Bibl. S. SILVESTRI PP. STVDIVM PRO COMPONENDIS REBVS ECCL.

g Euseb. v. de Vit. 62.

h Socr. l.1.c.4 OSII LEGATIO.

i Eus. v. de Vit. 63.

k Socr. l.1.c.4

Porro

XII. CONSTANT. STVDET ECCLESIÆ PACI

Porro eiusmodi Constantini literæ tunc ad Alexandrum & Arium (vt præfert titulus) de mutua inter eos reconciliatione missæ, ita conscriptę sunt, vt alterum de duobus euenisse oporteat; vel Eusebium Arianum hominem parum fideliter eas retulisse; vel earundem scribendarum argumentum ipsi Constantino tunc Nicomediæ agenti suppeditatum fuisse ab altero Eusebio eiusdem ciuitatis Episcopo, omnium Arianorum facile principe, à quo complura fuerint coagmentata mendacia: vt cum imprimis potiori discordiarum culpa reiicitur in Alexandrum, & ipsa de qua ageretur controuersia leuicula & inanis dicitur, & tam Alexander quam Arius vnam eandemq; de fide sententiam tenere perhibentur. Quæ vero posthæc gesta sunt, dicentur annis sequentibus.

IESV CHRISTI AN. 319.

SILVESTRI AN. 6.

CONSTANTINI AN. 14.

I. SARMATÆ COMPRESSI A CONSTANTINO.

ANno Christi trecentesimo decimo nono, Constantino Aug. quintum & Licinio Iuniore Cæs. Coss. idé Constantinus Sauromatas, siue Sarmatas, ad Mæotidem paludem habitantes, qui Istro traiecto Romanam ditionem aggressi fuerant, debellauit. Extat *a* enim antiquus nummus, significans id accidisse hocipso quinto Consulatu eiusdem Imperatoris: quod Sozomenus *b* gestum ponit mox post bellum Licinianum, Zosimus *c* vero post debellatum in Thracia Licinium, & sancitum cum eo fœdus. Meminit & Eusebius, sed in fine Vitæ *d* Constantini, dum barbaros ab eò domitos simul recenset. Cæterum non semel, sed sæpius Sarmatas à Constantino esse superatos, habet Porphyrius in Panegyrico eidem Constantino oblato. Quod vero ait Eusebius, Sauromatas à Scythis inuasos, coactos esse seruos suos armare, & ab iisdem propriis seruis postea expulsos ad Constantinum se recipere: ea post hæc tempora gesta oportuit, quæ S. Hieronymus in Chronico refert anno vigesimo octauo eiusdem Imperatoris. Sauromatis autem Sozomenus Gothos adiungit, & ipsos à Constantino deuictos; quos Eusebius Scythas appellasse videtur. Sed quod hoc bellum Scythicum alio tempore gestum esse constet, agetur de eo inferius *e* suo loco. Addit denique Sozomenus, Constantino in his bellis vel maxime per signa ac somnia declaratum esse, quam sedulo Deus sua prouidentia ei prospexisset.

II. CONSTAN. SCRIBIT CONTRA ARIVM.

Quod autem pertinet ad res Ecclesiasticas, cum anno superiori Constantinus ad Alexandrum & Arium, literas, quas diximus, de mutua ipsorum reconciliatione scripsisset: quid deinde Alexander ad Constantinum rescripserit, haud constat: rescripsisse tamen, auctor est Epiphanius *f*. Cum vero Arius literas parum officiosas, & tam sublimi Imperatoria maiestate minus dignas reddidisset: iis acceptis Imperator, zelo incensus, publicas contra eum atque eius opinionis fautores dedit: tales plane quales decebat accipere insanum hæresiarcham, nempe inuectiuis & reprehensionibus, salibus quoque ac iocis, denique monitionibus ad resipiscendum ab erroribus, refertas; quas & passim (vt ait Socrates *g*) diuulgandas curauit, & ex eis pauca quædam Epiphanius *h* recitat: Eusebius autem parum liberalis historici numeros implens, earum nec meminit quidem, quod contra Arianos suos scriptæ essent; cum alioqui quæ aduersus Alexandrum & Catholicos facere viderentur, integras retulerit. Extant nihilominus ipsæ hactenus integræ conseruatæ *i*: ex quarum fine apparet, easdem Constantinum suo ipsius chirographo consignatas misisse ad Alexandrinos, ac publice recitari iussisse, quo illis testatum redderet animum suum in Arium.

III.

Interea vero Osius Cordubensis Episcopus, ad sedandas (vt vidimus) Orientalis Ecclesiæ rixas delegatus, in Ægyptum cum literis Constantini profectus, Generale Alexandriæ CONCILIVM celebrauit: sic namque illud Athanasius nominat, quod omnes Episcopi illarum prouinciarum quæ parebant Antistiti Alexandrino, fuerint ad Synodum conuocati. Quæ vero in eo gesta sint, cum excident ipsius Acta, perpauca tantum quædam supersunt: veluti quod Athanasius scribit; Colluthum presbyterum Alexandrinum (de quo superius) pro Episcopo se falso gerentem, fuisse à Patribus in ordinem redactum: Itemque quod tradit Socrates *b*, peruersum dogma Sabellii, etsi iam olim damnatum, quod tamen in illis regionib. plurimum inualuisset, esse prorsus explosum: & quod ille trium personarum distinctionem non reciperet in Trinitate; sed in vnam eas omnes essentiam indistincte confunderet: factum in eadem Synodo, vt in sanctissima Trinitate, sicut vna esse prædicaretur οὐσία, ita tres dicerentur ὑποστάσεις: vnde postea maior obortа est controuersia, de qua suis locis agendum pluribus.

Ex his igitur quæ reperiuntur aduersus Colluthum & Sabellianos gesta, facile possumus intelligere cætera quæ sunt de eodem Concilio oblitione sepulta, de rebus gestis aduersus Arianos atque Meletianos, quorum causa potissimum Osius missus videbatur. Sed & satis significatum videtur, eundem Osium in his functum esse Legatione Apostolicæ Sedis: nam cum in Constantini literis anno superioti scriptis, nonnisi de componendis dissidiis inter Alexandrum & Arium mentio habeatur; vt ipse præterea de schismaticorum & hæreticorum causis in primaria totius Orientis sede cognosceret, ab alio quam à Constantio Orientis sede cognosceret, ab alio quam à Constantio ceps, Socratis, *e* Sozomeni, *f* & aliorũ qui hos secuti sunt historicorum assertione traditur, nulla tamen id nobis ratione probatur. Quid enim quod nec S. Basilius *g* cum duabus epistolis Valentis Imperatoris tempore scriptis, diligẽti scopa cunctas eiusdem Eustathii Sebasteni turpitudines in vnum congessit, nec tot Synodi, quibus Eustathius (teste eodem Basilio, & aliis) repertitur fuisse damnatus à Catholicis, aliquam prorsus habuere mentionem eius damnationis in Concilio Gangrensi, vel tot eius hæresum, quæ illic cum auctore anathemati suppositæ fuerunt, sed tantum de perfidia Ariana eum damnarunt? Quid item quod fungente eodem Eustathio Sebasteno cum collegis legatione apud Liberium Romanum Pontificem, (vt suo loco dicetur) cum professio ab eo exacta est Catholicæ fidei, nulla alia ab ipso edita est, præter illam quasi Arianam hæresim detestari significaret? Quid denique quod apud neminem anti-

O. IVS CELEBRAT CONC. ALEXAND. *a Athanas. Apol. 2.*

b Socr. l. 3. c. 5.

IV. FVNCTVS EO ORIENTE LEGATIONE SILVESTRI.

c Soz. l. 1. c. 15.

V. SYNODVS GANGRENSIS. *d* [De hoc Cœlestinus alia occasione Bar. in n. Tom. III. an. 361. sed omnino ex ipsis constat huc transferenda fuit]

VI. EVSTATHIVS HÆRESIARCHA, DIVERSVS A SEBASTENO. *e Socr. l. 2. c. 33. f Soz. l. 3. c. 13. g Basil. ep. 74. & 82.*

h Epiph. ibid. DOLVS EVSEBII CÆSAR.

i Rer. Baron. An. Tom. III. hoc an. ex Bibl. Vatic.

c An. 330. n. 10.

f Epip. hær. 69

g Socr. l. 1. c. 6.

quorum, qui hæreticorum catalogum scriptis fuerit prosecutus, idem Eustathius Sebastenus errorum Gangris recensitorum auctor esse dicatur; non apud Epiphanium aut Philastrium, Augustinum, Theodoretum, vel Damascenum? Quapropter accidisse existimamus, vt cum ipso sui ortu hæreses illæ cum auctore compressæ, ac penitus extinctæ, & ab omni memoria deletæ essent; nihilominus Socrates & Sozomenus, quod in Actis Gangrensis Synodi inuenissent illorum errorum in crimen adductum Eustathium quendam, nec alium scirent eius nominis ea ætate hæreticum, præter Sebastenum, qui hæresis Arianæ causa repetiretur sæpe damnatus; eidem omnia adscripserint.

VII. EVSTATHIVS SEBAST. FALSO CREDITVS AVCTOR MONACHOR. ARMEN.

Sed malus opinator Sozomenus *a*, errores ex errore deducens, tradit eundem Eustathium Sebastenum auctorem extitisse Vitæ Monasticæ in Armenia, Ponto, & Paphlagonia; ibidemque primum omnium regulas composuisse, quib. monachi simul victum instituendi essent. Quod quidem tantum abest vt dici possit, vt nec si ipse monachus fuerit aliquo digno teste probari possit. Siquidem S. Basilius *b* eius viri vitam à cunabulis prope retexens, cum eius institutionem Alexandreæ sub Ario magistro recenseat, rediturumque in patriam profiteatur, & quas passus est abdicationes ob Arianam hæresim antequam Episcopus esset, vel cum factus Episcopus; nullam vnquam habuit mentionem de susceptoab eo monastico instituto; nec etiam cum ad ipsum Eustathium scribens, de eiusdem recensuit prouinciarum quos nouerat monachos. Sed & quamuis talis extitisset, haud tamen vlla pro ea ratione probari poterit, fuisse in nominatis regionibus monachorum primum auctorem & institutorem; cum ante Basilium nullam in iis viguisse cœnobiticæ vitæ obseruantiam, perfacile possit intelligi ex eo quod idem Basilius de eiusmodi institutione accusatus à Neocæsariensibus *d* primatiæ Ponti ciuitatis accolis, se defendit exemplo monachorum Ægypti, Palæstinæ, & Mesopotamiæ; non autem propinquiorum prouinciarum Armeniæ, Ponti, & Paphlagoniæ: quod necessario debuisset, si iam tunc fuissent auctore Eustathio propagati.

a Soz. l.c. 13.
b Ep. 74. 82.
c l.1. ep. 78.
d Id. ep. 63.

VIII. EVSTATHIVS HÆRESIARCHA.

Verum cum quinam fuerit ille Eustathius Gangris damnatus, adhuc remaneat incertum; moueor interim coniectura, vt loco *Eustathii* reponendus sit *Eutactus*. Mentio namque est de huius nominis monacho Armeno apud Epiphanium *e*; quem ait educatum fuisse in Palæstina à quodam Petro professione anachoreta, re vera autem impostore: reuertisse autem in patriam, multos polluisse opere quorundam, quos primo corrupit, diuitum & Senatorii ordinis virorum; eiusque morientem reliquisse libros hæresibus conferros. Vt autem hunc ipsum existimemus esse, quem Eustathium dicunt, cum similitudo nominis persuadet, tum locus (nempe Armenia) vbi docuit; tum etiam quod de eius discipulis Epiphanius scribat, solitos decipere simpliciores homines habitu solitarie degentium & renunciationem quandam iactasse. Quæ quidem renunciatio ea videtur esse, qua in Epistola Synodi Gangrensis ad Armenos, Patres aiunt, eundem hæresiarcham, & discipulos eius, docuisse, nisi Christiani omnibus renunciarent diuitiis, spem nullam apud Deum salutis suæ sibi reliquam fore: sed & illud, Non tantum filios relinquere debere parentes, & hos illos, verum vxores viros suos, vt salutem consequerentur, aduersus quem errorem extant canones *f* eiusdem Synodi. Et quod pertinet ad sanctiorem illum habitum, quo ipse Epiphanius amiciri consueuisse tradit; eo respexisse videtur Synodus *g*, cum illos damnauit, qui circumspecte vestiti pallio, contemnerent alios qui breuioribus vterentur indumentis, nempe birris. Quodq; præterea sectarentur instituta *Petri* Palæstini magistri Eutactici, quem idem Epiphanius refert quotidianas erogasse eleemosynas. Inde potuit accidisse, vt iidem oblationes ad erogandas in pauperes sibi dari, etiam absq; scientia Episcopi, populo persuaderent: aduersus quos sancitum sunt in eadem Synodo canones *h*.

e Epip. hær. 40

IX. EIVS DOGMATA DAMNATA.

Docebant insuper esse damnabiles nuptias, virumque execrabilem, qui cum vxore dormiret, & culpabiles qui carnes ederent: reiiciendos quoq; presbyteros, qui aliquando habuissent vxores: ac seruos debere dominos suos, & liberos parentes, vxores maritos, cultus diuini prætextu contemnere ac derelinquere: eaque occasione feminas obtentu continentiæ posse mutare habitum, virilemque induere, & capillos amputare. Itemque propter continentiam ieiunandum esse die Dominico: reliqua vero ab Ecclesia Catholica seruari consueta Ieiunia dissoluenda: Contemptibiles esse Ecclesias, ad quas Fideles conuenirent, necnon sacros Conuentus qui in basilicis Martyrum celebrari soleront; ipsasque Sanctorum Memorias execrabiles esse. Quæ cuncta, aliaque eiusmodi nonnulla, viginti distincta capitulis, appositoq; singulis anathemate, eadem Synodus damnauit: quæ sunt etiam à Socrate *a*, Sozomeno *b*, Nicephoro *c* breuiter collecta. Cæterum quos reliquit Eutactus post se libros impietate refertos, eosdem probe cognitos Epiphanius impugnauit; prætermissis erroribus ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus, in Concilio Gangrensi damnatis; quod ii post dictum Concilium esse desierint, fuerintque cum ipsorum auctore simul extincti. Errat autem Gratianus *d*, cum existimat hæreticos Gangris damnatos fuisse Manichæos. Nam quod illi eleemosynam facerent, plane constat fuisse à Manichæorum instituto alienos; licet in multis conuenerint.

f Conc. Gangr. can. 14. 15. 16.
g Ibid. c. 12.
h can. 7 & 8.

a Soc. l.2. c.38
b Soz. l.2. c.13
c Nic. l.9. c.16

d c. illud autem. dist. 30.

Hoc eodem anno, secundum Nicephori Chronicon, Philogonius Antiochenus Episcopus, cum sedisset annos quinque, ex hac vita decessit; inq; locum eius suffectus est *Paulinus*, (qui alicubi *Paulus* dictus legitur) cuius etiam meminit Hieronymus in Chronico. Ex quibus redarguitur Theodoretus *e*, qui Eustathium Philogonio subrogatum tradit, nulla penitus de Paulino habita mentione. Porro Philogonius ob vitæ sanctimoniam relatus est inter Sanctos *f*: in cuius laudem, ipsius natali die, S. Chrysostom. *g* orationem habuisse reperitur.

X. PAVLINVS EPISCOPVS ANTIOCH.

c Theo. l.1. c.7.

f Mart. & Menol. 20. Dec.
g Chrysost. tom.3. ad fi.

Hoc item anno, iisdemq; Coss. Constantinus Imp. iterũ aduersus Aruspices, qui priuatim in alienis domibus Aruspicinam exercerent, rescripsit *h*. Itemq; pro Clericorum *i* ab omnibus munenbus immunitate; exceptis (vt postea *k* declarauit) illis qui vitandorum eiusmodi munerum causa, fraudulenter ad clericatũ confugerent. Sed illud matus, quod tradit Sozomenus *l*, eundem Imperatorem lege lata dedisse potestatem omnibus, quicunq; in iudicium vocarentur, eiectis ciuilibus Magistratibus, ad Episcoporum iudicium prouocandi; ac studuisse Episcoporum sententiã sic ratam esse, & aliorum Iudicum sententiis prævalere, ac si ab ipso Imperatore prolata esset: denique iussisse vt Magistratus Episcoporum iudicia exequerentur, & milites eorundem voluntati inseruirent. Meminit eiusdem legis Eusebius *m*: extarque *n* eadem ipsa hactenus integra, data postea Constantinopoli ad Ablauium Præfectum Prætorio: qua quidem declarauit, se adeo deferri velle sententiis Episcoporum, vt non tantum in iis quæ spectant ad Ecclesiasticas controuersias, sed etiam ciuiles disceptationes, illibatæ permaneant; adeo vt neq; Præfectus Prætorio, cuius summum ius erat atq; potestas, vel alius quilibet magistratus posset eas inualidas reddere.

XI.
h l.1. & 2. C. Th. de malef.
i l. 2. C. Th. de Episc. & cler.
k l. 3. eod.
l Soz. l.1. c.9. CONSTAN. RESCRIBIT PRO CLERICIS.
m De qua agit etiam Baron. an. 314. nu. 37. & seqq.
n Euseb. 4. de Vit. 27.
o l.2. C. Th. de Episc. iudic.

Nazar. Panegyr. 3. Const.

p l.2. C. Th. de Vener.

IESV CHRISTI AN. 320.

SILVESTRI AN. 7.

CONSTANTINI AN. 15.

ANNO Christi trecentesimo vigesimo, Constantino Aug. sextum & Constantio Cæs. ipsius filio Coss. celebrata sunt Romæ Cæsarum Quinquennalia, cum ipse Constantinus pater animum iam decimum quintum Imperii auspicatus esset, & vota pro eius Vicennalibus fierent: vt expresse testatur Nazarius *o* celebris horum temporum orator, in Panegyri quam tunc Romæ habuit, absente licet Imperatore: quem anno superioti profectum ab Oriente, præsenti in Gallias peruenisse, constat ex rescripto *p* iisdem Coss. Calendis Martii, in ipso eius in Gallias aduentu,

I. QVINQVENNALIA CÆSARVM.

in vibe

in vrbe Velouocorum dato de immunitate veteranis concessa. Sed & ipsos Cæsares vna cum eo tunc egisse, idem orator demonstrat. Attigitque insuper victoriam, hoc eodem anno à Crispo Cæs. Constantini primogenito aduersus barbaros obtentam: quos quidem fuisse Alemannos, docent antiquorum inscriptiones *a* nummorum.

a *Adolph. de numism.*

II. CONST. RESCRIBIT PRO CÆLIB.

His item Coss. idem Constantinus Imp. sanctionem *b* ad populum edidit, qua leges Iuliam & Papiam, aduersus cælibatum statutas, (quibus cælibes à successione suorum repellebantur, ingensque inde thesaurus in Ærarium inferebatur) voluit abrogatas: siquidem illæ iu e olim sanctæ leges (vt contestatus est Augustus apud Tacitum *c* & Dionem) idueisus turpem, fictum, & sterilem cælibatū, iniuste à Gentilib. conuersæ essent contra verum, sanctum, atq; fœcundum Christianorum hominum cælibatum, diuinis oraculis *d* prænotatum atq; laudatum, Domini sententia *e* comprobatum, & Apostolica fauctoritate firmiter stabilitum. Cæterum hæc Constantini lex, in Codice Theodosiano data ponitur pridie Calendas Februarii Sardicæ, Publicata vero Romæ prædictis huius anni Consulibus: quæ inde in Codicem Iustinianeum *g* detiuata, aliis habetur notata Coss. nec integra recitatur. Aguntetiam de illa Eusebius *h*, & Sozomenus *i*: isteque addit, maioribus etiam priuilegiis eos qui virginitati se consecrassent, à Constantino donatos esse; nimirum vt tam masculi quam feminæ, etiamsi adhuc impuberes essent, testamenta condere possent: cum & ob hanc causam veteres quoq; Romani lege permisissent, vt Virgines Vestales etiam ad sextum ætatis annum testamentum facerent. Certe eundem Imp. coluisse plurimum sanctas Dei Virgines, idem Euseb. asserit *k*: eosdemq; ex publico aluisse, Theodoret. *l* est auctor.

b *l.1 C.Th. de infir. pœn. cælib.*
c *Tac. lib. 5. Dio l. 56.*
d *Isa. 54. 56.*
e *Matth. 19.*
f *1. Cor. 7.*
g *l. 1 C. de inf. pœn. cælib.*
h *Euseb. 4. de Vit. 26.*
i *Soz. l. 1. c. 19.*
k *Euseb. 4. de Vit. 28.*
l *Theo. l. 1. c. 11*

III. DE ABROGATIONE LEGIS PAPIÆ.

Porro cum plura essent legis Papiæ capita, eadem à diuersis Impp. paulatim amputata sunt; primo à Tiberio *m*, postea à Claudio *n*, deinde à Seuero *o*, hoc vero tempore à Constantino, & post eum ab Honorio *p*, deniq; à Iustiniano *q*, qui nouissimus omnium ad excisam multis ramis ingentem arborem, securim admouit, Caduca cædens: licet essent alia quædam eiusdem legis Papiæ capita, ad iura patronorum spectantia, quæ adhuc postea viguere. Quod autem lex Papia eo consilio contra cælibatum statuta fuisset, quo Vrbs ob bella ciuilia ciuibus exhausta, sobolis fœcunditate in pristinum statum reduceretur; de his agens S. Ambrosius *r*, maxime falli demonstrat eos, qui ex sancto cælibatu Christianorum, putarent exhauriri hominum prole Romanum Imperium; exemplis docens, vbi paucæ virgines, ibi etiam pauciores homines: vbi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum reperiri maiorem. Præter alias vero, quæ reperiuntur ab eodem Constantino isdem Coss. latæ de variis rebus æquissimæ leges: ad coercendam quoque procacem fa inorosorum audaciam, aduersus virginum ac viduarum raptores, ac complices, seueriſſime rescripsit *s*: cuius legis seueritatem Constantinus eius filius postea temperauit: ne *sub specie atrocioris iudicii, aliqua in vlciscendo crimine dilatio nasceretur.

m *Sueton. in Claud. c. 3.*
n *Ibr. & c. 19.*
o *Tertull. Apol. c. 3.*
p *l. 1. C. de infirm. pœn.*
q *L. 1. C. de ca. duc. toll.*
r *Ambr. de virg. lib. 3.*
s *l. 1 C. Th. de rapt. virg.*
* *l. 2. eo.*

IESV CHRISTI AN. 321.

SILVESTRI AN. 8.

CONSTANTINI IMP. AN. 16.

ANno Christi trecentesimo vigesimo primo, Crispo & Constantino Iun. Cæss. secundum Coss. (vt auctor est S. Augustinus *t*) eorum pater Constantinus Donatistarum precibus fatigatus, quos ex illis ante annos quatuor in exilium condemnauerat, indulgens relaxauit; Deo relinquens puniendos, quos nulla vel pœna correxisset, vel clementia emollisset.

I. t *August. post Collat. l. 1. c. 33 & in Breuic. coll. a. di 3. c. 22 & ep. 152.* DONATISTÆ RELAXATI AB EXILIO.

Quod autem iidem scirent, nonnisi ex communicatione cum Romano Pontifice quempiam nancisci posse Catholicum nomen; vt id mentite saltem asse querentur, eo malitiæ adacti sunt, vt statuerint aliquem ex suis Romam mittere, qui ibi Episcopum ageret: eo quidem prætextu, quod nonnulli Afri suæ communionis homines in Vrbe commorantes, petiissent sibi mitti qui eos colligeret: sed reuera vt sic gloriari possent, se Romæ habere Episcopum, ac proinde nomen Catholicum promereri. Itaque his ipsis Siluestri Papæ temporibus, eo miserunt *Victorem* quendam Garbiensem, cui alii quinque vsque ad tempora Optari, qui hæc describit *a*, successiue suffecti sunt: idemque (vt ait Augustinus *b*) vel ex Africa mittebantur ordinati, vel alii Episcopi Donatistæ ad eum ordinandum Romam pergebant; cum tamen (vt docet Optatus) nonnisi Afros vnquam ordinauerint, quod nullos alios sibi adhærentes haberent. Quapropter & nullo negotio iidem Patres *c* totam eorundem machinationem vnica argumentatione dissoluerunt, nempe quod nullam haberent manantem à Petri Cathedra successionem, ex qua Ecclesia Catholica vetæ vnitatis soliditate compaginata omnibus innotesceret: nec commercio Formatarum cum Romanis Episcopis in eadem Petri Cathedra sedentibus, in vna communionis societate concordarent.

CONSTITVVNT SIBI ROMÆ EPISCOPVM.

a *Opt. lib. 2.*
b *August. de hæres. c. 69.*
c *Opt. lib. 2. Aug. ep. 163. 165. & alibi.*

Porro quod qui Romæ agerent, exclusi ab ipsa ciuitate, in quadam montium vicinorum spelunca conuenticula celebrarent: tradit idem Optatus, inde eos nomenclatum à accepisse, vt dicerentur *Montenses*: quo etiam nomine à S. Hieronymo *d*, & ab Imperatore *e* appellantur. Verum eiusmodi nuncupationis antiquiorem in Africa causam deprehendimus, in Felicissimo schismaticorum anteſignano tempore Cypriani, qui suos in monte colligeret, vt al as f dictum est. Et quod pariter ostenderimus, ex eadem factione manasse Nouatum, inde putamus accidisse quod S. Epiphanius *g* ait, Nouatianos Romæ vocatos esse Montenses. Cæterum ipsos Donatistas Romæ agentes, S. Augustinus *h* non tantum Montenses, sed etiam *Rupitanos* à rupibus in quas se recipiebant nominat: qui & apud eundem mendose repertiuntur dicti *Cuzupitæ*, pro *i Corrupitæ*. Deniq; S. Hieronymus *k Campitas* appellat, quod in campis suos colligerent.

III. ALIA IPSORVM NOMINA.

d *Hier. ep. 133. e l. 43. C. Th. de hæret.*
f *Sup. an. 254.*
g *Epiph. hær. 59. in fin.*
h *Aug. de vnit. Eccl. c. 3*
i *Hier. aduer. Lucif. in fi.*
k [Vel potius PRO *Campitæ*, à domibus rusticis, seu cauernis.]

Constat insuper perditissimos homines, primo ex Traditoribus schismaticos factos, postea in deterius prolabentes, hæreticos euasisse, & cum Nouatianis rebaptizasse Catholicos qui ad eos transirent: sicut Optatus *l* & Augustinus *m* asserunt: quam quidem rebaptizationem, nonnisi à temporibus Macarianis sub Constante Imperatore filio Constantini, ab iisdem Donatistis inductam fuisse, significat apud eundem Augustinum *n* Ticonius Donatista. Fuit & illa peculiaris eorundem *o* hæresis, Ecclesiam ibi esse non posse vbi peccatum est; ideoque propter crimina (quæ ipsemet falso commenti erant) Cæciliani Carthaginensis Episcopi, Ecclesiam Christi de toto terrarum Orbe periisse, quasi contagione communionis eius extinctam, atque in Africa apud ipsos solos permansisse. Sed & ipsorum coryphæum Donatum, qui post Maiorinum extitit pseudoepiscopus Carthaginensis, scribit idem Augustinus *p*, haud recte sensisse de sanctissima Trinitate; sed quãuis eiusdem substantiæ; minorem tamen patre Filium, & minorem Filio putasse Spiritum S. Quod nec ignorauit S. Hiero. *q*, dum eius scripta relegens, ait edidisse de Spiritu S. librum Ariano dogmati congruentem. Sed (vt Augustin. addit) in hunc e us errorem Donatistarum multitudo intenta non fuit.

l *Opt. l. 2.*
m *Aug. hær. 69.*
n *Id. ep. 48. a. Vincent.*
o *Aug. cont. ep. Parm. l. 1. c. 1. & de hær. c. 69.*
p *Id. d. c. 69.*
q *Hier. de Scr. Eccl. in Dona.*

Eo porro arrogantiæ idem ille perueniſſe traditur *r*, vt ab aliis Episcopis exegerit, non minori timore ipsum venerari, quam Deum: & cum per solum Deum soleant homines iurare, passus fuerit homines per se sic iurare tanquam per Deum. Quin & suos iactare solitos, si oranti respondisse Deum de cælo, Augustin. testatur. Atque insuper Præfectos, immo ipsos Imperatores, conuicis & contumeliis lacessiuisse, Optatus *t* est auctor. De Donatistarum vero ab eo denominatione, iam dictum est supertus in origine Schismatis. Sub eodem autem Donato, ipsoque docente, puto, & hortante, oborti sunt in Africa *Circelliones*, siue CIRCVMCELLIONES: sic dicti (inquit Augustin. *u*) quod circum cellas vagarentur, quos tamen à Donato

V. DONATISTARVM ARROGANTIA

r *Opt. l. 3. Aug. trac. 13. in Ioan.*
t *Opt. l. 3.*

C. RVMCELLIONVM ORIGO, ET IMPIA FACINORA

u *Aug. in Psal. 132.*

Agonisticos, & eorum Præfectos, *Duces sanctorum* nominatos esse, Optatus scribit. Erant hi sectæ defensores, qui audebant Præfectis quoq; resistere, quiq; per nundinas, villas, vicosq; circumuagantes, iactabant se esse publicæ iustitiæ vindices; eoq; prætextu & seruos vocabant ad pileum, & oppressos ære alieno à creditorib. liberabant: quorum immania scelera aduersus Catholicos perpetrata, insanumq; furorem a martyrii adipiscendi (quo vel seipsos necabant præcipitio, aqua, aut igne, vel alios ad inferendam tibi necem cogebant: sicque vita functos reliqua Donatistarum turba, honore martyribus congruo venerari consueuerat:) & Imperatorum aduersus eos edicta, sæpe commemorat Augustinus: ageturq; rursum de iisdem inferius suis locis.

a *De huiusmodi Donatistarum insania, vide plura, si cupis, ap. Baron. Tom. IV. an. 394. n. 53. & seq.*

VI. DE FERIATIONE DIEI DOMINICÆ.

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. Constantinus Imp. de feriando die Dominico, & in eo precibus diuinis vacando, sanctionem edidit *b*. Quod autem eum non Ecclesiastico more *Dominicum* appellat, sed more Gentilium, *Solis*, inde colligi potest, non Christianis solum, sed Gentilibus eandem legem ab ipso præscriptam. Testatur enim Eusebius *c*, eiusdem feriationem dei fuisse quoq; Gentilibus militib. imperatam datamque eis precationum formulam, qua omnes eo die in parentibus suburbiorum campis in vnum conuenientes, vti deberent; nempe, *Te solum Deum agnoscimus, te Regem profitemur, te aditorem inuocamus: per te victorias consecuti sumus, per te hostes superauimus. Abs te & præsentem felicitatem consecutos fatemur, & futuram adepturos speramus: tui omnes supplices sumus. Abs te petimus, vt Constantinum nostrum Imp. nostrum, vna cum piis eius liberis, quam diutissime nobis salutem & victorem conserues.* Præter hæc etiam constituisse, vt cuncti Romano Imperio subditi in honore haberent diem qui Sabbatum præcedit, idem auctor affirmat: quod quidem de die Veneris, quam *Sextam Feriam* dicimus, quoniam eo Christus crucifixus est, intelligendum, Sozomenus *d* docet, dum hæc cuncta paucis perstringit. Cæterum de horum dierum solemnitatibus, & cultu in Ecclesia antiquissimo, iam dictum est aliis locis.

b *L. 1. C. Th. de fer.*
c *Euseb. 4. de Vit. 19.*
FORMVLA PRECVM MILITVM.
d *Soz. l. 1. c. 8.*

VII. MALEFICI COHIBITI.

Iisdem etiam Coss. idem Imperator rescripsit e aduersus maleficos & incantatores, immissoresq; tempestatum, & qui per inuocationem dæmonum mentes hominum turbarent. Itemque alia *f* lege facultatem quibuscunq; dedit, quæ vellent de bonis suis vltima voluntate ecclesiis relinquere. Quo quidem adeo auctæ sunt illarum diuitiæ, vt posteriores Imperatores veriti ob eam causam Reipublicæ detrimentum & paupertatem, conati sint iterum ab eiusmodi profusis largitionibus cohibere Fideles; de quo dicetur suo loco.

e *l. 4. C. Th. de Episc. & cler.*
ECCLESIA BONIS AVCTA.
f *l. 4. C. Th. de malef.*

VIII. IMPIVM CONSTANTINI EDICTVM PRO ARVSPICINA.

At in fine huius anni, minus plane dignum, atq; adeo abhorrens a Christiano Imp. exceptum g, idem Constantin. Sardicæ existens dedit ad Maximum Præfectum Vrbis, quo Aruspices ob præcedentia quædam prodigia consuli iussit, idque ipsum ab omnib. aliis publice fieri permisit. Ex quo puto, persuasum Zosimum *h* asserere, Constantinum vsque ad hæc tempora, licet inuitum, Gentilitiam superstitionem esse sectatum, vt Senatui mo. em gereret, quæ quam falsa sint, satis superq; demonstrat, quæ superioribus annis exposuimus, ex probatissimis auctorib. aliisq; monumentis, de eo relata sunt. Illud tamen non abnuerim, Constantinum cum Senatu Populoque Romano, atque prouincialibus Gentilibus, magna adhibita circumspectione egisse: & sic Christum coluisse, vt Deorum cultores non fuerit auersatus. Sed vnde huius rescripti promulgandi occasio? Nempe cum ante proxime elapsum annum idem (vt vidimus) iterum aduersus Aruspices rescripsisset, qui priuate in alienis domibus Aruspicinam exercerent; ea de re suspicionē leuis videbatur Gentilibus Romanis illata, eum paulatim ritus patrios antiquare in consilio habuisse. Quapropter ne infensos iam sibi Christianæ religionis causa illorum animos, eiusmodi suspicione acerbius irritaret: ideo putamus eum de consulendis Aruspicib. rescripsisse. Quinimo cum eodem rescripto declarauerit, se idipsum peragendi licentiam omnibus tribuere, dummodo à priuatis sacris & domesticis sacrificiis abstinerent, plane significauit, aliquo alio rescripto Aruspicinam quoque publicam fuisse vetitam: quod illorum animos mirum in modum exacerbasse, & ad res nouas moliendas concitasse, videri poterat: cum maximæ omnium æstimationis & auctoritatis Aruspicinam Romæ extitisse, satis declaret lex duodecim tabularum de Auguriis, quam Cicero *a* recitat & explicat.

g *Li. C. Th. de Pagan.*
h *Zos. l. 1.*

Sed hæc quidem, cum in homine qui Christi militiæ nomen dedisset, minime recta vel pia probentur: quæ post peccatum vltio diuina secuta est, eum grauissime deliquisse perspicue declarauit. Siquidem cui hactenus omnia ex sententia euenissent, ita vt nullum vnquam felicius fuerit cuiusquam Imperium; idem ipse, quod perinde ac si non esset Deus in Israel, (vt est in diuinis *b* Scripturis) miserit consulendum Beelzebub Deum Accaron; ac velut alter Saul *c*, cum abstulisset magos & ariolos de terra, post modicum temporis pythonissam consuluerit: Dei indignationem adeo acerbam promeruit, vt oborto ex insperato bello domestico, non solum suorum carissimorum sanguine manus polluerit: sed & ipse vna cum Imperio periclitatus fuerit, nisi cito Christianæ religionis remedio facinus expiasset. Quæ quomodo acciderint, dicetur paulo post suo loco.

a *Cic. lib. 2. de legib.*
IX. CONSTANT. IN DETERIVS PROLAPSVS.
b *4. Reg. 1.*
c *1. Reg. 28.*

IESV CHRISTI AN. 322.323.

SILVESTRI AN. 9.10.

CONSTANTINI IMP. AN. 17.18.

ANNO Christi trecentesimo vigesimo secundo, Petronio Probiano & Anicio Iuliano Coss. Constantinus Imp. lege *d* lata reis (præter veneficos, homicidas, & adulteros) indulgentiam impartitus est, *propter Crispi & Helenæ partum*. Quæ verba cum trifariam accipi possint; vel vt Crispus & Helena filii Constantini gemelli fuerint, eademque die vno partu editi: vel vt eodem recurrente die, licet diuersis annis & matribus, nati fuerint; atque vtroque eo modo, vnus idemque amborum dies natalitius celebraretur: vel denique vt ex Crispo Helena peperit filium: media nobis sententia magis arridet: quod Helenam Constantini filiam, quæ postea Iuliano Apostatæ nupsit, non ex Mineruina Crispi matre, sed ex Fausta Augusta natā esse omnes tradant: Crispum autem vxorem aliquando habuisse, omnes antiquos latuerit. Porro tum huius, tum sequentis anni res gestæ, quæ eis certo assignari possint, satis obscuræ relictæ sunt. Nisi quod sequenti, nempe

d *Li. C. Th. de ind. crim.*
I.

Anno Christi trecentesimo vigesimo tertio, Seuero atque Ruffino Coss. idem Constantinus, cum quosdam comperisset Ecclesiasticos, aliosq; Catholicos homines, à Gentilibus ad lustrorum sacrificia celebranda compelli, eiusmodi conatus edita sanctione e repressit. Nempe existimauimus, cum rescripto quod vidimus de consulendis Augur bus, visus esset à Christiana religione desciuisse; Gentiles elatos insolenter in Christianos agere cœpisse, ac inuitos permahere studuisse ad eiusmodi sacrificia lustri, quæ cum Vrbs ob præcedens aliquod prodigium ex responsis Augurum lustranda esset, aut exercitus; peragi consueuerant. Cum igitur ex his appareat, aliqua vexatione à Gentilibus exagitatos esse Christianos; quis iuste mirari possit, his temporibus Siluestri Papæ latebras ad montem Soractem Vrbi propinquum contigisse? Æstimata fuit ab aliquibus breuis hæc persecutio esse per Constantinum illata, cuius de captandis auguriis & Aruspicibus consulendis edictum fuerit promulgatum: verum edita hoc anno sanctione, à quorum partibus staret, voluit omnibus innotescere. Nec tamen ideo dici possunt cessasse latebræ Siluestri; tum quod Imperatore procul existente ab Vrbe, (siquidem rescriptum illud de Auguribus consulendis, datum fuerat Sardicæ in Thracia; istud autem pro Christianis, Sirmii in Pannonia:) haud tutum illi visum est, se furori Gentilium ante Imperatoris in Vrbem aduentum exponere: tum maxime quod mox subsecuta sint infelicissima illa tempora, quibus ab ipso etiam Imperatore, suorum sanguine cruentato, iusta erat metuendi causa.

e *l. 5. C. Th. de Epis.*
II. CHRISTIANI DENVO VEXATI, DENVO TVTI REDDVNTVR.
SILVESTRI PAPÆ LATEBRÆ.

IESV

IESV CHRISTI AN. 324.

SILVESTRI AN. II.

CONSTANTINI AN. 19.

I. CRISPI, ET LICINII CÆSS. NECES.

ANNO Christi trecentesimo vigesimo quarto, Crispo & Constantino Iun. Cæss. tertium Coss. (idem Crispus & Licinius Iunior, vt est apud Eusebium in fine Chronici) à Constantino Augusto, Crispi patre, Licinii auunculo crudelissime interficiuntur, anno Imperii eorundem nono; ex quo nimirum creati sunt Cæsares. Quæ autem tanta præcesserit causa, vt humanitas piissimi Principis in immanitatem plane tyrannicam sit ex improuiso conuersa, Orosius *a* antiquus historicus latere significat. Sane de Licinio nullam aliquis prodidit: sed si verum est, quod itidem habetur apud Eusebii Chronicon, Licinium patrem vitam priuatam agentem, anno præterito, nempe decimo octauo *b* Imperii Constantini, ab eodem iussum esse necari, quod aduersus ipsum aliquid diceretur machinatus esse cum barbaris; eiusdem criminis complicem fuisse, vel saltè suspectum habitum Licinium Iuniorem, par est existimare. Vnde & illud accidit, vt quod hactenus Licinii Senioris nomen atque decreta, amore sororis Constantiæ, & Licinii Iunioris eiusdem filii, faissent conseruata, hoc ipso anno cuncta iusserit *c* aboleri; licet postea sanioris mentis effectus, sic temperauerit *d* edictum, vt si qua ab eo legitime statuta fuissent, euertenda non essent.

a *Oros. l. 7. c. 28. in fi.*

b *Vid. an. 318. num. 2.*

c *l. 1. C. Th. de inf. qui sub tyran.*

d *l. 2. & 3. eod.*

II. CRISPI NECIS AVCTORES.

Quod vero ad Crispum spectat; imprimis valde miramur Euagrium *e*, dum in Zosimum inuectus, quod odii concitatus affectu multa calumniose in Constantinum coacernarit, etiam negat eundem Crispum & Faustam Constantini vxorem ab eodem Imperatore interfectos esse: hoc vno vsus argumento, quod Eusebius qui eodem vixit tempore, ea tacuerit. Excusatione fortasse dignus, si hæc tantum apud Zosimum flegerentur. Sed cur Eusebii, cuius silentium testem adhibuit, Chronicon non inspexit, vbi disertis verbis illud ipsum asseritur? Sed & si consuluisset Latinos auctores, reperisset inter historicos Gentiles, Aurelium *g* Victorem, & Eutroprium *h*, de propinquorum nece à Constantino perpetrata æquissimos adstipulatores: inter Christianos vero, Paulum Orosium *i* eadem de Crispi nece asserentem: itemq; Sidonium *k* Apollinarem, auctorem grauissimum; qui & illorum temporum, & præcipui apud Constantinum viri, Ablauii Consulis testificationem adducens, asserit Constantinum extinxisse coniugem Faustam calore balnei, filium Crispum frigore veneni: indeq; ipsum Ablauium clam huiusmodi distichon appendisse foribus Palatinis:

Saturni aurea sæcla quis requirat?
Sunt hæc gemmea, sed Neroniana.

e *Euagr. l. 3. c. 40. 41.*

f *Zos. lib. 2.*

g *Vict. in Vit. Constant.*

h *Eutrop. l. 10.*

i *Oros. l. 7. c. 29.*

k *Sidon. 5. ep. 8.*

Soz. l. 1. c. 5. [Cuius tamen sensum cum aliquando Baronius aliter accepisset, postea correxit]

m *Euagr. l. 1.*

Reperisset & inter ipsos Græcos historicos Christianos, Sozomenum *l* (cuius opera se legisse testatur *m*) eandem historiam de nece Crispi per Constantinum illata recensentem, nec improbantem: licet negauerit quod Gentiles scriptores dicerent, ex nece Crispi euenisse Constantini ad Christum conuersionem; quam pluribus argumentis demonstrat longe ante Crispi obitum contigisse, ipsumque Crispum plures vixisse annos postquam pater Christo nomen dedisset. Extant & Artemii Præfecti Augustalis, insignisq; sub Iuliano martyris, qui sub ipso Constantino militauerat, Acta *n*, quæ Metaphrastes ex antiquis monumentis collegit, in quibus idem de Faustæ & Crispi nece asseritur. Deniq; si de recentioribus historicis agamus, adiungendi essent Gregorius *o* Turonensis, Suidas *p*, Zonaras *q*, Nicephorus *r*, (qui historiam illam ex Sozomeno descripsit) & alii tam Latini, quam Græci exquisitæ solertiæ viri.

n *Ap. Metaph. & Sur. 20. Octobr.*

o *Gr. Turo. l. hist. Fr. 36.*

p *Suid. verb.* ΚΡΙΣΠΟΣ.

q *Zon. Ann. part. 3.*

r *Nic. l. 7. c. 35*

III. EVSEBII MALA FIDES, ET INVIDIA.

Ex his igitur omnibus non solum Euagrii redarguas incogitantiam, sed & Eusebii fidem, qui parum liberalis historici numeros explens, hæc prætermisit in Vita Constantini, quam in gratiam Constantii eius filii encomiastice potius quam historice conscripsit. Sed quod deterius est, hac etiam ex parte inofficiosi quoque, vel potius inuidi silentii damnandus est: quippe cum multa supperterent argumenta Constantini laudandi de rebus in Vrbe atque toto Occidente præclare gestis; ea propemodum omnia sic silentio obuoluta reliquerit, vt post narratam victoriam de Maxentio tyranno, perinde ac si nunquam amplius Constantinus Romæ fuisset, vel aliis locis Orbis Occidentalis, nusquam illorum meminerit. Nam qui semel expertus est sibi inhærenti Ario aduersariam Romanam Ecclesiam, adeo auersatus est illam, vt ea ex parte delegerit potius à Constantini laudibus abstinere, quam vlla ex causa bene de illa velle mereri.

IV. CRISPI ET FAVSTÆ NECIS CAVSA.

Sed quod rursum ad Crispi necem spectat; cum eam à Fausta nouerca procurata omnes affirment, Zosimus certa afferens causam, ait contigisse ob suspicionem consuetudinis cum eadem Fausta: quod vero Constantini mater Helena intolerabilem inde dolorem perciperet, vt eam consolaretur Constantinus, Faustam ipsam balneo supra modum calefacto inclusam extinxisse. Hæcque Romæ contigisse tradit, licet Ammianus *a* Polæ in Istria Crispum esse necatum affirmet. Cæterum prædictus Artemius, cum Christianitatis reus causam ageret coram Iuliano, deroganti illi Constantino, ac præsertim necem propinquorum obiicienti, pro Constantino respondit *b*, eum vxorem Faustam iustissime interfecisse, quod exemplo priscæ Phædræ Crispum calumniata de eius in se conatu, necem ei causata esset. Id ipsum affirmat S. Hieronymus in Luciferiano ipsius Crispi magistro, nec non Zonaras, & alii recentiores eorundem interitum referentes. At Greg. Turonensis necatos ait, quod regni proditores extitissent; sed non recipitur: fortasse tamen ipsa Fausta, vt tantum regnarent filii à se geniti, hoc vna cum aliis in Crispum priuignum obiecit, quod si verum probaretur, posset etiam eadem necis Licinii Iunioris causa prætexi, quem Fausta videret à Crispo, atq; ipso etiam Constantino diligi. Certe quidem Eutropius affirmat, innumeros quoq; amicos tunc esse interfectos à Constantino: quod plerunq; accidit, cum agitur quæstio perduellionis, cuius solent Principes, etiam in insontes, acerrimi sæpe esse vindices.

a *Ammia. l. 14.*

b *Act. Artem. vbi sup.*

V. CRISP. VIRTVTES ET RELIGIO.

Quod denique ad Crispum attinet; constat ab omnibus esse laudatum, quem & præclaris victoriis auctum vidimus, & spectata castitate cæterisque moribus insignem; longe maiorē in rebus gerendis futurum, si viuere licuisset. Vt non mireris, si eundem Iulianus *c* Augustus virum frugi & bonum prædicet; ac Helena auia (vt tradunt) inconsolabiliter fleuerit: cum præsertim Christiana fuisse religione imbutum, multa suppetant argumenta; atque inter alia auctoritas antiqui numismatis *d*, in cuius altera parte insculpta est effigies & nomen eiusdem Crispi Cæsaris, in altera Christi Domini, læua manu Crucem tenentis, dextra vero benedictionem impertientis. Sed & fuisse baptizatum, Nicephorus *e* affirmat, licet perperam cum patre baptizatum dicat, quem ante patris baptismum necatum esse certum est.

c *Iulian. in Cæsar.*

d *Habet Bar. Ann. Tom. 3. hoc an. ex Eutr. Vrsino.*

e *Nic. l. 7. c. 33 in fin.*

Post tam immania igitur scelera resipiscens Constantinus, cum (vt narrat Zosimus) eorum lustrationem à Flaminibus popposcisset, illisque respondentibus non esse traditum lustrationis modum qui tam fœda piacula eluere: persuadente quodam Hispano Ægyptio, Romam delato, doctrinam Christianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum; eam orationem haud grauate Constantinus accipiens, patritis missis factis, percepit ea quæ Hispanus obtulit, eiusq; rei principium dedit, vt diuinationem suspectam haberet atq; aboleret. Hæc ex Zosimo: quibus quidem non obscure significat, Constantinum diuinationem Augurum primitus detestatum esse, cuius impulsu à Deo antea defeciisset, & in tam enormia peccata prolapsus esset: cum & Christiana lex imperet, sacro baptismate initiandum, ante omnia sataneæ & operibus eius renunciare debere. Ac proinde quod ait, Constantinum iis criminibus lege Christiana expiatum, haud aliud significare potuit, quam ipsum illis sordibus suscepto BAPTISMO esse dilutum: cum omnes sciant, accedenti impio ad Ecclesiam,

VI. BAPTISMVS CONSTANTINI EX ZOSIMO.

nullis aliis ritibus remissionem peccatorum solere conferri. Nec mirum quis debet, si non adeo dilucide scriptor Ethnicus mysteria nostra sit prosecutus: cum id ipsum sit obseruare in cæteris omnibus Gentilibus, qui rerum Christianorum meminerunt.

VII.

Ac non Zosimus tantum hæc testata reliquit de expiatione à Gentilib. Constantino denegata, & à Christianis impertita: sed & alii quoq; Gentiles hæretici, quorum meminit Sozom. *a*, licet ipse ea in re fidem eis adhibere detrectauerit, quoniam (vt ait) Constantinus iam ab ipsa expeditione Maxentiana factus esset Christianus. Sed haud mirandum, si quem velimus adhuc Augures consulere, idem à Flaminibus quoque expiationem petiisse asseratur. Quod vero ad confutandam eandem Gentilium testificationem, proferat Sozomenus exemplum Herculis sacris Ceteris expiati: vt probet, etiam apud Gentiles fuisse expiationem ab vxoricidio & filicidio; id quidem exempli à proposito longe abest: siquidem Hercules in furorem conuersus, nesciens vxorē occidit & filios, ob idq; nullius criminis reus nulla indigebat expiatione. At Constantinus nulla tactus amentia, sed sciens & volens facinus perpetrauit. Et quamuis non inficias ierimus, fuisse penes Gentiles, eorum ritibus, pro iustis & ab *b* institutas purgationes: nempe aquæ *b* fluminis, vel lustrahis; aut *c* aquæ, sulphuris, & ignis: vel suffitus *d* lauri: aliasve eiusmodi: pro parricidio tamen nullam prorsus fuisse, satis liquet exemplo Neronis *e*, qui nusquam à cæde matris purgari valuit.

a Soz. Li. c. 5. SOZOMENI ERROR DE EO.

b Virg. Æn. 2. 4.
c Ouid. Metam. l. 7.
d Pl. l. 15. c. vl.
e Suet. in Ner. c. 34.

VIII.

Cæterum quod Zosimus ait, Constantinum ab Hispano Ægyptio Romā delato, persuasum esse Christianorum vti expiatione, siue (vt ex eodē Zosimo apud Euagrium legitur) ab Ægyptio ex Hispania: his verbis magnum illum OSIVM Cordubensem in Hispania Episcopum, ipsi Constantino carissimum, intelligi, nulla est dubitatio: siue nomen *Ægyptium* accipiamus pro mago: (vt cum in diuinis *f* literis, tum apud Iosephum *g*, Porphyrium *h*, & alios, ac motus fuisse Gentilibus, Christianorum sacerdotes appellare magos: satis alias ostensum est;) siue potius intelligamus, eundem Osium nuper ex Ægypto Romam aduentantem, (nempe ex legatione, de qua dictum est superius) tam immanē nactum scelera, docuisse Constantinum, peccata non aliter expiari posse quam baptismo Christianorum. Quod vero non Romanum Antistitem, sed peregrinum hominem, eius rei suasorem iidem historici constituant: ex his euidentiores reddantur latebræ, quas diximus, Siluestri Papæ.

OSIVS AVCTOR BAPTISMI.

e Act. 21.
g Ios. 20. antiq. 6. & 2. de bel. 12.
h Porphyr. in Vit. Plot.

IX.

Cum igitur prædictis Gentilium testificationibus exploratum penitus habeatur, Constantinum ad sua abluenda parricidialia delicta, quæsisse remedia, nec apud alios quam Christianos inuenire potuisse; ac proinde (quod ex necessaria assumptione deducitur) esse adhibitum ex more sacrum baptisma: hoc ipsum insuper ex veteribus Ecclesiasticis monumentis perspicuum magis redditur, & imprimis ex Romano Concilio celebrato sub Siluestro Papa: in cuius exordio, hæc refertur eius celebrationis causa, quod Constantinus baptizatus esset ab eodem Siluestro, & mundatus à lepra. Porro ea Synodus habita ponitur iisdem huius anni Coss. Crispo & Constantino tertium, licet depraua ti codices loco Crispi habeant Priscū: (qui etiam error in Acta quæ citauimus Attemii, & apud Suidam irrepsit:) quod minus considerans aliquis, imprudenter nimis visus est eandem respuisse. Sed cum ea in complurib⁹ antiquis codicibus scripta habeatur tanquam legitima, exhibeatq; illam ipsam antiquissima Cresconiana Collectio; non est quod quis suspicari possit humanum esse commentum. Nam & eiusdem, vt puto, auctoritate Anastasius Bibliothecarius scriptor accuratissimus, in perbreui quod scripsit Chronico, recenset Constantini Baptismum Romæ habitum anno decimo octauo eius Imperii, nempe sub iisdem huius anni Coss. quibus absoluitur annus decimus octauus & inchoatur decimus nonus. Vnde & illi erroris arguuntur, qui illum ad Constantini primum Romam aduentum post expugnatum Maxentium, referunt: necnon & illi, qui eundem Constantinum tempore mortis tradunt baptizatum Nicomediæ: contra quos prolixior erit paulo post disceptatio.

IX. FIDES DE EO EX ROM. CONCILIO.

Quonam autem modo se Baptismus habuerit, fuse describunt Acta Siluestri: quæ cum antiquitus non solum Romæ, sed etiam in nonnullis aliis Ecclesiis à Catholicis legi consueuisse, iam dictum fuerit auctore Gelasio *a*, qui vixit sub finem proximi sæculi: nullus iure ea omnino spernenda censuerit. Sed quoniam quæ extant tam apud Græcos quam Latinos, in nonnullis deprauata esse noscuntur: ea tantummodo ex illis referemus, quæ ab antiquioribus ac probatioris fidei auctoribus testimonium habent. Narrant igitur, Constantinum adhuc patrita sectantem, persecutionem aduersus Dei Ecclesiam concitasse: eamque vt Siluester euitaret, vna cum aliquibus suis petiisse secreta montis Soractis: sed cum interim Constantinus, ob admissa flagitia, diuinitus lepra percussus, accepto ab Aruspicibus responso eam sanguine infantium esse curandam: quæsitisque ad hoc è vilioribus personis magno infantium numero ad necem, idem infelicium matrum planctus aera vndique verberantis miserit us, à nece eorum abstinuerit præcepisset; in istiusmodi humanitatis remunerationem, cubanti illi apparentes in visu Apostolos Petrum & Paulum, iussisse vt Siluestrum è latebris euocaret, qui eum sanaturus esset à lepra: Siluestrum autem mox quæsitum, & ad Imperatorem perductum, eidem de Apostolis percontanti ostendisse depictas eorum imagines, & cum eas Imperator simillimas esse cernens et viris illis qui ei apparuerant, magna exultatione baptismum suscepisse, & sanatum esse. Hæc pluribus Acta; quæ tamen in diuersis scriptis codicib. paulo diuerse feruntur.

X. EX ACTIS SILVESTRI. a Gelas. decr. de lib. authen.

Sed quod imprimis ad Siluestri latebras attinet; firmatas tam illas superiori anno vidimus ex edicto Constantini de Aruspicibus consulendis: vt non sit ea iterum repetere. Immo vero non deest, qui ex Græcis * historicis affirmet, Constantinum, postquam summa rerum potitus est, segniorem factum in religione Christiana, etiam Faustæ vxoris impulsu ad patrium Deorum cultum rediisse: sed à Deo lepra percussum, ac in se reuersum, per baptismum lepra simul & impietate sanatum esse. Nihil vero mirum si Constantinus lepra tactus fuerit, cum eiusmodi morbo Deus consueuerit peccata *b* vlcisci; ac potissimum superbientiū *c* Regum. Solitum autem curari infantium sanguine, docet Plinius *d* exemplo Regum Ægypti. Deniq; de Constantini lepra, & curatione per baptismum facta, vt de re notissima, & absq; ambiguitate recepta, testes sunt etiam probatissimi *e* Gregor. Turonensis & Hincmarus *f* Rhemensis: dum agentes de baptismo Clodouei Francorum Regis, aiunt processisse nouum Constantinum ad lauacrum, deletum lepræ veteris morbum.

XI.

* Mich. Glyc. lib. 4. hist.

DE LEPRA CONSTANTINI.

b Num. 12. & 4. Reg. 5. 2. Parali. 26.
d Pli. l. 26. c. 1.
e Gr. Tur. 2. hist. 31.
f Hincm. in Vit. S. Remig.

Et quod rursus ad hæc eadem spectat, necnon ad apparitionem ab Apostolis Constantino factam, eorundemq; Imagines ei à Siluestro ostensas; citantur eadem ipsa, ac pariter recitantur, ab Hadriano Papa in epistola ad *g* Imperatores Constantinum & Irenen, quam scripsit in causa maximæ illius controuersiæ de Imaginibus, quæ totum ferme eo tempore pessumdedit Orientem: vt facile intelligas, non leuia quæque & nullius ponderis testimonia aduersus pugnacissimos aduersarios esse producta, sed quæ firma auctoritate omni ex parte solidata nullos timerent impugnantium ictus. Porro Petri & Pauli necnon ipsius Saluatoris, Imagines antiquitus effigiatas, ad sua quoque tempora esse in Palæstina conseruatas, oculatus testis Eusebius *h* iam superius nos docuit. Quod si exhibebantur in Palæstina, tot præliis sæpe deuastata: quanto magis Romæ asseruari potuerunt, vbi iidem Apostoli diutius vixerunt, & martyrium passi sunt? Deniq; eadem ipsa tabula tunc à Siluest. o Imperatori ostensa, hactenus magna veneratione asseruatur in eiusdem Petri basilica Vaticana: cuius exemplar formis æreis affabre expressum, vulgatum est omnibus; refertque illud idem exemplum, quo S. Augustinus *k* ait magi consueuisse simul Imagines Saluatoris & Apostolorum Petri & Pauli. Cum autem quæ de Constantino & Siluestro hactenus dicta sunt, eadem à recentioribus Græcis & Latinis pariter confirmari omnes norint; horum numerum recensere piget, quod in re antiqua haud niti consueuerimus, nisi antiquorum testificationibus.

XII. APOSTOLORVM APPARITIO.

g Ext. in Chr. Nic. 11. Act. 1. & inter ep. decret. Sum. Pont.

h Euseb. 7. hist. 14.

i Augustin. 1. de cons. Euang. 10.

Sed

XIII. BAPTISMVS CONSTANTINI.

Sed quod ad ipsum Baptisma spectat, habent eadem Acta Siluestri, Imperatorem assentientem ex ritu Christianæ religionis per baptismum patratis facinorib. ablui, iussum esse à Siluestro ex more septem saltem diebus in pœnitentia solitarium agere, indictasque esse pro eo publicas preces, atque ieiunium: Sabbato autem adueniente, & Constantino in fontem benedictum ingresso, affulsisse cælitus diuinum splendorem: ipsumque Imperatorem eodem momento baptizatum à Siluestro simul & à lepra mundatum, palam testatum esse, eo fulgore sibi manum porrigentem vidisse CHRISTVM. Necue his prorsus contemnenda ducimus, licet multis obsita mendis, quæ venerãda præstant antiquitate, & à Cresconio in sua vetustissima Collectione intexta sunt, Acta Liberii Papæ: quibus *a* expressum habetur ex Libro quodam qui sibi citatur Siluestri, Cõstantinum à lepræ morbo fuisse in baptismo Crucis signaculo liberatum, post eius vero mortem, valde aduersus eumdem Liberium indignatum esse Constantium filium Constantini, quod ea sparsisset in vulgus. Equidem accidere potuit, tunc edita esse à Liberio quæ scripta erant de Constantini lepra atq; baptismo, cum ab Eusebio antea elucubrata eiusdem Constantini Vita esset in luce edita, in qua de eius baptismo in fine suscepto inesset falsa narratio, eaq; de causa Constantium, conticti mendacii architectum, in Liberium fuisse commotum. Qua etiam ratione intelligetur, Constãtinum lepra deformem haud de curatione sua publicum voluisse exhibere spectaculum, aut spectante Vrbe suscipere baptismum, sed paucis dumtaxat arbitris intra Palatium Lateranense, vbi hactenus eius visitur Baptisterium, curatum autem se omnium conspectui reddidisse.

a *Act Liber. cap. 1. in fi. & cap. 6.*

XIV. EVSEBII DOLVS.

Quoniam vero his de Constantino Romæ à Siluestro baptizato complures tam Græci quam Latini aduersantur, hic de iis disserere perneccssarũ ducimus. Primus omnium contrariæ sententiæ assertor esse reperitur Eusebius Cæsariensis: qui in Vita Constantini, *b* quam in gratiam Constantii hominis Ariani, & Arianorum patroni, ipse homo Arianus, & Arianorum (vt cum Hieronymo dicam) signifer scripsit, ait illum, cum in extremam ægritudinem incidisset, de peccatis suis deiendis cogitantem, conuocatis episcopis qui tunc secum Nicomediæ erant, vrgente iam morte ab illis baptismum suscepisse, profectum se in eam diem illum distulisse, quod constituisset in Iordane, vbi Christus baptizatus fuerat, & ipse baptizari. Sed numquid rogo, dici poterit homo Christianus, tot parricidiis cruentatus, tam longo tempore inexpiatus ad extremam vsque senectutem sponte perduraſſe, conscientia interim penitus consopita, vel potius emortua? Et quod attinet ad baptismum Iohannis, vt quidigitur non eum suscipere curauit, cum anno ante obitum, vt ipsemet testatur Eusebius, *d* Hierololymam ex omnibus Orientis partibus, illius iussu ad templi dedicationem Episcopi conuenere, cum & Tarcumilla imitarent Imperii, digna quæ huiuscemodi solemnis præcipue agerentur, & profectio *e* in Persas immineret, qua maxime dubia suscipienda essent certamina?

b *Eus. 4. de Vit. 61. 62.*

c *Hier. in Chr & alibi.*

d *Eus. 4. de Vit. 43.*

e *Ibidem. cap. 56. 57.*

XV. COMMVNIS ECCLESIÆ CONSENSVS.

Deinde quinam illi fuere Nicomediæ collecti Episcopi, & à quonam illorum baptizatus est Constantinus? Erubuit hæc recensere Eusebius, sed ex loco vbi ea gesta ait, nempe suburbiis Nicomediæ, satis designauit Eusebium eiusdem ciuitatis Episcopũ. Nam & hunc interfuisse tunc ibi, Theodoretus *f* affirmat, & ab eo baptizatum fuisse Constantinum, habent S. Hieronymi & Isidori Chronica. Porro cum eumdem Eusebium Nicomediensem constet Arianorum fuisse antesignanum acerrimum, adeo vt sicut ab Ario *Ariani*, iidem ab Eusebio denominari sint *Eusebiani*, en igitur Constantinum in articulo mortis ab Ariano Episcopo baptizatum, impium ex hac vita migrantem, & ab Ecclesia Catholica penitus alienum. Sed potius dixerimus, Eusebium turpiter esse mentitum, quandoquidem & Orientalis Ecclesia eumdem Imp. Sanctum semper prædicauit in suis Menologiis, & ipsa Vniuersalis Ecclesia eumdem perpetuo vt pium habuit, dum eius nomen ex sacris Diptychis (teste Nicolao Papa in epistola ad Michaelem Imperatorem) vna cum aliis Imperatoribus Orthodoxis publice recitare consueuit: nec vllus vnquam repertus est auctor, qui vita functum nota fugillet impietatis, sed econtra innumera sunt diuersorum Conciliorum, Patrumque, de eius sincera pietate testimonia.

f *Theod. lib. 2. cap. 32.*

Quinimmo eundem longe ante obitum fuisse baptizatum, idem ipse Eusebius ex suis scripturis conuincitur affirmare, dum asserit, *a* eum sacris interesse mysteriis, atq; ipsis etiam Paschæ diebus diuinos sacrorum ritus cum reliquis Fidelibus obire consuesse: cum tamen vigeret tunc maxime Ecclesiastica disciplina, qua catechumeni, quicumq; illi fuissent, audito Dei verbo, cum sacerdos sacra auspicaturus esset, extra Ecclesiam mitterentur. Quo namq; pacto Constantinus potuit, tot immanibus cædibus sceleribusq; pollutus, inter purissima ac sacratissima mysteria tolerari, olim Philippus (vt ex eodem Eusebio *b* supernus vidimus) & postea Theodosius (vt suo loco dicetur) æque Imperatores, à Fabiano Romano Pontifice, & Ambrosio Episcopo Mediolanensi, longe minorum licet peccatorum rei, ab ipso etiam ingressu Ecclesiæ sunt prohibiti? Denique quonam potest modo subsistere, quod idem auctor *c* alibi tradit, Constantinum ante Palatii vestibula tabulam suspendisse, in qua ipsius imago depicta esset cum Cruce super caput sita, & sub pedibus dracone medio ventre Cruce transfixo, & in profundos maris fluctus præcipitato, quo videlicet (vt idem Eusebius interpretatur) significaret diabolum, cum suis, tum suorum pedibus conculcatum iacere? Quonam, inquam, modo possunt Constantino hæc applicari, si nondum baptizatus erat, cum constet omnem catechumenum esse energumenum, & tantum abesse vt ipsum conculcet draconem, vt potius ei subiaceat, donec per baptismum (quod est mare, *d* in quod serpens demergitur enecatus) ab eius potestate liberetur?

a *Eus. 4. de Vit. 22. 57. Ex ipso Eusebio conuincitur baptismus.*

b *Ibid. cap. 17.*

c *Ibid. de Vit.*

d *Vid. Cyr. Hier. catech. mystag. 1.*

XVI. RITVS ALIQVOT ANTIQVI.

At hæc satis aduersus Ariani hominis impostura: quo obstructo, vel potius exiccato, primario eiusmodi fonte mendacii, qui ex eo in diuersa riui fluxisse reperti sunt, pariter exhausti esse noscantur, cum nullus alius præcesserit, præter Eusebium, à quo id quisquam acceperit, auctor. Porro quod apud Hieronymi Chronicon æque legitur, Constantinum extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi baptizatum, in Arianum dogma declinasse, id ab alio potius ex eiusmodi Eusebii assertione apposititium esse, vel inde manifeste conuincitur, quod ipse Hieronymus aduersus Vigilantium scribens, summæ pietatis laudet Constantinum, qui impietatis damnandus fuerat si in Arianum dogma declinasset. Scimus quidem apud nonnullos eumdem Constantinũ infamia hæresis laborasse, quod S. Athanasium exulare iusserit: sed magis ipsi credimus Athanasio, qui eum sæpe excusat, & postquam obiit, *pium, felicis memoriæ, ac religiosissimum* non raro nominat. *e* Et quod in epistola Catholicorum Episcoporum qui Arimininum conuenere, ad Constantium scripta, apud Socratem, *f* Theodoretum, *g* & Sozomenum, *h* legitur de Constantino, fidem Nicænam omni studio & diligentia promulgasse, & post acceptũ baptismum vita defunctum esse: constat errorem in eiusmodi contextum irrepsisse, tum quod apud Athanasium, *i* qui & ipse eamdem epistolam recitat, loco Constantini *Constans* habeatur, tum quod ea quæ ibi dicuntur, Constanti merito iureq; conueniant, quem inferius videbimus fortissimum extitisse Nicænæ fidei propugnatorem, & paulo post susceptum baptismum fuisse necatum à tyranno Magnentio. Quapropter duplici Catholici Episcopi erga Constantium artificio vti sunt ad firmandam Catholicam fidem, exemplo nempe Constantini patris, (nam & de eo prius egerũt) cuius præsentia Nicena confessio fuerat roborata: & Constantis, ipsius Constantii fratris, cuius ope eadem Catholica fides in Sardicensi Concilio fuerat confirmata, & ante in Concilio Mediolanensi, de quo ibidem fit mentio, aduersus Arianos defensa & roborata.

e *Athan. orat. 1. cont. Arian. & Apol. ad Const. & vide infra an. 356. num. III. VI. VII.*

f *Soc. lib. 2. cap. 19.*

g *Theod. lib. 2. cap. 19.*

h *Soz. lib. 4. cap. 17.*

i *Athan. de Syn. Arim.*

XVII.

His igitur elucidatis, reliquis quoque auctoribus, qui eadem quæ Eusebius de Constantini baptismo scripsere, vt Hieronymus, *k* Ambrosius, *l* Socrates, *m* Theodoretus, *n* Sozomenus, *o* & siqui alii, ex iisdẽ quæ aduersus Eusebium disseruimus, sit satis factum: qui & falsa lectione citatæ superius epistolæ, in ea sententia confirmari potuerunt. Cum alioqui nec ipsi procacissimi Ariani ausi sint aliquando dicere Constantinum decessisse Arianum: & Dalmatianus *p* Episcopus Cyzicenus, qui collegit Acta quædam Con-

XVIII.

k *Hier. in Chr.*
l *Amb. orat. in fun. Theod.*
m *Soc. lib. 1. cap. vlt.*
n *Theod. lib. 1. cap. 32.*
o *Soz. lib. 2. cap. vlt.*
p *Dal. lib. 1. Act. Nic.*

BAPTISTARIVM CONSTANTINI. (In quo licet non fuerit Constantinus baptizatus, (vt aduersæ sententiæ propugnatores volunt) haud tamen illud desinet vere dici Constantini, quod saltem fuerit ab eo constructum in aliorum vsum.

a *Ext. tom.* 1. *Conc. in Silu.*

cilii Nicæni, recitet orationem Constantini tunc coram Patribus habitam, qua sæpius profitetur se plane Christianum esse, sacroque baptismate initiatum. Denique remanent in hanc diem baptismi Romæ ei collati, in Ecclesia Lateranensi certissima vestigia. Sic enim plane appellauerim, (licet insignis satis locus appareat) respectu augustæ illius magnificentiæ, qua fuerat ab eodem Imperatore exornatus, quam vix in chartis modo nobis antiquitas repræsentat Anastasii Bibliothecarii industria, qui tam memorabile monumentum ab iniuria temporis vindicatum memoriæ prodidit, *a* vna cum aliis, ab eodem Imp. illustribus Romæ ædificatis ecclesiis, eisdemque collatis immensis donis atque redditibus.

[Haud sane dubium, rationes & argumenta Baronii pro Baptismo Constantini hoc tempore Romæ suscepto, magni esse ponderis. Sed cum permulti nihilominus non desinant ei aduersari, quod minime persuaderi possint, Eusebium quantumlibet Arianum, & Arianorum antesignanum, adeo perfrictæ fuisse frontis, verum vniuerso Orbi Romano tunc eum hæc ipse scribebat plusquam notissimam, ausus fuerit tam impudenti mendacio non solum dissimulare, sed etiam contraria penitus assertione conuellere: neminemque repertum fuisse ex Catholicis, aliisue, qui hoc ei exprobrauerit, nec tantum ex iis qui aduersus Arianos, verum etiam contra ipsummet Eusebium, quinimmo contra ipsissimum Constantium imp. in cuius gratiam hæc finxisse dicitur Eusebius, intrepidissime scripserunt: totque alios grauissimos auctores, qui non ita post vixerunt, summa in re maximi momenti socordia, (cessante iam timore Arianorum Principum, & præmii spe adulationis) huic putidissimæ impostura ita vel fidem præstitisse, vel illam confutare neglexisse, vt tamquam rem indubitatam aliis credendam exhibuerint: Equidem vt auctoris mei sententiam non infringam, sed magis firmem testimonio etiam recentiorum Græcorum, Cedreni, Glycæ, Nicephori, & aliorum, remitto lectorem ad ea quæ de his post Baronium disputauit Arn. Pontacus in Notis ad Hieronymi Chronicon: (vbi tamen corrigas quod dicitur ex Ambrosio, Theodosium Magnum baptizatum fuisse sub finem vitæ, non enim id Ambrosius de Theodosio, quem certum est multis ante obitum annis baptismum suscepisse, sed de ipso Constantino Magno dixit.) Quibus & addo, quod etsi Constantinus ad finem vitæ baptizatus fuisset ab Episcopo Ariano, (de quo tamen non constat: nam neque Eusebius, neque alii dicunt a quo fuerit baptizatus: excepto Hieronymi Chronico, vbi id tribuitur Eusebio Nicomediensi. Sed id Photius in sua Bibliotheca cap. 88. confutat ex Gelasio, Cyziceno, Cæsariensi Episcopo: asserens quidem fuisse baptizatum in extremo vitæ termino, sed ab Episcopo Orthodoxo, non vt quidam prodidissent, ab hæreticorum aliquo) haud tamen ideo dicendus foret mortuus in perfidia Ariana: quippe post Concilium Nicænum, numquam eo viuente Ariani fidem Consubstantialitatis denegare præsumpserunt, sed semper apud ipsum se in omnibus Catholicos professi sunt: prout constat ex iis quæ de huiusmodi ipsorum simulatione dicentur inferius an. 336. num. VI. & alibi.]

XIX. QVID POST BAPTISMVM CONSTANTINVS EGERIT.

Cæterum eadem Acta Siluestri referunt, Constantinum post susceptum baptismum, diebus illis septem quibus fuit in albis, prima legem promulgasse quod Christus esset verus Deus, secunda pœnas decreuisse aduersus eos qui eum blasphemarent, tertia in eos qui Christianis contumelias inferrent, quarta priuilegiis Romanam Ecclesiam præ cæteris illustrasse, quinta immunitatem confugientibus ad ecclesias contulisse, sexta & septima decreuisse, ne absque licentia Romani Pontificis alicubi construerentur ecclesiæ, & de exoluendis decimis. Sed hæc duo vltima, quod desint in Græcis exemplaribus, superaddita putantur, cum præsertim vtraque iuri antiquiori videantur eidem Ecclesiæ debita. Additur vero, octaua die eumdem Imp. processisse albis depositis, & venientem ad Confessionem B. Petri Apostoli, diademate & chlamyde depositis, acceptoque bidente, terram primum aperuisse ad fundamenta Basilicæ construendæ, dehinc ob numerum duodecim Apostolorum, duodecim cophinos terra plenos propriis humeris asportasse, & inde exultantem in carruca sua cum Episcopo sedentem, ad Palatium rediisse. Nimirum imitatus est Constantinus, à quo genus ducebat, Vespasianum Imperatorem, quem Suetonius ait, *b* restitutionem Capitolii aggressum, ruderibus purgandis primum admouisse manum, ac suo collo quædam extulisse. Pergunt post hæc eadem Acta narrare de alia basilica ab eodem Constantino ædificari cœpta intra Palatium Lateranense in monte Cælio, in ædibus amplissimis Laterani, de quibus dictum est superius: quæ Ecclesia à fundatore dicta est *Constantiniana*, sed frequentius *Saluatoris*, cui dicata fuit, & insignis eius Imago argentea ibi collocata, ponderis librarum centum viginti.

BASILICAE AB EOSTRVCTAE.

b *Suet. in Vesp. cap.* 8.

[In Edicto suæ Donationis tradit ipse Constantinus, se etiam pro reuerentia B. Petri, tenentem frenum equi Siluestri, stratoris officium illi exhibuisse. Quod equidem non notassem, nisi vidissem ea de re argui Baronium a Iac. Dartis, quod id omiserit. Sed certe omisit & alia plurima, quæ non minus conferrent gloriæ & splendori Rom. Ecclesiæ, eiusque Pontificum. Vnde inter ligas, qua æquitate ab aliis accusetur de nimis ambitiose conquisitis eius laudibus, & prærogatiuis.]

STRATORIS OBSEQVIVM EXHIBET.

XX.

Addunt insuper, sanciuisse vt filii familias ac serui, sub qua nati essent superstitione non tenerentur inuiti: & vt cunctis pauperibus qui Christiani fieri vellent, præstarentur ex largitione fiscali affatim alimenta, atque imprimis in baptismate candida vestimenta, & solidi viginti erogarentur, dum tamen afferrent pro tessera Episcopi Romani chirographum. Quamobrem eodem anno Romæ fuisse baptizata supra duodecim millia virorum, præter feminas atque paruulos, Nicephorus *a* affirmat. Habent vero Acta præter hæc, Orationem ab Imperatore in basilica Vlpia habitam ad Senatum Populumque Romanum, de fide Christi ab omnibus capessenda, liberam tamen singulis facultatem relinquente patrios colendi ritus, ac declarante haud ideo timendum eis esse vt à sua gratia diuellerentur, quamquam gratiores ipsi forent qui Christo nomen darent. Quo eodem argumento scripsisse pariter generale Edictum in omnes vbique prouincias, testis est Eusebius, *b* qui integrum descripsit: quo cum imprimis susceptæ à se Christianæ religionis prædicet veritatem, & omnes pariter ad eam amplectendam hortetur, neminem tamen ad eam vi inducendum, sed sponte accedentes suscipiendos esse contestatur, reliquis permittens templa deorum adire, & pro arbitratu ritus eorum peragere. Ex quibus constat hallucinari eos, qui Constantino clausa deorum templa, & sacra omnino proscripta affirmant. Illud tamen præstitit, (quod idem Eusebius *c* testatur) vt in prouincias Præfectos miserit, qui fidem Christi amplexi essent, iis vero qui ex Gentilibus deligerentur, siue Præfectis prouinciarum, siue aliis dignioribus Magistratibus, vetuerit diis publice sacra facere: itemque, vt lege lata diuinationes prohibuerit, & quod Romæ cœperat, toto Orbe Romano ecclesiæ amplioribus spatiis, petitis è thesauro regio pecuniis, ædificarentur, mandauerit, quæ omnia consentanea sunt iis, quæ de eiusmodi rebus in Actis Siluestri recitantur.

a *Nic. lib.* 7. *cap.* 34.

b *Euſ.* 2. *de Vit.* 47. & 49.

HORTATVR OMNES AD FIDEM, SED NEMINEM COGIT.

c *Ibid. cap.* 43. 44. 45.

XXI.

Haud vero tantum quæ recensitæ sunt Basilicæ à Constantino erectæ fuere, sed & aliæ plures cum Romæ, tum aliis Italiæ locis, vbi hactenus earum memoria viget: quas quidem omnes, sed præcipue S. Petri in Vaticano, S. Pauli via Ostiensi, & Saluatoris in Laterano, ipsumque locum Baptisterii, tot vasis aureis argenteisque, totque aliis pretiosissimis ornamentis muneribusque decorauit, & ampliſſimis vbique terrarum eis assignatis reditibus dotauit, vt obstupescere contingat, quicumque libellum illum vere aureum gemmeumque legerit, quem DE MVNIFICENTIA CONSTANTINI optimo iure inscriptum, Anastasius Bibliothecarius ex Archiuis Romanæ Ecclesiæ in lucem edidit. Ex quibus plane apparet, hac quoque ex parte nouissimæ domus *d* fuisse maiorem quam primæ gloriam, cum superet numerus & pretium vasorum Romanæ Ecclesiæ, (vt prætermittam ceteras toto Orbe diffusas Ecclesias) vasa templi, quæ tam à Salomone collata sunt, tum denuo eius reædificatione restituta. Nec est quod ista quis reuocare possit in dubium, quandoquidem vt vnius tantum templi Saluatoris, ab eodem Imp. postea Hierosolymis ædificati, singula describeret collata ab eodem ornamenta, Eusebius *e* separatum volumen se scripsisse testetur. Vnde & illæ Gentilium historicorum *f* in eum querelæ, cum immoderatæ profusionis & inutilium structurarum id edarguunt. Sed tamen in eo cum eiusdem, tum aliorum quorumdam successorum Impp. commendanda est modestia, quod cum possent templa deorum referta diuitiis summo iure spoliare, (non solum quod dæmonum nullus prorsus cultus esse deberet, sed etiam quod ex illis absque alicuius damno, compensari poterant rapinæ, quas tam in rebus publicis quam priuatis, trecentis iam propemodum annis Christiani ab idolorum cultoribus passi essent,) tamen ab illis Romæ

d *Agg.* 2.

e *Euſ.* 4. *de Vit.* 46. *in fi.*

f *Zoſ. lib.* 2. *Vict. in Conſt.*

ABSTINVIT IN OCCIDENTE A DONARIIS TEMPLORVM.

abstinuisse, S. Ambrosius *a* aduersus Symmachum testatur: licet in Oriente, vbi cessabat inuidia Senatus, ab eodem Constantino secus actum esse declaret Eusebius. *b*

a *Amb. ep. 31.*
b *Euseb. de Vit. 25.*

XXII. ALIÆ ECCLESIÆ ERECTÆ.

Denique præter eas quas diximus, & alias quarum in eodem libello fit mentio, viget insuper adhuc in pluribus aliis Italiæ ciuitatibus, ac cæteris Occidentalis Imperii prouinciis, memoria Ecclesiarum ab eodem Imperatore constructarum. Inter quas insignis extitit, quæ in honorem sanctissimæ Dei-Genitricis in Gallia erecta, ceiusmodi meruit decorari miraculo, vt cum ad eam adductæ columnæ, præ magnitudine nullo hominum conatu leuari possent, eædem monitu beatissimæ Virginis per tres pueruios nullo negotio erectæ fuerint. De Ecclesiis vero ab eodem Imperatore in Oriente ædificatis, dicetur suis locis. Sed & ista quæ de Occidentalibus relata sunt, nequaquam hoc ipso anno perfecit, sed potius cœpta tantum ex iis nonnulla, reliquis quibus vixit annis absoluit, alia vero postea diuersis occasionibus præstitit. Illud autem memoria dignum, quod cum tam celebres & insignes Memorias vbique locorum erexerit, in nulla ipsarum modestissimus Imperator reperiatur sui nominis titulum insculpsisse, sed contempsisse quod alii ante eum Imperatores magno studio affectassent: quorum qui omnium optimus à Gentilibus habitus est Traianus, quod in singulis à se erectis operibus nomen suum affixisset, eumdem Constantinus (vt Aurelius Victor scribit) lepide quidem & vrbane dixit esse *herbam parietariam*.

c *Greg. Tur. de glor. mart. c. 9.*

XXIII. DE DONATIONE CONSTANTINI. *Quæ autem hic de illa habentur, excerpta sunt ex Ann. Bar. Tom. III. hoc an. & Tom. XII. an. 1191. vbi de ea pluribus egit, occasione commentarios Theodori Balsamonis.*

His autem enarratis, quod superesse videtur vt attingatur vulgata illa omnium ore eiusdem Imperatoris DONATIO, tot tantisque controuersiis agitata: illud primo breuiter dicimus, si quidem illam defendere vellemus, haud existimare nos, aliquem veri amantem, & antiquarum literarum studiosum negare posse, Constantinum Imp. maximum, & ore quoque Gentilium munificentissimum prædicatum, Christianam religionem, quam primus ferme omnium Imperatorum, præter Senatus Populique sententiam, amplexatus est, cunctis quibus valuit officiis coluisse, ac domis frequentasse: Potissimum autem Romanam Ecclesiam, in qua sciret totius Christianæ religionis vigere principatum, par esse credere amplissimis donasse muneribus, summaque potentia communisse, & iuribus stabilisse, tunc præsertim quando indignatione motus infensi sibi atque palam obrectantis Senatus, Imperii sedem alio transferre cogitauit, vt dicetur paulo post. Quamuis autem non omnibus iisdem iuribus Romani Pontifices vsi sint, haud tamen ea ratione negari posse esse collata, sicut nec quis iure inficias ire possit tributas fuisse ab Augusto *d* Senatui permultas prouincias, quas nihilominus posteriores Imperatores pro arbitrio administrarint. Certe & magnum plane esset de collatis illis Ecclesiæ Romanæ à Constantino muneribus argumentum, quod Christianissimi Francorum Reges, eadem à Longobardis ablata, se Romanæ Ecclesiæ restituere suis diplomatibus professi sunt, vt suo loco videbitur. Si enim iam antea eiusmodi dominium ad Romanam Ecclesiam pertinebat, vnde illud sibi nisi iure debitum potuit vendicasse? cum certum sit nulla id factum armorum vi: silentibus præsertim, nec reclamantibus, qui illis temporibus regnabant in Oriente, Imperatoribus, alioqui in Romanam Ecclesiam parum æquis, quam & ausi fuerunt (quod queritur S. Gregorius *e*) redigere sub tributo.

d *Dio lib. 53. & alii.*

e *Greg. in 4. psal. pœn.*

XXIV. ROM. ECCLESIÆ IVRA A CHRISTO.

Cæterum his non obstantibus, quod inani studio laborant Nouatores improbare Edictum illud seu decretum Donationis Constantini, sciant ipsi, se in his nostram potius causam agere, quam contra nos pugnare, qui profitemur cum Irenæo, Cypriano, & aliis cum Latinis tum Græcis sanctissimis Patribus, qui ab exordio nascentis Ecclesiæ hactenus floruerunt, necnon cum Romanis Pontificibus, Romanæ Ecclesiæ priuilegia nõ ab hominibus, sed à Christo in Petro esse collata, & à Petro in successores transfusa. Neque ob eam causam quod nolint suffragari nobis ipsum Constantini decretum, mox iure excidit eadem Ecclesia temporalium rerum dominio, quod certum ei & indubitatum in omnibus permanet, tum iusta possessione, (quam, si careat humano, diuino *f* certe iure, quo subordinata sunt diuinis terrena rerum dominia, legitime sibi vendicat) tum plurium Regum & Imperatorum confirmatione, ac priuilegiis, quæ suis locis visuri sumus. Neque Pontifices Romanos, quos post hæc contigit sæpe aduersus Principes de iuribus Romanæ Ecclesiæ disputare, legimus ea voluisse defendere Constantini Edicti auctoritate, sed potius Euangelica, innixi Petræ, super quam Christus testatus est se fundare Ecclesiam suam. Et licet plerique eorum, vt S. Gregorius, Hadrianus, & Nicolaus, vel alii, meminerint beneficentiæ Constantini erga Romanam Ecclesiam, cuius tam Acta Siluestri, quam Damasi Papæ, certam amplamque fidem faciunt, nullus tamen ante Leonem Nonum Edicti Donationis aliquo modo mentionem fecisse reperitur.

f [Hæc disputatione videtur Ba-

Quare vt impostura penitus detegatur, sciendum est (quod superius attigimus) duplicia reperiri Acta Siluestri, Latina primum, quæ & ad Græcos sunt derivata, vt quæ habentur in plerisque antiquis codicibus, & ex Latinis accepta, quæ recitant Metaphrastes, Zonaras, atque Cedrenus: Alia rursus, quæ longe postea, nec ante millesimum Christi annum cognita fuisse noscuntur, ab aliquo Græcorum commenta, proditaque Græce sub falso Eusebii Cæsariensis nomine ex libro de Martyribus, quibus deinde superadditum est à Græcis, Græce scriptum ipsum Constantini Edictum de Donatione, idemque postea Latinitate donatum, atque receptum vna cum Actis, prout glossemata testantur apud Gratianum. *a* Porro illa Græci non Latinorum amore, sed odio, suique vtilitate fecisse noscuntur: (sic enim donare consueuerunt, vt surripiant potiora:) In odium, inquam, Romanæ Ecclesiæ, vt quæ ipsa possidet, nõ diceretur à Christo accepisse, sed à Constantino Imperatore: In sui vero vtilitatem, eo quod in eodem Edicto affirmaretur, iam sub eodem Imp. Ecclesiam Constantinopolitanam fuisse Patriarchatum: cum tamen nec eo tempore, quo Edictum promulgatum ponitur, adhuc vrbs Constantinopolis id nominis accepisset, & non nisi longe post hæc tempora, eadem continua Imperii sede tumens, amplissimam eiusmodi dignitatem ambire notarur præsumptisse, de quo dicetur suis locis. Hoc autem fuisse Græcorum consilium in confingendo Edicto Constantini, satis apparet ex iis quæ de priuilegiis Ecclesiæ Constantinopolitanæ habet Theodorus *b* Balsamon pseudopatriarcha Antiochenus, qui primus omnium Græcorum ex Actis Siluestri Papæ in lucẽ edidit Edictum Constantini, circa annum Domini millesimum centesimum nonagesimum quintum: cum tamen iam antea innotuisset Latinis (vt dictum est) translatum è Græco, acceptum vero bona fide à nonnullis, quousque mala fides Græcorum inexplorata latuerit, & à pluribus omni studio defensum.

a *Dist. 96. c. 14. ex palea. verb. Vtile.*

GRÆCORUM FRAVDVLENTIA.

b *Theod. Balsam. in Nomocan. Phot. tit. 2. & in Iust. Nouel. cap. 123 & in Syn. Aut. c. 12.*

Qui vero primus eius meminisse inter Romanos Pontifices reperitur, fuit (vt diximus) Leo Nonus, anno Redemptoris millesimo quinquagesimo quarto, in epistola ad Michaelem Constantinopolitanum & Leonem Acridanum Episcopos: eodemque tempore fit mentio eiusdem, in Disputatione quæ asseritur Petri Damiani cum Aduocato Regio. Postea vero de ipso aliquamdiu altum silentium, cum tamẽ in controuersiis de iuribus Romanæ Ecclesiæ cum Principib. occupati fuerint eius successores, ac præsertim Gregorius Septimus & Alexander tertius: vt appareat fuisse apud eos eiusdẽ Edicti auctoritatem, à cuius citatione abstinendum putarint, quod illo nõ indigerent, qui firmiorem haberet propheticum sermonem, & firmissimum Euangelicum testimonium, ac contestes omnes sanctissimos Patres, de transmissa Christi in Petrum Apostolum auctoritate, & transfusa pariter in eius successores. Sed nec Imperatores eiusdem Edicti meminisse certũ est, quantumlibet Ottones pater & filius, necnon Henricus, antecessorum Principum qui donarunt Ecclesiæ Romanæ, mentionẽ habuisse reperiantur. Denique emersit in lucem tempore Benedicti Papæ Duodecimi, anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo nono, Ottonis Tertii nomine scriptum olim diploma aduersus Pontifices dilapidatores bonorum Ecclesiæ Romanæ, quo idem Constantini Edictum esse falsum argueretur, cõfictumq; ab impostore Ioanne quodam diacono, cognomento Digitorũ Mutio, siue Mutilo, nempe digi-

XXV. QVANDO ID NOTVERIT EDICTVM DONATIONIS.

c *Recitat & ex. pudat Baron. Tom. XII. an 1191. Quibus adde quæ pro defensione eius sententiæ, de eodem præsente diplomate scripsit Gretserus cap. 21. Apol. Baron. aduersus Goldastum, & lib. 2. Rephic. cap. 16. de quo huius. ad an. 774. post num. IV.) acrursum contra alios Alleg. 1. & 2. ad libel. de Munif. Princ. in Sed. Apost. vbi & multa habet de ipsa Donatione.*

pe digitis amputato, quod quidem diploma sanctissimus Pontifex Benedictus, ita repertũ in thesauro scripturarum Ecclesiæ Romanæ, qui tunc asseruabatur Assisij in conuentu Fratrum Minorum S. Francisci, haud voluit mala fide aboleri, eo quod videretur aduersari Edicto vulgato Constantinianæ Donationis: quamuis non ob hoc quod descriptũ fuerit, ipsum probasse dici possit: quod nec quidem esse Octonis Tertij, multa sunt falsa, & inter se contraria, in eo contenta, quæ manifeste commincere videantur. Quisquis autem ille fuerit Ioannes diaconus assertus auctor Edicti, (qui potius dicendus est translator eiusdem è Græco in Latinum: illud certissime constat, ipsum Edictum nusquam ab aliquo auctore citatum reperiri ante eiusdem Octonis tempora, qui desijt imperare anno Domini millesimo secundo.

XXVII. PRIVILEGIA ECCLESIÆ ROM. DATA A CHRISTO, CONFIRMATA A PRINCIPIBVS.

Verum de his satis, quæ dixisse voluimus aduersus eos etiam, qui tanti ponderis existimant ipsum Constantini Edictum, vt illud retinendum censeant, si labefactetur, vniuersam cum ipso Ecclesiam corruere, reclamantibus ex aduerso (quod sæpius inculcamus) sanctis Patribus, & antiquoribus Romanis Pontificibus, non Regum & Imperatorum priuilegijs, sed Christi verbis in Petro petitæ fidei fultam, superque petram firmam ædificatam, quamuis postea certio. a Regibus & Imperatoribus acceperit priuilegia. Sicut nec quod attinet ad Pontificia ornamenta, quæ continentur in eodem asserto Edicto, vel immo mum dispendium Ecclesia Romana pati potest, si eius corrua integritas: quando quidem ea concta ante quam in eo scriberentur, iam possiderentur ab eiusdem Ecclesiæ Pontificibus, vt de Corona, siue lamina aurea, aliisque, vel i m dictum est superius, vel dicetur suis locis inferius.

XXVIII. SYNODVS ROM. SVB SILVESTRO.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. tertio Calendas Iunii, (vt habent Acta Siluestri) post baptizatum Constantinum, collecta est Romæ in *Thermis Traiani*, (qui locus fuerat nuper in Titulum sui nominis à Siluestro erectus, & à Constantino muneribus ac reditibus locupletatus) SYNODVS, de qua superius facta est mentio: cuius extant Acta, sed adeo deprauata, vt vix sit reperire versum, in quem non irrepserit mendum. Porro conuenisse Episcopos ducentos octoginta quatuor, produnt eadem Acta quæ habentur a typis excusa, sed Cresconiana Collectio ducentos triginta tantum ait memorat, ac de Episcopis Græcis ne verbum quidem tax at memorat, ac de Episcopis Græcis ne verbum quidem. Illis autem qui conuenerunt, à Constantino suppeditata esse vehicula & annonam, ibidem declaratur. Eidemque patrem fuisse legantur presbyteri, & diaconi, ac reliquus Romanus Clerus, (sed omnes tantes à tergo sedentium Episcoporum, quod de presbyteris tunc factum putatamus modestiæ causa, cum alioqui coram Episcopis diaconi tantum stare, presbyteri vero sedere b consueuerint:) necnon ipse Constantinus Imperator, & mater eius Helena, vna cum Calpurnio Præfecto Vrbis ex Gentile facto Christiano. Acta fuisse hæc veluti quædam pietatis exercitia, de primo Christiano Imperatore summo omnium gaudio celebrata, & publica pro accepto munere gratiarum actio, significatur ipso Synodi principio. Cuius quidem leguntur viginti capita, duabus Actionibus peracta, eademque triplici editione excusa.

a *Tom. 1 Con.*

b *Hier ep. 85 ad Euag. Con Cart. IV. c. 34.*

XXIX. CALVMNIA N VICTORINVM PICTAVIENSEM. *De quo vide sup. an. 303. VIII.*

Præloquens vero Siluester de seruanda Dei Ecclesia libera ab hæreticorum incursu, damnauit primæ Actionis exordio *Hippolytum* diaconum Valentinianæ hæresis sectatorem, *Callistum* Sabellij hæresi maculatum, & *Victorinum* Episcopum qui receptos ab Ecclesia Paschales cyclos tedarguere præsumpsisset. At prorsus indigne passi sumus, (quod & alias monuimus) ab eo qui post duas editiones huius Synodi tertiam conflauit, Victorino Episcopo adscriptum esse, absque alicuius vetusti exemplaris fide *Pictauiensem*: quo mendaciter admodum nobilissimum infamat Antistitem, quem longe ante hæc tempora sub Diocletiano martyrium consummasse vidimus, quemque Optatus c Mileuitanus vt insignem debellatorem hæreseum commendauit. Sed sicut longe alius hic *Victorinus* est ab Episcopo Pictauiensi, ita & plane diuersus ab illo *Victorino*, seu potius *Victorio* dicto, qui nullius sedis fuisse Episcopus reperitur, quem Gennadius d tradit claruisse sub Hilario Papa, & ab eo imitatum post Prosperum vltimum calculatorem prosequi futuri temporis Paschales cyclos: licet Victorem Episcopum Capuanum aduersus eum scripsisse ferant. a Quinam autem hic fuerit, qui damnatus est in hoc Romano Concilio, ignoratur, sicut & Hippolytus, & Callistus hæretici. Quod autem in eadem Synodo nulla facta reperitur mentio de Ariana hæresi, quæ plures iam annos Orientem exagitauerat Ecclesiam: videtur illud à Siluestro vna cum Constantino initum esse consilium, vt sequenti anno maiori apparatu totius Orbis Episcoporum in ipso Oriente, vbi ea vigebat, Synodus Oecumenica celebraretur. Nam & legationem Episcoporum ex Rhinocolura, quæ est in Ægypto ciuitas, quorum in hac Romana Synodo recitatus est libellus, Arianæ cladis credi potest ibi reficuisse memoriam.

c *Optat. lib. 1.*

d *Gen. de vir. illust. c. 88.*

Post damnatos vero prædictos hæreticos, nonnulla instituta sunt ad disciplinam, pacemque, & œconomiam Ecclesiasticam conseruandam: item q; de Ecclesiæ reditibus, quibus iam inciebat affluere, vt pars vna Episcopo cederet, alia clericis, tertia Ecclesiarum fabricis, quarta pauperibus alendis. Additum quoque de ordinatione, ætate, numero, & continentia ministrorum Ecclesiæ, quamuis multa in annos ætatis ordinandorum menda irrepsisse, facile possit intelligi. Inter alia vero statutum, ne in parochijs amplius quam duo diaconi essent, septem autem Vrbis (nempe Regionarij) diaconi CARDINALES. Vltimo demum loco sancitum, vt *Nemo diiudicet Primam Sedem, quoniam omnes sedes a prima sede iustitiam desiderant temperari: neque quoque ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque a populo Iudex iudicetur*, quem canonem post ea citauit Nicolaus Papa aduersus Michaelem Imp. Subscripsisse vero his Romanæ Synodi decretis, non solum Siluestrum & Episcopos, atque presbyteros & diaconos qui præsentes extiterũt, sed etiam Constantinum, eiusque matrem Helenam, in fine eius expressum habetur.

DECRETVM NICÆNVM CONC.

XXX. DECRETVM DE DISPENSATIONE BONORVM ECCLESIÆ.

PRIMA SEDES A NEMINE IVDICATVR.

Post hæc eodem Constantino se in omnibus perfectissimum Christianum exhibente, cum dies quidam (inquit Zosimus *b*) more patrio festus appetiisset, quo in Capitolium exercitui ascendendum erat, ipse eum ascensum verbis contumeliosis infectans, re diuina proculcata, Senatus atque Populi odium incurrit. Cumque profectas ab illis execrationes haud ferret, vrbem quamdam Romæ parem quærebat, in qua Palatium sibi conderet. Itaque prope antiquum Ilium inuento loco condendæ vrbis idoneo, fundamenta iecit, & muri partem aliquam in altum egit: sed quod eum huius operis instituti pœnituisset, eo relicto Byzantium concessit, cuius vrbis situm admiratus, eam quã maxime statuit amplificandam, & efficiendam, idoneam, vt Principis in ea domicilium esset. Hæc Zosimus. Porro Constantinum hoc ipso anno Ilium nauigasse, satis intelligere possumus, quod constet ipsum anni sequentis exordio in Oriente egisse. Eumdem vero noctu per visum à Deo monitum, relicto opere apud Ilium cœpto, Byzantium Thraciæ ciuitatem delegisse, Sozomenus *c* tradit. Ferunt *d* quoque illud diuinæ voluntatis indicem accessisse prodigium, vt ædificantium apud Ilium instrumenta, nulla hominis arte in aduersum littus reperirẽtur esse translata. Sed & aquilam sustulisse funiculum cæmentariorum, & iuxta Byzantium deiecisse, testatur Zonaras: eaque de lapidibus idem Cedrenus *f* affirmat: qui & non vnum, sed plura tradunt mutata à Constantino adhuc ancipite vrbis condendæ loca. Addit demum Nicephorus, *g* cum Imperator apud Byzantium nouæ vrbis ambitum definiens circumiret, & comitium nouæ vrbis ambitum definiens circumiret, & comitium nouæ vrbis ambitum definiens circumiret, & comit

celebratur, præter illa quæ à Cosmographis habentur summa cum gloria posteris commendata: verum multis exagitatam cladibus, Constantinus non solum restituit, sed & mirifice auxit & illustrauit, vt dicetur pluribus in eius dedicatione.

XXXII. EVSTATHIVS CREATVR EPISC. ANTIOCH.

Hoc ipso anno, defuncto Paulino Episcopo Antiocheno, postquam sedisset annos quinque, (vt habetur in Chronicis Hieronymi & Nicephori) post multas disceptationes, ad eius sedis regimen accersitur ex sede Bercœensi *Eustathius*. Qui tamen secundum eum[illegible] Nicephorum, numerantem annos Episcoporum Antiochensium sub Constantino, dicendus esset non hoc anno, sed ante biennium creatus, sedisseque annos decem & octo, nimirum vsque ad annum Christi trecentesimum quadragesimum, quo fuit depositus. Porro ante eius electionem apparet eam Ecclesiam scissam fuisse in duas partes, quarum altera Arianorum, Eusebio Pamphili Episcopo Cæsariensi studebat. Sed cum lõge superior pars Catholicorum existeret, ac de hisce cõtrouersiis scriptum esset ad Imperatorem, idem Eusebius præseferẽs inuiolabilem Apostolicæ traditionis obseruantiam, ne à sede in aliam transferretur Episcopus, ea de causa meruit à Constantino plurimum commendari literis, tum ad ipsum tum ad illos qui ei studebant scriptis, quas ipse ostẽtans, quod laudes suas continerent integras in Vita *a* eiusdem Imperatoris descripsit. Quod autem turbæ illæ Antiochenæ non acciderint (vt Theodoretus, *b* Socrates, *c* Sozomenus, *d* & alii eos secuti existimarunt) tempore quo depositus est Eustathius, sed quando creatus, illud omnino conuincere videtur, quod eas idem Eusebius Constantino viuente contigisse referat, Eustathium vero sub Constantio depositum, indubitatam SS. Athanasius *e* & Hieronymus *f* fidem faciant. Vt autem crederentur contigisse tempore depositionis, illud induxit, quod de iis Eusebius alia occasione longe post Nicænum Concilium agat, cum tamen absque vlla sit controuersia, Eustathium iam creatum Antiochenum Episcopum magnæ illi Synodo interfuisse.

Cæterum quod prædictis Constantini literis frequens mentio habetur de Apostolica traditione atque mandato, ne vnius Ecclesiæ Episcopus in aliam transferatur, ex iis egregie probatum habes canonem Apostolorum, *g* quo id prohibetur fieri, nisi forte quis in maiorem Ecclesiæ vtilitatem multorum Episcoporum iudicio ad id compellentium cedat. Huius autem legis sic in causa præsenti habita est ratio, vt à Catholicis Episcopis electoribus, ob tanti viri præstantiam, & tam insignis Ecclesiæ ab Arianis appetitæ commodum, Eustathius Bercœa Antiochiam transferretur: quem Theodoretus *h* ait, communibus Episcoporum & populi suffragiis inuitum ad hoc compulsum fuisse, eumdemque Athanasius *i* & Hieronymus *k* de egregia nauata aduersus Arianos opera mirifice laudant. Sed de illo sæpe inferius.

a *Eus. 3. de Vit. 57.*
b *Theod. lib. 1. cap. 22.*
c *Soc li. 2. c. 18*
d *Soz. li. 2. c. 18*
DE TEMPORE TVRBAR. ANTIOCHI-NARVM OB EVSTATH.
e *Athan. ep. ad Solit.*
f *Hier. de Scri Eccl. in Eusta.*

XXVIII. CANON DE TRANSLATIONE EPISCOPORVM.
g *Can. Apost. 14.*
h *Theod. lib. 1. cap. 7.*
i *Athan. ad Sol.*
k *Hier. ep. 126. ad Euag.*

IESV CHRISTI AN. 325.

SILVESTRI AN. 12.

CONSTANTINI IMP. AN. 20.

ANno Christi trecentesimo vigesimo quinto, Paulino & Iuliano Coss. Sacrosancta OECVMENICA SYNODVS NICÆÆ in Bithynia celebrata est. Id enim iisdẽ Coss. & anno sexcentesimo trigesimo sexto post regnum Alexandri Macedonum Regis contigisse, non solum Acta Synodi *l* Chalcedonensis expresse testantur, verum etiam Socrates *m* ex Annalium (vt ait) commentariis indubitanter asserit. Quod autem diuersi dies & menses positi habeantur, nempe in Actis Chalcedonensibus decimus tertius dies ante Calendas Iulii, apud Socratem vndecimus ante Calendas Iunii: nisi vitio librariorum irrepsit error, affirmare necesse est accidisse ex diuersis Synodi Actionibus, cum singulæ suis diebus consignari consueuerint, vel ex diuersis Constantini literis, tunc diuersis diebus scriptis. Cæterum extat quoque in vetustissima Collectione Cresconiana, Attici Episcopi Constantinopolitani testimonium, (quando S. Augustini temporibus missa est ad eum legatio ab Africanis Episcopis, vt ab eo peterent eiusmodi Synodi canones, occasione cuiusdam controuersiæ, de qua dicetur suo loco:) quo pariter celebrata asseritur à die decimatertia Calendas Iunii vsque ad diem octauam Calendas Septembris, isdem Paulino & Iuliano Coss. & Alexandri anno sexcentesimo trigesimo sexto. Inscriptio autem illa, qua in vulgatis Conciliorum tomis eius tempus definitur per Æram, licet ea ex parte vera consistat, cumæque celebrata ponit sub Paulino & Iuliano Coss. decimotertio Calendas Iulii, æra trecentesima sexagesima sexta, tamen cum id dicat accidisse viuente adhuc Licinio Iuniore, haud quaquam probari potest: quæ & in annis ab Alexandri regno numeratis deprauata esse dignoscitur. Fortasse autem Osius, quod Hispanus esset Cordubensis Episcopus, apposuit æræ numerum, quæ est peculiaris numerandi ratio Hispaniarum.

l *Cone. Chalc. Act. 2.*
m *Soc. li. 1. c. 9 in fi.*
TEMPVS CELEBRATI CONCILII NICÆNI.

Quod vero tot optimæ notæ auctoritatibus certi existant Coss. corrigendum imprimis est quod in fine Chronici Eusebii asseri videtur, Synodum celebratam esse anno decimoquinto Imperii Constantini, & Domini trecentesimo vigesimo quarto: cum ex emendationibus factis necesse sit sub Coss. Paulino & Iuliano numerare Constantini annum vigesimum, Christi vero trecentesimum vigesimũ quintum. Immo & ipsis Constantini Vicennalibus celebratam fuisse & absolutam, ipse Eusebius *a* in eius Vita tertio repetit. Quapropter corrigendum est pariter Cassiodori Chronicon, in quo post triennium collocetur, nempe sub Ianuarii & Iusti Consulatu, quo idem Cassiodorus posuit annum vigesimum Imperii Constantini, dum in statuendo certo eius exordio (quod superius vidimus) errauit. Quæ quidem non attendẽtes complures tam Latini quam Græci Scriptores, in eam sententiam abierunt, Nicænum Concilium triennio perdurasse, cœptumque esse dictis Coss. Paulino & Iuliano, & perductum vsque ad Consulatum Ianuarii & Iusti. Immo & incertus auctor apud Metaphrastem, *b* profitetur perdurasse sex etiam menses vltra triennium, idque sibi vendicat testimonio Alexandri, quem ait scripsisse Acta Synodi: sed quisquis ille fuerit, mendaciorum concinnator extitit, vt inferius suis locis continget demonstrari. Eiusdem vero sententiæ asserror Nicephorus, *c* grauiora etiam coagmentat mendacia, dum consentiens celebratam esse Synodum Paulino & Iuliano Coss. & anno vigesimo Constantini, ex quo in Britannia creatus est Imperator, tamen addit cœptam esse decimo tertio anno postquam idem Imperator venit Byzantium, & vigesima tertia (nisi sit legendum decimatertia) Indictione, die vero vndecima mensis Maii, ac duasse annis tribus paulo amplius. Sed non tam miramur errasse Nicephorum, quam apud aliquos fidem inuenisse, cum apertissimi ab Eusebio imprimis, qui præsens fuit, mendacia arguatur, dum toties repetit absolutam esse ipsis Constantini Vicennalibus. Denique & illi explodendi, qui tradiderunt ante triennium cœptam, absolutam esse nominatis huius anni Coss. & eodem vigesimo anno Imperatoris: quippe quibus penitus refragantur, quæ superioribus annis ab eodem Constantino alibi loci gesta esse, certis testificationibus demonstratum est. Quæ igitur cœpta dicitur Paulino & Iuliano Coss. & absoluta anno Constantini vigesimo, vtique affirmanda est vno eodemque anno inchoata ac pariter consummata: nec apud antiquiores vllum est reperire exemplum, quod vltra annum Synodus perdurarit, quantumuis fuerit Oecumenica, & ex omnibus Orbis partibus in eam Episcopi conuenerint.

II. QVANTVM PERDVRAVERIT.
a *Eus. 3. de Vit. 14 & li. 4. cap. 40. 47. Vide infra ad an. 2.*
b *Ap. Lip. to. 6.*
c *Nic. lib. 8. cap. 26.*

Sed quod ad tempus itidem spectat, cum tam perspicue constet, eamdem Synodum celebratam esse sub Siluestro Romano Pontifice, id quidem suis ipsorum subscriptionibus manifeste profitentibus Legatis: corrigendum est quod apud Sozomenum *d* legitur, eam habitam esse sub Iulio Romano Episcopo, quem constat non nisi post Marcũ Siluestri successore, multos post annos sedere cœpisse. Quamuis haud forte fuerit tam patens hic error Sozomeni, sed

III. SVB QVO RO. PONT. HABITVM.
d *Soz. lib. 1. cap. 16.*

libra-

libratiorum: qui ex eo quod ille scripserat, πλείους δὲ ὁ Ρωμαίων Πατριάρχης, fecerunt mutatione facillima, γέλειος δὲ ὁ Ρωμ. & quod dixerat Sozomenus, senem, siue canum, Episcopum Romanum, propter ætatem ingrauescentem, non potuisse Concilio interesse, mutarunt illi in Iulium Episcopum Romanum. Vnde postea idem error irrepsit in Nicephorum, *a* qui Sozomeni verba retulit. Photius *b* vero vtraque conciliare volens, fere grauius errauit, dum Synodum sub S. Iluestro & Iulio celebratam tradidit. Nec nocet quod Sozomenus nomen Siluestri minime recensuerit, cum satis ipsum significarit per appellationem Episcopi Romani. Nam & ea tantummodo nomenclatura Theodoretus *c* eum designauit. Sed de his, deque tempore coactæ Synodi hactenus.

[Prædictam appositissimam textus Sozomeni emendationem, vicit primus scripsit acutissimus Cardinalis PERRONIVS, cuius ea de re est elegans obseruatio in Parergo de tempore celebrati Concilii Nicæni, exposito Actis à Gelasio Cyziceno conscriptis, in Edit. Rom. Conciliorum Generalium, quamuis præ modestia nomen suum tecerit: quippe qui magis sategit aliis prodesse, quam laudem sibi conciliare, nimirum omni ipse laude superior. Ibi vero licet isthæc de tempore Concilii, quamplurimis rationibus probata ac confirmata videre]

Causas autem eius cogēdæ, S. Athanasius *d* & alii omnes fuisse tradunt, vt Orientali Ecclesiæ subueniretur, duabus præcipue infestatæ cladibus, nempe Ariana hæresi, quæ nimium inualescebat, & Quartadecimanorum errore, qui maxime apud Syros, Cilices, & Mesopotamenos vigebat. Addit Eusebius *e* & aliam causam, nimirum schismatis Meletianorum, quod diu vexabat Ægyptum & Thebaidem, adeo vt in singulis ciuitatibus contrariarum partium Episcopi ac populi inter se digladiarentur, eoque insaniæ Meletiani progressi essent, vt & Imperatoris imagines contumelia afficere non dubitarent: verum Imperatorem non tam ad iram, quam ad immensum animi dolorem de factiosa ipsorum amentia incitatum esse. Quo etiam pertinere putamus, quod S. Io. Chrysostomus *f* ex oratione Flauiani Episcopi Antiocheni refert, nempe Constantinum, cum aliquando effigie sua lapidata, multi ipsum instigarent ad supplicium de auctoribus contumeliæ sumendum, quos dicerent totam ipsius faciem saxis conuulnerasse, manu faciem suam palpantem, ac leniter ridentem dixisse, *Ego vero nusquam vulnus in fronte factum video, sed sanum quidem caput, sana vero & facies tota.*

Illam porro ex Episcoporum sententia à Constantino conuocatam esse, Ruffinus *g* tradit. Eaque de re Alexandrum Episcopum Alexandrinum literis apud eumdem Imperatorem egisse, testatur Epiphanius. *h*

Quemadmodum & Osium Cordubensem redeuntem ex legatione, qua à Siluestro Romano Pontifice missus fuerat ad componēdas res Alexandrinæ Ecclesiæ, id ipsum præstitisse, Sozomenus *i* indicat. Sed quod ait à Constantino indictum esse Concilium, sic intelligendum est, quod eiusdem literis Episcopi conuocati fuerint. Cæterum quod religio esset absque Romani Pontificis auctoritate Vniuersalem congregare Synodum, id omnino prohibente (vt ait Socrates *k* canone Ecclesiastico, quo vetitum erat *ne decreta absque sententia Episcopi Romani Ecclesiis sancirentur*, interpositam esse Siluestri auctoritatem nemo iure poterit dubitare: actumque de his anno præterito inter Siluestrum & Constantinum Romæ, probabili argumentatione declaratum ibi est.

Quod vero spectat ad numerum Episcoporum qui Nicæam conuenerunt, videtur apud Eusebium *l* irrepsisse mēdum, cum legitur conuenisse ducentos quinquaginta & amplius: Nam Socrates, *m* Eusebii verba recitans, trecentos & amplius ponit. Itemque depranatum putamus locum epistolæ *n* Eustathii Antiocheni, qui Synodo interfuit, vbi scribitur numerus ducentorum septuaginta Episcoporum. Nam Athanasius *o* iterum, iterumque Epiphanius, *p* nec non Hilarius, *q* Ruffinus, *r* & Theodoretus, *s* trecentos decem & octo Episcopos interfuisse tradunt: idque ipsum videtur significasse Sozomenus, *t* cum circiter trecentos viginti conuenisse scribit. Marius *u* vero Victorinus, qui eodem ferme vixit tempore, trecētos quindecim numerat. At sententiam de *Trecentis decem & octo*, posteriores omnes vno consensu probarunt, eumdemq; numerum, vt mysticum, nonnulli variis præconiis celebrarunt, adeo vt stultum sit plane, id denuo in controuersiam reuocare. Nec quemquam hac de re ambiguum reddat longe his minor Episcoporum numerus, qui ei reperiuntur esse subscripti: siquidem ex immenso Nicænorum Actorum naufragio, eos ibi conscriptos haberi, pro miraculo pene censeri posse existimarim. Porro presbyterorum, diaconorum, & cæterorum Ecclesiæ ministrorum, qui cum Episcopis Nicæam conuenerunt, prorsus innumerabilem fuisse turbam Eusebius tradit: additque Imperatorem omnibus cibaria in singulos dies large & liberaliter suppeditari mandasse, cum & sumptibus publicis eos illuc perduci curasset.

Inter eos autem qui cæteris fama præstarent, primus se offert duplici legatione conspicuus *Osius* Episcopus Cordubensis, Hispanarum Episcoporū vicem, & Siluestri Rom. Pontificis personam gerens, collegarumque Legatorum primarius. Accidit enim ei perinde ac postea Cyrillo Alexandrino Episcopo, qui quod ei delegasset vices suas Cælestinus Papa, in Concilio Ephesino locum primum inter alios deinde missos Legatos tenuit. Quænam enim alia ratio, vt Osius, mediocris in Hispania Ecclesiæ Episcopus, primo loco ante Legatos Apostolicæ Sedis, & ante ipsos Orientalium sedium Patriarchalium Antistites, ac denique ante totius Africanæ Ecclesiæ Primatem, (vt de aliis præstantissimarū sedium Episcopis taceam) ipse in aliena prouincia, & celeberrimo omnium consessu, subscripserit, nisi locum teneret, & personam repræsentaret amplissimæ omnium potestatis? Quapropter & Græci scriptores qui de Synodo Nicæna tractarunt, vt Dalmatius Cyzicenus Episcopus, qui interfuit Synodo Ephesinæ, & post illum Gelasius *a* eiusdem Ecclesiæ presbyter, qui tempore Zenonis Imperatoris collegit (vt profitetur) Acta Nicæni Concilii, ac Photius *b* Patriarcha Constantinopolitanus, quamuis Romanorum Pontificum hostis infensissimus, nihil dubitarunt Osium Legatis Apostolicis adnumerare, & Hadrianus Papa in Epitome *c* canonum ad Carolum Magnum, absque controuersia affirmauit eumdem ab Apostolica Sede destinatum fuisse ad Nicænam Synodum. Qui vero ei socii additi sunt, missi à Siluestro Papa, *Victor* seu *Vitus*, atque *Vincentius*, Romanæ Ecclesiæ presbyteri, iidem etiam post ipsum primi subscripti reperiuntur: eosdemque vna cum Osio, ad vicem Siluestri Nicænæ Synodo præsedisse, expressis verbis testatur Hincmarus *d* Archiepiscopus Rhemensis sub Carolo Caluo Magni nepote, haud alioqui nimium auctoritatis Romanæ sedi tribuere assuetus.

Secuti sunt istos *Alexander*, *Eustathius*, & *Macarius*, Patriarchæ Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, præclarissimi fidei defensores, & sanctitate clarissimi, de quibus iam dictum superius, diceturque inferius. Et inter eos, quos secum duxit Alexander eximios Ægypti Antistites, duo *e* tantum nobis noti sunt, nomine *Potamon*, & *Paphnutius*, ille Heracleæ in Ægypto, hic Thebaidis superioris Episcopus, ambo sacris stigmatibus in Persecutione Maximini decorati: quippe Potamon altero oculo priuatus est, Paphnutius & dextro oculo effosso, & sinistro poplite succiso, ad metalla damnatus: quem & in eremo sub Magno illo Antonio militasse, auctor est Athanasius, Ruffinus *f* vero, & miraculis clarissimum extitisse, & in tanta veneratione Constantino fuisse, vt sæpius intra Palatium euocatū complecteretur, & oculum euulsum auidioribus osculis demulceret. Cæterum cum hunc omnes testentur Nicænæ Synodo interfuisse, nec tamen ei subscriptus reperiatur, hinc plane, sicut ex aliis inferius recensendis, intelligas permultos in illa serie Episcoporum desiderari.

Inter alios item Catholicæ fidei coryphæos, enituit *Iacobus* Nisibis in Mesopotamia Episcopus, miraculorum *g* patrator insignis, ac mortuorū excitator, & inter Scriptores *h* Ecclesiasticos illustris, de quo rursum inferius. Et ex superiore Armenia aduenit *Aristanes*, successor Magni Gregorii Armeni, quem Maioris Armeniæ Regem ad Christi figem conuertisse vidimus. Hunc enim Atostanem Synodo interfuisse, testantur Acta eiusdem Gregorii, reperiturque subscriptus, licet deprauata voce Aristeus, seu Acrites vel Ari-

IV. CAVSÆ CELERIS COGENDI. *De quibus Baron. hoc anno, & ad finem superioris. d Athan. de Synod.* *e Euſ. 3. de Vit 4.* *f Chryſ. hom. 10. ad pop. Antioch.*

V. *g Ruff. lib. 1. cap. 1. in fi.* *h Epiph. hær. 68* *i Soz. lib. 1. cap. 16.* CAVSÆ AVCTORITATE COACTVM. *k Socr. lib. 2. c. 13. Quæ pro variis partibus Imperatorum in synodis conuocandis, quæ Pontificum Romanorum, quæque in his antiqua Ecclesiæ praxis, luculentissime prædita, idem qui supra Car. Perron. in Resp. ad Reg. Aug. li. 1. c. 4.*

VI. *l Euſ. 3. de Vit 9.* *m Soc. li. 1. c. 5.* NVMERVS EPISCOPORVM. [Cuius diuersitatis fontes, & quo modo conciliari possit, vt qui ipse numerarint, intelligantur tam de Episcopis qui interfuerunt quam de legatis absentium, reliqui vero de solis Episcopis qui per semetipsos interfuerūt.] *n Ap. Theod. lib. 1. c. 8.* *o Athan. ep. ad Iou. Imp. & in diſp. con. Arium.* *p Epi. hær. 69. & in Ancor.* *q Hilar. cont. Conſt.* *r Ruff. li. 1. c. 1.* *s Theod. lib. 1. cap. 7.* *t Soz. li. 1. c. 16.* *u Mar. aduerſ. Arium lib. 2. in fi.*

VII. OSIVS LEGATVS SILVESTRI PP. *De quo fuse, ac plane egregie, Card. Perr. in Resp. ad Reg. Maj. Brit. li. 1. c. 15.*

VIII. RELIQVI PRÆCIPVI EPISCOPI. *e Soc. lib. 1. c. 5. 8.*

IX. *f Ruff. li. 1. c. 4.* *g Theod. lib. 1. cap. 7.* *h Gen. de vir. illuſt.* *i Ap. Met. & Sur. 29. Sept.*

a Gelaſ. Cyzi. lib. 2. c. 5. *b Phot. in Biblioth. c. 88. & ep. de Sep. Syn. ap. Euth. Pan. p. 2. tit. 24.* *c Ext. tom. 6. Ant. leſt. Canoniſt.* *d Hincm. opuſc. 55. c. 20.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

vel Aristarces dictus. Ex quibus erroris arguitur Nicephorus *a*, cum ait interfuisse Synodo huius prædecessorē Gregorium, quem longe antea constat esse defunctum. Adfuit & ille tori Orienti conspicuus, *Leontius* Cæsareæ in Cappadocia Episcopus, eiusdem Magni Gregorij olim ordinator: quem quidem Gregorius *b* presbyter Cæsariensis Angelis parem appellans; eius (inquit) multi, etiam antequam veniret ad Synodum, emanarunt sudores propter fidem; multi per ipsum martyres & victores athletæ prostrauerunt aduersarium; multiq; vsi vitæ eius doctrina, ciues euasere cœlestes. Qui & hoc ipso anno cum Cæsareæ venturus ad publicum Patrum conuentum, Nazianzo transiens diuertisset apud Gregorium, patrē Gregorij cognomento Theologi, vulgo dicti Nazianzeni, præsto fuit vna cum aliis Episcopis baptismo eiusdem Gregorij Senioris; qui cum hactenus Gentilis extitisset, tandem visione diuina inductus, ac sanctis piissimæ coniugis precibus & hortationibus adiutus, miraculisq; confirmatus, fidem Christianam amplexatus est; & non ita post in locum Episcopi, qui eum baptizauerat, præcedentibus prophetis electus est in Episcopum eiusdē ciuitatis Nazianzenæ: sicut rem gestam pluribus narrat Gregorius eius filius, oratione habita in funere patris.

a *Nic. lib. 8. c. 14.*

b *Greg. presb. orat. de Patr. Nic. Concil. ap. Sur. tom. 4 & Lipom. tom. 6.*

X. ALII ILLVSTRES ANTISTITES CATHOLICI.

Adstitisse quoq; omnibus spectatissimum in eodē Conuentu, *Nicolaum* Myræ in Lycia Episcopum, (de cuius egregia in persecutione Liciniana confessione dictum est superius) testantur eius Acta, tum à Methodio tum ab aliis scripta; licet non reperiatur inter alios subscriptus. Sicut nec huic impar, *Spiridion* Episcopus Trimithuntis in Cypro, & ipse vnus ex illis nobilissimis Confessoribus, quos Maximinus dextro effosso oculo & sinistrō poplite succiso ad metalla damnauerat: quē tamen eidem Synodo interfuisse exploratissimum est; de quo paulo post dicetur pluribus. Eluxit quoq; ibidem *Paulus* Neocæsareæ Euphratiæ Episcopus, cui articulorum manuum neruos, & genitalia combusta fuisse in Persecutione Licinianæ, superius diximus. Itidemque magni nominis & meriti, pro vniuersa Ecclesia Africana aduenit, *Cecilianus* Carthaginiensis Episcopus; quem à factione improborum Donatistarum tot annis in tot iudiciis frustra calumniis exagitatum, innocentia toti Orbi clariorem reddidit: vt merito ab Athanasio *c* inter Apostolicos huius temporis Episcopos, & veritatis Catholicæ primarios defensores collocetur. Sed & ex Gallia accessit *Nicasius* Dinensis in prouincia Narbonensi Episcopus. At Occidentalium Episcoporum, qui pro cæteris legatione fungerentur, memoria prope excidit: quos sane delectos credibile est, qui præstarent cæteris sanctimonia & eruditione. Adfuit etiam (vt scribit Eusebius *d*) *Persidis* Episcopus; nec ab eo choro *Scytha* abfuit. Sicut etiam ex *Gothia* interfuisse reperitur *Theophilus* eorum Antistes. Denique adfuerunt & alij quamplurimi eminentissimæ sanctitatis & doctrinæ, quorum nonnullorum mentionem reperire est apud antiquos scriptores, & in Tabulis Ecclesiasticis; multorum quoq; nomina recensita habentur in subscriptionibus Synodi, aliorum autem memoria prorsus excidit. Vt vero rem totam antiquorum Patrum auctoritate concludam, cernere ibi licebat multitudinem *e* martyrum, & totius Orbis *f* lumina in vnum coacta. Siquidem (vt etiam Eusebius *g* tradit, & cæteri omnes fide digni profitentur auctores) ex cunctis Ecclesiis Europæ, Africæ, & Asiæ, vocati sunt Episcopi, qui facile primas inter alios ferrent. Ex quibus plane retunditur petulantis Macedoniani arrogantia, Sabini Heracleæ Episcopi, dum veritus non est dicere *h*, Magnum illud Concilium ex indoctis hominibus fuisse collectum: sed in mēdacissimum hominem alij antiqui Scriptores omnes pariter declamarunt.

c *Athan. orat. 1. cont. Arian.*

d *Euseb. 3. de Vit. 7.*

e *Theodor. lib. 1. c. 7.*

f *Mar. Victor. aduers. Arij, lib. 1.*

g *Euseb. 3. de Vit. 7.*

h *Socr. lib. 1. c. 5.*

XI. EPISCOPI ARIANI ACCESSERVNT DOLOSE AD CONCILIVM

At sicut olim *i* cum venissent filij Dei vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos etiam Satan; ita protsus diuinus iste & venerādus cœtus (inquit Theodoretus *k*) hostibus Dei non caruit: sed adfuerunt quidam, licet pauci numero, iiq; veteratores, qui maris breuia imitari, calliditatem suam occultarunt: quorum quidem duces fuerunt, *Eusebius* Episcopus Nicomediensis, alterque *Eusebius* Cæsariensis, *Paulinus* Tyrius, *Menophantes* Ephetinus, *Theognis* Nicænus, *Patrophilus* Scythopolitanus, & *Maris* Chalcedonensis. Eorum vero illud fuisse studium apparet, vt simul ac peruenirent ad Synodum, spreto iudicio Ecclesiastico (quod malæ causæ diffiderent) singuli aduersus Orthodoxos Episcopos Constantino Imp. libellos offerent, quo illum eis infensum redderent, & ad expugnandam Catholicam fidem faciliorem sibi eo pacto aditum aperirent. Nec enim vanos esse nos huius rei coniectores, satis declarant quæ subsecuta sunt, cum aduersus Eustathium Antiochenum, Athanasium Alexandrinū, & alios, tot extruxere calumnias, vt eundem Imperatorem demum compulerint eos in exilium amandare. Sed hæc postea.

i *Iob. 1.*

k *Theodor. lib. 1. c. 7.*

XII. CONSTANT. CREMAT LIBELLOS QVERELARVM EPISCOP.

Hoc vero tempore, qui ex Donatistarum causa diutius ventilata prudentior erat redditus Cōstantinus, cum videret (inquit Sozomenus *a*) in dies fere singulos eiusmodi libellos accusatorios sibi ab Episcopis offerri, mādatum dedit vt singuli crimina quæ aliis dicere constituerant, ad certum diem proponerent: vbi autem dies venit, oblatis sibi libellis acceptis: *Iste*, inquit, *criminationes tempus quidem sibi præstitutum habent, diem magni iudicij; iudicem autem, qui sit tum de omnibus sententiam pronunciaturus: mihi vero non est fas, cum homo sim, eiusmodi causarum cognitionem arrogare, præsertim cum & qui accusant, & qui accusantur, Sacerdotes sint.* His que dictis, omnes hortatus ad concordiam, & vt fidei negotium, cuius causa conuocati erant, strenuè agerent, cunctos libellos comburi iussit. Hæc Sozomenus; eademque Ruffinus *b*, quorum & meminit Socrates *c*: Citantque eandē historiam ex Ruffino acceptam, Gregorius *d* & Nicolaus *e* Romani Pontifices, in literis ad Mauritium & Michaelem Imperatores, cumisti præter ius fasq; sibi aduersus viros Ecclesiasticos potestatem arrogarent: addentes & ea quæ tunc à Constantino ad Episcopos dicta idem Ruffinus recitat, quæ apud Sozomenum compendiosius referuntur; nimirum, *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem dedit de nobis quoque iudicandi; & ideo nos à vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunque sunt, ad illud diuinum reseruentur examen. Vos autem nobis à Deo datі estis dij; & conueniens non est vt homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptum est, Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Addit vero Theodoretus *f*, Constantinum iureiurando asseruisse, se ne verbum quidem libellorum legisse; *quod Sacerdotum* (vt dicebat) *vitia non sint populo aperienda, ne ille inde causa offendiculi arrepta, licēter peccare aggrediatur.* Quin etiam hoc adiecisse, *si suis oculis Episcopum alienæ vxori stuprum inferre forte videret, facinus illud nefandum sui paludamento se obtecturum, ne facinoris affectus eos qui idipsum cernerent vllā ex parte laederet.* Hæc Theodoretus: quæ tamen in fine Synodi recensēt, sed nos ex plurium sententia; & verisimili coniectura, ante Concilium gesta putamus.

a *Soz. lib. 1. c. 16.*

b *Ruff. lib. 1. c. 2.*

c *Socr. lib. 5. c. 5.*

d *Greg. 4. ep. 75.*

e *Nicol. ep. ad Mich. Imp.*

SACERDOTIS EXIMIA DIGNITAS.

f *Theod. lib. 1. c. 11.*

XIII. GENTILES PHILOSOPHI AD SYNODŪ.

Cæterum non tantum Episcopi literis accersiti, sed etiam ex Gentilibus pleriq; Philosophicis imbuti facultatibus tanti conuētus fama excita, Nicæam confluxerunt; vt tanq̄ in publico vniuersi Orbis theatro ingenij vires ostentarent; & aginnib. Dei viuētis insultarent. Sed cū non deessent ex nostris, qui hac quoque ex parte nequaquam essent inferiores: tamen voluit Deus eorundem Gentilium petulantiam compescere diuina potius virtute, quā inanibus verbis; cum vnum ex illis acrius instantem, Christianus laicus, homo simplex, & ex Confessorum numero, retudit: (quod Socrates *g* pridie eius diei quam Synodus inchoaretur, accidisse affirmat:) aliumi vero senex quidam Episcopus, vir æquè simplex, & ex Confessorum numero, obiecta maiestate Christianorum mysteriorum, non solum compescuit, verum etiam ad fidem conuertit; vt narrant Sozomenus *h*, Ruffinus *i*, Gregorius *k* presbyter Cæsariensis, & alij fermè omnes tam Græci quam Latini recentiores historici. Addit q; idem Gregor. Menophantem Episcopum Ephesinū, Philosophicis facultatibus apprime imbutum, sed Arianismo infectū, adeo ex miraculo obstupuisse, vt deserto Ario adhæserit Orthodoxis. Sed & Sozomenus aliud huic non dissimile miraculum subtexit, ab Alexandro Episcopo Cōstantinopolitano Byzantij alio tempore coram ipso Imperatore Constantino editum; quo pariter Philosophum, Christianam religionem disputationibus suis carpentem, ore obstructo mutum reddidit.

g *Socr. lib. 1. c. 5.*

h *Soz. lib. 1. c. 17.*

i *Ruff. lib. 1. c. 5.*

k *Greg. presb. orat. de Patrib. Nic. Con.*

a Metaphr. in Dor. Nic. lib. 8. c. 15. Glyc. in Annal.

b Socr. libr. 1. c. 12. Nic. lib. 8. c. 42. c Ruff. lib. 1. c. 5. Socr. lib. 1. c. 8.

Quisnam aût fuerit Episcopus ille, qui in Nicæno Cõcilio Christiana simplicitate munitus, tam gloriosa de fastu Philosophicæ disciplinæ trophæa erexit; conueniunt in eandem sententiam scriptores *a*, fuisse Magnum Spiridionem, de quo nuper mentio facta est, Episcopũ Trimithunntis in Cypro: de cuius etiam exactissima Ecclesiasticæ antiquitatis, ac paternarum traditionum, vocumq; atq; verborum in Ecclesia semel receptorum obseruatione, aliud egregium exemplum Sozomenus *b* recitat, aliaq; præclara eius facta alij: quem, licet spiritu Prophetiæ, & miraculorum dono præpollentẽ, tantæ simplicitatis fuisse tradunt, vt etiam in Episcopatu positus oues pasceret. Neq; ex gestis eius illud hic omittendum, quod cum defuncta eius filia virgine, quidam aliquod repetereet depositum, quod se ei commendasse asserebat, nec vsquam in tota domo reperiretur; virgentis depositarij lachrymis permotus sanctus senex, ad sepulchrum filiæ properans, filiam nomine ciuit, & vbi commendatum posuisset quæsiuit: quæ respondens, locum designauit; ipseq; ibi repertum depositario reddidit.

XIV. DISPVTATIONES VARIÃ CVM ARIANIS.

d Ruff. lib. 1. c. 5. e Soz. lib. 1. c. 18. f Id. c. 16.

Quod ad causam spectat, qua Episcopi Nicæam conuocati sunt, nempe de hæresi Arij cognituri: per dies singulos (inquit Ruffin. *d*) agebantur conuentus; & euocato frequenter Ario in Concilium, assiduo tractatu assertiones eius discutiebantur, & quid aduersum hæc teneri deberet aut statui, summa cum libratione quærebatur. Sed hæc antequã agerentur illa comitia, quibus interfuit Constantinus Imp. gesta esse, Sozom. *e* declarat: idemq; testatur *f*, in singulis de fide disputationibus Catholicos illud potissimum contendisse, ne quid ab eo quod traditum esset innouaretur, sed in omnibus seruaretur antiquitas: in hisq; certaminibus, tum aliorum complurium eruditorum virorum, tum maximè *Athanasii* tunc Ecclesiæ Alexandrinæ diaconi, qui cum suo Episcopo Alexandro ad Synodum venerat, in disserendo peritiam & acumen ingenij enituisse. Porro graue inde in illum Arianorum odium, & inuidiam cõflatam esse, Socrates g tradit. Quæ vero fertur Disputatio inter illum & Arium habita in Nicæno Concilio; non solum eius præfatio docet, eam seorsum, potiusquam in Cõcilio, (cuius nulla prorsus ibi est mentio) habitam; verum etiam quod in ea Arius acerbissimè impugnet diuinitatẽ Spiritus S. Arianus potius homo quam Arius esse conuincitur, cum eiusmodi blasphemiam nonnisi ab Arij successoribus prodiisse constet. Itaq; subinducta videtur in ea disputatione persona Arij, potius quam ipse Arius, Athanasio cedere nescius, qui ibi ponitur Athanasio consensisse. Cæterum Vigilium Episcopum Tridentinum eiusdem argumenti aduersus Arium, Sabellium, & Photinum, per dialogismum, sub nomine Athanasij, tanquam si præsens cum præsentibus ageret, scripsisse commentarios, ipsemet h testatur agens cõtra Eutychem. Quapropter & eiusdem quoq; auctoris putamus esse illam aliam Disputationem, quæ pariter fertur Constantij Imp. iussu Laodiceæ in Syria facta inter Athanas. & Arium: quæ ex multis conuincitur haud esse Athanasij, tum φ ibi Athanas. diaconus nominetur, quẽ constat longe ante Constantij Imperium creatum esse Episcopum Alexandr. tum etiam φ Arius pariter ante ea tempora mortuus esset; tum deniq; quod in ipso disputationis progressu arguat Athanasius Ariũ esse Photinani dogmatis, quod constat post Arij mortem exortum esse.

g Socr. lib. 1. c. 7.

h Vigil. cont. Eutych. lib. 5. Habet vero ista Baron. an. 318. num. VIII. IX.

XV. CONSTANTINI PARTES IN CONCIL.

Vbi autem venit præstituta dies, qua constitutum erat de rebus controuersis in Synodo decidere; omnibus Episcopis in Palatium Imperatoris conuenientibus, & secundum ordinem confidentibus, adfuit etiam inter illos Cõstantinus, sed tanta cum reuerentia, vt non prius in parua sella aurea ipsi parata assidere voluerit, quam Episcopi innuissent: quod testantur Eusebius *i*, Socrates *k*, Theodoretus *l*, Sozomenus *m*, & alij nihil ab inuicem discrepantes. Quænam vero fuerint eius partes in Synodo assidentis, fatis idem Eusebius *n* expressit; nempe attente audire, studere paci, fauere veritati, & fouere concordiam, tumultus comprimere, discrepantes à veritate ad rectæ fidei semitam reuocare; non autem ferre suffragium, vel causam sententia definire, vel quampiam ad eam rem pertinẽtem inconsultis Patribus legem ferre. Quem eundem locum

i Euf. 3. de Vit. 10. k Socr. lib. 1. c. 5. l Theod. lib. 1. cap. 7. m Soz. lib. 1. c. 18. n Euf. 3. de Vit. 15.

postea in aliis Synodis obtinuere, qui eis interfuerunt delegati ab Imperatoribus, Iudices Cognitores; de quibus dicetur alio loco opportunius. Nam & commendatur in eo potissimum à S. Ambrosio *a* de rebus gestis in hac Synodo modestia Constantini, quod liberum in omnibus reliquerit de fide iudicium Episcopis.

a Ambr. ep. 32. ad Valentin. Imp.

XVI. EVSTATHII ORATIO.

Addit post hæc Eusebius *b*, Episcopum qui in dextro ordine primam sedem occupabat, assurgentem perbreui oratione Imperatorem affatum esse, hymnumq; gratiarum actionum recitasse. Quisnam autem Episcopus iste fuerit, Sozom. *c* arbitratus eundem Eusebium modestiæ causa de seipso dicere siluisse, cum fuisse ipsum Eusebium absq; aliqua controuersia confirmauit. Sed parum mores Eusebij perspectos visus est habuisse, qui nullam vnquam occasionem prætermisit honorificè de se dicendi, ea tantum silentio obuoluta relinquens, quæ suam ipsius turpitudinẽ potuissent arguere, vt est alias demonstratum. Putamus autẽ ipsum inuidè reticuisse nomen huius Episcopi, quod ei fuisset in sede Antiochena postpositus. Hunc n. qui primus omniũ ea oratione affatus est Imperatorẽ, fuisse Magnum illum Eustathium Episcopum Antiochenum, & Theodoretus *d* affirmat, & Gregorius *e* presbyter Cælariensis eiusdem tunc habitam ad Imperatorem aduersus Arium perbreuem orationem recitat. Porro Cassiodorus conciliare conatus Sozomenum cum Theodoreto, ait post Eustathium peroratsse Eusebiũ: sed Eusebius nonnisi ab vno oratum esse testatur; nec, si & ipse peroraſſet, proculdubio reticuisset.

b Euf. 3. de Vit. 11.

c Soz. lib. 1. c. 18.

d Theodor. lib. 1. c. 7.

e Greg. Nyss. ora. de Patrib. Nic. Conc.

XVII. DE RATIONE CONSESSVS EPISC.

Sed quid est quod Eustathius tertiæ duntaxat sedis Episcopus; in dextro Episcoporum ordine sedit primo loco? Ad hæc cognoscenda nulla verior poterit ratio suffragari, quam quæ petitur exemplo rerum gestarũ in aliis Synodis Oecumenicis. Porro cum ex quatuor illis antiquioribus, solius Chalcedonensis Acta extent integra, & in eius prima Actione confessus Episcoporum ita dispositus inueniatur, vt à læua parte Apostolicæ Romanæ Sedis Legati, & post ipsos Patriarchæ Cõstantinopolitanus & Antiochenus; à dextra vero Dioscorus Alexandrinus, & Iuuenalis Hierosolymitan. sederent: (cuiusmodi haud dubium cõsessus, ex antiquo & vsitato præcedentium Synodorum ordine desumptus fuit:) quis non intelligat, locum sinistrum ab illis sanctiorem & digniorem esse existimatũ; cum præsertim idem Dioscorus hæresis infamatus ad Synodum iudicandus veniſſet? Id aût duplici ratione potuit contingere: siue quod in Ecclesia Christi, ad imitationem Patriarchalis benedictionis *f* Iacob, mutato rerum ordine dextera in sinistram dignitatis ergo mutaretur: siue quod apud Romanos *g* pars sinistra melioris esset auspicij, ac proinde dignior haberetur; sed illud in sactis *h* tantummodo atq; diuinis; quod (vt aiunt) sinistra nostra, dextera numinis quæ præcipuè attendi debet, habeatur. Hanc aût inolitam consuetudinem, tam Orientalem quam Occidentalem Ecclesiam diu retinuisse, prisca docent exempla; Etenim de Orientali fidem facit, φ in Concilio posteriori Nicæno traditur ex Sophronio Episcopo Hierosolymitano, ita solitas depingi CHRISTI Imagines, vt sanctissimam Deiparam haberent à sinistris, Ioannem vero Baptistam à dextris. Et de Occidentali Ecclesia, atq; ipsa Vrbe demõstratur, quod olim cum in basilicis distincta essent loca feminarum atq; virorum, in dextera parte collocarentur mulieres, in sinistra viri; vt docent eiusdem Ecclesiæ vetustissima monumenta. Vnde & ille veterimus vsus, vt in sacris Pontificũ Romanorum diplomatibus, à dextris Paulus, Petrus vero à sinistris collocaretur.

f Gen. 48. g Var. de ling. Lat. lib. 6. verb. Sceua. Cic. de diuin. lib. 2. Plin. lib. 2. cap. 54. Fest. verb. Sinistra. Auct. Plautus. q. Rom. 78. h Serv. & Donat. in lib. Æneid. 2. Intonuit lævum.

Hac igitur ratione affirmandum est, in isto Nicæno Episcoporum consessu à læua parte sedisse Osium, Vitum atque Vincentium, missos à Siluestro Legatos, moxque assedisse Alexandrum Episcopum Alexandrinum, ac reliquos suo ordine; à dextris vero primum obtinuisse locum Episcopum Antiochenum. Rursumq; quod in medio consessus Episcoporum. (vt habẽt Acta dictæ Synodi Chalcedonensis, & aliorum Conciliorum) super thronum poni cõsueuisset sacrosanctum Euangelium, quod (vt declarat S. Cyrillus *i* Alexandrinus, dum agit de Synodo Ephesina) typum ipsius CHRISTI gereret: ex eo intelligere possumus,

XVIII. LOCVS EVANGELII IN SYNODO.

i Cyr. in Apol.

sicà

sic à parte sinistra Legatos Apostolicæ Sedis esse locatos, vt positus in medio CHRISTVS Dominus in vniuersum consessum respiciens, à dextris haberet qui sederent à sinistra, & à sinistris qui considerent in dextera. Secundum quod etiam in antiquo Romano Ordine legitur: *Sedebunt ea locali dispositione, vt intrantibus Ecclesiam Episcopi sint ad sinistram, presbyteri vero ad dexteram: vt quando Pontifex sederit, & ad eos respexerit, Episcopos ad dexteram, presbyteros contueatur ad sinistram.* Qua quidem ratione fiet vt multæ conciliari possint de sinistra & dextera parte oboriri solitæ controuersiæ, cum alia in progressu, in consessu ratio alia attendatur.

XIX.
a *Euseb. 3. de Vit. 11. 12.*

Sed vt reuertamur ad Acta Nicæna; tradit Eusebius *a*, postquam Eustathius perorasset, ipsum quoque Imperatorem ad sacrum illum cœtum orationem Latino sermone, alio eandem Græcè interpretante, habuisse de componendis Ecclesiarum dissidiis; quam & idem auctor recitat. Cur autem Latino magis quam Græco sermone vsus sit, cum teste eodem Eusebio *b* Græcam quoque calleret linguam; ea potissimum ratio redditur, quod ob maiestatem Romani Imperij nec inferiores quidem Iudices deceret *c* nisi Romana vti dialecto. Sic enim & Marcianus postea Imperator *d*, in Oecumenica Synodo Chalcedonensi coram Patribus concionaturus, licet homo Græcus, atq; inter Græcos, & in regione Græcorum, orationem suam Latine prius, postmodum Græcè dixit. Porro eandem ab Eusebio recitatam perbreuem Constantini orationem, referunt quoq; Sozomenus & Gregorius *e* presbyter in eandē ferme sententiam: Dalmatianus autem longe prolixiorem habet, qua inter alia Constantinus opportuna occasione se sacro initiatum esse baptismate profitetur; quam facilioris fuit negotij ab Eusebio prætermitti, ob rationes superius in causa eiusdē baptismi deductas: de cæteris vero Scriptoribus eandem omittentibus nulla est suspicio doli, cum siue rem ipsam, siue verba, non alia quam quæ ab Eusebio scripta esse repererint, memoriæ commendasse intelligantur.

CONSTANTINI ORATIO LATINA AD SYNODŪ.
b *Ibid. c. 13.*
c *Suet. in Claud. c. 46. Val. lib. 2. c. 2.*
d *Conc. Chalced. Act. 6.*
e *Soz. lib. 1. c. 18.*
f *Greg. presby. ora. de Patrib. Nic. Conc.*

XX.
f *Athan. de Synod.*
g *Phot. in Bibl. c. 15. & 88.*
h [Extat ipsa Gelasij Acta, postea edita Græcè & Latinè, eadēq; intexta Editioni Romanæ Cōciliorū Generalium Typogr.-phiæ Vaticanæ: ex quib. multam lucē hauries iis q̄ hic à Baronio dicuntur de reb. in Synodo gestis. Sunt tñ quædam dissona. Verum nec illa adeo in omnib. cum aut iquiorū Scriptorum sententiis consonare videntur.]
i *Isid. præf. Concil.*

Iam vero quod pertinet ad reliqua Synodi gesta; fuisse quidem Acta Nicæna accuratissime scripta, S. Athanasius *f* est auctor: verum iniuria temporis, & Arianorum conatibus, passa esse naufragia, certum est. Scimus tamen nonnullos qui longe postea vixere, profiteri ea reperiri; siquidem testatur Photius *g*, se legisse Acta Nicæna tribus distincta voluminibus, à *Gelasio b* quodam scripta: (is est Cyzicenus, cuius superius meminimus:) non tamen (vt ait) ipsa vere Synodi Acta, sed de rebus gestis in Synodo historiam. Et ex Latinis Isidorus *i* Mercator (sed haud tantæ fidei auctor) à quibusdam Orientalibus audiuisse ait, Concilium Nicænum extare, habens (inquit) potiorē quam quatuor Euangeliorum magnitudinem. Aliosq; insuper hoc nostro seculo legimus, & audiuimus, affirmantes eadē hodie reperiri tum Alexandriæ, tum etiam apud Arabes. Sed vt libere dicam, somnia puto hæc omnia: nam illud scimus, omne sæculum quod ab eo tempore ad nostram vsq; ætatem interlapsum est, cupidissimum fuisse tam egregiæ atq; omnium nobilissimæ antiquitatis; & sæpius ortis occasionibus, diligentius quæsiuisse, nec tamen ea quemquā hominum potuisse, præterilla quæ hodie de iis habentur. Quamobrem his missis, quæ diuersis locis dispersa reperiri possunt, ordine suo disponere satagemus.

XXI.
l *Athan. orat. 1. cont. Arian.*
k *Ap. Theod. lib. 1. c. 8.*
m *Athan. decret. Nic. Cōcil. cont. har. Arian.*

Illud quidem memoria dignum imprimis accidisse Athanasius *k* est auctor, vt cum ex consuetudine scripta Arij de hæresi quam protulerat legerētur, omnes quotquot aderant Episcopi adeo exhorruerint blasphemiam, vt mox aures suas obstruxerint. Quemadmodum & cum lectæ pariter essent literæ Eusebij Nicomediensis, totius Sataniæ molitionis præcipui architecti, eas in omnium conspectu discerptas esse, testis est Eustathius *l* Antiochenus. Et alibi idem Athanas. *m* tradit, ita cum eodem Eusebio eiusq; gregalib. actum esse, vt cum principio in hæresi sua contumaces, bella pugnasq; meditarentur, postquam ab Orthodoxis benigne & placide inuitati sunt opinionum suarum rationem reddere, seq; non impios esse demonstrare; eosdem vix incipientes hiscere, & improbatos ab omnib. esse, & ipsosmet dissentientes ab inuicem, agnita suæ hæreseos perplexitate & impietate, mutos prorsus esse redditos. Deniq; scribit Iulius Papa in Epistola apud eundem Athanasium *a*, Acta Synodi olim Alexandriæ aduersus Arium ab Osio celebratæ, coram Patribus Nicænis producta fuisse, & diligenter expensa; quo Ariani certo cognoscerent, se non per simultatem priorum Iudicum, sed iure & merito condemnatos esse.

a *Ap. Athan. Apol. 2.*

XXII. DIVINITAS FILII DEI VOCE CONSVBSTANTIALIS ASSERTA.

Explosa igitur ac penitus confutata hæresi, cum inter Patres nonnihil laboratum esset, qua potissimum voce diuinitatem coæqualem paremq; Filij Dei cum Patre possent exprimere, quo nullus Arianorum elusionibus ac fraudibus locus relinqueretur; tandem scripserunt Filium ὉΜΟΟΎΣΙΟΝ, h.e. CONSVBSTANTIALEM esse Patri; vt non solum *ex Deo esse*, vel ei *similem*, (quas voces etiam hominibus puris creaturis conuenire posse, Ariani contendebant) sed eiusdem *Substantiæ* significarent. Quomodo vero hæc tunc gesta fuerint, narrat pluribus Athanasius *b*. Hac autem vna vocula omne venenum Ariani dogmatis internecatum esse, Marius *c* Victorinus egregiè docet. Eandemq; tunc acceptam fuisse ex literis Eusebij Nicomediēsis in Synodo recitatis, testatur S. Ambrosius *d*: quippe cum (vt ait) scripsisset Eusebius, *Si Dei Filium increatum dicimus, ὁμοούσιον, Consubstantialem cum Patre, incipimus confiteri*; hoc verbum in tractatu Fidei posuerunt Patres, quod viderunt aduersariis esse formidini, vt tanquam euaginato ab ipsis gladio ipsum nefandæ caput hæresis amputarent. Cæterum quod calumniarentur Ariani vocem esse exoticam, nec reperiri in sacris scripturis; Athanasius *e* pluribus docet, eius significationem ex iisdem diuinis esse literis; nomenclaturamq; non nuper inuentam, sed à sanctissimis quoq; Patribus vsurpatā, ab ipsis præsertim SS. Dionysiis Romano & Alexandrino Episcopis, & ante hos à Theognosto antiquissimo Theologo.

b *Id. d. ep. ad decr.*
c *Mar. aduers. Arium. lib. 2.*
d *Ambr. 3. de fid. ad Grat. vlt.*
e *Athan. vbi supra.*

XXIII. FILIVS DEI GENITVS, NON FACTVS

Cum igitur Ariani se causa cadere cernerent, de *Ingenito* Patre rursum addiderunt propositionem; nempe vt Pater tantum diceretur Ingenitus, quo deducere possent in consequentia, ipsum Filium factum atq; creatum. Sed Sancta Synodus sic Filium genitum nominauit, vt tamen ad eludendam illorum impostura, addecet, *Non factum*; sicq; *Genitum, non factum*, adiecit Symbolo. Hæc n. ex Athanasio deducuntur; qui omnes controuersias, de his quæ spectarēt ad Fidem inter Catholicos & Arianos, in Synodo agitatas, prolixiore oratione prosecutus est eo cōmentario, seu Epistola, quam inscripsit; *De iis quæ decreta sunt contra hæresim Arianam*: eademq; ferme omnia, ex alia eiusdem Epistola ad Africanos, Theodoretus *f* recitat. Fuit enim in his quæ ad mutuas conflictationes pertinent, idem Athanasius pars magna Synodi, libera ei concessa aduersus Arianos agendi facultate.

f *Theod. lib. 1. c. 8.*

XVIV. SYMBOLVM NICÆNÆ FIDEI.

His autem sic peractis, concepta est Catholicæ Fidei formula, qua omnia hæresis Arianæ capita truncarentur; cuius quidem præcipuum architectum fuisse Magnum Osium, Synodi principem, Athanasius *g* tradit: habeturque ipsa (quam *Nicænum Symbolum* appellare Fideles consueuerunt) cum apud eundem Athanasium *h*, tum aliis plerisq; *i* locis recitata, his verbis; CREDIMVS *in Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilium creatorem: Et in Dominum* IESVM CHRISTVM *Filium Dei, natum ex Patre, & vnigenitum, hoc est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, Lumen de Lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, & Consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt tam in cœlis, quam in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit & incarnatus est, & homo factus est, passus est, & resurrexit tertia die, & ascendit in cœlos, venturus inde ad iudicandos viuos & mortuos. Et in Spiritum sanctum.* Hæc est Regula Catholicæ Fidei, descripta ex Epistola Athanasij ad Iouianum Imp. Quæ vero ibi sequūtur, anathematismi sunt pronunciati aduersus omnes impias Arianorum positiones, ne vlla ex parte hæresis consistere posset.

g *Athan. ep. ad Solit.*
h *Id. ep. ad Iouian. Imp.*
i *Syn. Chalced. Act. 2. Basil. ep. 78. Theodor. lib. 1. c. 2. Socr. lib. 1. cap. 5. & alibi.*

XXV.

Quod autem ad astruendam Spiritus sancti diuinitatē, nihil præterea addidisse reperiatur Nicænum Concilium Symbolo Apostolorū; id eam ob causam accidisse, SS. Basilius *k* & Hieronymus *l* aiunt, quod nulla tunc ea de re cōtrouersia mota esset, quam postea Arij sectatores concitarunt. Sed & satis expressam esse Spiritus sancti diuinita-

k *Basil. ep 78.*
l *Hier. ep. 65.*

tem in Nicæno Symbolo, dum vna eum cum Patre & Filio glorificarunt, & in eum credere professi sunt, eo quod sit vna in Sancta Trinitate Deitas, Athanas. *a* & Epiphanius *b* docent. Subscripsisse vero eidem formulæ fidei, non solũ Catholicos Episcopos, sed etiam omnes Arianos, idem Athanas. *c* diserte affirmat, & ex Eustathio Antiocheno Theodoretus *d*: qui & addit, illud eos fraudulenter egisse, ne in exilium ejicerentur; sed in sedibus suis relicti, pro Ario (quod fecerunt) validius dimicarent. Porro cum & æquè Eusebius *e* Cæsariensis asserat, agente Constantino Episcopos qui ad Concilium accessissent consentientes redditos, omnes ad vnum Synodi decretis subscripsisse; reperianturq; hactenus in Episcoporũ subscriptione positi Euseb. Nicomediensis, Mares Chalcedonensis, Theognis Nicænus, Secundus Ptolemaidis, & cæteri propugnatores Arij: quid est quod Socrates *f* istos quatuor, & quintum quem addit, Theonam Marmaricæ, non subscripsisse tradit.

a Athan. ep. ad Ionium & ep. ad Afric.
b Epiph. har. 74. ad fin.
c Arian. decr. Nic. Conc. tit. har. Aria.
d Theod. lib. 1. c. 8.
e Eus. 3. de Vit. 13. & ep. ad Cæsarens. ap. Socr. l. 1. c. 5.
f Socr. l. 1. c. 5.

XXVI. DE SVBSCRIPTIONE EPISCOP. ARIANORVM.

Sed hac in re diuersa sunt tempora consideranda; atque illud primum, cum scripta est Regula fidei: tunc enim accidit vt ijdem à Socrate recensiti resilierint, & subscribere recusauerint; qui tamẽ paulo post oblato libello recantantes palinodiam, iis quæ de fide decreta fuerant subscripserunt. At cum post hæc à Synodo in Arium, damnata iam eius hæresi, anathema inflictum est, quod à sententia non discederet; ac cæteris omnibus subscribentib. anathemati Arij, duo tantum id facere renuerunt, nempe Eusebius Nicomediensis, & Theognis Nicænus: tunc & isti à Synodo damnati sunt, & priuati sedibus, (in locum ipsorum, Nicomediæ Amphione insigni confessore suffecto, & Chresto Nicææ) atq; ab Imperatore exilio condemnati: Sed paulo post Ario palinodiam recantante, & à Synodo recepto, ipsi pariter libellum pœnitentiæ Patribus mittentes, ab iis recepti sunt, & Ecclesias suas recuperarunt. Hæc n. omnia ita gesta esse, facile intelligitur cum ex ipso eorundem libello, tum ex iis quæ de eiusmodi rebus habent Athanasius *g* & Socrates *h*. Quæ pariter cum durante adhuc Synodo contigisse, & ipsum Arium æquè ac illos Episcopos ab eadẽ Synodo susceptos esse, ac subscripsisse, S. Hieronymus constanter affirmet in Dialogo aduersus Luciferianos: errasse videntur, qui scripserunt illos hoc ipso anno exulasse, ac diu post restitutos esse; cum ex iam dictis plane colligatur, eos quidem sententiam depositionis & exilij accepisse, sed antequam in exilium deducerentur, pœnitentes veniam meruisse. Cæterum ipsum Arium ita Socrates & alij tradunt à Synodo receptum esse, vt tamen ad euitandos tumultus, omnino prohibitus fuerit Alexandriam accedere. Quando vero contigerit exilium eorundem Episcoporum, dicetur suo loco.

g Athan. Apol. 2.
h Socrat. lib. 1. c. 5. 10.

XXVII. EVSEB. CÆS. QVOMODO SE HABVERIT IN SYNODO.

Quod autem pertinet ad Eusebium Pamphili Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, Athanasius *i* tradit illum prima die retinuisse fidei regulæ à Patribus decretæ, postridie vero assensum præbuisse: eademq; Socrates *k* narrat, sed ipsum excusans; cuius etiam recitat de rebus in Synodo gestis, & doctrina Consubstantialis, scriptam ad suos Cæsarienses Epistolam, qua se apud eos excusatum voluit, si aliam ab ea quam docuerat Fidei formulam suscepisse videri posset. Sed cum in ea scribenda sic se nouum vestimentum superinduxisse demonstret, vt tamen vetus nequaquam abiecerit, qualis insuper fuerit ista eius pœnitentia, exitus demõstrauit, cum soluto Nicæno Concilio eodem cum Ario & Arianis perseuerante fœdere amicitiæ, structa in fidem Catholicam acie, paribus cum eis dimicauit studiis. Qui & in Vita Constantini sic totã retexuit historiã de Nicæno Concilio, vt nihil prorsus habeat de Arij atq; Arianorum damnatione: sed perinde ac nihil præterea gestum fuisset, quam de Paschate obortam ditimere controuersiam, ea tantummodo narrat, quæ ad eam quæstionem pertinent.

i Athan. decr. cont. har. Arian.
k Socr. lib. 1. c. 5.

XXVIII. SCRIPTA ARII DAMNATA.

Sed quod rursus spectat ad Arij damnationem primitus factam; tradit Sozomenus *l*, vna cum eo etiam eius scripta fuisse damnata; ac præcipuè librum *Thaliam*, hoc est scripta fuisse damnata; ac præcipuè librum *Thaliam*, hoc est Conuiuium, seu Crapulam, inscriptum, numeris metricis adeo lasciuè & dissolute conscriptum, vt quamuis de summis Theologicis assertionibus disputaret, Soradicas tamen turpitudines, sicut & carminum formam, imitaretur: quẽ & sæpius exprobrat Arianis Athanasius *m*. Porro Constantinum tam hoc, quam alia quæcunq; Arij eiusq; sectatorum scripta, vbique comburi iussisse, pœna capitis aduersus occultatores sancita, idem Sozomenus narrat: extatq; ipsum Imperatoris de re illa rescriptum *a*; quo etiam edixit, vt quemadmodum Porphyrius, qui nefarios libros contra religionem Christianam edidisset, mercedem dignam laboribus recepit, vt ipse turpissima infamiæ labe aspersus fuerit, atque eius impia scripta delera penitus & extincta; sic etiam Arius, eiusque sectatores, *Porphyriani* dici deberent, vt cuius secuti essent mores, eius quoque nomine censerentur. Porphyrio autem, potius quam reliquis impiis, similem dixisse Arium existimamus, quod sicut Porphyrius aduersus Christianam religionem tot edens impia volumina, eam prorsus destruere, idololatriam vero in omnibus conseruatam reddi volebat; ita & Arius, cum fraudulenta sua hæresi sic prædicaret vnum Deum Ingenitum, vt eius Filium creaturã diceret, instar Gentilium creaturam adorandam exponere in Ecclesia conatus fuerit: prout egregiè aduersus Arianos argumentatur Athanas. *b*. Sicut & eadem ratione (quod idem Sanctus *c* alibi docet) ipsum quoq; baptismum de Ecclesia tollebãt, cum negantes Filij cum Patre Cõsubstantialitatem, non in Patre & Filio illum tribuerent, sed in Creatore & creatura.

a Ap. Socr. lib. 1. c. 6.

ARIANI CVM PORPHYRIANI DICENDI.

b Athan. ser. 4. cont. Arian. c Id. ser. 3. cont. Arian.

Terminatis igitur quæ ad Arium, eiusq; hæresim spectare videbantur; quæstio quoq; illa, cuius etiam causa Concilium coactum diximus, *de tempore Paschatis celebrãdi* tractata est, & nõ sine labore ad finẽ ducta. Cõpositisq; his duab. controuersiis, diuersa diuerso modo placuit de singulis edi decreta: ita videlicet (sicut narrat Athanas. *d*) vt in negotio Paschatis, Consulem, diem, ac mensem, & cætera quæ spectant ad certum tempus consignandum, Patres apponi voluerint; insuperque addi verba, VISVM EST, vt omnes Synodi tunc ea de re factæ constitutioni obtemperarent: Sed in decreto Fidei abhorrentes penitus ab omnibus eiusmodi certi temporis definitionibus, scripserint duntaxat, AD ISTVM MODVM CREDIT CATHOLICA ECCLESIA; vt ostenderent eam non esse nouam fidei confessionem, sed Apostolicam; & quæ ipsi scripsissent, non esse sua inuenta, sed Apostolorum documenta.

XXIX. QVÆSTIO DE TEMPORE PASCHATIS.

d Id. de Synod.

DIVERSA DECRETA DIVERSO MODO CONCEPTA.

Sicut autem Constantinum vidimus damnationem Arij à Patribus factam, suis quoq; publicis literis esse prosecutum: ita pariter decretum Synodi de Paschate vno eodemq; die Dominico celebrando, & Iudaica de ea re obseruatione fugienda, suis ad omnes Ecclesias datis literis *e* voluit innotescere; ne Episcopi illi (erant hi Syri) qui contraria consuetudine tenerentur, nec ad Synodum cõuenissent, pio eius decreto aduersarentur, ac proinde in schismate remanerent. Quos quidem ad Catholicæ Ecclesiæ consortium rediisse, & pro fide Orthodoxa aduersus Arianam hæresim magnis animis pugnasse, S. Athanasius *f* testatur.

e Ext. ap. Socr. lib. 1. c. 6. & Theodor. lib. 1. c. 10.

Cæterum cum non omnes eandem inirent computi rationem, ac inde periculum immineret, vt licet Fideles omnes die Dominico celebraturi Pascha forent, tamen diuersis id facturi essent diebus Dominicis: eam ob rem, quod omnibus constaret ex antiquissimo tempore Ægyptios hanc peculiarem sibi vendicasse scientiam, vt anni tempora, Solis & Lunæ cursum peruestigarent; placuit Sanctæ Synodo, in Alexandrum Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum, eiusque successores Antistites, curam *Cyclorum Paschalium* conficiendorum conijcere, vt quo potissimum die singulis annis celebrandum Pascha foret, Romanæ Ecclesiæ Episcopis primum significarent, à quibus reliquæ omnes Ecclesiæ certiores redderentur. Testatur enim ista S. Leo *g* Magnus scribens ad Marcianum Imperatorẽ. Proterius vero Episcopus Alexandrinus *h* scribens ad eundem Leonem, magna animi submissione professus est, omnia se accepta ferre Romanæ Ecclesiæ, cum scilicet ea cuncta Petrus Marcum docuisset, quando eum Alexandriam misit Episcopum. Perseuerauit autem mos iste in Ecclesia Alexandrina, quamdiu Catholicæ communionis illic sederunt Episcopi: postquam vero hæresiarchæ intrusi sunt, interceptum quoque eiusmodi fuit officium, cum licet illi darent literas, nemo tamen ab eis acciperet, quibus in fide minimè communicarent. Qualesnam vero

f Athan. de Synod.

XXX. TEMPORIS PASCHALIS CVLTVS EPISCOPO ALEXANDRINO TRIBVTVS.

g Leo ep. 64.
h Ap. Bed. de rat. temp. cap. 42.

esse

esse solerent eiusmodi *Paschales Epistolæ*; quæ adhuc supersunt *a* Theophili Episcopi Alexãdrini, à S. Hieronymo in Latinum versæ, docere possunt. Cum autem illas Romæ in die Epiphaniæ Domini, diaconorum præconio inter sacra peruulgari moris esset; vtique non eodem anno cuius Pascha indicebatur, sed superiori Alexandria mitti oportuit. Quin & ante annum, ipsum Romanum Pontificem consueuisse illud alijs Ecclesijs Occidentalibus significare, ea adhibita modestia, vt siquis quid contra adijcere vellet, audiretur, literæ *b* Innocentij Papæ Primi ad Aurelium Carthaginiensem Episcopum datæ significant. Porro & ante Nicænum Concilium viguisse antiquum in Ecclesia vsum, vt à Romano Pontifice quæreretur Paschalis dies, docet primus canon Concilij Primi Arelatensis, pluresante annos celebrati. A Primatibus autem subscriptione Formatarũ cæteris inferiorum sedium Episcopis eundem diem esse nunciandum, Carthaginienses Synodi emonuere.

Sed & cum ista de Paschate in Nicæno Concilio discuterentur, ea occasione ad facilius inueniendum cuiuslibet anni Paschalem diem, ibidem constitutum esse Cyclum, *Enneadecaeterida* nuncupatũ, (qui *Numerus Aureus* nominari consueuit) decem & nouem annorum periodum continentem, testis est Sanct. Ambrosius *d*. Cuius sententia cum reddatur exploratissimam, haud quempiam alium, q̃ eos quibus à Synodo delegatũ est eiusmodi negotium, fuisse eius Numeri inuentores; & ad opus conficiendum, requisitâ præcipuè industriam Episcopi Alexandrini: quidnam est quod Beda *e*, & alij eum secuti, auctorem Cycli decem nouẽnalis Eusebium Pamphili fuisse dixerunt? Decepti hi esse videntur, quod constet Eusebium scripsisse libr ũ de Paschate, quem obtulit Constantino. Sed ex literis *f* Imperatoris tunc ad eum redditis perspicuè declaratur, cuiusnam argumenti fuerit commentarius ille; nimirum tractasse de antiquo ritu diei Paschatis celebrandi, non autem de Paschali computo.

His autem à Synodo constitutis, tractata est causa Meletij schismatici, qui Ecclesiam in Ægypto positam, à temporibus S. Petri Alexandrini Episcopi & martyris vehementer exagitauerat; & ob Ecclesiæ pacẽ sic cum eo tanfactum est, atque indultum, vt nomen dumtaxat Episcopi in propria Ecclesia retineret, munera autem obire cessaret; & ab eo ordinati sic in officio permanerent, vt tamen sanctiori ordinatione confirmarentur, & inferiores vbique haberentur illis qui ab Alexandro ordinati essent: prout hæc fusius explicantur in literis *g* Synodicis ad Alexandrinos datis antequam absoluta Synodus esset. Cæterum etsi Meletiani his decretis visi sint acquieuisse, vix tamen interlapsus est annus cum ipsi ab Eusebio sollicitati, perturbare Ecclesiam aggressi sunt, vt dicetur suo loco. Occasione vero ordinationum, quæ passim à Meletio per totam Ægyptum diuagante fieri consueuissent, S. Synodus canonem *h* edidit, quo secundum antiqua priuilegia Ecclesiæ Alexandrinæ, vetuit ne in Ægypto, Libya, vel Pentapoli, aliquis ordinaretur Episcopus absq; ipsius Metropolitani scientia: quod etiam sedi Antiochenæ veteri consuetudine debitum, voluit custoditum: idque (vt ait) QVONIAM ET ROMANO EPISCOPO HÆC ESSET CONSVETVDO.

Sed quoniam horum verborum, ex varia translatione & editione, sensus nonnihil redditus est obscurus; de eo paulo diligentius agere, ratio instituti postulat. Atq; imprimis si in edendo sinceritas, & in transferendo peritia quam maxima requiratur; nulla exquiri potest editio purior, quam quæ prolata est & approbata in Oecumenica Synodo Chalcedonensi; nec translatio exactior atq; fidelior, quam quæ elaborata est à Magno illo, sed cognomento Exiguo Dionysio, cuius eximiam in vtraq; lingua peritiam, & morum egregiam probitatem, Cassiodorus *i* dignis laudibus mirifice prædicauit. Porro Chalcedone *k* licà Paschasino Apostolicæ sedis Legato hic canon recitatus est; *Quod Ecclesia Romana semper habuit Primatum: tenuit autem & Ægyptus, vt Episcopus Alexadriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Episcopo Romano hæc est consuetudo. Similiter autem & qui in Antiochia constitutus est, & in cæteris prouinciis Primatus habeant Ecclesia ciuitatum ampliorum.* Eademq; ferme est, imo & liberior versionis Dionysij verborum complexio atque sententia, cum sic absolute habet, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum: vos aũt antiquus perduret in Ægypto, &c.* Quod autem in aliis Nicænorum canonum editionibus desint illa verba: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*; id inde apparet accidisse, quod ea non esse canonis, sed titulus fuerit existimatus; atque ideo prætermissus, quod desiderarentur in reliquis canonibus affixi tituli. Sed perperam quidem: non enim censendus est ille titulus, sed ipsius canonis esse verba: nam absque eo exordio redditur sensus plane obscurus ac mutilus. Denique Chalcedone approbasse Iudices lectionem allatam ab Apostolicæ Sedis Legato, ex eo datur intelligi, quod post eius recitationem ita interlocuti sunt, *Perpendimus omnem quidem Primatum, & honorem præcipuum, secundum canones, antiquæ Romæ Archiepiscopo conseruari.*

Quapropter tam secundum eam lectionem, quam Dionysij versionem, planissimus erit canonis sensus, vt significet, ex Romanæ Ecclesiæ auctoritate, quæ semper habuit in vniuersa Ecclesia Primatum, Episcopum Alexandriæ omnium Ecclesiarum quæ sunt in Ægypto (cuius etiã appellatione continebantur Libya & Pentapolis) habere potestatem; quoniam sic moris fuit Episcopo Romano illi concedere; siue quod Romanus Episcopus consueuit per Alexandrinũ Episcopũ illas prouincias gubernare. Hancque legitimam esse illius canonis interpretationẽ, non tolum docet quod Gelasius *a* Papa tres enumerans ab ipso Petro Apostolo, vel Petri nomine institutas Sedes, Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam; eas omnes tradit sedes esse Petri, præcipuã vero esse Romanam, reliquas autẽ ita ei subiectas, vt vicẽ ipsius in suis prouinciis repræsentarent: sed etiam quod constet, posteriores sedes Patriarchales, eodem modo quo priores ab Ecclesia Romana institutas, idem etiam iuris ab ea in suis diœcesibus obtinuisse. Sic enim cum Iustinianus Imp. patriam suam Iustinianam Primã honore Patriarchatus insigniri curauit, in eius erectione hoc illi ex more priuilegium datum legitur *b*, vt in subiectis sibi prouinciis locũ obtineret Sedis Apostolicæ Romanæ, secundum ea quæ definita essent à sanctissimo Papa Vigilio. Et alias sæpe Pontifices Rom. suas vices committere consueuisse aliis Patriarchis, in rebus ad hæreses & vniuersalis Ecclesiæ negotia pertinẽribus, puta Alexandrino, & Constantinopolitano; multis exemplis ostenditur his Annalibus.

Qui autem hunc sensum minus exploratum habuere, alij quidem absurde voluerunt sanctam Synodum exæquatum declarasse eius Ecclesiæ Alexandrinæ cum Romana: alij *d* absurdius, tunc institutum esse Romanum Patriarchatum, atque tres alios, nempe Alexandrinum, Antiochenum, & Hierosolymitanum; ipsamq; Romanam Ecclesiam ab eadem Synodo priuilegia quibus potitur esse sortitam: alij *e* denique absurdissime, Synodum ita definisse Ecclesiæ Romanæ iurisdictionem, vt tantum præesset suburbanis Ecclesiis. Sed aduersus primam istarum interpretationum, etsi aliæ testificationes iuraq; deficerent, facta ipsa satis clamant, dum constat ex iis quæ superius suo loco dicta sunt, Dionysium Episcopum Alexandrinum ab Episcopis Libyæ accusatum apud Dionysium Romanum Pontificem, causam dixisse; ac pariter inferius suo loco videbitur, Athanasium eiusdem Ecclesiæ Alexandrinæ Antistitem, & Arianos, Romam à Iulio Papa ad iudicium vocatos, æquè causam dixisse. Secundæ vero interpretationis assertores, ab ipsis canonis verbis apprime refelluntur, dum Patres declarant, se id de quo agitur, secundum morem antiquum & vetustã traditionem decernere. Et quod ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinet, (præter illa quæ iam superius de eius priuilegiorum origine in eandem sententiam dicta sunt,) ea non ab aliqua Synodo promanasse, sed ab ipso CHRISTO Domino, nec ipsum Cõcilium Nicænum, de quo modo agitur, aliquid eidem Ecclesiæ contulisse, abunde disseruit Nicolaus Papa in Epistola *f* ad Michaelem Imperatorem, Romanæ sedis eiusque primatus acerbissimum aduersarium; dum sic ait: *Ecclesiæ Romanæ priuilegia, Christi ore in B. Petro firmata, in Ecclesia ipsa*

XXXIV. GERMANA SIVE INTERPRETATIO.

XXXV. REFELLVNTVR ALIÆ CANONIS INTERPRETATIONES.

a *Tom. 1. Bibl. Patr.* PASCHALES EPISTOLÆ, QVANDO, ET PER QVOS EVVLGANDÆ. *Qua de re etiam egit Baron. Tom. V. an. 399. num. LII. & ann. 407. num. VI.*

b *Tom. 1. Epistol. Rom. Pot. ep. 10.*

c *Conc. Carthag. III. c. 1. & V. c. 7.*

XXXI. AVREVS NVMERVS INVENTVS.

d *Amb. ep. ad Epis. Æmil.*

e *Bed. de rat. temp. c. 42.*

f *Ap. Euseb. 4. de Vit. 35.*

XXXII. MELETIANÛ SCHISMA COMPONITVR.

g *Ext. ap. Socr. lib. 1. c. 6. & Theodor. lib. 1. c. 9.*

h *Conc. Nic. c. 6.*

XXXIII. CANON SEXTVS DE PRIMATV ROM. SEDIS.

i *Cassiod. Inst. diuin. lect. c. 13.*

k *Conc. Chalced. Act. 16.*

a *Gelas. decret. lib. auth.*

b *Nouel. 131. c. 3.*

c *Quære in Indice verb.* Alexandr. & Constantinop. Episc. *& adde Gelas. P. Resp. 13. ad Dard.*

ROM ECCLESIA NIHIL ACCEPIT À NICÆNO CONCILIO.

f *Ext. tom. 3. Concil.*

d *Theod. Balsam. in Nomoc. Phot.*

e *Plurimi hæretici hodierni.*

disposita, antiquitus obseruata, & à sanctis Vniuersalibus Synodis celebrata, atque à cuncta Ecclesia ingiter uenerata, nullatenus possunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum quod Deus posuit, humanus non valet amouere conatus; & quod Deus stauit, firmum validumq; consistit, illeq; potissimum peccat, qui Dei ordinationi resistere tentat. Priuilegia, inquam, eius Sedis, vel Ecclesiæ, perpetua sunt, diuinitus radicata atque plantata sunt; impingi possunt, transferri non possunt; trahi possunt, euelli non possunt. Quæ ante Imperium vestrum fuerunt, & permanent (Deo gratias) hactenus illibata, post vos, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, illa subsistere non cessabunt immutilata. Ista igitur Priuilegia huic S. Ecclesiæ à CHRISTO *donata, à Synodis non donata: sed solummodo celebrata, & veneratione habita, per quæ non tam honor, quam onus nobis incumbit, licet ipsum honorem non meritis nostris, sed ordinatione Dei gratiæ, per B. Petrum, & in B. Petro simus adepti, nos cogunt, nosq; compellunt, omnium habere solicitudinem Ecclesiarum Dei.* Etiusdem tertius: *Proinde animaduertendum est, quia non Nicæna, non denique vlla Synodus, quicquam Romanæ contulit Ecclesiæ priuilegij, quæ in Petro nouerat eam totius uiræ potestatis plenitudinem meruisse, & cunctarum Christi ouium regimen accepisse.* Et rursum: *Nycenæ Synodi non aliud præcepta testantur, adeo vt non aliquid super eam ausa sit constituere, cum videret nihil supramemoratum sum posse conferri. Omnia denique huic nouerat Dominus sermone concessa: si omnia, ergo nihil defuit quod illi non cesserit. Denique si instituta Nicænæ Synodi diligenter inspiciantur, inuenietur profecto quia Romanæ Ecclesiæ nullum eadem Synodus contulit incrementum; sed potius ex eius forma quod Alexandrinæ Ecclesiæ tribueret, particulariter sumpsit exemplum.* Hæc Nicolaus: idque ipsum reliqui omnes, cum de his agendi necessitas incubuit, luculenter probarunt.

XXXVI. RVFFINI INTERPRETATIO EXPENDITVR.

Tertia demum canonis interpretatio, non solum iisdem argumentis aperte conuincitur, sed etiam penitus aliena est ab omnibus omnino editionibus, tam Chalcedonensi & Dionysiana, de quibus egimus, aliaq; citata in Cõcilio Sexto Carthaginensi, quam quæ vulgatæ habentur in Tomis Conciliorum; in quibus omnibus nulla prorsus est mentio Ecclesiarum suburbanarum. At hoc Nouantes hæretici ex Ruffino *a* collegerunt, qui Nicænos canones non leui præiudicio in compendium redigens (homo alioqui imperitiæ, & nimis licentiosæ in scribendo libertatis, à Sanct. Hieronymo & aliis sæpe redargutus) de canone sexto sic ait: *Vt apud Alexandriam, & in Vrbe Roma, vetusta consuetudo seruetur, vt vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum solicitudinem gerat.* Sed horum verborum nullus sensus elicitur, & sunt alioqui contra canonem; in quo non legitur, *Vt*, comparationem significans, sed *Quoniam*, causam reddens cur deberet permanere antiquus ille mos in Ægypto: ac demum Ruffinus non tantum suburbanarum, sed *Suburbicariarum* Ecclesiarum curam Romano Pontifici tribuit; cuius vocis longe amplior est significatio: Cum enim idem esse *Vrbicarium* & *Suburbicarium*, satis expresse intelligi possit ex iis quæ habentur in *Notitia Prouinciarum*, vbi agitur de dispositione Comitis rerum priuatarum; constet autem Vibicariarum regionum appellationem, non solum loca prope Vrbem posita, (nam & ista aliquando significatio reperitur) sed etiam plures continere prouincias, tam in Italia *b*, quam extra Italiam ciuitas: ex his colligas, sicut illæ dictæ sunt *d* prouinciæ Vrbicariæ, siue Suburbicariæ, quæ Vrbi debentes annonam, eidem peculiari nexu tenebantur obstrictæ, ita eodem exemplo appellatas esse à Ruffino Ecclesias suburbicarias, quæ Romanæ Ecclesiæ Patriarchatui peculiariter viderentur esse subiectæ; quo etiam iure Episcopus Alexandrinus moderaretur omnes subditas sibi Ægypti prouincias. Et hæc quidem ex sensu Ruffini, sed canonis aliam fuisse sententiam vidimus.

a *Ruff. lib. 1. cap. 6.*

VRBICARIÆ. ET SVBVRBICARIVM, QVID.

b *l. 12. & 14. C. Th. de iis dum. debit.* c *l. 9. C. Th. de extraord. muner. l. 1. C. Th. si per obrept. d. arg. l. 3. & 6. C. Th. de eo me frum. Vrb. Rom. & l. 2. & 3. Iustin. eod.*

[Cum post frequentes Catholicorum & hæreticorum de sententia Ruffini concertationes, viderentur hæretici causam desseruisse, rursum inuentus est nuper quidam Coniector, qui ex tacito nomine infirmitatem sui iuris manifestans, controuersiam catiosam in manus ab integro resumere præsumpsit tractatu edito *de Suburbicariis Regionibus & Ecclesiis*: sed quanta infelicitate, confestim vrd eam impegit feliciter ostenderunt argumentis refellentibus doctissimi Catholicæ veritatis defensores, *Iac. Gurlerius & Iacob. Sirmondus* Galli, *Hieron. Alexander & M. Ant. Capellus* Itali, & qui citra cuiusquam illorum inuidiam, omnibus excelluit Illustrissimus Cardin. PERRONIVS in Respon. ad Obiecta Regis Mag. Brit. lib. 1. cap. 32. & 33. ac forte alij quorum scripta non vidi: qui tum Coniectoris huius mentionem in dissertatione de prouinciis Suburbicariis aperuerunt, & Baronium ab eius iniquis criminationibus defenderunt; tum varios adstruentes verborum Ruffini sensus, & ad diuersas Romani Pontificis muneris partes & personas quas sustinet aptantes, siue qua prouinciam Romanam regit vt Metropolitanus, seu qua Italiam vt Primas, vel Occidentem vt Patriarcha; (non enim quæstio est de peculiari ipsius vrbis Romæ Episcopatu:) apprime ostenderunt nullum eorum iacommodare vniuersali totius Ecclesiæ Catholicæ regimini, quod à Domino accepit in persona Petri: qui quod Sedem Pontificalem Romæ constituit, fecit hoc quidem quoniam Vrbs Roma totius Orbis Romam Regina erat, sed non vt ab ea auctoritatem Primatus acciperet, quoniam ante adeo in vniuersum terrarum Orbem insignitus pro se ac successoribus suis fuerat, vt nec Imperij Romani quantumuis amplissimi terminis circumscribi vel coarctari posset: qualem continuo vsu successores eius Romanos Pontifices exercuisse, ijdem ostenderunt, & passim his Annalibus, illustribus exemplis occurrit.]

XXXVII. DE ECCLESIA HIEROSOLYM.

Quod autem post hæc de *Ælia*, hoc est Hierosolyma, statuisse legitur Sancta *a* Synodus; tantum abest vt (quod tradit Balsamon) auxerit eam Ecclesiam Patriarchatu, vt nec exemptam voluerit à subiectione Ecclesiæ Cæsariensis totius Palæstinæ metropolis. Id enim & verba canonis manifeste docent, & longe postea Hieronymus *b* de sui etiam temporis obseruatione testatus est. Primusq; reperitur Iuuenalis Hierosolymitanus Episcopus, qui post absolutum Chalcedonense Concilium, aperte tentauit sibi subijcere Cæsariensem Ecclesiam: cui restitisse S. Leonem Papam, dicetur suo loco. Cæterum quod eadem Ecclesia, attenta eius origine, Mater esset omniũ Ecclesiarum, (quo etiam nomine in Epistola *c* Synodali Concilij Constantinopolitani appellatur) inde accidit vt eius Episcopus hunc antiquitus honorem sit consecutus, vt inter Apostolicarũ Ecclesiarum Antistites in Synodis consideret. Indeque fertur *d*, Polychronio eius sedis Episcopo prauam illam inhæsisse ex ambitione sententiam, vt ausus sit dicere, Hierosolymorum Ecclesiam locum principem obtinere, & dignitate reliquas sedes Apostolicas antecellere. Sed hæc postea. In Synodo vero Nicæna ita Patres voluerunt consuetum illi exhiberi honorem esse seruatum, vt tamen nihil imminueretur dignitatis Ecclesiæ Metropolitanæ Cæsariensis.

a *Conc. Nic. can. 7.*
b *Hier. ep. 61. auuers. Ioan. Hierosol.*
c *Ap. Theod. lib. 5. c. 9.*
d *Nicol. PP. ep. ad Mich. Imp.*

XXXVIII. QVID ACTVM IN CONCILIO DE ALIIS HAERET.

Post hæc S. Synodus, ne quid intentatum relinqueret, *Nouatianos* antiquos schismaticos & hæreticos communioni Catholicæ restituere studuit; sed frustra, ob duritiem Acesij eorum Episcopi; quem & Constantinus Imper. ad Concilium vocatum, incassum delinire conatus est; vt scribit Socrates *e*, & ex eo (vt opinor) Sozomenus *f*: siquidem asserit Socrates, illud Constantini cum Acesio colloquium, à nemine scriptore aliquando literis proditum esse; se vero accepisse à quodam viro ætate admodum prouecto, qui ea quæ in Concilio gesta ipse viderat, commemorabat. Cæterum S. Synodus, quantumlibet Acesij duritiem satis exploratam haberet; voluit *h* nihilominus Nouatianis apertam certis conditionibus ianuam reliquisse, si abiecta hæresi ad Ecclesiam redire vellent: iisdemque sic concessit pristinos in clero gradus retinere, vt tamen in vna ciuitate non essent duo simul Episcopi. *Paulianistas* autem, (à Paulo Samosateno nuncupatos) & *Cataphrygas*, sic ad Ecclesiam Catholicam recipiendos statuit *i*, vt tamen rebaptizarentur: cuius rei allata est causa, cum de iisdem hæreticis actum est superius.

e *Socr. lib. 1. c. 7.*
f *Soz. lib. 1. c. 21.*
h *Conc. Nican. 8.*
i *Ibid. can. 19.*

Sed quoniam præter illa quæ de Fide in eo Concilio recte ordinata sunt, (inquit S. Basilius *k*) alia ad correctionem noxiorum, alia vero ad præmunitionem eorum quæ suboriri possent, decreta fuerunt: ad emendationem delictorum illud imprimis pertinere videtur, quod de iis qui se sponte abscidissent S. Synodus *l* statuit, vt in Clero constituti deponerentur, ac deinceps nullus talium promoueretur; illis exceptis, quos non voluntas, sed necessitas fecisset eunuchos, siue à medicis propter languorem, siue à barbaris, aut in persecutione exciti essent. Recens sane facinus *Leonty* presbyteri Antiocheni, canonis sanciendi causam dedisse videtur: quem Athanasius *m* & alij referunt, accusatum de cõmercio cuiusdam iuuenculæ feminæ Eustolij dictæ, ac proinde ab Eustathio Episcopo Antiocheno iussum ab ea abstinere, seipsam castrandum dedisse, quo libere cum ea versari posset. Porro iste infelix presbyterij

k *Basil. ep. 78.* CANONES STATVTI AVERSI DELINQVENTES *l Conc. Nic. can. 1.*
m *Athan. Apol. de fug. sua. & ep. ad solit. Socr. lib. 2. c. 22. Theod. lib. 2. c. 24.* DE LEONTIO CASTRATO.

gradu

gradu eam ob rem depositus, deficiens ad Arianos, ab eis postea creatus est Episcopus Antiochenus; de quo rursum inferius. Sed & inde videtur occasio fluxisse, vt eadem Magna Synodus canone *a* sancito vetuerit, ne quis in Clero cõstitutus, quouis prætextu apud se subintroductas mulieres retineret, nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel alias tantũ eiusmodi personas, quarum nulla prorsus esse posset suspicio.

a *Conc. Nic. can. 3.* CANON DE CÆLIBATV CLERICORŨ.

XL.

Quod autem longe post hæc tempora Socrates *b* & Sozomenus *c* scripserunt, quæsitum quoque in Synodo fuisse de illis clericis qui antequam ordinarentur coniugati essent, num cum vxoribus consuetudinem vlterius habere possent; & cum plerisque Patribus videretur, nec illis vxorum vsum permitti debere, Paphnutium Episcopum intercessisse, quod vetus Ecclesiæ traditio prohiberet tantum iis qui cælibes ordinati essent, postea vxores ducere, post nuptias autem ordinatis permitteret illis vti; eiusque iententiæ Synodum acquieuisse: hæc, inquam, quomodo ijdem auctores dicere possunt, si ea ipsi Concilij canoni aduersari sit perspicuum? Certe enim cum expressæ in eo habeantur feminæ, quibuscum permittantur clerici habitare, nec inter eas recenseatur vxor; plane & ipsa exclusa esse conspicitur. Nec veritati consentaneum est, quod dicit Sozomenus, nullum à Patribus ea de re sancitum esse canonẽ, sed in cuiusque arbitrio, non in necessitate poni voluisse: nam id necessario scripta lege sanciendum erat, cum scriptus canon his contrarius militaret, quo fuerunt definitæ personæ quibus liceret cum clericis habitare. Sed & quomodo sine decreto scriptis prodito, potuit S. Synodus antiquam à temporibus Apostolorum consuetudinem in Ecclesia abrogare, quæ ordinatos coniugatos à sacris arcebat si se iterum vxoribus miscuissent? Sunt enim huius veterrimi vsus, quam plurimarum aliarum Synodorum, Patrumque testimonia, atque adeo illorum qui hocipso sæculo vixerunt; de quibus abunde dictum est, cum eiusmodi Apostolicam traditionẽ firmioribus argumentis stabiliuimus *d*: vbi etiam ostendimus, quando id vsurpari sit cœptum à Græcis, vt coniugati ordinati penes se contra ius fasq; in vsum coniugij retinerent vxores. Cæterum si velimus Socratem & Sozomenum non esse mentitos, de illis tantumdo toram illam controuersiam agitatam dicemus, qui cum ordinarentur inuiti, contestarentur se non posse continere; quibus in Concilio *e* Ancyrano fuerat haud diu ante prospectum. Verum & de eo quoque dictum est superius.

b *Socr. lib. 1. c. 8.*
c *Soz. libr. 1. c. 22.* REFELLVNTVR SOCRATES ET SOZ.

d *Ann. 58. num. 91. & segq.*

e *Conc. Ancyr. c. 9.*

XLI.

Præter hæc autem, sunt alia ad pœnitentiam *f* eorum qui in Persecutione Liciniana lapsi fuerant, à Synodo sancita. Itemque alia ad prauorum correctionem morum; cum clericos fœnus *g* exercentes coercuit; Diaconos *h* prohibuit Eucharistiam porrigere presbyteris, (qui prauus vsus penes aliquos irrepserat) atque etiam sedere coram illis: vetuitque *i* translationes Episcoporum, aliorumque clericorum, ab vna Ecclesia in aliam; & nequis *k* alterius Ecclesiæ, aliquem ordinaret clericum, absque consensu illius Ecclesiæ Episcopi. Ad præmunitionem aũt scandalorum quæ subboriri possent, statuit *l* ne recens baptizati, & neophyti, assumerentur in Episcopos, vel ordinarentur presbyteri: Episcopos *m* vero ab omnibus prouinciæ Episcopis ordinari decreuit, vel saltem à tribus, cæteris per scripta consentientibus, & Metropolitano confirmante. Excommunicatos *n* ab vno Episcopo, ab altero recipi prohibuit: Vtq; bis in anno Antistites Concilia celebrarent, instituit: ad quæ deferrentur causæ eorum, qui ab Episcopo se iniuste passos aliquid cõquererentur: delecta vero ad Concilia celebranda, sunt tempora, ante Quadragesimam, & in Autumno.

f *Conc. Nic. c. 9. 10. & segq.*
g *cap. 18.*
h *c. 14.*
i *c. 15. 16.*
k *c. 17.*
l *cap. 2.*
m *cap. 4.*
n *cap. 5.*

XLII. DE NVMERO CANONVM NICÆNI.

Sunt autem CANONES omnes *Viginti* numero, non tamen eadem partitione & ordine vbique dispositi, sicut nec eadem versione Latinitati redditi: quorum duæ versiones auctore incerto extant Tomo primo Conciliorum: alia præterea Dionysij Exigui, qui collegit Græcos Canones & in Latinum conuertit, tradiditque Stephano Episcopo Salonitano: habeturque & alia sub Attico Archiepiscopo Constantinopolitano elaborata à Theilone & Theantilo, quando ab eodem Attico iidem canones missi sunt in Africam, annexiq; Concilio Carthaginienti Sexto. Quibus omnibus editionibus Viginti tantummodo Canones enumerantur: qui licet à Rufino viginti duo recenseantur, ijdem tamen esse noscuntur, ab eo duo ex illis in duas secti partes effecerint quatuor. Sed & Theodoretus *a* viginti tantum à Synodo statutos affirmat: totidemque dumtaxat repertos esse in Archiuis Ecclesiarum Alexandriæ, Antiochenæ, & Constantinopolitanæ, cum illi magna diligentia perquisiti sunt ab Episcopis Africanis dictæ Synodi Sextæ Carthaginiensis Acta, & Epistolæ ea de causa tunc scriptę certissimam fidẽ faciunt. Quamobrem quodin Epistola quadam Marco Papæ tributa, septuaginta recenseantur, atque ex illis nonnulli in litteris quæ Iulij & Felicis Papæ dicuntur, descripti habeantur; quodque Turrianus profiteatur, octoginta inuentos Arabica lingua scriptos se Latinitate donasse, secundum Epistolam nomine Athanasij ad Marcum editam de octoginta pariter capitulis in septuaginta redactis: quoniam hæc omnia scripta, quibus ingens ille numerus canonum stabilitur, prorsus incertæ sunt fidei; nec aliquis vnquam probatus antiquitatis auctor, amplius quam Viginti Nicænæ Synodi agnouisse reperiatur; hæc libentius aliis discutienda relinquimus. Cum tamen haud inficias ierimus, ipsa Nicæna Acta magnum passa esse naufragium, quod tabulæ quæ hinc inde dispersæ reperiuntur, manifeste significant. Quapropter cum alia nonnulla à probatis auctoribus asserantur in ea Synodo tractata, quæ minimè inter illos viginti canones reperiuntur; sicut ea ex Concilij Nicæni Actis prodiisse dubiũ nõ est, ita certos de iis sancitos fuisse canones, ex iis quæ dicta sunt haud adeo facile affirmandum *b* putarem.

a *Theod. lib. 1. c. 8. in fin.*

b [Hæsitans in his Baron. Propensior tamen fuit in ampliorẽ quã viginti canonũ numerum: ideoque in sequenti articulo, aliqua de his posita fatemur præter ipsius sententiam.]

Sic enim quod S. Hieronymus præfatione in Iudith ait, librum Iudith à Synodo Nicæna in numero sanctarũ Scripturarum computatum esse; haud inde necesse est colligi, in Synodo de diuinis Scripturis authenticis editum esse canonem: quandoquidem post eandem Synodum scripti reperiuntur sacrorum librorum catalogi, tam à Patribus Cõcilij Laodicenj, quam à SS. Athanasio, (seu qui alius auctor est *Synopsis* eius nomine ad Constantem Imper. inscriptæ:) Gregorio Nazianzeno, Amphilochio, vel aliis, in quibus idem liber Iudith non numeratur inter canonicos; quem tamen nefas fuisset omittere, si canon ea de re à Magna Synodo statutus esset. Ideoque aperte constat, non ex canone id asseruisse S. Hieronymum, sed potius ex Actis Synodi, in quibus idem liber citatus à Patribus inuentus fuerit. Rursum vero quod Sanct. Ambrosius scribens ad Vercellenses tradit, de Bigamis non ordinandis Patres in Concilio Nicæno tractatus addidisse; haud conuincit canonem ea de re sancitum fuisse; cum potuerint tractatus illi contingere, quando actum est de cælibatu clericorum, & in Acta referri. Itemque quod profertur de canone Appellationum ad Sedem Apostolicam, à Zosimo Papa tanquam è Nicæno Concilio producto; intelligendum esse de canone Concilij Sardicensis, ostendetur inferius suo loco. Nec repugnat (vt putatur) Theodoretus *c*, dum similis cuiusdam Ecclesiastici canonis meminit, quem Iulius Papa secutus dicitur in citandis ad iudicium Romæ subeundum Eusebianis & Athanasio Episcopo Alexandrino, antequam celebratum esset Concilium Sardicense. Loquitur enim de regula Ecclesiæ, Nicæno etiam Concilio antiquiore; quæ processit non ex alicuius Synodi auctoritate, sed ex ipsa Apostolorum traditione, imo ex auctoritate ab ipso CHRISTO Domino tributa Petro, & successoribus eius: quomodo etiam sæpissimè vidimus, ab ipso Ecclesiæ Christianæ principio, maiores de religione, & controuersiis Episcoporum, causas solitas Romam deferri iudicandas. Quamuis non negemus, ea de re actum etiam esse in Synodo, id apertè testante Iulio Roman. Pont. Epistola ad Orientales scripta: verum non vt nouus de eo canon sanciretur, sed solum vt antiquus vsus obseruaretur. Deniq; sunt alia nonnulla, quæ proponuntur à quibusdam, tanquam ex canonibus Nicæni Concilij; quæ tamen vel ad historiam dumtaxat rerum in eo gestarum pertinere, vel etiam ab eadem Synodo aliena esse noscuntur: sed multi quæcumque reperetunt

XLIII. NON ESSE PLVS QVAM XX. CANONES.

c *Theod. lib. 2. cap. 4. & adde ep. Iulij PP. ad Orient. quæ & prima inter eius epist.*

antiquis canonibus tribut, mox ea ad Nicænam Synodum retulerunt, tum quod illa Oecumenicarum omnium antiquissima & celebertima esset, tum quod prætextu deperditorum eius Actorum, quæuis ei facilius adscribi posse viderentur. Cum & alioqui certum sit, aliqua eorum quæ deperdita esse dicuntur, contineri (si recte examinentur) iis viginti canonibus quos habemus.

XLIV. De conficienda Epistol. Formata.

Præterea fuit in eadem Synodo constitutum exemplar EPISTOLÆ FORMATÆ scribendæ; quod ab Attico Episcopo Constantinopolitano postea editum, excusum habetur in fine Concilij Chalcedonensis, describiturque in Collectione Cresconiana, & apud Iuonem *a* dilucidius explicatur. Fuitque eius forma, vt ex vocibus Græcis *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus Sancti*, *Petriq;* Apostoli, prima elementa sumerentur; addereturque eius *qui* Epistolam *scriberet* prima item littera, *cui scriberetur* secunda, *cui* deferenda *traderetur* tertia, *ciuitatis* è qua scriberetur quarta; & harum omnium numeris, cum numero *Indictionis* currentis, & litterarum vocis ἀμὴν, in vnum ductis secundum valorem quę apud Græcos exprimunt, collecta summa Epistolæ apponeretur. Sed quod hoc feratur inuentum à Patribus Nicænis, ne aliqua fraus falsitatis in iisdem Formatis faciendis præsumeretur; & tamen facillimum cuiuis fuerit eas iisdem elementis ac numeris confingere; ideo existimamus, eiusmodi formulam nequaquam ab eis fuisse scripto traditam, vel omnibus communicatam, sed penes Episcopos Catholicos retentam esse secretam; atque illud fuisse eorundem consilium, vt dantibus & accipientibus, communionis Catholicæ tesseram ea formula exprimerēt. Nam huius rei causa in vsu extitisse Formatas, nempe vt qui eas scriberet, vel afferret, existimaretur esse Catholicus, iam dictum est alias. Sic igitur & in hac Formata tribus illis primis elementis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; perfectæ & sanctissimæ Trinitatis, nomina adnotarentur; veluti symbolicis formulis, aduersus eos qui tunc insurrexissent hæreticos Arianos, Fides Nicæna & Catholica videbatur esse descripta. Quod vero non solum in recta fidei confessione, sed etiam ex vera cum Ecclesia Catholica communicatione, probari deberet qui recipiendus esset; inde additum est primum elementum nominis Petri, nempe quod in sede Petri vigeret totius Ecclesiæ Catholicæ principatus, & ille probaretur vere esse Catholicus qui Petri successori esset communione coniunctus. Nam & hoc perspicuo argumēto Optatus *b* se Catholicum probat, quod commercio Formatarum in vna communionis societate concordaret cum Episcopo Romano; Donatistas vero schismaticos, quod eiusmodi communicatione careret.

a Iuo de cauſ. eccl. par. 6. c. 433.

b Opt. lib. 2.

XLV. De Epist. Syn. data ad Siluestrū PP.

Post autem descriptam formulam de formatis in dicta Cresconiana Collectione, mox subijciūtur S. Synodi Litteræ ad Siluestrum Romanum Pontificem; quæ etiam habentur in tomis Conciliorum, licet vbiq; depravatissimæ. Illud tamen aperte legitur, petere Patres à Siluestro cōfirmationem eorum quæ in Synodo decreta essent. Sed etsi dicta Epistola non extaret, vel omnino reijceretur vt spuria; quis ignorat, canone Ecclesiastico, (quod tradit Socrates *c*) vetitum fuisse, ne decreta absq; sententia Episcopi Ecclesiis sancirentur? qui quidem canon cum in nulla Synodo reperiatur esse sancitus, omnino dicendus est antiquo vsu, vti Apostolica institutio, ad posteros iugi & inuiolabili obseruatione deriuasse: quod & superius variis locis demonstratum est. Deniq; ipsam Synodum Nicænam tunc temporis postulasse confirmationem ab Apostolica Sede, testatur etiam Felix Papa Tertius in Epistola Synodali ex Concilio Romano cui præerat.

c Socr. lib. 2.

XLVI. d Soz. lib. 3. c. 19. in fin. De Hymno Glorificationis quid Synodus. De eodem actu Hymno egit et Ann. Baron. Tom. IV. ann. 325. nu. XXI.

Pertinet item ad Nicæna instituta, (licet nec de canonibus, nec de Actis fuerit, quod Sozomenus *d* indicat, secundum traditam in eadem Synodo fidei formulam, *Hymnos* postea à Catholicis compositos esse, & decantari solitos. Nimirum cum Ariani, sicut Baptismi formam, ita quoque Glorificationis hymnum corrupissent, vt dicerent: *Gloria Patri Per Filium in Spiritu Sancto*; Catholici cōtra, tum ex antiqua consuetudine eundem ipsum Glorificationis hymnum rite canere perrexerunt, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*; tum alios in eiusdem Glorificationis formam hymnos composuerunt in odium impietatis Arianæ. Siquidem eundem ipsum Glorificationis hymnum sic à maioribus dictum, nequaquam (vt aliqui putant) inuentum esse à Nicæno Concilio, aut aliquo alio postea canone statutum; sed ab ipsis Apostolorum temporibus, cum ab eis sacrum baptisma iussu Domini in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti collatum est, à Fidelibus occini cœptum, & absq; scripto Ecclesiæ traditum, atq; ab omnibus Catholicis vbiq; vsurpatum, S. Basilius *a* pluribus docet. Sed nec vt idem hymnus in fine cuiusq; Psalmi caneretur, ab eadem Synodo esse statutum, ex eo constat, quod post hæc diuersæ reperiantur ea de re fuisse diuersarum Ecclesiarum consuetudines: quod tamen haud contigisset, si vniformem regulam Oecumenica Synodus cunctis præscripsisset. Nam & de suo tempore Cassianus *b* testatur, id quidem in Occidente obseruatum se inuenisse, sed per Orientem nusquam audiuisse, vt post psalmorū clausulas Glorificatio adderetur, sed ea tantummodo Antiphonam terminari consuesse. Ex quibus, sicut ex multis aliis, commentitia detegitur Epistola Hieronymi nomine ad Damasum consignata, qua ex Orientis more eum hortatur eiusmodi psallendi ritum in Ecclesiam Romanam introducere. Porro & Sanct. Ambrosius *c* significat, se in odium Arianæ hæresis, in hymnis recens à se editis, & in Ecclesia canendis populo traditis, ad finem cuiusq; addidisse eandem conglorificationē sanctissimæ Trinitatis. Sicut & alios pariter Sanctos Patres, hymnos aduersus eosdem hæreticos composuisse, iam alias diximus.

a Bas. ad Amphil. de Sp. S. 6. 27. 29.

b Cassian. lib. 2. de obſeruat. mon. c. 8.

c Ambros. in Auxent.

XLVII.

Cæterum illud post Nicænum Concilium accidit, vt qui iam antea ex traditione Apostolorum vigeret vsus, vt à Fidelibus Glorificationis hymnus occineretur vbique, licet diuerso ritu, noua iam occasione recens acceperit additamentum: nimirum vt contra blasphemias Arianorum, dicentium Filium à Patre in tempore factum, & fuisse tempus quando non erat, communi consensu Ecclesia tam Orientalis quam Occidentalis ad antiquum Glorificationis hymnum, nempe GLORIA PATRI ET FILIO ET SPIRITVI SANCTO, addiderit appendicem, SICVT ERAT IN PRINCIPIO ET NVNC ET SEMPER ET IN SÆCVLA SÆCVLORVM, AMEN. Hoc enim testatum habetur in Concilio *Vasensi d.* Primo, seu *Vasionensi* dicto, celebrato in Gallia temporibus Constantij Imperatoris sub Nectario Episcopo Viennensi, vt patet ex Adone *e* eiusdem postea Ecclesiæ Antistite: quamuis in tomis Conciliorum id Secundæ Vasensi Synodo tribuatur, quæ longe postea collecta est sub Theodosio Iuniore Imperatore. Sed trium *Synodorum Vasensium* canones vna cōfasos esse, dicetur opportunius cum de Secunda tractabitur.

d Conc. Vaſ. 1. cap. 5.

e Ado in Chron. ann. 337.

XLVIII. SVBSCRIPTIONES PATRVM. f Greg. Presbyter. orat. de Patr. Nic. Conc. h Niceph. lib. 8. c. 23.

Omnibus autem quæ agenda erant, in sacrosancto Nicæno Concilio absolutis, consecuta est subscriptio Patrū, qui tum Fidem Catholicam Symbolo explicatam, tum etiam sancitos canones singuli suo Chirographo munierunt. Quain re mirandum quiddam accidisse, Gregorius *f* presbyter Cæsariensis atque Nicephorus *g* narrant; nimirum, cum duo ex Episcopis qui decisionibus Synodi interfuerant, antequam subscriberent vita functi essent; reliquos Patres venisse ad locum vbi sepulti erant, ac eos compellasse, vt si quæ decidissent Deo grata essent, ipsi quoque suum Chirographum apponerent; cumque relicto apud sepulchrum volumine, sigillis munito nequa fraus fieret, nocte insomnem peregissent in oratione, die sequenti, sigillis remanentibus integris, inuenisse illorum Episcoporum defunctorum adiectas subscriptiones. Sed horum omnium fides sit apud auctores; cum tantæ rei nullum vestigium sit reperire penes Athanasiū, Hilarium, & alios, qui nihil plane reliquere intactum, quo insultantem Arianam hæresim oppugnare potuissent; nec fuerit mortis fidem inter Fideles velle miraculis probatam reddere, cui suffragarentur firmiores diuinarum Scripturarum & sacrarum Traditionum auctoritates.

XLIX. PRÆCONIA NICÆNI CONCILII. i Gen. 14.

At NICÆNI CONCILII hic finis esto; celebrati à *Trecentis decem & octo Episcopis*, numero videlicet in magno illo Patre Fidei dicto, ABRAHAM consecrato, cum totidem ex suis vernaculis aduersus quinque Reges *h* quos & vicit, armasset. Eodem quippe numero Patrum, certatum est aduersus

uersus Filij Dei diuinitatis impios aduersarios; obtentaq; est victoria in ciuitate *Victoriæ*, *Victore* atque *Vincentio* vna cum *Osio*, hoc est *sancto*, primarijs ducibus pietatis: vt & in his quoque nominibus admirabile intelligas Sacramentum. Ipsius autem Synodi singularem cum primis excellentiam, ac venerandam eximiamque super omnes alias, quotquot vnquam quocunq; loco vel Patrum numero celebratæ fuerunt, mateſtatē, vix credi potest quot laudibus atq; præconiis prosecuti sint posteriores omnes omnium temporum Patres & Scriptores. Deniq; sicut cum diuina illa Arca *a* manſit tribus mensib. in domo Obededom Gethæi, hic m agnam inde benedictionem consecutus est: ita *Nicæna* ciuitas, licet antea non ignobilis, tamen longe celebrior reddita totidem mensium Magni illius Concilij incolatu, admirandis quoq; nonnullis tibi diuinitus impertitis potita est beneficiis; non solum cum post finitum Concilium, orantibus pro suo domum reditu Patribus, in medio apsidis, ad quam facer chorus constiterat, scaturierunt fontes; sed etiam cum longo post tempore ipsa ciuitas, à barbarorū, omnia circum igne ferroq; vastantium, furore intacta prorsus remansit: sicut hæc, & alia, pluribus recenser Gregor. presbyter; addens quoq; de incorruptione, qua donatæ sunt sacræ Patrum Synodi reliquiæ: quorum etiam memoriam Orientalis Ecclesia quinto Calendas Iunij anniuersaria celebritate consecrauit.

a 1. *Reg.* 6.

NICÆNA CIVITAS MIRABILI CONSECVTA EX CONCILIO.

Porro absoluta Synodo Constantinum *Vicennalia* Imperij sui magnificè celebrasse, iisdemque filium suum CONSTANTIVM secundogenitum Cæsarem creasse; sed & cunctos Episcopos conuiuio regio excepisse, ac muneribus auctos, & de concordia seruanda monitos, ad propria dimisisse, Eusebius *b* scribit, & alij *c* cōsentiunt: addit q; Theodoretus, literas quoq; ad omnes prouinciarū Præsides dedisse, vt certus frumenti numerus viduis, & iis quæ perpetuam seruarent virginitatem, necnon omnibus diuini ministerij functionibus addictis, in singulis ciuitatibus quotannis suppeditaretur. Sed quæ Nicephorus *d* habet de iisdem Patribus Constantini rogatu Constantinopolim profectis ad dedicationem illius ciuitatis; hæc cum antiquiorum testimonio destituātur, penitus reiiciuntur; cum præsertim sit certum, Cōstantinopolis dedicationem nonnisi post annos quinq; ab hoc tempore contigisse.

I. VICENNALIA CONSTANTINI. *b Euſ. 3. de Vit. 14. & seq. ac lib. 4. c. 40. c Soz. lib. 1. ca. vlt. Theodor. lib. 1. c. 11.*

d Niceph. lib. 8. c. 16.

[Quod de Vicennalibus Constantini hic dicitur; in extremo quid. in Eusebij Chronico, bis ea dicuntur celebrata, nimirū hoc anno Nicomediæ, & sequenti Romæ. Quare & in Vita ipsius Constantini libr. 4. cap. 40. ait idem Eusebius, ferme vigesimo anno (hoc est circiter) Constantium creatum esse Cæsarem. Ex quibus intulit Gordonus in Chron. cap. de Indict. Vicennalia quidem fuisse in procinctu quando celebratum est Concilium Nicænum; sed peracta tantum anno sequenti. Quod & conuenit ingressui Constantini, qui non potuit contigisse ante octauum Cal. Aug. anni 306. quo pater eius defunctus est.]

Perlatis autem Romam decretis Synodi, Siluester Papa collegit ex Italia aliud Episcoporum CONCILIVM, quo Acta Nicæna confirmauit, & eos qui auderēt illa dissoluere anathemate perculit. Cuius *Romanæ Synodi* nonnulla tantum fragmenta *e* supersunt; eisq; perperam ab eorum collectore præfixus est titulus, quo significaret eam Synodum celebratam esse præsente Constantino Imperatore. Quod vero postea attexitur aliud *Concilium* itidem *Romæ* ab eodē Pontifice celebratum (vt asseritur) eo tempore quo Nicænum ageretur; ea parte suspecta redditur tota narratio, q dicat Photinum tum illic tum Nicææ damnatum esse, quē constat longe post hæc tempora detectum esse. Cætera autem quæ ibi reperiuntur esse posita, à vero Romano Concilio putantur esse desumpta, & in compendium redacta; quibus tamen incertus auctor & mendax præfationem affixerit.

LI. CONCILIVM ROM. PRO CONFIRMATIONE NICÆNI. *e Tom. 1. Concil. post Nic. Syn.*

Sed quod ad Constantinum spectat; idem non solum de rebus Ecclesiasticis solicitus, verum etiam politicas diligenter procutans, imprimis hoc ipso anno sanctionem *f* edidit, qua vniuersis prouincialibus permisit Iudices, Comites, aulicos & Palatinos; siquid contra eos probare possent, accusare. Aliaque lege *g* lata, tolli iussit cruenta Gladiatorum spectacula; & quos solitum esset in punitionem scelerum eiusmodi pœnis subiicere, ad metalla magis damnari voluit: quamuis haud valuerit ludus gladiatorius nonnisi post longa tempora penitus aboleri; quod quando, & qua occasione acciderit, dicetur suo loco. Sed & quod eiusdem Imper. commendat humanitatem, supplicium crucis prorsus abdicauit; vt Sozomenus *a* & alij testantur: quinetiam, vt idem addit, suam imaginē, seu in nummis expressam, seu depictā in tabulis, iussit semper eo diuino signo inscribi. Imo & Lanceam qua vti soleret in prælijs, in similitudinem Crucis elaborandam curasse, eamq; à successoribus Impp. hereditario iure possessam, ad Henricum quoque, & Ottonem eius filium peruenisse, sunt qui scribant *b*.

CRVCIS SVPPLICIŪ SVBLATVM. *a Soz. lib. 1. c. 8. in fin.*

b Vid. Act. S. Gerard. Abb. ap. Sur. 3. Oct.

Hoc quoque præcipuè tempore, quo Vicennalia festa solemnia toto Orbe Romano celebrata sunt, accidisse putamus quod scribit Eusebius *c*, complures ex diuersis prouinciis, extra Romanum quoq; Imperium positis, ad Constantinum missos esse cum muneribus Legatos; atque inter alios, id officij exhibuisse Blemyas, Indos, Æthiopas: necnon & Regem Persarum Saporē, cui Imperator Christianos agentes in Perside solicite cōmendauit, literis ad eum scriptis, quas idem auctor ad verbum recitat, meminitque earundem Sozomenus *d*. Sed hic plane cum aliis plurimis errare videtur, dum putat eas scriptas esse postquam Sapores aggressus est Christianos persequi; cum nulla prorsus in iis mentio de persecutione habeatur, quam multis ab hinc annis sub Constantio Imper. cœptam esse, dicetur suo loco.

III. DE LEGATIONES DIVERSÆ AD CONSTANTINVM. *c Euſ. 4. de Vit. 7. 8. 9.*

d Soz. lib. 2. c. 14.

Cæterum idem Eusebius, qui Historiarum libros vsque ad Licinium extinctum perduxit, Chronicon in hunc annum Constantini vigesimum propagauit; quod postea Sanct. Hieronymus in Latinum vertit, multaque inseruit, ac denique appendicem addidit vsque ad Consulatum Valentis sextum & Valentiniani iterum: sed eius lucubrationes, librariorum incuria, haud ità sinceras, vt ab ipso elaboratæ sunt, nobis esse redditas, perspicuè intelliget, qui quæ in eas idem ipse præfatus est Hieronymus, cōferre voluerit cum earundem editionibus, quæ hodie extant vel typis excusæ, vel scriptæ in antiquis codicibus: vnde & factum est, vt & iidem ipsi auctores in alienorum errorum culpam sæpe vocati fuerint; & nobis in iis emendandis ac restituendis, incredibiles plane labores suscipiendi venerint.

LIV. DE CHRON. EVSEBII, ET HIERONYMI.

IESV CHRISTI ANN. 326.

SILVESTRI ANN. 13.

CONSTANTINI ANN. 21.

ANNO CHRISTI trecentesimo vigesimo sexto, Cōstantino August. septimum & Constantio Cæs. Coss. S. Alexander Episcopus Alexandrinus; quinto post celebratum Concilium Nicænum & debellatum Arium mense, ex hac vita discedens ætate iam decrepita, triumphans cœlum intrauit; & in locum eius suffectus est ATHANASIVS: vt hæc idem ipse Athanasius *e*, atque Theodoretus *f* affirmant. Sed quod ad electionem Athanasij spectat; calumniati sunt *g* Ariani, quod cum quinquaginta quatuor Episcopi ex Thebaide & Ægypto in vnum conuenissent, vt communibus suffragiis successorem Alexandro eligerent, septem ex illis contra cæterorum voluntatem clam Athanasium ordinauerint, indeque orti fuerint cleriac populi luctus & tumultus. Verum cum ista ad Imperatorem scripsissent, e contra *Synodus Generalis Alexandria* celebrata ab omnibus Ægypti, Libyæ, Thebaidis, & Pentapoleos Episcopis, eiusmodi apertissimam calumniam refellens, literis *h* ad eumdem Imp. scriptis testata est, vniuersum populū Catholicum publicis votis & magnis acclamationib. postulasse Athanasium sibi dari Episcopum; eundemq; ab Episcopis qui ad id conuenerant,

I. ATHANASIVS CREATVR EPISC. ALEXAND.

e Athan. Apol. 2.

f Theodor. lib. 1. c. 26.

g Soz. lib. 2. cap. 2.

h Ap. Athan. Apol. 2. circa pr.

XII. IVSTI IMP. LEGES. *f L. 4. C. Th. de accens. g L. 1. C. Th. de glad.*

ingenti

ingenti omnium lætitia ordinatum esse. Insuperq; Sozomenus *a* ex Apollinario Syro refert, Alexandrum cum iam de vita discessurus esset, diuino monitu significasse, Athanasium sibi subrogandum esse; huncq; onus fugientem, & latebras quærentem, diuinis pariter indiciis inuentum esse, & in sede collocatum. Accedeniq; Greg. *b* Nazianz. scribit, eundem Athanasium totius populi suffragiis, Apostolicè & spiritualiter in Marci thronum euectum esse.

a *Soz. vbi sup.*

b *Greg. Naz. orat. in laud. Athan.*

II.

Quæ cum ita se habeant, nescio vnde acceperit Epiphanius *c*, Athanasio tempore obitus Alexandri in Comitatu existente, eidem Alexandro subrogatum esse à Meletianis Theonam; huncq; demum post tres menses vita functum, successorē habuisse Athanasium: seu quod postea addit *d*, creato à Meletianis Theona, Catholicos, ne is sedem occuparet, elegisse absente Athanasio Achillā; hunc vero post tres menses Athanasio aduenienti cessisse, quod Alexander omnino præcepisset Athanasium ordinandum. Sic igitur Athanasius creatus Episcopus Alexandrinus, sedit annos quadraginta sex. Cuius quidem (inquit Ruffinus *e*) tanti in Ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiam de eo videatur esse dictum *f*, *Ego ostendā ei, quanta illum pati oporteat pro nomine meo*; cum in eius persecutiones vniuersus cōiuratus Orbis, & commoti fuerint Principes terræ, gentesque, regna, & exercitus coierint. Sed de eius certaminibus agetur suis locis.

c *Epiph. hær. 68.*

d *Id. hær. 69.*

e *Ruff. lib. 1. c. 14.*

LABORES ATHANASII.

f *Act. 7.*

III.

Inter hæc autem Meletius, schismatis auctor, è Concilio Nicæno, vbi Patrum humanitatem expertus erat, Lycopolim in Ægypto ad suam Ecclesiam reuersus; contra decretum eiusdem Synodi, non solum ordinauit Arsenium Episcopum Hypselitarum, quibus ipse aliquādo *g* præfuerat; sed etiam (inquit Sozomenus *h*) cum esset è vita migraturus, Iohannem vnum ex familiaribus suis Lycopoli in suum locum sufficit; sicque Ecclesias denuo conturbandi, auctor & causa extitit. Hoc vero eodem ānno id accidisse, significat Athanasius *i*, dum ait mox post Alexandri obitū Meletianos rursum Ecclesias perturbare cœpisse, Eusebiūque Nicomediensem, Arianæ hæresis propugnatorem, magnis promissionibus amicitiam ac societatem cum eis clā culum iniisse. Ex quibus etiam cum certum reddatur, coisse cum Arianis Meletianos post Meletij & Alexandri obitum; plane erroris arguuntur, qui hæc ante accidisse tradunt *k*. Porro Epiphanius *l* Meletium ante Alexandrum mortuum esse tradit; & ex aliquo Meletianorum fautore (vt superius notatum est) eorum mutuatus historiam, totam culpam nouorū istorum tumultuum in Alexandrum conuertit: qua de causa susceptam ait ab eis legationem ad Constantinum Imp. atq; opera Eusebij Nicomediensis egisse, vt permitterentur seorsum ab Episcopo Alexandrino conuenire agere. Sed ab hac tanta calumnia, suis ipsius literis Constantinus omnino purgatur, cum ad Athanasium postea scribens *m*, eosdem Meletianos omni execratione dignos vocat, immanesq; & nefarios homines, qui quasi apoplexia ictu stupentes, solum modo inuidia & tumultibus ad scelera motum haberent. Auctor q; est Eusebius *n*, (cum alioqui propter hæresim Arianam posset esse suspectus) eundem Imp. in his Ægypti controuersiis post Nicænum Concilium exortis, humānitus cum illis agentē, & sermone & literis conatum esse ad concordiam eos reuocare; studuisseq; imprimis vt Nicæna decreta in suo robore permanerent. Cæterum Meletianis ad Constantinum accedendi, inde putatur oborta occasio, quod S. Athanasius postquam Episcopus creatus esset, solicitus pro custodia decretorum Magnæ Synodi, Meletianos rursum schismate diuisos ad eorum obseruationem compelleret. Tradit n. hæc Epiphanius *o*: addit q; Sozomenus *p*, Eusebium cæteros q; Arianos hanc sibi oblatam occasionem arripientes, conatos esse aduersus Athanasium commouere Imperatorem. Quas autem struxerint ei calumnias, dicetur suo tempore.

g *Athan. Apol. 2.*

h *Soz. lib. 2. c. 20.*

i *Athan. ibid.*

MELETIANI IVNGVNTVR ARIANIS.

k *Epiph. hær. 64. Socr. lib. 1. c. 5.*

l *Epiph. hær. 68.*

m *Ap. Athan. Apol 2.*

n *Euſ. 3. de Vit. 22.*

o *Epiph. hær. 69*

p *Soz. lib. 2. c. 22.*

IV.

Interim vero Constantinus, quos obstinatos in schismate & hæresi post Nicænum Concilium permanere audiret, eos oēs à priuilegiis Catholicæ legis obseruatorib. concessis, edita hoc ānno sanctione *q* alienos esse voluit ac diuersis oneribus obligauit. Sed & alio prolixiori edicto, quod Eusebius *r* recitat, Nouatianis, Valentinianis, Marcionitis, Paulianis, & Cataphrygibus aliisq; cunctis vbiq; hæreticis, conuentus quocunq; modo, seu publice siue priuatim agere, penitus interdixit; & in quibus eos celebrare cōsueuerant, ædes vniuersas dirui iussit, sicq; dirutas, quæ templa fuissent, Catholicæ reddi Ecclesiæ, reliqua vero loca publica Fisco addici. Sed quod inter recensitos hæreticos, Ariani, quorum præcipua mentio habenda fuisset, vt pote qui totum pene Orientalem Orbem exagitassent, reperiātur omissi, suspecta redditur perfidia Eusebij, hominis Ariani, recensentis edictum, potius quam reuocari possit in dubium Constantini pietas. Nam quod Sozomen. *a*, dum eiusmodi visus est edicti meminisse, ait Arij sectatoribus nondum fuisse inditam *Arianorum* appellationem; hoc ex innumeris auctorum superius citatorum locis refellitur; quibus constat, statim promulgata ab Ario hæresi, eius sectatores nuncupatos esse Arianos. Addit vero Sozomen. hac lege publicata, prædictarū & aliarum eiusmodi sectarum memoriam magna ex parte deletam esse; tum q; plurimi metu perterriti, Ecclesiæ se Catholicæ addixerūt; tum quod qui in hæresi perstiterunt, quoniam nec conuentus agere, nec sine metu possent suæ opinionis fautores docere, nullis relictis successoribus è vita exierunt. Eadem ferme Euseb. *b*: sed illud pane hyperbolicè, quod ait industria Cōstantini ne vestigium quidem hæreticæ vel schismaticæ prauitatis relictum fuisse: nam ex rebus gestis singulorum sequētium annorum satis apparet, nunquam intermissum esse temporis spatium, quin ab hæreticis atq; schismaticis, nempe Arianis atq; Meletianis, negotium fuerit Catholicis facessitum. Sed istos noluit Eusebius inter hæreticos vel schismaticos recensere, quod ipse Arianus fœdere impietatis coniunctus esset Meletianis.

q *l. 1. C. Th. de Iudæis & Cæles. Euſ. lib. 3. de Vit. 61. 62.*

a *Soz. lib. 2. c. 30.*

CONVERSIO PLVRIMORVM.

b *Euſ. 3. de Vit. vlt.*

Cæterum laudanda plane est in omnibus Constantini pietas; qui stabilita anno superiori in Nicæno Concilio fide Catholica, & hæreticis atque schismaticis (quantum licuit) profligatis; ad extirpandum idolorum cultū, & Dei Ecclesiam in Oriente (quod in Occidente fecerat) ædificiis illustrandā, animum addixit. Quod & testatur Ethnicus auctor, Christianis rebus infensus, Eunapius *c* Sardianus, cum queritur Constantinum fana toto Orbe celeberrima euertisse, & vbiq; Christianorum ædificia extruxisse. Hæc autem præsenti anno gesta esse, postquam de conciliandis schismaticis literas in Ægyptum scripsisset, Eusebius est auctor: alij q; *d* referunt statim post Nicæni Concilij celebrationem.

V.

CONSTANT. IDOLOLATRIAM PESSVMDAT.

c *Eunap. in Vit. Philoſ. in Ædeſ.*

d *Socr. lib. 1. c. 12. & alij.*

VI.

Porro de *Ecclesiis* à Constantino in Palæstina erectis idem Eusebius e diffusius agēs, describit imprimis nobilissimum *Resurrectionis* templum, ingentibus sumptibus ac mira magnificentia ædificatum ad sepulchrum Saluatoris; diruto Veneris fano, quod super idem sepulchrum à Gentilibus olim ad abolendam tanti Christianorum mysterij memoriam, constructum fuerat. Additque de nouā ciuitate Hierusalem, eodem tempore ad illud ipsum monumētum extructa è regione illius, quæ in pœnam necis Dominicæ extremam vastitatem passa fuerat. Ipsum vero templum Cyrillus, eiusdem paulo post ciuitatis Episcopus, scribit nominatum fuisse Μαρτύριον, hoc est *Testimonium*, CHRISTI resurrectionis monumētum & testem; idq; (vt ait) ex Prophetarum oraculis. Dictumq; idem reperitur ab aliis pluribus, *Basilica Constantiniana*: quam inter cætera ornamenta, fuisse etiam sacris picturis decoratam, & inter alias Deiparæ Imagine, Actag Mariæ Ægyptiacæ fidem faciunt. Fuisse autem absolutam, dedicatamque anno trigesimo Constantini, suo loco dicturi sumus. Meminitq; *h* longe post hæc tempora, Vrbanus Papa Secundus (cum in Concilio Claromontensi hortaretur Christianos Occidentales ad recuperandam Terram Sanctam) perennis ad illam Ecclesiam, etiam tunc fieri soliti annuatim diuini miraculi, quo in diebus Passionis Dominicæ, extinctis omnibus & in sepulchro & in Ecclesia circumcirca luminibus, iubare diuino lampades extinctæ reaccenderentur. Subdit vero Eusebius *i* de aliis templis in diuersis Iudææ sanctioribus locis, necnon in præcipuis aliarum prouinciarum ciuitatibus, ab eodem Imp. erectis; de quibus etiam agunt Socrates *k*, Theodoretus *l*, ac Sozomenus *m*: item q; de aliis ab Imperatoris matre Helena, itidem in Palæstina, & alibi ædificatis: quam licet senio prægrauatam, diuino instinctu atque

e *Euſ. 3. de Vit. 24. & ſeqq.*

NOVA HIEROSOLYMA EXTRVCTA.

f *Euſ. 3. de Vit. 40. & in laud. Conſt.*

g *Ap. Nic. Conc. 11. Act. 4. & Damaſc. lib. 3. de Imag.*

h *Hanc periodū habet Baron. Tom. XI. 1095. num. XXV ex ms. Vatic.*

PERENNE MIRACVLVM ECCLESIÆ HIEROSOL.

i *Euſ. 3. de Vit. 40. & 41. in laud. Conſt.*

k *Socr. lib. 1. c. 14.*

l *Theod. lib. 1. c. 15.*

m *Soz. lib. 2. c. 2.*

monitu

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

monitu, pietatis ergo Hierosolymam petiisse, & Orientem peragrasse narrant.

VII. De Inventione sanctiss. Crucis per Helenam Avgvst.

Sed magna plane tenet omnes admiratio, quid sit quod Eusebius hæc omnia relegens, & de Helena prolixiorem mentionem faciens, de CRVCE ab ea INVENTA ne verbū quidem: quam sub Constantino repertam esse, nullum est dubium; id testante imprimis omnium antiquissimo Cyrillo, qui cum sub Constantio Constantini filio Ecclesiam Hierosolymitanam rexisse noscatur, facile eidem inuentioni interesse potuit: sed & cæteris, quos diximus, & qui eos secuti sunt, Græcis auctoribus, hoc ipso anno, nempe sequenti à Nicæno Concilio, aduentum Helenæ Hierosolymam, & Crucis inuentionem ponentibus. At non audiendus omnino Zonaras *a*, dum ait Helenam post baptizatum Constantinum, adscito sibi comite Sanct. Siluestro, Hierosolymam profectam esse: commentum enim iure dicendum est, quod nulla vel maiorum traditione probatur, vel antiquorum scriptorum auctoritate fulcitur. Porro cum & alia plura minus solidæ veritatis in eandem sanctissimæ Crucis Inuentionis historiam, iam ab antiquis temporibus irrepserint; quæ Gelasius *b* Papa sic reliquit dubia, vt reiiciat in arbitrium prudentis lectoris, qui verum à falso distinguere sciat: nos, ex more, quæ nouimus antiquioribus Patribus esse probata, omniumq; fide recepta, breuiter recensentes, cætera legentium arbitrio relinquemus.

a *Zon. Annal. tom. 3.*

b *Gelas. decr. de lib. Apocry.*

[De inuentione Crucis agitur etiam ad finem Chronici Eusebij: quamquam ea verba non reperiuntur in plerisque ms. codicibus. Videturq; insuper eadem indicari apud ipsum Eusebium libr. 3. de Vita Const. dum postquam narrauit cap. 27. quomodo sepulchrum Domini inuentum esset, subdit capit. 29. Epistolam Constantini Imper. scriptam ad Macarium tunc temporis Hierosolymorum Episcopū (quam etiam suis Historijs inseruerunt Theodoretus libr. 1. cap. 17. & Socrates lib. 1 cap.) vbi in ipso principio hæc pronuntiat: *Tanta Saluatoris nostri erga nos benignitas declarata est, vt nulla tam accurata discendi ratio & vis sit, quæ præsens miraculum pro dignitate explicare posse videatur. Nam vt insigne illud & sanctissimum illius passionis monimentum: quod terra visceribus abditum, tot tamq; multis annorum reuersionibus iam delituisset, tum illucescente tempore Dei, cum illi, hoste deuicto, in libertatem essent vindicati, omnem profecto hominum admirationem longe superat.*]

VIII. c *Ambr. or. in fun. Theodos.* QVOMODO INVENTA ET COGNITA.

Ambrosius *c* igitur tradit, Helenam reuisentem loca Sancta, diuinitus inspiratam, vt lignum Crucis requireret, accessisse ad Golgotham, & tupetra humo tria patibula cōfusa reperisse; incertamque hærentem, quodnam eorum esset in quo CHRISTVS pependisset, illud ex titulo ei à Pilato affixo agnouisse. Verum in eo quod habet de titulo, ab eo plane discrepant cæteri omnes antiqui scriptores; & inter alios, qui eodem sæculo vixerunt, S. Paulinus d Episcopus Nolanus, atque Seuerus *e*, qui testantur Crucem CHRISTI innotuisse ex resurrectione extincti cadaueris eidem Cruci admoti, cum prius ad tactum crucium latronum immotum permansisset. Ruffinus *f* autem & ipse eiusdem temporis auctor, non mortuum reuocatum ad vitam, sed nobilem feminam animam agentem restitutam tradit incolumitati: eademq; Theodoretus *g*, Socrates *h*, & Sozomenus *i*, qui omnes id ex consilio Macarij Episcopi Hierosolymitani factum affirmant. Sed Nicephorus *k* vtrumque miraculum accidisse prodit, cum subdit, postea mortuo Crucem impositam, illum repente in vitam reuocasse. Addit ad hæc Sozomen. in altera parte antri illius in quo sepulchrum Domini inuentum fuit, tres illas Cruces esse repertas, & tabellam tituli seorsum positam, vt non sit mirum, si post trecētos ferme annos, Cruces subtus terram absconditæ nō penitus emarcuerint: nam (vt taceamus de ligno Crucis Christi, quam à putrefactione potuit miraculum præseruasse) quod aliæ duæ integræ sint repertæ, non potuit alia ratione contingere: sicut etiam nec eas fuisse figura distinctas, aut ex diuersa ligni materia, sed sicut illam, ex ligno quod eariem non admitteret, ex his possumus intelligere.

d *Paulin. ep. 11. ad Seuer.*
e *Seuer. hist. lib. 2.*
f *Ruff. lib. 2. c. 7. & 8.*
g *Theod. lib. 1. c. 18.*
h *Socr. lib. 1. c. 13.*
i *Soz. lib. 2. cap. 1.*
k *Nic. lib. 8. c. 19.*

IX. l *Lib. de Rom. Pont. in Euseb. PP.* m *Greg. Tur. 1. hist. 36.*

Sed & de eiusdem Inuentione circumfertur historia, in qua inter alia narratur de Iudæo quodam nomine Iuda, qui secretum locum in quo Crux haberetur abscondita reuelauit; eundemq; redditum Christianum, nominatum fuisse Cyriacum: cuius etiam est mentio in Libr. de Romanis *l* Pontificibus, & apud Gregor. *m* Turonensem. Par est autē credere, tum hunc, tum alios peritissimos Iudæorum Rabbinos, quos Paulinus ait ab Helena de eo loco cōsultos esse, referasse traditionem Hæbræorum, de qua dictum est in Passione Domini, vt omnia instrumenta quæ suppliciis sontium inseruissent, vel vna vel iuxta eos consepelirentur, ac propterea cum de loco constaret vbi sepultus fuisset Dominus, omnium sententia decretum esse, ab eodem proximo loco terram effodere.

CRVX TRIPARTITO DIVISA.

Porro Crucis inuentæ partē alteram Hierosolymis esse relictā, alteram vero ad Constantinum allatam, iidem auctores affirmant, Ruffinus, Socrates; Theodor. & Sozom. Quā (inquit Socrates) vbi Constantinus accepisset, ratus ciuitatē in qua illa seruaretur, omnino saluam fore, in suam ipsius inclusit statuā, quæ Constantinopoli in Foro Constantini dicto super ingentē columnam porphyreticā collocata erat. Verum haud magna potuit esse portio, quæ aliquo statuæ membro includeretur: sed quadā particula ibi recondita, constat reliquā perlatam esse Romā, & in basilica ad Atrium Sessorianū apud Veneris & Cupidinis templum dirutū à Constantino ædificata, (quæ & inde *Sancta Crucis in Hierusalem*, vel etiam *Heleniana* dicta est) collocatā. Sic enim pius Imperator vlcisci voluit immane scelus, & à Gentilibus perpetratum vidimus, dum in sancto Golgotha, in Crucis rupe, impudicæ Veneris statua collocata fuerat, & locus ipse Veneratiū appellatū. Nec vero hanc tantum passa est Crux ipsa diuisionē; sed vt de partibus aliis, & ex aliis subdiuisis, dicere prætermittamus; ex maxima illa omnium portione, quæ Hierosolymis relicta est, Fidelibus eō peregrinantibus, pietatis ergo, & prō mercedē longi itineris, à loci Episcopo fuit solitum frustum concēdi: sed *operante diuina virtute tugi miraculo* (quod ait Paulin. *b*) *Crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris pene quotidie hominū votis lignum suum commodauit, vt detrimenta non sentiret, & quasi intacta permaneret, quotidie diuiduam sumentibus, & semper totā venerantibus: sed istam imputribilem virtutem, & indetribilem solidit atem, de illius profecto carnis sanguine bibit, quæ passa mortem, non vidit corruptionem.* Ita Paulinus. Sicut & Cyrillus *c* Hierosolymitanus Episcopus sæpius repetit, eiusdē sanctæ Crucis ligno, per particulas ex ea ciuitate vniuersam terrarū Orbem repletum esse, sed vt quinq; panes in quinque millia multiplicati fuissent, ita hoc lignum & Hierosolymis conspicuum extitisse, & vniuersum ferme Orbem iam replesse. Cuiusmodi tantorum Patrum testimonia, ora obstruunt subsannantium hæreticorum de vnā Cruce tot in partes toto Orbe diffusa.

a *Hanc periodum habet Baron. an. 324. num. c. 7.*

b *Paulin. ep. 11. ad Seuer.* LIGNVM S. CRVCIS MVLTIPLICATVM.

c *Cyril. catech. 4. 10. 13.*

Quod vero pertinet ad repertos eodem loco CLAVOS; quibus crucifixus est Dominus; cū eos non fuisse tam longa temporis diuturnitate cōsumptos rubigine testetur Socrates, haud fuit opus ab alijs alio miraculo discriminari. De illorum aūt inuentione assertores fuēt iidem oēs citati superius auctores: quē primum ordine posuimus, S. Ambr. ait, Helenam de vno clauo freros fieri præcepisse, de altero diadema intexuisse, hæcq; dona filio suo Constantino misisse, vt tum ipse, tū alij subsequētes Impp. discerent fidem integrā conseruare, & iuste imperare, gestādo in capite, vbi sensus est, coronam de Cruce, & manibus pariter regendo habenam de Cruce. Alludit & inter alios Theodoret. *d* de clauo in freno posito, ad id q̄ olim per Zachariam Prophetam prænunciatū fuerat, *In die illa erit quod super frenū equi est, sanctū Domino*: licet hoc S. Hieron *f*, explicāti verba Prophetæ, parum arrideat. Cum aūt tres saltem Clauos esse oportuerit, ex illorum duobus frenum esse confectum tradunt, (quamuis frenos, quasi plures, Ruffinus æquē ac Ambros. dicat) tertio aūt regium diadema compactum. Verū quatuor potius fuisse, Gregor. *g* Turonensis affirmans, (de qua controuersia dictum est in Passione Domini, & de vsu singulorum agens, tradit duobus frenum Imperatoris munitum esse, quo facilius hostes hac virtute fugarentur; adeo vt etiam illusiones dæmonis iustitius Imp. eo capiti suo imposito freno, postea fugarit: Tertium verō clauum, Helenam cum rediret in Occidentem, in mare Hadriaticum iniecisse, miseram excidia nauigantium, quæ in eo tractu frequētissima essent: factumq; esse, vt qui *Vorago nauigantium* dici consueuisset, post hæc reddit us fuerit quietus & trāquillus: eamq; vsq; ad sua tempora cōsuetudinem perdurasse,

XI. DE CLAVORVM INVENTIONE, ET VSV.

d *Theod. 1. hist. 18.*

e *Hieron. in Zach. 14.*

f *Greg. Tur. de glor. mart. cap. 6.*

duraſſe, vt illum ſanctificatum maris tractum nautæ venerarẽtur, & cum ingreſſi eſſent, ieiuniis, orationibus, & Pſalterio vacarent: Quartum denique clauum in galea ſtatuæ Conſtantini fuiſſe poſitum: quod etiam poſt alios teſtatur Zonaras *a*. Sed cum omnium ſententia conſtet, clauum poſitum eſſe in corona, qua ipſe vti ſoleret Cõſtantinus; puto potius coronam ſtatuæ impoſitam, ad illius quam geſtare ſoleret Imperator exemplum eſſe compoſitam, quam illam re vera alio clauo Crucis ornatam fuiſſe.

a Zonar. Annal par. 3.

XII. CLAVORVM MVLTIPLICITAS VNDE. *b Ambr. exhort. ad Virg.*

Quod vero Claui, quibus crucifixus eſt Chriſtus, plures diuerſis in locis reperiri dicantur; nihil eſt quod pluribus quam tribus, vel ad ſummum quatuor, eum confixum eſſe putemus: licet multa extent exempla ſanctorum Martyrũ, (& inter alia, quod S. Amb. of. *b* recitat, Agricolæ martyris) multiplicib. clauis patibulo affixorum. Sed fortaſſe accidit vt ex aliquo clauorum Chriſti modica illis acceſſerit ferri portio, vel potius, deperditis antiquioribus rem teſtantib. monumentis, claui illi quibus compacta ſunt ligna ſanctiſſimæ Crucis, creditis ipſi fuerint quibus Chriſti membra transfixa fuiſſent. Niſi & forte alicubi cõrigit, vt clauus aliquis inter ſacras reliquias aſſeruatus, quo myſtica membra Chriſti, nempe Martyr quiſpiam confixus eſſet, idem vnus ex ipſis Paſſionis CHRISTI clauis fuerit exiſtimat*c*. Quicquid ſit, fides (quod ait Ambroſ.) purgat facinus; cum nemo Fidelium ferrum colat, ſed CHRISTI potius paſſionem ven r t n & adoret in ferro.

XIII. *c Ruff. lib. 1. c. 8. Socr. lib. 1. c. 13. Theodor. lib. 1. c. 18. Soz. lib. 2. c. 1. & alij.* HELENÆ PIETAS ET MVNIFICENTIA. *d Euſ. 3. de Vit. 43. 44. e Ap. Metaphr. & Sur. 7. Ianuar. f Socr. & Soz. vbi ſupr. Nic. lib. 8. c. 31. g Iuſtinian. Nouel. 28.*

Sed quod turſum ad Helenam ſpectat; tradunt ijdem qui ſupra auctores, eam aliud inſigne religioſi animi Hieroſolymis indicium reliquiſſe, dum Virginibus, quas ibi reperit Deo ſacratas, prandium exhibuit, & habitu famulæ ſuccincta, propriis manibus cibum appoſuit poculum porrexit, aquam manibus infudit. Cuius etiam in hac Orientis peregrinatione, ergaegenos & afflictos, necnon in loca ſacra, vbiq; exhibitam munificentiam Euſebius *d* deſcribit. Eandem vero Hieroſolymis redeuntem, egregiam memoriam Luciani martyris Drepani in Bithynia excitaſſe, teſtatur eiuſdem martyris Acta *e* antiquitus ſcripta. Filius autem, qui ad omnia ſumptus copioſiſſimos ſuppeditabat Conſtantinus *f*, voluit à matris nomine eandem ciuitatem redditam ampliorem, *Helenopolim* appellari, & Pontum ipſum, Polemaicum antea dictum à matre ſua *Helenoponticum* *g* nominari.

XIV. DE HELENÆ OBITV. *h Euſ. 4. de Vit. 45. 46. i Theod. lib. 1. c. 18.*

Cum autem quoto potiſſimum anno Domini defuncta fuerit, incompertum habeatur; haud tamen affirmare dubitamus, adhuc aliquot poſthæc vixiſſe annos; quippe quã octogenariam ex hac vita migraſſe, tum alij, tum Euſebius *h* tradit, dum tranquillum ac felicem eius obitum, funusq; regium deſcribit. Addit vero Theodoretus *i*, eandem morientem plurima de pia viuendi ratione filio Conſtantino præcepta dediſſe, eundemque benedictionibus muniuiſſe. Porro quodeam Euſebius delatam ait ſepeliendam ad ciuitatem, quæ principem locum teneret Imperij; Socrates *k* id accepit de vrbe Conſtantinopoli, Euſebij phraſim minus exploratam habuiſſe viſus: nam vrbem Romam iis verbis eum intelligere ſolitum, declarat non ſolum quod alibi dum agit de Legatis ad Nicænum Cõcilium miſſis, Silueſtrum Romanum Pontificem deſignat *l* per *illius Vrbis penes quam Imperium eſſet Epiſcopum*; ſed etiam quod longe poſt ædificatam Conſtantinopolim, eandem Romam antonomaſticè *Imperatoriam Vrbem* appellare cõſueuit *m*: cum autem agit de Conſtantinopoli *n*, nuncupat *Vrbem Imperatoris* (nempe Conſtantini) *nomine appellatam*. Cæterum Nicephorus *o* non Romæ tantum Helenam ſepultam eſſe, ſed & defunctam affirmat; translatam vero poſt biennium Conſtantinopolim. At pariter Suidas *p* Romæ ſepultam confirmat. Citatusq; ſuperius Athanaſij liber de Munificentia Conſtantini, cum agit de baſilica SS. Martyrũ Marcellini & Petri Romæ via Lauicana inter duas lauros poſitã, ait Conſtantinum condidiſſe Mauſoleum, vbi Auguſtam matrẽ ſuam poſuit in ſarcophago porphyretico. Romæ igitur cum ſepulta dicatur, de tranſlatione facta Conſtantinopolim penes antiquos nulla eſt mentio: imo Sigebertus *q* ab Vrbe ex eadem Eccleſia SS. Petri & Marcellini tranſlatam tradit in Gallias, & in Rhemenſi diœceſi collocatam. Conſtat *r* tamen fuiſſe Conſtantinopoli ſacram

k Soz. lib. 2. cap. 33. VBI MORTVA, ET SEPVLTA. *l Euſ. 3. de Vit. 7. m Id. 4. de Vit. 69. n Id. 3. de Vit. 52. 53. & lib. 4. c. 66. & alibi. o Nic. lib. 8. c. 31. p Suid. verb. Ἑλένη. q Sigeb. in Chron. an. 849. r Nouel. 3. c. 1.*

ædem S. Helenæ: cum *a* & inſuper Veneti eius corpus ab Oriente delatum, poſſidere ſe glorientur. Quod vero teſtatur Euſebius, Conſtantinum matris obitui præſentẽ extitiſſe; dicendum eſt eum, poſtquam in Orientem profectus eſt, iterum rediiſſe in Occidentem: eſtq; veriſimile, ipſum modo huc, modo illuc, vt ferebat occaſio, peregrinatũ eſſe. Adueniens aũt Helena Romam, in baſilica Heleniana (de qua ſuperius) partem quam ſecum vexit ſanctiſſimæ Crucis, & alias pariter ex Oriente allatas Reliquias, vt Titulũ eiuſdem Crucis, & vnum ex clauis religioſiſſimè collocauit. Eius vero natalem, tam Orientalis, quam Occidentalis Eccleſia, anniuerſaria commemoratione celebrare conſueuit.

a Hoc notat Baron. To. X. an. 849. in fin.

XV. DEORVM DELVBRA DESTRVCTA. *b Euſ. 3. de Vit. 50. & ſeqq. & lib. 4. c. 25. c Soz. lib. 2. c. 1. & 4. d Socr. lib. 1. c. 14.*

Poſtquam Euſebius narrationem abſoluit de templis Chriſtianorum à Conſtantino erectis in Oriente, conuertens eandem ad ſuperſtitionem Gentilium ab eodem Imperatore abolitam; plurib. docet *b*, qua illãm animi alacritate & ſolicitudine vbique delere ſtuduerit, fana deſtruendo, deoſque ludibrio exponendo, ac præcipuè loca Veneri ſacra, turpitudinibusq; dicata, penitus ſubuertendo: quæ pariter Sozomenus *c* proſequitur. Et Socrates *d* aſſerit, eiuſdem Imp. tunc opera factum eſſe, vt Serapidis Cubitus, Nili excrelcentiæ index, ab idoli templo ſublatus, in Eccleſiam Chriſtianorum Alexandriæ inferretur: cumq; ſermo percrebreſceret, Nilum præ Serapidis ira deinceps minimè inundaturum, econtra flumen in poſterum latius ſe diffudiſſe. De templorum vero demolitione, egregium eſt etiam monumentũ in Rebus geſtis *e* S. Parthenij Epiſcopi Lampſaceni in Helleſponto, qui ab eodem Conſtantino impetrauit, vt liceret idolorum templa ſuæ ciuitatis euertere: quem quidem tum eadẽ ipſius Acta demonſtrant, tum Nicephorus breuiter ſcribit, fuiſſe vitæ ſplendore, humanitate, & prodigiis ingentibus clarum, adeo vt mortuos excitarit, dæmonibus imperarit, & morbos quoſcunq; ſanarit.

XVI.

Quod aũtem Euſebius ait, vbiq; ſacra Gentilium, & idolorum fana vna cum idolis à Conſtantino eſſe ſublata; hyperbolicè plane locutus eſſe dignoſcitur, cũ longe lateque per Orbem cõplura remanſerint famoſiſſima deorum templa, ab eo prorſus intacta, ne ſeditiones in populis excitaret; quæ poſtea ab iis qui eum ſecuti ſunt Impp. (quod ſuis dicetur temporibus) proſtrata fuere. Quapropter Theodor. *f*, dum agit de idolorum demolitione per Theodoſium facta, ait Conſtantinum, rametſi vetuerit omnino dæmonibus immolare hoſtias, non tamen eorum delubra demolitum eſſe, ſed mandatum ſolum dediſſe ne quiſquã ad ea accederet. Et Oroſius *g* nihil aliud de Conſtantino teſtatur, niſi ſtatuiſſe Paganorum templa claudi. Eius quidem edicto prohibita fuiſſe ſacrificia diis offerri, teſtatur reſcriptum *h* Conſtantij ipſius filij, eadem pariter prohibentis: cuius etiam cum extet aliud edictum de claudendis templis deorum, plane intelligas nequaquã omnia fuiſſe à Conſtantino deiecta, ſed (vt apparet) ea potiſſimũ, quæ eſſent turpitudinum promptuaria; quippe qui pudicitiæ & honeſtatis amantiſſimus eſſet. Quare & quod idem Euſebius *i* ait, eum cunctis Romano Imperio ſubiectis gentibus & legionibus idololatriæ fores clauſiſſe, repreſſumque quoduis idolis ſacrificandi genus; intelligendum erit tantummodo de eiuſmodi impudicitiarum ſacrificis atq; cultoribus, vel de aliquo particulari alicubi promulgato edicto: cum diu poſt Conſtantinum conſtet fuiſſe hoſtias immolatas, & vix tandem ſub Theodoſio Seniore id Romæ ceſſaſſe.

t Theod. 5. hiſt. 20. g Oroſ. lib. 7. c. 28. in fin. h l. 2. C. Th. de Pagan. TVRPIA SACRA ABOLITA. *i Euſeb. 4. de Vit. 23.*

Hoc item anno, quo Imperator publicas libidinum ſcholas deturbauit; ſanctione *k* edita occultas etiam quaſque turpitudines inſectatus eſt: nimirum vt ſi qua ingenua mulier proprio ſeruo ſe occulte miſcuiſſet, ea capite puniretur, ſeruus igni combureretur. Paulo vero poſt concubinatum penitus ſuſtulit *l*, conſtante matrimonio. Iiſdemq; præſentis anni Coſſ. reſcripſit *m* ad Ablauium Præfectum Prætorio, de nobilibus, qui ad euitanda publica munera, & vt fruerentur priuilegiis ab eodem Imp. conceſſis Chriſtianæ religionis miniſtris, ſeſe haud recta mente in clericatum obtrudebant: quos repellendos eſſe (non ſine Epiſcoporum, puto, conſilio) exiſtimauit.

XVII. *k l. 1. C. Th. de mulier. quæ ſer. l l. 2. C. de Epiſc. & Cler. m l. 1. C. Th. de Epiſc. & Cler.*

Cæte-

XVIII.

Cæterum quod ex prædicto rescripto constet Ablauium anno præsenti Præfecturam Prætorii gessisse, ad hoc pariter tempus referendum est, quod in Actis *a* sancti Nicolai Myrensium in Lycia Episcopi fama notissimi, de quo dictum est superius, traditur sub eiusdem Ablauii magistratu contigisse, de tribus fortissimis Tribunis militum, per calumniam inuidentium aulicorum à Constantino maiestatis damnatis: qui cum nocte illa quæ supplicium præcederet, precibus Deum solicitantes, ipsum etiam Nicolaum adhuc viuentem, sed Myris agentem, (vbi eum paulo ante in expeditione quadam agnouerant acerrimum oppressorum & innocentium defensorem) ipsi Constantinopoli existêtes, vt præsto esset enixius rogarent, accidit vt eadem nocte Nicolaus in somnis cum ipsi Imperatori, tum Ablauio Tribunorum supplicium procuranti apparens, vultuque seuero eos acriter obiurgans de iniquissima aduersus insontes prolata sententia, eosdem compulerit Tribunis libertatem dignitatemque restituere. Quæ aliaque eo spectantia, referunt pluribus eadem Nicolai Acta ex antiquioribus monumentis edita. Porro vir sanctissimus non diu post hæc in bona senectute & pace reddidit Deo spiritum, relinquens etiam post mortem vberem gratiarum fontem, nempe vnguentum *b* iugiter ex ossibus eius scatens, & quod in hanc vsque diem manare non desinit Barii in Apulia, quo post aliquot sæcula corpus eius translatum *c* est.

Ex hac autem sancti Nicolai visione forte fortassis accidit, vt Ablauius grauiora timens si Episcoporum iudicia paruipenderet, de illis Constantinum consuluerit, Imperatorque non immemor eorum quæ pariter per visum passus esset, ad eumdem Ablauium rescripserit, *d* Episcoporum iudicia atque testimonia in omnibus rata firmaq; esse, & ab omnibus inconcussa seruari, cum ea quæ in eadem causa Imperator ante rescripserat, iam propemodum exoleuissent. Est præterea in eumdem Ablauium vehemens Eunapii *e* Sardiani querela de nece Sopatri, huius temporis inter philosophos Platonicos facile principis, & apud Constantinum præcipuum ferme locum obtinentis: contra quem (vt ait) Ablauius liuore exæstuans, machinatus est illi supplicium, quod iussu Constantini capite luit, quasi per magiam vinctis ventis impedisset nauium frumentariarum Constantinopolim aduentum. Ardigna plane retulit Sopater de impietate præmia, dum eo consilio transtulerat se in Regiam (quod idem Eunapius testatur) vt Constantinum à religione Christiana reuocaret. Sed & ipse Ablauius apud eumdem Imp. inter aulicos omnes & magistratus locum sibi principem vendicans, sub eius filio Constantio (vt videbitur) finem tandem infelicissimum consecutus, meritas luit pœnas de insatiabili auri cupiditate, qua flagrans multa iniuste perpetrauit. Quem & putamus ab Eusebio *f* intelligi, dum agens de pio officio Constantini in curandis suorum aulicorum morbis, tradit dixisse cuidam ex suis, *Quousque tandem, ô bone, inexplebilem hanc auaritiam cumulamus?* Deinde corporis humani mensuram humi imprimentem hasta, addidisse, *Omnes vitæ diuitias, & totius Orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc à me circumscripto loculo non possidebis, si & illud forte possederis.*

a *Ap. Met. & Sur. 6. Dec.* S. NICOLAI RES MIRANDÆ.

b *Const. Emman. Imp. ap. Bal. in Nomoc tit. 7. c. 1.*
c *Sigeb. in Chron. 1087. Vid. ap. Sur. die 9. Maii.*

XIX.

d *l. 1. C. Th. de Epis. iud.*

e *Eunap. in Vit. Phil.*

ABLAVII P. P. AVARITIA.

f *Eus. 4. de Vit 29. 30.*

IESV CHRISTI AN. 327.

SILVESTRI AN. 14.

CONSTANTINI IMP. AN. 22.

I. EVSEBII NICOMED. STVDIA PRO ARIO ADVERSVS ATHANASIVM.

ANno Christi trecentesimo vigesimo septimo, Constantinus Cæs. quartum & Maximus Coss. ponuntur in Fastis: quo Arii & Arianorum falsæ pœnitentiæ male obducta cicatrix iterum recruduit. Cum enim (quod dictum est superius) iidem dolose palinodiam recantantes, damnassent hæresim, ipseque Arius sic receptus esset à Nicæna Synodo, vt tamen ab Alexandrina ciuitate, in qua tot dissidia vna cum hæresi propagasset, omnino abstineret: quiei patrocinabatur Eusebius Nicomediensis Episcopus, ihirò cum Meletianis fœdere, de eodem Alexandriam restituendo litteras ad Athanasium eiusdem ciuitatis nuper creatum Episcopum scripsit, & cum hic responsum dedisset, hæresum inuentores damnatos in Concilio minime recipiendos esse, idem Imperatorem induxit, vt ipsi Athanasio per literas exilium minaretur, nisi Arium reciperet: cum vero & Imperatorem Athanasius placasset, persuadens nullam esse debere Ecclesiæ Catholicæ cum hæresi Christi oppugnatrice communionem, tum demum Eusebius per litteras cum Meletianis egit, vt scelera de Athanasio confingerent. Sed hæc de confictis sceleribus; anno sequenti: reliqua vero præsenti gesta esse, nempe paulo post Alexandri Episcopi Alexandrini obitum, ipse S. Athanasius *a* ea narrans demonstrat: simulque docet non alia de causa Eusebianos in ipsum Athanasium machinatos esse, nisi vt Arium restituerent, & per eum damnatam hæresim restaurarent.

a *Ath. Apol.*

II. CONSTANTIA SOROR ARII.

Estque dictu incredibile, quibus se artibus Eusebius in aulicorum intruserit amicitiam, qui iam diu ante (vt vidimus) Constantiæ Augustæ Licinii Imperatoris coniugi, sorori vero Constantini, familiaris redditus, ea apud Constantinum præcipua vtebatur administra in omnibus quæ pro Ario moliretur, cum præcipue eadem Constantia, post obitum S. Helenæ pientissimæ feminæ, summæ esset apud Imperatorem auctoritatis. Vnde egregie S. Hieronymus *b* ait, Arium vt Orbem deciperet, sororem Principis ante decepisse. Accidit enim, (quod Ruffinus, *c* & alii scribunt) eidem Constantiæ presbyterum quemdã venire in nõtitiam, qui latenter eam erga Arium propensiorem reddidit; adeo vt cum diem obitura visitaretur ab Imperatore, extremam ab eo gratiam poposcerit, illum presbyterum in familiaritatem recipere, & quæ sibi ab eo pro salute suggererentur audire. Porro horum omnium fuisse Eusebium Nicomediensem architectum, testatur Socrates. *d*

b *Hier. ep. ad Ctesiph.*
c *Ruff. lib. 1. c. 11. Soc. lib. 1. c. 19. Theod. lib. 1. c. 3. Soz. lib. 2. c. 26.*
d *Soc. li. 1. c. 19.*

III. PERPLEXA DE ARIO HISTORIA EXPEDITVR.

Sed quod tunc Arium ab exilio reuocatum esse, nonnulli scripsere, iidem decepti sunt, quod putarint exilium ei in Nicæno Concilio irrogatum esse: verum nec Athanasius quicquam vspiam de Arii exilio, nec Constantini literæ *e* quibus ad se Arium accersiuit, cum ab exilio reuocasse demonstrant: & quod Eusebius ad Athanasium de recipiendo Ario literas dedit, plane significat eum non fuisse exilio mulctatum, cum non esset Athanasii, eum exilio soluere, quem Imperator relegasset: ac denique vidimus auctore S. Hieronymo, *f* eumdem in Synodo pœnitentiam simulantem subscripsisse cum aliis, neque aliud aduersus eum decretum, nisi ne amplius rediret Alexandriam. Quapropter ex his quoq; errare conuincuntur, qui *g* Arium confestim post Nicænam Synodum tradunt reuersum Alexandriam, ibidemque diu commoratum esse. Ac certe vix credi potest, quot perplexitatibus inuoluta habeatur, alioqui omnibus notissima, huiusmodi historia. Siquidem affirmat Socrates, *h* Arium post Nicænum Concilium diu vexatum Alexandriæ, ac per Tyriam Synodum plenius restitutum, anno demum trigesimo Constantini periisse. Sozomenus *i* vero, restitutum esse per Concilium Hierosolymitanum, ꝙ ante Tyrium ab Arianis celebratum scribit. Sed Theodoretus *k* coitionem Arianorum cum Meletianis, post Arii obitum recenset. Ruffinus *l* autem, eiusdem Arii interitum post Constantini obitum, & Conciliabulum Tyrium sub Constantio contigisse putauit. Ac denique his omnibus senior Epiphanius, *m* affirmat Arium periisse vivente adhuc Alexandro Episcopo Alexandrino, antequam etiam cogeretur Nicænum Concilium. Sed in tanta Scriptorum diuersitate, vnus nobis sit instar omnium Athanasius, qui ea cuncta præ oculis habuit, eorumque pars magna fuit: ex cuius testificatione constat, primum omnium pro restitutione Arii Alexandriam, Eusebium Nicomediensem & Arianos plurimum laborasse, & acres literas à Constantino ad ipsum Athanasium extorsisse: cum vero nec sic aliquid profecissent, ad illum è sede exturbandum cum Meletianis conspirasse. Quæ autem postea acciderint, dicturi sumus pro rerum & temporum occasione.

e *Ap. Soc. ibid.*
f *Hier. aduer. Lucif.*
g *Theod. 1. hist. 14.*
h *Soc. li. 1. c. 10 & seqq.*
i *Soz. li. 2. c. 25 & seqq.*
k *Theod. lib. 1. c. 14. & 26.*
l *Ruff. li. 1. c. 11. & seqq.*
m *Epi. hær. 69*

IV.

Hisipsis primordiis sacerdotii Athanasii, tradit Ruffinus *n* Euangelium ad INDOS inferiores peruenisse, indu-

n *Ruf. li. 1. c.*

EVANGELII AD INDOS PROPAGATIO.

stria FRVMENTII Tyrii: qui cum adhuc puer existens, Orbis persecutandi gratia eo deductus esset à Meropio philosopho Christiano, isto ab Indis necato, ipse à Rege susceptus, vnacum *Ædesio* Tyrio condiscipulo, postmodum ob egregiam in rebus agendis perspicaciam in tantum creuit in regno auctoritatem, vt eius gubernacula ei concrederentur. Quapropter cum & Romanis negotiatoribus Christianis illuc aduentantibus, potestatem dedisset conuentus agere & ecclesias ædificare, ac postea ipse in patriam rediens, Alexandriam primo perrexisset, vt Patriarcham moneret aliquem dignum Episcopum nascenti Indorum Ecclesiæ mitteret: tunc idem ipse Frumentius ab Athanasio, qui nuper eius Ecclesiæ regimen susceperat, creatus Episcopus, atque vnde venerat, redire iussus, signis ac miraculis editis infinitas barbarorum multitudines ad Christi fidem conuertit, & apud eos Ecclesiam stabiliuit. Sed hæc pluribus Ruffinus, qui ea (vt testatur) accepit ex relatione Ædesii comitis Frumentii: eademque ex Ruffino Socrates, *a* necnon Theodoretus, *b* atque Sozomenus. *c*

a *Soc. li.1.c.19.*
b *Theod. lib.1. c.23.*
c *Soz. li.2. c.23*

V. IBERI PER ANCILLAM AD FIDEM CONVERSI.

Porro quemadmodum Frumentius captiuus, viam Indis ad fidem aperuit, sic eodem tempore captiua quædã apud Iberos femina Christiana, exemplo pietatis & austerioris vitæ, ac fama editorum miraculorum, sanitatisq; tum aliis, tum ipsi Reginæ, precibus restitutæ, eosdem IBEROS (siue dixerimus, auctore Plinio, *d* Iberes) populos, vna cum ipsorum Rege *Bacurio* dicto, ad veritatis cognitionem perduxit, effecitque vt ab illis legatio ad Constantinum Imp. mitteretur, qua eum rogarent sacerdotes ad se mitti, qui cœptum munus explerent. Narrant hæc pluribus iidem qui supra auctores, Theodoretus, *e* Socrates, *f* Sozomenus, *g* & qui omnes præcessit Ruffinus, *h* qui rem gestam se Hierosolymis accepisse testatur ab ipso Bacurio Rege, postquam is ad Constantinum veniens, creatus ab eo fuisset Domesticorũ Comes, & Palæstini dux limitis, quem & illum esse putamus, qui apud Ammianũ *i* item Bacurius nominatur, alias Baturius Iberus, ab Imperatore creatus Domesticorum Comes, & in exercitu Romano dux scutariorum & sagittariorum. Cæterum partem illam Iberię quæ vergit ad mare Põticum, Colchicam dictam, iam olim sub Traiano Imperatore, prædicatione S. Clementis Papæ illic exulantis, Euangelium suscepisse, superius dictum est: & Irenæi *k* quoque testificatione constat, longe ante hæc tẽpora Iberos Christianam fidem amplexatos esse. Qui vero iuxta Caucasios montes incolũt Iberi inferiores, vergẽtes ad mare Caspium, hi putantur sub Constantino veritatem suscepisse. Certe quidem occasione Bellorum Romanorum contra barbaros, vel Persecutionum Imperatorum Gentilium aduersus Christianos, magnam factam esse diuersorum populorum ad fidem Christi accessionem, dum Christiani vel ducerentur à barbaris captiui, vel metu persecutionum eo confugerent, testatur Sozomenus. *l* Sed haud probamus quod asserere videtur, id fieri cœpisse sub Gallieno Imp. Nam longe ante Christianam religionem propagatam esse ad gentes remotissimas, satis constat Irenæi, *m* Iustini *n* martyris, Tertulliani, *o* & aliorum testificatione.

d *Plin. li.6. c.10.*
e *Theod. li.1. c.24.*
f *Soc. li.1.c.19.*
g *Soz. li.2.c.6*
h *Ruff. li.1. c.10.*
i *Ammi. li.31.*
k *Iren. li.1.c.3*
l *Soz. li.2. c.5.*
m *Iren. li.1.c.3.*
n *Iust. dial. cum Tryph.*
o *Tert. Apol. c.37. & aduers Iuda. c.7. & 8*

OCCASIONE BELLOR. AVT PERSEC. BARBARI FACTI CHRISTIANI.

IESV CHRISTI AN. 328.

SILVESTRI AN. 15.

CONSTANTINI IMP. AN. 23.

I. ATHANASIVS DIOECESIM VISITAT.

ANno Christi trecentesimo vigesimo octauo, Ianuario & Iusto Coss. S. Athanasius paululum quieiens à calumniis & insultibus Meletianorum atque Eusebianorum, hoc tertio suæ sedis anno peregrinationem suscepit, qua ex Episcopali munere subiectam Alexandrinæ Ecclesiæ perlustrauit diœcesim, vt quod hæresis & schisma, prauique mores corrupissent, vigilantissimo studio restauraret. Meminit huius suæ Ecclesiarum Visitationis ipse Athanasius *p* eum agit de *Ischyra* Mareotidis regionis homine: qui suo iussu tunc correptus, quod cum non esset clericus, tamen presbyterum ageret, (quippe qui ordinatus olim à Collutho, falso se pro Episcopo gerente, redactus inter laicos fuerat in Concilio Alexandrino sub Osio Cordubensi:) ad Meletianos confugit, de quo erit sæpius agendi occasio infe-rius.

p *Ath. Apol.2*

II. ATHANASIVS VISITAT. AN. OMNIA.

Porro non tantum visitasse Ecclesias, quæ in ciuitatibus aut oppidis positæ essent, sed etiam quæ in solitudinibus desertisque locis à sanctis monachis regerentur, constat ex Actis *a* S. Pachomii, de quo dictum supertus, ad cuius tunc monasterium peruenit. Estque par credere, ad Magnum quoque *Antonium*, monachorum omnium fama celeberrimum, quo cum ab adolescentia assueuerat, & (vt ipse in eiusdem Vita testatur) inseruierat, diuertisse, quem & alias sæpe visitasse scribit. Hoc vero tempore, benedictionis gratia duo ad eum pallia attulit, quorum altero postea (vt auctor est Hieronymus *b*) idem Antonius Paulo primi Eremitæ examine corpus inuoluit, alterum iam vita tritum moriens legauit eidem qui dederat Athanasio, qui se illud, tamquam magna hereditate ditatum, lætanter accepisse, testatur in eodem quem de rebus ab eo præclare gestis commẽtario conscripsit. Vbi & asserit, tantam fuisse eius sanctitatis vbique famam, vt non solum vniuersum implesset Orientem, sed etiam Africã, Hispaniam, Galliam, Italiam, ipsamque etiam vrbium caput Romã peruasisset: adeo vt & ipse Constantinus Imp. eiusque filii, literis eum frequentarent, cæteri que omnis generis Christiani ad eum muisendum confluerent, & qui inter Gentiles philosophos eminerent, moleste ferentes hominem illiteratum tam eximio ferri præconio, quasi summum philosophiæ verticem attigisset, ad eum disputandi gratia accederent, & non ferre valentes eius acumen ingemi, ac gratiam Spiritus quæ in eo esset, victi cum ibipore recederent.

a *Sup. Nov. 16.*
b *Hier. in Vit. Pauli Eremi.*

INGENS VIRI QVE ANTONII FAMA.

Cum igitur (vt idem Athanasius scribit) quamplurimi eorum qui Antonium vndique visitarent, ab eo ad contemptum sæculi, & perfectæ vitæ studium sedulo inuitari, idem viuendi genus & institutum capesserent, complura condidit monasteria, COENOBITICÆQVE VITÆ primus iecit in eremo fundamenta: adeo vt Cœnobitarum Monachorum idem Institutor sit habitus, vel potius restitutor, si Essenorum, qui in Ægypto sub Marco Euangelista floruerunt, ratio aliqua habenda esse videatur, quos Christianos extitisse, suo loco demonstratum est. Fuere quidem & alii ante Antonium, qui rumore persecutionis ciuitatibus derelictis, siue rudi siue in desertis locis abditi, Angelis similem vitam duxere, quorum aliquos ex Eusebio diximus fuisse martyrio coronatos: reperitque ex istis ipse Antonius, cum (vt describit Athanasius) desertum petens, ab vno illorum prima rudimenta Monasticæ institutionis accepit, quæ ipse diuino afflatus numine perfecit, eum monachos in vnum collegit, & in diuersa loca, tamquam in diuersa aluearia apum examina distribuit: quorum alii in iisdem cum illo monasticam exercuere disciplinam, alii eamdem alio transferentes, breui tempore, nempe hocipso sæculo, vniuersum terrarum Orbem tam sancta repleuere propagine, nimirum Syriam, Asiam, Armeniam, Indiam, Persidem, Æthiopiam, & Boreales regiones, vsque ad Gothos, ac latrones Bessos, & Dacos, vt testantur inter alios Paulinus & Hieronymus. *d* Adeo vt non sit, quod quis huiusce modi vitæ instituti Basilio primas tribuat, quem imitatorem potius accessisse, profitetur ipse met *e* ad Neocæsarienses. Sicut & de feminis idem viræ institutum in Ægypto arripientibus, testis est S. Ioannes Chrysostomus. *f*

c *Basil. ep.63.*
d *Hier. ep.3. ad Hel. & 7. ad Lætam.*
f *Chrys. hom. 8. in Matth.*

MONACHISMVS LATISSIME PROPAGATVS.

In Occidente quoque id primum accepisse Romam ab eodem Antonio Magno per Magnũ Athanasium, à Romana vero Ecclesia alias omnes Occidentalis Orbis Ecclesias, dicetur infetius suo loco. *g* Modo illud satis dicere, præstitisse hoc amplius cæteris Romanam Ecclesiam, vt ipsa prima voluerit etiam intra Vrbem & in suburbiis cœnobia monachorum: quod æmulatæ sunt nobiliores Ecclesiæ, vt Mediolanensis, quæ primum monasterium iuxta ciuitatem positum habuit, sicut Augustinus *h* scribit, qui & plura se Romæ vidisse testatur, dum eorum viuendi rationem describit. Qui vero in Orbe Occidentali monachismum coniunxerit clericatui, prædicatur à S. Ambrosio *k* S. Eusebius

III. COENOBITICÆ VITÆ ANTONIVS INSTITVTOR

g *An. 340.* ROMÆ PRIMVM MONASTERIA INTRA VRBEM
h *Aug. 8. Conf. 6.*
i *Id. de mor. Eccl. c 33.*
k *Amb. ep. 82. ad Vercel.*

MONACHISMVS GORIVNCTVS CLERICATVI.

IV.

bius Episcopus Vercellensis, qui Apostolica (vt videbitur) auctoritate Alexandriæ aduersus Arianos Concilium habuit, sanctorumque monachorum institutum (vt par est credere) diligentius perquisiuit, & quod videret illic fieri, clericali vitæ coniungere studuit. Idque ipsum præstantissimum vitæ genus, S. Martinus Episcopus Turonensis transuexit in Gallias, & S. Augustinus in Africam.

V. EX MONACHIS CREATI EPISCOPI.

At parum visum est Athanasio, monachorum instituta in clerum Ecclesiarum ciuitatis transferre, sed ipsos sanctissimos Monachos, quos cæteris nosset moribus & peritia antecellere, in Episcopos diuersarum Ecclesiarum adscruit, vt ipse testatur in epistola ad Dracontium. Nec potest negari, fuisse Monachissimum, seminarium in Ecclesia Dei sanctissimorum Episcoporum, ex quo Basilii, Gregorii, Chrysostomi, & alii tam in Oriente quam Occidente viri spectatissimi prodiere, quorum omnium qui Antonium Magnum dixerit Patriarcham, veritatis scopū attinget: in quo mille signis atque virtutibus, quam sit Deo grata Monastica Vita, fuit euidentissime declaratum, & in aliis idem vitæ genus agentibus firmissime stabilitum, vt in Pachomio, Hilarione, Macariis, Ioanne, Ammone, Abrahamio, & aliis ferme innumeris, in quibus sunt innouata antiqua miracula Prophetarum & Apostolorum: veluti constat ex ipsorum rebus gestis antiquitus scriptis, quæ reperiuntur penes Collectores Vitarum SS. Patrum.

VI. a *Hier. ep. 22. ad Eustoch.* MONACHORVM DIVERSA GENERA.

Porro degentium in Ægypto monachorum, Hieronymus *a* docet tria fuisse genera, nempe COENOBITAS, quos illi *Sanses* vocarent, hoc est, in communi viuentes, ANACHORITAS, qui soli habitarent per deserta, & ab eo quod procul ab hominibus recederent, nuncuparentur: ac tertium genus quod *Remoboth* dicerent, qui bini & terni, nec multo plures simul habitarent, idq; quamplurimum in vrbibus & castellis, suo arbitratu ac ditione de eo quod laborassent, in communi viuentes, sed cum nimia rerū omnium affectatione, ac minori rerum diuinarum solicitudine. Describit eos omnes pluribus Hieronymus. A tertio autem illo genere paulo diuersi erant, quos Gassianus *b Sarabaitas* nominatos esse tradit, ab eo quod semetipsos à cœnobiorū congregationibus sequestrarent, ac singillatim suas curarēt necessitates. Sed quod spectat ad Cœnobitas, quos Hieronymus similes fuisse tradit Essenis, extant prolixiores de eorum antiquis institutis formæ conscriptæ à Pachomio, Basilio, Cassiano, Climacho, ac demum in Occidente à S. Benedicto, & aliis recentioribus sanctissimis viris, de quib singulis dicetur suis locis. Præterq; de Cœnobitarum Monialium institutis, agunt Hieronymus, *c* Basilius, *d* Ambrosius, *e* Augustinus, *f* & alii. Anachoretarum aūt idem Hieronymus ait auctorem extitisse Paulum, illustratorem Antonium, & si ad superiora conscendamus, principem Ioannē Baptistam. Sed quod ait de Antonio, sic accipiendum est, quod ille primo id vitæ genus exercuit, qui postea cœnobiticam vitam excoluit, & rursus ad anachoreticam rediit, licet suorum curam non dimiserit. Cuius exemplo contigit ordine quodam reciproco, anachoretas generare cœnobitas, & cœnobitas vice versa parere anachoretas: qui sc. voluntate Patris omnium præsidis, sic agere solitarii permittātur, vt tamen vinculo quoq; obedientiæ adstringātur: cum alioqui non defuerint viri sanctissimi, qui ipso primo ingressu vitæ monasticæ, eremum petentes, solitariam vitam sectati fuerint. Porro de iis habent ferme eadem Epiphanius, *g* & Augustinus. *h*

b *Cass. Col. 18. cap 7.*

c *Hier. ep. 22.* d *Bas. de virg.* e *Amb. de vir.* f *Aug. de morib. Eccl. cap. 31. 33.*

g *Epip. hær. 80*
h *Aug. de morib. Eccl. c. 31.*

IESV CHRISTI AN. 329.

SILVESTRI AN. 16.

CONSTANTINI IMP. AN. 24.

ANno Christi trecentesimo vigesimo nono, Constantino Aug. octauum & Constantino Cæs. quintum Coss. Meletiani schismatici, ob excitatas denuo turbas ab Imperatore *i* accersiti, ex consilio Eusebianorum Athanasium criminati sunt, indixisse Ægyptiis tributum de pendendis Ecclesiæ linteis seu velaminibus. Sed qui alia occasione præsentes tunc adfuere, Catholici presbyteri Alexandrini, Apis & Macarius, illarum crimen de tributo indicto facile diluerunt, cæterum docentes non esse nouum, vt eiusmodi ornamenta rogarentur à populis ad decorem Ecclesiarum. Rem gestam paucis perstringit ipse Athanasius, *k* ac post illum Socrates *l* & Sozomenus. *m* Consueuisse vero Fideles *Linteamina* Ecclesiis offerre, testatur quoque S. Paulinus. *n* Habesq; apud S. Gregorium, *o* Rusticianam Patriciam *Vela* Romam misisse ad Ecclesiam S. Petri: & extat ad eumdē querela de Natali *p* Episcopo Salonitano, quod Vasa sacra, & Velamina suis dedisset affinibus, necnon de Fusco *q* Abbate, qui sacros codices & Vela secum asportasset: iae deniq; sunt de his innumera plane alia exempla. Cæterum grauiori post hæc Athanasius calumnia appetitus, de auro misso cuidam *Philumeno*, qui aduersus Imperatorē rebellauerat, idem à Constantino accersitus, nō solum eam diluit, sed etiam honorifice habitus, Alexandriam remissus est cum literis suæ integritatis testibus, quas ipse *r* integras, Theodoretus *s* fragmentum ex eis recitat, meminerunteq; *t* earumdem Socrates & Sozomenus. Quibus quod ait, *Vestri autem est, non mei iudicii, de ea re cognoscere*, magna modestia Christianissimus Princeps, ad comprouinciales Episcopos cognitionem causæ remittit, quod res Ecclesiasticæ inter Ecclesiasticos agendæ essent.

a *Ep. Const. ap Nicep. Theo. lib 1. c. 20.* CRIMINATIONES IN ATHANASIVM.
b *Athn. Ap. 2*
c *Soz. li. 1. c. 2*
d *Soz. li 2. c.*
e *Paul. nat. S. Felic.*
f *Greg. 9. c.*
g *Id 2. e.* VELA SERVARI ECCLESIÆ SOLITA.
h *Id. ep. 8. 25.*

i *Ath. Apol. 2*
k *Theod. li. 1. c. 27.*
l *Soc. & Soz. vbi supra.*

Sed cum hæc omnia aduersus Athanasium intelligeret actitari ab Eusebio Nicomediensi & Theognide Nicæno, qui damnati atque depositi in Nicæno Concilio, simulate palinodiam recantantes, eiusdem Constantini precibus restituti fuerant: iam ipse aduersus eos vehementer commotus, iussit vt iidem secundum priorem Synodi sententiam sedibus pellerentur. Hæc enim constant ex data ab eo ad Nicomedienses epistola, quam Theodoretus *m* recitat, licet non integram, nec suo loco, aut tempore. Præter autem communicationem cum Meletianis, quam in illis Imperator vehemēter execratus est, addit Sozomenus *n* aliam grauiorem Constantini commotionis causam, nempe quod iidem circumuenientes eum, cui libellum de Actis Concilii Nicæni Imperator custodiendum tradidisset, suas in eo subscriptiones deleuissent, ac coram eodem ipso Imp. impudenter Eusebius negasset Filii cum Patre consubstantialitatem. Verum ista non satis liquent: quippe constat, Eusebianorum siue Arianorum neminem, nec ipsum quidem Arium, ausum esse viuente Constantino in Nicænum Concilium vel quicquam mutire, sed omnes se eius professores cum dicerent, nonnisi occulto tramite illud aggressos esse: vt gesta ab eis in Hierosolymitano Concilio, quæ dicentur inferius, manifeste significabunt.

II. CONSTANTINVS EXAGITAT ARIANOS.

m *Theod. lib. 1 c. 20.*

n *Integram recitat Baron. Ann. Tom. III hoc an accepta à Nic. Fab.*
o *Socr. lib. 1. cap. 20.* EVSEBII NICOM. SCRIPTA

IESV CHRISTI AN. 330.

SILVESTRI AN. 17.

CONSTANTINI IMP. AN. 25.

ANno Christi trecentesimo trigesimo, Gallicano secundum & Symmacho Coss. celebrata sunt *Quinquennalia* Constantii Cæsaris, ipsaq; *ciuitas Cōstantinopolitana Noua Roma dicata*. Nam quorundam recentiorum *o* opinionem de facta eiusmodi dedicatione à SS. Patribus qui Nicææ conuenissent, iam superius refellimus. Quod autem in Chronico Cassiodori ponitur Pacatiano & Hilariano Coss. nempe post annum sequentem, si ex eodem Chronico numeres annos Constantini, inuenies id accidisse quinque annis post eius Vicennalia, nempe vigesimoquinto eius Imperii, qui est præsens. Error est autem in Consulatu, quod ipse Cassiodorus ingressum Constantini tardius quā oportuit duobus annis (vt vidimus) collocauerit. Cæterum hoc ipso eodem anno id etiam collocat Anastasius Bibliothecarius in breui suo Chronico, & apud Hieronymum *p* po-

LI DEDICATIO VRBIS CONSTANTINOPOL.
p *Nic. li. 8. c. 26. Greg. presb. orat. de Patr. Nic. Conc.*

q *Hier. in Chron.*

nitur

DIES NATALIS.

nitur paritèr anno vigesimo quinto Imperii Constantini. Consentitque Marcellinus Comes, cum ab anno eiusdem Ciuitatis conditæ vsque ad Consulatum Maximi, quo Iustinus Senior obiit, & cœpit imperare Iustinianus, annos numerat centum nonaginta septem. Tunc enim cœptos esse numerat annos ab vrbe condita, cum eadem dedicata est, nulli est dubium. Vt vero dies ipsa natalis fuit dedicationis Nouæ Romæ, sicut & antiquæ, anniuersaria commemoratione celebrari tur, edita fuit Impp. a sanctio quæ quidem dies Nouæ Romæ, in Menologio, decima mensis Maii in Ecclesia publicè recitanda descripta reperitur, licet apud Zonaram b vndecima mensis Maii eadem fuisse absoluta legatur.

a l. 2. C. Th. de feriis.

b Zon. Annal. par. 3.

II.

Sed quod ad ipsam dedicationem spectat, cum eam à Christianissimo Imp. nonnisi Christianis ritibus oportuerit esse factam, de iis agens Nicephorus, c affirmat eam incruento Sacrificio, precibus, votisque, fuisse Dei-Genetrici MARIÆ consecratam. Cæterum quod Dedicatio ad cultum latriæ Deo tantum debitæ pertineat, nonnisi Deo dedicari consueuisse à Christianis ecclesias, S. Augustinus d sæpe testatur. Verum sicut eodem auctore constat, dedicari Deo ecclesias in memoriam Martyrum, ita etiam potuit accidisse, vt Constantinopolis Deo consecraretur in memoriam SS. Virginis Dei-Genitricis. Nam & Theodoretus e illam, *Vrbem* MARIÆ appellat. Deo autem omnino dicatam esse, Eusebius f tradit. Quod verò scribit Zosimus, g Constantinum in nonnullis publicis à se constructis ædificiis posuisse deorum simulacra, id quidé ex Eusebio, h aliisque antiquis ac probatis auctoribus ita factum intelligitur, vt insigniora tantùm ærea, cum ornatus causa, tum præcipuè ad dentionē deorum Gentilium, fuerint locis publicis à Constantinopolita, aurea verò & argentea conflata, & in nasilanti edicta. Nam & præter hæc disertis verbis idem Eusebius fatetur, Imperatore eam vrbē ita omni idolorum cultu purgasse, vt nusquam in illa vel statuæ deorum in templis, vel altaria sanguine inquinata, vel hostiæ igne consumptæ, vel festa dæmonum nomine celebrata, vel aliud quicquam eorum quæ apud superstitiosos vsurpant tolerent, omnino apparerent, sed permultis ecclesiis, in honorem Martyrum, tam in suburbiis, quam intra vrbem erectis, illustralle. Et S. Augustinus k felicitatem Constantini recensens, inter alia scribit, ei Deum concessisse condere ciuitatem Romano Imperio soeiam, velut ipsius Romæ iuniam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque.

c Nic. lib. 8. c. 26.

CVI DICATA

d Aug. 22. de ciu. 10. & alibi.

e Theod. li 5. c. 33.

f Euſ. 3. de Vit 47.

g Zoſ. lib. 2.

h Euſ. 3. de Vit 50. Soc. lib. 1. c. 12. Soz. l. 2. c. 4.

i Euſ. 3. de Vit 47. 48.

k Aug. 5. de ciu. 25.

Quod autem attinet ad *Ecclesias* ab illo ibi erectas, de duabus tantummodo meminit Socrates, l nempe de ecclesia *Apostolorum*, & altera *Pacis* dicta, quæ & alio nomine *Sophia* siue *Sapientia* nominata reperitur. Sozomenus m autem aliam recenset extra vrbem ædificatam, ac *Michaelium* dictā, quod in honorem S. Michaelis Archiangeli, qui eo loco apparuisset, Deo dicata esset: quam & celebrem admodum fuisse, & diuinas virtutes in ea perficiuntur consueuisse, ipse met in se expertus, & alioqui oculatus testis narrat. Habet verò & alias nonnullas vrbis eiusdem ecclesias Nicephorus. n Quibus illud summa diligentia Imperatorem inter alia præstitisse, vt libris ad diuina officia celebranda abundarent, Eusebius o est auctor, dum literas à eodem ad se eo argumento conscriptas recitat. Sed & testatur Nicephorus, p inter cætera egregia pietatis monumenta, Constantinum in eadem vrbe super columnas erexisse tres Cruces æneas, & in eis separatim has voces scripsisse, IESVS CHRISTVS VINCIT: ad quarum vnam (nimirum in qua vox VINCIT insculpta esset) plurima tradit solita fieri miracula, & qui inflammationibus, aut oculorum doloribus & suffusionibus vexarentur, ad eam sanari consuetisse: sed & ad eam Angelum Domini ingenti splendore ter quotannis intempesta nocte venire solitum, e Crucem circumire susfitum facientem, & Trisagion suauissime canentem. Habetque insuper, q in Constantini statua super columnam porphyreticam erecta, positam fuisse in dextra manu auream malum, cum superposita Cruce, ac tali inscriptione, TIBI CHRISTE DEVS VRBEM HANC COMMENDO: in basi, eo columnæ, varias sacras Reliquias fuisse reconditas.

l Soc. li. 1. c. 12. m Soz. li. 2. c. 3.

n Nic. lib. 7. c. 49. 50.

o Euſ. 4. de Vit. 36.

p Nic. lib. 1. c. 32.

CRVCES PVBLICÆ.

q Id. li. 7. c. 49

III.

ECCLESIÆ CONSTANTINOP. ERECTÆ.

Vt autem eadem ciuitas, ab Imperatoris nomine CONSTANTINOPOLIS appellata, *Noua* siue *Secunda Roma* celebretur, ipsum Constantinum lege publica statuisse, Socrates a tradit. Quæ vt in omnibus antiquæ Romæ responderet, eamdem in quatuordecim Regiones diuisit, Capitolium erexit, Milliarium aureum collocauit, Circum Maximum, Amphitheatrum, Fora, Porticus, & alia publica Romæ instar ædificiaque (vt ait S. Hieronymus b) omnium vrbium nuditate, cum quicquid nobile in aliis antiquioribus totius Orientis ciuitatibus inuentum est, Constantinopolim deferri curauit. Sed de his plura Nicephorus, Zonaras, Cedrenus, & alii. Senatum quoq; ibi constituit, & Senatoribus ab antiqua Roma eo translatis (vt tradit Zosimus) domos ædificauit, tripliq; Senatui eosdem honores, eademq; priuilegia quæ Romano tribuerentur, assignauit. Scientiarum quoque Scholas ædificauit, quæ laudantur à S. Gregorio d Nazianzeno. Testatur autem Aurelius Victor, Constantinū fuisse nutritorem bonarum artium, ac fouisse maxime studia literarum: quod & demonstrant priuilegia, e quibus eorum professores voluit esse munitos. Eiusdemque opus fuisse putatur *Bibliotheca* ibidem ædificata, ab aliis vero adeo aucta, vt numerum centum viginti millium librorum expleret, quæ tempore Basilisci Imp. incendio conflagrauit. f

a Soz. li. 1. c. 12.

b Hie. in Chr. EIVSDEM ORNAMENTA.

c Soz. l. 2. c. 3.

d Greg. Naz. orat. in laud. Basil.

e l. 1. & 3. C. Th. de med. & prof.

f Zon. Ann. par. 3.

V.

ANNONA CIVIBVS CONSTITVTA.

Ad ampliandam autem ciuitatem ædificiis, Constantinum annonam publicam viritim omnib. in ea domum habentibus distribuisse, eamdemq; ad posteros transmitti voluisse, docent posteriorum Impp. ea de re sanctiones g editæ. Solitam verò in pane cocto fieri, eamdemq; à Theodosio Seniore auctam esse, & inuiolabiliter præstari consueuisse, Theodosii Iunioris constitutio h declarat. Meminit & Zosimus i eiusmodi munificentiæ Constantini, quam & suo tempore viguisse testatur. Denique idem & in eo magnam ex Christiana mansuetudine sibi gloriam comparauit, quod cum vetera ædificia eius ciuitatis augustiorum omnibus reddidisset, & noua longè ampliora erexisset, carceremtamen, vt se habebat, humilem atque deprestum, pancorum hominum capacem, nullo auctum additamento reliquit: quem nec posteri mutare ausi sunt Imperatores, vsque ad Phocam, sub quo redditus est amplior, vt Glycas k testatur. Cæterum quantumlibet tam ipse Constantinus, quam alii certauerint eodem studio posteriores Imperatores Orientalis Orbis, vt æmulam Romæ Constantinopolim æqualem ei redderent, tum priuilegiis muniendo, tum mœnia sæpius dilatando, & ædificiis illustrando, tum denique aliarum ciuitatum atque nationum spoliis ornando: tamen id perficere minus licuisse, quæ hactenus præmanibus habetur in Notitia l pronunciatum, vrbs Constantinopolitana accurate descripta, facile monstrat. Vnde verissima comprobatur ea de re Suidæ sententia, *Constantinopolim tanto esse aliis omnibus maiorem, quanto Roma esse minor videretur: à qua secundam numerari longè satius esset, quam cæterarum omnium primam existimari*, quamuis Sozomenus, m qui veterem Romam numquam inuisit, nouam ei prætulerit.

g l. 1. C. de annona ciuica.

h l. 2. C. Th. de frum. vrb. Const.

i Zoſ. lib. 2.

k Glyc. lib. 4. QVANTVM PRÆSTARIT VRBS VETVS NOVÆ.

l Ext. poſt C. Th. recen. edit. eademque de partitione ciuit. eum Notit. Panciroli.

m Soz. l. 1. c. 1.

VI.

NOVI MAGISTRATVS CREATI.

Sic autem dispositis quæ ad perfectionem conditæ vrbis videbantur requiri, idem Constantinus vniuersi quoq; Imperii politicum statum in meliorem ordinē reformare volens, complures nouos Magistratus instituit, & veteres magna ex parte mutauit: atque inter alios, cum duo tantummodo antea essent *Præfecti Prætorio*, (quorū erat summa post Imperatorem auctoritas, adeo vt cæteri oēs vbique magistratus, ordinesq; Palatini, atque duces exercituum, eis subiacerent:) quatuor in posterum esse voluit, nimirum Galliarum, Illyrici, Italiæ, & Orientis, quibus vniuersarum Imperii Romani prouinciarum curam diuisit. Sed quod *Magistros* quoque *militum* instituens, alterum equitum, peditum alterum, potestatem eis militum ordinandorum ac puniendorum contulit, hac ex parte Præfectorum auctoritati detraxit. At hæc & alia pluribus explicata habentur in Notitia illa peruetusta prouinciarum, vbi & cæterorum Magistratuum nomina insunt, qui miro quodam ordine dispositi esse videntur. Vt plane appareat, Zosimum n malo animi affectu potius quam iure, hac quoque ex parte in Constantinum inuehi, cuius cuncta, quantumlibet recte gesta, carpere numquam destitit. Sed & quod addit de sæuis exactionibus ab eodem Imp. extorqueri solitis, quam sit calumniosum, satis superius o demonstratum est.

n Zoſ. lib. 2. CALVMNIA ZOSIMI.

o An. 311. num. 111.

IV.

DICTA NO-

Quod

XII. DE EXACTIONE CHRYSARGYRI.

Quod autem habet de *Chrysargyri*, hoc est auri argentique collatione, imposita omnibus vbique terrarum negotiationes exercentibus, & Dardanariis oppidorum, (hoc est, fraudulentis venumdatoribus annonæ) atque personis quibuscumque vilissimis, ac meretricibus, quarto quoque anno pendenda, confundit plane diuersa tributorum genera. Nam quod impositum erat negotiatoribus, id proprie Chrysargyrum erat, diuersum ab alio, quod pendere consueuerant lenones, meretrices, & exoleti, quod quidem nō Constantinus, sed Caius *a* Caligula excogitauit, auxitque aliis probrosis exactionibus: Alexander *b* vero Imperator æquissimus, quod ex turpi lucro colligeretur, vetuit in Ærarium inferri, non tamen abstulit, sed sumptibus publicis ad instaurationem Circi Amphitheatri deputauit. Et licet ipsum non Constantinus penitus sustulerit,† saltem ea ex parte minuit quæ ad exoletos pertinet, quos lege lata penitus sustulisse vidimus. Rursum vero tantum abest vt istud de quo agimus indictum fuerit meretricibus, vel pauperibus, vt cum à negotiatoribus dumtaxat exigendum illud esse statuerint Principes, *c* immunes ab eo esse voluerint etiam rusticanos atque colonos, vel alios omnes qui victum manu quærerent.

Sed nec quisquam eiusmodi tributum esse inuentum à Constantino poterit affirmare, cum aurū Negotiatorium, sicut & Coronarium, tam pendi soleret Alexandri temporibus, quem illud remisisse aliquando, non autem abstulisse, Lampridius tradit. Vt vero tunc aurum tantummodo sit imperatum, & sub Constantino aurum & argentum, hoc nemo poterit demonstrare, iureque refellere censetur Eunapius *d* Zosimi calumniam de eo tributo falso Constantino adscripto. Quod tamen si daremus auctum ab eo fuisse, haud quidem esset eiusmodi conferendum cum tot aliis ab Impp. Ethnicis indictis: quinimmo & leuissimum existimari deberet, si quis consideraverit tot publica à Constantino erecta insignia monumenta, & maxime (vt prætermittamus de aliis dicere) ciuitatem inſtar Romæ constructam, ac pontem *e* lapideum super Danubium, vastissimum & rapidissimum amnem, constructum, quo ad inuadendos barbaros facilis pateret accessus, de quo plane inueniet quod in Constantino admiretur, qui legerit quæ de alio olim à Traiano constructo scripsit Dio. *f* Porro sic eiusmodi descriptum à Zosimo tributū, dictum fuit *Chrysargyrum*, quod vtraque species penderetur, aurum scilicet & argentum: etformari enim solitos nummos, siue aureos, siue argenteos, iuxta pondus indicti tributi, distinctamque fuisse pensitationem auri ab argenti, constat ex Lampridio in Alexandro: adeo vt cum auri tributum indictum esset, non penderetur argentum, nec contra. Vt autem argenti, vel ætis pretium, in auro persolui posset, Arcadius & Honorius primi statuisse *g* reperiuntur.

Sed quod idem Zosimus rursum eo insectatur Constantinum, quod clarissimis quoque viris tributum imposuerit, *Follem* (vt ait) ab ipso nominatum: cum duplicis generis *Follis* esset, (vt Epiphanius *h* docet) quorum maior ducentos octo denarios, hoc est, (vt aliunde *i* colligitur) tres libras & semis paulo minus argenti contineret, minor duo tantum minuta denarii, nempe obolum, (vt etiam Suidas *k* interpretatur) quem Epiphanius tradit continuisse octogesimam partem vnciæ argentiesseque adhuc aliud tertium genus *l* Follis, quod contineret tres nummos argenti, hoc vigesimam *m* partem libræ: cum, inquam, hæc ita se haberent, etiamsi daremus tributum Constantini summi pretii Follis extitisse, quæ tanta causa Zosimo aduersus eum inclamandi, si tres libras argenti in singulos annos Senatoribus, viris amplissimis atque ditissimis imposuerit, cum præsertim sciamus, Augustum *n* Imp. tam graue eis tributum indixisse, vt complures coacti fuerint è Senatu migrare? Cæterum hac ex parte magnam sibi laudem comparasse Constantinum, quod non tantum noua non imposuerit, sed nonnulla ex iis quæ alii indixissent abstulerit, fidem faciunt quæ iam superius *o* sunt de his dicta: vt non sit amplius immorandum in eo vindicando à calumniis Zosimi.

His ipsis temporibus, quibus Noua Roma Constantinopolis ædificaretur, ab eodem Zosimo *p* ponitur *Bellum Scythicum*, cum (vt ait) Thaiphali Scythiæ populi Romanorum ditionem inuadere ausi essent, Constantino otiose agente quiero ab omni belli tumultu: quem & maiorem exercitus partem amisisse, & fuga sibi cōsuluisse tradit: cum tamen Eusebius, *a* & alii omnes qui prosecuti sunt res Cōstantini, affirment ipsum Scythas superasse, Romanumque Imperium à vectigali quod illis pendebat prælio redemisse, ac denique (quod nemo antea fecerat) sub tributo etiam redegisse. Porro hæc istis plane temporibus contigisse, cum extructo ponte super Istrum, eo transmisso Scythas debellauit, Cedrenus *b* quoque testatur: hosque putamus eos esse, quos S. Hieronymus *c* & Sozomenus *d* *Gothos* appellant, suffragantibus antiquis Constantini numismatibus, *r* in quorum altera parte sc. ipsum legitur, VICTORIA GOTHICA.

Hoc autem bellum quo deuicti sunt Scythæ, iidemque Gothi, gestum esse ab *Ouinio Gallicano* V. C. huius anni Consule, cui Constantinus filiam suam Constantiam desponderisset, Acta *f* SS. Martyrum Ioannis & Pauli testantur: quē quidem tunc adhuc Paganum extitisse tradunt, sed cum in extremas angustias à Scythis redactus, defectionem insuper sui exercitus pateretur, ipseque de fuga cogitaret, hortatu Ioannis & Pauli se Christo vouisse, eiusq; auxilio per Angelos præuia Cruce ministrato, glorioſissima victoria potitum, Scythas sub tributum redegisse: & se Consulatu abdicantem, ac bona sua pauperib. distribuentem, ad Ostia Tiberina secessisse, ibique inf. mis ac pauperibus ministrantem diutius vixisse. Habent hæc pluribus illa Acta, ex quibus eadem ad verbum Ado *g* recitauit. Et quamuis sciamus nonnulla esse quæ possint eis obiici, nec abnuamus eiusmodi historiam additamentum accipere potuisse (vt mori. fuit quorumdam, qui de re magna breuis pertæsi narrationis, multa periphrastice cumularunt:) tamen ea quæ retulimus, tum ab Ecclesiasticis monumentis, tum ab aliis auctoribus fidem sibi vendicant. Siquidem Eccles. monumenta, *h* Gallicani ad Ostia Tiberina exhibitam omni officio hospitalitatem testantur. Extatque præterea de eiusdem muneribus oblatis Ecclesiæ SS. Apostolorum Petri & Pauli ac Ioannis Baptistæ, ibidem Ostiæ à Constantino ædificatæ, egregium monumentum in Anastasii libello de Munificentia Constantini. Eusebius autem, quamuis nullam prorsus de eo mentionem habeat, quod more suo omnia Constantino tribuat, tamen Scythas Crucis potentia superatos esse affirmat. Sicut & cum Zosimus dicit maiorem partem Romani exercitus apud Scythas esse amissam, licet de victoria nihil scribat, quam à Romanis obtentam constat, istæc vitus est aliqua saltem ex parte signasse. Denique vt vir post Imperatorem & Cæsares omnium clarissimus, & à Christiana fide alienissimus, tam repente ex Patricio & Consule adeo humile arripuerit vitæ institutum, haud potuit contigisse absque aliquo veritatis Christianæ religionis admirando signo. Quomodo vero sub Apostata Iuliano martyrium subierit, dicetur suo loco.

Porro quæ in prædictis martyrum Actis, *Constantia* filia Constantini Magni, desponsata dicitur Gallicano, hanc verisimile est eandem illam esse, quæ veneratione colitur Romæ extra portam Nomentanam apud basilicam S. Agnetis martyris, quæque ad sepulchrum eiusdem vlceroso morbo in somniis liberata esse, & in virginitate perseuerasse traditur apud Ambrosium *i* ab incerto auctore: eiusdemque rogatu, patrem ipsius Constantinum eamdem basilicam S. martyris Agnetis ædificasse, asseritur in dicto libello de Munificentia Constantini. Quamuis quæ vsu recepto, & scriptis firmato, vbique & ab omnibus *Constantia* dicitur, eamdem proprio nomine dicendam esse *Constantinam*, antiqua *k* suadeat inscriptio affixa eiusdem S. Agnetis basilicæ apsidi, necnon S. Althelmus Anglorum Episcopus, in carmine *l* quod scripsit de laude Virginum. Non enim istud intelligi posse de alia *Constantina*, itidem Constantini Magni filia, inde constare videtur, quod ea nec virgo permanserit, (quam Ammianus tradit duos viros habuisse, priorem Annibalianum, posteriorem Gallum Cæsarem) nec talis extitit vt sanctitatis vllo titulo meruerit insigniri, vtpote femina crudelitatis face incensa furens, noua Megæra ab eodem auctore nominata: cum tamen alteram illam Con-

CONSTAN. SCYTHAS REDIGIT SVB TRIBVTO.

a *Eus. 4. de Vit. 5.*
b *Ced. an. 23. Const.*
c *Hier. in Chron. an. 17. Const.*
d *Soz. li. 1. c. 8.*
e *Habet Bar. Ann. Tom. 1. hoc an. ex mus. Lelii Pasqual.*

XI. GALLIC. DIVINITVS VINCIT SCYTHAS.

[Cuius tamen expeditio alia forte fuerit ab ea quam citati superius auctores deseribunt.]

f *Ext. ap. Sur. & alios 26. Iunii*
g *Ado in Mar. 25. Iunii.*

FIT CHRISTIANVS ET RENVNTIAT MVNDO.

h *Mart. Rom. Bed. Vsuar. Ado 25. Iunii.*

XII. DE CONSTANTIA FILIA CONSTANTINI. *De qua egit alia occasione Bar. an 324. nu. CVII. & seqq.*

i *Ap. Amb ser de pas. Agnet.*

k *Ant. Inscrip Append. pag. 1161. nu. 9.*
l *Tom. 3. Ant. lect. pag. 853.*

IX. DE FOLLE, ALIO TRIBVTI GENERE.

h *Epi. de mens & pond.* [Cæterum agunt de Follis valore, Alciat. & Cuiac. tit. de Præt. & præt. hon. sed ex eius Baron. Anna tom. 3. 800 an. qui non nihil ab illis dissentit: quos consulat qui hæc curiosius cupit.]
i *l. 1. C. Th. de expens. Lud.*
k *Suid. verb. κίρκος.*
l *Colligitur ex l. 5. & 25. C. Th. de Prator.*
m *d. l. 1. de expens.*

VIII.
d *Eusag. li. c. 39 & seqq.*
e *Vict. in Const Nic. li. 7. c. 49.*
f *Dio in Trai.*
g *l. vn. C. Th. de arg. præt. l. vn. de col. aris. C. lib. 10.*

n *Dio lib. 53. hist. Rom.*

o *An. 315. num. III.*

p *Zos. lib. 2.*

stantinam, vulgo Constantiam dictam, eadem vetera monimenta vi gintatem Deo dicasse tradant.

XIII. *l. 1. C. Th. de Epis. & cler.* CONSTANT. EXIMIT CLERICOS A MVNERIBVS.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. datum reperitur rescriptum a Constantini Imp. ad Valentinum Consularem Numidiæ, pro Clericis Catholicis, ad Curiam (hoc est, ad munera publica municipiorum capessenda) hactenus delatione deuocari solitis: quod ne amplius fieret in Ecclesia Occidentali, Orientalis exemplo Imperator prohibuit, volens omnino ab eiusmodi oneribus clericos esse liberos, & immunitate plenissima potiri.

IESV CHRISTI AN. 331.

SILVESTRI AN. 18.

CONSTANTINI IMP. AN. 26.

I. ANno Christi trecentesimo trigesimo primo, Ouinio Bassio iterum & Ablauio Ægyptio Coss. Athanasius Episcopus Alexandrinus, cum aliquantisper quieuisset, donec Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicæus exularent, iisdé Constantii Cæsaris (vt creditur) opera, *b* & Constantiæ Licinii olim coniugis, sororis Constantini Imp. arte, anno superiori, quo eiusdem Constantii celebrata sunt Quinquennalia, & Nouæ Romæ vrbis Constantinopolitanæ dedicatio facta, ab exilio ad proprias Ecclesias reuocatis, nouis rursus calumnijs exagitatur. Siquidem Meletiani cum Ischyram pseudopresbyterum (de quo superius) ad se transfugientem susceperint, consilio cum Eusebianis inito, tum eidem Ischyræ persuaserunt, Macarium presbyterũ Alexandrinum, (quem alii diaconum tantum nominant) qui apud Imperatorem defenderat à Meletianorum calumniis Athanasium, & ad perquirendum Ischyram missus fuerat, accusare de fracto in ecclesia calice, aliisque sacrilegijs, tum ipsimet Athanasio impudentissimam calumniam impegerunt, de occiso Arsenio Episcopo factionis Meletianæ, quem, vt calumnia succederet, in abditis habuerunt, interim manum cuiusdã, tamquam ex eius corpore recisam, ad ostentationem circumferentes. Cum vero Ischyras à suis reprehensus, veniam ab Athanasio postulasset, & publice dato libello contestatus esset, se à Meletianis subornatum esse eiusmodi calumniam aduersus Macarium struere: nihilominus Meletiani eadem crimina passim iactantes, rem etiam ad Imperatorem detulerunt, qui cognita ac repudiata de fractione calicis sycophantia, Antiochiam literas ad Delmatium Censorem misit, vt cognosceret de causa homicidii. Tradit hæc omnia ipse Athanasius in Apologia secunda. Porro Ischyram non ad Meletianos tantum, sed & per eos profectum esse Nicomediam ad Eusebium illius ciuitatis Episcopum, & ab eo de concinnandis calumniis optime fuisse instructum, refert Socrates *c* & Sozomenus. *d* Sed iste, aliique eiusdem sententiæ, errore labuntur, dum Arsenium clericum tantum, vel presbyterum nominant, quem ex ipso Athanasio & aliis constat fuisse Episcopum. Quale vero fuerit de Athanasio Delmatii iudicium, dicetur postea.

b Vid. Nic. li. 9 c. 21

ATHANASIVS ETEKVM VEXATVR.

c Soc. li. 1. c. 28

II. Interim hoc ipso anno Macarius Episcopus Hierosolymitanus, cum sedisset annos decem & nouem, reddidit Deo spiritum, cuius memoria magno annua commemoratione in Ecclesia hactenus perseuerat. *e* In eius vero locum subrogatus est *Maximus*, quem Sozomenus *f* tradit, cum antea Episcopus Diospolitanus à Macario fuisset ordinatus, à populo Hierosolymitano ne eam sedem capesseret impeditum esse, & Hierosolymis retentum vt Macario succederet: eorumq; desiderio Macarium facile acquieuisse, quod sciret Maximum fidei Nicænæ acerrimum assertorem, ac vereretur, ne se mortuo Eusebius Cæsariensis & Patrophilus Scythopolitanus sectæ Arianæ fautores, aliquem ex suis in sedem Hierosolymitanam intruderent.

e Mart. Rom. 10. Mart. MAXIMVS EPISCOPVS HIEROSOL.

f Soc. li. 2. c. 19

III. Hoc pariter anno Domini trecentesimo trigesimo primo (vt habet Hieronymus in Chronico) *Donatus agnoscitur, à quo per Africam Donatiani.* Nempe fuit hic creatus parti schismaticorum Carthaginiensis Episcopus, in locum Majorini defuncti. Sed de eo, deque Donatistis ab eo denominatis, necnon de Circumcellionibus sub eo prognatis, plura superius.

IESV CHRISTI AN. 332.333.334.

SILVESTRI AN. 19.20.21.

CONSTANTINI IMP. AN. 27.28.29.

I. ANno Christi trecentesimo trigesimo secundo, Quinio Pacatiano & Mecilio Hilariano Coss. S. Athanasius à Dalmatio, cui Constantinus causæ cognitionem de Arsenii nece delegauerat, monitus vt se ad criminis defensionem pararet, rem impigre gerens, primo in Thebaidem, vbi Arsenium latitare audierat, diaconum suum exploratum misit, mox vero cum eumdem illinc asportatum in interiorem Thebaidem, ac postea in externas regiones nauigare compulsum, ad diuisset Tyrum appulisse, & ibi rursum occultari, suos demũ illuc direxit: qui tandem inuentum, & se Arsenium esse negantem, stiterunt iudicio Pauli eius ciuitatis Episcopi Catholici: apud quem ille de fraude cõuictus, se Arsenium vere esse confessus est, ac totam de simulatione suæ necis ex Eusebii Nicomediensis consilio technã detexit. Quæ quidem ita gesta esse, ipse Athanasius publico scripto, nempe Apologia, *a* tamquam patentibus literis ab omnibus inspiciendis testatus est: cui magis credendum, quam aliis tot in hoc genus hominibus historiam de Meletianorum & Eusebianorum in ipsum calumniis, aliter enarrantibus: quorum nonnulli *b* quod ad Arsenii inuentionem spectat, eam referunt ad tempus Concilii Tyrii, quod tertio post hunc annum celebratum constat, alii etiam à vero longius, post Constantini obitum.

a Ath. Apol.

b Soc. li. 1. c. 28. Theo. li. 1. c. 30. Soz. li. 2. c. 22.

c Epi. hær. 68.

Cæterum cum Athanasius de inuento Arsenio cuncta liquido probata habuisset,

II. Anno Christi trecentesimo trigesimo tertio, Delmatio atque Zenophilo Coss. Macarium presbyterum suum Cõstantinopolim misit, qui Imperatorem de omnibus certiorem redderet. Imperator autem iis acceptis, Delmatium à causæ cognitione cessare iussit, Eusebianos accusatores reiecit, & ad ipsum Athanasium literas honorificas misit, quibus calumnias in eum illatas detestatus est. Vnde & illud plane incomparabile subsecutum est bonum, vt cum Arsenius, tum ipse Ioannes supremus Meletianorum Antistes, facti pœnitentes, supplices pro venia consequenda eidem Athanasio literas dederint, & à schismate recedentes Catholicæ se communioni restituerint. Docet hæc pluribus ipse Athanasius: *d* additque hunc finem habuisse conspirationem Meletianorum.

CAVSA ATHANASII DE OCCISO ARSENIO.

IOANNIS EPIS. MELET. POENITENTIA.

d Ath. Apol.

III. At vero Eusebiani, veriti ne Meletianis cessantibus, destituerentur eiusmodi calumniarum histrionibus,

Anno Christi trecentesimo trigesimo quarto, Optato & Paulino Coss. denuo eumdem Ioannem ab Athanasio resilire fecerunt: *e* taliaque acta in eumdem Athanasium commenti sunt, vt Constantinum, alioqui erga illum propensiorem, à proposito mentis auertentes, male credulum compulerint Synodum Episcoporum Cæsareæ Palæstinæ celebrandam indicere, ad quam Athanasius iudicandus aduenire. Sed quod ille detrectans subire iudicium Eusebii eius ciuitatis Episcopi, & aliorum Arianorum, recusasset eo accedere, nouis rursum ea occasione apud Imperatorem calumniis oneratus, mutato Concilii loco, iussus est ab ipso iam in eum commoto Tyrum petere. Cuius etiam cogendi ibi Concilii illa causa prætexta *f* est, vt basilicam famosissimam Hierosolymis erectam Episcopi dedicarent. Sed de his anno sequenti, quo Synodum celebratam esse constat.

e Ath. ibid. Theod. li. 1. c. 28. Soz. li. 2. c. 24. CONSTANTINI INDICIT CONC. ADVERSVS ATHAN.

f Euf. de Vit. 41. Sect. lib. 1. c. 20.

* * *

IESV

IESV CHRISTI AN. 335.

SILVESTRI AN. 22.

CONSTANTINI IMP. AN. 30.

I.

ANNO Christi trecentesimo trigesimo quinto, Iulio Constantio Constantini Imp. fratre, & Ruffino Albino Coss. celebrata sunt *Tricennalia* eiusdem Constantini & CONSTANS tertius eius filius ab ipso creatus est Cæsar. Sed & ab Eusebianis aduersus Athanasium TYRI in Phœnicia habitum est *Conciliabulum*, conspirantibus vna cum eis schismaticis Meletianis, & hæreticis Colluthianis; præsidente in eo Dionysio Comite à Constantino misso, & militibus armatis Episcopos suo satellitio cingentibus: et questi sunt Patres *b* Synodi Alexandriæ paulo post celebratæ. Porro hoc ipso anno eiusmodi conuentum maligrantium fuisse collectum, Eusebii *c* imprimis, & aliorum *d* auctoritate probatur, dum aiunt ipsis Tricennalibus Imperatoris, cum Tyri, tum etiam Hierosolymis, eosdem Episcopos conuenisse: Idemq; compertissimum redditur ex epistola *e* Ecclesiæ Mareoticæ in Ægypto, dum Tyri Synodus ageretur, data sub iisdem huius anni Coss.

a *Euseb. 4. de Vit. 40.* CONCIL. AD TYRIVM ADVERS. ATHA.

b *Ap. Athan. Apol. 2.*
c *Euse. d. c. 40 & 41. 47.*
d *Socr. l. 1. c. 20 Soz. li. 2. c. 25.*
e *Ap. Athan. ibid.*

II. QVOT, ET QVALIS EPISCOPI CONVENERINT.

Quot autem illic Episcopi conuenerint, nullus certus ab Eusebio definitur numerus: sed res suas atq; suorum ostentare solitus, dum ait collectos fuisse ex omni Ægypto, Asia, Africa, & Europa, voluit demonstrare eiusmodi conuentum fuisse Nicæno propemodum non imparem: cum tamen nonnisi sexaginta omnes numero fuisse testetur Socrates *f*, nec inter eos ex Occidentalibus aliquem: sed illos tantum præsto fuisse, quos & Euseb. & Eusebiani aduocãdos esse Constãtino persuaserunt: vt expresse testatur ipsemet Imperator in litteris *g* ad eiusmodi Synodum scriptis. Fuerunt autem illi omnes prope, qui Ario studuissent tempore Nicæni Concilii, vel postea eius fautorib. inhæsissent: qui tamen vt deciperent Imperatorem, se Catholicos & hostes Arianæ hæreseos, & Ecclesiæ pacis studiosissimos esse profiterentur. Quorum præcipui extiterunt, Eusebius Nicomediensis totius impietatis choreæ ductor, eiusdemque nomnis & impietatis Eusebius Cæsariensis, qui ambo eiusmodi Synagogæ veluti Iudices præfuerunt; inhærentibus eis Theognide Nicæno, Mari Chalcedonio, Patrophilo Scythopolitano, & aliis tam Arianis quam Meletianis ab ipso Athanasio *h* recensitis. Eorundemq; voluntate factum est, vt prætextu comprimendi tumultus, missus fuerit ab Imperatore cum militari manu Dionysius Comes, & ipse (vt putatur) Eusebianus; re vera vt innocentes opprimeret, & secretum aditum Athanasii hostibus ad oppugnandam fidem Catholicam aperiret. Deniq; Archelaum quoq; Orientis Comitem eo missum esse, qui cum Dionysio Concilio præsideret, Ruffinus testis auctor est: sed de eo nihil apud Athanasium, aliosve antiquos scriptores qui de eo conuentu egerunt, Socratem *k*, Theodoretum *l*, ac Sozomenum *m*.

f *Socr. l. 1. c. 20*

g *Ap. Enf. 4. de Vit. 42. & Theo. l. 1. c. 29.*

h *Athana. Apol. 2.*

i *Ruff. lib. 1. c. 16 17.*
k *Socr. l. 1. c. 20. 21.*
l *Theod. lib. 1. c. 29 30.*
m *Sozom. l. 2. c. 24.*

III.

Qui vero Imperatoriis litteris, iisdemq; minacibus, vocatus fuerat S. Athanasius ad dicendam causam; venirene deberet, diu multumq; animo versasse, omnes tradunt. Sed quod apud Sozomenum legitur, eum, licet vehementer vrgeretur, profectionem distulisse vsque ad triginta menses: textum esse depranatum existimo, & restituendum ad tres menses. Nam hoc ipso anno Synodum cœptam esse ac pariter absolutam, inde vero Hierosolymam ad dedicationem templi euocatam, omnes affirmant. Accessit igitur Tyrum Athanasius, ne aduersariis ansam præberet in ipsum vehementius insultandi, & nouas apud Imperatorem calumnias adstruendi. Veneruntq; cum eo Ægypti Episcopi quadraginta septem, quorum nomina subscripta habentur in fine epistolæ *n* quam Tyri scripserũt: inter quos leguntur magni illi Potamon & Paphnutius confessione celebres, de quibus dictum est superius. Eodemque Macarius presbyter vinctus per milites deductus est. Cum autem in Synodum ingressus esset Athanasius, nullus ei penitus vbi sederet, datus est locus, cui omnium primus ob Alexandrinæ sedis toto Oriente prærogatiuam debebatur; sed tanquam reus coram accusatoribus iussus est stare. Quod non ferens S. Potamon, lacrymans inuectus est contra Eusebium Cæsariensem, quod ipse apostata olim à fide tempore persecutionis, sederet iudex, & Athanasius innocens staret ab eo iudicandus. Rem gestam pluribus describit Epiphan. *a*, eiusdemque meminerunt iidem Episcopi Ægyptii in epistola quam diximus: de Eusebii vero apostasia, dictum quoque est suo loco. Cæterum Athanasius, primo de suspectis Iudicibus conquestus, cum minime audiretur: demum quantumuis ex eorundem fauore Meletiani, accusatores audentiores in eum redderentur, ipse nihilominus vel itare fretus, & alii Orthodoxi qui aderant, certi de eius innocentia, etiam coram hostibus talia iudicari passi sunt.

n *Ap. Athan. Apol. 2.*

ATHANASIVS INDIGNE HABITVS.

a *Epip. hær. 68*

IV. ACCVSATIONES IN ATHANAS.

Quod autem ad crimina in eum obiecta pertinet: veteres imprimis accusationes illæ, quæ aduersariorum quoque confessione calumniosæ fuerant comprobatæ, iterum allatæ sunt in medium, nempe de occiso ab eo Arsenio, & fracto à Macario sacro calice: prodeunte etiam accusatore, spe polliciti Episcopatus illecto, illo eodem Ischyra pseudopresbytero, quem calumniarum suarum pœnitentem iam olim Athanasio supplicem libellum obtulisse vidimus. De cuius gradu male præsumpto, ac calũniæ fictione, licet Athanasius euidenter demonstraret: tamen (inquit ipse *b*) ea res nihil remorata est inimicos, cum & presbyter fingeretur qui non erat, & Comes vim adhiberet, & milites Athanasium ac suos traherent.

b *Athan. Apol. 2.*

Sed vndenam quæso, manauit occasio, vt quem viuere certo certius fuerat diuulgatum, adeo procaciter iterum de occiso Arsenio accusationem proposuerint? Non aliunde quidem, nisi quod sicut Iudæi impii resuscitatum Lazarum in odium Christi interficere quærebant, ita Eusebiani atque Meletiani, cum viderent quem occisum prædicassent, in eorum summam infamiam adhuc viuere, conati sunt eidem necem inferre: (id enim innuunt Synodales litteræ *c* Concilii Alexandrini postea habiti, quibus hæc omnia Tyri gesta fusius enarrantur:) quod persentiens ille, delituit quousque palam in Tyrio conuentu se prodidit. Porro Sozomenus *d* scribit, eum sponte, vt Athanasium periclitantem eriperet, se Synodo obtulisse. Additque Theodoretus *e*, eundem ab Athanasii necessariis coactum esse in diuersorio parumper latere; cum autem aduersarii in Synodo proferrent manum illam ad hanc tragœdiam comparatam, quam dicerent Arsenio fuisse abscissam; & scisciante ab eis Athanasio, ecquis Arsenium nosceret, multi respondissent se accurate hominem noscere; tunc eum introduxisse, & à Iudicibus agniti vtramque manum integram ostendisse: sed nihilominus tam accusatores quã Iudices, vociferantes hæc per incantationes ac præstigias ab Athanasio fieri, impetum in eum fecisse: verum ipsum à Dionysio Comite neci ereptum, Constantinopolim ad Imperatorem nauigasse. Hæc Theodoretus, & alii *f*: sed accessus Athanasii ad Constantinum, postea accidit.

c *Ap. Ath. ib.*

d *Soc. l. 2. c. 24*

e *Theod. lib 1. c. 30.*

Narrat vero Sozomenus alia quædam ad Arsenii causam spectantia, quæ ab aduersariis fuisse tunc superaddita tradit: sed & alia multa in Athanasium obiecta recenset, quæ ab aliis sunt prætermissa, atq; ab ipso etiam Athanasio, necnon à Patribus Synodi Alexandrinæ: apud quos nonnisi de duabus querelis in Athanasium Tyrio conuentu illatis mentio habetur: nempe de nece Arsenii, & fractura sacri calicis. Est tamen & apud Theodoretum narratio de meretricula supposita, quæ se ab Athanasio vi compressam quereretur: atque, cum Athanasius in Synodum vna cum Timotheo quodam presbytero ingressus, iussus esset crimini respondere, ipso quidem silente, Timotheum perinde ac si ipse fuisset Athanasius, mulierculam sic interrogasse, *Egone tecum aliquando rem habui?* eumque illa petulantius assereret, eum ipsum esse qui sibi virginitatem abstulisset, technam omnibus patefactam esse.

f *Soc. l. 1. c. 14. Soer. l. 1. c. 11.*

X. RSENII CAVSA QVOMODO SE HABVERIT.

VI. MERETRICVLA ADVERSVS ATHAN. PRODVCTA.

VII.

Quod autem spectat ad querelam Meletianorum de fra-

QVID ACTVM PRO PRÆTENSA FRACTVRA CALICIS.

ctura calicis; (quam licet Macarius feciſſe diceretur, tamen ſumma criminis in Athanaſium ipſum referebatur, quod is illud iuſſiſſe affirmaretur:) in eadem epiſtola Alexandrinæ Synodi traditur, etſi hæc calumnia ipſa ſua vanitate corruet, tamen Euſebianos iudices ſententiam ea de re ſuſpenſam voluiſſe, donec de probationibus conſtaret: & ad hoc delectos ex ſuis ſex Epiſcopos Arianos, qui omniũ maxime Athanaſio infenſi eſſent, clam in Mareoten regionem (vbi calix fractus fuiſſe dicebatur) legaſſe qui rem curioſe ſcrutarentur; nempe Theognidem, Marin, Macedonium, Theodorum, Vrſacium, & Valentem. Cæterum cum iſta contra omne ius faſque, ac præter ſententiam omnium Orthodoxorum qui Tyri conuenerant, ageretur; dederunt primo Ægypti Epiſcopi illi quadraginta ſeptẽ, conteſtationis libellos ad Synodum & ad Dionyſium Comitem, ne quid amplius ab iis in ea cauſa ageretur, ſed cuncta reſeruarent integra cognoſcenda per Conſtantinum Imp. Quibus & ſuum peculiarem addidit Alexander Epiſcopus Theſſalonicenſis, qui eidem conuentui intererat, eoſque omnes recitat Athanaſius in ſua Apologia. At cum nequicquam proficeretur, nec ipſe Dionyſius miſſam à Iudicibus Arianis legationem in Ægyptum reuocandam curãret, omnia denique in gratiam fierent eorundem Arianorum: tunc Athanaſius meliorum rerum deſperatione, è Concilio iniurioſorum (vt ipſe loquitur) Tyro receſſit, & ad Conſtantinum profectus eſt, expoſtulaturus de iis quæ adeo inique geſta eſſent.

VIII.

Interim vero legati in Ægyptum miſſi, ducto ſecum Iſchyra accuſatore Alexandriam aduenientes, ſumpto Philagrio Ægypti præfecto, repulſisque à teſtimonio pro Athanaſio & Macario ferendo Eccleſiaſticis hominibus, ac tantummodo exammatis catechumenis, Iudæis, atque Gentilibus; iiſdemque præmonitis de his quæ dicere deberent, minas iactante Præfecto, militibuſque tela & vulnera intentantibus, confecta ſunt Acta pro libro Euſebianorum: & in ipſa vrbe Alexandria, virgines Deo dicatæ dire flagellatæ, ac ludibrio habitæ, aliique Catholici male tractati ſunt: vt hæc omnia fuſe apud ipſum Athanaſium narrantur in Apologia *a*. Iis autem Actis magna celeritate Tyrum perlatis, Concilium (inquit Sozomen. *b*) Athanaſium in dicta cauſa condemnauit, abdicauitque Epiſcopatu, ac decreuit ne poſtmodum Alexandriæ habitaret: Ioannem autem Meletianorum principem, & alios eius factionis in communionem recepit, & ſuam cuique dignitatem reſtituit: litteraſque ea de re tum ad Imperatorem, tùm ad omnes vbique Epiſcopos ſcripſit, ne amplius cum Athanaſio aut literis aut ſermone communicarent. Verum complures qui aderant in Concilio Epiſcopi, huic iudicio minime conſenſere; & inter eos Paphnutius confeſſor prehenſa manu Maximi Epiſcopi Hieroſolymitani, monuit vt ſurgeret: non enim oportere ſe cum eſſent Confeſſores, & pro pietate oculos effoſſos, pedumque flexus debilitatos haberent, Concilio hominum perditorum communicare. Hæc & alia Sozomenus, & alii. Vnde quod Iulius Papa ſcribens *c* poſtea ad Arianos, dicit Athanaſium nequaquam Tyri condemnatum fuiſſe; intelligendum putamus à maiori & ſaniori parte Concilii: ſiquidem Euſebiani ſeorſum ab Orthodoxis coeuntes (vt ipſe Athanaſius teſtatur) quæ viſa ſibi ſunt decreuerunt. Porro hallucinatus eſt plane Ruffinus, dum putat Athanaſium è Tyrio Conciliabulo fuga lapſum, per ſex annos delituiſſe: quæ quidem longe poſt hæc contigerunt. Addit denique Athanaſius, Euſebianos apud Imperatorem egiſſe de erigenda Eccleſia & Epiſcopatu Iſchyræ accuſatori; & qui nec presbyter erat, vocatum fuiſſe Epiſcopum pagi illius in quo habitabat: idq; præter maiorum traditionem, quod is pagus adeo paruus eſſet & paucorum hominum, vt nec vnquam eccleſiam habuiſſet aut presbyterum, ſed penderet ab alio proximo pago.

IX.

His igitur in hunc modum ex ſententia Euſebianorum in Athanaſium Tyri confectis, qui remanſerunt ibi Epiſcopi, confeſtim Hieroſolymam, ex iuſſione Imperatoris (qui mandauerat, vt quam celeriter altercationibus Epiſcoporum finc impoſito, transferrent ſe illo ad dedicandam inſignem baſilicam, *Martyrium* dictam, ab ipſo iuxta Saluatoris monumentum ædificatam) properantes, ritu id Eccleſiaſtico perfecerunt. Tradunt hæc Euſebius *a*, Socrates *b*, Theodoretus *c*, & Sozomenus *d*; qui ea accidiſſe aſſerunt mox poſt Tyrium conuentum, ipſis Triennalibus Imperatoris. Verum quod anni Conſtantini inchoentur ab octauo Calendarum Auguſti, haud neceſſe eſt vt CONCILIVM HIEROSOLYMITANVM, & alia quæ iiſdem Tricennalibus geſta dicuntur, ſpatio præſentis anni Domini includantur; ſed multa reiicienda ſunt in ſequentem, vſque ad exitum eiuſdem Conſtantini anni trigeſimi. Res porro geſtas in conſecratione eccleſiæ Hieroſolymitanæ deſcribens Euſebius, eiuſmodi Epiſcoporum conuentum magnopere oſtentat, & ipſi Nicænæ Synodo ferme æquat; Arii confeſſio ibi probata maiorem ſibi fidem vendicaret, & Arianorum in eo facta reſtitutio rata ab omnibus haberetur. Nam etſi aliqui magni nominis ibi fuerunt Orthodoxi Epiſcopi, ad dedicationem baſilicæ conuocati; tamen ſeorſum ab illis Euſebianos conueniſſe, vel poſt illorum diſceſſum, certum eſt: quandoquidem Euſebianorum conuentus, potiusquam legitima Synodus, ille æſtimatus eſt. Sed quod ad conſecrationem attinet; tradit Sozomenus, non ſolum ipſum templum, ſed & vaſa miniſterialia conſecrata fuiſſe ſecundum antiquum religionis Chriſtianæ ritum; atque ex eo tempore Hieroſolymitanam Eccleſiam quotannis per dies octo feſtum conſecrationis ſplendide admodum celebraſſe, quarum frequentem in Eccleſia Catholica vſum hodie eſſe videmus.

X.

Rurſum vero quod ait Euſebius *e*, eiuſmodi celebritatem diſputationibus quoque exornatam fuiſſe; ad hoc ſpectat, quod in eodem conuentu de recipiendis ad ſuas Eccleſias Arianis pœnitentiam præſeferentibus actum eſt. Sed & quod iidem recepti fuerint; inde eſt quod idem auctor *f* ait, per eiuſmodi Epiſcoporum Concilium donum quoddam pacis ab Imperatore oblatum eſſe Deo. Haud vero admittimus quod ait Sozomenus, Arium hoc tempore fuiſſe ab exilio relaxatum: ſiquidem iam ſuperius vidimus, eum in Nicæno Concilio ſimulate palinodiam recantantem receptum fuiſſe, non tamen vt Alexandriam redire poſſet: & Euſebianos omni conatu niſos eſſe eundem Alexandriam reuocare, ſed obnitente Athanaſio minime impetraſſe: quametiam ob cauſam tot tantaſq; molitiones ab eis de pellendo Alexandria Athanaſio eſſe comparatas, ipſe Athanaſius *g* ſcribit. Deniq; quomodo dici poteſt exulaſſe Arius, quem ante hæc ſuadentibus Euſebianis Conſtantinus Imp. ſcriptis ad eum libere agentem litteris, quas Socrates *h* recitat, cur non prius ad ſe venerit admirari ſe dicit, & quamprimum venire conceſſo regio diplomate pro viatico iuſſit?

XI.

Cæterum cum ipſe vna cum Euzoio (quem Alexander Epiſcopus Alexandrinus, cum Arianos damnaſſet, à diaconatu depoſuerat) hocipſo tempore Conſtantinopolim veniſſet, fidei ſuæ confeſſionem Imperatori obtulit: quæ cum ambigue & doloſe compoſita à multis cenſeretur, quod in ea deeſſet verbum *Conſubſtantialis*; eam haud Imperator ſuſcipere auſus, antequam Epiſcopi, quorum eſſet definire de fide, approbaſſent; ad Epiſcopos Hieroſolymis conuocatos examinandam miſit: vbi qui Arianos fauebant, eandem approbantes, ipſos quoque Arium & Euzoium qui eo aduenerant, in communionem receperunt, & Alexandriam cum litteris Synodalibus miſerunt. Narrant hæc Socrates, & Sozomenus; agitque de iiſdem pluribus Athanaſius, tam in Apologia, quam in libro de Synodis; vbi hunc conuentum (qui vnus idemque exiſtimatus eſt cum Tyrio, vtpote qui eodem ferme tempore, & ab iiſdem Euſebianis fuerit celebratus) nominat *Exordium Synodorum Arianorum*: queritutque quod non timuerint Magnam Synodum Nicænam, quantum in ipſis fuit, in angulis demoliri; homines (vt ait) quoduis temere & dicentes & facientes. Quibus plane intelligas, quod iam diximus, ea ſic Hieroſolymis geſta eſſe, vt peracta templi dedicatione, dimiſſoque cœtu, ipſi tantum Euſebiani relicti conuenerint: Arioque fide probata, tum ipſum, tum alios recipiendos eſſe ſtatuerint: Itemque Arium eiuſmodi ambigua fidei profeſſione nihil aliud intendiſſe,

quam

a *Athan. Apol. 2.*
b *Soz. l. 2. c. 24* ATHAN. DAMNATVR AB EVSEBIANIS.
c *Ap. Athan. Apol. 2.*

a *Euſeb. 4. de Vit. 41. & ſeq.*
b *Socr. l. 1. c. 22*
c *Theod. lib. 1. c. 31.*
d *Soz. l. 2. c. 25*

CONC. HIEROSOLYM. IN ENCÆNIIS.

e *Euſ. 4. de Vit. 45.* ARIVS ET ARIANI RECEPTI.
f *Ibid. c. 47.*

g *Athanaſ. de Synod.*
h *Socr. l. 1. c. 29*

SVBLATVM VERBVM CONSVBSTANTIALIS.

quam vt abolito ex Nicæna fide verbo *Consubstantiali*, tota pariter extricta à Sanctis Patribus sinceræ fidei machina corrueret: cum (vt superius dictum est) omnia quæcunque à Catholicis afferrentur ad destructionem hæresis Arianæ, haud satis esse videri possent ad tollendas omnes illorum captiosas tergiuersationes, nisi verbum *Consubstantiale* adderetur: quod reticere, idem videri poterat quod Arianam hæresim profiteri. Sed & quod idem *a* Athanasius ait, post suum ipsius exilium Eusebianos scripsisse de restitutione Arii: plane declaratur, non statim atque hic receptus est Hierosolymis, missum esse Alexandriam, sed tum demum cum Athanasius amandatus est in Gallias: quod & Socrates *b* affirmat. Quamobrem de vtroque agetur anno sequenti: sicut & de causa Marcelli Episcopi Ancyrani, quam idem Socrates *c* in Hierosolymitano Concilio cœptam, in Constantinopolitano absolutam tradit.

a Ath. de Syn.

b Socr. l.1. c.15

c Ibid. c. 24.

XII. SILVESTRI PP. OBITVS.

Interim autem vltima die huius anni, *Sanctus Siluester* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum sedisset annos viginti vnum, menses vndecim, vno minus die: sepultusque est in Cœmeterio Priscillæ via Salaria, cui merito post Petrum, ob insignes res gestas, tantum debet Ecclesia, quantum alii de ea quam optime merito. Quod autem sciamus eius annos à diuersis Scriptoribus diuerso numero consignatos, (siquidem alii tribuerunt eius sedi annos viginti quatuor, & aliquot menses, & apud Nicephoti Chronicon leguntur anni viginti octo:) ac denique ex deprauata Eusebii Chronographia, cum additamento Hieronymi, anni tantum reperiuntur decem & nouem: vt nos quam posuimus sententiam amplectamur, illud potissimum persuadet, quod cum in Libro de Romanis Pontificibus ponatur ingressus Siluestri sub Consulatu Volusiani tempore Constantini; (sic enim legendum est, non sub Consulatu Constantini & Volusiani:) rursumque Marci eius successoris subrogatio collocetur sub anni sequentis Consulibus: præsentem annum nequaquam potuerit excessisse Siluester. De quo rursum illud minime prætermittimus, inter alia præclarissima eius opera, ipsius plantationem fuisse nobilissimam virginem, *Romanam* nomine, filiam Calphurnii Præfecti Vrbis: quæ baptizata à Sancto Siluestro, in antris & speluncis cælestem vitam duxit in virginitate perpetua, & miraculorum gloria claruit: cuius natalis dies septimo Calendas Martii ab Ecclesia celebratur.

DE ROMANA SIC DICTA VIRGINE ROM.

IESV CHRISTI AN. 336.

MARCI AN. 1.

CONSTANTINI IMP. AN. 31.

I. *d Lib. de Rom. Pont. in Sil. uestr. & Marco.* MARCVS PAPA.

ANNO Christi trecentesimo trigesimo sexto, Nepotiano atq; Facundo Coss. cum post obitum Siluestri Papæ sedes vacasset *d* dies quindecim, MARCVS Prisci filius, natione Romanus, subrogatus est in locum eius decimo septimo Calendas Februarii. Quantum autem sederit, dicetur ex more in eius obitu.

II.

Interea cum Athanasius Episcopus Alexandrinus ex Tyrio conuenticulo se abstrahés, Constantinopolim profectus esset ad imperatorem, (quod dictum est anno superiori) ipsumque acerrimis querimoniis ob toleratas calumnias interpellasset; obtinuit vt Eusebiani qui eius causam Tyri iudicassent, adhuc Hierosolymis existentes, ab eodem Imp. grauiter commoto acribus litteris Constantinopolim euocarentur, rationem sui iudicii reddituri. Sed plurimis eorum, scelerum suorum conscis, ad suas Ecclesias se recipientibus: qui cæteris audacia, & in Athanasium odio præstarent, Eusebius Nicomediensis, & alter Cæsariensis, (qui & hac occasione, vt animum Imperatoris demulceret, ibidem Constantinopoli orationem de eius laudibus recitauit, post Conuentum, vt ipsemet *e* testatur, Hierosolymitanum, & trigesimum Imperatoris annum: quæ hactenus extat:) Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, Valens Mursorum Superioris Pannoniæ, & Vrsacius Singidonis Superioris Mysiæ Episcopi, soli isti sex ad Imperatorem accedentes, nec amplius fidentes inanibus fracti calicis aut occisi Arsenii calumniis: nulla de iis habita mentione, aliud commentitium crimen detulerunt, nimirum Athanasium minatum esse, se impediturum quo minus frumentum Alexandria Constantinopolim ex more aduueheretur; eiusque testes protulerunt quinque Ægypti Episcopos, qui cum olim pro Athanasio in Concilio Tyrio inter illos quadraginta septem stetissent, postea vel Dionysii Comitis blanditiis, vel aliis Eusebianorum fallaciis decepti, à sanctis collegis auulsi fuerant, & impiis aduersariis coniuncti. Cum igitur hæc à tot Episcopis, iisdemque Catholicis, & defensoribus alias Athanasii, afferrentur: iisdem fidem adhibens Imperator, & ira æstuans, omisso de sceleribus Eusebianorum iudicio, quod in expectatione erat, eucstigio eundem Athanasium, frustra se excusantem, Treueros in Gallias relegauit. Narrantur hæc pluribus cum apud ipsum Athanasium *a*, tum apud Socratem *b*: quæ breuius Theodoret. *c* refert: ex quibus omnibus erroris arguitur Sozomenus *d*, dum nullam mentionem habens recentis calumniæ de frumenti vectione, tradit Athanasium ob crimen de fracto calice: aliaque ipsi antea imposita, relegatum esse Treueros. Cum vero Athanasius adeo iniquam sententiam ab Imperatore accepisset, infracto animi vigore diuinum aduersus eum comminatus iudicium, grauem (inquit Epiphanius *e*) sermonem protulit: nempe, *Iudicabit Dominus inter me & te, quoniam tu consentis calumniatoribus modestiæ nostræ.*

NOVÆ CALVMNIÆ IN ATHANAS.

RELEGATVR AB IMP.

a Ath. Apol. 2

b Socrat. l. 2. c. 12. 23.

c Theo. l. 2. c. 31

d Soz. l. 2. c. 27

e Epip. hær. 68

Cæterum eiusmodi Constantini facinus excusans alibi ipsemet Athanasius *f*, ait illud eo consilio Imperatorem præstitisse, quod tali secessione Athanasius liber esset ab Eusebianorum crudelitate. Confirmat id ipsum Constantinus Iunior, eiusdem Maioris filius; in litteris *g* ad Alexandrinos postea datis. Idemque concordat quod Alexandrina Synodus *h* testatur, Imperatorem exilio damnasse Athanasium, vt sic furorem Arianorum eius capitale supplicium omnino potentium expleret. Sicut & Theodoretus *i* eundem excusat, dolo Episcoporum, eximiam quandam vitæ speciem præseferentium, deceptum fuisse: cum præcipue (quod Socrates & Sozomenus addunt) persuasum haberet, concordiam vbique in Ecclesia inter omnes Episcopos fore, si Athanasius remoueretur. Vnus tantum Lucifer *k* Calaritanus culpam omnem in Constantinum reiiciens, ait idcirco Athanasium ab eo relegatum esse, quod noluisset esse Arianus: sed is omni probationis genere refellitur. Nec vero Constantinum fuisse penitus animo ab Athanasio auersum, ac proinde neq; à fide Catholica alienum, ex eo quoq; plane intelligi potest, quod (vt ipse Athanasius *l* est auctor) cum ab Eusebianis impelleretur in eius locum alium præficere Ecclesiæ Alexandrinæ Episcopum: eosdem compresserit, & ab ea molitione grauib. minis deterruerit. Immo & cum audisset (inquit Sozome. *m*) Ioannem Meletii successorem Alexandriæ agere, & populum sibi conciliare, eundem in exilium pepulit, cum tamen, licet tam ab Alexandrinis, quam ab ipso Magno Antonio monachorum principe, de Athanasii restitutione enixe rogaretur, (quod idem auctor scribit) eam omnino tunc denegauerit. Habet porro Constantinus Iunior vbi supra, consilium postea parentis fuisse vt Athanasium restitueret, sed morte præuentum minime adimplere valuisse. Idque morientem ipsum iussisse, licet Eusebius Nicomediensis contradiceret, Theodoretus *n* est auctor.

III. *f Athan. ep. ad Solit.* CONSTANTINVS EXCVSATVR. *g Ex ep. Athan. Apol. 2.* *h Ep. Synod. Conc. Alex. ap. Ath. ibid.* *i Theo. l. 1. c. 33*

k Lucif. lib. 1. pro S. Athan.

l Athan. ep. ad Solit.

m Soz. l. 2. c. 19.

n Theod. l. 1. c. 32.

Porro non Athanasium tantum, sed & ei communione inhærentes Ægypti Episcopos, è sedibus suis pulsos exulare esse iussos, ipsimet testantur epistola *o* Synodi ex Concilio Alexandrino celebrato post reditum ab exilio. Eusebiani enim visi sunt & in istos, tanquam eorundem criminum reos, damnationis sententiam irrogasse, & ab Imperatore vt in exilium pellerentur, petiisse. Obseruatione vero digna res, Athanasii exilium haudquaquam impunitum à DEO esse relictum: quandoquidem Imperium hactenus felicissimum, inuasione Persarum cœ-

IV. ALII EPISCOPI EXVLES. *o Ap. Athan. Apol. 2.*

e Euseb. 4. de Vit. 46. 47.

prin-

ATHANASIVS HONORIFICE EXCEPTVS TREVERIS.

a *Hier. in Chr.*

b *Ath. de Syn.*
c *Socr. l. 1. c. 25*
Soz. l. 2. c. 18

ARIVS NON RECIPITVR ALEXANDRIÆ.

ptum est perturbari; & ipse Imperator anno sequenti ex hac vita subtractus est, quantumlibet videri posset penes homines excusatus. Cæterum Athanasium, non vt exulem, sed vt egregium fidei athletam, Treueris tam à ciuibus, quam à Maximino sincera fide & eximia sanctitate præstante eiusdem vrbis Episcopo, honorifice susceptum esse, Sanctus Hieronymus *a* est testis. Eodem autem in exilium amandato, tunc demum Eusebianos apud Imperatorem egisse de restitutione Arii Alexandriam, (quod anno superiori diximus) non ipse tantum Athanasius *b*: sed & Socrates *c* atque Sozomenus *d* testantur: adduntque, (cum eandem ciuitatem Arius de integro in magnas turbas coniecisset, quod Alexandrini ei communicare recusarent, dicentes eadem illum adhuc sentire de fide quæ prius:) Imperatorem de eius peruersa mente & instituto certiorem factum, eum denuo Constantinopolim accersiuisse, rationem de seditione quam concitare aggressus erat redditurum.

V.

c *Ruff. l. 1. c. 11*

SYNODVS CONSTANT. ADVERSVS MARCELL. ANCYR.

f *Ep. Iulii PP. ad Arian. ap. Athan. Apol. 2.*

Cum interea *conuocatis* in eandem ciuitatem *Constantinopolim* proximis Episcopis, atque illis maxime (vt ait Ruffinus *e*) qui Arium & Eusebium sectabantur; iidem *Marcellum Ancyræ* in Galatia Episcopum, (quem æque ac Athanasium senserant *f* in Nicæno Concilio acerbissimum aduersarium) pariter damnatum, in exilium pelli curarunt. Accesserat recens Eusebianorum in illum odii causa, quod neque in Tyrio conuentu eorum decretis consentire, neque Hierosolymis cum eisdem communicare, aut Arii restitutioni assentiri voluisset. Itaque quod inde recessisset calumniandi sumpta occasione, primo eundem apud Imperatorem accusarunt, quod in contemptum ipsius dedignatus esset consecrationi templi Hierosolymitani interesse; postea vero eundem iussu Imperatoris Constantinopolim euocatum, per calumniam ex ipsiusmet Marcelli scriptis comparatam, Episcopatu abdicarunt: nempe quod cum Asterius sophista Cappadox, olim in persecutione Maximiani Herculii apostata, ex sententia Eusebii libros quosdam Ariano dogmati fauentes edidisset, in quibus locustam & eiucam cum Christo compararet, immo Christo anteponeret, aliamque quam Christum in Deo Sapientiam constitueret, Christi & mundi conditricem; idemque per Syriam & per alias Ecclesias, ex commendatione Eusebii hæc docens obambularet: aduersus eum Marcellus scribens, in Pauli Samosateni errorem impegisset. Narrant ista Athanasius *g*, Socrates *h*, & Sozom. *i*: sed eadem ab Eusebianis Marcello falso adscripta esse, dum quæ ipse per modum quæstionis tractauerat, ea tanquam ita esse profiteretur, calumniati sunt, tam idem Athanasius docet, quam Iulius Romanus Pontifex ac Synodus Sardicensis eadem diligenter examinantes intellexerunt: ipsumque Marcellum (vt videbitur) Ecclesiæ suæ restituerunt.

g *Atha. Apol. 2. de Synod. & ep. ad Solit.*
h *Socr. l. 1. c. 24*
i *Soz. l. 2. c. 31.*

VI.

CONSTANTINVS MALE AVDIVIT, SED INIVSTE.

k *Seuer. hist. l. 2.*
l *Ruff. l. 1. c. 17*
m *Lucif. l. 1. pro Athan.*
n *Chro. Hieron. an. 31. Const.*

QVAMDIV EVSEBIANI

Quod vero Constantinus de Eusebianorum sententia tot magni nominis Episcopos exulare iusserit, plane accidit vt apud nonnullos existimatus fuerit Arianæ hæresis patrocinium suscepisse: id enim Seuerus *k*, Ruffinus *l*, & maxime Lucifer *m* Calaritanus asseuerant: legiturque apud Hieronymi Chronicon *n*, eundem Constantinum in obitu in Arianum dogma declinasse. Verum ad ista refellenda, probandamque eiusdem integram fidem Catholicam, licet satis esse possint quæ dicta sunt superius in eius baptismo, vel nuper in Athanasii exilio, illud tamen amplius addimus, tum Eusebianos vsque dum vixit Constantinus, cui semel subscripsissent Nicænæ fidei professores forinsecus præsetulisse; & si quod bellum Catholicis intulerunt, nequaquam vt Arianos, sed potius vt disciplinæ Ecclesiasticæ ac fidei Orthodoxæ vindices præstitisse, veluti cum Athanasium ob crimina, vel Marcellum ob hæresim damnauerunt: tum ipsum Constantinum, cum eis in his fauit, certo existimasse, Catholicæ fidei & Ecclesiasticis institutis integre conseruandis religioso officio præstoesse. De quo & illud euidentissimum specimen edidit: dum (quod dicetur) haud assensit in Ecclesiam Arium admitti, nisi iuratum, & ab *dicata* penitus hæresi professum fidem Catholicam. Rursum vero, quousq; ipse vixit, Eusebianos nequicquam aduersus Nicænæ fidei regulam mutire sal-

DEVERA ANI NOMINA RVNT.

tem ausos esse, Athanasii imprimis testificatione exploratum redditur; dum in libro de Synodis, id ab eis cœptum agi tradit in Concilio Antiocheno in Encæniis, celebrato anno quinto Constantii. Et licet antea aliquam interpretationem fidei Nicænæ Symbolo addidissent: Filii tamen cum Patre Consubstantialitatem (qua in re totum robur consistebat Catholicæ sententiæ) viuente Constantino nunquam denegare præsumpsisse, Sozomenus *a* testatur; quod (vt ait) pro certo scirent, Imperatorem fidem Consubstantialis sectari: asseritque idipsum Theodoretus *b*, & alii. Quare tantum abest vt Constantinus ab Eusebianis deceptus, lapsus sit in Arianam hæresim: vt nec ipii Eusebiani, eum veriti, Arianos se esse voluerint demonstrare.

a *Sozom. l. 3. c. 20.*
b *Theo. l. 2. c. 3*

VII.

c *Athan. ad Solit.*

PROBATVR FIDES CONSTANTINI.

d *Epip. hær. 69*

His consentiens accedit Athanasii *c* testimonium, dum aduersus eius filium Constantium agens, conqueritur quod patris vestigia minime consectaretur, sed ab hæreticis se pateretur teduci: cum pater cognito periurio & supplicio Arii, eum damnatum & pro hæretico habuisset. Sic & Epiphanius *d* de eodem Constantio ait, fuisse quidem pium & bonum iuxta multos modos: sed in hoc solum deliquisse, quod non processit secundum rectam & integram fidem parentis, sed ab ea deuiauit. Eodemq; modo S. Hilar. *e* eundem Constantium appellat diuinæ religionis hostem, & paternæ pietatis heredem rebellem. Denique idem Athanasius post obitum Constantini, Constantem eius filium hortatus *f* est, vt aduersus Arianorum insidias vindex & custos esset paternæ pietatis. Quibus omnibus luce clarior testata redditur fides Orthodoxa Constantini vsque ad vitæ exitum illibate seruata: atque inde vniuersa Catholicorum posteritas, ipsaq; publica Synodalia Acta, magno præconio ex eadem fide potissimum comparato, ipsum laudare consueuerunt: quod & superius dixisse meminimus.

c *Hilar. lib. 1. ad Const.*

f *Theo. l. 2. c. 5.*

VIII.

ARII FRAVS IN ASSERENDA FIDE.

Sed vt cætera quæ spectant ad Concilium Constantinopolitanum prosequamur: Arius, quem vidimus ob nouas Alexandriæ excitatas turbas, Constantini litteris Constantinopolim vocatum, rogatum ab eo num fidem Nicænam seruaret, ille iureiurando affirmauit se eam amplecti; atque eandem à se scriptam & proprio chirographo munitam Constantino obtulit: qui contestatus, si dolose iurasset Deum periurii vindicem futurum; mandatum dedit Alexandro Episcopo Constantinopolitano, vt in communionem eum reciperet: sed Alexandro contradicente, quod diceret non debere hæresis inuentorem in Ecclesiam recipi, contra vero minantib. Eusebianis, etiam ipso inuito se Ariũ postera die (erat autem tunc Sabbatum) in ecclesiam introducturos; tum idem Alexander templum ingressus, seque humi ad altare prosternens, magno pressus angore Deum tota nocte orauit, vt si Arius ad Synaxim introducendus esset, ipse Alexander prius eriperetur è vita: sin autem Ecclesiæ suæ Deus misereri dignaretur, Arium è medio tolleret. Accidit autem, vt cum postridie summo mane ab Eusebianis Arius domo eductus esset, vt antequam ecclesia ab Alexandro præoccuparetur, ipsi eam inuaderent: in via positus idem Arius cum ventre perurgeretur, (sine naturalis exonerationis necessitate, siue timore ex conscientia sceleris exorto, cuius vi laxari solet aluus:) diuertens ad latrinas publicas quæ pone Forum Constantini erant, ibi medius crepuerit, effundens vna cum excrementis viscera omnia, splen & iecur, quam rem gestam Athanasius *g*, & alii Græci pariter ac Latini Scriptores *h* affirmant.

INFAMIS EIVS OBITVS.

g *Atha. ep. ad Serap. & or. 2. cont. Arian.*
h *Socr. l. 1. c. 38. Soz. l. 2. c. 28. Theo. l. 1. c. 14. Ruff. l. 1. c. 12.*

IX.

i *Gr. Naz. in laud. Athan. Ambr. de fid. ad Grat. l. 1. c. 9. Gaudent. ad Paul. diac. in Bibl. Patr. Prud. & alii.*

Huncigitur plane finem, numine vlciscente, impius ille sortitus est Iudæ simillimum, cui ille à SS. Patribus iure comparatur, vtpote perfidiæ in Christum, & pœnæ sceleris socius. Addit porro ad superiorem historiam Socrates, Arium cum ab Imperatore ad iusiurandum de recta fide adigeretur, ea arte in ipso ludificando vsum esse, vt cum libellum fidei Catholicæ eidem offerret; haberet tamen sub ala chartam aliam, in qua suam ipsius hæresim scripsisset, sicque iurasse se vere & ex animo sentire quemadmodum scripserat. Et Theodoretus *k* habet, non tantum Alexandrum de imminenti periculo fuisse solicitum, sed & pios cunctos ingenti mœrore affectos, hortatu Magni Iacobi Episcopi Nisibeni, qui tunc aderat Con-

k *Theod. hist. de SS. Patr. in Iacob. Nisib.*

stantino-

stantinopoli, ieiuniis & orationibus vacasse; Deumque rogasse, vt id fieri iuberet quod vtile futurum esset Ecclesiis. Sozom. vero addit, locum in quo Arius extinctus est, postea detestabilem cunctis factum esse: donec post multum temporis potens quidam Arianus homo, vt probrosi Arii obitus memoria deleretur, illum à Republica emit, ædesq; in eo extruxit.

X.
a *Athan. ep. ad Serap.* PROFICVA ECCLESIÆ MORS ARII
b *Socr. l. 1. c. 25*

Sic autem extincto Ario, tradit Athanasius *a* quamplurimos ex iis qui ante decepti fuerant, conuersos esse, quod vidissent Dominum per se ipsum hæresim aduersus se conflatam condemnasse. Sed & teterrimos Eusebianos Socrates *b* scribit ingenti terrore consternatos esse, Imperatorem vero fidei Christianæ firmius adhæsisse, cum Synodi Nicænæ doctrinam auctoritate & nutu diuino confirmatam cerneret: Ex quibus etiam omnibus, Eusebii Cæsarienſis detegas impostura: dum (quod alias demonstratum est) ipse Arianus in gratiam Constantii æque Ariani, Constantinum finxit baptizatum paulo ante obitum (qui contigit anno sequenti) ab Eusebio Nicomediensi Arianorum omnium antesignano: cum ex recenti memoria prodigiosi & ignominiosissimi supplicii Arii, quisque vel leuiter tantum pietate tinctus debuisset execrari omnes Ario communicatione coniunctos. Quinimmo qui Arii & Arianorum detestatus est Imperator errorem, se ipsum quoque arguit leuitatis ob missum Athanasium in exilium; quem reuocandum Alexandriam destinauit, sed obitu præuentus non perfecit: sicut & iam superius diximus, & ipsemet testatur Athanasius *c*. Quapropter cum ex his, modicum temporis spatium intercessisse videri possit inter mortem Arii & obitum Constantini: inde sequenti potius anno, quam præsenti, Arium extinctum esse possimus opinari, quod quidem Socrates tradit accidisse post elapsum trigesimum Constantini annum, qui vsque ad octauum Calendas Augusti huius anni se extendit. Denique & ex iis omnibus quæ hactenus de Ario sunt dicta, errore lapsos esse constat, tam qui statim post Nicænam Synodum eius mortem accidisse putarunt, quam qui ante, vel postea sub Constantio, vel alio quouis tempore posuerunt. Ac de illo iam hactenus.

c *Athan. ep. 1. encæn. Arian.*

XI.
d *Euseb. 4. de vit. 49. & seqq.* EVSEBIA VXOR CONSTANTII.
e *Zos. l. 3.*
f *Am. l. 16.*

Hoc ipso anno, confecto trigesimo Imperii Constantini, (inquit Eusebius *d*) idem Imperator, cum iam multo ante Constantinum maximum natu filium in matrimonio collocasset: secundo quoque, nempe Constantio, magna celebritate vxorem despondit *Eusebiam*: quæ (vt scribit Zosimus *e*) summa præstabat eruditione, supraque muliebrem sexum prudens erat. Permansit tamen sterilis, & aliarum partui inuidiatrix (quod tradit Ammianus *f*) & inuidia sed, quod deterius est, Ariano infecta contagio. Addit vero Eusebius, eodem ferme tempore venisse Constantinopolim ab Indis Orientalib. Legatos cum muneribus pretiosissimarum gemmarum, & varii generis animalium, picturarumq;, ac statuarum: quæ Principes Indorum ad Imperatorem misisse ait, vt declararent se illum summum omnium Regem agnoscere & profiteri. Post quæ subdit. Constantinum tribus suis filiis vniuersum Imperii statum ita partitum esse, vt antiam sortem grandior natu Constantinus, Orientem Constantius; quod medium interiacebat, Constans omnium minimus haberet; singulisque regium apparatum & comitatum dedisse: atq; imprimis hortatum esse, vt verum Dei cultum omnibus opibus, atq; adeo ipsi regno anteponerent, ac summa cura afficerentur erga Dei Ecclesiam.

XI.
d *Euseb. 4. de vit. 49. & seqq.* EVSEBIA VXOR CONSTANTII.
e *Zos. l. 3.*
f *Am. l. 16.*

CONST. FILIIS IMPERIVM PARTITVR.

XII.
g *Hier. in Chron.* DELMATIVS CREATVS CÆSAR.
h *Vict. in Epit.*
i *Eutr. l. 10.*
k *Oros. li. 7. c. 28.*

Quod vero alibi dicitur *g*, iisdem Constantini Augusti Tricennalibus *Delmatium* (filium alterius Delmatii fratris Constantini) ab eo creatum esse Cæsarem; licet nihil tale apud Eusebium legatur, qui de tribus tantum Cæsaribus, iisdemque Constantini filiis, meminit cum in Vita Constantini, tum in oratione de eius laudibus: tamen quod Victor *h* quoque, Eutropius *i*, Orosius *k*, & alii ferme omnes de dignitate Cæsaris DELMATIO (siue *Dalmatio* dicto) collata testentur, & nummi id ipsum habeant: sic conciliandi hi sunt cum Eusebio, vt tres tantum Constantini filii ad successionem & administrationem Imperii creati fuerint Cæsares, Delmatius vero titulo tenus. Sicut & patrē eius *Delmatium*, & patruos *Constantium & Annibalianum*, in participationem Imperii quodammodo à Constantino vocatos fuisse, concessa eis purpurea & aureis ornata limbis veste, ac *Nobilissimatus* dignitate, Zosim. *a* scribit: quamuis & ipse confundens patrem Delmatium cum filio, existimasse videatur, cum qui traditur creatus Cæsar à Constantino, fuisse Delmatium fratrem Constantini; cum cæterorum omnium auctoritate constet, Delmatium Iuniorem, nempe filium fratris Constantini, creatum fuisse Cæsarem, quem quidem prosperrima fuisse indole, nec patruo absimilem, Eutropius & alii affirmant.

a *Zos. l. 2. Sed de hac dignitate, tu vide pinxa in nummis collecta à Iul. Cæs. Buleng. in suo Imp. Rom. l. 2. c. 10.*

XIII.
b *Hier. in Chron.* APOSTOLORVM TEMPLVM CONSTANTINOPOLI
c *Eus. 4. de Vit. 56. & seq.*

Hoc item anno vltimo *b* Constantini, idem Imperator aduersus Persas tumultuantes expeditionem parauit; sed pace ab eis per legatos petita & obtenta, ad ædificandam Constantinopoli *Apostolorum* ecclesiam, in qua sepeliretur, adiecit animum; quam magnificentissime construxit, & ære texit. Sed hæc pluribus Eusebius *c*: qui ait eā de causa sibi Constantinum ibi delegisse sepulturam, vt defunctus quoque precationum, quæ ibidem essent ad Apostolorum gloriam offerendæ, particeps efficeretur. Nempe idem Imperator à Sanctis Episcopis optime institutus in fide, probe sciebat defunctorum animas viuorum precibus adiuuari. Addit vero Socrates *d*, ædificatum fuisse illud templum à Constantino, ne Apostolorum Reliquiis Imperatores & Episcopi aliquando destituerentur. Eo namque translata esse ab eodem Constantino *Andreæ* Apostoli, *Lucæ* Euangelistæ, & *Timothei* discipuli Pauli corpora, iterum Sanctus Hieronymus testatur, licet alicubi *f* apud eundem id sub Constantio accidisse legatur; quod & alii nonnulli tradiderunt: cæterum Sancti quoque Paulini testificatione, apud Dongalum aduersus Claudium Taurinensem, asseritur id contigisse sub Constantino. Fuisse vero eandem ecclesiam posteriorum quoque Imperatorum sepulchrum, Chrysostomus *g* testari videtur, dum ait Constantinopoli Imperatores magnam gratiam putare, non si prope Apostolos, sed si vel extra eorum vestibula corpora sua sepeliuentur, fierentque piscatorum ostiarii Reges. Ex quibus partes intelligas, non intra basilicam, sed in eius atrio Imperatores sepeliri consueuisse: quod ex eodem auctore dicetur infra de sepultura Constantini.

d *Socr. li. 1. c. vlt.* RELIQVIÆ ILLVC TRANSLATÆ
e *Hier. de Scr. Eccl. in Luc. & adu. Vigil.*
f *Id in Chron.*
g *Chrys. orat. quod Christus sit Deus.*

Sed & illud sane memoria dignū idem Constantinus statuit, & primus auctor fuit, VT AD CORPORA DEFVNCTORVM HVMANDA, Corpus hominum constitueretur ex nongentis quinquaginta diuersorum collegiorum & artium officinis, qui ei muneri mancipati essent: quos & voluit Ecclesiæ subiectos esse, & ab omnibus publicis muneribus immunes, atque in vectigalibus liberos. Quo videlicet Corpus postmodum Anastas. Imp. confirmauit: centumque alias & quinquaginta officinas apposuit, vt essent omnes numero mille & centum: eāsdemque certis reditibus dotauit. Testatur hæc quidem omnia Iustinianus *h*, dum ea ipse quoq; confirmauit. Porro opus istud pium ac religiosum, posteris temporibus antiquatum, hoc nostro seculo Romę sanctioribus legibus & institutis instauratum est, & in diuersas Catholici Orbis Ecclesias propagatum sub nomine *Confraternitatis Mortis i*.

XIV.
VEXATORES SEPVLTVRARVM MORTVORVM.
h *Nouel. 43. 59*
i [In quibusdam Galiarum locis, à priori (vt videtur) appellatione nuncupatur *Confraternitas Charitatis.* Quid enim hoc officio præstantius, ei exhibere beneficium, qui tibi iam non possit reddere? Sed de his locupletius diximus in Tractatu nostro *de Sacris Cœmeteriis*, li. 1.]

Hoc anno, iisdemque Consulibus, decimo Calendas Nouembris, data *k* legitur Marci Papæ nomine epistola ad S. Athanasium Episcopum Alexandrinum ac cæteros Ægypti Episcopos; cuius argumentum ex alia ibidem posita epistola eorundem Episcoporum ad ipsum Marcum, facilius intelligitur: nempe Ægyptios dira Arianorum persecutione vexatos, inter alia dispendium passos esse Nicænorum canonum, qui vna cum omnibus aliis libris ab iisdem Arianis incensi fuerint, eorumq; exemplar à Romana Ecclesia postulant impertiri; quibus quidem litteris tam Ægyptiorum quam Marci, Nicænorum canonum numerus definitur, ab eadem Synodo statutos fuisse septuaginta, secundum numerum Discipulorum. At Mercatoris mendacis suspectæ reddantur; tum ob immensum eorundem canonum numerum, de quo dictum est in eodē Concilio: tum quod tempus haud concordet. Quonam enim pacto sub dictis Coss. potuit Athanasius Alexandria ad Marcum scripsisse, qui iam exul hoc anno agebat in Galliis? Et quænam sub Constantino tanta grassatio Arianorum in Ægypto;

XV
k *Tom. 1. Cōc. in Marco.* DE MARCI PAPÆ ET ATHAN. MVTVIS LITTERIS. [Quas quidem multi ceu legitimas & ge

cum

nuinas agno uerunt, & publice etiam hoc nomine & titulo celebratunt quos refert Alph Pisan. de Act. Cõc. Nic. li. 3. sed cum ii oẽs post septingentos abhinc annos vixerint, est vt adhuc nutet fundamẽtum harum epistolarum. & 70. canonum Nicen. Conc.]

XVI. MARCI PP. OBITVS.

a *Soz. l.2. c.19*

IVLII CREATIO.

XVII. EPISC. OSTIENS. CONSECRAT ROM. PONTIF.

b *Aug. in Breuic. collat. dist.3. c.16.* DE PALLIO EPISCOPALI.

c *Fortun. 2. epigr. 3. de S. Cruce.*

d *Exod.28.*

e *Isid Pelus. l. ep.136. ad Hermin.*

cum non Marci tempore, sed multo post quando Constantius Georgium in locum Athanasii subrogauit, passa sit Ecclesia Alexandrina violentam Arianorum vastationem?

Sed & quonam pacto Marcus potuit decimo Calendas Nouembris sepelisse ad Athanasium, cum hoc ipso anno Nonis Octobris reperiatur esse defunctus? Eum quidem nonnisi octo menses sedisse, Sanctus Hieronymus testatur in Chronico. Videat hæc qui illas epistolas citat Marianus Scotus, & pariter contendit nonnisi octo mensibus sedisse Marcum. Quem item cum Sozomen. *a* tradat ad exiguum tempus sedem tenuisse; sed & auctor Libri de Romanis Pontificibus, de Iulio Papa habeat, eum sedere cœpisse Coss. Feliciano & Maximo, nempe anno sequenti: iam satis constat, hoc potius anno, quam sequenti, vel (quod alii dicunt) post biennium, Marcum defunctum esse; ob eamque causam totum illud de duabus assertis ab eo habitis Ordinationibus mense Decembri euanescere. Qui igitur sedere cœpisse reperitur decima sexta die Ianuarii, & diem obiisse septima Octobris; (ea namque, anniuersaria eius memoria ex antiquiore vsu in Ecclesia agitur:) dicendus est in Pontificatu vixisse menses octo, & dies viginti duos. Sepultus est autem in cœmeterio Balbinæ via Ardeatina, quod ipse constituens fecit. Cessauitque Episcopatus eius dies viginti. Quaratione dicendum est, IVLIVM patria Romanum ex patre Rustico, die vigesima septima eiusdem mensis Octobris in locum eius subrogatum esse.

Quod autem de eodem Marco in dicto libro de Romanis Pontificibus legitur, constituisse vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos Vrbis, tunc Pallio vteretur, & ab eodem Vrbis Episcopus consecraretur: ita concinnandus est textus, vt significet Marcum concessisse, vt Episcopus Ostiensis tunc pallio vteretur, cum ab eo Vrbis Episcopus consecraretur. Nam vt Ostiensis Episcopus Romanum Pontificem consecraret, antiquioris fuisse videtur vsus; cum Dionysius Papa à Maximiano Ostiensi consecratus habeatur: testeturque Augustinus *b*, eum vetustissimum ritum fuisse. Primo autem hic mentio in Rebus gestis Romanorum Pontificum habetur de PALLIO; summi honoris & plenitudinis potestatis indice: quod cur ita fuerit appellatum, cum veteris pallii forma longe diuersa esset & amplior, (vt quæ superius de pallio dicta sunt docent;) coniectura ducimur, id accidisse quod inhæreret, dum Pontifex sacra ageret, indumento illi quod pallii præseferebat imaginem, nos autem nunc *Planetam* seu *Casulam* dicimus: cum alioqui *Pallii* nomine omne operimentum in rebus sacris significari soleret; quemadmodum Venantius *c* Fortunatus vela oblata Sanctę Cruci, pallia appellat, quæ & ipsa crucium imaginibus essent contexta. Porro sicut olim in sacerdotio Hebræorum *d* erat summi Sacerdotis superhumerale insigne, quod nefas esset aliquem alium sacerdotum vel Pontificum indui: ita in Christianæ religionis sacerdotio, Pallium illud Summi tantum Romani Pontificis cessit vsui: ab eo tamen sæpe Metropolitanis magna ex causa communicatum: de quo frequens futura est inferius mentio. Ait autem Isidorus *e* Pelusiota, nobilissimus & antiquissimus auctor, illud ex lana non ex lino contextum esse, & Pontificum humeris imponi consueuisse, quod ouis illius quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designet: Episcopum enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungi; atque ipso etiam habitu illud omnibus ostendere, se boni illius ac magni pastoris imitatorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit.

* * * * * * *

IESV CHRISTI AN. 337.

IVLII AN. 1.

CONSTANTINI, CONSTANTII, CONSTANTIS } IMP. AN. 1.

ANNO Christi trecentesimo trigesimo septimo, Feliciano & Titiano Coss. *Constantinus* Imp. ex hac vita migrauit; vt differte Socrates *a* testatur: addens & diem, nempe vndecimum Calendas Iunii: cum (vt ait) vixisset annos sexaginta quinque, regnasset triginta vnum. De anno Imperii consentit quoq; Hieronymus *b*: de ætate etiam Russinus *c* & Sozomenus *d*. Eutropius *e* autem, cum itidẽ triginta & vnius anni Imperii sit assertor: sexaginta tamen & sex annos ætati tribuit. Qui ergo Socrati consentientes, huius anni Coss. Constantinum dicunt esse defunctum: sic eos oportuit affirmasse triginta vnum regnasse, vt tamen vltimum non absoluerit, tantumque defuerit ad anni eius consummationem, quantum intercurrit temporis ab vndecimo Calendas Iunii, quo defunctus est, vsque ad octauum Calendas Augusti, quo Imperium suscepit. At Eusebius *f*, Epiphanius *g*, Victor *h*, Zonaras *i*, & siqui alii ex recentioribus, triginta duos annos, vtique inchoatos, eius Imperio tribuunt. Cæterum vt Socratis chronographiæ de die & Coss. consentiamus, illud imprimis maxime persuadet, quod leges post hac datę, nominibus filiorum reperiantur inscriptæ, potius quam ipsius Constantini patris: vt quæ extant in Cod. Theodos. datæ à Constantio *k* iisdem huius anni Coss. mense Decembris, & alia *l* decimo septimo Calendas Iunii subsequentis anni Coss. Vrso atque Polemio: quę quidem inscribendæ erant Constantini titulo, si fuisset superstes; & in sequentem annum vitam propagasset. Sed & quod aliæ *m* reperiantur ab ipso Constantino in hunc vsq; annum sancitæ: errotis arguuntur qui tradiderunt eum anno Imperii sui trigesimo obiisse. Quod vero Eusebius ait, eundem quot imperauit, tot annos viuendo duplicasse; sententia Socratis, & aliorum qui eum regnasse aiunt triginta vnum annos, dicendus est ex hac vita decessisse anno ætatis sexagesimo tertio exacto, dum asserit imperasse annos triginta duos præter paucos menses & dies. Sed de tempore obitus satis.

De ipso autem eius morbo, obituque, tradit Eusebius *n*, & alii post eum, cum idem Imperator ægrotare cœpisset, Helenopolim Bithyniæ ciuitatem accessisse ad calida balnea, inde vero ingrauescente morbo Nicomediam petiisse, & in eiusdem ciuitatis suburbano suscepto baptismo paulo post defunctum esse, extremo fere die celebritatis Pentecostes, ipsa meridie. Sed illud de baptismo tunc suscepto, deque eodem Imperatore (quod alii tradunt) in Ariana hæresi defuncto, iam satis superius refellimus. Tacuit autem Eusebius, quod de Constantini obitus causa peruulgatum fuit, eum à fratribus suis potatum esse veneno, de quo dicetur paulo post. Prænuntiam vero obitus apparuisse in cælo crinitam stellam, quæ inusitatæ magnitudinis diu refulsit, auctor est Eutropius *o*. Cæterum Ruffinus *p* de eiusdem agens testamento, ait eum, cum liberos suos de successione Romani Orbis heredes scripsisset; quoniam Constantius, cui Orientis regnum decreuerat, præsens non erat, secreto accersisse presbyterum illum quem ei Constantia soror commendauerat, eidemq; tradidisse testamentum, accepto ab eo sacramento ne vlli nisi Constantio in manus traderet: id vero cũ presbyter præstitisset, eius rei gratia Constantiũ adeo ei deuinctum esse, vt qui imperare cunctis ambiret, ab illo se imperari æquanimiter pateretur. Sed quod idem auctor addit, de tractata post hæc ab eodem presbytero cum Constantio Arii restitutione; iam omnia de Ario sub Constantino consummata fuisse, satis superque demonstratum est superius. De concredito vero testamento illi presbytero, assertores sunt etiam Socrates *q* & Sozom. *r*.

1. CONST. IMP. CAESVS.

a *Socr. lib. 1. c. vlt.*

b *Hieron. in Chron.*

c *Ruff. l. 1. c. 11*

d *Soz. l. 1. c. vlt.*

e *Eutro. l. 10.*

f *Eusf. 4. de Vit. 53.*

g *Epiph. de mensur.*

h *Vict. in Const.*

i *Zon. Annal. part. 3.*

k *l. 4. C. Th. de Annon. & Trib. l. 2. C. Th. de dispr. pign.*

l *Tit. de honor. codicil. C. Th.*

m *l. 1. C. de contrab. empt. & alia.*

II.

n *Eusseb. 4. de Vit. 61. &c.* VBI, ET QVO MODO MORTVVS.

o *Eutr. l. 10.*

p *Ruff. l. 1. c. 11* TESTAMENTVM CREDITVM PRESB. ARIANO.

q *Socr. l. 1. c. vlt.*

r *Soz. l. 2. c. vlt.*

Porro

III. FVNVS.

Porro Constantini corpus aurea capsula inclusum, & purpura contectum, delatum est ab exercitu ingenti pompa Constantinopolim; atque ibi in Palatio excelso loco collocatum, luminibus circumquaque super aurea candelabra accensis: eidemque purpurâ & diademate ornato, omnes consueti honores à Ducibus, Senatu, & populo, tanquam superstiti per multos dies tributi sunt; donec qui ex Cæsaribus eius filiis vicinior erat (nam omnes tunc aberant) Constantius Constantinopolim aduenit: à quo honorificentissime curatum est funus, ipsis Dei sacerdotibus & vniuerso populo diuinum per preces cultum adhibentibus, & pro eius anima Deum orantibus. Quæ omnia, aliaque de pio ipsius funere, ac ritibus ac cæremoniis in eo obseruatis, deque luctu publico totius Imperii Romani, pluribus Eusebius *a*. Quod vero Eutropius tradit, Constantinum inter diuos esse relatum; vel potuit ille intelexisse recensita officia, à Christianis ei post mortem exhibita; vel quid aliud à Gentilibus Senatoribus more patrio actiratum. Illud quidem notum est omnibus, à Græcis solemni celebritate coli vt Sanctũ. At quod ad locum sepulchri spectat; quantumlibet eum summo honore funeratũ atq; sepultum Eusebius prędicet; nequaquam tamen ausus est Constantius tumulare intra ipsam basilicam Apostolorum, sed foris in atrio, seu vestibulo; vt scribit, & in gloriam Apostolorum extollit S. Ioannes Chrysost. *b*. In eadem vero Apostolorum basilica, post hæc non tantum Imperatores, sed & Episcopos sepelliri consueuisse, Sozom. *c* testatur; *quippe cum* (inquit) *dignitas sacerdotalis Imperii dignitati par sit, immo vero in locis sacris primas partes obtineat.*

a *Eusеb. 4. de Vit. 66. vsque ad finem libri.*

SEPVLTVS IN ATRIO BASILICÆ.

b *Chrys. hom. 26. in Cor. 2. & hom 66. ad pop. Antioch.*

c *Soz. l. 2. c. vlt. in fin.*

Constantini autem effigiem, & egregiam corporis habitudinem, Nicephorus *d* describit: animæ vero faciem ex rebus gestis facile deprehendes; quam (præter ea quæ superius passim recensita sunt) Ethnici quoque scriptores quibusdam lineamentis expressere. Etenim Victor *e* ait, commodissimum rebus multis fuisse; calumnias sedare legibus sinceriſſimis, nutrire artes bonas, præcipue studia litterarum: legere ipsum, scribere, meditari, audire legationes & querimonias prouinciarum. Eutropius *f* autem, ciuilibus artibus, & liberalibus studiis deditum fuisse; assectatorem iustitiæ & amoris: eaq; omnino sibi & liberalitate & docilitate quæsiuisse. Dat tamen ei Victor crimini, quod fuerit laudis auidissimus: sed id de laude militari intelligendum, Eutropius docet, dum ait innumeras in eo animi corporisque virtutes claruisse: militaris gloriæ appetentissimum: fortunam in bello prosperam fuisse, verum ita vt non superaret industriam. At hac ex parte laude quoque dignissimus Constantinus extitit: quippe qui omnes aduersus tyrannos & barbaros vni Christo victorias acceptas ferens, id quoque omnibus pene edictis ingenuè profitus est.

VI.

d *Nicеph. l. 8. c. 55.*

e *Vict. in Constant.*

f *Eutrop. l. 10.*

VINDICATVR A CALVMNIIS GENTILIVM.

V.

Rursum verò ea reperitur apud Ammianum *g* Iuliani Apostatæ in Constantinum querela, quod magistratus amplissimos contulerit quoq; barbaris. Sed insulse nimis & leuiter hoc ipsum effutisse, quippe qui multo grauius eadem in re peccauerit, idem Ammianus licet ei addictissimus affirmat. Quid ad eo nouum atq; mirandum, si Constantin. pressus bellis ciuilibus, eiusmodi magistratib. barbaros sibi deuinxit: cum ex barbarorũ nationib. homines sciuerit etiam ad ipsum Romanum Imperium administrãdum iam antea plurimos peruenisse? Sed grauius carpitur ab eodem Iuliano, quòd delitiis deditus fuerit, conuiuiis tantum & comæ capitis exornandæ intentus; quam ob causam fingit Deorum sententia iudicatum ne inter Deos, sed cum Dea deliciarum ac veste muliebri amictus ageret. Verum hæc satis refelluntur, quod idem Imperator tum ab omnibus aliis dux fortissimus prædicetur, tum ab ipso etiam Iuliano: qui talem eum cogitur affirmare, dum inter alios ab eo domitos barbaros, Dacos ait Romano Imperio subiugasse, tanto iam ante labore à Traiano vix tandem superatos: quos superbe excusso è cervicib. iugo Romano tedditos formidabiliores, post tot Imperatores solus Constantinus Crucis virtute perdomuit.

g *Am. l. 21.*

VI.

Quod autem Iulianus ait, illum exornandæ comæ fuisse intentum: displicuit forte pexa Constantini coma Cynico, canem in hircum barba & capillo mutanti: ac iniquo ferenti animo se eâ de causa à Christianis carpi dicteriis atque scommatibus; cum alioqui omnia ferme eiusdem ipsius Iuliani numismata, eius vultum reddant capite sertis contextis ex margaritis ornato. Sed quod carpit Constantinum, ad illud visus est alludere, quod ait Victor, eum consuesse exornare caput perpetuo diademate: quod quidem gemmatum fuisse, muliebre præseferens ornamẽtum, docent antiqua eiusdem Constantini numismata. Cur autem ipse laureas demum in aurum gemmasq; mutauerit: existimatur pie sancteq; fecisse, quod exhorreret quæcunque scitet ex Gentilium superstitionis officina manare. Et cui adhuc Gentili Apollinem comitante Victoria ministrasse laureas, Gallicanus orator in Panegyrico quarto testatur; eidem facto Christiano indecens visum est, ex arbore Apollini dicata victricia insignia sumere, qui cunctas CHRISTO victorias ferret acceptas. Ideoq; maluit imitari sanctissimum Regem Dauid, ex quo Christus secundum carnem, qui de se ipso à Deo coronato ait *a*, posuisse Deum in capite suo coronam de lapide pretioso; quemque diuina Scriptura *b* testatur consuesse regium ornare caput corona illa ex gemmis & auro, quam abstulerat è vertice Melchon. Cæterum sic Constantini exemplum secuti sunt posteriores Impp. vt tamen interdum laureis in numismatibus appareant coronati: quod constat absque veræ pietatis offensa, ex inolita penes Imperatores consuetudine factitari potuisse: cum omnia, testante Apostolo *c*, munda sint mundis.

CORONAM CVR EX GEMMIS GESSERIT.

a Psal. 20.

b 1. Paral. 20.

c Tit. 1.

VII.

Sic autem mũdities fuit Constantino cordi, vt tamen, licet obduratis iam militia membris, ab effeminatis delicijs abhorreret. Vnde & solitus *d* erat frequenter dicere iis qui eum ab immensis susceptis laboribus auocare tentarent, Imperatores non debere recusare labores pro vtilitate Reipublicæ. Denique si quid à bellorum curis, & administratione tam vasti Imperii superesset, Eusebius *e* testatur illud in scribendo & alios docendo insumere consueuisse: adeo vt vsque ad extremum vitæ tempus, orationes conscribere & recitare minime prætermiserit. Sed perierunt istæc nobilissima Imperatoris monumenta; quæ si æstimanda sunt comparatione vtius orationis, quæ superest *f* *Ad Sanctorum Cœtum* inscripta: talis habendus est Constantinus, vt in eo dicendi genere non solum inter Christianos Imperatores, sed & complures alios oratores, nulli peritia & facultate scribendi concedat: quem & liberalibus studiis deditum fuisse, & legere, scribere, ac meditari solitum, testimonio quoque Ethnicorum vidimus. Cur autem voluerit Deus eum adeo prosperis rebus clarescere, Sanctus Augustinus *g* hanc rationem affert: *Bonus Deus* (inquit) *ne homines, qui eum crederent propter æternam vitam tolendam, has sublimitates & regna terrena existimarent posse neminem consequi, nisi dæmonibus supplicaret, quod hi spiritus in talibus multum valerent, Constantinum Imp. non supplicantem dæmonibus, sed ipsum verum Deum colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet. Cui etiam condere ciuitatem Romano Imperio sociam, velut ipsius Romæ filiam, sed sine aliquo dæmonum templo simulacroque concessit. Diu imperauit, vniuersum Orbem Romanum vnus Augustus tenuit, & defendit, in administrandis & gerendis bellis victoriosissimus fuit: in tyt annis opprimendis per omnia prosperatus est: grandæuus ægritudine & senectute defunctus est: filios imperantes reliquit.* Sed rursus ne Imperator quisquam ideo Christianus esset, vt felicitatem Constantini mereretur, *cum propter vitam æternam quisque debeat esse Christianus: Iouianum multo citius, quam Iulianum abstulit.* Hęc Augustinus, cum & paulo ante egregie disseruisset, non tam ex rerum temporalium affluentia, rebusq; belli & pacis tempore præclare gestis, Christianorum Principum felicitatem metiendam esse, quam ex morum præstantia.

d *Pomp. Læt. in Vit. Const. in fin.*

e *Eusеb. 4. de Vit. 29. 32. 55.* EVITDICENDIPERITVS

f *Ap. Euseb. de Vit. Const.*

VIII.

Iam vt ad nouos Imperatores eiusdem Constantini filios, stylum conuertamus: is simul atq; pater ipsorũ ex hac vita sublatus est, tam Senatus quam militum votis confirmati, (quod scribit Eusеb. *h*, & alii) quisq; relictam sibi ex patris testamento Imperii partem accepit; nempe CONSTANTINVS natu maximus cunctas trans Alpes regiones: CONSTANTIVS Thraciã, & vniuersam Asiam: atq; Orientem, cum Ægypto; CONSTANS natu minimus Romam ipsam cum Italiã, Africa, Sicilia & reliquis insulis, Illyrico,

g *Aug. 5. de ciuit. 25.*

CVR A DEO TANTA CONSECVTVS SIT BONA.

h *Eusеb. 4. de Vit. 68. 69.* TRES EIVS FILII IMPERANT.

Macedonia, & vniuersa Græcia; aliasq; circum prouincias, vsq; ad Thraciam. Sic enim inter ipsos Imperium esse diuisum, auctores tradunt.

IX. CONSTANTIVS SÆVIT IN PROPINQVOS.

Constantius autem cum liberas suæ ditionis habenas nactus esset, confestim sæuire cœpit in domesticos Constantini, atq; in ipsos præcipue consanguineos. Ac primum quidem (inquit Zosimus *a*) Constantium patruum à militibus interfici curauit, deinde Delmatio Cæsari similes insidias struxit; ac veluti contra cognationem vniuersam conspirans, etiam his Annibalianum adiecit, cum subornasset milites, vt acclamarent alterius neminis imperium se ferre posse quam filiorum Constantini. Hæc de necibus affinium Zosimus: de aliis vero clarissimis viris subdens, imprimis ait interfectum esse Optatum, qui PATRICII dignitatem adeptus à Constantino fuerat: quem (inquit) sanciens vt qui eum consequerentur, supra ipsos præfectos Prætorio considerent. Porro *Patricii* nomen eandem ferme cum ipsa Vrbe Roma originem habuisse, ex Liuio, Dionysio, Plutarcho, Suetonio, ac cæteris priscis auctorib. constat: sed vt ea dignitas tot aucta priuilegiis esset Constantinopoli, Constantinus merito dicendus est auctor: quæ quidem tanta erat, vt non tam ea Consulatu, quam Consulatus ea illustraretur *b*: neciam (vt olim) Patricii appellarentur, à Patribus, qui & Senatores erant; sed quod dicerentur *c* Patres Imperatoris: quorum insignia (quantum ex Cassiodoro *d* colligitur) erant chlamys, cingulum, calcei picti, & sella sublimis.

a *Zos. lib. 2.*

DE HONORE PATRICIATVS.

b *L. 1. & 3. C. de Consul. l. 12 & l. vlt. eod.*
c *Cassiod. 6. Var. 2. & l. 8. ep. 9. 10. 11.*

X. ABLAVII INFELICISS. EXITVS.

Inter alios quoq; clarissimos viros, ipso Constantii Imperii ingressu necatos, adnumerat Zosimus *Ablauium* Consularem, & Præfectura Prætorii aliisque insignibus decoratum: qui cum ex humillima origine ad tantam peruenisset sub Constantino celsitudinem, vt & Imperatore plus posset, & filiam suam Olympiadem Constanti fratri Constantii vxorem spopondisset, (quam postea Constantius *e* nuptui tradidit Arsaci Armeniæ Regi) & ipsum Constantium ei Constantinus pater commendasset; merito nominatus est *Pila fortuna*, quod eleuatus sublimis, deorsum rursus magno ac miserando casu demissus sit: cum videlicet post ademptam ei à Constantio administrationem, securus in Bithynia apud extructam sibi olim villam regiam conquiescens; acceptis ab eodem Constantio simulatoriis litteris, purpuram ei denuntiantibus, à sicariis eam deferre fingentibus confossus est, & in frusta dissectus: quam rem gestam Eunapius *f* describit.

e *Amm. l. 23.*

f *Eunap. in Vit. Philos.*

XI.

Sed quod spectat ad necem, quam ex Zosimo diximus, Delmatii Cæsaris; Eutropius gait, eum oppressum esse factione militari, Constantio sinente potius quam iubente. Eundemque vi militum sublatum, Victor *h* affirmat: quod alti *i* anno secundo, alii *k* tertio Constantii, alii *l* rursum sub huius anni Coss. factum tradunt. Causam autem inferendæ necis patruis suis, Constantio Cedrenus hanc tribuit, quod Constantinus ab iisdem suis fratribus veneno potatus, sua manu scriptis litteris mandasset Constantio vt à patruis sibi caueret, ac in eos vlciscereturr; easq; litteras Eusebium Nicomediæ Episcopum accepisse, & Constantio ex Oriente reuerso tradidisse, atque magnam inde apud eum consecutum esse auctoritatem. Eademq; ratione Artemius *m* Præfectus Augustalis, coram Iuliano Apostata Constantinum de imperata fratrum nece excusauit: nempe quod ipsi venenum ei miscuissent, nulla omnino ab eo affecti iniuria.

g *Eutr. li. 10.*
h *Vict. in Const in fi.*
i *Cedr. in comp.*
k *Hieron. in Chron*
l *Pagius. in Rom. Impp.*

CAVSA NECIS PROPINQVORVM.

m *Act. Artem. ap. Metaphr. & Sur. 20. Oct.*

Porro cum prædicto Delmatio Cæsare, filio Delmatii fratris Constantini, in periculum quoque necis (inquiunt Socrates *n* & Sozomenus *o*) inciderunt *Gallus & Iulianus* eius patrueles; nisi Gallum ægra valetudo, qua mox obiturus expectabatur; Iulianum ætas tenera liberasset, qui nondum annum octauum compleuisset. Hæc illi. Sed quod pertinet ad Iuliani ætatem; cum de eo scribant, vixisse annos triginta vnum; quem constat occisum anno Domini trecentesimo sexagesimo tertio, dicere opus est hoc anno fuisse tantum quinquennem; Gallum vero duodenem, quem liquet defunctum esse anno Christi trecentesimo quinquagesimo quarto, ætatis autem (vt habet Ammianus *p*) vndetrigesimo. Cæterum etsi eundem ambo

XII.

n *Socr. l. 3. c. 1.*
o *Soz. l. 5. c. 2.*

GALLVS ET IVLIANVS SALVATI.

p *Amm. l. 24. fin.*

patrem haberent, nempe Constantium fratrem Constantini, ex Maiore Constantio & Theodora Maximiani Augusti filia genitum, diuersis tamen matribus sunt nati, Gallus nimirum Galla sorore Rufini & Cerealis Consularium virorum, Iulianus vero Basilina nobilissima femina, eademq; Christiana ac pientissima: quem & natum esse Constantinopoli, Ammianus *a* est auctor.

a *Id. lib. 22.*

Post euitatum autem eiusmodi periculum, tradit Sozomenus eosdem iussu Constantii summa industria variis disciplinis & exercitationibus instructos esse; cumq; & sacris litteris imbuerentur, (siue sponte, nequa affectati Imperii posset de eis exoriri suspicio; siue arte Constantii, vt omnem illis regnandi spem amputaret:) in cleri ordinem cooptatos esse; adeo vt sacros etiam libros in Ecclesiasticis conuentibus populo legerent. Quod præter Sozomenum, Gregorius *b* quoque Nazianzenus, & alii ferme omnes asserunt. Tradunt insuper; cum aliquando sacram martyris Mamæ, siue Mamantis, ædem ambo construendam opere inter se dispertito suscepissent, Galli quidem opus rite profeciisse & perfectum esse, Iuliani vero modo corruisse, modo ex ipsis fundamentis auulsum esse, deniq; terram detrectasse vel ipsa fundamenta suscipere, & vi quadam ex aduerso vrgente quicquid apponeretur reiecisse. quod quidem vaticinium exitit futuræ Iuliani impietatis, dum cordium scrutator Deus, munus Galli, vt olim Abel sacrificium, rite oblatum ac diuisum libenter suscepit; Iuliani vero non secus ac Cain, licet bene oblatum, male tamen diuisum repulit.

XIII. EDVCATIO ILLORVM.

b *Gr. Naz. or. 1. in Iulian.*

IVLIANI DONVM RESPVIT VR A MARTYRE.

Cæterum Gallo *c* Ephesum instituendo misso, Iulianus Constantinopoli diutius commoratus, cum ob ingenii præstantiam dignus ab omnibus speraretur Imperio, à Constantio ea de re commoto missus est Nicomediam; (cuius ciuitatis Episcopum Eusebium materno genere, licet longius attigisse, Ammian. testatur:) adhibitis tamen custodibus, ne Libanii Sophistæ tunc ibi degentis, vel aliorum Gentilium scholas adiret, in quorum religionem iam decliuis esse videretur. Institutum enim se à puero sub Gentili philosopho Mardonio eunucho natione Scytha & ab eodem Ethnicissimi rudimenta suscepisse, ipsemet Iulianus in Misopogone non obscure significat. Cum autem Nicomediæ Maximus philosophus Ephesius, non solum Gentilis, sed & magus, ei notus factus esset, idem ab eo cum philosophiæ & magiæ studio odium quoque hausit Christianæ religionis, & per eiusdem vaticinia in spem Imperii maiorem erectus est. Sed his rebus Imperatori nuntiatis, timore perculsus eum abrasit, & vitam monasticam simulauit, secreto tamen Gentilem superstitionem colens. Postea vero in Asiam concedens, totum se, licet occulte præ metu Constantii, iisdem magiæ & Gentilitatis studiis dedit, familiaritate vsus Iamblichi, Ædesii, aliorumque eiusmodi philosophorum pariter ac magorum, quos recenset Eunapius *d* Sardianus, dum de Iuliani studiis & pernici ad dicendum ingenio agit.

c *Socr. l. 3. c. 1. Soz. l. 5. c. 2.*

SECRATO PAVET GENTILISMO.

MONACHVM SIMVLAT.

d *Eunap. in Vit. Philos.*

XV.

At hæc modo de Galli & Iuliani institutione satis: quæ quidem etsi multis post hæc, iisdemque diuersis annis gesta esse noscantur; quod tamen certum cuiusque rei tempus ignoretur, hic in vnum colligere voluimus *e*; ne forte aliis annis singula collocare studentes, longius abertaremus. Quæ vero post ista de vtroque subsecuta fuerint, dicemus inferius in assumptione Galli in Cæsarem. Sed quod pertinet ad consilium Constantii in eorundem educatione, Gregorius *f* Nazianzenus tradit, eam ipsum diligenter curasse, primum vt se de reliquorum propinquorum necibus purgaret, velut ex sui animi sententia minime admissis; deinde vt iis ad Imperii societatem adsciscendis, magnitudinis animi argumentum ederet: postremo, vt Principatum his incrementis firmius stabiliret.

e *Baronius tamen non omnia hoc anno perfuit, sed quædam an. 345.*

f *Gr. Naz. or. 1. in Iulian.*

XVI. CONST. IMP. ADHÆRET ARIANIS.

At qui summam industriam in iis optime educandis adhibuit, ipse Constantius aures aperiens Eusebio Episcopo Nicomediensi, & illi presbytero quem olim Constantia fratri Constantino commendauerat: cito miser à paterna fide desciuit, & in barathrum Arianæ hæresis decidit: qua & vniuersa ipsius aula infecta est, corruptis ab eodem præsbytero, tum Eusebio eunucho Imperatorii cubiculi Præ-

fecto,

fecto,& aliis collegis spadonibus,(quorum summam fuisse apud Constantium auctoritatem, tam nostri quam Ethnici scriptores queruntur:)tum ipsa Imperatoris vxore Eusebia, & cæteris aulæ mulierculis: indeque malum in reliquas ciuitatis familias, & mox in vniuersas Orientis vrbes serpsit. Narrant hæc pluribus Socrates *a*, & alii:eademque ab eunuchis maxime promota esse,est etiam querela Athanasii *b*:qui egregie ait, Arianam hæresim abnegantem Filiũ Dei,præsidium sibi ex Eunuchis comparasse,hominibus vt natura ita animo ad gignendum sterilibus, & qui proinde ægre paterentur vllam mentionem de sobole, nempe Filio Dei fieri. Ad quæ vero tam hi quam alii Ariani,aduersus Catholicos & fidem Nicænam patranda, Constantium impulerint, dicetur inferius suis quibusque temporibus.

a *Soc. l.2. c.2.*
b *Athan. ep. ad Solit.*

ARIANA HÆR. PRÆSIDIVM QVÆRIT ÆX EVNVCHIS.

XVII. SYNOD. ROMAN. SVB IVLIO.

Huius quoque anni Coss. Feliciano & Titiano, decimo octauo Calendas Octobris consignata reperitur ROMANA SYNODVS *c* sub Iulio Papa centum sexdecim Episcoporum:de qua nihil præter confessionem rectæ fidei, & detestationem Arianæ hæresis reperitur. Cæterum cum in ea Maximianus Consul cum Feliciano ponatur, inde (vt puto)idem error irrepsit in librum de Romanis *d* Pontificibus:cum Cassiodori & Græcorum Fastorum consensu, Feliciano nonnisi Titianus collega iungatur.Sed & quamuis eadem Synodus aliis insuper chronographiis signetur, nempe Constantii & Constantis Augustorum anno quarto,& Indictione sexta:ne tamen iis fidem adhibeamus, aut Synodum in alium annum referamus, illa potissimum ratio prohibet, quod facilius fuerit in notas numerorum errores illabi, quam in ipsa Consulum nomina.

c *Tom.1. Cõc.*
d *Lib. de Rom. Pont. in Iul.*

XVIII. DE IVLIO MATERNO.

Porro qui inter paucos illos iisdem Synodi Actis recensitos ex tanto numero Episcopos, nominatus reperitur *Iulius* Mediolanensis; suspicione interdum pulsor eundem hunc esse cum *Materno* eiusdem ciuitatis Antistite,antiquis scriptis & memoria anniuersaria ex Tabulis Ecclesiasticis celebertimo, qui cognominatus fuerit *Iulius Maternus*: eundemque illum esse, cuius extat nobilissimus commentarius *e De Mysteriis & erroribus profanarum religionum ad Constantinum & Constantem Augustos*: quo eis persuadere conatur, vt quod reliquum esset Gentilitiæ superstitionis penitus aboleterent. Nomina enim & tempora probe consentiunt: licet in titulo nomen tantum Episcopi desideretur, errore forsitan librariorum omissum. Ex quibus etiam intelligi datur *f*, diuersum hunc Iulium Maternum ab eo fuisse, qui librum *de Matheſi ad Lollianum Proconsulem* inscripsit. Longe enim abesse videtur, vt qui adeo diserte & pie de Christiana religione aduersus Gentilium superstitionem tractatum edidisset, idem postea de Matheſi omni ex parte impium scripserit. Cæterum hæc minime oportuit prætermisisse, cum ob alia, tum quod in eadem de Mysteriis scriptione auctor sæpe mentionem habet de victoriis aduersus Britannos & alios barbaros ab iisdem Impp. Constantino & Constante diuina virtute partis, quarum nulla pene memoria apud alios scriptores reperitur:quæ quidem contigisse videntur,cum patre agente in Oriente,ipsi Occidentale administrarent Imperium.Reperiuntur *g* enim hactenus numismata Constantini Iunioris adhuc Cæsaris; cum inscriptione ALAMANNIA DEVICTA.

e *in Bibl. Patr.*
f *Baron. an. 355. in pr.*

VICTORIÆ EX CVLTV VERÆ RELIGIONIS.

g *Habet Bar. Ann. To.III. hoc an. in fi. ex Lal. Pasqualim mus.*

IESV CHRISTI AN. 338.

IVLII AN. 2.

CONSTANTINI
CONSTANTII } IMP. AN. 2.
CONSTANTIS

I. ATHANASIVS RESTITVITVR.

ANNO Christi trecentesimo trigesimo octauo, Vrso atque Polemio Coss. cum Athanasius Treueris in Gallia exul egisset(vt testatur Theodoretus *h*) annos duos & menses quatuor, à Constantino maiore natu fratrum Imperatorum, qui in Galliis regnabat,in suam Ecclesiam summo cum honore remissus est, cum litteris ad Alexandrinos, quas recitant iidem Athanasius *a* & Theodoretus *b*, necnon Sozomenus *c*, & Socrates *d*: hicq; postremus Ruffinum etiam iure redarguit *e*, quod in historia eorum quæ passus est Athanasius, temporis ordinem inuerterit, quem & nos superius retulimus, quod eius damnationem in Conciliabulo Tyrio sub Constantio ponit, & antequã restitueretur Alexandriam, sexennio latuisse putet. Porro & illud falsum magis, quod apud Epiphanium *f* legitur, Athanasium exulem mansisse in partibus Italiæ annos plures, quam duodecim aut quatuordecim. Nam & qui eum restituit Constantinus, haud quadriennium exegit in Imperio;sed & statim post obitum patris id præstitisse: eædem eius litteræ non obscure significant.

a *Athan. Apol. 2.*
b *Theod. l. 2. c. 2.*
c *Soz. l. 3. c. 2.*
d *Socr. l. 2. c. 2.*
e *Ibid. c. 1.*
f *Epip. hær. 68*

II.

Cæterum cum Athanasium (quod ait Theodoretus) omnes tum ciues tum rustici,tum nobiles,tum plebeii,cupide perlibenterque excepissent;sed & (quod alii *g* addunt) populorum vndique accursus desiderio eius videndi fierent, & vbique per Ecclesias lætitiæ & gratulationes Deo redderentur; Constantius quoque Imperator tametsi inuito animo ferret eius restitutionem, quod ex persuasione Eusebianorum (vt Socrates & Sozomenus docent) iam cogitaret de subrogando alium Alexandriæ in ipsius locum;tulit tamen, tum quod ex Magni Constantini voluntate id se facere Constantinus Iunior profiteretur; tum ne si aduersaretur, fratrem natu maiorem infensum sibi redderet. Porro non tantum Athanasium, sed & reliquos Ægyptios Catholicos Episcopos, qui eius causa antea pulsi fuerãt,suas recepisse Ecclesias: testatur ipsimet in Synodali epistola *h* ex Concilio Alexandrino,quod paulo post celebrarunt. Quid vero rursum in eundem Athanasium Ariani,quibus eius reditus molestissimus extitit, moliti sint,dicetur anno sequenti.

g *Ep. Synod. Conc. Alex. ap. Athan. Apol. 2.*

h *Ap. Athan. Apol 2.*

III. CONSTANTIVS CVRATVR A SPIRIDIONE.

Interea hocipso anno,iisdemque Coss.cum idem Constantius Antiochiam Syriæ se contulisset ob expeditionem aduersus Persas parandam; (quod & data ab eo ibi rescripta *i* declarant:) idem vlcere, incurabili plane morbo affectus, & (vt putatur) diuinitus immisso, vt à qua deflectere occœperat, pietatem solicitius custoditet; ostensis illis in visione duobus ignotis Episcopis, qui soli possent eum sanitati restituere, accersens celebriores vndique Antistites, cum inter eos agnouisset, qui ipsi demonstrati fuerant,magnum illum *Spiridionem* Trimithuntis in Cypro Episcopum, de quo supra, & *Triphyllium* eius discipulum, tunc quidem nondum Episcopum, sed postea promotum ad sedem Ledrensem: supplex factus Spiridioni;statim vbi Sanctus manum suam capiti ipsius imposuit, pristinam sanitatem recuperauit: cui Sanctus salutaria imperiens monita,hortatus est vt patrem se & curatorem subditis suis exhiberet,& accurate pietatem custodiret, nec vel tantillum ab Ecclesiæ sensu atq; doctrina deflecteret. Rem gestã eius Acta *k* plurib. narrant: quorum licet auctor non prodatur qui scripsit, creduntur tamen soluta oratione ex illis esse deducta:quæ idem ipsius discipulus Tryphillius (vt testatur Suidas *l*) versibus Iambicis cecinit:

i *l 4. C. Th. de temp. iurisd. & l 23. C. eod. de Decurion.*

k *Ap. Metaph. & Sur. 12. Dec.*
l *Suid. verb. Tryphyl.*

IV.

Sed & cum eodem tempore Sapores potentissimus ille Persarum Rex, audita Constantini morte, cuius summa potentia sæpe coercitus, minime ausus fuerat inuadere Romanum Imperium: validissimo exercitu comparato, Nisibin munitissimam Mesopotamiæ ciuitatem (quam alii Antiochiam Mygdoniæ vocant, sitam in finibus Romanorum & Persarum) dura obsidione cinxisset, (quod quidem ipso exordio Imperii Constantini accidisse, Hieronymus *m* & Theodoretus *n* testantur:) eaque iamiam potitus esset, idem ad preces *Iacobi* eiusdem ciuitatis Episcopi, primo diuina visione repulsus, deinde immissus in eius copias examinibus cyniphum & culicum, quibus misere agitarentur equi & elephantes vna cum sessoribus,obsidionem soluere coactus,in Persidem rediit. Rem gestam pluribus narrat Theodoretus *o*. Hæc autem felicia Romanum Imperium meruisse per eundem Iacobum, declarauit etiam euentus; dum quoad vixit, licet sæpe munitio illa tentata *p*, nusquam tamen valuit ab hostibus capi: immo & eodem ex hac vita sublato, quamdiu corpus illius Nisibi mansit, plane facta est inexpugnabilis. Quam

m *Hier. in Chron.*
n *Theod. in Philoth. in Iacob. Nisib.*

IACOBI NISIB. PRECIB. REPVLSI PERSÆ.

o *Id. 2. hist. 30*

p *Hiero. in Chron. an. 1. Constantii.*

eius virtutem præsentiens iam olim Constantinus, omnino præceperat vt post mortem intra muros vrbis sepeliretur ob custodiam eius: sicut testatur Gennadius *a*, dum eiusdem Iacobi insignes commentarios Syra lingua scriptos enumerat.

a *Gennad. de vir. illustr. c. 1*

V. CONSTAN. INDVRATVS.

Porro tanta ista quæ diximus Constantio Imperatore, hoc anno præstita, satis esse poterant ad eum continendum in fide Catholica, per cuius cultores tot sibi à Deo beneficia impertiri cerneret. Sed plane accidit ei, quod Pharaoni, dum percussus à Deo, Moysen lubenter & Aaron, à quibus salutem consequeretur, audiuit: sed eos curatus contempsit, susceptæ semel inhærens impietati. Quid autem post hæc Constantius de rebus religionis egerit, dicetur inferius suis locis. Hoc vero anno, inter alias Reipublicæ vtiles leges, quas promulgauit, Famosos libellos *b* cremari iussit; & Delationibus *c* occultis nihil licere in fortunas hominum decreuit.

b *l. 5. C. Th. de lib. fam.*
c *l. 4. C. Th. de petit.*

IESV CHRISTI AN. 339.

IVLII AN. 5.

CONSTANTINI
CONSTANTII } IMP. AN. 5.
CONSTANTIS

ANNO Christi trecentesimo trigesimo nono, duobus Augg. Constantio secundum & Constante Coss. Eusebiani indigne ferentes Athanasium in Ecclesiam suam restitutum; vt eum iterum deturbarent, præter veteres calumnias, nouas superaddentes, (nempe quod occasione ipsius reditus plurimæ cædes patratæ fuissent, recusante populo ipsum recipere: itemque quod cum à Synodo damnatus esset, absque alia Synodo sedem propria auctoritate contra canones recipere præsumpsisset: ac denique quod frumentum solitum exhiberi ex Constantini Imperatoris liberalitate Ægypti ac Libyæ vidois, surripuisset:) legationem aduersus eum mittunt ad Iulium Romanum Pontificem, & ad Occidentis Imperatores Constantinum & Constantem. Testatur id ipse Athanasius *d*: qui rem ab iisdem legatis apud Imperatores gestam vno verbo absoluens, ait eos ab illis cum pudore reiectos esse, cum alii missi ab ipso Athanasio legati mendacia eorum refutassent. Quid autem apud Iulium Romæ actum sit, fuse declarauit idem ipse Iulius litteris *e* ad Arianos postea tredditis: ex quibus in summa habetur, Arianorum legatos in omnibus ab Athanasii presbyteris confutatos ac profligatos, Concilium Generale postulasse, in quo maturius cuncta examinarentur. Tradit eadem Athanasius iterum *f*. Sed de Synodo dicetur anno sequenti.

I. ARIANI ACCVSANT ATHANAS. APVD ROM. PONT. ET IMPP. OCCID.

d *Athan. ep. ad Solit.*
e *Ext. ap. Athan. Apol. 1.*
f *Athanas. Apol. 2. & ep. ad Solit.*

Hoc autem anno, iisdemque Coss. ab Imperatoribus lex sancita est aduersus adulteros; qua iusserunt, vt manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria prouocatio minime admitteretur: sed pari similique ratione sacrilegi nuptiarum tanquam manifesti parricidæ insuerentur culeo viui, vel exurerentur. Porro cum Imperatores nuptiarum corruptores, *sacrilegos* vocent, & tam diro supplicio puniri velint; plane declaratur, alia ratione habitum fuisse Christianorum Matrimonium à Gentilium nuptiis, nimirum vt Ecclesiæ peculiare sacramentum.

II. g *l. 4. C. Th. quar. appell.* LEX ADVERSVS ADVLTEROS.

* * *

IESV CHRISTI AN. 340.

IVLII AN. 4.

CONSTANTINI
CONSTANTII } IMP. AN. 4.
CONSTANTIS

ANNO Christi trecentesimo quadragesimo, Acyndino & Proculo Coss. indicta est à Iulio Romano Pontifice SYNODVS in causa Athanasii, quam (vt vidimus) legati Ariani popposcerant. Licet autem re vera ea potius fuerit iusta quædam apparens tergiuersatio, vt sic vitatent aduersus se pro Athanasio pronunciandam à Romano Pontifice sententiam, quam Synodi ex animo facta postulatio: nihilominus ne quid in eos tyrannicum iidem quererentur perpetratum, indulsit benigne Iulius petitioni ipsorum. Sed & vocandi eosdem ad Synodum ea quoq; causa præcessit, quod Marcellus Episcopus Ancyranus, & alii complures ab iis iniuria affecti, Romam venientes, eidem Iulio accusationum libellos aduersus eos dedissent: vtipse testatur in literis *a* postea ad eosdem scriptis.

I. ROM. SYNODVS IN CAVSA ATHANASII.

a *Ext. ap. Athan. Apol. 2.*

Cum hæc igitur præcessissent, Iulius (inquit Theodoretus *b*) Ecclesiæ canonem secutus (de quo dictum est superius, in canonibus Nicæno Concilio tributis) tum ipsos Eusebianos iussit Romam venire; tum Athanasium, quo pro se in iudicio ipse responderet, vocauit. Ad hoc vero missos esse à Iulio Legatos in Orientem *Elpidium & Philoxenum* presbyteros, testatur ipse Athanas. epistola ad Solitarios. Sed quasnam Eusebiani inanes causas obtexuerint ne Romam venirent, dicetur anno sequenti. Athanasius autē magna animi alacritate eo continno aduolauit, quod sciret res Ecclesiasticas ibi non tyrannice, sed secundum canones pertractari. Cæterum quod prædictæ Iulii literæ testentur, Synodum ad constitutum tempus Romam conuenisse, ipsumque Athanasium annum vnum & sex menses ibidem Romæ aduersarios expectasse qui eum accusarent: sicque constet, Synodi tempus magnam quoque partem anni sequentis occupasse: quid in ea decretum sit, dicetur suo loco. Adduxisse vero secum reperitur Athanasius inter alios, *Ammonium*, admirandæ sanctitatis monachum: quem adeo parum curiosum fuisse, Socrates *c* ait, vt nihil ex magnificis Vrbis operibus, præter templum Petro & Paulo dicatum, videre omnino desiderauerit. Fuit vero longe alius ab illo *Ammone*, æque insigni sanctitate & miraculis monacho; quem idem Socrates tradit, cum olim inuitus ad nuptias inductus esset, antequam cum sponsa congrederetur, persuasisse ei vt ambo in virginali integritate vitam ducerent; amboſq; in monte Nitriæ vitā anachoreticam magna austeritate egisse: ac tandem ipso ex hoc mundo abeunte, visam esse à Magno Antonio eius animam, comitantib. Angelis in cælum ferri.

II. b *Theod. li. 2. cap. 4.*

ATHAN. ROMAM VENIT AD DICENDAM CAVSAM.

c *Socr. l. 4. c. 18*

III. INVEXIT IN VRBEM MONACHISM.

Quam autem proficuus fuerit Athanasii Romam accessus, vel ex eo potest intelligi, quod in Vrbe diuulgans vitam admirandam Antonii Magni tunc adhuc viuentis, monasteriorum quoque in Thebaide Pachomii, & Virginum ac Viduarum inuexit primus omnium disciplinam: quam ad omnes Euangelicæ perfectionis numeros attemperatam, etiam nobilissimæ Romanæ feminæ consectari cœperunt, sicut de S. Marcella S. testatur *d* Hieron. Quamuis enim non defuerint etiam in Occidente Persecutionis retro temporibus, cum in Vrbe, tum aliis locis, monachi: illos dixerim, qui in similitudinem Pauli atque Antonii à persecutionib. fugientium, eadem ex causa in cryptis, antris, iugis montium, valliumq; conuexis recessibus delitescentes, instar Eliæ à facie Achab & Iesabel fugientis, Deum propensius colerent: Vt tamen essent tam virorum, quam mulierum cœtus, qui monasticam exercerent disciplinam, id primum accepit Roma ab Antonio Magno per Magnū Athanasiū; à Romana vero Ecclesia, velut è promptuario

d *Hier. ep. 16. ad Princip.*

ptuario disciplinæ, aliæ omnes Occidentalis Orbis Ecclesiæ. Alibi de Monachorum origine iam satis alibi *a*: de ipso vero nomine disputat August. *b*, aduersus impios Circumcelliones, illud vt nouum iugillantes.

a Spond. an. 328. b August. in Psal. 132.

IV. SYMBOLVM ATHANASII ROMÆ CONSECVTVM.

Romæ item cum esset Athanasius, insigne fidei suæ reliquit monumentum, SYMBOLVM, quod hactenus ATHANASII nomine in Ecclesia Catholica publice recitatur. Qui enim Romam citatus se contulit iudicandum; quo eius Ecclesiæ communionem mereretur, edidit publicam Catholicæ fidei professionem Latino, ex more, sermone: quæ cognita atque suscepta, in Romanæ fuit Ecclesiæ amplissimo Archiuo, vna cum Actis Synodi tunc ibidem habitæ collocata. Quod vero longo tempore ibi delituerit, minime citata reperitur ab antiquioribus nostratibus, vel Græcis. Aliquod tamen eius exemplar delatum esse ad Africanã Ecclesiam ab aliquo Episcopo Africano, qui (vt frequenter accidere consueuit) tunc Romæ repertus eidem interfuerit Romanæ Synodo, mihi facile persuadeo; quandoquidem Sancti Augustini scripta, verbis quibusdam atque sententiis eiusdem Symboli apparent interdum conspersa. Cum autem è Romanæ Ecclesiæ antiquis monumentis veluti eruderatum emersit in lucem, tum à Latinis omnibus, Græcisq; susceptum est, necnon ab Ecclesia Seruiana, Bulgarica, Russica, Moscouitica, & aliis: quamuis ab eis dempta inde pars illa fuerit, qua Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere expressum habetur, eo falso prætextu quod superaddita nuper fuerit à Latinis; cum tamen ex capitulo primo Concilii Toletani Quarti liquido appareat, etiam ante annos propemodum mille ea verba ita vt nunc se habent, in eodem Symbolo legi consueuisse. Quod vero ab aliquibus feratur Treueris hoc ipsum Symbolum ab Athanasio in puteo latitante, diuino quodam præuio miraculo esse conscriptum: corruit prorsus fabella hæc: siquidem Treueros non profugum, sed exulem Athanasium peruenisse: nec ibi latuisse, sed à Constantino Augusto Iuniore honestissime habitum, & à Maximino Episcopo amantissime susceptum fuisse, superius vidimus.

c Athan. Apol. 2. d Hier. in Chron.

V. PAVLVS CREATVR EPISCOP. CONSTANTINOPOL.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. Sanctus Alexander Episcopus Constantinopolitanus, magnus pietatis athleta, & Catholicæ fidei defensor acerrimus, plenus dierum ex hac vita migrauit: cum sedisset annos viginti tres, vixisset nonaginta octo: & in eius locum, ex ipsius præmonitione, suffectus est ab Orthodoxis *Paulus* eiusdem Ecclesiæ presbyter, insignis pietate & doctrina vir: cum Ariani pro eligendo Macedonio satagerent. Sed cum eodem tempore Constantius Imp. in eam vrbem aduenisset, coacto Arianorum Episcoporum Concilio, Paulum abdicauit, & eorundem antesignanum *Eusebium* Nicomedia Constantinopolim transtulit. Narrant hæc pluribus Socrates *f*, Sozomenus *g*, & alii. Quæ vero sunt gesta aduersus Paulum, procurata esse ab eodem Eusebio, sedem mutare, ac maiori semper inhiare assueto: declarauerunt Patres *Synodi Alexandrinæ*, circa hæc tempora ab Episcopis Ægypti celebratæ, in epistola Synodali aduersus omnes Eusebianorum in fidem Catholicam conatus, & in Athanasium criminationes, scripta ad Iulium Romanum Pontificem, (apud quem iidem Athanasius & Eusebiani causam dicturi essent) & omnes Catholicæ communionis Episcopos toto Orbe diffusos; quam integram Athanasius recitat ipso ferme secundæ suæ Apologiæ exordio. Cæterum hoc tempore Paulum relegatum fuisse in Pontum, alibi idem Athanasius *h* affirmat, quod autem constet, eum sæpius & in diuersa loca deportatum esse, de cæteris agetur inferius.

f Socr. li. 2. c. 3. & 4. g Soz. li 3. c. 3. & 4. ABDICATVR, ET EVSEBIVS NICOM. SVB ROGATVR.

h Athan. ep. ad Solit.

VI.

Sed iam manifestius redditur, Eusebianorum consilium illud extitisse, vt præcipuos Catholicæ fidei coriphæos sedibus eiicientes, & in ipsas suæ factionis homines intrudentes, liberum eis esset hæresim Arii publice prædicare. Namque exagitatis Athanasio & Paulo, ipsum etiam *Eustathium* eximii nominis Antiochenum Episcopum, & in Magno Concilio Nicæno spectatissimum, aggressi, conuenientes *Antiochiæ*, (licet aliis simulatis occasionibus) Eusebius intrusus nuper Episcopus Constantinopolitanus, necnon aliter Eusebius Cæsariensis, Theognis Nicænus, Patrophilus Scythopolitanus, aliique eiusdem impietatis Episcopi, eundem Eustathium per suppositam ab eis auri pretio meretriculam de adulterio accusatum, simulq; aliis confictis criminibus oneratum, sed & Sabellianismi insimulatũ, (etenim peculiare fuit Arianis, vt Catholicos qui Filii Dei Consubstantialitatem cum Patre assererent, Sabellianos esse inclamarent: quasi Patrem cum Filio simul confunderent, cum vnam vtriusq; substantiam prædicarent:) sede abdicarunt, & in exilium ab Imperatore pelli curarunt. Rem gestam narrant inter alios Theodoretus *a*, Socrates *b*, & Sozom. *c*: quos tamen errare in eo quod Eustathii eiectionem referunt ad tempora Constantini, eorundẽ ipsorum auctoritate manifestum redditur. Si enim (quod scribit Theodoretus) non antea Eustathius è sede pulsus fuit, quam Eusebius Nicomedia Constantinopolim electo Paulo translatus est: quomodo ad tempora Cõstantini reiicietur Eustathii depositio, cum ex Socrate & Sozomeno constet, non ante præsentem annum Paulum loco Alexandri sedere cœpisse? Deinde cum Sozomen. affirmet, ea de causa Eustathium fuisse depositum, quod fidem Nicænã approbaret; satis apparet hæc sub Constantino minime contingere potuisse: siquidem ille dum vixit (quod superius demonstratum est) nec mutire saltem Arii fautoribus aduersus Nicænum Concilium licuit. Denique cum expressa sit SS. Athanasii *d*, (qui spectabat hæc oculis) & Hieronymi testificatio, Eustathium sub Constantio pulsum esse in exilium: nequaquam audiendi videntur, qui ad anteriora tempora id referunt.

a Theod. 1. hist. 21. b Socr. l. 1. c. 18 c Soz. lib. 2. c. 17. 18.

CRIMINATIONES IN EVSTATHIVM ANTIOCHENVM.

At præter illas quas diximus in Eustathium criminationes intentatas, tradit ibidem Athanas. illam quoq; ad commouendũ Constantini animũ ab iisdem Eusebianis confictam fuisse, quod in eiusdem Imp. matrem, haud integræ famæ feminam, verba contumeliosa effudisset. Ipsum porro Traianopolim in Thracia relegatum esse, ibiq; defunctum, & conditum, Hieronymus est auctor: qui & nonnulla eius volumina recenset, aliaque insuper Theodoretus *f*; eaque eloquentissime scripta fuisse, testatur etiam Sozomenus: cuius & natalis dies, anniuersaria celebritate ab vniuersa Ecclesia *g* recolitur. Corpus autem post longa tempora, sub Zenone Imp. à Calendione eiusdem ciuitatis Episcopo Antiochiam translatum esse, ac summa ciuium gratulatione exceptum, Theodorus *h* Lector scribit. Sed de meretricula ipsius accusatrice scribit Theodoretus, eam cum paulo post in grauissimum ac diuturnum morbum incidisset, totam insidiarum Eusebianorum technam aperuisse.

d Athan. ep. ad Solit. e Hier. de Scr. Eccl. in Eusseb.

VII. EVSTATHII RELEGATIO, ET OBITVS.

f Theo. 1. hist. 8. & in Immu. dial. 1. 2. 3

g Martyrol. Rom. 16. Iul.

h Theod. Lect. Collect. l. 2.

Athanasius autem post recensitam de Eustathii exilio historiam, alios *i* quoque addit quamplurimos Episcopos; quorum nonnulli sub specie confictorum criminum, alii sine vlla prorsus causatione: re vera omnes fidei Nicænæ defensionis causa, eorundem Arianorum factione, diplomatibus Imperatoris exturbati sunt à suis ciuitatibus, suffectis in locum eorum quos impios iidem Ariani nouerant Hicq; illa sane tempora exoriuntur, de quibus S. Hieronymus in Chronico, anno tamen secundo Constantii, ait ex eo tempore Arianam impietatem, Constantii fultam præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primo Athanasium, deinde omnes non suæ partis Episcopos persecutam esse.

VIII.

i Athan. ep. ad Solit. & Apol. de fuga sua. ALII ORTHODOXI EPISCOPI EXVLES.

Quod vero rursum ad res Antiochenas pertinet; qui semel errore temporis lapsi, quos recensuimus, Theodoret. Socrat. Sozom. & alii eos secuti, voluerunt Eustathium sede pulsum fuisse Constantini temporibus: perperã quoq; addiderunt, digladiantib. tunc inter se Eustathianis Orthodoxis, & Arianis de eligendo Episcopo successore, partem Arii delegisse Eusebium Cæsariensem, eoq; renuente electum ab iisdem esse Euphron. æque Arianæ hæresis professorem. Sed has Antiochenas turbas contigisse ante Eustathii electionem, post Pauli siue Paulini obitum, viuente Constantino Magno, iam superius demonstratum est in eiusdem Eustathii ingressu. Cæterum cum de eius successoribus diuersæ scribantur sententiæ, & recenseantur in Chronico Hieronymi *Eulalius, Eusebius, Euphronius, Flacillus, Stephanus, Leontius,* & reliqui, iidemq; omnes Ariani, post Eustathium suffecti, quorum etiam nonnullos Theodoret. *l* habet: Socrates *k* vero dicat, octo continuos annos sedem

IX. SVCCESSIO EPISC. ANTIOCHENORVM ARIANORVM.

k Theod. 1. hist. 22. l Socr. l. 1. c. 23 in fin.

vacasse, & tandem ab Arianis intrusum fuisse Euphronium: quicquid de his sit, quem tuto sectemur vnus est Athanasius, qui in epistola ad solitariam vitam agentes, (quam, vt in fine habet, constat esse scriptam post Consulatum Arbetionis & Lolliani, nempe anno Domini trecentesimo quinquagesimo sexto:) diserte testatur, eo tempore quo illam scriberet, sedisse Antiochiæ Leontium eastratum, qui Stephano successerat: significans tamen, & alios pariter Arianos, ante istos duos, post Eustathium eam sedem occupasse. Quo tempore factum est, vt quamplurimi (sicut scribit Theodoretus *a*) tam ex clero quam ex populo, quibus propositum erat Deum sancte & pure colere, relictis publicis Ecclesiæ conuentibus, seperatim per se conuenticulis agere cœperint: quos *Eustathianos* propterea nuncupauere, quod post obitum Eustathii in vnum coiuissent.

a Theod. d. c. 22. EVSTATHIANI ORTHOD.

X.

Hoc quoque anno quarto Constantii, (vt habet Hieronymus in Chronico) multæ Orientis vrbes terræmotu horribili conciderunt: certum de offenso ab Arianis numine in expellendis Episcopis Catholicis prodigium: vt & Orosius *b* notauit, & manifeste inde apparuit, quod Antiochena ciuitas, in qua Arianorum sæpe conuentus celebrati sunt, & in sanctos Episcopos decretæ sententiæ, per annum integrum (vt ait Socrates *c*) terræmotu concussa est: quem quidem cœptum esse hoc anno quarto Constantii, & quinto perseueraſſe, ait Cedrenus *d*. Et S. Ephræm *e* aduersus eos agens, qui cunctos terræmotus naturalibus causis tribuunt, & non comminanti Deo: cum admirabiles eorum recenset effectus, refert inter alia de montibus Armeniæ, eos tunc per terræmotum abinuicem dissitos, in mutuum quasi conflictum impulsos esse, ita vt ignis videretur excitari, plurimumq; fumare, tursumq; singulos suo ordine ac loco consistere.

b Oros. lib. 7. c. 29. DIRI TERRÆMOTVS. *c Socr. lib. 2. c. 7. in fi.* *d Cedr. in comp.* *e Ephr. orat. de terræmot.*

Hoc item anno *Eusebium* Episcopum Cæsareæ Palæstinæ ex hac luce subtractum intertiisse, innuit Socrates *f*, dum ait, haud diu post eius obitum, Constantinum Iuniorem esse necatum huius anni Coss. Acyndino & Proclo. Sed plane idem auctor *g* dealbat Æthiopem, dum nititur eundem Eusebium ab Ariana hæreli immunem reddere: cui addictissimum fuisse, multa demonstrant, quæ singulis ferme annis de eo dicta sunt. Quod autem vt eum excuset Socrates, recitat fragmenta quædam ex ipsius scriptis contra Marcellum Ancyranum, quibus negauit Filium Dei esse creaturam, sicut vnam ex cæteris ex nihilo à Deo creatis, sed re vera à Patre genitum ante oës creaturas, Patri simile, propter quod Deus sit, & per quem omnia facta sint: hæc, inquã, recitans Socrates, aperte significat se Arianæ hæresis labyrinthum minime penetrasse: cum Athanasius *h*, & alii qui cominus aduersus Arianos decertarunt, plane declarent (quod est à nobis superius ostensum) non satis fuisse Nicænæ Synodo, dicere Filium nequaquam esse creaturam, & non ex nihilo, sed à Patre genitum, Verbum & Sapientiam eius; quod Ariani istud ipsum in suam sententiam detorquerent: sed omnino addere opus fuisse, Filium Patri esse in omnibus Consubstantialem: per quod significaretur non tantum ex substantia Patris esse, sed & illi coextitisse semper: vt ex hoc & illud Arianorum excluderetur, quo dicerent fuisse tempus quando non erat. Nam etsi ante tempora & creaturas omnes eum extitisse, ac per eum creata fuisse tempora & creaturas dicerent: tamen negabant Patri fuisse coæternum: putantes ista inter se pugnare, esse Filium à Patre genitum, & ei in principio coexistere; ideoque calumniantes, Catholicos duo Ingenita asserere.

XI. EVSEBII CÆSAR. OBITVS *f Socr. l. 2. c. 3.* *g Ibid. c. 17.* LATIBVLA ARIANORVM OBSCVRA.

h Athan. decr. Nic. Syn. cont. Arian.

Denique Eusebii inconstantiam, & post Magnam Synodum (cui in gratiam Imperatoris Constantini subscripsit) ad errores pristinos reditum, sugillat sæpius Athanasius: vt non immerito appellari meruerit à S. Hieronymo *i* & aliis, *Arianæ factionis signifer, propugnator apertissimus, & inter Arianos facile princeps*: cuius & memoriã adeo execrata est Nicæna *k* Synodus Secunda, vt plane eum iam defendere velle, nihil aliud existimandum sit, quam Ecclesiam Catholicam impugnare. Quod vero simplicitate quadam, & rerum inscitia, in suo à se scripto Sanctorum Catalogo Petrus *l* inter Sanctos eundem Eusebium retulit; & errore atque incuria in aliquod Martyrologium *a* die vigesima prima Iunii irrepsit: id inde putamus accidisse, quod qui *Eusebium Samosatensem* (cuius memoria ea die celebratur) minus perspectum habuerunt, & nomen *Samosatensis* ob Paulum hæresiarcham fortassis exhorruerunt: infelici mutatione, *Eusebio Samosatensi* posuerunt *Eusebium Cæsariensem*. Cæterum multiplices huius lucubrationes S. Hieronymus recenset in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. In eius vero locum substitutus est *Acacius*, ipsius discipulus, & impietatis sectator, cognomento *Luscus*: qui inter alia scripta, persoluit magistro digna præmia, cum de rebus gestis eiusdem Eusebii (vt testatur Socrates *b*) librum conscripsit. At de Acacio sæpe infernus.

XII. EVSEB. PERSEVERAVIT HÆRETICVS. *i Hiero. ep. 55. & adu. Ruff. & ad Ctesiph.* *k Conc. Nic. II. Act. 5. 6.*

l Petr. de Natal. l. 5 c. 134.

a Vsuard. & Mennlog.

b Socr. l. 2. c. 3.

Vt vero redeamus ad Constantinum Iuniorem, quem hoc anno occisum diximus: Zosimus *c* eius necis culpam in Constantem ipsius fratrẽ reiiciens, ait, controuersia mota inter eos de Africa & Italia, Constantẽ inimicitias toto triennio dissimulantẽ, expectato tempore quo per prouinciam sibi fidam Constantinus iter ageret; specie mittendi auxilii Constantio ad bellum Persicum, ablegasse milites qui Constantinum incautum occiderunt. At vero maior pars antiquorum historicorum, culpam in Constantinum inuadentem fraternam ditionem confert. Nam & Eutropius, Hieronym, Orosius, & alii post eos, bellum illatum à Constantino in Constantem affirmant, & sic à militibus Constantis esse interfectum: ac locus in quo occisus est, nempe (vt Victor *d* ait) apud Aquileiam ad Alsam fluuium, plane demonstrat eum suos excessisse limites, iugis Alpium circumscriptos. Cæterum eo sublato, summa totius Occidentalis Imperii in Constante remansit.

c Zos. lib. 2. CONST. IVNIOR OCCIDITVR.

d Vict. in Annibaliano.

Hoc eodem anno iisdemq; Coss. seuerissima lata habetur Mediolani lex *e* aduersus eos qui sepulchra demolirentur, aut inde marmora vel columnas ad alios vsus transferrent. Cuius sanciendæ illa causa fuisse videtur, quod cum iam maxima ex parte qui Romano subiacerent Imperio, Christianam religionem profiterentur, & proinde execrarentur omnia, in quibus idololatriæ vestigia quælibet apparerent: iidem quæ haberẽt in fundis maiorum sepulchra diis Manibus sacra demolirentur, & ex eis quæcunque ad ornatum spectarent, in alium vsum conuerterent, reliquos vero confractos lapides ad calcem conficiendam adhiberent; prout aliud sequens *f* rescriptum postea datum declarat. Quod vero nec ita eos coercere Imperatores valuerunt, alias rursum diuersis temporibus eodem argumento sanctiones edere non destiterunt.

XIII. *e l. 1. C. Th. de sep. viol.* MONVMENTA GENTILITIA CONTRITA. *De quibus etiam Bar. VI. an. 447. in fin.*

f l. 2. eo. Bar. an. 349. n. 27.

IESV CHRISTI AN. 341.

IVLII AN. 5.

CONSTANTII } IMP. AN. 5.
CONSTANTIS }

ANNO Christi trecentesimo quadragesimo primo, Marcellino & Probino Coss. (vt testantur Athanasius *g* & Socrates *h*) indictione decima quarta, ipsis Constantii Imp. Quinquennalibus, ipsoque præsente Antiochiæ, Encænia celebrata sunt in dedicatione nobilissimi templi à Constantino *i* Magno iam cœpti, & sub Constantio postmodum absoluti: quod præ sui mirificæ in omnib. excellentia, meruit à maioribus *Dominicum Aureum* nuncupari. Huius autem celebritatis occasionem arripuerunt libentissime Ariani, immo sane callidissime excogitarunt, vt sic effugerent Romanam Synodum, ad quam à Iulio Papa (vt vidimus anno superiori) vocati fuerant ad prosequendas accusationes ab eis in Athanasium illatas. Hoc enim ipsos eo consilio apud Constantium egisse, ipse Athanasius *k* testatur: additque, eos, vbi semel audissent Ecclesiasticum consessum fore, vbi nec Comes affuturus esset, neque satellites pro foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscriptis omnia fierent: (quibus videlicet rationibus, & non aliis, Episcopos vicerant: immo qui sine hoc præsidio, ne quidem

I. *g Ath. de Syn. h Socr. l. 2. c. 5.* *i Euseb. 5. de Vit. 49.* ENCÆNIA TEMPLI ANTIOCH. *k Athan. ep. ad Solit.* ARIANI SVB TERVGIVNT IVDICIVM ROM. PONT.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quidem loqui auderent:) male sibi conscios ita metu contractos esse, vt Legatos Iulii ad ipsos ad indicendam Synodum missos vltra diem condictam detinuerint, causationem interim inanissimam obtexentes, se ob bella Persarum Romam accedere non posse. Pariterque Theodoretus *a* ait, eos Rōmam ideo non esse profectos, quod intelligerent sua mendacia manifesto fore deprehensa.

a *Theo. li. 2. c. 4*

II. SYNODVS ANTIOCH. IN ENCÆNIIS.

His igitur ab illis fraudulento artificio concinnatis, Constantii mox literis CONVOCANTVR ANTIOCHIAM EPISCOPI ad Encænia, oēs nonaginta numero, vt Athanasius *b* & Socrates *c* tradunt, siue (vt Hilarius *d*) nonaginta septem, aut (vt etiam Sozomenus *e*) nonaginta nouem, quorum triginta sex tantum fuerunt Arianæ factionis. Nihil autem est quod quis admiretur, si Catholicos audiat cum illis communicasse in sacris Encæniorum solemnitatibus, vnaque in eodem Concilio consedisse. Tantum enim abest vt Eusebiani palam se Arianos esse profiterentur, vt etiam in hoc ipso conuentu iidem Arianum nomen publicis scriptis auersati sint, & in iis quæ alias aduersus Episcopos Orthodoxos egerunt, semper se fidei & morum vindices præsetulerint. Nec insuper cum quis audit, tam nefanda in eo conuentu fuisse statuta, existimare debet ea tot Catholicorum Episcoporum suffragiis firmata esse: siquidem illa ab iisdē solis triginta sex Arianæ factionis fuisse peracta, diserte testatur Iulius Papa in literis *f* ad eosdem postea scriptis. Vt ita dicendum sit, (quod accidisse quoque vidimus in Tyrio Conuentu) Eusebianos vel seorsum ab aliis tam indecora statuisse, vel fauore Imperatoris, nulla habita ratione refragantium maioris numeri Episcoporum, quod pauci illi statuissent ratum ac firmum habitum esse. Fuerunt autem qui Arianorum dolos præsentientes, licet vocati, interesse noluerunt. Nam inter alios, (inquit Socrates) qui haud longe distabat Maximus Episcopus Hierosolymitanus, neutiquam accessit, ratus si accessisset, se compulsum in Athanasii abdicationi subscribere. Et Iulius Romanus Episcopus neque ipse aderat, nec quemquam qui eius locum supplere eo misit, cum tamē canō Ecclesiasticus iuberet, nō oportere absq; sententia Episcopi Romani decreta Ecclesias sancire. Quæ cū Socrates dicat, ipse quoq; Papa Iulius per literas *g* declarauit, nefas fuisse pēdēte Romanæ indictione Synodi, aliud interim ab Eusebianis alio loco cōuocari Cōcilium

f *Ap. Athan. Apol. 2.*

g *Ap. Athan. ibid.*

III. ATHANASIVS ABDICATVR AB ARIANIS.

Quæ porro in ea Synodo acta sint Socrates narrans, ait factionem Eusebianam ad Athanasium falso accusandum studium suum potissimum cōtulisse, ac primum quod absque decreto Concilii ad iedem suam redisset, deinde quod eius reditus (vt mentiebantur) occasionem seditionum, & multis mortem attulisset, ac denique ob ea quæ Tyri contra eum allata fuissent, eiusdem damnatione conclamata, in eius locum electum esse Episcopum Alexandrinum *Eusebium* postea *Emesenum* dictum, sed isto recusante, quod sciret Alexandrinos numquam alium Episcopum viuente Athanasio suscepturos, *Gregorio* illum Episcopatum delatum esse, Eusebium vero Ecclesiæ Emesenæ Antistitem creatum. Hæc Socrates, eademque Sozomenus: *h* qui eiusdem Eusebii primordia, aliasq; res gestas prosequentes, tradūt ipsum Edessa in Mesopotamia oriundum, ibidemque sacris & humaniorib. litteris institutum, postea in sanctarum Scripturarum interpretatione vsum esse magistris Eusebio Pamphili, & Patrophilo Scythopolitano, deinde Alexandriæ philosophicas disciplinas edoctum, Antiochiam perrexisse, ibiq; recusato Episcopatu Alexandrino Emesenum suscepisse, sed & Emesæ tumultu aduersus eum obortō, quod astronomiam iudiciariam exerceret, inde aufugere coactū, ac postmodum opera Gregorii Episcopi Laodiceni restitutum, demum Sabellianismi accusatum fuisse. Hæc iidem auctores, accepta (vt testātur) ex ipsius Vita, ab eodem Georgio Laodiceno conscripta.

h *Soz. li. 3. c. 5.* EVSEBII EMISENI PRIMORDIA.

IV.

Sed vnde id de Sabellianismo, cum certum sit istum Eusebium Arianam hæresim, Sabellianæ ex diametro repugnantem, magno studio consectatum esse? Nam & hoc eius vitæ consuetudo in primis indicat, qua (vt vidimus) Arianorum discipulus ac perneccssarius semper extitit: & eundem ipsum Theodoretus *i* æque in Arianorum classem reiecit, ac Hieronymus *k* eius scripta relegens, minime dubitauit *Arianæ significrum factionis* appellare. Quæ quidem oportuit declarasse, quod alicubi maxima auctoris inscitia qui eius nomine quasdam edidit homilias, inueniamus nōminatum esse *beatum*, & ab aliis *a* recensitum perperam inter Sanctos. Nimirum decepti fuerunt à Sozomeno, qui eum non solum piam vitam duxisse, sed & miracula edidisse, testatur auctoritate prædicti Georgii Laodiceni. Verum cum & ipse Georgius Arianus fuerit, haud mirum si de collega impietatis tot tantaque mendacia in eius Vita consarciuerit. Cum autem permultos eumdem Eusebium confecisse libros constet, quæ ipsius nomine feruntur homiliæ, Eucherii potius Lugdunensis esse, aliorumque Galliarum Antistitum, demonstrabitur suo loco.

a *Pet. de Nat. Cat. Sanct. l. 7 c. 63. Mart. 12. Aug.*

Cæterum recusante Eusebio Alexandrinam Ecclesiam, delectus est (vt diximus) ab Eusebianis *Gregorius*, neque ex superiori vita (vt inquit Athanasius *b*) commendatus, neque vllo modo Christianus, sed pro temporis conditione nomen Christi simulans, idemque olim *c* pro impietate sua excommunicatus, & anathema edicto Ecclesiæ proclamatus. Sed quod frequenter acciderit apud antiquos auctores, ob quamdam nominis similitudinē, & alia plura simul conuenientia, vt qui alter post alterum intrusi sunt Alexandrini Episcopi *Gregorius & Georgius*, eorumdem nomina & res gestæ confusæ reperiantur, magna opus est diligentia, vt ab inuicem distinguantur. Conueniant igitur imprimis nominis similitudine: concordant vero omnino patria, cum vtrumque fuisse Cappadocem veteres scriptores tradant, testante id de Gregorio (mendose Georgio scripto) Athanasio, *d* de Georgio, Gregorio *e* Nazianzeno itemque ministerio, dum vterque ab Arianis creatus est in schismate aduersus Athanasium Episcopus Alexandrinus. Sunteq; insuper rerum gestarum similitudine pares, quod suo ipsorū vterque ingressu grassatus fuerit in Catholicos Alexandrinos, & in eos armauerit Infideles, vterque dominate fuerit Arianus, ac denique vterque occisus sit à populo Alexandrino. Distinguuntur autem ab inuicem, imprimis quod prior hic iustiturus Antiochiæ Episcopus Alexandrinus, Gregorius & non Georgius reuera nuncupatus habeatur ab ipso Athanasio, *f* Gregorio *g* Nazianzeno, Ruffino, *h* Socrate, *i* atque Sozomeno: *k* deinde quod iste Gregorius sedere cœperit hoc anno, Georgius vero cum iterū post Sardicense Cōcilium Athanasius restitutus est, atq; iterum deiectus item *ϕ* Gregorius ad inuadendam Ecclesiam Alexandrinam vsus sit ministerio Philagrii & Arsacii Magistratuum, Georgius vero Heraclii Comitis, Syriani, & Faustini: insuper quod Gregorius depositus fuerit in Concilio Sardicensi, ac post decem menses occisus, superstite adhuc Cōstante Imperatore: Georgius vero peruenerit ad tēpora Iuliani Apostatæ: ac denique quod Gregorius ex clero electus est ad Episcopatum, Georgius in Curia Imperatoris: sicut hæc omnia diuersis locis reperiuntur expressa apud Athanasium in epistola ad Solitarios. Quinimmo ex testificatione Ammiani, *l* necesse esset eosdem ab inuicem discriminari patria, siquidem ipse tradit Georgium fuisse Cilicē, Epiphania cuitate oriundum, patre fullone.

b *Ath. de Syn.* c *Soc. li. 2. c. 5.* d *Hil. de Syn.* e *Soz. li. 3. c. 5.*

GREGORIVS INTRVDITVR ALEXANDRIAM. b *Ath. de Syn.* c *Id. ep. ad Orthod.* GREGORII A GEORGIO DISTINCTIO.

f *Ath. ep. ad Sol.* g *Greg. Naz. vbi sup.* h *Ruff. l. 1. c. 19* k *Soc li. 2. c. 6.* i *Soz. l. 3. c. 5.* l *Am. l. 22.*

Post Gregorii electionem, tradit Socrates *m* (idque vt apparet, ex Athanasio *n*) Eusebianos laborasse vt fidem commutarēt: ac tametsi nihil eorum quæ in Concilio Nicæno acta essent, reprehendere ausi fuerint, reuera tamen fidem Consubstantialis per crebras coitiones labefactare, & alias fidei formulas scribere aggressos esse, vti paulatim homines ad Arii opinionē impellerent. Quapropter primo quidē fidei Confessionem scripserunt, in qua cum nihil de essentia vel substantia Filii ageretur, ne tamen ea de re male audirēt, expresse cōtestati sunt, nequaquā se Arium, sed *ϕ* ab initio in Ecclesia creditū esset sequi, scripta ea de re vna cum fidei formula ad oēs Episcopos epistola. At vbi paulo amplius (subdit Socrates) Antiochiæ cōmorati essēt, eandē suā fidei formulā quodāmodo condēnantes, aliā de integro cōscripserūt. Quod n. in illa priori ieiune nimis visi essent de Filii Dei diuinitate egisse, ac proinde facile in suspicionē venire potuisse Arianæ impietatis, nouā aliam ediderūt, qua potissimum professi sunt, se Apostolicæ assectatores esse traditionis, nec à *Substantiæ* nomine abhorrere, dum Filium, licet non eiusdem cum Patre substantiæ, tamen substantiæ Patris absque omni dissimilitudine imaginem agnoue-

VI. m *Soc. li. 2. c. 7* n *Ath. de Syn.* VARIETATES FORMVLÆ ARIANORVM.

runt, adiectis insuper insignibus Christi præconiis, & diuinitatis eius expressis notis. Recitat ambas has Fides Socrates ex Athanasio.

VII. a *Hil. de Syn.*

Quod autem S. Hilarius *a* posteriorem non tam Eusebianis, quam vniuersæ Synodo nonagintra septem Episcoporum tribuit, præstat audire Athanasium, qui eam ab Eusebianis editam tradit, cum iam prioris eos pœnituisset: & firmat Socrates, *b* additque Sozomenus, *c* eamdem ab iis *Lucifani* martyris titulo promulgatam fuisse. Qua quidem licet (vt diximus) Filium imaginem esse substantiæ, siue essentiæ Patris professi sint, nihilominus eo sensu quo ea ipsi accipiebant, hæresim confouisse satis demonstrat Athanasius, *c* qui eos intus & in cute probe nouerat. Nec tamen istud ipsum de imagine substantiæ Patris diu retinuisse, idē Sanctus *d* affirmat, sed postea Isauriæ ab eadem formula substitisse, quinimmo nec tunc quidem Antiochiæ ei soli stetisse, sed Theophronium Tyanensem Episcopum aliam rursum à se compositam fidei confessionem in præsentia omnium promulgasse, eidemque omnes hominis religione approbata, subscripsisse.

b *Soc. li. 2. c. 7* CALLIDA FRAVS ARIANORVM. c *Ath. dec. Syn Nic. cont. har. Arian.*

d *Id. de Syn.*

VIII.

Denique quod sit hæreticis peculiariter insitum, vt semper instabiles sua ipsorum arguantur inconstantia, cum tres illas inter se diuersas formulas Antiochiæ per tempora Encæniorum ediditsent, ne tum quidem arbitrati (vt subdit Athanasius) satis perfecte fidem suam conscriptam esse, vt pote homines turbido fluentique animo, aliud scripturæ genus de fide post aliquot menses confecerunt, amandaruntque in Gallias legatos, qui eam Constanti Augusto, cæterisque qui ibi aderant traderent. Sic refert Athanasius. Fuerunt autem Legati eiusmodi, qui primi inter Eusebianos viderentur Episcopi impietate ac persuadendi facultatibus præstantes, videlicet Narcissus Neroniadis in Cilicia, Maris Chalcedonensis, Theodorus Heracleæ (quæ & Perinthus dicta est) atque Marcus Arethusius: nempe eo missi consilio, vt quemadmodum Constantium Orientis Imperatorem decepissent, sic etiam eum qui Occidentem regeret iisdem artibus captiuarent, fieretque vt cum eis vniuersus Christianus Orbis duceretur ab Ariana impietate captiuus. Nam & hanc ipsam nouissimam formulam, sicut & tres præcedentes, ambiguam fuisse & dolosam, idem Athanasius *f* demonstrat, dum eam post alias recitat. Diuersum autem ab iis omnibus est illud *Symbolum Antiochenum*, quod recitat Cassianus *g* contra Nestorium, in quo eadem Filii cum Patre Consubstantialitas asseritur, non ab his, sed à Catholicis editum.

EVSEBIANORVM LEGATIO IN OCCIDENTEM.

f *Atha. de Syn*

g *Cas. de Incar. lib. 6.*

IX.

Cur autem quarta illa fidei Regula ibidem Antiochiæ non statim, sed conscripta post aliquot menses à prioribus fuerit, nulla quidem quam opinari possimus, causa nobis occurrit, nisi ditus ingruens terræmotus, quo eamdem ciuitatem anno superiori quo eiusmodi Synodus indicta est, & præsenti quo est celebrata, vehementer afflictatam fuisse vidimus, adeo vt defuerit facultas, inita semel comitia frequentius celebrandi. Hisce namque plane auspiciis decuit recentes Eusebianorum fidei regulas sanciri ac promulgari, quarum causa vniuersus Catholicus contremuit ac concussus est Orbis. Sed & quod ad easdem pertinet, illud etiam obseruatione dignum, quod postrema cum scripta est, priores haud iussæ sunt aboleri, sed permissæ omnes integræ permanere, ea nimirum calliditate, vt pro temporis atque loci ratione, eam quæ sibi opportunior videretur ederent: quod fecisse legatos ipsorum ad Constantem missos, Socrates *b* & Sozomenus *i* affirmant.

QVATVOR SIMVL FIDEI REGVLÆ APVD EVSEBIAN.

h *Soc. li. 2. c. 14*

i *Soz. li. 3. c. 9.*

X. CANONES SYNODI ANTIOCH.

Reperiuntur eiusdem Concilii Antiocheni canones viginti quinque, sed quod ab Arianis instituti essent, ab Orthodoxis haud facile postmodum admissi sunt: sic enim aduersus eos excepisse S. Ioannem Chrysostomum, Socrates, *k* Sozomenus, *l* & alii tradunt. Cæterum iidem Eusebiani, & nihil apud eos antiquius esset, quam vt in cuius suspicionē venerant, vitarent nomen hæreticum, idcirco sicut in prima ibidem facta fidei confessione, imprimis contestati sunt se Arium minime sectatos esse: ita in canonum editione vsi sunt hac arte, vt ipso ingressu illum posuerint, quo Nicæni Concilii constitutionis de Paschatis tempore se vindices exhiberent, ac proinde maculam quod eidem Magnæ Synodo aduersarentur, hoc dolo prorsus eluerent. Insuperque ad horum confirmandam fidem, illud addidisse fertur, vt inter Episcopos qui scripserunt epistolam Synodalem, quam iisdem canonibus præfixere, insignis ille Iacobus Nisibita, fidei Nicænæ professor egregius, haberetur inscriptus: nomina vero Arianorum, Eusebii Constantinopolitani, Acacii Cæsarensis, Maris Chalcedonensis, Patrophili Scythopolitani, Theognidis Nicæni, & aliorum eiusdem sectæ famosissimorum, quos ei Concilio interfuisse cōstat, omnino deessent. Vnde & accidit, vt antiquissimi Canonū collectores, hos quoque Antiocheni Concilii, tamquam editos ab Orthodoxis vna collegerint. Nam quod in Synodo Chalcedonensi *a* constat duos canones ex his Antiochenis ad verbum esse citatos, licet absque titulo Antiocheni Concilii, cum in eo codice, qui in Synodo lectus est Actione vndecima, prior nonagesimoquinto, posterior nonagesimo sexto esset numero consignatus, & tamen iidem in Concilio Antiocheno decimus sextus, & decimus septimus ordine describantur, ex his plane apparet, non ex ipso Antiocheni Concilii codice editos esse, sed ex quadam ante iam facta, nobis incomperta, *b* canonum collectione, communi maiorum auctoritate probata. Etenim quæ secundū Ecclesiasticam antiquitus traditam disciplinam, ab Eusebianis viderentur Antiochiæ esse disposita, plane abiicienda non fuerunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus vindicanda, quæ ipsi plerunq; in malum vsum, nempe ad persecutionē Catholicorum conuertissent. De Litteris autem ex hac eadem Synodo scriptis ad Iulium Romanum Pontificem, agetur anno sequenti.

a *Con. Chal. Act. 4. & 11.* CANONES ANTIOCH. QVOMODO RECEPTI.

b *De illa ibi vsurpata apud Ruf. in hist. ad Reg. Mag. Eccles. c. 33. Vide non historia huius Concilii Antiocheni egregie illustratum*

XI. DE AVDAEO HÆRESIARCHA.

Interea vero agendum de AVDIANIS, (sic dictis ab AVDÆO hæresiarcha) quorum causa primus ille huius Concilii canon statutus esse videtur, aduersus eos qui contra decretum Nicænæ Synodi celebrarent Pascha more Iudæorum Luna decimaquarta. Mentio est eiusdem Audæi apud Hieronymum in Chronico, anno quarto Constantii: sed & vixisse temporibus Arii, Epiphanius *c* est auctor, aitq; fuisse è Mesopotamia oriundum, clarum in patria sua propter sinceritatem vitæ, ac zelum erga Deum & fidem: cum vero & Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticarum personarum prauos mores publice ac liberrime argueret, idcirco male ab iisdem habitum, tandem post multas toleratas iniurias & ignominias, seipsum ab Ecclesia separasse, multosque secum in schisma traxisse, à suis vero creatum Episcopum, relegatum fuisse in senectute in partes Scythiæ ab Imp. Constantio, quod apud ipsum ab Episcopis accusatus esset de procurata rebellione populorum: deinde è Scythia ad intima Gothiæ penetrasse, multosque ad fidem instruxisse, & plurima monasteria in eadem Gothia erexisse, inque eis rectæ vitæ conuersationem, virginitatemque, atq; exercitationem pietatis non vulgarem instituisse, quippe qui omnia in vita ac moribus ad admirationem vsque seruaret. Hæc de Audæo Epiphanius, aliique, qui eam sunt prosecuti historiam.

c *Epi. hær. 70.*

XII. ERRORES EIVS.

At quænam essent eius dogmata, quorum causa se extra Ecclesiam contineret, idem Epiphanius tradit eum docuisse, Deum humanam ferre imaginem, secundum quam creauerit hominem ad imaginem & similitudinem suam: Itemque Pascha ex consuetudine Iudæorum decimaquarta luna celebrādum asseruisse. Addit vero Theodoretus, *d* eum & tenebras, & aquam, & ignem, dixisse ingenita. Quos autem laudat Epiphanius Audianos probatissimis vixisse moribus, & virginitate ac pietatis exercitatione excelluisse, eosdem suis temporib. valde deprauatos extitisse, Theodoretus affirmat: modumq; ridiculum describens, quem in confitendis & dimittendis peccatis, absq; vlla imposita pœnitentia obseruare consueuissent, ait eos, postquam sacros libros vna cum adulterinis, O, bipertito diuisissent, & hinc & illinc per versus posuissent, iubere solitos vnumquemque per eos transire, & peccata sua confiteri: deinde confessis donasse remissionem, non tempus ad pœnitentiam (nempe satisfactionem) vt iuberent leges Ecclesiæ, præscribentes, sed sua potestate condonantes. Quaptopter scientes qui transirent, id quod ageretur, ludum esse, vera quidem peccata celasse, ac parua tantum quædam & ridicula dicere cōsueuisse. Hæc Theodoretus. Cæterum in Ecclesia Catholica haud per simplicem peccatorū confessionem ea dimitti,

d *Theod. hær. fab. lib. 4.*

nisi

nisi digna sequatur satisfactio, Eusebiani etiam ex præscripto Ecclesiasticæ disciplinæ, in eadem celebrata hoc anno Synodo Antiochena *a* professi sunt, idque (vt apparet) aduersus eosdem Audianos nuper obortos hæreticos, qui postea ob præcipuum illum errorem de humana Dei forma, dicti sunt ANTHROPOMORPHITÆ, eorumque vix paucos suo tempore reliquos fuisse, Epiphanius testatur. Sed iam cæteras huius anni res gestas inspiciamus.

a *Con. Ant. c.* 2.

ANTHROPOMORPHITÆ HÆRETICI.

XIII.

Cum igitur statutus terminus indictæ à Iulio Papa Romæ Synodi, longius præterlapsus esset, (nam Athanasius annum & dimidium expectarat) & Eusebiani vt eam subterfugerent, retentis Sedis Apostolicæ Legatis conuenticulum suum Antiochiæ celebrassent: (quæ omnia superius sunt enarrata:) idem Iulius in SYNODO quinquaginta Episcoporum eiusdem Athanasii causam cognoscens, diligenter examinatis quæ aduersus eum ex Actis Tyriis & Mareoticis Eusebiani congesta Romam miserant, eorumdemque patefactis calumniis, ex Ecclesiasticarum legum præscripto eum iudicauit innocentem, recepitque ad communionem & agapem. Testatur hæc tum ipse Iulius in literis ad Eusebianos ex alia postea Synodo (de qua inferius) scriptis, tum Athanasius Apologia secunda. Post illa vero peracta, confestim eumdē hoc ipso anno, vel sequentis exordio, Alexandriam nauigio reuersum esse, (odoratum videlicet ex cōtumacia Eusebianorum detrectantium Romā venire, eosdem aduersus ipsum & Ecclesiam Alexandrinam aliquid noui molituros,) & Socrates *b* docet, & ex eo perspicue intelligitur, quod constat tempore grassationis Arianorum in Alexandrinam Ecclesiam anno sequenti, eum fuisse ibi repertum.

SYNODVS ROM. IN CAVSA ATHANASII.

b *Soc. li.* 2. *c.* 11.

XIV.

Porro in eadem quoque Synodo Romana cognitam esse Marcelli Ancyrani causam, (qui, vt vidimus, damnatus Constantinopoli ab Eusebianis, Romanum Pontificē appellans, eo venerat:) eumdemque iuste ac canonice ad communionem admissum, ipse Iulius Papa iisdem suis literis testatur. Additq; de complurium aliorum Orientalium Episcoporum ac presbyterorum, qui grauia passi ab Arianis, ex diuersis prouinciis Romam pariter confugerant, auditis in eadem Synodo querelis. Qui vero ii fuerint, Athanasius recenset in Apologia de fuga sua, & in epistola ad Solitarios. Sed de Marcelli rebus cum Iulio gestis plura habet Epiphanius, *c* recitatque libellum quem dicit ab eo oblatum eidē Iulio. Sed an ille ipse sit, quem Iulius per omnia consentientem esse tradit Ecclesiæ Catholicæ, dubito: in eo enim licet multa reperiantur ad Arianorum opinionem confutandam, tamen (quod potissimum exigebatur à professore Catholico) nomen Consubstantialis non ponitur. At de Marcelli fide alias plenius.

MARCELLI CAVSA IBIDEM COGNITA.

c *Epi. hær.* 72.

XV.

Compertis autem his quæ Romæ gesta essent, Eusebiani Antiochiæ diutius commorantes, dimissis tandem Elpidio & Philoxeno Iulii Papæ Legatis, literas ad eum dederunt ingenti fastu & arrogantia scriptas, quibus imprimis indignantes se Romam esse citatos, insuper conquesti sunt de angustiori tempore ad veniendum præfixo, deque absolutis Athanasio & Marcello, insulse prætexentes, non opus fuisse in Synodo ab Episcopo Romano retractari, quæ in alia iam ab Orientalibus stabilita essent, sicut nec olim, cum Nouatus ab Episcopo Romano damnatus fuisset, Orientales eius communionem recipere annuissent. Hæc & alia id genus Eusebianos scripsisse ad Iulium, ipse testatur in epistola ad eosdem postea reddita, quam Athanasius *d* recitat: non enim ipsæ eorum literæ extant. Eadem vero habent ferme Socrates *e* & Sozomenus: *f* sed dum ab alio Concilio Antiocheno, quam ab eo in Encæniis celebrato, Arianorum literas missas esse videntur asserere, certum est eos errare, quod constet illas per Legatos Elpidium & Philoxenum ad ipsos tunc missos redditas esse. Addit vero Sozomenus, eosdem contestatos esse, numquam se inituros cum Iulio pacem, nisi probasset quæ ab eis constituta fuissent. Quæ porro extat *g* epistola Arianorum nomine ad Iulium data, putatur ex eis quæ Socrates & Sozomenus de his rebus narrant, consarcinata, cum in ea multa desiderentur, quæ ex Iulii literis produntur scripta ab eis esse, compluraque inesse noscantur aliter quam à Iulio relata sint: vt merito & illæ quæ ibidem adduntur à Iulio ad Arianos red-

ARROGANTIA EVSEBIANORVM IN IVLIVM PP.

d *Ath. Apol.* 2.
e *Soc. d. c.* 11.
f *Soz. li.* 3. *c.* 7.

g *Tom.* 1. *Con. in Iulio.*

ditæ, eadem suspicione laborent: nam quæ veræ sint literæ Iulii declarat Athanasius qui eas verbatim descripsit.

Huius quoque anni Coss. consignata habetur Constantii Imp. sanctio *a* aduersus Idololatras & nequis auderet sacrificia celebrare. Quæ quidem fuere & ad sectam Arianorum illecebræ, dum eius patronus ex huiusmodi promulgatis edictis maxime pius videri voluit. Alter vero Augustus Constans *b* irrumpentibus in Pannonias Scythis occurrit ex Italia. Indeque in Gallias pergens, oppressit anno sequenti, *Francos* eas occupare conantes: paceque tandem constituta, reddidit confœderatos Romani Imperii.

XVI.

a *l.* 2. *C. Th. de Pagan.*

b *Hier. in Chr. Soc. li.* 2. *c.* 10. & 13.

FRANCI FOEDERATI ROMANOR.

IESV CHRISTI AN. 341.

IVLII AN. 6.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 6.

ANno Christi trecentesimo quadragesimo secundo, duob. Augg. Constantio tertium & Constante secundum Coss. Gregorius Cappadox, electus anno superiori ab Arianis in locum Athanasii Episcopus Alexandrinus, per Præfectum Philagrium, iussu Constantii, militari manu Alexandriam introducitur. Hæc enim præsenti potius anno quam superiori contigisse, illud magnopere suadet, quod coniter Antiochenam Synodum in Encæniis celebratam, ad plures menses fuisse propagatam, & Gregorium qui ei interfuit prope Paschale tempus Alexandriam aduenisse. Quibus aūt cladibus tunc ea Ecclesia vexata fuerit, (quas iam ante biennium, per visionem mulorum, altare Domini circumdantium, & crebris calcium ictibus omnia dissipantium, diuinitus ostensas fuisse Magno Antonio, Athanasius in eius Vita testatur:) cum à Socrate, *c* Sozomeno, *d* Theodoreto, *e* & plerisque aliis magna plane confusione & ieiune admodum referantur, eas, vt vere se habuere, Athanasius ipse, cōtra quem maxime tempestas excitata est, dum eamdem forti animo sustineret, exacte descripsit in epistola Encyclica quam ad vniuersos Orthodoxos tunc direxit.

I.

GREGORIVS INVADIT ALEX. ECCLESIAM.

c *Soc. l.* 2. *c.* 8.
d *Soz. l.* 5. *c.* 5.
e *Theod. li.* 2. *cap.* 4.

Res autem gesta sic breuiter habet: Cum Ecclesia Alexandrina, & quæ ei subiectæ essent prouinciæ, ob Athanasii restitutionem ingenti lætitia exultarent, statim Philagrius Præfectus Ægypti, Gregorii conterraneus, & olim transfuga Christianæ religionis, ac in Ecclesiam contumeliosus, prauissimorumque morum homo, literas publice proposuit in formam edicti, quibus declarauit Gregorium (ita hunc vocatum fuisse iam superius demonstrauimus, licet apud Athanasium hæc narrantem corrupte Georgius frequentius legatur) pro successore datum Athanasio, satellitio stipatoribusq; Comitis in cathedram introducendum. Populo autem grauiter ferente istarum rerum insolentiam, & publice tum ad Iudices, tum ad vniuersam ciuitatē contestante, nullas aduersus Athanasium querelas vel à plebe vel ab Ecclesiasticis motas esse, Arianorumq; hæreticorū opera hanc legum prænaricationē induci, atque adeo ecclesias occupante, ne illæ paterent Arianis: his visis idem Philagrius, magistratus sui fretus auctoritate præsidioque, Ethnicos homines atque Iudæos Alexandriæ existentes, aliosque facinorosos nebulones, hortationibus & promissionibus instigatos, sub ipsos Paschatis dies cum gladiis & fustib. contra populum in ecclesias immittit: à quibus igne & sanguine cuncta sunt mixta, altaria, baptisteria, aliæque res sacræ profanatæ, dissipatæ, direptæ, libri sacri combusti, sacrificia animalium fruguinque idolis oblata, Virgines Deo dicatæ nudatæ, tractæ, raptatæque, monachi pedibus obtriti, atque dilacerati, presbyteri, aliique clerici concisi, multi ex populo occisi, quamplurimi vulnerati, omnis generis homines in carceres coniecti, & in ius tracti: denique ipso sactæ Parasceues die, is cuius causa hæc omnia scelera perpetrabantur, Gregorius in quamdam ecclesiam cum

II.

IMMANISS. CLADES ECCL. ALEX.

Duce

ATHAN. CLAM ELAPSVS.

Duce & Præside ingressus, intellecto hominum odio, quo illius violentum introitum auersabantur, auctorem se crudelissimo Præsidi præbuit, vt eadem hora triginta quatuor virgines, & matronæ item, virique ingenui, publice flagellis cæderentur, & in carceres coniicerentur. Cum vero iam eamdem grassationem in illam ecclesiam, in qua per eos dies Athanasius commorabatur, aggrederentur, nihil non agentes vt ibi eum interceptum de medio tollerent, ipse diuino auxilio manus eorum effugiens, se furtim subduxit, ne eius occasione vel ecclesia noxam acciperet, vt virgines indigniora parerentur, cædesque denuo committerentur. Sicque eo statu ecclesiæ Gregorio & furiosis Arianis sunt traditæ, populoque & clericis Catholicis ea necessitas inflicta, vt cum iisdem impiis Arianis communicarent, aut ab introitu ecclesiarum penitus abstinerent: ac deniq; missum est sub falso populi nomine ad Constantium Imp. decretum aduersus Athanasium, vt in exilium mitteretur, vel etiam morte mulctaretur.

III. PROSECVTIO PERSECVTIONIS.

Scripsit hæc plurib⁹ (vt diximus) ipse Athanasius ad Orthodoxos, sed festine, vt apparet, ac è latebris priusquam Alexandria recederet, vt sic anteuerteret scribendas à Gregorio literas: quæ eadem maiori postea idem otio fusius prosecutus, ac præsertim in ea quæ ad solitariam vitam agentes scripta est epistola, (quæ præ se fert breuiarium rerum ab Arianis gestarum aduersus Ecclesiam Catholicam, ac potissimum Alexandrinam) addit etiam de grassationibus eiusdē Gregorii in cunctas alias Ecclesias Alexandrinæ subiectas, deque exiliis, vinculis, flagellis, necibus, illatis omnibus sibi communicare recusantibus, ac præcipue Episcopis, inter quos & magnus ille Confessor *Potamon*, de quo superius, ita plagis (inquit Athanasius) concisus est, vt paulo post ex hac vita decesserit, adeptus gloriam iterati martyrii, cuius extat celebris memoria in Tabulis a Ecclesiasticis.

a *Mart. Rom.* 18. *Maii.*

IV. GREGOR. QVAMDIV SEDEM OCCVPARIT.

Qui igitur his facinoribus sedem inuasit Gregorius Cappadox, eam tyrannice tenuit vsque ad Concilium Sardicense, à quo depositus est, ac post decem menses ab Alexandrinis necatus, ipseque Athanasius cum honore Alexandriam restitutus: vt demonstrabitur suo loco. Ex quibus intelligas hallucinatos esse Socratem b atque Sozomenum, c & alios qui dixerunt Gregorium ante Concilium Sardicense ab ipsis Arianis abdicatum esse, quod Alexandrino populo magnopere inuisus esset, nec iam satis videretur ipsorum opinioni patrocinari. Rectius longe & accuratius Theodoretus, dum ait Gregorium ad sex annos maxima aduersus Catholicos crudelitate eam sedem occupasse: siquidem tot numerantur ab anno præsenti vsque ad eius necem: eumdemque in parte Arianorum promouendæ acerrimum se acerbissimumque Catholicorum hostem semper ostendisse, tam quæ dicta sunt, quam quæ dicenda, manifeste demonstrant.

b *Soc. li. 2. c. 10*
c *Soz. li. 3. c. 6. in fi.*

V.

Cæterum cum de omnibus d quæ Alexandriæ gesta essent, Iulius Romanus Pontifex, tum abiis qui ex eadem ciuitate tunc temporis fugientes, Romam tamquam ad tutum afylum se contulissent, tum Ægypti Episcoporum literis; certior redditus esset, cumque ex alia parte contumaces Eusebianorum literas, de quibus actum anno superiori, Antiochia missas suscepisset: iis omnibus ex more communicatis cum aliis Episcopis in Synodo congregatis, eximium sententia rescripsit ad Arianos epistolam illam, cuius sæpissime facta est mentio, qua singula eorum dicta factaque egregie sciteque confutauit. Etenim CONCILIVM *Romæ* hoc anno celebratum esse, Patresque qui conuenerunt, per Iulium eas literas rescripsisse, quæ eiusdem Iulii tantum nomine feruntur, ac per Gabinianum Comitem transmississe, Athanasius e tradit, dum eas verbatim recitat, quas & post Alexandrinam cladem à Gregorio illatam scriptas esse, inde satis intelligitur, quod eis de eadem Iulius aduersus illos expostulauerit. Sed & dum eosdem reprehendens quod nihil de iis quæ in Athanasium, Marcellum, alios que Episcopos, inque ipsam Ecclesiam Alexandrinam, ab eis decreta essent scripsissent, hæc ait: *Si omnino in culpa fuerunt, oportuit secundum canonem, & non isto modo, iudicium fieri: oportuit scribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus quod iustum est decerneretur. Episcopi enim erant, & non vulgaris Ecclesiæ, qui ista patiebantur, sed quam ipsi Apostoli suamet opera ad fidem instruxerant. Cur igitur & imprimis de Alexandrina Ecclesia nihil nobis scribere voluistis? An ignari estis hanc esse consuetudinem, vt primum nobis scribatur, vt hinc quod iustum esset, definiri posset?* his, inquam, Iulius perspicue declarauit, fuisse olim ex regula & consuetudine Ecclesiæ, legitima Episcoporum iudicia exerceri solita fuisse, vt de his imprimis scriberetur ad Romanum Pontificem, à quo quid definiendum esset acciperetur. Ideoque subdit, *Quapropter si istic huiusmodi suspicio in Episcopum concepta fuerit, id huc ad nostram Ecclesiam referre oportuit, &c.* Meminit quoque horum Socrates, a dum eas literas summatim perstringit. Porro mitius visus est Iulius cum eisdem Eusebianis agere, quam erat in tanto immanium criminum admissorum acerno, tum vt eos ad Concilium (ad quod rursum eos Romam inuitat) pertraheret, tum etiam quod sciret eosdem tot tantaque non priuatim à seipsis, sed tamquam ex Synodalibus iudiciis & Imperatoris auctoritate perpetrare: cum & nondum (vt ex eorum professione, immo contestatione facta in Synodo Antiochena, superius vidimus) iidem omnino conuinci possent esse Ariani, vt à Iulio damnarentur. Manifestis vero Arianis seueriorem se exhibuisse, probatur ex eo quod cum idem qui supra Gregorius misisset Romam legatum quemdam Carponam Arianum manifestum, iam olim ab Alexandro Episcopo Alexandrino eo nomine notatum, idem Iulius tam ei, quam aliis ea labe conspersis, suum denegauerit conspectum, vt traditur iisdem ipsius literis.

d *Soc. li. 2. c. 13*

CONC. ROM OB TVRBAS ALEXAN.

e *Ath. Apol. 2*

ROM. SEDIS IVDICIVM SVPREMVM.

a *Soc. li. 2. c. 13*

LEGATI ARIANOR. REIECTI A IVLIO PP.

Eodem quoque tempore Athanasius fuga lapsus, ne hostium pateret incursui eius necem auide sitientium, accessit iterum ad tutum tranquillumque portum Romanæ Ecclesiæ, quo eum à Iulio Papa accersitum esse, Socrates b & Sozomenus tradunt. Ipse vero Athanasius in Apologia ad Constantium Imp. cum apud illum ea suspicione laboraret, quasi fratrem ipsius Constantem aduersus eum soliciatasset, ait se Romam accessisse, vt se suaque ei Ecclesiæ commendaret: ceterum nec se Constantem conuenisse, nec ad eum vmquam scripsisse, nisi ex ipsa vrbe Alexandria, vt se excusaret quando Eusebiani calumniosas de ipso literas ad eumdem Constantem (nempe ex Synodo Antiochena) misissent. Qui autem hoc anno fugiens Alexandria, Romam se contulit, ibidem mansit vltra triennium, vsque dum anno quarto ab eodem Constante Mediolanum vocatus est, vt suo loco dicturi sumus.

VI. ATHAN. ROMAM FVGIT.

b *Soc. li. 2. c. 13* *Soz. li. 3. c. 9.*

VII.

Hoc eodem anno, ac plane eius exordio, cum scriptæ ab Eusebio Nicomediensi iam Episcopo Constantinopolitano, ex Antiochena Synodo ad Iulium Romanum Pontificem contumaces literæ nondum perlatæ essent, (vt auctor est Socrates c) ipse *Eusebius* sceleste filius omnium hominum, bis apostata, Imperatorum seductor, in omnes contumelios⁹, blasphemus, vbique tyrannus, non sine admiratione summæ Dei erga homines delinquentes patientiæ diu toleratus, tunc cum blasphemiæ & pertinaciæ cornua in ipsam Romanam Ecclesiam erexit, ex hac vita infelix recedere, & qui eiusdem Ecclesiæ iudicium subterfugit, ad horrendum iustitiæ diuinæ tribunal se sistere coactus est. Quod quidem paulo post dimissum Concilium Antiochenum iisdem huius anni Coss. accidisse, idem Socrates d demonstrat, necnon Sozomenus. e Eo vero defuncto (vt inquiunt) cum populus Constantinopolitanus *Paulum*, Eusebii olim occasione eiectum, in ecclesiam denuo introduxisset, Ariani autem *Macedonium* delegissent Episcopum, indeque crebris exortis seditionibus quamplurimi vtrimque petiissent, sed & Dux Hermogenes à Constantino Imp. tunc Antiochiæ existente, iussus Paulum ecclesia expellere, à populo aduersus eum pro Paulo insurgente interemptus esset: tunc Constantius ipse Constantinopolim properans, & Paulum eiecit è ciuitate, & ipsam ciuitatem supra quadragies centena millia medimnorum frumenti, nempe dimidia parte congiarii, quod illi à Constantino Magno in dies singulos ex vectigalibus Ægypti suppeditari iussum fuerat, mulctauit. Macedonio vero etiam faccensens, tum quod eius occasione tot cædes commissæ fuissent, tum quod minime expectato ipsius Imperatoris consensu pro Episcopo sedisset, re adhuc in dubio relicta, Antiochiam rediit.

c *Soc. vbi sup.* EVSEBII NICOM. OBITVS

d *Id. li. 2. c. 9. 10.*
e *Soz. li. 3. c. 6.* TVRBÆ CONSTANTIN. OB SVCCESSIONEM EPISCOPI.

Cum

VIII.

Cum autem a Paulus Romam petiisset, eodemque tempore Asclepas Gazæ, Marcellus Ancyræ, & Lucius Hadrianopolis, diuersis prætextibus Ecclesiarum suarum iacturam ab Eusebianis passi, itidem Romam confugissent, Iulius Papa iis omnibus fidei Nicænæ consentientibus repertis, *cum propter Sedis dignitatem curâ omnium ad ipsum spectaret, & Ecclesia Romana priuilegium præter cæteras obtineret, in Orientem literas misit, quo suus cuique locus restitueretur, & qui eos temere abdicarant grauiter reprehendit: quod inconsulto de iis iudicassent, ecclesiasque perturbassent, cum decretis Concilii Nicæni stare nollent: minatusque est se de reliquo non passurum eos insultos esse, nisi nouis rebus studere desisterent.* Hæc Socrates, & Sozomenus, consentanea iis, quæ in eadem ipsa Iulii epistola, cuius ipsi meminere, continentur: b vbi inter alia de his Episcoporum altercationibus ita loquitur: *Quas præsidentes sancti Patres illicitas altercationes, vnanimiter in Nicæna statuerunt Synodo, vt nullus Episcopus, nisi in legitima Synodo, & suo tempore Apostolica auctoritate conuocata super quibusdam criminationibus pulsatus audiatur, id est iudicetur vel damnetur. Sin aliter præsumptum à quibusdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Ecclesiastica vllo modo reputabitur. Ipsi vero primæ Sedis Ecclesiæ conuocandarum generalium Synodorum iura, & iudicia Episcoporum, singulari priuilegio, Euangelicis, & Apostolicis, atque canonicis concessa sunt institutis, quia semper maiores causæ ad Sedem Apostolicam multis auctoritatibus referri præcepta sunt. Nec vllo modo potest maior à minore iudicari. Ipsa namque omnibus maior & prælata est Ecclesiis, quæ non solum modo canonum & sanctorum Patrum decretis, sed Domini Saluatoris nostri voce singularem obtinuit principatum: Tu es (inquit) Petrus, &c. Porro dudum à SS. Apostolis successoribusque eorum, in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus sancta & vniuersalis tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pont. Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam sanctam Rom. Ecclesiam primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt: Et sicut B. Petrus primus fuit omnium Apostolorum, ita & hæc Ecclesia ipsius nomine consecrata, Domino instituente, prima & caput sit cæterarum, & ad eam quasi ad matrem atque apicem, omnes maiores Ecclesiæ causæ, & iudicia Episcoporum recurrant, eiusque iusta sententia terminum sumant, nec extra Romanum quicquam ex his debere decerni Pontificem: &c. Et nos scitote hunc typhum deinceps non esse passuros, vt ea quæ ad hanc specialiter sanctam pertinent Sedem, vos patiamini nobis inconsultis inuadere, absque vestri status periculo. Sed si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum præter huius sanctæ Sedis sententiam damnare, aut propria pellere Sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore, eosque qui absque huius Sedis sunt electi sententia, vel damnati, huius sanctæ Sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus.* Hæc, & alia eiusmodi, de his Iulius. Quæ vero Socrates & Sozomenus subdunt de literis ab Eusebianis ad Iulium scriptis, ea iam ante hac contigisse superius demonstratum est: quæ autem post hæc acciderunt, dicentur inferius suis locis.

a Sec. li. 2. c. 11. Soz. li. 3. c. 7. PAVLI ET ALIOR. ORTH. ROMAM CONFVGIVM.

b Ext. tom. 1. Conc. est que prima inter epist. Iulii. ROM. SEDIS AVCTORITAS.

a Hippocentauros & Faunos inueniri posse, docet hic plurib⁹ Baron. CONGRESSVS ANTONII CVM EO.

b Hier. ep. 16. ad Princ.

ATHAN. QVANDO SCRIPSERIT VITAM ANTONII.

III

PAVLVS PROBAT FIDEM ATHANASII.

ANTONIVS CONFVTAT ARIANOS.

c Hier. ep. 33. ad Castr.

III.

d Id. in Chron. e Theod. lib. 1. c. 24. in fi. Soz. li. 2. c. 14. Cedr. in Comp. an. 21. Constantii. PERSECVTIO CHRISTIANORVM IN PERSIDE.

f Soz. li. 2. c. 8. & seq.

IESV CHRISTI AN. 343.

IVLII AN. 7.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 7.

I.

ANno Christi trecentesimo quadragesimo tertio, Placido & Romulo Coss. ipso exordio septimi anni Constantii Imp. (secundum ea quæ dicta sunt alibi c) S. Paulus Primus Eremita, annos natus centum tredecim, cæterisque cunctis hominibus incognitus, sed à S. Antonio Monachorum patre nonagenario, diuino iussu paulo ante obitum visitatus, feliciter migrauit in cælum, & ab eodem Antonio cum hymnis more Christianorum humatus est. Rem gestam, multiplicibus miraculis, aliisque rebus memorabilibus illustratam, pluribus narrat in Vita eiusdem Pauli S. Hieronymus, vir ab omni fabularum commento longissime abhorrens: vt non sit quod dubitare quis possit, seu de *Hippocentauro*, a & *Fauno*, qui Antonio in itinere occurrerunt, seu de *Coruo* dimidium panis ad victum Paulo quotidie deferente, & in aduentu Antonii annonam duplicante, siue de *Leonibus*, terram ad Paulum humandum vngulis suis aperientibus, & postea benedictionem ab Antonio deposcentibus, siue denique de alii, rebus mirabilibus, quas in illo diuinorum virorum congressu contigisse idem Hieronymus elegantissime describit. Quod autem in Actis Antonii ab Athanasio cõscriptis, de eiusmodi visitatione nulla penitus mentio habeatur, id inde accidit, quod (vt eodẽ Hieronymo b auctore constat) Athanasius res gestas Antonii, ipso adhuc viuente scriptis commendauit, easque Romam detulit ante biennium, quo tempore hæc de Paulo non acciderant: postea vero multis prætermissis appositus est eius obitus, sed vtrum ab ipso Athanasio, haud certo constat.

[Immo cum ipse Athanasius in præf. Vitæ S. Antonii ita loquatur ad peregrinos fratres, quorum rogatu eam descripsit: *Quoniam igitur exegistis à me, vt vobis scriberem de conuersatione B. Antonii, volentibus discere quemadmodum cœperit, quinam fuerit ante sanctum propositum, qualem etiam habuerit terminum vitæ*: ex his verbis aperte constare videtur, Athanasium Vitam Antonii non nisi post eius obitum conscripsisse. Nec aliud Hieronymus dicit, nisi Marcellum vidisse ab Athanasio primum, ac postea à Petro & ipso Episcopo Alexandrino, vitam Antonii tunc adhuc viuentis, (hoc est, vitæ institutum) monasteriorum quel Pachomii, & virginum ac viduarum didicisse disciplinam. Nisi forte quæ dam etiam scripsit tunc Athanasius mandauit, ne memoria Marcelli, aliorumque earum rerum cupidorum excideret. Cur vero non meminerit, congressus Antonii cum Paulo, non alia videtur reddi posse causa, quam quod eadem præfatione ipse testatur, non omnia Antonii gesta se referre, sed tantum *minima de maximis*, cum ob portitoris literarum festinationem, non potuerit monachos euocare, *vt plenius aliquid addiscens, meliora transmitteret.* Quæ sunt etiam ab aliis obseruata]

At inter alia omnia de Paulo à S. Hieronymo conscripta, illud contemplor attentius, quod ait expetisse ab Antonio, ad suum ipsius defuncti corpusculum inuoluendum, pallium quod eidem Antonio Athanasius donasset. Id enim ab eo non idcirco dumtaxat factum puto (quod tradit S. Hieronymus) vt recedendo ab Antonio, mœror suæ mortis leuaretur, sed quod qui prophetico spiritu Athanasium nouerat, eo saltem communicationis symbolo significaret se eius fidem probare: quod quidem haud videbatur mediocris esse momenti ad erigendos titubantium animos, & roborandam constantium fidem. Siquidem tãti facere solebat populus illustrium monachorum de fide testimonium, vt Ariani hoc sentientes, mentiri non sint veriti Magnum Antonium eadem secum sentire, adeo vt ob eam causam rogatus ipse aliquando ab Athanasio, aliisque Episcopis Catholicis, relicta intima eremi solitudine, Alexandriam descendere necesse habuerit, & de Catholica fide quam coleret, publice verbis, factis, miraculisque specimen edere, vnde prope innumerabiles Gentiles ad fidem conuersi, Catholici in fide roborati sunt, hæretici vero confusi: vt affirmat, describitque in eius Vita Athanasius, meminitque Hieronymus. c Cum & præter hæc impudentissimos Arianos, ad stabiliendam suum ipsorum dogma impietatis, haud veritos esse, quos sciissent antiquos clarissimos viros, eosdem etiam suæ hæresis falso astruere assertores, satis probent quæ de Origene, Dionysio Alexandrino, ac Luciano martyre mendaciter ab ipsis in suam sententiam detortis, dicta sunt superius suis locis.

Hoc itidem septimo anno Constantii & Constantis Impp. ponitur à S. Hieronymo d excitata in Christianos Persas à Sapore eorum Rege dira *Persecutio*, quam e alios perperam ad tempora Constantini referre, superius monuimus. Vt enim potius Hieronymo assentiamur, id compellit, quod liqueat inter Constantium & Saporem hoc tempore acre viguisse bellum, persecutionem autem ortam esse ex falsa criminatione à Magis & Iudæis in Christianos illata, quod regni essent proditores, & rerum Romanarum fautores: quamuis & postea solo religionis nomine eadem grassata fuerit.

Rem vero gestam pluribus describens Sozomenus, f ait hoc primo eiusdem persecutionis anno immoderata imprimis tributa Christianis imposita esse, quod Rex

nosset

c An 253. nic. XVI. vbi vide quæ fuerunt addita. PAVLVS PRIMVS EREMITA MIGRAT IN CÆLVM.

nollet ipsorum quamplurimos voluntariam egestatem excolere, eorumdemque exactionem crudelissimis viris cõmisisse, quo & inopia pecuniæ & exactorum feritate coacti, suam religionem aspernari inciperent: posthæc vero ecclesias vbique diruta esse, necatumq; *Simeonem* Seleuciæ & Ctesiphontis primariæ in Persida ciuitatis Archiepiscopũ, necnon *Vsthazanem* eunuchorum principem, ipsiusq; Saporis Regis educatorem, qui cum primo à fide defecisset, paulo post ad Simeonis increpationem resipiscens, capiteque damnatus, petiit à Rege vt præco palam prædicaret, caput Vsthazani amputari, non ob aliquam improbitatem, sed tantummodo quod Christianus esset, ac Deum suum negare nollet: idque eo fine, vt quemadmodum quando timore perterritus Solem adorauit, multis Christianis metũ iniecit, ita modo non pauciores ad suam constantiam imitandam incitaret. Præter hos autem, centum quoq; alios tum Episcopos, tum presbyteros, & diuersorum ordinum clericos, ac denique *Pusicem* Præfectum Regis artificũ, eiusque filiam, tunc passos esse, Sozomenus habet. Quorum quidem omnium natales dies Ecclesiasticis inserti monumentis, anniuersariis celebrantur honoribus.

IV. CONTINVATIO PERSECVT. *Quam habet Bar. an. seq. nos vno contextu referimus.*

Sequenti vero anno (vt hic vno contextu rem absoluamus) idem Sozomenus tradit, instante Paschate exiisse edictum à Rege in vniuersam Persidem, vt quicunque se confiterentur Christianos, morti addicerentur: Sed cum inter infinitam eorum multitudinem, qui eiusdem edicti vigore omnis sexus & conditionis homines sublati sunt, plurimi etiam qui in ipso Palatio militarent, ac præcipue *Azades* eunuchus Regi longe charissimus eo inscio necatus esset, eumdem Regem ingenti affectum dolore, communem cædem sedasse, ac solos Christianorum doctores occidi iussisse, tuncque Episcopos quamplurimos, atque immensam multitudinem presbyterorum, diaconorum, monachorum, sanctarum virginum, & aliorum qui Ecclesiarum ministerio vacabant, trucidatos esse, quorum etiam nonnullorum extant apud Metaphrastem Acta. Cæterum quod bellum vsque ad tempora Iouiani Imp. acrius in dies exacerbatum fuerit inter Romanos & Persas, persecutionem quoque ab eodem Sapore semel edicto promulgatã, haudquaquam duorum annorum curriculis terminatã esse putandum est: eo maxime quod Christiani, licet Persæ natione essent, tamen quod cultu religionis à Persis recessisse visi essent, & Romanis inhæsisse, quorum Deum colerent, quodammodo transfugæ haberentur, meminitq; S. Augustinus *a* de persecutione in eadem Persida excitata, ac sæpe restaurata. Porro Ecclesiam Persidis subiectam fuisse Antiochenæ, canon *b* ea de re confectus, asseritur esse Concilii Nicæni, sed fide dubia.

a Aug. 18. de ciuit.
b Ap. Tur. in Append. ad Const. Clem.

V. PRIVILEGIVM SEPVLCHRI GREG. THAVMAT.

Eodem quoque Constantii anno septimo, Neocæsarea in Ponto (inquit S. Hieronymus *c*) subuersa est terræmotu, excepta ecclesia, ac Episcopo, cæterisque qui ibidem reperti sunt. Obtinuisse namque hanc diuinitus prærogatiuam ecclesiam illam, in qua S. Gregorius eius ciuitatis olim Episcopus, cognomento Thaumaturgus, sepultus erat, vt cæteris ædificiis terræmotu sæpe prostratis ipsa remanserit semper incolumis, diximus etiam alias ex Gregorio Nysseno, & Theodoro Lectore.

c Hier. in Chr

IESV CHRISTI AN. 344.

IVLII AN. 8.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 8.

ANno Christi trecentesimo quadragesimoquarto, Leontio atque Sallustio Coss. triennio post Synodum Antiochiæ in Encæniis celebratam, (vt Athanasius *d* est auctor, cui consentientia fecerunt Socrates *e* & Sozomenus, *f*) ab Arianis ibidem *Antiochena* alia CONCILIVM est habitum in quo nouam fidei formam, eamdemque cæteris antea editis prolixiorem, ideoque μακρόστιχον dictam, conscripserunt, quo se (vt testati sunt) apud omnes Catholicorum Ecclesias, præsertim vero apud Occidentales, ab Ariana hæresi procul abhorrere significarent. Sed non tamen quod prætenderunt effecere: quidem illam ad Occidentales per Eudoxium, Macedonium, atque Martyrium, suæ factionis Episcopos missam, ab iisdem Occidentalibus fuisse penitus reiectum, iidem auctores eamdem recitantes tradunt.

I. *d Athan. de Syn.* *e Soc. li. 2. c. 15* *f Soc. li. 3. c. 10* CONC. ANTIOCH. SECVNDVM.

Sed insulse plane Socrates, dum ait non receptam esse ab Occidetalibus, quod cum linguæ Græcæ ignari essent, eamdem minime intelligere valuerint. Quid enim tam ineptum, quam dicere in vniuersa Occidentali Ecclesia, vel in ipsa Vrbe non extitisse, qui potuissent eam fidei regulam è Græco in Latinum vertere? quasi vero non recẽs esset exemplum de aliis, quas vidimus, eorumdem Orientalium literis ad Iulium Papam scriptis, ab eodem perinde ac ii Latinæ fuissent, perspicue cognitis & confutatis? Cur autem ea fidei formula nec Romæ nec alibi in Occidente recepta sit, illud fuit, quod (vt ex eius lectione apparet) concepta esset fraudulentis verborum inuolucris, lateretq; anguis in herbis. Quamtumlibet enim eiusdem concinnatores viderentur destruere positiones Arii, tamen quod Filium non dicerent esse Patri Consubstantialem, quælibet ipsorum alia verba merito suspecta haberi debuisse, satis demonstrant quæ de eorum technis sæpe dicta sunt superius. Sapientissime igitur Occidentales eam vt futilem, siue superfluam, vel erroneam reiecere: quandoquidem si quod nitebantur ostendere, se esse vere Catholicos, & non Arianos, perspicue persuadere voluissent, haud necesse erat nouas toties cudere confessiones, sed satis esse videbatur, Nicænam formam suo ipsorum chirographo confignatam mittere ad Occidentales: quos quidem, præter illam se nihil amplius velle curiosius exquirere professos esse, iidem qui supra auctores tradunt.

II. EVSEB. PROFESSIO FIDEI REIECTA AB OCCIDENTALIB.

Deniq; ipsos Eusebianos omnia fraudulenter agere, perspicue hoc eodem tempore cunctis apparuit, quod cum iidem ipsorum legati Mediolanum ad Constantem Imperatorem se contulissent, & qui ibi in Synodo considerent Orthodoxi Episcopi, sententias Arii damnare voluissent, legati isti, qui hactenus & verbis & scriptis se idipsum præstaturos esse præsetulerant, continuo resilientes, & iratis animis de Concilio exeuntes, quinam qualesue essent apertissime demonstrarunt: sicut testatur Liberius Romanus Pontifex in epistola, *a* quam ad Constantium Imp. post annos octo scripsit, qua tribus illis legatis superius nominatis, quartum addit Demophilum item Episcopum Arianum. Huncq; tandem finem habuit huius anni conuentus Arianorum Antiochenus, eorumdemque in Occidentem tanto apparatu missa legatio. Quæ vero post hæc gesta sunt, dicentur inferius suis locis.

III. FALLACIA EVSEBIANORVM.

a Ext. in Append. ad Lucif. Cal. & in Bibl. Patr.

IESV CHRISTI AN. 345.

IVLII AN. 9.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 9.

ANno Christi trecentesimo quadragesimo quinto, Amantio & Albino Coss. datum habetur Nisibi in Mesopotamia, Constantii Imp. rescriptum, *b* quod est euidens argumentum, ipsum cum exercitu ad Persarum fines consedisse. Cum autem eum multis annis aduersus Saporem Persarum Regem, fines Romani Imperii inuadentem, pugnasse certum sit, vix perpauca de rebus gestis extant posteris tradita, quæ & summatim ab Eutropio *c* recensentur, dum ait diuersam Constantii fortunam fuisse: à Persis enim multa & grauia perpessum, sæpe captis oppidis, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus: nullumque ei contra Saporẽ prosperum prælium fuisse, nisi quod apud Singaram, haud dubiam victoriam ferocia militum amisit, qui pugnam seditiose & stolide contra rationem belli die iam præcipiti popposcerunt. Sed breuius eadem complexus Orosius *d* ait

I. *b l. 5. C. Theod. de excusat.* *c Eutrop. lib. 10.* *d Oros. lib. 7. cap. 29.*

ait Constantium aduersus Persas & Saporem nouem præliis parum prospere decertasse. Denique apud Ammianum *a* traditur, cum aliquando superatum à Persis, deductumque postremo per fugam cum paucis adhibitam, stationem intutam, panis frusto vixisse precario ab anu quadam agresti porrecto. En igitur quam dispar fuerit conditio in bellis gerendis, Constantini parentis atq; Constantij! Ille n. fide Catholica roboratus, secumq; Catholicos Episcopos ducēs, præuio vexillo Crucis, nunquam de barbaris atq; tyrannis non rediit victor ac triumphator: Cōstantius vero tot præliis cum Persis initis, nunquam nisi victus & cum ignominia reuersus est, cum secum duceret Episcopos Arianos; & inter alios, quem superius memorauimus, impietate notum, Eusebium *b* Emesenum.

a *Amm. lib.* 25

COMPARATIO CONSTANTINI ET CONSTĀTII IN BELLIS GERENDIS.

b *Socr. lib.* 2. *c.* 6. *Soz. libr.* 2. *c.* 5.

IESV CHRISTI ANN 346.

IVLII ANN. 10.

CONSTANTII CONSTANTIS } AN. 10.

ANNVS CHRISTI trecentesimus quinquagesimus sextus, in Fastis Latinis non Coss. nouis ex more, sed (vt alias interdum accidit) Post Cōsulatum Amantij & Albini, qui contigit anno superiori, notatus extat; quod & veteres quædam inscriptiones *c* confirmant. Fasti vero Græci habent hoc anno Coss. Constantium quarto & Constantem tertio, quibus etiam complures leges consignatæ esse reperiuntur; & inter alias, quæ *d* de claudendis in vniuersis locis atque vrbibus deorum templis, & vt cuncti sub pœna capitis à sacrificiis abstinerent, promulgata est. Quapropter hæc de eius numeri Augustorum Consulatu sentiens Cassiodorus, cum ante Consulatum Amantij & Albini collocauit.

I.

c *Inscrip. edit. Plant. pag.* 68. *num.* 2.

d *l.* 4. *C. Th. de Pagan.*

II. CONCIL. SARDIC. à ROM. PONT. PROCVRATVM, ET INDICTVM. *De eius indictionis causis dilucide Cardin. Perron. in Resp. ad Reg. Mag. Brit. ti.* 1. *c.* 53.

Hic autem ille est quartus annus commorationis Romæ Magni Athanasij; quo se accersitum esse Mediolanum ab Imperatore Constante, occasione futuræ in ipsius aliorumque Episcoporum ab Arianis expulsorum causa, *Sardicensis Synodi*, ipse testatur in Apologia ad Constantium scripta. Cæterum Iulium Romanum Pontificem fuisse primum auctorem eiusmodi Concilij indicendi, idem Athanasius significare videtur, cum ait, iam antequam ipse Mediolanum vocaretur, quosdam Episcopos ad Constantem profectos, ab eo postulasse vt fratri Constantio de Synodo celebranda scriberet; inter Episcopos autem, quos tunc apud Constantem fuisse tradit, recenset *Vincentium* Capuanum, quem constat obire solitum legationem ab Apostolica Sede. Idque ipsum plane Sozom. *e* insinuare videtur, dum ait eundem Iulium, quod cerneret nihil se literis suis apud Episcopos Orientis proficere, causam Athanasij & Pauli ad Constantem retulisse, hunc-que de ea ad fratrem Constantium scripsisse. Quinimo literis ipsius Iulij potissimum conuocatos esse ad Synodum Episcopos omnes, & ab eodem certam diem ad conueniendum Sardicam fuisse præscriptam Socrates *f* demonstrat, dum testatur quosdam Episcoposad Concilium nqu venisse, causatos angustiam temporis à Iulio præstituti. Sed de indictione satis; de ipsa vero Synodo anno sequenti.

e *Soz. l.* 3. *c.* 9.

f *Socr. lib.* 2. *c.* 16.

III. *g Tom. 1. Concil.* CONCIL. AGRIPPINENSE CVIVS FIDEI.

Hoc quoque anno, nempe post Consulatum Amantij & Albini, quarto Idus Maias, celebratum ponitur *g* CONCILIVM AGRIPPINENSE, seu *Colonienſe*, aduersus EVPHRATEM illius ciuitatis Episcopum, negantem CHRISTI diuinitatem: qui ob eam causam ab Episcopis qui eo conuenerunt, depositus est. Sed vel de eius damnatione, vel de tempore Synodi nonnihil dubitare compellit, quod ille ipse Euphrates anno sequenti repetitur ex Synodo Sardicensi, vna cum Vincentio Episcopo Capuano, honorificentissima legatione functus ad Constantium Imperat. Haud enim facile creditur, hominem qui adeo infami nota esset inustus, quantumlibet palinodiam recantasse dixerimus, tam breui temporis spatio in pristinam sedem restitutum esse, & inter tot alios eximios sanctitate & doctrina viros, ad eiusmodi legationem delectum. Quod vero Trithemius *a* hanc Synodum reiicit in annum Domini trecentesimum septuagesimum quintum, plane errare conuincitur; quia constat eosdem ferme Episcopos qui ei interfuerunt, præsentes quoque fuisse Sardicensi: cum etsi non omnes, maiorem saltem partem eorum, ante tempus à Trithemio definitum defunctos esse non sit dubium. Sed nec recipimus quæ ad eandem Synodum addita est appendix, de legatione, ob imminentem grassationem Hunnicam, à Seruatio Tungrensi Episcopo mox sucepta Romam ad Limina Apostolorum: Eam enim longe post hæc tempora oportuit contigisse, cum qui ibi nominatur Exuperius Episcopus Tolosanus, constet vixisse imperantibus Theodosio & filiis. Quapropter agetur de ea suo loco.

a *Trith. in Maximo ad Sur.* 18. *Nouemb.*

IESV CHRISTI ANN. 347.

IVLII ANN. 11.

CONSTANTII CONSTANTIS } ANN. 11.

ANNO CHRISTI trecentesimo quadragesimo septimo Ruffino & Eusebio Coss. celebrata est SYNODVS OECVMENICA SARDICENSIS. Id enim, quod ad tempus spectat, testantur imprimis Socrates *b* & Sozomen. *c*, dum illud duplici Chronologia consignantes, accidisse tradunt sub dictis Coss. & anno vndecimo (vt habet Socrates) siue decimo absoluto (vt potiit Sozomenus) post mortem Constantini Magni. Ex quibus aliisque plurimis auctoritatibus & argumentis, mendaciſſima conuincitur inscriptio, quæ ab incerto auctore præfixa reperitur Syriacæ editioni eiusdem Concilij; (neque enim eam Crescōniana Collectio, vel aliæ antiquiores editiones agnoscūt) qua dicitur illud habitum anno sexto Constantij, Leontio & Salustio Coss. Æra trecentesima octogesima prima. Longiusque visus est Seuerus *d* errasse, dum dixit eamdem Synodum à Cōstantino Magno conuocatam; quem tamen & ipse tunc temporis mortuum esse testatur. Sed & errore ij lapsi sunt, qui *Sardicam* ciuitatem, eandem esse putarunt cum *Sardis*, quæ est in Minori Asia ciuitas. Sardica enim confinis Illyrij, Mysiæ, atque Thraciæ reperitur: nobilis sane tunc ciuitas, in qua Constantinus Magnus aliquando habitarit, vt complura eius rescripta illic data testantur. Quæ quidem electa est ad Synodum ex Imperatorum consilio, vtpote prope confinis inter Orientale atque Occidentale Imperium, secundum partitionem à Constantino inter filios factam; cum tamen sita esset in ditione Constantij.

I. CONCILIVM SARDICENSE OECVMENICVM.

b *Socr. libr.* 2. *c.* 16.

c *Soz. libr.* 3. *c.* 11.

d *Seuer. lib.* 2. *hist.*

De numero autem Episcoporum, variæ sunt diuersorum assertiones: sed illorum penitus explodendæ, qui numerant tantum eos qui hodie leguntur post Synodi canones; quā ratione Gratianus *e* sexaginta solum interfuisse tradit. Theodore. *f* ducentos quinquaginta habet: Sozomenus *g* & Socrates trecentos ex Occidente, ex Oriente septuaginta sex. At ipse Athanasius qui interfuit, in Epistola ad Solitarios ait, conuenisse ex Oriente & Occidente Antistites numero plus minus trecentum: in Apologia vero secunda, dum in ipso principio recensēt prouincias ex quibus ad Synodum missi sunt Episcopi, plures quam trecentos conuenisse numerat: sed dum post Epistolam encyclicam Concilij nomina singulorum Episcoporum recitat, ex Italia ponit septuaginta octo, è Canalio Italiæ quindecim, (Dicebantur Episcopi illi in *Canalio* constituti, qui sedes haberent in cursu publico; via scilicet, qua equi

II. NVMERVS EPISCOPOR. *e* 16. *dist.* 11. *f Theod. lib.* 2. *c.* 7. *g Soz. & Socrat. vbi supr.*

publici per stationes singulas dispositi essent ad iter agendum; vt Imperatorum *a* rescripta declarant:) ex Gallia triginta quatuor, ex Africa triginta sex, ex Ægypto nonaginta quinque, ex Cypro duodecim, ex Palæstina quindecim, omnes numero ducentos octoginta quinque. Cæterum quoniam aliarum complurium prouinciarum, quam quæ modo recensitæ sunt, Episcopos Sardicam conuenisse, videlicet Asianos, Thraces, Græcos, & alios Orientis, Occidentis, & Septemtrionis, idem ipse Athanasius singulas prouincias nominatim enumerans, eadem Apologia testatur; haud omnes prædicta serie recensitos esse Antistites, ac præsertim Orientalium plurimos esse prætermissos, euidentissime constat: cum & in eiusdem Concilij Epistolæ Synodalis inscriptione apud Theodoret. *b*, & aliæ etiam prouinciæ nominentur, præter illas quas Athanasius recēsuit. Quamobrem in Socratis atq; Sozomeni sententiam eundum putamus, vt conuenerint Sardicæ Episcopi trecēti ex Occidente ex Oriente septuaginta sex; iidemq; omnes Catholicæ *c* communionis: nam Arianos Synodum refugisse, ac seorsum coiuisse, inferius demonstrabitur. Describunt enim eiusmodi numerū illi (vt Socrates profitetur) ex Sabini, qui extabat, de Synodis commentario, & ipsius Athanasij scriptis, quæ tunc circa numeros correctiora legebantur. Maiorem porro numerum Episcoporum ad Concilium vocatum esse, sed alios morbum, alios angustiam temporis præscripti causatos, apud sedes suas remansisse, auctor est idem Socrates *d*.

a *l. 15. C. Th. de curs. publ.*

b *Theod. lib. 2. c. 8.*

c [Imo istos 77. Orientales, fuisse Arianos, aperte Socrates affirmat: eosdēq; reiecta Sardica Philippopolim Thraciæ abisse, atq; ibi Concilium illū celebrasse, omnes consentientes.]

d *Socr. lib 2. c. 16.*

III. CŌCILIOR. GENERALIŪ DIFFERENTIA AT APPELLATIONES.

Quod igitur tanta celebritate conuocatum fuit, merito censendum est Concilium Oecumenicum. In quo monendum putamus, diuersam reperiri de his antiquorum nomenclaturam, ab illa qua nunc vtimur. Siquidem ad significandum Ecclesiæ vniuersæ Concilium, quod dicimus *Oecumenicum*, Patres olim siue *Plenarium* nominare consueuerunt, vt ex S. Augustino *e* constat; siue etiam *Magnum*, quo nomine Nicænum sæpissime nuncupatum reperies: eademq; ratione, S. Athanasius *f* instar Nicæni hoc quoq; Sardicense *Magnum* appellat. Cum vero conuocarentur Episcopi earum prouinciārum quæ sub vno Primate essent, dicebatur *Generale*; sicut eo nomine Athanasius *g* appellauit Synodū ex Ægypti Episcopis Alexandriæ ab Otio collectam. In Synodo vero Carthaginiensi Tertia *h*, nominatur *Vniuersale* Concilium anniuersarium, ad quod singulis annis ex omnibus Africæ prouinciis Episcopi conuenire solerent: eademq; ratione statutum *i* est in Gallia, vt quolibet triennio celebraretur *Vniuersalis* Synodus: suntq; alia de his complura exempla. Obtinuit tamen postea vsus, vt Concilium *Vniuersale* idem diceretur quod *Oecumenicum*; cum & eadem sit prope vtriusque vocis significatio: dicturque *Oecumenicum*, siue *Vniuersale*, vel quod ex vniuersi terrarum Orbis prouinciarum Episcopis colligatur; vel quod, licet non ex omnib. prouinciis adsint Episcopi, tamē in eo decernantur quæ ad vniuersam Orbis Christiani Ecclesiam pertinent. Quod igitur ex Oriente & Occidente, ac Septemtrione Sardicam accersiti sint Episcopi & interfuerit ac præfuerit Synodo Legatio Apostolicæ Sedis, actumq; in ea sit de rebus ad vniuersam Ecclesiā spectantibus, nempe de Arianorum damnatione; nullum restat dubium, quin eadem *Oecumenica* dici debeat.

e *Aug. ep. 162.*

f *Athan. Apol. 2. in pr.*

g *Id. ibid.*

h *Conc. Carthag. III. cap. 7.*

i *Conc. Matiscon. 1. c. 20*

IV. DISCRIMINATIO ECCLESIÆ ORIENTALIS ET OCCIDENT. *Quam bene opportune transtulimus ex Tom. V. an 431. n. XXXVI.*

Sed & quod frequentissimè in his Annalibus, & apud antiquos Scriptores Ecclesiasticos, occurrat mentio Episcoporum *Orientalium & Occidentalium*; nequis putet, Patres, & nos cum illis, errore labi, cum interdum quæ Meridiei potius, vel etiam Septemtrioni assignandæ essent prouinciæ, inter Orientales legi contingat adnumeratas; & Occidentales item dici, quæ spectant ad Meridiem, & aduersam illi Borealem partem: illud semel admonendum putamus, distinctionem eiusmodi non quidem ex situ Orbis secundum exactam Cosmographorum descriptionem fieri; sed pro ratione partiti Romani Imperij: ita vt quæcunq; prouinciæ sub Orientali Imperio essent, *Orientales*; quæ vero sub Occidentali, *Occidentales* dicerentur.

V

k *Athan. Apol. 2*

l *17. dist. 11. CLERICO-RUM EPISCO-*

Missos autem esse Legatos Sardicam à Iulio Romano Pōtifice, *Archidamum & Philoxenum* presbyteros, testatur Athanasius *k* qui Synodo interfuit; cui multo magis credendum putamus, quam Gratiano *l* recensenti Vincētium Episcopum Capuanum, Ianuarium Beneuentanum, & Calepodium Neapolitanum. Quod siquis ex Episcopis qui Concilio interfuerunt, Apostolicæ Sedis Legatus putandus est; *Osius* Cordubensis potius dicendus; quem eodem munere functū vidimus in Magna Nicæna Synodo; quēque inter Episcopos Sardicenses Conuentus idem Athanasius primo loco ponit, vna cum *Protogene* Episcopo Sardicensi: nam & Sozomenus *a* hos principem locum inter Episcopos Occidentis tenuisse tradit. Porro Osium egisse patronum Synodi, (cuius muneris erat definienda proponere, atque singulorum rogare sententias) tum ex rebus gestis apparet, tum ipse Athanasius, aliique affirmant. Inter cæteros autem celebres Episcopos, interfuerunt eidem Synodo *Maximus* Hierosolymitanus, *Paphnutius* & *Spiridion* Confessores, atque *Serapion* insignis ille Thmueos Episcopus; & ex Italia *Protasius* Mediolanensis, ac *Seuerus* Rauennas; ex Gallia *Maximinus* Treuerensis, *Sernatius* Tungrensis, *Simplicius* Augustodunensis; & alij plurimi sanctitate illustres.

a *Soz. lib. 3. c. 11.* [Cæterum Osium vere præfuisse Synodo Sardicensi loco oluslij Papæ, eumq; rationib. demonstrat Card. Perro. Resp. ad Reg. Mag. Brit. li. 1. cap. 35.]

VI. QUID ARIANI SARDICÆ EGERINT.

Qui vero ex Arianis ob scelus magis famosi Sardicam venerunt, potius quam ad Concilium conuenerunt; numerantur in eiusdem Concilij Epistola Synodali, Theodorus Heracleæ, Narcissus Nerodiadis Ciliciæ, Stephanus Antiochiæ, Georgius Laodiceæ, Acacius Cæsareæ Palæstinæ, Menophantes Ephesi, Vrsacius Singidonis Mysiæ, & Valens Mursi Pannoniæ. Traditurque ibidem, istos in itinere seperatim inter se Concilium coegisse, ac pactos esse nequaquam se vel ad iudicium accessuros, vel in Synodum intraturos; sed mox vt Sardicam peruenissent, tanquam officio suo perfunctos, quamprimum inde recessuros. Habet tamen Athanasius *b*, eos fiducia quorūdam Comitum, quos secum duxerunt, fretos, audacter quidem se se obtulisse, sperantes eorum viribus iterum posse cuncta confici: verum cum cernerent omnia Ecclesiastico more geri, causæ suæ diffidentes, & damnationem metuentes, consilio simul inito, turpem excusationem finxisse, quasi Imperator ipsis triumphalia de Persis per literas scripsisset; sicque fugam adornasse, & impudenter hanc cauillationē per vnum presbyterum Ecclesiæ Sardicensis Synodo renunciasse: Osio vero patrono Synodi illis significante, vt aut occurrerent responsuri de suis in alios, & de aliorū in ipsos criminibus; aut certo scirent, se pro reis à Synodo condemnandos, & Athanasium cum suis vt puros ab omni crimine absoluendos; eosdem Arianos maiori conscientiæ metu anxios, ne ad respondendum quidem ausos se reflectere, summa intentione fugam rapuisse. Hæc Athanasius.

b *Athan. Apol. 2. & ep. ad Solit.*

VII. ATHANAS. ABSOLVITVR, ARIANI DAMNANTVR.

Idem vero rem in Synodo post hæc gestam de sui ipsius absolutione, & cōdemnatione Eusebianorum, summatim complectens; ait, cognita Arianorum malitia, permisisse fuisse ipsi Athanasio cum suis, vt causam dicerent de calamitatib. suis, & calumniis quas passi essent; auditisque eorum rationibus, ipsos innocentes pronunciatos esse, ac sedibus suis restitutos; eorum vero accusatores (nempe eosdem illos Episcopos Arianos nuper recensitos) damnatos atque depositos: sed & Gregorium Pseudoepiscopum Alexandrinum iudicatum fuisse indignum qui Christianus appellaretur; eiusdemq; acta omnia, & ordinationes quascunque penitus rescissas esse. Hæc (vt diximus) summatim Athanasius de Iudicio Sardicensi: quæ narrantur diffusius cum in literis Synodalibus ab eodem Concilio scriptis ad Iulium *c* Romanum Pontificem, & ad Ecclesiam *d* Ægypti, tum maxime in Circulari Epistola *e* ad cunctas vbique positas Catholicorum per Orbem Ecclesias exarata: quæ omnes adhuc supersunt; exciderunt vero, quas missas esse ad Impp. Constantium & Constantem est mentio in Epistola ad Iulium. Aliis autem, ac præcipuè Circulari docetur, in his omnib. obseruatum esse legitimum iudicium Ecclesiasticum; & neque Athanasium absolutum esse, nisi post accuratam eius innocentiæ cognitionem; neque Arianos damnatos, nisi post exacte perspectas illorum calumnias, fallaciasque, & postquam sæpius legitimè citati, prorsus iudicio se sistere recusassent: sed & absoluto iudicio Athanasij, causam quoque Marcelli Ancyrani, & Asclepæ Episcopi Gazæ, expositam esse & examinatam;

c *Ext. inter Hilar. frag. lib. 1.*

d *Ap. Athan. Apol. 2.*

e *Ap. Athan. ibid. & ap. Theod. lib. 2. c. 8.*

ipsosq;

ipsosq; pariter innocentes repertos, absolutos esse, ac sedibus suis restitutos, secundum Iulij Papæ sententiam iam antea Romæ latã; damnatis atq; depositis iis qui ab Eusebianis in locum ipsorum fuerant subrogati, Basilio Ancyræ, & Quintiano Gazæ.

VIII. CAVSA ASCLEPÆ GAZENSIS EPISCOP.

Porro de Arianorum in Marcellum accusationibus, satis superius dictum est. *Asclepas* autem cum aliquando coisset cum illis ante Nicænum Concilium, ac post illud celebratum Catholicam fidem professus esset; eam ob rem ab Eusebianis in eum exacerbatis, in Conuenticulo Tyrio (vt scribit Theodoretus *a*) prauæ doctrinæ accusatus est: verum in Conuentu Antiocheno (vt quidem eadem Circulari Epistola traditur; sed quinam hic fuerit conuentus Antiochenus ignoratur:) causa cognita, innocens ab Episcopis iudicatus; cum rursum ab eisdem Eusebianis exagitatus, & de altaris euersione (vt scribit Sozomenus *b*) accusatus, sedeque spoliatus, Romam confugisset ad Iulium Papam: iterum diligenter inspectis Actis contra eum cõfectis, & calumniis aduersariorum perspicuè patefactis, (quod superius diximus) idem innoxius, ac dignus communione Catholica, ab eodem Romano Põtifice declaratus est; cuius sententiam Synodus confirmauit. Addunt vero Socrates *c* & Sozomenus *d*, Paulum quoque Episcopum Constantinopolitanum vna cum Athanasio eidem Synodo interfuisse; Arianos autem fuisse hos adeo detestatos, vt iis à Synodo in communionem susceptis, noluerit Concilio cum aliis præsentes esse. At Theodoretus *e* ait, Paulum vetitum fuisse à Catholico populo Cõstantinopolitano Sardicam progredi, quod sciret paratas illi esse insidias ab Arianis: quod & verius putamus, cum in prædictis Epistolis Synodalibus nullam penitus de Paulo, sicut de cæteris Episcopis ab Arianis accusatis, & à Synodo absolutis, verbum habeatur.

a *Hilar. cont. Const.*

b *Soz. lib. 3. c. 7.*

c *Socr. lib. 2. c. 16.*

d *Soz. lib. 3. cap. 10.*

e *Theod. lib. 2. c. 5.*

IX.

Cæterum quæ apud Athanasium *f* descripta est Epistola Encyclica Concilij Sardicensis, apud Theodoretum *g* aucta reperitur appendice; nempe tractatione seu regula Catholicæ fidei, quam etiam Sozomenus *h* agnoscere videtur. Sed eam aliunde superadditam esse, Athanasius *i* apertè docet, dum disertis verbis affirmat, in Concilio Sardicensi nullam prorsus editam Catholicæ fidei regulam; nec priorem Nicænam permissam esse vel vno verbo aut apice augeri, aut quouis prætextu explanari: sed & contra eos qui id contenderent, à Patribus declaratum esse, contentos se esse Nicænæ fidei Symbolo; decretoque Synodi sancitum, ne quid vlterius de fide scriberetur, ne fidei professio Nicæna suos numeros non habere videretur; neve illis, quibus libido esset semper noua statuere, occasio inde supeditaretur iterum atque iterum de fide definire: denique siquid eiusmodi, tanquam ex Synodo Sardicensi proferretur, penitus spurium esse. Hæc Athanasius. Ex quibus etiam erroris conuincitur Vigilius *k* Episcopus Tridentinus, dum agens contra Eutychen, affirmat septem capitula ad fidem spectantia, post illa quæ Nicææ statuta essent, in Sardicensi Concilio fuisse addita. Sed ista forte tum ipse, tum alij hauserunt ex professione Arianorum, lata nomine Synodi Sardicensis, de qua dicetur paulo post.

f *Athan. Apol. 2.*

g *Theod. lib. 2. c. 8.*

h *Soz. lib. 3. c. 11.*

i *Athan. ad Antioch.*

APPENDIX COMMENTITIA DE FIDE SARDICÆ TRACTATA.

k *Vigil. cont. Eutych. lib. 5.*

X.

Quod vero ad Acta legitimæ Synodi Sardicensis attinet; in Dialogo Liberij Papæ cum Imp. Constantio, qui recitatur à Theodoreto *l*, ab eodem Liberio asseritur, Theognidem, Theodorum, Marem, Valentem, & Vrsacium, Episcopos Arianos, in eodem Concilio libellos supplices dedisse, postulasseq; veniam pro eo quod cõmentarios vnius partis suffragiis per calumniam contra Athanasium in Mareote confecissent. Sed hæc cum non extent in superius citatis Synodi Epistolis, in quibus omnia quæ in causa Athanasij eatenus essent gesta narrantur; in eam imus sententiam, vt hæc post illas datas contigerint. Potuit autem perfacile accidisse, vt iidem Ariani Episcopi cum aliis suæ sectæ diffidentes, eiusmodi libellum ad Synodum miserint, aut etiã ipsimet Sardicam accesserint: cum & de Valente atq; Vrsacio liqueat, id genus alias (vt suo loco videbitur) Romano Pontifici obtulisse libellos, sæpe pœnitentes, & in errorem iterum relabentes. Quinimo & ipsum Constantium Imp. in hac eadem Synodo Sardicensi, necnon in Sirmiensi

l *Theod. lib. 2. c. 16.*

postea celebrata, *Substantiæ* nomine approbato, pium se Occidentalibus mentitum esse Hilarius *a* contra ipsum agens exprobrat.

Quod autem Epiphanius *b* scribit, in eodem Concilio Sardicensi damnatum ac depositum fuisse PHOTINVM Episcopum Sirmiensem hæresiarcham, qui Christum solum hominem asserebat, & ante Mariam extitisse negabat; à plerisque putatur errore lapsus, & loco *Sirmiensis* posuisse Synodum *Sardicensem*: sicut & Seuerus *c*, dum ait eundem Photinum iam etiam antehac hæreseos damnatum, Sardicæ iteratam damnationis sententiam accepisse. Verum quod Epiphanius id de prædamnatione Photini in Synodo Sardicensi, & iterata eiusdem damnatione in Sirmiensi, ex ipsis Sirmiensibus Actis se accepisse profiteatur; haud facile concedendum putamus, eum in eiusmodi narratione hallucinatum esse. Certe quidem Photini hæresim iam ante hæc tempora palam factam esse, fidem facit professio *d* fidei scripta iterũ ab Eusebianis in posteriori Concilio Antiocheno ante triennium celebrato; in qua sicut *Marcelliani*, ita & *Photiniani* taxantur hæretici: licet apud Athanasium cum eadem recitatur, loco *Photini* legatur *Scotini* *e*, velut alias sæpe apud aliquos etiam. Fuisse autem Photinum Marcelli discipulum constat; eundemq; ingenij viribus florentem, doctrina & eloquio præpotentem, linguarumque cognitione excellentem extitisse, Epiphanius & Vincentius *f* Lirinensis tradunt. Sed de eius erroribus plura inferius in Synodo Sirmiensi. Interim vero corrigendus Epiphanius, quod ait eum à Sirmio originem duxisse; quem constat fuisse quidem Sirmiensem Episcopum, sed natione Galatam ex vibe Ancyra; quam monstrotum eiusmodi feracem extitisse, S. Hieronymus *g* tradit.

b *Epiph. hær. 71.*

PHOTINI DAMNATIO IN SYNODO.

c *Seuer. lib. 2. hist.*

d *Ap. Socr. lib. 2. c. 15. & Athan. de Synod. Vid. Baron. an. 342. num. XLIX.*

e [*Videlicet per antiphrasin φῶς quippe lumen significat: σκότος tenebras. Lucifer Calaritanus in Constantium Aug. Orovt respondeas, quid sit inter te & Cõscetinum tuũ, quẽ verso ordine Sirmienses vocant Photinum.*]

f *Vinc. Lirin. c. 16.*

g *Hier. præf. in comment. ep. ad Gal.*

Cæterum postquam in Synodo Sardicensi diuersorum Antistitum causæ tractatæ sunt; vltimo loco secundum diuersas Episcoporum suggestiones, rogante Osio Synodi patrono sententias Patrum, Canones viginti & vnus sancitî sunt, ad disciplinam Ecclesiasticam spectantes, quam Ariani pluribus modis conuellerent. Et quod maximè pertinet ad Romanæ Ecclesiæ dignitatem, quoniam iidem Ariani adeo indigne ferebant condemnatos à se Episcopos, per Iulium Papam absolutos esse, & sedi pristinæ restitutos; statutum *h* est à Patribus, vt siquis in iudicio comprouincialium Episcoporum se iniuste damnatum putaret, liberum ei esset prouocare ad Romanum Pontificem, qui vel iudicata cõfirmaret, vel denuo eandem causam cognosceret. Sed & quod pendente coram Iulio eorundem Episcoporum causa, Eusebiani in eorum locũ alios subrogassent; additum est decretum *i*, ne liceret aliquem sufficere in locum damnati Episcopi, dum ille qui Romanum Pontificẽ appellasset, eius expectaret sententiam. Rursumq; inculcatum est *k* de Episcopis depositis, appellantibus ad Romanum Pontificem; vt ei liberum esset vel causam delegare finitimis Episcopis, aut è latere presbyteros in prouinciam mittere. Ac denique de proficiscentibus ad Comitatum (ad Curiam scilicet, vbi ageret Imperator) statutum est, vt si eos in Vrbem venire contingeret, Romano Pontifici libellos precum Imperatori offerendarũ aperirent; qui cuncta prius examinaret, & si digna sibi visa essent, ea curaret ad Comitatũ perferenda. Reliqui vero eiusdem Synodi canones, fere pertinent ad rite peragendas Episcoporum ac clericorũ ordinationes, ac cohibendas eorundem translationes & diuagationes in alias sedes & prouincias, necnon ad præstandam residentiã in Ecclesiis suis: quorũ nonnulli desumpti apparent ex canonibus Concilij Nicæni; nempe primus, decimus sextus, & decimus nonus, qui in Nicæno sunt quintus; decimus quintus cum duobus sequentibus.

XI.

h *Conc. Sard. c. 3.*

i *Ibid. c. 4.*

k *Ibid. c. 7.*

XII. CANONES CONCILII SARDIC. *De quibus, (quod spectat Appellationes ad Rom. Sedem illic stabilitas) præclare admodũ Card. Peron. Resp. ad Reg. Mag. Brit. lib. 1. c. 53.*

l *Ibid. c. 10.*

Quod autem in Latina editione eiusdem Sardicensis Synodi legitur, ei subscripsisse Episcopos centum viginti & vnum; istud quidem desideratur in Græcis exemplaribus, quæ extant apud Theodorum *m* eiusdem Synodi canonum interpretem, qui trecentos quadraginta & vnum Episcopos Sardicæ conuenisse, & ista decreuisse testatur. Deest ibi in Græcis exemplaribus canon decimus octauus, qui habetur in Latinis. Auctorque est Dionys. cognomento

XIII.

m *Theodor. Balsam. in Nomoc. Photij.*

ACTA CONCILII EDITA GRÆCE ET LATINE.

Exiguum, in Epistola ad Stephanũ Papam, quæ extat in Collectione Cretconiana, ipsum Sardicense Concilium à principio inter Latinos Latinè editum esse. Verum & Græcè quoq; scriptum à Græcis, testatur Nicolaus Romanus Pontifex in Epistolis ad Photium Constantinopolitanum scriptis: qui quod sentiret suam ipsius ordinationem ex canone decimotertio eiusdem Concilij labefactari, prohibente ne quis ex laico ad Episcopalem sedem absq; diuturna in quolibet inferiore gradu exercitatione promoueretur; negabat veteratorie, in Oriente reperiri canones Sardicenses: quos tamen ipsemet in suo Nomocanone honoris causa crebro inter primos intexuit.

XIV.

a *Sozom. lib. 3. hist.* CALVMNIÆ ARIANORŨ ADVERSVS SYNODVM.

Sciendum vero, hanc Synodum a haud leuem passam esse ab Arianis calumniam, quod absoluerit Marcellum Episcopum Ancyranum, qui iam antea ab iisdem Arianis damnatus hæresis Sabellianæ, postea quoq; eadem censura perculsus est ab Athanasio. Verum cum ex iis quæ de illo dicta sunt superius, & quæ habentur in Epistola Synodali Concilij Sardicensis, manifestum reddatur, hactenus illum inter Catholicos rectam fidem professum esse; nullum plane faciendum est negotium, vel Iulio Papæ, qui eum primo secundum ea quæ in publicum iudicium delata essent absoluit; vel Synodo Sardicensi, quæ Iulij sententiam itidem secundum Acta edita confirmauit; quid postea Marcellus impiè scripsit, vel quod impiè antea in Oriente credidisset, vel etiam scripsisset, ita occultauit in Occidente vt minime Catholicis esset cognitum. Cæterum qui cuncta Marcelli accuratissime pertractatus est Epiphanius b, affirmat de eo varias fuisse diuersorum sententias; & quosdam quidem asseruisse eum vere Sabellianum extitisse, alios vero semper eum recte sensisse, aut certe si aliquãdo hæresim docuisset, eam postea emendasse, ipsius Athanasij testimonio demonstrare videtur. Sed non modicam Marcello inussit notam *Photini* eius discipuli execranda impietas, de qua nuper diximus; necnon vulgata ab Arianis in deteriorem partem accepta scripta Marcelli, & quod eiusdem postea discipuli (vt idem testatur Epiphanius c) tres in Trinitate substitentias confiteri minime voluerunt. Vnde & factum est, vt ipsius quoque Marcelli nomen pessimè apud posteros audierit, ac in eundem tanquam hæreticum Basilius d & Hilarius e declamauerint; coniunxeritque eum Chrysostomus f Photino atque Sophronio, qui Verbum ab humanitate Christi separabant: sicut & Theodoretus g eandem ei tribuit hæresim, & alij omnes recentiores.

b *Epiph. hær. 72.*
c *Id. hær. 73.*
d *Basil. ep. 52. ad Athan.*
e *Hilar. lib. 7. ad vers. Arian. & ep. Hier. de Script. Eccl. in Marcel.*
f *Chrys. hom. 6. in ep. ad Philip.*
g *Theod. hær. fab. lib. 2.*

XV.

VSVRPANT NOMEN CÕCILII SARDIC.

Sed grauiorem passa est Synodus Sardicensis iacturam, ex eo quod cum Ariani Sardica regressi seorsum egissent Conciliabulum, idemque Sardicensis Concilij nomine honestassent, fauore Imperatoris factum fuerit, vt illud tantum Sardicense Cõcilium omnibus in locis peruulgaretur, quod confectum constaret ab Arianis. Vnde & multi nec in aures nomen Concilij Sardicensis admittentes, ipsum omnino execrati sunt. Iidem namq; Ariani Sardica (vt vidimus) fuga lapsi, Philippopoli in Thracia consistentes, seperatim per se (inquit Sozomen. h) in vnum coacti, stabilitis antiquis decretis suis de Athanasio, Paulo, Marcello, & Asclepa; imprimis Iulium Episcopum Romanum, quod primus omnium cum eis communicasset, deinde Olium, Maximinum Treuerensem, Protogenem Sardicensem, & Gaudentium, eadem aliisq; præsumptis causis, abdicarũt; idq; per literas omnibus Episcopis significarunt, quo ab eorum cõmunione abstinerent: sed & fidei formulam promulgarunt, quæ vt nullam vocis Consubstantialis faciebat mẽtionem, sic eis cõmunione Ecclesiæ interdicebat, qui dicerent tres Deos esse, aut Christum non esse Deum, aut Patrem & filium & S. Spiritum eundẽ esse, aut Filium ingenitum, aut fuisse tempus quando nõ erat. Hæc pluribus Sozomenus. Sicque hic primum furor hæreticæ prauitatis, terminos omnes præsumptæ ab aliis temeritatis excessit; dum ausa est Ariana procacia illud nefas in Romanum Pontificem, quod vel cogitare quælibet execranda hæresis, licet ab eo abdicata, hactenus sibi inconcessum putauit.

h *Soz. lib. 3. c. 10.*

PRIMVM AVSI EXCOMMVNICARE ROM. PONT.

XVI.

Sed & quod alia furore insanientes, alia vero dolo fallentes, in suo ipsorum conuenticulo perpetrarunt; nouam ibi, post quatuor alias ante ab eis editas, eudentes fidei regulam, deforme monstrum honesto Sardicensis Concilij nomine decorarunt. Extat namq; hactenus illa Epistola Synodalis, quam ab illis ex eodem Conciliabulo ad omnes Ecclesias, de Iulij & aliorum abdicatione scriptã tradit Sozomenus: quæ cum habeat in fine illam ipsam fidei formulam, cuius argumentum idem auctor describit; eadem tamen nomine Sardicensis Synodi inscripta legitur. Sicut & iidem Ariani in alia Epistola b Synodali ex conuentu Ancyrano ab eis postea celebrato, recensentes Synodos à se diuersis locis & temporibus actas, & quid in singulis gestum esset; aperte professi sunt, se fidei formulã Sardicæ edidisse: cum tamen Athanasij, quam vidimus, testificatione omnino constet, nullam penitus Sardicæ factam esse Catholicæ fidei formulam. Vt iam nulla possit esse dubitatio, impostores qui Philippis hocanno conuenerunt, eam quam scripserunt edidisse nomine Synodi Sardicensis. Nam & quæ extat apud Hilarium c eiusdem Synodi nomine insignita, eadem ipsa esse cognoscitur, quæ prædicta Arianorũ Epistola continetur: qua quidem licet à professione Nicæna deflexerint, non recipientes nomen Consubstantialitatis in Filio Dei: tamen quod (vt ab hæresi Ariana se abhorrere monstrarent) positiones quasdam Arij damnauerunt; ex eo id lucri apud nõnullos consecuti sunt, vt SEMIARIANI fuerint nominati; sicut pluribus declarat Epiphanius d, dicturq; à nobis inferius.

a *Ext. inter Hilar. frag. lib. 2.* SARDIC. CÕCILII NOMINE EDITA NOVA ARIANOR. FIDEI PROFESSIO.
b *Ext. ap. Epiph. hær. 73.*
c *Ap. Hilar. de Synod.*
SEMIARIANI HÆRETICI.
d *Epiph. hær. 73.*

XVII.

Cum igitur eadem Arianorum Synodalis Epistola Pseudoconcilij Sardicensis, missa quoque esset in Africam ad Donatum Carthaginiensem Episcopum Donatistarum, vt eum Ariani sibi conciliarent, (siquidem Gratus e eiusdem ciuitatis Episcopus Catholicus, interfuit legitimæ Synodo Sardicensi vna cum aliis triginta quinq; Episcopis Africanis;) ac inde posteriores Donatistæ probare niterentur, se fuisse cum Orientalibus communione coniunctos: aduersus eos disputans Augustinus f, absolute excepit, Sardicense Concilium Arianorum fuisse; idque duobus potissimum argumentis, videlicet quod in eo Athanasius, & Iulius Romanus Episcopus, legerentur esse damnati; & quod literæ Synodales inde scriptæ, inuenirentur datæ, contra morem, ad Episcopum Carthaginiensem, Romano prætermisso. Porro sicut Augustinum non fefellit, illum ipsum, ex quo eiusmodi literæ datæ erant, fuisse Arianum conuentum, Sardicensem ab ipsis nuncupatum: ita satis liquet, eundem præteriisse legitimum Sardicense Cõcilium, cum nec tunc necessariam adhibuerit distinctionem, quodnam germanum quodve spurium fuerit, nec vsquam alibi meminerit aliquando legitimi. Quod equidem admirari non desino, cum non solum (vt dixi) Gratus Carthaginiensis cum aliis triginta quinque Africanis Episcopis, eidem legitimæ Synodo præsto fuerit, sed & in Primo Concilio g Carthaginiensi anno sequẽti coacto, idem ipse Gratus inentionem fecerit illius canonum. Quãobrem existimamus, vel ex tot tantisque inuasionibus atque grassationibus à Donatistis aduersus Catholicos sæpe conflatis, vel alio aliquo casu nobis incomperto, canones Sardicenses in Africa penitus excidisse; ipsumque Primum Carthaginiense Concilium Augustini tempore latuisse.

e *Athanas. Apol. 2.*
f *Aug. 3. cont. Crescon. 34. & ep. 163. ad Eleus.* CONCIL. LEGITIMVM SARDIC. PASSVM IACTVRAM IN AFRICA.
g *Con. Carthag. 1. c. 5.*

XVIII

CONFVSI CANONES NICÆNI CÕ SARDICENSIB.

Sed quod nos in maiorem admirationem adducit; quomodo accidit vt Zosimus & Bonifacius Rom. Pontifices, in discordia cũ Africanis Episcopis, de qua dicetur suo loco, Sardicenses canones citauerint nomine Synodi Nicænæ? cum præsertim nulla in his de dolo malo posset esse suspicio, q; vtrumq; Conciliũ Oecumenicum fuerit, & æquè ex hoc atq; illo necessario conuincendi fuissent Africani Episcopi? Alterũ igitur de duob. contigisse oportuit; vel quod Concil. Nicænũ & Sardicense pro vno & eodẽ haberẽtur, (tum q; pleriq; ex Patrib. in vtroq; Concilio interfuerunt, tum quod nihil noui quoad fidẽ in Sardicensi definitũ est sed solum Nicæna Fides confirmata, cum in aliis Conciliis semper nouæ hæreses damnatæ fuerint;) vel quod in codice Bibliothecæ Romanæ, aliquis canonũ collector, quod sciret nomen Concilij Sardicensis ab Arianis esse magnopere infamatum, eiusdem canones collocasset absq; titulo sub Nicænis. At de his modo hactenus.

Missi

XIX. LEGATI SYNODI AD CONSTANTIVM IMP.

Missi vero sunt demum Legati ex eadem Synodo Sardicensi ad Constantium Imper. tunc agentem Antiochiæ, vt secundum decreta Synodi, ipse quos eiecerat Episcopos ad suas Ecclesias reuerti pateretur: delectis ad hoc munus *Vincentio* Episcopo Capuano, legatione olim Sedis Apostolicæ in Concilio Nicæno, dum adhuc presbyter esset, magna laude perfuncto, & *Euphrate* Agrippinensi, de quo superius: quos quidem ab ipsa S. Synodo directos esse, Athanasius *a* qui aderat testatur; licet Theodoret. *b* à Cõstante Aug. missos scribat, eisdemq; additum *Salianum* Ducem. Sed putamus, à Synodo (quod decebat) duos illos Episcopos legatos esse; ab Imperatore autem Salianum. Quæ vero ab eis gesta sint, dicemus anno sequenti.

a *Athan. ep. ad Solit.*
b *Theod. lib. 2 c. 8. ad fin.*

IESV CHRISTI ANN. 348.

IVLII ANN. 12.

CONSTANTII CONSTANTIS } AN. 12.

I. ARIANORŨ SCELERA POST CONCIL. SARDIC.

ANNO CHRISTI trecentesimo quadragesimo octauo, Flauio Philippo & Flauio Sallea Coss. Ariani Episcopi qui fuerant à Sanct. Synodo Sardicensi exauctorati, cum ad propria remeassent, scelera sceleribus addentes, quamplurimos vbique Episcopos Orthodoxos ipsis aduersantes, exiliis contumeliisque affecerunt, opera Constantij Imperatoris, ad omnia quæ ipsi vellent promptissimi: curaueruntque vt portus & introitus ciuitatum obseruarentur, ne quibus à Synodo concessus erat reditus ad Ecclesias suas pateret. Sed & quod in ipsorum Arianorum regressu, Hadrianopolitani auersati essent eorum communionem, vt fugientium à Synodo, & noxiorum; re ad Imperatorem delata, effecerunt vt plurimi more laicorum capite plecterentur. Tantusq; eorum vbique terror extitit, vt multos coegerint ad ipsorum hæreseos simulationem; multique alij maluerint in eremum fugere, quã in illos incidere. Narrat hæc summatim Athanasius *c. Hadrianopolitanorum* vero Martyrum tunc occisorum, necnon *Lucij* eorum Episcopi, ab iisdem Arianis postea in exilio moti coacti, aliorumque nonnullorum Antistitum, quos eadem passos Athanasius tradit, dies natales anniuersaria commemoratione in Ecclesia Catholica celebrantur.

c *Athan. ep. ad Solit.*

EPISCOPI MARTYRES ET CONFESS.

II. LEGATI SYNODI QVID PASSI ANTIOCHIÆ.

His autem recensitis, idem Athanasius pergens narrare quæ in ipsos etiam Vincentium & Euphratem Episcopos, Legatos à Sanct. Synodo ad Imperatorẽ Antiochiam missos, iidem impij Ariani ausi fuerint; ait, Stephanum Antiochenum Episcopum Arianum; consilio cum aliis inito, in ipsis festis sanctissimi Paschatis, conductam publicam meretricem, per quosdam suos clericos, aliosque facinorosos homines, noctu immisisse in cubiculum Euphratæ, quo tum ei, tum collegæ Vincentio crimen adulterij intentarent: sed meretricem fraudis insciam, cum putaret se ad iuuenem duci, viso sene Episcopo clamorem edidisse; eoque detectos facinorosos, & ad iudicium raptos, prodito auctore sceleris Stephano, hunc iussu Imperatoris ab Episcopis qui tunc Antiochiæ reperti sunt abdicatum esse, & ab Ecclesia penitus expulsum. Hæc paucis Athanasius: quibus nonnulla addit Theodoretus *d*, rem diffusius narrans. Ambo vero queruntur, non ideo Ecclesiam Antiochenam Ariana labe liberatam esse: quippe quod in Stephani locum suffectus fuerit *Leontius* castratus, genere Phryx, homo nequissimus & versutissimus, de cuius spontanea abscissione dictum est in Concilio Nicæno; ob quam nec ad laicam communionem admittendum fuisse, idem Athanasius aduersus Arianos proclamat.

d *Theod. lib. 2 c. 9.*

III.

Porro Constantius (vt iidem auctores subdunt) paulisper ad se rediens, coniectura eorum quæ aduersus Euphratam designata fuerant, consimiles esse Arianorum in alios calumnias arbitratus, Alexandriam scripsit, ne vlterius Athanasium, aut ei adhærentes clericos laicosve persequerentur; ipsumque Athanasium crebris literis accersiuit. Sed accersitus Athanasij ad annum sequentem pertinet: cum interim ipse (vt alibi e testatur) post Cõcilium Sardicense Naissum se recipiens, inde à Constante Imp. e- vocatus, confecto itinere per reliquum tempus Aquileiæ hæsit, vbi literæ Constantij eum deprehenderunt. Quod vero decem mensium moras (nempe, vt ipse Athanasius scribit, vsque ad obitum Gregorij Pseudoepiscopi Alexandrini) traxerit Constantius restituendi Athanasij; plane arguit, minaces illas literas, quas Theodoretus *f*, Socrates *g*, & Sozomenus *h* tradunt Constantem misisse ad fratrem Constantium, quibus minatus est nisi Athanasium & Paulum Ecclesiis suis restitueret, se eo accessurum, & *inuito i*- pso eos in suas sedes introducturum; non statim post Sardicense Concilium, sed post Constantij prolixas moras esse conscriptas. Quibus ille tandem impulsus, non solum passus est Paulum Constantinopolim redire; sed & ipsum Athanasium adhuc sibi metuentem, literis sæpius iteratis accersiuit.

e *Athan. Apol. ad Const.*

CONSTANS IMP CVRAT RESTITVTIONEM ATHANASII ET PAVLI.

f *Theod. lib. 2. c. 8.*
g *Socr. lib. 2. c. 18.*
h *Soz. lib. 3. c. 19.*

IV. CONCIL. CARTH DICTVM PRIMVM.

Hoc eodem anno, vel sequenti, habita est SYNODVS CARTHAGINIENSIS, occasione Legationis à Constante Imp. in Africam missæ per Paulum & Macarium VV. CC. ad vniendos Donatistas Ecclesiæ Catholicæ. Suntque hæc illa tempora *Macariana*, (sic denominata ab altero Legatorum) quorum frequens est mentio tum apud Optatum & Augustinum, tum etiam apud ipsos Donatistas. Sed perperam in veteri Conciliorum editione ponitur ea Synodus tempore Siluestri, vel Marci Papæ, & sub Imperio Constantini; cum legationem Macarij, ipsaq; Macariana tempora contigisse sub Constante, frequẽtius iidem Optatus & Augustinus inculcent. Et quod ex præfatione indita eidem Synodo, constet eodem ipso anno quo ea est habita, missos esse dictos Legatos Paulum & Macarium; rursumque exploratum habeatur, eandem Synodum celebratam esse post Sardicensem; cuius in ea fit mentio *i*, ac denique certum sit, Constantem Imper. anno post sequentem ipso eius exordio necatum esse: ex his omnibus necesse esse affirmare, dictum Concilium Carthaginiense; post Conuentum Sardicensem, & viuente Constante, sub Iulio Papa; hoc vel sequenti anno fuisse collectum; ipsaq; Macariana tempora iisdem finitibus esse terminanda.

MACARIANA TEMPORA.

i *Conc. Carth. c. 1.*

V. OCCASIO LEGATIONIS AFRIC. A CONSTANTE IMP. MISSÆ.

Quoniam vero prius contigit Legatio, quam celebratio Synodi; vt de illa primum agatur, existimamus Gratum Episcopum Carthaginiensem, qui anno superiori Sardicam venerat, conuenisse quoq; Constantem Augustum, ac de statu deploratissimo Africanæ Ecclesiæ, Donatistarum schismate miserè laceratæ, certiorem reddidisse. Quamobrem idem Imp. cuius omne studium inuigilabat, vt toto terrarum Orbe Christiana religio, ab hæresibus & schismatibus vindicata, vna vbiq; fide ac concordia floreret; selectos ex multis maximè pios atq; amplissimos viros Paulum atq; Macarium in Africam Legatos direxit; eo quidem titulo, vt munificentia Imperatoris pauperum omnium subleuarent inopiam, re vera autem vt populum eiusmodi beneficentia demeritum ad ineundam cum Catholicis concordiam pellicerent. Docet hæc enim imprimis Optatus *k* Meleuitanus, (dum interpolata licet oratione) describit qui ab iisdem Legatis, itemq; aduersus eos in Africa gestum fuerit.

k *Opt. lib. 3. cont. Parm.*

VI. DONATIST. CONATVS ADVERSVS LEGATOS.

Accidit namque vt cum iidem munere suo egregiè fungentes, & pauperum nomina vbique dispungerent, & ad vnitatem singulos hortarentur: Donati duo, omnium Donatistarum factiosissimi, alter Carthaginiensis, Bagaiẽsis alter eiusdem Schismatis Antistites, sanctæ pacis legationi magno conatu restiterint; adeo vt Carthaginiensis, homo impudentissimus, (de cuius fastu & arrogantia iam dictum est alias) ipsi etiam Imperatori contumelias irrogarit, eundemque blasphemiis proscinderit; præmiseritque per totam Africam ad homines suarum partium, ne eiusmodi eleemosynam ab eo acciperent, quod alienus esset à sua communicatione: Bagaiensis vero, armatis

quoque Circumcellionibus, (hominibus ad omne nefas promptissimis, de quibus etiam alias dictum) resistere obnisus sit. Narrat hæc pluribus (vt diximus) Optatus. Cæterum cum aduersus eiusmodi armatos ac furiosos Circumcelliones (quod idem scribit) Legati pro sui defensione milites à Præfecto Africæ postulassent; horumque nonnullis ab ipsis Circumcellionibus iniuria affectis, reliqui omnes commoti multos ex iisdem Circumcellionibus occidissent: hæc posteriores Donatistæ frequenter in Catholicos obiectare *a* consueuerunt, eosdemque nuncupare *Macarinos* ab altero Legatorum; necnon *b* *Paganos*, hoc est idololatras, ob præsumptam eiusmodi persecutionem.

a *Aug. cont. lit. Petil. lib. 2. c. 39.*
b *Opt. lib. 3.*

VII. POPVLVS DONAT. AD ECCLESIAM REVERTITVR.

Sed quamuis non in ipsis Donatistarum Episcopis tamen in populo eis subiecto optatum concordiæ finem consecutam esse legationem, & idem Optatus innuit, & Carthaginiense Concilium, de quo proximè dicturi sumus, apertè significat *c*. Ipsos autem Episcopos vna cum clericis suis fugam arripuisse, & ex eis aliquos esse defunctos, fortiores vero captos & procul relegatos, Optatus tradit. Meminitque Hieronymus in Chronico, expulsionis Donati Carthaginiensis: Sed quod eam ponit Constantij Imper. anno vigesimo, plane error inest in tempore; cum ex eodem Optato constet Donatistas Episcopos à Cõstante relegatos esse, & nunquam nisi per Iulianum Apostatam restitutos.

c *Conc. Carth. a. 1. in præf.*

VIII. QVID ACTŨ IN SYNODO CARTH. I.

His igitur sic peractis, mox per Gratum Carthaginiensem Episcopum Catholicum ibidem *Carthagine* CONCILIVM conuocatum est; in quo redditis Deo gratiis de schismatis extinctione, & populorũ reductione, actum est de rebaptizatione à Donatistis conferri solita; eademque omnium Patrum sententia reiecta est & improbata. Et quoniam execrandum illud scelus inter schismaticos coaluerat, vt ipsorum sectæ homines, qui sub cupiditate falsi martyrij, vel seipsos voluntario præcipitio necassent, vel alios ad sui necem coegissent, (quod Optatus declarat) apud eos titulo & honore Martyrum frequentarentur: eadem S. Synodus, ne id amplius ageretur, decreto sanciuit. Ac deinde cætera quæ ab eisdem Donatistis fuerant in disciplina Christiana corrupta, ad Catholicæ Ecclesiæ vsum restituere laborans, alios pariter canones conscripsit, omnes numero quatuordecim, qui cunctis patent. Quod autem inter Concilia Carthaginiensia, hoc *Primũ* ordine ponatur & nominetur; non sic quidem accipiendum est, vt nullum aliud ipsum præcesserit, (cum & multa alia fuisse hactenus celebrata; iam viderimus) sed quod aliorum Acta perierint, & illorum quæ extarent post Ethnicorum persecutiones, & redditam à Constantino Ecclesiæ pacem, hoc antiquissimum probaretur.

IESV CHRISTI ANN. 349.

IVLII ANN. 13.

CONSTANTII CONSTANTIS AN. 13.

I.

Anno Christi trecentesimo quadragesimo nono, Vlpio Limenio & Catullino Philoniano Coss. post decem menses (vt Athanasius *d* est auctor) à legatione ad Constantium Imper. à Concilio Sardicensi missa, occiso *e* ab Alexandrinis Gregorio illius sedis inuasore, idem Constantius crebris Constantis fratris literis interpellatus, eundem Athanasium ad se vocauit; & vt maiori cum fiducia rediret, tum presbyterum & diaconum ad eum misit, tum plures Comites in ipsum propensiores in eandem sententiam ei scribere iussit: deniq; & ad fratrem suum Constantem scripsit, vt ipse quoque eundem ad se editum hortaretur. Tradit hæc omnia ipse Athanasius *f*, qui & tres ea de re ab eodem Constantio scriptas ad se amicissimas Epistolas recitat: quas habet quoque Socrates *a*, secundam etiam Theodoretus *b*. Cum autem esset tunc Athanasius Aquileiæ, inde rursum à Constante (vt ait) euocatus in Gallias, Romam quoque diuertit ad Iulium Papam; literasque ab eo ad Alexandrinos accepit, quas ipse recitat *c*, & post eum Socrates.

a *Socr. lib. 2. c. 18.*
b *Theod. lib. 2. c. 11.*
c *Athan. Apol. 2. Socr. d c. 18.*

II.
d *Id. ep. ad Solit.* CONSTANTIVS FAVET ATHANASIO.

Post hæc vero Antiochiam, vbi erat Constantius, perueniens; benigne ab eo exceptus est, facultatemq; accepit Alexandriam redeundi: quin etiam (vt ipsemet *d* ait) cum suas calamitates deploraret, & admoneret ne denuo eiusmodi calumniæ reciperentur; sed & iam nunc accusatores euocarentur, vt aut redarguerent, aut redarguerentur: hoc quidem Imperator facere noluit; verumtamen omnia quæ contra Athanasium gesta, & publicis Actis excepta essent, penitus aboleri præcepit; iureiurando affirmans, nullas se imposterum calumnias aduersus eum admissurum. Hæc Athanasius: idq; ipsum literis suis Cõstantium iurasse Alexandrinis, auctor est Lucifer e Calaritanus. Quod aũt Ecclesiæ Antiochenæ præesset Leontius Arianus Episcopus, abstinuit Athanasius ab eius communicatione: & quod pariter omnes illius vrbis Ecclesias sibi Ariani vendicassent, in ædibus priuatis (vt scribit Sozomenus *f*) cõuentus egit cum Eustathianis, nempe Catholicæ communionis hominibus, magni illius Eustathij Arianorum oppugnatoris sobole.

e *Lucif. pro Athan. lib. 1.*

Cum autem Imperator à suis Arianis admonitus, peteret ab eo, beneficij loco, vt vnam Ecclesiam in ciuitate Alexandrina concederet eis qui nollent cum ipso communicare; idem Athanasius egregia respõsione Constantij petitionem, dum non negauit, elusit; promittens quidem se ei obtemperaturum, sed aliud simile ab eo beneficium postulans, nempe vt Antiochiæ iis qui cum Leontio non cõmunicarent, vna itidem Ecclesia concederetur. Quam vbi Imperator postulationem vt æquam approbasset, commodius tamen visum est Arianis, neutri parti Ecclesias tribuendas; quippe scientibus suam ipsorum sectam propter Athanasium nullam omnino apud Alexandrinos progressionem facturam; apud Antiochenos autem, si istud fieret, Eustathianos breui rerum potituros esse. Hæc Sozomenus; eademq; Theodoretus *g* Socrates *h* vero reciprocam illam petitionem Athanasij, ampliorem fuisse dicit; nempe vt liceret Catholicis non tantum Antiochiæ, sed in omnibus ciuitatibus quibus præessent Episcopi Ariani, Ecclesiam habere.

f *Soz. lib. 3. c. 19.*

III. ATHA. ELVDIT PETITIONEM CÕSTANTII PRO ARIAN.

g *Theod. lib. 2. c. 12.*
h *Socr. lib. 2. c. 18.*

Addunt iidem auctores, Athanasium post hæc ab Imperatore dimissum esse, scriptis pro eo literis, tum ad Episcopos & clerum Ægypti, tum ad populum Alexandrinum, vt lubentibus animis illum exciperent; additisque aliis ad Præfectos, vt quæcunq; aduersus eum antehac decreta essent per calumnias Eusebianorum, delerentur è tabulis publicis: quas omnes Epistolas idem Athanasius *i* recitat, & ex eo Socrates *k*. Hocq; etiam auctore constat, redditas pariter ab eodẽ Imp. proprias sedes aliis Episcopis per Synodum Sardicensem restitutis. Sed de reliquo Athanasij itinere, anno sequenti.

IV. CONSTANTII LITERA PRO ATHANASIO.

i *Athan. Apol 2.*
k *Socr. vbi sup.*

His item Coss. rescripserũt Imperatores aduersus sepulchrorum *l* demolitores, (quã id occasione, iam dictum est supra) virginum *m* raptores, & pro immunitate clericorum *n* à muneribus publicis.

V.
l *l. 2. C. Th. de sepul. viol.*
m *l. 2. C. Th. de rapt. virg.*
n *l. 9. C. Th. de Epis. & Cler.*

IESV CHRISTI ANN. 350.

IVLII ANN. 14.

CONSTANTII IMP. AN. 2.

I. CONSTANS IMP. OCCIDITVR.

Anno Christi trecentesimo quinquagesimo, Sergio & Nigriano Coss. Constans Imp. fugiens insidias Magnentij ducis Imperium sibi vendicantis, occisus est in Gallia apud Helenam oppidum Pyrenæo proximum, à

Gaisone

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Gaisone perfidiæ Magnentij conicio. Id enim his Coss. factum Socrates *a* est auctor; qui vna cum Sozomeno *b*, alia quoque Chronographia, nempe quarti post Synodum Sardicensem anni, hoc ipsum tempus consignat. Rem vero gestam Victor *c* describens, ait eum interiisse anno decimotertio Augustæ dominationis, (quippe prius Cæsar triennio fuerat) æui septimo vigesimoque. Quare quod Eutropius regno eius tribuit annos septemdecim, numerat etiã tempus quo Cæsar cum patre regnauit. Porro S. Athanas. *d* innocentissimi Principis necem immenso prosecutus luctu, eundem appellat *Martyrem*: quem & sacer Conuentus Orthodoxorum Antistitum Mediolani postea habitus, præuia recta fide & dignis operibus in beatam requiem translatum affirmat *e*. Ex quibus videas quam calumniose eum infament Scriptores Ethnici, & ex nostris qui nimis facile iisdem fidem præstiterunt; dum illum obscœnæ voluptatis & auaritiæ fugillarunt: quem quidem fuisse debilem pedibus, manibusq;, articulorum dolore, Victor tradit.

Cæterum Zosimus *f* scribit, MAGNENTIVM Augustoduni sumpsisse purpuram; eumque antea præfectum fuisse Legatum militibus Iouianis & Herculianis: quorum legiones à Diocletiano & Maximiniano Impp. institutæ, ac suo ipsorum cognomine insignitæ, & honoris prouectæ erant, vt Imperatorem comitari solerent; quod Prætorianorum erat militum. Eodem vero ferme tempore, quo nunciatum est Magnentium in Galliis Imperium arripuisse, VETRANIO in Pannonia exercitus Dux, eadem ambitione percitus, apud Mursum legionum suffragio acclamatus est Imperator. Quamobrem & Romæ audita Constantis nece, NEPOTIANVS filius Eutropiæ sororis Constantini Magni, Augusti nomen assumpsit, id sibi sanguinis iure vendicans. Sed haud felix extitit eius progressus; siquidem vigesimo octauo à suscepto Imperio die, occisus est per Anicetum Præfectum Romæ à Magnentio constitutum. Hæc pluribus Zosimus, Victor, & alij. Occisamque pariter esse Eutropiam, & alios eorundem perneccssarios, Romæ hospites Athanasij; ipse mœrens scribit *g*.

Fuisse vero Magnentium, necnon DECENTIVM eius germanum, quem mox Cæsarem dixit, Christianos homines, declarant antiqua eorundem numismata *h* Christi nomine insignita. Hicq; primum dira perciti regnandi libidine Christiani duces, in Christianum conspirarunt Imperatorem; cum olim ne gregarius quidem miles (Tertulliano *i* teste) inueniri potuerit, qui aduersus Imperatores Ethnicos Christianorum persecutores, à partibus aliquando steterit insurgentium tyrannorum. Cæterum simulate potius quã vere Magnentium Christianam religionem coluisse, magno quidem est argumento, quod simul ac liberas nactus est habenas Imperij, proscripta deorum sacrificia restituit *k*.

Inter hæc autem Athanasium, nouis rursum Imp. Constantij literis *l*, aduersus recentes Arianorum calumnias (quibus eum adhuc in itinere *m* existentem, audita morte Cõstantis, in cuius gratiam scissent restitutum, exagitare cœperunt) securiorem reddirum; amici quidem (inquit ipse) amicum intuentes gratulari, alij vero ad conspectum eius pudescere, alij quibus nulla erat fiducia sese abdere, alij pœnitentiam de his quæ contra eum scripserant agere. Certe Palæstini omnes Episcopi, exceptis duobus, nempe Acacio Cæsariensi, & Patrophilo Scythopolitano, ità eum exceperunt, vt & *Synodo Hierosolymis* coacta; pro satisfactione protestati sint, omnia quæ prius scripserant; non voluntate, sed vi adactos fecisse; dederintque de suscepta eius communione literas ad Episcopos Ægypti, & ad clerum populumque Alexandrinum. Hæc ipse Athanasius: De quibus refellendus Socrates *n*, dum ait Maximum Episcopum Hierosolymitanum, quod antea suo calculo Athanasium abdicasset, tunc facti pœnitentem eidem fuisse reconciliatum. Nam nec Maximum vnquam Athanasij damnationi consensisse, satis constat ex iis quæ de eo dicta sunt in Conciliabulo Tyrio, & Antiocheno in Encæniis celebrato; & eundem iam antehac in Synodo Sardicensi, vna cum aliis Episcopis Orthodoxis subscripsisse eius absolutioni, ipse Athanasius *a* est auctor.

Sed quod pertinet ad iter Athanasij; narrat Sozomenus *b*, eum, cum Hierosolymam pergens transiret per Laodiceam Syriæ, ibi cum *Apollinare* tunc eius Ecclesiæ Lectore familiarem congressum habuisse; eaque de causa Apollinarem à Georgio eius loci Episcopo Ariano expulsum ab Ecclesia fuisse, quod cõmunicare cum Athanasio execrabile videbatur Arianis: cumque restitutionem nunquam ab eodem Georgio impetrare valuisset, indignatione motum Ecclesiam turbare cœpisse nouitate doctrinæ. Hæc Sozomenus. At Socrates *c* de his agens, ait Seniorem Apollinarem huius Iunioris parentem, fuisse genere Alexandrinum, ac primum Berytj, inde Laodiceæ docuisse grammaticam; atq; post susceptum ab vxore filium, sacris ordinib. initiatum esse, & presbyteratus gradum adeptum: Iuniorem aũt Apollinarem Rheoricis disciplinis apprime excultum fuisse: Vtrumq; vero à Theodoto Episcopo Laodiceno sæpe commonitum abstinere à familiaritate Epiphanij cuiusdam, insignis eius temporis Sophistæ Gentilis; cum eius prohibitionem contempsisset; demum à Georgio Theodoti successore ob eandem causam cõmunione priuatum esse: Quosdam autem sensisse, sponte ambos ab Ecclesia recessisse, non solum ob prædictã Epiphanij causam, sed etiam quod idem eorum Episcopus inconstantissimus esset in fide. Hæc de ambobus Socrates.

At certe nulla potuit esse eis ignominia, ab Ecclesia cui præsideret Arianos fuisse eiectos; in qua manere tantum; videri poterat extra Catholicam Ecclesiam esse positos: ac proinde stultam fuisse liquet huiusce modi Apollinarium vindictam, in odium Episcopi Ariani aduersus Ecclesiam Catholicam hæresim excogitasse; & illam quidem, cuius (vt alias dictum est) ipsimet Ariani professores essent, eum dicerent Christum hominem fuisse absq; anima rationali; & pro anima Deitatem habuisse. Cæterum Socrates, & alij, ponunt auctorem huius hæresis Apollinarem Iuniorem; sed protinus à priori sententia discedentem, CHRISTI humanitati animam ita tribuisse, vt ea mente caruerit, cuius loco diceret inditum esse Verbum. Verum alia complura ad hæc eiusmodi hæresis principia; superadd ita esse deliramenta, dicetur inferius. Neq; enim sic modo ista recensuisse voluimus, vt hoc ipso anno Apollinarium lapsus acciderit, aut eorum hæresis innotuerit; quam longe post diffamatam esse constat: sed occasione congressus Apollinaris Iunioris cum Athanasio. Cum & alioqui S. Epiphanij *d* testificatione cõsteret, dum hæc Constantij tempore de Ariana hæresi vigeret discrimina, ambos Apollinares magna cum laude in Ecclesia vixisse, & in medio nationis prauæ eluxisse confessione Nicænæ fidei, tanquam lucernas ardentes in caliginoso loco, Athanasio ac cæteris Orthodoxis addictissimos: adeo vt cum de hæretica eorum sententia per ipsorum discipulos postea rumor increbuisset, fidem apud Orthodoxos non inueniret.

Quod autem pertinet ad reliquum iter Athanasij, eum ineffabili omnium gaudio per vniuersam Ægyptum, ac potissimum Alexandriæ susceptum esse, ipse testatur *e*. Additq; Theodoretus *f*, viso suo pastore Alexandrinos publica conuiuia celebrasse, festos dies egisse, & Deo solemnes gratiarum actiones reddidisse. Quin & subdit Athanasius; quamplurimos perfectiorem vitæ statum suscepisse, & virgines nupturas Deo se dicasse, iuuenes monasticam vitam amplexos esse; coniugatos sibi inuicem continentiam persuasisse; alios eleemosynas largitos esse; alios orationibus vacasse; denique tantam æmulationem fuisse ad virtutem, vt singulas familias, singulas domos, Ecclesiam esse existimares. Quid plura? Vrsacius & Valens Episcopi factiosissimi, & antiqui Arij discipuli; de quibus dictum est superius, spõtaneam pœnitentiam profitentes, literas amicas ad eundem Athanasium scripserunt; Romamq; ipsi abeuntes, libellum pœnitentiæ Iulio Papæ obtulerunt, confitentes omnia quæ vel dixissent vel egissent cõtra Athanasium; falsa esse, & anathema Arianæ hæresi dicentes. Tradit hæc ipse Athanasius: meminerunt que Vrsacij & Valentis libellorum pœnitentiæ, Socrates *g*, Sozomenus *h*; Epiphanius *i*, Seuerus *k*; & alij. Verum antequam Romam se

a *Soer. lib. 2. c. 20. 21.*
b *Soz. lib. 4. c. 1.*
c *Vict. in Epit. hist. in Annibal. Const. & Constant.*
d *Athan. Apol. ad Const.*
EIVS LAVDES.
e *Ap. Athan. de Synod.*
II. MAGNENTIVS INVADIT IMPERIVM. ITEMQVE VETRANIO. ET NEPOTIANVS.
f *Zos. lib. 2.*
g *Athan. Apol. ad Const.*
III. MAGNENTIVS CHRISTIANVM SIMVLAT.
h *Ap. Adolph. & alios.*
i *Tert. ad Scap. & in Apolog.*
k *Vid. l. 5. C. Th. de Pagan.*
IV.
l *Athan. ep. ad Solit. & Apolog. ad Const.*
m *Soer. lib. 2. c. 1.*
ATHANASII ADVENTVS HIEROSOLYMAM.
n *Ibid. c. 19.*

a *Athan. Apol. 2.*
V.
b *Soz. lib. 6 c. 15.*
CONGRESSVS ATHANASII CVM APOLLINARE. *De quo Baronius an super.* APOLLINARIS HÆRESIS ORTVS.
VI.
c *Epiph. hær. 76.*
LAVS PRISTINÆ APOLLINARIVM VITÆ.
VII.
d *Athan. ep. ad Solit.*
e *Theod. lib. 2. c. 12. in fin.*
FRVCTVOSVS ATHANASII REDITVS ALEXANDRIAM.
VRSACIVS ET VALENS ARIANI EPISCVPI.
g *Socr. lib. 2. c. 19.*
h *Soz. lib. 5. c. 22. 23.*
i *Epiph. hær. 68.*
k *Severus lib. 2. hist.*

conferrent, eos Mediolanum perrexisse, vbi *Episcoporum cõuentus* celebris agebatur, cui & præsentes erant Romanæ Ecclesiæ presbyteri; constat tam ex ipso eorundem libello *a* oblato Iulio, quam ex Epistola Synodali *b* Pattum qui ex parte Catholica interfuerant postea Concilio Ariminenti. Sed quamuis libellum pœnitentiæ Synodo obtulissent, nihilominus duorum talium Episcoporum exomologesin, haud eiusmodi negotium esse existimarunt Patres, vt illud ipsi absoluerent; sed miserunt eos ad Iulium vt coram ipso, spectante Romana Ecclesia, id præstarent. Porro & alios quoque plusquam quadringentos Episcopos ex cunctis ferme Christiani Orbis prouinciis, literis pacificis eiusdem Athanasij subscripsisse, idem ipse *c* testatur.

a Eust. ap. Athan. Apol. 2. & Soz. lib. 3. c. 22.
b Ap. Athan. de Synod. & Theodor. lib. 2. c. 19.
c Athan. ep. ad Solit.

Quamobrem metu & inuidia anxij aduersarij, nullam eius calumniandi occasionem omittentes; cum accidisset vt ob auctam per eius aduentum Fidelium Alexandrinorum multitudinem, necesse fuisset in solemnitate Paschali Synaxim agere in Magna Ecclesia recens à Constantio in eadem ciuitate erecta, cum nondum esset dedicata, quod antiquæ populo capiendo non sufficeret: ea quoque ex re eundem apud Constantium accusarunt, quod absq; eius iussu ausus esset in ea basilica sacra facere, & (vt mentiebantur) eiusdem Encænia ipso initio celebrare. Sed & cum circa eadem tempora, missa esset à Magnentio tyranno ad eundem Imper. legatio, qua functi sunt qui maioris nominis in Galliis videbantur esse Episcopi, Seruatius Tungrensis, & Maximinus Treuerensis, quibus additi sunt duo Comites Clemens & Valens: cumque appellentibus illis Alexandriam, iidem Episcopi antea Athanasio in Galliis & in Sardicensi Concilio cogniti, ab eo (vt par erat) in Ecclesiasticam cõmunionem recepti essent: inde rursum alia in eum ab iisdem aduersus calumnia est comparata, ipsum per eosdem legatos sempsisse ad Magnentium aduersus Constantium. Docet hæc omnia idem Athanas. *d*, cum se ab omni crimine liberum apud Imperatorem postea renatus est demonstrare.

d Id. Apol. ad Const.

VIII. NOVA ARIANORVM CALVMNIA IN ATHANAS.

IX.

Cæterum Constantius quod grauioribus Romani Imperij periculis vrgeretur, hinc imminente prælio ex tyrannis, & inde bello Persico instante; non solum contemplit tunc omnia quæ in Athanasium ab Arianis intentarentur; sed etiam (vt idem Athanasius *e* scribit) iteratis post Constantis necem tertio literis, eum ab omni vexatione, atque etiam metu, tutum redditum omnino voluit: quamuis haud putem id pietatis ergo ipsum fecisse, vtpote qui nunquam se à consuetudine Arianorum abstulit; sed potius quod non videretur tempus opportunum infensos sibi reddere Ægyptios, (alioqui ad seditiones promptissimos) qui erga Athanasium propensiores essent. Longe enim errant, qui putant Athanasium, mox vt Alexandriam peruenit, exturbatum esse; quem constat eiusmodi Constantij literis communitum, ad triennium in sua Ecclesia perseuerasse.

e Id. ep. ad Solit.

IESV CHRISTI ANN. 351.

IVLII ANN. 15.

CONSTANTII IMP. ANN. 15.

I. GALLVS CREATVR CÆSAR.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo primo, ob tyrannicos motus absque nouis Coss. transacto, ac propterea Post Consulatum Sergij & Nigriani in Fastis notato; *Flauius Constantius* GALLVS, ex Constantio fratre Magni Constantini & Galla matre genitus, Iuliani Apostatæ frater maior natu, de cuius pueritia & institutione dictum est superius; anno ætatis vigesimo sexto à Constantio Augusto creatus est Cæsar. Id enim hoc anno potius quam (quod alij volunt) superiori cõtigisse, illud potissimum persuadet, quod hoc anno celebrata sunt Constantij Quinquennalia tertio repetita, quibus solemnibus Cæsares dici solere, complurib. iam exemplis demonstratum est. Acceditq;, quod Ammiano auctore liqueat, Gallum quarto sui Imperij anno occisum esse: qua ratione, præsenti illud auspicatũ esse dicendum est; licet & alij eius creationem etiam post occisum Magnentiũ referant. Eius vero creandi ea fuit occasio, quod Constantius masculæ prole carens, profecturus in Occidentem aduersus tyrannos, ei voluit administrationem reliquisse Orientalis Imperij: cui etiam in matrimonium collocauit *Constantinam* sororem suam, filiam Magni Constantini.

II. a Soz. lib. 5. c. 18.

Vbi vero Gallus creatus est Cæsar, (vt ait Sozomenus *a*) cum Antiochiæ degeret, constituens pro egregia animi indole, & sincera religione Christiana, famosissimum, ac poetarum fabulis notissimum *Daphnes* locum Apollini dicatum, & delubro atque oraculo dæmonis insignem, in suburbiis Antiochiæ positum, purgare tum intemperantium hominum contumelia, tum superstitione Gentium: hoc se facile perfecturum putauit, si loculum *Babylæ* martyris Antiocheni olim Episcopi eo transferret. Quod cum præstitisset, accidit illud mirabile, vt dæmonium ex eo tempore nullum amplius oraculũ vti consueuerat ediderit: nempe quod præsentiam exhorresceret Martyris, vt idem ipse Apollo postea Iuliano coactus est confiteri, cum antea putaretur obmutuisse quod victimis careret: qua de re dicetur pluribus suo loco. Cæterum de antiquanda memoria Apollinis in Daphne, nisum iam olim fuisse Cõstantinum Magnum, probatur ex Suida *b*, dum ait, eum statuam Helenæ matris suæ ibi collocasse, locumq; ipsum mutata appellatione *Augustale* nuncupasse. Quin & suum ipsius nomen eundem Imp. illi loco indidisse, vt diceretur *Constantiniana Daphne*, atque insuper vigesimæ tertiæ legioni, quam recens scribendam curasset, nomen imposuisse *Constantiniana Daphnensis*, antiqua numismata *c*, & inscriptiones declarant.

CORPVS S. BABYLÆ TRANSFERTVR IN DAPHNEM.

b Suid. verb. Augustale.
c Goltz. in Thes. & Occo. de Num. Sed magis de his vide Gruter. De Cruc. To. 3 lib. 1. c. 31.

III.

Euecto autem in sortem Imperij Gallo Cæsare, & Constantio Imper. Occidentem petente; Iulianus Galli frater, qui hactenus in clericali vita qua fuerat initiatus perseuerauerat, laxiores iam nactus habenas, armans se audacia, (inquit Theodor. *d*) Imperij & ipse cupiditate exardescere cœpit. Proinde perlustrare prouincias, conquirere vates & ariolos, scisciturus ab illis votine compos futurus esset. Incidens vero aliquando in hominé, qui hoc ei prædicere polliceretur, deductusq; in adyta cuiusdam simulacrorum delubri; accidit vt cum apparentibus ad illius magi inuocationem terribili specie dæmonibus, ipse Iulianus metu perterritus Cruce frontem signasset, dæmones ad Dominici trophæi figuram confestim euanuerint. Quare cum virtutem Crucis vehementer admirari cœpisset; tamen præstigiatore causam recessus dæmonum, non ipsorũ formidini, sed detestationi eiusmodi Iuliani facti adscribente; miser ipse in fraudem impulsus, impiis initiatus est mysteriis, & Imperij cupiditate omnem penitus pietatem exuit. Hæc Theodoretus: quæ dum narrantur pluribus à Gregorio Nazianzeno, iunguntur rebus ab eo in Imperio gestis. Porro Eunapio *f* quoq; auctore scimus, hisce eum hominum consuetudinibus delectatum: quem, præter Maximum de quo dictum est superius, familiariter etiam vsum tradit *Ædesio* summo totius Gentilitiæ superstitionis antistite, & huic non imparibus Chrysantio, Eusebio, Prisco, Iamblicho, & aliis illorum temporum, magiæ eius quæ fit per inuocationem dæmonum peritissimis, quam honesto Philosophiæ pallio contegebant. Quomodo vero idem post hæc Iulianus in suspicionem adductus affectatæ tyrannidis, instar Protei in alium se muauerit, palliumq; induens Philosophicum Athenas perrexerit, suo loco dicturi sumus.

IVLIANVS TOTVS IN CONVLINDIS MAGIS.

SIGNO CRVCIS DÆMON ABIGITVR.

d Theod. lib. 3. c. 3.
e Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.
f Eunap. in Vit. Philos.

IV. EXPEDITIO RELIGIOSA CONSTANTII.

Interea hoc eodem anno Constantius Imper. aduersus tyrannos Magnentium & Vetranionem expeditionem parans, salubre consilium iniit, vt nullum in suo exercitu militare permitteret, qui non esset baptismo initiatus; quem si quis suscipere detrectaret, exui mox cingulo, & ad propria reuerti præcepit. Tradit hoc Theodoretus g. Quod igitur tantummodo Christianos baptizatos militiæ Constantius adscribi voluit; inde accidit, vt Gentiles qui baptizari recusa-

g Theod. lib. c. 3.

recusarent, exuti militia ad paganitatem redacti, *Pagani* pariter, hoc est, non milites dicerentur; secundum longo iam olim vsu receptam vocem, vt non solum qui in pagis degerent, Pagani appellarentur, sed & omnes *a* qui non essent adscripti militiæ. Indeq; etiam postea vsu venisse credimus, vt Ethnici omnes à Christianis PAGANI sint nominati; nimirum quod illi à Cõstantio militare prohibiti essent. Nisi magis dixerimus, à temporibus Imperatorum Christianorum eam vocem in hanc transisse significationem, quod legibus Imperatorum clausis idolorum delubris, sacrisque vetitis, Ethnici Pagos adirent, illicque more *b* antiquo deos suos colerent: sicque accidisse vt Ethnicus homo, quod in pagis deos coleret, diceretur Paganus: quomodo apud Prudẽtium *Pago dediti, Pagoq; implicati*, Gentiles vocantur. Vsq; enim ad tempora Honorij Imperat. quæ erat ĩh Pagis, idololatria, adhuc residua *c* fuisse videtur.

Atque hæ quidem magis placent eius significationis origines, quam quæ ab aliis *d* afferuntur plenæ difficultatum, vel per tropologiam. Quod enim Pagani appellati sint qui non sunt Christiani, sed Ethnici, hoc est, multorum deorum cultores; non antiqua, sed recens fuit vsurpatio: ac licet ea vox reperiatur eo sensu in nonnullis Vitis SS. Martyrum; haud tamen ex illorum Actis scriptis, sed ab iis qui postmodum eadem paraphrastice descripserunt, vel è Græco fonte transtulerunt, vsurpatam scias. Errantque *e* qui apud Tertullianum Paganos accipiunt pro Ethnicis; quos haud dubium Tertull. more maiorum, non milites intelligit. Primum autem, quem inuenerim qui Paganum pro Ethnico acceperit, Optatus est Mileuitanus, quẽ sub Valentiniano & Valente Impp. scripsisse contra Parmenianum, auctor est Hieronymus *f*. Et Honorius Imperator eandem vocem, quasi nouiter eo sensu vsurpatam, declarat, dum quos *Paganos* dixerat, interpretatur, *hoc est, Gentiles*. Post illa vero tempora passim ab omnib. vsurpari *h* cœpit. Vt aũt iidem Ethnici dicerentur *Gentiles*, id acceptum est ex Iudæis; vnde Paulus *i*, *Sive Iudæus, sive Gentilis*. Sed apud Romanos, Barbari tantum hoc tempore dicebantur Gentiles, vt constat ex rescripto *k* Valentiniani & Valentis Impp.

Hac ergo occasione, qua cuncti milites baptizari iussi sunt, accidit vt S. MARTINVS, Sabariæ in Pannonia nobili genere natus, tunc adhuc catechumenus baptisma susceperit, annum agens suæ ætatis trigesimum quintum: vt auctor est Gregorius *l* Turonensis, dum eum vndecimo anno Constantini Magni natum affirmat, nempe Sabino & Ruffino Coss. anno Domini trecentesimo decimosexto. Abhorrerem quidem penitus à Gregorij sententia, quæ à Seuero qui eodem cum S. Martino tempore vixit, & amici intimi quo cum magnam habuit consuetudinem res gestas scripsit, tantopere discrepat, dum iste *m* Martinũ baptizatum significat anno suæ ætatis decimooctauo: nisi sententiæ Gregorij alio in loco eundem Seuerum haberemus assertorem; dum in Dialogis ait, S. Martinum septuagenarium fuisse cum Maximum Imp. conuenit. Cum n. id eiusdem *n* constet auctoritate cõtigisse sub Consulatu Euodij, qui est annus Domini trecentesimus octogesimus sextus; æquè necesse est affirmare, Martinum natum esse anno Domini trecentesimo decimosexto, & hoc anno egisse ætatis suæ trigesimum quintum; ac denique sub Iuliano, cum dimissus est à militia, attigisse quadragesimum, non tantummodo vigesimum, vt apud eundem Seuerum legitur: cuius exordium Vitæ S. Martini, librariorum vitio fuisse depraua tum existimamus; cum & alia insint eo prorsus indigna.

Nam & quod spectat ad tempus Martini militiæ; habet idem auctor, tunc Martinum adscriptum esse militiæ, cum promulgatum est edictum vt filij veteranorum ad militiam scriberentur. Extat n. ipsum edictum *o*, à Constantino sancitum Coss. Pacatiano & Hilariano, habens relationem ad aliud rescriptum *p* de filiis veteranorum, vt ad militiam cogerentur; quo pariter significatur, adscribendos esse filios veteranorum castrensi militiæ post exactum ipsorum ætatis annum decimumsextum; nempe decimoseptimo, more maiorum *q*. Huius porro edicti tempore cum inueniatur Martinus fuisse annorum septemdecim, (totenim numerantur à Consulatu Sabini atque Rufini, quo natus ponitur, vsq; ad Consulatũ Pacatiani & Hilariani; nempe ab anno Domini trecentesimo decimosexto, vsq; ad trecentesimum trigesimum secundum; illud plane ipsum tempus esse cognoscitur, quod à Seuero describitur, Martinum edicto Imperatoris coactum fuisse nomen dare militiæ, ipso nimirum exordio anni ætatis suæ decimiseptimi. Quapropter & hinc emendes illapsum in eundem Seuerum errorem, quo dicitur Martinus anno decimoquinto militare coactus; cum id plane aduersetur tum antiquis militiæ legibus, tum etiam recentioribus ab ipso Constantino editis.

Rursum vero quod idem auctor *a* ait Martinum postulasse à Iuliano Cæsare missionem, cum ille in Galliis aduersus barbaros pugnaturus esset: consentit hoc militaribus legibus *b* eorum temporum, quibus Ripenses milites post viginti quatuor stipendia honestam missionem accipere soliti erant. (Talis namque esse militia Martini videri poterat, vt pote Pannonij militis.) Si enim numeres ab anno Domini trecentesimo trigesimo secundo, quo Martinus adscriptus est militiæ, vsque ad trecentesimum quinquagesimum sextum, quo Iulianus militauit in Galliis; inuenies eum viginti quatuor stipendia meruisse, ac proinde honestam, non causariam missionem postulasse; cum causaria tantum ægrotantibus & corpore inualidis dari soleret, honesta nonnisi emeritis stipendiis omnibus impertiretur. Tantumque abest vt Martinus, quod Christianus esset, missionem petierit; (quod vna cum aliis, in Seuero est emendandum:) vt contra nonnisi qui Christiani essent, decreto Constantij militare deberent. Cæterum militasse Martinum inter equites, ex eodem Seuero constat: cuius & pater primariis dignatus militiæ honoribus militabat Tribunus. Sed hæc modo hactenus: q̃ oportuit paulo fusius declarasse, ad stabiliendam annorum Martini Chronographiam; à cuius obitu solerent olim apud Francos tempora numerari: quæ vero sunt eius reliqua, dicentur inferius suis locis.

Hoc eodem anno Domini trecentesimo quinquagesimo primo, ponitur apud Hieronymum in Chronico, obitus Maximi Episcopi Hierosolymitani: sed perperam idem annus Domini sub eodem lateculo notatus habetur cum Constantij vndecimo; cum (vt vidimus) idem Maximus reperiatur anno superiore, qui fuit Constantij decimusquartus, vna cum Athanasio Hierosolymis Synodum habuisse. Qui igitur sedere cœpit anno Domini trecentesimo trigesimo primo, & præsenti obijt, dicendus est sedisse annos viginti: ex quibus deformem corrigas errorẽ Chronici Nicephori, in quo sex tantum annis sedi præfuisse ponitur. Post obitum vero Maximi, (subdit Hieronymus) Ecclesiam Ariani inuadunt, primum *Cyrillus Eutychius*, tum *Cyrillus Irenæus*, tertio *Cyrillus Hilarius*, quarto *Cyrillus*: Quorum Cyrillus cum à Maximo fuisset presbyter ordinatus, & post illius mortem ei ab Acacio Episcopo Cæsariensi, & cæteris Arianis Episcopis, promitteretur Episcopatus, si ordinationem Maximi repudiasset, diaconus in Ecclesia ministrauit: ob quam impietatem Sacerdotij mercede pensatus, Heracliũ, quem moriens Maximus in suum locum substituerat, varia fraude solicitans, de Episcopo in presbyterum regradauit. Hæc apud Hieronymum. A quo cum quatuor ponantur Cyrilli, ab Epiphanio *c* nonnisi duo cogniti sunt, dum successionem Episcoporum Hierosolymitanorum ita recenset, vt post Maximum sederit Cyrillus, inde Irenæus, postea Cyrillus alius, quarto demum Hilarion. At Ruffinus *d* vnum tantum habet Cyrillum, eundemq; Maximo subrogatum; quẽ & tradit aliquando in fide, sæpius in communione variasse. Itemque Nicephorus vnicum ponit, eundemque Catholicum, & Maximi successorem: quem ait ab Arianis expulsum esse, & in eius locum tres constitutos, Arsenium, Heraclium, & Hilarium; ac rursum tempore Gratiani reuocatum esse. Qui proculdubio ille est *Cyrillus*, de quo alibi S. Hieronymus *e* ait, sæpe Ecclesia pulsum & receptum, ad extremum sub Theodosio Imper. octo annis inconcussum Episcopatum tenuisse.

a *Suet. in Aug. D. & C. de milit. tost. & alij.*
PAGANI VNDE DICI COEPERINT GENTILES.
[Quæ potissimũ collegimus ex Notis ad Rom. Martyrol. 31. Ianuar. Simplicius fortasse dixeris, quibusdam obseruatum, *Pagum* Latinis esse, φ *genteˉ*, & Græcis ἔθνος; ac proinde *Paganos*, eosdẽ qui *Ethnici & Gentiles*.]
b *Cic. lib. 2. de leg. Var. lib. 5. de lingua Lat. c Aug. ser. 6. de Verb. Dom. Conc. Carth. V. c. 15.*

V
d *Philastr. de hær. c. 3. Isid. libr. 8. Orig. Bed. 6. in Cant. 30. & 6 in Luc. 23. Alciat. & alij. e Rhen. & Pamel. in Tert. de cor. mil.*
f *Hieron. de Script. Eccles. in Opt.*
g *L. 21. C. Th. de Pagan.*
h *Mar. Vict. de homouf. recip. Aug. 2. Retract. 43. CC. Tic. & Iustin. tit. de Pagan. Philastr. & Isid. vbi sup. & alij.*
i *1. Cor 12.*
k *C. Th. tit. de nupt. Gentil.*

VI.
S. MARTINI ÆTAS, & BAPTISMVS.
l *Greg. Tur. 1. hist. Fr. 36.*
m *Seuer. Vit. S. Mart. c. 1.*
n *Ibid c. 23.*

VII.
o *L. 4. C. Th. de fil. mil.*
p *L. 2. eo.*
q *Vid. Gel. lib. 10. c. 28.*

VIII.
a *Seuer. c. 3.*
b *l. 4. C. Th. de Veter.*

ANNI S. MARTINI. *De quibus vide infra ann. 402. num. XIV.*

IX.
CONFVSA SVCCESSIO EPISCOP. HIEROS.
c *Epiph. hær. 66.*
CYRILLI HIEROS. PLVRES.
d *Ruff. lib. 1. c. 23.*
e *Hieron. de Script. Eccles. in Cyrill.*

Quod

X. ECCLESIA HIEROS. AVITATA TVRBIS.

Quod igitur Ecclesiæ Hierosolymitanæ successiones adeo inter se confusæ & inuolutæ habeantur, in causa fuerunt Arianorum & Semiarianorum inter se conflictationes: cum videlicet rebus Orthodoxorum collapsis penitus in Oriente; qui Arij se hostes esse profiterentur, dum & ipsi ob inuidiam, aut mutuum odium dissentirent ab inuicem; alij Basilio Ancyrano, (qui hoc eodem tempore in locum Marcelli iterum expulsi a substitutus est) Georgio Laodiceno, & aliis Semiarianis inhæserunt, vt sub eorum patrocinio securi agerent; ac rursum in horum inuidiam, alij Acacio Cæsariensi Arianorum signifero, non ob dogma, sed vt ab eo defenderentur accesserunt. Hæc enim ita se habuisse, quæ S. Epiphanius *b* tradit de cótrouersiis inter Eutychium & Cyrillum Hierosolymorum Episcopos, satis aperte significant; quorum ille Arianis, iste Semiarianis (salua tamen fide) vt ab illis in sede protegeretur, adhæsit. Cæterum quod duo saltem ab Epiphanio tradantur esse Cyrilli; auctor ille Catecheseos, cum suis ipsius scriptis, tum Concilij Constantinopolitani testificatione, probatur fuisse Catholicus, fideiq, Nicænæ assertor; de quo sæpe inferius.

a Soer. lib. 2. c. 2. Soz. lib. 4. c. 2.

b Epiph. hær. 73.

XI

Hoc eodem anno, antequam Constantius Antiochia recederet, (vt Socrates *c* & Sozomenus *d* testantur) idem Imper. Paulum Constantinopolitanum Episcopum, quē Constans frater restituendum curauerat, solutus iam eius metu à sede pellendum, & *Macedonium* in eius locum subrogandum esse decreuit; literis ea de re scriptis ad Philippum Præfectum, qui secundus ab Imperatore dicebatur, & erat. Hallucinati sunt tamen iidem auctores, dum Paulii exilium per Philippum illatum, contigisse putarunt ante Concilium Sardicense. Cum enim sæpius exulasse constet, vltimo à Philippo pulsum esse Athanasius *e* docet: ipsum vero vltimum eius exilium, hoc ipso tempore, quo Constantius expeditionem in Occidentem pararet, contigisse, iidem auctores *f* æquè consentiunt. *Paulus g* igitur dolose à Philippo, tumultum populi in Paulum propensissimi verito, ad domum publicam alio prætextu euocatus, ac per fenestram in nauigium demissus, magna festinatione ad locum exilij abductus est. Porro diuersa eius exilia in vnum colligens Athanasius *h*, ait eum primo in Pontum ab Eusebianis relegatum fuisse; postea à Constantio ferro vinctum, in Singra Mesopotamiæ deportatum; rursusque inde Emesam, denique hinc Cucusum Armeniæ oppidum circa deserta Tauri abreptum, ibi laqueo per eosdem Arianos strangulatum vitam finiuisse: quæ eadem de loco ac mortis genere tradunt & alij *i*. De diuina vero in Philippum vindicta subdit Athanasius, eum nondum vertente anno, Præfectura sua magnacum ignominia spoliatum esse, atque omnibus ludibrio expositum, longe à suis ac patria sua, velut alterum Cain, errantem, perpetuoque gementem & trementem, misere extinctum esse. Pauli *k* autem corpus Theodosius Senior Imperat. postea magnifica translatione *l* Constantinopolim deferri curauit, & collocari in Ecclesia, quam Macedonius eius persecutor extruxerat; quæ postea Pauli nomine vocata est.

c Soer. lib. 2. c. 12.
d Soz. lib. 3. c. 8.

PAVLVS IIII. CITVR CONSTANTINOPOLIM, & MACEDONIVS INTRODVCITVR.

e Athan. ep. ad Solit. & Apolog. de fug.
f Soer. lib. 2. c. 21. Soz. lib. 4. c. 2.
g Vid. eosdem, dd. capp. 32. & 8.

h Athan. ep. ad Solit.

PAVLI MARTYRIVM IN EXILIO.

i Theod. lib. 2. c. 3. Soer. & Soz. dd. cc. 21. & 2.

k Hanc periodum habet Baron. To. IV. an. 381. num. LXXIX.

l Soer. lib. 5. c. 9. Soz. lib. 7. c. 10.

XII. PERSECVTIO MACEDONII ADVERSVS CATHOLICOS.

Quanto autem effuso Catholicorum sanguine, post eiectum Paulum Macedonius in Ecclesiam Constantinopolitanam introductus fuerit: quamque ipse exquisitis tormentis, non solum clericos, sed & laicos omnis conditionis, sexus, ætatis, tum ibidem Constantinopoli, tum in aliis finitimis prouinciis ac ciuitatibus, ad suam communionem cogere studuerit; adeo vt præter verbera, vincula, exilia, bonorum deprædationes, permultis quoque stigmata in fronte inusserit, feminisque mamillas partim ferro candente, partim ouis igne tostis (hactenus inaudito tormenti genere) exusserit, vel etiam ferris abscideri; & quod omnibus aliis quibuscunque tormentis acerbius Catholicis extitit, sacra mysteria per vim ore ligno distento ingesserit: cædes item vbique patrarit, Ecclesias demolitus fuerit, ac denique nihil crudelitatis omiserit vt eos sibi communicare compelleret: hæc, inquam, omnia descripserunt Socrates *m* & Sozomenus *n*; qui & suos Nouatianos eadem dira à Macedonio passos esse tradunt, quod & ipsi Catholicis pro fide Consubstantialis iuncti, strenuam aduersus Arianos nauarent operam. Addunt demum, tum ista ipsius Macedonij facinora, tum quòd Magni Constantini corpus à templo Apostolorum ruinam minante in Acacij martyris Ecclesiam transtulisset: eaque de causa immensa populi cædes (nefas esse asserentis, Imperatoris ossa transferre, quasi perinde esset ac si è sepulchro effoderentur) intra ipsam Ecclesiam edita esset; non solum apud Catholicos, sed & apud Arianos ingens in illum odium conciasse; ipsiusque Constantij animum adeo commouisse, vt eum à sede pelli iusserit. Sed hæc postea, cum idem Imperator in Orientem reuersus est; de quo dicetur suo loco.

m Soer. lib. 2. c. 12. 22. 30.
n Soz. lib. 3. c. 6. lib. 4. c. 2. 19. 20.

IESV CHRISTI ANN. 352.

LIBERII ANN. I.

CONSTANTII IMP. AN. 16.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo secundo, Constantio Imp. quintum & Gallo Cæs. Coss. pridie Idus Aprilis, *S. Iulius* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, cum sedisset annos quindecim *a*, menses quinque, dies septemdecim. De annis quidem consentiunt Indices Vaticani: de mensibus aurem atque diebus, licet diuersa inueniatur diuersorum assertio; tamen habita ratione temporis eius ingressus & exitus, totidem eum sedisse opus est affirmare. Apud Hieronymi vero Chronicon, cum ingressus Liberij æquè hoc ipso anno Domini trecentesimo quinquagesimo secundo ponatur; haud tamen respondet annis Constantij, cum dicatur accidisse anno duodecimo eius Imperij, qui hoc anno numeratur decimussextus. Quod autem scribitur in Lib. de Romanis Pontificibus, Iulium post multas tribulationes in exilio fuisse mensibus decem, & post Constantij mortem cum gloria restitutum esse: adeo hæc abhorrent à veritate, vt nec conijci vel fingi saltem aliquo modo possint. Quapropter ea ad Liberium potius pertinere viderentur, quem sub Constantio liquet exulasse; nisi & quod additur de eius reditu post Constantij mortem, aperte falsum esset.

I. IVLII PP. OBITVS.

a [Totidem annos tribuit etiã Iulio Soer. li. 2. c. 27 ex quo Sozomen. lib. 4. c. 7. corrige, apud quem leguntur viginti quinque, re in v. verso.]

Porro quod Gennadius *b* tradit, Iulium Romanum Episcopum scripsisse ad Dionysium quendam de Incarnatione Domini Epistolam vnam; tunc quidem vtilem aduersus eos qui duas in CHRISTO personas, sicut & naturas constituerent, sed quæ postea fomentum fuerit Eutychianæ & Timotheanæ impietatis: satis detegitur hæc minus explorata habuisse. Nam qui eam Epistolam apprimè nouit, eiusque auctorem diligentius perueştigauit, Leontius *c* in commentario de Sectis, multis argumentis demonstrat, illam Epistolam Iulij nomine ad Dionysium Corinthi Episcopum scriptam, non ipsius Iulij, sed Apollinaris hæresiarchæ partum fuisse: & de Nestorianis hæreticis Euagrius *d* ait, multos Apollinaris libros Athanasio, Gregorio Thaumaturgo, & Iulio, mutatis titulis attribuisse. Cæterum defuncto Iulio, & via Aurelia in cœmeterio Calepodij sepulto; postquam vacasset dies viginti quinque, in locum eius subrogatus est octauo Idus Maij, LIBERIVS natione Romanus ex patre Augusto.

II. b Genes. de Scrip. Eccl. cap. IVLII NOMINE SVPPOSITAS CRIPTA.

c Leont. de sect. Act. 8. in Bibl. Patr.

d Euagr. lib. 3 c. 31.

Cum autem hoc Orientales Ariani cognouissent, collectis in *Concilium* suæ sectæ Episcopis, literas ad eundem Liberium dederunt; quibus Catholicam ab eo communionem exposcentes, Athanasium quoque accusarunt. Verum cum eodem ferme tempore, redditæ essent eidem Pontifici aliæ literæ ex SYNODO septuaginta quinque Episcoporum Ægypti, pro Athanasij defensione: his acceptis ex vtraque parte Epistolis, eisdemque recitatis in CONCILIO tunc *Romæ* collecto, negatum est Arianis quod à Liberio postulabant. Ne tamen eiusmodi occasione Constantius Imperat. cuius voluntate ista fie-

LIBERIVS PAPA. III.

AGIT APVD IMP. DE CELEBRANDO CONCILIO

ista fieri videbantur, in Romanam Ecclesiam grassandi ansam arriperet; illud in eadem Romana Synodo decretum est, vt legatio ad ipsum mitteretur de cogendo Concilio. Habentur autem istæc omnia in Epistola *a* eiusdem Liberij ad Constantium post annum sequentem scripta.

a Ex. ap. Lucif. Calar. in fin. & in Bibl. Patr.

IV. LIBERII NOMINE CONFICTÆ EPISTOLÆ ADVERSVS ATHAN.

Sed quæ in edito sub titulo Sanct. Hilarij de Rebus gestis in Concilio Ariminensi libello, legitur Epistola Liberij Papæ nomine, ipso ferme suæ sedis ingressu conscripta; qua significat Athanasium à sua communione, quod Romam vocatus venire noluisset, redditum alienum, ipsos vero Orientales Episcopos in eam receptos: eam haud quidem ab Hilario intextam in cõmentario illo, sed potius ab Ariano aliquo, Athanasij damnationem præ cæteris omnibus rebus optante, confictam, vel ex eo manifestissimè demonstratur, quod eadem Epistola mox de sanctitate & timore Dei plurimum laudetur cum tamen Hilarium constet tenacissimum semper extitisse Athanasij defensorem. Sed & quomodo ista à Liberio hoc tempore scribi potuere, cum Athanasij *b* ipsius assertione exploratum habeatur, Liberium quousque in exilium missus est (quod quarto sedis anno contigit) omnia pati maluisse, quam aut veritatẽ, aut causam ipsius Athanasij prodere? & licet post biennij exilium, minis mortis ad subscriptionem aduersus Athanasium inductus fuerit; tamen id ipsum & eorum violentiam, & Liberij in hæresim odium, eiusdemque pro Athanasio suffragium cum liberos haberet affectus, satis coarguisse? Sed hæc euidentius apparebunt inferius ex rebus gestis ipsius Liberij. Quibus etiam omnibus redarguas pariter Epistolam, eiusdem Liberij nomine scriptam ad Vrsacium, Valentem, & Germinium, qua dicitur Athanasius Romæ damnatus, antequam Liberius traheretur ad Comitatum: cum non ob aliam causam abductus ipse fuerit ad Constantium, & in exilium inde missus, nisi quod Athanasium damnare noluisset. Vna plane eademque fuit manus Scorpij, quæ vtramque scripsit Epistolam nomine Liberij; ea nimirum occasione, quod diceretur Liberius vi coactus contra Athanasium scripsisse; ne id igitur dici posset, confictæ sunt Epistolæ; quibus assereretur iam ipso suæ sedis exordio id Romæ ipsõte peregisse. At erit vt inferius quoq; aperta luce monstretur, alia adhuc contineri in eodem volumine Hilarij, quæ eius esse non possint. Moris autem fuisse Arianis, falsas in causa Athanasij scribere, imo & nomine ipsius fictas dare literas; iusta est eiusdem ad Imperatorem *c* querela. Siquidem & hoc ipso tempore, iidem Ariani pertæsi moræ Constantij in eo Alexandria expellendo, literas eius nomine ad eundem Constantium confinxerunt, quibus eum rogaret sibi facultatem impertiri proficiscendi in Italiam; quo videlicet id ei concedente Constantio, eum tentarent Alexandria dimouere.

b Athan. Apolog. 2.

c Id. Apol. ad Const.

V. VETRANIO DOLOSVE ILLECTVS.

Cæterum quod totus esset Constantius in expeditione bellica, haud quieuerũt eadem tempestate omnes quas aduersus Athanasium parauerant machinas admouere, sed eas in opportuniora tempora reseruarunt. Sicut & eadem expeditio impedimento quoque fuit, quo minus ea quæ in Romano Concilio decreta vidimus, apud eundem Imperat. pertractari poterint ante expugnatos tyrannos. Cum interea ipse Imper. veniens in Pannoniam, simulansque cum Vetranione amicitiam, quasi accepturus eum in collegam Imperij; magnis pollicitationibus ipsum primo à Magnentio, à quo magnopere solicitabatur, retraxit; ac demum habens ad eius milites concionem, effecit vt ab iisdem purpura exueretur, & priuatus viuere cogeretur: qui placide consenuit in prædio Bithyniæ amœno.

d Zos. lib. 2.

Hæc Zosimus *d*, Victor, & alij. De bello vero Magnentiano dicetur anno sequenti.

* * *

IESV CHRISTI ANN. 353.

LIBERII ANN. 2.

CONSTANTII IMP. ANN. 17.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo tertio, Constantio Augusto. sextum & Gallo Cæsar. iterum Coss. aduersus Magnentium tyrannum idem Constantius pugnaturus, quod eo sciret prælio totius Romani Imperij momentum verti, diuinum numen sibi propitium reddere omni studio laborauit. Ad hoc namque spectat quod superius dictum est, omnes in suo exercitu militaturos voluisse prius initiari sacro baptismate, renuentesque dimitti. Sed & paterno vsus exemplo, quem sciebat fiduciam omnem de victoria cõtra Maxentium tyrannum consequenda in Crucis virtute collocasse, secundum quod illi cælitus fuerat demonstratum, IN HOC VINCE: eodem ipse modo aduersus Magnentium pariter tyrannum pugnaturus, expectatæ è cœlo victoriæ signa dedit, quod eodem tempore mumismata *a* conflari iussit istiusmodi inscriptione, HOC SIGNO VICTOR ERIS; cum Labaro, cui cum Cruce CHRISTI quoque nomen esset inscriptum hoc modo ☧ sicuti est pariter in Constantio demonstratũ. Cæterum Magnentium etiam, quem Christianum fuisse vidimus, virtute Crucis & nominis CHRISTI certam sibi pollicitum esse victoriam, aliud numisma *b* antiquum demõstrare videtur; cuius à tergo figura ipsius militaris stans, dextera Victoriolam, sinistra Labarum habet, in quo pariter salutiferum idem signum eodem modo expressum habetur.

I. PIA CONSTANTII EXPEDITIO IN MAGNENTIVM.

a Habet Bar. Annal. Tom. III. hoc an. ex Horat. Tyrtino de Martia Rom.

b Ap. Adolphum lib. numism. Imper. Rom.

Sicque in hoc primum bello illud velut portentum apparuit, CRVCEM contra CRVCEM in prælium ferri, CHRISTIQVE nomen aduersus CHRISTVM in Labaro ostentari, & Christianos in Christianos armatos progredi: sed quorum alterius partis tyrannus, innocentissimi Principis interfector, dux esset; alterius hæreticus, ac Deo perfidus Imperator: neque enim aliis plane quam his auspicibus, tantum decebat aggredi nefas. Quamuis autem & ipse Costantius, quod patrocinium impiissimæ hæresis suscepisset, indignus prorsus videri potuisset qui de hostibus victoriam consequeretur; quod tamen Deus de Magnentij immani parricidio tunc pœnas exposceret, Constantij delicta ad aliud tempus punienda distulit: cum alioqui idem Imperator, etsi non de fide Catholica, certe quidem de Christiana religione, idololatriam vehementi odio prosecutus, videri poterit optime meritus: qua ex parte à Gregorio Nazianzeno, habita eius cum Iuliano Apostata collatione, meruit egregio laudum præconio celebrari: eodemque nomine, vt quid temporalium rerum conferret illi diuina clementia, haud incongruum æstimatum est.

II. CHRISTIANI PRIMVM CONTRA CHRISTIANOS PVGNANT.

Quod autem ad ipsum bellum in Pannonia confectum attinet; quæ ante illud internuncia inter ducem vtrumq; præierint; quæ velitationes vltimum prælium, vbi de summa rerum concertatum est, præcesserint; quo ordine acies dispositæ fuerint; quove defectu Magnentij exercitus cedere cœperit, ac tandem victus penitus fuerit: ad Zosimum *c*, rem prolixius prosequentem, lectorem amandamus. Quo etiam auctore constat, ipsum Magnentium post vltimum certamen, desperatione melioris fortunæ se ipsum gladio transuerberasse; Decentiumque eius fratrem impacto sibi laqueo vitam finiisse. Cæterum accidisse Magnentio hæc apud Mursum, seu Mursam, Pannoniæ vrbẽ, cum occupasset Imperium annos tres & menses sex, idem Zosimus, Victor, Eutropiusque testantur: idque hoc ipso anno, iisdemque Coss. decimooctauo Calendas Septembris contigisse, Socrates *d* habet; sed mendose Mursum in Gallia collocans. Addit vero, eundem Magnentium fuga lapsum, dolore amissi Imperij superatum, tum propriam matrem, tum etiam alterum fratrem apud Lugdunum Galliæ occidisse; ac demum sibi ipsi necem con-

III. MAGNENTII ET DECENTII REBELLATIO, ET INTERITVS.

c Zos. lib. 2.

d Socr. lib. 2. c. 27.

sciuisse;

SILVANVS TYRAN. OCCIDITVR.

IV

a *Seuer. lib. 2. hist.* VALENTIS EPISC. ARIANI DOLVS.

sciuisse : Sed & SYLVANVM quendam, eodem tempore tyrannidem in Gallia arripientem, post paucos dies à Constantij ducibus extinctum esse, quæ eadem & alij tradunt.

Habet quoque amplius Seuerus *a*, Cõstantium descendere in conspectum pugnæ non ausum, in basilica Martyrum extra idem Mursi oppidum, Valente eius loci Episcopo in solatium assumpto, diuersarum esse : Valentem autem per suos disposuisse, vt quis prælij fuisset euentus primus cognosceret; vel gratiam Imperatoris captaturum, si prior bonum nuntium detulisset; vel fuga vitæ consulturum, si quid contra accidisset : Itaque cum primus nunciasset hostes fugere, ipseque Imperat. eius nuntij indicem intromitti poscceret, Valentem, vt reuerentiam sui adderet, Angelum fuisse sibi nuncium respondisse : facilemq; ad credendum Imperatorem palam postea dicere solitum, se Valentis meritis, non virtute exercitus viciisse. Eique plane accidit secundum illam antiquorum sentẽtiam, tam Gentilium quam Christianorum cõsensu *b* receptam, qua dicitur: *Nihil esse infelicius felicitate peccantium.* Siquidem hac parta victoria, fuit illud frequens in ore eius, (quod testatur Lucifer *c* Calaritanus) probatam diuino calculo suam fidem; cum sibi secundum Arium credenti tot tantaque DEVS præstitisset, & ea maioribus in dies accessionibus cumularet. Qua blasphemia postea permotus ipse Lucifer, librum ad eum scripsit *De Regibus apostatis*; quorum exemplis, omnem illam ipsius inanem de probatione veræ fidei ex felicitate præsentis vitæ iactantiam, libertimo ore repressit; ostendens sæpe accidisse, vt impiissimi ac sceleratissimi Principes à Deo fuerint diutius tolerati, imo & rebus prosperis sæpius muneratí.

V.

Sed & post debellatum tyrannum, Constantium arrogantiorem esse cœpisse, quod eam fortunæ prosperitatem moderate ferre non posset; atque inde apertam fuisse calumniantibus viam ad optimos quosque comprimẽdos, Zosimus testatur. Pariterq; Ammianus *d* scribit, eundem adulantium studio exquisito sublatum, immunemq; se deinceps fore ab omni mortalitatis incommodo fidẽter existimantem; confestim à iustitia declinasse ita intemperanter, vt ÆTERNITATEM MEAM aliquoties subsereret ipse dictando, scribendoq; propria manu *Orbis totius* se *Dominum* appellaret. Fuisse autem istas præcipuè Arianorum adulationes, S. Athanasius *e* testatur; eisdemq; exprobrat, suum Imperatorem *Æternum* appellasse, qui Filium Dei æternum esse negarent. Deniq; in rescriptis etiam sæpe est reperire, Constantium seipsum *Æternum* nominare. Tali nimirum fastu infamauit Christianam religionem hæreticus Imperator, in qua summa animi summissio potissimum commendatur.

d *Amm. lib. 15. in pr.* CONSTANTII INSOLẽS FASTVS.

e *Athan. de Synod.*

VI.

CONSTANTII ERROR IN ATHANAS.

Cum itaque sic compositus, audisset non ex suorum Arianorum sententia euenisse quod à Papa Liberio petiissent; in furorem exardescens, edictum *f* proposuit, vt qui in damnationem Athanasij non subscriberent, in exilium pelletentur. Ipsumq; Athanasium per Magistratus *g* Alexandrinos variis modis vexare cœpit, vt quolibet modo inde eiiceretur. Quo tempore conuenientes eum Arelaten in Gallia, decreti ex Romano superioris anni Concilio Legati Vincentius Episcopus Capuanus atq; collegæ, qui de cogendo rursum in causa eiusdẽ Athanasij Concilio ipsum interpellarent; cum inuenissent apud eum cõplures Arianæ factionis Episcopos, (& inter alios charissimum ipsi Valentem Mursi, quem non ita pridem *h* vna cum socio impietatis Vrsacio, reliquorum Arianorum persuasiones à fide Catholica, & Athanasij amicitia, quam apud Iulium Papam professi fuerant, ad pristinam hæresim Arianam retraxerant:) à quibus importune solicitarentur damnationi Athanasij subscribere : dixerunt pro pacẽ omnium Ecclesiarum polliciti sunt, ea proposita conditione, si & alij prius Arij hæresim condemnassent. Et quidem conuentio scriptis firmata est: sed cum actum est de executione, alij responsum dederunt, se Arij doctrinam damnare non posse, Athanasium autem (quod solum exigebatur) communione esse priuandum. Habentur ista expressa in Epistola *i* Liberij Papæ, quam posteriore legatione ad eundem Cõstantium misit.

f *Seuer. lib. 2.*

g *Athan. Apol. ad Constan.*

h *Id. ep. ad Solit.*

i *Ext. ap. Lucif. Calar. & in Bibl. Patr.*

Sed post hæc illud lugubre accidit, vt Vincentius ipse primarius Apostolicæ Sedis legatus, necnon Fortunatianus Aquileiæ Episcopus magni tunc nominis vir, atq; Herminus Thessalonicensis, aliiq; nonnulli ex illis qui tunc ad CONCILIVM *Arelaten* vocati conuenerant, vim non vulgarem (inquit Athanasius *a*) & graues contumelias passi, tãdem promiserint se ab eiusdem Athanasij communione abstinere. Insigne humanæ fragilitatis exemplum! Ecce enim tibi hic ille *Vincentius*, qui in Nicæno Magno Concilio honorificentissima Apostolicæ Sedis legatione perfunctus fuerat, idemque tum Romæ, tum in æquè Magna Synodo Sardicensi sederat cum aliis Episcopis Iudex, ad cognoscendam sæpius iudicio ventilatam Magni Athanasij causam, & pro eiusdem absolutione suffragium tulerat: hic, inquam, in vltimo senio constitutus, minimè considerans munus suum, quo Romani Pontificis vices ageret, adeo turpiter inflexus est vel precibus vel minis Arianorum atque Constantij, vt in summum Catholicæ fidei athletam damnationis sententiam intulerit; tam fœda subscriptione obliterans tot honestis laboribus partam gloriam. Verum in lapsu continuit gressum, ne in profundum præceps deferretur impietatis : nam non sic ipse, velut Fortunatianus, subscripsit in Athanasium, vt factus quoque fuerit proditor fidei; quippe qui postea aduersus Arianos perseuerauit infractus, prout inferius suis locis demonstrabitur.

VII. VINCENTII LEGATI A-POST. LAPSVS

a *Athan. Apol. ad Const.*

VIII.

Quid præterea Arelate in eo Episcoporum conuentu factum sit; Seuerus *b* ait Catholicos petiisse, vt priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarẽt; sed Valentem sociosq; eius prius Athanasij damnationem extorquere conatos esse, de fide certare non ausos: ab hoc q; partium conflictu actum esse in exilium *Paulinum* insignis nominis Treuerensem Episcopum, Maximini (de quo sæpe dictum est) successorem; quem tamen alij *c* è Concilio Mediolanensi post annum sequentem pulsum esse volunt. At Seuero S. Hilarius *d*, & ipse Gallus, & tunc Ecclesiam Pictauiensem gubernans adstipulatur. Pariterq; vna cum Paulino, ex eodem Conuenticulo Arelatensi *Lucium Anneum* Moguntinum Antistitem relegatum esse in Phrygiam, & secundo anno sui exilij Arianorum insidiis strangulatum, atq; in locum eius ab Orthodoxis Maximum subrogatum, Acta *e* eiusdem Maximi testantur. Sicq; vides Occidentalem Ecclesiam hoc anno, quam primum eius Orbis Imperio Constantius potitus est, cœptam esse grauissimis ex Arianorum furore turbinibus agitari. Quæ vero post hæc istis grauiora ab iisdem peracta sint, dicetur inferius suis locis.

b *Seuer. lib. 2.* MVLTI ORTHOD. EPISCOP. EIECTI IN CONCILIAB. ARELAT.

c *Athan. ep. ad Solit. Soer. lib. 2. c. 29. Soz. li. 4. c. 8.*

d *Hil. libel. ad Const.*

Interim hoc ipso anno Constantij decimoseptimo, ponitur in Chronico S. Hieronymi, prodigium ingens apparuisse Hierosolymis maximo inspicientium terrore; nempe lucidissimum CRVCIS signum super sanctum Golgotham. Quod describens Sozomenus *f*, ait clare admodum resplenduisse, non vt cometes solet diffusis radiis, sed luce multa in vnum conferta, valde denso iubare & perlucido: ac pertigisse à loco Caluariæ vsque ad montem Olineti, respondente ei longitudini æqua proportione latitudine, ipsoque signo quindecim stadiis in aere suspenso hærente. Omnes autem eo velut insigni miraculo obstupescentes, in Ecclesiam concurrisse, & vno ore CHRISTVM laudibus celebrasse; multosque tam Gentilium, quam Iudæorum, ad Christianam fidem conuersos esse: sed & cum ex cunctis propemodum terræ oris homines Hierosolymis tunc reperti essent, qui vel precandi, vel sancta loca inuisendi causa ex more aduenissent, rem per vniuersum Orbem diuulgasse: Cyrillum autem eiusdem ciuitatis Episcopum, Imperatorem de ea per literas certiorem reddidisse. Hæc Sozomenus: extantq; *g* ipsæ Cyrilli ad Constantium literæ; cum & hac opportuna occasione ferociam eius blandis verbis, & immeritis laudibus delinire conatus, eundem ad fidem Consubstantialis hortatus est. Apparitionem autem fuse describens, ait contigisse ipsis sanctæ Pentecostes diebus, circa horam diei tertiam, & compluribus hostis ab omnibus visam esse. Quæ eadem testata habentur in Actis *h* Artemij martyris sub Iuliano, & post expugnatum Magnentium accidisse traduntur. Quod vero apud

e *Ap. Sur. 18. Nouemb.*

IX.

INGENS PRODIGIVM DE CRVCE APPARENTE IN AERE.

f *Soz. lib. 4. c. 4.*

g *Ap. Cyril. Hieros. in sua Catech.*

h *Ap. Sur. 19. Oct.*

Nicepho-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Nicephorum *a* legitur, idem signum Romano exercitui in Pannonia militanti factum esse perspicuum; hac ex parte redargui ex prædictis posse videtur, quibus constat haud adeo sublime apparuisse, vt in longe remotis regionibus videri potuerit.

a *Nic. lib. 9. c. 32.*

X. QVID PORTENDERIT PRODIGIVM.

Porro tantæ rei memoria, non diuersorum duntaxat scriptorum egregiis monumentis remansit posteris consignata; sed & eadem publicis Ecclesiasticis *b* Tabulis penes Orientales conscripta est, anniuersaria celebritate Christiano populo rediuiua die septima mensis Maij. Quid vero portenderit, tempora ipsa declarare visa sunt. Etenim cum Orbis Imperator bellum gesturus aduersus Catholicam Dei Ecclesiam, vexillum erexisset impietatis; CHRISTVS cuius maximè diuinitas impetebatur, illud ipsum quo vniuersam cum impiis debellauerat impietatem, diuinum signum supra sanctum mõtem immensa claritate coruscans voluit cælitus demonstrare, quo illud auribus Fideliũ intonaret, CONFIDITE, EGO VICI MVNDVM. Remque sane probauit euẽtus, cum diuina virtute fides Catholica eo effulsit glorioſior, quo magis existimabatur armis impietatis extincta.

b *Menolog. Gr. 7. Maij.*

XI. IVDÆI à GALLO CÆS. CÕPRESSI.

Inter hæc autem fluctuabant res Orientales, Isauricis latronibus longe lateq; grassantibus; aliaq; ex parte Saracenis collimitios infestantibus, atq; etiam Persis Mesopotamiam inuadentibus: cum interim Gallus Cæsar, quod tyrannidem affectaret, in Magistratus cõplures diuersis prætensis causis immaniter fureret. Ista plurimus Ammianus *c*: sed eius iactura librorum, desiderantur ea quæ ab eodem Gallo gesta sunt aduersus Iudæos. Ea vero Hieronymus in Chronico hoc ipso anno Constantij decimoseptimo breuiter attingens, ait Gallum Iudæos, qui interfectis per noctem militibus arma ad rebellandũ inuaserant, oppressisse, cæsis multis hominum millibus vsq; ad innoxiam ætatem; & nonnullas eorum ciuitates, plurimaque oppida igni tradidisse. Eadem Socrates *d* & Sozomenus *e*. Sed & ipsum Constantium natalis sui celebritatem multo insontium sanguine aspersisse, idem Ammianus tradit; eorũ scilicet qui vel leuissima qualibet suspicione de amicitia cum Magnentio laborassent, vel aliis ex causis delatorum calumniis obnoxij fuissent. Habet insuper, eundem hoc anno in Gallis hyemem egisse Arelate.

c *Amm. lib. 14*

d *Socr. lib. 2. c. 27.*

e *Soz. libr. 4. c. 6.*

XII. *f l. 5. C. Th. de pagan. & sacrif.* *g l. 10. C. Th. de Epis. & cler.* *h l. 7. C. Th. de exact.*

His item Coss. post debellatum Magnentium, rescripsit Constantius pro abolitione *f* sacrificiorum nocturnorum, ab eodem tyranno permissorum: itemq; de immunitate *g* clericorum & de non infligendis *h* pœnis corporibus debitorum.

IESV CHRISTI ANN. 354.

LIBERII ANN. 3.

CONSTANTII IMP. ANN. 18.

I. LEGATIO LIBERII AD CONSTANTIVM.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo quarto, Constantio Aug. septimum & Gallo Cæs. tertium Coss. Liberius Papa auditis iis quæ prioribus à se missis legatis ad Cõstantium contigissent; aliam rursus Legationem ad eundem in Galliam mittere festinauit, qua functi sunt *Lucifer* Calaritanus in Sardinia Episcopus, qui Romam his diebus opportunè aduenerat, *Pancratius* Romanæ Ecclesiæ presbyter, & *Hilarius* eiusdem Ecclesiæ diaconus; quibus in itinere iunctus est, rogatu eiusdem Liberij, *Eusebius* Episcopus Vercellensis, dignissimus plane Ecclesiæ Romanæ filius; quippe quem olim è Sardinia Romam à matre Restituta nobili Christiana femina ductum, Eusebius Papa fide ac pietate egregiè imbutum baptizauerat, ac suum ei nomen indiderat; vt habent eiusdem Vercellensis Vitæ Acta. Porro obtentum est ea legatione quod petebatur, nempe vt Concilium celebraretur in causa Athanasij. Sed quod hoc anno (vt tradit Ammianus *i*) Constantium aduersus Gundomadum & Vadomarium fratres Alemannorum Reges Galliam inuadentes, oportuit arma moniſſe, & tantum post pacem eisdem petentibus cõcessam, hiberno aduenient tempore datum fuit superatis Alpibus se Mediolanum conferre: Concilium ibidem celebrandum dilatum est in annum sequentem. De Legatione vero missa fidem faciunt litteræ, quas tunc Liberius cum ad ipsum Imperatorem *a*, tum ad Eusebium *b* scripsit.

i *Amm. lib. 14*

a *Ex ap. Lucif. Calar. in fin.*

b *Ex. in Act. Vit. Eusseb. Vercel.*

II. GALLVS CÆSAR NECATVR.

Interim autem Imperator (inquit Ammianus) curarum abiectis ponderibus alus, tanquam nodum & odium difficillimum, Gallum Cæsarem nisu valido cogitabat. Quo vero modo, & per quos id effecerit, plurib. ipse. Nobis sat scire, hoc ipso anno, hyemis tempore, Gallum Polæ in Istria circumuentum atque circumdatum à Constantianis; spoliatum Cæsaris ornamentis, & in priuatam fortunam redactum, ab iisdem tandem truncari capite iussum esse, anno ætatis suæ vigesimo nono, cum quadriennio imperasset, vxore eius Constantina paulo ante febribus absumpta. Perseuerasse vero Gallum Christianam religionem excolere ad exitum vsque, Theodoretus *c* affirmat: vtinam & fidei coniunxisset quoq; manſuetudinem. De cuius exitu agens S. Gregorius *d* Nazianzenus, in quem reijciat culpam, num in ipsum, an in Constantium, hæret; sed vtrumq; deliquisse affirmat. De complurib. aũt necatis iussu Constantij, quod ob amicitiam cum Gallo in suspicionem venissent; pluribus agit Ammianus.

c *Theod. lib. 3. c. 3.*

d *Greg. Naz. orat. 1. in Iulian.*

III.

Quo etiam tempore Eudoxium & Aetium hæreticos Arianos, quod Gallo fauissent, eiectos in exilium esse, Nicephor. *e* scribit: quos tamen constat paulo post exilio relaxatos, & honorib. auctos. Addit quoq; Theophilum Indum, & ipsum Arianum, ob eandem Galli amicitiam in exilium pulsum esse. Sed quæ habet de eius laudibus, deq; fide Christiana, seu potius hæresi Ariana, in Indiam per eum inuecta & disseminata; cum ea ex Philostorgio hæreticorũ infamissimo susceptisse profiteatur, omnia plane in mendacij suspicionem adducit: sicut & Suidas, dum ex Thalassio eiusdem farinæ homine eundem Theophilum laudat: quem quidem antiquiores omnes Græci historici penitus ignorarunt.

e *Nic. lib. 9. c. 19.*

IV.

Cum autem Iulianus Galli frater in suspicionem adductus conspirationis cum eo, ad Constantium Mediolanum se contulisset, & ipse nefando (inquit Ammianus *f*, eidem Iuliano plurimum addictus) assentatorum cœtu vrgẽtium periisset, ni aspiratione superi numinis, Eusebia suffragante Regina, ductus ad Comum oppidum Mediolano vicinũ, ibique paulisper moratus; liberalium causa doctrinarum, vt cupidine flagrauit, ad Græciam ire permissus est. Duplicem autem eo proficiscendi causam habuisse, Gregorius *g* Nazianzenus tradit, qui & ipse tunc Athenis aderat cum Iulianus eo se contulit: nempe alteram speciosiorem & honestiorem, vt Græciam eiusque scholas viseret; alteram tectiorem, paucisq; notam, vt regionis illius sacrificos & impostores de rebus suis consuleret. Quibus quidem adstipulatur Eunapius *h*, dum ait Iulianum à Maximo atque Chrysantio Philosophis magicis instructum, intellecto plus aliquando latere in Græcia apud Eleusiniarum dearum Antistitem, insignem futurarum rerum præsagũ, velociter illuc accurrisse. Cæterum prædictus Gregorius Iulianum conspicatus, de homine haud falsus coniector extitit; cum (vt ait) morum ipsius inconstantia, & incredibilis quædam mentis emotio, ceruix non stata, humeri subsultantes & ad æquilibrium subinde agitati, oculus insolens & vagus furioseque intuens, pedes instabiles & titubantes, nasus contumeliam & contemptum spirans, vultus lineamenta ridicula idem significantia, risus petulantes & effrenati, nutus & renutus temerarij, sermo hærens spirituque concisus, interrogationes stultæ & præcipites, responsiones nihilo his meliores, aliæ in alia insultantes, nec graues & constantes, nec ordine progredientes; eum in hæc verba vaticinando prorumpere coegerunt; *Quale malum Romanorum terra nutrit!* quamuis adhuc illud contegere conaretur pallio illo Philosophico, quod tum Athenis induit.

f *Amm. lib. 15*

g *Greg. Naz. or. 1. in Iulia.*

h *Eunap. in Vit. Philos.*

IVLIANVS ATHENAS VENIT.

Florentissimæ videbantur hoc tempore esse Athenarum Scholæ, quarum causa Iulianus se eo proficisci velemen-

DE EO QVID AVGVRATVS GREG. NAZIANZ. *Ac vide etiam sup. ann. 286. num. 11. in fi.*

V. QVALES ATHENÆ HIS TEMPORIB.

ter cupere demonstrauit: & licet in aliis quoque Orientis præclarioribus vrbibus, diuersatū essent facultatum gymnasia; accidere tamen solebat, vt qui prius in eis operam scientiis dedissent, demum Athenas se conferrent vt penitus consummarentur. Sic n. plane factum, non à Iuliano tantum, sed & ab ipso *Gregorio Nazianzeno*: qui *a* cum Cæsareæ Palæstinæ primum, inde Alexandriæ vna cum fratre Cæsario auditor extitisset, postremo Athenas profectus est. Parique post eum *Basilius b* Cæsariensis Cappadox, cum prius Cæsareæ Palæstinæ, inde Constantinopoli egregiè litteris excultus fuisset, Athenas concessit. Qua vero occasione, & quam intima inter eosdem Basilium & Gregorium ibidem Athenis inita fuerit amicitia; quæ eadem amborum optima conuersatio, quod pietatis studium, qui litteratum profectus, quæ famæ toto Orbe celebritas: hæc, inquam, pluribus narrat idem Gregorius oratione habita in laudem Basilij. Quo etiam auctore *c* cum exploratum habeatur, priorem Athenis Basilium discessisse, Gregoriū vero inuitum ab Athenienſibus retentum vt publicè profiteretur oratoriam artem, (annum tunc agentem ætatis trigesimum) & ipsum paulo post inde se subducentem domum repetisse: ex his plane Russinus *d* erroris arguitur, dum ait à Gregorio subductum Basilium è doctoris cathedra, manuque iniecta in monasterium esse perductum. Sed iam iis relictis, quos sæpe in progressu conueniemus, ad sequentis anni res tragicas cunctantem licet conuertamus orationem.

a *Greg. Naz. carm. de reb. suis, & orat. in fun. Cæs.*
b *Id. orat. in laud. Basil.*
BASILII ET GREG. NAZ. AMICITIA, ET STVDIA.
c *Id. carm. de Vit. sua.*
d *Russ. lib. 2. c. 9.*

IESV CHRISTI ANN. 355.

LIBERII ANN. 4.

CONSTANTII ANN. 19.

I. CONCILIAB. MEDIOLAN.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo quinto, Arbetione & Lolliano Coss. celebratum est *Mediolani* CONCILIVM, quod missâ à Liberio Papa anno superiori ad Constantium Imperat. legatione fuerat expetitum, vt causa Athanasij, ex qua ingens naufragium Catholicæ Ecclesiæ imminebat, Episcopali iudicio cognosceretur. Quod quidem hoc ipso anno habitum esse, cum plura alia demonstrent, dum Seuerus *e* disertis verbis certum reddit, dum exilia Episcoporum ex eodem Concilio irrogata contigisse iisdem Coss. asserit. De frequentia vero Synodi Socrates *f* & Sozomenus *g* tradunt, ex Oriente paucos Episcopos aduentasse, quod alij morbo detenti, alij itineris longitudine deterriti essent; Occidentalium autem conuenisse amplius trecentos. Verum quantumlibet istiusmodi Episcoporum conuentus Ecclesiastici Concilij nomen præ se tulerit, verius tamen dicenda fuit tyrannica consultatio; quippe cui præsideret vna cum satellitio adhuc cruentus innoxiorum sanguine hæreticus Imperator; vbi Arianis totum concessum, Catholicis Episcopis denegata omnia, suffragia vetita, vel intercisa, vilipensa; vbi non sacri sancirentur canones, sed exiliorum scriberentur sententiæ. Quæ omnia antea odoratus Eusebius Vercellensis, eo conuenire detrectans, venire tamen (quod tradit Hilarius *h*) postea iussus est: extantq; *i* hactenus litteræ tam ipsorum Arianorum Episcoporum, quam etiam Luciferi atque collegarum Apostolicæ Sedis Legatorum, ad eundem scriptæ, pro accelerando ipsius ad Synodum aduentu.

e *Seuer. lib. 2.*
f *Soz. lib. 2. c. 19.*
g *Soz. lib. 4. c. 8.*
FACTIO SCELERATORŪ.

II. QVID EVSEBIVS VERCEL. IN SYNODO.

Qui vbi Mediolanum venisset, decem diebus (subdit Hilarius) ad Ecclesiam vetitus est accedere: soporatis vero consiliis omnibus, vbi libitum est aduocatus, adstitit vna cum Romanis clericis & Lucifero: & conuentus vt in Athanasium subscriberet, respondit de Episcoporum qui adessent fide prius oportere constare; compertos enim sibi quosdam hæretica labe pollutos esse. Itaque expositam fidē apud Nicæam producens, promisit omnia quæ postularent esse facturum, si ei subscripsissent. Sed cum Dionysius Mediolanensis Episcopus scribere cœpisset, Valens calamum & chartam è manibus eius violenter extorsit, clamans non posse fieri vt aliquid inde gereretur. Re vero post clamorem multum deducta in conscientiam plebis, verentes Ariani illius iudicium, ab Ecclesia in Palatium se receperunt. Quid vero tunc in Palatio actum sit Seuerus narrans, ait Valentem & Vrsacium, cæterosque Arianos Episcopos, metu plebis quæ Catholicam fidem egregio studio conseruabat, non ausos impietatem coram illo profiteri, intra Palatium congregatos esse, illincq; Epistolam sub Imperatoris nomine emisisse omni prauitate refertam: eo nimirum consilio, vt si eam æquis auribus populus reciperet, ipsi publica auctoritate cupita proferrent; sin eam respueret, omnis inuidia in Imperatorem caderet; & ipsa quidem venialis, quia adhuc catechumenus mysteria fidei videretur potuisse nescire. Enituit vero tunc magna cum laude sincera fides, atque infracta constantia populi Mediolanensis; cum non solum lectam in Ecclesia Epistolam Imperatoris auersatus est, sed & semper in eadem sententia perstitit, licet sibi ablatus postea fuerit Episcopus Catholicus, & Arianus suffectus.

CONSTANTIA POPVLI MEDIOLAN.

Quid etiam tunc in Palatio actum sit in causa Athanasij, idem *a* ipse Athanasius describens, ait Constantium cognita Episcoporum Paulini, Luciferi, Eusebij, Dionysij, libertate, docentium ex pœnitentia Vrsacij & Valentis falsos ipsos esse Athanasij criminatores; neque vlterius habendam esse fidem eorum dictis, quæ ipsi sua pœnitentia reuocauerant: eueſtigio assurgentem, seipsum professum esse Athanasij accusatorem; illisq; vicissim respondentibus, causam iudicari non posse absente vel inaudito reo, tunc illum ipsos quidem in exilium eiecisse; cōcitatiorem autem in Athanasium factum, atrocius in eum edictum promulgasse, quo decerneret & eum debere pœnas luere, & Ecclesias Arianis tradi, iisdemque se liberum facere vt agerent quod vellent. Hæc Athanasius: qui & Cōstantium Antichristi imaginem induisse ait, cum in decernendo principem se facere Episcoporum, & præsidere iudiciis Ecclesiasticis non dubitauit. In hunc igitur modum Athanasio damnato, nonnulli quoque Episcopi Catholici eiusdē damnationi consenserunt, sperantes sic consopitum fore Ecclesiasticum bellum. Verum cum & eosdem Ariani vna secum communicare pariter suaderent, intentantes etiam minas (quod Lucifer *b* qui aderat testatur) iis qui facere recusassent; cum in alios omnes abnuentes Cōstantij furor exarsit, tum præcipuè in Legatos Apostolicæ Sedis; quorum principem Luciferum Hieronymus *c* tradit, quod nollet sub nomine Athanasij Nicænam damnare fidem, in Palæstinam relegatum esse. Pancratium vero presbyterum & Hilarium diaconum eiusdem legationis socios, S. Athanasius *d* docet in exilium missos esse, Hilario prius flagellis concisso.

III. a *Athan. ap. ad Solit.*
CONSTANTIVS ANTICHRISTI IMAGINEM GERIT.
b *Lucif. lib. 2. pro Athan.*
c *Hieron. de Script. Eccles.* LEGATI APOSTOLICÆ HABITI.
d *Athan. ap. ad Solit.*

Cæterum Dionysius, qui magna cum laude Catholici nominis præerat Ecclesiæ Mediolanensi, cum pellectus & ipse fuisset in Athanasium subscribere, ea conditione vt in reliquo Catholicæ fidei consultum foret; facti postea pœnitens, Eusebij Vercellensis arte subscriptionem reuocauit. Requisitus enim Eusebius vt exemplo Dionysij & ipse subscriberet, visus est illis annuere, ea tamen lege si sua subscriptio ante illam Dionysij in serie Chirographorum poneretur; indignum plane esse affirmans, si iunior Episcopus seniori, & velut parenti filius præponeretur. Qua illiratione permoti, quibus nihil magis in optatis erat, quam vt toti Occidentali Orbi sanctitate conspicuum Eusebium, ad subscribendum in Athanasium pellicerent; statim ex tabella Dionysij nomen penitus deleuerunt, priorem locum scribendi Eusebio deferentes. Sed ille tunc fictionis suæ causa detecta, eosdem irridens, negauit se illorum velle sceleribus pollui. Habentur ista apud S. Ambrosium *e*, in Sermone incerti, sed tamen antiqui auctoris, in natali die eiusdem S. Eusebij habito: quæ tamen in quibusdam aliis minoris fidei Sermonibus, alio diuersoque modo referuntur. Cæterum Ariani (subdit auctor ille apud S. Ambrosium) grauiter indignantes ita nequitiam suam fuisse delusam, nouis eum per Cōstantium Imp. pas-

IV. EVSEBIVS VERCEL. ARTE LIBERAT DIONYSIVM MEDIOL. A SVBSCRIPTIONE.
e *Ap. S. Amb. ser. 69.*
IDEM DAMNATIONI ARIANORVM.

sionibus

sionibus vexauerunt; ac post multas iniurias exulem in Orientem miserunt, ac mori coegerunt. Verum de obitu alias. Denique & Dionysium pariter in exilium missum esse, quod Arianis communicare noluerit, Lucifer scribit. Quos ambos exulantes, egregio præconio Ambrosius *a* celebrat: eorundemq; simul & aliorum tunc eadem pœna mulctatorũ, in fide constantiam, & ingentem in resistendo ipsi Constantio animum, Athanasius *b* prædicat. De iisdem item omnibus agunt Ruffinus *c*, Seuerus *d*, Socrates *e*, Sozomenus *f*, & alij; sed in quibus nonnulla insint, quæ tum ex iam dictis, tum ex aliis inferius dicendis cotrigantur.

Quæ autem fuerint reliqua Constantij opera aduersus alios Episcopos in suis Ecclesiis commorãtes, S. Athanasius *g* summatim colligens, ait statim post hæc Mediolani gesta, litteras ad Præfectum Ægypti missas esse, vt frumentum Athanasio ac suis (id enim liberalitate Constantini, Episcopo & clericis eius Ecclesiæ impendebatur) adimeretur, dareturque Arianis; & vt liberum esset contumeliam inferre in Athanasij communicatores: minas item intentatas esse Iudicibus, nisi cum iisdem Arianis communionem celebrarent: rursusque in alias vbique prouincias edicta missa, & Palatinos delegatos ad Episcopos & Iudices, vt isti quidem de causa iudicarent, illi vero contra Athanasium subscriberent, & aut communionem cum Arianis haberent, aut pœnam exilij sustinerent, populique qui eis communicare recusarẽt, vinculis, contumeliis, bonorumque direptionibus affligerentur: mulctam quoque Magistratibus denunciatam, nisi quisq; suæ ciuitatis Episcopum ad eiusmodi impietatẽ cogeret: quotquot autem Episcopi ad Imperatorem proficiscerentur, non prius ad eius conspectum admissos esse, nec vel è domicilio prodire permissos, quam subscripsissent; aut si recusarent, in exilium mitterentur.

Agens præterea idem Athanasius de Episcopis à Cõstantio in locum Orthodoxorum substitutis, inter alios meminit de *Auxentio*, qui in locum Dionysij Mediolanensis exulis subrogatus est; eundemque delatorem potius quã Christianum fuisse tradit, hominemque ne Romanæ quidem linguæ (erat namque Cappadox) sed tantummodo hæreteos peritum. Verum callidus serpens, quod sciret populo Mediolanensi perosam Arianam esse doctrinã, astute admodum eam diu studuit occultare; sicq; aureo calice Babylonis blasphemias Arij propinauit, cum tamen vix paucos aliquot sibi inuenerit obsequentes. Agetur de eo sæpe inferius; nunc vero reliqua huius anni prosequamur.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. (vt Ammianus *h* tradit) administrãte Præfecturam Vrbis Leontio, Liberius Christianæ religionis Antistes à Constantio ad Comitatum Mediolanum mitti præceptus est, tanquam Imperatoris iussui, & plurimorum scitis in Synodo decretis obsistens, in causa *i* Athanasij Episcopi; quem per subscriptionem abijcere sede Sacerdotali, paria sentiens cæteris, iubẽte Principe, Liberius monitus perseueranter renitebatur; nec visum hominẽ, nec auditum damnare, nefas vltimum sæpe exclamans; aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille Athanasio semper infestus, *licet sciret impletum; tamen auctoritate quæ potiuntur æternæ Vrbis Episcopi, firmari desiderio nitebantur ardenti.* Quo non impetrato, Liberius ægrè populi metu, qui eius amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari. Hæc Ammianus: qui cum esset Ethnicus, non potuit de auctoritate Romani Pontificis loqui, nisi quæ omnibus etiam à religione Christiana alienis notissima essent.

Cæterum ei consentientia Athanasius *k* scribens, dum post prædictorum Episcoporum exilia, & alias Arianorum impietates, eadem de Liberio historiam prosequitur, ait eosdem Arianos ne Liberio quidem Romano Episcopo pepercisse; nulla reuerentia ductos, vel quod Sedes illa Apostolica esset, vel quod Roma metropolis esset Romanæ ditionis, vel quod eos Apostolicos viros in suis literis appellassent: Sed omnia simul miscentes, æquè omnium oblitos esse, nihil curæ habentes nisi solam impietatem. Itaq; secum cogitantes, si Liberium in suam sententiam traherent, omnes alios breui superaturos, rem ad Imperatorem detulisse; ab hoc autem missum Romam esse Eusebium eunuchum Præfectum cubiculi cum litteris & donis, vt donis quidem Liberio blanditetur, litteris autem minaretur: sed & has & illa Liberium contemnentem, eidẽ Eusebio egregie restitisse, omninoq; Imperatori renunciandum præcepisse, vt fieret Ecclesiastica Synodus longè à Comitatu, vbi nec Imperator præsto esset, nec Comes se ingereret, nec Iudex minaretur; vt eo in loco ante omniã Catholica fides Nicæna stabiliretur, & Arianis eiectis eorum hæresis anathemate damnaretur, tuncque demum iudicium de Athanasio legitimè redintegraretur: cumque post hæc idem Eusebius dona quæ Liberio attulerat, eadẽ ab ipso reiecta in Ecclesia S. Petri consecrasset; re ab eodem Liberio cognita, increpito custode loci quod id non prohibuisset, dona illa vt oblationem illicitam proiecisse: hisque valde commotum Imperatorem, scripsisse Romam ad Prætectum, vt Liberium aut dolo inde subductum ad se mitteret, aut vim in eo persequendo adhiberet: itaq; post ingentem per Vrbem excitatum terrorem, & ingeminatas insidias, Liberium tractum esse ad Imperatorem; rursumque apud eum magna dicendi libertate declarasse, se ad omnia potius sustinenda paratum esse, quam vt Arianis adhæreret. Hæc omnia Athanasius pluribus.

Sed quod addit, Constantium ad verba Liberij nihil aliud respondisse quam imperia & exilia; præteriisse eum apparet integra illa Acta publica à Notariis tunc excepta, de rebus inter Imperatorem atque Liberium transactis, quæ Theodoretus *a* fideliter per dialogismum vt gesta sunt recitat; quibus videas infractum Liberij animi robur, pro tuenda fide Catholica, & Athanasij innocentia: ob quã post triduum relegatus est Beroeam Thraciæ; recusata quoq; pecunia, tam ab Imperatore, quam Imperatrice eidem in sumptus oblata; iussaque eadem vel ad militum stipendia ab Imperatore impendi, vel Auxẽtio & Epicteto Episcopis Arianis qui ea indigerent dari. Cumque rursum aliam Eusebius eunuchus ei offerret; ad eum Liberius, *Tu* (inquit) *Ecclesias Orbis terræ expilasti, & iam mihi vt damnato & egenti eleemosynam affers? Abi primum, & Christianus ipse fias.* Hæc pluribus apud Theodoretum; quorum meminit etiam Sozomenus *b*: ex quibus, aliisque ex Athanasio recitatis, satis manifeste intelligitur (quod & superius monuimus) quam falsum sit quod ex mentita eiusdem Liberij Epistola traditur, eum ipso sedis suæ principio Athanasium damnasse, & Arianis cõmunicasse. Quæ vero post hæc ei acciderint, suis locis dicemus.

Interim in eius locum *Felix* Romanæ Ecclesiæ diaconus suffectus est, id operante (vt tradit Hieronymus *c*) Acacio Episcopo Cæsariensi in Palæstina. Porro eundem Felicem Orthodoxæ fidei professorem fuisse, Theodoretus & Sozomenus testantur; licet (vt aiunt) Arianis, à quibus in eam sedem electus esset, communicaret. Sicq; intelligendum est, quod ait Socrates *d* fuisse Felicem Arianæ sectæ addictum; nimirum quod illis communicaret, & ex eorum voluntate damnationi Athanasij subscripsisset. Hoc que item est, quod iis omnibus Græcis auctoribus antiquior Ruffinus *e* ait, Felicem, non tam sectæ diuersitate, quam communionis & ordinationis conuenientia maculatum esse: nimirum quod cum ab Arianis ordinatus, & in locum Liberij subrogatus esset, eisdem communicaret. Quapropter cum Hieronymi sententia constet, Felicem ab Acacio Arianorum principe electum esse; & Athanasij *f* quoque testificatione, à tribus Arianis Episcopis, Epicteti molitione (fuit is Episcopus Centumcellensis, Arianorum sæuissimus, & ad omnia scelera promptissimus; ac proinde Imperatori charissimus) ordinatum; sed & Socratis auctoritate liqueat eum ab Vrsacio Arianorum audacissimo ad eam dignitatem electum: his sic se habẽtibus, haud subsistere posse videtur, quæ de Felicis ordinatione leguntur in Libro de Romanis Pontificibus; videlicet eum substitutum in locum Liberij à Cõcilio Sacerdotum, ipsomet procurante Liberio. Sed vt cumq; daremus, id ab Arianis concessum esse Catholicis, vt aliquis è Catholicis & è Romanæ Ecclesiæ clericis in locum Liberij exulantis administraret eam Ecclesiam: quoniam titulo dicemus Felicem

a *Ambr. ep. 82. ad Vercel.*
b *Athan. ad Solit.*
c *Ruff. lib. 1. c. 20.*
d *Seuer. lib. 2.*
e *Socr. lib. 2. c. 29.*
f *Soz. lib. 4. c. 8.*

V.
g *Athan. ad Solit.*
CONSTANTII PROGRESSVS ADVERSVS CATHOL.

VI.
AVXENTIVS INTRVDITVR MEDIOLANVM.

VII.
h *Am. lib. 15.*
LIBERIVS PP. VEXATVR AB IMP.
i [Refert eã Ammianus, hæc scribẽs; sed ex Arianorum potius rumoribus, quã ex rei veritate.]

VIII
k *Athan. ad Solit.*

IX.
LIBERII CÕSTANTIA ET MAGNANIMITAS.
a *Theod. lib. 2. c. 16.*
b *Soz. lib. 4. c. 10.*
Athan. ad Solit.

X.
EO IN EXITIVM PVLSO, FELIX SVBROGATVR.
c *Hieron. de Script. Eccl. in Acac.*
d *Socr. lib. 2. c. 29. in fin.*
e *Ruff. lib. 1. c. 22.*
FELIX AN DICI POTVERIT EPISC. ROM.

in locum Liberij substitutum? non certe titulo Romani Episcopi, superstite adhuc, eodemque confessionis gloria celebri, legitimo eius sedis Antistite Liberio: sed tantum (vt quod maximum concedi potest, tribuamus) Corepiscopi, seu Vicarij eiusdem Ecclesiæ. Quod si cum aliis ciuitatis auctoribus dixerimus, Felicem in locum Liberij ordinatum esse ab Arianis; nullæ prorsus potuerunt esse eius ordinationis vires. Vt non sit mirum si (quod scribit Theodoret. *a*) nemo ex Romano populo in Ecclesiam, dum Felix intus esset, ingredi vellet. At quonam modo mutatæ sint rerum vices de Felice atq; Liberio, suo loco opportunius dicturi sumus.

a *Theod. lib. 2. c. 17.*

XI. OSIVS TENTATVS, PRIORI CERTAMINE VINCIT.

Talibus autem ac tantis sceleribus factis, (inquit Athanasius) nihil adhuc se fecisse Ariani arbitrantes, quamdiu Magnus ille Osius Cordubensis in Hispania Episcopus, gloria confessionis illius, & toto Orbe ob res præclare gestas celebertimus, eorum malitiam expertus nõ esset; apud Constantium egerunt, vt ipse eum, licet iam prope centenarium senem, ad se vocaret, & aduenientem solitis suis fraudibus ad subscriptionem in Athanasium, & cõmunionem cum Arianis, solicitaret. Verum cum illum Osius magnis rationibus conterritum de sententia deduxisset, atq; ita ad Ecclesiam suã redire permissus esset; agentibus rursum Arianis, minacib. ab Imperatore litteris appetitus, (quibus ipse denuo magna libertate simul & grauitate respondit) demum quod alios Hispanos Episcopos ab eiusmodi subscriptione auerteret, ad Comitatum iterum accersitus, pro exilio detentus est integrum annum Sirmij. Narrat hæc pluribus Athanasius *b*: quæ vero post hæc de Osio subdit, suo loco dicentur.

b *Athan. ad Solit.*

XII. PERSECVTIO ARIANOR. VEIO AGRASSATVR.

Denique trans mare quoque, aduersus Catholicos Africanos Constantij furorem progressum esse, eiusdem Athanasij e assertione compertum habetur: licet quid speciatim passæ ibi sint Orthodoxorum Ecclesiæ, nulla prorsus extet scriptorum memoria; vel quod ea exciderint, vel quod ob malorum multiplicitatem atq; frequentiam haud posteris tradita sint: sicut & de aliis plurimis prouinciis, iisdem cladibus pariter affectis, acciuisse nosciturr.

c *Id. Apol. 2.*

XIII.

Quod vero idem Constantius, Arianis impellentibus, ad prouinciarum Rectores litteras dedisset, vt omnes Orthodoxos compellerent communicare cum Arianis Episcopis, quos illi in Catholicorum locum subrogassent; hæc sciens & legens S. Hilarius, Pictauiẽsis haud ita pridem factus Episcopus, supplicem libellum *d* ad Imperatorem dedit hoc ipso anno, (vt ex eius contextu apparet) nempe statim post exilium Eusebij Vercellensis & Dionysij Mediolanensis: quo quidem miserandum illius temporis statum, lugubremque Ecclesiæ faciem repræsentans, grauissimaq; demum inuectiua Arianos Episcopos malorum omnium auctores infectatus, atq; ipsum etiam Imperatorem eorum nutibus obtemperantem perstringens; cessare iam mala hæc. & Catholicos Episcopos restitui postulauit. Quam autem opportunè Deus consuluerit deploratissimis hisce temporibus, vt Ecclesiæ Gallicanæ tam immani turbine persecutionis exagitatæ, HILARIVM daret Episcopũ, qui velut præcelsa arbor (vt eum S. Hiernoym. *e* nominat) eam suffulciret, & periclitanti fidei præsto esset, declararunt euenta.

d *Hilar. ad Constant.*

HILARIVS CREATVR EPISCOPVS PICTAVIENSIS

e *Hieron. in Isa. 60.*

XIV.

Porro ipsum iam prouecta ætate factũ esse Christianum, illud persuadet, quod ipse testatur *f*, post Philosophos cognitos, ac vanos deprehensos, diuinæ Scripturæ libros perscrutatum esse, ac veri Dei cultum suscepisse. Redditus vero Fidelium omnium gaudio Christianus, aliquo temporis spatio interlapso, defuncto Pictauiensis ciuitatis, cuius ipse ciuis erat, Episcopo; miro vniuersorum consensu fuit eius sedis electus Antistes, quantumlibet (vt auctor est Fortunatus *g*) coniugatus esset, & filia vna nomine Apra auctus. Cur autem coniugatos contigerit nonnunquam eligi Episcopos, satis alibi dictum est; simulque demonstratum, qui tales ad Ecclesiasticos ordines euehrentur, quod ad procreationem liberorum spectat, desiuisse esse maritos. Hoc autem præstitum esse à S. Hilario, quis poterit dubitare? cuius animus virginalis amãtissimus integritatis, filiam quoque suam vnicè à se dilectam, virginem Deo dicare quantopere expetierit, quæ ad eam scripta ab ipso extat Epistola docet.

f *Hilar. de Trin. lib. 1. circa pr.*

g *Fortun. in Vit. S. Hilar.*

XV.

Quod autem exulantibus cæteris Orthodoxis, Hilarius aliquamdiu liber in sua permissus sit Ecclesia permanere, etiam post adeo terribilem ipsius in Arianos Cõstantiumq; inuectiuam; non id quidem ex patientia vel clementia Imperatoris accidit; sed vt puto, quod barbaris in Gallias irrumpentibus, (quod sub iisdem huius anni Coss. Ammianus *a* ponit) nequaquam tempus visum est opportunum Gallorum animos amplius exacerbandi, quos sciebat bene Catholicos, & à maioribus acceptam fidem inuiolatam firma constantia custodire. Quinimo ad continendos eos in officio, videri voluit Hilario aliquid indulsisse. Siquidem cum inter alia à Constantio illud ex libello expetiisset, ne Iudices vsurparent sibi negotia Ecclesiastica, neve causas cognoscerent clericorum: idem Constantius hoc ipso anno, nono Calendas Octobris, lege *b* prohibuit, ne in Iudiciis Episcopi accusarentur, sed eorum quæstiones apud alios Episcopos agitarentur. Quomodo autem sedatis belli tumultibus, Hilarius quoq; iussus fuerit solum vertere, dicetur anno sequenti.

a *Amm. lib. 15.*

IVDICES SÆCVL. ABSTINENT À CAVSIS EPISCOPOR.

b *l. 2. C. Th. de Epis. & Cler.*

XVI.

At ex barbaricis hisce in Galliis motibus accidit oportuna occasio Iuliano, vt ex pallio Philosophi ad Imperium assumeretur. Æstuans enim Constantius (inquit Ammianus) qua vi propulsaret ærumnas illas ipse in Italia residés; (periculosum enim existimabat, se in partem contrudere longe dimotam:) illud tandem consilium, agente maximè Eusebia Imperatrice reperit, vt Iulianum patruelem fratrem, haud ita dudum è Græcia contractum, ac ritu etiam palliatum, in societatem Imperij adscisceret; aperte confessus proximis (quod numquam fecerat) succumbere tot necessitatibus tamque crebris vnum se. Quomodo vero eundem IVLIANVM induerit purpuram, idem Ammianus pluribus prosequitur; atq; in fine addit, ea gesta esse die octauo Iduum Nouembrium cum Arbetionẽ Consulem annus haberet & Lollianum: deinde diebus paucis *Helena* virgine Constantij sorore, eidem CÆSARI iugali fœdere copulata, paratisque omnibus quæ maturitas profecturi poscebat, comitatu paruo susceptro, Calendis Decembris egressum esse, & itineribus rectis Galliam petiisse. Subdit de eodem, cum Viennã peruenisset, ab anu luminibus orba acclamatum, ipsum deorum templa reparaturum. Quod quidem visum est admirandum: nam ait Eunapius *c*, Iulianum in Gallias venientem, ab omnib. ignoratum quod deorum cultui addictus esset. Quinimo vt populi illius quem sciret esse Catholicum, animos sibi conciliaret, fauisse quoque Episcopis Orthodoxis, ac inter alios præsto fuisse S. Hilario Episcopo Pictauiensi, eiusque rei causa etiam aliquam contumeliam ab Arianis passum esse; non obscurè ipse Hilarius significat in libro ad Constantium ab exilio postea scripto: cum tamen (vt ait Ammianus *d* subsequentis anni Coss.) secreto deos coleret, & noctu surgens occulte Mercurio supplicaret. At de reliquis eius rebus in Gallia gestis agetur anno sequenti. Quod autem ad eiusdem electionẽ spectat; nihil tam proprium accidit, quam vt impius Imperator duplo impium sibi adsciuerit Cæsarem, cui iusto Dei iudicio cogeretur cedere Imperio.

IVLIANVS CREATVR CÆSAR.

c *Eunap. in Vit. Philos.*

IN GALLIA FAVIT CATHOLICIS.

d *Am. lib. 16.*

IESV CHRISTI ANN. 356.

LIBERII ANN. 5.

CONSTANTII ANN. 20.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo sexto, Constantio Augusti. octauum & Iuliano Cæs. Coss. eius exordio idem Constantius aduersus Aruspices, Mathematicos, Magos, aliosq; eiusmodi maleficos & diuinatores, necnon aduersus simulacrorum cultores, nouis

sanctio-

1.

sanctionibus *a* pœnam capitis constituit Christianæ quidem religionis, vt decebat, seuerum vindicem agens; sed alia ex parte in gratiam hæreticorum Alexandrinam Ecclesiam dira persecutione vexans. Cum n. subscriptiones plurimorum Episcoporum aduersus Athanasium extorsisset; quasi iam tot suffragationibus iustitiam sibi comparasset, (ne quid tyrannicè agere videretur, si quem restituendum curauerat, iterum è sede pelleret:) velut iusto contra eum bello indicto, Syrianum Ducem cum legionibus militum Alexandriam misit: qui cum Alexandrinis petentibus nihil innouari aduersus ipsos, donec legationem ad Imperatorem mitterent, id iureiurando pollicitus esset; mox tamen, nempe die quinto Calendas Februarij, vigilias cum omni securitate agẽte in Ecclesia populo vna cum suo Episcopo Athanasio, nocte intempesta cum militibus armatis ex improuiso illuc irrumpens, multos tum è plebe tum è clericis atq; virginib. sacris, gladiis sagittisq; confecit, plagis concidit, ac vinculis constrinxit, resq; sacras diripuit: quæ pluribus iisdem Alexandrini prosecuti sunt litteris *b* ea de re ad vniuersam Athanasij diœcesim tertia die post cladem illatam scriptis, hoc est (vt ponunt) pridie Calendas Februarij post Consulatum Arbetionis & Lolliani; nempe hocipso anno, quando nondum quinam renunciati Coss. essent, sciretur Alexandriæ.

a *l. 5. C. de malef. l. 6. C. Th. de Paga.*

SYRIANI DVCIS GRASSATIO IN ECCLES. ALEX.

b *Ext. ap. Athan. post ep. ad Solit.*

II. ATHANASIVS FVGA LAPSVS.

Quod autem iisdem literis tradunt, ipsum Athanasium Episcopum, qui potissimum quærebatur ad necem, cum in illo tumultu constanter sedens in throno omnes hortaretur ad preces, hinc illinc raptum minimo minus discerptum fuisse; & cum in graui deliquio animi pro mortuo iacuisset, iam aduersariorum opera nusquam comparere, nec scire se quid eo factum esset: quonam ille pacto è manibus hostium euaserit, ipsemet docet in Apologia quam scripsit de fuga sua; nempe, cum milites sacrarium ad eum intercipiendum obsiderent, omnisque clerus ac populus clamaret & obsecraret vt se subduceret, ipse vero pernegaret nisi iis omnibus digressis; tunc omnibus vt poterant abeuntibus, monachos suos & nonnullos ex clericis inter abeundum secum ipsum per medios milites, nihil eis sentientibus, inoffense abstraxisse Deo duce & protectore. Porro sic fuga lapsus cum lateret in solitudine, rerum quæ post discessum suum Alexãdriæ vel alibi factæ essent ignarus; vt periclitanti Ecclesiæ suæ consuleret, ad Constantium Imper. in Occidentem proficisci disposuit: sed à cœpto itinere reuocatus est in suam eremum, cum inter hæc accepisset nuntium de persecutione illius vbiq; grassante; nempe de exilio Liberij Papæ & aliorum Occidentalium Antistitum, de Episcopis prope nonaginta ex Ægypto & Libya pulsis, Arianisque in locum ipsorum substitutis, sexdecim in exilium actis, cæteris deinde aut fugatis, aut ad simulationem hæreseos coactis; ac de aliis cladibus in reliquas totius Orbis Ecclesias illatis aduersus eos qui ipsum Athanasium damnare, aut Arianis communicare nollent; necnon de literis ab eodem Constantio scriptis, vt vbique ipse Athanasius etiam apud barbaros perquireretur: quæ omnia idem Athanasius *c* recenset ad eundem Imp. scribẽs. Hocque plane tempus est, quo (vt ait Ruffinus *d*) iam toto Orbe profugus actus est, nec vllus ei tutus ad latendum superfuit locus; quandoquidem Tribuni, Præfecti, Comites, exercitus quoq; ad perquestigandum eum mouerentur edictis Imperialibus; præmiaque delatoribus proponerentur, siquis eum viuum; si id minus, caput certe detulisset.

VBIQ. PERQVIRITVR. *c Athan. Apolog. ad Constant.*

d Ruff. lib. 1. c. 18.

III. GEORGIVS INTRVDITVR IN SEDEM ALEX. *e Athan. ep. ad Solit.*

Sed hæc licet grauissima, leuia tamen videri potuere, præ sæuissima illa omnium persecutione, quæ post hæc in Ecclesiam Alexandrinam atque vniuersam Ægyptum grassata est per Heraclium Comitem Arianum hominem ab Imperatore missum, necnon per Sebastianum Ducem hæreticum Manichæum; iunctis secum indistincte hæreticis, Ethnicis, aliisque quibuslibet facinorosis hominibus, in perniciem Catholicorum, cõmunicare recusantium tum aliis Arianis Episcopis in locum Orthodoxorum relegatorum intrusis, tum præcipuè *Georgio* Cappadoci: quem (vt ait Athanasius *e*) ærarij olim Constantinopolitani Quæstorem, & depeculatorem omnium, eoque crimine profugum, Alexandriam specie militari, & auctoritate Ducis, Ariani immiserunt, & in locum ipsius Athanasij in sedem Episcopalem per vim introduxerunt: quemq; malum genere, animo peiorem, moribus pessimum fuisse, nec quidem omni ex parte liberum, sed dubium & permixtum, Gregorius *a* Nazianzenus ipsius gentilis docet, dum eius scelera recenset. Sed peractam ab eo, & aliis, eius ac sociorum causa, grassationem ingentiaque mala inde subsecuta, sed & quasdam diuinas vindictas in nonnullos sacrilegos; tu otiosius lege apud ipsum Athanasium *b*, ea sæpius fusiusque memorantem. Erit enim vt obstupescas ad eiusmodi nefanda perfidissimorum Arianorum scelera & sacrilegia: admiterisq; Catholicorum ferme omnium, siue Episcoporum & clericorum, siue monachorum & populorum, & tam virorum quam feminarum, ac maximè sacrarum Virginum constantiam; dum quæuis potius tormenta, exilia, deportationes in metalla, lapidationes, denudationes, deprædationes, ignominias, carceres, neces, sepulturæ priuationes, monasteriorum & Ecclesiarum, rerumq; sacrarũ direptiones, incendia, & euersiones, pati maluerunt, quam vel semel iisdem impiissimis hæreticis communicare. Cuius etiam cladis plures alij Scriptores *c* meminerunt eandemq; longe immaniorem fuisse persecutionibus Ethnicorũ Impp. apta inter eas facta collatione, ipse Athanasius demonstrat: conqueriturq; in locum Episcoporum Orthodoxorum, suffectos fuisse iuuenes libidinosos, Ethnicos, ne catechismo quidem imbutos, necnon & bigamos, & de maximis criminibus male audientes, modo aurum darent, nulla alia re quam opum & potentiæ gratia commendatos.

a *Greg. Naz. orat. in laud. Athan.*

b *Athan. Apolog. ad Const. Apol. de fug. sua, & ep. ad Solit.*

c *Theod. lib. 2. c. 13. 14. Socr. li. 2. c. 23. Soz. lib. 4. c. 8. 9. Lucif. Calar. li. 2. pro Athan. Marcel. de schism. Vesic. & alij.*

Cæterum cum idem Athanasius ad cultandos curiosissimè indagantes eum Arianos, occultiores latebras quæsiuisset; vsque ad Constantij obitum ibi commoratus, plura diuersis temporibus conscripsit, tam pro sua ipsius defensione, quam ad roborandos in fide Catholicos, & lapsos erigendos, necnon ad Arianorum impietatem retundendam. Quod enim imprimis accepisset; Arianos fugam suam infamare, quasi male sibi conscius solum vertisset; nec ea ex parte boni pastoris numero se expleret, cuius est animam suam pro ouibus ponere: idem ad eos redarguendos, qui quod optassent illum occidere, adeo ægrè ferrent è manibus ereptum, egregiam texuit *Apologiam de fuga sua*, qua plura inculcans de ipsorum in persequendo vesana rabie, ad eiusdem fugæ suæ defensionem oracula diuina adduxit in medium, quibus ipsorum petulantia retunderetur, ac fuga sua laudabilis haberetur, quam etiam tum alij, tum Sanct. Augustinus *d* vt commendabilem adduxit in exemplum. Sed & quod iidem Ariani, ipseque imprimis Constantius Imperator, quo sua facta aliquo prætextu iustitiæ obuelarent, permulta in Athanasium maledicta, vt in impostorem & hominem omnium scelestissimum iactitarent; aliam ipse *Ad eundem Imperatorem Apologiam* conscripsit, qua cunctas ac singulas in se calumnias obiectas recensuit, ac confutauit. Itemque eodem latebrarum tempore, (verum post Sirmiensem, aut etiam Ariminensem Synodum) lucalentam illam *Epistolam* elucubrauit *Ad omnes in eremo solitariam vitam agentes*, qua de cunctis Arianorum impietatibus & grassationibus, eosdem id expetentes certiores reddidit. Ac denique eodem ferme tempore, soluto iam à pœna exilij Liberio Papa, prolixiorem pro seipso scripsit *Apologiam*, quam *Secundam* vocant.

IV. ATHANASII SCRIPTA È SVIS LATEBRIS.

d *Aug. ep. 180 ad Honorat.*

Sed & qui Athanasij tuendæ innocentiæ causa, Episcopi iam antea è Mediolanensi Conciliabulo in diuersa loca deportati fuerant, quantumlibet inter hostes, tamen non desiere eandem prædicare. Quod inter primos egregiè præstitit *Lucifer* Calaritanus, dum exul agens, pro eodem Athanasio aduersus Constantium duos libros conscripsit; tertium contra eundem Imperatorem *De non communicando cum hæreticis*; rursusque alium *De Regibus apostaticis*: quibus omnibus mira dicendi libertate eundem Imp. grauissimè perstrinxit, sceleraque exprobrauit. Quinetiam cum easdem lucubrationes ad Imperatorem perferendas curasset, ipseque Imp. iis grauiter commotus, per Florentium Magistrum Officiorum literis ab eo quæri iussisset an ille re vera eas scripsisset; non solum Lucifer se earum auctorem

V. LVCIFERI SCRIPTA ADVERSVS CONSTANTIVM IMP.

professus est, sed & aliam in eum ingeminans edidit *De non parcendo in Deum delinquentibus*, qua illum grauioribus exagitauit inuectiuis. Rursum vero quod autumaret Constantium atque ministros eius in necem suam conspiraturos, alium addidit commentarium, cuius est titulus & argumẽtum, *Moriendum pro Filio Dei*: sed hunc postea scriptum esse constat, nempe post Conciliabulum Sirmianum, & Constantinopolitanum, in quo Eudoxius, cuius mentionem habet, suffectus est in locum Macedonij. Porro eosdem Luciferi commentarios Latinè scriptos Athanasium conuertisse in Græcum, quo Orientalibus omnibus cõmuniores essent, testatur Marcellin. presbyter in libello ad Theodosium de Schismate Vrsicini. Extantq; *a* hactenus binæ eiusdem Athanasij è latebris missæ ad ipsum Luciferum exulem Epistolæ, quibus eos ad se mitti petiit, & receptos mirè laudauit.

a *Ap. Lucif. prope fi.*

VI. ARIANI INVIDENT LVCIFERO MARTYRII GLORIAM.

At vero constat, Imperatorem ac cæteros Arianos eidem Lucifero gloriam martyrij inuidisse, cuius se cupidissimum tot tantisque scriptis præseferebat; cum in alios mille modis (vt vidimus) supplicia mortis irrogare pro nihilo ducerent. Haud tamen est permissus quiete viuere: nam auctor est Marcellinus presbyter, eum ab Arianis quarto in diuersa exilij loca mutatum, & cum Eleutheropoli exularet, ab eiusdem loci Episcopo Ariano dira passum esse. Quod igitur sæpe locum mutarit, ex his conciliandi sunt qui dixerunt *b* eum in Palæstinam amandatum, cum aliis qui scripserunt *c* missum esse in Ægyptum ad superiores Thebas.

b *Hieron. de Script. Eccl. in Lucif.*
c *Ruff. lib. 1. c. 27. Theodl. 3 c. 4. Socr. lib. 3. c. 4. Soz. lib. 5 c. 11.*

VII. ATHANASII LATEBRÆ ABSTRVSIORES.

Porro quod Athanasius prædictis ad Luciferum literis queritur, militibus eremum in qua ipse latebat peruadentibus, & cuncta loca perlustrantibus, se eo loci perfugium quæsiuisse, vbi nec libere aerem, nec fratres videre sibi liceret, vno excepto, qui (etsi non sine labore & periculo) ei necessaria ministraret, & Epistolas ad eum scriptas afferret: in eam adducimur sententiam, vt locus ille fuerit cisterna ficca, in qua annis sex ita illum delituisse, vt nunquam solem videret, Ruffinus *d* tradit; cum (vt ait) post annos sex per ancillam, quæ sola conscia videbatur officij dominorum qui latebras Athanasio præbuerant, indicatus; tanquã Dei Spiritu admonitus, ipsa nocte qua ad eum cõprehendendum veniebatur, migrauit ad alium locum. Hæc Ruffinus; licet perperam ad alia tempora eiusmodi latebras ipse referat: sicut & Sozomenum *e* easdem narrantem fecisse constat. Hictamen postea *f* de iis agens quas Athanasius hoc tempore quæsiuit, ait ipsum haud Alexandria recessisse; sed diuino monitu apud formosissimam quandam virginem in ipsa vrbe se recepisse, & apud eam nullo alio arbitro per sex annos remansisse vsque ad obitum Constantij. Recitatq; eandem historiam Palladius *g*; addens se eam virginem Alexandriæ nouisse, cum iam septuagenaria esset.

d *Ruff. lib. 1. c. 18.*
e *Soz. lib. 4. c. 9.*
f *Id. lib. 5. cap. 6.*
g *Pallad. in Lausiac.*

VIII. DISPVTATIO DE LATEBRIS ATHANASII.

Cæterumcum non possit vtraque historia esse vera, quarum altera Ruffinum, altera cum Sozomeno habet Palladium assertorem; (neq; enim aliud sexennij tempus repetiti datur, quo Athanasius delituerit, nisi postquam à Syriano Duce grassatio facta est in Ecclesiam Alexandrinam, quam huius anni exordio contigisse vidimus:) illa quæ à Ruffino describitur, ex veritate temporis tantummodo falsa redargui potest: quæ vero à Sozomeno & Palladio recensetur, spuria prorsus arguitur ex ipso Athanasio; qui sæpius testatur *h*, se cum inuasa esset Ecclesia à Syriano, nõ Alexandriæ amplius commoratum esse, sed fuga lapsum confestim eremum petiisse: quod Gregorius *i* item Nazianzenus & alij affirmant: mansisseq; ibi, literæ datæ post sequentem annum ad Serapionem Episcopum manifeste significant. Quamobrem mendacij suspectam semper habui secessionem illam apud formosissimam virginem: interdumq; existimaui, id fuisse ad infamandum sanctissimum virum Arianorum commentum, cum elusa esset eorum in eo perquirẽdo solicita cura: cæterum id ipsum ab eis in vulgus sparsum, post tot annorum curricula, vt verum fuisse quoq; aliis persuasum, quod esset honestatis colorib. egregiè pigmentatum. Illud tamen non negauerim cõtingere potuisse, ipsum Athanasium eo fugæ inopinatæ impetu, qualescunq; latebras sibi opportune obuias captantem, dictæ virginis domum ingressum esse; sed mox inde recedentem, eremum petiisse.

h *Athn. Apol. ad Cõst. Apol. de fug. sua. ep. ad Solit. & alibi.*
i *Greg. Naz. orat. 10 laud. Athan.*

Sed quod argumenti ratio postulat, vt etiam aliquid agamus de gloriosis illis Confessoribus, sanctis Episcopis, quos vna cum Lucifero in exilium missos vidimus; *Eusebius* Vercellensis ablegatus Scythopolim in Palæstina, sub custodia fuit Patrophili veternosi hæretici, Arij quondam sectatoris, hominis plane sæuissimi, omniumque terrimi. Fuit tamen ei, aliisq; ibidem exulantibus præsidio *Iosephus* Comes; qui ex nobili olim Iudæo, post multa habita potentiæ Crucis Christi experimenta, postque plures in somnis visas CHRISTI Domini ipsum ad fidem vocantis apparitiones, ac toleratos frequentes ob duritiam cordis morbos; post deniq; superatas seu vitatas contribuliũ suorum persecutiones, aliosq; multos variosq; casus: tandem magna Dei clementia factus sub Constantino Magno Christianus, Comitatusq; dignitate ab eodem Imperatore auctus; post edita permulta Christianæ pietatis exempla, atq; ab Arianis sæpe frustra tentatus ipsis adhærere; mandatorum ille diuinorum obseruantissimus custos, non solum preces minasq; eorum spreuit, sed & impia Constantij edicta paruifaciens, exules confessiores apud se susciperе consueuit, eosdemq; summo charitatis studio confouere. Testatur enim ista Sanct. Epiphanius *a*; qui cum ex Cypro insula Scythopolim vt Eusebium inuiseret venisset, & ipse apud eundem Iosephum hospitatus est, totamq; ipsius conuersionis historiam, multis præterea miraculis illustratam, ab eodem ipso didicit, ac scriptis egregiè mandauit.

IX. DE IOSEPHO COMITE, EX IVDÆO FACTO CHRISTIANO. *Quam historiam retulit alia occasione Baron. an 327 nu. XVIII. & seqq.*

a *Epiph. hær. 30.*

Verum quod Ariani pollerent Imperatoris auctoritate, haud diu passi sunt Eusebium apud tantum hospitem commorari, vel visitatione insignium fama virorum ex diuersis prouinciis ad eum conuenientium gaudere. (Tradit enim Seuerus *b*, tam ipsum Eusebium, quam alios exules, totius Orbis studiis celebratos fuisse pecuniasque in sumptum affatim congestas, & legationibus eos plebis Catholicæ ex omnibus fere prouinciis frequentatos.) Itaque illum Patrophilus à Iosepho diuulsum, diræ custodiæ mancipauit; & cum nulla valuisset illum arte ad secum communicandum pellicere, consilium illud iniit, vt in ergastulo eum detentum cogeret à se missum pro alimento cibum accipere; quem si sumeret, gloriari posset eum secum in cibo potuque communicare; si vero eiiciens fame periret, calumniose diffamaret eum voluntario exitio diem extremum clausisse. Verum cum nihilominus ipse Eusebius decreuisset impastum potius in carcere permanere, quam ab Arianis cibum accipere, ne videri quoquo modo posset cum eis communicasse: ne tamen ea de re apud alios accusari posset, libello ad Patrophilum misso, quem & vbiq; promulgari curauit, contestatus est, se vsque ad mortem impastum perseueraturum, nisi Ariani permitterent cibum sibi à clericis suis, vel aliis qui ipsum inuiserẽt, aut deniq; à Catholicis viris, vt antea, ministrari. Quapropter Ariani hac contestatione coacti, ne viderentur Eusebij homicidæ, post quatuor eiusmodi ieiunij dies, eum ad prius hospitium remiserunt. Sed iterum post paucos dies eundem arctiori custodiæ tradentes, cæteros quoque ipsius clericos in diuersa exilia miserunt; alios vero Fideles qui ad eum visitandum venerant, publicis carcerib. incluserunt. Quæ omnia pluribus prosecutus est ipse Eusebius in Epistola è carcere tunc scripta *c* ad suos Vercellenses.

X. EVSEBII VERCEL. ARVMNÆ ET PASSIONES IN EXILIO.

b *Seuer. lib. 2.*

RENVIT CIBVM ACCIPERE AB ARIANIS.

c *Ext. in Act. S. Euseb. & ap Lipom. to. 2*

Nec tamen hic finis eius ærumnarum: siquidem traditur apud Ambrosium *d*, tunc inter cætera passionum genera, hoc pœnale supplicium pertulisse, vt quod interrogatus ab Arianis eorum se communicare perfidiæ denegasset, scalarum procliui tractu supinis pedibus ad imum vsque pertraheretur; & iterum reuocatus ad summum, interrogatus denuo cum eadem respondisset, eadem pateretur; ac sic frequentem interrogationem frequenter, huiusmodi supplicium fuerit subsecutum. Hæc quidem ibi: At nequaquam tunc (quod multi putarunt) consummauit martyrium; quem & videbimus ad longa post hæc tempora superuixisse, ac multum pro fide Catholica laborasse. Sed illud etiã auctore S. Hieronymo *e* liquet, ipsum è Scythopoli ab iisdem Arianis ad grauiores pœnas amandatum

d *Ap. Ambr. ser. 69.*

XI. DIRVM EIVS SVPPLICIVM.

e *Hieron. de Scrip. Eccl. in Euseb. Sardin.*

fuisse

fuisse exulem in Cappadociam. Et quod æquè Russinus *a*, Socrates *b*, Theodoretus *c*, atq; Sozomenus *d* tradunt, eundem cum Lucifero relegatum esse ad superiores Ægypti Thebaidas; argumento est, & ipsi plusquam semel mutatum esse locum exilij.

a *Ruff. lib. 2. c. 17.*
b *Socr. lib. 3. c. 4.*
c *Theod. lib. 3. c. 4.*
d *Soz. libr. 5. c. 11.*

XII. MARTYRIŪ DIONYSII MEDIOL. ET PAVLINI TREVER.

Inter alios vero Occidentis Episcopos exules, duo prometiti sunt coronam martyrij, grauioribus Arianorum exagitati ærumnis; nempe *Dionysius* Mediolanēsis, & *Paulinus* Treuerensis: ille quidem in Cappadocia; (vnde enim Auxentius, qui in eius locum Mediolani suffectus est, venerat, eo Dionysius ingrauiorem pœnam exulare iussus est:) cuius corpus postea S. Basilius Magnus Mediolanum misit ad sanctum Ambrosium. Paulinus vero anno Constantij vigesimo tertio ponitur in Chronico S. Hieronymi, corona martyrij auctus. Sed ab his antiquioribus exilijs, ad alia recentiora transeamus.

XIII. HILARIVS EXILIO DAMNATVS IN CONCIL. BITERREN.

Hoc enim eodem anno, celebrato *Biterris* in Gallia Narbonensi CONCILIO, Hilarius Pictauiensis Episcopus, & Rhodanius Tolosanus, sunt itidem in Orientem relegati. Id n. hoc anno contigisse, inde colligimus, quod Seuerus *e* ait, quartum iam annum Hilarium egisse in exilio, cum Seleuciæ ab Arianis Synodus collecta est: quod quidem accidit Eusebio & Hypatio Coss. anno Domini trecentesimo quinquagesimo nono. Nam quo minus eidem auctori assentiamur, Hilarium inter superiotis anni exules adnumeranti, obstat ipse Hilarius *f*, dum ait se tunc exulare contigisse cum Iulianus Cæsar in Galliis ageret; quem nonnisi anni præsentis exordio illuc peruenire potuisse, cōstat ex iis quæ de eo dicta sunt superius: itemque dum nonnisi post Eusebij, Luciferi, ac sociorum exilium, se cum aliis Gallicanis Antistibus à communione Saturnini Arelatensis Arianorum antesignani separasse dicit; eaque de causa, fauore Constantij Imperat. ab eodem Saturnino celebratum esse Conciliabulum Biterrense, ex quo ipse Hilarius exulauit, cum (vt queritur) reli quorū Orthodoxorum in eo conuentu fides tepuisset, ipseque solus inuentus esset qui Saturnino obsisteret. Verum non tantum Hilarium, sed & *Rhodanium* Episcopum Tholosanū eadem sententia exilij condemnatum esse, Seuerus testatur: sed ait eum, cum esset natura lenior, non tam suis viribus, quam Hilarij societate, nō cessisse Arianis: eundemq; in exilio mortuum esse. Meminit & Russinus *g* de amborum expulsione; aitque cæteros remansisse, vel ignorantes, vel non credentes fraudem Saturnini ac sociorum, qui mentito *Substantiæ* nomine dolos tegerent hæresis Arianæ. Porro Hilarium ex ipsa Synodo Biterrensi in Phrygiam esse relegatum, etiam Hieronymus *h* est testis.

e *Seuer. lib. 2.*
f *Hilar. ad Const.*
g *Ruff. lib. 1. c. 20.*
h *Hieron. de Script. Eccles. & in Chron.*

XIX. CONSTANTIVS TRIVMPHVM ROMÆ AGIT.

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. tertio Calendas Maias, Constantius Imperator in Vrbem se contulit, triumphū agens de Magnentio tyranno extincto; cuius pompa ab Ammiano *i* describitur. Ibi autem cum esset (inquit Theodoretus *k*) magistratuum & nobilium coniuges orant maritos, vt ab eodem Constantio supplices petant, vti pastor Liberius qui exulabat in Thracia, suo gregi redderetur; seque nisi cum exorarent desetturas eos, & ad egregium illum pastorem conuolaturas: Sed respondentibus maritis, se non parum Imperatoris iram pertimescere; ideoq; satius esse vt ipsæ eum deprecarentur, quia nisi petitionem concederet, saltem eas esset illæsas dimissurus: tunc ipsæ ad Imperatorem accedentes, rogant vt Vrbi pastore orbatæ, & luporum expositæ insidiis misereatur: eidemq; respōdenti, altero pastore ciuitati opus non esse, quippe cum haberet vnum qui ei posset prouidere, nempe Felicem in Liberij locum subrogatum; significarunt illæ, quod hic fidei Nicænæ aduersariis communicaret, neminem ex Romæ habitatoribus, in Ecclesiam, dum ille intus esset, ingredi velle. His igitur motus Imperator, edictum promulgauit, vt Liberius Romam rediret, & vna cum Felice communiter Ecclesiam regeret. Lecto vero in Circo edicto, irridens populus acclamauit, æquam esse Imperatoris sententiam; nam cum bifariam diuisi Circenses essent, quibus nomen impositum erat ex colorum varietate, nempe *Prasinis*, & *Venetis*) alterum Episcopum his, illis alterum præfuturum: moxq; vno omnes ore acclamarunt, VNVS DEVS, VNVS CHRISTVS, VNVS EPISCOPVS. Quibus editis vocibus, permissus est Liberius Romam redire. Hæc Theodoretus: eademq; Russinus *a*, & Seuerus *b*, de liberato ad preces populi Romani Liberio. Addit vero Sozomenus *c*, ea lege id annuisse Constantium, si Liberius cōsensuras esset Episcopis, quos ipse Imperator secum haberet. At de Liberij reditu, sequenti anno.

i *Amm. lib. 16 k Theod. lib. 2. c. 17.*
ROM. MATRONAR. STVDIVM PRO LIBERIO PP.
DECRETVM CONSTANTII DERIDETVR IN CIRCO.
a *Ruff. lib. 1. c. 27.*
b *Seuer. li. 2.*
c *Soz. lib. 4. c. 10. in fin.*

XV. SIMVLACRŪ VICTORIÆ GENTILIS SVBLATVM. *d Tac. hist. lib. 1.* [Fuisse vero simulacrum Victoriæ in ipsa Senatus curia, patet ex Suetonio in Aug. cap. 100. & Herodiano lib. 5. & 7.]

Quod vero rursum ad Cōstantij Romæ res gestas pertinet; ex Relatione Symmachi ad Valentinianum Imper. & Sanct. Ambrosij ad eam responsione, apparet Constantium abstulisse Romanis vnicum idolum ipsis relictum, *Victoriæ* simulachrum cum ara: quod quidem, teste Tacito *d*, erat super rhedam impositum, in vestibulo Capitolij collocatum. Illudque à Constantini patre Constantio cultum à Cōstantino Christiano Principe non remotum, à Constante August. sublatum, restitutum illud per Magnentium tyrannum, à Constantio Imper. rursus sublatum, idem Symmachus testatus est. Post hæc vero cupiens Constantius (inquit Ammianus *e*) augustissima omnium sede morari diutius, vt otio putiore frueretur & voluptate; assiduis nuntiis percitus, indicā tibus Suenos Rhætiam incursare, Quadosque Valeriam, & Sarmatas latrocinandi peritissimum genus, superiorem Mœsiam, & secundam populari Pannoniam: trigesimo postquam ingressus est die, quarto Caiend. Iunij ab Vrbe profectus; per Tridētum iter in Illyricum festinauit. Hæc Ammianus. Cæterum haud supernum passum est numen, Arianum Imp. stipatum hæreticorum Episcoporum caterua, Romæ diutius commorari; ne tanta sordium colluuie ea inficeretur Ecclesia, quam absens damnatione Liberij & subrogatione Felicis tantopere perturbasset. Cum igitur in Illyricum venisset, Sirmium concessit, vbi & aliquamdiu quieuit.

d *Tac. hist. lib. 1.*
e *Amm. lib. 16.* CONSTANTIVS RECIDIT VRBEM.

XVI. *f Socr. lib. 2. c. 29.* EVDOXIVS ARIANVS AVCVPATVR EPISCOPATŪ ANTIOCH.

Cum autem Romæ adhuc esset, (inquit Socrates *f*) *Eudoxius* Germanicæ Syriæ vrbis Episcopus, qui & ipse tum Romæ aderat, audita morte Leontij Antiocheni, fraudulenter impetrata ab Imperatore licentia in Syriam redeundi, quasi ad nonnullas Ecclesiæ suæ turbas componēdas; cubiculariorum Imperatoris opera & auxilio, relicta propria ciuitate, per dolum in Episcopatum Antiochiæ subrepsit: moxq; conatus est *Aetium* denuo in Ecclesiam reducere, & conuocato ad hoc Episcoporum *Concilio*, eundem in diaconatus gradum restituere; quod tamen resistentibus aliis minimè valuit perficere. Hæc Socrates: sed præpostero plane ordine ea referens ad tempora Concilij Arminēsis, ignarus temporis Constantij Romam aduentus; quem ex Coss. ab Ammiano positis, hoc anno contigisse certum redditur.

XVII. AETII IMPII ORIGO, ET PROGRESSVS.

Sed quod ad AETIVM spectat; fuit is (vt tradit Suidas, eius vitæ periodum breuiter scribens) patria Antiochenus; paupertatibus & vilibus parentib. natus; qui ingenij acumine præstans, primo aurificis artem apprime edoctus, ac postmodum disciplinas liberales complexus, ad Paulinum se contulit tunc Antiochenum Episcopum: sed cum eius argutiis & in disputando subtilitati nullus ferme resistere posset, defuncto Paulino idem sub Eulalio eius successore conspiratione aduersariorum Antiochia expulsus est. Qui inde Anazarbum, ac postea Alexandriam profectus, cum maiorem in dies peritiam adeptus esset, sub Leontio Episcopo Antiochiam rediens, ab eo creatus est diaconus. Verum paulo post, licet eadem cum Arianis doceret, tamen ab iisdem ob perplexitatem rationum ab eo traditarum, quas ipsi non intelligebant, pro hæretico habitus, iterum ab ipsorum Ecclesia eiectus est. Hæc ex Suida; quæ ferme eadem scripserat antea Socrates *g*. Cæterum Epiphanius *h*, eiusdem Aetij horrendas impietates propius contemplatus, (ob quas etiam ATHEVS vulgo, siue IMPIVS cognominatus est) ait eo ipsum blasphemiæ progressum esse, vt non Filij tantum & Spiritus Sancti diuinitatem negauerit; sed & ab homine quod diuinum est, nempe detestationem vitiorum, & virtutis amorem, penitus amputare contenderit; dum perfectionem hominis in rerum diuinarum cognitione, non autem in operatione virtutum positam esse iactaret; nihilque meriti esse, ad præscriptum diuinarum atque humanarum legum vitam attemperare: deniq; nullum fornicationi, vel cuilibet carnis

g *Socr. lib. 2. c. 28.*
h *Epiph. hær. 76.* IMPIA DOGMATA.

insanæ voluptati inesse peccatum, & perinde ac necessaria naturæ opera, idem esse quod aurem scalpere, nares emungere, & reliqua naturæ excrementa egerere: quem & insuper se totum ventri & abdomini dedisse, Theodoretus *a* tradit. Ac licet lutulentus porcus toto corpore sic prostratus iaceret in limo, animo tamen se supra cœli cardines perambulare iactabat: vnde & solitus erat dicere, se scire Deum, & adeo ipsum nôsse, vt ne quidem se magis nosceret quam Deum: & siquando ad retundendam perfrictam fronte hominis procaciſſimi, à Prophetis vel Apostolis dicta aduersus eum adducerentur, impudenter respondebat, eos sicut homines in errorem lapsos esse: cum tamen vt de eo testatur Socrates *b*, diuinæ Scripturæ rudis admodum & ignarus esset, elenchis Aristotelicis tantummodo exercitus.

Quantumlibet autem propter horrendas blasphemias hunc execrari visi sint Ariani, & ob eam causam frequentes Synodos cogere; vnam tamen ipsorum omnium fuisse in Filij Dei diuinitate neganda latentem impietatem, Athanasius *c* & alij declarant. Sed plane dedignans Aetius intra confines Arianæ perfidiæ contineri, supra Arium se extollens, voluit nouæ hæresis dici & auctor & architectos: cuius sectatores appellati sunt *Aetiani*, siue etiam *Eunomiani* ab eius discipulo *Eunomio*, de quo dicetur suo loco. Nobilitauit vero etiã Aetij nefandã hæresim, (qua Filium Patri substantia omnino dissimilem esse asserebat) EVDOXIVS, quem diximus hoc anno surripuisse Antiochenæ Ecclesiæ præfecturam: qui quod (vt testatur Suidas) Cæsarij martyris in Arabisso Minoris Armeniæ filius esset, ea abutus est gloria ad hæresim illustrandam: cum tamen scribat Theodoretus *d*, cum præter impietatem, Sybariticam etiam molliciem ac delicias consectatum esse; ideoque Aetium cum discipulo suo Eunomio, tanquam eiusdem doctrinæ & vitæ homini, et libentissime inhæsisse; ipsumq; Eudoxium ambitiose obtinuisse, vt eorundem hæresis sectatores non Aetiani, sed *Eudoxiani* appellarentur. Quæ autem aduersus eos post hæc gesta sunt, dicentur suis locis.

Hoc eodem anno Iulianus Cæsar aduersus barbaros in Gallis effusos bellum gerens, eosdem ad pacem compulit: quæ pluribus Ammianus *e* prosequitur. Tunc q; plane accidit, quod tradit Seuerus *f*, vt cum idem Iulianus apud Vangionum ciuitatem donatiuum militibus erogaret, postera die pugnaturus aduersus hostes; S. MARTINVS, cum iam cuncta stipendia meruisset, recusato decenter donatino, missionem ab eo honestam petierit, contestatus se posthac velle militare Deo: neq; enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum nõ militaturus acciperet. Cum vero Iulianus exprobraret, eum metu futuræ pugnæ detrectare militiam; Martinus intrepidus, vt eam notam dilueret, promisit se postera die ante aciem inermem staturum, & in nomine Domini IESV, signo Crucis non clypeo protectum aut galea, hostium cuneos secure penetraturum. Retrudi ergo in custodiam iussõ, facturo fidem dictis, vt inermis barbaris obijceretur; postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seseq; dedentes. Hæc Seuerus; qui eiusmodi hostium deditionem eidem Martino tribuit; cui (inquit) à Deo præstitum sit, ne inermis ad prælium mitteretur. Cæterum de hac missione Martini, deque eius ætate, necnon emendatione complurium errorum, qui in eiusmodi narrationibus irrepserunt in Seuerum, dictum est superius in baptismo eiusdem Sancti. Quod autem Seuerus subdit, eum relicta militia conuenisse Sanct. Hilarium Ecclesiæ Pictauiensis Episcopum, id contigisse oportuit antequam Hilarius hoc eodem anno ab Arianis in exilium mitteretur.

Quod insuper ad Iulianum spectat; quæ eum è periculo subtraxerat Eusebia Augusta vxor Cõstantij, eadem ipsa, quod esset sterilis, cœpit eius inuidere in Imperium successionem: atq; Helenam eius coniugem (inquit Ammianus *g*) venenum bibere per fraudem illexit, vt quotiescunque concepisset, immaturum abijceret partum. Sed & pridem in Galliis cum marem genuisset infantem, hoc perdidit dolo, quod obstetrix corrupta mercede, mox natũ præfecto plusquam conuenerat vmbilico necauit. Hæc quidem Ammianus dolet: at consilium Dei fuit hoc, ne in apostatæ sobole propagaretur impietas. Sed & Eusebiæ Arianorum patronæ, iidem ab Ammiano descripti conueniunt mores; cuius etiam sententia omnes Constantij Magistratus aduersus fidem Catholicam mouerentur: quæ & eo ad nocendum procliuior erat, quo (vt tradit Zosimus) summa præstaret eruditione doctrinæ, supraq; muliebrem sexum videretur esse prudẽtior; cuius & consilio Constantius cuncta perageret.

a *Theod. lib. 2. cap. 27.* IVRGIVDO, ET FASTVS.

Socr. lib. 2.

XVIII. ARII ET ARII EADEM DOCTRINA.

c *Athan. de Synod.*

EVDOXII MOLLITIES, ET IMPIETAS.

d *Theod. lib. 2. c. 27. 29.*

XIX.

e *Amm. lib. 16.*
f *Sener. Vit. S. Mart. lib. 2.*
S. MARTINVS MISSIONEM A MILITIA PETIT

XX. EVSEBIA AVG. INVIDET IVLIANO.

g *Amm. ibid.*

IESV CHRISTI ANN. 357.

LIBERII ANN. 6.

CONSTANTII ANN. 21.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo septimo, Constantio Aug. nonum & Iuliano Cæs. secundum Coss. dum idem Constantius Sirmij ageret, cogẽdum curauit CONCILIVM SIRMIENSE, dicendum potius conuenticulum Satanæ: cuius quidem tempus perperam constituitur à Socrate *a* & Sozomeno, anno post Consulatum Sergij & Nigriani, qui est Domini trecentesimus quinquagesimus primus. Nam cum iidem ipsi affirment, eo perductum esse Osium Episcopum Cordubensem, atq; ad subscriptionem in Athanasium compulsum; constet autem ex iis quæ superius dicta sunt, eiusmodi Osij lapsum nonnisi post eius exilium contigisse, nec exilium nisi post relegationem Liberij, quæ accidit ante annum superiorem; ac deniq; eundem Osium detentum exilio annum integrũ, antequam subscribere cogeretur: iam ex his affirmare necesse erit, eandem Synodum Sirmiensem non ante præsentem annum haberi potuisse. Nam id etiam ex eo probatur, quod certum sit eam habitam esse præsente Constantio Imp. quem hoc anno ibidem Sirmij consedisse Ammianus demonstrat.

1. CONCILIVM SIRMIENSE ARIANORÃ.

a *Socr. lib. 2. c. 24. & Soz. lib. 4. c. 5.*

Eius vero celebrandæ ea causa fuit, quod cum Ariani, iam se hæreticos dici non amplius patientes, affectarent (quod tradunt Epiphanius *b* & Gregorius *c* Nazianzenus) Catholicum nomen; itidem quod Catholicorum esset, explere in omnibus studentes, PHOTINVM Episcopum Sirmiensem, negantem diuinam in Filio cum Patre substantiam, & omnimodam cum eo similitudinem, damnare fategerunt: licet & ipsi (quod docet Lucifer *d*, dum Arianorum eiusmodi latuam detegit) haud multum ab eo differrent, cum dicerent Filium esse creaturam. Porro Photinum iam in Synodo Sardicensi hæresis causa depositum fuisse, dictum est superius ex mente Epiphanij: qui ait, eum Synodi sententiæ haud acquiescentem, adiisse Imperatorem, & alios rursum ab eo impetrasse Iudices, nonnullos Comites & Magistratus sæculares; in quorum præsentia confutatus in conuentu Sirmiensi à Basilio Episcopo Ancyrano, sententiam rursum damnationis acceperit. Testantur eadẽ de eius Sirmij facta damnatione, Socrates, Sozomenus, & alij; qui tradunt eum Sabellij & Pauli Samosateni, necnon Cerinthi & Ebionis damnatas de Christo hæreses renouasse, ob quam causam apparet eundem ab Hilario sæpe nuncupatum esse Ebionem. Sed deterior hic fuit Ebione: Siquidem Ebion Christum Deum esse negabat omnino: Photinus autem id minus habuit, vt diceret nõ ante fuisse, sed tunc CHRISTVM esse cœpisse cum Spiritus S. visus est super illum; quamobrem ex Spiritu Sancto genitum esse dicebat, vt Epiphanius tradit. De diuinis quoq; Personis idem sensisse, quod Paulus Samosatenus & Sabellius, Theodoretus *e* est auctor; vnamq; tantum operationẽ Patris & Filij & Spiritus S. esse docuisse: quem & post damnationem, pro defensione hæresis multa in exilio conscripsisse, iidem Sozomenus & Socrates testantur. Meminit quoque plurimorum eius scriptorum Hieronymus *f*; in quibus præcipua fuisse ait, cõtra Gentes, & aduersus Valentinianum:

11.

b *Epiph. hær. 73.*
c *Greg. Naz. orat. in laud. Athan.*
PHOTINI HÆRESIS DAMNATVR. *Et vide sup. ann. 344. num. XI.*
d *Lucif. de non parc. in Deum delinq.*

e *Theod. hist. fab. lib. 2.*

f *Hieron. de Script. Eccl.*

HOMVNCIONISTÆ HÆRETICI.

a *Aug. ser. 26. ex addit. frag. edit. Louan.*

III. NOVÆ FIDEI FORM SIRMII SCRIPTÆ

b *Athan. de Synod.*
c *Hilar. de Synod.*
d *Socr. lib. 1. c. 15.*

e *Soz. lib. 4. c. 5.*

IMPIETAS ARIANA APERTE PANDITVR.

IV. FALSVS INDITVS TITVLVS SIRMIANÆ BLASPHEMIÆ.

V. OSII LAPSVS.

f *Epiph. hær. 73.*

g *Athan. ad Solit.*

tinianum: eundemq; decessisse ponit anno duodecimo Valentis Imperatoris. Reliquit vero suæ impietatis successores improbos, ab eo dictos *Photinianos*: quos etiam, quod Christum nonnisi hominem affirmarent, dictos fuisse *Homuncionistas*, S. Augustinus *a* scribit.

Damnato vero Photino, qui ad Synodum venerant Ariani Episcopi, nouam Fidei formulam edidere; eiq; addiderunt anathematismos viginti septem, quibus damnando Photini hæresim voluerunt videri Catholici. Recitant eam Athanasius *b*, Hilarius *c*, & Socrates *d*: eandemque consentiētem fuisse Catholicæ veritati, idem Hilarius eam interpretatus demonstrat. Sed quod omitteret vocem *Cōsubstantialis*, (qua sola sæpe diximus præcludi omnem aditum Arianorum argutiis, & captiosis interpretationibus;) merito suspecta censeri debuit. Eam autem Græcè scriptam fuisse à Marco Episcopo Arethusio Ariano, Socrates testatur: additque, duas alias tunc ibidem Sirmij Formulas Latino sermone editas esse, quæ & verbis & sensu, tum inter se, tum ab illa prima differrent. Tradit illud ipsum Sozomenus *e*: sed plane in eo hallucinatus, dum in nulla ipsarum *Vsiæ*, siue *Substantiæ* nomen assertum putauit; cum in prima quam diximus illud expressim habeatur. At vero secunda, quam iidem auctores recitant, prorsus ea vox abdicata est; veritumq; de ὁμοίῳ τῷ, aut ὁμοιούσιον, amplius differere, vel mentionem habere, quod de eis nihil scriptum esset in sacris Literis, quodq; humanam intelligentiam captumq; longe superarent. Ex quibus videas hæreticorum inconstantiā: qui cum aduersus Photinum Substantiæ nomine vsi essent, quod nonnisi Catholicæ Ecclesiæ armis ad pugnacem hæretiarcham profternendum satis sibi virium esset; illo superato, armis illis procul eiectis, qualesnam essent se palam prodidere.

Quod autem eiusmodi blasphema Formula, apud Hilarium sub titulo Osij & Potamij recitetur; caret plane eo titulo, quæ recensetur ab Athanasio & Socrate; nec vlla apud eos prorsus mentio, quod Osius & Potamius eam scripserint. Quamobrem cum ex eo quod Hilarius profitetur se eam è Græco in Latinum versam recitare, plane appareat eum haud nactum esse originalem eius fidei professionem Latino sermone primitus conscriptam, sed eam quæ esset in Græcum conuersa: omnino cogimur affirmare, titulum illum qui desiderabatur in authetico Latino exemplari, superadditum fuisse ab Arianis cum eam in Græcum verterunt; atq; eam magni Confessoris Osij titulo Orientalibus, quo facilius acciperetur, promulgasse. Sed quod ad *Potamium* spectat; haud quis putet hunc illū fuisse Episcopum magni nominis in Ægypto, Pontamionem seu Potamonem nuncupatum, quem in inuasione Ecclesiæ Alexandrinæ à Gregorio facta multa passum, martyrium quoque consummasse, Athanasius est auctor scribens ad Solitarios. Hien. de quo agitur Potamius, vnus erat ex putentibus Arianis; quem Fæbadius (qui his temporibus viuebat, & aduersus Arianos scribebat, Episcopus Agenni in Gallia) vna cum Vrsacio ac Valente cōiungit, meminitq. Epistolæ eiusdem confertæ blasphemiis, ad Orientales atq; Occidentales scriptæ.

Cæterum ipsum Osium eidem impiæ fidei Formulæ subscripsisse, nō autem eam scripsisse, Socrates & Sozomenus affirmant; vi (vt aiunt) & verberibus, tormentisq;, ad id ab Arianis compulsum. Epiphanius *f* autem ait, Arianos ex quadam Epistola, quam ab Osio venati essent, eam hausisse ac promulgasse blasphemiam. Quem excusans *g* Athanasius, asserit Constantium ei tantam vim intulisse, & ita eum arcte tenuisse, vt afflictus astrictusq; malis, tandem ægreq; cum Vrsacio & Valente communicaret, sed tamen vt contra Athanasium non subscriberet. Porro immenso plane luctu prosecuti sunt sancti Patres funus præclarissimi viri: qui cum nauem, quatot tantaq; maria nauigaret, inter syrtes, scopulos, atq; piratas, validis vndiq; aduersariis vrgentibus ventis, iam ad portum salutis magna gloria perduxisset incolumem; ibi insperato naufragiū fecit, vniuersa Ecclesia expauescente. Superauit enim, mea sententia, lapsus Osij præteritorum omnium casum, siue Origenis, siue Tertulliani, vel quorumuis aliorum dixeris: cum nullus tot tantisq; publicis actionibus, ad statum totius Reipublicæ Christianæ spectantibus, tum in Occidente tum in Oriente perfecerit, æquè ac ipse, neque tanta temporis diuturnitate, spectatus fuerit.

At vero sicut olim negante Petro, & cæteris fugā ipsis Apostolis, Latro Christum Deum confessus est in Cruce; itidemque Centurio, qui eum crucifixerat, publice Filium Dei proclamauit: ita pariter (ô prodigium!) cum negat Osius, hostes fidei confitentur Ariani. Siquidem pertæsi Sirmianæ perfidiæ Orientales Episcopi, Sirmio recedentes in Asiam cōmigrarunt; atq; ANCYRÆ in Galatia conuenientes, damnata Formula Sirmiensi, restituto; in Filio Dei *Substantiæ* nomine: suas ea de re sententias ac definitiones, duodecim capitibus comprehensas, per legatos Sirmium miserunt ad Constantium. Tradit enim hæc, pariterque easdem Orientalium definitiones recensēt Hilarius *a*: quibus quidem cum omnia asseruissent, quæ piè sanctèque de Filio Dei dici possunt, omissa duntaxat *Consubstantialis* voce; eosdem ipse de re egregiè gesta laudans, hortatur ad suscipiendam vocem *Consubstantialitatis*, sine qua nomen quoque *Substantiæ* periclitari posse videretur, habere secū fraudem paratam ab iis qui in suum sensum illius significationem detorquent. Porro istos nominis Substantiæ vindices, fuisse *Basilium* Ancyranum Episcopum, qui interfuerat Concilio Sirmiensi, *Georgium* Laodicenum, & alios *Semiarianos* postea dictos, S. Epiphanius *b* numerat, dum eorundem fidei professionem, prolixiorem quam Hilarius, recitat, editam (vt ait) ab eis cum *Ancyræ* in Galatia *Synodum* habuerunt.

Idem vero Epiphanius eo nomine pium appellat Constantium, quod contra perfidiam Sirmiensem, qua sicut de nomine Substantiæ, ita de Similitudine Filij cum Patre tacendum esse decretum erat, ipse tum Valentem hæreticorum pessimum, præcipuumq; (vna cum impietatis indiuiduo socio Vrsacio) eiusdem perfidiæ auctorem, tum alios omnes, ex Orientalium præscripto insserit scribere, Filium Dei per omnia Patri Similem, ac proinde etiam Substantia: Sed hæc postea, cum Orientales Episcopi rursum in Occidentem venientes, & Sirmij vbi Constantius erat consistentes, nouam, eandemque tertiam ordine, cuius superius meminimus, ediderunt Latino sermone fidei professionem; (dictante illam Marco *c* Arethusiæ Episcopo, cui & primæ scriptionem Socrates tribuit) in qua dempto in Filio Substantiæ nomine, eum per omnia Patri Similem esse conscriberent: occasione haud dubium inde obortā, quod cum Orientales Episcopi Semiariani iterum atque iterum nomen Substantiæ in Filio professi fuissent, offensis nonnihil Arianis ea professione, quæ in omnibus Catholica videri posset; post diuturnam inter ipsos disputationem, ita transactum fuerit, vt Semiariani relinquerent nomen Substantiæ, Ariani vero admitterent Filium dici Patri per omnia Similē; licet Valens id profiteri refugerit, & nisi Cōstantio iubente non fecerit. Constant hæc ex Epiphanio; itemq; nouam illam Formulam cōscriptam esse Sirmij nocte illucescentis sacri diei Pentecostes; nempe (vt Athanasius *d* & Socrates *e* tradunt) vndecimo Calendas Iunias Eusebio & Hypatio Coss. Fuit is annus Domini trecentesimus quinquagesimus nonus, quo & Ariminensis Synodus est celebrata; ad quam Valens (vt videbitur) eandem Formulam detulit ibi promulgandam: refragante tamen (vt ait Epiphanius) Basilio Ancyrano Semiarianorum signifero, qui in sua subscriptione Substantiæ nomen apposuit. Sed & impiæ illius Sirmianæ professionis secundæ exemplaria omnia diligenter perquisita fuisse, & in quantū potuerunt suppressa, ipsumque Imperatorem edicto promulgato supplicium ea occultantibus minatum esse; Athanasius, Socrates *f*, & alij tradunt: cum tamen (vt addunt) factum id frustra fuerit, quod iam ea Formula vbiq; diuulgata esset.

Sed qualem finem sortitus sit eius, siue scriptor, siue subscriptor Osius, modo dicendum est. Auctor qui Isidorus *g* Episcopus Hispalensis falso asseritur, tradit eum post reditum in Hispaniam in defensione hæresis perstantem, dum in Gregorium Episcopum Eliberitanum, sibi communicare recusantē, sententiam damnationis proferre vellet; ad eiusdē Gregorij preces Deo fusas, repente ore verso cer-

VI. NOVA FIDEI FORMVLA ANCYRÆ FICTA A SEMIARIANIS:

a *Hilar. de Synod.*

b *Epiph. hær. 73.*

VII. REVOCATA SIRMIANA PERFIDIA:

c *Vid. ep. Germin. ap. Hil. fragm. lib. 1.*

d *Athan. de Synod.*
e *Socr. lib. 2. c. 29.*

f *Id. cap. 25. in fin.*

VIII OSII FINIS QVALIS.

g *Isid. de Vir. illustr. in Osio.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uiceque distorta, de sede in terram elisum illico expirasse. Sed non est tantæ auctoritatis ementitus iste Isidorus, vt eius testificatio præferenda sit sanctissimis Patribus, qui eodem tempore vitæ & obitus Osij fuere superstites; cum ipse post annos ducentos vixerit, nec ab alio quam à cœnoso schismaticorum fonte istæc potuerit haurire: siquidem primus eiusmodi fabulæ auctor fuisse reperitur Marcellinus presbyter ille schismaticus Luciferianus, qui vixit temporibus Theodosij. Cæterum Magnus Athanasius scribens ad Solitarios postquam narrauit vim Osio ab Imperatore illatam Sirmij, quo Valenti & Vrsacio cõmunicaret; addit non ita quidem eam rem illum pro leui habuisse; sed moriturum, quasi in testamento suo, eorum vim protestatum esse, & Arianam hæresim condemnasse, vetuisseq; eam à quoquam probari aut recipi. Rursumq; Apologia secunda cum eundem dicat senij imbecillitate imparẽ verberibus ad tempus cessisse; iam plane significat, post illud tempus in pristinum statum renocatũ esse. Nec certe aliud S. Hilarius in libro de Synodis demonstrasse visus est, cum ait, idcirco Osium reseruatum esse, ne iudicio humano ignoraretur qualis ante vixisset. Denique quomodo dici potest, Osium in hæresi quam scripserat vel subscripserat perdurasse, si ipsa scripta professio impietatis, statim est reuocata, & Imperatoris edicto vetita? cum æquè periculum ei fuisset illud asserere, ac quod ante fecerat affirmare se Catholicum?

IX.

Sed nimirum Marcellinus Luciferianus, quod errore sectæ suæ, Lapsis etiam pœnitentibus communicandum esse negaret, in stabilimẽtum opinionis suæ id de Osij prodigiosa morte confinxit. Scimus quidem extare *a* Epistolam Eusebij Vercellensis ad prædictum Gregorium Eliberitanum, ab exilio scriptam post Concilium (vt apparet) Ariminense; qua constat, eundem Gregorium Osio in Hispaniam reuertenti restitisse. Verum q; & eadem pariter cõstet, eundem Gregorium æquè denegasse communicare Episcopis Catholicis apud Ariminum lapsis; aperte intelligitur, ipsum iam tunc eius opinionis assertorẽ fuisse, quam postea Lucifer in schisma conuertit. Eoq; spectat, quod S. Augustinus *b* Osium ab aliis Donatistarum calumniis vindicans, ait eum, si ab Hispanis est damnatus, à Gallis absolutum esse: nimirum quod in Hispania agente Gregorio vigeret error ille, in Galliis vero lapti Episcopi pœnitentes in Ecclesiam admitterẽtur. Cæterum creditur postea Gregorius sanioti menti redditus, duramq; austeritatem illam flexisse in obseruantiæ Catholicæ rectitudinem; quippe qui nonnullorum præconiis Orthodoxorum celebratus reperiatur.

a *Ext. int. frag. Hilar. lib. 2.*

DE GREGORIO ELIBERITANO. *De quo agit etiam Baron. Tom. IV. an.* 371.

b *Aug. cont. ep. Parm. c. 4.*

X.

Quod autem pertinet ad tempus obitus Osij; cum ex eadem Eusebij Epistola probari videatur, vixisse post Concilium Ariminense; & Athanasius oratione prima contra Arianos, quam habuit anno Christi trecentesimo sexagesimo primo, (nempe, vt ait, triginta sex annis post Nicænam Synodum) de ipso vt defuncto meminerit: necesse est dicere, tempus illud non excessisse obiisseq; anno sequenti à Concilio Ariminensi, qui numeratur Christi trecentesimus sexagesimus, cum centum & amplius annos vixisset. Sed & quod eadem oratione Athanasius recensens præstantissimos Episcopos de fide Catholica optime meritos, primo loco, atq; titulo honorifico ponat Osium; plane declarat eundem in Catholica communione sancte quieuisse. At de illo hactenus: de quo agens idem qui asseritur Isidorus, eum scripsisse tradit libũ *De Laude Virginitatis*; pulchro & diserto eloquio exornatum.

OSIVS SANCTE QVIEVIT.

XI. LIBERII PP. CAVSA IN SYNODO SIRMIANA.

Verum ad res Sirmianas reuocanda est oratio: haud enim Osij lapsu tragœdia illa finem accepit, quæ casu Liberij Romani Pontificis longe reddita est lugubrior. Tradit enim imprimis Athanasius *c*, Liberium post exactum in exilio biennium, inflexum esse, minisque mortis ad subscriptionem in ipsum Athanasium inductum. Et Hieronymus *d* iterum asserit, eundem tædio victum exilij, in hæreticam prauitatem subscripsisse. Testantur idipsum & alij quoque antiqui Scriptores: ac demque ipse Liberius literis cum ad Orientales Episcopos, tum ad Vrsacium & Valentem, necnon ad Vincentium Episcopum Capuanum scriptis, (quæ hactenus *e* extant in Crescomana Collectione) aperte profitetur se desiderio redeundi Romam, & Athanasij damnationi consensisse, & fidem Sirmij conscriptam approbasse, ac pacem cum omnibus Orientalibus Episcopis iniisse.

c Athan. ad Solit.

d Hieron. de Script. Eccles. in Fortunatiano. & in Chron.

e Ref. Baron. Annal. Tom. III. hoc an. ex mss. Vatic.

Porro cum duas Fidei Formulas hoc anno Sirmij editas esse nuper sit visum, (tertia namq; post annum sequentem est composita;) priorem videlicet ad confutandas Photini blasphemias, posteriorem vero blasphemam illam de qua diximus: Liberium priori subscripsisse, Sozomenus *a* imprimis declarat; nimirum ei, qua assertum esset filium Patri tam Substantia quam cæteris omnib. esse similem: quam quidem S. Hilarius interpretatus, agnoscit esse Catholicam, quippe cui nihil deesset præter vocem Consubstantialis. Nam & hac ex parte Vigilius *b* Episcopus Tridentinus eandem Sirmienem Synodum nouit esse Catholicam; cuius decretis obniti, nihil aliud esse dixit, quam velle cum Photino damnari. Deniq; cum posterior illa eiusdem Conuentus Formula confestim ab iisdem ipsis explosa fuerit, & edicto Imperatoris prohibita; quis dicere audeat, Liberium ab exilio Sirmium ab Imperatore accersitũ, vt impietati quam idem Imp. ac sui exhortescerent subscriberet? At vero accidit, vt licet nomen Substantiæ fuisse professus in Filio, tamen quod Nicænam vocem Consubstantialitatis reticuisset, quam omnes Orthodoxi aduersus Arianos magna semper gloria defendissent; eam ob causam calumniam passus fuerit, quasi Consubstantialitatem damnasset; dissipantibus eiusmodi rumorem (vt tradit Sozomen.) Eudoxio, & cæteris Aetianæ hæresis fautoribus. Quod aût insuper Regula fidei cui subscripsit, cætera licet Catholica, tamen ab hæreticis conscripta esset; itemq; quod iisdem hæreticis cõmunicasset; ac deniq; Athanasij damnationi consensisset: (cuius tanta existimabatur causa, vt qui in eam subscriberent, in Nicænam pariter fidem ferre calculum viderentur:) ex his, inquam, factum est, vt à Catholicis existimatus fuerit in hęreticam prauitatem subscripsisse.

a Soz. lib. 4. c. 14.

b Vigil. aduers. Eutych. lib. 5.

XII. LAPSVS LIBERII QVALIS.

Cæterum quamuis in his eum grauissime deliquisse, inficiari nemo possit; tamen à fide Catholica defecisse, aut in hæresim incidisse, nullus vnquam probabit. Longe enim aliud est dicere, Liberium damnasse Cõsubstantialitatem, aliud vocem illam silentio suppressisse. Nam asseuerando Filium eiusdem esse cum Patre Substantiæ, idem est ac si professus esset Consubstantialem; etiamsi hæretici Substantiæ vocem in alium sensum inflecterent; quorum malitia nequaquam inuertere potest legitimum sensum qui natiua & vsu vocibus inest: Sicut nec ob eam causam q; iidem hæretici abutuntur diuina Scriptura, & ex ea hæreses suas efformãt, Catholici eadem vti vetantur. Itaq; & ipse S. Augustinus *c* aduersus Pascentium Arianum agens, sæpe pollicetur se subscripturum ipsius fidei, si nihil inueniret in ea quod aduersaretur Catholicæ veritati, etiamsi nomen Cõsubstantialis minimè profiteretur. Et hoc ipso tempore, cum Aetius in Syria, & Photinus in Illyrico, diuinitatem à Filio Dei penitus reiecissent; Eleusium ac socios eius, qui professi essent Sirmij vnam Filij cum Patre substantiam, habitos esse à nostris Catholicos, testificatione constat Hilarij *d*, dum ait, præter Eleusium & paucos cum eo, ex maiori parte Asianos Episcopos, vere Deum nescisse: cum alioqui hic Eleusius Episcopus Cyzicenus, ab Epiphanio *e* & aliis, vna cum Basilio Ancyrano, inter Semiarianos adnumeretur; & à Sozomeno *f* inter illos recenseatur, qui Liberio ob pacem Ecclesiarum persitaserit vocem Consubstantialis prætermittere, quo in eandem fidem simul conuenientes, aduersus Photinianos & Aetianos bellum gererent: quibus sic Liberius assensus est, vt tamen quo Substantiæ nomini bene consultum esset, Ecclesia (inquit idem Sozomenus) interdixerit omnibus, qui Filium Patri non substantia & cæteris rebus omnibus similem asseuerarent.

c Aug. p. 174

d Hilar. de Synod.

e Epiph. hær. 73.

f Soz. lib. 4. c. 14.

XIII. MINIME DICENDVS HÆRETICVS.

Ex quibus plane intelliges, non esse S. Hilarij, quæ in textu citatæ nuper Epistolæ Liberij ad Orientales, leguntur in incerto, & omni ex parte mutilato libello *g de Synodo Ariminensi* sub nomine Hilarij edito. Vbi n. profitetur Liberius, se recepisse Confessionem Sirmiensem à Demophilo Episcopo sibi oblatam, ista intexuit mira audacia qui exscripsit,

IX. CONFICTA VT SO. à Ap. Hilar. frag. lib. 1.

g Hilar. frag. lib. 1.

[Quem quidem libellũ esse potius Hilarij Luciferiani, aut saue hæc insipida additamenta non esse Hilarij Pictauiensis, multis probabilib. coniecturis disputat Card. Perron. in Resp. ad Reg. Mag Brit. li. 1. c. 27.]

scripsit: *Hæc est perfidia Ariana; hoc ego notaui, non apostata.* & paulo post: *Anathema tibi à me dictum Liberi, & sociis tuis*: ac rursum inferius: *Iterum tibi anathema, & tertio, prauaricator Liberi.* Præter enim quod ista procul abhorrent, non dicam à modestia, sed & à maiestate Hilarij styli; quomodo quis fingere potest ista ipsius esse, quippe qui perfidiam illam Sirmiensem, non Demophili vel alterius alicuius superius nominatorum, sed Osij & Potamij fuisse affirmat libro de Synodis? quam cum ipse Demophilus, vna cum aliis suis Semiarianis, (nam & hunc ex numero Semiarianorũ fuisse, idem Hilarius, Epiphanius, Sozomenus, & alij testãtur) sit magnopere detestatus; quis dicet eam ipsum obtulisse Liberio subscribendam, & non potius suam ipsorũ Semiarianorum, quæ fuit (vt vidimus) Prima Sirmiensis nominata, quam & Hilarius cognouit esse Catholicam? At hæc modo sufficiant pro defensione conseruatæ à Liberio fidei Catholicæ apud Sirmium: quomodo vero eandem postea integram vsque ad obitum custodierit, videbitur inferius.

XV. ROMAM REDIRE PERMITTITVR.

Post hæc autem gesta, addit Sozomenus Imperatorem dedisse Liberio potestatem Romam reuertendi; & Episcopos Sirmij congregatos scripsisse literas Felici, qui in eiusdem Liberij locum subrogatus fuerat, ac Clero Romano, vti Liberium reciperent, & ambo pariter Sedem Apostolicam administrarent: haudq; ita diu post mortuo Felice, solum Liberium Ecclesiæ illi præfuisse; id diuina operante prouidentia, ne Sedes Petri à duobus Præsulibus gubernata, vlla infamiæ macula aspergeretur. Hæc Sozomenus. Sed quod ad Felicem pertinet; si fidem haberemus Libro de Romanis Pontificibus, scribi dicitur decreta in Synodo Sirmiana restitutio Liberij, vt Felix depositus cessare iussus esset.

XVI. RESPVITVR A ROM.

Rediens porro Liberius Romam, nequaquam (vt multi putant, decepti auctoritate eiusdem Libri de Romanis Pontificibus) tunc detentus est in cœmeterio S. Agnetis; id enim postea alia occasione contigit; sed quod ait S. Hieronymus *a*, tunc quasi victor in Vrbem intrauit. Verum qui experitus ante fuerat ab omnibus, iam quod adeo turpiter Constantio consensisset, omnium animos à se abalienatos inuenit: quippe qui cum antea Felicem, quod Romanæ Ecclesiæ ab Arianis præfici, viuente Liberio tunc Cõfessore, passus esset, exhorruissent; eidem iam, Catholicæ fidei vexillum aduersus Liberij prænaricationem extollenti, se se iunxerunt. Vnde traditur in prædicto Libro, magnam Romæ turbationẽ factam esse, ac plane persecutionem excitatam à Magistratibus aduersus eos qui non parerent literis Imperatoris pro Liberij restitutione conscriptis: ita vt intra Ecclesiam presbyteri & clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur, alij vero ab introitu Ecclesiæ vbi Liberius suos cõuocabat, atq; etiam à balneis publicis penitus abstinerent, ne quoquo modo cum iis cõmunicarent. Tantus ab ipsis Apostolorum temporibus viguit in Clero & Populo Romano amor Catholicæ disciplinæ, atq; odium in hæreticos, ac eis vel leuiter communione coniunctos! Porro inter clericos tunc Romæ passos, *Eusebij* presbyteri nomen meruit publicis *b* adscribi Tabulis: qui à ministris Constantij intra cubiculum clausus, illic mensib. septem in oratione perseuerans, fame consumptus spiritum exhalauit.

a *Hieron. in Chron.*

b *Martyrol. Rom. 14. Aug.*

XVII. FELICIS EXITVS QVALIS.

Sed de Felicis exitu diuersa plane reperiuntur scripta; dum in eodem libro de Romanis Pontificibus in Liberio scribitur, Felicem depositum in Synodo ab Episcopatu, habitasse in prædio suo via Portuensi, & ibi in pace quieuisse: rursumq; eodem libro in Felice habetur, ipsum ob damnationem Constantij, obtruncatione capitis martyrium consummasse in ciuitate Cære: (sic enim restituendum esse pro *Corona*, docet Martyrologium *c*. Est autem *Cære* ciuitatis in Faliscis via Aurelia decimoseptimo ab Vrbe lapide, vbi hactenus idem Felix vt patronus colitur:) corpus vero eius in Vrbem relatum, primo ad Thermas Traiani occulte sepultum esse, inde à Damaso presbytero, & aliis ipsius Felicis communionis clericis, translatum ad basilicam quam cõstruxerat via Aurelia. At enim Marcellinus presbyter tradit, quod cum Liberio pulso Clerus Romanus iuraslet, se nullum creaturum Pontificem donec Liberius restitueretur *a*, & nihilominus quidam ex illis periuri effecti intrusissent Felicem; reuertente Liberio, Felicem Vrbe pulsum esse, paulo vero post fauore periurorum Romam reuersum, moxq; iterum ejectum, demum Valentiniano & Valente Coss. (erat is annus Domini trecentesimus sexagesimus quintus) migrasse è vita. Hæc Marcellinus: qui fauens schismati Vrsicini cõtra Damasum Felicis sequacẽ, nihil de eiusdem Felicis martyrio meminit: vel quod illud occulte eum subijsse habeat Romanum Martyrologium, fortasse Marcellinum præteriit.

c *Ibid. 29. Iul.*

a Habentur hæc eadem apud Hieron. in Chronico, in ingressu Liberij: prout ea ope codicum ms. Annal Põtacus suo loco restituit: cũ antea fœdissimo errore in impressis pbris facta essent ad successionẽ Episcoporũ Hierosolymorum, quorũ proximè memineram. Hieronym.

Cæterum causa illa, quæ in libro de Romanis Pontificibus asseritur damnationis Constantij per Felicem factæ, nempe quod secundo rebaptizatus esset ab Eusebio Nicomediensi; minimè probari potest, tum quod nondũ hoc tempore Ariani rebaptizarent, ideoq; nec adhuc Ecclesia respueret Arianorum baptismum, vt S. Hieronymus aduersus Luciferianos scribens testatur: tum quod constet assertione Hilarij *b*, Seueri *c*, atq; Luciferi *d*, Constantium his temporib. adhuc perseuerasse catechumenum; eundemq; Athanasius *e* & alij *f* affirment, tempore mortis ab Euzoio Ariano Episcopo Antiocheno initiatum esse baptismo. At non hæc tantum, sed & alia pleraq; in eodem commentario, cum in Liberio, tum in Felice habẽtur, quæ inter se discrepent, & erroris facile redarguantur. Quamobrem cum ingressus Felicis absq; controuersia à maioribus fuerit existimatus iniquus, & de exitu ipsius eadem inter se pugnantia scripta nutent; accidit plane magna Dei prouidentia, vt cum temporibus Pontificatus Gregorij XIII. de emendatione Romani Martyrologij à viris eruditis ad hoc delectis frequentes haberentur conuentus; & de Felice non leuis controuersia incidisset, expungendusne esset ob vitiosum ingressum eius, vel absq; martyrij titulo relinquendus; ac demum ob innumeras contrarias assertiones, idem Felix causa ferme cecidisset: accidit, inquam, eo ipso tempore, vt cum in Diaconia SS. Martyrum Cosmæ & Damiani in Foro Romano, dum quidam altare suffoderent vt thesaurum inuenirent, quem acceperant ibi esse reconditum; in aream marmoream inciderent, in cuius altero latere, tabulæ lapideæ interstitio ab altero distincto, repositæ inuenirentur Reliquiæ SS. Martyrum Marci, Marcelliani, & Tranquillini; in altero vero corpus S. Felicis de quo agimus, vna cũ lapideo laterculo ibidem intus posito hisce literis exarato. CORPVS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS, QVI DAMNAVIT CONSTANTIVM: quod contigit pridie eius diei, quo eiusdem S. Felicis in Ecclesia natalis dies agi consueuit quarto Calendas Augusti, anno Domini millesimo quingentesimo octogesimo secundo: quando opportune ipsemet visus est admiratione omnium rediuiuus comparuisse, per se suam causam acturus, cum iam stylo contradicentium valde esset oppressus.

b *Hilar. de Synod.*

c *Sener. lib. 2.*

d *Lucif. pro Athan.*

e *Athan. de Synod.*

f *Soer lib 2. c. vlt. Nicepn. lib. lib. 9. c 30.*

MARTYRIVM SVBIIT PRO FIDE CATHOL.

XIX. CAVSA FELICIS ET LIBERII.

I. Quod vero spectat ad seriem vniuersam rerum gestarum inter Liberium atque Felicem; admiranda prorsus in eis apparuit summa Dei prouidentia, qua semper Romanam Ecclesiam moderatus est. Quippe labefacto ex Arianorum communicatione, etsi non hæresis participatione, Liberio; Felicem, antea eorundem communicatione coniunctum, excitauit ex aduerso, sicque ad pugnam roborauit, vt cum eos omnes, tum eorum Principem Constantium anathemate feriens, pro mercede coronam martyrij fuerit consecutus. Quæ vero fertur Athanasij nomine scripta ad Felicem ex Synodo Alexandrina Epistola, haud æquè probatur: siquidem ab eo tempore, quo exulante Liberio Felix sedere cœpit, nullus plane locus vel tempus cogendæ Synodi potuit esse, Athanasio in eremo latitante; atq; aliis Ægypti Episcopis pariter exturbatis: sunt q; præter hæc alia multa, quæ ibi posita minus arrident.

XX.

Et quod demum pertinet ad tempus sedis Felicis; hoc quidem debet omnib. esse exploratum, totum illud biennium, quo sedit cum Liberius legitimus Pontifex Berœæ exularet, nequaquam in numerum annorum esse computandum: sed eius sedis initium accipi debere, cum auditâ Liberij prænaricatione ipse FELIX (eius nominis Secundus; natione Romanus, Anastasij filius) à Clero Populoque Romano legitimus Pontifex declaratus est hoc ipso anno. A quo tempore quantũ sederit; haud vllo modo probare

FELIX QVÂNDO DICENDVS SEDISSE ROM. PONT.

possumus;

possumus, quod Marcellinus tradit eum peruenisse vsque ad Consulatum Valentiniani atque Valentis; sed potius sedisse annum vnum, menses tres, totidemque dies, vt habetur in libro de Romanis Pontificibus. Huic enim sententiæ consentit Sozomenus, dum eum haud diu post reditum Liberij mortem oppetiisse tradit. Eique consentaneum est, quod nonnisi vnam ordinationem fecisse dicatur. Sed & quod tempus sedis eius habeatur inclusum Pontificatu Liberij; vel ex eo quod eiusdem ingressus fuerat vitiosus: inde factum reor, vt Optatus *a* Mileuitanus & Augustinus *b*, cum recensent seriem Romanorum Pontificum, post Liberium, omisso Felice, mox Damasum ponant.

a *Opt. lib. 2. cont. Parm.* b *Aug. ep. 165.*

XXI. LIBERIVS RECEDENS AB ARIANIS, SVSCEPTVS A ROMANIS.

Felice autem defuncto, nullus in locum eius subrogatus est, quod Liberius, abrupta penitus quæ recipiendæ sedis causa interceſserat cum Arianis communicatione, ab omnibus legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex, vt erat antea, cognitus & acceptus fuerit. Constatq; auctore Marcellino presbytero, eundem, ad tollendum Ecclesiæ Romanæ schisma, eos qui à Felice fuerant ordinati, in clerum cum ordinibus & honoribus recepisse; factumque vnum pastorem ouilis vnius. Risu vero potius, quam redargutione, dignum est recentiorum quorundam *c* historicorum cōmentum, dicentium Felici fuisse suffectum *Leonem* quendam, in S. Hilarium parum æquum quem sero accedentem ad Synodum, in pœnam, humi considere iussserit: ipsum vero diuina vindicta, eadem, qua Arius, pœna mulctatum, vna cum visceribus animam efflauisse. Somniasse ista putantur; cum tantæ rei, in tanto vtro, in totius Orbis theatro confectæ, antiquorum nullus reperiatur assertor. At de Felice hactenus: de Liberio autem, eiusq; egregia fidei Catholicæ aduersus Arianos susceptа defensione, rursum inferius.

c *Conrad. Alberst. Herma. Cyg. qui refelluntur ab omnibus.*

FABVLA DE LEONE SVI-SECTO IN LOCVM FELICIS.

XXII.

Verum hic de vtroque non omittendum; haud ita nos prædicta omnia de eis hoc anno recensuisse, vt sub eodem facta esse contendamus; sed ad facilorem historiæ intelligentiam; cum alioqui & Synodum Sirmiensem in sequentem annum propagatam esse, prolixitas rerum gestarum admoneat; & Liberij in Vrbem restitutionem nonnisi eodem sequenti anno contigisse, id maximè demonstret, quod de immunitate clericorum Constantius promulgans edictum *d* octauo Idus Decembris iisdem huius anni Coss. non ad Liberium, (vtpote qui nōdum Romam fuisset restitutus) sed ad Felicem illud rescripsit. Quod cum Mediolani datum ponatur; aliudque ibidem ab eodem Imp. pariter quarto Idus Nouembris eiusdem anni, de confirmatione priuilegiorum Ecclesiæ Romanæ datum legatur; inde quoque apparet, sic eundem Imperat. hoc anno & sequenti (quod Ammianus testatur) Sirmij degisse, vt tamen se interdum Mediolanum conferret; sub qua metropoli, lege Vatinia *e*, prouincia Illyrici posita esset.

d *l. 14. C. Th. de Episc. & Cler.*

e *Suet. in Iul. c. 22.*

XXIII. IVLIANVS ACCLAMATVR AVGVSTVS.

Hocitem anno iisdemque Coss. (vt constat Ammiani *f* assertione) Iulianus Cæsar ab exercitu acclamatus est *Augustus*, quod septem Alemannorum Reges Gallias incursantes vicisset: quem tamen ipse titulum tunc quidem recusare simulauit. Iisdemque Coss. Constantius Imp. aduersus maleficos *g*, elementa turbantes, & manes accientes ad conficiēdos malis artibus inimicos, rescripsit ad Populum; & contra gladiatorum *h* munera exhibentes, ad Orfitum Vrbi Præfectum. Sed & sub eadem Orfiti præfectura, *Obeliscus* omnium maximus Alexandria allatus, Constantij iussu erectus est Romæ in Circo Maximo, quem in eodem Circo fractum, iacentem, terra sepultum, nostro seculo Sixtus Quintus Pontif. Max. in Lateranum transtulit, ac Crucis vexillo nobilitatum CHRISTI gloriæ consecrauit.

f *Am. lib 16.*

g *l. 5. C. Th. de maleſ.*

h *l. 2. C. Th. de gladiat.*

* *
*

IESV CHRISTI ANN. 358.

LIBERII ANN. 7.

CONSTANTII IMP. AN. 22.

ANNO CHRISTI trecentesimo quinquagesimo octauo, Daciano & Cereale Coss. Imperator Constantius per legatos Ancyranæ Synodi (de qua dictum est anno superiori) certior factus de Ecclesia Antiochena, Aetij hæresi, quæ Filium Patri dissimilem asseuerabat, grauiter ab Eudoxio, qui malis artibus eam Ecclesiam inuaserat, labefactata; confestim aduersus ipsum Eudoxiū ad Antiochenos scripsit, tanquam non à se missum; ac paulo post constituit Nicææ in Bithynia Cōcilium de Aetij hæresi cogere. Sed cum deinde mutato consilio, placuisset illud apud Nicomediam eiusdem prouinciæ ciuitatem conuocare; interim dum Episcopi illuc properarent, ciuitate repentino terræmotu penitus collapsa, ipsisq; etiam cunctis fermè hominibus extinctis vna cum Cecropio Episcopo Ariano; electa denuo à Basilio Ancyrano ad conuentum agendum Nicæa, ab Imperatore probata est; sed rursum mox improbata, quod & illa ciuitas terræmotibus pariter afflictata in mœrore esset. Itaq; tandem opera Valentis, aliorumque Arianorum Aetij hæresi patrocinantium, Synodus in duas partes ita diuisa est, vt Occidētales Episcopi *Arimini*, Orientales *Seleuciæ* in Isauria conuenirent: eo videlicet consilio, quod timerent, si in vnum omnes Episcopi cōuenirent, fore vt Aetius damnaretur; sperarent autem, vt vel cunctis ita separatis, eius hæresis facilius persuaderetur; vel saltem ab altero conuentu ea minimè damnaretur. Tradit hæc omnia pluribus Sozomenus *a*.

I CONCILIA ARIMIN. ET SELEVC. DICERNVNTVR.

Cæterum fuisse consilium Eudoxij, id per aulicos procurantis, vt Nicææ Synodus cogeretur, Theodoretus *b* est auctor: sed (vt inquit) magna Dei prouidentia res terræmotu impedita fuit, ne cum in illa vrbe fidei Apostolicę doctrina à sanctis Patribus descripta fuisset, & alij iam ibi congregandi contrariam doctrinam conscribere in animo haberent; ex similitudine nominis, ansam Ariani arriperent ad fraudem. Sed & Athanas. *c* declarans veteratorie quæsitam esse ab Arianis Synodi diuisionem, quod metuerent ne si omnes in vnum conuenirent, damnāda forent omnia quæ hactenus impiè egissent; sperarentq; ita inuicem à se disiunctis, aliquid suffurari posse: ait tamē, id numinis prouidentia procuratum esse, vt in singulis Concilijs, hic quidem sinceræ puræq; fidei sententiæ apparerent, illic autem suspecta incertaq; ingenia cum suis moribus sese ostenderent. At de iis Synodis dicetur anno sequenti; cum in tanta rerum conflictatione de loco deligendo, anni huius tēpus insumptum esse noscatur. Nam & habet Socrates *d*, de conueniendo quoq; Tarsi Ciliciæ actum esse: & illud pro constanti vulgarum fuisse, Episcopos in Oriente Ancyræ conuenturos, in Occidente Arimini, Sanct. Hilarius *e* affirmat.

a *Soz. lib. 4. c. 13. & segq.*

II. b *Theod. lib. 2. c. 26.* PROVIDENTIA DIVINA IN HIS REBVS GESTIS.

c *Athan. de Synod.*

d *Socr. lib. 2. c. 31.*

e *Hilar. de Synod.*

III. DIRVS NICOM. TERRÆMOTVS.

Porro Nicomediæ terræmotum contigisse iisdem huius anni Coss. quinto Calendas Septembris, Socrates est auctor: quem Ammianus *f* breuiter quidem, sed graphicè depingens, demum addit superesse potuisse ædium sacrarum & priuatarum, hominumque partem maiorem, ni palantes abrupti flammarum ardores, per quinquaginta dies & noctes quicquid consumi poterat exussissent. Scribens quoq; hæc eadem Sozomenus *g*, subdit *Arsacium* genere Persam, olim ex milite qui leones Imperatoris nutriebat insignem sub Licinio confessorem, ac postea monachum factum, intra turrim Nicomediæ commorantem, vitæ sanctitate & miraculorum editione conspicuum, huius cladis venturæ per visionem certiorem esse redditum; eamque clericis prænunciasse, vt preces pro illa auertenda Deo offerrent: sed ludibrio habitum, se in turrim suam recepisse, ibiq; post clades pronum, sicut se cum orare cœpisset

f *Amm. lib. 17.*

g *Soz. lib. 6. c. 15.*

ARSACII MIRANDVS OBITVS.

pisset extenderat, mortuum repertum esse, cum (vt fama fuit) à Deo petiisset: vt ante mortem oppeteret, quam oculis cerneret calamitatem vrbis illius, in qua primo CHRISTVM cognouerat, & Ecclesiastica disciplina imbutus fuerat. Cæterum iisdem diebus pares terræmotus horrendos per Macedoniam, Asiamque, & Pontum, assiduis impulsibus oppida multa concussisse & montes, Ammianus scribit: auctorque est Sozomenus, ipsam quoque Constantinopolim in eiusdem calamitatis societatem venisse.

IV. HILARIVS QVO CONSILIO SCRIPSERIT DE SYNODIS.

Cum igitur statutum esset, Concilium Episcoporum Occidentalium Arimini celebrandum fore, ea de causa Hilarius in Phrygia exulans, vt Gallorum suorum fidei integritati hactenus conseruatæ consuleret, ad eosdem *De Synodis* commentarium hoc ipso anno conscripsit, quo eos redderet de omnibus admonitos & aduersus Arianorum fraudes munitos. Docet id ipse eadem scriptione. Verum fuit & aliud eius exarandæ, ipsius consilium. Nam cum Ariani diuisi ab inuicem, acrius ferme inter se præliarentur, quam aduersus Ecclesiam Catholicam, accidit (quod & superius dictum est) vt cum vno eodemque nomine omnes dicerentur *Ariani*, tamen ex iis alii, qui se detestari præseferent Arii nomen, & diuinam in Filio Dei Substantiam vtcumque specie tenus confiterentur, *Semiariani* sint nominati, quorum principes esse videbantur *Basilius* Ancyranus, *Eleusius* Cyzicenus, *Siluanus* Tarsensis, *Georgius* Laodicenus, *Macedonius* Constantinopolitanus, *Eustathius* Sebastenus: & illi pauci qui subscripti apud Epiphanium *a* reperiuntur Concilio Ancyrano: eratque illa eorum fidei professio, quæ tum Antiochiæ in Encæniis, tum Sardicæ, tum etiam Sirmii primo loco edita fuit, ac postea Ancyræ declarata. Alii vero erant, qui in deterius prolabentes, nullam in Filio admittebant vocem diuinæ Substantiæ, vel omnimodæ cum Patre Similitudinis: quorum erant antesignani, *Acacius* Cæsariensis, *Eudoxius* Antiochenus, *Valens* Mursi in Pannonia, & *Vrsacius* Singidonis in Mysia superiore Episcopus, atque alii his inhærentes, quorum factio longe superiore copiosior erat. Accidit item in tanta errorum offusa caligine, vt qui substantiæ Filii Dei assertores essent, à nostris quoque in pretio haberentur, vtpote quod (vt sæpius est dictum) nulla alia re viderentur à Catholicis differre, nisi quod vocem Consubstantialitatis non admitterent, quam Catholici mordicus retinerent, ad excludendas ambiguitates omnes, quæ in nomen substantiæ obrepere potuissent. Rebus igitur in hunc modum se habentibus, in odium & confutationem illorum qui Filium à Patre substantia diuiderent, ac proinde inter creaturas adnumerarent, Hilarius aduersæ parti fauisse visus, editas à Semiarianis diuersis locis fidei Regulas, ea adhibita prudentia recitauit, & interpretatus est, vt quamuis secundum potiorem sensum eas demonstrer Catholicæ fidei consentientes, tamen quod sciret earum auctores ob Consubstantialitatis nomen cum Ecclesia Catholica minime communicasse, legentium iudicio relinquat, vtrum Catholicæ, an vero hæreticæ sint, ideoque nihil disputet, à quibus eædem singulæ editæ, vel qua occasione, quaue mente compositæ fuerint.

SEMIARIANI VISI CATHOLICI, RESPECTV ARIANORVM.

a Epi. hær. 73.

V. ANTONII MAGNI TRANSITVS. *De cuius tempore vide quæ dicta sunt ad an. 253. num. XVI.*

b Ath. in Vit. Anton.

c Hie. in Chr. TESTAMENTVM.

Hoc eodem anno (nimirum Constantii Imp. vigesimo primo nondum absoluto, qui extenditur vsque ad vndecimum Cal. Iunii) sanctus ille in toto Orbe conspicuus ANTONIVS Magnus, decimosexto Calendas Februarii ex hac vita in cælestem migrauit, cum iam quintum supra centesimum vixisset annum, vt Athanasius *b* & Hieronymus *c* testantur. Idemque moriens fidem Catholicam, & odium in hæreticos, discipulis suis egregie commendauit: his verbis, *Custodienda est pia fides in* CHRISTVM, *& Patrum religiosa traditio, quam ex Scripturarum lectione, & crebro mea paruitatis didicistis admonitu.* Et post alia: *Schismaticorum quoque & hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium consectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit, propter eorum prauam voluntatem, & pertinax contra* CHRISTVM *bellum.* Sed & eximios Catholicæ fidei defensores voleris exuuiis suis honorare, ita eas legauit, vt Athanasio redderetur melotes ac pallium tritum, cui ipse Antonius superiaceret, quod ei nouum olim Athanasius detulerat: Serapioni vero insigni illi Thmueos Episcopo, alia melotes traderetur, ipsique charissimi eiusdem Antonii discipuli, vestimentum cilicinum sibi haberent. Postea vero osculantibus se discipulis extendens paululum pedes, mortem lætus aspexit, ita vt hilaritate vultus eius, Angelorum sanctorum, qui ad perferendam animam eius descenderant, præsentia nosceretur. Narrat hæc Athanasius in ipsius Vita: qui & relictum sibi ab eo legatum, tamquam magnam hereditatem ingenti gaudio suscepit, & honore veneratus est. Sepultus est autem incognito loco, quod ita præcepisset, ne sc. Pergamus quidam eius studiosissimus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam suam eius corpore, Martyrium (hoc est, ecclesiam) fabricaret: non enim tanti se meriti esse rebatur, vt æquale Sanctis honorem sibi in terris imperitiri vellet. Tradit hæc S. Hieronymus in rebus gestis S. Hilarionis. Additque, Hilarionem cognito, licet longe absentem, obitu Antonii, (quem olim quindecim tantummodo ipse natus annos cũ inuisisset, largitus bona sua pauperibus, & monasticam vitam amplexus, sanctitate vitæ & miraculorum editione factus est toti pene Orbi conspicuus:) illuc magno labore iam senem se cõtulisse, vt anniuersariam eius dormitionis diem eodem in quo defunctus erat loco, præuiis nocturnis vigiliis celebraret, quod pium officium, non tantum cæteri in Ægypto Orthodoxi, sed etiam vniuersa Ecclesia Catholica præstare hactenus eidem Antonio non prætermisit. Denique post eius obitum triennio clauso cælo, elemẽta quoque cum luxisse fuit in ore piorum, quem & viuentem animalia venerata sunt. De *a* Scriptorum porro eius monumentis, licet Athanasius tradat nequaquam claruisse librorum scriptorum memoria, multas tamen ex munere constat scripsisse epistolas patria lingua: ex quibus septem in Græcum translatas fuisse, auctor est Hieronymus. *b* Res autem ab eo gestas scriptas esse à S. Athanasio, idem Hieronymus ac reliqui omnes affirmant: quas ex Græco Euagrius *c* Episcopus Antiochenus in Latinum conuertit. Sed & hoc ipsum à se quoque præstitum, idem Hieronymus *d* citaturi qui dum sententias sententiis reddidit, Gelasius *e* ab eo scriptam Antonii Vitam tradidit. Quomodo vero quæsitum corpus Antonii, inuentum tandem, ac primo Alexandriam, demumq; in Gallias translatum sit, dicetur suis locis.

SEPVLTVRA.

HILARIONIS PRIMORDIA.

a Vid. Hier. in Vit. Fabiol. Presbyt. Ecclesiæ Antiochen. & alios jap. tom. 1. pag. 1.

b Hier. de Scriptor. Eccles. Athan. & alios jap. tom. 1. pag. 1.

c Euag. in Prolog.

d Id. epist. 101.

e Gelas. decret. de lib. apocr.

Hoc eodem anno Constantium Imp. Sirmio profectum aduersus Sarmatas, iisdemque debellatis Sirmii mense Octobri esse reuersum, & *Sarmaticum* iterum appellari voluisse, Ammianus *f* affirmat. Inter alias vero sanctiones hoc anno ab eodem promulgatas, illa magnopere pietatis consentiens fuit, qua *g* Magos & maleficos quoscũque, aut Aruspices, Arioloue, vel Augures, & Mathematicos, ac Somniorum diuinatores, quicumque in Comitatu ipsius Imperatoris vel Cæsaris fuissent deprehensi, quacumque fulgerent dignitate, cruciatibus & tormentis supponi voluit: cum videlicet (vt ex hoc, aliisque anno superiori aduersus eiusmodi homines datis rescriptis, coniicere possumus) odoratus esset Iuliani Cæsaris nocturnos magicos susurros, quos in Gallijs secreto exerceret, vt Eunapius & Ammianus testantur. Quo etiam pertinet, quod idem Ammianus *g* docet, Constantium anno sequenti valde permotum esse aduersus idololatras, qui contra leges ab eo sæpius latas sacrificarent, ac responsa quærerent, adeoque aduersus eiusmodi scelus seuerum se vindicem præbuisse, vt illos qui ad remedia quartanæ, vel alterius morbi, amuleta collo gestarent, vel per sepulchra errare comperti essent, iuberet ad supplicia trahi.

VI. CONST. IMP. DEBELLAT ARMATAS.

f Amm. li. 17. & l. 6. C. Theod. de malef.

EXACTAT MAGOS, ETC.

g Amm. li. 19. prope fin. ap. Baron. seq. nu. CXVIII.

IESV CHRISTI AN. 359.

LIBERII AN. 8.

CONSTANTII AN. 23.

ANno Christi trecẽtesimo quinquagesimo nono, Eusebio & Hypatio Coss. (quos fuisse germanos fratres, &

Constantii Imperatoris affines, auctor est Ammianus *a*) ab eodem Imperatore indicta est ad controuersias de fide cõponendas OECVMENICA SYNODVS, quæ fraudulento (vt vidimus anno superiori) Arianorum consilio, licet non absque diuina prouidentia, deprepente ita diuisa est, vt Orientales Episcopi SELEVCIÆ in Isauria, Occidentales ARIMINI in Æmilia conuenirent.

a *Amm. lib. 19.*

II. *Seu lib. 2. hist.* COLLIGITVR SYNODVS ARIMINI.

Vt autem de vtraque Synodo acturi, ab *Ariminensi* auspicemur, de eius conuocatione Severus *b* imprimis tradit, Constantium Tauro Præfecto imperasse, vt collectos in vnum Episcopos non ante dimitteret, quam in vnam Fidem consentirent, promisso eidem Consulatu, si rem effectui tradidisset. Itaque missis per Illyricum, Italiam, Africam, Hispanias, Galliasque, Magistris Officialibus, accitos atque tractos quadringentos & aliquot amplius Occidentales Episcopos Ariminum conuenisse, quibus omnibus annonas & cellaria dari Imperator præceperat. Sed id Aquitanis, Gallis, & Britannis, indecens cum esset visum, repudiatis fiscalibus, propriis sumptibus viuere maluisse: tres tantum ex Britannia, inopia propria, publico vsos esse, cum oblatam à cæteris collationem respuissent: sanctius putantes Fiscum grauare, quam singulos: atque ita in vtrisque egregium exemplum apparuisse. Hæc Seuerus. Et quod ad numerum Episcoporum spectat, Sozomenus *c* quoque testatur, conuenisse Ariminum amplius quadringentos. Subdit vero Seuerus, ex eis non amplius quam octoginta fuisse Arianos, reliquos omnes fidei Catholicæ defensores. Athanasius *d* autem quin quaginta vel plures ex Arianis fuisse tradit, illorumque facile principes Vrsacium, Valentem, Auxentium, Germinium, Demophilum, & Caium. Sed deprauatus est eius textus in epistola ad Africanos, vbi dicitur ducentos partium Catholicarum Ariminum conuenisse: nam patet eorum extitisse numerum trecentorum & amplius, inter quos eminuerit Legatio missa à Liberio Papa, cuius *Vincentius* Episcopus Capuanus tantummodo nominatus habetur: qui (vt vidimus) ante communione Ariana labefactatus, ad meliorem postea frugem conuersus, pro fide Catholica vna cum collegis in eodem Concilio aduersus ingruentem Arianorum furorem stetit intrepidus.

c *Soz. l. 4. c. 16.* NVMERVS EPISC.

d *Ath. de Syn.*

III. ACTA SYNODI.

Cum igitur Episcopi Ariminum peruenissent, mox fit (inquit Seuerus) partium secessio, ecclesiamque Catholici obtinuerunt, Ariani tantum locum de industria vacantem orationis loco cœperunt. Conuenientibus autem in vnum omnibus ad rerum tractationem, lectæ sunt literæ Imperatoris ad Synodum scriptæ: quas Sozomenus eiusmodi fuisse argumenti declarat, vt primum de his quæ in fide ambigua viderentur, Episcopi deciderent, ac demum de causis Episcoporum, qui quererentur se vel iniuste abdicatos esse vel in exilium missos, disceptarent, deque criminibus quibusdam Episcopis illatis accurate iudicarent, rebusque omnibus pertractatis, decem vtriusque partis ad aulam accederent, qui quæ acta essent Imperatori renuntiarent tunc adhuc Sirmii agenti. Hæc quidem Sozomenus ad omnes Episcopos tam Arimini quam Seleuciæ conuenturos, ab Imperatore scripta esse tradit. Sed cum Occidentales Arimini congregati fuissent, ait eos qui infenso erga Athanasium erant animo, commodum duxisse vti de illo nulla omnino institueretur actio. Verum extat quoque in libro *e* de Synodo Ariminensi, alia Constantii ad eamdem Synodum scripta epistola sexto Calendas Iunias, qua omnino voluit, nihil in ea de Orientalib. Episcopis qui seorsum conuenirent, definiri à Patribus, & si quid in eos agerent, irritum fore declarauit.

e *Ap. Hil. frag. lib. 2.*

IV. SIRMIANA PROFESSIO PROPOSITA.

Cum autem quæri cœptum est de Fide, (inquit Sozomenus) Valens & Vrsacius postularunt, vt cunctæ aliæ Formulæ antea editæ antiquarentur, eaque sola teneretur, quæ nuper Sirmii Latino sermone, præsente, eamdemque approbante Imperatore, edita fuerat, quæ Filium Patri per omnia Similem docetet: neque vlla fieret in Deo mentio *Substantiæ*, multo minus *Consubstantialitatis*, quod eiusmodi voces occasionem dissensionum subministrarent. Porro illa fidei Formula, quam tunc Valens in Synodo recitauit, ea ipsa est, quam tertio loco Sirmii editam esse, superius *f* dictum est in Synodo Sirmiana ex Athanasio & Socrate,

f *An. 357. num. VII.*

qui eamdem recitant, simulque eius compositores fugillant, tum quod ei Consulem, mensem ac diem scriptionis apponentes, sic notum omnibus fecerint, eam non ab initio in Ecclesia fuisse creditam, sed tunc primum ab ipsis adinuentam: tum quod in ea Imperatorem, *Æternum* nominauerint, qui Filium Dei Æternum esse negarent. Cæterum quamuis eiusmodi fidei professionem à Valente propositam, Epiphanius *a* & Hieronymus *b* doceant non ita aduersam extitisse Catholicæ Fidei, vt manifestam hæresim contineret: tamen ab Athanasio, tam hæc, quam omnes aliæ ab aduersariis conditæ, in quibus nomen Consubstantialitatis Filii cum Patre non exprimeretur, vt hæreticæ sunt repudiatæ, ea scilicet ex causa, quod abdicatione eius vocis, iam ad Arianam blasphemiam apertus aditus videretur.

a *Epi. hær. 73.*
b *Hier. aduer. Luc.*

V.

Qua etiam ratione in hac ipsa Synodo Ariminensi, postquam ea formula recitata est, (inquit idem Athanasius) cognita est pariter Episcoporum qui eam scripserant vafricies, dum Catholicis proponentibus vt cæteræ cum Ariana damnarentur hæreses, Valens & Vrsacius cum suis penitus abnuerunt: sicque manifestarunt eos non sincere, sed ad abolitionem fidei Nicænæ illam professionem scripsisse. Quapropter communi omnium Patrum decreto Nicæna fides comprobata, & ad omnia sufficere iudicata, ab iisdem Vrsacio, Valente, Germinio, Auxentio, Demophilo, & Caio, Arianorum coryphæi, pronuntiati sunt hæretici, & ab Ecclesia submoti. Hæc Athanasius, *c* eademque Socrates, *d* Sozomenus, *e* atque Theodoretus, *f* à quibus singulis æque recitatur epistola Synodalis de iisdem rebus in Concilio gestis, ad Imperatorem per viginti Legatos Episcopos scripta, qua & missionem à Synodo petierunt, tamquam perfectis omnibus quorum causa conuenerant. Porro hanc Arianorum à Synodo factam damnationem contigisse duodecimo Calendas Augusti, docetur in ipsa Synodi sententia, quæ descripta quoque habetur in prædicto libello de Synodo Ariminensi: cui & apposita est damnatio hæresis Arianæ, & aliarum omnium, eodem tempore à Patribus vndecim anathematismis publicata.

FIDES NICÆNA MAXIME PROBATA, ET ARIANI DAMNATI.

c *Ath. de Syn.*
d *Soc. l. 2. c. 37.*
e *Soz. lib. 4. c. 16, 17.*
f *Theod. lib. 2. c. 18.*

VI. QVID INTER SYNODVM ARIM. ET SELEVC.

At vero Vrsacius & Valens à Synodo damnati, Legatos ab eadem missos præuertentes, vehementer Constantium aduersus eam commouerunt, quod reiecisset Formulam fidei, quæ ipso præsente Sirmii promulgata fuisset. Itaque Constantius nec Legatos in conspectum suum admittens, post longas tandem moras ad Synodum per alios rescripsit, excusans quod occasione susceptæ aduersus barbaros expeditionis, haud potuerit cum Legatis de rebus religionis conferre, sed mandatum eis dedisse, vt Hadrianopoli ad suum reditum expectarent, quo tunc animo à curis vacuo ipsorum legationem audiret ac cognosceret. Tradit hæc Sozomenus: *g* ipsam vero Constantii epistolam Socrates *h* recitat: sed & Theodoretus *i* tradit, hæc omnia consilio Arianorum gesta esse, quod putarent Episcopos Arimini congregatos, tantæ moræ tædio affectos, desiderio ad propria remeandi coactos fore vallum quod contra hæresim struxerant subuertere. Sed (subdit) frustra hic conatus ab illis susceptus est: nam generosi illi fidei propugnatores, aliam denuo scripsere ad Imperatorem epistolam, qua constanter affirmarunt se neutiquam à suis decretis velle discedere, idque Legatis suis & præcepisse, & scripsisse: Itaque rogarunt, vt tum benigne eos de ea audiret, tum ipsam Synodum dimitteret, vt singuli Episcopi ad regendas sibi commissas Ecclesias redire possent, quam ipsorum epistolam idem Theodoretus recitat, nec non & Socrates.

g *Soz. ibi. c. 28.*
h *Soc. c. 29.*
i *Theod. c. 19. in fi.*

VII. CONCILIA NICÆNA IN THRACIA.

Ea porro ad Imperatorem allata, Ariani cum eius animum ad iracundiam concitassent, effecerunt vt plurimi Episcopi NICÆAM *Thraciæ* inuiti traducerentur, eorumque partem ob animorum simplicitatē callide circumueniendo, partem minis deterrendo, impulerunt, voces *Substantiæ & Consubstantialis*, quod offendiculum in Ecclesia parerent, ex fidei formula eximere, inque earum locum, vocem *Similis* ponere. Tradit hæc Theodoretus: *k* recitatque Fidei regulam tunc ibidem Nicææ Thraciæ editam quæ consen-

k *Ibid. c. 21.*

tiens

tiens est in omnibus Sirmianæ tertiæ, nisi quod in Sirmiana dicatur Filius Patri *per omnia Similis*, in ista vero tantum *Similis*. Sicque videas quibus lapsibus Ariani à fide Catholica semel excidentes, præcipites delati sint ad ima, dum primo abiicientes vocem *Consubstantialis*, vt exoticam & peregrinam, nomen *Substantiæ* retinuerunt, deinde & hoc ablegantes, apposuere *Per omnia similis*, modo vero tantum *Similis*, ac denique (vt videbitur) vocem *Dissimilis*, aliasque demum hae tertiores vsurpare non sunt veriti. Tradit vero Socrates, eo ipsos consilio Nicææ Thraciæ conuenisse, quo simpliciores homines similitudine nominis *a* in errorem inducerent, tamquam ea fides illa esset, quæ Nicææ in Bithynia fuerat olim stabilita. Sed luctuosum illud tunc accidit, quod testatur Seuerus, vt Legati quoque à Synodo Ariminensi ad Constantium missi, (quos & ætate iuniores, & parum cautos fuisse dicit) illic otiose agentes, ab eo fuerint compulsi ad eiusmodi Nicænam Arianorum perfidiam subscribendam, atq; cum iisdē communicandū cuius ipsorū præuaricationis extant in volumine S. Hilarii Fragmentorum, Acta Synodalia eiusdē Conuentus Nicææ Thraciæ.

Dimissis autem post hæc Legatis vt Ariminum redirent, Imperator (inquit Seuerus *b* Præfecto Tauro mandatum dedit, vt Synodum non ante laxaret, quam prædictæ conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur, ac siqui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium pellerentur. Itaque licet regressis Legatis, frustra vim regiam causantibus, denegata fuerit communio, postmodum tamen compertis quæ decreta erant, paulatim plerique Catholicorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio hiemis, & septem iam mensium moræ euicti, dedere se aduersariis, iam post reditum Legatorum superioribus, & ecclesiam (Catholicis inde detrusis) obtinentibus. Factaque semel inclinatione animorum, cateruatim in partem alteram concessum, donec ad viginti vsque numerus Catholicorum est imminutus, quorum constantissimi habiti sunt *Fagadius* Episcopus Agennensis & *Seruatius* Tungrensis Galli: sed & hi cum minis & terriculis non cessissent, precibus & lachrymis à Tauro Præfecto paulatim infractiores redditi, ad extremū proposita conditione euicti sunt, dum videlicet Valens & Vrsacius, qui fidem Nicææ conditam Ariminum detulerant, admonentes eam ab Orientalibus auctore Imperatore prolatam cum periculo repudiari, nullumque finem discordiarum fore, si quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret, postremo obtulerunt, siquid minus plene ea Fide editum videretur, ipsi Catholici adderent quæ addenda putarent, seque iis consensum præbituros. Itaque conceptæ à Catholicis Episcopis Professiones edi cœpere, in quibus primum damnatus est Arius, totaque eius perfidia, deinde Filius Dei Patri æqualis, & sine initio, sine tempore pronuntiatus. Tumque Valens, tamquam Catholicos adiuuans, subiecit sententiam cui inerat occultus dolus, nempe Filium Dei non esse creaturam sicut cæteras creaturas. Fefellitque audientes fraus professionis. Etenim his verbis, quibus similis esse cæteris creaturis Filius negabatur, creatura tamen potior tantum cæteris pronuntiabatur. Ita neutra pars vicisse se penitus, aut victam putare poterat, quia Fides ipsa pro Arianis, Professiones vero adiectæ pro Catholicis erant, præter illam quam Valens subiunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animaduersa est: hocque modo Concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu est consummatum. Hæc Seuerus huius temporis auctor, de rebus postremis Arimini gestis.

Sed & S. Hieronymus *c* eadem illa, aliaque eiusmodi ex ipsis Synodi Actis recitans, ait nomine vnitatis & fidei tunc infidelitatem scriptam esse, vt quidem postea agnitum est, nam illo tempore nihil tam pium tamque conueniens seruis Dei visum esse, quam vnitatem sequi, & à totius mundi communione non scindi, præsertim cum superficies expositionis nihil iam sacrilegum præferret, & sonantibus pietatem verbis nemo venenum insertum putaret. Sed cum post solutum Concilium Vrsacius & Valens, cæterique nequitiæ eorum socii cœpissent palmas suas iactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem cæteris creaturis, tunc Vsiæ, siue Substantiæ nomen abolitum esse, tunc Nicænæ fidei damnationem conclamatam esse, totumque ingemuisse Orbem, & se Arianum esse miratum. Alios igitur intra suam communionem remansisse, alios ad eos confessores qui sub nomine Athanasii exulabant, cœpisse literas mittere, nonnullos instam societatem meliorum desperatione planxisse, paucos vero errorem pro consilio defensasse. Hæc quidem Hieronymus.

X. INQVODELI QVERINT PATRES ARIM.

At enim non quia Valens in hæreticum sensum verba illa detorsit, Catholici Episcopi in optimam significationem ea interpretati, dicendi sunt euasisse hæretici: cum præsertim noscatur, quod explicatio illa Arianorum, fuerit subdola potius cauillatio, quam quæ posset ex ipsa sententia vere deduci: & maxime cum in eadem Professione (vt Hieronymus ex ipsis Synodi Actis testatur) non solum dictum fuerit, Filium Dei non esse creaturam sicut cæteras creaturas, sed & expresse additum, eum ex Patre genitum ante omne omnino tempus, nec ei aliquid anteferri posse, quæ quidem omnino excludunt, vt Filius Dei quouis modo accepta dici possit creatura, cum omnem creaturam in tempore factam esse affirmare oporteat. Sicut igitur indignum est, tot Patres dicta ex causa aspergere quauis leui macula hæresis: ita nihilominus reprehensione minime caruerunt, quod sint passi silentio sepeliri nomen *Substantiæ*, & vocē *Consubstantialitatis* in Nicæno Concilio stabilitam, tamquam scandalum inferentem omitti: vnde & turpis facta est illa ab Arianis de damnatione Nicænæ fidei conclamatio. Quamobrem quod S. Hieronymus ait, *Orbem se Arianum esse miratum*, haud sic accipiendum est, vt quam adeo Catholici Arimini detestati erant, atque hactenus abominarentur, Arianam hæresim crederent se inscios nolentesque esse complexos, (cum tamen nonnisi volens quis sciensque effici possit hæreticus:) sed quod in noua fidei regula, Consubstantialitatis nomine prætermisso, atque Substantiæ pariter ablegato, visi essent Nicænæ fidei proditores, dissectaque munitione illa fortissima, qua Patres in Magno illo Confessu, summa industria aduersus quoscunque Arianorum impetus, atque fallacias, Catholicam fidem munissent, iam fraudulentis eorumdem hæreticorum cauillationibus locum dedissent, & ad inuadendam veritatem aditum patefecissent.

XI. QVID SENTIENDVM DE SYNODO ARIMIN.

Quod autem Ariminensis Synodi considerandæ, diuersa fuerit diuersorum ratio, inde quoque accidit, vt eadem ab aliis damnata fuerit vt impia, ab aliis probata vt Orthodoxa: rei tamen veritate perspecta, nonnisi Catholica & summa laude digna meruit appellari, in qua Ariana fidei professio Sirmii edita, & Arimini in Concilio recitata, omnium Patrum sententia fuit explosa, & Nicæna Confessio cunctorum suffragiis stabilita, ac demum ei aduersantes, cum cæteri Ariani omnes, tum qui præsto erant Vrsacius & Valens, ac socii, omnium sententia anathemate damnati: quibus omnibus absolutis, quorum causa vocati essent, Concilium pariter perfectum est, cum Patres qui conuenerant, de rebus gestis, per Legatos & Synodalem epistolam, certiorem reddentes Imperatorem, vt ad suas Ecclesias sibi redire liceret, missionem petierunt. Quapropter & illud Concilium, vt vere Orthodoxum, S. Athanasius *a* sæpius laudat, ac frequenter repetit, perperam ab Arianis pro se citari, in quo sententiam damnationis accepissent: & S. Ambrosius *b* æque asserit, maiorem numerum Ariminensium Episcoporum Nicæni Concilii fidem probasse, Arianaque decreta damnasse. Quæ vero post multos inter lapsos menses, per vim & metum ab Episcopis extorta sunt, à legitimo Ariminensi Concilio à Patribus iure fuere discreta, eademque reiecta, quæ Athanasius vocat *Recentiora Arimini*, in epistola ad Africanos, quam ad veritatem totius rei gestæ aperiendam scripsit. Vt autem illa Recentiora auctoritatem obtinerent, eadem tata habuit Imperator, cum allata sunt ad ipsum Constantinopoli tunc agentem in fine præsentis anni, atque Episcopis qui ex Synodo Seleucien si venerant, tradidit subscribenda: idque tanto studio procurauit, vt quamuis (inquit Sozomenus *c*) se pataret postridie ad pompam celebrandam, quæ more Romano Calendis Ianuarii in creandis Consulibus fieri soleret, tamen totum illum diem, & magnam

a Athan. de Syn. & ep. ad Afric. sæpe.
b Amb. ep. 32. ad Val. Imp.
c Soz. li. 4. c. 22.

[a] Hæc tamen vrbs Thraciæ, nō *Nicæa* (quamuis ita ab Interpretibus Latinis appelletur) dicenda est, *Nice*: quomodo & ab Ammiano vocatur lib 31. cap 5. & 32. & à Socrate, Sozomeno, & Theodoreto *Nicæa*: illa vero Bithyniæ, ab omnibus *Nicæa*.]

LEGATI SYNODI ARIM. COGVNTVR SVBSCRIBERE PERFIDIÆ ARIANÆ.

VIII.

b *Sen. li. 2.*

LAPSVS EPISCOP. ARIMIN.

DOLVS VALENTIS EPIS

IX.

c *Hier. aduer. Lucif.*

ACTA ARIM EX S. HIERONYMO.

gnam partem noctis sequentis ea re consumpserit.

XII. LIBERIVS PP DAMNAT FORMVLAM ARIMIN.

Cæterum (inquit Theodoretus *a*) quod ista fidei Formula ab omnibus veritatis athletis, & ab his potissimum qui versus Occidentem habitabant, repudiata sit, satis constare potest ex literis ab eisdem ad Illyrios conscriptis, quarum præcipuus auctor extitit *Damasus*, in Ecclesiæ Romanæ primatu successor Liberii, eisdemque subscripserunt nonaginta Episcopi ex Italia & Gallia Romæ in vnum coacti. Ita Theodoretus, qui mox ipsam Damasi & Synodi Romanæ epistolam ad Episcopos Illyrici scriptam recitat: in qua inter alia traditur, *numerum Episcoporum qui erant Arimini congregati, præiudicii vim habere non debere, præsertim cum Formula illa composita sit, neque Episcopo Romano, cuius sententia pra cateris omnibus erat expectanda, neque Vincentio, neque aliis, ei consentientibus, cumque illi ipsi qui in fraudem illecti à veritate deflexisse visi essent, post ad meliorem mentem denuo traducti, plane testarentur hanc formulam sibi magnopere displicere.*

a *Theod. lib 2. c.22.*

Porro hunc Romanum Pontificem, quem Damasus ait Ariminensi Regulæ contradixisse, fuisse Liberium, Socrates *b* & Sozomenus *c* docent, dum aiunt, cum Imperator Vrsacio & Valenti potestatem dedisset, contra Ecclesias omnia pro arbitrio admittendi, & eiiciendi eos qui fidei Ariminensi subscribere recusarent, primum omnium Liberium Episcopum Romanum, quod se illi fidei assentiri denegaret, ab Ecclesia exturbatum fuisse: quamuis Socrates (secutus forte Rufinum *d*) erret confundens exturbationem hanc cum exilio Berœensi, in quod ante triennium Liberius est pulsus, & Felix in locum eius subrogatus.

b *Soc. li.2. c.29 ad fi.*
c *Soz. li.4. c.18*
d *Ruff. li.1. c.22.*

XIII. LIBERIVS SVB DE PELLITVR OB FIDEM CATHOL.

Longe vero accuratius Sozomenus duplicem eiusdem Pontificis vexationem recenset, priorem e scilicet illam, cum Mediolano exul in Thraciam amandatus est, & Felix in locum eius intrusus: posteriorem *f* autem istam, cum eumdem Professioni Ariminensi subscribere renuentem, Valens Episcopus mandato Imperatoris Ecclesia exterminauit. Quo quidem tempore neminem reperimus in locum eius substitutum Episcopum, sed ab ipso Liberio *Damasum* presbyterum Vicarium esse relictum: quod habent veterrima illa, antiquitate corrosa, in multis depraua ta, atq; admixtione & additione aliqua labefactata, Liberii Acta: ex quibus illud saltem non obscure significatur, cum sic electum delituisse in cœmeteriis suburbanis, Nouellæ & Ostriano nuncupatis, vbi mansit vsque ad Constantii obitum, quando (vt testatur S. Hieronymus *g*) reddita est pax Ecclesiæ, & ad sedes proprias exterminati Episcopi redierunt. Quemadmodum & in Fragmentis S. Hilarii de Synodo Ariminensi, haud obscura est mentio de damnato Liberio ab Arianis in eodem Conciliabulo. Traditur enim, illos minime contineri potuisse ab eius condemnatione, licet à nonnullis produ cerentur eius literæ, quibus olim Athanasium damnasset, & pacem cum Orientalibus iniisset. Vnde etiam est, quod Siricius *h* Papa ait, post cessatum Cõcilium Ariminense, missa esse à Liberio (quem *prædecessorem suum venerandæ memoriæ* nominat) decreta generalia, quomodo recipiendi essent hi qui ab Ariana hæresi ad Ecclesiam Catholicam redire vellent. Quæ quidem omnia, manifesta sunt argumenta, Liberium, postquam solutus est ab illo primo exilio, recessisse penitus ab Arianorum communione.

e *Soz. li.4. c.10*
f *Epi. hor. 73.*
g *Hier. aduer. Lucif.*
h *Siric ep. ad Him. ap. Bar. an. 357. num. LXXII.*

XIV. EPISCOPI CATHOL. MARTYRIVM PASSI.

Quod autem pertinet ad reliquos Occidentales Episcopos, ob non subscriptã Fidem Ariminensem, vexationẽ passos, ibidem Arimini tragœdia cœpit exordium. Nam eius ciuitatis *Gaudentius* Episcopus, qui post peractam legitimam Synodum, ingruente ibidem impietate, ad tempus excesserat vna cum aliis quibusdam Episcopis, demum post Recentiora illa absoluta, ad suam Ecclesiam rediens, Arianorum gesta damnauit, & Martianum presbyterum eadem labe infectum eiecit: quam ob causam Marciani Præsidis in se odio concitato, ab eius militibus ad suburbia eductus, fustium ac lapidum ictibus, martyrio glorioſius migrauit in cælum. Sed hæc fusius eius Acta, ab illis diuersa quæ spuria omnino habentur, in quibus ponitur S. Gaudentius ordinatus à Damaso Papa, cum constet Damasum sedere cœpisse post Concilium Ariminense, cui Gaudentius interfuisse dicitur. Tradit quoque Marcellinus *a* presbyter, Epictetum Episcopum Centumcellensem, crudelissimum Arianorum ministrum, ita sæuisse in *Ruffinum* Catholicum Episcopum, vt eum ante thedam suam tamdiu currere coegerit, quousque ruptis præcordiis fuso sanguine expirauit, qui post mortem miraculis claruit.

a *Marc. de Schism. Vrsic.*

XV. DIVINA VINDICTA IN PERSECVTORES ARIANOS.

Verum pugnauit quoque pro defensione Nicænæ fidei aduersus perfidiam Ariminensem, signis & prodigiis Deus. Nam cum inter alios ab Vrsacio & Valente exturbatos, *Maximus* Episcopus Neapolis in Campania durum exilium subire coactus, sententiam anathematis tulisset in Zosimum eius loco suffectum ab Arianis, eamdem haud passus est Deus inutilem existere: sed cum ex eo tempore coacto in ecclesia populo, Zosimus peragere vellet Ecclesiasticas functiones, inter ipsa sacerdotalia verba (inquit idem Marcellinus) eius lingua protendi cœpit, nec valuit eam amplius reuocare intra oris meatum, eo quod contra modum naturæ extra os penderet, vt boui anhelo: cum vero egressus esset basilicam, in officium lingua reuocata est. Hoc autem ipsum toties passus, quoties in ecclesiam intrare tentaret, ob eam causam tandem cessit Episcopatui, vt pristinum linguæ officium sibi integre redderetur. Itemque Potamon Episcopus Arianus (quem illum putamus, qui Potamius apud Hilarium dictus, auctor potitur vna cum Osio perfidiæ Sirmianæ:) cum ob præcipuam impietatem prædio à Fisco donatus esset, dum ad ipsum inuisendum ire festinaret, diuinam mox vltionem in via obitu repentino excepit. Et Florentius æque Episcopus, licet minime subscripsisset, tamen quia cum Arianis communicasset, cum in conuentu plebis in suo throno sederet, repente diuina virtute in terram elisus est, ac palpitans foras sublatus: cumque viribus iterum resumptis, in thronum regressus eadem quoque passus esset, ac tertio denique id ipsum obstinate pertentasset, tertio elisus, ora distorquens misere animam exhalauit. Narrat hæc omnia Marcellinus: cuius fides in quibus perieliteretur, & superius iam dictum est, & inferius rursum dicetur suis locis.

XVI. DE CONCILIO SELEVCIENSI.

Nunc ad CONCILIVM SELEVCIÆ, eodem tempore quo Arimini celebratum, conuertenda est oratio: de quo imprimis Athanasius, *b* Socrates, *c* & Sozomenus *d* tradunt, conuenisse ad illud Episcopos Orientis numero centum sexaginta, licet Theodoretus *e* centum tantum & quinquaginta ponat: quorum quadraginta tres Epiphanius *f* scribit fuisse ex parte Acacii. Etenim fuere & in hac Synodo Ariani inter se diuisi, quorum alii nempe Acaciani Aetianorum consortes, Christum omnis cum Patre substantiæ expertem esse dicebant, reliqui vero, Semiariani dicti, diuinam cum Patre substantiam asserebant. Sed & tradit Seuerus, *g* S. quoque Hilarium Pictauiensem Episcopum, in Phrygia iam annum quartum in exilio agentem, compulsum à Præside fuisse Seleuciam ire, non quidem aliquo præsto Imperatoris speciali mandato, sed generali tantum iussione, qua Præfectis omnes Episcopos ad Concilium cogere præceptum fuerat: Verum id nutu diuino accidisse tradit, vt vir diuinarum rerum instructissimus, cum de fide disceptandum erat, interesset. Subditque, antequam in consessum irent Episcopi, exploratam esse eiusdem Hilarii & Gallorum fidem, quod de illis Ariani vulgassent, eos Sabellii fouere hæresim: ipsum autem exposita fide sua, iuxta ea quæ Nicææ fuerant à Patribus conscripta, Occidentalibus perhibuisse testimonium, sicque Concilio adscitum esse.

a *Marc. de Schism. Vrsic.*
b *Ath. de Syn.*
c *Soc. li.2. c.39*
d *Soz. li.4. c.22*
e *Theod. li.2. c.27.*
f *Epi. hor. 73.*
g *Sev. lib.2.*

XVII. DISCORDIÆ INTER ARIANOS.

Porro cœpta est Synodus (vt ait Socrates) iisdem huius anni Coss. ad quintum Calendas Octobris. Cuius Actorum præcipua capita, secundum dies singulos quibus ea gesta sunt, idem auctor ex Sabini cõmentariis recenset, quæ ferme eadem Sozomenus habet. Ipso vero primo congressu magna contentio orta est, tum quod nonnulli diuersorum criminum rei ad Concilium venire timentes, variis moræ causis adductis, in suburbiis Seleuciæ constitissent, (inter quos fuere Basilius Ancyranus, Macedonius Constantinopolitanus, & Patrophilus Scythopolitanus:) tum

quod

quod multi ex iis qui simul in vnum conuenerant, de fide agi, alii contra de criminibus Episcoporũ prius inquiri debere contenderent, cum & allatæ essent ambiguæ literæ Imperatoris, quæ nunc hoc, nũc illud primo quærendum præciperẽt. Vnde factũ est, vt Cõcilium in duas partes diuisum fuerit, quarũ alteri Acacius Cæsarienſis in Palæstina Episcopus, Georgius Alexandrinus, Vranius Tyrius, & Eudoxius Antiochenus præfuere, quibus triginta dumtaxat alii adhæserunt, alteri Georgius Laodicenus, Eleusius Cyzicenus, & Sophronius, Pompeiopolitanus in Paphlagonia, quos alii complures secuti sunt. Porro isti nullam nouam fidei formulam scribendam esse censentes, eam quæ Antiochiæ in Encæniis condita fuerat, suis calculis atque subscriptionibus confirmarunt: Acacius vero aliam à se compositam protulit, in qua abdicatis Consubstantialis & Substantiæ nominibus, Filius Patri non substantia, sed tantummodo voluntate similis assereretur. Cum vero agente Leona, Synodi Præfecto ab Imperatore misso, vtraque pars rursum in vnum coissent, nec inter se de eiusmodi formula conuenire potuissent, post multas digladiationes, quæ per quatuor integros dies agitatæ sunt, ab eodem Leona Concilium dimissum est, negante se amplius eiusmodi dissensionibus interesse velle, permittente tamen vt in ecclesia conuenirent de suis controuersiis tractaturi.

XVIII. ARIANI EXCOMMVNICATI A SEMIARIANIS.

Itaque conuenientes in ecclesiam Substantiæ defensores, (quibus Basilius & Macedonius adhæserunt) Acacium cum suis accersierunt, vt tum de Cyrillo Hierosolymorum Episcopo, quem idem Acacius iam ante biennium deposuisset, tum de aliis reis, qui ad partes Acacii confugerant, decideretur: atque vbi sæpius illi accersiti non venerunt, tunc iidem Acacius, Georgius Alexandrinus, Vranius, Eudoxius, Patrophilus, & alii nonnulli à Substantiariis abdicati sunt, aliiq; communione Ecclesiæ vsque eo interdicti, quoad crimina sibi illata diluerent. Cum autem in locum Eudoxii, *Anianum* quemdam ordinassent Episcopum Antiochenum, idem mox Acacianorum opera à Leona in exilium missus est: qua de re conquesti qui eum ordinauerant, cum nihil profecissent, dimissis cæteris, decem ex suis Constantinopolim legatos ad Imperatorem miserunt, eum de his certiorem reddituros. Hactenus Socrates & Sozomenus de Actis Seleuciæ, ex Sabino tamen Macedoniano, qui librum de Synodis scripsit.

XIX.

Cæterum cum eumdem Sabinum parum fidelem extitisse recensendis rebus à professoribus Nicænæ fidei gestis, idem Socrates *a* testetur, haud mirum videri debet, si de iis quæ ipsi Seleuciæ præstiterunt, nullam habuerit mentionem: cum tamen inter has Arianorum & Semiarianorum conflictationes, Ægyptios Episcopos (excepto Georgio Alexandrino) constantissimos se ὁμοουσίου, hoc est Consubstantialis, fidei defensores ostendisse, scribat Hilarius, *b* qui & ipse eamdem tunc ibidem egregie propugnauit. Agit præterea de horrendis Acacianorum blasphemiis in eadẽ Synodo prolatis, cum non contenti ὁμοίου, & ὁμοιουσίου, nempe Consubstantialitatem, & Similitudinem Substantiæ, à Filio reiicere, insuper & Dissimilitudinem damnarunt, ita vt Christum Deo similem non esse, sed similem Patri esse dicerent, eo videlicet sensu, vt Pater voluerit creaturam huiusmodi creare, quæ similia sui vellet: idcirco Similem Patri esse, quia voluntatis esset potius Filius, quam diuinitatis: Dissimilem autem Deo esse, quia neque Deus esset, neque ex Deo, id est de substantia Patris natus esset: Nihil enim substantiæ Dei simile esse posse, neque de Deo posse existere generationem: Christum autem puram esse creaturam ex nihilo factam, & idcirco nec Deum ei Patrem esse, nec ipsum esse Dei Filium, eosque ex nominibus potius quam ex natura comparari: Nam si Filius esset, necesse esse vt femina sit, & colloquium sermonis, & compunctio coniugalis verbi, & blandimentum, & postremo ad generandum naturalis machinula. Hæc & alia eiusmodi Hilarius, qui iure miseras aures suas pronuntiat, quæ tam funestarum vocum sonum audierint. Sed quæ post hæc subsecuta sint, prosequamur.

a *Soc. li. 2. c. 13.*

b *Hil. cont. Const.*

HORRENDA ACACIANORVM BLASPHEMIÆ.

XX. SYNODVS CONSTANTINOPOL.

Cum igitur dimissa Seleuciensi Synodo, decem ab ea Episcopi legati missi essent ad Constantium, hos Acacius præueniens, præoccupauit pariter aures Imperatoris, qui & alioqui semper in ipsum Acacium visus est propensior. Itaque ex eiusdem sententia, hoc ipso anno indicta est ab eodem Constantio (quem hoc anno Constantinopolim rediisse, Ammianus *a* quoque testatur) SYNODVS CONSTANTINOPOLITANA, ad quam festine conuocati sunt ex proxima tantum prouincia (vt tradit Socrates *b*) Episcopi Bithyniæ, omnes numero quinquaginta. Quod quidem antequam solueretur Conuentus Ariminensis contigisse, S. Athanasius non obscure significat, dum ait nouam fidei professionem scriptam esse Constantinopoli, eamdemque missam ad eos qui Arimini conuenerant. Ex sententia enim Acacianorum, scripta est tunc ibidem noua fidei Formula, quam Nonam numerat Socrates earum quæ post Nicænum Concilium ab Arianis sunt diuersis locis & temporibus in hanc diem conscriptæ: ad quam illud impietatis additum est, vt præter abolitionem nominis *Vsiæ* siue *Substantiæ* in Filio Dei, damnatum sit quoque silentio in Personis diuinis nomen *Hypostasis*, siue *Subsistentiæ*. Recitant eam Athanasius, Socrates, & Epiphanius. *d*

ARIANORVM.

a *Amm. li. 19.*

b *Soc. li. 2. c. 32.*

c *Ath. de Syn.*

NOVA FIDEI FORM. ARIANOR.

d *Epi. har. 73. XXI.*

Altercationes autem Acacianorum cum Basilio Ancyrano, & aliis legatis à Synodo Seleuciensi ad Constantium missis, ventilatas coram eo de fide, necnon de blasphemiis Aetii atque Eudoxii ipsius patroni, Theodoretus *e* atque Sozomenus *f* fusius narrant: quarum exitus hic fuit, vt Acaciani tum ipsum Aetium hæresiarcham damnarint, vt ea ratione Catholici apparerent, (quem & Imperator in exilium amandauit in Phrygiam,) tum prædictum Basilium, itemque Macedonium Episcopum Constantinopolitanum, Eleusium Cyzicenum, Siluanum Tarsensem, Eustathium Sebastenum in Armenia Minori, & quosdam alios, qui tam Seleuciæ quam ibi Constantinopoli iisdem Acacianis aduersati erant, deposuerint specie quorumdam criminum de quibus singuli accusabantur, quæ iidem auctores recensent, & in eorum locum alios substituerint: inter quos *Eudoxius* à sede Antiochena in Constantinopolitanam translatus est, & Meletius Berœa Sebastam, Eunomius vero Eleusio subrogatus, & Athanasius quidam Basilio, de quibus rursum dicetur suis locis. Quo eodem quoque tempore, iterum abdicatus est Cyrillus Hierosolymorum Episcopus, (iam antea ab eodem Acacio depositus) cum aliorum criminum prætextu, tum præcipue quod sequeretur eos qui Filium Patri Consubstantialem assererent; (Hoc vero magnæ Cyrilli laudi cedit, illum ea de re ab Arianis in crimen vocatum esse.) & quod cum Acacio Cæsareæ Palæstinæ Episcopo, de re Metropolitano dissensisset. Quo fit abdicato, Episcopatum capessiuit *g Herennius*, cui successit *Heraclius*, huic vero *Hilarius*, post quem tandem Theodosii Imperatoris temporibus *Cyrillus* sedem recuperauit.

e *Theod. lib. 2. c. 27.*

f *Soz. li. 4. c. 23. 24.*

AETII DAMNATIO.

DAMNATI SEMIARIANI AB ARIANIS.

g *Id. c. vlt. in fi.*

Dum autem isthæc agerentur Constantinopoli, extremo huius anni tempore (quod ex Sozomeno *h* superius diximus) perlata est à Legatis posterioris Ariminensis Synodi, Professio fidei illic scripta, quam iussu Constantii Imp. Episcopi qui Seleucia venerant, & qui aliunde Constantinopolim ad Synodum accesserant, pridie Calendas Ianuarias subscriptionibus suis firmauerunt: adeo vt duplici fidei subscripserint, Ariminensi, & Constantinopolitanæ, cum tamen inter se diuersæ essent: quarum alteram in Oriente, in Occidente alteram (quod ridiculum plane est) voluit Constantius obseruari. De hac vero Synodo Constantinopolitana, deque Episcopis in ea tyrannice damnatis, meminit sæpe Basilius *i* Magnus: & tam de ea, quam de Seleuciensi, pluribus agens Gregorius *k* Nazianzenus, luget ingentem eladem ex eiusmodi Satanæ cõuentibus vniuersæ Orientali Ecclesiæ illatam: cum præter expulsos Episcopos, alii ferme omnes vel minis vel fraudib. ad subscribendum perfidiæ compulsi sunt: inter quos dolet & patrem suum fuisse, gaudens tamen quod primus omnium resipuerit, & multos alios suo exemplo reduxerit: commendans & hac in parte firmitatem in fide monachorum, qui se propterea ab Episcopis lapsis segregarunt. Sed & Catholicorum expulsionem Sozomenus, l argumenti magnitudine superatus, summatim complexus,

XXII. h *Id. c. 22. 23.* DVÆ FIDES DIVERSÆ EODEM TEMPORE SVBSCRIPTÆ.

i *Bas. lib. 1. aduers. Eunom. ep. 72. ad Eusaeb. & alibi.*

k *Greg. Naz. orat. in laud. Athan.*

l *Soz. li. 4. ca. 26. in fi.*

FORDISS. PACIIS ECCLESIÆ RVIVS TEMPORIS.

vna ferme periodo tem absoluens, ait perdifficile esse omnes Episcopos & sacerdotes, qui tum à suis ciuitatibus pulsi fuerunt, enumerare: siquidem nulla fuit gens Romano subiecta Imperio, ab hac calamitate libera. Quibus Orientis cladibus, si quis addat ruinam illam superius recensitam Occidentalis Ecclesiæ, facile consentiet Ruffino, *a* dicenti, ea tempestate faciem Ecclesiæ fœdam admodum ac turpem fuisse, cum non sicut prius ab externis, sed à propriis vastaretur, nec nisi fugæ, prævaricationes, lapsus, ac ruinæ cernerentur, doleretque Ecclesia illius casum, qui impellebat ad lapsum. Ad Orientales vero turbas & illud accessit, quod Episcopi qui ab Acacianis Constantinopoli depositi fuerant, se minime abdicatos agnoscentes, haud destiterunt munia obire Episcoporum, ac clericos ordinare. Vnde magna ac plane incredibilis illa fuit facta confusio, (quam Basilius *b* memorat) dum vnius eiusdemque ciuitatis diuersæ communionis extiterunt Episcopi: eodemque schismate vna cum hæresi ad posteros propagato, mutuo perpetuoque bello cum ipsi, tum populi inter se conflixerunt.

a Ruff. lib. 1. c. 11.

b Basil. ep. 72.

XXIII. CONSTANTII INCONSTANTIA TAXATVR AB HOSTIBVS.

Ad hæc autem quæ dicta sunt de frequentissimis Synodis, ad mutandas fidei Regulas, superioribus temporibus, hocque ipso anno quatuor in ciuitatibus, à Constantio celebrari iussis, addimus corollarium ex Ethnico quoque scriptore Ammiano, *c* qui prauos Constantii mores recensens, inter alia adscribit ei crimini, quod Christianâ religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens, in ea scrutanda perplexus, quamquam componendi gratia, excitauit dissidia plurima: quæ progressa fusius aluit concertatio verborum, vt cæteruis Antistitum iumentis publicis vltro citroque discurrentibus, per Synodos, dum ritum omnem ad suum trahere conaretur arbitrium, rei vehiculatiæ succiderit neruos. Hæc Ammianus. Fuitque patiter Iuliani *d* Apostatæ de eodem Constantio querela, eius tempore cursus publicos nimium fuisse fatigatos. Qui quidem in hanc diem summa Dei patientia in summa felicitate permissus agere, (adeo vt, quod dictum est superius, ex optatis rerum successibus sanciret perfidiæ fidem,) cum iam ad imum impietatis ab Acacianis deduci passus est, inuersa rerum alea, vsque in diem obitus habitus est posthac infelicissimus. Ac primum quidem hoc ipso anno aduersus Persas in Mesopotamia à Sabiniano Duce male pugnatum est, ac nonnulla ab illis Romanorum propugnacula capta: vbi tamen (inquit Ammianus *e*) inuentas Virgines, Christiano ritu cultui diuino sacratas, Rex Persarum custodiri intactas, & religioni seruire solito more, nullo vetante præcepit.

d l. 12. C. Th. de curs. pub. SERVM EIVS MVTATIO INFELIX.

e Am. lib. 18. in fi.

IESV CHRISTI AN. 360.

LIBERII AN. 9.

CONSTANTII IMP. AN. 24.

I. S. HILARIVS E EXILIO RELAXATVS.

ANno Christi trecentesimo sexagesimo, Constantio Aug. decimum & Iuliano Cæs. tertium Coss. ipso anni exordio illud plane accidit admirandum, vt inter tot Ecclesiarum naufragia, proscriptiones & exilia Episcoporum, de quibus dictum est anno superiori, vnus S. Hilarius iam exul, in Gallias liber redire sit permissus: cum alioqui aduersus Acacianos, quibus valuit viribus, tum Seleuciæ, tum Constantinopoli (quo & ipse Legatos Seleucienses secutus erat) obniti conatus esset, atque ipsum Imp. grauissimis orationibus sæpe perstrinxisset. Is enim (inquit Seuerus *f*) vbi extremum fidei periculum animaduertit, Occidentalibus deceptis, Orientales per scelus vinci, tribus libellis publice datis audientiam Regis popposcit, vt de fide coram aduersariis disceptaret. Id vero Arianis magnopere abnuentibus, postremo quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis, redire ad Gallias iubetur, absque exilii indulgentia, nempe, vt vbicunque esset, reus haberetur exilii, quo iam antea fuerat ab Imperatore ob fidem Nicænam condemnatus. Hoc autem pro miraculo habendum esse, qui legerit libellos tunc ab eodem oblatos Imperatori, haud puto negabit.

f Sen. lib. 2.

II. DE LIBELLIS AB EO OBLATIS CONSTANTIO.

Sed illud de iis sciendum, tres eos libellos quorum meminit Seuerus, diuersos esse à tribus illis qui extant pro defensione fidei Constantio dati, vel aduersus eum scripti. Siquidem illi (vt Seuerus declarat) supplices erant ad impetrandam Imperatoris audientiam, vt coram ipso de veritate fidei cum aduersariis disceptaret: atenim ex tribus qui supersunt, primum quidem statim post exilium Occidentalium Episcoporum, Eusebii Vercellensis & collegarum è Concilio Mediolanensi, antequam ipse Hilarius exularet, scriptum esse, tam ex eius contextu, quam ex iis quæ dicta de illo sunt superius, facile intelligi potest: qui sic incipit, *Benignissima natura tua, &c.* Secundus vero ille libellus est, seu potius oratio, quam hoc anno coram Constantio habuit Constantinopoli, antequam ipsa Constantinopolitana Synodus, ob accusationem plurium Episcoporum longius in hunc quoque annum producta, absoluta esset, & cum adhuc (vt apparet) speraret se publice ab Imperatore audiendum: cuius exordium est, *Non sum nescius, &c.* Tertius demum est ille, qui incipit, *Tempus est loquendi, &c.* quem post præcedentem, hoc patiter anno dedit Imperatori, nempe (vt ait) quinto anno post exilia Episcoporum Occidentalium, licet perperam indita ei inscriptio, dicat scriptum esse post Constantii obitum. Nam quem Hieronymus *a* tradit scriptum esse post mortem Constantii, desiderati videtur: sicut & ille, quem aiunt editum aduersus Vrsacium & Valentem, continentem historiam Synodorum Ariminensis & Seleucienses.

a Hier. de Script. Eccl. in Hilar.

[De tertio isto S. Hilarii ad Constantium libro, (qui primo loco in impressis codd collocatus est) fuerint ne ante, vel post Constantii obitum conscriptus, dissentientes sententias ita conciliari posse putauit Bellar. lib. de Script. Eccl. in Hil. si dicamus Hilarium scripsisse illum ex Gallia post reditum ab exilio, cum putaret Constantium adhuc viuere, sed vere mortuus esset: quippe constat ex Seuero lib. 2. & Hieronymo in Chron. ipsoque Baronio, Hilarium rediisse in Galliam paulo ante quam Constantius moreretur: & quia tes in tam remota regione gestæ continuo reseiri non possunt, facile contingere potuit finis scriptionis Hilarii cum fine vitæ Constantii.]

III.

Porro tertio eo libello Hilarius, cum vidisset adeo prostratam Catholicam fidem, & perfidiam exaltatam, grassantemque Imperatoris auctoritate impietatem, publica quam petierat audientia sibi denegata, meliorum rerum desperatione, ingenti zelo, intrepidoque animo, Imperatoris inconstantiam acerrime exagitauit, atque perfidiam grauiter exprobrauit, *Antichristum* eum, & *lupum rapacem*, & *scelestissimum mortalium* appellans, & alia id genus plurima vehementissimo spiritu in eum ingeminans: etsi nihil ei his profuturus, inde saltem promeriturus ipse martyrium. Verum (vt diximus) magno Dei miraculo accidit, vt nihilominus ab Imperatore iussus sit reuerti ad suos, quod quidem hoc ipso anno vigesimo quarto Constantii contigisse, & anno sequenti in Gallias peruenisse, S. Hieronymus *b* affirmat. Redeunti vero, Romamque primum aduentanti, S. Martin[o] festinauit occurrere ex Gallinaria insula maris Tyrrheni, in quam se receperat, vitam acturus solitariam, postquam in Illyrico primum, ac demum Mediolani pro fide Catholica sæpe vincula & verbera, exiliumque semel ab Arianis passus esset, quod Seuerus *c* atque Sozomenus *d* tradunt, sed cum iam Romæ Hilarium abiisse comperisset, eum est secutus in Galliam.

REDITVS IN GALLIAS.

b Id. in Chr. & adu. Luc.

c Sev. lib. 2.

d Soz. lib. 3. cap. 13.

IV. MACEDONIVS QVI & IN SPIR. S.

Cæterum quod omnium est hæreticorum, vt in deterius prolabantur, simulatque MACEDONIVS Episcopatu Ecclesiæ Constantinopolitanæ abdicatus est, (qua de re egimus anno superiori) quâuis de Filio diceret, eum Deum esse, & cum aliis rebus omnibus, tum substantia Patri similem, tamen Spiritum sanctum non eiusdem cum Patre & Filio honoris participem esse docuit, sed creaturam esse, vnumque ex Angelis & spiritibus ministris, gradu tantum à cæteris Angelis differentem. In cuius opinionis cum eo societatem (inquit Sozomenus *e*) venere Eleusius Cyzicenus, Eustathius Sebastenus, & quotquot ab Acacianis Constantinopoli abdicati fuerant. Nam & *Basilium* quoque Ancyranum eandem impietatem sectatum esse, testatur Hiero-

e Id. lib. 4. c. 26.

a *Hier. de Scr. Eccl. in Basil.*

MARATHONIANI HÆRETICI.

b *Gr. Naz. ep. ad Nectar.*

* *Soz. l. 4. c. 25*

c *Anast. Nic. quæst. 23.*

V. ATHANASIVS PRIMVS OPPVGNAT HÆRESIM MACEDON.

d *Athana. ad Serap. de Sp. S.*

ARIANI IDEM ET MACEDONIANI.

e *Hier. de Scr. Eccl. in Don.*

f *Ambr. 3. de Sp. S. 11.*

VI. EVDOXII EPISC. CONSTANT. IMPIETAS.

g *Theodor. l. 2. c. 9.*

EVNOMII HÆRESIARCHÆ PROCACIA, ET IMPIA DOGMATA.

a *Basil. ada. Eunom. li. 1.*

i *Soz. l. 7. c. 17.*

VII.

k *Theod. hær. fab. lib. 4.*

Gr. Naz. or. 3. de Theolog.

m *Gr. Nyss. 2. de anima, 6. & 12.*

ronymus *a*, eumq; Macedonianæ partis principem nominat. Addit vero Sozomenus, horum doctrinæ non exiguã populi multitudinem, tam Constantinopoli quam in finitimis prouinciis adhæsisse, quod iidem non male vitam instituerent, & monachisinum imitari præseferrent, sed & oratione ad persuadendum pollerent. Subditque de *Marathonio* olim Quæstore: qui cum post multas collectas diuitias, relicta militia totum se contulisset ad curandos ægros, & pauperes subleuandos, ac demum vitam monasticam Eustathii Sebasteni amplexatus esset: Macedonii hæresim partim studio partim pecunia adeo auxit, auctamq; fouit, vt eiusdem hæresis sectatores à nonnullis *Marathoniani* vocarentur. Quod autem *Eleusium* (vt ait Gregor. *b* Nazian.) suæ hæresis auctorem assererent: id inde accidit, quod cum Macedonius in suburbiis Constantinopolis agens, haud diu post excessisset è vita *, Eleusius post obitum Constantii, Cyzici prævalens, ibidem eius sectam in tantum propagauit, vt ipsam Cyzicenam vrbem Anastasius *c* Nicænus *ciuitatem Macedonianorum* appellet, cum falsa quædam signa ac præstigias Episcopi cuiusdam Macedoniani recenset.

Cum autem nouæ hæresis increbescens fama peruasisset quoque Ægyptum, ac de ea Serapion ille Magnus Episcopus Thmuenlis certiorem reddidisset Athanasium adhuc in eremo latentem: mox Athanasius *d* egregiam ad illum reddidit epistolam, qua primus omnium iacula intorsit in eiusmodi monstrum: vt quem acerrimum diuinitatis Filii vindicem Spiritus S. constituerat, idem quoque eiusdem Spiritus esset vnius cum Patre & Filio substantiæ defensor. Porro illa blasphemia ab Arianis quoque, qui Filium pariter blasphemabant, auide suscepta, vbicunque tam in Oriente quam in Occidente Ariana hæresis diffunderetur, Macedoniana æque propagata est. Sic enim Donatum Episcopum Carthaginiensem partis schismaticorum, quod fœdus (vt dictum est) iniisset cum Arianis, testatur S. Hieronymus *e* scripsisse librum de Spiritu S. Ariano dogmati congruentem. Et S. Ambros. *f* est auctor, eosdem Arianos è sacris codicib. delere solitos testimonia de Deitate Spiritus S.

Sed quod ad EVDOXIVM, fœcem hæreticorum omnium spectat, quem tanquam ostentum Constantius Imp. in Ecclesia Constantinopolitana collocauit Episcopum, tantæ ipse compertus est fuisse impietatis, vt cum Aetio & Eunomio paria de Filio Dei sentiret, nempe esse Patri dissimilem; sicut ex Theodoreto dictum est superius, cum actum est de Aetio. EVNOMIVS autem, licet ab Eudoxio aduersus accusatores sæpe defensus, (nam vt idem auctor *g* scribit, non solum ipse Eudoxius occultabat scelus, sed & suasit quoque Eunomio vt blasphemias suas ad tempus tegeret; fore aliquando vt eas magnifice propalaret:) tamen cum impius esse conuictus omnino fuisset, consilio eiusdem Eudoxii fugam arripiens, hæresim quam fouerat verbis, (vt testis est Basilius *h*) scriptis audacius promulgauit: ac insignis impietate euasit hæresiarcha, impio Aetio magistro non impar. Quem cum Basilius Galatam appellet, erroris arguitur Sozomen. *i*, dum eum Cappadocem patria fuisse tradit: quem quidem constat vixisse in Cappadocia.

Fuit autem homo, si quis vnquam alius, immenso tumore mentis elatus: quem videlicet *k* Theodoretus ait ausum esse dicere, nihil se ex rebus diuinis ignorare, sed ipsam etiam diuinam substantiam exacte nosse: eandemque de Deo habere cognitionem, quam de seipso haberet ipse Deus: Sed & pariter alios omnes execrandæ illius sectæ participes, aperte asserere solitos, se ita Deum nosse, vt ipse seipsum. Quorum insuper horrendam blasphemiam prodens Gregor. *l* Nazianzenus, ait eos asserere Filium æquiuoce tantum Deum dici, ac nominis solius participem esse: perinde videlicet ac animal pictum, animal nominetenus dicere consueuimus. De Incarnationis vero incomprehensibili mysterio, (quod testatur Gregorius *m* Nyssenus) idem Eunomius affirmabat, Dei verbum non secundum substantiam, sed secundum virtutes tantum humano corpori vnitum esse: Eundemque de origine & creatione animæ male sensisse, tradit. Et quem egregium recentiores hæretici gloriari possint se nactos esse doctorem, insuper iactabat (vt auctor est Augustin. *a*) fidem quam ipse prædicabat sufficere ad salutem, etiamsi grauia atque enormia quis crimina perpetraret, atque in iisdem perseueraret assidue: itemque (quod addit Hieronymus *b*) SS. Martyrum reliquias, eisdemque adhiberi solitum religiosum cultum damnabilem esse: eorundemque miracula, præstigias esse Dæmonum. Docuisse pariter Anabaptismum, cum scilicet rebaptizaret eos qui in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizati essent, Epiphanius *c* scribit. (Quod & cæteris demum Arianis fuisse commune, docet Augustinus libro de Hæresibus, & alii auctores. Quin & adeo infensus fuit hostis Trinitatis, vt quælibet etiam signa, quibus illa repræsentaretur, amouerit, nempe (vt Theodoretus affirmat) trinam in baptismo fieri consuetam immersionem: illudque ridiculum in homine baptizãdo excogitauit, vt magna cautela ageretur, ne aqua baptismi alia membra quam quæ sunt supra pectus abluerentur.

a *August. de hær. c. 54.* RECENTIOR. HÆRETICORVM CVM EVNOMIO COGNATIO.

b *Hier. aduer. Vigilant.*

c *Epip. hær. 75*

Sed qualis doctrina Eunomius, talis & vitæ moribus extitit: quippe discipulus & scriba Aetii, asserentis absq; peccato licere se carnis libidinibus quomodocunq; polluere. Vir (inquit Ruffinus *d*) corpore & animo leprosus, & interius exteriusq; morbo regio corruptus. Magno vero Fidelium damno vitam longius propagauit: siquidem anno decimo quarto Theodosii Magni adhuc superstes in Cappadocia agebat, quando S. Hieronymus scribebat commentariolum de Viris Illustribus: vbi & multa eum contra Ecclesiam scripsisse tradit: ei vero respondisse Apollinarium, Didymum, Basilium Cæsariensem, ac Gregor. Nazianzenum & Nyssenum. Eiusdem porro lucubrationes, non solum impias fuisse, sed & plane inanes atque insulsas, vtpote hominis dialecticis tantummodo sophismatibus diditi, sacrarum vero literarum admodum imperiti, Socrates *e* tradit, dum eius scriptorum monimenta recenset: cui consentientia alii quoque scripsere, & inter recentiores Græcos late Suidas. Fuit denique legibus etiam Impp. Catholicorum damnatus, quod secreto conuentus ageret: vnde (inquit Theodore.) accidit, vt iidem Eunomiani dicti fuerint *Troglodytæ*: testaturque, ad sua tempora in exiguum numerum eam sectam redactam esse. Habuit vero discipulos, magistro impietate non impares, & inter eos *Vrbicum* Potentinum, cuius meminit Athanas. *f*, & *Philostorgium g* ingentem laudum ipsius præconem.

d *Ruff. l. 1. c. 15*

e *Soz. l. 4. c. 7.*

TROGLODYTÆ HÆRETICI.

f *Athan. de sing. nom.*

g *Niceph. li. 2. c. 29.*

Eodem hoc tempore (inquit Sozomenus *h*) cum multi sedem Antiochenam, vacantem per translationem Eudoxii Constantinopolim, magno studio ambire cœpissent, eaque de re contentiones in clero & populo ortæ essent, quod singuli eum quem sperabant secum fide consensurum, ad Ecclesiam gubernandam deligerent: per commodum visum est Eudoxianis, *Meletium* Sebastia Antiochiam transferre, virum oratione & persuasione potentem, moribus spectatum, & cum ipsis iam ante opinione coniunctum: cuius æstimatione futurum putabant, vt non modo ciues Antiocheni, verum etiam populi finitimi, & maxime Eustathiani, qui fidei Nicænæ firmiter adhærebant, ad suam ipsorum sectam allicerentur. Sed longe eos fefellit opinio. Nam vt Meletius venit Antiochiam, concione publice in frequentissimo vtriusque partis conuentu habita, Filium eiusdem cum Patre essentiæ palam asseruit: cumque Archidiaconus illius cleri accurrens, manu admota eius os obturaret; ipse manu multo euidentius quam voce, sententiam suam populo indicans, primum tres tantum digitos palam extendit, mox iisdem compressis vnum solum porrexit, quo vnam Trinitatis essentiam significaret. Cum vero rursum Archidiaconus, ore dimisso manum Meletii comprehendisset; ipse denuo oratione planiore suam declarauit sententiam, populumque hortatus est decretis Nicæni Concilii adhærescere: ingenue testificatus, eos qui aliter sentirent à veritate, penitus aberrare. Quapropter Ariani graniter in eum commoti, egerunt apud Imperatorem vt in exilium eiiceretur; sedesque Antiochia *Euzoio* deferretur, qui olim cum Ario ab Alexandro Episcopo Alexandrino abdicatus fuerat. Meletii autem fautores, se ab

h *Soz. l. 4. c. 27.*

IX. MELETIVS ELECTVS EPISC. ANTIOCH. PRIMVM CATHOL. PROFITETVR.

PELLITVR, ET EVZOIVS SVBROGATVR.

VIII. EVNOMII IMPVRITAS.

Arianis segregantes, conuentus separatim egerunt: sed tamen iis Eustathiani, quâ iis eandem fidem tenerent, communicare recusarunt, quod Meletius ab Arianis creatus fuisset Episcopus, eiusq; sectatores à sacerdotibus Arianis baptizati fuissent. Hæc apud Sozomenum. Eademque de concione à Meletio habita Epiphanius *a*, qui & ipsam integre recitat.

a Epip. hær. 73

X.

Hallucinatur vero Socrates *b*, dum scribit Meletium ex sede Sebastena translatum esse Berœam, & ex hac ciuitate Antiochiam: cum potius Berœa in sedem Sebastenam in locum Eustathii depositi fuisset subrogatus, & inde communi decreto populi, consentientibus in eius electionem tam Catholicis quam Arianis, quod vtraque pars eum à se stare putaret, Antiochiam accersitus: impellente ad hoc Catholicos Eusebio Episcopo Samosateno Orthodoxo, qui probe notum habebat Meletii animũ, quâ rem gestam narrans Theodoret. *c*, addit quod cum eiusmodi commune populi Antiocheni decretũ de Meletii electione, apud eundem Eusseb. tanquam sequestrem fuisset depositum: illudq; post eiusdem violationem Ariani retrahere cupientes, ne eius testimonio argui fraudis possent, egissent apud Imperatorem vt Eusebio iuberet reddere: tamen istum nullis Imperatoris iussionibus, vel minis, induci ad id potuisse, adeo vt cum ad eum perrenire faciendum iussisset Imperator dexteram ei amputari, ipse non dexteram solum, sed & læuam extendens, iusserit vtramque abscindi: Imperatorem autem, audita eius magnitudine animi atq; constantia, non solum eum illæsum abire iussisse, sed & tum eum plurimum admiratum esse, & postea laudibus efferre non destitisse.

b Socr. li. 2. c. 34.

c Theod. li. 2. c. 31. 32.

EVSEBII SAMOSAT. CONSTANTIA.

XI.

Quod autem depositiones Episcoporum ab ipsis quoque Arianis absque Synodo minime peragi solerent: plane demonstrare videtur, eam quæ fertur SYNODVS ANTIOCHENA hoc tempore Constantii auctoritate celebrata, ad exauctorandum Meletium, & substituendum Enzoium: fuisse collectam: quamuis Theodoretus eam cum ipsius Meletii ingressu confundere videatur, cæterum in Chronico Hieronymi traditur, Meletium hoc anno vigesimo quarto Constantii electum esse Episcopum Antiochenũ, & paulo post detectam. Cum vero eadem Synodus celebrata ab omnibus ponatur ipso Imp. Antiochiæ existente: nequaquam ante initium anni sequentis haberi potuit: quod Ammian. *d* scribat, Constantii Antiochiam aduentũ nonnisi circa finem huius anni contigisse. Itaq; & Socrat. *e* differre testatur, eandem Synodum habitam esse anno sequenti Tauro & Florentio Coss. cum Euzoius sedem Antiochenam susceperit. Quæ igitur causa Meletii conuenit Synodus Antiochiæ, nouam rursus fidem, eandemq; omniũ deterrimam condiderit: qua nomen *Simile* ex Formulis Ariminensi & Constantinopolitana eximentes, asseruerunt Filium Patri non solum substantia, sed etiam voluntate, penitus Dissimilem esse atque item ex nihilo ortum, sicut Arius iam ab initio placuerat. Fuere autem eis subsidio sectatores Actii, qui primus post Arium eiusmodi vocibus palam ausus est vti. Vnde factum est, vt tum ipse *Atheus*, siue *Impius* vulgo fuerit cognominatus, tum eius sectatores *Anomiani*, & *Exucontii*, hoc est Filium Patri dissimilem, & ex nihilo ortum asserentes. Habent ista Socrates, & Sozomenus *f*: idque (vt apparet) ex Athanasio *g*. Iamq; vides Lector, ex infelici radice Arianæ hæresis, tot praua germina propagata: nempe Eusebianos, Photinianos, Eudoxianos, Acacianos, Eunomianos, Macedonianos, Aetianos, Anomianos, Exucontios: atque etiam *Psatyrianos*, quorum meminit Theodoretus *h*; qui impie dixerunt, idem esse in Deo *Gignere* atque *Creare*: quibus & adiungit *Cyrtianos* atq; *Dulianos*, qui Dei Filium, Patris seruum phanatice prædicarunt.

d Am. li. 20. in fin.

e Socr. li. 2. 35

DETERRIMA FIDES ARIANORVM.

f Soz. l. 4. c. 28.

g Ath. de Syn.

HÆRESES EX ARIANA PROPAGATÆ.

h Theod. hær. fab. li. 4.

XII.

Sed quo tempore à Constantio adimitur diuinitas Filio Dei, eodem quoque ipsi Imperium abripitur, cum in Galliis Iulianus, à militibus alias acclamatus, Imperator eligitur: quod Ammianus *i* pluribus narrat; insuperque nonnullas refert *k* visiones, seu verius phantasmata earum rerum quas vigilando sibi effingebat, ipsi Iuliano noctu oblata, quibus velut impellente numine subire Imperium videri voluit: cuiusmodi & alia ipsemet Iulianus scripsit ad Oribasium magni nominis sophistam. Nam & inuitum se, ac penitus reluctantem, ab exercitu oblatum Augusti nomen & auctoritatem suscepisse, idem ipse in Misopogone contestatur. Hisce vero peractis celebrans Quinquennalia, diademate vsus est lapidum fulgore distincto: cum antea præ penuria torques aurea fuisset à milite capiti ipsius imposita. Defunctamque inter hæc coniugem Helenam, Romæ in suburbano viæ Nomentanæ, vbi Constantina soror eius, Galli coniux, sepulta erat, condi præcepit. Hæc apud Ammianum *a*.

i Amm. li. 20.

k Id. lib. 19. 21. apud Baron. an. 361. 82. & seqq.

a Id. lib. 21.

IESV CHRISTI AN. 361.

LIBERII AN. 10.

CONSTANTII IMP. AN. 25.

I.

ANNO Christi trecentesimo sexagesimo primo, Tauro & Florentio Coss. Iulianus Augustus (inquit Ammianus *b*) nihil interim de statu rerum præsentium mutans) sed animo quieto incidentia cuncta disponens, paulatimque sese corroborans; vt omnes, nullo impediente, ad suum fauorem alliceret, inhærere cultui Christiano fingebat, à quo iam pridem occulte desciuerat, arcanorum participibus paucis aruspicinæ augurii sque intentus, & cæteris quæ Deorum semper fecere cultores. Et vt hæc interim celarentur, feriarum die, quem celebrantes mense Ianuario Christiani *Epiphaniam* dictitant, progressus in eorum ecclesiam solemniter numine orato discessit. Ita Ammianus.

b Amm. lib. 21.

IVLIANVS SIMVLAT CHRISTIANVM.

II.

Cum vero inter hæc Constantius per secreta internuntia tentasset fidem Vadomari Francorum Regis, sibi antea fœderati, vt eum in Iulianum armaret: idemque Rex officium omne suum per literas Constantio polliceretur: accidit vt literis Vadomari interceptis, re comperta idem captus, vinctusque, à Iuliano in Hispanias amandatus fuerit, quando Iulianus mox victis barbaris, qui prope erant in armis; pro acceptis (vt ipse putauit) à Dijs beneficiis, placauit (inquit Ammianus) secretiore ritu Bellonam; habuitque ad exercitum concionem, & à singulis militare iuramentum exegit. Sic igitur cum appareat, Iulianum quandiu fuit in Gallia Deos secreto coluisse; erroris arguitur Zosimus *c*, qui tunc in Galliis eum publice immolasse scribit. Qui primum autem satis sibi inesse virium vidit, & exercitum ad sua vota in omnibus comparatum esse: quod clãculum agere solebat, iam palam in Illyrico facere non erubuit, Dijsque publice sacrificare cœpit. Testatur enim id ipse in epistola quam ad Maximum Ephesinum (quo ad omnem impietatem vsus fuerat pædagogo) scripsit cum ex Galliis peruenisset ad Illyrios: famque vtrobique citroque à Iuliano atque Constantio missis legationibus, iisdemque cassis reddĩtis in apertum bellum progressa res esset. Ex quibus quidem Iuliani literis Ammianus *d* itidem redarguitur, cum ait non antea Iulianum se manifestum Deorum cultorem exhibuisse, quam cum peruenisset Constantinopolim.

c Zos. lib. 3. PALAM DEOS COLERE INCIPIT.

d Am. l. 22

III.

Eodem autem fines Illyrici ingresso, fertur (inquit Sozomenus *e*) vites post vindemiam circiter Vergiliarum occasum, vuis acerbis minimeque maturis onustas visas esse; roremque tum in eius, tum in comitum suorum vestes, ex aere delapsum, singulis guttis signum Crucis impressisse, prodigium vero portendisse, Imperatorem immaturo ætatis suæ tempore perituru, religionem autem Christianam cælestem esse, & omnes figura Crucis signari debere. Cæterum quantumlibet Iulianus viam sibi, quocumque progrederetur, vi exercitus aperiret; tamen excusationem quandam forinsecus obtexens, ne videretur esse tyrannus, (quod ei obiicit Gregorius *f* Nazianzenus) profectionem in Orientem instituisse iactabat, vt se purgaret apud Constantium de suscepto Imperio, re vera autem vt totum Imperium ad se transferret. At vero Iulianus ipse ea epistola, quam post mortem Constantii scripsit

e Soz. lib. 5. c. 3. PRODIGIVM DE CRVCE APPARENTE IN VESTIMENTIS.

f Gr. Naz. or. in Iulian.

ad Iu-

IVLIANVS SE EXCVSAT DE INVASO IMPERIO.

ad Iulianum auunculum, Iouem Solemque appellat, se Constantium occidere nunquam optasse; sed itineri se accinxisse, vt Diis obtemperaret, salutem pollicentibus, si progrederetur, perniciem autem si remaneret: itemque quod hostis iam appellatus esset, terrere eum duntaxat cogitasse, eoque pacto res ad colloquium aliquod mitius deducere. Porro Zosimus scribit, Coss. Taurum & Florentium, cum audissent Iulianum in Pannoniam peruenisse, fuga ex Vrbe se subduxisse, eosq; ipsum in publicis memoriis describi voluisse *Consules Fugitiuos*: cum vero Naissum in Dacia peruenissent, ibidemq; substitissent, accepisse nuntium de Constantii obitu.

CONSVLES FVGITIVI.

VI.

a *Amm. lib.* 21.

Qui quidem Constantius, cum hiemaret Antiochiæ, (vt Ammianus *a* est auctor) defuncta Eusebia coniuge, aliam nomine *Faustinam* sortitus est; ex qua genita filia posthuma, *Constantia* dicta, quam postea Gratianus Imp. vxorem duxit. Porro cum aduersus Iulianum se bene putasset Occidentale Imperium muniuisse: ipso primo vere aduersus Persas in Mesopotamiam irrumpentes, vbi & quasdam iam munitiones occupauerant, mouens exercitum, peruenit Edessam, cum adhuc Iulianus moraretur in Galliis. Sed cum Iulianus superatis montibus peruasisset Illyricum, nuntii ad Constantium percrebuere certissimi, ipsum Italiam & Illyricum cursu celeri prætergressum, claustra interim occupasse Succorum, ac cita vndique prætolantem auxilia, vt multitudine stipatus armatorum peruaderet Thraciam. Quo cognito mœrore offusus Constantius, solatio vno sustentabatur, quod intestinos semper superauerat motus: communicatoque cum suis consilio, decreuit cum expeditione reuerti: eo maxime quod & Persarum Rex ad propria reuerteretur. Interim vero nocturnis imaginibus territus, aliquando nondum penitus mersus in somnum, vmbram vidit patris obtulisse pulchrum infantem, eumque susceptum & locatum in gremio suo, excussam ibi proiecisse sphæram, quam ipse dextera manu gestabat; quod quidem permutationem indicabat, licet interpretes placentia responderent. Ac post hæc iunctionibus quoque proximis confessus est, quod tanquam desolatus secretum aliquid videre desiisset, quod interdum affuisse sibi squalidius æstimabat: & putabatur genius esse quidam tutelæ salutis appositus eum reliquisse, mundo citius digressurum. Ferunt enim Theologi in lucem editis hominibus cunctis, salua firmitate fatali, huiusmodi quædam velut actus rectura numina sociari, admodum tamen paucis visa, quos multiplices auxere virtutes. Istæc, & alia de his Ammianus: quibus (paucis demptis) concordat Christiana religio.

FVNESTA VISIO EI OBLATA.

V.

PROFICISCITVR ADVERSVS IVLIANVM.

Paulo vero post de Constantii obitu agens; ingressus (inquit) Antiochiam festinando, ad motum certaminum ciuilium (vt solebat) auide surrecturus, paratis omnibus exire properabat, immodice renitentibus plurimis murmure tenus: neq; enim dissuadere palam audebat quisquã, vel vetare. Autumno igitur iam senescente profectus, cum ad Suburbanum venisset disiunctum exinde tertio lapide, Hiopocephalum nomine, lucente iam die, cadauer hominis interfecti dextera iacens, capite auulso, conspexit contra occiduum latus extensum: territisque omnibus, finem parantib. fatis, destinatus ipse tendebat (ita loquitur Ethnicus auctor) venitq; Tarsum; vbi leuiori febre contactus, ratusq; itinerario motu imminutæ valetudinis excuti posse discrimen, petit per vias difficiles Mopsuestiam Ciliciæ: egrediq; secuto die conatus, illabente morbi grauitate detentus est, paulatimq; vrente calore nimio venas, vt ne tãgi quidem corpus eius posset, in modum foculi feruens, cum vsus deficeret medelarum, vltimum spirans deflebat exitium: mentisque sensu tum etiam integro successorem suæ potestatis statuisse dicitur Iulianum: deinde anhelitu iam pulsante letali, conticuit, diuq; cum anima colluctatus iam discessura, abiit è vita tertio Nonarum Octobrium, Imperii vitæq; anno quadragesimo & mensibus paucis, Hæc Ammianus.

MORITVR.

VI.

Sed quod ait, Constantium vltimo elogio statuisse Iulianum sui Imperii successorem: puto commentum Ethnicorum Iuliano fauentium excogitatum, quo à tyranni nomine ea arte redderent ipsum immunem. Nam S. Gregorius *a* Nazian. de Constantio tradit, ipsum inutili pœnitentia in extremo vitæ spiritu affectum, tria mala Principatu suo indigna agnouisse: Vnum, quod generi suo necem attulisset. Aliud, quod Iulianum Cæsarem creasset; Tertium, quod nouis fidei dogmatibus studuisset: simulq; cum his vocibus è vita discessisse. Sed vtcunq; hæc eius extrema se habuerint, illud exploratum habetur, morientem ipsum fuisse ab Euzoio Ariano Episcopo Antiocheno baptizatum: teste Athanasio *b*, & cæteris omnibus. Itaque cum & vixisse impium, & impie clausisse diem extremum, maiorum omnium constet assertione: vnus quem diximus, Gregorius duabus illis luculentissimis in Iulianum scriptis orationibus, comparatione Iuliani eundem Constantium super sidera conatus est extollere: quod & putauerit pœnitentem obiisse. Nam alioqui, licet eum excusset, haud tamen in fide Catholica non errasse defendit: quem à suis fuisse deceptum affirmat. Certe quidem ex ecclesiis pro religione Christiana, & aduersus idololatriam, magiam, aliasque eiusmodi impietates, ac prauos mores promulgatis, non modicam meruit laudem, quem & egregia enituisse castitate, adeo vt nec aliqua potuisset aduersa vel leui suspicione pulsari, Ammianus affirmat. Quod autem pertinet ad alios eius probe compositos actus, necnon quæ eidem vitio vertebantur, atque de eius vultus effigie: habes hæc omnia fusius ab eodem Ammiano recensita.

a *Greg. Naz. or. in laud. Ath.*

MORITVRI POENITENTIA INVTILIS.

b *Athan. de Synod.* GREG. NAZ. QVOMODO EVM LAVDAT.

VII.

Cum autem ex eodem Gregorio constet, fuisse Christiano ritu sepulturæ mandatum Constantinopoli; mirantur dici eundem inter diuos esse relatum: nisi fortasse id Iulianus Ethnicus præstiterit, ad abolendas contractas ex ingratitudine notas. Vixit (inquit Victor *d*: quem hoc ipso anno Iulianus Consularem præfecit Secundæ Pannoniæ, & aerea quoq; e statua honorauit:) annos quadraginta quatuor: imperauit cum patre, fratribus, ac demum solus, annos triginta nouem: factus Augustus annos viginti quatuor expletos, octo solus, cum fratribus & Magnentio sexdecim, Cæsar quindecim. Hæc cum ita legantur apud Victorem, deprauata esse noscuntur. Illud autem certum est, Constantii Imperium inchoatum esse ab obitu Constantini, anno Domini trecentesimo trigesimo septimo; vndecimo Calendas Iunii: productumque ad præsentem vsq; annum, quo ipse obiit tertio Nonas Octobris: licque eundem imperasse post patrem, annos viginti quatuor, menses quatuor, & dies quatuordecim.

c *G. Naz. or. 2. in Iulian.*

d *Vict. in Iuli.*

e *Amb. l.* 41.

CONST. ÆTAS, ET IMPERIVM.

VIII.

Cæterum præter multiplicia aliarum hæresum monstra, quæ sub eodem Constantio Ecclesiam vniuersam pessumdederunt, de quibus dictum est superius: auctor est quoque Epiphanius *f*, MASSALIANORVM errores ab eiusdem Imperatoris temporibus coaluisse in Mesopotamia: cui maiorem fidem præstandam putamus, vt pote tunc viuenti, & aduersus eandem hæresim scribenti: quam Theodoreto, qui postea vixit, affirmanti temporibus Valentiniani atque Valentis Impp. prodiisse. Sed vt altius eius originem ex Epiphanio repetamus; fuit alia secta non ex Christianis, vel Iudæis, Samaritisve comparata, sed ex Gentilibus, dicta *Euphemitarum*: qui cum plures Deos asserent, nonnisi tamen vnum adorarent, quẽ dicerent *Omnipotentem*: solerentq; in publicis à se ædificatis oratoriis conuenire precum causa: qui & seipsos nominabant *Martyrianos*, quod cum Gentiles essent, à prouinciarum Præsidibus vexationem paterentur: sed & *Satanianos*, propter cultum, quem exhiberent Satanæ, ne ab eo læderentur. Hæc de iis Epiphanius. At vero diuersi plane ab eis sunt, de quibus agimus, à precibus item dicti *Massaliani*: iidemq; *Euchitæ*, seu *Precatores*: quos & se *Spirituales*, reliquos vero homines *Carnales* dicere solitos, Theodoretus *g* affirmat: eosdemq; prodiisse ex Christianis monachis, qui solitudinem Mesopotamiæ incolebant: quorum nomina recenset *h*, Dadoen, Sabbam, Adelphium, Symeonem, Hermam, & alios nonnullos.

f *Epip. hær. 80* MASSAL. ANI HÆRET.

EVPHEMITÆ MARTYRIANI MASSALIANI ET.

g *Theod. hær. fab. l. 6.*

h *Id. l. 4. c. 10.*

IX.

Isti igitur illud primum iecerunt struendæ impietatis fundamentum, vt quod Dominus *i* admonuisset semper orandum, cætera cuncta parui aut nihili facienda asserentes: id affirmantes esse tanti momenti, vt solum sufficeret ad omnes potestates aduersarias superandas. Ex quo imprimis

i *Luc. 18.*

MASSALIANORVM DOGMATA, ET LIBRI.

proue-

prouenit, vt quod erat monasticæ disciplinæ coniunctum opus manuum, penitus prætermitterent, quod iussisset Dominus a operari cibum qui non perit. Sed & ieiunium ignorabant; satis dicentes sufficere ad mentem expurgandam, Orationem. Iidemq; ad preces coibant permixti mulieribus; quod à sanctis Christianorum institutis penitus abhorrebat. Quinetiã nefandum illud dogma excogitasse Theodoretus affirmat, vt dicerent, Sacramenta Ecclesię nec prodesse nec obesse; sed oratione tantum peccata laxari, dæmonesque fugari. impieque iactabant, se habere baptismum ad instar nouaculæ; vt sicut hæc pilos corradit, & tamen iidem ex radicibus iterum pullulant, ita post baptismum remaneret peccatum originale, sed perpetua oratione peccati radix prorsus euelleretur. Habere item vnumquemque hominem, habitantem in se dæmonem, nec ipso caruisse Apostolos: eum vero tantum oratione fugari: qua aiebant posse quoque effici homines impassibiles. Duas insuper possidere homines animas, earumque alteram esse supercælestem: seque capaces esse corporeis oculis videndi sanctissimam Trinitatem. Vnde accidebat, vt huiusce modi visionibus, quæ per dæmonum illusionem solerent fieri, vehementer delectarentur: quarum apparitionibus, ac quibusdam rerum futurarum præsumptis reuelationibus, eo insaniæ peruenerunt, vt non tantum dicerent se esse perfectos, sed vel Angelum, vel Prophetam, immo & Christum esse iactarent; reliquos autem indignos esse Christiano nomine. Sed & repente saltabant, ac super dæmones se saltasse iactabant; & digitis sagittantium speciem præseferentes, se in dæmonem iaculari affirmabant: aliaque quædam faciebant simili furore plena: vnde etiam *Enthusiastarum* nomen sortiti sunt. Hæc de iis Theodoretus.

a *Ioan. 6.*

X.

De quibus etiam agens Damascenus b, multa addit de eorundem in mendicos, & alios quoscunque egenos immanitate; quibus negabant aliquid dandum esse, sed sibi omnia suppeditanda, eo quod ipsi soli essent pauperes spiritu. Addit insuper, ex dogmatis præscripto fas eis fuisse iurare ac periurare. Docuisse item, ad libitum posse dirimi coniugia; suadereque filius neglectum parentum, & ad sibi omnia conferenda solitos exhortari: negasse pariter quenquam initiari sacramentis, nisi super quem visibilis gratia Spiritus S. descenderet. phantasticis enim huiusmodi visionibus à dæmone illudebantur, vt super eos visibili signo apparere videretur Spiritus sanctus, cum præsertim ordinationes celebrarent; nam habebant sacerdotes & Episcopos. Eoq; pertinet quod S. Augustinus c tradit, eos de purgatione animæ nescio quam phantasticam & ridiculam fabulam narrare solitos: porcam scilicet cum processis suis videri exire de ore hominis quando purgatur, & in eum visibili similiter specie ignem qui non comburit intrare. Massalianorum quoq; eam sententiam fuisse S. Hieronymus d docet, vt diceret at posse hominem ad perfectionem, atque ad similitudinem & æqualitatem Dei, humana virtute & scientia peruenire: ita vt assererent, se ne cogitatione quidem & ignorantia (cum ad consummationis culmen ascendissent) posse peccare. Quod vero ad habitum corporis spectat; eos comas muliebres producere, & sacco conspicuos incedere solitos, Epiphanius tradit indeque & *Saccophoros* nuncupatos esse, alias dicetur. Qui quidem haud visi sunt prætergressi Mesopotamiam, vel Syriam; occulte serpentes, eo quod expellerentur ab omnibus ficubi detecti essent.

b *Damasc. hær. 80.* ALIÆ IORVNDEM IMPIETATES, ET LVDIBRIA.

c *Aug. de hær. c. 57.*

d *Hier. dial. aduersʃ Pelag. in præf.*

XI.

Quod autem iidem dicerent, ab hominibus orantib. dæmones foras egredi per excrementa, sputa, mucum, & alia; in memoriam reuocatur, his contraria conatum esse dæmonem suadere *Monachis quibusdam Ægypti*; nimirum peccatum esse, eiusmodi corporis necessaria excrementa egerere: abutentibus videlicet sententia Domini e, qua dixit, Non quæ intrant per os, coinquinare hominem, sed quæ exeunt. In quos inuehitur Athanasius, ad Ammonem Archimandritam scribens: vbi etiam declarat, eo vsque progressam esse illam hæresim, vt eadem ratione matrimonium quoque damnaret, quod in procreatione prolis è corpore progredi semen necesse esset. In horum pariter classem allegandi sunt illi *Pseudomonachi*, quos Sanctus Epiphanius in sua Anacephalæosi recenset: quorum alii cum nullis penitus hominibus preces faciebant, & ob eam causam impudenter sancta mysteria, licet laici essent, contrectabant: alii Episcopos seipsos constituentes, Episcopalia munia obibant: alii seipsos castrabant; alii propria auctoritate eos qui ex Arianis ad se accederent rebaptizabant; alii nulli prorsus communicare volebant; ac denique alii precabantur in vinculis. Quibus etiam longe terriora videri possunt, quæ *Eustathius*, siue *Eutactus*, hæresiarcha docuit suos monachos. Sed quod de illis dictum sit superius in Synodo Gangrensi, iam his decursis, noui Imperatoris res gestas inuisamus.

MONACHORVM QVORVNDAM ÆGYPTIOR. FATVI ERRORES.

e *Matth. 15.*

ALIORVM DELIRIA.

[HIC INCIPIT TOMVS IV. ANNALIVM BARONII.]

Constantio igitur defuncto, *Flauius Claudius* IVLIANVS cognomento APOSTATA, annos natus vndetriginta, vniuersum Romanum Imperium solus obtinuit: peruenienſque Constantinopolim tertio Idus Decembris, cum præ impietatis scelere Christianis omnibus horrori esse debuisset: nulla de his impræsentiarum habita ratione, ab eisdem vt conciuis faustis acclamationibus exceptus est, ac Senatus populique officiis obsequiisque cumulatus; vt Ammianus a & Zosimus b tradunt. Ipsum enim Constantinopoli natum, non hi tantummodo auctores, sed Mamertinus quoque Consul in Panegyrico ei dicto, aliique testantur. Qui autem à rudimentis pueritiæ primis (vt loquitur Ammianus) inclinatior fuerat erga Deorum cultum: quique, vt ipsemet c de se testis est, iam ante decennium à Christiana religione defciuerat, licet ob metum Constantii nonnisi secreto numina coleret: cum nuper (vt vidimus) impietatem eiusmodi in Illyrico palam profiteri cœpisset: nactus iam liberas habenas Imperii, nihil antiquius habuit, quam vt collapsum sub Constantino & Constantio eundem Deorum cultum (quorum beneficio assecutum se affirmare solebat Imperium) in priorem statum reponeret. Ideoq; templis (vt aiunt d) aperiri iussis, inque illis sacrificia immolari; exinde pariter cœpti sunt festi dies vbiq; ritu Gentium celebrari. Ipseq; Iulianus sanguine victimarum (quod refert Gregorius e Nazianz.) corpus abluens, Baptismi signaculum, in quantum potuit, deleuit; eodemq; manus profanauit, quibus sacram Eucharistiam ori admoturus acceperat. Ac deinde more maiorum Imperatorum, vna cum Imperio ampliſſimam Sacerdotii dignitatem suscipiens, nec quid minimum in re tanta passus præteriri veteris obseruantiæ, Summo Pontificatu initiatus est solemnibus Gentilium ritibus: quorum vanitatem & impuritatem Prudentius f graphice depingens, suis versib. deridendam proposuit. Illudq; inter cætera de eo prædictus Gregorius g narrat, sufflationibus & resufflationibus maxillas indecore inflantem, altaris ignem accendere solitum. Et quod omnium esset superstitiosissimus, voluit pariter (vt scribit Eunapius h) Eleusiniorum sacrorum Pontifex creari: Minoresq; & ipse, iam factus summus culturæ Deorum Pontifex, creans Pontifices, eosdem in diuersas prouincias distribuit.

a *Am. lib. 22.*
b *Zos. l. 3.*
c *Iulian. ep. ad Alexand.*

XII. IVLIANVS IMPERAT.

DEORVM CVLTVM RESTITVIT.

d *Am. ibi. Soer. l. 3. c. 1. Soz. li. 3. c. 3.*

e *Gr. Naz. or. 1. in Iulian.*

CHRISTIANITATEM ABDICAT RITV SOLEMNI

f *Prud. Peristeph. in Rom. hym. 10.*
g *Gr. Naz. or. 1. in Iul.*

PONTIFICATVM ASSVMIT.

h *Eunap. de Vit. Philos. in Maxim.*

His autem rebus gestis Gentilium animos sibi deuinciens, alia quoq; ratione Christianis extitit grauissimus: dum quo infensissimo animo in Constantium fuerat, eius aulicos & Magistratus, (non sine magna Dei prouidentia, quod isti in gratiam Constantii fauentes Arianæ hæresi, magnis molestiis Catholicos affecissent) iudicio subiectos variis confecit supplicits. Nam ex Ammiano accuratius hæc pertractante constat, inter alios Taurum huius anni Consulem ordinarium, Palladiumq; Magistrum Officiorũ, Euagrium Comitem rei priuatæ, Saturninum ex Cura Palatii, & Cyrinũ ex Notario, in exilium pulsos: Florentium alterum Consulem, qui se periculo opportune exemit, capitis crimine damnatum esse absentem: Vrsulum verò Comitem Largitionum, Apodemium Agentem in rebus, & Paulum cognomento Catenam, vinos combustos: ipsumque Eusebium Eunuchum, Arianorum patronũ, in Deum impium, in sanctos Episcopos contumeliosum, Præfectum Constãtii Cubiculi, ab ima sorte ad vsq; in bendum Imperatori pene elatũ, pœnæ lethali addictum: omnesq; demũ aulicos vel capite, vel relegatione mulctatos: ac vehementius turbam illam Eunuchorum Palatinorum exagitatam: quibus etiam nequis suffragator accederet (vt Ammianus affirmat)

III. IVDICIO SVBIICIT MAGISTRATVS CONSTANTII.

affirmat) lege vetuit: sanciuitque quod addit Socrates) vt illis qui passi essent ab eis iniuriam, facultates inique abreptæ redderentur, & ea potissimum, quæ iidem Eunuchi ex Deorum fanis expilatis sibi vendicassent. Ciuitates pariter multiplicatis tributis sub Constantio exhaustas, ac pene desertas, mœnibusq; orbatas, ex æratio collata pecunia in pristinum splendorem restituens, (quod Mamertinus publica oratione laudauit) plurimũ sibi prouinciarum subditarum gratiam conciliauit. Sed & Romanæ Vrbi hoc anno summa penuria periclitanti, licet longe positum, mira celeritate abunde subuenisse: idem auctor asserit. Ammianus insuper, inutiles illum Palatii expensas resecasse. Hisq; omnibus effecit, vt qui ob impietatem videri posset intolerandus, etiam diligeretur à multis.

MVNIFICENTIA EIVS ERGA PROVINCIAS.

Quin & magnam inde sibi laudem comparauit apud optimos quosque, quod exulem diu pacen. Catholicæ Ecclesiæ restituit, ab acerbissima illa tot annis per Arianos persecutione fugatam; non modo Episcopis à Constantio damnatis exilio, ad suas Ecclesias redire permissis, (quod testantur Hieronymus *a*, Socrates *b*, Sozomenus *c*, Theodor. *d*:) sed & aliis pariter religionis causa exulibus relaxatis. Verum, quod fidem facit hæc illum non amore Catholicorum præstitisse, sed vel beneficentiæ in quoscunque affectatione, vel odio Constantii eiusq; ministrorum, quorum auctoritate Catholici vexati fuerant; is nulla habita ratione exulum, cum & plures etiam hæreticos, sed qui Arianis haud in omnibus consentirent, Constantius proscripsisset, ex æquo omnes iussit exilio relaxari: interque illos, Atheum Actium, ad quem extant eiusdem Iuliani literæ, eum in memoriam pristinæ cognitionis & amicitiæ in Regiam accersentis. Sicut etiam Nouatianorum Ecclesiã ab Eleusio Cyziceno Episcopo Ariano dirutam, per eundem propriis sumptibus intra bimestre spatium, grauissima mulcta præscripta, refici mandauit. Et omnib. quos ab exilio reuocauit, etiam bona sua restituit: sanciuitque, nequis Christianos vel iniuria afficeret, vel ad immolandum inuitos traheret: veritus (vt creditur) ipso sui aduentu cum illis aperto Marte pugnare, quos sciret implesse multitudine Romanum Orbem. Ideoque vt hac etiam parte gratus illis esset, inter Christianæ religionis Episcopos conciliatorem se gessit *f*: frustraque in Palatium vocatos, ac de his monitos, suo ipsorum omnes reliquit arbitrio. Inde autem captans occasionem Christianis detrahendi, quod adeo pugnaciter inter se altercarentur: reddidit insuper eosdem in epistolis & colloquiis suis, *Galilæorum* nomine contemptibiles, & expilatione iam facta templorum exosos; multis præterea artibus in Christianam religionem sensim insurgens. Contra vero Gentilium sacerdotibus g pristinos honores reddidit, omnisque generis immunitates decreuit. Et vbique iam abrogatis Constantii Magistratibus, aliisque ex animi sui sententia subrogatis: eandem omnibus rebus ad securitatem Imperii stabilitis, serio cœpit excogitare modos, quibus Christianam religionem funditus euerteret.

XIV. EPISCOPOS EXVLES REVOCAT.

a *Hier. adu. Lucif. lib. 2.* b *Socr. l. 3. c. 4.* c *Soz. li. 5. c. 2.* d *Theod. l. 3. c. 4.*

e *Soz. l. 5. c. 5.*

LABORAT PRO PACE ECCLESIÆ.

f *Ammia. l. 22.*

g *Soz. li. 5. c. 3.*

IESV CHRISTI AN. 362.

LIBERII AN. 11.

IVLIANI AN. 1.

ANNVS Christi trecentesimus sexagesimus secundus, Ecclesiæ admodum ærumnosus, Consules habuit Mamertinum atque Neuictam. Hicque est *Mamertinus* ille, cuius ad Consulatum indignissime (vt docet Ammianus *h*) adsciti, extat de Gratiarum actione oratio panegyrica, qua laudes noui Imperatoris adulatione nimis prædicauit. Cum vero ex more ab eodẽ Consule publica muneraederentur, eisq; interesset Iulianus Augustus, nuntiato *Maximi* Philosophi, quem literis ex Asia accersiuerat, aduentu: idem Imperator (inquit Ammian. *i*) exiliuit indecore: & qui esset oblitus, effuso cursu è vestibulo longe progressus, osculatum, susceptumque, reuerenter secum induxit, per ostentationem intempestiuam nimius captator inanis gloriæ visus. Erat hic Maximus philosophus Cynicus, idemq; magus, quo (vt alias dictum est) vsus in philosophicis facultatibus, præceptorem etiam habuerat impietatis: ideoque, quod ipsius diuinationibus Imperium acceptum ferret, ab eo totus pendit, & quem magis coleret habuit neminem vt ex variis eiusdem Iuliani ad eum epistolis, ipsiusq; Maximi Vita ab Eunapio descripta, satis apparet. Cæterum diuersus hic est ab illo alio item *Maximo Cynico*, qui sub Theodosio Imp. S. Greg. Naz. negotium Constantinopoli facessit: ille quippe patria fuit Alexandrinus: hic autem Smyrnæ natus, Ephesius dictus est, quod ibidem diutius egerit: quem nonnulli perperam Tyrium dixerunt. *Maximus* enim *Tyrius* cuius extant conciones, Philosophus fuit Platonicus sub Commodo, vt testis est Suidas.

MAXIMI CYNICI DVO.

Curauit præterea Iulianus, quos sciret eruditione clarissimos viros, eosdem ad se vocare. Nec Gentiles tantum sed & Christianos; atq; inter alios, *SS. Basilium ac Gregorium b Nazianzenum*, Athenis olim egregia eruditione sibi notos. Accedere vero ad illum, impietate iam vbiq; diffamatum, recusantes reiecit, neciq; (si licuisset) reseruauit. Sed de his postea. Cumq; qui agebat Constantinopoli tunc temporis *Cæsarius* frater eiusdem Gregorii, philosophicis facultatib. nulli secundus, iam antea à Constantino in Senatum cooptatus, ab eodem Iuliano Præfectura donatus esset Custodiæ Thesauri: idem tamen, procurantibus extrorsus Gregorio patre & fratre, in patriam se recepit: sed nobilissima auctus corona, de superato Apostata in certamine de fide cum eo publice habito: cuius historiam egregie descripsit idem ipsius Cæsarii germanus Gregorius *d*.

II.

a *Iulian. ep. 12. ad Basil.* b *Gr. Naz. or. 2. in Iul.*

IVLIAN. VOCAT BASILIVM ET GR NAZ.

c *Id. ep. 17.*

CÆSARII VICTORIA DE IVLIANO.

d *Id. orat. de fun. Cæs.*

At longe aliter *Ecebolius*, rhetor magni nominis; qui pro Principum religione e fidem mutans, cum sub Constantio Christianum simulasset, iam sub Iuliano Gentilitatem coluit: Idemque rursum eo mortuo ad Christianos rediens, ante portam ecclesiæ se pronum abiiciens sic clamauit, *Me quæsitalem insanientem pedibus conculcate.* Interea vero, quod iam ad Ethnicismum prolapsus esset, fuit Iuliano percarus *f*. Coluit præterea idem Augustus mirifice *Oribasium* Pergamenum, quo iam olim vsus erat medico: qui tantum quoque (inquit Eunapius *g*) in cæteris excelluit virtutibus, vt ad Imperium etiam Iulianum euexerit. Sed supra hos, alios q; eiusmodi plurimos, in honore habuisse videtur *Libanium*, celeberrimum huius temporis Oratorem Antiochenum, cuius scriptis *h* plurimum delectabatur: eundemque Quæstura insignauit: sicut & *Themistium* insignem Philosophum (quod tradit Suidas) Præfectura vrbis Constantinopolitanæ: cui iam antea Constantius i Prætoriæ insignia contulisset. Fuere præterea ei in pretio *Nymphidianus & Claudianus*, Maximi k fratres: ipsum vero Maximum delegit *l*, qui scriptas à se lucubrationes cognosceret, & pro arbitrio emendaret.

III.

SCHOLIA RHET. INCONSTANTIA.

e *Soz. l. 3. c. 11*

f *Vid. ep. Iul. 43. ad Ecteb.* g *Eunap. in Vit. Philos.*

h *Iulian. ep. 14. ad Liban.*

i *l. 2. C. Th. de Prætor.*

k *Eunap. ib.* l *Iul. ep. 18.*

Et hoc quidem laude dignum videri poterat in Iuliano, eruditorum virorum consuetudine delectari: nisi complures ex illis (vt superius dictum est, & cõfirmat Gregorius *m* Nazianzenus) sic foris Philosophos agerent, vt tamen magos intus gererent. Verum vt hæc quoque illi, Ethnico homini, & superstitioni addicto condonentur; sed quid cum Imperatore philosopho, lenones, meretrices, atque cinædi? Huiusmodi enim hominibus Palatium refertum fuisse, eosque secum vbique, cultus Veneris, ac religionis prætextu circumducere solitum Iulianum, non solum Chrysostomus *n* oculatus testis, cum Iulianus ageret Antiochiæ, itemque Gregorius *o* Nazianzenus affirmant: sed & ipse quoque Ammianus *p* Ethnicus auctor. Sacrificanti vero portenta sæpius accidisse, varii tradunt: & aliquando exta animalium coronatam Crucem edidisse, idem Gregorius *q* asserit, necnon Sozomenus *r* Nicephorus *s*, aliiq; recentiores. Aliquando etiam Christiani adolescẽtis, qui putabatur Gentilis, præsentia, quam horrerent Dæmones, victimarum immolationem impeditam omnino fuisse, territumq; sacerdotem corruisse, ac ipsum Iulianum præ metu solum aufugisse. Prudentius *t* tunc (vt ipse testatur) puer, versibus suis postea cecinit.

IV.

m *Greg. Naz. or. 1. in Iul.*

IVL. AMIANVLA RELATA MAGIA.

n *Chrys. orat. ad. Gent.* o *Gr. Naz. or. 2. in Iulian.* p *Am. l. 22.* q *or. 1. in Iuli.* r *Soz. li. 5. c. 2.* s *Nic. l. 10. c. 3.*

HORRINT DÆMONES PRÆSENTIAM CHRISTIANI.

t *Prud. in Apoth. cor. Inda*

I.

h *Am. l. 22.*

IVLIANVS MAXIMVM PHILOS. EXCIPIT.

i *Id. lib. 22.*

A a

V. PERSECVTIO IVLIANI DIVERSA AB ALIIS.

a *Iul. ep. 7. ad Artab. & 43. ad Eccb.*

b *Chryſ. ſerm. de SS. Iuuent. & Maxim.*

c *Aug. 18. de ciuit. 52.*

d *Greg. Naz. orat. 1. in Iul.*

e *Martyrol. Rom. & Menol. Gr. 16. Cal. Dec.*

VI. MVTAT LABARVM.

f *Soz. l. 5. c. 16.*

g *Habet Bar. Ann. To. IV. hoc an. accept. à Phil. Vignio Lotar.*

IVLIANI IMAGO INSTAR SERAPIDIS.

h *Vid. Lil. Girald. de Dijs Gent. Synt. 12. in fin.*

i *Hab. Bar. ex Lel. Paſqual.*

IMAGINIS IMP. CVLTV, TECTA IDOLOLATRIA.

k *Gr. Naz. or. 1. in Iul.* l *Theod. 3. hiſt. 16.*

VII.

m *Soc. l. 3. c. 11*

At hæc omittentes: vt iam de excitata in Christianos PERSECVTIONE agamus; ea longe dispar extitit ab aliis per Ethnicos Impp. illatis. Siquidem illi sanctis legibus, Christianos Dijs sacra facere acerbissimis pœnis impulerunt. Iulianus *a* autem colendi Deos vim nemini adhibendam esse putauit; tutus (quod in omnibus olim Persecutionib. contigerat) omnes ad martyrium, quasi ad alueartum apes (vt illum dicere solitum, testatur Chrysostomus *b*) volaturos, indeq; ex solito incrementa maiora Christianitatem sumpturam. Quapropter quod non exerto palam gladio furens persecutio, ob fidei Christianæ professionem grassata fuerit, idem Chrysostomus ait, in pace Ecclesiæ martyres sub Iuliano passos esse. Eademq; ratione, nec inter Persecutiones hanc recensendam esse, complures existimarunt: licet Augustinus *c* & Gregorius *d* Nazianzenus contrarium plane sentiant, ac probent. Itaque Iulianus violentiam maxime popularibus insolentiis relinquens, sibique partes suarum retinens: versute primum iussit, Christianos vel à professionibus suis publicis discedere, vel fidem abiurare; discessionem autem eligentibus, alias postea diuersas finxit causas, quibus eos variis subiiceret supplicijs. Hoc enim Chrysostomus & Gregorius, harum rerum inspectores affirmant; constatque ex Actis Martyrum, quos hoc tempore pati contigit. Addit vero Gregorius, eiusmodi persecutionis genere, domesticos maxime, atque milites exagitatos esse. Inter quos eluxit egregium *Helpidii*, insignis nominis Senatoris, qui anno superiori à Constantio Præfectura Prætorii decoratus fuerat, martyrium *e*: cum ob præclaram fidei confessionem, ficto tamen perduellionis crimine accusatus, primum equis indomitis, vna cum sociis, alligatus atq; pertractus: deinde in ignem coniectus est.

Labarum quoque, magnum illud & præcipuum Imperatorum Vexillum, ab eodem Iuliano mutatum esse, Gregorius tradit: sed distinctius Sozomenus *f*, Crucem inde, quam Constantinus apposuerat, ipsum abstuliſſe, & ad veterem Ethnicorum Romanorum formam reduxisse: dedisseque operam, vt in publicis imaginibus, iuxta ipsum Iulianum Iupiter depingeretur, velut è cælo coronam & purpuram ei præbens; Mars item & Mercurius in eum intuentes, & quasi testificantes quod vir esset tum dicendi arte, tum re militari præstans. Reperiuntur etiam nummi *g* antiqui, Iuliani vultum expressum habentes cum inscriptione Serapidis, tanquam ille ipse esset; cui à sinistris inhæreret effigies Isidis, (quibus imaginibus apud Ægyptios Sol atque Luna repræsentari solebant;) ex aduerso vero latere, gemina imago duplicem Isidem repræsentans; duas namque fuisse Isides nonnulli tradiderunt *h*, quorum sententiam hi nummi optime comprobant. Hoc autem non primus Iulianus aggressus est, vt Serapidi vultum suũ conformem redderet, sicut Commodus Herculi: sed more maiorum suorum, & potissimum Hadriani Imp. fecisse, antiquum *i* numisma docet, in quo effigiatum Serapidem simile Hadriano, coma excepta, quem in Serapide mysticum quid significabat, probe intelligi potest. Hæc autem imaginibus admiscere iussisse Iulianum Sozomen. ait, vt simulatione honoris Imperatori decreti, (Imperatorum enim imagines, Christianos quoque milites pro cultu, absque vlla idololatriæ labe honorare solitos, alias diximus:) latenter etiam venerari cogeret res vna depictas. Qua fraude plurimos deceptos, ac maxime in erogatione donatiui, quando incensum imaginibus Imperatorum offerri mos erat; paucos dolum intelligentes, nec suasionibus nec donis, nec minis eo impelli potuisse: & ex deceptis nõnullos resipuisse, ac dona referentes, magna constantia CHRISTVM confessos esse, ideoq; è militum numero exemptos, iniuriaq; affectos ac relegatos, idem Sozom. narrat, necnon Gregorius *k* Nazianzenus, atque Theodoretus *l*.

Cæterum Prætorianos potissimum, quibus salus ipsa Imperatoris concredita erat, Iulianum voluisse Deorum esse cultores, renuentes autem militia & honoribus priuatos expulisse, tradit Socrates *m*: interque illos claruisse insignem *Iouiani* ducis, ac *Valentiniani & Valentis* fratrum, confessionem: cuius mercedem, Imperium postea iidem omnes obtinuere. De Valentiniano vero & id specialiter obseruatur *a*, cum aliquando, cum ex officio (erat enim Prætorianorum Tribunus) Imperatorem præcederet, in fanum Fortunæ choreas ducentem, Ædituique aqua lustrali introeuntes expiarent: pugnis Ædituum ipso inspectante Iuliano cæcidisse, quod aquæ guttam suæ læuæ aspersisset: tantumque suæ vestis excidisse, quantum gutta madefecisset. Verũ tres istos Duces licet balthea deposuisse scribat Socrates *b*: affirmat tamen nequaquam militiæ gradu ab ipso Iuliano priuatos esse, quod tales agnosceret qui Reipublicæ plurimum inseruire possent. Sane constat Iouianum vna cum Iuliano in expeditione aduersus Persas militasse: idque permissum esse tradunt, ob spectatam parentis virtutem. At Valentinianum & Valentem Sozomenus asserit exulasse religionis causa Melitinæ Armeniæ ciuitatis; solutos autem exilio ab ipso Iouiano creato Imperatore. Hallucinatus tamen in eo videtur, dum id ait contigisse in Gallia; nam ibi dum fuit Iulianus, semper Christianum præstetisse, superius vidimus: sed & hæc omnia Constantinopoli ad ædem Fortunæ (quam in ipsa Regia Imperator statuerat) gesta esse, reliqui æque consentiunt.

a *Theo. l. 3. c. Soz. lib. 5. c. 9.* VALENTINIANI HÆRESIA CONFESSIO.

b *Socr. l. 4. c. 1*

Scribit insuper Sozomenus *c*, Marin Chalcedonensem Episcopum eidem Iuliano in eodem Fortunæ fano sacrificanti, publice impietatem exprobrasse: cumque Iulianus ei solam cæcitatem probri loco obiecisset, (ob grandem enim senectam, suffusione oculorum laborabat:) irridensque dixisset, *Non te Galilæus tuus sanabit*, Marin respondisse, *At ego gratiam Deo meo habeo, quod cæcus sum: ne te, qui à pietate exciderit, oculis aspiciam*: Imperatorem autem, patientiam & mansuetudinem simulantem, nullo dato responso eum prætertisse. Sed id dolendum, quod egregium senis facinus obscuretur Ariana ipsius professione; qua Acacio iam etiam tum inhæsisse, constat ex eodem Sozomeno *d* atque Socrate *e*. Cæterum in Iuliani mansuetudinis laudem plura Ammianus *f* adducit: sed quem adulatum esse Principi, potius quam puræ consuluisse veritati, satis perspicuum reddit, quod de Iuliani [illegible] iucunditate, atque insano furore, maxime vero in Christianæ fidei cultores, pluribus prosequitur sincerissimus veritatis scriptor Gregorius *g* Nazianzenus, qui horum [illegible] probe cognitum habuit, & quæ à fratre suo [illegible] accepit, summa fide conscripsit. In quam etiam sententiam, Nectarius Episcopus Constantinopolitanus, ea oratione *h* quam habuit in exordio Quadragesimalis Ieiunii, plura habet de tyranni immanitate, & illatis eius voluntate crudelissimis necibus, & horrendis antiquorum cruciamentis recenti vsu iterum in Christianos innouatis, puta ventris & viscerum sectionibus, virginum publicis verberationibus, oculorum effossionibus, dentium eiectionibus, linguarum & manuum præcisionibus, tibiarum confractionibus: excogitatis & adhibitis craticulis, lebetibus, subulis, sartaginibus, ita tamen vt eiusmodi supplicia alio potius quouis titulo, quam religionis, ingeri fingerentur.

d *Id. l. 4. c. 23.*
e *Socr. l. 2. c. 35*
f *Amm. l. 22.* IVLIANI ARCANA ERROR.
Gr. Naz. or. 2. in Iul.

Nec vero diuersas excogitare destitit artes, quib. posset absq; publicis quæstionibus populum idololatriæ reddere sequentem. Quare cum primo (vt vidimus) in erogatione publici donatiui, thuris oblatione fidem totius exercitus explorasset, nouo iam dolo vrbem ipsam Constantinopolitanam aggressus est pertentare: dum auspicantibus Christianis consueto animi ardore solemne Ieiunium Quadragesimæ, cuncta cibaria quæ venum publice in foris exponi solerent, sacrificiis Deorum polluit, vt sic illi cibis cogerentur vesci immolatitiis, aut fame confici. Sed cum iidem diuina Theodori martyris reuelatione admoniti, loco panis cocto frumento vti cœpissent: (ditioribus summa alacritate egenis hac necessitate subuenientibus:) eo facto victus Iulianus, desperansque optata consequi, cibos ab omni labe puros foris vt antea apponi iussit. Placuit vero Fidelibus, vt in memoriam tam gloriosæ de Apostatæ impietate partæ victoriæ, & in honorem Theodori martyris, anniuersaria die ciues Constantinopolitani coctum frumentum erogarent in pauperes. Quam historiam egregie descripsit idem qui supra Nectarius Episcopus: ex

h *Ext. ap. Lipom. tom. 5. ex Metaphr. 17. Febr.*

VIII. MARIS EPISC. ARIANVS RESISTIT IVLIANO.

X. CONSTANTINOP. CIVES INQVINAT IDOLOTHYTIS.

quo

quo redarguas eos, qui hæc Antiochiæ gesta esse tradiderunt. Quid autem Antiochiæ contigerit, dicetur postea.

X. De Iuliano insuper tradit Suidas *a*, ab eo terra obrutum sanctissimum Crucis signum, quod Constantinus in capite simulacri vrbis Constantinopolitanæ, felicitati eius significandæ, exsculpserat: ne scil. Christi virtuti tribueretur gloria amplissimæ ciuitatis. Quod autem illic natus esset, in vniuersos conciues suos voluit videri munificus; adeo vt à priuilegiis concessis nec Christianos excludi voluerit *b*. Auctor q; est Zosimus *c*, ipsum eandem natalem patriam maximis incrementis fultam, Senatu quoq; ad æmulationem Vrbis Romæ, portu pulchertimo Sigma literæ formam referente, Bibliotheca in Regia constructa, aliisque ornamentis decorasse.

a *Suid. verb.* ΣΙΓΝΥΜ ΣΤΑΥΡΟΥ ΟΒΡΥΤ.

b *Iul. ep. 11. ad Byzant.*

c *Zos. lib. 3.*

XI. Iam vero cogitans bellum Persicum: atque hiemare statuens Antiochiæ cum exercitu, iter eo dirigens, (quod exacte relegit Ammianus *d*) primo transgressus fretum, Chalcedonem ex aduerso littore positam venit. Vbi nactus Legatos, à Rege Persarum Sapore (non Alemundato, vt eorundem martyrii Acta habent) missos, *Manuel, Sabel, & Ismael*, quod Christiani essent (vt ait Nicephorus *f*) contra ius gentium ignominia affecit. Quinimmo neci traditos, eadem illorum Acta significat: eo nimirum prætexto, quod inuitati ad sacrificium, magnis animis renuissent; vnde in eos, tanquam impios, & numinum Persarum, Solis, Lunæ, & Ignis contemptores, quasi vindex legum Persarum iussit animaduerti, decimo quinto Calendas Iulii, qua die eorum memoria tam apud Græcos quam Latinos in Ecclesia celebratur. Ex his vero redarguas Zosimum, dum ait Iulianum decem menses Constantinopoli commoratum esse, videlicet vsque ad tertium Iduum Octobris. Id enim & ex ipso Ammiano mendacii conuincitur, dum ostendit eundem Iulianum mense Octobri iam Antiochiam peruenisse, cum multo tempore in ipso itinere pluribus in locis subsitisset. Porro Chalcedone Iulianum venisse Nicomediam, atque vrbis (in qua ab Eusebio educatus fuerat Episcopo, quem genere longius contingebat) ingentem ex tremore terræ desolationem deflesse, testatur Ammianus: indeque per Nicæam in Galaciam processisse.

XI. *d Am. l. 22.* LEGATOS PERSARVM IMPIE NECAT. *e Ap. Metaph. 17 Iunii.* *f Nic. Lio. c. 11*

XII. Sed antequam eo peruenisset, Cæsaream Cappadociæ diuertisse, Sozomenus *g* docet, eamque ex numero ciuitatum deleuisse, & Cæsaris priuasse nomine, quod obtinuerat regnante Claudio, cum antea Mazaca diceretur. Siquidem in ciues infensissimus erat, tum quod fidei Christianæ tenacissimi essent professores, tum quod olim fana Iouis vrbis patroni, & patrii Apollinis diruissent; nuperrimeque templum Fortunæ, quod solum eo regnante superarat, euertissent. Quamobrem omnem pecuniam & supellectilem Cæsareæ confinium ecclesiarum, inuestigatam afferri, & insuper trecentas libras auri ærario publico solui; clericosque omnes in numerum militum adscribi, ac Christianos vniuersos vna cum vxoribus & liberis in censum redigi, atque tributa pensitare iussisse: minatum quoque, nunquam se ab affligenda ciuitate temperaturum, nisi delubra idolorum quamprimum de integro extruerent. Hæc Sozomenus. Addit vero Gregorius *h* Nazianzenus, quod cum ob eandem Fortunæ templi demolitionem, promiscua Gentilium plebs furenter in Christianos impetum fecisset, multaque cæde perpetrata, plura etiam comminaretur; ideoq; gentis Præfectus media quadam via inter temporis tyrannidem & leges incedens, multis Christianorum abductis, de nonnullis etiam Gentilibus supplicium sumpsisset: eundem Iulianus eam ob rem Præfectura ignominiose abdicatum, expulerit in exilium. Cæterum ne tam nobilis Ecclesia, tot certaminib. erecta, martyrii corona priuaretur; præter hæc idem Iulianus eiusmodi Deorum suorum contumelias vlciscivoluit, cum nece complurium aliorum qui templi diruti oni manus admouissent, tum nobilissimi ciuis *Eupsychii i*, nomen reddentis antiquioris martyris *Eupsychii*, qui sub Hadriano passus ibidem fuerat.

XII. *g Soz. l. 5. c. 4.*

VEXAT CAESARIENSES.

h Gr. Naz. or. 1. in Iul.

i Soz. l. 5. c. 10. Menol. & Martyrol. 9. April.

XIII. Quo eodem tempore in cæteras pariter Cappadociæ ecclesias grassante per milites Iuliano, vt eas sibi adiunge-

QVID NAZIANZI.

ret; quæ nobilissime nuper Nazianzi erecta fuerat, ab illius ciuitatis Episcopo, Gregorio nomine, quantumlibet senio confecto, ab immissis militibus fortiter liberata est: vt rem gestam fusius describit sæpissime citatus, eiusdem Gregorii filius, Gregor. *a* cognomento Theologus, vulgo Nazianzen. nuncupatus. Qui & aliam subdens historiam de electione Archiepiscopi Cæsarien sis, tunc facta cum in ea ciuitate Iulianus esset; ait, cum de ea inter se contenderent Cæsarienses, tandemque plebs tota vno consensu Eusebium quendam nobilitate & probitate clarum, sed adhuc catechumenum, inuitum licet in sede collocasset, & Episcopos qui ad electionem conuenerant, coegisset illum baptizare, & Antistitem pronuntiare, his iisdem Episcopis paulo post eam institutionem, vt minus legitimam, abrogare cupientibus, in eaque re à Iuliano ipso, & Præfecto prouinciæ, infensis Eusebio, adiutis; solum Gregorium seniorem se illis omnibus opponentem, & Præfecto magna constantia obnitentem, Imperatoris repressisse impetum, & ciuitatem periculo, Episcopos infamia liberasse.

a *Gr. Naz. or. in sun. patr.*

XIV. DE BASILII ET GREG. NAZ VITÆ INSTITVTO.

Quod vero ad hanc quoq; rem pertinet; accidit post hæc, vt monachi, quibus in illis partibus præerat Sanctus Basilius, tam æmulatione quadam in eundem nuper electum Eusebium, qui cum Basilio simultatem aliquam exercebat, quam quod eundem suum ipsorum principem Basilium prouehere studerent; sese ab Eusebii communicatione diuellerent, partemque populi facili negotio ab eo distraherent, cum ob tumultum in Eusebii electione coortum, qui eam ciuitati iam suspectam reddebat, tum ob magnam Basilii apud omnes venerationem: qui eum iam antea, post relictas Athenas, altius *b* vitæ genus animo spectans, instituta monachorum cognoscendi gratia, Ægyptum, Palæstinam, Syriam, & Mesopotamiam perlustrasset, eorundemque inflammatus exemplo, reuersus in patriam, idem viuendi genus consectatus esset: demum post sanctos libros in ecclesia populo lectos, & explanatos, presbyter ab Hermogene Episcopo Cæsariensi, istius Eusebii prædecessore factus fuerat. Verum Basilius corpus Ecclesiæ lacerate fugiens, simulque consultore eodem Gregorio Iuniore cognomento Theologo, fido & amantissimo sodali, (qui & ipse *c* eodem ferme tempore, à patre Gregorio inuitus presbyter ordinatus fuerat) vna cum illo in Ponticas secessit solitudines: vnde à suis Cæsariensibus literis reuocatus, apologeticam dedit de sua secessione epistolã *d*. Quę quidem cum nonnisi post creationem Eusebii accidisse, ex ipso Gregorio *e* constet: erroris arguitur Gregorius presbyter in Vita eiusdem Gregorii, dum id ait contigisse sub Constantio. Sicut & iam alibi corrigendum monuimus Ruffinum *f*, vbi dixit Basilium è cathedra publice profitentem, per ipsum Gregorium perductum fuisse in solitudinem. Namque Gregorium peruenisse ad Ponti eremum, ab ipso Basilio ibi iam commorante sæpius vocatum, ex ipsiusmet Gregorii ad eum redditis literis *g* habetur manifestum.

b De his vide ipsum Basil. ep. 79. ad Eustach. in qua vitæ suæ vsq; ad hoc tempus veluti epitomen texuit & Gr. Naz. orat. in laud. Basil.

Vid. Greg. Naz. ep. 11. ad Basil. & car. de vit. sua.

c Basil. ep. 141 Gr. Naz. or. in laud. Basil.

f Ruff. l. 2. c. 9.

Sed vt successionis vtriusque certior ratio habeatur, quantum ex epistolis vltro citroque datis colligere licet; illud imprimis reperimus, Gregorium primo secessisse in rus paternum nomine Arianzũ, locum sui natalitii, in ea Cappadociæ regione situm quę Tiberina *h* dicebatur: eodemq; tempore Basilium, ob tumultus occasione Eusebii motos, Cęsarea recedentem, Neocęsaream primariam Ponti ciuitatem, vbi à cunabulis assueuerat, quasi ad portum confugisse, inde in proximam migraturum eremum, cui nomen Matazæ *i*, ad ripam iucundissimi fertilissimiq; fluminis Iridis. Cumq; ipse eo inuitaret Gregorium, hicq; è contrario eum in Tiberinam regionem allicere conaretur: tandem aliquibus hinc inde pro vtriusq; loci præstantia datis literis *k*, dulcedine magna, & salsis festiuisq; iocis, perincundo lepore conditis: cum nihil penes Gregorium antiquius esset, quam ipsum Basilium conuenire, incunctanter id præstitisse. Qui quidem adeo modico temporis internallo post Basilium eandem Ponti solitudinem petiit, vt vna cum illo eo se profectum esse testetur in oratione, quam postea in laudem eius habuit.

g Gr. Naz. ep. 4. & seqq.

XV. PROFICISCVNTVR IN EREMVM.

h Nicet. in Gr. Naz. orat. in plag. grand.

i Basil. ep. 79. 120.

k Ap. Greg. ep. 6. & 7.

XVI. SIORSVM IN EREMO AGVNT.

Cæterum quæ trib. seqq. art. habentur de Basilio & Gregorio extant apud Bar. an. seq. sed nobis satius visum est superioribus adnectere quod eiusdem sint argumēti nec certo distinguantur tempore

a *Ibid. ep. 11.*
b *Basil. ep. 79.*
c *Greg. ep. 8.*

XXVII. d *Basil. ep. 79.* ADMIRANDA MONACHORVM PONTI VITA

BASIL. SCRIBIT REGVLAS MONAS.

e *Ruff. l. 2. c. 9.*

Quamuis porro in eadem ambo degerent eremo, separata tamen ab inuicem tuguria habitasse, instar monachorum Ægyptiorum, quos nominabant Anachoretas: certum deducitur argumentum ex breui illa epistola *a* eiusdē Gregorii ad Amphilochium in eadem eremo commorantem. Ex qua detegitur pariter arreptum ab illis austerum vitæ propositum: quippe qui adeo sterilem delegissent locum, vbi nec oluscula suppeteret abundantia. Aderat tamen ipsius Basilii mater *Emmelia*, sanctissima femina: quæ olim cum viro suo, item Basilio nominato, tempore persecutionis Maximini pro fidei confessione facta extorris, ad hæc vsq; tempora superstes, nihil veritæ sexum aut ætatem, filium Basilium in eremum secuta est: sed quod monasticæ vitæ instituta non paterentur, vna cum filio ipsam degere: in villa trans fluminis ripam sita habitare delegit *b*: indeq; iisdem Basilio & Gregorio fame enectis *c* annonam suppeditabat.

Quale vero soleret esse diuersorum monachorum illic agentium, admirandum illud quod Basilius *d* prædicat vitę institutum, ex his quæ Gregorius in vnum collegit, vniusq; complexus epistolæ ad Hellenium breuitate, intelligi potest: in qua admirandas videas quorundam austeritates, & abstinentias: quas & rursum commemorat in epistola ad Iulianum Tributorum Exęquatorem, & in tractatu de Calamitatibus animæ suæ. Sed & Basilius in secunda allocutione ad monachum lapsum, enumerat ferme omnes vitæ monasticæ asperitates, quibus ipse atq; Gregorius, sicut & alii, assueuerant. Cæterum idem Basilius in eadem eremo diuino afflatus Spiritu, *Regulas*: illas vere aureas (quæ adhuc extant) monasticum instituturum arripientibus pie sancteq; præscripsit: ex quibus cæteri qui postea vixere sanctissimi Patres, monachorum Institutores, disciplinam hauserunt. Quod autem Rufinus *e* agens de amborum in eremo consuetudine, partitisque inter eos officiis, tradit Basilium Ponti vrbes & rura circumire solitum, desideſq; gentis illius animos ad rerum cælestium contemplationem accendere, & ad monasticæ vitæ cultum excitare, Gregorium vero meditationi magis deditum, animam suam exercitiis indesinentibus excolere: quam vere hæc, & alia eiusmodi dicat, ipse viderit. Nam in ipsorum epistolis, vno eodemq; spiritu, parique studio, iisdem ambos occupatos exercitiis perspicere licet.

XVIII. BASIL. IN EREMO EXAGITATVR CALVMNIIS.

Rursum autem dum in eadem Pontica solitudine Basilius versaretur, licet (vt dictum est) è fluctibus maris videri posset ad tutum portum nactus esse confugium: haud tamen desiuit exagitari procellis, nec quidem leuibus. Cum enim eo tempore decessisset Musonius, insignis pietate Neocæsarienſis Episcopus, & vniuersæ ciuitatis essent in deligendo ei successore Basilio propensiora studia: accidit vt qui se in eam Ecclesiam intrudere conabantur hæretici Sabelliani, eundem Basilium ambitionis, rerum nouarum cupidinis, fideique desertionis accusarent: contra vero se Magni illius Gregorii Thaumaturgi, primi Neocæsarienſis Ecclesiæ Antistitis, doctrinæ sectatores iactarent. Qua arte Neocæsarienses, primogenitoris sui Gregorii studiosissimi, hæresi Sabelliana infeliciter potati, in eam pariter corruerunt erroris foueam, vt Basilium, quem sibi expetiissent dari Episcopum, acerbissimo odio fuerint insectati. Quod cum Basilius persensisset, magno de peruente populo dolore confectus, apud quem sub Macrina sanctissima femina auia sua, prima fidei rudimenta percepisset, ad eosdem

f *Basil. ep. 63.*

Neocæsarienses apologeticam scripsit epistolam *f*, qua se ab illatis calumniis penitus expurgauit, fraudesque Sabellianorum detexit; atque insuper de institutione Monastica, deque Vigiliis, & ritu Canendi psalmos, (quarum rerum causa grauem ab hæreticis patiebatur calumniam, quasi earum ipse recens extitisset inuentor:) pleniſſimam attulit rationem, dum id genus vitæ & disciplinæ docet iam ante in vniuersa Catholica Ecclesia fuisse latissime propagatum. Ad calumniam vero de Episcopatu Neocæsarienſi ab eodem expetito, sequenti ad eosdem data respondet epistola: qua pariter illos hortatur, vt relicta Sabellianorum impietate, Georgii Thaumaturgi, aliorumque subsequentium Episcoporum, doctrinæ ac traditioni adhærerent. Cæterum quanto tempore in eadem solitudine perseuerare tum ipsi, tum etiam Gregorio licuerit, dicetur suo loco: nunc ad Iulianum redeamus in Christianos debacchantem. Cuius in omnes furor cum non possit simul eadem narratione concludi, discretione prouinciarum ipsum dicendi ordinem distinguemus.

XIX. IVLIANI PERSECVTIO IN GALATIA.

a *Soz. l. 5. c. 10. Martyrol. & Menol. 11. Cal. April.*
b *Soz. l. 6. c. 4.*

Ac primo in vicina Cappadociæ Galatia, *Basilius a* Ancyræ presbyter, (nobilis sub Constantio, fidei Catholicæ aduersus Arianos confessor) quod Christianos ab idololatria auerteret, post multa tormenta martyrium sustinuit. Porro diuersum hunc esse à Basilio illo, eiusdem Ancyræ ciuitatis Episcopo Ariano, auctoritate Sozomeni *b* demonstratur dum asserit, Basilium Episcopum, post obitum Iuliani, sub Iouiano recantantem palinodiam, Nicænæ fidei subscripsisse. Cui adnectendus *Basilius* hæreticus Enckratita, qui in eadem ciuitate Ancyra sub Iuliano tormenta & vincula *c* mira constantia passus, (omnes enim cuiusuis sectæ Christianos Iulianus in se prouocauerat: adeo vt & ipsi hæretici ei obniti magnis animis sæpe studuerint:) ad Imperium vsque Theodosii vitam propagans, damnata priori hæresi, in pace Ecclesiæ Catholicæ requieuit. Et in eadem Galatia *Philoromus d* presbyter, idemq; summæ abstinentiæ monachus, Iuliani iussu, caluitie ei prius facta, dire à pueris verberatus est: sed superstes permanens, post etiam piis per Orbem ad loca sancta peregrinationibus illustrior est redditus.

c *Id. ibid.*

d *Pallad. in Lausiac.*

XX. IN PHRYGIA

Ex Galatia Pessinuntem Phrygiæ ciuitatem, memoria Matris Deûm apud Ethnicos celebrem, venisse Iulianum; ibique venerato numine, hostiisque litato & votis, Ancyram rediisse, scribit Ammianus *e*. Porro eunden. Iulianum Matris Deûm sacris à se restitutis præfecisse sacerdotem Calixenem, antea Cereris sacerdotio insignitam, summe laudatam inter Ethnicas mulieres, epistola *f* eiusdem ad ipsam ea de re scripta testatur. Duos autem *adolescentes* Christianos, ob eandem Deum Matrem contumelioſe vexatam, aramque dirutam, in iudicium vocatos, insigniter ei, eiusque ministris illusisse, Gregorius *g* Nazianzenus scribit: dum, vt ait, alter purpuram Iuliani, ac sermones eius vt inanes & futiles effuso risu prosecutus est: alter cum vnguis toto corpore altissime impactis laceratus esset, solamque tibiam haberet vulnerum expertem, carnifices vt ne huic quidem parcerent hortatus est. Quo eodem tempore, in eiusdem Phrygiæ ciuitate Meii, *Macedonius*, *Theodulus*, *& Tatianus*, ob confracta idola, post multa alia dira cruciamenta, craticulis impositi, martyrium consummarunt, hæc postrema verba ad Præsidem elocuti: *Si cupiditate duceris carnes assas degustandi, verte nos in altera latera, ne in ipso gustu tibi semiassi videamur.* Et Cyzici *h* in Propontide, Eleusius Episcopus (licet inter Semiarianos profitens) in carcerem conclusus est, quod Gentilium fana vastasset, ipsosque Gentiles ad ritus patrios contemnendos induxisset. Idemque postea, vna cum aliis clericis, vrbe pulsus est: illud caute excogitante Iuliano, vt cum Antistites ac clerum vrbibus exegisset, reliqui Christiani conuentibus & doctoribus priuati, diuturnitate temporis in suæ ipsorum religionis obliuionem venirent. In Thraciæ quoque vrbe Hadrianopoli, *Philippus i* Episcopus, aliique cum eo, post carceres & flagella, incendio cremati sunt. Et Dorostori in Mysia *Æmilianus k* parem iucurrit pœnam, quod idolorum simulacra confregisset, & sacrificia dispertisset. Factum est enim, vt cum impudentia Iuliani in restituendo Deorum cultu vbiq; feruesceret, Spiritus Domini ad eam retundendam complures passim Ierobaales *l* aris destruendis armauerit.

e *Amm. l. 22.*
f *Iul. ep. 22.*
g *Greg. orat. 1. in Iul.*

IN ALIIS PROVINCIIS.

i *Menol. & Martyrol. 11. Cal. Novemb.*
k *Theod. l. 3. c. 6. Hier. in Chron. Mart. & Menol.*
l *Iud. 6.*

Porro cum Antiochiam peruenisset, primo quidem ab omnibus benignissime exceptum fuisse, sed mox philosophicam eius austeritatem portentosis quibusdam dicteriis punctam esse à populo, Zosimus *m* tradit: ipsum autem non facto se vltum, sed tantummodo oratione facta tam in ipsos, quam vrbem composita, magnam in se cum irrisione acerbitatem continente. Verum tradit Ammianus eum nihil aliud ea adeptum esse, nisi quod illos ad eadem crebrius inculcanda, & alia addenda, prouocarit. Vocauit aũt eam & *Misopogonem*, *& Antiochicam*: hoc quidem posteriori

XXI. VENIT ANTIOCHIAM.

m *Zos. l. 3.*

nomine

nomine Dionem Chrysostomum, alioſq; imitatus, qui ex locis vbi dictæ essent, nomen apposuerunt orationib. suis: Misopogonem vero, hoc est, Odium Barbæ, quod cum Antiocheni Christiani contemptum ab ipso diuinum numen aliter vindicare non possent, multis eum deridentes scommatibus, à vultus specie ac forma corporis, & imprimis à philosophica promissa & hircina barba, ludibrii argumentum aucupati essent. Ridebatur enim (ait Ammianus *a*) *vt Cecrops homo breuis, humeros ostentans angustos, & barbam præferens hircinam, grandiaque incedens, tanquam Oti frater & Ephialtis*, quorum procacitatem Homerus in immensum tollit. Inde quoque *Victimarius* dicebatur, & culpabatur, quòd facta licenter vehementius, atque mulierculis incederet: quæ ipse dicta coactus dissimulare pro tempore, ira sufflabatur interius. Sed hæc de barba, & alia quædam, eidem iuniori, & in Gallus mutanti, ab aulicis Constantii obiectari solita, idem auctor *b* ierib; à quibus (inquit) *Capella non homo, loquax talpa, purpurata simia, literio Græcus*, & alia id genus appellabatur. Quo simili ludo, *Idolianum, & Pisæum, & Adonæum, & Tauricrenium*, à multis vocari solitum, Gregorius *c* Nazianzenus tradit: videlicet à cultu idolorum, & Iouis Pisæi qui colebatur in Elide: atque ab Adonidis festis, quæ ipse cum mulierculis Antiochiæ celebrabat: denique ab immolatione taurorum: in qua quidem tam creber fuit, vt illum asserat Socrates *d* iussisse aram & taurum in quodam numismate incidi; alioque rursum numismate taurum insculpsisse, qui mundum cornibus expugnaret. Cæterum hæc & alia his similia, publica voluisse oratione refellere, & contra vulgi blaterationes disserere; nec philosophi quidem, nec Imperatoris fuit officii: quorum alterius id fuisset muneris contemnere, alterius dissimulare, & alia occasione populum ad seria quæque cogitanda compellere. Effecit porro illud egregie, vt quæ iactata in auras inanes, si non aliter, temporis saltem spatio obliuione delenda forent: ex ea ab ipso conscripta oratione, remanserint monumentis perpetuis consignata.

a *Am. l. 22.* DICTERIA IN EVM.

b *Id. l. 17.*

c *Gr. Naz. or. 2. in Iul.*

d *Socr. l. 3 c. 15*

XXII. QVERELÆ IN ANTIOCHENOS.

Eadem vero sua oratione grauiter inter alia expostulauit aduersus Antiochenos, quod subobscuris quibusdam dictis ipsum execrari, & Constantium in eius impietatis vltionem expetere declararent: itemque quod ad sepulchra Martyrum preces ad Deum frequentarent, vt ab eius eriperentur tyrannide: necnon quod clamoribus eum impetierent, cum ecclesiam templa adeuntem. Sed quo maxime commotum se testatus est, illud fuit, quod Antiochenorum (vt ait) in Deos impietate, Apollo famosissimum toto Orbe Daphnitem cum templum, in suburbio ciuitatis constructum, deseruisset, & mutus prorsus redditus esset. Sed quod ad rem illam attinet; cum multi auctores, qui eodem sæculo res gestas Iuliani scripsere, de illa egerint, vnus nobis pro cunctis sufficiat Ioannes Chrysostomus, qui sanctitate & doctrina cæteros antecellens, fidem etiam maiorem inde sibi meruit, quod & patria Antiochenus, & licet tunc adhuc puer, tamen cuncta præsens inspexit; ac luculenta postea oratione in Gentiles conscripta, testes complures adhuc viuentes, ad redarguendum siqua minus vere scripsisset, prouocauit.

XXIII. e *Chrys. orat. cont. Gent. t. 5.* OBMVTESCIT IDOLVM, OB RELIQVIAS MARTYRIS.

Is igitur diffusissime hanc historiam eadem oratione *e* tractans, agensq; primo de translatione corporis *S. Babylæ* martyris & Episcopi Antiocheni in Daphnem lucum, facta olim per Gallum Cæsarem; ait, Babylam non statim è templo Dæmonem eiecisse, sed obstructo ore ortosum reddidisse, adeo vt ab illo tempore nullum oraculum, vti consueuerat, ederet. Eius autem silentii causam primo existimatam esse, quod iam non amplius sacrificiorum particeps fieret: sed cum à Iuliano, antiquum victimarum cultum restituente, magna instantia de reddendo oraculo inquietaretur, violenta necessitate conuictũ respondisse, Daphnẽ cadaueribus scatere, id que oraculum arcere, quo audito, Imperatorem, qui hæc optime nouerat intelligi de Reliquiis S. Babylæ, confestim earum capsulam inde deturbari iussisse: eandemque à Christianis magno honore in ciuitatem reductam esse. Hæc Chrysostomus. Addit vero Sozomenus *f*, eiusmodi translationem factam fuisse ingenti populi frequentia, atque psalmorum cantu: cumque

f *Soz. lib. 5 c. 18. 19*

Christiani idem repeterent hunc versum *a*, *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis*: exandescentis Imperatoris mandato, multos in vincula fuisse coniectos: Inter q; alios *Theodorum* adolescentem; cui cum in equuleo & tormentis *b* diuinitus Angelus præsto esset, doloris morsus sedans, sudoresque abstergens, & frigida ardorem restinguens; ideoque ipse eundem versum alacrius cantaret: inclita eius constantia ad Imperatorem delata, ipsum consilio habito, ne & maiori ludibrio haberetur, ac Christiani plus inde gloriæ colligerent, omnes liberos dimisisse.

a *Psal. 96.* MAGNIFICA TRANSLATIO RELIQVIAR. S. BABYLÆ.

b *Soz. ibid. Socr. l. 3. c. 16. Ruff. l. 2. c. 36.*

Quod vero Iulianus infensus in Babylæ ossa, non ea diiici aut comburi iussent, sed cum honore in ciuitatem reduci permisserit; id inde accidisse ait Chrysostomus, quod exterritus esset prodigiis, quæ præcessissent aduersus ipsius auunculum, Iulianum item nomine, Præfectum Orientis, & Felicem Præfectum Ærarii, ambos olim Christianos, sed in gratiam Imperatoris Apostatæ factos desertores. Qui cum simul ambo, vna cum aliis, iussu Imperatoris ingressi essent Dominicum Aureum (ita nominatam ecclesiam Antiochenam, à Constantino Magno & Constantio, vt vidimus, ædificatam) ad vasa sacra auferenda, omnesque clerici aufugissent, præter Theodorum presbyterum thesauri custodem: hunc idem Iulianus Præfectus, quod nollet thesaurum indicare, verberibus cæsum, aliisque tormentis exagitatum, demum securi feriri iussit: idemque sacrilegia sacrilegiis addens, per contumeliam aduersus sacram mensam iunxit, atque Euzoio eum prohibere conanti colaphum impegit, ac denique supra vasa sacra, inuersa, & super pauimentum extensa, impuriisque manibus contacta, sedit. Felix vero magnificentiam eorum conspicatus, *Ecce*, inquit, *quam sumptuosis vasis filio Mariæ ministratur.* Sed haud diu fruit eos diuina vindicta de tantis sceleribus exultare. Siquidem Iulianus verendis atque visceribus putrefactis, non amplius per eas partes excrementa valens egerere, sed ea per sceleratum os, instrumentum blasphemiæ, enomens, misere periit. Felix autem diruptis visceribus, sanguinis ex ore profluuio derepente extinctus est. Hæc, & alia eo spectantia, plurib. Chrysostomus *c*, Sozomenus *d*, Theodoretus *e*, & alii *f*: Idq; ipsum de vtroque eodem Præfecto Ammianus *g* breuissime perstrinxit. Sed & Elpidium Comitem rerum priuatarum, & ipsum ex Christiano factum desertorem, qui Iuliano atque Felici comes extiterat in direptione vasorum sacrorum, infelicissime diem extremum clausisse, Nicephorus *h* tradit. Quod autem spectat ad tempus supplicitorum eorundem; cum ex sententia Chrysostomi ea spectantis, constet ante translationem Babylæ, & templi Daphnitici conflagrationem contigisse, iisq; admonitum Iulianum Imp. eiusdem Martyris reliquiis pepercisse; perperam ab Ammiano, & aliis, ordine præpostero recensentur.

XXIV. DIVINA VINDICTA IN CONTEMPTORES CHRISTIANÆ RELIG.

c *Chrys. orat. in Gent.*
d *Soz. l. 5 c. 7.*
e *Theod. lib. 3. c. 11. 12.*
f *Bed. in Martyrol. 23. Oct.*
g *Am. l. 23.*
h *Nic. l. 10. c. 29.*

Cæterum mox vt capsula Babylæ Antiochiam delata est eiusdem martyris precib. ignem in templum Daphnes cælitus demissum esse, testatur eadem oratione Chrysostomus; totumq; templi tectum exussisse, atq; ipso idolo in cinerem redacto, à parietibus & columnis prorsus abstinuisse: vt his ædificii reliquiis, tanquam vocalibus monimentis, Dæmonis impostura, Deorum imbecillitas, & veri Dei summa potentia, posteris manifestaretur: Post id vero incendium, cum Iulianus Imp. à Dæmonis sacerdote, nec vinculis, nec tormentis, vllum alium eius auctorem extorquere potuisset, quam ignem de cælo delapsum: hoc verum esse ab aliis crederetur, Christianos in eius rei crimen adduxisse, ac durissimam in eos quæstionem exercuisse. Qua etiam ratione Ammianus *i*, inter alias vulgo iactatas, qua recensetur eius conflagrationis causas, suspicionem pariter de Christianis inculcat: quidnis potius ad defensionem idoli cum Iuliano fingens, quam veram causam toto Oriente & Occidente notissimam admittens. Cum tamen & iusticos ipsos proxime habitantes, publice testatos esse, fulmen è cælo se vidisse super templum delatum; Theodoretus affirmet. Sed & *Artemius* dux, qui tum erat Antiochiæ, coram ipso Iuliano exprobrauit (vt habent ipsius Acta *k*) non ab hominib. fuisse templum incensum, sed igne cælitus misso. Hic olim sub Constantino Magno aduersus

XXV. CONFLAGRATIO TEMPLI DAPHNICI.

CHRISTIANIS AD CRIMEN TVRB.

i *Am. l. 22.*

k *Metaph. c Sur. 20. Oct.*

ARTEMII MARTYRIVM.

Maxentium tyrannum militans, videre cum aliis meruerat: CRVCIS signum, quod ei apparuit: postea iam senex à Constantio nobilissimis Præfecturis honestatus, missus fuerat nouissime in Ægyptum cum amplissimo magistratu. Inde vero prætextu expeditionis Persicæ, à Iuliano Antiochiam accersitus, cum eum reperisset de quibusdam Antiochenis presbyteris quæstionem habere: magna animi libertate eundem impietatis arguens, post vincula & tormenta varia, capite truncari iussus est: cuius illustre martyrium Ammianus Gentilium more obscurare conatus, atrocium criminum mole obrutum periisse ait. Ea vero non alia fuisse, nisi quod plurima Deorum simulacra confregisset, testis est Theodoret. *a*.

a *Theod. lib. 3. c. 17.*

XXVI.

Ex quo etiam, de iis quæ spectant ad Apollinis Daphnitici cultum, addimus corollarium *b* de adolescente filio sacerdotis eius templi: qui à muliere quadam Christiana diaconissa fidei rudimenta edoctus, impietatem abiurauit: & clam aufugiens, denuo à patre retractus est, ac dirissime castigatus: sed rursum confractis omnibus patris simulacris, ab eius custodia diuinitus liberatus, Hierosolymam ad Cyrillum Episcopum peruenit: indeq; post mortem Iuliani Antiochiam rediens, tandem etiam patrem ad veram traduxit religionem.

b *Id. c. 13. 14.*

FILII SACERDOTIS CONVERSIO.

XXVII.

Sed nequaquã iis quæ diximus contentus Iulianus, qui virtutem exhorruit Babylæ martyris, in cuius Reliquias neleuiter quidem peccare ausus est; in Martyres longe positos vindictam de templi conflagratione conuertere curauit. Siquidem tradit Sozomo. *c*, eum certiorem factum de ecclesiis quibusdam in honorem martyrum Mileti erectis prope Apollinis Didymæi fanum, scripsisse ad Præsidem Cariæ, vt eas incenderet, & solo æquaret. At minime Martyres, in quos ita sęuiit Iulianus, inultam suam reliquere iniuriam; quorum (vt videbitur) precibus, paucos post menses sublatus est. Cæterum iacturam famosissimi templi Daphnitici, ac dispendium oraculi celeberrimi, omnes æque luxere Gentiles: ac potissimum ipse restitutor Deorum Iulianus Apostata. Quamobrem Libanius Antiochenus Sophista, ob mœrentiam consolationem, threnos lugubremque næniam edidit: cuius aliquot S. Ioannes Chrysost. plane ridicula fragmenta recitat, refellitque: auctorem pariter, atque ipsam Ethnicorum superstitionem, lepide deridendam proponens. Sed & Iulianus furore in Christianos Antiochenos percitus, vt quoquo modo impietatis eos participes faceret, fontes omnes, qui in vrbe erant atq; Daphne, cunctaque cibaria quæ in foro exponebantur, sorde victimarum contaminauit, & aqua lustrali aspersit: quibus nihilominus Christiani, licet dolentes, vsi sunt. Narrat hæc pluribus Theodoretus. Porro fontes ipsos, sic sorde sacrificiorum inquinatos, subito in se resiliendo fugisse & exiccatos esse, quod nunquam antea contigerat, Chrysostomus *d* asserit. Etsi autem superius vidimus, Constantinopolitanos huiusmodi laudabiliter abstinuisse esculentis: haud tamen damnandos Antiochenos, idem Theodoretus auctoritate Apostoli *e* confirmat, *Quicquid in macello venditur, comedite, nihil interrogantes propter conscientiam.*

c *Soz. l. 5. c. 19.*

IVL. CIBARIA ET AQVAS LABE IDOLATRIÆ POLLVIT ANTIOCHIÆ.

d *Chrysost. in laud. Pauli hom. 4. tom. 1.*

e *1. Cor. 10.*

XXVIII.

Tunc quoque ibidem Antiochiæ, *Eusignius* miles emeritus, qui sub Constantino militauerat, annum agens ætatis centesimum decimum, cum Iuliano suam apostasiam exprobraret, & Constantini fidem; vt maiestatis reus, (quasi scilicet iuuentutem in Imperatorem sollicitaret) ab eodem amputari *f* capite iussus est. Eodemq; tempore *g*, glorioſum martyrium subiere duo illi insignes milites *Iuuentinus* atq; *Maximinus*, qui meruerunt egregia postea oratione à S. Ioanne Chrysostomo collaudari. Sicut & minus nomine *Porphyrius b*, cum vt Christianam religionem risui exponeret, baptismo per iocum initiatus esset, serio exinde Christum confessus, ac tyranni iussu necatus, martyrium feliciter consummauit.

MARTYRES ANTIOCH.

f *Menol. & Martyrol. 5. Aug.*

g *Theod. ibid.*

h *Martyrol. Rom. 17. Cal. Oct.*

XXIX.

Sed nec feminæ hac laude caruerunt. Inter quas enituit magno præconio veneranda matrona, nomine *Publia*: quæ secum habens chorum Virginum perpetuam castimoniam professarum, quandocunque Iulianus illac prætergrederetur, cum eis canebat illos potissimum psalmos, quibus debilitas simulacrorum scire derideretur. Illis autem contieęcere iussis, sed maiori alacritate perseuerantibus, iratus Imp. Publiam ad se adductam, per latellitem verberari, & genas manibus euentari iussit. Cæterum cum hæc narrans Theodoretus *a*, affirmet eam fuisse Ioannis matrem, ea apud Græcos sententia inualuit, vt fuerit parens S. Ioan. Chrysostomi. Quod tamen vix est vt stare possit: primo quod dicat idem auctor, Ioannem illum Publiæ filium, nunquam adigi potuisse, vt sedem Episcopalem capesseret: cum tamen constet, Chrysostomum fuisse Episcopum Constantinopolitanum. Deinde quod eandem matronam *Publiam* nominet; Chrysostomi vero mater *Anthusa* appellata tradatur. Deniq; quod dicat hanc Publiam anum fuisse iam ingraueſcentis ætatis; cum tamen appareat matrem Chrysostomi fuisse hoc Iuliani tempore iuniorem, ipsum vero Chrysostomum puerum. Quem enim vixisse annis quinquaginta duobus & mensibus octo tradunt omnes, obiisseque Honorio septimum & Theodosio secundum Coss. anno Domini quadringentesimo septimo; natum esse oportuit anno trecentesimo quinquagesimo quarto, Constantio septimum & Gallo tertium Coss. sicque hoc anno fuisse annorum ætatis octo: quem iterum liquet à matre genitum adolescentula, quæ anno suæ ætatis vigesimo orbata viro, magna cum laude in viduitate permansit; vt idem ipse testatur Chrysostomus *b*. Atq; hæc obiter de matre Chrysostomi: cuius patrem tradunt dictum fuisse *Secundum* nomine.

a *Theod. l. 3. c. 17.*

PVBLIA CVIVS IOANNIS MATER.

b *Chrysost. ad Vid. iunior. ep. 1.*

IO. CHRYSOSTOMI ÆTAS

XXX.

Verum præter hæc Iulianus grauibus Antiochenos affecit incommodis, ac in eo potissimum quod exercitum ad bellum Persicum comparatum ibidem in hibernis continuit; eiq; alendo adegit *c* ciues vili vendere annonam, quã ipsi caro ob penuriam pretio emissent. Sed & magnas ibidem ab eo factas clanculum cædes ciuium, nec non virginum puerorumq; sectiones, ad animarum euocationem, & diuinationem, nocturnaque sacrificia nefanda; referunt Gregorius *d* Nazianzenus, Chrysostomus *e*, ac Socrates *f*. Iste vero addit *g*; cum per id temporis Legati Persarum Antiochiam aduenientes, petiissent ab eo vt bellum palam denuntiaret; illum eos remisisse, hęc solum locutum *Me ipsum breui videbitis, & propterea Legatos hac de re ad vos mittere non est opus.* At de rebus Antiochiæ hoc anno gestis, iam satis.

IVL. VEXAT ANTIOCHENOS.

c *Socr. l. 3. c. 19.*

d *Greg. Naz. orat. 1. in Iul.*

e *Chrysost. orat. cont. Gent.*

f *Socr. l. 3. c. 21.*

g *Ib. c. 16.*

XXXI.

Vt autem & reliquas inuisamus Syriæ prouincias; imprimis Sozomenus *h* de Gazensibus Palæstinis Gentilissimo deditissimis tradit; cum ii nonnullos Christianos miserrime tractos per plateas & variis modis dilaceratos, crudelissime trucidassent, quod olim sacra ipsorum profanassent; id eiusmodi eorum factum Iulianum non solum laudasse, sed & Gazæ Præfectum magistratu abdicasse, quod seditionis & cædis auctores in vincula coniecisset: quippe Gazenses (vt asserebat) iustam causam habuissent vlciscendi iniurias, quas eis sæpe, ac diis, Galilæi illi intulissent. Pecuniariam namq; hoc fuisse Iuliano dictitare, & ad Præfectos rescribere, quotiescunque accideret Christianos à Gentilibus vi publica necari: docet quod id ipsum Gregorius *i* Nazianzenus refert de Cæsariensibus, cum Iulianus eadem Christianorum per Gentiles ibi factam derideret. Porro eodem quoque tempore magnum illum *S. Hilarionem* à Gazensibus, in quorum agro degebat, ad necem quæsitum in Siciliam profugisse, ibique ligna in desertis montibus collecta venditando victitasse, idem Sozomenus *k* tradit; variasque addit eiusdem ad diuersa loca peregrinationes, dum fugeret ibi commorari vbi frequentissima eius miracula innotescerent.

h *Soz. l. 5. c. 5.*

MARTYRES GAZENSES.

i *Greg. orat. 1. in Iul.*

HILARION FVGIT PERSECVTIONEM GAZENSIVM

k *Soz. c. 9.*

XXXII.

Quæ licet vera sint omnia: diuerso tamen tempore contigisse fugam Hilarionis è Gaza, à profectione eiusdem in Siciliam, Sanctus Hieronymus, qui eius res gestas exactissime est prosecutus, facile demonstrat: dum hoc Iuliani tempore eum petiisse Oasenam Ægypti solitudinem, atque demum ipso defuncto reuersum, profectumque in Siciliam tradit.

CVR QVAERITVS AD NECEM.

Quod autem tanto studio Gazenses eius necem expeterent, vt (sicut ait Hieronymus) destructo eius monasterio, precibus ab Imperatore morte eius impetrassent, & vt quæreretur toto Orbe scriptum esset: ea potissimum causa interceſſit, quod cum aliquando Italicus quidam nemi-

nomine, eiusdem vrbis municeps Christianus, & aduersus Gazensem Duumvirum Gentilem Circenses equos ex inolita Romanorum consuetudine nutriens, ab Hilarione remedium petiisset, quo aduersarii magicas incantationes, quibus suos proprios incitabat equos, Italici impediebat, eluderet: Hilarion cum hæc derideret, tamen rogatus à Fratribus, scyphum ei fictilem, quo bibere consueuerat, aqua plenum tradidit, qua cum Italicus suos equos rhedamque & aurigam aspersisset, idque aduersarius irridens diffamasset: tandem mira vulgi expectatione vter vinceret, aduolantibus Italici equis, aduersarii præpeditis, ingens factus est populi etiam Ethnici clamor, MARNAM (erat hoc idolum Gazensium, quod dicebant esse Iouem) victum à Christo esse. Vnde furentes aduersarii, Hilarionem tanquam maleficum ad supplicium poscēdi causam captauerunt, & cæteros pariter Christianos insectandi. Quo tempore fugam pleriſq; captantibus, id ipsum
a *Ibid. c.* 14. maiores quoq; suos fecisse, Sozomenus *b* tradit, quos & multum de pietate laudat: auumq; præcipue suum commemorat, quem in Scripturæ interpretatione excelluisse ait, humaniore quoq; litteratura non mediocriter institutum.

XXXIII. Sed & eo progressam esse eorundem Gazensium, atque finitimorum Ascalonitarum fæuitiam, Theodoretus *c* narrat, vt presbyterorum & virginum sacrarum ventres discinderent, & hordeo fatcientes porcis deuorandos obiicerent. Idemque ab Heliopolitanis Libano finitimis, & ab Arethusiis, in virgines sacras commissum, Sozomenus *c* affirmat. Et Gregorius Nazianzenus *d* addit, eosdem Heliopolitanos non porcis tantum carnes virginum exposuisse, sed etiam ipsos easdem depastos esse, & earum se hepatibus crudis ingurgitasse. Additque demum Theodoretus, eosdem recordatos facinoris *Cyrilli* diaconi, qui regnante Constantino multa simulacta confregisset, non modo eum interfecisse, verum etiam dissecto ventre iecur eius degustasse: huius tamen maleficii perpetratores, diuinas dedisse pœnas, dentibus, linguis, oculis amissis. Sebaste quoque in Palæstina, quæ olim Samaria dicebatur, *S. Ioannis Baptistæ* tumulum apertum esse, ossa dispersa, atque rursum collecta igne cremata, sanctosq; cineres pulueri immixtos, per agros & rura dispersos esse; Ruffinus *f*, atque Theodoretus *g* affirmant. Eademque *Eliſei* Prophetæ ossa contumelia affecta, Nicephorus *h* & alii tradunt. Verum siue ex subductis tum per Christianos earundem Reliquiarum partibus, (vt ex eodem Ruffino constat) siue ex diuisis antea in varias prouincias ad pium Christianorum vsum ac veneration em, siue denique ex collectis cineribus; cum earum post hæc variis locis viguit cultus, cum ibidem Sebaste, ipsa eorundem SS. sepulchra, eadem qua prius, immo maiori celebritate & veneratione, ob celebertima in iis edi solita miracula, claruerunt: vt ex Hieronymo *i*, aliisque patet.

XXXIV. Arethusæ pariter Episcopus *Marcus*, ætate iam grauis, quod olim sub Constantio Imp. magnificentissimum eiusdem ciuitatis Deorum templum destruxisset: (Nam & pœnas Iulianum exegisse de iis, quæ à Christianis in Gentiliū superstitionem sub præcedentibus Impp. patrata essent, cum aliis exemplis iam viderimus, testatur etiam Chryſ. *k*:) damnatus à Iuliano, vt de suo illud restitueret, cum nefas id ipse Christiano homini, nedum Episcopo existimaret, fuga sibi consuluit: sed audito quod multi propter se in discrimen venirent, rediit Arethusam, & sua sponte se ciuibus tradidit: qui omnes gregatim, tam viri, quam mulieres, eum per plateas trudere, ferire, trahere cœperunt, aureſque tenuibus funiculis auulserunt: sed & pueri qui scholas frequentabant, eum in sublime elatum instar globi inter se voluentes, tum ab se proiicientes, tum denuo excipientes stylis, corpus eius vulneribus deformarunt: adhucque spiritum ducentem, melle & liquamine vnctum, imposuerunt in sportulam ex iuncis contextam, sublimemq; suspensum vespis & apibus exedendum obiecerunt. Hæc quidem præter Sozomenum *l*, refert Gregorius *m* Nazian. indeque in Iuliani cum crudelitate coniunctam ingratitudinem inuehitur, quod (vt ait) Marcus iste ex iis vnus fuisset, qui eundem Iulianum, tum cum genus ipsius totum periclitaretur, furtim à nece subduxerant: quo solo nomine diriora etiam perpeti meruisse ait, quod tantum malum Orbi seruasset. Verum istud humanitatis officium erga paruulum exhibitum, laude dignum videri poterat: at illud magis inficit nomen Marci, quod ipse (vt sæpe vidimus) à partibus Arianis stetisset. Cæterum quod omnes historici, atque ipse etiam Gregorius Nazianzenus, cum eius in patiendo constantiā describunt, hominem pietate insignem prædicent: par est credere, illum tandem ab hæreticis sese ad castra Orthodoxorum transtulisse, vel in ipsis tormentis hæresim detestatum esse. Quod idem dicendum de nonnullis aliis, hac eadem persecutione passis: quos cum antea constet fuisse hæreticos, tamen eosdem Ecclesia inter Martyres recensct.

PATROPHILI OSSA EFFOSSA.

Non ita quidem *Patrophilus* Scythopolitanus in Palæstina Episcopus: qui ad vltimum vsque spiritum, hæresis Arianæ patronus permansit. Itaq; & ipse, licet pro pietate, in pœnam tamen impietatis pati meruit, vt eius ossa *a* haud pridem defuncti, à Gentilibus eiusdem ciuitatis è sepulchro effossa dissipata fuerint, caput vero in sublime elatum omni contumeliæ generi expositum.

a *Niceph. l.* 10. *c.* 13.

XXXV. Sed & callide Iulianus Bostrenos Phœnices populos, Christianos licet & Catholicos, aduersus suum ipsorum Episcopum *Titum* concitauit *b*. Cum enim literis minatus fuisset, tum eum, tum clericos eius in crimen vocaturum, si aliqua ibi conflaretur seditio: rescripsisset q; Titus, suis monitis, inductum populum nihil motus concitare: huiusmodi verborum occatione, Iulianus ad Bostrenos scribens, eū vt populi accusatore insimulauit, quasi dixisset, populum non sua sponte, sed ipsius tantummodo hortationib. à seditione quieuisse: itaq; populum incitauit, vt illum velut sibi infensum, è ciuitate exturbaret. Extat *c* hactenus Iuliani ea de re ad Bostrenos epistola, miro artificio extrinsecus summam præseferens optimi principis humanitatem, intrinsecus autem inuolutos continens laqueos & gladios: cuiusmodi pleræq; noscuntur eiusdem de Christianis scriptæ. Cęterum cum eodem tempore certior factus, pręclarā Cæsareæ Philippi in eadem Phœnicia seruari Statuam Christi, quam (vt vidimus) mulier laborans profluuio sanguinis morbo liberata confecerat: eo in Christum audaciæ elatus est, vt statua illa deturbata confractaque, suam in locum eius reposuerit. Sed confestim diuina in vindicando potentia sese manifestante, ignis violentus de cœlo delapsus statuam Iuliani circa pectus persecuit, caput q; in terram deiecit. Statuæ autem Christi à Gentilibus confractæ, fragmenta à Christianis collecta in ecclesia reposita sunt. Quam rem gestam Sozomenus *d*, Artemii Acta *e*, Nicephorus *f*, & alii recitant.

XXXV.
b *Soz. l* 5. *c.* 14 IVL. DOLOSE POPVLVM ADVERSVS SVVM EPISC. CONCITAVIT. *De Titi vero Bostreni scripto, vide Bell. de Scr. Eccl.*
c *Ad fin epist. Iulian. edit. Gr. Lat. cum Baron. tom. 4. hoc an. ex vers. Fed. Metii.* COMMINVIT CHRISTI STATVAM
d *Soz. l.* 5. *c.* 20
e *Ap. Metaph.* 20 *Oct.*
f *Nic. l.* 10. *c.* 30.

Sed à vindicta ad vindictam transeamus, quam hoc ipso tempore irrogauit Deus in impium illum ac crudelissimum *Georgium* Episcopum Arianum, de cuius in Ecclesiam Alexandrinam grassatione suo loco dictum. Et quod imprimis ad tempus attinet, cum ex Ammiano *g* constet, non antea sublatum esse Georgium, quam Artemius Dux Ægypti à Iuliano capitis damnatus est: necesse quidem videtur asserere, eius necem hoc potius anno quam superiori contigisse. Is igitur cum etiam Gentilium Alexandrinorum (vt taceamus de Catholicis Christianis) infensissimum odium in se concitasset, non solum ob turpes ac crudelissimas, quas refert Epiphanius *h*, exactiones, quibus eos diu vexauit; sed præcipue (vt ait Ammianus) quod per speciosum Genii templum transiens, flexis ad ædem ipsam luminibus, hæc verba protulisset, *Quamdiu sepulchrum hoc stabit?* quasi scil. illud euertere in animo haberet: item quod (vt refert Socrates *i*) eorundem arcana sacra, quibus in honorem Mithræ homines pro victimis sacrificare consueuerant, detecta palam ludibrio exposuisset: ac denique (vt tam idem Ammianus testatur, quam Iulianus ipse Imperator epistola *k* de eius nece ad Alexandrinos scripta) quod olim variis accusationib. Constantium aduersus eos concitasset, & per Præfectum Ægypti, idoli templum expoliasset, ipsosque ciues pessime habuisset: his, inquam, de causis, subito post auditam cædem Artemii, à quo sibi multum Gentiles Alexandrini timebant, plebs (inquit Ammianus) gaudet insperato, vocibus horrendis infrendens Georgium petit, raptumque diuersis mulctandi generibus proterens

XXXVI.
g *Am. li* 22. GEORGIVS INVASOR SEDIS ALEXAN. DIRE NECATVR A GENTILIBVS.
h *Epiph. hær.* 76. *in pr.*
i *Socr. li.* 3. *c.* 2.
k *Ap. Socr. ibid. c.* 3.

a Reliquiæ Io. Bapt. et Eliſei dispersæ
b *Ruf. l.* 2. *c.* 28
c *Theo. l.* 3. *c.* 6.
d *Nicep. l.* 10. *c.* 13.
e *Hier. ep.* 27.
f *Chryſ. or. de Iuuent. & Max. mart.*
g *Soz. l.* 5. *c.* 9.
h *Greg. orat.* 1. *in Iul.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

& conculcans, diuaricatis pedibus, cumq; eo (aliis prætextibus) Dracontius Monetæ Præfectus, & Diodorus quidã veluti Comes, iniectis per crura funibus, simul exanimati sunt; eoq; non contenta multitudo immanis, dilaniata cadauera peremptorum camelis imposita inuexit ad lacus; ibidemque subito igne crematis, cineres proiecit in mare. Hæc Ammian. Addit vero Epiphanius *a*, Georgii corpus cum multis pecorum ac bestiarum ossib. in cinerem redactum esse; & Socrates, ipsum camelum gestatione illius cadaueris adeo contaminatum putatum fuisse, vt & simul cum eo combustus à plebe fuerit. Eadem porro de nece Georgii habent Gregorius *b* Nazian. Sozom. *c*, & alii fere omnes.

a Epiph. de haer. 76.

b Gr. Naz. or. in laud. Ath. c Soz. li 5. c. 7.

XXXVII. GEORGIVS HAVD DIGNVS MART. *d* 1. Pet. 4.

Quod a. non defuerint Ariani, Georgii sectatores, qui eum tic à Gentilib. cæsum, vt martyrem coluerint: idem S. Epiphan. docet, eum indignum esse nomine martyris, ea ratione quam Petrus Apostolus insinuauit *d*, nempe quod non ob Christi fidem, sed ob nefanda admissa scelera dignas pœnas persoluerit. Quinimmo licet non criminum causa, qui criminosissimus erat, sed propter Christi nomen necatus fuisset: haud tamen dignus martyris titulo videri potuit, qui extra Catholicam communionem fidemq; ab hæreticorum partibus staret, vbi nullum sit reperiri martyrium. Cæterum Iulianus, etsi (quod de cunctis Christianis contigisse optasset) summo gaudio Georgii necem excepisset; tamen qui extrinsecus agebat tanquam in scena philosophum, se illam ægre ferre simulans, ad vindicandum facinus (inquit Ammia.) erectus est, iamq; expeturus videbatur pœnas à noxiis vltimas, cum mitigatus est lenientib. proximis: missio vero edicto, acri oratione scelus detestatus est, minatus extrema si deinde tentaretur aliquid, quod iustitia veteret & leges. Ipsas autem Iuliani tunc ea de re scriptas ad Alexandrinos literas, recitat Socrates *e*, Extantq; eiusdem duæ aliæ epistolæ *f*, datæ post extinctum Georgiũ ad Magistratus Ægypti, de eius copiosa Bibliotheca magna diligentia perquirenda, & ad se Antiochiam mittenda. Porro eidem Georgio mox Arianos *Lucium* Episcopum successorem substituisse, Socrates *g* atque Sozomenus *h* referunt.

c Soc. li. 3. c. 3. f Iulian. ep. 9. & 10.

g Socr. c. 4. h Soz. l. 5. c. 7.

XXXVIII. ATHANAS. ALEXANDRIAM REDIT.

Post sublatum autem Georgium, Magnus Athanasius emergens è latebris, perspicuus cunctis Alexandriam venit. Nam quod ad tempus spectat; quamuis æquius videri posset, eius reditum collocare anno superiori, quo Iuliani edicto Episcopi ab exilio relaxati sunt: quia tamen constans est assertio Gregorii Nazianzeni, nonnisi post extinctum Georgium, eum Alexandriam rediisse; hic ea de re agere, opportunius visum est: reprehenso tamen prius Sozomeno *i*, quod hæc à Gregorio scripta ignorans, dicat Athanasium mox nunciata morte Constantii, noctu in Alexandrina ecclesia comparuisse. Cæterum ipsum lætis ac faustis omnium Christianorum acclamationibus, necnon vngentorum profusionibus, luminumque per totam vrbem accensionibus, atq; etiam publicis priuatisq; conuiuiis, omnibus denique lætitiæ argumentis, aduenientem in vrbem exceptum esse, idem Nazianzenus testatur; tantaq; occursionis frequentia honestatum, vt vniuersa Ægyptus vndiquaque in vnum corruisse videretur. In tantum, vt cum aliquo post tempore Philagrius Præfectus Alexandriam adueniens, à ciuibus, quo erga illum amore flagrabant, ingenti omnium concursu exciperetur; tumq; è vulgo quispiam, populi frequentiam miratus, à familiari qui sibi adhærebat peteret, an tantam vnquam multitudinem vidisset: *Mmme*, inquit ille, *ac ne ipsum quidem Imperatorem Constantium pari honorificentiæ exceptum fuisse opinor.* Tum ille alius tuaiter arridens, & iam ipsi Imperatori Athanasium præferens, *Quid ais*, inquit, *quasi magnum aliquid & admirandum dicens? Immo Magnum quoque Athanasium pari honore introductum fuisse, vix adduci possum vt credam.* Tanta (inquit idem Gregorius, hanc recitans historiam) erat viri huius apud omnes veneratio! tanto stupore ingressus eius memoria hominum mentes defixas tenebat!

i Gr. Naz. or. in laud. Ath.

k Soz. lib. c. 6.

CELEBERRIMVS EIVS TRIVMPHALIS INGRESSVS.

XXXIX. CONVOCAT CONCIL. EPISC.

Athanasius igitur Alexandriam regressus, tum alia multa egregia præstitit, tum imprimis prolapsam (inquit Gregorius) fidei doctrinam erexit, leges rursus orbi terrarum præscripsit, aliis epistolas mittens, alios accersens, nonnullos etiam vltro accedentes erudiens. Quib. quidem verbis Gregor. plane allusisse videtur ad CONCILIVM, tunc temporis *Alexandriæ* congregatum; cum Athanasii iussu, aliarũ Ægypti Ecclesiarum Episcopi, qui sub Constantio in exilium acti, Iuliani edicto proprias sedes receperant, in vnum conuenerunt, vna cum aliquib. aliis cæterarum quarundã prouinciarum Episcopis, quorum hi mentio in subscriptione epistolæ Synodalis illinc scriptæ. Verum horum omnium præcipuum auctorem fuisse Liberium Romanum Pontificem, inferius apertius. Ipse enim Ariminense naufragium reparare solicitus, primum omnium iis qui decepti Arianorum fraudibus, & perterriti minis Imperatoris, in Italia lapsi fuerant, Episcopis pœnitentib. subueniendum putans: epistolam *a* ad omnes Italiæ Episcopos eo argumẽto dedit. Sed & in Orientem respiciens, bene vsus occasione, illos ipsos, qui erant illic fidei causa exules, Episcopos Occidentales magni nominis, *Eusebium* Vercellensem & *Lucifernm* Calaritanum, Legatos Apostolicæ Sedis creauit ad restituendas collapsas Orientis Ecclesias.

LIBER II PP. SOLICITVDO ECCLESIÆ.

a Ext. inter Hila. Frag. l. 1

Itaq; Lucifer, missis interim Alexandriam ad futuram Synodum duobus suis diaconis, qui eiusdem Concilii epistolæ Synodali reperiuntur subscripti, ipse intento animo (inquit Ruffin. *b*) Antiochiã pergit: vbi dissidentibus adhuc partibus Orthodoxorum Eustathianorum & Meletianorum, sed in vnum reuocari posse sperantibus, si vtriusque gratus eligeretur Antistes; *Paulinum* creauit Episcopum, sanctum quidem & dignum eo munere virum, sed tamẽ in quem acquiescere plebs vtraq; non posset. Ab eo tamen statim ad Concilium Alexandrinũ duo item Legati diaconi missi sunt, qui pariter eidem epistolæ Synodali subscripti habentur. Hicq; tunc fuit status Ecclesiæ Antiochenæ, vt in ea tres essent Episcopi; nempe Euzoius, qui Arianis præerat; Meletius, qui Orthodoxis, sed quocum haud omnes communicarent, quod ipse aliquando Arianis consensisset; ac demum Paulinus, cui parebant Orthodoxi Eustathiani, perpetui veritatis defensores. Et cum (vt ait Socra. *c*) omnes ferme ciuitatis ecclesias Euzoius occuparet, Paulinus vnam tantum paruam obtinuit, ex qua eum Euzoius ob tanti viri reuerentiam non eiecit: Meletius autem extra ciuitatem conuentus celebrauit.

XL. *b Ruf. l. 1. c. 27* LVCIFER CALAR. CREAT ANTIOCHIÆ EPISC. PAVLINVM.

c Socr. l. 3. c. 7.

XLI. IN CONCIL. ALEX. LAPSI CVM HONORIB. RECEPTI.

Interea vero Eusebius Vercellensis Alexandriam pergens, (inquit Ruffin.) ibi Confessorum CONCILIO congregato, iidem pauci numero, sed fidei integritate & meritis multi, quo pacto post hæreticorum procellas, tranquillitas reuocaretur Ecclesiæ, omni cura & deliberatione discusserunt. Et quidem aliis opinantibus, nullum debere vltra in sacerdotium recipi, qui se vtcunq; hæreticæ communionis contagione maculasset; vicit pars mitior, vt solis errorum auctoribus amputatis, in quos rigorem Ecclesiasticæ disciplinæ valere placuit, reliquis pœnitentibus sic aditus Ecclesiæ pateret, vt etiam in eodem honoris gradu, quo antea insigniti fuissent, reciperentur. Quod & olim à Patribus Antiocheni Concilii primi Paulo Samosateno, à Melchiade Papa Donatistis, à Concilio Nicæno Nouatianis indultum, suis locis vidimus: etsi seuerior in his antea præcessisset Patrum disciplina, vt lapsi Episcopi nonnisi ad communionem laicam reciperentur, vt sæpius suis Cyprianus inculcat epistolis. Quinimmo nec istam huius Concilii Alexandrini indulgentiam, omnibus indistincte Episcopis collatam esse, sed iis duntaxat, qui vel ignorantia, (quales fuerant qui Ariminensis Concilii fraudulentæ fidei formulæ subscripserant) vel vi adhibita Arianis visi essent consensisse; significare Hieronymus videtur, de his disputans aduersus Luciferianos, (vbi & ait, per tam necessarium Concilium è Satanæ faucibus ereptum esse mundum:) & diserte profitetur ipse Athanasius in epistola *d* ad Ruffinianum.

d Ext. in Coll. Nic. II. Act.

XLII. *e Soc. l. 3. c. 25*

Agetis præterea Socrates *e* de eodem Alexandrino Concilio, noua tradit Patres sanxisse decreta aduersus Eunomium, Macedonium, & alios Semiarianos, negantes diuinitatem Spiritus Sancti; necnon aduersus tunc recens emergentem hæresim, quæ postea dicta est *Apollinaris*, perfectam Christi Incarnationem diminuentem, nempe animam ab homine detrahentem. Addit insuper; ibidem controuersiam de λόγῳ & σαρκώσει, excussam fuisse &

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

DE HYPOSTASIB. ET PERSONIS QVÆSTIO.

se & decisam. Cum enim iam olim (vt ipse ait) ab Osio Cordubensi, ad sedandum Arii tumultum misso, dum Sabellii dogma explodere cogitaret, de οὐσίᾳ id est essentia, & ὑποστάσει, id est substantia, siue subsistentia, seu persona, disceptatum esset: cumque postea (vt scribit Basilius *a*) quidam ex Sabellianis, Hypostasim & Vsiam idem esse dicentibus, auctoritate Concilii Nicæni abuterentur, quo scriptum esset, *Si quis ex alia vsia vel hypostasi Filium Dei esse dixerit, anathema sit*, quasi scilicet dixissent Patres, Vsiam & Hypostasim idem esse: (quam eorum collectionem refellit Basilius:) cum denique, quod ad *Hypostasis* vocem spectat, inter Catholicos, non autem hæreticos, (vt testatur S. Hieronymus *b*) de eius proprietate non leuis obortа esset controuersia, his Arianismum illis, illis vero Sabellianismum his impingentibus, cum alioqui reuera omnes Catholici essent, idemque sentirent: Cum, inquam, huiusmodi iam antea altercationes præcessissent, eadem Synodus Alexandrina, auctore (vt tradit Gregorius *c* Nazianzenus) Athanasio, conata consopire, decreuit vt tam Latini quam Græci suo quique idiomate vterentur, nec curandum esse de syllabis, dummodo nulla esset in re discrepantia.

a *Bas. ep. 78.*

b *Hier. ep. 57. ad Dam.*

c *Greg. orat. in laud. Ath.*

XLIII. QVOMODO ÆQVOCES RECEPTÆ A GRÆC. ET LATIN.

Cæterum vix vnquam videtur placuisse posteris Latinis, vocem *Hypostasis* vsurpari loco *Personæ*, quod scilicet ea videretur significare *Substantiam*, Latini autem nullam agnoscerent differentiam inter *Essentiam & Substantiam*: vt inter alios disputat Augustinus *d* libro quinto de Trinitate, Græci vero differentiam illam constituebant, vt quam habeat rationem id quod commune est ad id quod proprium, hanc habeat Vsia ad Hypostasim, hoc est, Essentia ad Substantiam, siue Subsistentiam: sicut exacte declarat Basilius scribens ad Terentium, & pluribus ad fratrē suum Gregorium Nyssenum. Adeo vt hac sententia iidem Græci pie dicerent, tres personas in Trinitate esse tres proprias Substantias: quod horrebāt audire Latini. Vel si & ipsi hoc dicerent, tunc ad euitandum Arianismum, non tres personas tres esse substantias, sed (vt idem Basilius testatur) more Græcorum dicerent, & voce Græca, vsiam vnam, & hypostases tres, siue subsistentias, nec è contrario ponerent vnam substantiam, absque trium addito nomine personarum, ne eadem cum Sabellio sentire viderentur.

d *Aug. 5 de Trin. c. 9.*

XLIV.

Actum præterea est in eadem Synodo Alexandrina, vt professio illa fidei ab Arianis titulo Concilii Sardicensis promulgata, esse spuria, publica testificatione demonstraretur, ac pariter declararetur, in eodem Sardicensi Concilio nihil fuisse additum ad Nicænam confessionem. De quibus omnibus sc. ipta est Synodalis epistola, quæ apud Athanasium *e* reperitur esse descripta ad Antiochenos, cum iam Paulini ordinatio facta esset, inde vero ad vniuersos Orientales mittenda. Sed & quod de rebus haud parui momenti actum videretur in Synodo, de iis omnibus idem Athanasius certiorem reddidit Liberium Romanum Pontificem. Cuius quidem epistolæ illud tantum fragmentum supereſt, *f* quod spectat ad Incarnationis mysterium, & perfectam Filii Deitatem. Eiusdemque scripti cum ille sit titulus, *Athanasii rescriptum ad Liberium Episcopum Romanum*, plane declarari videtur, ipsum antea Liberium de Alexandrina Synodo cogenda ad Athanasium dedisse literas: estque forte earum illud fragmentum, *g* quo idem Pontifex præmissa fidei suæ confessione, eamdem ab Athanasio exigit: quod scilicet nulla inter eos à longo tempore, ob persecutionem Constantii, communicatio fuisset. Sane hæc omnia auctoritate Romani Pontificis in Oriente ab Eusebio *h* & Lucifero gesta esse, quis poterit dubitare, si considerauerit, quæ ipsi, & Occidentis, nec tantarum ciuitatum Episcopi, in primariis totius Orientis ciuitatibus peregerint? Athanasium autem, ac collegas Episcopos, ad eumdem Liberium scripsisse de cunctis rebus in Synodo gestis, idem ipse Athanasius disertis verbis testatur in prædicta epistola, quā postea scripsit ad Rufinianū: qua pariter declarat, quæcunque in eadem Synodo acta sunt, fuisse confirmata ab ipsa Romana Ecclesia.

e *Ath. ad Ant.*

f *Ext. ap. Ath.*

g *Ap. Athan.*

h [Quos quidem Roma missos esse ad componendos motus Ecclesiæ, (hoc est delegatos ad hoc à Romano Pontifice) differte asserit Nicetas, in commen. ad Greg. Naz. orat. in Bas. nu. 55.

XLV.

Porro cum ibidem decretæ essent Legationes ad restituendas Ecclesias, lapsosque recipiendos, Eusebium Vercellensem ex munere susceptо Antiochiam contendisse, scribit Socrates: *a* ibique cum populum in duas factiones

a *Soc. li. 3. c. 7.*

partitum offendisset, quod non omnes Paulini electioni à Lucifero factæ acquieuissent, ipsum quidē eam tacite damnasse, Luciferum vero iniquo id animo passum, recusasse cū eo communicare: studioq; contentionis inductum, Concilii decreta reiicere cogitasse, sed Legatorum suorum subscriptione dubium, se interim in Sardiniam ad propriam sedem recessisse: Harum vero dissensionum causa multis iterum ad deficiendū ab Ecclesia impulsis, factam esse nouam sectam LVCIFERIANORVM. Hæc Socrates: eademq; Rufinus, *b* atque Sozomenus, *c* de Luciferi & Eusebii dissensione. Verum cum Paulini electionem, in Synodo Alexandrina, cui Eusebius interfuit, approbatā esse constet, nec sit verisimile, eam postea Eusebium damnare voluisse: probabilius videtur, Luciferi cum eo simultatē non aliunde sumpsisse exordium, nisi quod Lucifer, austerioris vir spiritus, indigno animo ferret, ex Synodi decreto Episcopos lapsos suis sedibus restitui, ideoque in Eusebium, quem aduenientem Antiochiam itūrū in Cappadociam, primum est nactus, veluti in eius decreti auctorem, simul & executorem, inuectū esse.

EVSEBII ET LVCIF. DISSENSIO.

b *Ruff. li. 1. c. 30.*

c *Soc. li 3. c. 12.*

Ex iis vero quæ de eodem Lucifero scripsit postea Marcellinus presbyter, & ipse secta Luciferianus, plane intelligitur, eum ex Oriente recedentem venisse Romam, & communionem eorum qui aliquando coniuncti fuissent Arianis fugisse. Ait insuper Seuerus, *d* illum non solum eos qui Arimini fuerant condemnasse, sed etiam ab eorum se communione separasse, qui illos sub pœnitētia recepissent. Addit denique Theodoretus, *e* præter schisma confictum, eum nouam quamdam excogitasse doctrinam, quam sectari sint eius successores. At nihil cum ad doctrinam Catholicam addidisse, S. Ambrosius *f* testatur. Et S. Hieronymus *g* multum abest vt ei falsam doctrinam impingat, vt potius eum aliqua ex parte excusare nitatur, affirmetque ipsum eos recepisse, qui ab Arianis baptisma consecuti essent. In quam etiam sententiam, tam de Lucifero, quam de prioribus illis ab eo dictis Luciferianis, asseritur à S. Augustino, *h* eos baptismum hæreticorum minime iterasse. Vt ita plane constet, illos schismatis tantummodo labe pollutos fuisse. Indeque etiam accidisse putauit idem Augustinus, *i* vt neque ab Epiphanio horum temporum scriptore, neque à Philastrio huic proximo, qui catalogum contexuerunt hæreticorum, Luciferiani inter eos numerati sint. Testatur tamen se de iisdem apud incertum auctorem legisse, ipsos dixisse animam ex traduce generari, eamque ex carne, & carnis esse substantiam: quod tamen verumne esset haud satis sibi fuisse compertum tradit.

XLVI. SCHISMA LVCIFERI.

d *Seu. lib. 2.*

e *Theo. li 3. c. 5*

f *Ambr. orat. in fun. frat.*

g *Hier. cont. Lucif.*

h *Aug. de agn. Christ. c 30.*

i *Id. de har. c. 81.*

Cæterum adeo pertinaci animo sententiæ de non recipiendis cum dignitate lapsis Episcopis insistebant, vt quod testatur S. Hieronymus (*k*) inter eos *Helladium* quidam eo blasphemiæ prorumperit, vt cum videret tot lapsos restitutos, diceret mundum esse diaboli, & Ecclesiam in lupanar esse conuersam. Sed cunctis procacior habitus est HILARIVS diaconus Ecclesiæ Romanæ, qui olim cum Lucifero ad Constantium Imp. à Liberio Pontifice missus, verbera passus & vincula, eadem qua Lucifer sententia in exilium pulsus fuerat. Is enim gloria confessionis elatus, spernens eos qui ceciderant, non solum vna cum Lucifero schismate se ab Ecclesia separauit, sed & hæresim addens, dixit, scripsitque, nullatenus baptismum hæreticorum recipiendum esse: quem, ob rebaptizationem, Hieronymus *Deucalionem Orbis* appellauit. Verum cum iste neque ex schismaticis ipsis aliquem habere potuerit sectatorem, vna cum homine interiit pariter & secta. Imperiti vero Centuriatores, nominum occasione lapsi, hunc ipsum errorem S. Hilario Episcopo Pictauiensi egregio Confessori calumniosissime impegerunt.

k *Hier. adu. Lucif.*

PROCACIA SCHISMATICORVM LVCIFERI.

HILARII DIAC. HÆRESIS.

Porro Lucifer, qui hoc Iuliani *l* tempore in Sardiniam rediit, sub Valentiniano *m* mortuus est in schismate: quem temere nimis Ioannes Arca natione Sardus, in commentario de Sanctis Sardiniæ, inter Sanctos collocauit. Certe quidem tanti viri, tot pro fide Catholica legationibus, confessionibus, certaminibus, exiliis, martyriis, scriptis, insignite nobilitati, casus Fidelibus magnum intulit luctum & timorem. Post cuius obitum, ipsius sectatores, quorum exiguus fuit numerus, se in Hispaniam receperunt: ibique vt solos sanctos & puros, à reliquis omnibus Orthodoxis

XLVII.

l *Hier. adu. Lucif.*

XLVIII.

l *Id. de Scrip. Eccl. in Luc.* m *Id. in Chr. n Ruff. li. 1. c. 30.*

LVCIFERI EXITVS.

diuisos confediſſe, S. Hieronymus *a* docet. Vnde licet aliquando turbas in Eccleſia concitauerint, tamen quod poſt Theodoſium Auguſt. de iis nulla reperiatur facta mentio, eos hocipſo, quo oborti ſunt ſæculo, extinctos eſſe putamus.

[De obitu Luciferi, Baronius an. 371. quo contigiſſe ponitur apud Hieron. in Chron. Cæterum ſi caſus eius magnum intulit Fidelibus luctum & timorem, (quod vere dixit Baronius) haud ſane minorem exultationem ac ſpem inferat qui illum ab eo grauiſſimo caſu, dextram porrigente diuina gratia ſe attuliſſe docuerit. Faciam hic ego, auſpice Chriſto, & comprobante cælo, promotore imprimis pio quodam ſacerdote Sardo, qui populatis ſui exiſtimationis ſtudioſus, poſt longas promiſſionum dilationes, expectationi abunde ſatisfaciens, exhibuit tandem mihi in Vrbe, duplex teſtimonium authenticum agnitæ poſt obitum ſanctitatis Luciferi: alterum manu ſcriptum, ſubſcriptumque menſe Octob. an. 1616. ab Archiepiſcopo Calaritano, Epiſcopo Boſanenſi, & aliquot Canonicis, ac Theologis Soc. Iesv, ſigilloque Archiepiſcopali firmatum, quo aſſeritur, ex veteſtis eius Inſulæ ſacris monumentis certiſſime conſtare, fuiſſe ab antiquis temporibus erectam in ea ciuitate eccleſiam in memoriam & honorem S. Luciferi Epiſcopi Calaritani, quæ hodieque extat. Alterum excuſum anno 1617. recentis perquiſitionis, & inuentionis Sanctorum Sardiniæ, opera & diligentia eiuſdem Archiepiſcopi, qua, præter alia diuerſorum SS. corpora in eadem eccleſia S. Luciferi diuerſis locis reperta, inuenta eſt ad eius altare primarium grandis area marmorea, continens oſſa cuiuſdam corporis magna odoris ſuauitate fragrantia, quæ facile ab omnibus credita ſunt eſſe ſacra ipſius Luciferi, quod in præcipuo eius eccleſiæ loco repoſita fuiſſent: eo maxime quod eodem momento, abſque vllo præuio mandato, pulſatæ ſponte fint campanæ eccleſiæ Archiepiſcopalis, ſicut in ſolemnitate Paſchali fieri conſueſceret, tanquam in diuinam confirmationem huiuſmodi illorum exiſtimationis & lætitiam ac gratulationem tanti theſauri felicitet effoſſi. Quæ ſane ſi vigente Baronio contigiſſent, haud citer effoſſi. Quæ (vt opinor) ſententiam de infelici exitu Luciferi reuocaſſet qui dum vixit, ſolo teſtimonio eccleſiæ in eius honorem antiquitus erectæ ſeiq; tæſtaturum promiſerat: ſicuti & in caſu ſimili reuocauit quæ de Fausto Regienſi in Gallia Narbonenſi Epiſcopo prius dixerat, poſtquam intellexit Martyrologium Gallicanum ſemper ipſum continuiſſe inter Sanctos, & in eius memoriam olim in ea ciuitate erectam baſilicam eius nomini titulo inſignitam. (*Baron. Tom. VI. anno 490. ſiue in Append. Tom. X. ad illum annum: & infr. hac Epit. anno 520. num VII.*) Illud equidem ſcio, ita Catholicæ fidei zelo ardentem fuiſſe Luciferum, vt ab antiquis Scriptoribus, etiam poſt ſchiſma factum, & ſectam Lucifernanam poſt ſe relictam, non niſi timide arguatur. Et quamuis nullus eum abiecto ſchiſmate in vnitate Eccleſiæ deceſſiſſe dicat: potuit tamen facile eos latuiſſe, quod quaſi extra Orbem in inſula non adeo ab exteris frequentata contigiſſet. Cum & alioqui Petrus de Natalibus iam ante centum ac ferme triginta annos illum in catalogo Sanctorum numerauerit, (præter illos auctores qui de rebus & Sanctis Sardiniæ poſtilla ſcripſerunt) & ipſe antiquiſſimus Hieronymus, dum vicus tangit eius ſchiſmatis, vocat etiam poſt obitum *beatum*, quod vix reperias de quoquam non Catholice mortuo vſurpatum. Quocirca maneant tam noſtro quam Baronii nomine, Lucifero integra pœnitentiæ ac palinodiæ ſuæ iura, neque ex noſtris ſcriptis ſententiæ præiudicium.]

XLIX

De Euſebio vero Vercellenſi, quid ſuſcepta legatione pro reconciliatione Lapſorum egerit, nihil præterea reperimus, niſi quod Ruffinus *b* & Socrates *c* aiunt, eum Orientis prouincias circumeuntem, medicique pariter ac ſacerdotis fungentem officio, ſingulas quaſque Eccleſias ad ſanitatem rectæ fidei reſtituiſſe, doctrinaque Eccleſiaſtica inſtruxiſſe atque eruditſſe. Quanta vero fuerit in reditu ab Italis alacritate ſuſceptus, quamque Lapſis extiterit proficuus, teſtis eſt S. Hieronymus, *d* dum inter alia ſcribit, ad eiuſdem reditum lugubres veſtes Italiam mutaſſe, quod ſcilicet eius opera lapſi ac decepti Epiſcopi recepti fuerint. Verum & iam antehac Hilarium Pictauienſem, poſt reditū ſuum ab exilio viam aperuiſſe ad reſtitutionem lapſorum, frequentibus ea de re coactis in Gallia Epiſcoporum *Concilijs*, præter Fortunatum, *e* teſtatur Seuerus: *f* extatque hactenus *g* vnius ex eis apud *Pariſios* celebrati epiſtola ad Orientales Epiſcopos, cum illi literis ſuis ad Hilarium ſcriptis, conati fuiſſent Gallicanos Epiſcopos reddere ſuæ ipſorum perfidiæ profeſſores. Addit autem Seuerus, Saturninum peſſimum illum Arelatenſem Epiſcopum, nec non Paternum Petracoricenſem, quod in perfidia obſtinati permanerent, ſacerdotio pulſos fuiſſe. Ex quibus plane commendatur ſincera fides atque conſtantia Eccleſiæ Gallicanæ, cum in tanto numero Epiſcoporum, vnus dumtaxat & alter ſit repertus, qui inhæſerit Arianis. Eſtque hæc gloria S. Hilarii, qui ſcriptis ſuis eoſdem Galliarum Epiſcopos in hæreticos commouerit, & iugiter aduerſus eos in officio continuerit, & in antiqua fide. De cuius pariter atque Euſebii Vercellenſis egregia in Lapſis reuocandis reſtituendiſque nauata opera, Ruffinus agens, ait duos illos viros velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore irradiaſſe, vt omnes etiam de abditis angulis & abſtruſis hæreticorum tenebræ fugarentur. Sed de iis rurſum inferius.

Inter hæc autem qui erant Alexandriæ Ariani, indigno ferentes animo Athanaſii reditum, eiuſq; opera florentem illius Eccleſiæ ſtatum, fœdus ineuntes cum Gentilibus, eos in eumdem Athanaſium concitarunt, ea recenti occaſione, quod ille nobiliſſimas quaſdam matronas à Gentilium ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem conuerſas, magno dedecore Imperii Iuliani baptizaſſet: ſimulque communicato conſilio, ad Iulianum aduerſus eum literas dedere, magoſque *a* inſuper & aruſpices miſere, qui conteſtarentur, nihil proſperi ſucceſſurum, niſi Athanaſius pelleretur. Quibus Imperator acceptis, confeſtim ea de re cum ad Alexandrinos, tum ad Ecdicium Ægypti Præfectū reſcripſit, *b* grauiſſimam ei mulctam auri minatus, niſi Athanaſius ante Calendas Decembris ex ea vrbe, vel potius ex vniuerſa Ægypto recederet. Veram autem odii ſui in Athanaſium cauſam (nimirum quod inimicus eſſet deorum, & multos ad fidem conuerteret) Ecdicio patefaciens, aliam in literis ad Alexandrinos ſimulauit, videlicet quod cum fuiſſet à Conſtantio dānatus exilio, idem poteſtate à nullo accepta, ſuopte nutu ſedem Epiſcopalem denuo occupaſſet: ſi enim à Conſtantio electis non regimen Eccleſiarum, ſed reditum tantummodo in patriam conceſſiſſe. Narrat hæc eadem Sozomenus: addit; q; Athanaſium, cum videret multitudinem Chriſtianorum circa ſe lacrymas profundentem, dixiſſe, *Bono animo eſtote: nebula enim eſt, & breui euaneſcet.* Addūt & alii, *d* eum literis Iuliani ſecretioribus non Alexandria tantum expelli, verum etiam occidi iuſſum, poſtquam in Thebaidem traiecturus nauigium aſcendiſſet, ac quotiuſſi erāt occidere, ipſum inſequentes iam prope eſſent, Athanaſium hoc cognito nauigium Alexandriam verſus conuertiſſe, ac perſequentibus obuiam deinduſtria factum, iſdem de Athanaſio ſciſcitantibus ipſummet reſpondiſſe, eum non longe abeſſe, atq; ita eos elufiſſe, redeuntem aūt ſecreto Alexandriam, quamdiu vixit Iulianus, ibi delituiſſe. Addit denique Socrates, poſt hæc conuerſum eſſe furorem Gentilium timul & Arianorum ac Iudæorum in reliquos Catholicos, Præſidesque prouinciarum ratos ſibi tempus opportunum oblatum quo quæſtum facerent, vbique Catholicos dire vexaſſe, pecunias exegiſſe, & corporibus ſupplicia intuliſſe. Iulianum vero Chriſtianorum ea de re expoſtulationes audientem, reſpondere ſolitum, (cuiuſmodi ſæpe dictentis Religionem Chriſtianam irridebat) ipſorum eſſe exceptō Chriſti æquo animo iniurias tolerare. Extant porro & Acta *e* *Apollonii* ſanctiſſimi monachi, ex quibus æque cōſtat, Ægyptum vexatam fuiſſe perſecutione Iuliani: vbi & ingentia recenſentur ab eodem Apollonio edita hoc potiſſimum tempore miracula, indeque ſecutæ plurimorum Gentilium conuerſiones.

Iam vero enarratis præcipuis rebus à Iuliano in Oriente aduerſus Chriſtianos geſtis, ratio téporis exigit, vt quod in Occidente pariter actum eſt, ex parte ſaltem recenſeamus. Res quidem hic, ſicuti in Oriente, lento gradu agi cœpta. Quod enim (vt dictum eſt) nollet Iulianus à Chriſtianis palam perſecutor haberi, tum inuidia martyrii, tum metu ingentis eorum numeri, more ſuo alias prætexendo cauſas, aggreſſus eſt dolo in eos agere. Quapropter in eorū bona primum inſurgens Fiſcus, qui in aula Chriſtianorum Imperatorum militaſſent, cauſa illa communi obtenta, & ex templorum diuitiis expilatis fortunas auxiſſent, aut ſi adeo hæc cauſa deeſſet, illa in promptu adeſſet, (quam etiam publicis ſuis reſcriptis *f* inſerere, laud Iulianus eiubuit:) nimirum Chriſtianos ex Euangelii præſcripto, quo facilius in regnum cælorum veniant, nequaquam affluere diuitiis, ſed contra omnia erogare debere: huiuſmodi, inquam, colorib. Fiſcus Romæ auidas iniecit manus in *Gallicani* viri Conſularis, olim generi Conſtantini Magni, opulentiſſi-

a *Hier. adu. Lucif.*

b *Ruff. d. c. 30*
c *Soc. d. c. 7.*
EVSEBIVS HILARII GRATISSIMVS IN OCCID. REDITVS

d *Hier. adu. Lucif.*

e *Fort. in Vit. Hilar.*
f *Sen. li. 2.*
g *Hilar. Frag. lib. 2.*

SINCERA FIDES ECCL. GALLIC.

L.
ARIANI MOVENT GENTILES IN ATHA

a *Ruff. li. 1. c. 33.*

b *Iul. ep. 627.*

c *Soz. li. 5. c. 4.*
ATHAN. RECIDIT ALEXANDRIA.
d *Ruff. li. 1. c. 34.*
Theod. li. 3. c. 8.
Soc. li. 3. c. 22.

PERSEC. IN ECCL. ALEX.

e *Ap. Fugit. Vit. Pat. c. 7.*

LI.
IVLIANI PERSEC. IN ROM. ECCL.

f *Iul. ep. 42. ad Eccl. Gal. alias*

GALLICANI MARTYRES

lentissimum patrimonium, quod tamen Christus, in cuius pauperes diuitiæ Gallicani erogari consueuerant, turatus est pauendis plane prodigiis, dum omnes quicumque prædiis vel domibus fiscales titulos affigere tentarent, continuo à dæmone arrepti, vel lepra percussi, recedere coacti sunt. Cum vero nequam spiritus expetentes de Gallicano vindictã, ab obsessis corporibus se minime egredi posse iactarent, nisi idem Gallicanus sacra diis ageret, id ipse perpetrare magna constantia renuens, Iuliani rescripto ex Italiæ finibus abire iussus, Alexandriam venit: vbi à Rauciano Comite truncatus capite, martyrium consummauit. Quo eodem tempore, eodemque supplicio, Romæ *Hilarius* Gallicani per necessarius, & *Donatus* Episcopus Aretinus, eamdem martyrii coronam consecuti sunt, vt fusius hæc omnia describunt eorumdem Acta Martyrum, memineruntque sacræ Ecclesiasticæ *a* Tabulæ.

a Inn. 10. Iul. 7. Aug.

LII. IOANNIS ET PAVLI MARTYRIVM.

Ioannes item & *Paulus* fratres, in aula Constantini inter primos olim educati, & honoribus aucti, negantes se velle deinceps inter Iuliani familiares adnumerari, ac diis sacrificare recusantes, à Terentiano Prætorianorum Præfecto necati sunt. Qui cum eos secreto sepeliissent, rumore sparso in exilium esse missos, sed dæmones martyrum gloria atq; virtute cruciati scelus aperuissent, factum est mira Dei prouidentia, vt cum ad eorum sepulchrum, tum multi alii, tum eiusdem ipsius Terentiani filius à dæmone obsessus liberationem accepisset, idem *Terentianus*, relicta Gẽtilium superstitione, baptizari voluerit, ipsumque certamen martyrum, cuius auctor extiterat, scriptis *b* mandauerit. Passi pariter reperiuntur sub Iuliano, nonnulli alii omnis conditionis & sexus homines in eadem Vrbe Roma, quorum nomina, simul & passiones, æque ac superiorum, adscriptæ reperiuntur Tabulis Ecclesiasticis. Porro præstitit Deus etiam in illorum certaminibus, vt per Magistratum illum Vicariam præfecturam gerentem, per quem sic in eos Iulianus sæuierat, nempe *Gordianum*, eiusdem Iuliani impietas argueretur, dum quem ad necem Fidelium ille delegerat, Christi nominis egregium cõfessorem ac martyrem factum Ecclesia lucrata est, quod eædem Tabulæ Ecclesiasticæ, & fusius ipsius Acta declarant: in eo tamen deprauata, quod quæ sub Iuliano, aut forte eius rescriptis gesta sunt, eadem coram ipso facta esse dicuntur, atque Romæ, cum tamen Iulianus toto Imperii sui tempore versatus sit in Oriente. Cuiusmodi errores in plerisque item aliis huius temporis Martyrum Actis, nec solum Occidentis, sed & Orientis, animaduertere liceat.

b Ext. ap. Sur. tom. 3. sed in multis depraua.

GORDIANI IVDICIS PERSECVTORIS MARTYRIVM.

LIII.

Cæterum quod in Oriente frequenter, ac Romæ aduersus Christianos actum nouimus, id etiam in aliis Occidentis prouinciis factitatum non ambigimus: sed quod (vt sæpe dictum est) absque titulo Christianitatis, sed aliis confictis criminibus, eiusmodi de illis iudicia exercerentur, inde (puto) obscuræ remanserunt res gestæ plurimorum martyrum. In Galliis namque passos reperimus *c* quatuor germanos, *Eliphium* Tullensem virum, eiusque fratrem *Eucharium* Episcopum, & sorores *Libariam* atque *Susannam*. At perperam, mea sententia, dicuntur passi dum Iulianus adhuc in Galliis esset: nam eo tempore ipsum se Christianum, ficte saltem exhibuisse, superius est demonstratum. Sed & egregium pro fidei confessione in variis ac diris tolerandis tormentis, specimen Christianæ constantiæ edidisse, in castris tunc militantem sub Tribuno *Victricium*, qui tandem à persecutorum manibus mirabiliter liberatus, demumque Rotomagensis creatus Episcopus, diutissime vixit, fuse narrat Paulinus *d* Nolanus, memineruntque Tabulæ Ecclesiasticæ. Dire autem exagitatas esse illas prouincias sub Præfectura Sallustii, Iuliano omnium carissimi, ac proinde hostis Christianorum acerbissimi, illud etiam admoner, quod aduersus eumdem, siue Dioscorum vicem eius gerentem, S. Hilarium Pictauiensem scripsisse commentarium, auctor est S. Hieronymus. *e*

c Ap. Sur. 16. Oct. MARTYRES ET CONFESS. IN GALLIIS.

d Paul. ep. 16.

e Hier. de Scr. Eccl. in Hil.

LIV. DONATISTÆ REVOCATI A IVLIANO.

At vero in Africa Donatistæ, qui pene videbantur extincti, vtpote quorum duces Imperatorum Christianorum rescriptis exilio condemnati fuissent, aduenient Iuliano, quem scirent detestari prædecessorum Principum acta, ad ipsum legationem miserunt, qua ab exilio liberati peterent, ablataque sibi basilicas reddi: ad id precibus tantæ adulationis vtentes, (quod eis sæpe exprobrauit Augustinus *a*) vt etiam dicerent apud solum Iulianum iustitiam habere locum. Eorum vero petitionibus annuisse per omnia Iulianũ, testis est Optatus: *b* idque (vt ait) quod probe intelligeret, Donatistas ad disturbandam Ecclesiæ pacem cum furore esse venturos. Quale autem fuerit eiusmodi pro eis datum à Iuliano rescriptum, inde penfare licet, quod illud Honorius Imp. post sexaginta ferme annos, vna cum Proconsularibus Gestis ea tunc in causa conscriptis, publicis celeberrimis locis affigi iussit, *c* quo Donatistarum temeritas atque procacitas omnibus esset ostentui. Porro ex sententia plane Iuliano res accidit: siquidem eius rescripto relaxati Donatistarum Episcopi, factiosissimi duces schismatis, maximo inuecti impetu in Catholicos, grassatorum instar atq; prædonum, immanes sacerdotum, aliorumque clericorum, nec non & reliqui populi, feminarum etiam, atque infantium, necdum natorum, cædes commiserunt, adhibitaque potentia Magistratuum, Episcopos de sedibus expulerunt, basilicas sacris vasis & ornamentis spoliarunt, calices conflarunt, altaria fregerunt, virginibus sacris stuprum intulerunt, altaria fregerunt, virginibus sacris stuprum intulerunt, plebem ad seditionem commouerunt, cœmeteria Catholicorum sibi solis vendicarunt, aliaque id genus plurima perpetrarunt, quæ fuse Optatus *d* aduersus eos scribens recensuit.

a Aug. cont. lit. Pet. lib. 2. c. 97. ep. 48. ad Vinc. ep. 166. ad Don.

b Opt. lib. 2. cont. Parm.

c l. 37. C. Th. de hæret.

EORVM FVROR IN CATHOL. ET SACRILEGIA

d Opt. li. 2. & 6.

LV. MIRACVLA DE EVCHAR. ET CHRISM.

Inter quæ illud est notabile, quod (vt ait) Donatistarum Episcopi iusserunt Eucharistiam canibus fundi, non tamen sine signo diuini iudicii, cum iidem canes accensi rabie ipsos dominos suos dente vindice laniauerunt. Quemadmodum & cum iidem ampullam Chrismatis per fenestram iactassent, eadem diuinitus Angelica manu subleuata, illæsa inter saxa consedit. Ex quibus videas, inter quos recensendi sint, qui nostro hoc infelicissimo sæculo, vel his paria, vel etiam magis horrenda, in sacrosancta Ecclesiæ Sacramenta, eodem quo Donatistæ, satanico agitati spiritu perpetrarunt: eo quidem illis detestabiliores, quo ea impugnant, quæ tam certis atque adeo manifestis diuinis miraculis comprobata sunt. Iam vero illud quale est, quod iidẽ Donatistæ in multis locis altaria & parietes raserunt, aut lauerunt falsa aqua, quo rudem populum execratione imbuerent in Catholicos, quantumque eos detestari deberent, his signis insinuarent? Itemque illud quam stultum purgationis genus, quod vt Deo sacratas virgines suæ facerent communionis, immundis illas aspergerent cineribus, crinesque falsa aqua perfunderent, & mitrellis (seu mitellis) proiectis, quas ab Episcopis Catholicis acceperant, (erat *e* hoc in Africana Ecclesia tegumenti capitis genus ex lana, purpura tamen pictum potius quam tinctum, quod sacrandis virginibus ab Episcopis soleret imponi, sicut Romæ, & aliis locis, simplex velum nigrum:) alias iisdem imponerent? Sed hæc & alia eiusmodi insana, pluribus Optatus. His autem Donatistæ Iuliani fulti præsidiis, qui pene videbantur extincti, adeo inualuerunt aduersus Catholicos, vt omnes qui successerunt Catholici Impp. licet aduersus eos plurimum laborauerint, vt communioni Catholicæ restituerent, vel aliquo alio modo tollerent, numquam tamen id efficere valuerint.

VIRGINES SACRÆ PROFANATÆ.

e Id. lib. 6.

LVI.

Iam vt occasione huius rescripti, reliquas ab eodem Iuliano aduersus Christianos promulgatas leges, scriptasque epistolas, præter illas quæ superius memoratæ sunt, hic vltimo loco huius anni recẽseamus: imprimis Gregorius *f* Nazianzenus scribit, eum non consueuisse tantum ignominiæ causa (quod dictũ est) suis epistolis ac colloquiis nominare Christianos, *Galilæos*, sed vt eodem nomine ab omnib. dicerentur, publica lege sanxisse. Additq; Chrysostomus *g* Principes etiam vt idem facitarent adhortatũ esse: nempe adeo infenso animo Christianam religionem insectantem, vt ne ipsum quidem nomen superesse vellet. Rursum vero cultũ Crucis, & sacrarum Reliquiarum venerationem Christianis obiectare, ob idq; eos deridere cum verbis tum scriptis consueuisse, ex Cyrillo *h* patet, quem perfidum Apostatam nostri temporis Nouatores egregie imitatos esse, quis non videat? Concessa item ab Impp. Christianis, clericis, & miserabilibus personis, dona & immunitates, atque diuersi generis priuilegia, cassa reddidisse, docet Sozomenus. *i* Immo & quæ à Gentilibus aliquando ex certa causa collata fuis-

f Greg. Naz. or. 1. in Iul.

IVLIANI IMPIISSIMA IN CHRIST. DICTA, ET IMPIA DIGESTA.

g Chrys. or. 1 cont. Gent.

h Cyr. Alex. lib. 6. & 10. in Iul.

i Soz. li. 5. c. 5.

sent,

sent, abripuisse constat, dum inter alia, ter mille modios tritici perpetua largitione concessos à Marco Aurelio, erogãdos in pauperes Ecclesiæ Hierapolitanæ petitione *a* Abercii Episcopi, in hanc vsque diem à cæteris persecutoribus persoluto, prorsus abstulit. Sed & quo ad expeditionem belli Persici ingens pecuniæ vis à Christianis exigeretur, lege lata mulctam imposuisse pecuniariam illis qui sacrificare renuissent, scribit Socrates. *b* Et ad expilanda Ecclesiarum bona, edicta fuisse publice proposita, priuatimque expleta, Gregorius *c* Nazianzenus testatur. Constituisse quoque, vt ius Reipublicæ Christianis denegaretur, iidemque conciliis, foro, publicis cœtibus priuarentur, nisi prius aris antepositis thura adolerent, ipsitque adeo tribunalibus expellerentur, vt nec vllas iniurias suas iudicio persequi liceret, (eo videlicet prætextu, quod Scriptura vetaret ne iniurias vlciscerentur, ne litem intenderent, nequid proprium existimarent,) iidem Gregorius & Sozomenus *d* tradunt. Ac quamuis nullum manifestum promulgasset edictum, (vt ab aliis Imperatoribus factum fuerat) quo persecutio in Christianos indiceretur, tamen sancita olim aduersus sacrilegos templorum expilatores iura in eos totissile, & quemtur Chrysostomus, *e* & plurimis est demonstratum superius exemplis. Tulisse insuper eam legem, vt Galilæi à militia pellerentur, & à quibusdam aliis quæ digna tatibus ac regimine prouinciarum penitus arcerentur, auctores sunt Ruffinus, *f* Theodoretus, *g* & Sozomenus. *h*

Lex autem eiusdem illa, qua vetuit ne Christiani Doctores, humaniores literas ac liberales disciplinas docere possent, nisi diis se se vellent addicere, ab ipsis etiam Scriptoribus *i* Ethnicis, vt iniustissima improbatur. Qui quidem primo erubescens id palam decernere, aliis facatis coloribus iam antea sanciuerat, *k* vt quisquis docere vellet, non id aggrederetur, antequam à Curiis ciuitatum probatus, ipsius quoque Imperatoris iudicio confirmaretur. Sed in dies audacior redditus illam quam diximus legem promulgans, manifeste Christianos à docendo repulit. Quam quidem Ammianus ait eo consilio sancitam esse, ne per doctores Christianos, Gentiles à cultu deorum desciscerent: nempe quod Christiani libros Ethnicorum interpretando, pariter demonstrarent, quæ iidem auctores Ethnici de suis ipsorum diis atque dogmatibus scripsissent, fuisse mera figmenta, & inanes superstitiones. Extat hactenus eiusmodi Iuliani edictum inter ipsius epistolas, *l* multis pigmentis delinitum, & philosophicis larua decorum. Ex cuius lectione cum aperte constet, Iulianum, etsi Christianos omnes à docendo Gentilium libros reuocaret, Christianorum tamen liberis permisisse vt artes & disciplinas à doctoribus Gentilibus discerent: (idque eodem haud dubium, quod diximus, consilio, nimirum vt Christiani Ethnicis doctoribus magno deorum præconio explicatos accipientes, eorum cultui addicerentur:) miramur Ruffinum, *m* Socratẽ, *n* Theodoretum, *o* Sozomenum, *p* ipsosq; etiam Gregorium *q* Nazianzenum, Augustinum, *r* & alios dixisse, Iuliani edicto non tantum à docendo, sed & à discendo, reiectos fuisse homines Christianos. Cæterum illud de docendo tantummodo fuisse, meminerunt Ammianus & Eunapius, *s* atque ex nostris SS. Ambrosius *t* & Hieronymus. *u*

In Actis *x* autem Artemii martyris expressum habetur, Iulianum illud promulgasse, quod Antiochiæ expertus esset vim magnam Eugenii presbyteri in dicendo, ac confutando falsam deorum religionem. Sozomenus autem affirmat, id accidisse ob inuidiam in Apollinarem Syrum, Basilium & Gregorium Cappadocas, alioſque celeberrimos Christianos viros, qui apprime Gentilium callebant literas. Vbi & inter alia magnifica de eodem Apollinare narrata, ait eum, quo pluribus prodesset, ad exemplar poematis Homeri, veterem Hebræorum historiam vsque ad regnum Saulis, carmine heroico viginti quatuor libris conscripsisse: sed & alia plurima scripta edidisse, interque illa, librum aduersus Iulianum, seu aduersus philosophos Gentiles, pro veritate inscriptum, in quo sine vllis sacratum Scripturarũ testimoniis, plane ostenderet eos in illo quod de Deo sentiendum esset, vehementer errare: sed ea irridentem Iulianum, Episcopis eius temporis præstantissimis hæc scripsisse, Legi, a *intellexit improbauit*, Episcopos autem rescripsisse, *Legisti quidem, sed non intellexisti, nam si intellexisses, non improbasses*. Gregorius *b* quoque Nazianzenus grauissima eumdem exagitans inuectiua, quod eiusmodi edicto liberales disciplinas tyrannice oppressisset, atque eloquentiæ & doctrinæ humanioris studium Christianis auferre molitus esset, addit insuper, eum hisce in rebus deridendo iactare solitum, Gentilium esse concinne loqui & Græcari, quippe qui deos colerent. Christianorum autem infantiam & barbariem, quorum sapientia nihil aliud esset, quam *Crede*. Quæ Gregorius insigniter refellens, præstantiamque Christianorum CREDE ostendens, simul etiam pluribus demõstrat, non fuisse à Græcis inuentas scientias, verum eas à barbaris, nempe Ægyptiis didicisse, qui consuetudine Iudæorum facti essent eruditi. In quo etiam argumento versati sunt olim antiqui Christiani Theologi, Iustinus martyr, Athenagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus, Arnobius, Lactantius, & qui post hæc, eadem est professus S. Augustinus *de Ciuitate Dei*, atque alii plures qui aduersus Gentes texuerunt Apologias: qui docent, Græcos puerorum loco habitos fuisse, (quod Solonem iam olim exprobratum) facta cum Hebræis & Ægyptiis, quos illi barbaros dicebant, collatione.

Illo igitur promulgato edicto, scholas deseruere Christiani, qui publice hactenus summa laude in ciuitatibus professi essent, quod de *Musonio* testatur Eunapius, *c* de *Proæresio* Athenensi magni nominis Philosopho Athenis docente, S. Hieronymus, *d* qui illum audiit, eo promulgato edicto, scholam sponte deseruisse, cum sibi specialiter Iulianus concederet, vt Christianos doceret, de *Mario Victorino* Afro nobilissimo oratore Romæ professente, S. Augustinus, *e* dum eiusdem memorabilem à Gentilitate publice antea factam ibidem Romæ conuersionem describit: *f* cuius exemplo exarsisse ardore fidei consequendæ, de se testatur. Tanta enim apud Ethnicos olim floruerat claritudine, vt ex Senatusconsulto (quod idem Augustinus tradit, confirmatque Hieronymus *g*) donari meruerit statua in Foro Traiani. Sed quod attinet ad eius scripta Christiana, quorum extant hodie quinque, nonnulla, haud adeo ea laudat S. Hieronymus, *h* quod in extrema senectute Christi se tradens fidei, adeoque eruditione litterarum sæcularium occupatus, Scripturas sanctas ignorauerit, ac res Christianæ Religionis sero nimis attigerit.

Vt vero nihil Iulianus intentatum relinqueret, quo posset Gentilium superstitionem firmius stabilire, ac latius propagare, cum videret (inquit Sozomenus *i*) eam Religione Christiana, laude, & hominum approbatione inferiorem esse, existimareque Religionem Christianam, maximam ex vita & moribus eorum qui eam sequebantur, commendationem consecutam esse: instituit animo, eius ritus & mores in Ethnicismum transferre, minime erubescens imitari ipsa, quos vt infames exagitabat. Ideoque (vt ait Gregorius & Nazianzenus) Scholas in omnibus ciuitatibus extruere parabat, in templis ordinem atque apparatum Christianorum imitari, sacraria, sedesque constituere partim altiores partim depressiores, profanorum etiam dogmatum lectiones & explicationes instituere, tam quæ mores componerent, quam quæ in rerum abstrusiorum tractatione versarentur, tum precationum alternatim canendarum formam, nec non rationem animaduertendi in eos qui peccarent pro delicti modo, aliaque omnia quæ Christianæ disciplinæ essent: Domos quoque excipiendis hospitibus ædificare, nec nõ monasteria, & virginum cœnobia, simulque humanitatem erga pauperes, beneficentiamque adiungere cum cæteram, tum eam quæ in epistolaribus tesseris consisteret, quibus eos qui inopia premerentur, ex gente ad gentem Christiani transmittere consueuissent. Hæc Gregorius de Iuliani in his rebus studio. Quæ quidem licet ipse summa cura pertentarit, vt etiam abunde docent eius literæ *l* ad Arsacem Galatiæ Pontificem, quibus eum hortatur, vt exemplo Christianorum curet vbique sacerdotes sancte viuere, benignitatem in pauperes & peregrinos exhibere, & solicitã curam in mortuis sepeliendis ponit; haud tamen valuit ea perficere, nõ tam quia citius ex hac vita abruptus est,

quam

a [Elegantius Græce, ἀλίγιστοι ἔγγιστα καπήγιστοι. Ad quod Episcopi respondent, ἀλίγιστοι, ἀλλ' οὐκ ἔγγιστα οἱ γὰρ ἔγγιστα οὐκ ἂν καπήγιστοι.]

LIX.

LX.

1 *Act. S. Aber ap. Met. 2. Oct. & vid. sup. an 163. V.*

b *Soc. li. 3. c. 11*

c *Greg. orat. 1.*

d *Soz. c. 17.*

Iul. ep. 42.

e *Chrys. orat. de Iuuen. & Max.*

f *Ruff. li. 1. c. 32.*

g *Theod. li. 3. c. 7.*

h *Soz. d. c. 17.*

LVII. EOS DOCERE PROHIBET.

i *Am. li. 22. 23.*

k *L. 5. C. Th. de profess.*

m *Ruff. li. 1. c. 32.*

n *Soc. li. 3. c. 10*

o *Theod. li. 3. cap. 7.*

p *Soz. li. 5. c. 17*

q *Greg. orat. 1. in Iulian.*

r *Aug. 18 de ciu. 52.*

s *Eunap in Muson.*

t *Amb. ep. 30. ad Val. Imp.*

u *Hier. in Chr*

LVIII.

x *Ap. Met. 20 Oct.*

Eunap in Muson.

Hier. in Chr

Greg. orat. 1. in Iul.

IRRIDET EIDEM CHRIS.

Ap. Soz. li. 5. cap. 18.

quam (sicut idem Gregorius tradit) quod ritus moresque ac traditiones Christianæ Religionis, Deum auctorem habeant, nec sine eius ope valeant consummari. Hinc tamen perspici potest, quam deteriores Iuliano Apostata exhibeant sese recentiores apostatæ, antiquorum Ecclesiæ morum contemptores, dum & subsannant quæ inuidi hostis oculis sunt visa pulcherrima, atque omni acceptione dignissima.

LXI. PERMISIT FEMINIS REPVDIVM VIRORVM.

Ad postremum addimus his, Iuliani inauditam hactenus vanitatem, quam etiam lege sancire non puduit, vt scilicet libertum esset vxoribus maritos dimittere: qua vna lege insanus homo vniuersos homines sub Romano Imperio constitutos, mulierum leuitati subiecit. De ea vero est mentio apud Auctorem quæstionum *a* ex vtroque testamento apud Augustinum: qui etsi non sit Augustinus, certe his vixit temporibus, quippe qui numeret annos trecentos & circiter à clade Hierosolymitana in illum diem.

a *quæst. 115. 144.*

LXII.

Hoc insuper anno, mense Decembri, quæ supererant Nicomediæ è priori terræ motu, eodem reciprocante prostrata sunt: quo & Niceam haud mediocriter fuisse concussam, Ammianus *b* affirmat: tristiaque hæc ait auspicia præcessisse Persicam, in quam Iulianus incumbebat, expeditionem. Ac vix credi potest, quot cladibus hoc anno fuerit Oriens afflictatus, cum idem instaret conciliare sibi numina hecatombis.

b *Am. lib. 22.*

IESV CHRISTI AN. 363.

LIBERII AN. 12.

IVLIANI AN. 2.

I.

ANno Domini trecentesimo sexagesimo tertio, Iuliani Imp. secundo, cœpto mense Nouembris anni superioris, idem Iulianus quartum Consulatum iniens, collegam sibi allegit Sallustium, quod quidem (inquit Ammianus *c*) vitium est nouum: nimirum adiunctum esse in Consulatu Augusto priuatum hominem, quod post Diocletianum & Aristobulum nullus meminerat gestum. Cæterum tantæ hic apud Iulianum æstimationis extitit, vt & illum sibi *d* successorem optaret. Creatus autem est Consul, cum ageret Præfectum in Galliis, vnde & per literas Iulianum proficiscentem in Persas obtestatus est, ne expeditionem illam maturaret, nondum placente numinum exorata. Tradit hæc Ammianus, additque, multis aliis territamentis atque omnibus, quæ narrat, exagitatum fuisse Iulianum: ac præterea nuntiatum per literas, Romæ super eo bello libros Sibyllæ eius iussu consultos, Imperatorem eo anno discedere à limitibus suis prohibuisse, templumque Apollinis Palatini (ex quo omnis diuinatio hauriri solita) noctu conflagrasse.

c *Am. lib. 23.*

d *Iul. ep. ad Oribas.*

OMINA DE EXITV INTERITV IVLIANI.

II.

RESTITVENDVM CVRAT TEMPLVM HIEROSOL. c *Am. lib 23.*

Huius quoque anni primordiis, immensum Iuliani conatum de restituendo immodicis sumptibus Hierosolymorum templo à Tito diruto, idem auctor *e* describit. Cum tamen ait, Iulianum id cogitasse, quod Imperii sui memoriam magnitudine operum gestiret propagare, haud veram causam recitasse videtur. Nec item studium erga Iudæos ad illud impulit, quorum doctrinam patriamque religionem, æque ac Christianorum cultum (vt dicemus) commentariis exagitauit. Verum illæ causæ potissimæ intercesserunt, quas insinuat Chrysostomus, *f* nempe quod sic speraret CHRISTI sententiam frustrari, quæ non patitur templum illud instaurari, & vt Iudæos inducens ad sacrificandum in templo suo, facile eosdem inde reuocaret ad cultum simulacrorum: Itemque, vt sic aduersus Christianam Religionem veluti munitionem ædificans, eam facilius sterneret, dum Iudæos superexaltaret, quos sciret acrius, quam ipsos Gentiles, in Christianos sæuire consueuisse, & his ipsis eiusdem Iuliani temporibus multas *h* ecclesias incendisse. His igitur de causis videri volens erga Iudæos propensior, plenam ad eos officii dedit epistolam, in qua nouus Proteus pene visus est Iudæis factus Iudæus, cum & vnius tantum Dei Optimi Maximi habuit mentionem, & se Imperiumque suum eorum precibus impensum commendauit. Meminit eius Sozomenus, *a* extatq; hactenus inter alias eiusdem Imperatoris *b* epistolas.

f *Chrys. orat. 2. aduer. Iuda.*

g *Am. ep. 28. ad Theod.*

Quod autem ad ipsum reædificationis opus attinet, cum ei fortiter instarent Iudæi, iamque nudatis fundamentis restaret vt structuram aggrederentur, metuendos globos flammarum crebris assultibus è fundamentis erumpentes, exustis aliquoties operantibus, locum inaccessum fecisse, & incœptum in perpetuum interrupisse, tum Ethnicus auctor Ammianus scribit, tum S. Ioannes Chrysostomus, quo puero hæc gesta sunt, inculcat *c* sæpius. Quibus Gregorius *d* Nazianzenus luculenta illa oratione, quam mox vt Iulianus extinctus est scripsit, addit, nō solum sæuos turbines & vehementes terræmotus Iudæos deturbasse, sed & ignem exeuntem à propinquo templo, ad quod trementes confugerant, eosdem absumpsisse, aut mutilasse, ac denique fulgentissimum CRVCIS signum in cælo apparuisse, ipsaq; eorundem, aliorumque quorumcumque, cuiusuis fidei aut religionis hominum, qui hæc aut præsentes viderent, aut ab aliis audirent, vestes CRVCIS notis tunc consignatas fuisse, indeque multas ad CHRISTVM conuersiones factas. Eadem prope Ruffinus, *e* qui & hoc sæculo vixit, & Hierosolymis diu versatus ea ab accolis nosse potuit: additque, plurimos Iudæorum periisse ruinis porticuum publicarum, ad quas ingruenti terræmotu confugissent: sed & ignem emergentem ex ædibus, vbi instrumenta operi necessaria asseruabantur, per medium plateæ tota die percurrentem, pertinacis populi temeritatem flammis vltricib. coercuisse. Sed de ferramentis habet Theodoretus, *f* Iudæos mira vanitate ligones ex materia argentea, palas etiam & sportas confecisse. Eadem vero omnia prodigioso igne conflagrasse, *g* Socrates scribit. Ac denique idem Theodoretus affirmat, reliquam omnem materiam ad templum extruendum præparatam, vehementi ventorum vi, ac procellarum turbinibus, penitus dissipatam esse.

a *Soz. li. 5. c. 21.*

b *Iul. ep. 25.*

III. ÆDIFICATIO TEMPLI DIVINITVS COHIBITA.

c *Chrys. de or. 2. tom. 4. in Matth. hom. 41. in Act.*

d *Greg. or. 2. in Iul.*

e *Ruff. lib. 1. c. 38. 39.*

f *Theod. lib. 3. c. 17.*

VANITAS IVDÆOR.

g *Soc. li. 3. c. 17*

Addunt demum idem Ruffinus ac Socrates, dum hæc agere Iulianus & Iudæi aggrederentur, Cyrillum Hierosolymorum Episcopum, qui ab exilio in patriam remeauerat, diuinarum prædictionum firmitate confisum, quibus dicebatur, *h Vsque ad consummationem & in finem perseueraturam esse desolationem, & Lapidem i super lapidem in templo non mansurum*, spe erectum, rem tacitum spectasse, finemque magna fiducia præstolatum esse: Sed & quod adhuc desiderari posse videbatur in eodem Christi Domini de ea re vaticinio, istud ipsum vidisse in fundamentis expletum, cum admiranda quadam terræ concussione, reuulsa sunt & foras emissa templi vetera fundamenta. At licet perfidia Iudæorū tot conuicta prodigiis, minime (vt par erat) penitus cederet: complures tamen CHRISTI gloriam confessos, eiusdem fidem aude consectatos esse, præter nonnullos alios ex prædictis auctoribus, Sozomenus *k* egregie testatum reliquit. Hoc vero Orosius *l* addit, cum videret Iulianus templum perfici non posse, ex congesta ad illius extructionem materia præcepisse ædificari theatrum, in quo reuersus à Perside, Episcopos, monachos, cæterosque eius loci accolas Christianos, traderet bestiis laniandos: vt scilicet ibi esset Christianorum carnificina, vnde eorum Religio videretur esse progressa. Quod autem Nicephorus *m* his omnibus subiicit de Euangelio secundum Ioannem reperto in specu deorsum, cum fundamentum templi iaceretur, quoniam recentioris auctoris rei tantæ assertio nulla fulcitur antiquiorum fide, reiicimus lectoris arbitrio.

h *Dan. 9.*

i *Matt. 24.*

IV. SACRA ORACVLA MANERE INCONCVSSA.

k *Soc. li. 5. cap. vlt.*

l *Oros. li. 7. c. 30.*

m *Nic. li. 10. c. 33.*

Hoc eodem anno, antequam in Persidem proficisceretur Iulianus, adhuc Antiochiæ existens, pridie Idus Februarii rescriptum *n* dedit ad populum, de non violandis Sepulchris, neque efferendis interdiu (quod Christiani facere solerent) cadaueribus defunctorum. Porro à violatione sepulchrorum Christianos cohibuisse voluit, quod illi (vt alias dictum est) haud paterentur in suis agris permanere amplius loca religiosa diis Manibus contecrata, lapidesue maiorum suorum eadem Gentilitia inscriptione notatos.

n *l. 5. C. Tò. de sepul. viol.*

V. LEX IVLIANI DE SEPVLCHRIS ET EVERS.

Acturis vero iam de expeditione Persica, quam Iulianus

VI.

dita meditatus fuerat, primum illud occurit, quod Gregorius a Nazianzenus tradit, eum Antiochia duplicem exercitum mouisse, alterum militum, alterum dæmonum, à quibus ducebatur, & in quibus maiorem ipse fiduciam collocauerat. Et quidem armatorum sexaginta quinque millia delecta habito esse numerata, Zosimus b tradit. Sed per exercitum dæmonum, videtur Gregorius significasse dæmones familiares quibus vtebatur, necnon accersitos vndique præstantissimos magos & aruspices, quos secum duxit: (turbam hominum, vt ait de hac eadem expeditione agens Eunapius, qui suas virtutes stulte prædicabant:) Vel etiam, quod Theodoretus scribit, eumdem Iulianum antequam arma sumeret, misisse nuntios Delphos, Delum, ac Dodonem, aliaque ad oraculorum loca, sciscitatum de bello gerendo, ab iisque accepta victoriæ pollicitatione, itineri se commisisse: licet (vt vidimus) diuersa ab his aliunde omina recepisset. Sed & vt qui defectionis à Religione Christiana auctor ei fuerat, idem esset & ad supplicium quod merebatur impulsor, his fallis vaticinijs accessit suffragium Maximi philosophi magi, promittentis (vt ait Socrates d) victoriam, non minorem, quam Alexander olim obtinuisset. Vnde & eo processit amentiæ, vt putaret ex Pythagorea metempsychosi animam Alexandri in se transmigrasse. Ac demum, quo magis sua sibi numina propitia redderet, vouit se cum de Persis victor rediisset, Christianos homines e diis immolaturum, totamque eorum gentem f deleturum, & in ecclesiis collaturum g lasciuæ deæ simulacrum. Hisque omnibus tantam de auxilio deorum fiduciam præsumpsit, vt hominum spernens adminicula, copias auxiliares, h quas plurimum gentium legationes pollicebantur, reiecerit, præterquam Arsacis Regis Armeniæ: quem, quod esset Christianus, per literas, iactantiæ sui, contemptus Constantii, contumeliæ in Arsacem, blasphemiarum in Christum refertas, (sic enim eas depingit Sozomenus i) iussit collectis copiis validis subsidio sibi esse, minitans, nec Deum quem Arsaces coleret, eum defensurum, si imperata negligeret.

Ait autem Zosimus, cum exacta hieme, præmisso exercitu, Antiochia egressum esse, cum ne perlitare quidem potuisset. Quod Ammianus contigisse tradit tertio Nonas Martii, relicto in odium Antiochenorum, Syriæ Præfecto Heliopolite quodam Alexandro, viro turbulento & sæuo: eumque eum deduceret multitudo promiscua, itum felicem, reditumque glorioſum exoptans, oransque vt deinceps placabilis esset ac lenior, ipsum locutum esse asperius, & asseruisse se os postea non visurum, sed Tarsum Ciliciæ reuersurum: quod haud diu post contigit, quando cadauer eius illuc sepeliendum relatum est. Hæc Ammianus. Porro iter eius in Persidem, resque in eo gestas, cum iidem auctores detexerint, tum ipse met Iulianus breui compendio retulit epistola k ad Libanium sophistam scripta. Ex qua & illud constat, eumdem in ea expeditione (quod tummis ducibus gloriæ datum est) ipsas noctes peruigilem in commentariis suis scribendis, instar Cæsaris, insumpsisse: adeo vt affirmet Hieronymus, l eum eadem expeditione composuisse libros contra Religionem Christianam, quos postea Cyrillus Alexandrinus egregiis refellit commentariis. Quod autem Hieronymus eos septem numeret, Cyrillus autem tres tantum, ex diuersa partitione operis, id accidisse putatur. Edidit vero præterea aliis temporibus scripta multa, quæ Suidas, aliique enumerant: quorum adhuc extat pars magna: & inter illa, commentarius *de Cæsaribus*, quem non aliam ob causam elucubrasse puto, quam vt ea occasione Imp. Constantinum, veste indutum muliebri, deæ deliciarum coniungeret vna cum filiis, se vero Solis filium Mercurii sententia comprobaret.

Cæterum Ammianus varia in itinere oblata Iuliano portenta refert: quæ tametsi eius interitum aperte prætagerent, ipse nihilominus, aruspicibus licet vt plurimum repugnantibus, magorum adulationibus deceptus, in victoriæ omina conuertere solebat. Sicque (vt ait S. Ambrosius m) cum responsis Aruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia reuertendi. Recenset etiam Theodoretus aliud vaticinium Antiochieni cuiusdam ludimagistri Christiani, qui paucis ante Iuliani mortem diebus, interrogatus per iocum à Libanio, victoriam Iuliani expectante, *quid tum ageret fabri filius?* Christum intelligente) respondit, *cum Iuliano loculum fabricare.*

Tradit vero Cedrenus, cum idem post aliquot dies Charras Mesopotamiæ peruenisset, clam in quadam spelunca mulieris ventrem dissecuisse, vt ex eius iecinore futuri belli exitum præsciret, quippe territū fuisse ibi insomniis, testatur Ammianus. Cum autem Nisibin apud Tigrin aduenisset, ibi (inquit Zosimus) octies mille grauis armaturæ milites, ad loci munitionem reliquit sub ducibus Procopio & Sebastiano. Quem quidem *Procopium* ait Ammianus fuisse Iuliano propinquum, eumq; cum Charris idem Imperator Lunæ sacra faceret, admissum absque arbitro ante aras, induisse purpureo paludamento, mandasseque arripere fidenter Imperium, si se interisse audiret. Cæterum quamuis Nisibin ciuitatem, Romanorum aduersus Persas propugnaculum, præ cæteris munuisset, tamen cum Reliquias S. Iacobi eius ciuitatis Episcopi, magno honore ab accolis cultas, quæ iuxta præceptum Constantini Magni, à Constantio filio intra muros vrbis collocatæ fuerāt ob custodiam ciuitatis, idem Iulianus extra efferri præcepit, a simul ipsam ciuitatē omni prorsus præsidio nesciens spoliauit: quippe quod quamdiu illæ ibi manserunt, ab omni Persarum aggressione perseuerauit incolumis, eis vero amotis necesse fuit mox hostibus (vt videbitur) dedi. Quo eodem tempore cum Nisibi esset, idem Iulianus sanctissimum monachum *Demetrium* b Persam, quod exprobrasset apostasiam, vna cum duobus eius discipulis, lapidibus obruī iussit.

Cum vero apud Persas ageret, contigit dignum illud memoria facinus, vt cum ex more ad discendas res absentes dæmone nuntio vteretur, eumque tunc in Occidentem sciscitatum misisset, peruenies dæmon ad locum quendā, vbi monachus nomine *Publius* habitabat, steterit ibidem per dies decem immobilis, non valens vltra progredi, quod monachus ille die noctuq; oraret, quapropter regredi coactus, Iuliano & moræ & rei infectæ causam narrauit. Quibus auditis, Iulianus quidem in monachum fremere: at vero vnus ex ipsius proceribus, eo miraculo cognito, post reditum ab expeditione omnia sua pauperib. distribuit, & ad Publium profectus, præclarus monachus euasit. Recitantur ista in Vitis c Patrum, quæ eadem habent Cedrenus, d Glycas, & alii.

Rursum autem cum Iulianus peruenisset Cercusium, munitionem positam in finibus Imperii Romani ad ipsam fluminis Euphratis, ac per naualem pontem exercitum in hostium ditionem transmisisset septimo Iduum Aprilis, ibi triste (ait Ammianus e) ei omen occurrit, exanime cadauer apparitoris extincti manu carnificis, quem Præfectus præsens damnauerat. Sed eo cum aliis eiusmodi, quæ eodem tempore cælitus acciderunt, philosophorū suasione neglectis, idem Imperator vlterius profectus, omnia prospera habuit vsq; ad vrbem Ctesiphontem, vt pluribus narrauidē Ammianus, quem legat, qui præter res ad Ecclesiasticam historiam spectantes, aliquid amplius cupit. Ad eam aūt vrbē cum accepisset nouum (quod referunt Suidas f atque Nicephorus g) oraculum adulatorium de futura victoria, triste rursum omen cunctis mœrorem incussit: cum videlicet (vt refert Ammianus h) eodem Imp. hostias Marti parante Vlpotti, ex tauris pulcherrimis decem ad hoc perductis, nondum aris admoti voluntate sua nouem procubuere tristissimi, decimus vero defractis vinculis ægre reductus est, mactatusque ominosa signa mōstrauit. Quibus visis, exclamauit indignatus acriter Iulianus, Iouemq; testatus est, nulla Marti iam sacra facturum. Porro eiusmodi victimarum reluctationem, tristis portenti loco haberi solitam, ex Macrobio, i Suetonio, k aliisque patet. Sic enim & de Galba idem Suetonius, l de Vitellio Tacitus, m de Alexandro Lampridius n affirmant, ante eorum interitum tauros fractis vinculis ab ara secessisse.

His igitur Iulianus quasi in desperationem actus, qui Ctesiphontis vrbis (vt ait Gregorius Nazianzenus) tanto desiderio tenebatur, vt vel ad eam propius accessisse, victoriæ partem existimaret: tamen inde iam velut arena pedibus subtracta, res sibi retro fluere sensit. Cum enim eam viribus, propter firmam ipsius munitionē, expugnare nequa-

quam

---

a *Greg. Naz. orat. 1. in Iul.* APPARATVS AD BELLVM PERSICVM.

b *Zos. lib. 3.*

c *Theod. lib. 3. cap. 18.*

d *Soc. li. 3. c. 18.*

INANIA VOTA.

e *Hier. in Chr. [Chry.] aduer Gent. Greg. Naz. orat. 2. in Iul.*

f *Theod. lib. 3. c. 18.*

g *Am. li. 23.*

h *Soz. li. 6. c. 1.*

VII. RECEDIT ANTIOCHIA.

k *Iul. ep. 28.*

l *Hier. ep. 84. ad Magn.* SCRIPTA EIVS ITINERE PERSICO.

VIII. FALSIS AVGVRIIS DEC. PERVRGET.

m *Amb. ep. 31*

a *Greg. Naz. orat. 2. in Iul.*

b *Marty. Basil. 7. Aug.*

IX. DÆMON NVNTIVS DISTINETVR FRATRE B. MONACHI.

c *Vit. Pat. par 2. c. 19.*

d *Ced. in comp. & Glyc. Anna. par. 4.*

X. TRISTIA OMINA IVLIANVM EXAGITANT.

e *Am. li. 23.*

f *Suid. verb. Iul. Parab.*

g *Nic. li. 10. in fi.*

h *Am. li. 24.*

AVFERT PROPVGNACVLVM NISIBIS

a *Greg. de Script. Eccl. c. 1. in Iacob. & alu postum.*

i *Mar. 3. Cor. 5.*

k *Suet. in Iul. c. 59.*

l *Id. in Galb. c. 18.*

m *Tac. lib. 3. hist.*

n *Lampri. in Alex. Imp.*

INDIGNATVR IN MARTEM.

XI. EVPHRATES IN TIGRIM FOSSA DEDVCTVS.

quam posset, nec vlterius commode pergere; vt periculum euitaret, quod inde imminebat exercitui, ac præsertim nauibus frumentum & vasa per fluuium Euphratem conuehentibus; eius fluminis partem perrupit, & circumduxit per fossam, quam olim Traianus, posteaque Seuerus, egesto solo fodi in modum canalis amplissimi curauerant, vt aquis illuc ab Euphrate transfusis, naues ad Tigridem fluuium aliquanto vlterius confluentem commigrarent: quæ quondam similia Persæ timentes, mole saxorum obruerant multorum: ea vero purgata valle, auulsisque cataractis vndarum magnitudine, Iulianus classem securam stadiis triginta depulsam, in alueum iniecit Tigridis, Ctesiphontem à tergo relinquens: admissis inter hæc velitationibus quibusdam, & leuibus prælijs cum Persarum copijs quæ in conspectu erant. Hæc Gregorius *a*, & Ammianus. Addit vero Gregorius, Persarum in his pugnis consilium fuisse, vt nonnisi magna necessitate vrgente tentandam sibi belli aleam iudicarent; sed è locorum angustijs hostes sagittis impeterent, atque opportunissimis viæ transitibus occupatis, eos vlterius progredi impedirent. Quibus rebus (vt ait) adeo fatigatus fuit Iuliani exercitus, vt ipse quo se verteret non habens, pernicioſum tandem consultationis suæ exitum repererit; dum fraude deceptus nobilis cuiusdam Persæ, qui Zopyri illius *b* erga Cyrum in Babylonis obsidione facinus imitatus, quasi ob grauissimas quasdam causas in offensionem Persarum Regi venisset, ad Romanos transfugit; eius suasione, aliæ facilioris & tutioris viæ ducem se fore pollicentis, naues simul & commeatum imprudentissimè incendit; eundemque Persam itineris ducem secutus, post paucos dies in magnas locorum difficultates adactus est: quousque tandem proditore Persa cum promissis suis abscedente, hostes vndiq; Romanorum exercitum, fame ac siti languētem, infestare cœperunt.

a Greg. Naz. orat. 2. in Iul.

PERSA PRODITOR DECIPIT IVLIANVM.

b Iustin. lib. 1. Herodot. lib. 3 Pluta. Apoph. Imp.

XII. c Amm. li. 25. RVRSVS TRISTIA OMINA

Quo tempore Iulianus (vt ait Ammianus *c*) ad sacrificia se ac inspicienda victimarum exta conuertens, omniaque tristibus plena ominibus conspiciens; nocte etiam ipsa, quæ eius obitum præcessit, vidit squalidius speciem illam Genij publici, quam cum ad Augustum surgeret culmen cōspexerat in Galliis, velata cum cornucopia per aulęa tristius discedentem: pauloque post numinibus per sacra depulsoria supplicans, flagrantissimam facem cadenti similem visam aeris parte sui cata euanuisse existimauit: horroreq; perfusus est, ne ita aperte minax Martis apparuisset fidus.

PVGNA EXTREMA IVLIANI CVM PERSIS, QVA IPSE PERIIT.

Cum vero & hæc omnia aruspices tristia portendere significarent, & profectionem differendam esse affirmarent; ipse nihilominus eadem spernens, exorta iam die castra mouit: quando aggressi eum vndique Persæ, acerrimum inierunt prælium; in quo dum idem rum suos excitaret, tum audacter effunderet semet in pugnam, subita equestris hasta, cute brachij eius præstricta, costis perfossis hæsit in ima iecoris fibra: quam dum auellere dextra manu conaretur, acuto vtrimq; ferro digitorum neruos sentiens excisos, letaliter vulneratus in castra relatus est: moxque vbi medicinę ministeriis leniro paulisper dolore timere desiit, magno spiritu contra exitum certans, arma poscit & equum, vt reuiso prælio suorum fiduciam repararet.

c Amm. li. 25.

Sed cum vires parum sufficerent voluntati, mansit immobilis, ideo spe deinceps viuendi absumpta, quod percontando, Phrygiam appellari locum illum vbi ceciderat comperit: ibi enim obiturum se præscripta audierat sorte. Ita Ammianus: qui pergit deinde referre militum, post vulneratum Imperatorem, insuperabilem fortitudinem, donec satietate vulnerum ambabus partibus fessis, nox diremit certamina tenebrosa. Iulianus autem in tabernaculo iacens, post habitam ad suos orationem, in laudem suæ ipsius fortitudinis, & optimæ Reipublicæ administrationis; (quam recitat Ammianus) perplexius disputans cum Maximo & Prisco Philosophis, super animorū sublimitate; hiante latius suffossi vulneris latere, & spiritum tumore cohibente venarum, epota gelida aqua, medio noctis horrore vita facilius est absolutus: vt habet idē Ammianus, in Iuliani omne laudum genus profusus: quem pariter sic extinctum Libanius Sophista luculenta scripta oratione laudauit *a*, atque etiam inter numina collocauit.

a Socr. lib. 3. c. 19.

XIII. b Ap. Niceph. lib. 10. c. 34. PERCVSSOR IVLIANI QVIS.

Sed quod eadem oratione *b* Christianos de Iuliani interfectione in crimen vocat, eo quod ex hostibus nemo vulneris eius honorem & præmium, licet à Persarum Rege hæc ingentia percussori promitterentur, ausus sit petere; adstipulatorem habet eundem Ammianum, dum ait hostium etiam assertione constitisse, non ipsorum armis, sed telo Romano Iulianum interemptum esse. Verum (inquit Socrates *c*) Callistus satelles Imperatoris, qui eius res gestas carmine heroico conscripsit, illum à dæmone transfixum commemorauit. Sanè à quonam is percussus interierit, haud satis fuisse exploratum scriptoribus illius temporis, imo nec iis qui certamini interfuerunt, Sanct. Gregorius *d* Nazianzenus significat, dum cunctas quæ à diuersis ferrentur, casum incertum pro arbitrio confingentibus, eius rei opiniones profert: ipse vero ministerio Angelorum tribuit *e*, & diuini virtuti numinis. Ioannes autem Damascenus *f*, ex Helladio Basilij Magni discipulo & successore refert, eidem Basilio per visum à Beata Virgine ostensam fuisse Iuliani necem, per Sanct. Mercurium martyrem factam. Ac pariter Sozomenus *g* accuratè describit aliam visionem, cuidam ex necessarijs Iuliani ad castra progredienti diuinitus oblatam, de nece à duobus quibusdam cœlitus illata Iuliano. Quod idem narrans Nicephorus *h*, duos illos fuisse prædictum Mercurium & Artemium Ducem, ambos insignes martyres, & egregios olim Christianos milites, affirmat. vtcumque res se habeat (inquit de his agens Gregorius *i*) Iulianus Orbi vniuerso salutare vulnus accepit, vnoque facinore multorum pernicioſe vetitorum pœnas exoluit. Quod vero in Vita Sanct. Basilij sub falso Amphilochij nomine narratur, Libanium persimilem de interitu Iuliani, quam Basilius habuit, visionem noctu per somnium cōspexisse, cum esset in castris; eumdemque septimo post die ab exercitu fugientem, ad Basilium Cæsaream conuolasse, ac Christianum factum esse: sunt hæc plane digna risu, quæ & fidem derogent nonnullis, quæ ab aliis accepta, in eadem Vita vera esse probantur.

c Socr. lib. 3. cap. 18.

d Greg. orat. 2 in Iul.

e Id. orat. 1. in pr. & de laudib. Athan. f Damasc. or. 1. de Imag.

g Soz. lib. 6. c. 2.

h Nic. libr. 10. c. 35.

i Greg. Naz. or. 2. in Iul.

XIV. k Theod. lib. 3. c. 20. BLASPHEMÆ VOCES IVLIANI MORIENTIS.

Porro scribit Theodoretus *k*, Iulianum simul ac plagam accepisset, sanguine manum impleuisse, eoque in aerem proiecto exclamasse, VICISTI GALILÆE: quod & alij plerique testantur: Nicephorus vero, dixisse, SATVRARE NAZARENE. Sozomenus insuper eundem cum sanguinem manu ostēdisset, illum in aerem proiecisse, perinde ac Soli iratum quod Persis venisset subsidio, & se non seruasset incolumem, cuius natiuitatis velut Dominus esset & moderator. Sed & alias in deos suos querelas ingessisse, idem Theodoretus habet; puta in Martem, quod vti promiserat auxilium non tulisset; in Apollinem, quod falsa vaticinatus esset; in Iouem denique, quod non in suum interfectorem fulmen torsisset.

AFFECTAT DIVINOS HONORES.

Addit vero Gregorius Nazianzenus, eundem, quod permultos sciret arte se olim ex hominum oculis suffulisse, ac pro diis habitos esse, eiusdē glotiæ cupiditate captum, in proximum profluentem corpus proijcere conatū esse opera fidissimorum sibi hominum; sed vnum ex Eunuchis Imperatoriis, sceleris odio re patefacta, ei obstitisse. Haud tamē defuerunt ex domesticis, qui eum curru ad superos eleuatum finxerint, & diuina testificatione id probare nitū fuerint; sicut legitur apud Nicephorum *l*. Cuius quidem casum eadem hora qua contigit, diuina reuelatione cognitum fuisse S. Iuliano Sabbæ insigni anachoretæ, plusquam viginti dierū itinere ab exercitu distanti. Theodoretus *m* narrat. Idque ipsum doctissimo Didymo, viro Ecclesiastico Alexandriæ degenti, diuinitus ostensum, & vt significaret Athanasio iussum, Sozomenus *n* & Palladius *o* referunt.

l Niceph. lib. eap. vlt. DIVINÆ VISIONES DE EIVS INTERITV. m Theod. c. 19 n Soz. d. c. 2. o Palad. in Lausiac.

Diem vero tantæ vltionis fuisse sextum Calendarum Iulij, ex Ammiano *p* colligitur, ac Socrates *q* expresse testatur. Vnde & diuinam licet æstimare vindictam, dum ea die qua ipsius rescripto passi sunt Romæ SS. Iohannes & Paulus, ipse Iulianus diuinitus necatus habetur. Sed quod

XV. p Amm. l. 25. q Socr. lib. 3. c. 18. ÆTAS, ET IMPERIVM.

ad tempus eius vitæ, & imperij attinet; prædictorum autorum assertione constat, ipsum anno ætatis trigesimo primo occubuisse. Errat tamen Socrates, dum ait anno tertio Imperij id accidisse; cum ex superiori Chronologia manifestum sit, Iulianum minus habuisse in Imperio ab expleto biennio, menses tres & dies nouem. Sed errandi dedit occasionem, quod sub eius Imperio tres ponuntur Cōsulatus: verum primi menses tantum tres, postremi sex haud absolutos regnauit. In quod autem discrimen ex hoc insulse tentato, & male gesto Persico bello, adductum sit Romanum Imperium; omnes luctu immenso prosequuntur historici: quod etiam demonstrarunt sanctissimi Patres qui tunc vixerunt, Gregorius *a* Nazianzenus, Chrysostomus *b*, Hieronymus *c*, Augustinus *d*. Adeo vt plane habuerint vnde plurimum erubescerent, Libanius & alij ei similes, qui Iuliano viuenti turpiter adulati, *Bono Reipub. natum* iactarent, & vbique locorum inscriptionibus *e* signarent. Admiratos vero etiam esse Gentiles, vlciscentis Dei Christianorum vim atque fortitudinem, ex iis quæ Sanct. Hieronymus *f* scripsit, intelligere possumus; dum ait, in ipso persecutionis ardore Iuliani nunciato interitu, eleganter vnum de Ethnicis, *Quomodo*, dixisse, *Christiani aiunt, Deum suum esse patientem & ἀνεξίκακον? nihil iracundius, nihil hoc furore præsentius: ne modico quidem spatio indignationem suam differre potuit.*

Cæterum corpus Iuliani Tarsi Ciliciæ conditum, Ammianus significat. Sed illud eo è Perside, maxima omnium vrbium ac populorum derisione & subsannatione reuectum fuisse, & impuro atque execrando tumulo mandatum, Gregorius *g* Nazianzenus tradit: qui tamen alibi *h* audiuisse affirmat, eius corpus nec ad sepulturam assumptum, sed à terra, quæ propter eius scelus tremore affecta fuerat, excussum, æstuque vehementi proiectum esse in sequentis supplicij primordium. Sed & iisdem, quibus Iulianus, probris affectos fuisse, Antiochiæ præsertim, Philosophos illos magos atque augures, quos charissimos amicos habuerat; & CRVCIS vbique prædicatam victoriam, testis est Theodoretus *i*: eoque magis in illos conclamatum esse, cum post eius obitum reseratis penetralibus, inuenta sunt humana cadauera iam putredine exesa, quæ ipse immolauerat diis, vel exta scrutatus fuerat ad consequendam rerum futurarum scientiam.

Cæterum in conscribendis Iuliani rebus gestis, ex Ethnicis æquiorem se præbuit Ammianus: qui etsi in iis limen interdum veritatis transgressus sit, tamen in memoriam reuocans sibi non encomiastæ, sed historici fore numeros exsoluendos; post contexta præconia Iuliani virtutum, laudans eius iustitiam, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, castitatemq; cum liberalitate coniunctam, necnon in militari disciplina solertiam; vitia tandem paucis perstrinxit, dum ait *k* eum leuioris fuisse ingenij, linguæ fusioris & admodum raro silentis, præsagiorum scisciationi nimiæ deditum, superstitiosum magis quam sacrorum legitimum obseruatorem, atque in victimarum mactatione adeo profusum, vt æstimaretur, si reuertisset de Parthis, boues iam defuturos; vulgi plausibus lætum, laudum etiam ex minimis rebus intemperantem appetitorem, popularitatis cupiditate cum indignis loqui sæpe affectantem.

At vero extant duæ illæ à Gregorio Nazianzeno Orationes in Pontica solitudine (vbi cum Basilio hoc tempore degebat) aduersus Iulianum conscriptæ; in quibus eius vitia, turpitudines, & sacrilegia, necnon mala Ecclesiæ illata, egregiè descripta habentur: quas prudens quisque dixerit duo fulmina, magno cum fragore tonitrui veritatis luce coruscа, in horrendum monstrum validо impetu cælitus missa. Nec sine iusto Dei iudicio factum est, vt quos alij Iulianum laudantes commentarios conscripsere, omnino perierint, vtpote mendaciis referti; Gregorij vero orationes veritati innixæ, immortales perseuerent. Auctor enim est Zosimus *l*, complures historicos & poetas res Iuliani prosecutos fuisse; quas etiam Eunapius restatur se collegisse. Sed perierunt hæc omnia, simulque oratio panegyrica Libanij, & carmen Callisti, quorum meminit Socrates *a*. Si vero quis cupit summatim scire prauos mores hominis, ac præsertim leuitatem, quam omnes tam nostri quam Ethnici in eo redarguunt, simulq; eius infelicem exitum; accipiat diuinum diu ante pronunciatum oraculum *b*, *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malū, & omni tempore iurgia seminat. Huic extemplo veniet perditio sua, & subito conteretur, nec habebit vlra medicinam*: quæ mirum in modum Iuliano per omnia congruere, cum dicta sint de apostatis omnibus.

Post Iulianum extinctum, cum haud pateretur rerum angustia, longa de nouo Imperatore deligendo agitari comitia; ipso illucescente die quinto Calendarum Iulij, mira Dei prouidentia cuncta disponente, in locum eius, omnium fere Ducum, ac totius exercitus suffragio, IOVIANVS *c* Singidone in Pannonia patre Varroniano Comite natus, ipseque Domesticorum ordinis primus, tam paterna quam propria virtute commendatus, Christianæque fidei (vt vidimus) confessor egregius, Imperator subrogatus est; paucis tantummodo refragantibus, haud dubium Gentilitiæ factionis hominibus. Cuius quidem in eo tum egregia virtus enituit, dum sic electus negauit se, Christianus cum esset, imperare velle exercitui militum Gentiliū; quousq; milites se itidē Christianos esse clamassent: quippe qui licet in gratiā Iuliani foris idololatriæ adhærerent intus tamen magna ex parte conseruarent susceptam olim sub Christianis Impp. fidem Catholicam. Narrant hæc Theodoretus *d*, Sozomenus *e*, Socrates *f*, & ante eos omnes Ruffinus *g*.

Ex quibus omnibus refelluntur Ammiani calumniæ, de iniqua Iouiani electione; itemque quod ait, eundem profectionem instituentem deseruisse vallum extorum inspectione suasum. Quomodo enim potuit Iouianus extorum inspectione aliquid disponere, qui adeo Christianæ legis (vt idem fatetur Ammianus) studiosus fuit? Et quid idem cladem exercitus, ciuitatum prouinciarumque iacturam, non Iuliano, quem ex instituto laudandum suscepit, sed Iouiano semper adscribit? Quænam autem fuerint fœderis cum Persis in annos triginta initi conditiones, eas idem Ammianus imprimis narrat; nimirum vt quinque regiones Transtigritanæ, cum quibusdam aliis castellis tradentur Persis; itemque vt Nisibis & Singara in Mesopotamia, (sine tamen incolis, qui patriis sedibus coacti sunt cedere) transirent ad iura Persarum; ac denique ne Arsaci Maioris Armeniæ Regi poscenti contra Persas ferretur auxilium, licet is amicus Romanis semper & fidus extitisset.

Quæ tametsi dura maximè, ac prorsus indigna Romanorum potentia, videri possent; tamen rem ipsam, statumque eius temporis accuratius perpendentibus, visum est quasi miraculum, vt fame & bello insumpto vndique in terra hostili locisque desertis exercitu, in quo tunc constitebāt omnes Reipubl. Romanæ vires, cui nec euadendi, nec manus cum hoste conserendi facultas vlla suppeteret; quas Romani auli minimè essent conditiones pacis petere, sponte eas tunc hostes offerent. Hæc quidem inter alios pro magno Dei beneficio reputarunt Gregorius *h* Nazianzenus, Chrysostomus *i*, ac Ruffinus. Verum Gentiles omnes inuidia tabescentes de Christiani creatione Imperatoris; eum maledictis incessere, sannisque atque dicteriis tum publicè tum priuatim deridere, ac potissimum Antiochiæ cum eo peruenit, minimè destiterunt: quorum nonnulla referunt Suidas *k* atque Nicephorus *l*.

Vbi autem primum is Imperium adeptus est, milites Christianos fidei confessionis causa exauctoratos ac proscriptos, in integrum restitui mandauit: quando (vt ait Sozomenus *m*) Valentinianus ea de causa in Melitina Armeniæ relegatus, pristinæ militiæ redditus est. Sed & verum Dei cultum vbique restitui iussit; Ecclesiisq; ac clericis, viduis & virginibus, immunitates, donatiua, ac priuilegia omnia à præcedentibus Impp. Christianis concessa, atque à Iuliano ablata reddidit *n*. Insuperque Episcopos *o* omnes ab exilio ad sedes suas edicto promulgato reuocauit; & maximè Athanasium: ad quem etiam scripsit, vt fidei

Catho-

a Socr. lib. 3. c. 18. 19.
APOSTATÆ DESCRIPTIO, CONVENIĒS IVLIANO.
b Prouerb. 6.

XVII.

c Amm. l. 25.
IOVIANVS CONFESSOR, ELIGITVR IMP.

d Theod. lib. 4. c. 1.
e Soz. l. 6. c. 3.
f Socr. libr. 3. c. 19.
g Ruff. lib. 2. cap. 1.

XVIII

FOEDERIS CVM PERSIS CONDITIONES.

h Greg. orat. 2. in Iul.
i Chrys. de laud. Paul. orat. 4.
IOVIANVS AB EPISCOPIS DEBITIS k Suid. verb. Iouian.
l Nic. l. 10. cap. vlt.

XIX.

m Soz. l. 6. c. 5. FIDEM CATHOL. VBIQ. RESTITVIT.
n Id. cap. 9. Theod. lib. 4. c. 4.
o Greg. Naz. or. in laud. Athan. Socr. l. 3. c. 20. & alij.

a Greg. Naz. or. 1. in Iulian.
b Chrys. orat. vnic. Cont. c Hier. ep. 3.
d Aug. 5. de ciuit. 21.
e Inscript. Smet. pag. 156 num. 3. 15. 16.
f Hieron. in Habac. 3.
SCELERATŪ EVNVS.

g Greg. orat. 2. in Iul.
h Id. orat. in laud. Athan.

i Theod. l. 3. c. 12.

XVI.
LAVDES ET VITVPERIA EX AMMIANO.

k Amm. l. 22.

ORATIONES GREG. NAZ. IN IVLIAN.

l Zos. lib. 3.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ATHAN. LIBELLVS FIDEI AD Iouian.
a *Athan. de fide ad Iouian.*
b *Theod. l. 4. c. 3.*

Catholicæ veritatem, quam inter tot diuersas ac contrarias opiniones tuto sequi posset, ad se mitteret. Quod & præstitum est impigrè; cum euestigio conuocatis ab Athanasio ad SYNODVM Alexandriam primariis Episcopis sibi subiectis, cõmuni omnium decreto missus est ad nouum Imper. Catholicæ fidei libellus, qui hactenus extat inter Athanasij *a* lucubrationes, & apud alios auctores: cuius etiam titulus, quo carent alij, apud Theodoretum *b* habetur, sed fidelior textus penes ipsum Athanasium.

XX.
c *Soer. lib. 3. c. 20. 21.*
HÆRETICI STVDENT SE EI INSINVARE.

Haud vero segniores fuerunt hæretici. Siquidem auctor est Socrates *c*, Macedonianos (sic iam palam dictos Semiarianos, à Macedonio eorum antesignano) præoccupaturos animum Imperatoris, obuiam redeunti à Perside processisse, expostulantes aduersus Arianos; sed Imperatorem eos reiecisse, contestatum se nolle aures contentionibus præbere: Acacium autem, impiissimum illum Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, Arianorum antesignanum, facem luemq; totius Christiani Orbis, cum regnante Arianæ hæresis fautore Constantio, ei perpetuo inhæsisset; vt translatum vidit Imperium in hominé Nicænæ fidei professorem; ne quod sæpius aliis procurauerat, exilium iam ipse pateretur, pietate simulata, vna cum suis venientem Antiochiam ad CONCILIVM, à Meletio eiusdem ciuitatis Orthodoxorum Episcopo, hoc ipso tempore post reditum ab exilio celebratum, fidei Consubstantialis consensisse, & Confessioni Nicænæ subscripsisse; eaq; de re libellum ad Iouianum misisse. Hæc Socrates, & alij *d* quamquam ea Arianos dolose peregisse cõstet, ad circumueniendum nouum Imperatorem. Addit vero Socrates, eosdem in hac Synodo sic recantantes palinodiam, non tantum ad Catholicam religionem receptos esse, sed & gradum Episcopatus suasq; Ecclesias retinere permissos. Quod vltimum Marcellinus presbyter schismaticus Luciferianus, cũ huius Synodi mentionem habet, magnopere detestatus est eo libello quem ad Theodosium scripsit. Cæterum de huiusmodi hæreticis, pro conditione temporis fidem mutantibus, lepide Themistius *e* Philosophus, de quo superius, dixit eos non Deum, sed purpurã coluisse; Euripoq, similes esse, qui modo in hanc, modo in illam partem præcipitatur. Meminit quoque eiusdem Synodi Antiochenæ Hieronymus in Chronico: sed deprauatus est sanè textus, qui ita restituendus est, vt dicat; *Synodus Antiochiæ à Meletio & suis facta; in qua Homiusio & Homeusio reiecto, medium inter hæc Homousion receperunt, & Macedonianum dogma reiecerunt.*

SYNODVS ANTIOCH. SVB MELETIO.
d *Soz. lib. 6. c. 4. Suid. verb. Iouian. Marcell. presby. libel. ad Theodos.*
e *Ap. Soer. ibid.*

[Ita quidem emendauit Baronius, auctoritatem secutus Socratis & Sozomeni. At vero huiusmodi emendationi omnino repugnant cum libri editi, tum præcipuè M. S. omnes quorum cum ingentem copiam se vidisse testetur *Arn. Pontacus* in Notis ad Chronicon Hieronymi; hanc in eis inuenit lectionem, *Synodus A. à M. c. s. f. in qua Homousio Anomæoque reiecto, medium inter hæc Homousion Macedonianum dogma vendicauerunt.* Idque ita interpretatur, vt Meletius & Synodus secuti sint dogma Macedonianum; quod reiecta fide Catholica de Homousio, id est, de eadem Filij cum Patre substantia, & opinione Acacij de Anomœo, hoc est, de diuersa substantia Filij à Patre, retinebat Homoiousion, tanquam medium inter vtrosque: id est, asserebat Filium non eiusdem, nec diuersæ, sed similis substantiæ cum Patre. Ac certe apud Socratem obseruare licet, Episcopos qui Synodo interfuerunt, quamuis fidem Nicænam amplecti, Anomianosq; detestari dicant, Homousion tamen sic interpretari, quasi aliud non significet quam simile substantia: quod ipsum plane erat Homoiousion statuere. Qua etiam de re monitus aliunde Baronius; in posterioribus correctionibus, licet non omnino probauerit lectionem illam codicum MS. tamen agnouit dolum Arianorum in interpretando Consubstantiali per Similitudinem. Cæterum haud ideo detrahendum Meletio viro sanctissimo, qui ei Synodo præfuit: quippe qui facile potuit decipi fraudulentorum hominum verborum inuolucris; cum alias semper, à quo tẽpore præfectus est sedi Antiochenæ, cõstans permanserit assertor fidei Catholicæ Homousij & Consubstantialis, frequentiq; inde pertulerit exilia.]

XXI.
f *Soer. c. 22.*
ARIANI FRVSTRA CALÛNIANTVR ATHAM.
g *Soz. lib 6. c. 5.*
h *Epiph. har. 68.*

Qui autem hæresim Arianam pertinaciter sectari instituerunt, (siquidem Imperator declarauit *f*, se nemini qualemcunq; fidem amplexanti molestiam exhibiturum:) quorum signifer videbatur Euzoius Antiochenorum suæ sectæ Episcopus, conati Imperatorem ab amicitia Athanasij diuellere, plurimas in eum accusationes plane calumnioſas intulerunt: quas tamen idem Athanasius siue sponte (vt vult Sozomenus *g*) siue (vt scribunt Epiphanius *h* atque Ruffinus) Imperatoriis litteris accersitus, Antiochiam ad illum accedens, cunctas facile diluit, & cum multo honore ad Ecclesiam suam remissus est. Sed dum ibidem Antiochiæ ageret, turbata ea Ecclesia nouis factionibus, occasione *Vitalis* presbyteri *a* partium Meletianarum, moribus ac pietate illustris, exagitantis Paulinum alterius Catholicorum partis Antistitem, tamquam Sabellianæ sectatorem hæresis; idem Paulinus coram Athanasio se purgauit scripta fidei Catholicæ confessione, qua & Sabellio anathema dixit. Recitat illam Epiphanius *b*, dum narrationem restituit de alia rursum altercatione, quam pariter ipse Epiphanius alio post tempore habuit ibidem Antiochiæ cum eodem Vitale. qui postmodum ob *c* indignationem quandam aduersus Flauianum compresbyterum, quod se cõtemptui haberi videret, derelicta communione Catholica, adhæsit Apollinari, & factus est suæ sectæ Antiochenus Episcopus.

a *Soz. l. 6. c. 27.*
b *Epiph. hær. 77.*
c *Soz. d. c. 27.*

XXIII.
IDOLORVM TEMPLA CLAVSA, ET SACRIFICIA VETITA.
d *Socr. lib. 3. c. 20.*

Sub hoc idem tempus, Gentilium delubra Iouiani iussu occlusa, atque victimarum sacrificia sublata fuisse; Gentiles quoque ipsos se occultasse, & Philosophos pallio depositio communem habitum sumpsisse; auctor est Socrates *d*. Cæterum hæc Philosophis contigisse potuerunt timore Christianorum, quod iidem cuncta quæ passi essent, illis accepta ferrent: Alioqui enim factum est, vt præter spem omnem, Iouianus (quod Eunapius tradit) non destiterit illos honoribus prosequi, Maximum præsertim & Priscum; quos in Perſidem secum duxerat Iulianus, tum Philosophia tum etiam magia celebres. Qua forte ex causa Iouianus diuinum in se numen haud leuiter concitauit: eoque exemplo admonitus Valens, qui post eum Orientale administrauit Imperium, eiusmodi genus hominum grauiter infectatus est; vt videbitur suo loco.

IESV CHRISTI ANN. 364.

LIBERII ANN. 13.

VALENTINIANI & VALENTIS ANN. I.

I.

ANNO CHRISTI trecentesimo sexagesimo quarto, Iouianus Imp. cum Antiochia iturus Constantinopolim, ipsis Calendis Ianuariis, quibus nouis Cossibus aperitur annus, peruenisset Ancyram Galatiæ; illic ipse adiit Consulatum, ascito sibi in collegam filio paruulo, nomine patris sui *Varroniano*. Cumq; inde profectus, peruenisset ad locum Dadastanam dictum, qui Bithyniam diuidit *e* à Galatia; (vbi & Themistium Philosophum, alioſq; ordinis Senatorij obuiam factos excepit, eiusdemque orationem Consularem audiuit:) ibidem, vt ait Ammianus *f*, improuiso casu nocte exanimatus inuentus est. Inter varias autem huius repentini obitus opiniones, ea verior creditur gest, vt denso prunarum vapore (cum ad exiccandum recens ædificatum parietem, in eius cubiculo incensæ fuissent collocatæ) spiraminum meatibus occlusis interierit. (Cuiusmodi repentinos obitus, sæpe Romæ nostra ætate audiuimus contigisse.) Si vero causam ex infenso numine afferre licet, (nam diuino arbitrio hæc omnia transigi, nemo negatit) cum illa præcessisse videtur, quam diximus de honore ab eo exhibito Maximo ac Prisco Philosophis magis; tum etiam quod (vt Ammianus tradit) cum Tarsum peruenisset, exornandum Iuliani sepulchrum decreuit; hominis alioqui ne cæspititia quidem sepultura digni. Impios n. indignos esse sepulchro, Iosias *h* Rex sanctissimus docuit: quippe quod ædificatione & ornatu sepulchrorum, probari acta eorum qui ibi reconditi sunt, sententia Domini *i* reddatur manifestum.

e *Socr. lib. 3. c. 21. 22.*
f *Am. l. 25.*
IOVIANI IMPER. OBITVS REPENTINVS.
g *Am. ibid. Hier. ep. ad Heliodor. Soz. lib. 6. c. 6.*
IN QVIB. DELIQVIT.
h 2. *Paral. 34.*
i *Matth. 23.*

Cæterum cum auctoritate Socratis & Eutropij constet, Iouianum decessisse decimotertio Calendas Martij;

oportuit eum imperasse menses tantummodo septem, & dies viginti : quem natum fuisse annos triginta tres, iidem auctores, & imprimis Ammianus testatur : ex quibus Victor redarguitur, dum ait ad quadragesimum proximè peruenisse. Sed & illi omnes, qui eum non *Iouianum* appellant, sed *Ioui anum*, ex antiquorum nummorum inscriptionibus manifesti redarguuntur erroris. Eius vero corpus ex more curatum, missum esse Constantinopolim, vt inter Augustorum reliquias (nempe in atrio basilicæ Apostolorum) reconderetur, Ammianus tradit.

III. VALENTINIANVS CÆSSOR ELIGITVR IMP.

a *Amm. l.26*
b *Niceph. l.11. c.1.*
c *Suid. verb.* Sallust.

Progresso autem exercitu Nicæam Bithyniæ, decimo die ab obitu Iouiani (inquit Ammianus *a*) VALENTINIANVS absens, relictus enim apud Ancyram fuerat, postea secuturus;) nulla discordante sententia, numinis aspiratione cœlestis, electus est Imperator, agens scholam Scutariorum secundam. Porro iam olim prodigio quodam sub Constantio Imperium Valentiniano prænunciatum fuisse, Nicephorus *b* tradit. Auctorq; est Suidas *c*, eum creatum esse Imperatorem à Sallustio Præfecto tunc Prætorio; cuius virtutes (licet Ethnici, & Iuliano olim charissimi) prædicat; & Valentiniani Imperij exordium ad iustissimi) prædicat; & Valentiniani Imperij exordium ad iustissimi) prædicat; & Valentiniani Imperij exordium ad iust

IESV CHRISTI ANN. 365.

LIBERII ANN. 14.

VALENTIN. VALENTIS } ANN. 2.

I. CONCILIVM LAMPSACENVM SEMIARIANORVM.

ANNO CHRISTI trecentesimo sexagesimo quinto Valentinano & Valente Impp. Coss. septimo anno post Concilium Seleuciæ sub Constantio habitum, (vt ait Socrates *a*) *Lampsaci* in Hellesponte CONCILIVM celebratũ est. Qua in re illud primum animaduertendum, errare Sozomenum *b*, atque cæteros omnes qui putarunt illud fuisse Catholicorum, qui Consubstantialitatem Filij Dei tuerentur; quod iterata Basilij *c* assertione constat ab hæreticis habitum esse: nempe à Semiarianis, qui sic Arianos oppugnarent, negantes Filij cum Patre similitudinem atque substantiam, vt tamen nequaquam essent assertores Nicænæ confessionis de Consubstantialitate. Quod vero iidem respectu Arianorum viderentur esse Catholici; inde multi existimarunt à Catholicis celebratum esse Concilium, quod certo constabat aduersus Arianos esse peractum; imo & aliquos Catholicos ad illud vocatos esse, sicut de se Basilius (nondum tamen tunc Episcopo) testatur *d* scribens ad Eustathium Sebastenum antesignanum eius conuentus. Cuius quidem celebrandi causa illa potissima fuit, vt editam Constantinopoli ab Eudoxio, Acacio, & aliis impudentissimis Arianis, portentosam fidei Formulam penitus abolerent; & Antiochenam in Encæniis editam, ac postea Seleuciæ confirmatam (de quibus omnibus dictum est suis locis) stabilirent. Quod & factum esse, simulque in eosdem Acacium & Eudoxium sententiam condemnationis repetitam, Socrates *e* & Sozomenus tradunt. Sed & præter hæc, ab iisdem Semiarianis in eodem Concilio additam fuisse Spiritus sancti diuinitatis ex sententia Macedonij negationem, Socrates significat. Quæ vero tum à Legatis Synodi, tum ab Eudoxio gesta esse cum Valente Imper. Sozomenus addit; ea omnia contigisse anno sequenti, post extinctum Procopium, constat: cum hoc anno absque vlla temporis intermissione Valens acerrimè à tyranno vexatus fuerit, & ad vltimum ferme discrimen adductus.

a *Socr. l. 4. c. 4*
b *Soz. l. 6. c. 7.*
c *Basil. ep. 72. 82.*
d *Id. ep. 79.*
e *Socr. & Soz. vbi supra.*

II. SEMIAR. EVRIPIVNT CÕMVNIONEM à LIBERIO PP.

Porro quæ Lampsaci Semiariani statuerunt, eadem ab aliis eiusdem communionis Episcopis, diuersis in locis coeuntibus, confirmata sunt; eorumque omnium consensu, scriptæ Synodales Epistolæ ad Occidentales Episcopos, ac præcipuè ipsum Romanum Antistitem. Sed quod probe scirent, nunquam se ab eo extorturos cõmunionem, nisi per Nicænæ fidei confessionem, fraudulenter rem agentes, Legatos miserunt ex omnibus qui essent audacissimi, & ad fingendum maximè comparati; videlicet prædictum Eustathium Sebastiæ minoris Armeniæ, Theophilum Castabalorum, & Siluanum Tarsi Ciliciæ Episcopos. Qui cum Romam peruenissent, ac Liberius Papa literas quas ipsi attulissent, recipere recusaret, quod ab Arianis datæ essent; respondentes illi, se pœnitentia ductos veritatem agnouisse; ac mox petenti Liberio libellum suis manibus subscriptum offerentes, quo fidem Nicænam ad doctrinam Consubstantialitatis profiterentur, & Ario eiusque fautoribus anathema dicerent: iidem in cõmunionem à Liberio recepti, susceptis ab eodem ad Orientales Episcopos gratulatoriis simul ac pacificis seu communicatoriis literis, dimissi sunt. Hæc quidem omnia pluribus Socrates *f*, qui libellum ipsum Legatorum, literasq; Liberij recitat: perperam tamen hæc referens ad Valentiniani & Valentis Augg. secundum Consulatum, tertium videlicet ab hinc annum; cum constet nequaquam ad illud tempus Liberium peruenisse. Denique nec has solum, sed alias Legatis litteras Liberium dedisse, quibus præcipere-

f *Socr. lib. 4. c. 12.*

tur, vt qui sedibus expulsi fuerant, post fidei Catholicæ cõfessionem iisdem restituerentur; apparet ex iis quæ mox dicentur.

Interim Eustathius cum suis Roma discedens, in Sicilia CONCILIO (vt ait Socrates) Episcoporum Insulæ cõuocato, fidem Consubstantialis iterum professus est; acceptisque à Synodo literis in eandem cum Epistola Liberij sententiam, illinc recessit. Idemque præstitisse in Illyrico, patet ex literis Episcoporum eius prouinciæ; quas Theodoretus *a*, licet confuso rerum gestarum ordine, recitat: ex quibus etiam constat, Liberium vna cum iisdem Legatis misisse in Asiam *Elpidium* Romanæ Ecclesiæ presbyterum. Tradit insuper Sozomenus *b*, eosdem Legatos redeuntes in Orientem, tulisse pariter secum literas ab Episcopis Galliæ & Africæ. Sed & alias eodem tempore ab Imperatoribus ad eosdem Asianos conscriptas; idem Theodoretus *c* habet. His igitur omnibus munitus Eustathius, ad SYNODVM, quæ à Catholicis agebatur *Tyanæ* in Cappadocia ad radices Tauri montis, se contulit. Vbi literis Liberij ostensis, mox idem earum auctoritate Ecclesiæ Sebastenæ restitutus est, è qua pulsus olim fuerat à Concilio Melitinensi ob communicationem cum Eudoxio. Hæc enim testatur Sanct. Basilius *d*, cum scribens postea ad Occidentales, aperuit veternosi hæretici vafrum cohtilium in surripiendis hisce à Liberio literis. Cæterum magna alacritate Synodum Tyanensem excepisse literas cum ipsius Liberij, tum aliorum Occidentalium Episcoporum; easq; ad omnes Ecclesias misisse vt eã doctrinæ subscriberent; sed & Episcopos omnes ad certum diem Tarsum Ciliciæ inuitasse, Sozomenus tradit. Hæc aũt omnia à tempore Concilij Lampsaceni vsque ad absolutam Synodum Tyanensem, excessisse huius anni terminum, & occupasse partem sequentis, ob rerum multiplicitatem facile adducimur vt credamus.

III. CONC. SECVLVM.

a *Theod. l. 4. c. 8.*
b *Soz. li. 6. c. 12.*
c *Theod. ibid. c. 6.*
SYNODVS TYANEN.
d *Basil. ep. 74.*

Præsens item annus memorabilis extitit horrendis tremoribus, qui per omnem Orbis ambitum grassati sunt subito, (inquit Ammianus *e*) quales nec fabulæ, nec veridicæ nobis antiquitates exponunt: Itemque terribili maris retractione primum, moxque eruptione, qua infinitæ naues, personæ, ciuitates, nationes oppressæ sunt. Describit ea pluribus idem auctor: quæ Sozomenus *f* & Nicephorus *g*, aliique eos secuti, male referunt ad tempora Iuliani, quidam etiam ad Iouiani Imperium: sed Orosius *h* sub Valentiniano & Valente Impp. contigisse tradit; Hieronymus *i* anno secundo eorundem Impp. nempe præsenti; ac denique Ammianus iisdem Impp. primum Coss. duodecimo Calendas Augusti. Qua eadem necessitate accidit grande illud miraculum, à Sanct. Hilarione in fauorem Epidauritanorum editum, quod in eius Vita Hieronymus refert; cum videlicet tribus signis Crucis in sabulo pictis, mare, quod iam ciuitati euersionem minabatur, ita coercuit, vt postquam in immensam altitudinem intumescens diu fremuit, quasi ad obicem indignans, paulatim in semetipsum relapsum sit. De Alexandrinis vero testatur Sozomenus, instituisse anniuersariam memoriam eiusmodi terræmotus, ad reddẽdas Deo gratias. Si quid autem futurorum malorum portendendi, iis casibus vim inesse ex diuina ordinatione, quis velit; diri Schismatis sequenti anno in Ecclesia Romana subsecuti, & Persecutionis aduersus Catholicos à Valente in Oriente excitatæ, fuisse prænuncios; æquè dicere poterit.

e *Am. l. 26.*
f *Soz. l. 6. c. 2.*
g *Nic. libr. 10. c. 35.*
h *Oros. lib. 7. c. 32.*
i *Hieron. in Chron.*
S. HILARIONIS ORANDI MIRACVLVM

IV. DIRISSIMI TERRAEMOTVS, ET MARIS REVVLSIO.

Eodem hoc anno, ab iisdem Impp. inter alia rescripta, hæc fuere magna laude promulgata; Vt sacræ virgines, viduæ, ac pupilli, exempti *k* essent à censu capitationis: Ne Christiani *l* ab exactoribus die Dominico conuenirí possent: Vt esset *m* muneris Episcopalis prouidentiæ, ne mercatores carius suas mercedes venderẽt: Ne addiscerentur *n*, vel docerentur improbatæ magicæ artes: Ne Christiani delinquentes *o* damnarentur ad ludum: (quod iam diu ante abolitum, impius Iulianus in odium Christianorum reuocauerat in priſtinum vsum:) ac denique addiderunt, vt qui *p* è curia transissent ad munia clericatus, nisi decennio in clericali functione perseuerassent, non potirentur immunitatibus concessis clericis. Quod quidem ab iis rescriptum est,

V.

quod (vt alias dictum) complures vitandi causa onera curialia, & potiundi amplissimis Clericorum priuilegiis, inter clericos allegi festinarent.

IESV CHRISTI ANN. 366.

LIBERII ANN. 15.

VALENTIN. & VALENTIS } ANN. 3.

I. ANNO CHRISTI trecentesimo sexagesimo sexto, Gratianus filius Valentiniani Imperatoris, Nobilissimus Puer, Consul creatus est, vna cum Dagalaipho; qui antiqua peritia probatus, militiæ rector *a* constitutus à Iouiano, eodem munere in Gallijs apud Valentinianum in Alemannica expeditione hoc tempore fungebatur. Vrbana vero Præfectura Romæ est collata hoc anno Lampadio, vt pato Christiano homini, qui expensas exhiberi solitas in munificentissima munerum editione, contulit in pauperes agentes in Vaticano: qua ex causa plebem in se concitauit, adeo vt parum abfuerit, quin ipsius ædes combusserit: sicut anno superiori combusserat domum Symmachi eandem præfecturam tum agentis, acerrimi Gentilitiæ superstitionis defensoris, ob denegatum vinum, quod Imperatores distribui rescripserant. Hæc omnia pluribus Ammianus *b*.

a *Amm. l.26.*

b *Id. lib.27.*

II. PROCOPIVS, ET MARCELLVS, TYRANNI EXTINCTI

Hoc autem anno, aperto iam vere, Valens iuncto sibi Lupicino Magistro equitum, aduersus Procopium tyrannum validius agens, desertum illum à suis fugamque captantem, sed à fugæ comitibus vinctum perductum, capite truncari *c* iussit, quod ad Valentinianum transmisit in Gallias. Accepit illud ipse Parisijs, cum eodem tempore excepit Iouinum Magistrum equitum, victorem redeuntem ab Alemannis: factumque est, vt cum Valens Lupicinum, tum Valentinianus Iouinum, ambos Magistros equitum, ob res præclare gestas, in sequentem annum Coss. designarent. Cum autem post extinctum Procopium, *Marcellus* eius cognatus agens cum militibus apud Nicæam, tyrannidem arripuisset, idem quoque à Valentis militibus captus, diuque tortus occisus est. Hæc omnia pluribus Ammian. *d*: qui & *Bellum Gothicum*, (quod cœptũ ob auxilia ab eis, antea Romanorum fœderatis, Procopio præstita, triennio perdurauit;) resque per Valentem aduersus eos gestas, parum quidem illis mali inferentem, sed tamen cogentem ad pacem poscendam, exacte prosequitur.

c [Ita quidẽ Ammianus: verum Socr. Sozom. Zonar. Ced. cæteriq; eiusmodi auctores Græci, vocant Procopium duabus addictis atq; inflexis arboribus alligatum, ... discerptũ esse.]

d *Id. l.26. 27.*

III. VALENS BAPTIZATVR AB EVDOXIO, ET LABITVR IN HÆRESIM ARIAN.

Sed cum ipso expeditionis exordio, ambitiosum apparatum (vt Ammianus) magno studio comparasset, decreuit ante profectionem (vt Theodoretus *e* scribit) sacro muniri baptismate. Quod quidem hoc anno tertio eius Imperij factum esse, Hieronymus quoque habet in Chronico. Quomodo vero blanditijs coniugis suæ, Ariani laqueis erroris iam antea irretitæ, consenserit baptizari ab Eudoxio Episcopo Constantinopolitano, Arianorum omnium sceleratissimo; eidemque se iureiurando obstrinxerit, perseueraturum in impio eius dogmate; pluribus idem Theodoretus describit. Sed quod attinet ad exordium Persecutionis eiusdem Valentis; hallucinati sunt, qui *f* retulerunt ad principium eius Imperij; necnon qui *g* negarunt id factum, nisi postquam Valentinianus frater, cuius timore continebatur, ex hac vita decessit. Quippe Theodoretus vsque ad expeditionem Gothicam Valentem Catholicum perseuerasse affirmat: Et Hieronymus *h* vna cum baptismate suscepto, à Valente cœptos vexari Catholicos tradit: ac denique relegationem Episcoporum Orthodoxorum longe ante obitum Valentiniani factam esse, demonstrabitur inferius. Illud tamen concesserimus, Valentem post fratris obitum grauius Ecclesiam perturbasse.

e *Theod. l.4 c.11.*

f *Socr. l.4 c.2. 3. Soz. l.6. c.7. & alij.*

g *Oros. l.7. c. 33. & alij.*

h *Hieron. in Chron.*

Contra cuius insultus arma parantibus Episcopis Orientalibus, opportunum visum est tempus, vt duo illa cœli tonitrua, *Gregorius* Nazianzenus atq; *Basilius*, ex eremo ad arenam certaminis prodeuntes, in hostes fidei cominus fulmina belli iacerent. Et quidem Gregorius, cum de reditu antea sæpe interpellatus, auscultare renuisset; tandem hac iam vrgente necessitate, parentibus amicisq; euocantibus cessit; vt pluribus ipse narrat, cum alibi *a*, tum præcipuè Apologia *b*, quam simul ac rediit Nazianzum pro concione dixit in auditorio frequentissimo, recessionis & reditus sui rationem reddens. Sed quod à pluribus scriptum est, eundem ex eremo redeũtem factum esse Episcopum Nazianzenum; id quidem ab ipso Gregorio refellitur, dum sæpius *c* asserit, se nunquam eius Ecclesiæ fuisse ordinatum Episcopum, sed tantum accessisse patri Episcopo senio confecto in Sacerdotali functione adiutorem, ac potissimum in Dei verbum prædicando, & hæreticos insectando. Idem vero mox vt in Cappadociam rediit, curauit propensius vna cum Eusebio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, (æquioris iam antea erga Basilium animi reddito) vt eundem Basilium pariter ab eremo reuocarent in patriam. Quod cum factum esset, tantum auctoritatis apud eundem Eusebium Episcopum suum Basilius assecutus est, vt licet ipsi honore cathedræ secundus esset, Ecclesiæ tamen imperio potiretur, cuius omnimodam haberet administrationem; prout hæc omnia testatur idem Gregorius *d*. Sed & in variis tunc tempus *Conuentibus* habitis, *Chalcedone*, *Heracleæ*, *Cæsareæ*, Basilium pro Episcopo suo legationem obiisse, ex ipsiusmet *e* ad Eustathium Epistola satis colligitur. Porro ex his quæ de eius reditu ab eremo Gregorius narrat, corrigenda sunt quæ de eo aliter refert Sozomenus *f*, siue alij. Itemque corrigendus Russinus *g*, dum ait Basilium & Gregorium perseueraſſe in eremo annos tredecim; qui habita exacta discussione temporis accessus & recessus illorum, nonnisi quatuor annos illic manhsse reperiantur.

IV. GREG. NAZ. ET BASIL. VOCANTVR EX EREMO.

a *Greg. Naz. ep.14. ad Basilium.*

b *Id. Apol.1.*

c *Id. orat. ad patr. & ep. 42. ad Greg. Nyss.*

d *Id. orat. 2. in laud. Bas.*

e *Basil. ep. 79.*

f *Soz. libr. 6. c. 15.*

g *Russ. lib. 2. c. 9.*

V. Hoc eodem *h* tempore, defuncto illo scelerum omnium architecto, & vexillario impietatis, Acacio Episcopo Cæsareæ Palæstinæ; Ariani æquè Arianum hominem dedere illi successorem *Euzoium*; diuersum illum plane ab Euzoio itidem Ariano creato Episcopo Antiocheno sub Constantio. Hic vero qui Acacio successit, apud Thespesium rhetorem cum Gregorio Nazianzeno fuerat Cæsareæ eruditus; eiusque postea factus vrbis Episcopus, plurimo labore, corruptam Bibliothecam Origenis & Pamphili in membranis instaurare conatus est: sed quod Arianus esset, sub Theodosio Imper. pulsus, successorem habuit Gelasium, de quo inferius. Hæc omnia docet Hieronymus *i* in Scriptoribus Ecclesiasticis, dum eorundem Acacij, Euzoij, & Gelasij, elucubrationes recenset: quas sic ipse legere consueuit *k*, vt caueret à sordibus. Porro hoc eodem anno ab iisdem Arianis, fauore Valentis Imperatoris, dire exagitatos esse, non Catholicos tantum, sed & Nouatianos, ac Macedonianos, alioſque hæreticos omnes qui cum ipsis non sentirent, referunt Socrates *l* & Sozomenus *m*, docentq; *n* insuper, eosdem Arianos impedimento fuisse, quo minus indictum Tarsi anno superiori Concilium celebraretur. Factum tamen aliud in *Caria* à triginta quatuor Episcopis Asianis sectæ Macedonianæ, Sozomenus habet: in quo, reiecto Consubstantialis vocabulo, formula fidei Antiochiæ & Seleuciæ edita, approbata est. Et ex altera parte, eodem anno, fæces Arianorum Valens & Vrsacius, vna cum aliis eiusdem perfidiæ collegis, *Singeduni* in Mysia conciliabulum habuere aduersus Macedonianos, siue Semiarianos: ex quo Epistolam ad Germinium Episcopum scripserunt, ad suam perfidiam eum trahere molientes: quod tamen ipse recusauit, licet Consubstantialitatem non admiserit, puta secta Semiarianus. Sicut de his patet ex iisdem literis tunc vltro citroque datis, quæ hactenus extant *o*.

h *Hieron. de Scrip. Eccl. in Acac.*

ACACII CÆSAR. EPISC. OBITVS.

i *Ibid. in Acac. Euzo. & Gelas.*

k *Id. ep. 152. ad Mosar.*

l *Socr. l.4 c.6.*

m *Soz. l.6. c.9*

n *Socr. c.11. Soz. c.12.*

o *Ap. Hilar. Fragm. lib.1.*

VI. VALENTINIANVS IMPERATOR NASCITVR.

Hoc item anno, iisdemq; Coss. (vt auctor est Socrates *p*) natus est filius Valentiniano Imperatori, quem suo nomine *Valentinianum* appellauit. Genitus hic fuit ex *Iustina* Arriana femina, de qua sæpe inferius. Quapropter licet Valentinianus omnium sententia vsq; ad obitum Catholicus permanserit;

p *Socr. lib.4. c.31.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

manserit; vxoris tamen & fratris perfidia infamatur, tum quod nullus reperiatur ab eo adhibitus conatus, quo eosdem ad meliorem frugem reuocaret, aut grassante Valentem in Orthodoxos Orientis cohiberet; tum etiam, quod in ipso Occidente Auxentium Arianum, quantumlibet reclamantibus Catholicis, in sede Mediolanensi vsque ad mortem fuerit quiete agere.

IESV CHRISTI ANN. 367.

DAMASI ANN. I.

VALENTINIANI & VALENTIS } AN. 4.

I. a *Fasti Am. lib. 27. Socr. l. 4. c. 10.* b *l. 3. C. Th. de indulg. l. 11. C. Th. de pœn.*

ANNO CHRISTI trecentesimo sexagesimo septimo, Flauiis Lupicino & Iouino Coss. a Romæ post Lampadium Viuentius gessit Præfecturã Vrbanam; id Ammiano testante, atq; etiam rescriptis b Imperatorũ hoc anno datis de relaxandis vinctis die Paschatis (exceptis sacrilegis, maiestatis reis, veneficis & maleficis, adulteris, raptoribus, & homicidis:) & de non damnandis delinquentib. ad ludum. Ex quibus pariter redditur exploratum tempus obitus Liberij Papæ, & creationis Damasi eius successoris: nam sub eiusdem Viuentij Præfectura subortum esse sæuũ Vrsicini schisma aduersus Damasum, disertis verbis Ammianus affirmat.

II. LIBERII PP. OBITVS. c *Lib. de Rom. Pont.* EIVS MEMORIA SANCTA

Inter varias autem sententias annorum sedis Liberij, quas siue scriptorũ, siue exscriptorum incutia induxit; habita exactioni ratione ipsius ingressus, qui contigit octauo Idus Maij anni Domini trecentesimi quinquagesimi secundi, vsque ad præsentis anni quintum Idus Septembris quo decessit; opus est dicere eum sedisse annos quindecim, menses quatuor, dies duos: qui sepultus est via Salaria in Cœmeterio Priscillæ c. Remansit vero posteris eius memoria plane honorificentissima; quippe quem Ambrosius d, *Sancta & beata memoriæ virum*, Basilius e *beatissimum*, Epiphanius f *beatum* nominent: reperimusque eius memoriã in nonnullis Martyrologiis g recẽsitam inter alios Sanctos. Vt plane appareat, omnem maculam, quam olim exul, Arianorum ad tempus cõmunione, etsi non hæresis prauitate, contraxerat; posteriori illa confessione tempore Concilij Ariminensis, & aliis postea secutis egregiis ipsius gestis, prorsus fuisse deletam. Cuius etiam nomine insignita fuit primum Ecclesia, ab ipso ædificata Romæ in monte Exquilino ex collatis impensis Ioannis Patricij h, ea de re per visum à sanctissima Dei-genitrice moniti, & miraculo niuium Nonis Augusti descendentium confirmati: quæ Ecclesia postea, ob miraculi dignitatem, nuncupata est S. MARIÆ *ad Nines*, vel etiam S. MARIÆ *Maioris*.

d *Ambr. l. 3. de Virg.* e *Basil. ep. 74.* f *Epiph. hær. 75.* g *Bed. in Martyrol. 8. Cal. Oct. Martyro. Wandelbert. 23. Sept.* BASILICA LIBERII. h *Vid. Breuiar. Rom. 5. Aug.*

III. DAMASVS PAPA.

Post obitum Liberij sedem vacasse dies sex, & in eius locum DAMASVM Hispanum, Antonij filium, fuisse legitime subrogatum die decimaquinta Septembris, *Vrsicinum* vero postea eodem anno in schismate Pontificem acclamatum, consentiunt omnes. Quæ enim olim cœperat in Clero Romano dissensio ex substitutione Felicis, (licet Liberius eam componere studuisset, recipiens in clero eos qui ordinati fuerant à Felice) latenter serpens, noui Pontificis electionis occasione recruduit; dum alij ex parte Felicis, alij vero ex parte Liberij conarentur ordinare Pontificem. Itum est à maiori saniorique ad Damasum: qui licet fuisset ex partibus *i* Felicis, Liberius tamen eum Vicarium constituerat; sicut eiusdem Liberij Acta *k* testantur. In quibus, cum Damasus presbyter iam tunc fuisse dicatur; erroris arguuntur, qui eum dicunt ex diacono creatum Pontificem. Cæterum pars aduersa indigne ferens ex cõmunione Felicis electum esse Pontificem, vna cum diaconis Romanæ Ecclesiæ conspirans, collectaque factiosorum hominum manu, occupans Basilicam Sicini, sitam in Regione quinta Vrbis iuxta Forum Exquilinum; *Vrsicinum* diaconum creauit Romanum Episcopum. Magnos autem tunc obortos esse tumultus, imo & multas cædes in eadem basilica Sicinini factas, Russinus *a* Socrates *b*, Sozom. *c*, Nicephorus *d*, aliique testantur. Quin & ipse Ammianus *e* homo Ethnicus, de his agens asserit, in ea vno die reperta esse cẽtum triginta septem cadaucta peremptorum; neque vt Viuentius Præfectus Vrbi hæc corrigere aut mollire non sufficiens, vi magna coactus recesserit in suburbanum.

i *Marcel. prof. hy. de schis. Vrsic.* k *Act. Liber. c. 2.* VRSICINI SCHISMA.

a *Ruff. l. 2. c. 18.* b *Socr. lib. 4. c. 24.* c *Soz. lib. 6. c. 23.* d *Nic. l. 11. c. 30.* e *Amm. l. 27.*

IV. QVID AMMIANVS DE ROM. PONT.

Addit vero idem auctor, haud se mirari si tanta contentione Romanus Episcopatus appeteretur; cum (vt ait) id adepti, futuri sint ita securi, vt ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis insidentes, circumspecte vestiti, epulas curantes profusas, adeo vt eorum cõuiuia regales superent mensas. Equidem ita Romæ his temporibus effulgebat Pontificum splendor, vt ipsis etiam amplissimis Magistratibus inuidiam commoueret. Vnde Prætextatus ille Romanorum nobilissimus, quem in Græcia Proconsulatum gessisse horum Imperatorum exordio vidimus; & Viuentio in Vrbana præfectura sequenti anno suffectum, aliisque Magistratibus auctum cõstat; quemque in suis Saturnalibus interloquentem inducens Macrobius *f*, sacrorum omnium Præsulem nominat: hic, inquam, ipse talis tantusque Prætextatus (inquit Hieronymus *g*) qui & Consul designatus postea mortuus est, solebat ludens Beato Papæ Damaso dicere, *Facite me Romanæ Vrbis Episcopum, & ero protinus Christianus.* Vt plane appareat, summo atque regali CHRISTI Ecclesiæ Sacerdotio, regiam pariter magnificentiam fuisse coniunctam. Quæ cum ab Ethnico scriptore Ammiano carpantur, æquè ab hæreticis recentioribus canino dente rabiosius corroduntur; haud confidet anrib. anriquam hanc esse calumniam ab Ethnicis in Christianos omnes illatam, vt (quod ait Tertullianus *h*) prodigas eorum cœnas fugillarent: quæ tamen quantiscunque, inquit ipse, sumptibus constent, lucrum est pietatis nomine facere sumptus. Siquidem ex eis etiam inopes pascebãtur: cum alioqui iidem Christiani frequentius ieiunare solerent, ac Romæ potissimum, vbi tribus diebus cuiuslibet hebdomadæ totius anni, excepto tempore Quinquagesimæ, & Paschatis, ieiunari i consuenerat. Sed & causa vrgente interdum sanctissimos viros regias cœnas parare solitos; vel ex eo patet, quod de S. Ambrosio testatus est *k* apud S. Martinum Valentius Præfectus Prætorio in Gallis, eum agentem Mediolanensem Episcopum conuenisse exhibere conuiuia Præfectis atque Coss. & absque dubio digno inuitatis sumptu: cum tamen haud ipse Ambrosius voluptuosus esset, quem Paulinus *l* ait quotidiano ieiunio corpus attriuisse. Denique eiusmodi Apostolici viri ita nouerant vitæ institutum attemperare, vt iuxta Apostoli *m* sententiam, siue manducarent, Domino manducarent; siue non manducarent, æquè Domini causa non manducarent; omniaq; charitate inbente, arbitrio spiritus agerent. Quos vt dignos laude censemus; ita illos damnandos, qui carni indulgentes, de CHRISTI patrimonio opsonantur.

f *Macrob. l. Satur. 17.* g *Hier. ep. 61. ad Pam.* RECTVS IPSE DOMINVS REGALIS SACERDOTII.

Sed vt ad schisma Vrsicini redeamus; de eo complura scripta habentur à Marcellino presbytero Romano in eo libello, quem vna cum Faustino diacono obtulit *n* postea Theodosio Imperatori: cuius lectione ducti leuissimi quidam, nulla rerum habita diligentiori perquisitigatione, imprudenter nimis primas detulerunt Vrsicino. Sed cum manifestum sit, Marcellinum bis fuisse schismaticum, adhærentem primo eidem Vrsicino, ac postea Luciferianis, hostemque Damasi implacabilem; ea in hac causa fides illi adhibenda est, quæ latronibus solet accusantibus eos quos ipsi fuerint deprædati. Porro hæc causa publicis iudiciis sæpe discussa, adeo explorata est reddita, vt Imperatores ipsi sæpius aduersus Vrsicinum, eiusque sectatores, reperiantur dedisse scripta *o*, eosdemque exiliis, aliisque pœnis mulctasse: quod de ipso quoque Vrsicino Ammianus *p* testatur; qui ait, eum anno sequenti pulsum esse in exilium à Prætextato Vrbis Præfecto. Sed & mendacio illi, quo dicunt primitus Vrsicinum, ac subinde Damasum post dies septem esse creatum Episcopum mani-

h *Tert. Apol. cap. 39.* i *Aug. ep. 86. ad Casul.* SANCTORVM CONVIVIA. *Vide Baron. ad ann. 367. tit. 1.* l *Paulin. in Vit. S. Ambr.* m *Rom. 14.*

V. REFELLVNTVR MENDACIA DE ELECTIONE DAMASI.

n *Gennad. de Script. Eccl. c. 16.* o *Recte Baro. Annal. to. IV. seq. anno ex cod. Vatic. vbi sunt Epist. antiq. Rom. Pont.* p *Amm. l. 27.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI ANN. 368.

DAMASI ANN. 2.

VALENTINIANI & VALENTIS AN. 5.

I.

ANNO Domini trecentesimo sexagesimo octauo, Imperatorib. Valentiniano atq; Valente secundum Coss. Oriens rursus terræmotibus in Asia vexatus est; & non sine diuino quodam prodigio, Nicæa vrbs funditus euersa; in qua fides antea conscripta, mox ob diram Arianorum persecutionem, nisi Deus reliquisset semen, penitus videri potuisset extincta. Meminit eiusdem terræmotus Nicæni, præter Hieronymum *a* & Socratem *b*, Gregorius *c* Nazianzenus occasione *Cæsarij* fratris, agentis Quæstorem Valentis; qui ibi tunc degens, magno miraculo diuina ope seruatus est. Eundem tamen haud multo post apud sanctos parentes obiisse tradit, & Christiano ritu, cum Psalmorum cantu, & accensarum facum gestatione, celebri pompa ad Martyrum sedes elatum esse; eiusque se animam iam cœlestibus gaudiis locupletatam sæpe per visum aspexisse, cuius & obitus dies relatus est in Tabulas Ecclesiasticas. Extant vero eiusdem piæ eruditæque lucubrationes, nempe de Anima dialogi: quem & varia insuper scripsisse opera, ac potissimum contra Græcos, auctor est Suidas.

Hoc pariter tempore, defuncto Donato Carthaginiensi in Africa Pseudo-Episcopo partis schismaticorum, imo capite Donatistarum, de quo multa superius; subrogatus est in eius locum ab iisdem factiosis *Parmenianus*, eiusdem sectæ tenacissimus custos atq; defensor. Qui cum mox stylum acuisset aduersus Catholicos scriptis mendacissimis; & ad ea confutanda, Catholici Episcopi prouocassent hominem ad publicum conuentum; ipse vero cum suis recusaret omnimodum Catholicorum consortium, quod eos immundos communicatione Lapsorum, seipsos autem sanctos prædicarent ac mundos: necesse fuit literis saltem publicè causam agere, ne veritas indefensa periclitaretur. Declarat hæc OPTATVS *d*: qui Episcopus existens Mileui in Numidia, eruditione ac morum sanctitate clarissimus, zelo pietatis incensus, scripsit ad eundem Parmenianum septem libros eius scriptis aduersarios; quibus non solum mendacia redarguit, sed contraria plane dictione factum proterui hominis, nonnisi contumelias vométis, deprimere cupiens, atque si liceret, charitate in eum introducere veritatem, *Fratrem* sæpius appellat: ex consortio videlicet Sacramenti, quod vno baptismo ab vna progenitrice Christiana religione geniti essent. Vt autem hoc potissimum tempore Optatum scripsisse dicamus, persuadet primo Hieronymus *e*, dum id asserit contigisse sub Valentiniano & Valente Principibus: deinde quod idem Optatus *f*, cum texit successionem Romanorum Pontificum, Damasi meminit post Liberium succedentis. Quod vero Siricius quoque post Damasum ponitur, additus creditur à librario, qui Siricij tempore librum exscripsit: nam nequaquã tempus Siricij Optatum attigisse, omnes æquè consentiunt; cum præsertim Augustinus, qui sub eodé Siricio factus est Episcopus, de Optato agens, non vt sui temporis hominis, sed antiquioris meminisse videatur: quamobrem vix Damasi prima tempora attigisse putatur, neque diu suis scriptis superuixisse.

Cæterum cum in eo potissimum totius quæstionis videretur cardo reuolui, vt certis notis demonstraretur, quæ vere esset Ecclesia Catholica, vt sic pariter intelligi posset apud quos ea esset: cumque illud aduersariorum etiam affirmatione certum haberetur, vbi non esset Catholica, necibi esse posse veritatem; & contra, vbi probaretur Catholica, ibi reperiri necessario veritatem: videas Optatum, more maiorum, assueranter definire *g*, eos à Catholico nomine,

a Hieron. in Chron.
b Socr. lib. 4. c. 10.
c Greg. Naz. orat. in laud. Cæsar.
CÆSARII FR. GREG. NAZ. OBITVS.
d Opt. lib. 1. cont. Parm.
OPTATVS MILEVIT. EPISC. SCRIBIT ADVERSVS PARMEN.
e Hieron. de Script. Eccl. in Opt.
f Opt. libr. 2.
II.
III.
PENES QVOS SIT ECCLESIA CATHO.
g Id. l. 2. & 7.

a Hieron. in Chron. Ruff. lib. 2. c. 10. Auctor. ep. 50. Hieron. ep. 50. ad Pam. Theodor. l. 5. c. 2. Socr. lib. 4. c. 27. Soz. lib. 6. c. 28. Niceph. l. 11. c. 20. Inscript. ant. exp. Append. pag. 1171. num. 3

VI. GRATIANVS AVGVSTVS.
g Socr. lib. 4. c. 10.
h l. 11. C. Th. de pœn. l. 3. C. Th. de indul. &c.

Hieron. in Chron. Socr. lib. 4. c. 10. Soz. lib. 6. c. 28. Niceph. l. 11. c. 20. Inscript. ant. exp. Append. pag. 1171. num. 3

His iisdem Coss. GRATIANVM Valentiniani filium à patre creatum esse Augustum, Socrates *g* tradit: quem & quibusdam rescriptis *h* hoc eodem anno mensibus Maij & Aprilis datis, vna cum patre & patruo inscriptum liquet. Fecisse id autem Valentinianum, postquam crebris pulsatus febribus vix ex insperato conualuisset, Ammianus *i* affirmat: qui Gratianum fuisse adulto proximum ait; imo iam adultum fuisse, Valentinianus ea oratione quam tunc habuit coram exercitu, testatus est. His vero proximè subdit Ammianus multa de eiusdem Valentiniani nimia seueritate, in puniendis quibuscunq; leuissimis delictis. Quod n. homo esset natura ferus, atque insuper præseferret prauorum morum correctorem; eius quoque ministri sæpe ad summam seueritatem iura sæuire permiserunt. Nam præter eos, quos gladius vindex magiæ leuiter suspectos abstulit, incredibilibus etiam quæstionibus & cædibus exagitatos esse illos, quos adulterij vel stupri causa apparitores Præsidum inscripsissent; nec viles tantum personas, sed nobiles vtriusq; sexus; idem Ammianus *k* deplorat. At superauit omnes eos casus, feritas aduersus Christianam feminam Vercellensem exhibita; quæ à marito postulata rea, sed innocens, criminis adulterij, exquisitis diu tormentis lacerata, nec vnquam adducta se ipsam falso accusare; ex confessione tamen adolescentis, qui ei stuprum intulisse vi tormentorum asseruerat, vna cum illo capitis damnata est. Sed cum adolescentis ad primum statim ictum amputatum esset gladio caput, ipsa septies icta, nec tamen læsa ad mortem, quasi tamen mortua ad tumulũ elata, sinde viua educta sanata est: cui post ea vitæ libertatẽ Papa Damasus ab Imperatore impetrauit. Quam rem gestam luculento stylo S. Hieronymus *l* prosecutus est, plane detestans seueriſſimi Principis per ministros crudeliores sæuientem nimium in persequendis delictis ardorem, quo innocentes quoq; interdum puniri contingeret.

i Amm. l. 27. SAEVITIA VALENTINIANI IMP.

k Am. l. 28. DE MVLIERE SEPTIES ICTA, NEC TAMEN NECATA.

Hier. ep. 49. ad Innocent.

Quod autem spectat ad res Orientales; hoc anno pariter, iisdemque Coss. *m* Grando magnitudine inusitata, lapidibus similis, Constantinopoli decidit, qua complures homines *n* necati sunt. Cuiusmodi clade & alias quoque prouincias affectas esse, interque eas Cappadociam, testis est celebris illa oratio, *De plaga grandinis* inscripta, dictaque Nazianzi coram patre mœrente, à Gregorio Theologo. Sed & quæ secuta est, Fames post hominum memoriam atrocissima, cũ alios tum præcipuè Cappadocas magnopere exagitauit: quo tempore, Cæsareæ S. Basilij adhuc presbyteri magnam enituisse in alendis pauperibus charitatem, idem Gregorius alibi *o* testatur; imo & ipsum patrimonium suum in eosdem pauperes erogasse, auctor est germanus eiusdem Basilij Gregorius *p* Nyssenus.

VII.
m Socr. lib. 4. c. 10.
n Hieron. in Chron. PLAGA GRANDINIS.

o Greg. Naz. orat. in laud. Basil.
p Greg. Nyss. orat. in laud. Basil.

* * *

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nomine, adeoque à veritate, prorsus excludi, quibus cum Romana Ecclesia non communicat; eosque dumtaxat eo nomine posse legitimè gloriari, quibus Romanus Episcopus Formatarum commercio coniungitur. Porro magna ipse Optatus apud posteros veneratione viguit; quem inter alios S. Augustinus *a* digno præconio nominauit, & inter præclaros tractatores Ecclesiasticos *b* adnumerauit. Eiusq; etiam memoria nomine sanctitatis relata est in Tabulas *c* Ecclesiasticas.

a *Aug. cont. Parm.* 3.
b *Id.* 2. *de doctr. Chr.* 40.
c *Martyrol. Rom.* 4. *Iunij.*

IV.

TICONIVS DONAT. SCRIBIT ADVERS. PARMEN.

Quod autem exhorrescerent plane aures blasphemiam illam audire, Catholicam Christi Ecclesiam toto Orbe diffusam iam penitus periisse; & in Africa tantum, nec apud omnes, sed eos solum qui essent partis Donati, tanquã arcam Noe diluuio pereunte Orbe, integram esse relictam: non Optatus tantũ, aut Catholici tractatores, sed & ipsius Donatistarum communionis *Ticonius* quidam Afer, Parmenianum ea delirantem redarguit; scriptisque suis confirmauit, Catholicam Dei Ecclesiam nequaquam adeo angustis coarctari terminis, sed longe lateque per Orbem Christianorum vbique perseuerare diffusam; nec posse illam peccatis hominum tolli, euacuariq; humanis excessibus Dei promissiones. Quem ita sentientem Parmenianus Epistola primum frustra monitum, postea in suorum Concilio damnandum curauit; sicut testatur Augustinus *d*, cum & ipse multum post temporis Parmeniani scripta felicius impugnans, eandem illam potissimum Epistolam, quam contra Ticonium scripserat, tribus libris egregiè refellit. Queritur *e* autem de Ticonio, quod cum inuectissimè contra Donatistas scripsisset; tamen illic inuentus fuerit absurdissimi cordis, vbi eos non omni ex parte relinquere voluit. Quem quidem multa alia scripsisse, Gennadius *f* est auctor.

d *Aug.* 1. *cont. Parm.* 1.
ITEMQ. AVGVSTINVS.
e *Ibid. & 3. de doctr. Chr.* 30
f *Gen de Vir. Illustr. c.* 18.

IESV CHRISTI ANN. 369.

DAMASI ANN. 3.

VALENTIN. & VALENTIS } ANN. 6.

I.
HILARIVS AVIT APVD IMP. CONTRA AVXĒT. ARIANVM.

ANNO CHRISTI trecentesimo sexagesimo nono, Valentiniano Nobili Puero & Aurelio Victore Coss. S. Hilarius cum accepisset Valentinianum Imp. confecto tandem Alemannico bello Mediolanum se contulisse, atq; rescriptum quoddam pro Auxentio eiusdem ciuitatis Pseudo-Episcopo, qui se Catholicum simulabat, dedisse: dolens Imperatorem deceptum esse, eo profectus est, acturus coram aduersus Auxentium. Quod hoc anno accidisse, libellus *g* ipsius Auxentij tunc oblatus Imperatori declarat, dum testatur se illum scribere post decem annos à Concilio Ariminensi.

g *Ap. Hilar. cont. Aux.*

II.
NON AVDITVR.

Porro cum Hilarius blasphemiæ Auxentium accusasset, Imperator audiri eos à Quæstore & Magistro præcepit, cõsidentib. vna cum eis Episcopis fere decem: Vbi cum Auxentius verbis negaret Arium, re approbasset eius impietatem, libellumque fidei secundum confessionem Nicææ Thraciæ & Arimini editam, obtulisset Imperatori, subdolis captionibus plenum: haud permisso Hilario fraudes occultatas patefacere, Auxentius habitus est Catholicus, Hilarius autem vt calumniator & discordiarum auctor iussus est Mediolano discedere. Narrat hæc pluribus ipsemet in Epistola *h* ad omnes Episcopos & Fideles ea de re tum scripta pro vitanda Auxentij communione; quam S. Hieronymus *i* appellat *Libellum contra Auxentium*, eamque vltimam eius lucubrationem esse putamus, quod post hæc non diu superuixisse reperiatur; imo & secundum eiusdem Hieron. *k* assertionem, hoc ipso anno Pictauis in Ecclesia sua, ex hac vita migrauit. Quod vero Gregorius *l* Turonensis eius obitum anno horum Imperatorum quarto adscribit, Seuerum *m* autem secundo, hoc est, sexto postquam idem S. Hilarius rediit ab exilio Orientis in Gallias: iidem ex his erroris arguuntur, quod ipsum Mediolani post decimum annũ à Concilio Ariminensi, aduersus Auxentium steriisse constet. Qui quidem (vt ait idem Gregorius) plenus sanctitate & fide, multis vndiq; virtutibus editis, ita vt mortuos suscitauerit, migrauit ad cœlos.

h *Hilar. cont. Auxent.*
i *Hieron. de Script. Eccl. in Hilar.*
k *Id. in Chro.*
l *Greg. Tur. li. 1. hist. Franc. c.* 39.
m *Seuer. l.* 1.

EIVS OBITVS.

III.
ET SCRIPTA
a *Hieron. de Scrip. Eccl.*
b *Id. aduers. Ruff. l.* 2.
c *Inpræf. Comment. ad Gal. lib.* 2.
d *Ep.* 13. *ad Paulin.*
e *Ep.* 7. *ad Lucinium.*
f *Claud. Mamert. de stat. animæ. ad Sidon.*
g *Sixt. Sen. l.* 5 *Bibl. c.* 68.
h *Soz. lib.* 3. *c.* 14.
i *Ruff. lib.* 1. *c.* 31.

Lucubrationes ab eo conscriptas recenset Hieronymus *a*: qui & illum alibi *b* eloquentissimum, & Latini sermonis aduersus Arianos tubam appellat; itemq; Latinæ *c* eloquentiæ Rhodanum, ob dicendi copiam ac vehemẽtiam: haud vero æquè cultum & facilem fuisse, alio loco *d* tradit. Commendat *e* tamen eius scripta, vt sincera; videlicet quo ad sanam de Trinitate doctrinam, de qua cõtrouertebatur inter Arianos & Catholicos. Alioqui n. cum diuinæ tantum Scripturæ sit, nihil habere erroris quod corrigatur; nec ipse Hilarius nævis caruit, vt illis quos olim notauit Claudianus *f* Mamertus, alijq; discusserunt, & alij *g* perperam secuti sunt. Fuit vero admirationi etiam Græcis *h*, De cuius vita & miraculis extant Venantij Fortunati libri duo. Cum autem virtutum omnium fuerit viuum quoddam exemplar; lenitate potissimum ac mansuetudine enituisse, Ruffinus *i* tradit. Cæterum quod subdoli ac cæcutientes recentiorum hæreticorum historici, confundunt S. Hilarium Episcopum Pictauiensem cum Hilario diacono Anabaptista schismaticoq; Luciferiano; hoc iam superius refutatum est. Sicut alios erronè conflasse eundem simul cum Hilario Arelatensi, inferius demõstrabitur. Sed & iam olim refellit S. Hieronymus *k* Ruffini quoddam figmentum de eodem Hilario, tanquam hæretico excõmunicato in Concilio Episcoporum, ob falsata ab Arianis eius scripta.

k *Hieron. de vers. Ruff. li.* 3

IV.

Quod vero ad Auxentium pertinet; hic cum à populo ignaro vidit se acclamari Catholicum, Valentinianumq; Imp. iam sibi vt Catholico inhærere; dictis factisq; insultans in Ecclesiæ Catholicæ sanctos Episcopos, inter alios exagitauit Eusebium Vercellensem, quem semper passus fuerat aduersarium; necnon Philastrium Brixianum, quem item iugiter contra eum pro fide Catholica certasse, adeo vt verbera etiam ob eam causam sit passus, S. Gaudentius *l* tradit eius in Episcopatu successor. Quamobrem cum res Auxentij eo prouectæ essent, vt iam Illyrici Episcopos magna ex parte seduxisset: ne letale virus quod lẽto tabo proxima membra infecerat, latius serperet, Damasus Romanus Pontifex aduersus eum *Romæ* CONCILIVM nonaginta Episcoporum ex Italia & Gallia congregauit; in quo causa cognita, tum ipse nominatim Auxentius, tum rursus formula Ariminensis Concilij damnata est; Epistolaq; Synodalis ad Illyrici Episcopos conscripta, vt Auxentij communionem vitarent, & in antiqua Patrum fide Nicææ Bithyniæ stabilita permanerent. Præcesserat hanc Synodum alia ab eodem Damaso *Romæ* itidem habita; in qua, qui manifesti conuincebantur Arriani, Valens & Vrsacius damnati fuerant; vt patet ex Athanasij Epistola ad Africanos Episcopos. Cuius pariter testificatione compertum habetur, ante damnationem Auxentij Romæ factam, aliam ab ipso Athanasio in Ægypto *Synodum* habitã, ex qua de damnando Auxentio Romam literæ essent datæ ad Damasum. Sed & alia rursum eiusdem Athanasij Epistola *m* constat, diuersis præterea *Conciliis* per Galliam & Hispanias celebratis, eosdem ipsos Auxentium, Vrsacium, Valentẽ, aliosq; eiusdem farinæ homines, anathemate percussos esse. Iam n. ad id præstandum, Episcopi literis Circularibus S. Hilarij incitati fuerant: cum tamen idem Auxentius, nonnisi morte valuerit ab Ecclesia Mediolanensi depelli.

l *Gaud. in Vit. S. Philast. ap. Sur.* 10. *Iul.*

CONCIL. ROM. CÕTRA AVXENT. ET SOCIOS.

Hoc item anno Anicius Probus Prætorij Præfecturam accepit; vt apparet ex Ammiano *n*, & rescriptis *o* Imperatorum. Cum aũt ex institutione *p* Constantini, qui vniuersum Romanum Imperium in quatuor partibus est Præfectos Prætorio, Probo curæ essent Italia, Sicilia, ac circumiacentes Insulæ, necnon Sardinia, Corsica, & Africa à Syrtibus Cyrenem vsque: ipse pro officij munere delecturus Rectores earundem prouinciarum, imprimis nobilissimi viri *Ambrosij* Romani ciuis, ex patre Ambrosio Galliarum olim Præfecto nati, rationẽ habens, quem nouerat eruditione præclarum, eloquentiæ studijs egregiè

m *Athan. ad Epist. Episc. Corinth.*

V

n *Am. l.* 27. 28
o *l.* 3. *C. Th. de rect. prouinc. l.* 3. *C. Th. de metat. l.* 2. *C. Th. de abolit.*
p *Zos. l.* 2.

AMBROSIVS MITTITVR PRÆFECTVS TRIVM PROVING.

excultum

excultũ (cuius & infantia diuino quodam nobilitata fuerat prodigio, cum in eius ore examen apum consedit, diuinæ viri facundiæ præsagium optimisque moribus domi forisque spectatum: eidem Insubriam, Liguriam, & Æmiliam, cum insignibus Consularibus tradidit gubernandas. Eundemque proficiscentem his verbis hortatus est *a*, *Vade, age non vt Iudex, sed vt Episcopus.* Quæ quidem etsi ab eo futura nesciente propheticè pronunciata videri poterant; tamen eius admonitionis hæc quoque ratio digna præcessit, quod nimia seueritas Magistratuum (vt superius vidimus) ad seueriſſimi Principis gratiam captandam accommodata, tempora propemodum Neroniana reddidisset. Itaq; voluit Probus Ambrosium monere, vt clementiã cum iustitia coniungeret. Cæterum habita ratione annorũ quibus Ambrosius vixit, cum ex obitus tempore retro reuolutis annis, inueniatur natus sub Consulatu Delmatij atque Xenophili, anno Domini trecentesimo trigesimo tertio; eum hoc anno, quo dictam præfecturam accepit, ad annos triginta sex peruenisse, exacta temporũ dispositione comperimus. Quomodo vero postea factus fuerit Episcopus Mediolanensis, dicetur suo loco.

a *Paulin. in Vit. S. Amb.*

VI. *Lex C. Th. quor. appel.* EPISC. MVLCTATVS QVOD FORŨ SAECVLARE APPELLASSET.

b *Ambr. ep. 32*

His iisdem Coss. Valentinianus Imper. vna cum collegis Augg. *Chronopium* quẽdam Episcopum, in Synodo septuaginta Episcoporum condemnatum, appellantem ad sæculare tribunal; argentariam mulctam, quam eiusmodi facto sanctio generalis imponebat, (nempe, vt puto, qua vetitum erat, ne clerici coram sæcularibus Iudicibus causam dicerẽt: *) coegit expendere, erogandam pauperibus. Idemque in cæteris omnibus Ecclesiasticicis causis obseruari præcepit. Cuius quidem legis meminisse videtur S. Ambrosius *b* scribens ad Valentinianum Iuniorem, dum ait, *patrem eius* (nempe hunc Valentinianum Seniorem) *non solum sermone respondisse, sed etiam legibus sanxisse, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis: hoc est, vt Sacerdotes de Sacerdotibus iudicent: quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluisse ad Episcopale iudicium pertinere.*

VII. S. BASILIVS CREATVR EPISC. CÆS.

Inter hæc in Oriente defuncto Eusebio Episcopo Cæsareæ Cappadociæ, cum S. BASILIVS ne in locum eius sufficeretur (quod videret complurimorum in se conspirare studia) fugam arripuisset; nihilominus tamen, opera maximè Gregorij Nazianzeni, electus *c* est Episcopus Cæsariensis. Hoc autem anno id accidisse, inde fit manifestum, quod cum Gregor. *d* Nyssenus eiusdem Basilij germanus, eum obiisse dicat ante menses nouem à celebrato Concilio Antiocheno post mortem Valentis Imperatoris; illud autem Concilium habitum fuerit anno Christi trecentesimo septuagesimo octauo mense Septembri: cumq; rursum idem Nyssenus, necnon prædictus *e* Nazianzenus, asserant eundem sedisse annos octo absolutos, nonum vero ex parte tantum attigisse; ac denique ex tabulis *f* publicis appareat eum ex humanis desiisse ipsis Calendis Ianuarij: iam ex istis omnino affirmandum est, eum hoc ipso anno fuisse ordinatum Episcopum: idque (vt ex iisdem tabulis *g* constat) decimo octauo Calendas Iulij. Ex quibus omnibus detegitur oscitantia auctoris illius, quisquis fuerit qui pulchro Amphilochij nomine vsurpato res Basilij scripsisse reperitur, dum anno sexto Imperij Valentiniani vita functum affirmat. Cuius pariter erroris redarguendus est Nicephorus *h*, dum vult eundem tempore Iuliani iam sedisse Episcopum: Cum præter ea quæ diximus, S. quoque Hieronymus *i*, ac res ab eodem Basilio gestæ, eiusdemque scripta, plane demonstrent, eum multos post hæc annos vixisse. Porro (vt hæc obiter obseruemus) ex quibusdam literis, quas pro electione Basilij Gregorius *k* nomine patris Episcopi Nazianzeni scripsit ad Cæsarienses, & Episcopos comprouinciales, qui in eam ciuitatem ex more conuenerant ad eligendum Episcopum; illud discitur, hoc antiquitus obseruatum, vt cum à populo legitimè fieret postulatio futuri Episcopi, per sodalitia artificum, & nobilium cognationes suffragia conferrentur: tunc vero perperam facta censeretur, cum miscellanea turba & clamoribus expeteretur.

c *De Basilij electione vit. Greg. Naz. or. in land. Basil. & ep. 21. 22. 25.*
d *Greg. Nyss. ep. ad Olymp. de obit S. Macrin. ap. Sur. 3 tom. 4.*
e *Greg. Naz. in sepulchr. & Martyrol. 1. Ianuar.*
f *Ibid. 14. Iunij.*
h *Niceph. l. 10 c. 25.*
i *Hieron. in Chron. an. 13. Valentis, & in Script. Eccl.*
k *Greg. Naz. ep. 22. 23.*

VIII.

Quod autem attinet ad GREGORIVM, eiusdem Basilij fratrem; quoto potissimum Domini anno Episcopus Nyssæ in eadem prouincia Cappadociæ creatus fuerit, & num ante Basilium fratrem, an post, haud satis compertum habetur: eum tamen constat sequenti anno iam agentem Episcopum, persecutione Valentis à propria Ecclesia pulsum esse. Quem quidem ante Episcopatum fuisse coniugio obligatum, significat ipsemet in libro quem de virginitate conscripsit: fuitque vxori eius nomen *Theosebiæ*: quæ, sicut vir eius muneri Sacerdotali, ita ipsa se Ecclesiæ ministerio mancipauit, diaconissam agens; de cuius obitu extat Gregorij *l* Nazianzeni Epistola ad ipsum Nyssenum consolatoria. Porro eiusdem Nysseni in dicendo facundiam ita maiores omnes prædicant, vt non impar veteribus cunctis habitus *m* fuerit. Quod vero plus satis quam deceret Christianum hominem, rhetoricis disciplinis incumberet, ab eodem Nazianzeno *n* meruit reprehendi aurea plane Epistola ea de re ad illum scripta.

DE GREG. NYSSENO FR. BASILII.

l *Id. ep. 95. in addit.*
m *Suid. in Greg. Nyss.*
n *Greg. Naz. ep. 43.*

IX. ARSACES REX ARMEN. PRODITORIE NECATVR.

Hoc eodem anno Bellum Gothicum, quod aduersus Athanaricum Regem Valens gessit iam triennio, redempta ab eo pace pecunia, absolutum est. Et Arsaces Rex Armeniæ Christianus, dolo pacis & conuiuij captus à Sapore Rege Persarum, effossis oculis vinctus catenis argenteis, (quod apud eos honoratis vanum suppliciorum æstimabatur esse solatium) exterminatus est ad castellum Abagana nomine, vbi discruciatus cecidit ferro pœnali. Hæc Ammianus *o*.

o *Amm. l. 27.*

IESV CHRISTI ANN. 370.

DAMASI ANN. 4.

VALENTIN. & VALENTIS } ANN. 7.

I. VALENS IMPER. PERSECVT. EXCITAT.

ANNVS CHRISTI trecentesimus septuagesimus, Consulatu tertio Valentiniani atque Valentis Augg. Fastis adscriptus, fuit eiusdem Valentis PERSECVTIONE, edicto excitata aduersus Episcopos Orthodoxos Orientalis Ecclesiæ, plane funestus. Hæc autem nequaquam ante præsentem annum, ipsum aggressum esse, (licet iam olim meditatus esset) demõstrant quæ dicta sunt superius; nempe quod triennio in Imperio Catholicus perseuerarit, quod altero triẽnio aduersus Gothos totus occupatus fuerit, ac deniq; quod in hunc vsq; annum Catholici Episcopi in suis Ecclesiis liberi permansisse reperiantur. Nec vero ea postea facta esse, illud insinuat, dum Gregorius Nyssenus, qui ex hoc ipso edicto in exilium pulsus est, in Epistola ad Olympium *a* de rebus gestis S. Macrinæ sororis, octo numerat annos exilij sui; quod solutum est nonnisi morte Valentis anno decimoquinto eius Imperij. Ex quibus erasse conuincuntur, quod & superius monuimus) qui eandem Persecutionem ad exordium Valentis retulerunt, sicut & qui post obitum Valentinani distulerunt.

a *Greg. Nyss. ep. ad Olym. ap. Sur. 19. Iul.*

II. EDICTVM VALENTIS ADVERSVS EPISCOPOS.

Quod vero ad ipsum Edictum attinet; tradit Sozomenus *b*, eo sub grauissimis pœnis iussum esse singulis omniũ prouinciarum Magistratibus, vt Episcopi temporibus Constantij abdicati, & regnante Iuliano restituti, expellerentur: eiusq; auctoritate Athanasium à Magistratibus Ægypti exagitatũ, sed à populo Alexandrino defensum, clam ex vrbe egressum latebras quæsisse; mox vero literis Valentis, (siue Valentiniani fratris indignationem, siue amplissimæ ac factiosissimæ Alexandrinæ ciuitatis tumultũ timentis) ad Ecclesiam redire iussum. Cuius rei meminerunt pariter Hieronymus *c* atq; Epiphanius *d*. Sed & ab ipso Epiphanio, necnon à Paulino Antiocheno, ob virtutũ ac sanctitatis venerationem, abstinuisse Valentem, iidem *e*, aliiq; auctores tradunt: cum alioqui nec hi eius comprehensi viderentur edicto, quippe qui post Constantij obitum creati fuissent Episcopi; Athanasius vero non Constantij

b *Soz. lib. 6. c. 12.*
c *Hier. ep. 61. ad Pammach. & Epiph. liber. 68.*
e *Hieron. & Soz. ibid. Soz. l. 4. c. 2.*

præce-

III. EPIPHANII PRIMORDIA. *De quib. Baron. an 372. nu. CVIII. & segq.*

præcepto, vel aliorum eius nomine Magistratuum sententia, exilio damnatus fuisset, sed cum quæreretur ad necé, sponte solum vertisset, ac latebris se viq; ad eius obitum continuisset.

Sed quod de EPIPHANII Episcopatu mentio facta est; vt de eius primordiis breuiter agamus, quod primum ad ætatem spectat, cum S. Hieronymus de eo agens in cõmentario de Viris Illustribus, ipsum ad extremam senectutem iam tum peruenisse tradat; essetque tunc quando de Epiphanio hæc scribebat, annus (vt ipse ait) Theodosij Imper. decimusquartus, qui est CHRISTI trecentesimus nonagesimus secundus: possumus æquè opinari, hoc tẽpore ipsum circiter sexaginta annorum fuisse. Quem Sozomenus *a* tradit, ex pago Besanduce in tractu Eleutheropolitano in Palæstina ortum, cum illic ab adolescentia monasticam vitam egisset, eandem in Ægypto lõgissimo postea tempore coluisse; tandemq; magna apud omnes gloria florentem, à Cypriis electum esse Salaminæ primatiæ totius Insulæ vrbis (quæ & Constantia dicta est) Episcopum ipsemet vero de se testatur *b*, cum in Ægypto iuuenis ageret, à Gnosticis tentatum esse per lasciuas mulieres, sed misericordia Dei ab improbitate ipsarum liberatum. Cæterum auctorem qui eius Acta conscripsit, Ioannem nomine, qui & se eius fuisse comitem in Ægypto tradit, multa scias ad libitum finxisse, ideoq; nec in plurimis quæ narrat tuto fidem illi adhiberi posse. Quæ vero reliquæ sunt eius præcipuæ res verè gestæ, eæ suis locis inferius describentur.

a *Soz. lib. 6. c. 32.*

b *Epiph. hær. 26.*

IV. EVSEBII SAMOSAT. EXILIVM. c *Theod. l. 4. c. 13. 14.*

Interim ad Valentis persecutionem redeuntibus, imprimis occurrit *Eusebius*, Orthodoxæ causa fidei spectatus vbique Samosatenus Episcopus: quem Theodoretus *c* ait in Thraciam amandatum, militari habitu, Syriæ, Phœniciæ, & Palæstinæ Ecclesias lustrasse, ac pastores eis aliaque necessaria subministrasse. Memorabile est vero, quod idem auctor de eo recitat; nempe, cum Samosatas aduenisset qui ei nuntium de exilio afferret, rem illo tacite agere iusso ne à populo in flumen demergeretur, bonum senem noctu solum cum vnico famulo, ceruical tantum & librũ deferente, nauem conscendisse: cumque mane eius cognito abscessu, ciues ad eum cõcurrissent vt reducerent, ipsum præceptum Apostoli obiicientem, iubentis magistratibus & potestatibus obedire, ad locum exilij properasse. Extant ad eundem exulem binæ Gregorij *d* Nazianzeni literæ, ac tredecim Basilij (præter illas quæ excusæ habentur) nondum editæ *e*; quibus & miserum aliarum etiam Ecclesiarum huius temporis statum perspicere liceat. Addit vero Theodoretus, in tantum Samosatenos execratos esse Arianos, vt cum iidem in locum Eusebij subrogassent Eunomium quendam, nemo ex vrbis incolis, vel pauper, vel dives, famulus vel artifex, agricola vel cõsitor, vir vel mulier, iuuenis vel senex, ad conuentum Ecclesiasticum accedere voluerit, vel in eius venire conspectum, aut cum eo sermonem conferre, licet valde modeste vitam apud eos ageret: adeo vt cum aliquando balneo publico lauisset, Samosateni aquam balnei, quasi hæreticæ nequitiæ cõtagione infectam, in cloacam emittentes nouam in suum ipsorum vsum apponi curarint: Sed & cum ea propter ipso ciuitatem sibi adeo infestam deserente, Lucius alius Arianus iterum subrogatus fuisset, tanto pariter hunc odio Samosatenis extitisse, vt cum die quadam puerorum in foro ludentium pila asini quo Lucius illa transiens vehebatur pedem tetigisset, eandem ipsi ideo pollutã existimantes, accenso igne flamma purgarint: At nequaquam hunc mansuetudinem imitatum Eunomij, tum magistratib. fuisse auctorem vt alios complures ex clero in exilium mitterent, tum ipsummet eos potissimum qui sanctam propugnabant doctrinam, ad vltimas Imperij oras relegasse. Hæc Theodoretus.

d *Greg. Naz. ep. 28. 30.*

e *Vertit eas in Latinum Sextil. Epis. Alexandr.: & ex iis fragmenta profert Baron.* SAMOSAT. ODIVM IN ARIANOS.

V. f *Theod. l. 4. c. 12.*

GREG. NYSS. DAMNATVS AB ARIANIS.

Interalios autem Episcopos à Valente exturbatos, numerat quoq; idem Theodoretus *f Pelagium* Laodicenum, magnæ vitum sanctitatis; qui olim in adolescẽtia vxori ductæ, primo nuptiarum die in ipso thalamo castitatem persuaserat. Cum autem illud Imperatoris & Arianorum cõsilium esset, vt Episcopi qui promulgato edicto minimè cõprehendi viderentur, & post Constantiũ electi essent, iidem collectis ab Arianis Synodis damnarentur; id imprimis factum constat aduersus *Gregorium* Nyssæ Episcopum, sic in Synodo Galatiæ damnatum: de cuius exilio extant Basilij *a* fratris eius Epistolæ ad Eusebium Samosatenum, aliæque consolatoriæ Gregorij *b* Nazianzeni ad ipsum Nyssenum; quibus apparet eundem in exilio minime fuisse otiosum, sed lustrasse Ecclesias, ac de omnibus studuisse bene mereri.

a *Basil. ep. 10. vulg. edit. & ep. 12. ex vers. Sextilij.*

b *Greg. Naz. p. 34-35.*

VI. MARTYRIÛ LXXX. LEGATORVM ECCL. CONSTANTIN.

Hoc item Impp. tertio Consulatu mortuo Eudoxio impiissimo Constantinopolitano Episcopo, cum in eius locum Ariani *Demophilum*, Orthodoxi *Euagrium* subrogassent; Valens Nicomediæ agẽs, Euagrium iussit in exilium pelli. Quare audaciores facti Ariani, cum variis diriſque modis Catholicos vexarent; hique vt ea violentia liberarentur, octoginta legatos ordinis Ecclesiastici ad Imperatorem misissent: iidem legati ab eo iussi necari, opera Modesti Præfecti Prætorio nauigio in altum ducti, igne à nautis immisso omnes consumpti fuere. Narrat hæc pluribus Socrates *c*: additque, famem acerbissimam per vniuersam Phrygiam peruagantem, impium eiusmodi facinus vltam esse. Meminit vero etiam Sanct. Hieronymus eiusdem famis in Chronico, hoc eodem septimo anno Valentis. In reliquis autem habet Socrates adstipulatorem Sozomenum *d*. Vterq; tamen in eo corrigendus est, dum Euagrium ponunt ordinatum ab Eustathio Episcopo Antiocheno; quem constat diu ante hæc tempora sub Constantio defunctum esse. Corrigendus item Socrates, quod Eudoxium dicat sedisse annos decem & nouem; cum à tempore illius acceptæ sedis in hanc diem, nõnisi vndecim numerentur: sicut & hunc duntaxat annorum numerum sedi eius recte Sozomenus tribuit. De eadem vero presbyterorum in mari conflagratione, deque aliis horrendis contumeliis in Catholicos Constantinopoli hoc Valentis tempore commissis, sæpe quoque meminit Gregorius *e* Nazianzenus: idemque alibi *f* alterius cuiusdam presbyteri simile supplicium recenset; remque gestam (vt apparet saltem ex numeri diuersitate) à priori illa octoginta legatorum distinctam, graphicè repræsentat. Quo quidẽ tempore, cum Ecclesia Constantinopolitana acerbissimis hisce quateretur fluctibus, Damasum Rom. Pontif. illuc misisse S. Zenobium, creatum postea Episcopum Florentinũ, qui Arianorum petulantiam, quãdiu illic mansit, nonnullis editis miraculis coercuerit; eius Vitæ Acta *g* habent: verum eo recedente, Arianos acrius sæuiisse constat. Sanctum autem Basilium literas ad Occidentales Episcopos de his quæ Orientalis Ecclesia patereretur dedisse, docet ipse in secunda ad eos missa anno sequenti legatione; de qua dicetur suo loco.

c *Socr. lib. 4. c. 13.*

d *Soz. lib. 6. c. 13. 14.*

e *Greg. Naz. orat. ad 150. Episc. & orat. ad Arian. & orat. in laud. Basil.*

f *Id. orat. in laud. Heron.*

DAMASVS PP. SVBVENIT ECCL. CONST.

g *Ap. Sur. 25. May.*

VII.

Cæterum Valens Nicomedia Antiochiam proficiscens, (puto ob ingruens bellum Persicum) Cæsaream Cappadociæ se contulit. Sed quid ibi actum sit ab eo aduersus Basilium, Sozomenus *g* & alij cum recitant, plane hallucinantur dum putant aduentum Valentis Cæsaream contigisse sub Eusebio eius ciuitatis Episcopo. Nam Basilium iam tunc eidem defuncto successisse, ipsa rerum gestarum series plus certo declarat. Eam vero Gregorius *h* Nazianzenus, & ipse tunc Cæsareæ existens, ac Basilio adhærens, fusius prosecutus, ait Basilium variis minis ac pollicitationibus à Valentis Magistratibus atq; domesticis, & maximè à Modesto Præfecto, homine sæuissimo, ipsoq; etiam Imperatore, vt Arianæ faueret hæresi tentatum; magna animi constantia, mirisq; ac plane diuinis datis responsis restitisse: cumque idcirco vincentibus Imperatorem iam probe emollitum Arianis, in eumdem esset decretum exilium, tamque omnibus paratis, atque in tanta rerum perturbatione ipso Basilio nihil amplius saragente, quam vt vnum ex comitibus acceptis pugillaribus iuberet se sequi; filio Imperatoris repentino morbo diuinitus afflictato, exilij decretum rescissum esse; ipsumque Basilium ad puerum sanandum accersitum, aduentu suo leuiorem reddidisse morbum; verumtamen puerum, quod nec ea re pater Valens hæreticis credere desisteret, post Basilij recessum extinctum esse: Modestum vero Præfectum, qui eodem prope tempore in morbum incidisset, Basilij implorantem auxilium, ab eodem sanatum esse. Hæc omnia pluribus Gregorius.

h *Soz. l. 6. c. 35.* VALENS QVID CVM BASILIO.

h *Greg. Naz. orat. in laud. Basil.*

Sed

VIII.

a *Theod. lib 4. c.17.* PRODIGIA IN VALENTEM.

Sed iis alia veteres alij addentes, imprimis Theodoretus *a* ait, Valentem subscribere conantem decreto exilij Basilio irrogandi, ne apicem quidem vnum alicuius literæ formare potuisse, raptis sponte tribus calamis ad illud adhibitis; eumque nihilominus idem adhuc tentare vellet, concussam esse dexteram, tremoreque occupatam; haecq; tandem re obstupefactum, chartam laceraſſe. Idem pariter de tribus perfractis calamis cõfirmat S. Ephræm *b*, magnus ille diaconus Edessenus, Magni olim Iacobi Nisibeni discipulus, ipsiusque Magni Basilij æqualis, & ex visione diuina *c* factus ei perneceſſarius: qui & de puero ægrotante hoc amplius habet, Basilium ab Imperatore accersitum promisisse illi sanitatem filij, dummodo is sibi traderetur instituendus in fide Catholica; idque cum Imperator pollicitus esset, puerum subito precibus Basilij sanatum fuisse: cum autem Valens ab Arianis seductus, filium illis tradidisset baptizandum, eundem mox spiritum emisisse. At Socrates *d* scribit Basilium Imperatori sanitatem filij promisisse, si ipse Imperator Orthodoxorum doctrinæ se adiungeret; eo vero renitente, ideoque Basilio pro puero orare omittente, ipsum mox obiisse. Sed Theodoretus sanitatem promissam ait, si puer ab Orthodoxis baptizaretur; Imperatore autem illum Arianis committente, ipsum extemplo expiraſſe. Verum non de baptismo, sed de precibus id Sozomenus *e* refert: nempe puerum, qui aduentu Basilij nonnihil conualuisset, eo dimisso, & superinductis ad preces super puerum fundendas Arianis, mortuum esse. Rursum vero à cæteris prætermissa, de principe coquorum Demosthene Theodoretus addit, cum & ipse Basilium reprehendere præsumpsisset, eius insolentiam egregia hac voce à Basilio esse retusam, *Tuum est iusculorum curare condimenta: nam cum aures habeas oppletas sordibus, sacrosancta dogmata audire non potes.*

b *Ephr. orat. in laud. Basil.*
c *Id. ibid.*
d *Socr. lib. 4. c. 25.*
c *Soz. lib. 6. c. 19.*

PRINCEPS COQVORVM CONFVTATVS.

Nec tamen hic finis Basilij cum Magistratibus certaminum. Siquidem Eusebius anunculus Imperatricis, nactus Ponti & Cappadociæ Præfecturam, alio tempore (quo autem anno Basilij nescitur) eidem non parum negotij facessit, ob nobilem quandam mulierem, quæ vt vim effugeret Iudicis assessoris, inuitam ad nuptias pertrahere tentantis, ad altare Ecclesiæ confugerat: vnde cum illam Præses auferre conaretur, Basilius vero resisteret; ille non solum ad ipsius Basilij cubiculum ignominiæ causa apparitores misit, qui perscrutarentur an aliqua illic mulier esset; sed & eidem in ius vocato verbera aliasq; pœnas iam minabatur, quando populus furore concitatus, in Præsidem pro Basilio insurrexit; occidisseteq;, nisi Basilius ei præsto fuisset. Quam rem gestam pluribus describit Gregorius *f* Nazianzenus.

XI.

ALIA BASILII CERTAMINA CVM MAGISTRATIBVS.

f *Greg. Naz. orat. in laud. Basil. & Nicet. ibid.*

X.

Qui autem tanto studio Cæsareæ Valens Basilium aggressus est, eodem plane nisu, cum Antiochiam aduenisset, *Meletium g* virum sanctissimum, in eadem ciuitate alterius Orthodoxorum partis agentem Episcopum, inuasit. Tertio namq; ipsum exulasse, cum Gregor. *h* Nyssenus affirmet; primo sub Constantio, secundo sub Iuliano, tertio sub Valente accidisse videtur: meminitque huius sub Valente exilij Sozomenus *i*, aliique. Sed & Chrysostomus *k* vnum tantum memorans, post illud cum reuersum dicat quiete egisse, quousq; vocatus est à Theodosio ad Concilium Constantinopolitanum; de isto vltimo intellexisse oportuit: quo (vt ait) in Armeniam relegatus est; idq; tanto dolore Antiochenorũ, vt Præsidem ipsum, qui Meletium curru extra vrbem ducebat, pene lapidib. obruerint; conficissentq;, nisi Meletius ipse pallio suo eundem contexisset. Cæterum quod tam Socrates quam Sozomenus tradunt, istiusmodi profectionem Valentis Antiochiam, accidisse ipso ferme eius Imperij exordio; vterq; errasse conuincitur ex Ammiano *l*, qui testatur Valentem eo tunc dirigentem iter, obortа Procopij tyrannide coactum esse à cœpto desistere. Quapropter accuratius Cedrenus aduentum eius Antiochiã ponit anno sequenti. Porro Meletio absente, Flauianum & Diodorum illustres presbyteros, (quorũ ille postea ipsi Meletio in Episcopatu Antiocheno successit, iste creatus est Episcopus Tarsensis in Cilicia) vna cum Aphraate, ac Iuliano cognomento Saba, monachis gratia miraculorum insignibus, Ecclesiæ Antiochenæ curam susg *Socr. lib. 4. c. 13. Soz. lib. 6 c 18.*
h *Greg. Nyss. orat. in funer. Melet.*
i *Soz. cap. 17.*
k *Chrysost. in natal Melet. ap. Sur. 12. Febr.*

MELETII ANTIOCH. EXILIVM.

cepisse, eaq; digne perfunctos esse, Theodoretus *a* est auctor; qui eorundem Aphraatis & Iuliani multa tunc edita in defensionem fidei miracula recenset.

a *Theod. Hist. 23. 24 25. & in Philoth. c. 2. & 8.*

X.

Memorandum vero est, quod cum aliquando Aphraate Valens cito gradu, licet confectum pene ætate, incedentem vidisset, & ab aliquo dictum esset illum esse Aphraatem, ex cuius nutu penderet ciuitas vniuersa; Valens eo vocato, interrogauit quo se conferret: ille vero *Pro tuo* (inquit) *regno precaturus*: cumque adiecisset Imperator, ei potius intra cellam manendum esse, vt lex monastica postularet; tam ille, *Præclare admodum dicis, ô Imperator. Istud sane mihi faciendum est, & hactenus feci, dum omnes Saluatoris pace fruerentur: Verum quoniam tam magnopere perturbantur, & multum illis impendit periculi; necesse est omnes vias persequi, non modo ne à ferus capiantur, sed etiam vt conseruentur incolumes. &c. cumque tu iam in DEI ades flammam inieceris, nos circumcursitamus, quo eam mature possimus extinguere.* Quæ cum locutus esset, Imperator ei interminatus conticuit. Hæc de iis Theodoretus: qui & addit de vindicta diuina in quendam ex cubiculariis Imperatoris, qui ausus est graviores in eundem Sanctum iactare minas: quippe dum paulo post pararet ex munere balneum Imperatori, repente mente captus, in aquam calidissimam sese præcipitans, ilico miere periit.

QVID APHRAATES MONACHVS CVM IMP.

Sed & insignis extitit eo tempore mors *Asterij* olim sophistæ, tunc vero Episcopi Ariani, precibus prædicti Iuliani sublati, qui cum ab ipso iam tempore Concilij Nicæni Fidelib. vbiq; semper insultasset, ipsiq; Atio fax ad inflammandas Ecclesias paratissima fuisset, tandem sancti huius senis exsufflatione extinctus est. Recenset eiusdem Asterij scripta S. Hieronymus *b*: Iuliani vero etiam meminit Chrysostomus *c*; eiusq; natalis dies, sicut & Aphraatis, adscriptus habetur Indicibus *d* Ecclesiasticis. Sed & alios pleroſque habetur Indicibus *d* Ecclesiasticis. Sed & alios pleroſque magni nominis monachos, istis virtute haud impares, Syriæ solitudines his temporibus excoluisse, idem Theodoretus *e* refert, nominatque; & nonnullorum res gestas in Philotheo describit.

b *Hieron. de Script. Eccl. in Aster.*
c *Chrys. in Eph. 6. hom. 22.*
d *Martyrol. Ianuar. & 7. April.*
e *Theod. 4. hist. 26.*

XII.

Præter hæc autem quæ de Meletio diximus, Valentem Antiochiæ diutius commorantem, cæteros omnes qui Arianæ doctrinæ aduersarentur, exiliis ac cruciatibus exagitasse, Socrates *e* & Sozomenus *g* testantur: ingentemq; plane fuisse persecutionem, qua Catholicos ipse vexauit, S. Augustinus *h* contra Petilianum insinuat: cum & ex alia parte, haud parua intestina vexatione eadem afflictaretur Ecclesia Antiochena, dum Orthodoxorum alij Meletio, alij Paulino adhærerent. Vnde & illud damnum hoc tempore emersit, vt multi Meletiani, eo exule, vt pollerent multitudine, coniunxerint se *Tarsensibus*, sic dictis hæreticis Semiarianis *i* à Siluano Tarsensi eorundem Episcopo: qui cum horrere Arianos profiterentur, confitentes in Dei Filio diuinam substantiam; nolebant tamen cum Orthodoxis asserere eius Consubstantialitatem, iis de causis quæ superius sunt commemoratæ.

e *Socr. lib. 4. c. 14.*
g *Soz. lib. 6. c. 18.*
h *Aug. 2. ep. lib. Petil. 91.*

AFFLICTIO ECCLES. ANTIOCH.

In tam igitur lugubri statu Orientis Ecclesiæ, quæ eiectione vbiq; Episcoporum Orthodoxorum, & subrogatione Arianorum, iam penitus videretur esse collapsa; de iis Magnus Basilius scribens *k* ad Magnum Athanasium, in id vehementer incubuit, vt vnum tantum doceret superesse remedium, si ab Occidentalibus Episcopis ea subleuaretur; atque istud ipsum vt cum iisdem Occidentalibus ageret, enixius rogauit. Quid autem gestum fuerit, dicetur anno sequenti. Hoc vero eodem tempore, cum Ecclesia Libyæ à quodam Præfecto Cappadoce, homine moribus deprauato, licet fide Catholico, labefactata esset; eum mores emendare non curante, idem Athanasius sententia excommunicationis percussit; scripsitq; ex more publicas literas, quibus significaretur ne is ab alio vsquam Episcopo reciperetur. Quas cum imprimis Basilius Cappadociæ Metropolitanus accepisset, eundem nefarium hominem à Fidelium similiter consortio penitus declarauit exortem; deque ea re Athanasium litteris *l* suis reddidit certiorem, quibus inter alia dicit, *execrabilem illum auersaturos omnes, ita vt nec ignis, nec aquæ; nec tecti communionem cum illo sint habituri: siquidem prodest, vt violenti isti tyranni communi & vnanimi iudicio condemnentur.*

k *Basil. ep. 48.*

PRÆFECTVS LIBYÆ EXCOMMVNICATVS AB ATHANASIO.

l *Id. ep. 47.*

XIII.

Hoc

XIV. VALENS EXAGITAT MAGOS DIVINATORES.

Hoc eodem anno, quo Valens Antiochiam venit ipsius tertio Consulatu, Præfecturam Prætorii Modesto administrante, diræ sunt habitæ quæstiones de compluribus, qui de vita eiusdem Imp. consuluissent magos, aruspices, vel alios, qui malis artibus futura prænotcere profitebantur: de quibus omnibus Ammianus *a* pluribus agit: extatque hactenus Valentis rescriptum, *b* ad eumdem Modestum hoc anno aduersus maleficos datum. Sed distinctius Sozomenus *c* air, philosophos Gentiles pertæsos Christianorum dominationis, nefandis magiæ præstigiis de venturo consuluisse Imperatore, repertisseque Valentis successorem futurum, cuius primæ literæ essent THEOD. Vnde cum illi auide expectarét *Theodorum* quemdam, insignem illum quidem & illustrem virum, sed Gentilem, Imperatorem euasurum, re cognita, Valentem mandasse, vt Theodorus igne, qui autem eiusmodi artibus vsi essent, gladio necarentur: parique ratione eos omnes, quicunque (si modo illustres essent) idem *Theodori* nomen, vel *Theodosii*, *vel Theoduli*, vel simile haberent, cuius videlicet primæ literæ à TH. vsque ad D. essent eædem. Additque Socrates, *d* *Theodosiolum* quemdam ex genere Patricio, ab Hispania ad Valentem adductum, quo te mulctatum esse: multosque præ metu sua cõmutasse nomina, & quæ à parentibus acceperant, tamquam plena periculi denegasse. Meminit porro prædicti Theodori Ammianus, tamquam re vera virtutibus suis Imperio digni: claroque olim genere in Galliis nati, quem (vt ait) Constantinopoli accersitum, quæstionib. Imperator subiecit. Zosimus *e* autem affectatum ab eo Imperium tradit, ac malis artibus conquisitum, quamuis eum Ammianus excuser. His vero addit Sozomenus, eadẽ de causa omnes illustriores toto Imperio Philosophos extinctos esse: immo & eos qui philosophi non erant, sed illorum dumtaxat vestitu vtebantur, iram Imperatoris & inuidiæ flammam peruasisse, adeo vt qui alias artes profitebantur, neque crocotis neque palliis philosophorum se induere auderent.

a *Amm. li. 29.*
b *L. 8. C. Th. de malef.*
c *Soz. li. 6. c. 35*

LITERÆ IN CRIMEN ADDVCTÆ.

d *Soc. li. 4. c. 15*

e *Zos. lib. 4.*

XV. CELEBRIORES PHILOS. OCCIDIT VSI.

Inter celebriores autem philosophos, tunc iussu Valentis occisos, recensent iidem Ammianus & Zosimus *Maximum* illum Cynicum, olim Iuliani in magia magistrum, cuius sæpe facta est mentio: qui tandem scelera sua iusto Dei iudicio Ephesi capite luit, & quidem ob eamdem ipsam artem, propter quam apud Iulianum summam fuerat gratiam consecutus. Cuius pariter necem Eunapius *f* describit, licet & ipse Ethnicus Ethnici excuset facinus, prædicetque virtutes. Addit præterea Ammianus, magnam tunc factam esse inquisitionem codicum vetitarum artium, eorumque reperiendorum causa, fuisse cuiusque ferme domus penetralia accurate quæsita, ac fossis etiam insidias positas, eosdem autem inuentos, multis aceruis publice combustos esse. Meminitque eiusmodi librorum perquisitionis etiam Chrysostomus, *g* quam tunc ipse adhuc adolescentulus præ oculis habuit, eaque se periclitatum esse, licet innocentem, tradit, nisi diuino quodam præsidio fuisset adiutus. Denique in Occidente quoque, ab anno superiori diras agitari cœptas quæstiones aduersus eos, qui curiosis per diuinationem scientiis operam darent, adeo in vt Senatorias quoque personas pœnis seruilibus sæuitum fuerit, eodem Ammiano auctore *h* constat. Extatq; Valentiniani sanctio, *i* anno sequenti promulgata aduersus Senatores maleficii accusatos.

LIBRI MAGICI COMBVSTI.

f *Eunap. in Vit. philos.*

g *Chrys. hom. 38. in Act. Apost.*

h *Am. l. 28.*
i *L. 10. C. Th. de malef.*

XVI. ATHANARICI REGIS GOTHOR. PERSECVTIO.

Interea vero Athanaricus Rex Gothorum, memor quæ tienni bello à Valente passus esset, quod non liceret, pacis legibus prohibentibus, vel potius viribus deficientibus, inuadere Romanum Imperium, Christianos apud se agentes ipse Ethnicus morte atque exilio persequi cœpit, *k* nec destitit, quousque publica expeditione, transmisso Istro, ipsum Valentem aggressus est. Contigisse autem eiusmodi *Persecutionem*, antequam iidem Gothi Arianæ hæresis labe conspergerentur, adeo vt qui apud eos passi sunt, omnes Catholici essent, iidemque martyres habiti fuerint, S. Augustinus, *l* Orosius, *m* & Tabulæ Ecclesiasticæ, testantur. Ex quibus corrigendus sit Sozomenus, *n* qui eos iam tum hæresi labefactatos affirmare videtur. Sane vsque in hanc diem Christianos Gothos perseuerasse Catholicos, eos vero tantummodo, qui Phritigerni alteri Gothorum Regi subditi essent, ex conditione *o* icti fœderis cum Valente

k *Hie. in Chr.*

l *Aug. 18. de ciu. 52.*
m *Oros. li. 7. c. 7.*
n *Soz. li. 6. c. 37*
o *Vide etiam Sozom. ibid. & Soc. lib. 4. c. 27.*

Imp. (à quo Phritigernes, eiusti bello aduersus Athanaricum alterum Gothorum Regem, auxiliares copias accepisset) mutatos in Arianos, testantur Orosius atque Theodoretus. *a*

a *Theod. lib. 4 cap. vlt.*

XVII.

Quod vero Socrates *b* & Sozomenus æque asserere videntur, *Vlphilam* Gothorum Episcopum, qui primus literas Gothicas inuenit, ac sacram Scripturam in eorum linguam conuertit, eosdem quoque ipsum omnium primum ex Gentilibus reddidisse Christianos, vel ex eo satis erroris arguuntur, quod iam temporibus Constantini Magni qui Gothos domuit, eos religionem Christianam amplexatos esse, ipsorumque Episcopum Theophilum interfuisse Nicæno Magno Concilio, index Episcoporum eidem subscriptorum aperte significat. Illud vero omnium assertione firmum habetur, eumdem Vlphilam deceptum ab Eudoxio, (idque tum pecuniæ illecebris, vt habet Theodoretus, tum verborum lenociniis; cum falso iactaret nullam in re, sed tantum in verbis fuisse Catholicis cum Arianis controuersiam) auitam fidem Catholicam deseruisse, eademque verborum deceptione ipsum Gothos sibi deuotissimos in cõmunionem Arianorum perduxisse: quamuis nec ob illam communionem, eos à doctrina Catholica desciuisse, idem Theodoretus scribat: quos & postea egregie exultos à sanctissimo viro Niceta eorumdem Episcopo, docet S. Paulinus Nolanus in hymnis S. Felicis.

b *Soc. & Soz. vbi supra.*

DE VLPHILA GOTHIC. LITER. INVENTORE.

XVIII.

Hoc ipso anno, iisdemque Coss. à Valentiniano Imp. cum aliis Augg. datum reperitur ad Damasum Romanum Pontificem rescriptum, *c* ne Ecclesiasticæ personæ, (neque enim ad ipsas Ecclesias illud extensum est) siue clerici, siue monachi, qui continentium nomine nuncuparentur, hæreditates, vel legata, aut alias donationes, à mulieribus accipere possent. Cuius meminerunt SS. Hieronymus *d* atque Ambrosius, *e* non tam querentes de edicto, quam de causa eius sanciendi: quæ fuit insignis auaritia multorum eius temporis presbyterorum ac monachorum, bonis viduarum anhelantium, atque ex pietate quæstum captantium, domosque circuientium ad decipiendas mulierculas oneratas peccatis. Aduersus cuiusmodi clericorum turpitudinem iidem Patres *f* sæpius inuecti sunt. Quapropter, & quod ea lex præter morem lecta dicatur in ecclesiis Romæ, verisimile est eam agẽte Papa Damaso editam esse, quo sæculari etiam auctoritate coerceretur sordida Ecclesiasticorum officina. Porro hanc legem antiquauit postea Marcianus, *g* eiusque ea de re sanctionem probauit Iustinianus, *h* ac suo Codici inseri voluit.

c *l. 10. C. Th. de Epis. & cler.*
LEGES VALENTIN. CONTRA AVARITIAM CLERICORVM ET MONACHOR.
d *Hier. ep. 1. ad Nepot.*
e *Ambr. ep. 31. ad Valen. Iun.*
f *Hier. ep. 22. Ambr. ep. 7*
g *Marc. Nou. tit. 3. l. generali lege C. de Epis. & cler.*

Sed quod attinet ad legem illam, qua Socrates *i* ait eumdem Valentinianum sanciuisse, vt quicunque vellet, duas posset vxores legitimas habere, idque (vt ait) occasione Iustinæ virginis, cuius pulchritudine captus, eam in vxorem cepit viuente adhuc & retenta priori coniuge Seuera: de his conuincitur ex pluribus Socrates, apertissimis mendaciis anilem vel ab eo concinnatam esse fabellam, vel potius ab aliquo è triuio acceptam conscripsisse vt veram. Vnde enim ei, Iustinam fuisse virginem, cum eam Valentinianus accepit in coniugem, quam constat *k* vxorem antea fuisse Magnentii tyranni, à Valentiniano vero ductam post Seueræ obitum? Deinde quomodo nullus auctorum Ethnicorum, non Zosimus, non Ammianus, res horum temporum describentes, & in Christianos Principes parum æqui, huius meminerunt obscœnitatis: cum alioqui sciamus, eamdem à Romanarum rerum historicis *l* in barbaris esse derisam, & in Romano Imp. id tentante *m* magnopere improbatam, atque ab aliis etiam Imp. Ethnicis *n* prohibitam, ac denique ab Imp. Christiano *o* etiam externis, nempe Iudæis interdictam? Quinimmo idem Ammianus nihil adeo celebrat in Valentiniano, ac castitatem, quem ait *p* omni pudicitiæ cultu domi castum fuisse & foris, nullo contagio conscientiæ violatum obscœnę, nihilque incestum habuisse. Sed & quonam, quæso, modo res toto Imperio Romano diffamata, nonnisi vni qui longe post hæc tempora vixit, innotuit Socrati? (ex eo enim ceteri descripsere Theophanes, Zonaras, Nicephorus, & siqui alii:) non etiam Hieronymo, Orosio, Seuero, & aliis pluribus Latinis historicis, qui his temporibus claruere, non penes Græcos ipsi Sozomeno, vel Theodoreto, qui eiusdem Imp. res gestas prose-

XIX. DE ASSERTA LEGE VALENTIN. DE DVAB. VXOR.

i *Soc. li. 4. c. 26.*
k *Zos. li. 4.*
l *Sal. in Bel. Iugurt.*
m *Suet. in C. Iul. c. 52.*
n *Val. & Gal. l. 18. C. ad leg. Iul. de adult.*
Diocl. & Max. l. 2. C. de incest. nupt.
o *Theod. l. 7. C. de Iud.*
p *Amm. li. 30*

cuti sunt, non denique vlli omnino horum temporum scriptorum? Cessetigitur de infami lege suspicio, ac præsertim in Valentinianum castissimum, & violatæ castitatis acerrimum a vindicem.

a *Am.li 28. Hie.ep.49.*

Laude vero plane dignum extitit rescriptum b eiusdem, hocipso anno promulgatum, quo Romanas Scholas optime compositi, ac discipulorum moribus egregie prospexit: omnibus insuper interdicens, ne supra vigesimum ætatis annum liberalibus ibidem scientiis operam nauare possent. Ad cuius plane legis decreta spectat, quod S. Augustinus c in suis Confessionibus ait, se Romam perrexisse, quod quietius ibi studerent adolescentes, & ordinatiore disciplinæ coercione sedarentur. Cæterum cum ex eiusdem Augustini, tum ex aliorum sententia, illud prudenter statuisse visus est Imperator, vt adolescentibus Romæ non liceret morari vltra vigesimum ætatis annum, ne scilicet iam liberiores otio torpescentes, vrbanis irretirentur illecebris.

XX.

b *L1.C. Theod. stud. lib. Vrb. Rom.* ROM. SCHOLÆ LEGE VALENTIN. OPTIME INSTITVTÆ.

c *Aug. 5. Confes. 8.*

Denique hoc eodem anno idem Imp. lege lata d sacras virgines, viduas, & pupillos, à censu plebis exemit.

XXI.

d *L6.C.Th.de cens.*

IESV CHRISTI AN. 371.

DAMASI AN. 5.

VALENTIN. VALENTIS } AN. 8.

ANno Domini trecentesimo septuagesimo primo, Gratiano Augusti. secundum & Anicio Petronio Probo Coss. S. Basilius satagens de statu deploratissimo Orientalis Ecclesiæ, egit cum Athanasio Alexandrino, Meletio Antiocheno, & Eusebio Samosateno, vt legatio Romam mitteretur, ad petendos viros capaces in Orientem quamprimum dirigendos, qui nutantia roborarent, & prostrata erigerent. Hæc enim manifesta fiunt ex variis eiusdem Basilii de his ad prædictos Episcopos scriptis literis. e Extatque apud eumdem, f Meletii, vtpote primarii totius Orientis Antistitis, cui etiam Basilius aduersus Paulinum studuisse g cognoscitur) Eusebii, atque ipsius Basilii nomine ad Occidentales ea de re epistola, quam & ab aliis pariter Episcopis Orthodoxis subscriptã esse, idem alibi h insinuat: ipsumque suas i priuatim addidisse constat. Porro illæ omnes, etsi ad Occidentales, vel Occidentis diuersas prouincias nempe Italiæ & Galliæ Episcopos, habeantur inscriptæ, tamen ad ipsum imprimis communem Pontificem, Episcopum Romanum datas esse, ex eiusdem Basilii k ad Athanasium epistola pleniss ime cognoscitur. Desiderantur autem literæ Athanasii ad Romanum Pontificem, quarum ibidem Basilius meminit. Quid vero actum sit hac legatione, (qua functi reperiuntur Sabinus & Probus Sanctissimus presbyteri, ac Dorotheus diaconus) illud tantum potuimus l inuenire, Occidentales redditis ad Orientales literis, eos consolatos esse, bonaq; spe roborasse: sed & rescripsisse ad Athanasium, qui acceptas literas ad Basilium m in Cappadociam misit.

I. PRÆCIPVI ORIENT. EPISC. AVXILIVM IMPLORANT OCCIDENTALIVM.

e *Bas.ep.52.57 58.59.*
f *Id.ep.69.*
g *Id.ep.50. ad Athan.*
h *Id.ep.58.59.*
i *Id. ep.70.*
k *Id.ep.52.*
l *Id. ep.74. ad Occid. & ep.18. in addit. ad Ant.*
m *Id.ep.61. ad Occid.*

Quanti enim eumdem Basilium Athanasius fecerit, ex variis ipsius epistolis n apparet, in quibus eiusdem Basilii defensionem contra oblatrantes suscepit. Tantam vero etiam de eo fidem concepit, vt cum antea ab eodem Basilio o sæpe interpellatus pro Ecclesia Antiochena, aliisque aliarum Orientis Ecclesiarum ærumnis, ad easdem lustrandas, & quibus valeret remediis subleuandas, misisset ex clero Alexandrino Petrum, p qui eo munere egregie functus est: iam eidem ipsi Basilio (sicut ipse testatur q ad Neocæsarienses) iniunxerit visitationem Episcoporum Macedoniæ & Achaiæ, cui & in mandatis dedit, vt lapsos in hæresim oës reciperet cum fidei Nicænæ confessione. Sed accidit, vt cum idem Basilius Minorem etiam Armeniam visitans, in *Nacopolitano* eiusdem prouinciæ *Conuentu* Eustathium Arianum Episcopum Sebastenum, fidem Catholicam profiteri simulantem, eidemq; subscribentem, a in communionem accepisset, idem ea de re primum ab illius loci Episcopo Orthodoxo, nomine Theodoto, deinde ab aliis in suspicionem collusionis cum Eustathio adductus fuerit: ac revbique, etiam apud Occidentales diffamata, b opus habuerit Apologiam scribere: quam ad Terentium Comitem sibi perneceſſarium milit, (quem ex Ammiano constat, his temporibus ad cohibendos Persas in Armenia cum duodecim legionibus egisse) virum pietate ac fide Catholica insignem, cuius ea de re egregium apud Valentem Imp. facinus Theodoretus d recitat.

II. n *Athan. ep. ad Ioan. & Ant. & q. seq. ad Pal.*
o *Bas. ep. 48. & seq. ad Ath.* ATHANASIVS BASILIO VSVS IN VISITATIONE ECCLES.
p *Id ep. 12. ad Athan.*
q *Id. ep. 75.*

a *Ap. Bas. ep. 78.* BASIL. MALE AVDIT OB RECEPTVM EVSTATH. SEBAST.
b *Id.ep.8. ad Eusseb.*
c *Id.ep.6. in ad dit.*
d *Theod. li. 4 c.28.*

Quinimmo & ipse Eustathius, cum videret se ex fidei professione subscripta, quam aucupatus fuerat gloriam minime consecutum esse, reliqua impudenter vertens, in eumdé Basilium verbis iactare conuicia, ac scriptis disseminare calumnias aggressus est, quasi de fide haud recte sentiret. Id enim testatur ipse Basilius, e ad eumdem Eustathium pro sua defensione scribens: cuius etiam alia extat f ad prædictum Theodotum epistola, qua demonstrat sero minus pœnitere se, quod minime eidem de Eustathii simulatione momenti auscultasset: itemque aliæ pariter defensoriæ ad Athanasium g magni nominis & spectatæ fidei Episcopum Ancyranum, & ad suos Neocæsarienses h sibi ob illatas calumnias infensos. Se insuper ab Arianis accusatum, quod literas dedisset ad Apollinarem, eaque de causa complures suam vitasse communionem, idem testatur i in epistola ad Patrophilum, qua se excusat quod nescisset Apollinarem esse hæreticum. Neque enim adhuc damnatus fuerat: antequam autem Romæ in Concilio damnaretur à Damaso, nequaquam vt hæreticus vitabatur, quem etiam in diuinis literis se habuisse magistrum, S. Hieronymus k ingenue profitetur. Sed & cum idem Basilius aduersus Sabellium atque Marcellum concionibus sæpe dimicans, tres in Trinitate distinctas hypostases, siue subsistentias ad inuicem per se singulas distinctas, niteretur demonstrare, idem ab auditoribus (qui adstare solebant, quod ipse sæpius l queritur, vt eum carperent, non vt discerent) diffamatus est quasi trium deorũ assertor. Vnde opus habuit frequenti populo amboném conscẽdere, seque deorum trium cultorem numquam fuisse, vel assertorem, publica oratione, quæ hodieque extat, m omnibus exploratum reddere. Denique se in omnibus custodem esse antiquarum traditionum, aduersus hæreticos nouitatem in eo accusantes, egregie vbique profitetur, ac præcipue dum in oratione contra Sabellianos ait, *Dominus ita docuit, Apostoli prædicauerunt, Patres obseruarunt, Martyres confirmarunt: satis tibi sit, vt dicas quemadmodum edoctus es.*

e *Bas.ep.79.*
f *Id.ep.15. in addit.*
g *Id.ep.54.*
h *Id.ep.79.*
i *Id.ep.82.*

ALIÆ MVLTÆ IN EVM CALVMNIÆ.
k *Hier. ep.65. ad Pamach.*
l *Bas.orat. contra Sab. & orat. aduer. calum. & alibi.*
m *Id.orat. aduers. eos qui calum. quod tres dei col.*

IV.
n *Id.ep.73.*

His vero accedẽte calumnia alia, quasi male crederet de Spiritu Sancto, de ea se pariter defendit literis n scriptis ad monachos Ponticæ solitudinis, qui se idcirco ab eo tamquam hæretico diuellere meditabantur, ad quos etiam, id exigentes, egregium misit libellum de vera ac pia fide, (vt habet titulus:) quo rursum declarauit, quantum abhorreret à nouitate, cuius ab aduersariis insimulabatur. Ac demum occasione vnius circa Spiritum Sanctum voculæ, ab eodem pro concione obscurius aliquando prolatæ, ingentes in eum ab aduersariis concitatæ sunt turbæ, quas fusius pertractat Gregorius o Nazianzenus, cum & eiusdem Basilii ea de re consilium, fidemque integerrimam demonstrat. Verum cum nec desisterent aduersarii eidem insultare etiam mortuo, pro eo rursum diuersis temporibus apologias scripserere, germanus eius Gregorius Nyssenus, Theodorus Antiochenus, atque Sophronius, vt auctor est Photius in sua Bibliotheca.

ACCVSATVS MALE SENTIRE DE SPIR. S.
o *Greg. Naz. ep 26. ad Bas. & orat. de laud. Bas.*

V.

Quænam autem fuerit vocula illa, seu potius syllaba, quæ tot indiguit defensionibus, ipsemet Basilius declarauit in peregregio illo cõmentario, quem eadem occasione ab amicissimo Amphilochio Iconii Episcopo interpellatus cõscripsit, vt obortam de Syllabis quæstionem in causa de Spiritus Sancti diuinitate elucidaret: Vbi docet, p illius quæstionis originem inde manasse, quod ipse in concione Glorificationem q absoluisset, *Deo ac Patri*, interdum *cum Filio ipsius ac Spiritu Sancto*, interdum *per Filium in Spiritu Sancto*. Quæ quidem etsi tam diuinæ Scripturæ auctoritate, quam antiquæ traditionis exemplo, & SS. Patrum testificatione,

p *Bas. ad Amphil. c.1.*
q *De hymnorum Glorificationis, diffusius agit. num. 325. num. 46.47.*

tione, absque dispendio Catholicæ fidei licenter dici possent, ex iis tamen scandalũ Fideles passi sunt, quod iam olim Antiochiæ *a* (vt alias dictum est) obortа esset dissensio inter Catholicos & Arianos, dum illi Glorificationis hymnum occinentes dicerent, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto*, Ariani vero *Gloria Patri per Filium cum Spiritu Sancto*. Sed quonam modo eadem verba dicentes Ariani blasphemarent, Catholici laudarent SS. Trinitatem, idem Basilius *b* eodem libro plurib⁹ docet. Cui quidem in tot ærumnis constituto, vnum illud relictum visum est confugium, vt Magni Athanasii, atque amicissimi ac fidelissimi tibi Gregorii Nazianzeni auxilium literis absens expeteret, *c* vt illius ad Deum precibus fulciretur, huius etiam ad se aduentu recrearetur.

Fuit vero eidem alia etiam ex causa magnum cum Anthimo Episcopo Tyanensi dissidium. Cum enim Cappadocia in duas prouincias & Metropoles diuisa esset, *d* quarum altera Cappadocia Prima, Secunda altera dicebatur, primæque ac potiori, in qua Cæsarea, Basilius præesset, alteri vero, cuius erat metropolis Tyana, Anthimus, hicq; ex prima illa tiaræ iurisdictioni multas parœcias vendicare conaretur, ac multæ inde contentiones ortæ essent: salubre hoc (inquit Gregorius *e* Nazianzenus, hæc narrans) consilium Basilius excogitauit, vt plures in sua diœcesi crearet nouos Episcopos, quo & animarum cura maior susciperetur, & quælibet ciuitas prouentus suos haberet, quorum præcipue causa turbas Anthimus ciebat. Sed illud plane salubrius fuit Basilii consilium, vt à ditione Anthimi (sub qua situm erat *f* Nazianzum, necnon Arianzum patrium solum Gregorii) vendicaret sibi eumdem Gregorium, quem nouæ institutæ sedi Sasimorum crearet Episcopum. Verum id ægre perferens Gregorius, g sæpius obfirmato animo restitit, non tam quod humilem Sasimorum locum despiceret, (quamuis ille esset nõ solum Gregorio, sed & quolibet homine libero *b* prorsus indignus arctusque nimis, & tristis:) quam amore *i* tranquillioris vitæ, & quod locus ille cuiusnam esset, primæne an secundæ Cappadociæ, *i* inter Anthimam atque Basilium in magna controuersia esset. Tandem vero Basilii victus amicitia, & patris sui Gregorii senis Episcopi Nazianzeni cedens imperio, Sasimorum Episcopus ordinatus est, conuenientibus ad hoc ipsis Basilio & Gregorio sene, ac superueniente Basilii germano Gregorio Nysseno: quo tempore idem Gregorius nouus Episcopus plures habuit orationes *k* Apologeticas, easdem & in Basilium sub querulas, quæ extant.

Sed cum post hæc idem varie ab Anthimo frustra solicitatus, Sasimorum adeo accessu prohiberetur, vt nec ea ipsi inuisere vmquam licuerit, atque ex altera parte in suspicionem apud Basilium adduceretur, quasi Anthimo adhæsisset: nouum ipse consilium iniit, *l* in solitudinem se recipiendi. Haud tamen licuit ei diu solitarium agere: siquidem coactus patris subiascentis imperio, ipsi senio confecto assistere, Nazianzum venit: sed ea lege, vt quoadusque pater viueret, ei inhæreret, postea vero quo vellet liberum esset abire, sicut ipsemet publica tunc concione *m* omnibus testatum voluit, & postea in carmine de Vita sua repetiit. Ex quibus omnibus egregie refellitur, quod de eodem Gregorio plane omnes etiam antiqui affirmant, *n* ipsum fuisse creatum Episcopum Nazianzenum. Contra quam inueteratam opinionem, & illud insuper manifestissimum addimus, quod idem ipse Gregorius *o* longe post patris obitum ad Gregorium Nyssenum scribens, cum de subrogato Eulalio in locũ patris agit, expressis verbis testatur, inter omnes constare, se nunquam Nazianzi, sed Sasimorum Antistitem creatum fuisse, tametsi patre viuente, ad breue tempus eius Ecclesiæ præfecturam quasi hospes accepisset: Illudque ipsum iisdem ferme verbis in carmine de Vita sua repetit, insinuatque in epistola ad Philagrium. *p* Quod autem de Sasimorum Ecclesia nulla posthac mentio habeatur, id inde euenisse existimamus, quod Anthimus alium Sasimis, quæ sibi vendicasset, Episcopum ordinauerit, & Basilius ad dirimendas controuersias inter Catholicos periculoso illo tempore obortas, Anthimo pugnaci homini, sed tamen Orthodoxo, loco cesserit.

Interea vero cum Valens Imp. Antiochia recedens, in superiorem Syriam peregrinaretur, Edessam profectus causa videndi magnifici templi S. Thomæ Apostolo dicati, sanctitate & hominum frequentia celeberrimi, conspecta ibidem magna Orthodoxorum multitudine, qui quod ecclesiis priuarentur, in campo ante ciuitatem conuentus agebant, Modestum Præfectum contumeliosis verbis arguens, pugnoque etiam maxillam percutiens, quod eiusmodi conuentus fieri permisisset, imperauit vi multitudinem dissipare, virgisque ac fustibus cædere. Quod exequi Præfectus satagens, dum per forum transiret, mulierculam vidit infantem manibus gestantem, ac properantem: qua interrogata, cum accepisset, eam ad reliquam Catholicorum multitudinem festinam contendere, vt vna cum paruulo infante cædem Orthodoxis intentatam subiret, obstupefactus, & ex eius animo aliorum omnium flagrans martyrii desiderium perspiciens, rem ad Imperatorem detulit, cædemque illis frustra illatam fore docens, commonuit præcipere vt abstinereretur à nece populi, quandoquidem nihil inde præter dedecus consecuturus esset. Narrant hanc fusius historiam Theodoretus, *a* & Socrates *b* atque Sozomenus. *c* Sed ab istis ille corrigendus, quod præpostero ordine recenseat primum res à Valente gestas Edessæ, inde quæ cũ Basilio Cæsareæ Cappadociæ contigerunt. Habet vero insuper idem Theodoretus multa de Ecclesiæ Edessenæ Episcopo, nomine *Barsæ*, vitæ sanctitate & miraculorum gratia vbique clarissimo, iam ante Valentis aduentum in exilium missо, deque aliis eiusdẽ Ecclesiæ clericis tunc exulare iussis, atque male habitis, cum Imperator, sicut abstinere præcepit à nece populi, ita in Ecclesiæ ministros iram cõuertit. Inter quos præcipui extitere *Eulogius & Protogenes*, quorum ille in exilio cellæ se includens, dies noctesque in oratione transegit, iste pueros literis & pietate informans, occasione redditæ quibusdam ægris sanitatis, plurimos Gentiles ad fidem conuertit: amboque demum reuersi ab exilio, Eulogius defuncto successit Barsæ, Protogenes factus est Charrarum Episcopus, eorundem vero trium nomina relata sunt in Tabulas Ecclesiasticas. In Scythia quoque eumdem Valentem Ecclesiam vexasse, eorumq; Episcopum, æque sanctitate illustrem, *Vretannionem* in exilium expulisse, sed mox reuocasse, veritum ne Scythæ eius rei occasione nouis rebus studerent, Sozomenus *d* narrat.

Hoc item anno *e* obiit *S. Eusebius* Episcopus Vercellensis: qui cum martyrii titulo in Ecclesia sua colatur, & in Tabulis *f* Ecclesiasticis adscriptus habeatur, hunc ipse meruit, tum propter graues quas exulans passus est molestias, tum propter læuam illam sub Constantio factam sanctissimi viri per scalas protractionem, qua membris confractus & capite quassatus est. Quamuis enim postea conualuerit, tamẽ (quod alias dictum est) illi etiam antiquis *Martyres* dicebãtur, qui fidei causa post confessionẽ aliquid in corpore passi essent, etiamsi ex illatis pœnis minime contigisset spiritũ exhalare. Nam quod eumdem Eusebium reuersum in patriam Arianorum insultu lapidum ictibus morte affectum, monumenta Vercellensis Ecclesiæ tradunt, hæc antiquiorum carent testimonio. Denique SS. Ambrosius *g* & Gregorius *h* Turonensis, aliique eum inter Confessores tantum adnumerarunt. Cum aũt Latine & Græce doctissimus esset, haud otiosus absque scriptione vitam exegisse creditur: verum de eius lucubrationib. nulla est memoria, nisi de translatione *i* in Latinum facta commentarii Eusebii Pamphili super Psalmos, quæ & excidit, nec aliud nobilissimi ingenii supereſt, nisi quædam epistolæ ab exilio scriptæ, quarum facta est suis locis mentio. Quanta vero miraculorum effulserit post obitum gloria, adeo vt oleo lampadum in ecclesia ipsius ex more Christiano ardentium, dæmones ab energumenis pellerentur, idem Gregorius Turonensis certam fidem reddit. Hoc autem eodem anno, æque recensetur à S. Hieronymo interitus Luciferi Episcopi Calaritani, de quo iam actum est in eius schismate.

* Eodem anno Valentinianus Imp. de Scenicis (erant hi serui publici, ad lætitiam publicam theatricis spectaculis mancipati) pœnitentib. & Christianos fieri cupientibus, rescripsit *k* (haud quidem pie) nonnisi in mortis articulo baptizari, quod scilicet, cum legib. Ecclesiasticis vetitum esset Christianos Theatrales esse, qui eiusmodi essent, simulac

DE MODO RECITANDI HYMNI GLORIFICATIONIS.
a Theod. l. 2. c. 24. Sozom. l. 3. c. 19.
b Baſ. ad Amphil. de Spir. S. c. 4. 8. 25. 27. 29
c Id ep. 49. ad Atti & ep. 20 apud Greg. Naz.

VI. BASILII DISSIDIVM CVM ANTHIMO TYANENSI.
d Greg. Naz. orat. in laud. Baſ. Inſc. edit. de fid. ad Ioan. Pap.
e Greg. ibid.
f Inſt. eod. edit.
g Greg. ibid. & ep. 31. 32.
h Id. in carm. de Vit. ſua.
i Id. ut idem literis, ſed præſertim ep. 10. ad Ant.

GREG. NAZ. CREATVS EPISCOPVS SASIMORVM.
k Id. orat. ad patrem cum ad eccl. Baſil. & apol.

VI.
l Ep. 41. & carm. de Vit. ſua.
in Id. orat. extremi exeq. exord.
OBITVS.
NVMQVAM FVIT EPISC. NAZ.
n Hier. de Scr. Eccl. in Greg. Naz. Ruff. lib. 2. c. 9. Soc. li. 3. c. 35. Soz. lib. 6 c. 17. Greg. presb. in Vita Greg. Naz. & alii.
o Greg. Naz. ep. 42.
p Id. ep 65.

VIII. QVID EDESSÆ VALENS IN ORTHODOXOS.

EGREGIVM EXEMPLVM MVLIERIS PROPERANTIS AD MARTYRIVM.
a Theod. l. 4. c. 16.
b Soc. li. 4. c. 14
c Soz. li. 6. c. 18
d Soz. ib. c. 22.

IX.
e Hier. in Chr.
f Mart. Rom. & Men. Græc. Cal. Aug.
EVSEBII VERCEL. OBITVS.
g Amb. ep. 82 ad Vere.
h Greg. Tur. de glor. Conf. c. 3.
i Ap. Hier. ep. 75. adu. Vig.

X. INIVSTÆ VALENTINIANI IMP SANCTIONES.
k l. 11. C. Th. de Scen.

per baptismum Christiani efficerentur, scenicum munus exercere amplius nō valeent. Nēciustiora sanxit, cum hoc eodem anno licentiam dedit *a* Gentilibus aruspicinam exercendi, dummodo id facerent absque magia. Itemque, dū sacerdotibus Gentilium ritus, *b* honorem Excomitib. exhibet solitum impertiit. Sed & quod permisit Aram Victoriæ in Capitolio stare, illicque Senatores Gentiles sacra facere, licet eum S. Ambrosius, *c* quasi tantum nefas ignorasset, excusset: (sed rhetorice, vt puto, ad deliniendum Valentiniani Iunioris animum, ac reuocandum ne paterno exemplo eamdem Aram Gentilibus permitteret:) tamen ex his videas Symmachum, qui Gentilitiæ superstitionis maiorem gerebat Pontificatum, in Relatione ad eumdem Valentinianum Iuniorem iure appellasse Valentinianum Seniorē, ritus veteris conseruatorem. Nam & præter hæc adeo eius indulgentia abusi sunt Ethnici, vt non veteres tantum frequentarentur sacrificiis aræ, sed & recentes erigerentur, vt constat ex variis eius temporis publicis Inscriptionibus. *d* Quibus si addas, quæ de eiusdem in hæreticos indulgentia, deque permissa omnibus quacumque religione, dicta sunt superius, *e* haud adeo mirandum, si filios eius conspiratione Gentilium sublatos vsurpatos sumus, & translatum Imperium in Theodosium, qui deorum omnium demoliretur aras & templa, omnesque hæreses seuerissimis propulsaret edictis.

a l. 1. C. Th. de malef.
b l. 15. C. Th. de decur.
c Amb. ep. 30. ad Val. Iun.
d Smet. Inscr. pag. 19. & 20. apud Bar. an. 376.
e Sup. 364. VIII. 366. VI.

IESV CHRISTI AN. 372.

DAMASI AN. 6.

VALENTIN. VALENTIS } AN. 9.

ANnus Christi trecentesimus septuagesimus secundus Coss. habuit Modestum & Arintheum, ambos ex familia Valentis, sed diuersis inter se studiis. Siquidem Modestus Arianus, ad insequendos Orthodoxos (vt sæpe vidimus) Valenti vsui erat, *Arintheum* vero pium, & de Ecclesia Catholica benemeritum fuisse, patet ex epistola Basilii *f* consolatoria de eius obitu ad ipsius coniugem scripta, quæ & prænalidum exitisse ducem, & Armeniam à Persarum incursionibus tutatum esse, Ammianus testatur.

f Bas. ep. 5. in addit.

II. BASILII LEGATIONES AD OCCIDENTALES.

Hoc autem tempore, cum sub Ariano Imperatore Arianismagis, magisque aduersus Catholicos insolescerent, idē S. Basilius nouam rursus legationem in Occidentem ad Damasum Papam, aliosque Episcopos misit cum literis, *g* petens vt aliquot in Orientem, visitaturi, & remedia malis allaturi venirent: itemque vt Eustathius Sebastenus, & Apollinaris, (quorum causa, vt vidimus, in suspicionem venerat) ab Occidentalibus damnarentur, ob impietates & fraudes quibus Orientem infestarent. Verum nihil ista legatione actum est, quod Damasus dignum existimauerit, quousque de accusationibus aduersus eumdem Basilium prolatis certior redderetur, abstinere à consuetudine literarum. Quapropter Basilius magno animi dolore confectus, nouam denuo legationem decernens, eam credidit *Petro* Ecclesiæ suæ presbytero, (quem existimamus germanum ipsius, ex decem vltimo loco natum, virtutibus vero consummatū, creatum *h* ab eo ex monacho presbyterum:) eidemque literas *i* ad Romanum Pontificem, aliosque collegas Episcopos dedit, quibus queritur nullas ab eis ad se redditas, nullosque Legatos in Orientem missos: eosque iterum expetit, seque coram ipsis comparaturum pollicetur, rationemque redditurum earum rerum de quib. ab inimicis suis accusaretur. Quid autem ad hæc rescripserint Occidentales, vel an rescripserint, haud apparet: certius tamen videtur eos minime rescripsisse, quod quæ anno sequenti ad eosdem à Basilio datæ sunt literæ, *k* easdem querelas ingeminent.

g Id. ep. 74.
h Greg. Nyss. ep. ad Olymp. de Vita S. Macrina.
i Bas. ep. 77.
k Id. ep. 1. in addit.

III.
l Id. ep. 10.

Præsenserat ipse quidem iam antea aliquo modo has simultates, cum ad Eusebium Samosatenum scribens, *l* Occidentales supercilii & fastus accusauit, necnon insciliæ atque erroris: nempe ob veterem controuersiam de vocibus *Substantia & Subsistentia*, seu *Vsia & Hypostasi*, de quibus dictum est *a* in Concilio Alexandrino. Quæ licet tunc sopita visa esset auctoritate Athanasii, decernentis haud curandū esse de syllabis, vbi nulla esset in re discrepantia: tamen eadem iterum hoc tempore reducta, Occidentales, qui nolent cum Orientalibus tres Hypostases in Trinitate dicere, quod ea vox apud eos substantiam significaret, ob iisdem Orientalibus hæretis inimulati sunt, vt pluribus queritur Hieronymus *b* in epistola circa hæc eadem tempora ad Damasum Papam scripta. Sed quam iuste id fieret, docent ea quæ superius ea de re disputata sunt. Quapropter his posteà à S. Basilio accuratius consideratis, tantum abest vt in priori de Occidentalium vel fastu, vel hæreti, sententia (quā perturbatio animi, vt sanctissimis quoque viris interdum accidere e ōsueuit, induxerat) perseueraverit, vt contra scriptis anno sequenti ad eos officii ac submissionis plenis literis, *c* eosdem illibatos in fide permanere, & Apostolicum depositum illæsum seruare prædicauerit, vt non sit mirandum, si opem illorum & communionem tam studiose, dixerim & importune, expetiuerit. Quod vero ad disputationem de tribus Hypostasibus, accidit vt post editas ab eodem S. Basilio, Theodoreto, aliisque Orientalibus, de sincera eius vocis interpretatione scriptiones, sicut à Græcis, ita à Latinis eadem ipsa vox Græca suscepta fuerit, & vsu frequentata, ad significandam in Trinitate Personam.

a Sup. an. 362. XLII. XLIII.
b Hier. ep. 57.
c Bas. ep. 1. in addit.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. sexto Nonas Maii, Magnus ille *S. Athanasius* Episcopus Alexandrinus, maximo omnium bonorum luctu ex hac vita decessit, cum sedisset *d* quadraginta sex annos integros. Vnde cum constet eum anno sequenti à Niceno Concilio, nempe Domini trecentesimo vigesimo texto, creatum fuisse Episcopum, octogesimo quinto, vel octogesimo sexto, ordinatum Presbyterum, & quadriennio Episcopum, vt ex Socrate, qui eum totidem annos eius sedi tribuat, decessisse tamē ait anno superiori Gratiano & Probo Coss. Nominat eum Gregorius *e* Nazianzenus, *Orbis oculum, Sacerdotum Antistitem, Confessorum ducem & magistrum, sublimem vocem fidei, columen, secundam Christi lucernam, præcursorem.* Ac prægrandis liber conficiendus esset, si omnes præstantissimi Sacerdotis laudes à Patribus editas, quas simul in vnum congereret? cum alioqui impar sit omnis lingua ad celebrima eius decennia recensenda certamina sub Constantino, Constantio, Iuliano, ac demum Valente Imperatoribus, pro fide suscepta, vt nullus alius sit inuentus post Apostolos in Ecclesia Dei, qui acerbiora diuturnioraque subierit prælia pro partum fide tuenda, ac Magnus hic, imo Maximus ATHANASIVS. Reliquit præclara Scriptorum suorum monumenta, de quibus imprimis agit S. Hieronymus: *f* dolemusque Epistolarum eius factam esse iacturam, quas idem *g* alibi laudat. De eiusdem vero Scriptis egregia fuit Cosmæ Abbatis sententia, *h* *Cum* (inquit) *ex S. Athanasii opusculis aliquid inueneris, nec ad scribendum chartas habueris, in vestimentis tuis scribe illud.*

d Ruf. lib. 2. c. 3. Cyr. Alex. ep. 1.
e Greg. Naz. orat. in laud. Heron.
f Hier. de Scr. Eccl. *g* Id. ep. 7. ad Lat.
h Prat. Spir. cap. 40.

Eo defuncto, qui ipsius antea suffragio designatus fuerat, & communi postea sacerdotum, monachorum, magistratuum, ac populi consensu approbatus est successor, *Petrus* eiusdem Ecclesiæ presbyter, ætate senex, omnium Athanasii tribulationum particeps, virtutibus & omnibus consummatus, erectus in thronum, mouit vehementer Arianorum inuidiam. Qui freti auxilio Præsidum, & imprimis ipsius Valentis Imp. auctoritate suffulti, *Lucium* illū omnium Arianorum nequissimum, quem in locum reternimi Georgii ab eis subrogatum vidimus, Alexandrinum ostentauerunt Episcopum, vtq; vnici pareretur, renitentem populum militari, verberibus, carceribus, exiliis, cædibus, domorum vastationibus, ac bonorum direptionibus compulerunt. Cuius rei historiam Theodoretus *i* imprimis narrans, ait Petrum à Palladio Præfecto eius prouinciæ, Gentili homine, collecta Gentilium ac Iudæorū multitudine, ciuitate exire coactum, consensa naui Romam contendisse, moxque Lucium ab Euzoio Antiocheno Episcopo Ariano Alexandriam introductum esse. Sozomenus *m* vero scribit, Euzoium vna cum Magno Quæstore venisse Alexandriam, arreptumq; Petrū detrusisse in carcerē, Petrum aut clam fugā lapsum, Romā se cōtulisse. Eademq; habet Socrates. *n* Sed Ruffinus, *o* qui tunc in Ægypto agebat, nihil habet de Petri

i Theod. l. 2. c. 18.
l Ruf. l. 11. c. 3. Theod. l. 4. c. 18.
m Soz. l. 6. c. 19.
n Soc. l. 4. c. 36. 37.
o Ruf. l. 2. c. 3.

COMMOVETVR IN EOS.

IV. S. ATHANASII OBITVS.

V. PETRVS SVBROGATVS ATHANASIO.

GRASSATIO LVCII PSEVDOEPISC.

CELEBRIS EIVS MEMORIA.

carcere: addit vero, Lucium post flammas ciuicas, furorem in monachos eremum incolentes conuertisse, armatamque equitum aepeditum manum in eos immisisse. Cæterum hanc omnem Arianorum grassationem copiosius descripsit, luxitque Gregorius *a* Nazianzenus, sed copiosissime ipse Petrus Circulari epistola ad omnes Christianæ Religionis toto Orbe diffusas Ecclesias directa, quam Theodoretus *b* recitat: in qua immania videas scelera, & sacrilegia, atrociaque supplicia, carceres, & exilia, quibuscunque Orthodoxis, tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus omnis status, sexus, ac conditionis, & tam viuis quam defunctis illata, adeo vt & superstites mala sua, suorumque, lugere prohibiti fuerint: necnon & profanationes locorum sacrorũ. Sed præ cæteris, impie & crudeliter habitus describitur Romanæ Ecclesiæ diaconus, qui literas consolationis, & communionis à Damaso Papa ad Petrum & Alexandrinos detulerat. Addit vero Socrates, ad sæuitiam Præsidum accessisse Valentis edictum, vt omnes fidem Consubstantialis tenentes, non solum Alexandria, sed ex vniuersa Ægypto penitus expellerentur. Hocque tempore multa edita fuisse miracula in confutationem hæreticæ prauitatis, testantur etiam iidem Ruffinus, Theodoretus, atque Sozomenus. Ipsam autem eiusmodi persecutionem Ægypti, sicut exortam scimus hoc anno post obitum Athanasii, ita vsque ad vltimum ferme Valentis perdurasse certum est.

a *Greg. Naz. orat in laud. Heron.*
b *Theod. c. 20.*

VI.
c *Paul. ep. 10. ad Seu.*
MELANIÆ PIETAS IN EXTORRES ORTHOD.

De ea vero Sanctus quoque Paulinus *c* agens, dignum memoria tunc exhibitum officium à *Melania* nobilissima Romana femina, mirifica prædicatione celebrat, dum narrat, eam fugatos ab Arianis suscepisse, & apprehensos comitatam esse, eademq; tempestate occultasse, ac per triduum suis sumptib. pauisse quinque millia monachorũ, & quod adeo faueret Orthodoxis, in iudicium vocatam esse, sed cõfusum Iudicem veneratione præsentis, non executum esse infidelitatis iram, dum fidei miraretur audaciam. Quæ sane in Ægypto, nõ in Palæstina, gesta esse, illud persuadet, quod nullibi tam ingens numerus monachorum simul collectorum, nisi in Ægypto fuerit reperiri. Nam ab his diuersa esse noscuntur, quæ Palladius *d* tradit de eiusmodi ipsius Melaniæ officiis, quibus paulo post prosecuta est Diocæsareæ in Palæstina relegatos à Lucio confessores Episcopos, presbyteros, aliosque vsque ad numerum centum duodecim. Cæterũ vt his eius veluti contumeliis prouocati Præfecti, eiusdem tamen liberrimis atq; fortissimis responsionib. cesserint, summa feminæ pietas atq; nobilitas in causa fuit. Quæ Marcellini Cõsulis, siue filia, *e* siue neptis, *f* in tenetis adhuc annis nuptias passa, & breui mater, præter alias orbitates fœtuum abortiuorum, duobus filiis & marito intra anni tempus magna constantia siccis *g* oculis sepultis, & vnico tantum sibi paruulo relicto, peregrinatione Hierosolymã suscepta, *h* vna cum *Ruffino* magni tunc nominis presbytero Aquileiensi, in Ægyptum primo diuertit, superstite adhuc Athanasio, à quo Palladius ait eam donatam fuisse ouina pelle, quam ipse dono acceperat à S. Macario Abbate, oblatam ipsi munere à leone pro gratiarum actione de leunculis cæcis ab eodem Macario luci redditis, cuius rei adeo insignis idem quoq; Ruffinus, itinetis Melaniæ comes, historiam narrat inter alia admiranda, quæ de monachis Nitriæ memorat. Ex Ægypto vero Hierosolymam se Melania cõferens, monasterium extruxit, ibique cum quinquaginta sororibus virginibus ad quinque *k* lustra vel amplius permansit, aliaque infinita pietatis officia exercuit.

d *Pal. in Lausiac. c. 33.*
EIVS GENVS, ET PEREGRINATIO.
e *Hier. in Chr. Pal. ibid.*
f *Ruff. inuect. 3. in Hie. Paul. ep. 10.*
g *Hie. ep. 25.*
h *Id. ep. 5. ad Flor. & ep. 41. ad Ruff. Paul. ep. 9. ad Seu. Pal. ubi supra.*
i *Ruff. li. 2. c. 4.*
k *Paul. ep. 10. ad Seu. Pal. c. 33.*

[Quod Baronius tum hoc anno, tum alibi passim, Ruffinum vniuersæ peregrinationis Melaniæ participẽ facit, an vtique quaq; subsistat, vide quæ de iis habet Rosvveydus in Notis ad Vitas Patrum: vbi & plura Baronii de his rebus exposita habentur.]

VII.
MELANIA ET RVFFINVS INCIVNTVR ERRORIBVS ORIG.

At vero eius in Ægypto commoratio, magnum plane cum ipsi, tum Ruffino attulit detrimentum: siquidem cum Didymo Alexandrino intimam consuetudinem habentes, propinante illo ipsis sitientibus, quem mirifice prædicabat Origenem suum, hauserunt isti vna cum dulci potu venenum. Erat hic *Didymus*, Scholæ Ecclesiasticæ Alexandriæ doctor, magni vir nominis, & ob eximiam coniunctã cum oculorum cæcitate peritiam, plane cunctis admirabilis, qui etiam à SS. Antonio & Athanasio egregie laudatus reperitur. Narratque S. Hieronymus, *l* Antonium, cum aliquando ab Athanasio propter confutationem Arianorum Alexandriam esset accitus, & isset ad eum Didymus, inter cæteras sermocinationes, quas de Scripturis sanctis habuerunt, cum eius admiraretur ingenium, & acumen animi collaudaret, sciscitatum esse, num tristis esset quod oculis carnis careret, cumque Didymus fassus esset, Antonium dixisse, *Miror prudentem virum eius rei dolere damno, quam formica, & musca, & culices habent, & non lætari illius possessione, quam sancti soli & Apostoli meruerunt.* Qui quidem cum anno quinto ætatis suæ *a* oculos perdidisset, lectore tamen adhibito tantã didicit, vt non solum ceterarum artium atque scientiarum, necnon Theologicæ facultatis, & Scripturarum interpretationis apicem attigerit, sed & Geometricas perfecte assecutus fuerit disciplinas, *b* quæ vt addisci possint, maxime visu indigent, ac prope infinita reliquerit egregia ingenii sui monumenta scriptis tradita, quæ Hieronymus recenset. Vnde magis deplorestanti viri miserabilem casum, quo se in errores Origenis præcipitem dedit, aliosque secum traxit, & causa extitit tot malorum, quæ postea acciderunt. Cæterum ex eius Scriptis vix hodie supereſt commentarius de Spiritu Sancto, & expositiones in Epistolas Canonicas, & liber *c* contra Manichæos. Eum autem ad nonagesimum circiter ætatis annum peruenisse, adeoque ad multã post hæc tempora vitam produxisse, ex eodem Hieronymo constat.

a *Hier. in Chr. an. 9. Valent.*
MIRA DE DIDYMO CÆCO ALEXAN.
b *Id. de Scr. Eccl. in Didymo: de cuius optimo viro in genere, vid. Ruff. li. 2. c. 7. Theod. li. 4. c. 27. Soz. li. 7. c. 4.*
c *Edidit Can. Tom. V. Ant. Lect.*

Hoc autem eodẽ tempore, quo defuncto Magno Athanasio dira persecutio exagitauit Ecclesiam Alexandrinam, totamque Ægyptum: idem S. Hieronymus ex Syriæ solitudine, vbi tunc agebat, ad prædictum Ruffinum epistolam *d* scripsit, cum ille vna cum Melania Ægypti peteret eremum ad inuisendos monachos persecutione vexatos: ex qua aliisque iam citatis auctorum locis, refellitur *e* ille, qui scripsit Hieronymum cum Ruffino atque collegis itineris sociis, primum Hierosolymam petiisse, inde vero inter se diuisos, Ruffinum in Ægyptum, Hieronymum in diuersas prouincias peregrinationem instituisse, atque illinc desertã Syriæ petiisse. Sed vt tanti Patris hic summatim in hanc diem vitæ cursum recenseamus, ex suis ipsius scriptis elicitum, natus est HIERONYMVS Stridone oppido in Dalmatia, honestis parentibus, & substantiis non infimis, quas postea pro ædificatione monasterii per Paulinianum fratrem distraxit. *f* Haud enim de se ipso, sed de voluptuosis monachis & clericis, ex persona tameti sua, ait *g* se natum in paupere domo, & in tugurio rusticano, &c. Bonosum habuit *h* collactaneum & cum eodem coaluit in liberalibus *i* disciplinis, prædiuite adolescente, cum quo Romam veniens, *k* Donatum audiuit, ac scholastico more lusit *l* in controuersiis declamandis.

d *Hier. ep. 41.*
e *Mar. Vict. in Vit. S. Hier.*
S. HIERONYMI PRIMORDIA, ET PROGRESSVS.
f *Hier. ep. 26.*
g *Id. ep. 2.*
h *Id. ep. 41.*
i *Apol. ad. Ruff.*
k *In Chr. an. 20. Constantii*
l *Lib. 1. cont. Pelag. & in ep. ad Gal. c. 2.*

Ibi adulta ætate sacro baptismo initiatus, *m* paulo solutiorem vitam quam gesserat continuo emendauit, ac cum priorem amisisset corporis integritatem, secundam quam vocat continentiam post baptismum *n* seruauit immaculatam: Piisque *o* officiis deditus, totus insuper fuit in describendis libris, adeo vt bibliothecam *p* Romæ sibi cõfecerit. In Gallias post hæc peregrinatus cum Bonoso, Treueris S. Hilarii libros de Synodis manu sua descripsit, alioque ibi positos antiquos codices sibi describendos curauit. *q* Inde Aquileiam perueniens, consedit ibi aliquo temporis spatio, fruiturus suauissimo consortio sanctissimorum virorum, qui illic erant, Valeriani eius ciuitatis Episcopi, Heliodori, Nepotiani, Ruffini, Florentii, Chromatii, aliorumque, ad quos extant intimæ necessitudinis testes eiusdem literæ. *r* Sed recedere coactus nescio quo improuiso *s* rerum euentu, in Dalmatiam patrium solum venit, sororemque iuuenculam, ætatis lubrico lapsam, primum viro maxime pio Iuliano diacono, qui eam ad meliorem frugem reduxit, deinde etiam per literas Chromatio commendauit. *t* Post hæc peragrauit *u* Thraciam, Pontum, Bithyniam, Galatiam, Cappodociam, Ciliciam, ac denique Syriam. Vbi tum Malchi sanctissimi monachi, (cuius postea vitam conscripsit) tum aliorũ plurimorum, quibus Syria florebat, exemplo, accensus desiderio consectandæ vitæ monasticæ, literas ad Theodosium *x* magni nominis virum, & alios præclaros anachoretas *y* dedit, petens eorum precibus solui vinculis sæculi. Atque interim agens Antiochiæ, docentem

VIII.
d *Hier. ep. 41.*
m *Ep. 57.*
n *Apol. pro lib. aduer. Ioa.*
o *In Ezec. c. 40.*
p *Ep. 22.*
EIVS PEREGRINATIONES.
q *Ep. 6. & 41.*
r *Ep. 41. 42. 43. 44.*
s *Ep. 41.*
t *Ep. 37. 43.*
u *Ep. 41.*
x *De hoc Theo in Phil. c. 10.*
y *Ep. 38.*

docentem audiuit in Sanctis Scripturis *a* Apollinarem, qui nondum perfecte cognitus hæreticus, nec damnatus erat. Locus autem in solitudine ad habitandum delectus, Chalcidis *b* prouinciæ fuit eremus inter *c* Syros & Saracenos: cuncta vero necessaria cum ei tum aliis sociis ministrauit *d* Euagrius, & ipse vnus ex peregrinationis eius comitibus, præmodicæ ac nobilis tunc presbyter, ac postea Episcopus Antiochenus, adeo vt etiam libris *e* ibidem Hieronymus abundaret.

a Ep. 65. DE HAER. ERROR. b Præf. in Abdiam. c Ep. 7. 45. d Ep. 41. 45. e Ep. 6.

Præterea autem crebras *f* corporis infirmitates, acerrimas dæmonum impugnationes, ac prælia carnis patiens, *g* precibus ea, & ieiuniis, durissimisque corporis afflictationibus, ac iugi literarum studio frenare consuevit. *b* Sed omnium ærumnarum illa maxima ei visa est, quod Occidentalis ipse homo, sociis monachis Orientalibus parum cognitus, suspectæ fidei haberetur, magnumque ei negotium fieret ob nomen *Hypostaseos*, & quod scissa in plures partes Ecclesia Antiochena, totaque illa prouincia, ipse quoque solicitaretur inhærere alicui ex iis, nempe vel Paulino, vel Meletio, ambobus Orthodoxis Episcopis, aut Vitali antesignano sectæ Apollinaris. De quibus omnibus consulendus ei fuit Romanus Pontifex Damasus duabus iteratis epistolis, *i* vt quomodo in eis se gerere deberet, ab eo disceret, qui (vt ait) Petri cathedram, & fidem Apostolico ore laudatam teneret, & apud quem solum incorrupta patrum seruaretur hereditas: quippe professetur, se ipsi Damaso, id est, Cathedræ Petri communione consociari, quod super illam petram ædificatam Ecclesiam sciret, & quicunque cum eo non colligeret, spargeret, hoc est, qui Christi non esset, Antichristi esset. Hæc & alia plura eiusmodi Hieronymus ad Damasum iis literis, quas quidem nō nisi saltem post biennium ab hoc tempore scripras esse, illud ostendit, quod in prioribus memnit de Ambrosio iam Episcopo, quem constat non nisi anno vndecimo Valentiniani fuisse ordinatum.

f Ep. 57. 58. i Ep. 57. 58.

XI. PRIMO SCRIBIT SVPER ABDIAM.

Cœpit autem Hieronymus in eremo primum sui experiri vires ingenii, scribens commentarium in Abdiam Prophetam: quem cum iuuenis elaborasset, erubuit postea senex, audiens per Italiam circumferri, quem obliuione putabat esse delerum. Annos autem natum triginta, illum in solitudine Chalcidis scripsisse, & post alios triginta, eumdem correxisse, nempe sexagesimo ætatis anno ex verbis ipsius *k* satis elicitur: licet sæpe ipse cum de prioribus illis temporibus meminit, adolescentem se, vel etiam infantem tunc fuisse dicat: cuius qui in locutione tropos minime consideuerit, & figuras, eum interdum attenuatione, amplificatione aliquando vtitur, facile erit vt in mille labatur errores. Porro ipsum hoc, vel sequenti anno, quo dictā ad Ruffinum dedit epistolam, eumdem priorem commentarium scripsisse, ipsemet significat, dum ait *l* id contigisse postquā Heliodorus ad se venisset, & antequam recederet, quem liquet ad Hieronymum accessisse postquam ipse in eremo consedisset, & haud diu *m* ibi commoratum esse. Ex his autem, diuersorum de eiusdem Hieronymi ætate chronologiæ refelluntur, dum quem volunt vixisse nonaginta vnū, vel etiam nonaginta octo, aut nonaginta nouem annos, & obiisse constat anno Christi quadringentesimo vigesimo, eumdem præsenti anno Domini trecentesimo septuagesimo secundo, constituunt annorum quadraginta trium, vel etiam quinquaginta aut quinquaginta vnius. Quod si cum iisdem diceremus ipsum decessisse anno duodecimo Honorii, qui est Domini quadringentesimus sextus, tam illud sequeretur absurdius, ipsum hoc tempore fuisse annorum sexaginta trium. Sed vt ad Scripta eius in eremo redeamus, præter complures quas ad diuersos dedit epistolas, Origenis quoque homilias ad populum dictas se adolescentem in Latinum vertisse, alibi *n* tradit. Quantum vero temporis in eremo permanserit, dicetur suo loco.

k Præf. in Abd. & in fi. post. com. in eund. Proph. l Ep. 41. & præf. in Abd. m Ep. 2. 37. DE EIVS ÆTATE. n Apol. adu. Ruff. lib. 2.

[Inter illos qui de S. Hieronymi ætate egerunt, Prosper est in Chronico, vbi eum duodecimo Honorii anno decessisse ponit, ætatis suæ nonagesimo primo. Sed numerat ipse duodecimū Honorii annum ab obitu Arcadii fratris ipsius, vt plane videre ibi est, qui quidem duodecimus annus sic computatus concurrit cum vigesimo sexto eiusdem Honorii ab eo tempore quo primum cœpit regnare post obitum patris. Illeq; vigesimus sextus, est omnino ille ipse quadringentesimus vigesimus Christi, quo Hieronymum obiisse consentit Baronius. Quod autem non adeo reiicienda videatur sententia Prosperi de nonaginta & vno annis ætatis Hieronymi, probare nititur contra Baronium Acn. Pont. in Not. ad Prosp. præsertim cum apud Marcellinum Comitem legamus, Hieronymum admodum senem vitæ finem fecisse, & apud Augustinum lib. 1. cont. Iulian. cap. 7. vsque ad decrepitam ætatem vixisse, quæ non ita facile de homine septuaginta octo annorum quis dixerit.]

Hoc ipso quoque tempore, Gregorius Nazianzenus parentum obitu se exoluit ab administratione Ecclesiæ Nazianzenæ, prout ante condixerat. Defunctus namque est pater (vt ipse *a* ait) cum annos quadraginta quinque eidem Ecclesiæ præfuisset, natus annos ferme centum: materque eiusdem qua pater ætatis, haud diu superstes extitit. Post quorum mox obitum (conantibus frustra S. Basilio, aliisq; Episcopis, ac etiam eum retinere) ipse fuga se abripiens, profectus *b* est Seleuciam ad Memoriam S. Theclæ, quo frequens tunc Fidelium peregrinatio esse consueuerat: ibq; permansit vsque ad Valentis persecutoris necem.

XII. GREG. NAZ. SECEDIT AD MEMORIAM S. THECLÆ. a Greg. Naz. erat. in fun. patr. b Id. carm. de Vit. sua.

Interea vero hoc eodem tempore accidit, vt dum Romanus Imperator Fidem Catholicam negaret, & confitentes illam variis supplicijs afficeret, eandem professa fuerit *Mauuia* Regina Saracenorum, apud quos iecerat antea eius fundamenta *c* præstantissimus ille monachorum S. Hilarion Abbas, de quo superius. (Quem circa hæc eadem tempora, iam octogenarium, post innumera edita miracula, ex hac vita ad cælestem migrasse, constat ex S. Hieronymo, qui gesta eius prosecutus est plurib.) Ceterum Mauuia cum Palæstinæ & Arabiæ limites vastare cœpisset, ac frequentibus præliis Romanum attriuisset exercitum, orata pacem hac conditione dedit, si *Moyses* monachus virtutibus ac miraculis clarus, agens in eremo partibus suis propinqua, gentis suæ ordinaretur Episcopus. Qui captus, & ad sacerdotium suscipiendum Alexandriam deductus, cum numquam induci potuisset, vt manus impositionem ab impiissimo Lucio Ariano susciperet, frementes licet Ariani, pacis Reipublicæ necessitate coacti sunt permittere, vt ordinaretur ab Episcopis, quos ipsimet in exilium pepulissent. Qui mox ad Saracenos profectus, eosdem partim sermone, partim miraculis, ad veritatem traduxit. Scribunt hæc omnia Ruffinus, *d* Socrates, *e* Sozomenus, *f* atque Theodoretus. *g* Additque Sozomenus, aliam quoque gentem quamdam barbaram ad fidem conuersam esse, occasione tobolis masculæ impetratæ eius Principi nomine Zocomo, à monacho quodam Christiano.

XIII. CONVERSIO MAVVIÆ REGINÆ SARACEN. c Hier. in Vit. S. Hilarin. MOYSES EPI. SARACEN. ORDINATVR. d Ruff. li. 2. c. 6 e Soc. li. 4. c. 33 f Soz. li. 6. c. 38 g Theod. lib. 4 c. 22.

Hoc item anno Valentinianus Imp. Treuetis in Galliis agens, Manichæorum conuentus edicto *h* vetuit, iussitque eorum doctores graui censione mulctari, & domus vbi cōuentus fierent fisci iuribus adiici. Quod quidem existimatur accidisse occasione conuentuum, quos Romæ his temporib. fieri solitos in domo cuiusdam Constantii prædiuitis Manichæi, qui postea factus est Catholicus, S. Augustinus *i* docet. Cæterum quod iidem simulando summā affectarent sanctitudinem, in calumniam ieiunantium Christianorum versa Romæ res est, vt (quod ait S. Hieronymus *k*) quem viderent pallentem atque tristem, miserum & Manichæum vocarent. Hocque ipso anno, de eligendis antiquariis, quatuor Græcis, ac tribus Latinis scribendi peritis, ad Bibliothecæ Constantinopolitanæ codices cōponendos vel reparandos, Valens rescriptum *l* dedit.

XIV. h l. 3. C. Th. de hæret. MANICHÆI LEGE COMITII. i Aug. 2. de mor. Manich. vlt. & 5. cont. Faust. 6. k Hier. ep. 22. l l. 2. C. Th. de stud. liber.

Nec prætereundum quod S. Hieronymus hoc eodem anno accidisse testatur in Chronico, vt presbyter Sirmii iniquissime occisus fuerit, quod Octauianum ex Proconsule apud se latitantem prodere noluisset. Cui persimile factum de Firmo Episcopo Tagastensi in Africa sub Imperatore Ethnico, S. Augustinus *m* vehementer laudat: qui cum quæreretur ab eo iussu Imperatoris homo, quem ad se confugientem occultauerat, respondit quærentibus, nec mentiri se posse, nec hominem prodere, passusque multa tormenta corporis, permansit in sententia: deinde ad Imperatorem ductus, vsque adeo admirabilis apparuit, vt ipsi homini quem seruabat, indulgentiam sine vlla difficultate impetraret. Ex quibus videas æquiorem erga Episcopum fuisse Ethnicum Imperatorem, quam contra presbyterum Valentinianum Christianum Principem, ab omnibus crudelitatis nimiæ condemnatum.

XV. PRESB. OCCISVS, OB QVEMDAM VIRVM OCCVLTATVM. m Aug. ad Consent. de mend. cap. 13.

IESV

IESV CHRISTI AN. 373.

DAMASI AN. 7.

VALENTIN. VALENTIS } AN. 10.

I. CONC. ROM. ADVERSVS APOLLINAREM.

ANno Christi trecentesimo septuagesimo tertio, Valentiniano & Valente Augg. quartum Coss. Damasus Papa acceptis anno superiori literis Basilii, quibus inter alia agebatur de APOLLINARIS hæresi; aduersus eandem *Romæ* CONCILIVM conuocauit, cui etiam interfuit *a* Petrus Episcopus Alexandrinus, quem à Lucio Ariano pulsum Romam accessisse vidimus. Verum ante hæc sciendum est, Vitalem Antiochiæ agentem patronum hæresis Apollinaris, ea de causa in crimen vocatum, ad dicendam causam apud Damasum Romam se contulisse *b*; edidisseque fidei formulam, quæ prima fronte sana visa est: eam tamen sic à Damaso acceptam esse, vt illam Paulino Antiocheno Episcopo cognoscendam delegaret, scriptis ad eum ea de re literis, quæ hactenus extant *c*; quibus præscripta est fidei confessio, sub qua tum Vitalis, tum alii hæretici recipiendi essent in communionem. Quare cum ei Vitalis subscripsisset, susceptus est non solum à Paulino, sed ab aliis quoque Orthodoxis, interque eos à Gregorio *d* Nazianzeno, à quo tamen breui detectus & repudiatus est. Nam cum ea Apollinaris præcipua hæresis esset, vt affirmaret Christum fuisse mentis expertem, carnemque tantum absque mente suscepisse humanam; Vitalis quidem in sua fidei professione confessus erat in Christo, sicut carnem, ita & mentem; verum per mentem (vt idem Gregorius testatur) diuinitatem significari dolose intelligebat. His itaque in præsens, de quo agitur, Romanum Concilium allatis, detecta impietate, fuit ipsa hæresis omnium damnata calculo, vna cum eius auctore Apollinare, huiusque discipulis Vitale & Timotheo, atque aliis omnibus eius sectatoribus *e*: fueruntque scriptæ ea de re literæ à Damaso Papa, quas recitat Theodoretus *f*, vna cum anathematismis, non tantum aduersus Apollinaris dogmata, sed & contra omnes ingruentes in Oriente hæreses, ex eadem Romana Synodo missis ad Paulinum, non Thessalonicensem (vt videtur peperam accepisse Latinus interpres Theodoreti) sed Antiochenum Episcopum, tunc (vt habet Græcus textus) Thessalonicæ in Macedonia existentem.

II. APOLLINARIS PRAVA DOGMATA.

Porro sic Apollinaristarum damnatio facta est, vt etiam omnia eorum hæresum capita complexa fuerit: vt illud imprimis quod diximus, nempe corpus solum à Verbo assumptum ex Maria, non integrum cum anima hominem: itemque illud quod ad antiquam hæresim *Millenariorum* spectabat, quam idem Apollinaris restituere conatus est. Fuit & ille eiusdem error, quo iungeretur cum Ario & Macedonio, vt constitueret *g* Trinitatem ex magno, maiore, & maximo, maximum *h* Patrem, maiorem Filium, magnum Spiritum Sanctum dicens. Christi quoque carnem de cælo allatam affirmabant, ac per Virginem tanquã per canalem defluxisse: eamque Verbo ac Deitate coæqualem esse, ac coessentialem, & coæternam: ipsum autem Verbum sic carnem factum esse, vt penitus in ipsam transmutatum esset, & à propria natura immutatum. Deitatem ipsam circumcisam fuisse, ac cruci affixam: esseque necesse Christi carnem fateri increatam, vt adorationem consequi posset; cum nihil creatum adoratione diuina sit dignum. Hominem primo creatum fuisse, deinde in sanctam hominem: velut in vnum ex Prophetis venisse Verbum; & diuinitatẽ in Christo, velut in Propheta, per gratiã operatã fuisse, ac non secundum essentiam connexam esse: & non ipsum hominem factum esse, accepto ex Maria corpore; sed alium Christum esse, & alium Dei Filium, qui ante Mariam & ante sæcula filius est Patris: eosque qui dicerent ex Maria esse Dominicum corpus, non amplius Trinitatem, sed Quaternitatem in Deitate docere. Alium Deum esse, & aliud esse Dei Verbum. Adoptione, & non natura, corpus gestasse Filium; eundemque ex operibus perfectionem assecutum esse, ac post baptismum, vel resurrectionem à mortuis, in Filium adoptatum. Carnem nunc exutam & abiectam esse, diuinitatemque corpore spoliatam existere, nec cum assumpta parte venturam. Dicebant insuper cum Manichæis, Peccatum ex natura esse: aliaque nonnulla purulenta addebant, quæ vna cum istis, tum Gregorius *a* Nazianzenus refert ac refellit, tum præcipue S. Athanasius, qui primus omnium errores Apollinaristarum confutauit (vt ex Epiphanio *b* liquet) multis aduersus eos scriptis commentariis *c*, qui extant.

Fuisse præterea Apollinaris de origine animarum communem cum Tertulliano sententiam, S. Hieronymus *d* testatur; animum eas ex traduce generari, atque instar corporum ex corporibus, ex animabus animas propagari. Sed & Hypostaseon, seu Personarum proprietates confudisse, ac id ipsum fecisse in Trinitate, indeque Sabellianismum insimulatum esse, Theodoretus *e* affirmat. Difficilis item Basilio fin Apollinare, quod Genesim interpretatus, spreta litera totum se conuertit ad allegoricum sensum. Ac deniq; fastus fugillatus est ab eodem Gregorio *g* Nazianzeno, quod pro antiquis Ecclesiasticis canticis ex diuina Scriptura acceptis, nouos in Ecclesiam à se editos psalmos & diuersa canticorum genera introduxerit; atque multiplicitate librorum sibi gloriam studuerit comparare. Cuius & sectatores eo procacitæ prouenisse tradit *b*, vt cum damnatos ipsos esse ab Occidentali Synodo (nempe Romana prædicta) nemini dubium esset, mentirentur tamen se ab ea susceptos. *Quid si* (pergit Gregorius) *vel nunc, vel ante susceptí sunt, hoc ostendant, & nos acquiescemus: perspicuum enim erit, eos rectæ doctrinæ assentiri, (nec enim aliter se res habere potest) si hoc consecuti sunt. Id autem omnino liquebit, si vel Synodalem codicem, vel epistolas, quibus ad communionem admitti iubebantur, protulerint. nam hic Synodorum mos est.* Vbi obserues Gregorii Theologi erga Sedem Romanam reuerentiam, dum illud putauit à se tuto recipiendum fore; quod constaret ab ea fuisse de dogmatibus Apollinaristarum decretum. Pertinet vero ad res eorundem, quod habet Ruffin. *i* de quodam Athanasii codice, Romæ sub Damaso ab Apollinaristis deprauato, nolentibus (vt ait) admittere complexionem illam, *Dominicum Hominem*, ad fugillationem eorum hæresis vsurpatam à Damaso. Verum hoc S. Hieronymus *k* fabellæ loco duxit: idque ab eodem Ruffino confictum fuisse, illud magnopere persuadet, quod econtra ex iisdem Athanasio *l* & Gregorio *m* constet, fuisse eas peculiares Apollinaristarum voces, vt Christum *Hominem Dominicum* appellarent: ideoq; ipsos dixisse, Deum ex Virgine natum esse, ac non Deum hominem: ne genituram carnis confitendo: necessitas eos cogeret naturalem eum agnoscere. Cæterum à piis pio sensu has voces nonnunquã vsurpatas esse constat, atq; adeo ab ipsomet Athanasio *n*: quanquam haud tuto Christum dici *Hominem Dominicum*, S. Augustinus, eadem locutione aliquando vsus, existimauit in suis Retractationibus *o*.

Quod autem pertinet ad Scripta Apollinaris; testatur S. Hieronymus *p* reliquisse illum, præter innumera pene volumina, triginta libros aduersus Porphyrium, qui inter cætera eius opera maxime probarentur: conatumque esse *q*, diuinorum Librorum translationes omnes in vnum affluere. Citat *r* insuper eiusdem in Prophetas, & Matthæum, Commentarios, quos ita se legisse dicit, vt habito delectu aurum seligeret ex stercore. Patrem eum eloquentiæ prædicauit Philostorgius; sed tamen quæ esset verbosa potius, quam neruosa. Multis rursum voluminibus complures hæreses oppugnasse, tradit Vincentius Lirinensis: hincque de eo accidisse ait, vt quem populi quasi arietem gregis sequerentur, cum deinceps vt lupum fugere cœperint, quẽ & magnum aliquando in Ecclesia agonistam, vnumque ex primoribus extitisse, sed nimia sui ipsius sapientiæ præsumptione excidisse, Cyrillus *f* quoque Alexandrinus testatur. Sed de eius insigni olim apud Catholicos æstimatione, iam dictum est alio *t* loco. De ludibrio vero, quod in publica disputatione passus est aliquando in suis scriptis

a Gr. Naz. ad Nectar. & ep. 1. ac 2. ad Cled.
b Epiph. hær. 77.
c Athan. ep. ad Epict. & de Incar. Christ. & de aduent. Christ. & or. ad. aduers. hær.

III.
d Hier. ep. 82. ad Ocean.
e Theod. hær. fab. l. 4.
f Basil. in Hexam. hom. 3
g Gr. Naz. ep. 1. ad Cled.

h Ibid. ep. 2.

i Ruff. de ad. ult. libr. Orig. ap. Hie. CHRISTVS AN DICI DEBEAT DOMINICVS HOMO.
k Hier. ad eos Ruf. Apol. l. 3.
l Athan. de adu. aduers. Apoll.
m Gr. Naz. ep. 1. ad Cled.
n Athan. in expos. fid.
o Aug. 1. Retract. 19.

IV. SCRIPTA APOLLINARIS
p Hier. de Scr. Eccl. & ep. 65.
q Id. Apol. aduers. Ruff. 1
r Id. ep. 152.

f Cyril. Alex. ep. 15. ad Acac. t Sup. an. 55. n. 5. 6.

gnui-

glutino compactis à S.Ephræm, elegantem S. Gregorius *a* Nyſſenus hiſtoriam recitat.

a *Gr.Nyſſ.ſer. de S.Ephræm.*

V. HÆRESES ALIÆ EX SCRIPTIS APOLLINARIS.

Ex eiuſdem autem ſcriptis POLEMIVM quendam Theodoretus *b* refellatur hæreſim deduxiſſe, qua affirmaret Verbi atque carnis commixtionem confuſionemque factam eſſe; & ab eo denominatos fuiſſe *Polemianos* hæreticos. Rurſum vero affirmat Epiphanius *c*, diſcipulos quoſdam eiuſdem Apollinaris in Arabia hæreſim aduerſus Dei-Genitricem diſſeminaſſe, qua dicerent eam poſt natum Chriſtum Ioſepho viro coniunctam eſſe: (quam ſceleſtiſſimam opinionem HELVIDIVS in Occidente pariter ſtuduit propagare, vt videbitur inferius:) eoſdemque, *Antidicomarianitas* dictos, egregie confutauit. Additque, in eadem prouincia exortam eſſe aliam hæreſim dictam *Collyridianorum*: qui eandem ſanctiſſimam Virginem vt Deum colerent, collyridemque ſiue placentam illi ſacrificantes offerrent, ſacra ipſa per mulieres celebrantes. Atque hæc modo de Apollinare, eiuſque hæreſibus: quem ſub Theodoſio Imperatore defunctum eſſe, Hieronymus affirmat. Eius vero ſectatores omnes, ab eo dicti ſunt vno eodemque nomine *Apollinariani*, ſiue *Apollinariſtæ*, cum tamen inter ſe non eiuſdem eſſent ſententiæ. Nam & recitata nuper eorum praua dogmata, longe inter ſe reperiuntur eſſe diuerſa: & teſtatur Epiphanius, ex iiſdem Apollinariſtis alios alia ſenſiſſe, quod ſemper hæreſibus peculiare fuit, vt quoniam abhorrent à veritate, quæ vna eademque ſemper eſt, in diuerſas ſententias ſectaſq; diſtrahantur.

b *Theod. hær. fab. l.4.*
c *Epiph. hær. 77.78.*

VI. DEPLORATISS. ECCLESIÆ ORIEN. STATVS.

Vt autem videas deploratiſſimum huius temporis Eccleſiæ Orientalis ſtatum: in vna ſola ciuitate Ancyra Galatiæ metropoli, præter Caraphrygas, Ophitas, Borboritas, & Manichæos, fuiſſe etiam Paſſalorincitas, Aſcodrogos, & Artotyritas, ac cætera magis portenta quam nomina, teſtatur Hieronymus *d*. Quænam vero eſſent illorum hæreſes, dictum eſt ſuperius ſuis locis. Sed ſi hæc monſtra alebat Ancyra, licet ſanctiſſimus ei præeſſet Epiſcopus Athanaſ. quem defunctum Baſil. *e* adeo luxit, atq; laudauit: cuique ſuffectus eſt Leo *f* ianctiſſimus monachus: quid putandum de aliis ciuitatibus, quibus vel ſegnes, vel nulli, vel hæretici præeſſent?

d *Hie. proœm. in ep. ad Gal. lib.2.*
e *Baſil. ep 67.*
f *Sozom. lib.6. c.34.*

VII. g *L1.C.Th.ne ſanct. bap. iter.*

Hoc pariter anno Valentinianus Imperator cum adhuc Treueris ageret, Donatiſtas in Africa rebaptizantes edicto *g* cohibuit: quod poſt liberatam à Firmo Mauro Africam datum fuiſſe putamus. Inualuerat enim his temporibus ibi FIRMI tyrannis: cui Theodoſius dux, Theodoſii Imperatoris pater, à Valentiniano ad eundem oppugnandum miſſus, gemino prælio attrito, pacem legatione Epiſcoporum petenti conceſſit: eundemque iterum tyrannidem exercentem penitus oppreſſit, eoque deſperationis adegit, vt ſpontaneo nectens collum laqueo miſere vitam finiret. Hæc pluribus Ammianus *h*. Cæterum Theodoſius, poſtquam experientiſſima prouidentia (inquit Oroſius *i*) totam cum Mauritania Africam meliorem priſtinis legibus reddidiſſet: inſtimulante & obrepente inuidia, (forte dolo Valentis, qui poſt patefactum oraculum de quo ſuperius, omnes qui his literis primis THEOD. conſcriptum nomen haberent, quæſiuit ad mortem. Neque enim alia vlla Theodoſii necis cauſa à quoquam refertur.) ingrate iuſſus Carthagine interfici, poſt ſuſceptum baptiſmũ de vitæ æternitate ſecurus, percuſſori iugulum vltro præbuit. Quæſitum vero fuiſſe pariter ad necem Theodoſium Iuniorem eius filium, qui poſtea factus eſt Imperator, ſed diuina prouidentia anteuertiſſe periculum, S. Ambroſius *k* inſinuat. Quem hoc tempore prima lanugine pubeſcentem, ob egregiam virtutem, Ducem Mœſiæ aduerſus Sarmatas fines Romani Imperii inuadentes electum fuiſſe, pluresq; de eis victorias reportaſſe, Ammianus *l* affirmat. Eo vero clariores eius victoriæ effulſere, quo reliqua facies Occidentalis Imperii lugubrior apparuit repentinis incurſionibus Quadorum ac Marcomannorum, quas idem auctor deſcribit.

FIRMVS TYRANNVS IN AFRICA MALE PERIT.

h *Am. l.29.*
i *Oroſ. l.7. c.33*

THEODOS. DVX INGRATE OCCIDITVR.

k *Ambr. or. in fu. Theo. in fi.*

THEODOSII IVN. SPECTATA VIRTVS.

l *Amb. l.29.*

IESV CHRISTI AN. 374.

DAMASI AN. 8.

VALENTIN. VALENTIS } AN. II.

I. AVXENTIVS MORITVR.

ANNO Chriſti trecenteſimo ſeptuageſimo quarto, Gratiano Aug. tertium & Equitio Coſſ. vndecimo Imperatorum anno, Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum Arianum diem obiiſſe, & Ambroſium electum eſſe, Hieronymus in Chronico affirmat, & multæ aliæ rationes confirmant: licet alii aliter ſenſerint. Igitur poſt ſeram mortem Auxentii, Valentinianus (vt narrat Theodoretus *a*) accerſitis ad ſe Epiſcopis, hortatus illos eſt vt talem eligerent Antiſtitem, cui & ipſe Imperator *vere & ex animo caput inclinaret, & illius reprehenſionem, velut medicinam animarum cupide amplecteretur*. Cumque Epiſcopi contenderent ab eo, vt ipſemet qui ſapientiæ & pietatis inſignibus præclare ornatus eſſet, quem idoneum iudicaret, eligeret: reſpondit, *maiorem eſſe hanc prouinciam, quam quæ viribus ſuis ſuſtineri poſſet: ac proinde ipſos diuina repletos gratia, multo melius illud Epiſcopi deligendi negotium tranſacturos*. Commendanda plane Imperatoris modeſtia: ſecundum quod alias eundem conteſtatum eſſe vidimus, haud ſui muneris eſſe, Eccleſiaſticis ſe immiſcere negotiis. Cum vero in eiuſmodi electione, ex Arianæ & Orthodoxæ partium contrariis ſtudiis, magna timerentur conflari diſſidia: ideoque Ambroſius illius prouinciæ Præfectus propere ad eccleſiam contendiſſet: ibi (inquit Paulinus in eius Vita) cum alloqueretur plebem, ſubito vox ferrur infantis in populo ſonuiſſe AMBROSIVM Epiſcopum: repenteq; in hunc vnum mirabili concordia omnes tam Catholici quam Ariani conſenſerunt. Sed Ambroſius inopinato caſu perculſus, vt quibus valeret artibus illos ab ea ſententia reuocaret, tum tribunal ſibi parari iuſſit, truceſque carnifices aſſiſtere, tormenta congerere, vinctoſque catenis miſeros reos palam torquere: tum mulieres impudicas ad ſe publice ingredi fecit: vt hac ratione crudelis & impudicus apparens, indignus cenſeretur altaris miniſterio. Cumque hæc ficte fieri haud ignorans populus, ea ex cauſa ardentiori ipſum ſtudio poſtularet: idem omni prorſus conſilio deſtitutus, nocte intempeſta è ciuitate fugit, Ticinum verſus dirigens iter. Verum cum inuentus eſſet diuino quodam interceptus numine, curſu reflexo Mediolanum rediiſſe: tum ſe tandem victum confitens, totius populi, immo verius Dei voluntati ſe ſubiecit.

a *Theod. lib. 4. c.5.6.*

AMBROSIVS ELIGITVR EPISCOPVS MEDIOLAN.

Igitur ad Valentinianum relatione à populo miſſa, (quippe ſanctionibus Imperatoriis prohibitum erat, ne decuriones, vel publicis obligati functionibus *b*, adſciſcerentur in clerum:) Imperator ſummopere gaudens *c* tales à ſe conſtitutos eſſe Magiſtratus, qui eligerentur in Epiſcopos, electionem approbauit. Et qui pendente relatione fallens cuſtodes, quos, ne iterum fugeret, ei populus adhibuerat, ſe ſubducens rurſum in ſuburbano Leontii clariſſimi viri delitеſcebat Ambroſius: item publicato *d* Imperatoris decreto, à Leontio productus eſt, & ab Epiſcopo Catholico baptizatus, (ſiquidem adhuc catechumenus erat) ac demum octauo poſt die ordinatus Epiſcopus: nempe ſeptimo Idus Decembris, prout Dei Eccleſia, hactenus celebrans illam diem, anniuerſaria ſolemnitate teſtatur. Interfuiſſe vero eius ordinationi Valentinianum Imperatorem ac grarias Deo egiſſe, quod cum ipſe corpora Ambroſio commiſiſſet, Deus ei animas commendaſſet: ſed & paucis poſt diebus ingenti modeſtia laudaſſe eiuſdem libertatem, qua res nonnullas tanquam minus recte à Magiſtratibus adminiſtratas coarguerat, idem Theodoretus teſtatur. Additque Paulinus, confeſtim poſt ordinationem, ipſum pecuniam ſuam omnem Eccleſiæ vel pauperibus contuliſſe: prædiaque, reſeruato gentiliæ ſuæ vſu-

II.

b *l. 3. & 9. C. Th. de Epiſc. & cler.*
c *Paulin. in Vit. Ambr.*

ORDINATVR ADMODVM INVITVS.

d *Theod. l.4. c.6.*

fructu,

fructu, donasse Ecclesiæ: ac nihil sibi, quod hic suum dicere posset, reliquisse, vt expeditius Christum sequeretur. Hosce porro ipsius constus, quibus reluctatus est ne Episcopus crearetur, non Paulinus tantum, sed reliqui omnes tam Latini *a* quam Græci *b* historici profitentur, ipseque *c* alibi insinuat.

Sic igitur *d* Ambrosio ordinato Episcopo, totus exultauit Catholicus Orbis, ac Communicatoriæ ex more literæ vltro citroque daræ sunt: è quibus extant, quas Magnus Basilius è Cappadocia tunc ad eum reddidit, inter quos perseuerasse mutuam litterarum consuetudinem, multaque inter eosdem transacta esse, constat. Sed & expetisse Ambrosium à Basilio eius lucubrationes, facile intelligat, qui vtrumque legerit commentarios in Hexameron & de Spiritu Sancto; videns magna ex parte quæ Basilius Græce edidit, Ambrosium tradidisse Latinis: sicut & multa alia eundem à Græcis mutuatum fuisse liquet. At vero non vnum duntaxat Basilium, Ambrosii electionem, quamuis actam resistente canone, (quo scilicet prohibebatur, non solum ne catechumenus, sed vt nec neophytus *f* ordinaretur Episcopus) sed omnes Occidentales & Orientales Catholicæ communionis Episcopos approbasse, ipsemet Ambrosius declarauit, cum ad Vercellenses *g* scripsit, *Ordinationem suam Occidentales Episcopos iudicio, Orientales exemplo probasse*, quibus illud imprimis innuit, quod minus rite actum videbatur, id iudicio Sedis Apostolicæ publico decreto esse firmatum: Orientales vero & exemplo probasse, dum Constantinopoli postea elegerunt Nectarium Catechumenum. Sed huius licentiæ inconsideratum abusum acriter posteà arguit Siricius Papa epistola ad Orthodoxos. Cæterum ad nouæ Ambrosii præfecturæ regimen, missus est ad illum à Damaso Papa, egregiæ eruditionis & spectatæ probitatis Romanæ Ecclesiæ presbyter *Simplicianus h*: cuius opera, aliisque aliunde quæsitis auxiliis, sed præcipue diuina accedente gratia, bene accidit, vt catechumenus in Episcopū, & discipulus in Ecclesiæ Doctorem fuerit continuo transformatus; iunxeritque in regimine Episcopatus, vitam monasticam cum muneribus & officiis clericalibus.

Sic enim viram instituit, vt cura rerum domesticarum relicta Satyro fratri spectatæ virtutis viro, (quo in rebus agendis ac moderandis consultore & arbitro vsus iterum est) ipse totum se spiritualibus Ecclesiæ negotiis maniparit. Sacrificium quotidie *k* summa præuia animi præparatione celebrauit: quolibet vero die Dominico *l* in ecclesia pro concione populum docuit: cæteraq; munia Ecclesiastica sic strenue obiit, vt *m* & pœnitentium confessiones, magno commiserationis affectu audiret: & circa baptizandos ipse solus adimpleret, quod post eius obitum vix quinque Episcopi perficere potuerunt. Externa quoq; minime negligens, audiuit frequenter litigantes, causasq; iudicauit, ac composuit, & æquissimus arbiter, vtrisque acquiescentibus partibus, definiuit. Corpus autem ea disciplina coercuit, vt iciunium custodiret assiduum: nunquam prandendi *n* admittens vsum, nisi religio, Ecclesiæque illius consuetudo mandasset, nempe Sabbato, die Dominico, & Natalitiis Martyrum: quibus diebus prandium reuocabat, quo quidem non solum pauperes refocerentur, sed & viri clarissimi exciperentur: adeo vt etiam duces exercitus, Arbogastes *o* Comes, & Vincentius *p* Galliarum Præfectus, pro magno munere ostentarent se ab Ambrosio acceptos esse conuiuio. At licet sic ipse omnes excideret, nunquam tamen ad conuiuium inuitatus accessit: tradit enim Possidius *q* in Augustino; etiamsi Ambrosius fieret omnia omnibus vt omnes lucrifaceret, à tribus tamen perpetuo se continuisse, nimirum vt nemini vxorem quæreret, nullique militiam suaderet, neq; ad conuiuium inuitatus accederet. Sed de eo nunc hactenus: quæ vero sunt reliquæ præcipuæ res eius gestæ, narrabuntur inferius suis *r* quibusq; locis.

Iisdem huius anni Coss. celebratum habetur CONCILIVM VALENTINVM in Gallia, quarto Idus Iulii, cuius extant *s* quatuor tantummodo canones, & perbreuis epistola de Ordinationibus legitime faciendis, deque Lapsorum pœnitentia. Dignum vero plane memoria, quod in eo statutum est de iis, qui occasione fugiendi oblati sacerdotii, aliquod admisisse delictum confessi essent; nimirum *a*, vt *quisquis de se vel vera, vel falsa dixisset, fides quam suimet testimonio confirmaret, haberetur.*

Quod autem pertinet ad res Orientales: iisdem Coss. S. Epiphanius *b* petenti magistratui & clero Ecclesiæ Suedorum in Pamphilia, commentarium misit nominatum *Ancoratum*: nempe quod, vt ipsemet testatur *c*, velut ancora esset his qui volunt sanctam Patrum fidem ab initio vsque ad illud sæculum in Ecclesia prædicatam cognoscere: Eruditum plane opus, continens cum fide Catholica hæresum omnium confutationem. Tempus autem eius scriptionis consignat anno nonagesimo Diocletiani, Valentiniani & Valentis decimo, (quo & vndecimus inchoatur) Gratiani sexto, Consulatu Gratiani Aug. tertio & Equitii, Indictione secunda: quæ omnia præsentem annum adamussim designant.

a Ep. Conc. Valent. ad Foroiul.

VI.

b Epiph. in præf. Ancor.

c Id. hær. 69. EPIPH. SCRIBIT ANCORATVM.

IESV CHRISTI AN. 375.

DAMASI AN. 9.

VALENTIN. VALENTIS } AN. 10.

ANNVS Christi trecentesimus septuagesimus quintus, quod ordinariis qui darent nomen anno Coss. caruit, Post Consulatum Gratiani & Equitii in Fastis inscribitur. Cur autem desierint ex more creari, S. Hieron. *d* ratione affert, quod superiore anno Sarmatæ Pannonias vastassent. Adeo vt mœroris eo signo notatus sit annus, qui lætis nouorum Coss. auspiciis atq; muneribus consueuerat inchoari.

Sed idem tristior reddidit est obitu Valentiniani Imp. qui cum aduersus Quados mouisset exercitum, ipsorumque legati veniam ac pacem deposcentes obuiam ei facti essent: ira vehementi in eos excandescens ob præteritam rebellionem, repentino vomitu sanguinis extinctus est, ætatis anno quinquagesimo quinto, Imperii minus centum diebus duodecimo. Hæc Ammianus *e*. Cui in genere mortis adsti, ulatur Hieronymus *f*. Additque Socrates, id accidisse in Bergitione castello, decimo quinto Calendas Decembris. Quo defuncto, GRATIANVS eius filius, iam ante septem annos Augustus nuncupatus, solus imperare cœpit cum Valente patruo. Corpus autem Valentiniani Constantinopolim translatum est, vt inter Christianorum Impp. reliquias humaretur. Atque interea sexto die post eius obitum, VALENTINIANVS Iunior, eiusdem Valentiniani ex Iustina coniuge filius, opera Cerealis auunculi, Augustus solemni more nuncupatus est: idque factum Gratianus, qua præditus erat animi benignitate ratum habuit. Quod autem Ammianus eum tunc quadrimum fuisse testatur, haud probari potest. Aduersatur enim Socrates; qui cum natum affirmet Coss. Gratiano & Dagalaipho, (est is annus Domini trecentesimus sexagesimus sextus:) ea ratione hoc anno nouennem fuisse asserere oportet. Confirmant & tabulæ Consulares, dum anno Christi trecentesimo sexagesimo nono, habent Coss. eundem Valentinianum Nobilem Puerum & Aurelium Victorem. Porro ex eadem Iustina huius Valentiniani matre, reliquit *g* Valentinianus Senior genitas filias Gallam, Gratam, & Iustam; quarum duæ posteriores in virginitate vitā duxere. Galla Theodosio nupsit Imperatori.

Hic item annus est, quo S. MARTINVS creatus fuit Turonensis in Gallia Episcopus, quarto Nonas Iulii: vt auctor est Greg. *h* eiusdem postea Ecclesiæ Antistes. Qui licet alibi eum octauo Valentiniano anno electū fuisse Episcopū tradat: tamen cum eiusdem ipsius auctoritate constet, Martinum sedisse Episcopū annos viginti sex, menses quatuor, & dies viginti septem: ratumq; Seuerus *k* eiusdem Martini æqualis ac perneccssarius, asserat eum sub Cōsulatu Eutodii anno Christi trecentesimo octogesimo sexto iam fuisse septuagenarium, vixisseq; ab eo tempore annos sexdecim: sicq; ad annum Domini quadringentesimum secundum oportuerit fuisse superstitem: vtiq; ex his omnibus affirmādum est, eundem hoc anno creatum esse Episcopū. Qui mox ad

L

d Hier. in Chr.

II. VALENTIN. IMP. OBITVS

e Am. li. 30.

f Hier. ep. 3. ad Heliod. GRATIANVS IMPERAT VNA CVM VALENTINIANO.

g Soc. l. 4. c. 26.

III. S. MARTIN. CREATVR TVRO. EPIS.

h Gr. Tur. hist. Franc. l. 2. c. 14. & l. 1. mirac. c. 6.

i Id. 10. hist. 31.

k Seuer. dial. 7. & dial. 3.

a Ruff. l. 2. c. 11. b Socr. l. 4. c. 25. Soz. li. 6. c. 24. c Ambr. ep. ad Vercel.

III. d Quæ hoc & seq. art. continentur, sunt ap. Baron. an. seq. sed ea hic commodius recensenda putauimus, cum nec certorum annorum res Ambrosii contineant. e Basil. ep. 55. BASILII CVM AMBROSIO NECESSITVDO. f 1. Tim. 3. cā. Apost. 80. Cōc. Nic. c. 2. g Amb. ep. 82. AMBROSII ORD. NATIO QVAMVIS CONTRA CANONES, PROBATA AB OMNIBVS. h August. 8. Confess. 2.

IV. VITÆ INSTITVTIO, i Ambrosius sui frat. k Id. prec. 1. ad Miss. & ep. ad eund. l Aug. 8. Conf. in Paulin. ex Vit. Ambr. m Paul. ibid. n Id. ibid. o Soz. l. 6. c. 37. in fin. p Possid. Vit. Aug. c. 27. A SACRIF. RED ABSTINVIT. q [Si quis vo to integram, seriesq; rerū gestarum cō tinuatam, le gere cupit Ambrosii vitam; habet eam ab ipso Baronio iussu Sixti PP. V. contextā, & emēdatā S. Doctoris operum editioni Rom. præpositam. Sed ea in quibusdam emēdanda ex Annalibus.]

V. CONC. VALENTINVM. r Tom. 1. Cōc.

Valen-

QVID EI CVM VALENTIN. SIN

Valentinianum Seniorem adhuc superstitem, nonnulla petiturus se conferens, cum opera Iustinæ Augustæ Arianæ feminæ, Imperatoris iussu expulsus palatio fuisset; ad diuinas se preces, & solitam corporis afflictionem se conuertens, septimo post die Angeli monitu ad palatium rediit, & nemine prohibente vsq; ad Imperatorem peruenit. Cumque ruisam inf endens ille cur fuisset admissus, haud assurgere dignaretur, confestim eius sellam ignis operuit: quo prodigio territus, & Martinum complexus est, & omnia quæ desiderabat concessit: in colloquium sæpius illum, ac conuiuium, adscisc ens: & abeunti multa munera offerens, quæ vir sanctus, vt semper paupertatis suæ custos, cuncta reiecit. Hæc pluribus Seuerus *a*, & Venantius *c* Fortunatus.

a Seuer. l. dial 6. Venant. Fortun. Vit. S. Mart. l. 3.

IV.

d Soz. l. 6. c. 35

THEMISTIVS CVRARE STVDET VALENTEM IMP.

Eodem tempore quo Valentinianus extinctus est, (inquit *d* Sozomenus) Valens ipsius frater Antiochiæ agens, maiore odio Catholicos exagitare cæpit: qui tamen oratione Themistii Philosophi, qua docuit non oportere mitari dissensionem, quæ in Ecclesiasticis opinionibus versabatur, cum multo maior extaret apud Gentiles: aliquanto mansuetior factus visus est. Porro non licuit hanc Themistii orationem, quam citat Sozomenus, inuenire: longe enim diuersa est ab ea, coram eodem Imp. habita post debellatum Procopium. Themistium autem erga Orthodoxos propensiorem fuisse, hæc ipsa demonstrant, aliaque multa: eoq; vsum esse familiarissime Gregorium Nazianzenum, ex eius scriptis ad illum literis facile est intelligere. Ex quibus etiam constat, ipsum non philosophia tantum celebrem, sed etiam apud Imperatores potentia claruisse; quippe qui iam ab ipsis Constantii temporibus functus sit amplissimis magistratibus.

e Greg. Naz. ep. 139. 140.

V.

VALENS COGIT MONACHOS AD MILITIAM.

At Valens nequitia exardescens, sic oratione Themistii visus est ab Ecclesiarum persecutione abstinuisse, vt tamen alia via diram aduersus Monachos persecutionem conflarit, cum eos hoc ipso anno *f*, post fratris obitum, lege lata è monasteriis abstrahi, & ad militiam cogi, ac nolentes fustibus interfici iussit: qua occasione multa per Ægypti solitudines eorum agmina cæsa sunt. Præcesserunt autem huius persecutionis illa præludia, cum *g* eosdem ad munia patriarum subeunda reuocari iussit. Reliquos præterea omnes grauissima vbique exagitauit exactione tributi, à qua per Constantinum & Constantium Imp. exempti fuerant, de quibus extant scripta *h* Gregorii Nazianzeni ad Iulianum, necnon carmen ad Hellenium, quibus monachos plurimis cumulat laudibus. Ex eo vero quod cognitum fuit, eiusmodi genus hominum esse Imperatori inuisum: quibuscunq; sceleris in eosdem debacchandi creuisse audaciam, docet scripta ad eos consolatoria Basilii *i* epistola. Quo etiam tempore S. Epiphanius ad Archimandritas in Syria apud Chalcidem habitantes, librum quem ipsi petierant de Hæresibus misit, rationem in præfatione reddens, cur *Panarium*, nempe casulam medicam, nuncupari voluerit: egregium plane opus, & Catholicæ Ecclesiæ valde proficuum.

f Hier. in Chr. Oros. l. 7. c. 33.

g l. 63. C. Th. de Decur.

h Gr. Naz. ep. ad Iulian & car. ad Hellen.

i Basil. ep. 19. in addit.

EPIPH. SCRIBIT PANARIVM.

I.

GRAT. IMP. STAT CONTRA HAERETICOS.

k l. 4. C. Theod. de haret.

l 13. C. Theod. de Episc.

IESV CHRISTI AN. 376.

DAMASI AN. 10.

VALENTIS 13. GRATIANI 10. VALENTIN. II. 1.

ANNO Christi trecentesimo septuagesimo sexto, Valente quintum & Valentiniano Iun. Augg. Coss. Gratianus Imp. probe intelligens nimia indulgentia patris, permittentis Arianos in Ecclesia Occidentali pacifice agere, hæreticos audaciores factos: sancita lege *k* vetans eorum conuentus, à Fisco vindicanda statuit quæcunque loca vbi hæretici conuenirent, siue in oppidis, siue in agris. Rescripsitque *l* item ad Episcopos, vt leuiora delicta ad religionis obseruantiam pertinentia, à suæ cuiusque diœceseos Synodis audirentur: criminalia vero (nempe per quæ etiam pœna sanguinis irroganda foret) ab ordinariis, extraordinariisque iudicibus, aut illustribus potestatibus.

II.

a Amm. lib. 30.

BARBARORVM GRASSATIONES IN ORIENT. IMP.

Quod pertinet ad res Orientales: narrat Ammianus *a*, Hunnos vltra paludes Mæoticas incolentes, in Alanos, qui Scythicas solitudines habitabant, irrumpentes, ab illis repulsos descendisse in regiones trans Istrum, quas occupauerant Gothi. Eosdem vero Gothos inde expulsos, sub Regibus Alarico & Phritigerne (Athanaricus enim ad tutiora loca confugerat) impetrasse à Valente Thracias ad habitandum: spondentes se Romanis subditos fore, tutaturosque fines Romani Imperii ab omnibus alijs barbarorum incursibus. Permissi sunt igitur, magno Reipublicæ damno, barbari Istrum transire: quem & aliæ proximæ nationes, se iisdem adiungentes transmisere, Romanis licet inuitis. Cum igitur iidem barbari victus inopia laborantes, ciuiumque prouocati contumeliis, ac Lupicini in Thracia Romani Ducis auaritia atque perfidia moti, grassari cœpissent in prouinciam: aduersus eos copias parans Lupicinus, vniuersum Romanum exercitum eisdem ad internecionem subiecit, fuga ipse sibi consulens: sicque occisorum Romanorum armis, barbarorum est armatus exercitus. Sed hæc pluribus Ammianus. In quibus illud accuratius contemplandum est, quam æqua diuini pensata lance iudicii, impius Valens, qui haud pridem sanctos monachos ad militiam subeundam adigere conatus est, acrecuentes peremit; incautus, in Romanorum solum hostes, per quos vinceretur, ac tandem occideretur, adduxit.

III.

b Ambros. in Luc. li. 9. c. 21.

PESTIS ANIMALIVM SIGNO CRVCIS CVRATA.

c Paul. ep. 9. ad Seuer.

Cæterum has earundem gentium, aliarumque inter se conflictationes, dum paucis Ambrosius perstrinxit in commentariis *b* in Lucam, quos tunc habebat præ manibus; iisdem barbaricis tumultib. addidit ingentem omnium famem, luemque pariter boum, atque hominum, cæterique pecoris. Estque de ista animalium peste, quæ vniuersam ferme Europam occupauit, elegans Ecloga Seueri Sancti Endelechii Rhetoris & poetæ, (cuius meminit Sanctus Paulinus *c* Nolanus) qua docetur, illam à Christianis per signum Crucis mediis animalium frontibus additum, facillime curari consueuisse, & tanto miraculo Gentiles ad Christi fidem conuerti.

IESV CHRISTI AN. 377.

DAMASI AN. II.

VALENTIS 14. GRATIANI 11. VALENTIN. II. 2.

I.

VALENS EXULES ORTHODOXOS REVOCAT.

d Amm. l. 31.

e Soc. l. 4. c. 38.

ANNO Domini trecentesimo septuagesimo septimo, Gratiano Augg. quartum & Merobaude Coss. Valens Imperator acceptaimmensa anni superioris clade Romani exercitus sub Lupicino, Antiochia *d* cito digressus est Constantinopolim: Tuncq; (inquit Socrates *e*) destitit ab Orthodoxis in exilium mittendis. Sed verius Sanctus Hieronymus *f* ait, eum tunc sera pœnitentia Catholicos de exiliis reuocasse: quod ipsum & Orosius *g* affirmat. Verum sic Episcoporum solutum esse exilium, vt tamen quamdiu Valens vixit, suæ ipsis Ecclesiæ minime restitutæ fuerint: certum redditur ex Iacii *h* monachi eidem Imp. contestatione facta, cum postea aduersus Gothos progrederetur. At vero moræ impatiens populus Alexandrinus, zelo fidei æstuans, sic Petrum Episcopum suum, redeuntem suscepit, vt (quod scribit Socrates *i*) literis Damasi Papæ confisus, eundem sedi suæ restituerit, expulso Lucio Ariano.

f Hier. in Chr.

g Oros. l. 7. c. 33.

h Ap. Theod. l. 4. c. 30.

i Socr. l. 4. c. 37.

Hoc

II.

Hoc item anno periclitanti Imperio Orientali Gratianus laturus suppetias, Ricomerem ducem illuc cum copiis misit: qui iunctus Ducibus Valentis, iidem simul ingenti prælio barbaros afflixere, attriti tamen & ipsi multa cæde. Sed autumni tempore, ob nouos barbarorum in Gallia motus, Ricomere reuocato; Gothi aliis barbaris iuncti, non Thracias tantum, sed alias interiores depopulati sunt regiones. Quæ cuncta Ammianus copiosiore tractat historia.

III.

Iisdem pariter Coss. idem Gratianus rescripsit *a* pro clericorum immunitate à muneribus personalibus. Aliaque edita sanctione *b* Donatistas in Africa rebaptizantes compescuit; ac Manichæos conuentus agentes compressit. Erat tunc in Africa inter Manichæos *Augustinus* Auditor, annum agens quartum sub eorum disciplina, suæ vero ætatis vigesimum tertium. Qui natus *c* Tagaste in Numidia, Arbetione & Lolliano Coss. anno Constantii Imp. decimo nono, Christi trecentesimo quinquagesimo quinto, Idibus Nouembris; decimo septimo ætatis anno, litterarum studii *d* causa Carthaginem petiit, ac orbatus *e* est patre: decimo nono *f* vero impegit in Manichæos, veritatem pollicentes, & nihil minus dantes. Quo tempore sanctissima mater eius *Monica* vidua, deplorans filii perditionem, de futura eius conuersione *g* diuinam accepit in somniis visionem: atque propheticum habuit responsum cuiusdam Episcopi Catholici: qui cum ab illa sæpius cum lacrymis vrgeretur, vt cum Augustino differre vellet, idque ille prudenter negaret, quod adhuc Augustinus indocilis esset, & nouitate hæresis inflatus: tædio tandem ab ea affectus, *Vade*, inquit, *à me: fieri enim non potest, vt filius istarum lacrymarum pereat.* Ipsi vero admodũ tenui nato, semper & vbique Romanianus *h* nobilissimus conciuis Tagastensis cuncta necessaria ab ipsa eius adolescentia abunde suppeditauit: cui eam ob causã, non ipsum tantum Augustinum, sed vniuersam Ecclesiam Catholicam magnopere deuinctam esse, necesse sit profiteri. Quãdo autem è fœce hæresis Augustinus emerserit, dicetur suo loco.

IV.

Hic ipse etiam annus est, quem tertium *i* agens in sede S. Ambrosius, mense Ianuarii, ipso die natali S. Agnetis, exorsus de Virginitate sermonem, propagauit illum in libros tres, ad sororem Marcellinam conscriptos *de Virginibus*. Ex quibus & illud discitur, sacras Virgines Deo dicatas duplicis fuisse generis; alterius nimirum eas, quæ in domo paterna cum suis parentibus & cognatis agerent: alterius autem eas, quæ in monasterio religiosam vitam ducerent. De quo etiam duplici apud Orientales Virginum genere, Gregorius *k* Nazianzenus meminit. Prioris autem generis fuit *S. Marcellina* Ambrosii soror: quæ Romæ à Liberio *l* Papa Deo sacrata, domi degebat, atque alias ipsa dimes in eandem professionem & consortium sibi adlegerat. Sicut & Romæ itidem Eustochium, Principia, Demetria, & aliæ, quarum est frequens apud S. Hieronymum mentio, eodem modo apud suos habitantes, Deo seruiebant, quibus ad ecclesiam venientibus, locus *m* tabulati interstitio separatus dabatur, idemq; ornatus diuersis appositis ex diuinis Scripturis virginitati congruis monumentis. De posteriori vero Virginum genere, actum est alias copiosius.

V.

Qui autem hoc anno sacras Virgines sanctis institutis Ambrosius confirmare laborauit, idem postea absolutam quoque Cleri disciplinam componere studens, tres egregios *de Officiis* libros scripsit: quibus interalia constat, adeo ipsum in clericis deligendis exactum delectum abhibuisse, vt *n* quendam à multis commendatum, hoc solo recipere noluerit, quod gestus eius plurimum dedeceret: alterum vero in clero iam repertum, ob insolentes incessus iusserit ne vnquam præiret sibi. Quantum autem ad Gentilitios mores incuria ministrorum coalitos, quantocyus extirpãdos incubuerit, testis est ipsius declamatio *o* aduersus Ianuarii Calendas superstitiose colentes: qui & auctor extitit, vt diem illum Calendarum, quo populus Gentilis genio indulgebat, Fideles ieiunando transigerent. Acclamationes *p* item in Lunæ defectum fieri solitas, penitus sustulit. Dilationes baptismi vsque ad prouectiorem ætatem, prauam consuetudinem tollere omnino contendit *a*: sicut & id ipsum præstare studuisse apud Orientales, Basilium, Gregorium Nazianzenum, atq; Nyssenum, ipsorum de baptismo editæ orationes significant. Insuperq; piorum conuiuia, *Agapes* nominata, in ecclesia peragi consueta aboleuit *b*, quod imaginem quandam Parentalium Gentilium repræsentarent: cuius postea exemplo S. Augustinus eadem in Africana Ecclesia auferenda curauit *c*.

a *Id ferm. Susc. & alibi.*

b *August. 6. Confess. 2.*

c *Conc. Carthag. III. c. 30 Aug. ep. 64*

IESV CHRISTI AN. 378.

DAMASI AN. 12.

VALENTIS 15. GRATIANI 12. VALENTIN. II. 3.

I.

S. BASILIVS MORITVR.

ANNO Christi trecentesimo septuagesimo octauo, Valente sextum & Valentiniano secundum Augg. Coss. ipsis Calendis Ianuarii, *S. Basilius* annis octo mensibus sex & diebus sexdecim in Episcopatu functus, (vt ex iis quæ supra in eius electione dicta sunt, constat) feliciter ad Deum ex hac vita migrauit, maximo omnium non solum Catholicorum, sed etiam Ethnicorum, ac Iudæorum, aliorumque exterorum luctu: tantoq; fuisse à suis Cæsariensibus elatus est, vt præ nimia hominum propulsione, plurimi extincti fuerint, quod tradit Gregorius Nazianzenus, eius obitum pluribus tractans & deflens luculenta illa oratione funebri, qua postea eiusdem Magni Basilii res gestas contexuit; digno plane atque nobili monumento, viuæ instar statuæ, in qua cum Basilii egregia relucet imago, tum Gregorii excellens exprimitur artificium. Laudauit pariter eundem oratione funebri, ipsius germanus Gregorius Nyssenus, necnon magnus ille Syrus Ephræm diaconus Edessenus, multis eum summisque efferens præconiis, quem diuini Spiritus sciret aperta testificatione laudatum. Siquidem (vt idem Nyssenus est auctor, & eius Vitæ Acta testantur) cum Basilium conuenit, vidit supet eius dextram, insidentem columbam (quam hieroglyphicum Spiritus Sancti nemo nescit) eidem concionanti sermonem suggerentem. Tradit vero Nazianzenus, tanta Basilium refulsisse claritudine, vt eum omnes, tanquam omnibus numeris absolutissimum, sibi proponerent imitandam exemplar; perfecta existimantes quæcunque eius dicta, vel facta, necnon & gestus omnes, atque adeo eos, quibus ei natura minus fauisset. Et qui monachis, ac clericis, laicisque, viuendi regulas præscripsisset; ipsum factum formam omnibus: tunica vna & pallio vno contentum humi cubuisse, paneque solo, & sale atq; aqua pura, pro victu vsum esse. Vt non sit mirandum, si infirma frequenter (quod ipsemet suis sæpe epistolis testatur) vteretur valetudine.

LAVDATVR A PLVRIBVS.

II.

EIVS SCRIPTA.

Quod autem spectat ad eius Scripta; præter pauca illa quæ Sanctus Hieronymus *d* relegit, longe plura eum elucubrasse, ex Cassiodoro *e* possumus intelligere, dum Basilium numerat inter eos Græcos Scriptores, qui à principio ad finem vsque diuinam Scripturam sunt interpretati. Extantque eiusdem complura decreta, quæ Ecclesia Orientalis pie sancteque obseruanda suscepit. Res autem ab eo gestas, scriptas esse ab Helladio ipsius discipulo, qui & eidem in Episcopatu successit, auctor est S. Ioannes *f* Damascenus; sed non extant: quæ autem Amphilochii falso nomine fertur eiusdem Vita, haud digna satis habetur cui fides adhibeatur. Cæterum ex anonymo codice Vaticano constat, Basilium fuisse procero habitu corporis & recto, siccum, gracilem, colore fusco, vultu subpallido, iusto naso, superciliis in orbem inflexis & abductis; cogitabundo similem, paucas habentem in vultu rugas, eaq; tenidentes; genis oblongis, temporibus aliquantum cauis, promissa barba, & mediocri canicie. Quib. consentit Gregorius *g*, dum ait ipsum fuisse pallidum, barbatum, & cogitabundum.

d *Hieron. de Script. Eccl.*

e *Cassio. præf. lib. instit. diuin. lect.*

f *Damasc. or. 1. de Imag.*

ET ELEGIS

g *Gr. Naz. or. in laud. Basil.*

Hoc

a *L. 13. C. Th. de Ep. & cler.*
b *L. 2. C. Th. ne fanc. bap. iter.*
S. AVGVSTINI PRIMORDIA.
c *Aug. lib. de Vit. beat.*
d *Id. 2. Cõfes. 2*
e *Ibid. l. 3. c. 4.*
f *lib. 3. c. 6. & lib. 4. c. 1.*
g *lib. 3. c. 11. 12.*
MONICA SOLICITA DE CONVERSIONE FILII.
h *Id. conf. Acad. li. 2. c. 2.*
i *Ambr. de Virg. l. 2.*
SACRARVM VIRGINVM DVPLEX GENVS.
k *Greg. Naz. ad Hellen.*
l *Ambr. de Virg. l. 3.*
m *Id. ad virg. apf. c. 6.*
n *Id. 1. de Offic. 18.*
o *Id. ser. 1.*
p *Id. serm. 31.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

III. S. EPHRÆM OBITVS.

Hoc item anno, idem quem modo nominauimus, *Sanctus Ephram* diaconus Edeſſæ, ex hac vita diſceſſit Calendis Februarii (vt Latini habent) vel (vt Græci eius diem natalem colunt) duodetrigeſimo die eiuſdem mentis Februarii. Extat peregregia eiuſdem oratio ab eo iam proxime moriturο aliantibus fratribus habita, quæ ea de cauſa *Teſtamentum Ephram* eſt appellata: qua diuinam hæreditatem, ſanctis admonitionibus conſignatam, ſuis poſſidendam reliquit; atque inter cætera de vitandis hæreticis plurima inculcauit, nominans inter alios *Vitalianos*, nempe illos, qui à Vitale Antiocheno Apollinariſtarum Epiſcopo ita vocati erant. Eodem vero Teſtamento, illud perfectæ humilitatis, quam viuens præ cæteris virtutibus excoluit, egregium ſpecimen dedit; dum magna conteſtatione prohibuit, ne exhiberi ſolita ſanctis vitis ſumptuoſa funera, exanimi ſuo corpori impenderentur: cum tamen illa poſtrema, quæ à Sancta Eccleſia pro ſalute animarum præſtari conſueuerunt officia, nempe Preces & Sacrificia, ea ſibi impendi ſolicitius poſtularit. Eius autem lucubrationes, quod Syro eſſent idiomate conſcriptæ, haud confeſtim Græcorum aut Latinorum Eccleſiis innotuere: nam Sanctus Hieronymus *a* vnius tantum voluminis meminit, quod ex Syro in Græcum translatum accepit: pedetentim autem alia complura per Græcorum alueos in Latinam Eccleſiã confluxere. Tanti autem ab antiquis facta eſſe, idem tradit Hieronymus, vt poſt lectionem Scripturarum, publice in quibuſdam Eccleſiis recitarentur. Quod vero dicatur preſbyter à S. Baſilio ordinatus, minime aſſentiri poſſumus: cum præter alia quæ repugnant, haud eſſet Baſilii iuris Syrum hominem ordinare. Cæterum cum aliquando *b* ad Epiſcopatum quæreretur, in forum curſitans, primo furorem ſimulauit, mox fugam capiens, tantiſper latitauit, dum alius eius loco creatus eſſet Epiſcopus. Extat vero Gregorii Nyſſeni oratio in die eius anniuerſaria habita, qua ipſius plane admiranda primordia, frequenteſque viſiones & ſigna, atq; alias memoria dignißimas res ab eo geſtas complexus eſt.

POSTVLAT ORARI PRO SE POST OBITVM.

a *Hier. de Scr. Eccl. in Ephram.*

EIVS SCRIPTA MAGNI HABITA.

b *Soz. l. 3. c. 15.*

IV. AMBR. SCRIBIT DE FIDE AD GRATIA.

Hoc eodem anno Gratianus Imp. cum expeditionem aduerſus Gothos Thracias deuaſtantes, ſuppetias Valenti paruo laturus pararet: in ipſo ferme militari procinctu, quo ſcuto fidei melius quam quibuſuis armis ſeruaretur in columis, petit à S. Ambroſio libellum fidei: cum ille duos ſcripſit *de Fide* libros, quibus & tertium poſtea addidit: in quibus *c* etiam victoriam illi certam vaticinatur, ex prophetia Ezechielis *d* aduerſus *Gog*, quam de Gothis intelligendam docet. Eam tamen ipſius interpretationem haud in omnibus probauit S. Hieronymus *e*. Sed & S. Proclus *f* Epiſcopus Conſtantinopolitanus vaticinium illud Ezechielis de Gog, ad aliam de barbaris victoriam ſub Theodoſio Iuniore aptauit. Eaq; de re conſulendus etiam S. Auguſtinus *g*.

c *Amb. de fid. ad Grat. l. 2. prope fin.*

d *Ezech. 38.*

e *Hier. praf. in Ezech. ad Eu-ſeb. & quæſt. in Geneſ.*

f *Ap. Socr. l. 7. c. 42.*

g *Aug. 20. de ciuit. 11.*

V. GRAT. VINCIT ALEMANNOS.

Porro auctor eſt Ammianus *h*, Lentienſes, populum Alemannicum, audita expeditione Gratiani aduerſus Gothos ſuſcepta, moræ impatientes, antequam ille è Galliis recederet, huius anni menſe Februarii, Rhenum gelu peruium depopulaturos Gallias tranſiiſſe: ſed illum aduerſus eos ingenti animo, & incredibili celeritate, dirigentem paratas ad bellum Orientale copias, eoſdem apud Argentariam immenſa clade affeciſſe: eaque victoria gentes hebetaſſe Occiduas: inde vero pari celeritate Thracias petentem, Sirmium vſque perueniſſe: adoleſcentem (vt vocat) præclaræ indolis, facundum, & moderatum, & bellicoſum, & clementem: ad æmulationem lectorum progredientem Principum, dum etiam tum lanugo genis inſperet ſpecioſa.

h *Am. l. 31.*

VI. VALENS PROGREDITVR ADVERSVS GOTHOS.

Interim Valens, poſt reditum Antiochia Conſtantinopolim, paucos dies (vt ait idem Ammianus) in ea vrbe moratus; populo ſeditionem mouente, quod *i* cum Gothi Thraciam populati, & ad vſque ſuburbia progreſſi, iam ipſa vrbis mœnia oppugnare aggrederentur, tamen ipſe, quaſi nihil hæc ad eum pertinerent, Ludis Circenſibus otioſus intereſſet, variis tandem contumeliis pulſatus, minatuſque, ſi rediret, ſe populum earum cauſa probe vlturum, aduerſus Gothos egreſſus eſt, & ad Melantiada villam Cæſarianam cum copiis quieuit. Vbi accepto nuntio de Alemannis victis à Gratiano, eiuſque aduentu Sirmium cum exercitu; eiuſdem gloriæ æmulus, quaſi ad maiorem certamq; proficiſceretur ipſe victoriam, Hadrianopolim venit: ibique Legatum Phritigernis Gothorum Regis, presbyterum Chriſtianum excepit, rogantem honeſtis conditionibus pacem. Sed ipſe mali dæmonis impulſu, & legationem Gothi Regis inanem remiſit, nec Gratianum proxime adfuturum expectandum putauit, licet præſtantiſſimi duces id ſuaderent. Itaque in pugnam incaute proſiliens, ſuis mox in fugam conuerſis, & ipſe fugiens, interque gregarios milites latens, ſagitta percuſſus eſt, delatuſque à ſuis in agreſtem caſam: quam intus occluſam, cum in ea expugnanda barbari in prædam effuſi terere tempus haud vtile ſibi putarent, ſuppoſitis lignis & ſtipula incenderunt: inque ea Imperatorem cum omnibus quos ſecum habebat combuſſerunt, quinto Idus Auguſti: eiuſdem Valentis quinquageſimo ætatis anno, Imperii decimo quarto, adiectis menſibus quatuor & diebus aliquot. Hæc omnia pluribus Ammianus *a*: eademque ferme Ruffinus *b*, Socrates *c*, Sozomenus *d*, Theodoretus *e*, ac breuiter S. Hieronymus in fine ſui Chronici; meminitque item S. Chryſoſtomus *f*. Acciditque appoſite inito Dei iudicio, (quod Oroſius *g* notauit) vt quos Valens Gothos ex fide Catholica ad ſectam Arianam capeſſendam adduxiſſet, immo conditione pacta icti fœderis coegiſſet; (vt ſuo loco vidimus:) ab iiſdem flammis vltricibus cremaretur, atq; inſuper (quod notauit Hieronym.) ſepultura priuaretur, dignis ſuppliciis impiorum.

VIVVS CREMATVR.

a *Amm. lib. 31.*

b *Ruf. l. 2. c. 3.*

c *Soc. l. 4. c. vlt.*

d *Soz. l. 6. c. vlt.*

e *Theo. l. 4. c. 33.*

f *Chryſ. ad Vid. tom.*

g *Oroſ. l. 7. c. 33.*

VII.

Addit Nicephorus *h*, Iſacium monachum agentem Conſtantinopoli, Valentis interitum ac genus mortis ea ipſa hora qua contigit retuliſſe, quem & Theodoret. *i* ait, ipſi Valenti Conſtantinopoli exeunti necem prædixiſſe, & exercitus internecionem, niſi deſiſteret ab impietate, & Epiſcopos Orthodoxos Eccleſiis ſuis reſtitueret. Refert quoque Zonaras *k* oraculum de loco mortis eius: narratq; Ammianus multa, quæ præceſſerunt ſigna eiuſdem prænuntia: vt inter alia, vulgi clamores Antiochiæ editos, *Vius ardeat Valens*. Sed & illam cladem ob perfidiam atq; hæreſim Imperatoris acceptam, totque aliis tantiſque malis exagitatum eſſe Romanum Imperium, ſanctiſſimi viri teſtati ſunt, Gregorius *l* Nazianzenus, Ambroſius *m*, & Oroſius *n*: atq; ipſimet in faciem generoſe exprobrauit, paulo ante hoc vltimum prælium, Traianus *o* Dux fortiſſimus, cum ab eo conuiciis laceraretur, quod ab hoſtibus quadã alia pugna ſuperatus fuiſſet: qui & eodem vltimo prælio fortiter pugnans interiit. Cæterum audita clade Orientalium, exercitus Occidentalis ad tempus Sirmii conſedit, donec aduerſus victores Gothos maioribus fulciretur auxiliis.

h *Nic. l. 11. c. 50.*

i *Theod. lib. 4. c. 30.*

k *Zon. Annal part. 3.*

PERIT OB HÆRESIM.

l *Greg. Naz. orat. de pac. in Ampbr. de fid. ad Grat. l. 2.*

m *Oroſ. l. 7. c. 33.*

n *Ap. Theod. l. 4. c. 29.*

Cum interea veluti miraculo accidit, vt præſto fuerint Saraceni, iam antea (vt vidimus) per Moyſen Epiſcopum Chriſtiani Orthodoxi facti: qui à Mauria Regina miſſi, eoſdem Gothos Conſtantinopolim obſidione cingentes procul fugarunt: ſicut Ammianus *p*, Socrates *q*, atque Sozomenus *r* narrant. Additque Ammianus, receſſiſſe ex his regionibus perfractos Gothos, atque retrogreſſos deueniſſe vſque ad Iulias Alpes. Eoſdem vero palabundos, omnia quæ ſibi occurrerent deuaſtaſſe, Sanctus Hieronymus *ſ* ſcribit: dum non has tantum hoc anno illatas per barbaros clades, verum alias ſimul congeſſit, quæ poſtea per quatuor luſtra acciderunt. Qui & alibi *t*, patriam ſuam Stridonem ciuitatem eadem Gothorum incurſione ſubuerſam fuiſſe tradit. Sed quantum roboris eſſet ad barbaros, eoſdemque hæreticos propellendos, fides Catholica etiam in homine inermi, ſatis apparuit in *Sancto Acholio* Epiſcopo Theſſalonicenſi: quem eoſdem ſæpe his temporibus ab ingreſſu eius ciuitatis repreſſiſſe, ac peſtilentia precibus ſuis affectos, pacem rogare coegiſſe, Sanctus Ambroſius *u* eſt teſtis.

VIII. SARACENI LIBERANT CONSTANTINOPOLIM.

p *Am. l. 31.*

q *Socr. l. 5. c. 1.*

r *Soz. l. 7. c. 1.*

Porro extincto Orthodoxæ fidei perduellis Valente, facultas omnibus Epiſcopis Catholicis data eſt, expulſis Arianis qui in eorum locum ſubrogati fuerant, ad ſuas ecclesias retinendi Eccleſias: idque lege à Gratiano Imp. lata, quæ de cætero omnibus (vt ait Sozomenus *x*) conceſſit libere

Hier. ep. 3. ad Heliod.

s *Id. de Scr. Eccl.*

S. ACHOLIVS GOTHOS REPRIMIT.

t *Amb. ep. 30.*

IX. GRATIANVS RESTITVIT ECCLESIAS ORTHODOXIS

x *Soz. l. 7. c. 1.*

quam-

quamcunq; religionem sectari, exceptis Manichæis, Photinianis, & Eunomianis. Satis namq; visum est, vlcerosum morbum pedetentim curare: hocque primo initio fidem Catholicam postliminio restituere, atq; illas hæreses quæ execrabiliores haberentur comprimere. Meminit quoque eiusdem legis Socrates *a*: sed expressius Theodoretus *b*, dum ait ea pariter Gratianum iussisse, vt Ecclesiæ iis traderentur, qui Damasi Episcopi Romani communionem amplexarentur. Vt autem ea lex maiorem haberet auctoritatem, subdit Theodoretus, Gratianum misisse in Orientem Ducem Saporem magni nominis virum, ad eandem executioni mandandam, & Arianos ab Ecclesiis eiiciendos: eundemque Saporem Antiochiæ edictum promulgasse: cuius occasione Concilium celebratum est.

a *Socr. l.5.c.2.*
b *Theo. l.5.c.2*

X. CONCILIVM ANTIOCH.

Qui igitur Valentis primum edicto ab exilio reuocati fuerant, & Gratiani sanctione suas sedes recepere Episcopi Orthodoxi; mutuo consensu hoc anno mense Septembris, (nimirum nono mense ab obitu Basilii; vt testatur Gregorius *c* Nyssenus qui interfuit) *Antiochiæ* CONCILIVM celebrarunt, vt prostratæ Orientali Ecclesiæ paribus votis consulerent. Ac primum schisma illud Ecclesiæ Antiochenæ inter Paulini & Meletii partes, quod vniuersam Ecclesiam diuidere potuisset, ita tollendum censuerunt, ambabus partibus consentientibus, vt cum alteruter ex duobus, Paulinus vel Meletius decederet, qui superstes esset, nullo alio in locum demortui creato successore, solus remaneret Episcopus: ad quod præstandũ iureiurando adegerunt sex primores eiusdem Ecclesiæ presbyteros, qui propinquiores ad eum gradum consequendum esse viderentur. Testantur id Socrates *d*: Sozomenus *e*, & alii eos secuti: quibus potius standum esse quisque iure sentiet, quam Theodoreto *f*, cætera quidem veraci historico, at rem istam aliter gestam narranti in fauorem Flauiani Antiocheni presbyteri; cuius postea partes, cum is contra iusiurandum suffectus esset in locum Meletii, idem Theodoretus, Paulino infensus, sectatus est. Nam & quod ibidem habet de Sabellianismo Paulino obiecto, meram fuisse aduersariorum calumniam superius vidimus. Cui *g* quidem & Damasum Romanum Pontificem, S. Athanasii cum eodem communione inductum, fuisse Formata ũ communicatione iunctam, certum redditur ex literis S. Basilii *h* ad Terentium. Immo & eundem tantæ apud Damasum fuisse æstimationis, vt qui ad Ecclesiam recipiendi Antiochiæ essent, ipse eiusdem Paulini arbitrio crederet: satis probat epistola *i* ipsius Damasi ad eundem Paulinum de Vitale scripta, de qua superius. Cum alioqui Meletio semper fauissent omnes ferme Orientales Orthodoxi Episcopi, tum ob multiplicia quæ passus esset ob fidem Catholicam exilia, tum quod Paulinus ordinatus fuisset à Lucifero Occidentali homine.

c *Gr. Nyss. ep. ad Olymp. de obit. Macrin.*

MELET. ET PAVLINI CONCILIATIO.

d *Socr. l.5.c.5.*
e *Soz. li.7.c.3.*
f *Theo. l.5.c.3.*

g *Habet hæc Baro. an.372. nu.50. & seq.*

h *Ap. Basil. in vit. edit. Nuzian. ante canon. epist.*
i *Ext. Tom.1. Conc.*

XI.

Rursum vero in eodem Concilio recognitam fuisse rectam fidei regulam, ac stabilitam: itemque hæresibus nuper obortis, puta Apollinaristarum, anathema dictum: apparet ex Synodica epistola *k* Concilii Constantinopolitani ad Damasum. Præterea (quod maximi ponderis negotium visum est) decretæ sunt Legationes complures ad visitandas Orientis Ecclesias: ad quod opus electi, qui præclarioris nominis in ea Synodo interfuissent Episcopi: nempe Gregorius Nyssenus, Eusebius Samosatenus, Meletius Antiochenus, & Gregor. Nazian. quem aliquot annis ab obitu patris Seleuciæ apud S. Theclam commoratum, puto inde abductum esse à Meletio, cum ab exilio ex Armenia rediit Antiochiam.

k *Ap. Theod. l.5.c.9.*

DECRETÆ LEGATIONES AD VISITANDAS ECCL.

XII.

Et quidem Legationis imprimis *Gregorii Nysseni*, testis est ipsemet in tractatu *De Peregrinatione Hierosolymitana*, dum ait se à Concilio delegatum fuisse ad ex.endandam Ecclesiam Arabiæ. Pariterque in epistola ad Olympium monachum de obitu S. Macrinæ sororis suæ, virginis in monasterio agentis, meminit missionis suæ ad res componendas Ecclesiæ. Quo tempore per visum admonitus de proxime futuro eiusdem sororis suæ transitu, ad eam diuerit: & ex iis quæ tunc cum ea disseruit, librum illum aureum conscripsit *de Anima & Resurrectione*, in quo eandem ob insignem eius eruditionem nominat sæpe magistram. De cuius hæreditate ipse locupletatus est annulo ferreo, habente sub pala particulam Ligni S. Crucis, quam ipsa semper adhærentem cordi, vna cum ferreo Crucis signo, gestare consueuerat. Quanta vero emineret illa vitæ sanctitate, ex eadem epistola ad Olympium, vbi & hæc continentur, poterit quisq; abunde cognoscere.

S. MACRINÆ PIVS OBITVS.

Quod autem ad reliquorum Legationes attinet; narrat Theodoretus *a*, *Eusebium* Syriam ac Mesopotamiam peragrasse, multosque ibi sacerdotes Catholicos Ecclesiis ab Arianis obsessis Episcopos constituisse; quousque tandem in Dolicha oppidulo eum mulier quædam Ariana, tegula è superiori loco in eius caput delecta occidit: pro qua tamen, antequam expiraret, adstantes iureiurando obstrinxit, nequid penitus mali ei inferrent. Cuius præstantissimi Præsulis iugem memoriam, cum Orientalis tum Occidentalis Ecclesia martyrii titulo annue celebrare consueuit. *Meletium* vero Legatione sua fungentem, multos pariter variis in locis ordinasse Episcopos, idem auctor *b* testatur. Eaque peregrinatione monachos sibi subditos inuisentem, inueniisse *c* inter alios, *Symeonem Stilitam* habitationem sibi super columnam statuisse; & cum eundem vinctum quoque arcte ferro spectasset, accito fabro solui iussisse ferri vincula, illud addendo, *Amanti Deum homini satis pro vinculo esse mentem*; in cæteris autem eum ab instituto minime dimouere voluisse. Sed de Symeone plura inferius.

III.
a *Theo. l.5.c.4.* EVSEBII SAMOSAT. MARTYRIVM.

b *Theod. ibid.*
c *Id. de Vit. Patr. c.26.* SYMEONIS STYLITÆ INSTITVTVM.

Iam vero vt ad *Gregorii Nazianzeni* Legationem veniamus: quo ille doctior atque sanctior aliis extitit, eo ad difficiliorem prouinciam missus est; nimirum ad Constantinopolitanæ Ecclesiæ, solo ferme ab hæresi prostratæ, reparandas ruinas. Quod enim haud sponte profectus fuerit, sed coactus ab Episcoporum conuentu, Catholicis qui residui erant Constantinopoli id maxime flagitantibus, ipse pluribus locis contestatur *d*. Ex quibus etiam constat, non ante hoc tempus eiusmodi illuc profectionem contigisse: licet Gregorius presbyter, qui encomiastica oratione vitam eius tractauit, itemque Nicephorus *e*, & alii eos secuti, ad longe anteriora tempora eandem referant. Cum autem peruenisset Constantinopolim, initio (vt ait *f*) clandestine docuit ob summam ferociam Arianorum: quorum referta erat ciuitas sub Ariano Episcopo præpotente Demophilo. At diuino plane miraculo factum, vt domus illa, in quam primum diuertit, (erat ea Nicobuli, eiusdem Gregorii affinis) in ecclesiam conuerteretur, quæ ab eodem Gregorio vocata est *Anastasia*, quod (vt idem ipse *g* testatur; ex quo redarguas aliter *h* sentientes:) compressa & extincta in ea ciuitate fides Catholica, ibi excitata reuixerit: quam & ob loci angustiam, sæpe Bethleem nominauit; sed eam postea Marcianus Oeconomus ampliorib.s spatiis dilatauit, vt videbitur suo loco quam & in honorem sanctissimæ Dei-Genitricis dicatam fuisse, Sozomenus scribit. In ea vero ipse Gregorius quinque illas insignes *de Theologia* habuit orationes, (ex quibus & nomen est THEOLOGI consecutus) quibus exultantes & insultantes repressit hostes. Cum autem detectus esset suscepisse patrocinium Catholicæ fidei, mox sensit Arianos infestos, qui eo furoris adacti sunt, vt eum non solum hæreticum & maleficum inclamarent; sed etiam vt talem lapidibus impeterent, raperentque ad tribunal, ingenti hæc constantia ac summa patientia sustinentem: quod ipsemet testatur in carmine de Vita sua.

XIV.
GREG. NAZ. MISSVS CONSTANTINOP.

d *Greg. Naz. car. de Vit. & carm. de Episc. & or. ad Ariano. e Nic. in Chr.*

f *Greg. Nazz. in Maxim.* EIVS HOSPITIVM MYTATVM IN ECC.
g *Id. or. ad 150 Episc. & in Serm. Anast.*
h *Gr. presb. & Soz. li.7.c.5.*

GREG. VNDE DICTVS THEOLOGVS.

Sic namque res se habebat hoc tempore, vt quod reciperetur ab omnibus nomen *Hypostasis*, hactenus pro substantia vsurpatum; qui tres hypostases dicerent, ac proinde tres substantias vel subsistentias prædicarent, trium Deorum assertores inclamarentur; sicut econtrà qui eam vocem non reciperent, ab illis nominarentur Sabelliani, vt supra vidimus in Paulinum Antiochenum factum; & vt id ipsum Hieronymus *i* sibi obiectum queritur: quem non quidem hæretici, vt multi putarunt, sed studiosi Meletii, (liquidem ipse cum Romano Pontifice, Paulino fauit) adeo quasi Sabellianum exagitarunt, vt coactus fuerit (quod ait) ex eremo recedere. At plane consilio Dei hoc totum factum est; vt sub modii angustia lucerna latens, super can-

XV.
ALTERCATIO DE HYPOSTASIB.

i *Hier. ad Lucif. presb. epist.*

HIERONYMI ad Heliod. ep. 49. ad Vrsul. Oper. ad Paulin. vt Dicty. comme. in ep. S.

a Id. ep. 125. b Ap. Hier. ep. 124.

XVI. ORDINATVR PRESB. A PAVLINO.

c Id. ep. 61.

d Ap. eund. ep. 60. ad Ioan. NON FVIT CARDINALIS ROM. ECCL.

e Gennad. de Vir. Illuſ. c. 84. f Ap. Aug. ſer. 24. ad Fratr. in eremo. Microl. c. 21. Vid. S. Hier. ep. Hier. to. 9.

del ibrum in Eccleſiæ amplitudine collocata, longe lateq; ſplendoris ſortiti radiis effulgeret. Quoto vero pontificatus anno Domini ex æterno egreſſus ſit, haud certo affirmare poſſumus. Sed inde Hieroſolymam petiiſſe, antequam Romam veniret ad Damaſum, ex ipſiuſmet poſtea aſſertione a probatur, dum ait, ſe Roma recedente poſt obitum Damaſi, poſtliminio reuertiſſe Hieroſolymam. Cum autem illic moraretur, totum fuiſſe in rebus Hebraicis perſcrutandis, intelligi poteſt ex eius ad Damaſum eo tempore dati literis b: ſed & Damaſum crebris eundem diuinæ Scripturæ quæſtionibus pulſaſſe, aliæ eius ad ipſum Hieronymum literæ docent.

Placuit autem Paulino, eundem ordinare presbyterum: cui tamen ſic ipſe aſſenſit, vt nihilominus conteſtaretur ſe nolle alicui adſcribi Eccleſiæ: quippe qui nolens deſerere monachatum, liberum ſibi eſſe vellet, quod lubenter perageret. Id enim ipſemet teſtatus eſt ad Pammachium d ſcribens, cum à Ioanne Epiſcopo Hieroſolymitano ei Eccleſiæ ſubjici tentaretur, atq; de illo Epiphanius e, nec precibus adduci vnquam potuiſſe, vt vel ſaltem in monaſterio ſacerdotis munere alligaretur. At ſi, quod plerique dicunt, is à Damaſo factus eſt Cardinalis tituli S. Anaſtaſiæ: cur cum redigi tentaretur à Ioanne ſub Eccleſia Hieroſolymitana, non æque excepit, ſicut de ordinatione à Paulino facta, ita de Cardinalatu Eccleſiæ Romanæ? Vel cur ex illa primitus à ſe facta conteſtatione Paulino, ſe omnino liberum eſſe declarauit, ſi interim in titulum Cardinalis à Damaſo cooptatus eſt? Neque enim Cardinalis quis vnquam ſine titulo Eccleſiæ particularis eſſe potuit. Nec eſt quod fingere quis poſſit, Hieronymum poſtquam recuſauit adſcribi Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, venientem Romam id accepiſſe à Damaſo: nam illa, qua hæc refert, ad Pammachium epiſtola (vt ibi teſtatur) ſcripta eſt decimo tertio anno poſt ſuum Romam reditum Hieroſolymam, totidemque & amplius poſt obitum Damaſi. Sed quid erit, quod eam dignitatem conſecutum volunt, quod intimæ Damaſo inhæſerit? Quaſi vero neceſſe fuerit omnem qui ab Epiſtolis eſſet Summo Pontifici (hoc enim munere poſtea functum Hieronymum apud Damaſum, ſuo loco dicetur) fuiſſe Cardinalem; cum de S. Proſpero certum ſit f, in eodem miniſterio viui fuiſſe S. Leoni, nec tamen Cardinalem extiteriſſe. Cæterum auctores gilli, qui hanc dignitatem Hieronymo adtribuere conantur, præter quod incerti ſunt, & plerunque recentiores, multis præterea ſcatent mendaciis, vt nulla iis fides tuto adhiberi poſſit.

[Egit etiam de his Baronius an. 382. num. 54. Sanctamen Pelagius P.P. Secundus in Epiſtola ad Eliam Aquileienſem, (ſeu potius Gregorius Magnus eam Pelagii nomine, vt putatur, ſcripſerit) quam longe poſt hæc à ſe ſcripta, Baronius acceptam à Nicolao Fabricio tit. in Append. Tom. 9 inſerendam anno 586. differt: paulo ante ſanctum vocat Hieronymum *noſtræ Eccleſiæ presbyterum*; h. e. Romanæ. An quia diu Romæ vixerat presbyter, interueniente Pontifici, etſi non in eius Eccleſiæ clerum cooptatus? An vt potius quia cum patria Dalmata, ſiue Illyrii eſſet, eo nomine pertineret ad ſpecialem Romani Pontificis Patriarchatū?]

IESV CHRISTI AN. 379.

DAMASI AN. 13.

GRATIANI 13.
VALENTIN. II. 4.
THEODOSII I.

I. CONSVLATVS AVSONII GALLI.

ANNVS Chriſti trecenteſimus ſeptuageſimus nonus, Auſonium Gallum & Olybrium habuit Conſ. ordinarios. Eiuſmodi namque primario honore Gratianus Aug. Auſonium magiſtrum ſuum, egregium Rhetorem ac poetam ornare voluit; probe ſciens, magiſtris æque ac parentibus haud dignam meritis vicem referri poſſe. Cæterum rependit ei pro munere & ipſe Auſonius h egregiam gratiarum actionem, quam coram eodem Imperatore & amplißimo Senatu Sirmii dixit. Fuiſſe autem ipſum Chriſti cultorem, pluribus eius declaratur carminibus, quibus vel diuinum numen deprecatur, vel Paſchalia feſta celebrat; immo qui & à tenellis vnguiculis, à Chriſtianis ſacris virginibus a ſuis materteris educatus eſt, par eſt credere imbutum fuiſſe ab eis etiam pietate: cum tamen negari non poſſit, eundem tum de Diis, tum de rebus amatoriis quamplurima cecinſſe, more poetarum: ob eamque cauſam viſum eſſe nonnullis potius Gentilem quam Chriſtianum.

h Auſo. Grat. act. pro Conſul. AVSONIVS FVIT CHRISTIANVS.

a Auſo. in Parental epigr. 6 & 26.

Ipſo igitur Conſule, Gratianus proxime ſpectans imminentes in eladem totius Romani Imperii Gothorum turmas; cum ipſe reuocaretur in Gallias ob Alemannos iterum rebellantes, publicæ potius proſpiciens vtilitati, quam priuatæ, & (vt loquitur Auguſtinus b) auidior fidę ſocceratis, quam ninivæ poteſtatis; ibidem Sirmii; publicis comitiis militaribus, die decima ſexta menſis Ianuarii, in locum Valentis defuncti THEODOSIVM Orientis creauit Imperatorem, inſignem militiæ ducem, annum agentem ætatis trigeſimum tertium; qui tempore Valentiniani Senioris (vt ſuperius vidimus) inuidiam paſſus, & ad necem quæſitus, ſe natus tamen fuit magno Dei conſilio ad erigendum collapſum Romanum Imperium. Cæterum parentes ſomnio monitos, nomen ei tanquam bonorum futurorum præmuntiam ſacrauiſſe, vt *Theodoſius*, quaſi A Deo datus diceretur, auctor eſt Aurelius Victor: qui eum patre Honorio, matre Thermantia, genere Hiſpanum, originem à Traiano traxiſſe, eidemque forma corporis, atque etiam moribus, exceptis viriis, ſimillimum fuiſſe dicit. Verum partem eius non Honorium fuiſſe, ſed Theodoſium, Ambroſius d, Oroſius e, Ammianus, & alii teſtantur: patriam vero Marcellinus f Comes Italicam; ſed Zoſimus g Caucæ in Galliæcia natum tradit. Vnus hic inter tot tantoſq; Imperatores inuentus, ſententia Claudiani*, qui non generis dono, non ambitione, potitus fuerit purpura, ſed ipſa ſe vltro ei ſupplex obtulerit: adeo vt hic ſolus meruerit regnare togatus.

b Aug. 5. de ciuit. c. 5.

c Socr. l. 5. c. 2. THEODOSIVS CREATVR IMP.

Porro de creatione Theodoſii erraſſe cõuincitur Theodoretus h, dum ait, ipſum nonniſi poſt adeptam ab eo victoriam de Gothis, fuiſſe creatum; tuncque diuina viſione de futura ſua electione præmonitũ fuiſſe, cum viſus eſt ſibi in quiete videre Meletium Antiochenum Epiſcopũ, chlamydem Imperialem iniicere, & capiti coronam pretioſam imponere. At vero reliqui omnes antiqui hiſtorici dicunt, eum antea nominatum Auguſtum, poſtea vero cum exercitu profectum eſſe contra barbaros; quos quidem ingenti clade ab eo proſtratos eſſe, idem Theodoretus, aliique teſtantur. Verum Sozomenus i de bello nihil; ſed Gothos pacem petere Legatos petentes, in amicitiam, & aliquos etiam ad militiam Rom. receptos eſſe. Addit Zoſimus, diſperſos fuiſſe in varias prouincias, ne nocerent, haecque arte detecta Gothos clam conueniſſe, & tantum non occidiſſe Imperatorem, captaque ingenti præda, abiiſſe trans Iſtrum. Gratianum autem profectum contra Alemannos Gallias infeſtantes, eos feliciter debellaſſe; iidem Sozomenus & Zoſimus teſtantur. Qui & inſuper, Chriſtianiſſimi Principis (quo cum titulo Ambroſ. k inſigniuit epiſtola hoc eodem tempore ad eum reſcripta, cum is ab Ambroſio petiiſſet ſcriptionem de Spiritus Sancti diuinitate) ſpecimen in aliis edens, hoc ipſo anno reſcriptum l dedit ad Heſperium Præfectum Prætorio, quo hæreſes omnes, legibus diuinis & Imperialibus vetitas, perpetuo conquieſcere iuſſit. Cui in Codice Iuſtinianeo m additur, *Hereticorum autem vocabulo continentur, & latis aduerſus eos ſanctionibus ſuccumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deuiare.* Compeſcuit hoc item anno, ad eundem Heſperium referibens n, auaritiam clericorum mercaturam exercentium, quos à luſtrali collatione, nonniſi in denis vel quindenis ſolidis voluit immunes eſſe.

d Ambr. or. in func. Theod. e Oroſ. l. 7. c. 33. f Marc. in Chr. g Zoſ. l. 4. * Claud. de 4. Conſul. Honor.

II.

h Theo. l. 5. c. 5. VICTORIA THEODOSII ET GRATIANI, DE BARBARIS.

i Soz. l. 7. c. 4.

k Ambr. ep. 12.

l l. 5. C. Th. de hæret. GRATIANI LEX ADVERS. HÆRET. m l. 2. C. de hæret.

n l. 11. C. Th. de inſtr. cohib.

III.

Inter hæc autem S. Hieronymus, fama permotus Gregorii Nazianzeni, (qui iam ex parte ferociam populi Conſtantinopolitani prædicationibus ſuis retuderat, multoſque Arianorum ad fidem conuerterat, & admiratione cunctis etiam remotiſſimis eſſe cœperat:) vna cum collega Vincentio è Syria contulit ſe Conſtantinopolim. Res plane admiratione digna: hominem, quem ob

IV. HIERON. ADDIT CONSTANTINOP. GREG. NAZ.

insignem eruditionem consulerent Occidentales Episcopi, ipseque etiam Romanus Pontifex, tam longa difficiliaque itinera peragrasse, vt Gregorii esse mereretur auditor in sacris Scripturis: quo postea semper magistro *a* gloriatus est. Sed quod gloria patris sit filius sapiens, discipulusque excellens doctrina, decori sit præceptori; si conferas Hieronymum cum Gregorio, veram iudices Ennodii Ticinensis sententiam; nempe, Hieronymum, nisi præceptorem suum Gregorium diceret, illo meliorem censeri: sed illi applicanda esse bona nominatim, à quo sumpsisse videntur originem. Certe namque in his quæ pertinent ad multiplicium linguarum peritiam, (quam in diuinis explicandis Scripturis, & Scriptoribus antiquis consulendis, magni momenti esse nemo negarit) absque controuersia Gregorium primas dare Hieronymo certum est, vtpote qui profiteatur *b*, etiam Latinam linguam toto Orbe diffusam se penitus ignorasse. Mansisse autem Hieronymum tribus ferme annis Constantinopoli apud Gregorium, ex ipso patet *c*, dum ait se ibi Gregorium Nyssenum cognouisse; quem constat, post biennium ad Synodum Constantinopolitanam profectum esse.

Hoc item tempore *Maximus* ille Alexandrinus, ex philosopho Cynico Christianus, qui se iactabat martyrum filium, & pro fide exulem in Oasis solitudine: insignis hypocrita, qui & aucupari conatus gratiam Gratiani Imperatoris Mediolanum ad eum profectus, obtulit librum, & quidem (vt ait Sanctus Hieronymus *d*) insignem, de fide aduersus Arianos: idem quasi gloria confessionis & doctrinæ illustris, Constantinopolim veniens, à Gregorio domi suæ exceptus est, & luculenta oratione laudatus, quæ mutato titulo in laudem Heronis scripta legitur: cum tamen is dolose venisset, vt exturbato Gregorio, ipse cathedram Constantinopolitanam arriperet. Quamobrem cum Orthodoxi, quorum in ea ciuitate creuisset opera Gregorii magnopere numerus, in odium Demophili Ariani Episcopi postulassent sibi eundem Gregorium dari Antistitem; iisdemque annuens Petrus Alexandrinus, talem eum constituisset per literas: tamen paulo post idem Petrus, mutata sententia, fauens Maximo gentili suo; vt eundem ei sedi præficeret, prætensa occasione frumenti publici Constantinopolim deportandi, septem legauit Episcopos: qui primo quidem Gregorio adhærentes, & ab eodem benigne susceptі, atque oratione laudati, postea à Maximo allecti; Gregorio ægrotante foris in suburbano, eundem Maximum, opera nautarum Alexandrinorum eius auro corruptorum, noctu in sedem Episcopalem intrudere conati sunt; ac licet ab ecclesia per superuenientem clerum ac magistratum expulsi, nihilominus eundem in domo cuiusdam scenici, detonsa coma Cynica Episcopum ordinarunt: sed cunctis tam Catholicis quam Arianis nefandum scelus detestantibus, tandem Maximus pulsus est vrbe. Narrat hæc omnia fuse Gregorius ipse in carmine de Vita sua, & in oratione in Maximum. Ex quo redarguas eos *e*, qui conari Petrum Alexandrinum excusare, in Timotheum eius successorem hæc cuncta reiecere. Cæterum Maximus à Theodosio primum, ad quem Thessalonicam confugerat, repulsus *f*, ac cum inde Alexandriam rediisset, ab ipso quoque Petro noua occasione reiectus; miser tandem lapsus est in hæresim Apollinaris, eiusque reis causa (vt Theodoretus *g* ait) ab Episcopis damnatus. Aduersus quem pro Gregorio stetisse quoque Damasum Papam, auctor est Nicolaus Romanus Pontifex epistola ad Michaelem Imperatorem.

a *Hier. ad Pămach. aduers. Ruff. l. 1. cont. Iouin. ep. 2. ad Nepotia. ep. 51. ad Domnio. de Script. Eccl. in Greg. Naz. in Isa. c. 6.*

b *Gr. Naz. ep. 71. ad Posthu.*

c *Hier. de Scr. Eccl. in Greg. Nyss.*

V. MAXIMVS CYNICVS AMBIT SEDEM CONSTANTINOP.

d *Id. ibid. in Maxim.*

e *Theo. l. 5. c. 8 Cassio. l. 9. c. 13 Nice. l. 12. c. 11.*

f *Greg. Naz. carm. de Vit. sua.* INFELIX EXITVS MAXIMI *De quo Baro. an. seq.*

g *Theod. ib.*

IESV CHRISTI AN. 380.

DAMASI AN. 14.

GRATIANI 14.
VALENTIN. II. 5.
THEODOSII 2.

ANNO Christi trecentesimo octogesimo, Gratiano quintum & Theodosio Augg. Consulib. idem Theodosius Thessalonicæ morbo correptus, ab Acholio: siue Ascholio Orthodoxo eius ciuitatis Episcopo, virtutibus ac miraculis claro, baptizari *a* voluit. Nihilque antiquius habens, quam *b* vt iustissimis legibus aduersus impios laboranti Ecclesiæ subueniret: hoc ipso anno tertio Calendas Martias, ibidem Thessalonicæ auream illam promulgauit sanctionem *c*, qua damnatis ac prohibitis cunctis hæresibus, omnes populos sibi subditos in tali iussit religione versari, quam S. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, deducta ab eo tempore successio doceret, quamq; modo Damasus Pontifex, & Petrus Alexandrinus Episcopus colerent. Quo etiam die, & loco, aduersus eos qui diuinæ legis sanctitatem aut nesciendo confunderent, aut negligendo violarent, offenderentve, rescripsit *d*: ac tempore Quadragesimę criminales quæstiones agitari, sequenti mense prohibuit *e*.

Post hæc vero, octauo *f* Calendas Decembris Constantinopolim adueniens, acto triumpho de Scythis & Getis, ipso mense Decembri ecclesias ab Arianis per quadraginta annos occupatas, Catholicis restituit; ipsumque primarium *b* templum, frendentibus licet Arianis, vi militum occupans, Gregorio Nazianzeno tradidit, magno eorundem Arianorum luctu, maximo Orthodoxorum gaudio: quod & Deus miraculo confirmauit, cum simulac Gregorius sacros cancellos introiuit, Sol putissimis radiis effulgens atram nubem dissipauit, quæ media die noctem ferme induxerat. Rem gestam narrat pluribus ipse Gregorius in carmine de Vita sua: additque de sicario ab Arianis ad ipsum subægrotantem in lecto occidendum misso, qui Dei prouidentia in ipso cædis procinctu pœnitens veniam ab eo petiit; & quod eam facillime impetrauit, (quippe hoc solum pro noxa ab eo petiit, vt execrans hæresim, Catholicus fieret:) nonnihil erga ipsum Gregorium propensiora reddita sunt Arianorum corda.

Hoc item anno mortuus est Petrus Episcopus Alexandrinus, cum sedisset annos octo: in cuius locum subrogatus est *Timotheus* ipsius frater. Id enim hoc anno accidisse plane apparet, quod Timothei mentio habeatur in Theodosii sanctione *i* data anno sequenti; in eo vero quam præsenti promulgatam diximus, nominetur Petrus. A quo etiã præsenti anno Theophilum eiusdem Ecclesiæ hoc tempore clericum, postea Episcopum, Paschalem Cyclum annorum centum inchoasse, nempe à primo Consulatu Theodosii, testatur S. Leo Papa *k* epistola ad Martianum Imp. scripta.

Eodem quoque tempore contigit, Mediolanensem Ecclesiam perturbari cœptum esse à Iustina Augusta, Valentiniani Senioris coniuge, Iunioris matre, Ariana femina audacissima. Quæ hæresi patrocinatura, cum accepisset Sirmiensem Ecclesiam destitutã esse pastore, illuc properauit, Arianum ei Antistitem præfectura. Verum Ambrosius pariter eo se conferens, (perseuerabat enim antiqua illa diuisio prouinciarum, qua, lege Vatinia *l*, connecta erat prouincia Illyrici Galliæ Cisalpinæ:) post multas dissensiones, Anemmium (siue Auennium) virum Orthodoxum, eiusdem ciuitatis constituit Episcopum, quando & virgo quædam Ariana, quæ in ipsum Ambrosium manus intra ecclesiam iniicere ausa fuerat, pœnam temeritatis suæ luens, alio die mortua ad sepulchrum deducta est, ipso comitante Ambrosio, qui gratiam pro contumelia rependit. Hæc omnia Paulinus in eius Vita.

I. THEODOS. IMP. BAPTIZATVR.

a *Socr. l. 5. c.*
b *August. 5. de ciu. 26.*
c *l. 5. C. Th. de fid. Cath.* EIVSSANCTIO DE FIDE CATHOLICA.

d *l. 25. C. Th. de Epis. & cle.* e *l. 4. C. Th. de quæst.*

II.

f *Socr. li. 5. c. 6.*
g *Marcell. in Chron. Soz. l. 7. c. 5*
h *Greg. Naz. carm. de Vit. sua.* ECCLESIAS CONSTANTINOPOL. RESTITVIT ORTHODOXIS.

III. TIMOTHEVS GRATVR EPISC. ALEXAND.

i l. 3. C. Th. de hæret.

k Leo ep. 64.

IV. IVSTINA AVGVST. FAVET ARIANIS.

l Sueton. in C. Iul. c. 22. RESISTIT EI AMBROSIVS.

Quo pariter tempore Ariani, eiusdem Iustinæ fauore res adeò perturbarunt, vt Gratianus Imp. basilicam vnam, quam peterent sibi tradi, ab Ambrosio abstulerit: quam tamen non illis dedit, sed eidem Ambrosio restituit *a*. Sed & cum iidem vndique pulsi, instarent vt Generale Concilium indiceretur, in quo demonstrare possent se esse Catholicos: id quoque tandem ab eodem Imp. extorserunt. Verum Ambrosius continuo intercedens, atque probrosum esse & indignissimum asserens, propter duos carnosos hæreticos (erant hi Palladius & Secundianus Episcopi) totius Catholici Orbis Episcopos conuocare magno Ecclesiarum detrimento, quæ pastoribus destitutæ lupotum paterent incursui: ex eiusdem Ambrosii sententia factum est, vt Imperator acquiesceret Aquileiæ celebrari Concilium, ad quod finitimi tantum conuenirent Episcopi, ex Africa autem & Gallia satis esset Legatos adesse. Quæ omnia ex eiusdem Synodi Actis certa redduntur: de qua dicetur anno sequenti.

a Amb. de Sp. S. l. 1. c. 1.

IESV CHRISTI AN. 381.

DAMASI AN. 15.

GRATIANI 15. VALENTIN. II. 6. THEODOSII 3.

ANno Christi trecentesimo octogesimo primo, Eucherio & Syagrio Coss. quarto Idus Ianuarii, Theodosius Aug. cum aliis Impp. aduersus hæreticos sanctionem *b* edidit, qua Arianis, Photinianis, Eunomianis, aliisq; eiusmodi hæreticis vetitum est contentus intra oppida agere: atque omnes vbique ecclesiæ fidei Nicænæ assertoribus reddi sunt iussæ. Eodemq; Ianuarii mense Athanaricus Rex Gothorum, cum quo Theodosius fœdus pepigerat, à suis expulsus Constantinopolim veniens, ab eodem Theodosio, obuiam ei extra vrbem facto, amantissime exceptus est; & cum eodem mense morbo periisset, ambitiosis exequiis sepultus: quam Imperatoris benignitatem admirati reliqui Gothi, fidi posthac Romanis extiterunt. Hæc plures testantur Historici *c*. Addit vero Orosius, Persas quoque ad eundem Imp. Legatos misisse de pace petenda, eamq; impetrasse. Sed & Pacatus *d* affirmat, eosdem Persas munera quoq; ad eum detulisse; omnesq; quantumlibet remotissimos barbaros eundem coluisse, vel saltem timuisse. Vt vel hinc videas, quot mala hæreses olim inuexissent in Orientem, tot bona restitutam Catholicam fidem secum attulisse. Quam etiam ideo Theodosius magis excolere perseuerans, his iisdem Coss. priuilegium *e* indulsit ecclesiarum custodibus, ac religiosis obsequiis deseruientibus, vt nullius attentationis molestias sustinerent. *Quis enim* (inquit) *eos capite censos patiatur esse deum ctos, quos necessario intelligit supra memorato officio mancipatos?*

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. mense Maii celebrati cœpta est *Constantinopoli*, quæ perducta est vsque ad finem Iulii, OECVMENICA SYNODVS Episcoporum, Theodosii literis conuocatorum, tam vt Gregorium eius sedis Episcopum stabilirent, tum vt fidem Concilii Nicæni confirmarent. Ad quam conuenerunt *Timotheus* Alexandrinus, (licet hic postea aduenerit) *Meletius* Antiochenus, *Cyrillus* Hierosolymitanus, *Acholius* Thessalonicensis, *Gregorius* Nyssenus aliiq; insignis nominis Orthodoxi, omnes numero centum quinquaginta. Sed & quoniam in spem venerat Imperator, Macedonianos siue Semiarianos posse ad concordiam reduci, eos quoque accersendos curauit: aduenerunt que ex iis triginta sex, quorum potiores fuere *Eleusius* Cyzicenus, & *Marcianus* Lampsacenus. Hæc Socrates *f*, & alii. Porro Concilium istud nominatum esse *Generale*, certum redditur ex epistola *g* Synodali ad Episcopos Occidentales anno sequenti scripta. Illudque auctoritate Damasi Papæ celebratum esse, (præter regulas Ecclesiasticas, & Patrum instituta, quæ Synodos facere, & decreta in Ecclesiis sancire, absque Romanorum Pontificum auctoritate *a* vetant:) diserte testantur codices peruetusti Bibliothecæ Vaticanæ, & S. Mariæ Maioris, qui res gestas Damasi continent; cum aiunt: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii, Damasus confirmari præcepit etiam in sancta Secunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate eius apud Constantinopolim celebrata est.* Idq; ipsum est, quod asserunt Patres Sextæ *b* Synodi: nempe quemadmodum Constantinus Imp. & Siluester Papa Synodum aduersus Arium apud Nicæam congregarunt; ita maximum Imp. Theodosium, & Damasum fidei adamantem, obstitisse Macedonio in Secunda Synodo Constantinopolitana.

a Damas. ep. ad Episc. Illyr. ap. Theod. l. 2. c. 22. Concil. Chalc. Act. 1. Soc. l. 2. c. 13. Soz. l. 3. c. 9.
b Sext. Syn. Act. 18.

Quod autem pertinet ad res in ea gestas; primo quidem Maximus *c* inuasor sedis Constantinopolitanæ, declaratus est nec esse, neq; vnquã fuisse Episcopus: ideoq; ordinationes, atq; alia omnia quæ ab ipso gesta essent, improbata sunt atq; rescissa: ac deinde communi Patrum calculo probata est electio *Gregorii* Nazianzeni, facta ab Imperatore & populo: solo ipso Gregorio mœrente tunc, vt ait *d*, atq; hanc confirmationem lugente. Post hæc ad ea quæ Fidei essent accedentes Patres, approbarunt primo volumen (vt vocant *e*) Occidentalium de fide Antiochenorum circa Trinitatis personas. Quod quidem nihil aliud esse puto, quam professionem illam fidei, à Damaso (vt vidimus) ex Concilio Romano scriptam ad Paulinum Episcopum Antiochenum, continentem anathematismos aduersus omnes hæreses tunc temporis Ecclesiam Orientalem pestilentissimum infestantes. Quod igitur Patres optime scirent, Antiochenos communicationis Paulini recepisse à Damaso fidei professionem: iidem ad tollendam omnem schismatis suspicionem, se eos recipere publica illa attestatione decreuerunt; cum alioqui ferme omnes Meletio studerent.

c Conc. Const. can. 4. GREG NAZ. CONFIRMATVR EPISC. CONSTANTINOP.
d Greg. Naz. carm. de Vit. sua.
e Conc. Const. can. 3. f Ext. tom. 1. Conc. in Damas.

Cognitum pariter fuit in eadem Synodo, atque ab omnibus receptum, Nicænum fidei Symbolum. Sed cum in eo parcius de diuinitate Spiritus Sancti actum esset, eo quod nulla tunc adhuc hæresis ei aduersaria emersisset; placuit de ea addere aliqua, (vt olim de Filio in Nicæno Concilio factum fuerat) quibus aduersus omnes hæreticos, eiusdem Spiritus Sancti vna eademque cum Patre & Filio diuina substantia prædicaretur: nimirum hæc verba, *Et in Spiritum S. Dominum & viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & conglorificandum: qui locutus est per Prophetas.* Porro ipsum libellum fidei, siue dixerimus Symbolum, (quod in Concilio *g* Chalcedonensi integre receptum habetur) summa deliberatione Patrum examinatũ, tradunt *h* scriptum fuisse à Gregorio Nysseno. Post hæc vero communi omnium sententia damnatas hæreses Eunomianorum, siue Anomœorum; Arianorum, siue Eudoxianorum; Semiarianorum, siue Pneumachomachorũ; Sabellianorum, Marcellianorum, Photinianorum, & Apollinarianorum; canon *i* ea de re editus ostendit: nec tantum hæreses, sed earum quoque auctores nominatim fuisse damnatos, omnes æque consentiunt. Sed quod pertinet ad Semiarianos, siue etiam Macedonianos dictos, qui cum aliis damnati fuere, licet ab Imperatore vocati fuissent, eos nullo pacto Catholicorum sententiæ adhærere voluisse, ac proinde Constantinopoli recessisse, auctor est Socrates *k*.

g Conc. Chalced. Act. 1.
h Niceph. l. 11. c. 13. & alii.
i In libel. Synod. Const.
k Socr. l. 5. c. 8.

Quod autem Ægypti Antistites, Petro Alexandrino (vt vidimus) annuente, præsumpsissent in tam remota à sua diœcesi ciuitate Episcopum ordinare, hac Synodo statuerunt Patres *l*, ne vlterius siue ab Alexandrinis Episcopis, siue à quibusuis aliis præsumeretur, res Ecclesiarum quæ extra suas prouincias sitæ essent administrare, iuxta vetus Nicæni *m* Cõcilii decretum de distinctione diœceseon. Vnde & appendix illa eidem canoni addita de prærogatiua sedis Constantinopolitanæ post Episcopum Romanum, corruere videtur. Quonam enim modo ex præscripto Nicæni Concilii voluit Synodus quibuscunque prouinciis iura sua integra esse seruata; si in præiudicium aliarum Ecclesiarum tanta Constantinopolitanæ contulit? Quod si re vera contulisset, vt quid postea in Synodo, immo post absolutam Synodum Chalcedonensem, id tanquam in eadem Chalcedonensi factum vsurpare conatus

l Conc. Const. c. 2. DE SERVANDIS LIMITIBVS DIOECESEON.
m Conc. Nic. c. 6.

Anato-

I. THEODOS. RESCRIBIT ADVERS. HÆRET.
b L. 6. C. Th. de hær.
c Ammi. l. 27. Zosim. l. 4. Oros. l. 7. c. 37. Marce. in Ch. d. Pacat. in Paneg. Theodos.
QVANTA BONA SECVM ATTVLERIT FIDES CATHOL.
c l. 26. C. Th. de Epist. & cl.

II. OECVMENICA SYNODVS CONSTANTINOP.
(Quam non mense Maii, vt habet Socrat.) sed ad finẽ anni celebratã esse, aperte intelligitur ex literis Synodalib. ad Damasum, ap. Theodor. l. 5. c. 9. quib. Patres testãtur eam conuocatam esse post Cõcilium Aquileien. de quo inf. n. 11.
f Socr. l. 5. c. 8. Soz. li. 7. c. 9. Theod. l. 5. c. 8. Ext. ap. Theod. ib. c. 9.
COLLECTA AVCTORITATE DAMASI PAPÆ.

III.
c Conc. Const. can. 4. GREG NAZ. CONFIRMATVR EPISC. CONSTANTINOP.
d Greg. Naz. carm. de Vit. sua.
e Conc. Const. can. 3. f Ext. tom. 1. Conc. in Damas.

IV. DECRETVM DE DIVINITATE SP. S.

g Conc. Chalced. Act. 1. h Niceph. l. 11. c. 13. & alii.

i In libel. Synod. Const.

k Socr. l. 5. c. 8.

V.

l Conc. Const. c. 2. DE SERVANDIS LIMITIBVS DIOECESEON.
m Conc. Nic. c. 6.

DE SEDE CONSTANT.

Anatolius Constantinopolitanus, cum mox Leonem Romanum Pontificem expertus est sibi acerrime aduersantem, haud præsentem citauit canonem, cuius nunquam vel leuem saltem habuit mentionem. Si tamen verus esse credendus sit; (cuius etiam meminerunt Socrates *a*, Sozomenus *b*, & in Concilio *c* Chalcedonensi clerici Constantinopolitani:) ille saltem post hæc primo decreta, postq; Nectarii electionem, sanciri esse dicendus erit ab Episcopis Orientalibus qui remanserunt Constantinopoli: quorum (vt videbitur) tantummodo studium fuit, vt Orientalem Ecclesiam etiam præferrent Occidentali: idq; absente haud dubium Timotheo Alexandrino, quem scirent se habituros acerrimum aduersarium, quod ex antiqua institutione sedes eius secunda esset post Romanam.

a *Socr. l. 5. c. 2.*
b *Soz. l. 7. c. 8.*
c *Cõc. Chalce. Act. 11 & Vid. infr. an. 451. n. 31.*

VI.

Sed vt reliqua huius Synodi prosequamur, statutus *d* quoq; in ea reperitur canon de accusationibus Episcoporũ: aliusque, quo modo ab hæresi redeuntes hæretici recipiendi forent. Omnib. autem absolutis, de iisdem postea Patres ad Theodosium Imp. literas *e* dederunt, quib. etiam petierunt illa ab eo confirmari, atq; sigillo roborari: nempe quo sibi fidem eius stabilem duraturam oppignorarent. Porro eandem Synodum confirmatam fuisse à Damaso Papa, Photius tradit in libello de Septem Synodis, quod sane intelligendum esse in his quæ spectant ad fidem Catholicã, est sententia S. Gregorii *f* Papæ. Eaque ex parte, eiusdem Pontificis auctoritate, hoc Concilium constat obtinuisse nomen Oecumenici. Post hæc autem, consecuta est subscriptio Patrum: ita tamen vt nomina postea superuenientium Episcoporum, nempe Timothei Alexandrini, aliorumque, immo & Nectarii, qui post Gregorii abdicationem creatus est Constantinopolitanus Episcopus, fuerint superaddita. Sed perperam factum, nescimus à quo, vt quoniam Gregorius nuntium remisit sedi, qui ante subscripserat Episcopus Constantinopolitanus, inueniatur inter Episcopos prouinciæ Cappadociæ, & vltimo loco positus. Necest quod dici possit, post eius cessionem Patres subscripsisse: Nam & subscriptus reperitur Meletius Antiochenus, qui ante Gregorii abdicationem mortuus est.

d *Cõc. Const. can. 6. & 7.*
e *Ext. in libel. Const. Synd. tom. 1. Conc.* SYNODI SEPTEM CONFIRMATA A DAMASO PAPA.
f *Gr. 6. ep. 125.*

VII.

Quamuis autem ita hæc Synodus fuerit absoluta: noui tamen euentus coegere Patres diutius Constantinopoli morari. Atque imprimis obitus Meletii Episcopi Antiocheni: quem tunc Gregorius Nyssenus panegyrica oratione laudauit: celebreque ipsius funus cum psalmis & luminaribus ab vniuersa Synodo, ipsoque Imperatore, acto ta ciuitate curatum describit. Quod vero tertio Idus Februarii eius memoria in publicis monumentis legitur adscripta: non id quidem quod ea die ex hac vita migrauit, cum constet æstiuo tempore esse defunctum: sed quod, more maiorum, vel ea die fuerit Episcopus ordinatus, vel Antiochiam transferri contigerit. nam eo celebri pompa, & continua psalmodia, translatum esse, & iuxta loculum S. Babylæ conditum, Sozomen. *g* testatur. In cuius anniuersaria celebritate, postea S. Ioannes Chrysostomus egregiam habuit in laudem eius frequenti populo concionẽ *h*. Cæterum Gregorius Nazianzenus de eodem tradit, ipsum morientem commendasse Episcopis pacem Ecclesiæ: sicq; ex eius sententia, de non subrogando aliquem in locum ipsius, à prudentioribus agi cœptum: quemadmodum fuerat etiam inter eum ac Paulinum transactum, vt qui superuiueret solus Ecclesiam Antiochenam regeret. Sed cum per quosdam factiosos, qui in locum Meletii sufficiendum conabantur Flauianum presbyterum Antiochenum, tumultus essent concitati, iamque ex Patribus longe plures, iidemque iuniores, ac præsertim qui cum Principibus fidem mutare solerent, nouam fieri electionẽ suaderent: & quod ordinatus ab Occidentali Episcopo Lucifero Paulinus esset, eique Occidentales fauerent, ipsi iidem Orientales suam Ecclesiam præstare Occidentali, omnibus aliis destituti, hac vna futili plane contenderent ratione, quod Christus in Oriente natus esset: Iis, inquam, ita tumultuantibus, idem Gregorius Theologus grauissima sententia agere conatus est, vt sineretur Paulinus iam ætate consumptus, paucis diebus quibus vita superstes foret, solus sedere: eo vero defuncto (ne quid suorum iurium Orientales

MELETII ANTIOCHENI OBITVS.

g *Soz. l. 7. c. 10.*
h *Ext. ap. Sur. 12. Febr.* TVRBÆ EXORTÆ OB EIVS SVCCESSIONEM.

diſpendii paterentur) alium tunc subrogarent quem vellent. Verum cum ipse hac sententia contrariæ factionis Episcopos sibi reddidisset infensos, quasi ab Occidentalibus starer; idem qua cœperat animi constantia, contestatus denuo se cessurum throno potius, quam vt illis pessima decernentib. inhæresceret, indignans abscessit ab eorum conuentu, quando confestim illorum qui remanserunt communibus votis, *Flauianus* electus est Meletii successor: sicq; continuata est prior discordia, vt vnius Ecclesiæ Catholico populo duo præssent Episcopi. Narrat vero ista pluribus idem Gregorius in Carmine de Vita sua: memineruntq; alii auctores.

FLAVIANVS ELIGITVR, EIVSQVE SCISMA.

VII. ADVENTVS TIMOTHEI ALEXANDRINI NAVSEAS REFERT.

Cum vero inter hæc accedens Constantinopolim Timotheus Alexandrinus, cum suis Ægyptiis, & aliquot Episcopis Macedonibus, omnia adeo perturbata inuenisset; indignantes primo, ipsis non expectatis sedem Gregorio confirmatam fuisse, eandem eius promotionem vt illegitime factam cœperunt arguere; (non quidem, vt Greg. scribit, in odium ipsius, sed in inuidiam Orientalium Episcoporum;) tum quod ægre ferrent ab eis datum fuisse Meletio successorem, cum ipsi Paulino semper fauissent; tum præcipue quod negarent creationem Episcopi Constantinopolitani pertinuisse ad Episcopum Antiochenum, nempe Meletium. Siquidem Episcopus Alexandrinus, quod primæ sedi post Romanam præesset, id ad se spectare contendebat: ideoq; iam antea Timothei prædecessor Petrus in ordinando Maximo quasi ius debitum vendicarat, & post hæc in ordinatione Ioan. Chrysostomi requisitus fuit consensus Theophili successoris Timothei.

IX. GREGORIVS ABDICAT SE EPISCOPATV CONSTANTINOP.

Quapropter cum sic esset causa Gregorii, vt in eum Episcopi Orientis, ob denegatum Flauiano, suffragium, infenso animo essent; & Ægyptii atque Macedones, in odium Orientalium, de sede illegitime occupata negotium eidem facesserent: ea re perspecta idem Gregorius, quod antea fuerat meditatus, iam perficiendi tempus opportunum accepit, abdicandi se Episcopatu; eo iusto prætextu, vt quia suę causa sedis inter se mutuo concertarent Episcopi, iidem ea sublata iungerentur in vnum. Quod & sæpius contestatus est in Synodo multis ea de re publice habitis orationibus, *De Pace, De non affectata cathedra Constantinopolitana, & De rebus à se gestis ex quo tempore eo venit*; disserens & de statu quo eam Ecclesiam repperit, & quo rebus quas; purganſq; se à calumniis, cum reprehensione aduersariorum. Obtentaq; ægre à Theodosio licentia, post triennii in vrbe Constantinopolitana commorationem, (vt quidem ipse *a* diserte testatur, innuitque Rufinus *b*; licet nonnulli recentiores *c* duodecim annos illic mansisse perperam asseruerint:) paucos post dies quam eius Ecclesiæ thronum acceperat, eundem deserens maximo populi luctu, reuersus est in Cappadociam; illis quoque Episcopis prudentiores qui ei fauerant, è Synodo ad suas sedes recedentibus. Quam vniuersam de eo declaratam historiam, ipsemet plurib. deducit in carmine de Vita sua. Testaturque alibi *d*, tanto se stomacho discessisse à conuentu illo tumultuantium Episcoporum, vt nunquam amplius alicui eiusmodi Synodo interesse decreuerit. Quamobrem cum anno sequenti, iteratis Præfectorum literis, nomine Theodosii Imp. vocatus Constantinopolim esset ad Synodum eorundem illorum Episcoporum, qui hoc anno ibidem conuenerant: plane recusauit *e* accedere, quod quales ii essent plus satis expertus esset. Cum alioqui multum ipsum aliis Patrum conuentib. detulisse, abunde pateat ex variis eiusdem scriptis. Cæterum post Episcopatus abdicationem, ipse in patriam se recipiens, curauit etiam Ecclesiæ Nazianzenæ, adhuc à patris obitu pastore destitutæ, præficiendum *f* Eulalium Episcopum.

a *Id. carm. de Vit. sua.*
b *Ruf. l. 2. c. 9.*
c *Gr. presb. in Vit. Gr. Naz. Nicep. in Chr. & alii hos secuti.*
d *Gr. Naz. de Vit. sua. in fi.*
e *Id. ep. 55. ad Procop. & 76. ad Olymp.*
f *Id. ep. 54. ad Hellad. ep. 42. ad Gr. Nyss.*

X. NECTARIVS EL. CTVS SVCCESSOR GREGORII.

Post eius autem, & aliorum ipsi similium Episcoporum, ab vrbe Constantinopoli discessionem; qui remanserunt ibidem, successorẽ ei longe dissimilem delegerunt, (opera præcipue Diodori Tarsensis Episcopi) hominem nondum Christianum, sed adhuc catechumenum, è curia petitum, quiq; olim rerumque Ecclesiasticarum penitus imperitum, quiq; olim intemperantius *g* vixisset quamuis tunc vir probus à cunctis haberetur; videlicet *Nectarium*, ex Senatorio ordine Tarso Ciliciæ ortum, iam ætate prouectum: qui licet in sæ-

g *Soz. l. 7. c. 10.*

culi obeundis negotiis dexter videri poterat, tamen in Ecclesiasticis functionibus (vt ita dicam cum Gregorio *a*) præseferret cadauer viuum. Quomodo autem is ab Imperatore delectus fuerit ex omnium illorum numero, quos ipsius iussu Episcopi eo onere dignos catalogo inscripserant, idemq; baptizatus ac consecratus fuerit, Sozomen. *b* pluribus narrat: additque, eum retinuisse secum Cyriacum Adanorum in eadem Cilicia Episcopum, vt officium sacerdotale ab eo disceret.

a Greg. carm. de Vit. sua.

b Soz. ibi. c. 8.

XI. Synodi decretvm de probandis Cathol.

Ad hanc quoque Synodum spectat publica Theodosii sanctio *c*, qua quod adhuc complures hæretici sub Catholico nomine retinerent Ecclesias: ad eorum fraudes conuincendas, nonnullos in diuersis prouinciis Orientis nominauit Episcopos: quorum fides Orthodoxa spectata esset: quibus qui communione iungerentur, iidem Catholici haberentur, & Ecclesiis præficerentur; qui secus, exploderentur. Hoc enim iam antea in Synodo constitutum fuisse, tum ex Gregorio *d* Nysseno colligitur, qui cum in eodem Imperatoris rescripto inter alios Episcopos nominatus habeatur, id tamen sibi vendicat ex Synodi canone: tum ex Sozomeno atque Socrate *e*, qui tam canonis, quam Imperatoriæ approbationis & confirmationis meminere: licet apud Socratem hæc confundi videantur cum alio Synodi canone, quem superius retulimus, de non præsumenda ab Episcopis alienarum diœceseon administratione. Dum vero adhuc Synodus ageretur, quæ vsque ad finem mensis Iulii producta est, idem Theodosius decimo quarto Cal. Aug. edicto vetuit *g*, ab Arianis, Eunomianis, vel Aetianis hæreticis fabricari ecclesias intra vel extra vrbes, quippe qui quod expulsi ab ecclesiis Catholicorum essent, nouas erãt aggressi fabricare. Sed & Manichæos, Encratitas, Apotacticos, & Hydroparastatas hæreticos exagitans *h*, eosdem infamia notatos intestabiles reddidit, & ne quid caperent ex testamento prohibuit. Pariterq; apostatis, qui ex Christianis Pagani facti essent, eripuit *i* facultatem iusque testandi.

c l. 4. C. Th. de fid. Cath.

d Gr. Nyss. ep. ad Flavian.

e Soz. l. 7. c. 9. f Socr. l. 5. c. 8.

g l. 8. C. Th. de hæret.

h l. 7. eod.

i l. 1. C. Th. de apostat.

XII. Conc. Aquileiense in ignivm Episcop.

Eodem anno, Nonis Septembris, celebratum est CONCILIVM AQVILEIENSE, quod à Gratiano Imp. extorum vidimus à duobus Arianis Episcopis Palladio & Secundiano: cui interfuerunt ex Italia, Gallia, aliisque prouinciis, Episcopi triginta duo, & inter eos *Valerianus* Aquileiensis, *Ambrosius* Mediolanensis, *Eusebius* Vercellensis, *Anemmius* Sirmiensis, *Philastrius* Brixianus, aliique selectissimi simul & sanctissimi viri: adeo vt vix fit reperiri alia Synodus, in qua tam exiguo Episcoporum numero tot comprehensi habeantur viri sancti, & eruditi, famaque celebres; è quibus duo ab Africana Ecclesia missi fuere Legati, ex Gallicana vero tres, & inter eos *Iustus* Lugdunensis. Cæterum extant *k* eius Synodi Acta omnibus peruia: epistolaque Synodalis ad Imperatores missa, aliaque ad Episcopos Galliarum prouinciæ Narbonensis ac Viennensis: ex quibus patet, *Palladium ac Secundianum* varie tergiuersantes, & Concilium Generale, necnon Iudices sæculares nequicquam implorantes, post multiplices eorundem impietatum confutationes, plurimis anathematismis damnatos fuisse, vna cum *Attalo* presbytero, ex Catholico facto Ariano, ac *Valente* pseudoepiscopo Petauionensi, qui à populo electus patriam Gothis proditione tradiderat, & habitu Gothico cum torque & brachialibus incedere consueuerat. Fuit autem Synodi vna tantum Actio; quod à prudentibus bellatoribus dolosi impietas è latebris in lucem coacta progredi, cito citius omnium iaculis confecta fuerit: adeo vt (quod eadem Acta habent) vna die, à prima hora vsque ad septimam, totum prælium confectum fuerit.

k Tom. 1. Con.

DAMNATI EPISCOPI ARIANI.

XIII.

Soz. 7. c. 11. AMASVS P. AGIT DE COGENDO ROMÆ CONCIL. GENER.

Post hæc cum de rebus gestis in Synodo Constantinopolitana Damasus Papa nuntium accepisset, & inter alia de Flauiani electione facta in Paulini Antiocheni contumeliam; tradit Sozomenus *l*, eum valde indignatum esse, & cum eo cunctos Episcopos Occidentales: ac Paulino quidem consuetas scripsisse Synodales, seu communicatorias literas, ad Flauianum vero silentium egisse: quin & Diodorum Tarsi, & Acacium Beroææ Episcopos, qui Flauianum ordinarant, pro excommunicatis habuisse: atque adeo vt de his rebus cognosceretur, egisse cum Gratiano Imperatore, vt cogeretur in Occidente Concilium Generale, & tam ipsos, quam Imperatorem, literas scripsisse, vt & Orientales Episcopi ad illud conuenirent. Sed & eosdem imploraſſe ad hoc Theodosii auxilium, eumq; ea de re literas ad Orientis Episcopos dedisse, vt Romam proficiscerentur ad Synodum, testatur epistola *a* eorum qui sequenti anno Constantinopoli conuenere. Meminit & Hieronymus *b* eiusmodi Imperialium literarum; ex quibus ait Paulinum, & Epiphanium, vna cum aliis Romam se contulisse. Sed de his anno sequenti.

l Socr. l. 5. c. 8.

a Ap. Theod. l. 5. c. 9.

b Hier. ep. 27. ad Eustoch.

XIV. Priscillianvs hæresi archa Hispanias corrvmpit

Hoc eodem tempore Ecclesia Hispanica valde exagitata est turbis PRISCILLIANI hæresiarchæ: qui nobilis ac prædiues Hispanus, facundus & eruditus, multisque animi & corporis dotibus ornatus; sed homo vanissimus, & magicis artibus ab adolescentia deditus, (ita enim illum describit Seuerus *c*) Gnosticorum turpi ac infami imbutus hæresi, (quam Marcus quidam Ægyptius Memphiticus primo in Gallias circa Rhodanum, deinde *d* inuexerat in Hispanias) plures homines ac feminas nobiles, necnon & Episcopos quosdam Hispanos, interq; illos Instantium & Saluianum, variis persuasionibus & blanditiis, sub specie pietatis & disciplinæ, in societatem allicuit: quippe qui humilitatem ore & habitu prætendens, honorem sui & reuerentiam cunctis iniecisset. Quapropter cum nonnulli alii Episcopi Catholici illis acriter aduersati fuissent, demum Synodo apud CÆSARAVGVSTAM quarto Nonas Octobris conuocata, (cui etiam interfuere Aquitani Episcopi) iidem hæretici, committere se Synodi iudicio non ausi, absentes damnati sunt, nempe Instantius & Saluianus Episcopi, Helpidius & Priscillianus laici, cum omnibus ipsorum sequacibus: qui nihilominus ad confirmandas vires suas, eundem Priscillianum Abilensis in Hispania oppidi constituerunt Episcopum. E contra vero aduersus illos Idacius atq; Ithacius Episcopi Catholici acrius instantes, opemq; etiam sæcularium Iudicum parum *e* sanis consiliis (inquit Seuerus) implorantes, demum à Gratiano Imperatore rescriptum elicuere, cuius vigore iidem hæretici extra Hispanias sunt propulsi. Sed Instantius, Saluianus, & Priscillianus, cum mulieribus quibusdam, (in quibus erat *Procula*, quæ vulgo credita est Priscilliani stupro grauida partum sibi graminibus abegisse) Romam profecti, vt apud Damasum Papam obiecta purgarent; cum ne in conspectum quidem eius admissi fuissent: ac Mediolanum regressi, æque aduersantem sibi Ambrosium reperissent: iidem corruptis donis Macedonio Magistro Officiorum, rescriptum ab Imperatore subripuerunt, cuius auctoritate in Hispanias reuersi Ecclesias suas receperunt: insuperque Ithacium acerrimum ipsorum aduersarium, quasi perturbatorem Ecclesiarum, eiusdem Macedonii opera varie exagitatum, au fugere coegerunt in Gallias, ac diuersis rursum modis persecuti sunt.

c Sever. l. 2. Vindicta divina in Grat. et Maced. ob patrocinivm Priscill. De qua Baron. hoc an. & sq. 20.

At hæc omnia fusius Seuerus *f*; quæ contigisse noscuntur vsque ad Maximum tyrannum, qui anno post sequentem pro Catholicis aduersus hæreticos susciplens patrocinium, ipsi etiam Gratiano, alioqui piissimo Principi, sed tamen eius quod sancto aduersus Priscillianistas primo dederat decreti (quamuis fraude Macedonii) præuaricatori, facto, diuino iudicio necem intulit. Hoc enim licet posteà, tamen ex præsenti causa contigisse nemo non videt. Vt ea, vel hinc appareat, minime apud Deum Principes excusari, cum ministrorum fallaciis ad noxia statuendi aliquando inducuntur. Sed nec inultus abiit Macedonius Magister: qui mortuo Gratiano confugiens ad Ecclesiam, patentibus ianuis aditum repetire non potuit: secundum quod ei prædixerat Sanctus Ambrosius, (vt refert in eius Vita Paulinus) cum ad prætorium pro quodam intercessurus pergens, haud permissus ab eo esset fores ingredi. Cæterum Concilii Cæsarauguſtani aduersus Priscillianistas habiti, cuius nuper facta est mentio, extant *g* fragmenta quædam, in nominibus Episcoporum enormiter deprauata ac decurtata; atque errore Collectoris ad tempora Hormisdæ Papæ reiecta, cum ex certa auctoritate Seueri, sub Damaso collocanda fuerint. Suntque in eo sanciti octo canones, ad corruptelas eius hæresis tollendas.

d Sever. ibid. Hie. in Isa. 40

XV.

f Sever. l. 2. Vindicta divina in Grat. et Maced. ob patrocinivm Priscill. De qua Baron. hoc an. & sq. 20.

g Tom. 1. Cc.

Sed

XVI. PRISCIL. DOGMATA.

Sed quænam eæ fuerint vt indagemus, imprimis Augustinus, *a* ait Priscillianistas maxime Gnosticorum & Manichæorum dogmata permixta sectatos esse: & S. Leo *b* ita eos cum Manichæis fuisse mutuo fœdere connexos, vt solis essent nominibus discreti: quamuis (vt addit Augustinus) & ex aliis hæresibus in eas sordes, tamquam in sentinam quamdam, horribili confusione confluxerint. Subdit insuper, eos, propter occultandas contaminationes & turpitudines suas, habuisse in suis dogmatibus & hæc verba, *Iura, periura, secretum prodere noli.* Itemque alio loco *c* scribit, fuisse Priscilliani assertionem, mendacium non esse peccatum, etiam iuncto periurio: eoque tanto errore permotum se, vt eum confutaret, composuisse librum contra Mendacium. In quo item de Priscillianistis ait, solitos esse habere librum, quem Libram appellarent, eo quod duodecim quæstionibus velut vnciis explicaretur, quibus horrendæ continebantur blasphemiæ. Ac pariter vsos esse hymno quodam peculiari, quem ipsum esse dicerent, quem Dominus post cœnam cecinisset. Insuper *d* docuisse, animas eiusdem naturæ atque substantiæ, cuius est Deus, ad agonem quemdam spontaneum in terris exercendum, per septem cælos, & per quosdam gradatim descendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo istum mundum factum dicerent, atque ab hoc principe per diuersa carnis corpora seminari. Astruisse etiam fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa cæli esse compositum, adeoque singulis corporis partibus singula signa attribuisse: multaque alia fabulosa, vana, & sacrilega contexuisse. Carnes etiam tamquam immundas escas deuitasse: coniugium vituperasse, ac coniuges, quibus hoc malum potuissent persuadere, disiunxisse, & viros à nolentibus feminis, & feminas à nolentibus viris: quippe opificium omnis carnis non Deo bono & vero, sed malignis Angelis tribuentes: hoc versutiores etiam Manichæis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiarent, simul cum apocryphis omnia in auctoritatem sumẽtes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quicquid eorum euerteret errorem. De Christo autem Sabellianissimum tenuisse, eumdem ipsum esse dicentes non solum Filium, sed etiam Patrem & Spiritum Sanctum. Hæc Augustinus. Ad quem etiam extat *e* de eorumdem Priscillianistarum dogmatibus plane tidendis, epistola Orosii, vbi agitur de duodecim Patriarcharum nominibus, duodecim præcipuis corporis membris attributis, & aliis deliramentis ex Manichæorum petitis insomniis. Cuius ipsius Orosii impulsu, idem S. Augustinus aduersus eos volumen scripsit peculiare. Sicut & S. Hieronymus *f* contra Pelagianos agens, multas eorumdem detexit turpitudines: additque de duabus feminis, *Agape & Galla*, sic dictis, quæ illam hæresim valde propagarunt.

a *Aug. de har. c. 70.*
b *Leo ep. 93. ad Turib.*
c *Aug. 2 Retract. 11.*
d *Id. d. c. 70.*
e *Ap. Aug. in conf. de error. Prisc.*
f *Hier. adu. Pelag. de Creff.*

XVII.

Eosdem vero hæreticos ieiunare quoque consueuisse die Dominico, & ad suas abominationes peragendas clandestinos conuentus egisse, cumque ad ecclesias Catholicorum conuenirent, vt viderentur communicare, sic accepisse Eucharistiam vt eam non comederent, certum redditur ex prædictæ Synodi Cæsaraugustanæ aduersus istos errores decretis. Quos insuper tempore Natalis Domini ieiunare consueuisse, (ea nimirum ex causa, quod non credederent eum carnem suscepisse humanam) S. Leo *g* tradit, dum capita singula dogmatum Priscilliani complexus est: de quibus & alia occasione dicendum inferius. Haud vero hic omittendum, Ithacium Priscilliani aduersarium, non apud Iudices tantum siue Ecclesiasticos siue sæculares, eumdem cum sociis persecutum esse, sed scriptis quoque publicis exagitasse, in quibus (vt auctor est Isidorus *h*) detestanda eorum dogmata, ac maleficiorum artes, libidinumque probra demonstrauit.

g *Leo ep. 95.*
h *Isid. de vir. illust. c. 2.*

* * *

IESV CHRISTI AN. 382.

DAMASI AN. 16.

GRATIANI 16. VALENTIN. II. 7. THEODOSII 4.

I. CONC. ROM. OB TVRBAS ANTIOCH.

ANno Christi trecentesimo octogesimo secundo, Syagrio secundum & Antonio Coss. celebratum est *Romæ* CONCILIVM ex Episcopis diuersarum prouinciarum: ad quod (vt anno præcedenti ex Hieronymo dictum est) venerunt ab Oriente *Paulinus* Antiochenus, & *Epiphanius* Salaminæ, siue Constantiæ, in Cypro Episcopus. Cum iisdem autem & eumdem *Hieronymum* Romam accessisse, ipsemet alibi testatur: *a* qui venisse creditur vocatus à Damaso Papa, vt ei in Responsionibus Synodalibus inseruiret. Venerunt pariter ad eamdem Synodum *Acholius* Episcopus Thessalonicensis, *Anemmius* Sirmiensis, *Valerianus* Aquileiensis, *Ambrosius* Mediolanensis, & alii qui nominati habentur in inscriptione epistolæ Synodalis *b* Constantinopoli hoc anno Romam missæ, licet paucissimorum ibi nomina habeantur expressa, reliquis silentio prætermissis.

a *Hier. ep. 61. ad Princ.*

b *Ext. ap. Theod. li. 5. c. 9.*

II. ORIENTALES LEGATIONEM ROMAM MITTVNT.

Inter hæc enim Orientales Episcopi, qui anno superiori interfuerant Constantinopolitano Concilio, cum literis Theodosii (vt diximus) Romam ad Synodum ire iuberentur, astuto consilio subterfugium captantes, venerunt ex condicto Constantinopolim, atque Imperatori persuaserunt magnam iacturam passuras Orientales Ecclesias ob eorum absentiam, Damaso vero satis factum fore, si Constantinopoli ipsi Concilium celebrantes, Romam Legatos mitterent. Quibus acquiescente Imperatore, ipsi ad id delegarunt Cyriacum, Eusebium, & Priscianum Episcopos, cum literis ad Synodum, quæ recitantur à Theodoreto: *c* quibus primo iisdem quas diximus, aliisque vsi excusationibus cur minime Romam accedere possent, postea quæ gessissent anno superiori in Generali Synodo significarunt: nulla tamen habita mentione de Gregorio Nazianzeno, neque etiam de primatu Sedis Constantinopolitanæ post Romanam: quam rem (si vere gesta est) latere voluerunt Damasum Papam, quod scirent se habituros ipsum acerrimum aduersarium. Quid autem Romæ his acceptis literis factum sit, haud constat: deperiere enim Acta Romani Concilii, nam quæ Theodoretus de damnatione Apollinaris atque Timothei subdit, ad anteriorem Romanam Synodum aduersus hæresim Apollinaris congregatam (de qua dictum est suo loco) pertinent.

c *Theod. ibid.*

III. SYNODI ROM. DECRETVM DE EPISCOPIS ANTIOCH.

Quid tamen in ipsa huius anni Romana Synodo fuerit actum, ex rerum euentibus indicatur. Nam cum Paulinus Antiochenus, qui eidem interfuit, reperiatur anno sequenti reuersus esse Antiochiam, atque etiam ipsi postea defuncto subrogatus Euagrius, plane ipsi ex Synodi decreto adiudicatam fuisse sedem Antiochenam aduersus Flauianum, affirmandum est, cum & Paulini partes, successores Damasi Romanos Pontifices defendendas suscepisse constet. Illud tamen æque prudenter factum reperimus, quod etiam Flauianus toleratus fuerit: ne videlicet totus ferme Orientis, à quo foueretur, à Catholica communione pariter scindendus esset.

IV. CANON DE PRÆROGATIVA SEDIVM.

Quod rursus ad hoc ipsum Romanum Concilium spectat, in Collectione Cresconiana, nobili antiquitate venerandâ, canon habetur in ea sancitus de Prærogatiua Sedium Patriarchalium, his verbis: *Quamuis per Orbem Catholica diffusa Ecclesia quasi vnus thalamus Christi sit: Sancta tamen Romana Ecclesia nonnullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est. Sed & Euangelica voce Domini Saluatoris nostri Primatum obtinuit: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Addita est etiam societas beatissimi Pauli Apostoli, Vasis electionis qui non diuerso (sicut hæretici garriunt) sed vno tempore, vno eodemque die, gloriosa morte cum Petro in Vrbe Roma sub Cæsare Nerone agonizans, coronatus est: & pariter*

supradictam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, atque omnibus in vniuerso mundo sua præsentia atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Petri Apostoli Sedes Romana Ecclesia, non habens maculam neque rugam, neque aliquid huiusmodi. Secunda autem Sedes apud Alexandriam B. Petri nomine à Marco eius discipulo, atque Euangelista, consecrata est: ipseque in Ægyptum directus à Petro Apostolo, verbum veritatis prædicauit, & gloriosum consummauit martyrium. Tertia autem Sedes est apud Antiochiam beatissimi Apostoli Petri, quæ habetur honorabilis, eo quod illam primitus quam Romam venisset, habitauerit, & illic primum nomen Christianorum nouellæ gentis exorditum est. Hæc in canone. Cuius quidem sanciendi occasionem inde credimus emanasse, quod Damasus aliquid subodoratus de Orientalium, quam diximus, audaci præsumptione in erigenda Ecclesia Constantinopolitana supra Alexandrinam, ex vniuersi sententia Concilii, ista de legitima & antiqua Sedium prærogatiua palam scriptis edere voluerit. Qua etiam occasione, eadem illa Gelasius *a* Papa iterum scriptis prodidit in Romano Concilio, & aduersus Acacium Constantinopolitanum Episcopum eadem pertentantem sæpius inculcauit.

a cap. Sacrosancta dist. 15. ex Rom. Conc.

V. ALIA DECRETA ROM. CONCILII.

In Actis item Damasi Papæ in ecclesiis recitari solitis habentur aliqua ab eodem Pontifice decreta in Romano Concilio, hoc ne, an priori, haud certum est: nimirum vt Fideles qui Decimas atque Primitias dare detrectarent, necnon qui fœnori vacarent, anathemate ferirentur. Itemque vt ab ecclesia eiicerentur, qui in ea vanis sermonibus operam darent: atque etiam vt auguriis, sortilegiis, omnibusque aliis superstitionibus vacantes excommunicarentur, ac præsertim feminæ illæ, quæ illusæ à dæmone, se putant nocctu super animalia ferri, & vna cum Herodiade circumuagari. Prohibitum etiam ex præscripto (vt ibi ponitur) Nicæni canonis, ne ante horam tertiam diebus festis Missæ canerentur, aliis vero diebus à media hora quarta vsque ad nonam facere liceret. Ac denique vt in fine cuiusque psalmi apponeretur *Gloria Patri &c.* Quod quidem vltimum nequaquam fluxisse ab Oriente, vt multi putarunt, iam satis alibi *b* probatum est. Sed quod spectat ad canonem de *Feminis* eo modo à dæmone illusis, eadem ferme à S. Augustino descripta habentur, nec non in Appendice Ancyrani Concilii, & apud Gratianum *d* sub eodem titulo collocata. Constat quidem auctoritate Seueri, *e* hoc tempore tam in Oriente, quam Occidente, maleficorum hominum artes plurimum inualuisse. Adeo vt etiam in Gerontium S. Ambrosii diaconum præstigias magicarum incantationum irrepsisse, Sozomenus *f* tradat. Plenique sunt Ammiani libri vltimi de quæstionibus Antiochiæ & Romæ aduersus maleficos his temporibus agitatis.

b An. 325. *num* XLVI. *c Aug. de spir & anim. c.* 28 *d* 26. *q.* 5. *c.* 12. *e Seuer. Vit. S. Mart. c.* 15. MAGIÆ VSVS FREQVENS. *f Soz. li.* 8. *c.* 6.

VI. DE REBVS GESTIS HIERONYMI ROMÆ.

Sed his expositis, quoniam dictum est S. Hieronymum hoc anno Romam accessisse, peruestigandæ modo sunt res eius gestæ toto triennio, quo illic morari contigit. Ac primum quod ad publicas pertinet functiones, Damasum Papam eius opera vsum esse in conscribendis epistolis ad consultationes ex diuersis Ecclesiarum tam Orientis quam Occidentis Concilijs ad Sedem Apostolicam perlatas, ipse met testatur Hieronymus. *g* Indeque tantæ apud omnes fuisse æstimationis, vt omnium pene iudicio dignus etiam summo sacerdotio decerneretur, alibi *h* tradit. Inter multiplicia vero, quæ Romæ edidit scripta, oblatrantem compescuit canem HELVIDIVM, imperitum illum quidem, sed blasphemiis pollentem, hostemque Virginitatis acerrimũ, quippe qui asserens eiusdem esse gloriæ virgines ac maritatas, eo quoque sceleris prolapsus est, vt sanctissimæ Deiparæ negarit virginitatem post partum. Sed & post eum editum commentarium, idem Hieronymus aliam tractationem *De custodia virginitatis* ad Eustochium scripsit, sicut ipse alio loco *i* testatur, simulque addit, ipsum quoque Damasum Papam eodem argumento, carmine & prosa scripsisse libellos, ac S. Ambrosium alios. Quod vero illud ipsum Basilius ac Gregorius Nazianzenus paulo ante, sed & paulo post Chrysostomus præstitisse reperiantur: ex his plane intelligas, instinctu diuino sanctissimos atque doctissimos Patres, tam in Oriente quam Occidente in eadem versatos esse materia, cum diabolus sua monstra in medium esset producturus.

g Hier. ep. 11.

h Id. ep. 99. *Ad Sel.* COMPESCIT HELVETIVM HÆRESIARCHAM.

Id. ep. 22.

At non Heluidius tantum repertus est eiusmodi esse blasphemiarum assertor, licet primus Romæ ausus sit eas inclamare, sed Epicureus IOVINIANVS pseudomonachus eidem extitit in impietate collega: quem & ipsum postea egregie confutauit idem S. Hieronymus, cuius Romam hac tempestate contigit opportunus aduentus, cum iam impurus ille Iouinianus aliquas etiam sanctimoniales (vt Augustinus *a* ait) deiecisset in nuptias, Saram, Susannam, Annam, aliasque commendatissimas commemorãdo feminas, quæ in Scriptura nuptæ reperiuntur, quibus se illæ meliores vel etiam pares cogitare non possent: eodemque modo etiam virorum sanctorum cælibatum, commemoratione Patrum coniugatorum & prædicatione fregisset. Cæterum ab Auxentio Seniore Mediolanensi Attino Episcopo, Heluidium Iouiniani præcursorem originem duxisse, Gennadius *b* tradit. Iouinianum autem vna cum collegis impietatis, sub Catholico nomine, & habitu monastico, aliquamdiu delituisse in monasterio Mediolanensi, Ambrosius demonstrat *c* epistola ad Vercellenses. Egressus vero quod ferre delicatulus non posset monasticam disciplinam, quã solute & impure vixerit, licet monachi semper falso nomine gloriaretur, Hieronymus *d* egregie describit: de eius dogmatibus addens, sentisse, Virgines, viduas, & maritatas eiusdem esse meriti: Renatos plena fide in baptismo, à diabolo non posse subuerti: Nullum esse abstinentiæ ciborum meritum: Omnium qui baptisma seruauerint, esse vnam in regno cælorum remunerationem. Præterquæ addit Ambrosius, eo illum blasphemiæ adactum esse, vt insitar Heluidii diceret, Deiparam MARIAM definisse virginem esse cum Christum peperit: Itemque negasse cum Manichæis, Filium Dei veram carnem suscepisse. Eadem quoque de hæresi Iouiniani Augustinus, *e* quam & ait cito extinctam esse, neque sacerdotem aliquem decipere valuisse. De cuius damnatione facta sub Siricio Romano Pontifice, dicetur suo loco.

a Aug. 2. *Retract.* 22.

b Gennad. de vir. illust. in Heluid. c. 52. *Amb. ep.* 82.

c Aug. de hær. c. 82.

Romæ pariter elaboratus ab eodem Hieronymo creditur liber aduersus *Luciferianos*: cum quibus schismaticos *Vrsicinianos* (qui adhuc, licet sæpius repressi, vigebant) conspiraisse, libellus Marcellini presbyteri docet. Reliqua vero eiusdem S. Patris in Vrbe scripta, pauca numerare contingeret, si conferas cum quotidianis illius colloquiis: cum, vt ipse *f* ait, totius in eum Vrbis studiis consonantibus, à diuersis de diuersis interrogaretur quæstionibus, ac præcipue à compluribus illustribus Romanis matronis, & virginibus, discendi cupidissimis, quarum habitaculum aut ipse adire, aut illæ ipsius solebant summa pietate & modestia, vt Scripturas eis dissereret: ad quas etiam extant plurimæ eiusdem de variis quæstionibus, aliisque pijs rebus epistolæ. Quæ vero inter illas præcipue eniteret, imprimis *Marcella* fuit vidua, quæ vt idem ait *g* ad Principiam eius filiam, quicquid ipse longo studio congregasset, & meditatione diurna quasi in naturam vertisset, hoc illa libauit, didicit, atque possedit: ita vt post ipsius Hieronymi ab Vrbe profectionem, si in aliquo testimonio Scripturarum esset obfectionem, si in aliquo testimonio Scripturarum esset obfectionem, si in aliquo testimonio Scripturarum esset obf

luit. Fuitque adeo exculta Græcis ac Latinis literis, vt si Græce loquentem audisses, Latine eam nescire putares, si in Romanum sonum lingua se verteret, nihil omnino peregrini sermo redoleret: eademque paucis non dicam mensibus, sed diebus, Hebraæ vicit linguæ difficultates. Sed *Eustochium* Blesillæ soror, virginitatem Deo consecrans, nobilitatis portas (inquit idem Hieronymus *a*) & arrogantiam generis Consularis virginali proposito fregit, & in Vrbe prima primum genus subiugauit pudicitiæ. Cuius cum aliquando Prætextata, *b* iubente viro Hymetio, qui patruus erat Eustochii, habitum cultumque mutasset, & neglectum crinem mundano more texuisset, eadem nocte ab Angelo terribiliter in somnis ea de re correpta, prædictionem accepit fore vt manus eius, quæ caput virginis Dei sacrilege attrectare præsumpsissent, arescerent, & finito mése quinto ipsa duceretur ad inferna: sin autem perseueraret in scelere, & marito simul orbatam iri & filiis, quæ omnia per ordinem expleta sunt, & seram miseræ pœnitentiam velox signauit interitus. Fuere quoque inter studiosas Hieronymi feminas, *Paulina* *c* & *Ruffina*, prædictarum Blesillæ & Eustochii sorores, necnon & *Felicitas*, *d* *Asella*, & *Lea*, clarissimæ genere & sanctitate: de quibus extant egregia eiusdem sancti Patris elogia. Sed iis modo, aliisque eiusmodi dimissis, res gestas huius anni enarrare pergamus.

a Ep. 26.

b Ep. 6. ad Læt

c Ep. 27. 31. 52.
d Ep. 15. 24. 99

IX. Io. Chryso. scripta huius tempo-ris.

e Chrys. orat. aduer. Gent. *f* Id. orat. 2. const. Iuda. *g* Id. adu. Anom. ho. 2. *h* Id. præf. hom. de Anath.

TRACTATIO DE ANATHEMATE QVALIS.

Hoc igitur eodem anno, qui numeratur vigesimus à cõflagratione tẽpli Apollinis Daphnitici apud Antiochiam, S. IOANNES CHRYSOSTOMVS (vt ipse testatur *e*) aduersus Gentiles disertissimum commentarium elaborauit: eodemque anno *f* quinque illas nobilissimas orationes aduersus Iudæos elucubrauit: necnon aduersus Anomæos *g* hæreticos quinque homilias de incomprehensibili Dei natura: moxque post *h* habuit sermonem illum ad populum Antiochenum partis Flauiani, (quo absente, ipse docendi munere eius vicem agebat) cui est titulus, *De Anathemate*, ab alio vero perperam addita inscriptio illa, *Quod neque viui neque mortui anathemate plectendi sint*. Haud enim ipse absolute excommunicationem negat, sed tantum in eosdem Flauiani sectatores invehitur, quòd in Paulini communionis homines alioqui Orthodoxos, anathema conclamarent, perinde ac si essent hæretici, atque eadem ratione qua Apollinaristæ censendi. Hæc autem omnia Chrysostomus scripsit ac peroravit, cum adhuc diaconus esset. Siquidem secundum Marcellini, atque Palladii calculum, dicentium ipsum quinquennio ministrasse diaconum, duodecim vero annos egisse presbyterum vsque ad tempus quo Episcopus creatus est: plane asserendum est, eum anno superiori (nempe ætatis vigesimo septimo, quippe quem eo tempore quo Apollinis templum conflagrauit, annorum octo fuisse vidimus) sacro diaconatus ordine initiatum, & vt omnes affirmant, à Meletio antequam iret ad Constantinopolitanum Concilium. Ex quibus & Socratem & alios confutes, qui scripta Chrysostomi nuper recensita ab eo tradunt elucubrata, cum esset Antiochenæ Ecclesiæ Lector.

X.

ÆTAS, ET VITÆ INSTITVTIO.

Sed vt eiusdem annorum, ac rerum gestarum ratio ineatur, ea, auctore Palladio æquali eius, Isidoro Pelusiota eius discipulo, aliisque, sic se habuit: Rhetoricis scholis egressus, magna cum laude & felicitate in agendis causarum cõtrouersiis in foro versatus est, adeo vt Libanio ipsi, eloquentiæ nomine tunc temporis apud omnes celebertimo, admirationi fuerit. Anno vero ætatis vigesimo secundo, cum iam ad Episcopatum adscitum vidisset Basilium amicum carissimum, quo cum à puero assueuerat, ipse ne teneretur, in solitudinem Syriæ aufugit, atque inde in sui excusationem, commentarium illum tam celebrem *De Sacerdotio* in publicum emisit, aliosque insuper æque pios ac egregios de variis rebus multiplices tractatus edidit. Quamdiu autem in eremo egerit, diuersæ reperiuntur sententiæ, cum alii sexennium, alii quadriennium tribuant. Errant tamen, qui post presbyteratum eo profectum tradunt, cum ipsius ibidem assertione pateat, è foro foras esse progressum in solitudinem.

PETIT EREMVM.

XI. *i* Soz. li. 6. c. 3. & alii eum sequuti.

Sed & grauiore illi detinentur errore, qui *Basilium* quemmodo nominauimus, existimant *i* fuisse Basilium Magnum Cæsareæ Cappadociæ Episcopum. Nam ipsius Chrysostomi attestatione constat, Basilium istum Iuniorem eo tempore cum creatus est Episcopus, non excessisse ætatem annorum viginti duorũ, (æquales enim erant) eumdemq; Antiochiæ natum, facultatibus pauperem, electum esse ab Episcopis Syriæ, quæ omnia quam longe discrepent à Basilio Magno, iam tum cum iste iunior creatus est, sene ac morti proximo, patria vero Cæsariense Cappadoce, ac prædiuite, nemo non videt. Quisnam vero fuerit ille Chrysostomi perturbatius, haud certo constat. Scimus tamen, eodem tempore in iisdem partibus duos vixisse Basilios, qui interfuerunt Synodo Constantinopolitanæ, nempe Basilium Raphanensem in Syria, & alium Episcopum Bibli in Phœnicia. Opinantur alii, *a* fuisse Basilium Seleuciæ Isauriæ Episcopum: verum constat, *b* hunc vitam egisse monasticam sub S. Marciano Abbate, Episcopum vero postea claruisse tempore Concilii Chalcedonensis, cui & subscriptus habetur, post annos ferme septuaginta: cum Seleuciæ Isauriæ, tempore Chrysostomi, Episcopus esset Maximus, qui *c* sub Carterio, & Diodoro Tarsensi, collega fuit ipsius Chrysostomi in exercitatione vitæ monasticæ, vna cum Theodoro illo infelici plane Mopsuestiæ facto in Cilicia Episcopo, quem primo lapsum scriptis Chrysostomi fuisse reuocatum, sed iterum lapsum esse atque deteriorem redditum, Hesychius *d* Hierosolymitanus tradit.

DE BASILIO, AD QVEM CHRYSOS. SCRIPSIT DE SACERDOTIO.

a [Confirmat idipsum Dausqueius in Not. ad Basilii Seleucien. Orat. vbi & rationibus, quæ Baronium ab eiusmodi assertione absterruerũt, satisfacit.]

b *Theod. de SS. Petr. c. 3.*

c *Soc. li. 6. c. 3. Theod. li. 5. c. vlt. Soz. li. 8. c. 2.*

d *In Act. Syn. V. Act. 5.*

Porro Chrysostomum rediisse in patriam, ob graues contractas ex duro viuendi genere (quod ipse alibi *e* describit) ægritudines, moxque ibi, absente Meletio ordinatum esse Lectorem à Zenone Episcopo, auctor est Socrates, non quidem (vt putauit) Episcopo Hierosolymitano; (nullus enim eius nominis his temporibus ei Ecclesiæ præfuit,) sed Zenone Tyri Episcopo, qui interfuit Concilio Constantinopolitano, vel (quod tradit Nicephorus *f*) Maiumæ Episcopo. Postea vero, vt dictum est, ab ipso Meletio ordinatus est diaconus. At de illo modo hactenus, cætera suis locis.

XII. *e* Chrys. de compunct. cor. lib. 2.

f Nic. li. 13. c. 2.

Hoc eodem anno Imperatores concesserunt *g* Gentilibus, vt suas adirent basilicas negotiorum agendorum causa, ita tamen vt omnino à sacrificiis abstinerent: cum anno superiori alia lege lata, *h* tam conuentus, quam sacrificia eisdem prohibuissent, quæ sub Valentiniani ac Valentis Imperio inualuerant. Iidemque hoc ipso anno aduersus Manichæos, clandestinos conuentus agentes, *i* sanctionem ediderunt: aliamque *k* anno sequenti addiderunt aduersus apostatas, qui ad eorumdem Manichæorum, vel etiam Gentilium aut Iudæorum impietates deficerent. Hoc vero item anno, contra validos mendicantes edictum *l* promulgarunt.

XIII. *g* *l.* 8. C. Th. de Pagan.

h *l.* 7. eod.

i *l.* 9. C. Th. de hæret.

k *l.* 3. C. Th. de Apost.

l *l.* 9. C. Th. de valid. mend.

IESV CHRISTI AN. 383.

DAMASI AN. 17.

GRATIANI 17.
VALENTIN. II. 8.
THEODOSII 5.

ANno Christi trecentesimo octogesimo tertio, Merobaude iterum & Saturnino Cos. MAXIMVS Dux exercitus in Britannia, tyrannidem arripiens, acclamatus est à militibus Imperator, & transmittens exercitum in Gallias, ab infensis Gratiano Augusto legionibus exceptus, Imperium sibi corroborauit. Hæc Victor, *m* & Zosimus. *n* Tretiis autem collocasse thronum Imperii, Gildas *o* Sapiens tradit. Habetq; Pacatus, *p* eum vt obsequentes sibi milites redderet, se Theodosio Imperatori affinitate coniunctum asseruisse, quasi hæc ipse eo conscio aggressus esset. At vero affirmant alii, Maximum Britannũ genere, ex Helenæ Constantini matris propagine originem mentientem, Britanniæ Regulorum ope sultum, seelus istud perpetrasse. Cernte quidem Britannum fuisse, Socrates *q* quoque tradit: de stemmate vero Constantini sibi aliquid arrogasse, cognomen

I. MAXIMI TYRANNIS.

m *Vict. in Gratian.*

n *Zos. lib. 4.*

o *Gild. de excid. Brit.*

p *Pacat. in Paneg. Theod.*

q *Soc. li. 5. c. 11.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

gnomen *Flauium* indicium est, dicebatur enim *Flauius Clemens Maximus*: licet Zosimus eum genere Hispanum fuisse velit.

II.

Cum autem is transiens in Gallias cum Britannis, Armoricos è sedibus eiecisset, eamque regionem Britannis militibus tribuisset, (vnde & eidem prouinciæ comparatũ est nomen, vt *Minor Britannia* diceretur:) quo nouam coloniam in posteros propagaret, missa in Britanniam legatione, singulas virgines singulis militibus coniugio fœderandas, à Dionoco Rege Cornubiæ impetrauit: delectæq; sunt duabus legionibus Britannicis, pro numero militum qui tunc in eis repetti fuere, totidem virgines, omnes numero vndecim mille, quarum principem locum tenebat VRSVLA, eiusdem Regis Cornubiæ filia, desponsa Connano Regulo, eorumdem Britannorum militum duci. Sed illæ Longulo, eorumdem Britannorum militum duci. Sed illæ Longulo, eorumdem Britannorum militum duci. Sed illæ Long

tempore nondum natum esse, quem aliquis, quod sciret duos fuisse Theodosio filios, adiecit. Cæterum cum postea contigisset aliquando, vt Arsenius Arcadio verbera infligeret, hic vero initio Neronis meditaretur magistro mortem inferre, ipse Arsenius diuino monitu ab aula clam recedens, ad Ægyptiacum eremum se contulit, vbi vixit egregia sanctitate toto Orbe conspicuus.

VII. a *Soc. & Soz. vbi sup.* CONSTANTIN.

Eodem quoque anno, mense vero Iulii, celebrata est *Constantinopoli* SYNODVS, conuocata à Theodosio ad diuinendas concordias vbique in Ecclesia discordias ob diuersas hæreses: quarum eram defensores præcipui ideo ad eamdem Synodum vocati sunt, vt si fieri posset, ad Ecclesiam reuocarentur: interfuitque pro Arianis Demophilus Constantinopolitanorum Episcopus, pro Eunomianis Eunomius ipse, pro Macedonianis Eleusius Cyzicenus, pro Nouatianis Agelius eiusdem vrbis Constantinopolitanæ eorumdem Episcopus. De rebus autem ibi gestis tradunt Socrates & Sozomenus, cum Imperator priuatim iniunxisset Nectario eiusdem ciuitatis Episcopo Catholico, vt consideraret quænam cum hæreticis quæstiones disceptandæ essent, hicque de eare communicasset cum Agelio Nouatiano, qui in his quæ ad Symbolum Nicænum pertinent, eadem cum ipso sentiret: demum Sisinii Lectoris Nouatiani consilio constiturum fuisse, vt fugerentur institutæ cum sectariis disputationes, vtpote rixarum fomites, sed tantum ab his quæreretur, recipereneque eos qui ante Ecclesiæ diffractionem interpretes fuissent sacræ Scripturæ: nam si abnegarent, à suis ipsorum consortibus explosos: si vero admitterent, à veterum Patrum scriptis facile conuinci posse. Itaque hoc consilii secutum Imperatorem, à sectariis petiisse, quidnam ipsi de veterum interpretationibus sentirent, cumque eas magnifice laudarent, rursum interrogasse, num illorum dictis in finiendis quæstionibus staturi essent: sed ea de re orta inter eos dissensione, Imperatorem eorum pertinaciam perspicientem, iussisse vt vnaquæque secta doctrinæ suæ libellos porrigeret, iisque acceptis, solos eos approbasse qui Consubstantialitatem asserrent, reliquos diuulsile: legeque sanxisse, vt sectarii conuentus nõ agerent, neque Ausium Episcopos aut alios ordinarent, ac denique quicunque Ecclesiæ aut Reipublicæ administratione priuarentur. Hæc iidem auctores: qui addunt, ob rem consilio Sisinii Nouatiani præclare gestam Theodosium Nouatianis fauisse, passimque esse ecclesiam Constantinopoli habere, conuentusque agere, ac frui Catholicorum priuilegiis.

VETERVM PATRVM SENTENTIIS COERCENTVR HÆRETICI.

VIII. SVSPECTA FIDES NOVATIANORVM IN REBVS. *Quæ de re sæpe queritur Baronius, sed qua hoc art. continentur ex cepta inuenies ea quæ habet hoc an. & 391.*

Sed vt vera sit historia de eiusmodi interrogationibus ab Imperatore factis, suspectum tamen nobis est, immo mendacium esse conuincitur, quod in laudem Nouatianorum iidem auctores, & ipsi secta Nouatiani habent. Quis enim sibi persuadeat, in eam Synodum, in qua fortiores hæresium propugnatores audiendi essent, non vocatos esse à Theodosio Catholicos Episcopos, quorum doctrina atque prudentia siue Nectarius, siue ipse Imperator tantam administrare potuerint? Id vero in eiusmodi rebus quam plurimis obseruare licet, Socratem & Sozomenum, ambos secta Nouatianos, multa in fauorem suorum effutiisse, cum ingenti detrimento veritatis, non solum historiæ, sed etiam doctrinæ Catholicæ, & rituum religionis Christianæ, quibus frequenter imponunt. Adeo vt putem, eosdem Nouatianorum Ecclesiarum, quæ in diuersis locis toto Orbe Christiano dispersæ erant, mores potissimum insinuare voluisse, vel nullo delectu habito, Nouatianorum & Orthodoxorum ritus simul commiscuisse, confudisseque.

IX.

Cæterum causam quoque Antiochenam de altercatione inter Paulinum atque Flauianum, in hac eadem Synodo pertractatam fuisse Socrates videtur annuere, dum ait Catholicos inter se extitisse discordes: fauentibus nimirum Syris, Phœnicibus, ac Palæstinis Flauiano, Ægyptiis autem, Cypriis, & Arabibus Paulino. Quod autem auctores omnes consentiunt, Theodosium post Synodum aduersus hæreticos edicta promulgasse, habentur adhuc illa descripta in Codice Theodosiano, *b* quibus omnes omnino quarumcumque hæresum, ab Ecclesia Catholica damnatarum sectatores, conuentus agere, ordinationes habere, *b l. 11. & 12. de hær.*

atque quid Catholicæ sanctitati contrarium, priuatim vel publice exercere, expulsionis pœna prohibuit. Qui vero inter alios hæreticos nominantur *Saccophori*, fuerunt ij Massaliani, de quibus supra, quod a sacco induerentur, ita appellati: quos ab Episcopis Catholicis vndique expulsos eorumque non tam monasteria, quam speluncas latronũ, incensa, narrat Theodoretus, *b* sed perperam ea ad tempora Valentiniani atq; Valentis referens, cum certũ sit Flauianum (quem & eosdem exagitasse tradit) non nisi sub Theodosio creatum fuisse Episcopum Antiochenum. Constat insuper ex Photio, *c* aduersus eosdem Massalianos congregatam esse his temporibus SYNODVM *Sidæ* in Pamphylia, cui præfuit Amphilochius Iconii Episcopus, aliamque *Antiochiæ* sub eodem Flauiano.

SACCOPHORI. a *Epip. hær. 80*

b *Theod. lib. 4 cap. 10.*

c *Phot. in Bibl.*

X. AVGVSTINVS PETIIT ROMAM.

Hoc ipso anno Augustinus agens ætatem vndetrigintа annorum, nouem autem ferme in secta Manichæorum habens, cum de pluribus rebus dubitaret, nec reperiret qui eas solueret, Romam clam matre perrexit ad docendam Rhetoricam, quam docebat Carthagine. Ibique apud Manichæum quemdam diuertens ægrotauit: Vt vero conualuit, licet cum Manichæis vt plurimum versaretur, tamen cœpit esse frigidus eius sectæ assertor; immo & hospitem suum ab illa reuocare studuit. Docuit autem domi Rhetoricam, quam postea publice professurus missus est Mediolanum, vt dicetur anno sequenti. Ita autem narrat ipse diffuse libro quinto suarum Confessionum.

XI. INGENTE PENVRIA VRBIS. d *Amb. li. 3. offic. c. 7.* e *Sym. l. 2. ep. 7.* f *Dio. lib. 55.*

Hic item ille annus est, quo Vrbs magna fame laborauit: ob quam pauperes, libertos homines, ab Vrbe pulsos esse, Ambrosius, *d* & Symmachus *e* iure queruntur. Namque Augusti tempore (quod Dio *f* testatur) ingenti afflicta Roma fame, non liberi homines, sed gladiatores, venaliaque mancipia tantum, vltra octoginta millia passus ab Vrbe reiecta fuerunt. Porro eamdem famem Symmachus ad suum propositum inflectens in Relatione, quam anno sequenti ad Valentinianum conscripsit, conatus est persuadere eam accidisse, quod adempti fuissent sacerdotum reditus, & agri Vestalium virginum: sed inania eius argumenta facile prudenterque refellit S. Ambrosius. *g*

g *Amb. ep. 31.*

IESV CHRISTI AN. 384.

DAMASI AN. 18.

VALENTIN. II. 9. THEODOSII 6.

ANno Christi trecentesimo octogesimo quarto, Ricimere & Clearcho Coss. Q. Aurelius Symmachus Præfecturam Vrbanam gessit, quod Imperatoris rescripta *h* ad ipsum hoc anno data testantur: quamuis Paulinus Vitæ S. Ambrosii scriptor, Præfecturam cum Consulatu confundens, illam ad alia tempora referat. Porro Symmachus homo dexterrimus, & admiranda dicendi facundia præditus, cum deorũ cultus studiosissimus esset, opportune vsus occasione obitus Gratiani, & Maximi tyrannidis, cum Valentinianus Imp. adolescentulus nihil non concessurus esset Magistratib. Senatus nomine abusus, libellum *i* obtulit eidem Valentiniano, pro restituendo damnato legibus Gratiani deorum cultu, speciatim vero, vt concederet reparari in Capitolio aram Victoriæ, reddi Vestalibus consuetum stipendium & agros, & liberum esse cuiq; quod vellet deorum sacerdotibus testamento relinquere. Verum hæc perlentiscens S. Ambrosius, festinans occurrit, literasque *k* ad Imperatorem scribens, intercessit nequid ab illo adhuc puero extorqueretur, singulisque Symmachi obiectionibus accurate respondit, sed & vtilissima monita & consilia dedit, ac denique, si postulata Gentilibus concederet, *Certe* (inquit) *Episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus. Licebit tibi ad ecclesiam conuenire, sed illic non inuenies sacerdotẽ, aut inuenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti, dicenti ti-*

h *l. 4. C. Th. de iud. ex perr. recit. l. 4. de appel.* SYMMACHVS AGIT APVD IMP. PRO GENTILIB.

i *Ext. ap. Amb.*

k *Amb. ep. 30* SEDVLITATE AMBROSII.

bi, Munera tua non quærit Ecclesia, quia templa Gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti, &c. Quibus quidem adeo profecit Ambrosius, vt ubique perenni dilatione, ei causa fuerit adiudicata. Sed & *Aurelius Prudentius* vir Consularis, aduersus eamdem Symmachi Relationem egregium poema cõscripsit, quod tamen nonnisi sub Honorio Imp. elaboratum esse constat.

II. Porrò cum ex alia eiusdem Symmachi ad Imperatores data epistolâ, *a* cum hoc anno Præfectum ageret, constet *Damasum* Papam ad eumdem annum fuisse superstitem, inde erroris arguitur Marcellinus *b* Cõmes, dum ante biennium sub Consulatu Antonii & Syagrii mense Octobri eius obitum ponit. Consultius itaque Prosper sub huius anni Coss. collocat, etsi mendose pro suffecto Siricio, Vrsicinus legatur. Obiit vero tertio Idus Decemb. (quo die natalis eius inter Sanctos adscript' antiqua memoria perseuerat) postquam sedisset annos septemdecim, menses tres, minus diebus quatuor: eumque iam prope octogenarium decessisse, auctor est S. Hieronymus. Sepultus autem via Ardeatina in basilica sua, inde postea translatus est in ecclesiam S. Laurentii ad Theatrum Pompeii. Cessauitque sedes eius vnum & triginta dies. Extant vero in Bibliotheca Vaticana, & aliis, eiusdem Pontificis Acta, in Ecclesiâ olim recitari solita, in quibus nonnulla habentur miracula, ab eodem cum adhuc viuente, tum etiam defuncto edita. De eius vero successore agetur anno sequenti.

DAMAS PP. OBITVS.

III. At non ipse inter Sanctos damtaxat, miraculis clarus adnumeratur, sed & inter Scriptores Ecclesiasticos à S. Hieronymo recensetur. Extantque præterea hactenus complura *c* eiusdem Epigrammata & Epitaphia metro conscripta, tam in honorem SS. Martyrum, quam aliorum memoriam. Quæ autem fertur nomine Damasi breuiter texta series Vitarum Romanorũ Pontificum, alterius potius quam ipsius esse opus, sæpius inculcauimus. In quo post plurimarum aliarum rerum ab eo gestarum narrationem, appendicem putamus adiectam, qua dicitur eius præcepto institutum, vt die noctuque Psalmi in ecclesiis canerentur. Id enim plane falsum est: sed fortasse aliqua potius forma ab eo præscripta fuit. Alioqui ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ vigilasse certum est (vt suo loco vidimus) cum cãtu diurnam nocturnamque psalmodiam. Equidem illud puto (quod & Hieronymus *d* indicare videtur) emendatum ab ipso Hieronymo Psalterium Septuagintâ Interpretum, à Damaso canendum Occidentalibus traditum esse.

SCRIPTA EIVS.

Scribit quoque Gregorius *e* Papa, ex Hierosolymorum Ecclesia per eumdem Hieronymum Damasum accepisse, vt Romana Ecclesia concineret ALLELVIA. Quod pariter non sic accipiendum est, vt tempore Damasi cani cœptum sit Romæ, sed vt caneretur extra Paschale tempus, sicut idem Gregorius superius declarat. Nam huius vocis vsum Romæ perantiquum fuisse, vel ex Augustino *f* intelligi potest, dum ait, antiqua traditione ab Ecclesia Catholica toto Orbe diffusa *Alleluia* cantari solitum. Cæterum peculiarem quemdam eius vocis vsum ab Ecclesia Hierosolymitana Romanam mutuatam esse, possumus ex Gregorii verbis intelligere. Siquidem eiusdem vsus diuersas fuisse consuetudines, idem Augustinus *g* alibi tradit: docetque *h* certis tantum diebus moris fuisse solemniter decantari, tempore vero Quadragesimali *i* ab eo cessari solitum. Habetur autem apocrypha illa Hieronymi nomine ad Damasum epistola, qua dicitur vt Alleluia psalmis omnibus affigatur. Sed & hallucinatur plane Sozomenus, *k* dum scribit in Ecclesia Romana nonnisi semel in anno cani solitum Alleluia: Nam Vigilantium hæresiarcham eius fuisse institutionis auctorem, conatumque eam Hierosolymis introducere, testatur Hieronymus. *l* Romæ vero hisce temporibus adeo frequenti vsu eam vocem receptam fuisse liquet, vt etiam in ecclesia caneretur in *m* funere defunctorum, extra ecclesiam autem, ipsi etiam infantes *n* in eius sonum linguam primum soluere docerẽtur. Denique Hierosolymis fuisse in vsu agricolis, idem auctor *o* affirmat, necnon eius vocis symbolo solitos *p* conuocari monachos ad Synaxim. Eademque tertio repetita, Germanus Episcopus Antissiodorensis insignem sine sanguine victoriam de hostibus ad prælium armatis retulit *a* in Britannia.

IV. a *Sym. lib. 10. ep. 54.* b *Marc. in Chron.* c *Edita sunt in Antiq. inscrip. in Appendice. Eorumque plura Baronius adscripsit hoc & alius anni, suis quibusque locis.* d *Hier. Apol. adu. Ruff.* e *Greg. 7. ep. 63.* DE ALLELVIA. f *Aug. in psal. 106.* g *Id. ep. 119. c. 17.* h *Id. in psal. 106* i *Id. in psal. 110.* k *Soz. li. 7. c. 19.* l *Hie. adu. Vig.* m *Id. ep. 30.* n *Id. ep. 7. & 17.* o *Id. ep. 17.* p *Id. ep. 17.*

Hoc eodem anno, cum missum esset à Mediolano Romam ad Præfectum Vrbis, vt illi ciuitati Rhetoricæ magister prouideretur, Augustinus (vt ipse *b* testatur) per suos Manichæos ambiens vt dictione proposita se probatum Præfectus tunc Symmachus mitteret, Mediolanum profectus est, annum agens ætatis (vt arbitror) trigesimum: ibique benignè exceptus ab Ambrosio, adeo ipsius consuetudine profecit, vt quos ante errore duci deprehenderat Manichæos, iam penitus deserere animo decreuerit: non tamen vt ob id fieret Christianus, sed ad Academicos se conferret, magnæ tunc apud omnes æstimationis philosophos, quorum etiam eo vsque progressa erat temeritas, vt palam efferrent, à Platone Christianos accepisse de singulari sententias, quas Euangelista Ioannes suæ narrationis exordio præfatus expoluisset promptissimo omnibus contemplandas. Sed occurrit quàm primum petit hunc Mediolani S. Ambrosius, cuius libros *De Sacramentis*, siue *De Philosophia* contra Platonem & Academicos conscriptos, postea Augustinus *c* magnopere celebrauit.

V. AVG. MEDIOLANVM MISSVS AD DOCENDAM RHETOR. b *Aug. l. 5. Confes. 13.* c *Id. l. 6. Confes. 11.*

Eo autẽ Augustini statu, S. Monica mater eius affectata vestigia filii, Mediolanum veniens, nihil non egit pro salute illius procuranda. Tunc que accidit, *d* vt cum epulas ferret ad Memorias Martyrum, (quæ erogari solebant in cibos pauperum, qui in ecclesiam in Martyrum natalitiis ad agapen conuocabantur: Id enim non tantum in Africa hactenus erat, sed Romæ quoque in memoriam defuncto rum, vt apparet ex epistola Paulini ad Alethium:) arguerentur, vt apparet ex epistola Paulini ad Alethium:) arguerentur ab Ambrosio, qui coercuit illud Mediolanense exemplum, docente postea Augustino, *e* Africana Ecclesia secuta est, & Oriens antea id ipsum didicerat à Concilio Laodiceno. Sed & aliquando rogatus *f* Ambrosius ab eadem pientissima femina de ieiunio Sabbati, respondit, vt illud obseruaret secundum consuetudinem Ecclesiarum vbi esse contingeret. Sed quod ad Augustinum attinet, cum inter hæc ipsius concubina in Africam vnde venerat rediisset, (relicto ei filio, quem ex ea fuscepérat Adeodato) hoc ipse solutus vinculo, è tenebris paulatim in lucem cœpit emergere.

d *Aug. ep. 84.* e *Id. l. 2. de doct. Christ. cont. Iulian. c. 2. Retract. 4.*

VI. QVID S. MONICA MEDIOLANI. f *Aug. l. 6. Confes. 2.* g *Id. ep. 64.* h *Id. ep. 118.*

Quod vero ad res pertinet Orientis, Theodosius Imp. cohibuit *i* Iudæos mancipia Christiana habentes, eademque ad ipsorum superstitionem adducentes: itemque hæreticos Eunomianos, Macedonianos, Arianos, & Apollinarianos, sæpe damnatos sæpeque pullos, iterum reuertentes, atque impudenti procacia iactantes dedecorosum esse nescire quæ ipsi docerent, recenti lege *k* proscripsit. Cuius de nouo sanciendæ auctor Theodosio fuisse videtur Gregorius Nazianzenus, dum licet absens, turpique paterno Arianzi solitarium vitam agens, nec tamen valens obliuisci plantatæ à se vineæ, Ecclesiæ scilicet Constantinopolitanæ, cum accepisset eam, dormitante Nectario Episcopo, ab iisdem hæreticis proculcari, ad ipsum Nectarium non sine stomacho literas *l* dedit, quibus eum aduersus eos excitaret. Qui & insuper, etsi statu humilis, tamquam è celsiori loco vibrare iacula in delinquentes, cum occasio opportuna daretur, minime prætermisit. Sic enim cum accepisset, Eleusium præfectum, sibi familiaritate comunctum, iciunia ab Ecclesia instituta negligere, vt grauis offensæ reum, ita redarguit: *in Legibus iniuriam facis, Iudex, qui non seruas. Et quomodo leges humanas seruabis, qui diuinas contemnis, ac pro nihilo ducis? Purgâ tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, vt aut malus fias, aut existimeris. Fœda spectacula proponere, se ipsum traducere est. In summa ô Iudex futurum fuit vt iudicaris, & minus peccabis.*

i *l. 5. C. Th. de contr. empt.* k *l. 13. C. Th. de hær.* GREGOR. NAZ. SOLICITVS PRO ECCL. CONST. l *Greg. Naz. ad Nect.* m *Id. ep. 74.*

Hoc item anno mense Septembris Theodosium auctum esse filio ex Flaccilla coniuge, cui nomen *Honorio* inditum fuit, auctores sunt Marcellinus *n* & Socrates. *o*

VII. VIII. NATALIS HONORII. n *Marc. in Chron.* o *Soc. li. 5. c. 25.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI ANN. 385.

SIRICII ANN. I.

VALENTIN. II. 10.
THEODOSII 7.

ANNO CHRISTI trecentesimo octogesimo quinto, Arcadio Augusti. & Bautone Coss. Augustinus *a* in eiusdem ingressu Bautonis (qui creatus est Mediolani) panegyricam habuit orationem coram Valentiniano Imper. Cuius orationis occasione, idem alibi *b* statum præsentis temporis suæ animæ ærumnosæ deplorat, cum (vt ait) inhiaret honoribus, lucris, coniugio; & quamuis liber à Manichæorum deliriis, & Mathematicorum vanitatibus, quibus antea inhæserat, totus esset in perscrutandis Academicis quæstionibus; duceret tamen vitam peccatis obnoxiam. Periisseque in illis, nisi Dominus præsto fuisset; à quo & didicit veritatem, quam per Apostolum Paulum *c* in cor eius Spiritus Sanctus instillauit; & vt perficeretur, suasit ad Simplicianum *d* sanctum & eruditum Sacerdotem accedere: (ipsum enim Ambrosium frequenter adire, & prolixius cum eo agere, ob ingruentia illius negotia impossibile videbatur:) à quo cum multa alia, tum Victorini nobilissimi oratoris conuersionem audiuit; quam mox animo exarsit ad imitandum. Cumq; post hæc à Potitiano Afro in curia militante, didicisset Vitam Antonij Magni; perfecte ad CHRISTVM conuersus est, annum agens ætatis trigesimũ primum: & illud exaudiens in horto; *Tolle, lege, Tolle, lege*; lectione Pauli Apostoli, quid sibi esset agendum plane didicit; cum de suscipiendo Baptismo, relinquẽdaque schola, & agenda vita casta, & à negotiis sæculi remota, certum firmamque consilium *e* iniit; quod & postea opere impleuit: itemque secedens primum in rus amici, indeque Mediolanum rediens, scripsit ijs locis *f* tres libros contra Academicos, commentarium de Vita beata, libũ de Ordine, Soliloquia, lucubrationẽ de Immortalitate animæ, aliamq; de Disciplinis, & hæc quidem omnia ante baptismum; quem non nisi post biennium suscepisse, expresse probatur eiusdem *g* assertione, dum in Confessionibus ab vndevigesimo ætatis suæ anno, vsquequo lecto Ciceronis Hortensio, teneri cœpit amore sapientiæ, (nempe vsque ad tempus conuersionis) duodecim numerat annos; & in Soliloquiis *h*, (quæ scripsit anno ætatis trigesimo quarto nondum baptizatus) quatuordecim. Vnde plane necesse est affirmare, annos duos & menses aliquot à conuersione vsque ad baptismi tempus intercurrisse.

[Confirmat pluribus hanc suam sententiam Baron. ann 388. num. LXXI. & seq. Sed nihilominus qui attente legerit quæ ipse Augustinus in Confessionibus habet de tempore à Conuersione ad Baptismum elapso, rebusq; tunc à se gestis, ne quidem annum intermedium repertum puto. Quapropter existimo numeros annorum alicubi corruptos esse. Haud enim multum temporis in iis commentariis quos tunc scripsit insumpsisse, satis intelligitur ex lib. 1. Retract. vbi de iis agit. Ac denique cum post recessum Mediolano, adhuc aliquanta Romæ mora peracta, in Africam nauigare paratus, matrem Ostiis amisit, testatur ipse in Confessionibus lib. 9. cap. 11. in fi. id contigisse anno suæ ipsius ætatis trigesimo tertio. Ætatem vero in Soliloquiis expressam, diuersimode in codd. mss. referri, adnotarunt Doctores Louanienses. Vt vt sit, saue si tunc Augustinus disciplinam Ecclesiæ exploratam habuit, minimè putandus erit diu baptismum protelasse: quippe licet & tum non pauci id consuescerent, eam tamen consuetudinem euellere studuisse nosc untur (præter Neocæsariensem Synodum cap. 12.) in Oriente Basilius, atque Gregorius Nazianzenus & Nyssenus, & in Occidente ipsemet Augustini catechista & baptista Ambrosius, orationibus de Baptismo habitis. Cum & præter mortis subitæ, vel alius improuisæ periculum, imminueret etiam discrimen irregularitatis iis qui Ecclesiasticis ordinibus initiari cuperent: quandoquidem qui baptizabantur in ægritudine, clerici fieri non poterant, quod fides illorum non voluntaria, sed ex necessitate præsumeretur, vt sup. ann. 254. IX. nec tollitur hæc irregularitas per baptismum, quia committitur in ipso baptismo.]

I.
a Aug. 3. cont. Petil 25.
b Id. 6. Confess. 6.
AVGVST. DIV ERRANS, VENIT AD PORTVM.
c Id. 7. Confess 21.
d 8. Confess. 1. &c.
e 9. Confess. 1. &c.
f Retract. lib. 1.
g 8. Confess. 7.
h 1. Solil. 10.

Huius quoque anni exordio, nempe pridie Idus Ianuarij, cum vacasset Sedes Romana post obitum Damasi Papæ vno & triginta diebus, SIRICIVS natione Romanus, Tiburtij filius, presbyter Tituli Pastoris, in locum Damasi à Clero populoque subrogatus est; non sine tumultu Vrsicini schismatici, vt indicant literæ *a* Valentiniani Imperat. septimo Idus Martij ad Pinianum Præfectum datæ. Ipso vero suæ sedis exordio, nimirum tertio Idus Februarij, idem Siricius ad Himerium Episcopum Tarraconensem in Hispania, qui de nonnullis rebus dubiis Damasum consuluerat, Decretalem scripsit Epistolam; quam & in reliqua Ecclesia Hispanica obseruari voluit.

II.
SIRICIVS CREATVR ROM. PONT.
a Ext. in cod. Vatic. vbi sunt litt. antiq. Rom. Pontiff.

Cum autem non vt Damasus fecerat, Siricius in conscribendis eiusmodi Decretalibus aut Synodalibus Epistolis, Hieronymi opera vteretur; neque eum, vt ille, amplecteretur: mox idem Hieronymus acerbissimos pati cœpit persecutores; illos scilicet *b* clericos, quorum ipse imperitiam *c* ac prauos *d* mores scriptis suis sugillasset: à quibus inter alia, multis sub communi nomine monachorum petitus est conuiciis, & vt *Impostor* ac *Gracus* iactatus, quasi Vrbe pellendus esset, lapidibus obruendus, & præcipitandus in fluctus. Horũ namq; ipsemet *e* testis est. Sed quis æquo animo ferat impostorum absurda mendacia, quibus tradiderunt eundem muliebri veste ab Vrbe expulsum? Sub Augustini falso nomine frigidus ille fictor ista commentus est; qui cum in reliquis Sermonibus editis sub titulo *Ad Fratres de Eremo*, multa delira & fabulosa effutiat; in eo ipso *f* vbi ista somniat, quæ portentosa mendacia blaterat? Sed nihilo prudentior incertus auctor ille, qui compingens Sanct. Hieronymi Vitam, vna cum aliis mendaciis istud ipsum præteriisse noluit. Ad quam impostaram refellendam, illud sufficiens est argumentum, quod Ruffinus, qui leuiora quæque in Hieronymum vnquam iactata diligenter collegit, istud non inuexit in eum, quod in fronte fuerat collocandum: cum præsertim res tanta, in tantum virum, locoq; tali admissa, nec angulum Orbis præteriisse poterit vbi non sciretur.

III.
HIERON. VEXATVR ROMÆ.
b Hier. ep. 8. ad Demetr.
c Id. in præf. vers. Didy. de Sp. S.
d Ep. 22. ad Eustoch.
e Ep. 23. 25.
VANA DE EO COMMENTA.
f Ap. Aug. serm. 24. ad fratr. de erem.

Cæterum quæ re vera in ipsum post Damasi obitum à calumniantibus fuerunt obiecta, idem ipse exacte recenset ea Epistola, quam in Portu Romano nauim conscensurus, conscripsit ad Asellam *g* nobilem Romanam virginem CHRISTO dicatam; docens præcipuam calumniam fuisse de quibusdam matronis Romanis, & maximè de Melania Seniore, & Paula, feminis Consularibus, quæ ipsius suasionibus, contemptis diuitiis, carisque pignoribus, Hierosolymam ad loca Sancta nauigassent; atque inde multis se fuisse calumniis & conuiciis impetitum.

IV.
g Hier. ep. 99.

Qui quidem vt se ab eiusmodi concitatis turbinibus liberaret, tranquillam cogitans Hierosolymæ mansionem, mense Augusti à Romano Portu soluens cum Pauliniano fratre iuniore, aliisque monachis, nauigauit Cyprum; ibique visitato Sanct. Epiphanio, Antiochiam deuectus, susceptus est à Paulino Episcopo; & deductus ab eo, media hyeme & frigore grauissimo intrauit Hierosolymam, ac multa ibi vidit miracula, quæ prius ad ipsum fama pertulerat. Hæc ipsemet *h* de suo itinere. Quod quidem hoc anno accidisse, inde fit perspicuum, quod testetur *i* se pene triennium Romæ mansisse, & post obitum Damasi recessisse; constetque Romam venisse sub Consulatu Antonij & Syagrij, anno Domini trecentesimo octogesimo secundo. Sed quæ fuerint illa miracula, quæ tum primum se vidisse Hierosolymis tradit; fortasse eiusmodi intelligit, qualia ad sepulchra Sanctorum alibi fieri solita scribit in Epitaphio *k* Paulæ: *Cernebat variis dæmones rugire cruciatibus, & ante sepulchra Sanctorum vlulare homines more luporum, vocibus latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentum, mugire taurorum: aliorrotare caput, & post tergum terram vertice tangere, suspensisq; pede feminis, vestes defluere in faciem.* His similia narrat Hilarius libro de Synodis: necnon Paulinus Nolanus natali septimo S. Felicis, & Seuerus dialogorum libro tertio: qui de feminis arreptitiis illud addunt, quod licet pedibus suspensæ essent deorsum capite, nihilominus vestes inhærerent di-

REVERTITVR HIEROSOL.
h Id. Apol. aduer Ruff. i d. ep. 99.
k Ep 28.

rent diuino miraculo pedibus, quo femineo esset pudori consultum.

V CONC. BVRDEGAL. CONTRA PRISCIL.

His item Coss. (vt Prosper ponit in Chronico) celebrata est *Burdegalæ* in Aquitania (gubernante eam Ecclesiam *Delphino* Episcopo, cuius Seuerus cum laude memi-nit) SYNODVS in causa Priscilliani hæretici, iussu Maximi tyranni, ad id inducti ab Ithacio Episcopo, eiusdem Priscilliani oppugnatore acerrimo, de quo dictum est superius. Postquam vero in eadem Synodo Instantius Episcopus factionis Priscilliani, prior iussus dicere causam, damnatus est atque depositus; se quoque damnandum Priscillianus intelligens, ad eundem Maximum Treueris tunc agentem prouocauit: sed rursus apud eum ab Ithacio accusatus; licet obtinente apud Maximum S. Martino Episcopo Turonensi (qui etiam tunc forte negotiorum Ecclesiasticorum causa Treueris adfuit) vt à sanguine infelicium abstineretur; satis superque sufficere dicente, vt Episcopali sententia hæretici iudicati, Ecclesiis pellerentur; nouumque esse & inauditum nefas, vt causas Ecclesiæ Iudex sæculi iudicaret: tamen post eius discessum, nouis aliorum Episcoporum suasionibus, Maximus eundem Priscillianum, ob turpissima quæ confessus est scelera, capite truncari iussit, vna cum aliquibus ipsius sociis, reliquis in exilium pulsis. Hæc pluribus Seuerus *c*; quæ alij attigere: meminitque Hieronymus de eiusdem Priscilliani ac nonnullorum eius sectatorum scriptis editis. Addit vero Prosper, eodem tempore Burdegalæ quandam Priscilliani discipulam, nomine *Vrbicam*, ob impietatis pertinaciam, per seditionem vulgi lapidibus extinctam esse. Ac denique Seuerus scribit, Priscillianum, qui viuus vt sanctus honorabatur à suis, post mortē vt martyrem ab iisdem coli cœptū: peremptorumq; corpora ad Hispanias relata, magnis fuisse obsequiis honorata: quin & iurare per Priscillianum, summam ipsis religionem fuisse: eoque occiso, non solum non repressam esse hæresim, sed latius propagatam.

PRISCIL. CŪ SVIS SVBIECTVS GLADIO. *c Seuer. hist. lib. 2.*

COLITVR à SVIS.

VI.

De *Ithacio* autem accusatore idem Seuerus tradit hanc Priscilliani & sociorum necem, notam ei inussisse indelebilem, tum quod odio ipse potius, quam diuinæ legis zelo commotus, eos persecutus esset; (qui & alioqui audax, loquax, sumptuosus, ventri & gulæ deditus, omnes sanctos viros Catholicos, quibus aut studium inerat lectionis, aut grauitas incessus, & modestia habitus, propositumve erat certare ieiunijs, atque adeo ipsum Sanct. Martinum, virum plane Apostolis conferendum, cum Priscilliano sentire culparet, tanquam & ipsi illius hypocrisim affectarent:) tum etiam quod pœna sanguinis procul abhorreret à mansuetudine muneris pastoralis.

ECCLES. PERSONÆ IMMVNES À SANGVINE. *Quod habet Baron. ann. seq. n. XXXIII. & seqq.* *d Leo ep. 93.*

Quamuis enim minimè reprehensum aliquando fuerit, aduersus hæreticos auxilium Principum implorare: (quod Sanct. Augustinus, & alij sæpe feciſſe probantur; idque rite & legitime fieri, idem aduersus Donatistas disputans demonstrat: sed & hoc ipsum à Maximo Imperat. probe vtiliterque factum, Sanct. Leo *d* commendat in Epistola ad Turibium Episcopū Asturicensem:) tamen nullus vnquam SS. Patrum laudauit, pœnam capitis aduersus eosdem hæreticos posse vel debere procurari à personis Ecclesiasticis. Vnde & in Ecclesia Catholica vsu receptum est, vt cum quis expetit à sæcularibus Magistratibus opem aduersus impios, ne Ithacianæ partis sectator esse videatur, contestationem illam consulte præmittat, sic se correctionem expetere incorrigibilium delinquentium, vt tamen citra pœnam sanguinis puniantur. Porro quo modo ea de causa Ithacius communione priuatus fuerit, sequenti anno dicturi sumus. Quod aūt pertinet ad Maximum; licet ipse exerens, vt alter Phinees, gladium in turpissimorum hominum necem, sanctificasse manus suas Domino, ob idq; perennitatem Imperij commeruisse videri potuisset: tamen quod arrogauerit sibi iudicium Sacerdotale, quantumlibet nonnullorū Episcoporum consensione delatum, deferensq; appellationi hæresiarchæ, causam iudicauerit; meruit paulo post iacturam Imperij atque vitæ pati: vt intelligant omnes, quam grauius delinquant, qui idem iudicium contradicentibus Sacerdotibus, sibi vendicant & extorquent.

MAXIMVS IN QVO PECCAVERIT NECANS PRISCIL.

Iisdem Coss. vt auctor est Socrates *a* defuncto Timotheo Alexandrino Episcopo, cum sedisset annos quinque, in eius locum suffectus est *Theophilus*. Timothei vero exstat *b* apud Græcos Epistola Canonica. Fuitq; eiusdem *c*, cum Ammonem sanctissimum monachum, ob auriculæ spontaneam amputationem irregularem effectum, (ne videlicet, qualis sibi videbatur, eligeretur indignus;) nihilominus Episcopum ordinauit, hac sententia; *A Iudæis lex ista seruatur: Ego si dederitis mihi aliquem etiam naribus truncū, sed moribus probum, non eum dubitabo Episcopum ordinare.* Mentio item eius habetur cum laude, in rescripto *d* Theodosij de Ecclesiastico iure illibato seruando; quo prohibuit, ne Episcopi, vel vlli alij Ecclesiastici, ad iudicia siuè ordinariorū, siue extraordinariorum Iudicum pertrahantur, quantum ad causas Ecclesiasticas pertinet; sed sinantur iudicari à Præsulibus suis.

VII. *a Socr. lib. 5. c. 11.* THEOPHIL. EPISCO. ALEXAND. *b Ap. Th. Bals. in fin.* *c Pallad. in Lausiac c. 12.* *d l. 3. C. Th. de Epis. iudic.*

Hoc item anno creditur defuncta *Flaccilla* Augusta, Theodosij coniunx: quam funebri oratione laudauit Gregorius Nyssenus; eiusdemq; pariter descripsit Theodoretus *e* egregias virtutes, pietatem in Deum, ac charitatem erga pauperes, quibus etiam in humillimis & sordidis obsequiis per se ipsam ministrabat: quæ & crebro (vt ait) solebat maritum commonere, vt cogitaret qui olim fuisset, & qui iam esset: quippe si ista assiduè animo complecteretur, non se ingratum ostensurum erga patronum, sed Imperium iuste & legitimè gubernaturum. Quare haud abs re illam S. Ambrosius in funere Theodosij, Deo in cœlis coniunctam affirmat: qui & eam *Flaccillam* (non vt alij fere omnes cum Græci tum Latini, *Placillam*) nominat: sicq; veteri *f* numismate vocata legitur, necnon apud Claudianum in carmine de Laude Serenæ, atque Paulinum diaconum in Appendice ad Eutropium: denique & eodem modo eius neptem Arcadij filiam, Prosper & Marcellinus; proneptem vero, Theodosij minoris filiam, idem Marcellinus nominat. Genuit ea Theodosio, præter Arcadium & Honorium, Gratianum & Pulcheriam, vt habet Ambrosius in funere; licet alij tres tantum eidem liberos tribuant: sed & hi duo vltimi breui extincti sunt, etiam ante matris obitum: habuitq; idem Gregorius Nyssenus, qui tunc erat Constantinopoli, panegyrim in eiusdem Pulcheriæ funere.

VIII. *e Theod. lib. 5. c. 18.* FLACCILLA DICENDA VXOR THEODOSII. *f Habet Bar. Tom. IV. hoc ann.*

Hoc insuper anno idem Theodosius rescriptum *g* dedit aduersus idololatras iterum reuiuiscentes, & per inspectionem extorum futura quærētes: itemq; aduersus *h* psaltrias ac fidicinas mulieres, ciuitatum pestes. Eodemq; anno Valentinianus edictum *i* proposuit de relaxandis vinctis Paschali tempore, exceptis grauiorum quorundam criminum reis. Cuius consuetudinis meminit postea S. Ambrosius *k*, cum exprobrauit in eundem ipsum Imperatorem, quod Iustinæ matris suasione, Paschatis tempore pios viros carceri mancipasset, quo vincti dimitti solerent. Porro idem quoque in Oriente Theodosij lege cautum fuisse, constat ex Chrysostomo, cum agit de oratione Flauiani Episcopi Antiocheni, quam coram eodem Imper. habuit Constantinopoli, legatione fungens pro populo Antiocheno sub gladio ira Principis periclitante; de qua dicetur suo loco.

IX. *g l. 9. C. Th. de Pagan.* *h l. 10. C. Th. de sceuic.* *i l. 8. C. Th. de indulg. crim.* *k Ambr. ep. 33.* INDVLGENTIA REI DATA TEMPORE PASCH.

IESV CHRISTI ANN. 386.

SIRICII ANN. 2.

VALENTIN. II. 11. THEODOSII 8.

ANNVS Domini trecentesimus octogesimus sextus, Coss. habuit Honorium Theodosij filium adhuc infantulum, atq; Euodium Galliarum *l* sub Maximo Præfectum: vt hinc videas, inter eundem Maximum ac Theodosium & Valentinianum Imperatores, aliqua pacis fœdera esse transacta.

l Sozom. lib. 7.

Ipso

II. CONC. ROM. PRO RESTITVENDA ECCL. DISCIPL. IN AFRICA.

Ipso quoque huius anni mense Ianuario, celebratum est à Siricio Papa *Romæ* in Basilica Sanct. Petri CONCILIVM octoginta Episcoporum: cuius extat Epistola *a* Synodalis data octauo Idus Ianuarij, Post Consulatum Archadij & Bautonis; quod scil. nouorum Coss. nomina Romæ nondum publicis auspiciis promulgata essent. Porro in hoc Concilio nouem Papa capitulis collapsam in Africa Ecclesiasticam disciplinam restituere conatus est: quæ tu consulas.

a *Siric. ep. ad Episc. Afric.*

III. LEX PRO ARIAN.

Eodem quoque mense Ianuarij, Valentinianus Imperat. indignum pio Principe pro Arianis promulgauit edictum *b*; quo dedit illis facultatem conuentus agendi. Id autem impulsu Iustinæ Augustæ matris, Arianæ feminæ, factum esse, constat ex iis quæ de eadem lege Ruffinus *c* & Sozomenus *d* habent; dum referunt egregiam confessionem *Benevoli* Magistri Memoriæ; qui non solum altiorem pro impietatis mercede ipsi promissum à Iustina gradum respuit, sed & ipsum quem haberet deponere maluit, quam ea decreta dictare. Erat is patria Brixianus, à Sanct. Philastrio Catholica disciplina optime informatus: ad quem, eiusdem Philastrij successor *S. Gaudentius* (qui nuper dum e absens peregrinaretur in Oriente, adnitente maximè S. Ambrosio electus, admodum renitens coactus est excommunicationis interminatione, immatura quidem adhuc ætate, sed doctrina præstans atque virtutibus, humeros oneri submittere:) misit editos à se Sermones de Paschate: inque eis meminit eiusdem egregij ipsius facinoris.

b *l. 4. C. Th. de fid. Cath.*
c *Ruffin. lib. 2. c. 16.*
d *Sozz. lib. 7. c. 13.*
BENEVOLI EGREGIA CONFESSIO.
e *Gaudent. ser. in dedic. basil. & ser. in sua ordinat.*

IV.
f *Id. præf. in Serm.*
IVSTINA AVGVST. VEXAT AMBROS.
g *Ruff. lib. 2. c. 15.*
h *Paul. in vit. S. Ambr. Soz. li. 7 c. 13. Nic. lib. 11. c. 19. & alij.*
AVXENTII DVO.

Quod vero ex eodem Gaudentio *f* apparet, tempore eiusmodi impiæ sanctionis, Iustinam (quam nominat Iezabelem) persecutam esse S. Ambrosium, in quem iam olim infenso erat animo: hanc in eundem Ambrosiũ persecutionem, Ruffinus *g* quoque post obitum Gratiani cõtigisse tradit; licet plerique alij ante illum minus recte collocent *h*. Huius autem tumultus noua illa fuit occasio, quod cum memorato Imperatoris edicto Arianis data esset conueniẽdi facultas, & Iustina subrepram à Catholicis basilicam iisdem Arianis tradere vellet; Ambrosius constanter ei restiterit, adsistente ei miro Catholicæ fidei zelo populo Mediolanẽsi. Describit hæc ipsemet pluribus, cum agit in *Auxentium* Arianorum Episcopum (cuius nutu Iustina ad omne nefas impelleretur) subrogatum Mediolani ab eadem Iustina in locum Senioris Auxentij. Nam quod aliqui ambos istos Auxentios in vnum confundunt, falsis refelluntur, quod seniorem diem obiisse ante creationem Ambrosij æquè Paulinus *i*, Hieronymus *k*, Ruffinus *l*, & ex Græcis Socrates *m*, Sozomenus *n*, Theodoretus *o*, absque vlla controuersia confirment: itemque quod eundem seniorem Cappadocem fuisse, Athanasius *p* & alij testentur; hunc vero Iuniorem Ambr. *q* Scytham: quem & ait mutasse sibi vocabulum, ne cognosceretur quis esset, tum quod sciret Auxentij nomen odiosum esse Mediolanensibus; tum etiam quod in patria enormia scelera perpetrasset: atque ideo qui in Scythia Auxentius diceretur, Mediolani Mercurinum nominari voluisse. Verum haud profuit ista mutatio nominis: siquidem vsitatius Auxentius ab omnibus dictus reperitur.

i *Paulin. in Vit. Ambr.*
k *Hieron. in Chron.*
l *Ruff. lib. 2. c. 11.*
m *Socr. lib. 4. c. 25.*
n *Soz. lib. 6. c. 14.*
o *Theod. lib. 4 c. 5.*
p *Athan. ep. ad solit.*
q *Ambr. orat. aduerf. Aux.*

V.
r *Ambr. ibid.* AMBROS. RENITIT DISPVTARE DE FIDE IN CÕSISTORIO IMP.

Cum autem & ausus hic Ambrosium ad publicam disputationem prouocare, delegisset arbitros pugnæ Gentiles *r* quosdam homines, necnon ipsum Valentinianum Imper. adhuc adolescentulum, & catechumenum; Ambrosius autem exhorrens fidei causam post tot Concilia iudicio credere sæcularium, nedum Gentilium hominum, sperneret petulantiam hominis, ne Ecclesiæ prosterneret dignitatem; ideoq; Auxentius Valentinianum adiens, cogi Ambrosium id in Consistorio Imperatori agere, magna arrogantia postulasset: tunc iubenti hoc in gratiam Iustinæ matris Valentiniano, idem Ambrosius, ex sententia Episcoporum qui aderant, per libellum *s* respondit competenter, id minime fas esse: *Nec quisquam* (inquit) *contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod augustæ memoriæ pater tuus* (nempe Valentinianus Senior) *non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius criminis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec dissimilis: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare: Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa; etiam hanc voluit ad Episcopale iudicium pertinere.* Et paulo post: *At certe si vel Scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat, in causa fidei, in causa, inquam, fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare?* Et rursum infra: *Si tractandum est; tractare in Ecclesia didici: quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, Sacerdotum debet esse ista collatio: sicut factum est sub Constantino augustæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmisit, sed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Ac paulo post: *Si ad Synodum prouocat Auxentius, vt de fide disputet, (licet non sit necesse propter vnum tot Episcopos fatigari; qui etiam si Angelus de cœlo esset, paci Ecclesiarum non deberet præferri:) cum audiero Synodum congregari, & ipse non decero. Tolle igitur legem, si vis esse certamen. Venissem, Imperator, ad Consistorium clementiæ tuæ, vt hæc coram suggererem. Si me vel Episcopi, vel populus permisissent, dicentes de fide in Ecclesia coram populo debere tractari, &c.* Euenit porro tunc (vt ait Paulin.) vt quidam vir Arianus, acerrimus disputator, & durus atq; inconuertibilis ad fidem Catholicam, ad basilicam se cõferret: qui cum vidisset Angelum ad aures Ambrosij tractantis loquentem, vt verba Angeli populo Ambrosius renunciare videretur; mox conuersus, fidem quam oppugnabat cœpit propugnare.

s *Id. ep. 32.*

ANGELVS LOQVITVR AD AVRES AMBROSII.

VI. CONC. TREVER. IN CAVSA ITHACII EPISC.

Hoc eodem anno habita est SYNODVS TREVERENSIS ab Episcopis partis Ithacianæ, qui ipsum Ithacium, antea damnatum à Theognosto Episcopo, quod apud Maximũ (vt vidimus) ipse Sacerdos & Episcopus necem procurasset hæreticorum Priscillianistarum; (qua etiam ex causa complures Episcopi, qui & sanioris viderentur esse consilij, eiusdem Ithacij, tanquam sanguinarij communionem vitabant:) vt innocentem absoluerunt, patrocinante illi Maximo Imperatore. Quo tempore S. Martinus, multis grauibusq; laborantium hominum causis ad Comitatum ire compulsus, primo quidem cum iisdem Episcopis Ithacianis communicare, licet multum rogatus à Maximo, recusauit; sed postea, vt auerteret furorem eiusdem Imp. percussores his pro quibus Martinus rogauerat dirigentis, ac Tribunos in Hispanias mittentis ad inquirendos & occidendos hæreticos; ne & cum illis hoc prætextu multi alij, qui sanctioris essent vitæ Catholici, ideoq; Priscilliani hypocrisim affectare accusarentur, absque diligentiori examine multa pati cogerentur; cum iisdem Episcopis corpore, non animo, ad horam communicauit in ordinatione *Felicis* Episcopi: sed quamuis summa vi Episcopis nitentibus vt cõmunionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Verum & de ipsa communicatione iam dolens, & in regressu ab Angelo in via ei apparente correptus, quamdiu vixit peccatũ defleuit, & Ithacianorum cõmunionem vitauit, nullamq; Synodum adiit, aut Episcoporum conuentum; eo maximè quod ab eo tempore in curandis morbis detrimentum sentiret supernæ virtutis. Hæc omnia Seuerus *a* oratione soluta prosecutus est; quæ Fortunatus carmine cecinit.

S. MART. CÕMVNICANS CVM ITHA. ARGVITVR AB ANGELO.

a *Seuer. dial. lib. 3.*

VII. DE FELICE EPISCOP. TREVER.

Porro fuisse illum *Felicem*, cuius ordinationi S. Martinus adstitit, virum sanctissimum, & plane dignum qui meliori tempore Sacerdos fieret, Seuerus scribit. Fuisse vero ordinatum Episcopum Treuerensem, Marianus *b* Scotus affirmat. Sed sicut qui cum illo lapsus est S. Martinus, pœnitentia ad pristinam atq; etiam puriorẽ reuocatus est sanctitatem: ita & ipse Felix, quamuis à factione Ithaciana fuerit ordinatus, per pœnitentiam facinus purgans, dignus factus est vt inter Sanctos adnumeraretur. Quod autem pertinet ad Ithacium, superiorum omnium tumultuũ auctorem; eum tandem Ecclesiæ communione priuatum exilio damnatum esse, ibiq; vitam finiisse his ipsis Impp. Theodosio & Valentiniano regnantibus, Isidorus *c* tradit: quod accidisse putamus post mortem Maximi, cuius præsidio fouebatur.

b *Marian. Scot. an. 379.*

FINIS ITHACII.

c *Isid. de Vir. illust. c. 2.*

VIII.
d *Seuer. de Vit. S. Mart. 23.* QVID S. MART. IN CONVIVIO MAXIMI IMP.

Cæterum hoc eodem anno quo Martinus sub Consulatu Eudoxij Treuetos ad Maximũ se contulit, accidit quod idem Seuerus *d* alio loco describit; nempe eundem Sanct. Martinum precibus Maximi ad conuiuium accedere coactum, pateram regiam sibi oblatam iussu Imperatoris, ambientis eam ab illius manu sumere; vbi ebibisset, præ-

byteto suo tradidisse, quod nullum existimaret digniorem qui post se biberet. Sed & quam dignius eundem Martium Augustã, eiusdem Maximi vxor, femina sanctissima, comitino solis manibus suis parato exceperit, eique per se ipsam in modum famulæ stans ministrauerit, reliquiasq; deuore comederit; apud eundem auctorem *a* narratum inuenies. Haberq; *b* insuper, eundem Sanctum longe ante prædixisse Maximo, futurum vt si in Italiam pergeret aduersus Valentinianum, primo quidem impetu victor existeret, sed paruo post tempore periret: quod & accidit, vt videbitur.

a Id. 2. dia. 7. *b Id. d. c 23.*

IX. HIERON. PETIT ALEXANDRIAM, AD AVDIENDVM ORIGENEM. *c Hier. prooem. in ep. ad Gal.* *d Id. pref. in Didym. lib. de Sp. S.* *e Id. Apol. adv. Ruff.*

Inter hæc autem S. Hieronymus haud dudum moratus Hierosolymis, quo anno superiori peruenisse diximus, profectus est in Ægyptum, discendi cupiditate, licet iam senex esset: ibiq; magnum illum *Didymum* Alexandrinum, de quo superius, magistrum habuit in sacratum Scripturarum interpretatione: quem *videntem*, quamuis cæcus esset, ob eximiam ingenij perspicacitatem, appellare *c* cõsueuit; oculosque *d* eum habuisse columbæ, qui laudantur in Canticis Canticorum in sponsa. At sic quidem laudauit, vt tamen postea eundem Origenistam compertum, ea ex parte damnauerit *e*. Quod vero non sicut Ruffinum Didymus, ita & Hieronymum iisdem Origenis erroribus imbuerit; id inde acciderit puto, vel quod non ausus fuerit viro adeo perspicaci propinare venenum; vel si tentauit, expertus eum renitentem mox abstinuerit, ne apud magni nominis virum concepta semel caderet æstimatione.

f Id. cad. Apol. Reverti tvr in Palæstinam. *g Id. ep. 65. ad Pam.* *h Id. præf. in epp. ad Gal.* *i Id. præfat. lib. 7. in Ezech. ep. 22. ad Eustoch. & ep. 17. ad Marcel.*

X. GREG. NYSS. QVOD PEREGRINATIONEM IMPVGNET. *Quando et vbi et post Bel. Lateranense 3. de Sanct. S. Gretz. lib. 2. de Sacr. Peregr. c. 10. & in Not. aduers. Per. Molin. vbi probat confutantur eundem hæreticorum contra hanc Nysseni Epistolam argumenta.*

Cæterum qui Didymum auditurus aliquantisper Alexandriæ consedit, postea Ægypti monasteria *f* peragrauit; protinusq; Bethleem reuersus, & Hierosolymam, *Barrabanum* Iudæum magno labore, & pretio, in Hebraicis literis nocturnum habuit præceptorem, quod idem Barrabanus timeret Iudæos. Tuncq; insuper aggressus est *h* interpretari S. Pauli Epistolas: cum interea occupatissimus *i* esset in suscipiendis fouendisq; (vt ait) omnis generis, sexus, & nationis, peregrinis, de toto Orbe Hierosolymam ad visitanda sacra loca concurrentibus, & diuersarum virtutum specimen ostendentibus.

Sed quod in hæc incidimus, aduertendum est extare libellum, seu Epistolam potius dixerimus, Sanct. Gregorij Nysseni, hoc tempore in vita agentis, ac plura scribentis; qua totus in eo est, vt improbet eiusmodi ad loca Sancta peregrinationem: vnde etiam hagiomachi hodierni occasionem arripuere illius damnandæ. Scimus aliquos probatissimi, & omnibus sæculis (vt frequenter vidimus, visumque fuimus) in Ecclesia ab omnibus vbique Christianis receptissimi cultus defensione, eam Epistolam vt germanam Gregorij agnoscere minimè voluisse. At nos legitimum eum ipsius partum esse haud euntes inficias, breuiter respondemus, Gregorium eas scribere literas ad quendam monachum, imo & monachorum Abbatem; atque in eo totum esse vt dissuadeat viris, qui eiusmodi selectum viuendi genus aggressi fuerant, necnon & feminis, peregrinandi propositum; quod vix illud cum exacta obseruatione regularum monasticarum, & absque pudoris feminei dispendio, in tot ac tantis itinerum difficultatibus atque necessitatibus adimpleri posset. Atq; adeo vt hoc facilius persuadeat, inter alia affert, peregrinationes non esse ex præcepto Domini, nec homines ad eas teneri: Nempe hæc proponens, quod ob rei frequentissimum vsum, videret multos existimare, se minus Christiano dignos esse nomine, si ipsi agere prætermitterent quod scirent ab aliis impense præstari. Hæc autem scire à Gregorio dicta esse, prudens nemo negarit; cum & in eandem eius sententiam reperiantur simul ire alij sanctissimi Patres, quamuis alioqui easdem sacras peregrinationes non solum in aliis approbare, sed & plurimi ipsorum frequentare consueuerint. Cæterum longe alio ac plane contrario spiritu, Vigilantius primus hoc sæculo aggressus est, vna cum aliis quas euomuit impietates, improbare penitus qualemcunque peregrinationem ad loca Sancta; de quo dicetur suo loco.

XI. DE DISTRACTIONE RELIQVIARVM.

Hoc eodem anno mense Februarij, Theodosius Imperat. de non distrahendis Reliquiis Martyrum referipsit *a*. Cuius sanciendæ legis occasio inde accepta est, quod quidam pseudomonachi, cernentes totius Ecclesiæ Catholicæ erga SS. Martyrum Reliquias studiosum cultum & propensiorem amorem, circumeuntes turpis lucri gratia, consueuissent eas venditare vt S. Augustinus *b* declarat.

a L. vlt. C. Th. de sepulcr. *b Aug. de oper. monach. c. 28.*

Hoc item anno Ioannes Chrysostomus presbyter ordinatus est, non quidem ab Euagrio Antiocheneno Episcopo, (vt vult Socrates *c*) qui nondum hoc tempore successerat Paulino, sed à Flauiano alterius partis Catholicorum eiusdem ciuitatis Antistite, sicut testantur reliqui Græcorum historici: quibus & nos accedimus, quod constet ipsum communionis fuisse Flauiani. Nec tamen ideo illum quis putet schismaticorum Sacerdotem à schismatico ordinatum. Nunquam enim eo illud schisma Antiochenum progressum est, vt anathemati Flauianus subiectus fuerit; quippe quod spe concordiæ res tolerata, eo modo quo cœperat ad plures annos producta est. Annuisse vero diuinum numen eiusdem Chrysostomi Sacerdotio; & eum ab Angelo iussum esse ordinari, tum in ipsa ordinatione albam columbã (symbolum Spiritus Sancti) repente deuolantem stetisse supra caput eius; qui res ab eo gestas fideliter sunt prosecuti, testantur, & inter alios Leo Augustus in oratione de eius Vita; vbi & multa subdit miracula tunc Antiochiæ ab eodem presbytero facta.

c Socr. lib. 6. c. 3.

EIVS ORDINATIO SIGNIS PROBATA.

XII. CHRYS. ORDINATVR PRESBYTER.

Eum autem hoc anno creatum fuisse presbyterum, colligimus ex eodem Leone, ac Marcellino *d* Comite, & ante hos ex Palladio *e*, dum aiunt ipsum duodecim annos exegisse in presbyteratu, antequam crearetur Episcopus Coss. Honorio quartum & Eutychiano, anno Domini trecentesimo nonagesimo octauo: ex quibus & illorum errore refelliter, qui quadriennium tantum eidem ipsius presbyteratui tribuunt. Suscepta vero à Flauiano docendi populi functione, egregias illas habuit *Ad Populum Antiochenum* inscriptas orationes; cum tamen longe plures ibi dixisse oportuerit toto illo duodecim annorum spatio, quo Antiochiæ mansit. Ferunt que *f*, cum sublime dicendi genus arripuisset, redarguitum à pia mulierecula, quod eius orationes simplicioribus infrugiferæ essent; mutasse euestigio iuuenilis animi, cuius est alta petere, institutum, & dictionem faciliorem imis auribus accommodasse. Qua ex parte illud est consecutus, vt publicis frequẽtibusq; acclamationibus, CHRYSOSTOMVS, hoc est *Os aureum* diceretur: quod perinde ac inditum diuinitus nomen, in eius scriptis hactenus perseuerat, eodemque vulgo ab omnibus nominatur. Quantos vero insuper labores insumpserit ad extirpandos, seu reducendos, cum alios hæreticos, tum Marcionitas qui Antiochiæ latebant; itemq; ad expugnandos; conuertendosq; Gentiles, & destruenda ipsorum templa; satis docent varia ipsius tunc edita, Scripta, necnon eiusdem Vitæ Acta.

d Marcel. in Chron. *e Pallad. in dial. de Vit. Chrys.*

XIII.

f Ap. Mamb. in Vit. Chrys.

VNDE DICTVS CHRYSOSTOMVS.

Hoc eodem anno, qui & octauus Theodosij Imperij numeratur, S. Cyrillus Hierosolymitanus Episcopus (vt auctor est S. Hieronymus *g*) ex hac vita migrauit: de quo quidem, quod (vt idem ait) sæpe pulsus, ac sæpe in sedem receptus à Constantij temporibus fuerit, quantum temporis sederit haud explorarum haberi potest. Cuius monumenta ingenij extant *Catecheses*, quas in adolescentia elaborauit. Huic subrogatus est *Ioannes*, quem tempore persecutionis sub Valente Catholicos auctsatum esse, & cum Arianis ac Macedonianis communicasse, non obscure testatur aduersus eum scribens idem Hieronymus *h*. Sed & sub nomine Prætextati ipsum fugillat, redemptumq; ab hæresi pollicitatione Episcopatus affirmat. At de ipso plura inferius.

g Hieron. de Scrip. Eccl. in Cyrill. *h Id. ep. 61.*

* * *

XIV. CYRILLI HIEROSOLYM. VITA.

IESV CHRISTI ANN. 387.

SIRICII ANN. 3.

VALENTIN. II. 12. THEODOSII 9.

I. IVSTINA AVG. AMBR. VEXAT.

ANNO CHRISTI trecentesimo octogesimo septimo, Valentiniano Augusto tertium & Eutropio Coss. Iustina Augusta vna cum eodem Valentiniano filio, quam anno superiori aduersus Sanct. Ambrosium persecutionē concitare cœperat, maioribus prosecuta est incrementis. Ac primo quidem cum frustra tentasset *a* secreto illūm extra prouinciam deportare, promissis amplis dignitatibus iis qui ipsum de Ecclesia raptum ad exilium perduxissent; (quod cum multi conarentur, vnus cæteris infelicior nomine Euthymius, domo sibi iuxta Ecclesiam conducta, & curru ad eundem abducendum parato, cum diutius frustra expectasset, tandem ipsemet post annum, eodem die quo Ambrosium abripere cogitauerat, ex eadem domo, eodemq; curru deportatus est in exilium, ipso Ambrosio ei quæ ad victum necessaria erant subministrāte:) omniaq; incassum fieri cerneret; demum aperto marte eundem aggressa, edictum publicari curauit, quo inberentur Catholici Sacerdotes Auxentio aliisq; Arianis Ecclesias tradere, aut occidi. Aduersus quos omnes conatus mire eluxit, tum ipsius Ambrosij ingens animus in conseruandis basilicis, & sacris vasis, quæ dare, & ipse quo vellet abire iubebantur; paratus potius mortem oppetere, quam id præstare: tum populi Mediolanensis vigilantissimum studium in custodiendo diu ac noctu eodem Præsule suo, ab insultibus furentium Arianorum, & militum Prætorianorum.

a Paulin. in Vit. Ambr. & ipse Ambr. in Auxent. post ep. 32.

II. *b Ambr. ibid. c Id. ep. 33.*

Ea vero cuncta quomodo gesta fuerint, fusissimè ipse Ambrosius prosecutus est concione *b*, quam ad populum tum habuit in Auxentium, & Epistola *c* eodem tempore ad Marcellinā sororem scripta. In quibus inter alia quamplurima, quomodo se habeat Imperialis auctoritas cum Ecclesiastico iure, hæc eadem concione habet: *Tributum Cæsaris est; non negatur: Ecclesia Dei est; Cæsari vtique non debet addici; quia ius Cæsaris non potest esse Dei templum. Quod cum honorificentia Imperatoris nemo dictum potest negare: quid enim honorificentius, quam vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim bonus intra Ecclesiam, non supra Ecclesiam est. Bonus enim Imperator quærit auxilium Ecclesiæ, non refutat. Hæc vt humiliter dicimus, ita constanter exponimus.* Epistola autem ad sororem: *Conuenior ipse à Comitibus & Tribunis, vt basilicæ fieret matura traditio, dicentibus, Imperatorem iure suo vti, eo quod in potestate eius essent omnia. Respondi: si à me peteret quod meum esset, id est fundum meum, argentum meum, ius huiusmodi meum, me non refragaturum; quamquam omnia quæ mea sunt, essent pauperum: verum ea quæ diuina, Imperatoria potestati non esse subiecta.* Et inferius, alio habito ad populum sermone, quem eadem ad sororem Epistola refert: *Mandatur denique: Trade basilicam. Respondeo: nec mihi fas est tradere; nec tibi accipere, Imperator, experdit. Domum priuati nullo potes iure temerare: domum Dei existimas auferendam? Allegatur, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo: Noli te grauare, Imperator vt putes te in ea quæ diuina sunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est; Quæ Dei Deo: quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent: ad Sacerdotem Ecclesiæ: publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.* Hæc autem cum adeo constanter atque frequenter affirmet & inculcet Ambrosius, compello te, Christiane Princeps, quem tutius audies, Ambrosium, doctrina, moribus, pietate, ac fide Catholica probatissimum, miraculisq; clarissimū; an recentiores hæreticos omnia indiscriminatim Principibus tribuētes? Cum vero idem Ambrosius, ob huiusmodi obnisum, tyrannus ab aulicis vocaretur; Notario Imperatoris id obijcienti respondit, (vt ait ad sororem:) *Si hæc tyrannis videtur, habeo arma, sed in Christi nomine: habeo offerendi corporis mei potestatem. Quid moraretur ferire, si tyrannum putaret? Veteriure à Sacerdotibus donata Imperia, non vsurpata. Et vulgo dici, quod imperatores Sacerdotium magis optauerint, quam Imperium Sacerdotes. Christus fugit, ne Rex fieret. Habemus tyrannidem nostram. Tyrannis Sacerdotis infirmitas est. Cum infirmor, inquit a, tum potens sum.*

a 2. Cor. 12.

III.

Cæterum ex prædictis Ambrosij scriptis intelligitur, hæc gesta esse Dominica Palmarum, atque aliquot præcedentibus subsequentibusq; diebus. Errant aūt Socrates *b*, & Sozomenus *c*, qui hæc referunt ad tempora necis Gratiani Imp. Scripsit vero etiam de eadem re Ambrosius literas ad omnes Italiæ Episcopos, quæ penitus excidere; tantumq; superest breue fragmētum, quod S. Ioannes Damascenus *d* ex iis recitat de visione B. Pauli, qui eidem Ambrosio in tantis angustiis constituto apparuit confortans eum. Qui vero ipsum Ambrosium prædicta narrantem legerit, prorsus mirabitur vniuersum populum Mediolanensem Episcopo potius pro Ecclesiastica libertate pugnāti, quam Imperatori sibi ius in res diuinas & Ecclesiasticas arroganti, tanto periculo suorum capitum atque bonorum, studere ardentissimis conatibus delegisse: mercatores, vt fidem tuerentur, contempsisse lucra; nobiles prætulisse Crucis ignominiam Regiæ Pharaonis; ac deniq; milites, qui ad expugnandam basilicam accessissent, momento temporis esse conuersos in defensores. Sed quod ne sic quidem emolliretur obduratus Iustinæ animus, Deus pro Ambrosij defensione Maximum Imp. cōmouit: qui literis, quæ hactenus extant *e*, Valentinianum monuit, vt à vi in Sacerdotes abstineret, atq; religioni paternæ inhæreret. Ex quibus etiam plane apparet, non Mediolanenſem duntaxat Ecclesiā, sed & ipsam Romanam, aliasq; omnes existentes in prouinciis Valentiniano subditis, vexatas esse edicto illo in fauorem Arianorū promulgato. Quin & iam antea Iustinæ arbittio contigisse videtur, vt Catholicorum Ecclesiis tributū indiceretur ex agris; quod, licet indebitum, persoluere Ambros. *f* secundum Christianam mansuetudinem non recusauit, dummodo fidei Orthodoxæ & Catholicæ communionis basilicis parceretur. Cæterum meminit quoque literarum Maximi Theodoretus *g*; additq; eum minatum esse Valentiniano bellum, si non obtemperaret.

b Socr. lib. 5. c. 11. c Soz. lib. 7. c. 13.

d Damasc. or. 2. de Imag.

EGREGIA FIDES MEDIOLANENSIVM.

MAXIMVS AGIT PRO SACERDOT. CATHOL.

e Tom. 1. Epistol. Rom. Pont.

f Ambr. orat. in Aux. Vid. sup. ann. 57. num. XXIV.

g Theod. lib. 5. c. 14.

IV.

Cum vero necdum petulantia Iustinæ compesceretur, longe nobilius è cœlo Ambrosius præsidium suscepit, dum eodem tempore diuinitus per visum admonitus de loco vbi laterent corpora SS. Martyrum *Gerualii & Protasii*, ipse illa è terra refossa, digno cum honore in basilicam Ambrosianam transtulit; vnde præter multa alia eorundem vi tute miracula in confirmationem fidei Catholicæ edita, quæ idem Ambrosius *h*, necnon Augustinus *i* qui Mediolani tunc aderat, ex parte referunt; illud factum est omnium ferme maximum, quod ex eo tempore (sicut Paulinus *k* scribit) sedari cœperit persecutio, quæ Iustinæ furore accendebatur: licet Ariani *l* eorundem Sanctorum claritudinem miraculorum obscurare niterentur. Sed quæ palam Ambrosiū persequi destitit; iterum furiis agitata, paulo post eundem clam per sicarium intra cubiculum interficere pertentauit: cumq; sicarij dextera ad percutiendum eleuata obriguisset (quæ sanata est sceleris confessione;) demum ipsos dæmones per quosdam maleficos ad eundem necandum immisit; qui tantum abest vt illud exequi valuerint, vt nec ad fores domus appropinquare potuerint, quod ignis insuperabilis totum illud ædificium communiret, vt etiam longe positi vrerentur. Hæc cuncta Paulinus. Quo etiam auctore, & suffragatore S. Augustino *m*, constat ipsos dæmones, cum ab iis quos vexarent, virtute sacratum Reliquiarum SS. Gerualij & Protasij expellerētur, clamare solitos, se non à Martyribus tantum, sed etiam ab Ambrosio torqueri.

h Ambr. ep. 85 ad Marcel. soror.

i Aug. 9. Confess. 7. & libr. 22. de ciuit. c. 8.

k Paulin. in Vit. Ambr.

l Ambr. ser. 91 Paulin. in Vit. Ambr.

m Aug. de cur. pro mort. agē.

DÆMONES AB AMBROSIO TORTI.

V.

Verum adhuc parua hæc Deo visa sunt Sacerdotem suū amplioribus honoribus prosequēti. Factum enim insuper voluit, vt qui mille nocendi artibus ipsum appetissent, iidem mox adirent eum supplices, suæq; salutis arbitrum, & seruatorem Imperij profiterentur. Cum enim Maximus Imp. in Italiam venturus nunciaretur; Ambrosius in Gallias proh-

AMBROS. ADVOCATVR LEGATIONEM OPITVR AD MAXIMVM.

proficiſci à Valentinano, ipſiuſque matre Iuſtina rogatus eſt, vt (quod alias ante experti fuerant) legatione ſua Maximum talia conantem coerceret. At non vt prior, ita poſterior hæc Ambroſij legatio feliciter ceſſit; nimirum quod miſta fuiſſet tam diuina ſententia definitum, eos qui depellendis Catholicis Sacerdotibus ab Eccleſijs promulgaſſent edictum, à ſuo ipſorum fore expellendos Imperio: vt ſic poſteri intelligerent Principes, quanto periculo laceſſant Eccleſias & Sacerdotes. Quid autem in ea legatione Ambroſius egerit, ſcripta ab ipſo Epiſtola *a* ad Valentinianum declarat, qua ſingularum rerum tunc Treuetis cum Maximo geſtarum exacta relatio continetur. Ad cuius finem air, ſe, quod abſtinuiſſet ab Epiſcopis communionis Maximi, vel qui deuios à fide ad necem petebant, ab eodem Maximo iuſſum eſſe ſine mora Treueris recedere. Et hoc eſt quod Paulin. *b* ſcribit, Ambroſium à cõmunionis conſortio ſegregaſſe Maximum; nimirum quod nec cum ipſo voluit communicare, ob effuſum ab eo ſanguinem innocentem Domini ſui; nec cum Epiſcopis ei communicantibus, quod eſſent partis Ithacianæ, de qua ſuperius: aduerſus quos & eumdem ipſum literas dediſſe, idq; pariter feciſſe Siricium Papam, expreſſim habetur in Concilio *c* Taurinenſi. Porro vltimo loco ſuæ Relationis Ambroſ. Valentinianum monuit, vt ſibi caueret à Maximo, pacis inuolucro bellum tegente.

a *Ambr. ep. 17.*

b *Paul. in Vit. S. Ambr.*

c *Conc. Taurin. c. 5.*

V. MAXIMVS IRRUMPIT IN ITALIAM.

At negligens ille imprudenter nimis eiuſmodi admonitionẽ, alium ad eundẽ Maximum Legatum miſit, Domninum natione Syrum, ſummæ apud ipſum Valentinianũ auctoritatis. Qui vanis deceptus Maximi illecebris, immenſis; muneribus; partem etiam ipſius exercitus ſecum in Italiam redixit, quam Maximus Valentiniano ſimulabat auxilio mittere aduerſus barbaros Pannonijs imminentes. Sicque ipſe Dominus viam reddidit faciliorem Maximo: qui mox eum cum reliquo exercitu ſecutus, magnaq; celeritate Italiam, nemine præpediẽte, ingreſſus, Aquileiam copias duxit. Quo repentino caſu Valentinianus oppreſſus, naui Theſſalonicam aufugit cum matre Iuſtina, & ſorore Galla: eoque Theodoſius Imper. aduenies, accepit in vxorem, prædictam *Gallam*, Valentiniani Senioris ex eadem Iuſtina filiam. Hæc omnia pluribus Zoſimus *d*. Quãtis autem laboribus, & impenſis, Theodoſius Valentinianum reſtituere in regnum ſtuduerit, Auguſtinus *e* eius in ea re commendans pietatem docet, & dicetur inferius ſuo loco. Hanc vero contigiſſe vindictam, ob contemptum, atque perſecutione exagitatum S. Ambroſium, Ruffinus & *f*, poſt eum alij æquè confirmant. Factumq; inſuper diuino conſilio Pacatus *g* ait, vt Maximus innocentis Gratiani ſanguinis reus, ſceleri ſcelus adderet, quo Theodoſio in eum pugnandi vincendiq; neceſſitas imponeretur; daretq; tandem ille de cruenta violentaq; tyrannide pœnas. Theodoretus *h* autem air, Theodoſium, cum audiſſet fugam Valentiniani, primo ad eum ſcripſiſſe, nõ debere eum mirari quod ſibi Imperatori terror incuſſus fuiſſet, & robur tyranno adiunctum; quippe ipſe pietatẽ armis oppugnaſſet, tyrannus autem defendiſſet, cum autem ad eum acceſſiſſet, primum animo eius adhibuiſſe curationem, impietatis morbum euulſiſſe, & ad pietatem paternam reduxiſſe: ac demum iuſſiſſe bono animo eſſe, & contra tyrannum expeditionem ſuſcepiſſe.

d *Zoſ. lib. 4.*

e *Aug. 5. de ciuit. 26.*

f *Ruff. lib. 2. c. 16.*

g *Pacat. Panegyr. Theodoſ.*

h *Theodor. l. 5. c. 13.*

VALENTIN. IVGIT. AD THEODOS.

Interea auctor eſt Socrates *i*, Maximum legatos miſiſſe ad Theodoſium; à quo nec excepti nec excluſi fuerint, cum tamen ad vindicandum ſcelus tacite expeditionem pararet. Sed & maxima clade à Maximo Italiæ partem illã, quæ poſt Alpium deſcenſum occurrit, affectam eſſe; nobileſq; ciuitates, Placentiam, Rhegium, Mutinam, Bononiã, & alias dire exagitatas, Pacatus affirmat, meminitq; Ambroſius *k*: qui quod teſtetur, ſe hoc anno vitam produxiſſe ad annum ætatis quinquageſimum tertium; inde quamdiu vixerit, facile poteſt colligi. Sed mira quadam diſpenſatione factum eſt, vt quamuis in eundem Maximus perinfenſus eſſe videretur; nihilominus nec ei, nec eius Eccleſiæ Mediolanenſi, quicquam negotij in tanta vicinarum ciuitatum vexatione facſitatum appareat. Qua ipſe pace bene vſus, totus fuit in ſubleuandis egenis, atque redimendis captiuis; quorum cauſa ſacra etiam vaſa confregit: vnde ab Arianis arrepta oblatrandi occaſione, ab eaſe accuſatione defendit *a*. Laudaſſe autem Sanct. Auguſtinum illud factum, atque imitatum eſſe, Poſſidius *b* tradit.

i *Socr. lib. 5. c. 11.*

k *Ambr. ep. 8. & 57.*

AMBROS. VASA SACRAÇÕ ET CIV REDIM. CAPTIVIS.

Cæterum Maximus cum tantum timorem vniuerſis incuſſiſſet, vt nullum ſibi iam aduerſari videret; Imperatoris aggreſſus eſt perſonam agere, non tyranni: & quo ſibi Senatum populumque conciliaret, cunctis morem gerere etiam plus æquo ſtuduit; atque inter alia, Gentilibus ſacrificia, ſublatamq; in Capitolio Aram Victoriæ reſtituit, vnde & à Symmacho laudatus eſt libro eo argumento conſcripto, coram ipſo, vt ait Socrates *c*, recitato:) Iudæiſque *d* multa indulſit: & ne hac ex parte Catholicos concitaret, quam acerrimum ſe fidei Catholicæ exhibuit defenſorem, vt patet ex Epiſtola *e* quam dedit ad Siricium Papam.

a *Id. 2. Offic. 28.*

b *Poſſid. in Vit. S. Aug. c. 24.*

c *Socr. lib. 5. c. 14.*

d *Ambr. ep. 29*

e *Ext. tom. 1. Epiſt. Rom. Pontiff.*

VIII. MAXIMVS OMNIVM CAPTAT BENEVOLENTIAM.

IESV CHRISTI ANN. 388.

SIRICII ANN. 4.

VALENTIN. II. 13. THEODOSII 10.

ANNO CHRISTI trecenteſimo octogeſimo octauo, Theodoſio Auguſt. ſecũdum & Cynegio Coſſ. ipſo anni exordio idem Imp. aduerſus Maximum expeditionem parans, eius cauſa tributum nouum indixit; quod cum inter alios permoleſte ferrent ciues Antiocheni, proſilientes in forum, veſano impetu irruerunt in ſtatuam æneam Flaccillæ olim Auguſtæ, biennio ante vita functæ, eandemq; loco emotam cum ignominia per vrbem protraxerunt. Hæc Theodoretus *f*: ſed Sozomenus *g* atque Zoſimus *h*, eadem cõtumelia ipſius quoq; Theodoſij ſtatuas affectas narrant; idq; ex oratione *i* Flauiani coram eodem Imp. habita verius demonſtratur. Quod autem iidem Theodoretus & Sozomenus, hæc referunt ad tempus poſterioris aduentus Theodoſij in Italiam aduerſus Eugenium tyrannum; eis aduerſatur imprimis Zoſimus, qui tempore expeditionis in Maximum ea contigiſſe refert: itemque S. Ambroſius *k*, dum ad Theodoſium ſcribens eo tempore quo Maximum expugnauit, meminit de indulgentia conceſſa Antiochenis.

ANTIOCHENI DEIICIVNT STATVAS IMPP.

f *Theod. lib. 5. c. 19.*

g *Soz. lib. 7. c. 23.*

h *Zoſ. lib. 4.*

i *Ap. Chryſ. ad pop. hom. 20.*

k *Ambr. ep. 28.*

Porro Theodoſius ob illud facinus vehementer in Antiochenos commotus, miſit eo Iudices cum exercitu; qui primum omnium ciuitatem illam nobiliſſimam, metropolis totius Syriæ dignitate ſpoliauere; (Translatam n. fuiſſe Syriæ metropolim in Laodicenſem ciuitatem, Scriptores affirmant:) & omnia loca publica, puta balnea, theatra, fora, & alia id genus clauſere: inde vero ciuiũ complures, qui admiſſi ſceleris vel auctores videri poterant, vel ſocij, aſſectatoreſque, captiuos abduxere; cum interim cæterorũ pars magna fuga ſibi conſuleret, & pauci qui remanerent, in continuo metu eſſent. Quos Ioannes Chryſoſtomus Antiochenus presbyter aſſiduis concionib. conſolans, habuit tunc orationes illas, quas Græcè (vt teſtatur Suidas *l*) *Andriantas* nominant, nempe de Statuis; ex quibus *m*, illius vrbis deploratiſſimus ex omni parte ſtatus abunde cognoſci poteſt. Sed mox in omnium auxilium properans è monũb. proximis magna ſanctiſſimorum multitudo monachorũ, id tandem precibus, ac monitionib. & conteſtationib. ſuis apud Iudices effecerunt, vt ſententia de nece ſontium differretur, donec quid de his decernendum eſſet, ab Imperatore ſignificaretur.

l *Suid. verb. Placilla. m Vide prædict. hom. 2. & 13. ad pop. Antioch.*

III. FLAVIANVS OBTINET AB VENIAM.

Verum inter hæc, qui ſimul ac dirum illum à ciuibus facinus fuerat perpetratum, antequam Iudices ad illud vindicandum Antiochiam aduenirent, Flauianus eius ciuitatis Epiſcopus legationem pro populo libens volenſq; ſuſceperat Conſtantinopolim ad Theodoſium; egregia illum oratione iam longo itinere meditata omnino placauit: ſic-

uit: sicut testatur Chrysostomus *a* homilia post eiusdem sui Antiſti is reditum habita, qua ipsius legationis narrationem instituit, ipsamq; eandem Flauiani ad Imperatorẽ habitam orationem recitauit: additque de Imperatoris in eundem humanitate, & cura de celeri ipsius Antiochiam reditu ad consolandos ciues, & à metu liberãdos ante imminens festum Paschale, quod cum omni gaudio celebrare deberent. (Quam eiusdem Imper. clementiam, non in parcendo tantum, sed quam celerrimè veniam impertitam nunciando, Themistius *b* quoq; Philosophus eximiè prædicauit.) Cum igitur constet, oratione Flauiani Theodosium fuisse placatum; commentum putamus, quod Sozomenus *c* habet de adolescentibus ad mensam Imperatoris canere solitis; nempe quod eis Flauianus persuaserit pronunciare cantilenas, quæ in Antiochiensium supplicationibus erant, eoque facto Imperator iram posuerit. Nihil n. prorsus de his Chrysostomus, quæ primo loco fuerant collocanda. Sed & quod idem Chrysostomus *d* Philosophis tunc Antiochiæ agentibus exprobrat, quod vniuersi suos ciues ipsamque ciuitatem omnino deseruerint; plane redarguit grande mendacium Zosimi *e* quo tradit Libanium vna cum Hilario pro salute ciuitatis legationem suscepisse ad Theodosium. Cum & alioqui Libanium alij sub Valente defunctum tradant, alij vix ad initium Imperij Theodosij peruenisse confirment. Denique cum Antiocheni à nescio quo Gentili orationem de consolatione in his ærumnis audissent, graniter in eos inuectus est Chrysostomus *f*, quod qui Ethnicos docere debuissent, ipsi ab illis doceri sustinuissent. At de rebus Antiochenis hactenus.

Hoc quoque tempore, antequam Theodosius cum exercitu in Occidentem proficiscereturr, contigit Constantinopoli nobilissimus alius eius conflictus cum *Olympiade* clarissima femina, Anysij Secundi (vt vocat Menologium *g* Græcorum; ex quo Palladium corrigas, apud quem *h* pro Secundo Seleucus legitur) filia, Ablauij illius, penes quem summa rerum fuit temporibus Constantini, nepte: quam viduam, simulque virginem, forma florentem, eruditione singularem, ac locupletissimi heredem patrimonij, post viginti mensium matrimonium, relictam à Nebridio C. V. alterius Nebridij sub Constantio Præfectura Prætorij *i* insigniti filio, cui admodum iuuenis nupta fuerat; Theodosius conatus est coniungere in matrimonium Elpidio cognato suo Hispano homini. Sed illa renuente, quod DEO tantum vacare instituisset; Imperator omnem eius substantiam (ex qua pauperes, ipsosque Episcopos insigniores sustentare consueuerat) Præfecto Vrbis in custodiam dedit, quo his angustiis coacta coniugalem eligeret vitam: verum postea cum vidisset ipsam his magis oblectari, tantumque petere vt ea pauperibus diuiderentur; post suum à bello reditum, eius tolerantiam laboremque admiratus, in sua in omnibus libertate esse iussit: quæ demum Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconissa creata, munus illud, ad quod nondum annis apta erat, magna totius Ecclesiæ laude expleuit; bona sua liberalissimè in pios vsus expendens: de qua sæpe inferius agendum. Hanc porro de illa historiam pluribus referunt Palladius in Dialogo, ac Leo Augustus in Rebus gestis S. Ioannis Chrysostomi. Eaque ipsa est Olympias, ad cuius nuptias cum ingens inuitata accurreret Episcoporum multitudo; quod ipse Gregorius Nazianzenus interesse minimè valeret pondagra laborãs, ad Anysium patrem scripta Epistola *k* se excusauit, sed donum misit carmen paræneticum loco epithalamij nuptialis, quod hodieq; extat. Quod vero eandem ferme omnes virginem prædicant; tamen ex Chrysostomi quadã ad illam scripta Epistola* colligi videtur, eam non tam corporis integritate, quam incorruptione morũ, & bonorum operum luce, quibus abunde ornata erat, sic appellatam esse.

Cæterum Theodosius profecturus contra Maximum, diuersis modis sibi à Deo suppetias implorare laborãs, imprimis legatos in Ægyptum misit ad sanctos ibi agentes anachoretas, quos pro se certantes precibus habere voluit propugnatores. Atque inter alios, *Ioannem* sanctissimum monachum, à S. Hieronymo *l* magnopere commendatũ, quem propherandi spiritu præditum fama crebrescente didicerat de belli euentu consulens; ab eo nuntium victoriæ certissimum accepit; sicut tradunt Augustinus *a*, Rufinus *b* & Euagrius *c*. Habentq; insuper Acta* Cyri & Ioannis de *Semuphio* magni nominis Ægypti anachoreta, ipsum, cum ab eodem Theodosio per Theophilum Alexandrinum Episcopum rogaretur ad se venire, summa humilitate se excusantem, Deum orasse, vt superhumerali & baculo suo darer, vt tantum posset, quantum ipse Semuphius si illic adesset; misisseque eadem ad Imperatorẽ, vt cum pugnandum esset aduersus hostes, superhumerale capiti suo imponeret, ac baculum manu gestaret; idque Imperatorem exequentem, his auxiliis gloriosissimam victoriam sine labore ac suorum sanguine reportasse: eamque diem anniuersaria festiuitate postea magnifice ab Alexandrinis celebrari solitam; nominatamque εἰκόνιον, ab imagine, quod Imperatoris statuam fecissent, capite superhumerali indutam, dextera baculum tenentem. Hæc ibi recitatq; eadem breuiter Glycas *d*: sed quo potissimum tempore, num aduersus Maximum hoc anno, an alias bellis id acciderit, penitus ignoratur.

Eodem item huius expeditionis tempore, idem Imper. aduersus quoscunque hæreticos, varia sub huius anni Coss. Thessalonicæ atque Stobis rescripta edidit, quibus quales cunque vbique conuentus agere, publicos vel priuatos, aliaque adire munera Ecclesiastica, necnon de Religione disputare prohibuit. Ex quibus cum Marcellinus arguitur, dũ sub anni superioris Coss. Theodosij in Occidentem aduentum collocat; tum Socrates *f*, qui affirmat eum, exceptis Eunomianis, reliquis hæreticis, puta Arianis & Nouatianis, concessisse priuatos conuentus agere, & Ecclesias extra ciuitates construere. Nam & in his tum Arianorum & Apollinariorum expressa fit mentio, tum cæteri omnes hæretici generali nomine comprehenduntur: & in aliis pariter superius recensitis, atque inferius recensendis eiusdem Imperat. sanctionibus, idem obseruare licet.

Accidit autem prospere Theodosio, vt cum manu altera aduersus hæreticos pugnaret, altera hostes deuicerit; nempe Maximum Scisciæ in Pannonia, eius vero fratrem Marcellinum apud Petauionem; quos ingentibus pollentes exercitibus, duobus maximis præliis superatos fugauit. Sed & cum Maximus Aquileiam se recepisset, ibi mox ab eodẽ Theodosio obsessus est; ac paulo post à suis ipsius militibus captus, atque ad Theodosium vinctus perductus, confestim ab iisdem, (cum viderent Theodosij animum flecti ad misericordiam) nequid, vt ait Pacatus; hiceret posset clementiæ, inter innumeras manus raptus est ad mortem sexto Calendas Septembris. Nec ita post in Sicilia Andragarhius, eiusdem Maximi classis præfectus, olim Gratiani proditor, audita eius nece se præcipitem dedit in fluctus: secutaque est mors *Victorii* Maximi filij, à patre iam Augusti nominati; quem Arbogastes Comes proditione cõfecit, puerulum apud matrem relictum in Galliis. Hæc à Zosimo *g* copiosius quam ab aliis describuntur: narrantur vero etiam à Pacato *h*, Socrate *i*, & aliis *k*; meminitq; Ambros. *l*, qui & ait ingentes illas victorias Theodosium reportasse ope *Francorum* atq; *Saxonum*. Pro victoria vero de Maximo parta, Romanos quolibet postea anno festũ agere consueuisse, testis est Procopius *m*. Quod quidem eo dignius fuit peragi, quo Pacatus ait, tanta Theodosium erga reliquos hostes clementia vsum esse, vt nullius bona publicata, nullius mulctata libertas, nullius dignitas imminuta fuerit: deniq; fecisse Imperatorem, vt nemo victus ipso victore videretur. Additq; Ambrosius, ipsum Maximi filias reuocasse, nutriendas apud affinem dedisse; matriq; eiusdem misisse de ærario suo sumptus. Restituto post hæc, maxima omniũ laude *n*, Imperio Occidentali Valentiniano (cuius mater Iustina his diebus defuncta *o* est) manssit hoc anno Theodosius Aquileiæ & Mediolani; vbi datis rescriptis *p* acta sub Maximo infirmauit.

Cum ex altera parte Constantinopoli falsis dissipatis rumoribus de maxima clade ei per Maximum illata; Ariani *q* animis resumptis, Nectarij Episcopi domũ iniectis facibus incẽderunt. Sed paulo post accepto nuntio de Impe-

i Cyrill. ad ann. 5. Quam tñ eius orationẽ habuit de reb. ist. Antiochenis fuisse, colligit Petau. in Not. ad cã. ex eo quod Themistius ait, Theodosij indulgentiæ, de qua ibi agitur, subscripsisse quoq; Augustũ, & vnicũ quẽ tunc habebant filiũ: ac proinde patet, ea cõtigisse non solũ ante obitũ Flaccillæ, sed etiã ante ortum Honorij, ieniorisue ipsorum filij.)

c *Soz. lib. 7. c. 23*

d *Chryſ. hom 17 ad pop.*

e *Zoſ. lib. 4.*

f *Chryſ. hõ. 16.*

IV. IN IGNES CERTAMẽ THEODOSII CVM OLYMPIADE.

g *Menol. 8. Cal. Aug.*

h *Pallad. in Lauſiac. c. 43.*

i *Ammian. lib. 27.*

k *Greg. Naz. ep. 57.*

* *Chryſ. ep. 1. in addit.*

V. THEOD. CONSVLIT SERVOS DEI DE BELLO.

l *Hieron. ad Cteſiph. cont. Pelag.*

a *Aug. l. 5. de ciuit. 26.*

b *Ruff. lib. 2. c. 11.*

c *Euagr. Vit. SS. Patr. c. 1.*

* *Ap. Metaph. 31. Ianuar.*

d *Glyc. A. & par. 3.*

VI. RESCRIPTA ADVERSVS HÆRET.

e *L. 14. 15. 16. B. Tiede hart. l. 12. C. Theſ. de his qui ſup. relig. cant.*

f *Socr. lib. 5. c. 20.*

VII. VICTORIA DE MAXIMO.

MAXIMVS NECATVR CVM SVIS.

g *Zoſ. lib. 4.*

h *Pacat. panegyr. Theod.*

i *Socr. lib. 5. c. 14.*

k *Paul. diac. Gild. Sap. & alij.*

l *Ambr. ep. 29. ad Theod.*

m *Procop. de bel. Wandal. lib. 1.*

n *Aug. 5. de ciuit. 26.*

o *Soz. lib. 7. c. 14.*

p *l. 6. & 7. de inſtr. inis quæ ſub tyran.*

VIII.

q *Socr. lib. 5. c. 13. Soz. lib. 7. c. 14.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ratoris victoria, multo timore concussi, intercessione *a* Arcadij Theodosij filij veniam sceleris impetrauerunt. Nec prætereat, quod hoc ipso anno, antequam Maximus victus esset, Theophilus *b* Episcopus Alexandrinus misit in Italiam Legatum Isidorum, (olim Nitriæ monachum *c*, postea presbyterum Alexandrinæ Ecclesiæ factum, virum spectatum valde ac prædiuitem, sed qui omnia Christi amore in pauperes fuerat elargitus) cum literis atq; muneribus, vt alterutri qui vinceret ea traderentur. Qua fraude Romæ per Theophili lectorem detecta, ipse Isidorus metu perculsus mox Alexandriam profugit: de quo rursum inferius agendum.

a *Ambr. d. ep. 29.*
b *Socr. lib. 6. c. 2.*
c *Pallad. in Lausiac. c. 1.*

IX. AVGVSTINI BAPTISMVS.

Hoc ipso anno S. Augustinus, quem trigesimo primo suæ ætatis cõuersum esse, ac biennio catechumenum perseueraſſe diximus *d*, iam trigesimo quarto ætatis, Paschali *e* tempore Mediolani à Sanct. Ambrosio baptizatus est, vna cum Alipio Hipponensi amico charissimo, & Adeodato filio naturali, adolescente tunc annorum ferme quindecim, sed miro prorsus ingenio prædito; qui post paucos annos in Africa defunctus est. Porro fertur Ambrosij nomine sermo *f* de Baptismo S. Augustini; sed qui nec apicem habeat Ambrosij. Nam vt de dissimilitudine styli dicere prętermittamus, imperitus ille fictor imposturæ perfacile arguitur tum ex aliis, tum quòd ait August. Carthaginiensem fuisse, atq; ex Gentilium cultu factum Christianum, & in baptismo cuculla nigra fuisse indutum: cum tamen certo sit certius, August. Tagastensem fuisse; nec vnquã Gentilem, licet sectator fuerit Manichæorum; ac deniq; moris fuisse inuiolabilis, baptizatum quemlibet albis indui *g* vestimẽtis. Post susceptum vero baptismum, idem Augustinus haud diu Mediolani passus est detineri; sed vna cum sancta matre, filio, Alipio, atque Euodio Agente in rebus nuncupato, per & ipso ad fidem conuerso, reuersurus in Africam, Romam se contulit: vbi vsque ad sequentis anni tempus nauigationi commodum remansit, complura scribens cum aduersus Manichæos, tum de aliis rebus, vt ipsemet *h* alibi enumerat.

d *Aug. 9. Confess. 6. & cont. Pelag. lib. 1. c. 3. Ap. Ambr. ep. 92.*
e *Possid. in Vit. Aug.*
f *Aug. 9. Confess. 6. & cont. Pelag. lib. 1. c. 3. Ap. Ambr. ep. 92.*
g *Vid. sup. an. 57. XXIX. in fin.*
h *Aug. 1. Retract. 7. 8. 9.*

[Extat Chronicon Sanct. Dacij Mediolanensis Episcopi; in cuius libro 1. cap. 10. scribitur hoc modo *A B. Ambrosio cuncto fidelibus verbis astantibus, & videntibus, in nomine sancta & individua Trinitatis, Augustinus baptizatus & confirmatus est: in quibus sanctis, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deũ laudamus, cantẽtes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus, ediderunt.* Certe Ecclesia in diuinis Officiis, illud canticum Ambrosij & Augustini vocat. Prædicti vero Dacij fit honorifica mentio in cœnis sub Iustiniano Imp. (quo tempore vixit) & apud Sanct. Gregorium 4. Dialog. 4.]

HYMNVS TE DEVM LAVD.

Eodem item anno, Theodosio Mediolani agente, accidit *i* vt in partibus Orientis à Christianis synagoga Iudæorum, & lucus ac fanum Valentinianorum hæreticorũ incensa sint, quod ij monachis Christianis, cum cantibus ad celebritatem Machabæorum Martyrum processionaliter, ex consuetudine vsuque veteri, pergentibus insultassent. Qua de re certior factus Theodosius, præcepit vt synagoga ab eius loci Episcopo reædificaretur, qui auctor incendij ferebatur. Sed quod indecens esset, synagogas Iudæorum à Christianis instaurari; ne id fieret, S. Ambros. *k* obstitit, magna dicendi libertate ac vigore Sacerdotali, & literis absens, & verbis præsens, apud Imperatorem vsus; quibus inter alia fortiter inculcauit, neq; Imperiale esse, libertatem dicendi negare; neq; Sacerdotale, quod sentiat non dicere: veniamq; tandem Christianis illis, & monachis, ac Episcopo impetrauit. Idemq; legationi Gentilium Senatorum, petentium ab Imperatore vt Aram Victoriæ à Maximo restitutam sineret permanere in Capitolio, sese æquè fortiter opponens, illum ab eiusmodi concessione reuocauit *l*.

X. DESYNAGOGA IVDÆOR. & LVCO VALENTINIANORVM INCENSIS À CHRIST.

i *Paulin. in Vit. S. Ambr.*

k *Ambr. ep. 29 ad Theod. ep. 18. ad sor. Paul. ibid. Id. ep. 15. edit. Sixt. ad Eug.*

XI.

Hoc item anno Cynegium, qui vna cum Consulatu Præfecturam Prætorij administrabat, ex hac vita migrasse, auctor est Zosimus *m*, in eiusque locum Tatianum suffectum fuisse. Porro ad eundem Cynegium eo fungentem magistratu, Theodosius pro schismaticis Luciferianis rescriptũ dedit, quod extat in libello Marcellini presbyteri ac Faustini diaconi. Cuius quidem ea præcessit occasio, quod iidem Marcellinus ac Faustinus ex schismate Vrsicini inhærentes schismaticis Luciferianis, aduersus Orthodoxos libros conscripsissent, quem *a* Theodosio obtulerunt: quo lecto Imperator, vel ignorans ipsos fuisse schismaticos, vel quod perperam putasset reperiri fidem in schismate; (cum & qui obtulerunt, in omnibus profiterentur sese Catholicæ fidei defensores, ob eamq; causam plurimum vexari à Catholicis vel hæreticis Arianis;) voluit prædicto suo illos fouere rescripto. Res autem sic se habuit, donec hæc ipsa Episcopis Catholicis innotuere: qui cum quod verum esset Theodosio significassent, omnes ipsorum conatus prorsus irritos reddiderunt; adeoque schisma discussum fuit, vt posthac nulla amplius mentio reliqua fuerit Luciferianorum schismaticorum. Qui vero apud eos sanioris fuere consilij, Ecclesiæ se Catholicæ coniunxerunt: vt inter alios *Gregorius* Bæticus Eliberi Episcopus, de quo iam dictum alia occasione superius; cuiusque meminit Sanct. Hieronymus in Scriptoribus Ecclesiasticis, & eiusdem hactenus extat liber *de Trinitate ad Gallam Placidiam* titulo prænotatus; nomenq; inter Sanctos *b* relatum habetur.

m *Zos. lib. 4.*

XII. QVID THEODOS. IN CAVSA LVCIFER. SCHISMAT.

a *Gennad. de Scrip. Eccl. c. 16.*

SCHISMA LVCIFER. PENITVS DEFICIT.

b *Martyr. Rom. 24. Ap.*

Fertur etiam Chromatij Episcopi Aquileiensis, & Heliodori Altinẽsis nomine Epistola ad Sanct. Hieronymum scripta; qua dicitur, hoc anno simulac Theodosius Mediolanum ingressus est, conuocasse ad se omnes Italiæ Episcopos in causa quorundam Episcopotum Arianorum. In eoque conuentu laudatus traditur ab eodem Imper. alius *Gregorius* Episcopus Cordubensis, quod diebus singulis, etiam ieiunij tempore, illorum Martyrum memoriam recoleret, quorum natalitia contigissent; deq; his ipsos Chromatiũ & Heliodorum ad S. Hieronymum dedisse literas, quibus eum rogarent vt Martyrologium conscriberet: Ei aũt Epistolæ, veluti ad eam redditæ ab eodem Hieronymo ad ipsos literæ subijciuntur. At sicut ea cuncta spuria esse, alibi *c* demonstratum est; ita econtra merito affirmamus auctoritate Cassiodori *d*, ipsum S. Hieronymũ perbreuem Sanctorum collectionẽ elaborasse, eamq; ad eosdem Chromatium & Heliodorum missam toto Christiano Orbe vulgatam esse.

XIII. DE PALLADIO GALATA.

c *Baron. tract. de Martyrol. c. 7.*
d *Cassiod. Instit. divin. lect. c. 32.*

Hoc eodem anno, nempe sub Consulatu Theodosij secundo, *Palladius* Galata (vt ipse testatur *e*) Alexandriam petiit; qui tum ex iis quæ eremum Ægypti peragrans vidit, tum ab aliis audiuit, scripsit postea commentarium ad Lausum Præfectum, quem ideo interdum *Lausiaca* appellarũt; cui & *Paradisi Heraclidis* titulus præfixus alicubi reperitur. Mansit hic in eremo cum Euagrio Pontico aliquot annis: cuius consuetudine, Origenis erroribus imbutus, eos postea in Palæstina docere conatus est; ideoque eum cauendum, Sanct. Epiphanius *f* Ioannem Hierosolymitanum Episcopum quamprimum admonuit. Inde vero recedens in Bithyniam, & Catholici hominis personam induens, Episcopus Helenopoleos ibidem creatus est; inq; Ioannis Chrysostomi amicitiam se insinuans, ob eiusdem defensionem multa passus *g* est, atque eadem occasione ex Oriente recedens, Romam *h* se contulit ad Innocentium Papam; vt dicetur suo loco.

e *Pallad. in Lausiac. c. 1.*

XIV. DE EVAGRIO PONTICO.

f *Ap. Hier. ep. 60.*
g *Pallad. ibid. c. 22.*
h *Id. c. 59.*

Quod vero ad *Euagrium* spectat; fuit is origine Iberus citra Pontum Euxinum, quem ob id *Hyperboritam* appellat Sanct. Hieronymus *i*: qui quidem à S. Basilio Lector ordinatus, & à S. Gregorio Nazianzeno Constantinopoli factus diaconus, Nectarioque commendatus; inde diuino impulsu coactus recedere, Hierosolymam ad Melaniam se contulit: vbi corporis mala valetudine diu affectus, pœnitentia antea actæ vitæ ductus, & ex clerico monachus redditus, in Nitriæ monte Ægypti ad decimumsextum vsque annum degit; prout idem qui ei inhæsit Palladius *k* tradit. Scripsit autem præter *Vitas Patrum* multa alia, quorum meminere Hieronymus *l*, Sozomenus *m*, & Socrates *n*, necnon Gennadius *o*, qui erga Pelagianos & ipse Pelagianus propensior, tribuit falsus auctor Euagrio signa atque prodigia; quorum tamen Palladius illius socius, rerumque ab eo gestarum scriptor, nullo modo meminit. Sic namq; Euagrius sectatus est Origenis errores, vt sententia Hieronymi *p*, Epiphanij *q*, Theophili Alexandrini, & aliorum Orthodoxorum, idem ipse Pelagianis materiam præparauerit delirandi. Cuius errores minimè exploratos habens Sozomenus, plurimum eum commendauit. Qui vero &

i *Hier. ep. 65.*
k *Pallad. ibid. c. 25.*
l *Hier. præf. adu. Ruffin. lib. 2.*
m *Soz. lib. 6. c. 30.*
n *Socr. lib. 4. c. 18.*
o *Gennad. de Vir. illustr. c. 88.*

EVAGR. ORIGENISTAM ESSE TRIAM PRAE. PARAVIT PELAGIO.

p *Hier. d. præf.*
q *Epiph. ap. Hier. ep. 60.*

Indo-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Indolentiam Stoicam in Ecclesiam introducere conatus est; hominem statim ad culmen perfectionis euehi à se posse, scriptis suis pollicebatur; eo nomine ab aliis *Io. Climach.* *derisus est.

[Quas Baronius Vitas Patrum tribuit Euagrio Pontico Origenistæ; eas neque quæ eius esse, nec cuius liber, alterius auctoris, cui à diuersis diuersæ tribuuntur; sed Rufini Aquil. presbyteri, qui & ipse Origenista exstitit; late tractat Rosweydus Prolegom. ad easdem Vitas Patrum, quas nuper edidit.]

IESV CHRISTI ANN. 389.

SIRICII ANN. 5.

VALENTIN. II. 14. THEODOSII II.

I. OBITVS S. MONICÆ.

ANNO CHRISTI trecentesimo octogesimo nono, Timasio atque Promoto Coss. Augustinus cum hiemasset Romæ, ad Ostia Tiberina descendens inde solutus in Africam, retardatus est *Sanctæ Monicæ* matris ægritudine: ea vero ibidem defuncta anno ætatis suæ quinquagesimo sexto; post oblatum ex more Christianorum pro eius anima sacrificium inchoatum, sicut etiam illa moriens rogauit, ceteraque persoluta religiosa funeris officia; secunda nauigatione cum sociis Carthaginem appulit: vt hæc omnia pluribus ipse *a* describit. Sed quod habet textus, ipsum tunc fuisse ætatis annorum triginta trium; corrigendus est vt legatur triginta quinque, secundum ea quæ de ipsius ætate dicta sunt superius *b*. Rediens vero vna cum sociis suis Alipio & Euodio in patriam, iidem simul quem condixerant; vitæ statum cum adhuc in Italia essent, exercere cœperunt. Siquidem ius secedentes, triennio *c* ibi permansere, ieiuniis, orationibus, bonisque operibus dediti, ac legem Domini meditantes die ac nocte: vbi & ipse Augustinus multos libros conscripsit, antequam presbyter fieret, quos ipse alibi *d* recenset.

a *Aug. 9. Confess. 8. & seqq.*

b *Ann. 385. I. & 388. IX. vbi vide quæ dixi.*

AUGUSTINI VITA INSTITVTO IN AFRICA. c *Possid. in Vit. S. Aug. c. 3.* d *Aug. Retract. lib. 1.*

II. GREG. NAZ. OBITVS.

Hoc item anno, nona die mensis Maij, *S. Gregorius* Nazianzenus cognomento *Theologus*, diem clausit extremum. Cum enim de eo dicat Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, obiisse ante ferme triennium ex quo is eundem librum scriberet; constetque scriptum fuisse anno Theodosij Imperij decimoquarto: (testatur id enim ipse in fine:) plane asserendum est, vndecimo eiusdem Imperij anno, hoc ipso nimirum, cum ex hac vita decessisse. Ex quibus erroris redarguitur Prosperi Chronicon, in quo eiusdem Gregorij obitus recensetur anno tertio ipsius Theodosij, sub Consulatu Eucherij atque Syagrij: Item Suidas, dum ait obiisse anno eiusdem Imper. decimotertio, ipsius vero Gregorij ætatis nonagesimo; cum tamen quem vidimus *e* ipsiusmet testimonio, anno Domini trecentesimo quinquagesimo quarto natum annos triginta, dicendus sit obiisse anno ætatis duntaxat sexagesimoquinto.

c Sup. an. 345. in fin.

III. EXERCITIA EIVS IN SENECTVTE.

Fuisse ipsum robusto corpore, verum assiduis podagræ, aliarumque ægritudinum molestiis fractum, sæpius ipse testatur, qui detentus in lectulo, eygneis se diuersi generis carminibus solabatur, quorum pleraq; hactenus extant: interq; alia, quibus indicat se non morbo tantum vexatum corporis, sed diris à diabolo *f* impignatum esse stimulis carnis: quos cum olim iuuenis facili negotio superasset, illibatam à pueritia virginitatem custodiens; vix senex multis lacrymis, vigiliis, orationibus, ieiuniis, aliisq; asperrimis macerationibus, fugaq; quoque conspectus mulierum, & exacta custodia monasticæ disciplinæ, coercere potuit. Linguam insuper loquaciorem sentiens, continuo *g* eam quadraginta dierum silentio domuit: vt hæc omnia variis iisdem suis carminib. ipse testatur.

f *Greg. Naz. car. aduers. carnem carm. de cal. anim. sua. & ep. 196 ad Valent. in.*

g *Id. carm. in silent. 40.*

Denique & ab inuidis monachis aliquando ad altare Dei sacrificans lapidibus appetitus, diuina tantum gratia a immane periculum euasit. Cuius grassationis meminit idem ipse in Epistola *a* ad Theodorum Episcopum Tyanensem, in eosdem monachos scelus vindicare paratum, quem ab eo reuocare conatur, pluribus demonstrans zelo pestare mansuetudinem. Hic vero illud obiter attingendum; Gregorium hanc & alias plures Epistolas scribentem ad eundem Theodorum Episcopum Tyanensem in Cappadocia, calumniam passum esse à posteris, quod scripserit ad Theodorum Mopsuestenum hæresiarcham. Sed cum multe modis redargui possit calumniantium vel dolus, vel imperitia; satis illud sit tibi, Iustinianum Imp. in edita à se de Fide Catholica sanctione *b*, ipsum ab hac calumnia liberasse. His igitur Gregorius tam præclaris auctus in senectute coronis, feliciter migrauit in cœlum.

a *Id. ep. 82. edit. Bil.*

CALVMNIA IN EVM.

b *Extat tom. 2. Concil.*

Extat in Græco *c* codice Vaticano eius effigiei descriptio; qua dicitur fuisse statura mediocri, aspectu blando & suaui, subpallidus tamen, subcaluus, barba non promissa, sed densa, depresso naso, superciliis in rectum protensis, dextero oculo cicatrice aliquantum contracto: quibus quidem consentiunt quæ ipsemet de pallore *d* suo & macie, oculi *e* cicatrice, atque caluitie *f* testatur. Tanto autem, & viuens, & post mortem, nominis splendore effulsit, vt tam Græcorum quam Latinorum insignibus præconiis celebretur: quem & laudauerint etiam Ecclesiæ hostes, vt inter alios Eustorgius, qui Basilio atque Apollinario Gregorium prætulit. Repræsentauit; cum quasi viuentem post mortem veneranda ipsius imago *g*, non pictura tantum sed & sculptura reddita; quæ in Ecclesia collocata magna Fidelium veneratione piè culta fuit; ex qua & miracula diuinitus edita prodiere. Composuit ipse sibi Epigramma, seu potius vitæ epitomen, continens Epitaphium, quod hactenus extat *h*. Eius vero corpus Roma tandem accipiens, nobilissimo condidit tumulo in basilica Vaticana.

c *Num. 149.* EFFIGIES.

d *Greg. orat. in Max.*

e *Id. carm. de reb. sui c.*

f *Id. orat. ad Arian.*

g *Cod. in Litch. Lalb.*

h *Greg. Naz. Epitaph. & Epitom. Vit. sua.*

Confecit & Testamentum *i* iam tunc cum esset Constantinopoli, vt præfert titulus, Euchetio & Syagrio Coss. quo omnia sua Ecclesiæ Catholicæ Nazianzenium pauperum reliquit, exceptis paucis quibusdam legatis in fauorem propinquorum aut domesticorum suorum. Ipsum vero mox executioni fuisse mandatum, eamdemque Ecclesiam Nazianzenam adepram esse possessionem eorum quæ ipse ei reliquisset, perspicue declarat ipse carmine ad Iulianum Tributorum Exæquatorem, quo eius Ecclesiæ bona ei commendat, quæ olim (vt ait) sua ipsius Gregorii fuissent. Meminitque sæpe aliis locis de abdicatione à se facta omnium diuitiarum, retento sibi vbi degeret parulo tantum horto cum fonte: quod restatur cum in quosdam monachos hypocritas iuste inuehitur.

V. TESTAMENTVM.

i *Descripsit Baron. Anna. Tom. IV. hoc an. ex Bibl. Vatic. duob. codd. Gr. mm. 311. 591. Extarq. in Formulis Grissoni, sed valde corruptum & mutilum.*

Cæterum quod in eo Gregorii testamento fit mentio de Alypiana, quam *filiam* vocat, item q; Eugenia & Nonna eiusdem Alypianæ sororibus, necnon de Meletio, quem item *generum* suum nominat: nihil est quod existimes eumdem Gregorium filias habuisse, aut genetum, cum sæpius ipsemet testetur *k* se perpetuam coluisse virginitatem. Sed fuerunt illæ filiæ Gorgoniæ sororis ipsius Gregorii, quæ nupta Viuliano, ex eo genuit prædictas filias, itemque filios Petrum & Phocam, vt idem ipse Gregorius testatur in carmine filiorum ad ipsum Viulianum scripto. Alypiana vero nupta fuit insigni viro Nicobulo, ex quibus ortus est Nicobulus iunior, cuius nomine ad eius patrem extat Gregorii carmen; necnon aliud patris nomine ad ipsum filium redditum, & aliæ complures epistolæ. Quod siquis omnes quos idem Gregorius suis scriptis filios vel filias nominat, ex coniuge esse susceptos vellet asserere, plusquam quingenti (vt ita dicam) ex eo geniti reperirentur, quos (vt fit) propter suam in eos benenolentiam, aut propter inniotem ætatem, aut denique propter affinitatem, eiusmodi honestauit nominibus. Quod vero Meletium appellet *generum* suum, vox quidem illa in Græco legitur γαμβρὸς: cuiusmodi est frequentior vsus est, vt generum exprimat, significare tamen potest interdum affinem quemlibet, extra *l* controuersiam est; sicut & apud Latinos idem in voce *generi*, loquendi vsum obtinuisse, vt alios

VI. PERPETVAM COLVIT VIRGINITATEM.

k *Greg. Naz. carm. de ep. fort. carm. de casta. sua. carmine de virginit. carm. de vit. sua. carmine de reb. suis. carm. de cala. anim. sua. carmine monachos hortat. in Epitaph. suo in præcep. ad virg.*

VOCES GENERI VENIVNT APPENSÆ.

l *Vid. Thes. ling. Gr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *Iust. lib.* 18.

vt alios prætermittamus, Iustinus *a* historicus fidem facit, dum generum vocat, virum sororis. At de Gregorio hactenus.

VII. THEODOS. VNA CVM VALENTIN. TRIVMPHAT

Iisdem huius anni Coss. (vt habet Marcellinus Comes in Chronico) Theodosius Imper. mense Iunij Vrbem ingressus est: agensq; de liberato Imperio Occidentali triumphum, (sicut narrat Sozomenus *b*) socium gloriæ habere voluit Valentinianum Augustum; quod splendidioris triumphi ipsi conciliauit honorem. Tuncque Latinus Pacatus nobilis orator Gallicanus, Theodosium in Senatu luculenta oratione laudauit, quæ hactenus extat. Sicut & Symmachus clarissimus Senator & orator, sed Gentilis, (de quo superius actum est) tempori inseruiens, qui prius Maximum celebrauerat, nunc quoque Theodosium in Consistorio oratione laudauit. Sed cum eadem quoq; petiisset, vt Ara Victoriæ in Senatu restitueretur; ipsum statim Theodosius à suis aspectibus pulsum, in centesimo lapide thedæ non stratæ impositum ea die manere præcepit; vt ait Sanct. Prosper *c*. cui potius credendum est, res sui temporis in Occidente gestas scribenti; quam Socrati *d*, longe post hæc in Oriente eadem aliter in fauorem suorum Nouatianorum referenti; dum ait Symmachum reum factum de laudato Maximo, ad Ecclesiam confugisse, sed Theodosium dedisse ei veniam in gratiam Episcopi Nouatiani Romæ agentis. Cæterum (vt idem addit) scribens Symmachus ad Imperatorem Apologeticum, nō vebens tantum est cōsecutus, sed & maiorem apud eum gratiam tantum nactus: vsq; adeo vt etiam Consulatu ordinario anno post sequentem ab eo auctus fuerit.

b *Soz. lib.* 7. *c.* 14.

SYMMACHVS INCVRRIT IRAM THEODOSII.

c *Prosp. de promiss. lib.* 3. *c.* 38 d *Socr. lib.* 5. *c.* 14.

VIII

Agens vero Prudentius *e* in carmine contra eundem Symmachum scripto, de Theodosij Romam aduentu, ait nihil eum antiquius habuisse, quam vt Vrbem à profano idolorum cultu penitus liberaret: ita cum Romanis transigens, vt sacrificia omnia, festique dies abolerentur, & ipsæ idolorum statuæ frangerentur; nisi quod illas quæ ab excellentioribus artificibus confectæ essent, ad Vrbis ornatum, non etiam ad cultum, exponi permisit. Vt ex his vitium, non etiam ad cultum, exponi permisit. Vt ex his vitium, non etiam ad cultum, exponi permisit. Vt ex his vitium, deas, confractionem nobilissimorum artificum operū, Godthis potius quā Christianis adscribendam esse: quibus fortasse Deus tradidit Vrbem, vt eam penitus expurgarent à deorum Gentilium simulacris. Sed de expoliatione templorum, & confractione idolorum, à Theodosio iussis, eorumq; cæremoniis obliteratis, meminerūt quoq; Prosper *f*, Augustinus *g*, & Ambrosius *h*. Vnde sine dubio Capitolium, nempe templa ibi sita, semiruta & squalore obducta fuisse, Hieronymus *i* tradit. Scribitq; etiam Zosimus *k*, cum Theodosius Romam venit (hoc sc. anno) Stiliconem Ducem vtriusque militiæ, è foribus Capitolij laminas aureas abstulisse, eiusque vxorem Serenam detraxisse è collo Rheæ deorum matris mundum muliebrem, suoque ipsius illigasse. Qui tamen, præter Scriptorum omnium sententiam, ait eos postea ob hæc perpetrata male periisse. Nam omnes alij causam necis Stiliconis, proditioni Imperij tribuerunt; de qua dicetur suo loco. Sed est iusta de iisdem in eo querela Zosimi, quod eiusmodi spolia à templis deorum ablata sibi sumpserunt: cum apud antiquæ probitatis Christianos nefas *l* duceretur sic in idola grassari, vt in vsum priuatum ipsorum aliquid ex iis conuerteretur; ne scilicet ardore auaritiæ potius, quam zelo pietatis, viderentur in ea insurgere. Cremasse insuper Libros Sibyllinos eundem Stiliconem, luxit Gentilitas *m*: quamuis hoc potius sub Honorio Imp. contigerit.

e *Prud. aduers. Sym. li.* 1.

DE SPOLIATIONE TEMPLORVM.

f *Prosp. d. c.* 38 g *Aug. 5. de ciuit.* 26. h *Ambr. orat. in fun. Theod.* i *Hier. ep.* 7. *ad Lat. & li.* 2 *cont. Iouin.* k *Zos. lib.* 5.

l *Aug. ep.* 154. *ad Public. Marc. diac. in Vit. S. Porphy. Gaz. Epis. ap. Sur.* 26. *Febr.* m *Rutil. Itiner. lib.* 2.

IX.

Vrbem quoque Socrates *n* ait Theodosium expurgasse furum latibulis, in quæ plerique incauti secretis quibusdam machinis ad pistrina præcipitabantur: itemque lupanaribus, quibus mulieres in adulterio deprehensæ, includi solitæ, ad tintinabulorum sonitum scortari cogebantur, vt iis qui in proximo adessent illarum turpitudo innotesceret. Hæc quidem Socrates. At vero hanc fuisse Romæ consuetudinem, apud neminem memini legere: siquidem ibi lex Iulia semper vigens extitit vindex aduersus adulteros. In aliquibus autem Italiæ locis scimus hactenus in more esse, vt viduarum ad vota secunda transeuntium matrimonia hoc tintinabulorū sonitu deridean-tur. Sed quod pertinet ad Vrbis expurgationem; reperitur

o *l.* 11. *C. Th. de malef.*

X.

a *Soz. lib.* 7. *c.* 14.

b *l.* 18. *C. Th. de haret.*

QVID THEODO. ROMÆ DE REB. RELIG.

c *l.* 12. *C. Th. de fer.*

d *Theod. lib.* 5. *c.* 23.

e *Socr. lib.* 5. *c.* 15.

f *Soz. lib.* 7. *c.* 15.

XI.

g *Ambr. ep.* 78.

CONC. CAPVAN. IN CAVSA EPISCOPP. ANTIOCH.

h *Socr. d. c.* 35.

i *Soz. lib.* 7. *c.* 15.

XII.

BONOSVS HAERET. DAMNATVS.

k *Ap. Ambr. ep.* 79. l *Innocen. PP. ep.* 22. *c.* 5. m *Gennad. de vir. illust. in Audene.* n *c. Sanctæ Rom.* o *Innoc. ep.* 20 *c.* 21. 22. p *Citatur à Conc. III. Carthag. c.* 38. *& ap. Theod. Balsam. can.* 52.

XIII.

TINTINABVLA IN NVPTIIS VIDVARVM.

quoq; Theodosius hoc eodem anno Romæ sanctionem *o* edidisse aduersus maleficos.

Quod vero scribit Sozomenus *a*, eundem Romæ multa pro saluberrimo Ecclesiarum statu constituisse; liquet imprimis, eum aduersus Manichæos, tam in Vrbe, quam in reliquo Orbe cōmorantes, rescripsisse *b* vt vndique pellerentur, & intestabiles essent. Id autem fecisse instante Siricio Papa, significant labores ab eodem Siricio ea de causa susceptī, qui describuntur in Libro de Romanis Pōtificibus. Rescripsit quoque ibidem Imperator de feriis *c*, quibus à Iudicij strepitu vacaretur. Sed & eundem à Siricio excitatum fuisse aduersus Flauianum Episcopum Antiochenum in fauorem *Euagrij*, suffecti nuper in locū Paulini alterius Catholicorum partis in eadem ciuitate Episcopi, adeo vt idem Flauianus postea ab Imperatore iussus fuerit Romam proficisci, licet tergiuersationis causas quæsierit; pluribus narrat Theodoretus *d*, sed satis confuse, ac minus (vt videtur) sincere, quippe nimis propensior erga Flauianum. Cui quidem dicenti, Paulinum adhuc viuentem sibi ipsi contra canones successorem ordinasse Euagrium repugnant omnino Socrat. *e* & Sozomenus *f*, affirmantes nonnisi post obitum Paulini, auditores eius tentasse subrogare Euagrium.

Aliquid tamen vitij in ordinatione Euagrij intercessisse, S. Ambrosius *g* insinuat in Epistola de his altercationibus scripta ad Theophilum Alexandrinum: ex qua multa cognoscuntur statuta in Occidente, quæ præterierunt Græcos historicos: nimirum post querelas Siricii aduersus Flauianum, in eadem causa indictam fuisse (quamuis annus certus ignoretur) SYNODVM *Capuæ*; ad quam Flauianus vocatus minimè venerit, sed ab Imperatore petierit Concilium agi in Oriente, ad quod ipse causam dicturus accurreret. Interea vero Synodum Capuensem, ne aliquo diro schismate ea de causa Christianus discinderetur Orbis, illud imprimis statuisse, vt neutrius partis sectatoribus Catholicis communio denegaretur: deinde vt eiusmodi dissensiones omnino sedarentur, causam inter Euagrium & Flauianum cognoscendam delegatam esse Theophilo Episcopo Alexandrino, (tum ob sedis illius principalem in Oriente auctoritatem, tum etiam quod ipse à neutrius partibus staret) vt cum sibi subiectis Ægypti Episcopis illam iudicaret; ita tamen vt ipsorum iudicium postea confirmandum esset à Romanæ Sedis Antistite: sed rursum horum iudicium Flauianum refugisse. Hæc quidem constant ex prædicta Ambrosij Epistola. Quid autem post hæc vsque ad secundum Theodosij in Italiam aduentum factum fuerit, ignoratur. Illud tantum ex Socrate *h*; iuste contra Flauianum commotum esse Romanum Pontificē; (quem ipse perperam Damasum vocat; hunc enim constat longe ante creationem Euagrij defunctum esse:) sed per Theophilum actum esse, vt ob vniuersalis Ecclesiæ pacem illi reconciliaretur, & communionem vt prius impertiret. Cæterum ad breue post hæc tempus vixisse Euagrium, cum eodem Socrate Sozomenus *i* affirmat; (cuius lucubrationum meminit Hieronymus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis:) cum tamen nec sic ea discordia finem acceperit: Siquidem etsi Euagrio nullus sit datus successor, nihilominus qui eius communionis erant, priuatos conuentus agentes, communicare cum Flauiano penitus recusarunt.

In eadem quoque Synodo Capuensi, actum est de *Bonoso* cuiusdam in Macedonia ciuitatis Episcopo, hæresis accusato, quod auderet Dei-Genitricis virginitatem post partum negare: cuius causæ cognitione delegata *k* Anysio Episcopo Thessalonicensi, ab hoc ille damnatus *l* est. Porro à Bonoso dicti sunt *Bonosiani* hæretici; iidemque Photinianæ hæresis sectatores, vt Gennadius *m* tradit. Damnanturq; à Gelasio *n* Papa Bonosiani, vna cum Photino, & alijs illi similibus: nam & Photini hæresim sectatum fuisse Bonosum, Innocentius *o* æquè significat. Denique fuit in eadem Synodo Capuensi statutum *p*, ne fierent rebaptizationes, reordinationes, & Episcoporum translationes.

Recedens hoc eodem anno Calendis Septembris (vt habet Marcellinus Comes) Theodosius ab Vrbe, ac Me-

diola-

a *L.5.C.Th.de quæst.* b *l.19. C.Th. de har.*

diolanum petens, in itinere rescripto *a* vetuit, ne *sacratis Quadragesimæ diebus supplicia sint corporum, quibus absolutio expectatur animarum.* Idemq; Mediolani mense Nouembris, alio rescripto *b* omnibus hæreticorum clericis conuentus omnino prohibuit.

DEMOLITIO TEMPLI SERAP. ALEXANDR.

Hoc item anno (vt idem Marcellinus scribit) celeberrimum illud, totoque Orbe terrarum notissimum templũ *Serapidis* Alexandriæ, iussu eiusdem Imper. funditus excisum est; occasione (vt tradit Ruffinus *c*) turbarum à Gentilibus in Christianos motarũ, ob detecta secreta quædam nefanda eorundem Gentilium mysteria. Prædixerat illam, & aliorum in Ægypto templorum idolorum demolitionem, Bessarion *d* Abbas. Sed quod eadem ab Antonino quoq; Ethnico Philosopho, seu verius mago, prædicta fuisset, vt auctor est Eunapius Sardianus *e*; inde Gentiles, cum in templi iactura erubescerent imbecillitatem suorum deorum, tamẽ quod iidem ista prænunciassent, eorum rursum prædicare cœperunt potentiam: cuius rei occasione compulsus S. Augustinus, (vt ipse testatur *f*) scripsit commentarium *de Diuinatione dæmonum.* Quod vero demolitis templis, expurgatisq; rite, ibidem erigerentur Ecclesiæ, & loco Sacerdotum Gentilium monachi substituerentur, ac pro idolis Reliquiæ martyrum collocarentur; maiore æstuans ira idem Sardianus, multa in Monachos, & reliquias Martyrum debacchatur: quæ cum à dæmone per Ethnicum hominem eructata, nihil hæreticis huius nostri temporis aduersus Catholicam religionem proficere valeant; (nisi fortè vt sibi ea prosint, sua se sponte in classem Ethnicorum conijciant, recedentes ab antiquo Ecclesiæ Christianæ vsu, & iis quæ de his eodem argumento scripserunt his ipsis temporibus itidem in Oriente Athanasius, Basilius, Gregorius Theologus, Chrysostomus, & alij innumeri sanctissimi atque doctissimi Patres, miraculis coruscantes:) proficiunt tamen aduersus illos ex parte Ecclesiæ Catholicæ, cum pristina horum institutorum obseruatio ex eiusdem Eunapij blasphemiis egregiè referatur: dum inter alia, vt ostendat in quam virtutis opinionem Monachi apud Christianos peruenissent, ait, *quemuis atram vestem indutum, quique in publico sordido habitu spectari non abnuebat, eum tyrannicam* (ita inuidus loquitur) *obtinuisse auctoritatem.* De Reliquiis autem ait, consueuisse Christianos, *condita & salita eorum capita, qui à Iudicibus extremo supplicio fuerant affecti, pro diuinis ostentare; iis genua submittere, eos in deorum numerum receptare, ad illorum sepulchra puluere sordibusq; conspurcari.* Hæc apud illum: quibus quæ ab eodem maledicta inseruntur, loco benedictionum accipienda sint.

c *Ruff. lib. 2. c.22.* d *Vit. SS. Patr. patr. 2. c.11.* e *Eunap. Sard. in Vit. Phil. in in Ædes.*

EVNAPIVS ETHNICVS ASSERTOR MONACHISMI ET CVLTVS RELIQVIAR.

XV. DE TEMPLO ET IDOLO SERAPIS.

Porro templi Serapidis demolitionem, edito libro Sophronius huius temporis scriptor haud ignobilis, testimonio Hieronymi commendatus, fusissimè explicauit: sed periit commentarius ille. Eandem autem breuius tractauit Ruffinus *g*; simulque descripsit ipsum magnificentissimum templum, ingensq; Serapidis idolum; quod factum olim esse à Sesostre Rege per Bryaxem artificem, ex omnibus generibus metallorum, lignorum, lapidumque pretiosorum, tritorum, & in vnum commixtorum, idem Ruffinus cum Clemente *h* Alexandrino docet. Agunt vero insuper de eiusdem templi demolitione Socrates *i*, Sozomenus *k*, & alij. Agitq; postea Ruffinus de ridiculi dei *Canopi*, in modum hydriæ conficti, aliorumq; omnium idolorum ac delubrorum Alexandriæ confractione ac dirutione, deq; flagitiosis mysterijs, ac fraudibus occultis ad illusionẽ populorum in eis peragi solitis: vnde & Gentiles plurimos, eiusmodi sceleribus deprehensis, fidem Christi amplexos esse tradit deniq; (vt addit) per cunctas Ægypti vrbes, per castella, per vicos, per omne rus, per ripas fluminis, per eremum quoque, si qua fana, vel potius busta, reperiri potuerunt, instantia vniuscuiusq; Episcopi subruta & ad solũ deducta sunt; ita vt denuo culturæ redderetur, q̃ iniuste fuerat dæmonibus deputatum. Cæterum in loco vbi Serapis templum erat, ait erectam fuisse basilicam, & illatas in eam per Theophilum Antistitem Alexandrinum Reliquias S. Ioannis Baptistæ; prout S. Athanasius ante prædixerat, cũ ad ipsum perlatæ fuissent quando sub Iuliano Apostata dissperſæ sunt. Verum ipsa ædificatio Ecclesiæ sub Theodosio facta est; Reliquiarum aũt collocatio sub eius filio *a* Arcadio, cum dedicata est quarto *b* Calẽdas Septembris; quo die in vniuersa Ecclesia S. Ioannis Baptistæ Decollationis solemnitas celebratur.

f *Aug. de diuin. dæm. c.1.* g *Ruff. d.c.22. & seqq.* h *Clem. Alex. ad Gent.* i *Socr. lib.5. c.6.* k *Soz. lib.7. c.20.* a *Cedren. in comp.* b *Act. Innoc. cap. S. Io. Bapt. Bed. de 6. ætat. in Iulian.*

XVI. IOSEPH PATRIARCH. CREDITVS SERAPIS.

Quod autem inter alias Dei Serapis originis sententias Gentilium, & hanc Ruffinus profert, quod illud simulachrum fuerit formatum in honorem *Ioseph* Patriarchæ, ob diuisionem frumenti, qua famis tempore subuenit Ægyptiis; ea quidem opinio haud spernenda est: siquidem ex diuinis literis *c* constat, Pharaonem Ægypti Regem mutasse nomen Ioseph, ac vocasse lingua Ægyptiaca *Saluatorem mundi.* Et quamuis sciamus, antiquos scriptores nomen *Serapis*, ex Græcis deducere vocibus, σορὸς & ἄπις, *Sepulchrum Serapis*: tamen Iulius Maternus non ignobilis scriptor, qui claruit temporibus Constantini, & post illius obitum ad eius filios cõmentarium illum scripsit *De errore profanæ religionis*, ait *d* nomen Serapis deductum esse à σὴρ, hoc est à Sara Abrahæ vxore, cuius Ioseph pronepos erat. Sed haud facile mihi persuadeo, populum Ægyptium deos patrios peregrinis vocibus nuncupasse. Quamobrem tota vis in eo posita esse videtur, quidnam apud Ægyptios vox *Serapis* significaret: nam si idem erat, quod *Mundi Saluator*, non alium quam *Ioseph* ipsos significare voluisse, certum redditur. Sane fertur ab antiquis Serapis oraculũ, Ioseph Patriarcha dignissimum, à nostris etiam decantatum, sic Latinè redditum;

c *Psal.104.*

Principio Deus est, tum Verbum, his Spiritus vnus est.
Congenita hæc tria sunt, cuncta hæc tendentia in vnum.

quod quidem oraculum, ex eo quod eundem cum Plutone esse Serapim Heraclides Ponticus tradidit, (quæ fuit etiam aliorum sententia) idcirco Plutoni illud ipse tribuit. Certe non frumentum tantũ, sed veram Dei cognitionem Ioseph tradidisse Ægyptiis, asserit Scriptura *e*, dum ait, Pharaonem *constituisse eum vt erudiret Principes sicut semetipsum, &c.* vt iure dici possit, eam de Sacrosancta Trinitate sententiam fuisse Iosephi. Traduntq; insuper, à Serapi inuẽta esse symbola quædã, quib. ab obsessis dæmones pellerentur; quod Hebræorum sapientiæ cõuenit. Deniq; quod addit Socrates *f*, in imo dirui Serapis delubri, lapides repertos esse incisos signo Crucis, adeo vt Gentiles dicerent aliquid esse Serapi commune cum CHRISTO; illud de eius origine ex Ioseph magis confirmat.

d *Iul. Firm. c.14.*

SERAPIS VNDE DICTVS, ET QVIS CREDITVS.

Arn. Pontacus Episcopus Vasatensis, cuius sæpe mentionem supra habuimus, vir Hebraicarum literarum & Historiæ Eccles. peritissimus, cunctas vocis Serapis etymologias, in suis ad Eusebij Chron. Notis expẽdens, in ea quiescit, vt dicatur ab *Apis*, & voce Hebraica *Sor*, quæ bouẽ significat: vt Serapis sit idem quod Bos Apis. Qui sicut libi Lectores amandat ad hunc Baronij locum, vt plura de Serapi videant; ita & ego ad illũ, vt eius singulas etymologias intelligant. Quibus & addas quæ postea de iisdem accurate scripsit Cornel. à Lap. in Gen. 41. ad fi.]

f *Socr. lib.5. c.17.*

XVII.

Et quod rursum ad prædictã templi Serapis demolitionem spectat; tradit Ruffinus, cum thoraces Serapis, qui per singulas quasq; domos, in parietib. in ingressibus, in postibus, ac fenestris erant, ita abscisi essent cẽs & abrasi, vt ne vestigium quidem vsquã, vel nominis appellatio, aut ipsius, alteriusve cuiuslibet dæmonis remaneret; sed pro his Crucis Dominicæ signum vnusquisq; iisdem locis depingeret: hæc videntes Paganos, in recordationem venisse traditionis sibi antiquitus commendatæ, q̃ prædicta deorum signa tamdiu stare deberent, quamdiu signum illud veniret, in quo esset Vita: nimirum signum CRVCIS, quod Ægyptij inter illas habebant literas, quas dicebant ἀνσάτας, id est Sacerdotales, & Vitam Venturam significare perhibebãt. Indeque factum esse ait, vt plurimi ex Sacerdotibus vel ministris templorum ad fidem conuersi sint. Ne autem quod Theodosius aduersus delubra Gentilium fieri præceperat, auaritiæ potius quam pietati adscribi posset; deorum imagines iussit (vt ait Socrates) ad pauperes subleuandos impendi.

XVIII GENTILES INSVRGVNT IN CHRIST.

Accidit vero plane, vt tam ingenti fragore collapsa in Ægypto idololatria, vnde tanquã è fonte riui in totum fere Orbem terrarum superstitio dimanarat; Gentiles vbique concussi fuerint, atque pro defensione deorum suorũ concurrerint; multos etiam occidentes Christianos; necnon & Episcopos; interq; alios *Marcellum* Apameæ in Syria Epi-

ria Episcopum, cum famosissimum eiusdem ciuitatis Iouis templum demoliendum curaret: cuius martyrium describit Sozomenus *a*. Additq; Theodoretus *b*, dæmones eius templi ruinam impedire conantes, aqua signo Crucis sanctificata fugatos esse. Cæterum qui zelus pertigit Orientis Episcopos, sub Principe maximè pio idola demoliri; æquè Occidentales impulit id ipsum præstare. Siquidem à S. Martino plurima in Gallis diruta fuisse deorũ templa, magnaq; ista occasione, ab illo edita miracula, quibus Ethnici eiusmodi demolitionibus resistentes ad fidem conuersi sint, Seuerus *c* narrat: ex quibus coniecturã capere possumus, quid à cæteris vbique sanctis Episcopis gestum fuerit. Quæ quidem hoc anno cœpta, sequentibus agi perseuerarunt indesinenter. Nullibi autem maiori studio, quam Romæ, delubra prostrata esse, Hieronymi *d* sententia constat.

a *Soz. lib.7. c.15.*
b *Theod. lib.5. c.21.*
TEMPLA IDOLOR. VBIQ. DIRVTA.
c *Seuer. Vit. S. Mart. c.10.*
d *Hier. præfat. li 2. comment. in ep. ad Gal.*

IESV CHRISTI ANN. 390.

SIRICII ANN. 6.

VALENTIN. II. 15. THEODOSII 12.

ANNO Domini trecentesimo nonagesimo, Valentiniano Aug. quartum & Neoterio Coss. Theodosius Imper. ob cladem Thessalonicensium, à S. Ambrosio repulsus est ab Ecclesia. Errant qui hæc contigisse dicunt e post secundum Theodosij in Italiam aduentum, postque debellatum Eugenium; cum longe plures referant *f* ad tempus post debellatum Maximum. Itemque qui scripserunt, cladem illam accidisse cum Theodosius esset Thessalonicæ; cum certum sit, ipsum tunc temporis in Italia extitisse.

I. THEODOS. IMP. AB AMBROSIO ECCLESIA PVLSVS.
e *Soz. lib.7. c.24.*
f *Ruff. lib.2. c.18. Pauli. in Vit. S. Ambr. Theodor. li.5. c.17.*

Res porro ita se habuit: Thessalonicenses Bothericam apud Illyricos militum Præfectum seditione facta interfecerunt, quod noluisset aurigam suum, eius artis petitissimum, ob facinus aliquod in vinculis detentum, dimittere ad solemnem equestrem concertationem. Qua re nunciata Imperator excandescens, ab Ambrosio tamen, aliisque Episcopis Mediolani agentibus placatus, indulgentiam Thessalonicensibus promisit. Sed Comitibus secreto cum illo agentibus de vindicta tanti facinoris; in eius executionem ad Circenses inuitatus populus Thessalonicensis, à circumfusis militibus sine discrimine nocentes & innocentes obtruncati sunt: moxque ab iisdem militibus per vrbem diuagantibus, obuiorum quorumcunque, siue ciuium, siue etiam peregrinorum, tanta est edita strages, vt septem millia hominum spatio trium horarum cæsa fuerint. Hac autem immani clade Mediolani Ambrosio, aliisque Episcopis qui Synodi causa conuenerant, nunciata; idem Ambrosius pro omnibus Theodosium absentem seuerioribus primo literis appetens, significauit ipsum ob patratas Thessalonicensium cædes indignum se Ecclesiastica communione penitus reddidisse; & vt pœnitentiam ageret monuit: postea vero cum Imperator magnopere perculsus animo, Mediolanum accessisset remedium salutis petiturus, inconcusso ipsum Sacerdotali robore ab ingressu Ecclesiæ publice repulit: quousque post publicam octo mensium pœnitentiam, eundem in Ecclesiam admisit in festo Natalis Domini: hoc insuper ei iniuncto, vt legem conscriberet, qua deinceps executiones sententiarum de cæde & publicatione bonorum, ad triginta dies differrentur, vt illo temporis spatio mature examinari possent.

II. DECLADE THESSALONIC.

III.
g *Ruff. & alij, vbi supr.*
h *Aug. 5. de ciuit 25.*
i *Ambr. ep. 28. ad Theod. & in fun. Theod.*

Hæc quidem omnia summatim desumpta sunt ex Ruffino g, Theodoreto, Paulino, Sozomeno, atque etiam Augustino *h*, ipsoque Ambrosio *i*. Refertque Paulinus; cum Theodosius se excusaret exemplo Dauidis, qui homicidium quoque perpetrasset; Ambrosium illico respondisse: *Qui secutus es errantem, sequere corrigentem.* Quod & ipse adeo humiliter adimpleuit, vt (quod ait Theodoretus) cum ab Ambrosio intra Ecclesiam receptus esset, minimè ausus Deum stans aut genibus flexis precari, pronus humi abiectus, versum illum Dauidis recitauerit *a*, *Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum*: & capillos manibus lacerans, frontem ferire, lachrymis solum rigare, veniamque supplex petere cœperit. Nec minori est obseruatione dignum, quod cum Imperatores Constantinopoli consueuissent, dum sacris interessent sedere intra cancellos, idque etiam tum Mediolani Theodosius obseruare vellet; Ambrosius considerans eam consuetudinem vel ex assentatione, vel ex ordinis insciti a esse natã, iussit Imperatorem exire, & cum reliquis laicis consistere, quod ad loca interiora solis Sacerdotibus pateret aditus; purpura autem Imperatores, non Sacerdotes efficeret. Eamq; admonitionem adeo lubenti animo Theodosius excepit, vt nõ solum in Italia, sed etiam cum rediit Constantinopolim, eandem perpetuo obseruarit, licet inuitaretur ab Episcopis intus manere. Narrant hæc iidem Theodoretus atq; Sozomenus. Iste aũt addit, hanc optimam Ambrosij constitutionem, quam Theodosius approbauit, successores quoq; Imperatores confirmasse; eandemq; suo etiam tempore obseruatam se vidisse

POENITENTIA THEODOSII.
a *Psalm. 118.* HAVD PERMISSI IMPP. SEDERE CVM CLERICIS.

Quod vero pertinet ad ipsam eiusdem Imperatoris pœnitentiam; viguit, vigebitque semper eiusmodi exemplum in Ecclesia Dei, tanquam nobile quoddam trophæum erectum ex illustri victoria, quam de se ipso Imperator consecutus est: quam quidem tum alij omnes, tum sancti Ambrosius *b* & Augustinus *c* egregio præconio celebrarunt. *Sic enim* (vt ait Augustinus) *egit pœnitentiam, vt Imperatoriam celsitudinem pro illo populus orãs magis fleret videndo prostratam, quã peccando timeret iratam.* Et Ambrosius: *Strauit omne quo vtebatur insigne regium: defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat: gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator publicè agere pœnitentiam: neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.*

IV.
b *Ambr. orat. in fun. Theod.*
c *Aug. 5. de ciuit. 26. & hom. 49.* PRINCIPES PERSÆ CONVENIVNT S. AMBROSIŨ, ET ANICIVM PROBVM.

Cæterum post illam pœnitentiam enarratam, Paulinus mox adiungit, per idem tempus duos potentissimos ac sapientissimos viros Persarum, ad famam Ambrosij venisse Mediolanum, deferẽtes secum plurimas quæstiones, vt ex eis probarent sapientiam viri; ac post longam cum eo disputationem, admirantes discessisse Romam, vt pariter cognoscerent potentiam Probi; eaq; cognita, ad propria reuertisse. Fuit autem iste *Anicius Probus*, promotor olim Ambrosij Præfecturæ prouinciæ, longa (vt docet Ammianus) Prætorij Præfecturæ propagatione lassatus: cuius constat augustissimas fuisse Romæ ædes; eiusdemq; tantas opes, vt & Zosimus *d* eis inuidẽs scribat, solam Aniciorum familiam omnium propemodum Romanorum diuitias possedisse.

V.
d *Zos. lib. 6.*

Sed quod spectat ad legem illam Theodosij de dilatione sententiarum triginta diebus; extat e ipsa Codice Theodosiano, & Iustinianeo. Verum quod ante annos octo data ponatur Veronæ, viuente adhuc Gratiano, nimirum decimoquinto Calendas Septembris Antonio & Syagrio Coss. eiusmodi mendum in eam irrepsisse necesse est; cum nulla penitus memoria extet, Theodosium, postquam factus est Imperator, venisse in Italiam ante expeditionem in Maximum; ac prorogatio triginta dierum nonnisi lege Theodosij concessa habeatur. Quam quidem postea constat abrogatam fuisse per Nicephorum Botoniatem Imperatorem Orientis.

LEX THEODOS. DE DIFFERENDA SENTENTIA. c. *Lij. C. Th. l.10. C. Iustin. de pœn. Sed vide sup. an. 27 post num. 12.*

VI.
EGREGIVM EXEMPLVM PVBLICÆ POENIT.

Quam vero vigeret in Ecclesia hoc tempore seueritas publicæ pœnitentiæ, plane declaratur alio exemplo clarissimæ feminæ Romanæ, *Fabiolæ* nomine: quæ cum diuortio facto cum priori viro, nescius prohibitionem Euangelicam, secundas nuptias iniisset, post mortem secundi viri (inquit hæc narrans Hieronymus *f*) in semetipsam reuersa, saccum induens vt errorẽ publicè fateretur, & tota Vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani, stans in ordine pœnitentiũ. Episcopo, presbyteris, & omni populo collacrymantibus, spargens crinem,

f *Hier. ep. 30.*

ora lu-

ora lurida, squalidas manus, sordida colla submittẽs; post immensos ipsius fletus, & lamenta, recepta est in communionem. De cuius postea peregrinatione Hierosolymam, & piis post reditũ operibus, atque sancto fine, multa plane egregia refert ibidem Hieronymus: interque alia notat, ipsam primam omnium ξενοδοχεῖον instituisse, in quo ægrotantes colligeret de plateis, & consumpta languoribus atque inedia miserorum membra foueret.

VII. a *Ambr. Ep. 28.* CONCIL. MEDIOLA. ADVERS. IOVIN.

Quoniam autem ex Epistola quam diximus S. Ambrosii *a* ad Theodosium post cladem Thessalonicensem, liquet hoc ipso anno collectam esse *Mediolani* SYNODVM Episcoporum; de ea modo agendum est. Nam cum (vt superius vidimus) ex monasterio Mediolanensi eiectus fuisset cum sociis impietatis *Iouinianus*; toleratus tamen fuit aliquandiu, vel quod eius expectaretur correctio, vel potius quod contemnendus videretur, qui adeo vana atque insulsa, quæ retulimus, priuatim in aures aliquorum susurrans ingereret. Sed cum eo temeritatis progressus esset, vt etiam eodem argumento à se scriptos commentarios ederet; licet ij barbarie (vt ait Hieronymus, *b* qui eos ad se Bethleem agentem Roma missos, duobus libris egregie refellit) & plurimis vitiis sparcissimo sermone compositi essent: haud tamen amplius ipsorum auctorem tolerandum esse iudicatum est. Delatus *c* itaque Siricio Papæ per Pammachium nobilissimum Senatorem & Romanorum doctissimum, fideique Catholicæ ardentissimum propugnatorem, atque per alios Fideles: idem cum sociis impietatis ab eodem Pontifice damnatus est, & extra Ecclesiam eiectus. Hoc enim declarat ipse Siricius *d* Epistola, quam ea de re ad Ecclesiam Mediolanensem scripsit per tres Legatos presbyteros Ecclesiæ Romanæ: quos eo misisse putatur, vt illorum auctoritate Synodus Episcoporum aduersus eosdem hæreticos ibi cogeretur; quo & illic etiam ij damnarentur, vbi cœperant hæresum venena spargere. Id vero & factum esse secundum præcedens ipsius Siricii Papæ iudicium, testãtur literæ *e* ad eum ex eadem Synodo Mediolanensi (ad quam conuenerunt etiam ex Gallia Episcopi) à S. Ambrosio ac cæteris Patribus redditæ. Hocque ipso anno Theodosius Imp. rescripto *f* Veronæ dato, eosdem hæreticos, habitu monastico vagantes, ab vrbibus recedere, & ad deserta loca proficisci iussit: quamuis nec sic coërciti, destiterint postea negligentia Magistratuum extra vrbes suburbanos conuentus habere.

b *Hiero. aduers. Iouin. lib. 1.*

c *Id. ep. 30. ad Pamma.* SIRIC. PP. DAMNAT IOVINIAN.

d *Siric. ep. 2. Tom. 1 epist. Rom. Pont.*

e *Ext. ibid.*

f *l. 1. C. Th. de Monach.*

VIII. HIERON. SCRIPTA CONTRA IOVINIAN. QVOMODO ACCEPTA.

Ex alia vero parte, cum Iouiniani scripta Hieronymus (vt dictum est) confutasset, ipsa eiusdem Hieronymi responsio Romam perlata, impugnata est non leuiter, cum ab aliis, tum ab ipso Romano Pontifice Siricio, quod cum totus esset in commendatione virginitatis, quam Iouinianus deprimebat, visus esset cum Manichæis nuptias despexisse: qua de re admonit⁹ à Domnione & Pammachio, cum iam amplius iidem ipsius libri reuocari nõ valerent, quod essent vbique diuulgati, coactus est pro illis Apologiam edere. Etenim Manichæorum (quorum etiam hæresis vrgebat hoc tempore magnopere Ecclesiam Dei) causam eos agere qui virginitatem nuptiis præferebant, iactare solitum Iouinianum, Augustinus *b* quoque tradit. Qui quod sciret Hieronymum inde passum esse calumniam,) quantumlibet pie sancteque scripsisset; contestatusque eodem ipso in Iouinianum scripto esset, se & Marcionis, & Manichæi, atque Encratitarum dogmata detestari:) ipse cautior aduersus eundem Iouinianum alia via agendum sibi proposuit, sicut testatur *i*; nempe vt quantum liceret nuptias laudibus celebraret, ac simul præconia virginitatis extolleret. Sicque elaborauit commentarium illum *De bono coniugali* aduersus Iouinianũ. Quod vero sordidæ huiusmodi Iouiniani hæreses inuexissent in Vrbem deformes omnis generis libidines, Theodosius Imper. lege *k* hoc ipso anno lata, nefandũ peccatum Sodomiticum flammis vindicibus expiari sanciuit.

h *August. de nupt. & concup. lib. 2. cap. 23.* AVGVSTIN. SCRIBIT CONTRA IOVIN.

i *Id. 2. Retract. 22.*

k *l. 6. C. Th. ad l. Iul. de adult.*

IX. l *Socr. lib. 5. cap. 19.* m *Soz. lib. 7. cap. 16.* DE SCELE-

Quod ad res pertinet Orientis; sub huius anni Coss. (nõ autem sequentis, vt à Socrate *l* ponitur) accidit Constantinopoli scelus illud immane, quod ab eodem auctore, & à Sozomeno *m* recensetur, de Diacono illius Ecclesiæ, qui nobilem viduam diaconissam (talem enim fuisse Sozomenus significare videtur) constupratit: cum (vt aiunt) palato facinore, Nectarius eiusdem Ecclesiæ Episcopus mancipatum audiendis confessionibus presbyterum dimouit. At de veritate huius historiæ, deque Nouatianorum auctorum mendaciis, actum est superius *n* alia occasione. Sed quod eius facti causa Sozomenus addit, Theodosium Imp. edixisse, ne mulieres, nisi liberos haberent, & annum sexagesimum exegissent, diaconissæ munus obirent; extat ipsa lex *o* sub huius anni Coss. mense Iunio promulgata Mediolani. Quod vero etiam vidua illa exhausisset bona sua ditando diaconum; inde factum est, vt Imperator eadem lege cauerit, ne viduæ quouis titulo, vel Ecclesiæ, vel eius ministris, aut pauperib⁹ bona relinquerent. Sed hanc eiusdem sanctionis partem, qua periclitabatur Fidelium erga Deum, eiusque ministros, & Ecclesias, religio, & erga pauperes misericordia; Ambrosius Ecclesiasticæ libertatis vindex exurgens, alia lege *p* duobus post mensibus, nempe mense Augusto Veronæ lata, compulit Theodosium penitus abrogare: alia vero ex parte, qua Apostolica institutio conseruabatur immunis, (nam Pauli *q* præceptio est, ne vidua eligatur minor sexaginta annorum) stuit in suo robore perdurare.

n *Ann. 36. num. LXX. XI.*

o *l. 27. C. Th. de Epis.*

LEX THEOD. ADVERSARIA ECCLES. LIBERTATI, REVOCATVR.

p *l. 28. eod.*

q *1. Tim. 5.*

Laudatur quoque ab Aurelio Victore *r* lex alia Theodosii, qua consobrinarum coniugium vetaretur, tanquam sororum: cuius & meminit Ambrosius *s*. Periit tamen illa; extatque *t* tantum quæ Constantio tribuitur. Eius autem Theodosii legis seueriſſimam pœnam, nimirum ignis atque bonorum proscriptionis, Arcadius & Honorius eius filii postea mitigarunt *u*. Sane quidem vt Romani ducerent consobrinas, nequaquam antiquo iure factum, sed recentiori; idque gratia potius populari, quam libere decernente Senatu, Plutarchus *x* est auctor. Græcos vero antiquarum legum Solonis & Lycurgi auctoritate, necnon Ægyptios ex antiquo more iureque patrio, non à consobrinis tantum, sed nec à sororibus, Lacedæmonios veterinis, Athenienses eodem patre prognatis, Ægyptios vtrisque, coniugio abstinuisse, docet Philo *y*. Quæ turpitudinum mala in Orbe Romano lex vna Theodosii in Ethnicis sancte curauit, quæ in Christianis ipsa religionis professio procul amouerat. Quippe (vt pluribus docet Theodoretus libro de Legibus) vna cum nomine Christiano, abdicatis omnibus prauis moribus, antiquatisque turpibus & iniquis legibus, diuinæ, puræ, iustæ, sanctæque leges seruandæ ab omnibus susceptæ sunt. Sed illud quidem perperam factum, vt quod Christiani Principes vetuerint ne inter consobrinos matrimonium initetur, iidem id faciendi aliquando licentiam impertirent: quem vsum vsq; ad Gothos Reges in Italia regnantes perseuerasse, declarat formula dispensationis à Cassiodoro *z* conscripta.

r *Victor in Theodos.* s *Ambros. ep. 66. ad Pater.* t *l. 2. C. Th. de incest. nupt.* u *l. 1. eod.* DE NVPTIIS CONSOB. ET SOROR. x *Plutarch. quæst. Rom. 6.*

y *Philo de spetial. leg.*

z *Cassiod. 7. Formul. 46.*

IESV CHRISTI ANN. 391.

SIRICII ANN. 7.

VALENTIN. II. 16. THEODOSII 13.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo primo, Tatiano & Symmacho Coss. Theodosius Imp. promulgatis legibus aduersus Ethnicos *a*, apostatas *b*, & quoscũque *c* hæreticos; cunctisque aliis rebus optime in Occidẽte stabilitis: tandem ex Italia recedens, Constantinopolim peruenit quarto Idus Nouembris, vt auctor est Socrates *d*.

I. a *l. 10. & 11. C. Th. de Pagan.* b *l. 4. & 5. C. Th. de apost.* c *l. 10. C. Th. de hæret.* d *Socr. lib. 5. c. 18. in fin.*

Quo cum aduentasset, nihil antiquius habuit, quam vt absoluta basilica quam in honorem S. Ioannis Baptistæ in Hebdomo (sic dicto loco extra vrbem Constantinopoli Vatanam) sumptuose erigendam curarat, inuentum sub Valentis Imperio Caput eiusdem Baptistæ, in eam ex Coslai vico prope Chalcedonem posito transferret. Sed hanc historiam cum Sozomenus *e* à Macedoniano hæretico mutuatus sit; variis illa commentis in eorumdem hæreticorum laudem apud eum depraua ta noscitur. Itaq; reliquis

II. TRANSLATIO CAPITIS S. IOAN. BAPT. IN HEBDOM. e *Soz. lib. 7. cap. 1.*

explosis, illud vnum quod retulimus, ratum firmumque ex Sozomeno habeatur; id etiam affirmantibus ex Latinis eiusdem tẽporis, Prospero, & qui post ipsum secuta sunt; ex Græcis, Cedreno *b* atque Nicephoro *c*. Error tamen irrepsit in Prosperum, dum eiusmodi translationem factam tradit anno superioris; cum omnium liqueat assertione, Theodosium non ante præsentem annum Constantinopolim rediisse, reuersum autem istud curasse. Quamobrẽ nec audiendum Cedrenum putamus, qui eiusmodi translationem ad annum sextum Theodosii refert, vel qui ad posteriora reponunt tempora. Quod autem aliæ factæ Translationes eiusdem Capitis S. Præcursoris Alexandriam & in Gallias, ab aliis incertis auctoribus referuntur; dictum est de his alibi *d*. Tam vero apud Græcos quã Latinos, publicis monumentis duplex memoria anniuersaria die peragitur duplicis eiusdem Capitis Inuentionis; quarum prior illa dicitur facta ex ruderibus antiquæ Herodis Regiæ, posterior ex agro Emesæ Constantinopolim.

Annus hic tertius numeratur post Augustini reditum in Africam; quo idem à S. Valerio Episcopo Hipponensi, petente populo, inuitus & lacrymans creatus est Presbyter, annos natus triginta septem. Vigebat namque mos ille, vt quem eruditione & moribus insignem populus nosset, eumdem vi raptum, reclamantem licet, offerrent Episcopis ordinandũ; quod plane contigisse Augustino, ipsemet etestatur; narratque Possidius *f* in eius Vita. Eumdem vero creatum Presbyterum, idem S. Valerius iussit se præsente Euangelium populo prædicare: quod ante nullus Africanorum Episcoporum attigerat; apud quos (vt idem Possidius *g* testatur) moris hactenus fuisset, vt Presbyteri non loquerentur in Ecclesia coram Episcopis: Reprehendit eam consuetudinem alibi Hieronymus *h*; docens ex Apostolica institutione manare, vt etiam Presbyteri loqui possint in Ecclesia. Cæterum cui coactus fuit derogare Valerius, quod ipse homo Græcus, nec adeo Latina lingua & literis eruditus, administrationi verbi minus incumbere posset; eamque antiquam Africanorum consuetudinem mox & apud alios in desuetudinem abiisse, inde constat, quod in ipsa metropoli totius Africæ Carthagine, Aurelius nuper ex diacono creatus eius Ecclesiæ Episcopus, exemplo Valerii presbyteros verbum Dei prædicare se præsente compulerit: qua de re literis *k* ei congratulati sunt Augustinus & Alipius. Quod vero idem Augustinus primus monasticæ vitæ instituta, quæ in Italia didicerat, inuexisset in Africam, constructis illic monasteriis *l* tam virorum quam fœminarum; eademque pariter primus ipse tenere cœpisset: inde accidit vt Donatistæ vel ipsum *Monachi* nomen execrantes *m*, inudentesque monasticæ vitæ per totam Africam propagationem; eumdem Augustinum insimulauerint, quasi eius generis vitæ auctorem: qui tamen eos refellens *n*, docuit illud toto iam tunc Orbe receptissimum fuisse.

a Sigeb. in Chron. & alij.
b Cedr. in comp.
c Nic. lib. 12. cap. 49.
d Not. Baron. in Rom. Martyrolog. 29. Aug. & Addi vero quæ not. de inuentione an. 1021. post num. 1.
e Aug. de diuers. ser. 40. & 47. 24. ad Alsum.
f Possid. Vit. Aug. c. 4.
g Id. cap. 5.
h Hier. ep. 2. ad Nepot. 11. Cor. 14.
k Aug. ep. 77.
l Vbra. & ep. 109.
m Id. in Ioan. Tract. 97.
n Id. 5 contr. lit. Petil. 40.

III. AVGVSTINVS PER VIM RAPTVS ORDINATVR PRESB.

IESV CHRISTI ANN. 392.

SIRICII ANN. 8.

VALENTIN. II. 17. THEODOSII 14.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo secũdo, Arcadio Aug. secundũ & Ruffino Coss. cum iam Theodosius esset in Oriente, Gentiles Senatores Romani, qui eo præsente de restituendis deorum sacris nec mutire ausi sunt sine maximo suo periculo, vt exemplo Symmachi, qui inter eos eminebat, superius vidimus; publica Senatus nomine legatione eodem agente Symmacho, Valentiniano Imper. in Gallis agentem conuenerunt, vt ab eo impetrarent veterã sacra, quæ pluribus legibus editis idem Theodosius abstulerat. Verum restitit illis Ambrosius, vt Paulinus *o* docet; quamuis istam posteriorem eorumdem legationem confundens cum priore illa sub Symmachi Præfectura, de qua superius actum est. Cæterum ipsius testificatione Ambrosii *p* demonstratur, nouissimam hanc missam esse ad Valentinianum hoc anno paulo ante eius obitum; quem & ait petitionem illam Gentilibus denegasse.

I. LEGATIO GENTILIVM AD VALENTIN.

o Paulin. in vita Amb.

Quod vero pertinet ad mortem Valentiniani; corrigẽdum est Marcellini Chronicon, vbi recensetur sub anni superioris Coss. Eam enim sub his Coss. Idibus Maii in ipsa vigilia Pentecostes accidisse, Epiphanius *q* asserit: subque hoc eodem anno illam recenset Prosper in Chronico; idemque Zosimum sensisse apparet: cum & alioqui omnium sententia constet, Theodosium ab Italia recedentem, reliquisse Valentinianum incolumem. Fuisse autem ferro confossum ab Arbogaste Comite natione Franco, quod ei, ob illius in se arrogantiam, exercitus administrationem abrogasset, Zosimus *r* asserit. Verum non ferro cõfossum, sed laqueo strangulatum in palatio, testatur Epiphanius; necnon Socrates *s*. Sozomenus *t* autem ait, aliquos asseruisse eum spontaneo laqueo periisse; quod scilicet hæc de eius obitu cubicularii ipsius leui fama sparsissent. Sicut etiam indicare videtur Hieronymus *u*, dũ scribit necatum esse, & cadauer exanime suspendio infamatum. Ruffinus *x* autem tradit, causas cur laqueo viram finierint ignoratas, & num ipse sibi vel alii iniecerint. Sed Ambrosius *y* rerum etiam secreto gestarum probe cõscius, longe ab hac abhorret sententia, vt sibi ipsi adolescẽs manus conscierit, probe sciens id dolo Arbogastis factum; quem præsentia sua placare se potuisse affirmat, si illic adesse contigisset: quippe quem Paulino constet auctore, omni obseruantia coluisse Ambrosium. Eumdemq; robore corporis, & odio auaritiæ, necnon grauitate morum præstitisse, Suidas scribit; vt non miretis, si & ipse ab Ambrosio diligeretur, ac frequenter etiam conuiuio excipieretur, vt idem Paulinus testatur.

p Ambros. orat. in fun. Valent.
q Epiph. de mensur. & pond.
r Zos. l. 4.
s Socr. lib. 5. cap. 24.
t Soz. lib. 7. cap. 22.
u Hier. ep. 3.
x Ruff. lib. 2. cap. 33.
y Ambros. in fun. Valent.

II. VALENTINIAN. IMP. NECATVR.

Cæterum erat tunc Valentinianus cum necatus est adhuc catechumenus; qui paulo ante obitum profecturus cum exercitu aduersus barbaros in Italiam irrumpentes, cupidus ante eam expeditionem initiari sacro Baptismo, Viennæ cum esset in Gallia, S. Ambrosium Mediolano, vt ab illo, quem patris loco habebat, baptizaretur, accersiuit: sed illo adhuc in itinere constituto, proditorum appetitus insidiis occisus est. Hæc pluribus ipse refert Ambrosius oratione habita in funere eiusdem Valentiniani; vbi egregios ipsius mores, ac summam pietatem, miris effert laudibus. Cuius etiam assertione cum salus animæ eius testata reddatur; ad eam significandam, nõ solum baptismi vota reddatur; ad eam significandam, nõ solum baptismi vota redditur; atque petitio intercessit, sed præcessit nupera fidei Christianæ totius confessio, cum Gentilibus *z* restitutione suorum rituum instantibus, constanter (vt diximus) resti-
rit. Quod au- eadem Ambrosii oratione dicitur obiisse decimo octauo regni sui anno; mendosa videtur lectio, cum ex iis quæ dicta sunt de eius assumptione ad Imperũ, constet imperasse vsque ad diem necis suæ, annos tantum sexdecim, & menses sex, minus octo diebus; necatum autem esse anno ætatis vigesimo septimo inchoato, quem natum vidimus anno trecentesimo sexagesimo sexto. Eius corpus delatum Mediolanum, Theodosii Imp. iussu, & S. Ambrosii cura humatum est honorificentissime in sarcophago porphyretico: in cuius depositione idem Ambrosius panegyricam habuit orationem.

z Vide ep. Ambr. 24. ad Theod. Imp.

III. LAVDATVR PVLCA ORATIO AMBROS.

IV. EVGENIVS TYRANN.

Qui vero post Valentinianum regnare cœpit in Occidente, fuit EVGENIVS, nomen sibi tyrannus sumens Augusti, elatus in Imperium à Valentiniani interfectoribus: quem obscurum genere, rhetoricis facultatibus, quas publice professus erat, tantummodo clarum, in aula veriatũ, Rhicomeri Duci notum, & eius commendatione ab Arbogaste in familiaritatem acceptum tradunt *a*: vnde clientem & famulum Arbogastis, eum nominat Claudianus *b*. Eundem autem ita sublimatum in Imperium, legationem pro pace ad Theodosium misisse, Zosimus ait: additque Ruffinus, missos etiam legatos sacerdotes, qui Arbogastẽ culpa purgarent. Cum inter hęc Theodosio de expeditione cogitante, ipse ne aduersus Eugenium paranda cogitare incipiente, ipse Eugenius Gentilium vanum (quod tradit Sozomenus) ex

a Zos. lib. 4. b Claud. panegyr. de 3. & 4. Honor. Cons.

victimarum immolatione, & viscerum inspectione, & obseruatione syderum, decèptus promissis, ac de futura victoria securus redditus; Aram Victoriæ, & sumptus cæremoniarum, homo alioqui Christianitatis ferens imaginẽ, iisdem Gentilibus concessit: vt tradit Paulinus, ipseque S. Ambrosius in Epistola, quam è ciuitate Florentia (ad quã inuitatus à ciuibus libens secesserat, declinans magis atpectum sacrilegi Eugenii Mediolanum properantis, quam formidans imperantis iniuriam) ad eumdem tyrannum conscripsit *a*, libere illum de eiusmodi concessione redarguens. Permansit vero Ambrosius Florentiæ (vt putatur) ad biennium; quippe quem eodem auctore Paulino constat non ante reuersum Mediolanum, quam Theodosius in Italiam aduenerit contra Eugenium. Intercessit autem tunc ei cum S. Zenobio eius ciuitatis Episcopo familiaritatis vsus, pluribus inter vtrumque officiis declaratus, quę Paulinus recenset, sicut & præclara miracula Apostolis digna ibidem ab eo edita.

a Ambr. ep. 15. edit. Sixt. ARGVITVR AB AMBROSIO.

V. THEODOS. RESCRIBIT ADVERS. GENTIL. ET HÆRETIC.

Porro Theodosius, cognita concessione illa Eugenii; quod sibi non adhuc integrum esset his malis occurrere, quibus tamen valuit modis contrariis legibus repugnare nisus, aduersus idolorum cultores hoc eodem anno sanctionem *b* edidit, qua penit⁹ omnimoda sacrificia, & qualemcumque cultum, siue publicum, siue priuatum, simulacris exhiberi solitum, seueriſſimis pœnis vbique interdixit. Sed & religionem Christianam cupiens ab hæresum inquinamẽtis liberam reddere, inter alia hoc eodem tempore data aduersus hæreticos rescripta, illud est cuius sæpius meminit Augustinus *c*, quo hæreticos omnes quicunque vel ordinarent clericos vel ordinarentur, denis libris auri mulctauit. Et quod occasione Iouiniani hæresiarchæ, & sociorum eius Monachorum vagantium, (vt superius vidimus) generali lege sancierat, ne in ciuitatibus monachi apparerent, sed deserta loca peterent; quoniam hæc in iniuriam & damnum conuertebantur etiam bonorum, noua emendauit sanctione *d*. Itemque de Paschalibus feriis rescripsit, vt diebus quindecim actus omnes siue publici siue priuati conquiescerent; exceptis emancipationibus, & manumissionibus. Ac denique qui illibate in omnibus conseruandum voluit ius Ecclesiarum, ne tamen id fieret damno alterius curauit; de debitoribus ad eas confugientibus sanciens *e*, vt aut illico exttraherentur, aut pro eis Episcopi qui eos occul.assent debitum soluerent. Quę plane ipsa lex est, cuius vigore compulsus aliquãdo S. Augustinus persoluere quod debebat qui confugerat ad Ecclesiam, pro eius debiti dissolutione de collecta facienda in populo literas *f* dedit.

b 12. C. Th. de pagan.
c Aug. ep. 50. ad Bonif. ep 86. ad Ianuar. & 3. cont. Cresc. on. 37.
d 12. C. Th. de Monach.
e 11. C. Th. de his qui conf. ad Eccles.
f August. ep. 215.

VI. DISPVTATIO AVGVSTINI CONTRA FORTVNATVM.

Sed quod rursum ad Augustinum pertinet, idem hoc ipso anno quinto Calendas Septembris, expetente & spectante populo, Hippone regio publica disputatione contulit de origine mali (super quam totus cardo hæresis Manichęæ vertebatur) cum *Fortunato* veterioso hæretico Manichæo, multos ostentatione doctrinæ decipiente: cuius disputationis extant apud eumdem Augustinum *g* Acta à Notariis tunc excepta; ex quibus apparet, Fortunatum ita ab Augustino arctatum fuisse, vt quid amplius responderet non habens, collaturũ se cum suis dixerit, & si sibi forte de his satis minime facerent, animæ suæ consulturum. Addit vero Possidius *h*, eumdem Fortunatum tanta confusione affectum esse, vt Hippone recedens, nũquam amplius ausus sit illuc reuerti. Scripsit autem post hæc idem Augustinus, dum adhuc Presbyter esset, plurimos commentarios, contra eosdem Manichæos, necnon aduersus Donatistas; quos ipse alibi *i* enumerat. Atque inter alios, miseratus imperitam plebeculam, ab iisdem Donatistis antiquis schismaticis deceptam, *Psalmum Abecedarium* qui eis cantaretur, per Latinas literas composuit, qui hodieq; extat: quo schismatis imprimis origo cantatur, sed & diluuntur calumniæ à Donatistis illatæ in Catholicos; ac denique demonstratur eos qui non iunguntur Romanæ Petri cathedræ, in Ecclesia esse non posse.

g Aug. cont. Fortun.
h Possid. in Vita S. Aug. cap. 6.
ALIA SCRIPTA AVGVSTINI.
i Aug. 1. Retract. 18. & seqq.

VII. DE SCRIPTIS HIERONYMI.

Est quoque vt & S. Hieronymi singulas lucubrationes in hunc vsque decimumquartum annũ Theodosii editas perfacile enumeres, si quæ ipse ad finem habet commentarii *De Scriptoribus Ecclesiasticis* legas. Scripsit illum ad Dexterum V. C. Paciani Episcopi Barcinonẽsis filium, ac Præfectura *a* Prætorii aliquando decoratum; qui & ipse antea ad eũdem Hieronymum omnimodam historiam scripserat *b*, quę petiit. In hoc autem commentario edẽndo, Hieronymi is fuit scopus, (quem ipse in præfatione testatur) vt Christianæ religionis Scriptorum monumenta enumeraret aduersus Celsum, Porphyrium, & Iulianum, qui Christianos omnes imperitiæ arguerant. Verum aliquot prætermissos in illa serie Scriptores Ecclesiasticos, vidit etiam rum Augustinus ad ipsum ea de re scribens *c*. Quod monuisse voluimus, ne suspecta sit fides auctoris alicuius, qui nõ reperiatur in eodem catalogo scriptus. Nam & ipsummet Hieronymum, licet ibidem asserat se lucubrationes suas ipsius omnes editas vsque ad præsentem annũ recensere, ex eis tamẽn aliquas numerare prætermisisse, constat ex dinumeratione illarum, quas recenset in epistola ad Pammachium *d*, scripta paulo post missum ad eum Apologeticum, quem ante hoc tempus se scripsisse tẽstatur in eodem commentario de Viris Illustrib⁹. Adeo vt dici plane de eo posse videatur, quod iactari solet de valde abundante diuitiis homine, ita prædiuitem fuisse, vt numerum nesciret diuitiarum suarum. Cæterum in eodem libellõ aliquid amplius desideratum, nempe vt cum adnumetat hæreticos inter Scriptores Ecclesiasticos, in quibus cauẽdi essent admoniisset, Augustinus *e* eidem significauit; idque vt alio libello præstaret vehementer rogauit.

a Hier. Apol. cont. Ruff.
b Idem de Script. Eccl.
c Aug. ep. 9. ad Hieron.
d Hier. ep. 32
e Aug. ep. 9.

Quod autem ex diuersis eiusdem S. Hierony. *f* ad Pammachium literis colligitur, hoc ipso anno datam esse S. Epiphanii epistolam ad Ioannem Hierosolymorũ Episcopum; de huiusmodi magni momenti historia, sed multis perplexa difficultatibus, breuiter agendum est. Hic *Ioannes* (vt iam superius attigimus, & ex S. Hieron. *g* patet) monachus secta Macedonianus, spe illectus Episcopatus Hierosolymitani, abdicata hæresi illo tandem potitus, Origenis errorum se patronum exhibuit, Origenistarumq; Ruffini, Palladii, aliorumq; fautorem: atque ob eam causam adeo infensus fuit sibi aduersantibus sanctissimis viris Epiphanio, Hieronymo, atque Theophilo Alexandrino, vt nullã prætermiserit occasionem iisdem molestiam facessendi. Cum vero idẽ Epiphanius, etsi non sub Ioannis parochia, in Palæstina tamẽ, in monasterio vbi tunc agebat in Eleutheropolitano territorio, sanctum virum Paulinianum S. Hieronymi fratrem, primo diaconum, deinde presbyterũ ordinasset: hanc diu quæsitam arripiens Ioannes occasionem contra Epiphanium agendi, maximas aduersus eum turbas concitauit, q⁹ eiusmodi ordinationẽ in aliena diœcesi præsumpsisset. Addebat & aliam iratum causam, nimirum quod quando Epiphanius sacrificium offereret, soleret pro Ioanne dicere: *Domine, præsta Ioanni, vt recte credat.*

VIII. CONTENTIONES INTER IOAN. HIEROSOLYM. ET EPIPHAN.

f Hier. ep. 81. 101.
g Id. ep. 61. 62.

His igitur prouocatus Epiphanius, ad eũdem Ioannem illam quam diximus dedit epistolam *h*: in qua de duabus illis accusationibus agens, de posteriori quidem se explicat; priorem vero excusat ex penuria sacerdotum, quibus indigebat monasterium, itemque ex consuetudine Ecclesiarum Cypri, vbi eiusmodi ordinationes promiscue in alienis parochiis fieri solerent: (cum & alioqui, vt postea scripsit Hieronym⁹ *i*, si quid in eo perperam gestum esset, non Ioannes, sed Episcopus Cæsareæ maritimæ, quæ metropolis totius Palæstinæ erat, cui & ipsa Hierosolymorũ Ecclesia, decernente Sacrosancto magnoq; Nicæno Cõcilio, subiaceret, expostulare debuisset) ac postremo docet prætextus inanes hos esse, veramque Ioannis indignationis causam præcessisse, quod eum ipse Epiphanius coram redarguisset hæresum Origenis, monuisseque ab eis recedere. Quæ vero post hæc de ista altercatione secuta sunt, dicentur inferius suis locis.

IX. h *Ap. Hier. ep. 60.* EPIPHAN. SE EXCVSAT.

i *Hier. ep. 61.*

Illud autem hic minime omittendum, quod eadẽ epistola S. Epiphanius testatur, Paulinianum adeo inuitum ordinatum fuisse diaconum atque presbyterum, (quia indignum se his gradibus esse contestabatur) vt ingenti difficultate tenendum fuerit os eius, ne forte liberaliter se cupiens, adiuraret ipsum Epiphanium ordinatorem suum per nomen CHRISTI. Vique eo enim sanctissimi viri horrebant pondus sacerdotii, vt vix paterentur ordinari, (sicut de pluribus aliis iam dictum est superius, dicetur que infe-

X. SANCTI VIRI HORREBANT ONVS SACERDOTII.

rius) & qui ordinati essent, vererentur illud munus exercere: quemadmodum de S. Hieronymo & Vincētio presbyteris Epiphanius eadem epistola tradit, eos propter verecundiam & humilitatem refugisse debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerii, quæ (vt ait) Christianorum præcipua salus est.

XI. FICTIO DE CONSCISSO AB EPIPHANIO VELO IMAGINEM HABENTE.

Porro additamentum, quod habetur in fine eiusdem S. Epiphanii epistolæ, *De Velo pictio imaginem Christi vel Sancti cuiusdam habente*, quod idem Epiphanius in Ecclesia Ioanni subiecta appensum pro foribus conscidisse diceretur, quasi contra religionem Christianam esset in Ecclesiis appendi Imagines; illud quidem ab aliquo impio consarcinatum esse, nullum est dubium. Sic enim & plura alia nomine Epiphanii scripta, ab Iconoclastis suppositia iam olim fuisse, in Nicæno posteriori Concilio *a* ipsius Epiphanii defensor, item Epiphanius nominatus, pluribus exemplis docet, & validis rationibus eundem S. Patrem ab eiusmodi calumniis vindicat: sicut & id ipsum alias præstitit S. Ioannes *b* Damascenus. Vnde & aliud validissimum argumentum aduersus istud additamētum colligitur. Quid est enim quod ab iisdem Iconoclastis, qui omnia omnium scripta tanta solicitudine scrutabātur, quo aliquid aduersus Imagines dictum reperirent, vt & multa falsa supponerent; prætermissa tamen fuerit hæc ad Ioannem epistola, quam vbiq; diffusam Hieronymus cteſtatur; nisi quod illa eo tunc additamento careret? Deinde quomodo id tacuisset Ioannes, qui de multo leuioribus conquestus est? Certe enim maioris audaciæ, & ipsi Ioanni grauioris contumeliæ facinus videri potuisset, in Ecclesiam ipsi subditam Epiphanium violentas iniecisse manus, quam in monasterio alienæ parœciæ sacros ordines ministrasse.

a *Conc. Nic. Sec. Act. 6.*

b *Damasc. orat. 1. de Imag.*

c *Hieron. ep. 101.*

XII. VELORVM IMAGINVM VSVS ANTIQVVS.

Denique quomodo Epiphanius voluisset, vel valuisset prohibere, quæ in Ecclesia Catholica scirentur vbique recepta? Nam præ ea quæ iam alias abunde sunt dicta de recepto sacrarum imaginum vsu, præterque S. Paulini *d* & Venantii *e* Fortunati eiusdem temporis scriptorum auctoritatem, qua eiusmodi Velorum sacris Imaginibus ornatorum vsus probatur; illustrem historiam de simili velo, Imaginibus S. Crucis & S. Stephani insignito, diuinitus exhibito, & appenso in Ecclesia eiusdem protomartyris in Vzalensi ciuitate, eius loci Episcopus Euodius (cuius fidē probat S. Augustinus *f*) scriptis *g* prodidit. Quamobrem si eam veli scissionem ab Epiphanio re vera factam quis omnino contendere velit; tunc verba illa, quibus id declaratur, nimirum *Velum depictum, pendens in foribus Ecclesiæ, habens imaginem quasi Christi vel Sancti cuiusdam*, ita accipienda fuerint, vt ipse iuste excanduerit in prauum facinus, quo alicuius pfani hominis imago in sacro velo depicta, quasi Christi esset, vel alicuius Sancti; ad limen religiose fuisset appensa. Quo sensu verba accepta, Iconoclastas potius impugnent, quam eis faueant.

d *Paul. in Natal 3. 6. 10.*

e *Ven. Fort. lib. 2. carm. in hon. S. Crucis.*

f *Aug. serm. de tempore 243. & lib. 22. de ciuit. c. 8.*

g *Euod. de miracul. S. Steph. lib. 2. cap. 4. ap. Aug. Tom. 10.*

IESV CHRISTI ANN. 393.

SIRICII ANN. 9.

THEODOSII AN. 15.

1 HONORIVS CREATVR IMP.

ANno Domini trecētesimo nonagesimo tertio, Theodosio Aug. tertium & Abundantio Coss. idem Theodosius, HONORIVM filium Imperatorem creauit quarto Idus Ianuarii; vt tradunt Socrates *h*, Prosper *i*, & Marcellinus *k*. Eodemq; anno circa sacros dies Pentecostes, quarta hora diei eclipsato mirifice sole, tantas tenebras factas esse, vt omnes iam iamque venturum Iudicem formidarent, cum iidem auctores tradunt, tum S. Hieronymus cōfirmat in epistola ad Pammachium aduersus Ioannem Hierosolymitanum Episcopum, quam post paucos (vt ait) menses scripsit.

h *Socr. lib. 5. cap. 24.*

i *Prosper in Chron.*

k *Marcell. in Chron.*

II. DE IOANN. HIEROSOL. ET HIERONYMI ADVERSVS EPIST.

Cum enim ex literis ad eumdem Ioannem ab Epiphanio anno superiori scriptis, is magis magisque commotus alias encyclicas aduersus ipsum Epiphanium, cum ad Theophilum Episcopum Alexandrinum, tum ad Occidentales prouincias misisset, quibus inter alia calumniam ei hæresis Anthropomorphitarū impingeret: rogatus à Pammachio V. C. Hieronymus, (qui & ipse, ob Paulinianum fratrem ab Epiphanio ordinatum, & quod Ioannem ob errores Origenis nonnihil perstrinxisset, eundem sibi patiebatur infensissimum;) insignes pro defensione S. Epiphanii dedit literas *a*, quibus eas quas Ioannes scripsisset, omnesque ab eo illatas in Epiphanium contumelias, necnon errores ab eo desumptos ex Origenis libris περὶ ἀρχῶν, acriter abundeq; refellit. Quos quidē errores cum Ioannes ac tota illa Origenistarū schola, nempe Ruffinus, Palladius, & alii complures in Ægypto Monachi, summæ sapientiæ ostentatione exponerent; siquos scirent secus sentire, eosdē (vt ait ibidem Hieron.) rudes ac simplices, luteos, ac carneos, & plane animales homines nominabant; necnon *Philosophos*, q̄ Catholici crederent mortuos resurrecturos cum pilis, aliisq; singulis corporis membris, cum illi inter alios errores ex Origene susceptos, corpora cū suis prioribus membris resurrectura negarēt, sed transformanda illa in lucidos aēreos globos, ex Platonis sententia assererent.

a *Hier. ep. 61.* CATHOLICI DICTI AB ORIGEN. PHILOSOPHI. [Apud Hieronymum vel o legitur *Philosophi*. Est autē ψυχικοὶ, idem quod ψυχῶδες, hoc est, luteus, à veste, lutum, apposit. illi mea ad mēt. Hieronymi.]

Illud præterea eadē Hieronymi epistola constat, Theophilum Alexandrinum egisse sequestrem, vt dissidia inter Ioannem & alios Episcopos, ipsumq; Hieronymum, componeret, eaque de causa legatum Hierosolymam misisse Isidorum presbyterum ac monachum Alexādrinum: qui cum erga Ioannem propensior esset, ac studeret Origenistis, (quod huc vsque Theophilus ignorauerat) confestim ex Legato se detexit Origenistarū antesignanum; & quod Hieronymum acerrimum illorum aduersarium expertus esset, literas à Theophilo ad ipsum scriptas adiuratus à Ioanne ei reddere noluit, prout ea de re Hieronymus queritur: simulque aduersus Ioannem expostulat, quod mandasset clericis suis, vt si quis Paulinianum ab Epiphanio Episcopo consecratum, presbyterum diceret, ecclesiam prohiberetur intrare, atque inde ipsi Hieronymo, veluti excommunicato, interdictus fuisset ingressus Sepulchri Domini. Alia vero epistola *b* ad Theophilum scripta, similiter obiicit Ioanni, quod eidem ipsi Hieronymo postulasset & impetrasset exilium. Quod enim sciret Hieronymus, Theophilum Ioannis literis male persuasum, existimare ob rem friuolam, nempe ordinationis Pauliniani causa, non autem tuendæ Catholicæ fidei, eos sic inter se fuisse altercatos, ipse ad eumdem scriptis literis, rerum gestarum veritatem significauit, seq; pacem, quam Theophilus per Legatos obtulerat, optare, modo veram pacem, quæ scilicet compendio, non autem dispendio fidei Catholicæ cōpararetur. Quibus Theophilus intellectis, post hæc fauit eorum causæ aduersus Ioannem & alios Origenistas.

b *Idem ep. 61.*

Inter hæc autem subreptam fuisse à quodam pseudomonacho aduersariorum arte submisso, epistolā Epiphanii ad Ioannem scriptam, atq; ab Hieronymo in Latinum translatam; indeque ipsum Hieronymum calumniam falsarii passum esse, quasi non recte quædam verba transtulisset ipsemet pluribus declarat, ac videt epistola illa, quam ea occasione anno sequenti *De optimo interpretandi genere* ad Pammachium *c* scripsit. Qua cum imprimis se purget ab illata calumnia, inuehaturque in chartarum subreptores, & quam acres ac seueras leges sæculi vindices haberet, pluribus demonstret exemplis; demum aperte docet, eius architectos fuisse Ruffinum & Melaniam, de quibus dictum est superius, qui ob hæreses Origenis, quarum præcipuos se patronos exhibuerant, ab eiusdem se Hieronymi amicitia disiunxerant. Opera tamen, vt puto, Theophili Alexandrini, (qui multum in his medendis Ecclesiæ vulneribus laborauit) inita est postea concordia *d* inter eosdem Hieronymum & Ruffinum: & existimare fas est, aliquos quoque Hieronymi aduersarios pari fœdere eidem copulatos esse, Origenis erroribus silentio cōdemnatis. Sed quomodo male obducta cicatrix, serpente intrinsecus tabo, iterum in vlcus eruperit, dicetur suo loco.

c *Id. ep. 65. ad Pamm.*

d *Id. ep. 66. ad Ruf.*

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. 8. Idus Octobris *e*, *Hippone reg. o* in Africa celebratum est CONCILIVM generale ex totius Africæ collectis Episcopis; cuius plerisque in locis sparsa mentio reperitur. Quod vero ad sanctos ibi

e *Tom. 1. Concil. in exord. Conc. Afric. Concil. Hipponense.*

SCRIBIT DE OPTIM. GENER. INTERPR. c *Id. ep. 101.*

V.

IV.

vnum

TVENDA DISCIPL. ECCLES.

vnum & quadraginta canones attinet; constat ex eis confectum esse Breuiarium, quo iidem facilius innotescerent, idque decreto Concilii Carthaginiensis postea celebrati Cæsario & Attico Consulibus, vbi & habetur intextum. Huius autem Hipponensis celebrandi nullam aliam præcessisse causam professi sunt Patres, quam vt collapsam disciplinam Ecclesiasticam in integrum restituerent; quod quidem adeo efficaciter præstiterūt, vt cæteræ quæ postea in Africa celebratæ sunt Synodi, ex Hipponensi, tanquam archetypo quodam, complura fuerint mutuatæ. In eadem autem, coram iubentibus Episcopis, de Fide & Symbolo disputasse Augustinum adhuc presbyterum, Possidius *a* tradit: eiusque tractationis alibi ipse meminit Augustinus *b*, quam & iisdem petentibus Episcopis in librum conuertit; incipiens iam ab omnibus magni haberi. Vnde Valerius Hipponensis Episcopus, timens ne tam nobilis Christi ministri dispendium faceret, & adsciscendus ab aliis esset in alicuius vacantis sedis Episcopum, cogitare *c* cœpit de subrogando eum sibi, eaque de re contulit cum Aurelio Carthaginiensi, ac tandem perfecit, vt dicetur post annum.

a *Possid. in Vit. S. Aug. cap. 7.*
b *Aug. 1. Retract. 17.*
c *Possid. c. 8.*

VI. THEODOSII ET EVGENII CONTRARII APPARATVS.

Hoc item anno Theodosius Imp. expeditionem parans aduersus Eugenium tyrannum, doctus exemplo pietate magis quam armis hostes debellari solere; primo Dei voluntatem per Ioannem celeberrimum illum anachoretam, quem & alias consuluisse vidimus, sciscitatus; victoriæ quidem promissionem accepit, sed cum plurima sanguinis effusione. Cum ex altera parte Eugenius, licet foris præ se ferens Christianum, intus tamen Paganum gerens, ex sacrificiis victimarum & inspectione extorum, & ipse de victoria securus fuit redditus: idque maximè persuasionibus Flauiani Præfecti, viri quidem eximii & eruditi, ac in rebus politicis prudentis habiti, sed idololatriæ addictissimi, & in Christianam religionem infensissimi; ideoque Symmachi Consularis perneccssarii, cuius ad eum scriptæ extant complures epistolæ. Cæterū prædicta tam de illo, quam de Theodosii & Eugenii contrariis consiliis & apparatibus, testantur Ruffinus *d* atque Sozomenus *e*. Nec vero de futuro tantummodo exitu belli vaticinatum esse Ioannem Anachoretam; sed & post obtentam victoriam, proximum fore propalasse obitum Theodosii, Euagrius *f* atque Theodoretus *g* affirmant. Addit autem Ruffinus, multis insuper ieiuniis, orationibus, vigiliis, ciliciis, ac processionibus ad loca sancta, eumdem Imp. se præparasse ad bellum. Cedrenus quoque, ipsum incognitum alieno habitu peregrinatum Hierosolymam ad inuisenda loca sancta: at hoc ignorauere antiquiores historici.

d *Ruff. l. 2. cap. 32.*
e *Soz. lib. 7. cap. 22.*
f *Euagr. Vit. SS. Patr. c. 1.*
g *Theod. l. 5. cap. 24.*

VII. h *l. 13. C. Th. de annon. & trib. l. 12. & 12. C. Th. de bon. proscrip. l. 3. C. Th. de salgam. l. 18. 19 20. de erog. mil. l. 4. de metator.* k *l. 1. C. Th. si quis Imp. maled.* THEODOS. PRVDENTIA IVNCTA CLEMENTIÆ.

Præterea recens indictas à Præfecto Prætorio exactiones populo remisit *h*, militibusque leges præscripsit, ne quid à suis hospitibus quocumque nomine exigerent: ac denique rescripsit *k*, vt qui ipsi Imperatori maledixissent, pœna carerent: *Quoniam* (vt inquit egregie) *si id ex leuitate processerit, contemnendum est, si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum.* Ea tamen ad Imperatorem referri iussit, vt ex personis hominum dicta pensarentur. Qua quidem in lege admireris eius cum pietate prudentiam; dum quādo visus est seueritatis soluere disciplinam, tunc magis eam fibula editæ legis adstrinxit. His itaque præuiis sanctissimis legibus, hoc eodem anno Constantinopoli promulgatis, idem ad sequentis anni auspicandū bellum certam sibi strauit ad victoriam viam.

IESV CHRISTI ANN. 394.

SIRICII ANN. 10.

THEODOSII AN. 16.

I. THEODOS. PROFICISCITVR ADVERSVS EVGENIŪ.

ANno Christi trecentesimo nonagesimo quarto, Arcadio tertium & Honorio secundum Coss. iisdemq; Augustis & fratribus, Theodosius eorumdem parens, in ipso procinctu bellico, memor pietatis, qua sola speraret parari sibi posse victoriam, nouis edictis *a* Christi hostes insectatus est hæreticos; deinde cum exercitu tam suorum militum, quam barbarorum fœderatorum, profectus est in Occidentem aduersus Eugenium tyrannum, præuio signo Crucis quod micabat in Labaro. Quod vbi Eugenius resciuisset, consilium *b* iniit cum sui exercitus Ducibus, Arbogaste Comite & Flauiano Præfecto, de occupandis Iuliarum Alpium iugis; collocatis ibi simulacris *c* Iouis Fulminei, exercituque præuio Herculis signo progrediente. Tradit vero Paulinus in Vita S. Ambrosii, recedentes Mediolano Eugenianos minatos esse, cum victores reuertissent, stabulum se facturos in basilica Mediolanensi, ac cleticos sub armis probaturos; quod munera Eugenii, qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuerentur, nec orandi ei cum Ecclesia societas tribueretur. Sed nihilominus S. Ambrosius, mox vt iidem Mediolano excesserunt, (vt idem auctor tradit) illuc è Tuscia reuertit, vt Theodosium venturum exciperet.

a *l. 11. C. Th. & Iustin. de hæret.*
b *Paulin. in Vit. S. Amb.*
c *Aug. 5. de ciuit. 26. Ambros. de fun. Theod. & Claud. panegyr. in 3. Consul. Honor.*

II. MIRIFICA THEODOSII, VICTORIA AVXILIO DIVINO.

Porro Theodosius inopinato suo aduentu hostes terrens, Alpiumque præter omnem spem potitus, ad pleniorem postea pugnam accedens, prioris diei congressu multis suorum millibus interfectis, posteriori prælio insignem atque mirificam adeptus est victoriam octauo Idus Septembris, ad ripam fluminis nomine Frigidi. Quæ omnia, aliaque præclara eo bello gesta, pluribus descripsere Ruffinus *d*, Theodoretus *e*, Orosius *f*, Socrates *g*, Sozomen[9], *h* aliique *i* Christiani auctores; & ex Ethnicis Claudianus *k*, atque Zosimus. Iste tamen (præterquam quod defectum illum Solis, quem anno superiori contigisse demonstrauimus, hoc ipso prælii tempore accidisse falso ait) more suo, quod sciret victoriam Theodosii in deorum ignominiam, & gloriam Christi cedere; quam negare non potuit, sic obscurauit, vt non CHRISTI virtuti, ac pietati Theodosii adscribenda esset, sed potius Eugenii oscitantiæ. Cum tamen eam non desidia hominum, acerrime & obstinatissime pugnantium, sed diuinitus impertitam fuisse precibus Theodosii, quas medio prælio, cum suorum videret acies ad fugam conuersas, in edita rupe, vnde & cōspicere & conspici ab vtroque posset exercitu, prostratus fudit ad Deum; adeo vt exorto cælitus in hostium facies vehementissimo vento, cuncta tela ab eis missa in eosdem ipsos retorquerentur, & immensa pulueris copia oculos occludere cogeret, iidem supra nominati auctores Christiani, ipseque Claudianus Ethnicus affirmāt. Quin etiam SS. Ioannem Euangelistam & Philippum Apostolum eidem in visione apparentes, animum dedisse redintegrandi secunda die prælium, Theodoretus narrat; extatque hactenus ea de re nobile antiquitatis monumentum, prægrande numisma *l* aureum, ex altera parte repræsentans effigiem Theodosii, ex altera vero SS. Ioannis & Philippi, tonsura clericali & sacerdotali antiquo ornatorum habitu; iisdemque singulis dextra manu volumen, nempe Euangeli (vt puto) sinistra Crucem apponens, quasi his armis superassent confidentem diis Gentium exercitum. Cæterum Arbetionem quoque, hostilium partium Comitem, in ipso certamine ad Theodosium transeuntem, magnam extitisse victoriæ partem, Orosius asserit.

d *Ruff. lib. 2. c. 33.*
e *Theod. l. 5. cap. 24.*
f *Oros. lib. 7. cap. 35.*
g *Socr. lib. 5. cap. 24.*
h *Soz. lib. 7. cap. 24.*
i *Vid. Aug. 5 de ciuit. 26. Ambros. de fun. Theod.* k *Claud. panegyr. in 3. Consul. Honor.*

Ipsum vero Eugenium tyrannum, captum ac vinctum ad Theodosium ductum, pœna mortis affectum esse, iidē auctores affirmant: ac de Arbogaste sceleris omnium auctore tradunt, fuga se subducentem è pugna, vbi nullam vitæ spem sibi reliquam intellexit, proprio se ense confodisse. Reliquis autem omnibus, qui bello confecto fuere superstites, veniam à Theodosio impertitam fuisse, testātur Orosius & Augustinus *m*: & qui ad Ecclesias confugissent, iis S. Ambrosium, ea de causa Aquileiam ad Imperatorem accedentem, indulgentiam impetrasse, Paulinus ait. Vnde & Synesius ea oratione, qua agit cum Arcadio de seruanda clementia erga supplices, paternum ingerit exemplum; illudque magnifice de Theodosio prædicat, quod victor hostium ipse à misericordia vinceretur, generositatemque naturæ ad indulgentiam flecteret. Et vtait de eodem S. Ambrosius *n*, beneficium se putabat accepisse, cum rogaretur ignoscere: tuncque propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ: eratque præro-

III. EVGENII & ARBOGASTI INFŒLIX EXITVS.

m *Aug. d. c. 26.*

THEODOS. CLEMENTIA PRÆDICATA. *De qua agit vario loco Baronius.*

n *Ambros. in fun. Theod.*

l *Habet Baron. Annal. Tom. V. hoc an. ex Ful. Vrs. sed vide qua de eius interpretatione habet Gretf. Tom. 3. de Cruc. lib. 2. cap. 24.*

gatiua ignoscendi, indignatum fuisse; ac denique optabatur in eo, quod in aliis timebatur, vt irasceretur. Quam eãdem Theodosii virtutem magnis pariter laudibus extulerunt exteri homines tam Claudianus, quam etiam Themistius philosophus, qui & sub Theodosio prouecta admodum senectute vixit, ipsique etiam carus extitit. Cæterum hanc Theodosii victoriam eadem ipsa die qua accidit, indicatam fuisse apud Constantinopolim in templo, quod ipse in honorem S. Ioann. Baptistæ ædificauerat in Hebdomo, à dæmone ipsi S. Ioanni conuitiante, quod exercitui suo aduersaretur, Sozomenus refert: eodemque tempore in Thebaidis Ægypti solitudine à magno illo Ioanne Monacho, qui bis Theodosio de auspicandis prælis ventura prædixerat, nunciatam Euagrius *a* narrat.

a Euagr. Vit. SS. Patr. c. 1.

IV. EXPIATIO OB CAEDEM BELLICAM.

Ac vero post adeo insignem victoriam, Theodosium, quod hostes in acie strati essent, abstinuisse à Sacramentorum consortio, donec Domini circa se gratia exprimeretur aduentu filiorum, quos literis Constantinopoli Metiolanum accersisset, S. Ambrosius *b* testatur: & hoc quidem titu Christianorum; quamuis sciamus fuisse apud Gentiles lustrationes à cæde hostium, sufflitu *c* lauri, vel aqua *d* fluminis. Sed de ritu Christianorum est etiam canon S. Basilii, vt trium annorum communione abstineãt. Verum haud eum fuisse vsu receptum, hac ratione Theodorus Balsamo ait, quod numquam daretur militibus sacra participare, vtpote quod ante absolutum triennium iidẽ pugnare iterum atque iterum compellerentur. Eius tamẽ auctoritate repressum ab Episcopis Nicephorũ Phocam Imp. tradit, cum vellet cæsos bello Romanos milites haberi martyres. Apud Latinos extat canon pœnitentialis in antiquis libris Ritualibus vndecimus ordine, vt qui in bello cædem fecissent, abstinerent quadraginta diebus. Certe diuina veteri lege *f*, qui licet mandato Dei homines occidissent, septem diebus extra castra manentes, lustrabantur tertio & septimo die.

b Ambrosius in fun. Theod.
c Hom. 13. cap. vlt. de Virg. Æn. 2.
d Basil. ep. ad Amphil. c. 23.
f Num. 31.

V. TERRAEMOTVS IMMENSI.

Post hæc autem, elementa varie perturbata fuisse, atq; inter alia nonnullas regiones terræmotu quassatas, Marcellinus *g* & Ambrosius *b* referunt, præsagia existimantes proximi Imperatoris obitus, qui contigit sub principium anni sequentis. Sed inter alias Orbis regiones, Palæstinam tunc vexatam esse tremore terræ, meminit S. Hieronym. *i* occasione impurissimi Vigilantii, qui ex Hispania Hierosolymam profectus, necdum ibi detectus hæreticus, cum Catholicis communicabat; sed qualis intus esset omni pudore vacuus, occasio foris manifestauit, cũ (vt ait Hieronymus) subito terræmotu noctis medio omnibus de somno excitatis, ille & tunica & fide nudus, & aliquid habens nocturnæ crapulæ, omnium oculis obscœnam partem corporis ingessit. Sed de Vigilantio plura inferius.

g Marcell. in Chron.
h Ambro. in fun. Theod.
i Hier. adu. Vigil.

VI. SYNODVS CONSTANTINOPOL. IN ENCAENIIS.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. apud Theodorum Balsamonem celebrata ponitur tertio Calendas Octobris *Synodus Constantinopolitana*, in causa vertente inter Agapiũ & Gebadium, vtrumque sibi vendicare satagentem Episcopatum Bostrensem. Sed cum in ea tam Patriarchæ Alexandrinus & Antiochenus, quam cæteratum Orientis primatum sedium quamplurimi consedisse dicantur Episcopi, nec tamẽ eiusmodi tanti Concilii vlla penitus apud antiquos reperiatur mentio; existimo illud haud conuocatum esse vel Ecclesiasticorum dogmatum causa, vel disciplinæ Ecclesiasticæ corrigendæ, vt in cæteris Conciliis fieri consueuit, vel etiam litis vnius Ecclesiæ terminandæ studio, sed vt nouam Apostolorum Petri & Pauli nomine erectam à Ruffino Præfecto Prætorio, penes quem summa erat, Theodosio præsertim absente, in toto Orientali Imperio auctoritas, basilicam dedicarent: huncque ipsum esse conuentum Episcoporum, cuius Palladius *k* res suorum temporum scribens meminit, cum agit de Euagrio Pontico, qui vna cum Ammonio & aliis magni nominis anachoretis ex Ægypto vocatus à Ruffino, ad eãdem basilicæ, Ruffinianæ dictæ, dedicationem Constantinopolim venit, & ipsum Ruffinum propriis manibus susceperit sacro fonte mundatum. Certe quidem ad magnarum Ecclesiarum dedicationes vocari solitos è remotissimis quoque regionibus Episcopos, quæ dicta sunt superius de Antiochenæ & Hierosolymitanæ Encæniis docent. Porro meminit eiusdem à Ruffino erectæ basilicę Sozomenus *a*, atque ædificatam fuisse trans mare prope Chalcedonem in loco dicto Ad quercus, vbi ab eodem Ruffino sumptuosa villa extructa erat, erectæque regiæ ædes, ipsaque Basilica in honorem præcipuorum Apostolorum Petri & Pauli dedicata, dicta quoque nomine communiori *Apostolaum*.

k Soz. lib. 8. cap. 17.

a Soz. lib. 8. cap. 17.

VII. ACTA CONCILII.

His igitur causis præcedentibus, vt præcipuarũ sedium Episcopi inuitati à Ruffino Constantinopolim se conferrent; ibi cum essent, controuersiam quoque inter duos illos Episcopos obortam definiuere, eo modo quo Acta declarant ibidem à Theodoro narrata; nimirum ex sententia Theophili Alexandrini definitum, non licere deponi Episcopum à duobus vel tribus aliis Episcopis, sed maioris tantum Synodi arbitrio, nempe eiusdem prouinciæ Episcoporum sententia. Cum autem inter alios magni nominis Episcopos in eadem Synodo considentes, reperiãtur quoque duo illa lumina Orientalis Ecclesiæ post Basilium & Gregorium Nazianzenum, nempe Basilii frater *Gregorius* Episcopus Nyssenus, & *Amphilochius* Iconiensis, errotis arguuntur, qui eos longe ante hæc tempora obiisse tradunt. Nam & S. Hieronymus anno ante superiorem, quo (vt vidimus) edidit commentarium de Scriptoribus Ecclesiasticis, de iisdem adhuc viuentibus & scribentibus meminit. Sed quod Amphilochii nõnisi commentarium de Spiritu S. recenset, tamen compiura alia ipsum scripta edidisse, fidem facit Theodoretus, qui multa ac diuersa in suis dialogis ab eodem mutuatus, ea citat. Sed & cum ex eorumdem Episcoporum Catalogo constet, *Theodorum* Mopsuestenum in Cilicia Episcopum vna cum aliis in eadem Synodo consedisse; apparet quoque ipsum adhuc Catholicum perseueraſſe, communicantem cum Catholicis, necdum hæresim, qua in diuinis Quaternitatem, aliasque nefandas blasphemias introducere conatus est, publice professum esse.

THEODORVS MOPSVESTENVS.

His item Coss. *Adrumeti* in Africa celebrata reperitur SYNODVS Catholicorũ: sed quæ ibi decreta fuerint, haud facile apparet, quod diuersorum Conciliorum canones in vnum collecti, simul sub vno titulo Concilii Africani habeantur admixti. Porro Donatistæ quoque in Numidia his iisdem Coss. (vt docet Augustinus *b*) Generale CONCILIVM Episcoporum trecentorum decem celebrarunt, BAGAIENSE dictum, quod *Bagai* eiusdem prouinciæ ciuitate fuerit collectum: in quo causa Primiani & Maximiani definita est. Cum enim mortuo Parmeniano, quem post Donatum vidimus Carthaginiensem Episcopum partis Donatistarum, in eius locum suffectus esset ab aliquibus eorum *Primianus*; idemque ab aliis, duobus aduersus ipsum celebratis Conciliis, nẽpe *Cauerneusi* prope Carthaginem quinquaginta trium Episcoporum, & *Cebarsussi* centum vel amplius Episcoporum) damnatus esset, ob multa ei obiecta scelera, & in eius locũ electus *Maximianus* ex diacono, quem idem Primianus antea damnauerat: iam in hoc Bagaiensi Concilio per Primianum conuocato, idem Maximianus absens atrocissima criminatione damnatus est cum suis, ac Primianus ibi præsens confirmatus. Narrat hæc omnia fuse S. Augustinus *c*, quo etiam auctore constat, Primianistas tanto ardore in Maximianistas ferri solitos, vt & ad iudicia publica traherent, & cædibus atq; incendiis ea occasione omnia replerent. Quod igitur eadem causæ suæ prosecutione ipsi aduersus Maximianistas ea omnia præstarent, (immo & longe atrociora) quæ iidem, atque cæteri Donatistæ à tempore Constantini Magni ac filii eius Constantis, se à Catholicis passos esse effuso ore iactare non deficiebant; sicque suis ipsorum se armis confodi negare nõ possent: (quod eis crebertime idem S. Augustinus exprobrat,) inde factum est, vt in Concilio Carthaginiensi postea à Catholicis celebrato Vincentio & Fraiita Coss. decreuerint *d* Patres, ad perpetuam rei memoriam è publicis Actis excipienda esse cuncta, quæ inter Primianistas & Maximianistas penes Proconsules versata essent. Ex his autem videas, schismaticos ab Ecclesia Catholica primitus separatos, inter se ipsos pluribus esse partibus scissos, & ab auctoribus scissionum sumpsisse denominationem: vt qui primi à Donato dicti sunt *Donatistæ*,

b Aug. 3. cont. Cresc. 56.
c Id. in Psal. 36. & lib. 3. & 4. contra Cresc.
d Conc. Afric. can. cap. 39.

CONCIL. BAGAIENSE DONAT. IN CAVSA SCHISM. IPSORVM.

DONAT. IN VARIAS SECTAS DIVISI.

eorumdem

eorundem alii à Primiano nuncupati sint *Primianistæ*, & à Maximiano *Maximianistæ*: itemque alios à Claudio appellatos esse *Claudianistas*, constat ex epistola [a] Synodali prædicti ipsorum conuentus Cauernensis: sed & de *Rogatistis* à Rogato dictis, ac malis quæ ab aliis Donatistis passi sunt, quod nollent cum iis communicare, agit pluries Augustinus [b] *Tyconium* quoque scissuram fecisse in Schismate Donati, iam superius dictum est. Quam autem pertinaci dissensione ab inuicem separarentur, ostendit Augustinus, dum ait [c], quod cum pars Donati in multa minutissima frusta conscissa esset, singulæ tamen minutæ particulæ conarentur asserere, apud se tantummodo verum baptismũ remansisse, nec omnino esse alibi, neque in toto orbe terrarum, qua Ecclesia Catholica expanditur, nec in ipsa grandiore parte Donati, nec in cæteris, præter se vnam ex minutissimis partibus. Denique & illud admiratione dignum plane est, quod inter sectas diuisi Donatistæ, tamen quę potior inter eas habebatur Primianistarum, adeo erat abundans, vt (quod ait idem Augustinus [d]) cæterarum separationem non sentiret; ex qua hoc anno trecentos & decem Episcopos in vnum conuenisse vidimus. Sed de his modo satis.

IX. De litteris Avgvs. et Hiero. vtro citroqve datis,

Hoc ipso anno S. Augustinus, de S. Hieronymi statu certior factus per Alipium Tagastensem, eiusdem Augustini in vitæ instituto collegam, (qui anno superiori Hierosolymam peregrinatus, sequester extiterat vt inter eosdem Sanctos amicitiæ vinculum strictius necteretur) literas cuidam Profuturo ad eumdem Hieronymum dedit, postquam hoc ipso anno idem Alipius promotus esset in Episcopum Tagastensem; familiares illas [e] quidem, salibus tamen acrioris correctionis aspersas. Nam vnde sibi suppetere poterat haud mediocre argumentum Hieronymi commendandi, quod solus ac primus inter Latinos potuisset reserare fontes Hebraicos; inde eum sugillandi arripiens occasionem, quasi ociose hæc tentasset, ab eo studio diuellere conatus est; fructuosiusque ipsum laborare, nomine (vt ait) totius Ecclesiæ Africanæ, rogauit, in vertendis in Latinum Græcis Scriptoribus Ecclesiasticis: ac deinde incusauit reprehensionem de perperam facta ab Hieronymo interpretatione loci illius in Epistola ad Galatas, quo Paulus ait à se obiurgatum esse Petrum. Sed de hoc quam recte senserit Hieronymus, abunde superius [f] demonstratum est, cum de illa inter Paulum & Petrum controuersia disputaretur.

X. [g] Aug. ep. 10. ap. Hier. 88.

Accidit vero vt hæ primæ [g] Augustini literæ in Africa retentæ, ob promotionem Profuturi in Episcopum eo ipso tempore quo Hierosolymam petere decreuerat, vix post annos duodecim ad Hieronymũ peruenerint. Cum interea Hieronymus earum penitus ignarus, ad Augustinum alia occasione alias officiosas satis mittens, (quæ licet non extent, agit tamen de illis Augustinus [h]) inter alia eum admonuit de cauendis in Origenis lectione eius erroribus. Quam quidem admonitionem non alia de causa factam puto, nisi quod cum Alipii Hierosolymam aduentus tunc contigisset, cum excitatæ nuper controuersiæ de Origenis erroribus vigerent, timeret ne Augustinus relatione Alipii de omnibus certior redditus, aduersariæ partis fortasse defensor insurgeret. Certe quidem subodorari mihi videor, tantos viros, penes quos summa rerum Hierosolymis esset, quorumque prætensa sanctitas videbatur toto iam Orbe spectata, nempe Ioannem, Ruffinum, Melaniam, aliosque Origenis fautores, aduersus Hieronymum aliqua falsa Alipii auribus insusurrasse; eademque ipsum, aduersariorum ignorantem dolos, in Africam redeuntem Augustino narrasse; qui eis nonnihil permotus, bona fide, rectoq; animo, paulo licentior primis illis literis à reprehensione scriptorũ Hieronymi aggressus sit. Acceptis vero quas Hieronymus scripserat, alias ipse rursum ad eũdem dedit, eodem prorsus quo priores argumento.

XI. [i] Hier. Apol. aduer. Ruff. l. 2.

Sed iterum accidit dolo aduersariorum (ac præcipue Ruffini, vt alibi non obscure Hieronymus [i] indicat) vt nec istæ Augustini literæ ad Hieronymum perlatæ fuerint, sed exscripta ex eis exemplaria in Italiam missa, sparsaque non sine graui Hieronymi nota: quorum vnum nactus Sisinnius [k] diaconus, tandem post annos (vt diximus) duodecim à priorum literarum scriptione, Hierosolymam alia occasione peregrinatus, ad eumdem Hieronymum attulit. Quapropter binis iis literis acceptis, Hieronymus nõnihil stomachatus, aliis binis [a] & ipse ad Augustinum missis, de iniuria accepta conquestus est. Augustinus vero alias rursus ad eum scriptis [b] per Cyprianum diaconum, nouas addidit reprehensiones operum Hieronymi: & ex altera parte Hieronymus validam aduersus eas Apologiam contexuit; qua cum ab omnibus obiectis causam suam defendisset, redarguit insuper Augustinum, quod eius sententiæ visus esset assertor, qua diceretur, Iudæos ad Christum conuersos vti licite legalibus potuisse; quod affirmare nihil aliud esset, quam Cerinthi, Ebionis, & Nazaræorum hæresi adstipulari: sed ab his postea Augustinus prolixiori se purgauit epistola. Porro cuncta hæc, aliaque eiusmodi, his aliisque literis vltro citroque ab iisdem datis ad annos ferme quatuordecim, quibus hæ controuersiæ inter ipsos agitatæ sunt, pluribus pertractata apud eosdem inspicere licet. Ex quibus omnibus & illud videas, Deo dilectos, filios pacis, Ecclesiæ magistros, eo animo in altercando fuisse, vt inter ipsos verborum grauiores verberibus ictus, se tamen mutuo complecterentur, laudibusque efferrent, atque furtiuis charitatis oculis peterent: adeo vt tandem veritate in vtroque vincente, firmiori concordia iuncti fuerint. At de his hactenus: quæ cuncta in vnum summatim cõgessisse voluimus, ad rerum gestarum faciliorem intelligentiam.

[a] Id. ep. 67. 81.

[b] Aug. ep. 10 ap. Hier. 88.

CHARITATE ILLIBATA IN DISSENSIONIBVS AVGVST. & HIERON.

XII. PAVLINVS RENVNCIAT SÆCVLO.

Hoc eodem anno *Pontius* PAVLINVS V. C. antiquæ nobilitatis decus: vna cum *Therasia* coniuge, amplissimo patrimonio in pauperes erogato, monasticæ vitæ institutum arripiens, in Nolanum agrum secessit, ætatis annum (vt ex ipsius anno sequenti ad Augustinum data epistola [c] constat) emensus quadragesimum. Quanti vero ea res momenti fuerit, talem virum ex tali familia atque prosapia ortum, tantaque eloquentia præditum, tale de se spectaculum Vrbi & Orbi exhibuisse; declarat Ambrosius [d] in illa epistola, quam ad istud ipsum significandum, ad Sabinum Placentium Episcopum scripsit. Qui quod ibidem ait, Paulinum in partibus Aquitaniæ splendore generis nulli fuisse secundum, ad amplissimum, de quo mox agit, patrimonium allusit, quod ille in Aquitania haberet, (vsu nimirum antiquo, hoc etiam tempore vigente [e], vt nobiles Romani in prouinciis longe positis latifundia possiderent) vbi & habitare sæpe soleret, vt ex variis Ausonii epistolis patet. Cum alioqui eũdem Paulinum amplissimum fuisse Senatorem, familia nobilissima, ac Romana prosapia, ex iisdem Ambrosio & Ausonio manifestum existat.

[c] Ap. Aug. ep. 31.

[d] Ambr. ep. 36.

[e] Vide Hier. ep. 27. Aug. ep. 124. Symmach. l. 7. ep. 66.

XIII. EIVS PRIMORDIA, ET PROGRESSVS.

Burdegalæ tamen natus est, (pluribus namque Romanis contigisse, in prouinciis, diuersis occasionibus nasci, multa exempla suppetunt; vt recens de Ambrosio, qui natus est in Galliis, cum parens eius in eis gereret Præfecturam:) ibiq; ab Ausonio Gallo illic publice profitente, rhetoricis atque poëticis nobiliter institutus facultatibus, paternisq; frequentatus officiis, prout declaratur eorũdem ad inuicem datis [f] literis, quibus [g] & illud constat, Paulinũ ante Ausonium fuisse insignitum Consulatu ordinario. Eumdem vero etiam Præfecturam Vrbis sub Consulatu Gratiani quinto & Theodosii gessisse, certum redditur ex duobus rescriptis [h] ad eum sub iisdem Cossidatis. Omnia tamen hæc propter CHRISTVM missa fecit: sicut & multo studio antea quæsitas cultasq; musas, cum licet sæpe prouocatus ab Ausonio [i], tacere nihilominus statuit: & ablegatis tersis illis comptisque, retinuit rusticam atq; tauciso-nam, quæ satis visa ad laudes Deo canẽdas, qui cordis potius quam chordarum numeris delectatur, & magis fide quam fidibus collaudatur. Baptizatum quoque se fuisse Burdegalæ à Delphino Episcopo; apud Barcinonam vero Hispaniæ per vim inflammatæ subito plebis, licet inuitũ, & vxoratum, (de quo more dictum est alias) à Lampio Episcopo presbyterum sacratum, ipsemet [k] testatur, addens insuper, se postea Mediolani à S. Ambrosio cooptatum esse in clerum eiusdem Ecclesiæ, (fortasse quod Ambrosius cuperet eum post se habere in sede successore, cum more maiorum de gremio plerumque eligi Episcopi consuescerent,) cum, vt alibi [l] testatur, ea conditione in Barcinonẽsi

[f] Auson. ep. 20. 25. Paulin. ep. 39. ap. Auson. ep. 1.

[g] Auson. ep. 2 & 24.

[h] l. 4. & 5. C. Th. de Scenic.

[i] Vide ep. Auson. 21. 25. & Paul. 39. 41. quæ sunt ap. Auson. 1. & 3.

[k] Ap. Aug. ep. 31.

[l] Paulin. ep. 6. ad Sever.

Ecclesia consecrari adductus esset, vt ipsi Ecclesiæ non alligaretur. Cæterum dum adhuc in Hispania consisteret, S. Felicem martyrem, qui Nolæ in Campania colebatur, quemque ipse olim recedens ab Italia inuiserat, suaque ei vota a dicarat; iugibus precibus frequentasse, & apud eum residere statuisse, tradit ipse primo eiusdem Sancti Natali, quod in Hispania iam propemodū discessurus cecinit.

a *Id. Natal. 2. S. Felic.*

XIV. b *Idem ep. 1.* PATITVR INVIDIAM ROMÆ.

Romam igitur repetens, vt inde Nolam secederet, ibi (vt ipse questus est epistola, quam anno sequenti scripsit *b* ad Seuerum, cum iam annum Nolæ egisset) sensit inuidiã quorumdam cleticorum, ipsiusque etiam *Vrbici Papæ*, vt vocat, hoc est Siricii Romani Pontificis; commotam (vt puto) quod adueniente Paulino Romam post tam lõgum spatium temporis, omnium oculi in ipsum cõuersi essent, obstupescentium præ miraculo cum viderẽt Consularem virum presbyterum factum, mox in Monachum transformandum; indeque idem celebri concursu (vt ipsemet ait) tum ciuium, tum exterorum, Monachorum, Antistitum, clericorum, atque etiam sæcularium, frequentaretur officiis ac legationibus. Quamobrem ipse pacis filius, sic male affectis liuore animis nullo opportuniori remedio (vt addit) occurrendum putauit, quam maturata ab Vrbe discessione. Vbi vero accessit ad agrum Nolanum, totus obsequio S. Felicis deditus, hoc ipso anno abdicauit se grauissima farcina rerum temporalium. Quas cum erogaret in pauperes, (soboles enim ei nulla) ex eis illã subduxit partem, qua erigeret Fundanam basilicam; quam picturis ornandam, & cum Reliquiis SS. Apostolorum ac Martyrum dedicandam curauit *c*. Quam autem arduum arripuerit viuendi genus, docent aliæ ipsius ad eumdem Seuerum conscriptæ epistolæ *d*. Fuisse quidem professos tum Paulinum, tum seorsum Therasiam coniugem, vitam monasticam, testis est S. Hieronymus *e* in literis ad illum scriptis de Institutione monachi. Sed longe alius ab hoc, *Paulinus* est ille, ad quem scribit idem Hieronymus epistolam *f* de Libris diuinæ Scripturæ: siquidem illum alium hortatur ipse Hieronymus proficisci Hierosolymam; hunc autem Nolanum iustis de causis ab eo proposito variis rationib⁹ procul reuocat: cum & alioqui plura sint alia, quę eosdem Paulinos inter se discriminent. At de Nolano rursum continget infra sæpius mentionem fieri.

SVCCIDIT IN AGRVM NOLANŨ.

c *Id. ep. 12. ad Seuer.*
d *Ep. 1. 7. 24.*
e *Hier. ep. 13.*
f *Id. ep. 103.*

Accidit porro eodem ferme tempore, aliud Paulino persimile exemplum edi ab eodem ipsius amico *Seuero Sulpitio*, ciue Romano in Gallijs agente, & monasticum vitæ genus arripiente: viro (vt Gennadius g ait) genere & litteris nobili, & paupertatis atque humilitatis amore conspicuo: de cuius summa laude digno eiusmodi cõsilio, agens idem Paulinus epistola *h* ad eum scripta, postquam sua extenuauit summisso animo, addit ipsum Seuerum miraculo maiore conuertisse; quia ætate florentior, laudibus abundantior, oneribus patrimonii grauior, substantia facultatum non egentior, & in ipso adhuc mundi theatro, id est, fori celebritate diuersans, & facundi nominis palmam tenens, repentino impetu discussit seruile iugum peccati, & lethalia carnis & sanguinis vincula rupit: neque ipsum diuitiæ de matrimonio familiæ Consularis aggestæ, neque post coniugium peccãdi licentia, & cælebs iuuenta ab angusto salutis introitu, & arduo itinere virtutis, in mollem illam & spatiosam multorum viam reuocare potuerunt. Inhæsit porro Seuerus S. Martino, eiusque Vitam ac Miracula conscripsit. Sicque ipse se abdicauit à sæculo, vt filios in sanctitate educaret; prout idem Paulinus alia ad eũ scripta epistola testatur. Sed & *Tetradij* V. C. atq; Proconsulatis, admiratione digna fuit conuersio, cum ex fastuosissimo Ethnico factus est humillimus Christianus, viso miraculo ab eodem S. Martino edito in expulsione nequissimi dæmonii è corpore vnius ex seruis ipsius Tetradii: quam historiam idem Seuerus *i* narrat in Vita S. Martini. Cæterum claruisse in Gallia his temporibus præter S. Martinũ, alios complures insignes sanctitate Episcopos, idem q; supra Paulinus *k* testatus est; videlicet *Exuperũ* Tolosæ, *Simplicium* Viennæ, *Amandum* Burdegalæ, atq; alibi alios quos recenset: quibus addendus est *S. Mauritius* Episcopus Andegauensis, à S. Ambrosio Lector ordinatus, & à S. Martino monastica institutione excultus, & presbyter consecratus, ac deinde inuitus ordinatus Episcopus, cuius extant *a* Acta mirifica.

XV. SEVERI SVLPITII DIGNVM EXEMPLVM.
g *Gennad. de Vir. Illustr. cap. 61.*
h *Paul. ep. 1. & 5.*

TETRADII CONVERSIO.
i *Seuer. c. 16.*
k *Ap. Greg. Tur. 2. hist. Franc. 13.* INSIGNES EPISCOPI IN GALLIIS.

a *Ap. Sur. 13 Sept.*

Corollarium vero eiusdem argumenti, rebus hoc anno gestis ex Sozomeno *b* addimus, qui ad finẽ Imperii Theodosii in quo versamur, dicens hoc tempore multos multis in locis per orbem terrarum præclaros extitisse Episcopos; de sanctissimo viro *Donato* Episcopo Euoreæ in Epiro ait, eum inter infinita alia miracula, draconem ingentis magnitudinis (cui videlicet extincto extrahendo, octo iuga adhibenda fuere) homines & animalia quæcumque rapientem, solo signo Crucis digito aduersus eum in aëre inscripto, & sputo in os eius iniecto confecisse. Subdit & de aliis Episcopis, de quibus nos alibi opportunius.

XVI. b *Soz. lib. 7. c. 25.* IMMENSVS DRACO SIGNO CRVCIS NECATVR.

IESV CHRISTI ANN. 395.

SIRICII ANN. II.

ARCADII & HONORII } ANN. I.

I.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo quinto, in auspicijs Consulatus duorum germanorum fratrum, Olybrii atque Probini, Claudianus carmen panegyricũ *c* cecinit, idque meritis patris Probi, de Imperio Romano optime meriti, consecutos esse fratres adolescentes plurimis tradit, natosque esse ex Probo & Proba parentibus confirmat. Cæterum ex Anicio Probos atque Olybrios genus accepisse, Hieronymus *d*, Prudentius *e*, atque idem Claudianus *f* docent; eamque familiam nobilitate, opib⁹, virtutibus Christianis ac religione illustrissimam, tot frequentatam fuisse Consulatibus affirmant, vt nullus aut rarus in ea fuerit, qui non meruerit amplissimam illam dignitatem. Additque Cassiodorus, vere eam nobilem dictam, quando ab ea actionis probitas non recessit. *Probus* autem horum Consulum pater, is fuit qui cum esset Præfectus Prætorio (vt vidimus) Ambrosio delegauit prouincias Æmiliam atque Liguriam: qui & ipse Consulatum gessit vna cum Gratiano Imp. Anno Domini trecentesimo septuagesimo primo; adeo tantæ fuit potentiæ, vt ad eam cognoscendam (quod pariter dictum est superius) è Persidesapientes Romam accesserint.

c *Claud. de Cõsul. Olyb. & Prob.*
d *De CLARISSIMA FAMILIA ANICIORVM. Hier. ep. 8.*
e *Prud. adu. Sym. 1.*
f *Claud. ibid.*

PROBVS CIVIS ROM. POTENTISS.

Proba vero eius coniux, nobilissima item atque sanctissima fœmina, trium Consulum Ordinariorum mater, eademque Consulum item Ordinariorum filia & vxor, ab iisdem auctoribus, necnõ Augustino, Chrysostomo, aliisque, pari modo laudata; viuente adhuc viro, centonem illum Virgilianum de Testamento Nouo & Veteri scripsit. Itaque cum ex antiquis monumentis appareat, Aniciam Faltoniam Probam poëtriam vxorem fuisse Probi; vndenam recẽtiori Isidoro *g*, eadem Adelphii Proconsulis coniux extitisse dicitur? & vnde rursum illis qui sentiunt cum Isidoro, est quod dicant Probo fuisse cognomentum Adelphium? Certe in antiquis monumentis & inscriptionibus, quæ permultæ extant Romæ de familia Proborum, nullatenus reperiri datur ita dictum esse, sed tantum Anicium Sextum Petronium Probum. Porro horum filio Olybrio huius anni Consuli nupsit Iuliana clarissima fœmina ac pientissima, & ex eo matrimonio nata est Demetrias Christianæ pudicitiæ decus; de quibus agendum inferius. Iam vero ad præsentis anni res gestas oratio se conuertat.

II. PROBA INSIGNIS FIT ET DOCTRINA FŒMINA.
g *Isidor. de Vir. Illust.*

Hoc igitur anno, iisdemque Coss. *h* Theodosius Imp. cum filios Arcadium & Honorium Constantinopoli venientes Mediolani excepisset, eosque S. Ambrosio *i* commendasset, ipseque omni hostilis cædis labe purgatus, Ecclesiasticæ communionis particeps factus esset: prohibitis *k* rursum Gentilium sacrificiis, & relaxatis ex testamento annonarijs tributis, concessaque hostibus indulgentia; ibidem Mediolani *l*, magno totius Orbis damno, ex hac vita migrauit decimoseptimo *m* Calendas Februarii, cum imperasset *n* annos sexdecim, & duobus diebus, decimumseptimum attigisset, annum agens ætatis *o* quinquagesimum. Errat enim Socrates, dum illum asserit

vixisse

III. THEODOSII IMPER. OBITVS.
h *Prosper in Chron. Marcell. in Chron. Soz. l. 7. c. 25.*
i *Paulin. in Vit. S. Amb.*
k *Ambros. in fun. Theod. Oros. l. 7. c. 36. Vict. in Theodos. Soz. ibid. n. Marcell. ibid. Ruff. l. 2. c. 33. Vict. ibid.*

vixisse annos sexaginta: Itemque, dum vna cum Sozomeno *a* tradit, filios aduenientes reperisse patrem morbo laborantem in lecto: Necnon Zosimus *b*, dum refert, Theodosium Constantinopolim redeuntem in itinere vita functum. Nam quæ summatim de eius obitu dicta sunt, ea testificatione probatissimorum auctorũ, qui hoc ipso tempore in Occidente, vbi ea fieri contigerunt, vixere, firmata constant. Corpus autem eius pollinctum temporariæ mandatum est sepulturæ, postea vero translatum Constãtinopolim hoc eodem anno, traditumque ab Arcadio sepulturæ sexto Idus Nouembris, vt Socrates *c* tradit. Non tamen secum vexit illud Arcadius, qui statim post patris obitum, ne quid inopinata eius morte turbarum oriretur in Oriente, quam citissime reuerti laborauit Constantinopolim: & dumtaxat Honorium interfuisse quadragenę funeris functioni, S. Ambrosius in ea, quam coram ipso tunc in laudem Theodosii habuit, oratione indicat.

a Soz. lib. 7. c. vlt.
b Zosim. l. 4.
CORPVS TRANSLATVM CONSTANTINOPOL.
c Socr. lib. 6. cap. 1.

IV. LAVDES EIVS.

Cæterum cum Theodosii laudes, tam ex prudentia in Imperio gubernando, quam ex pietate in fide Catholica integerrime conseruanda, sanctisque moribus custodiendis, omnium veritatem amantium ore cunctis sint sæculis conclamatæ; vnus infelix repertus est Zosimus, qui more suo, Christianæ religionis odio, eumdem mollitiei & socordiæ profusionis, & nimiarum deliciarum carpserit in sua historia, mendaciorum textrina. Sed quod sciret, facta eius celebertima cunctis esse perspicua; illud vafri ingenii consilium iniit, vt pacis tempore eius facta condemnet, laudet vero labores in bello. Verum ad confutandum oblatrantem hominem, omissis quæ nostri de eodem in omnibus laudatissimo Principe referunt, satis erit si vel ea legantur, quæ ipsi auctores Ethnici, Christianorumque hostes, sed veritatis studiosi, de eius publicis priuatisque moribus, ingentibusque virtutibus habent; videlicet Symmachus *d*, Themistius *e*, & Aurelius Victor *f*: quorum primus, post multa plane egregia de eo dicta testatur eius laudes adeo sua oratione superiores fuisse, vt sibi visus sit illas potius attigisse, quam pro rerum gestarum dignitate singulis satisfecisse. Secundus, non habens ex recentioribus Principibus, quem Theodosio æquare possit ad priscos illos laudatissimos se conferens, non dubitat affirmare, eum probitate, prudentia, & consilio superasse Lycurgum, fortitudine & peritia militari Alexandrũ Magnum. Tertius demum ita eum comparat Traiano, vt tamen longe etiam eidem præferat. Denique aduersus omnes Ethnicorum calumnias, multo potentiorem nactus est Theodosius post mortem patronum, Pontium Paulinum, literis clarum, famaque celebrem, de quo superiori anno dictum est; qui luculentam edidit pro Theodosio lucubrationem, cuius meminit ipse ad Seuerum *g*, laudatque valde eamdem Hieronymus *h*; Gennadius vero vocat Panegyricum super victoriam tyrannorũ. At de Theodosio hactenus; de quo illud vere dici potest, nullum vmquam Romanorum Imperatorum, qui non hæreditario iure parenti Augusto successerit, ita legitime, ita opportune, ita fructuose, atque fideliter, ad regimen Romani esse cooptatum Imperii. Quod vero tot egregiis excultum virtutibus, in peccatum aliquando labi diuina prouidentia permiserit; totum id fuit, vt delinquentibus Principibus posteris sanciret disciplinam: nimirum vt tum exemplo discerent Theodosii, quanto dispendio audiant magis aulicos, quam sacerdotes; tum vero vt eius pœnitentia erudirentur, quantumuis potentissimos & inuictissimos, cum delinquunt ferulæ subiacere Ecclesiasticæ potestatis, & solutos licet legibus sæculi, vinculis tamen alligatos esse Euangelicæ disciplinæ.

d Symm. l. 2. epist. 31. & Elaudian.
e Themist. orat. 5.
f Victor in Theodos.

V. [HIC INCIPIT TOM. V. ANNAL. BARON.] ARCADIVS ET HONORIVS IMPP.
i Marcell. in Chron.
k Vita SS. Patr. part. 2. cap. 36.

Eo defuncto, iidem qui diuersis temporibus Imperatores ab ipso creati fuerant, ARCADIVS & HONORIVS eius filii, soli imperare cœperunt, ille in Oriente, iste in Occidẽte; cum annum ille ætatis decimumoctauum, hic decimum ageret, imperasseque ille vna cum patre annos duodecim, iste duos; vt ex Marcellino *i* & aliis colligitur. Quos quidẽ ambos iam ante baptizatos fuisse, & à S. Arsenio in baptismo susceptos, in Vitis *k* SS. Patrum habetur expressum. Porro quod eos moriens Theodosius sub protectione reliquisset Comitis Stiliconis Magistri militiæ vtriusque Imperii, quem & loco parentis (vt Ambrosius *a* est testis) ipsos habere voluit; (quippe cuius, licet genere Wandali, in multis fidem & religionem probatam inuenerat, eumdemque arctiori vinculo nuptiarum obstrinxerat, iuncta illi coniugio Serena Honorii fratris sui filia:) his inuidiæ facibus *Ruffinus* incensus æmulus, (de cuius summa in Oriente potestate dictum est superius) è vestigio aduersus Imperium conspirare cœpit. Hanc enim eius commotionis causam cecinit Claudianus in carmine inuectiuo, quod in eũdem conscripsit: cum tamen Suidas & alii asserant, pari potestate Ruffinum atque Stiliconem relictos esse tutores Imperii, Orientalis illũ, istum Occidentalis. His vero nouam addit causam Zosimus *b*, nempe q̃ cum idem Ruffinus filiam suam Arcadio in matrimonium iam iam se collocaturum speraret, factum fuerit arte Eutropii Eunuchi cubiculi Imperatoris Præfecti, vt Arcadius duxerit *Eudoxiam*, cognomento *Iuliam* c, eximiæ pulchritudinis virginem, neptem Promoti viri Consularis, quem idem Ruffinus occidi à barbaris curauerat. Quod vero Eudoxiam nonnulli (vt est apud Nicephorum *d*) opinati sunt fuisse Gratiani filiam, alii autem Bautonis Consularis; iidem ex Zosimo refelluntur.

a Ambro. in fun. Theod.
RVFFINVS MEDITATVR DEFECTIONEM.
b Zos. lib 5.
ARCADIVS DVCIT EVDOXIAM.
[c Hoc eius cognomen assert Baron. Tom. VI. An. 401. in fin. citatus, quod prius ei tribuerat Licinius: quod Iunioris Eudoxiæ Valentiniani III. coniugis fuisse docet]
d Niceph. lib. 13. cap. 4.

VI. RVFFINI GENVS, ET VITA FLAGITIOSA.

Sed quod ad *Ruffinum* spectat; fuit ipse Elusæ in Aquitania humili loco natus. Qui Constantinopolim profectus, adeo se in amicitiam insinuauit Theodosii, vt non Magistrum tantum egerit Officiorum, sed & Consularum Ordinarium, & nobilissimam omnium Prætorii Præfecturã obtinuerit: in omnibus tamen plura edens crudelitatis atque rapacitatis exempla *e*: quem & magiæ infigniter peritum fuisse, Claudianus significare videtur. Tandem vero eo prouenit arrogãtiæ, vt generum habere conaretur Imperatorem; immo ea (vt tradunt) via Imperium sibi sumere. Cæterum spe nuptiarum delectus, nihil tamen minus de Imperio cogitans, cœpit occulte Gothos aliosque barbaros in Arcadii necem, & vtriusque Imperii cladem solicitare. Constant hæc quidem omnia ex auctoribus superius citatis.

e Vide Zos. l. 4. & Claudian. in Ruff. lib. 1.

VII. ARCADIVS PIETATE VITAT INSIDIAS.

Quo tempore ista nescius Arcadius, sibi tamen atque periclitanti Imperio prospexit, dum ipso ingressu in Imperium, parentis exemplo nihil antiquius habens, quam Christianam religionem, ipsamq; fidem Catholicam sartam tectam seruare; tum ad ipsum Ruffinum Præfectum Prætorio, tum ad alios Magistratus, hoc ipso anno aduersus hæreticos & Gentiles plura dedit rescripta *f*, quibus omnes quas idem Theodosius pater aduersus eos statuisset pœnas confirmauit, & quæcũque eis essent spe correctionis indulta reuocauit: quos rursum, sicut & Iudæos, sequentibus annis variis modis exagitare non destitit; prout patet ex ipsius rescriptis, quæ hactenus extant sub diuersis titulis *g* in Codice Theodosiano. Quemadmodum & ipsius frater Honorius his usidem Imperii sui primordiis, legibus *h* sanctis confirmauit priuilegia omnia à prædecessoribus Imperatoribus Catholicæ Ecclesiæ collãta. Itaque factum est diuino plane miraculo, vt dum Arcadius aduersus impietatem solerti studio leges armaret, eodem tempore dissipauerit Deus consilia gentium, ipseque Ruffinus dignas execrandi sceleris pœnas luerit. Quem quidem auctor est Zosimus *i*, & hac quoque arte Romanorum Imperiũ prodidisse, vt cum eius esset, tãquam Præfecti Prætorio, quos vellet prouinciis Præsides dare, coniuratos sibi creauerit earum Rectores; & inter alios Græciæ Proconsulem designauerit Antiochum, & Thermopylarum angustias custodiendas Geruntio tradiderit, vt eas ambo cederent aduenientibus Gothis sub duce Alarico militantibus: quod & ipsi præstitere.

f l. 26. 27. 28. 29. C. Th. de hæret. l. 13. de Pagan.
g de hæret. de apostat. de Iudæ. de Pagan.
h l. 29. 30. C. Th. de Episc. & Cler.
i Zosim lib. 5.

VIII.
k Claud. l. 1. contra Ruff.
BARBARORVM GRASSATIO IN ROM. IMP.

Agens porro Claudianus *k* de clade Europæ à Gothis illata, ait eos palabundos discurrentes ad Hadriaticũ vsq; mare venisse, & in Græcia consedisse: sed & eo progressum esse ipsorum furorem, vt deuastantes Thracias; ausi sint quoq; fuerint Cõstantinopolim obsidere. Quod vero de eadem Græciæ clade Zosimus agens, Athenas totamq; regionem Atticam permansisse tradit intactas, beneficio armatæ Mineruæ, Achillisq; ad prælium parati apparentis: manifesti mendacii arguitur, tũ à S. Hieronymo *l* de his agẽte, tũ ab ipsis Ethnicis Claudiano *m* & Eunapio *n*; quorũ

l Hieron. ep. 3. ad Heliodor.
m Claud. l. 2 in Eutrop. in Maxim.

omnium testificatione constat, æque Athenas cum aliis nobilissimis Græciæ ciuitatibus, hac Gothorum sub Alarico incursione deuastatas esse. Cæterum ad Asiæ cladem
a *Claud. l. 1.* à Ruffino vocatos esse Hunnos, idem Claudianus *a* affirmat. Testaturque etiam Sozomenus *b*, eosdem hoc ipso
b *Soz. l. 8. c. 8* tempore in Armeniam irruisse, ac nonnullas alias Orientalis Imperii regiones deuastasse. Sed expressius Hieronymus *c* tunc Hierosolymis existens, ait ab vltima Mæotide
c *Hier. ep. 3. & 30.* inter glacialem Tanaim & Massagetarum immanes populos, vbi Caucasi rupibus feras gentes Alexandri clausira cohibent, erupisse *Hunnorum* examina, quæ pernicibus equis hucillucque volitantia, & famam celeritate vincentia, cædis pariter ac terroris cuncta compleuerunt; non religioni, non dignitatibus, non ætati parcentia, non vagientis miserantia infantiæ: peruenisse quoque in Syriã, ipsamque Antiochiam aliasque plurimas vrbes obsedisse, atque Hierosolymis, vniuersæque Palæstinæ, Arabiæ, Phœnici, Ægypto, timorem incussisse. Vt merito doluerit Claudianus, Imperium Romanum tanto quæsitum seruatumque sanguine, quod mille ducum peperissent labores, quod tot annis contextum fuisset, proditoris vnius inertis angusto tempore subuersum esse.

HVNNORÜ INCVRSIONES.

IX. RVFFINI PRODITIO.

Cum igitur his tam diris atque funestis Orientale exagitaretur Imperium, Stilico gemino pollens exercitu, quã citissime (vt Claudianus docet) subuenire satagẽs, Gothos apud Thessaliam agentes inuenit: sed arte Ruffini proditoris præcepta est ei certa victoria, cum iste timens ne Gothis deuictis Stilico in ipsum arma conuerteret, egit apud Arcadium mille suadendi modis, vt Orientalem exercitũ Constantinopolim reuocaret, derelictis sub barbarorum ingo victis prouinciis. Itaque coactis ab inuicem diuelli duobus illis victoribus exercitibus, qui iunctis in vnum armis & animis Eugenium tyrannum vicerant, & Occidentale Imperium liberauerant; Stilico cum Occidentali in Italiam mœrens rediit, Gainas Gothus cum Orientali minas in Ruffinum spirans Constantinopolim versus iter carpsit: eique vbi cum appropinquasset, data suis tessera de his quę acturi essent, aduentum suum Imperatori significauit, exigens ab eo quod moris esset, obuiam procedere exercitui, atque eum salutare.

X.

Quo tempore Ruffinus, coniurationis consortibus in vnum conuocatis, de parando militibus donatiuo consilium iniit, vt sic ipse totius exercitus voce, die sequenti eo occursu Imperator acclamaretur. Quin & parata purpura, aulaque disposita, quæ nouum exceptura esset Imperatorem, atque epulis adhiberi iussis splendidioribus; & ipsius denique Ruffini imagine cusis aureis numismatibus, quibus donarentur ex more post mensam conuiuæ: idem in campum vna cum Arcadio conuenturus exercitum, stipatus turma suorũ processit. Vbi salutatis primo signis Cruce decoris ab Arcadio, ac subinde à Ruffino, ipsisque resalutatis faustis vocibus ab exercitus ducibus; data mox cõdicta tessera, qui denso agmine coagmentati in vnum erãt milites, in longum quam cito distenti, atque reflexi in orbem, Ruffinum cinxere atque inclusere medium. Cum illele rei ignarus, tempus adesse ratus quo acclamaretur à militibus Imperator, vrgens Arcadium vt ipse prius eum cõsortem declararet Imperii; infelix appetitus ex insperato est gladio militis, Stiliconis nomine tectum vibrantis, vulnusque lethale inferentis: quem secuti alii atque alii, mille eumdem Ruffinum vindicibus gladiis confoderunt; eiusdemque inter se membra dispertita, pro trophęis cum pompa in vrbem retulerunt, eminente inter ea capite pilo impositio. Sed & iucundum afflicto populo spectaculum Ruffini rapacitatis, secta eius dextera præbuit; cum quæ neruorum qui mouent articulos attractione vel remissione, claudi apta esset & aperiri, quidam miles eãdem pansam tendendo, mendicare Ruffinum obolum dictitaret, oblatoque palmæ obolo, tractis neruis strictisque digitis, eum à Ruffino auide acceptum significaret. Descripsere istum ludũ Claudianus *d*, Zosimus *e*, Hieronymus *f*, Marcellinus *g*, & alii plures.

RVFFIN. OCCIDITVR.

d *Claud. in Ruff. lib. 6.* e *Zos. lib. 5.* f *Hier. ep. 3.* g *Marcell. in Chron.*

XI.

Vere terribilis *h* Deus in consiliis super filios hominũ, dum qui innocentium sanguinem sparserat Ruffinus, & in Thessalonicensium necem (vt docet Theodoretus *i*) exercitum in Circum immiserat, ipse ab exercitu circumdatus, militum omnium confossus est armis: qui que insatiabili cupidine auri, prouinciarum exhausserat facultates, obolos mendicare coactus est mortuus; atque ambiens iniustam homo purpuram, proprio mox sanguine apparuit purpuratus; ac deniq; super omnes exaltatum caput diademate exornandum, cæteris omnibus eminentius pilo Constantinopolim gestatũ est. Facta vero sunt ista (vt docent Marcellinus, & Socrates *a*) iisdem huius anni Coss. Olybrio atq; Probino, quinto Calendas Decembr. Cumque haud pridem, nempe sexto Idus Nouembris, Magni Theodosii corpus ex Italia fuisset delatum Constantinopolim; rediisse visus est ipse rediuiuus in Orientem, vt de iniquissimo proditore pœnas sumeret, filiumq; in Imperio stabiliret. Hocq; fortasse numismata *b* illa Arcadii declarant, cũ ipsi ætate iuniori cœlitus corona hominis manu demissa porrigitur; quibus quidem summo Deo curæ fuisse Arcadii Imperium monstratur. Sed & in quibusdam Crux seorsum insculpta reponitur, ea de causa quod cum post obitum Theodosii, cuius timore quieuissent, Persæ negotium Christianis apud eos agẽtibus facessere aggressi essent; Arcadius (inquit Prosper *c*) religiosus Princeps, ne traderet ad se confugientes Armenos, bellum cum Persis confecit: eoque signo, antequam poritus victoria, iam coeuntibus in prælium militibus, aëriæ CRVCES in vestibus apparuere. Vnde etiã victor auream monetã cum eodẽ signo Crucis fieri præcepit, q̃ in vsu totius Orbis, & maxime Asiæ perstitit. Hæc Prosperi quæ quidẽ postea cõtigerunt.

a *Socr. l. 6. c. 1*

b *Hab. Bar. Annal. Tomo V hoc ann. ex Cal. Pasqual. & Hieron. Manbl. Canon. S. M. Maiorii. c Prosper de promiss. l. 3. cap. 34.*

XII. QVID ACTVM DE RVFF. PROPINQVIS.

Hoc vero tempore extincto Ruffino, auctor est Zosimus, Eutropium Cubiculi Præfectum facultates eius sibi maiori ex parte vendicasse, concesso aliis, vt ex iis ea sibi sumerent quæ ab eis quoquo modo possideri posse viderentur: vxori autem Ruffini, filiæque, ad Ecclesiã Christianorum metu confugientibus, permisisse vt ad Hierosolymorum vrbem nauigarent: Timasium Consularẽ, ex Ruffini comitibus ad omne scelus paratissimum administrũ, in Oasim Ægypti, terrerrimum omnium exilii locũ deportari: & Abundantium, Consulem item Ordinarium nobilissimum, Sidonem Phœniciæ relegari curasse; licet hunc Hieronymus *d* apud Pithyuntem exulare iussum scribat. Denique sororem quoque Ruffini, nomine *Siluiam*, virginem Christo dicatam, egregia sanctitate atque eruditione conspicuam, vixisse Hierosolymis, & peregrinatam esse in Ægyptum, auctor est Palladius *e*. Quamuis porro nece Ruffini tyrannidem affectantis, res hac ex parte in tutum repositæ fuerint; haud tamẽ submoti sunt barbari, ab ipso in diuersas prouincias Imperii Orientalis immissi: qui cũ eas vt hostes palabundi ingressi essent, iam vt indigenæ colere cœperunt, Romanas vires contemptui habentes, eisdemque insolentissime insultantes; vt de his iustæ sunt querelæ Hieronymi, Chrysostomique *f*.

d *Hier. ep. 3.*

e *Pallad. in Lausiac. c. 31*

f *Chryso. ad Vid. iunior.*

XIII. S. AVGVST. CREATVR EPISCOP. HIPPON.

Hoc item anno, iisdemque Coss. Olybrio atque Probino, AVGVSTINVS (inquit Prosper in Chronico) Hipponeregio in Numidia Episcopus ordinatur: cum videlicet ageret annum suæ ætatis quadragesimum primum, vt ex supputatione superius inita annorum eius certa ratione colligitur. Vt autem ordinaretur adhuc viuente Valerio eiusdem ciuitatis Episcopo, Possidius *g* eiusmodi causam adfert, quod cum cerneret Valerius Augustinum à diuersis Ecclesiis ad Episcopatum quæri, metueret ne sibi tandem eriperetur. Quare primo ipsum ad locum secretum transire curans, occultatumque à quærentibus minime inueniri faciens, deinde secreto egit ad Primatem Africæ Carthaginiensem Episcopum, vt cum ipse iam corpore infirmo, & graui esset ætate, eumdem coepiscopum acciperet Augustinum: hocque impetrato, aduenientepaulo post ad visitandam Ecclesiam Hipponensem Primate Numidiæ Megalio Calamensi Antistite, idem Episcopis qui forte tunc aderant, & vniuersæ plebi suam insinuauit voluntatem; adeoque factum est, vt gratulantibus omnibus, atque id perfici ingenti desiderio clamantibus, ipse diu repugnans ab eodem Megalio ordinatus fuerit Episcopus. Quod tamen fieri non debuisse, vt viuo Episcopo suo ad eamdem Ecclesiam ordinaretur, & dixit postea & scripsit *h*, propter Niceni Concilii prohibitionem, quam

g *Possid. in Vit. Aug. c. 8*

h *Augustin. ep. 110.*

se tunc,

se tunc, ipsumque Valerium ignorasse excusat. Vnde etiam sategit, vt Concilio Carthaginiensi celebrato Cæsario & Attico Coss. statueretur *a*, vt ordinandis Episcopis vel Cleticis prius ab ordinatoribus decreta Conciliorum recitarentur, nequid contra ea fecisse pœniteret. Cæterum solemnis remansit Hipponensibus, more maiorum, dies illa, qua talem tantumque ordinatum meruerunt obtinere Episcopum: eaque ipse Augustinus de eadem sua ordinatione homilias *b* habere consueuit ad populum. Qui & scriptis literis *c* ad Paulinum & Therasiam, qui in agro Nolano vitam monasticam excolentes iam annum exegissent, ait passum se ordinati coepiscopum, quod tanta Valerii charitate, tantoque populi studio, Dominum id velle credidisset; nonnullis iam exemplis præcedentibus, quibus sibi omnis excusatio clauderetur.

a Conc. Carthag. III. c 3 CANONVM SCIENTIAM REQVIRI IN ORDIN. EPISC.
b Aug. Homil. 24. 25.
c Idem ep. 34

XIV. CONSVETVDO LITER. INTER AVGVST. ET PAVLIN.

Porrò eiusmodi literarum consuetudo, quæ inter sanctos Dei viros Paulinum & Augustinum intercessit, hoc ipso anno cœpta est; cum prioribus Paulinus literis *d* Augustinum salutasset adhuc presbyterum, cuius acceperat quinque libros contra Manichæos scriptos, dono Alipii Episcopi Tagastensis, atque ex iis quantus Augustinus esset, leonem (vt ait) ex vnguibus intellexerat. Cum autem plurimas inuicem, quoad superstites exiterunt, literas scripserint; tamen nonnisi duæ ab alterutris *e* datæ hoc ipso anno extant; & commentarius ille Augustini, ab eodem Paulino expetitus, *De cura pro mortuis agenda*. Quod vero *Paulini* nomen, claritudine generis, & amplissimorũ magistratuum functione, vbique notum atque conspicuum, abdicatione rerum temporalium longe celebrius esset redditum; non Alipii tantum & Augustini, sed & aliorum in Africa Catholicæ Ecclesiæ Episcoporum permouit animos, & excitauit affectus: adeo vt iidem ipsum literis legatione que missa salutauerint, quarum ipse *f* meminit scribens ad Romanianum & ad Seuerum: quantoque iidem tenerentur videndi eum desiderio, S. Augustinus *g* ad illum scribens, & inuitans in Africam, declarat.

d Ap. Aug. ep. 31.
e Ibid. ep. 31. 32. 33. 34.

LEGATIO AFRIC. EPISCOP. AD PAVLIN.

f Paulin. ap. Aug. ep. 36 Idem ep. 1. ad Sener.
g Aug. ep. 34

Perstitisse vero in susceptæ fidei Christi Marcomannos, semelque initam cum Imperatore Romano pacem firmiter custodisse, certo argumẽto est, quod inter alios quamplurimos à S. Hieronymo *k* recensitos diuersarum nationũ barbaros, qui eruperunt in Gallias sub Honorio, Marcomanni haud nominati inueniuntur.

k Hier. ep. 11

Iisdem Coss. Marcellinus & Prosper prodigium memorabile illud signant, quo ardente desuper cœlo, atque terra tremente deorsum, Constantinopolitanæ vrbis conflagratio, eiusque extremus interitus timebatur. Quam rem certis testibus confirmatam fusius describens Augustinus *i*, ait Deum volentem terrere ciuitatem, & terrendo emendare, seruo cuidam suo fideli viro militari dixisse in reuelatione, ciuitatem venturo de cœlo igne perituram, eumq; admonuisse, vt Episcopo diceret. Dictum est: Episcopus allocutus est populum; & conuersa est ciuitas in luctum pœnitentiæ. Tamen ne putarent homines, illum qui dixerat, vel falsitate deceptum, vel fallaciter decepisse; adueniente die quem Deus fuerat comminatus, intentis omnibus, & exitum cum timore magno expectantibus; noctis initio visa est ignea nubes ab Oriente, primo parua, deinde paulatim, vt accedebat supra ciuitatem, ita crescebat donec toti vrbi ingens terribiliter immineret. Videbatur horrenda flamma pendere, nec odor sulphuris deerat. Omnes ad Ecclesiam confugiebant, nec capiebat multitudinem locus. Baptismum extorquebat quisque à quo poterat, non solum in Ecclesia, sed etiam per domos, per vicos, ac plateas. Verum vbi exhibuit Deus fidem reuelationi serui sui, cœpit vt creuerat minui nubes, paulatimque consumpta est. Populus securus paululum factus, rerum audiuit omnino esse migrandũ, quod ciuitas esset proximo Sabbato peritura. Migrauit itaque cum ipso Arcadio Imp. tota ciuitas: nemo in domo remãsit, nemo domum clausit, sed relictis carissimis sedibus voce miserabili valefecit. Et aliquot millibus tanta illa multitudo progressa, vno tamen loco fundẽdis ad Deum orationibus congregata, magnum fumum subitò vidit; & vocem magnam emisit ad Deum. Tandemque tranquillitate conspecta missis qui renunciarent de rerum statu, cum salua cuncta consisterent, omnes cum ingenti gratulatione redierunt, ac nemo de domo sua quicquam perdidit patente: omnis homo, sicut dimissus inuenit. Hæc Augustinus. Cuius etiam prodigii cum tit. mentio in Historia Miscella *k*, Arcadii precibus ac populi tributur ciuitatis ab imminente clade salus; aliaque ingerũtur de eiusdem Imperatoris commendanda fide ac pietate. Ac merito sanctiquidem his Imperii sui primordiis, multa optimi atque Christianissimi Principis testimonia edidit. Vtinam non Herodias, Ioannis hostis, eius lateri inhæsisset; quæ postea ipsum à recto tramite æquitatis abduxit: Sed de his inferius.

i De vita Cleric. c. 6. ex Aug. de ciu. Dei l. 18. c. 53.
k Miscel. l. 13

III. INSIGNIS TERROR VRBIS CONSTANTINOPOL. i Aug. de ciu. Dei l. 18. c. 6.

ARCADII IMP. PIETAS.

Hoc eodem anno, qui sequens est ab Hunnorum & aliorum barbarorum egressu, S. Hieronymus (vt ipse *l* testatur) de Nepotiano presbytero sui amantissimo (ad quẽ *De vita Clericorum* libellum scripserat, cum ille relicta sæculi militia, in qua clarus apud Imperatorem vigebat, vitæ se clericali addixisset) iam vita functo, Epitaphium scripsit ad Heliodorum Altinensem Episcopum eius auunculum, quo eiusdem virtutes perpetuæ memoriæ consecrauit, ob quas illum tota (vt ait) luxit Italia. Porro ex eadem Epistola & illud notandum est, quod de propagato longe lateque apud barbaros Christi nomine Hieronymus agens, *Indos* etiam, *Persas que*, *Gothos*, atque *Bessos* enumerat: & in Epistola ad Lætam *a* eodem ferme tempore scripta, *Hunnos* quoque & *Scythas* iisdem adiungit. Sicut & S. Paulinus *b* in epistola ad S. Victricium Episcopum Rotomagensem, meminit de *Morinis*, aliisque Neruici littoris ad Oceanum Borealem positis populis, hoc eodem tempore per eumdem Victricium ad fidem conuersis: vbi & multa habet de nobilitate Ecclesiæ *Rotomagensis*, ex studioso cultu Christianæ obseruantiæ comparata.

l Hier. ep. 3.

IV. PROPAGATIO FIDEI CHRIST.

m Idem ep. 7
n Paul. ep. 11

Quonam autem prædicante Hunni cæterorum omnium ferociissimi, subiecerint indomita colla iugo Christi, plane nescitur. Nisi dixerimus, eumdem illis accessisse Apostolum magnum illum *S. Nicetam* Dacorum Episcopũ;

V. S. NICETAS BARBAROS MVLTOS CONVERTIT.

quem

1. ECCLESIÆ IMMVNITATVM VIOLATORES DANT PŒNAS.

II. REGINÆ MARCOMAN. CONVERSIO.

IESV CHRISTI ANN. 396.

SIRICII ANN. 12.

ARCADII & HONORII } ANN. 2.

ANno Christi trecentesimo nonagesimo sexto, Arcadio quartum & Honorio tertium Augg. Coss. cum idem Honorius in vrbe Mediolanẽsi ex more Lybicarum ferarum munus exhiberet, missique ab Stilicone Comite milites Ariani Cresconium quemdam grauissimorum criminum reum, qui ad Ecclesiam confugerat, frustra tenente Ambrosio, rapuissent; accidit vt dimissi ad ludum leopardi, saltu celeri ascendentes locum, in quo raptores munera spectaturi conssederant, eosdem misere dilaniauerint; qua de re motus Stilico, Ambrosio abunde satisfecit: Narrat hæc Paulinus, qui vitam Ambrosii cõscripsit. Subditque de quodam eiusdem Stiliconis seruo, quem cum idem Ambrosius à dæmonio liberasset, rursum eumdem compertum falsarium tradidit Satanæ in interitum carnis, à quo statim misere discerpi cœpit.

Sed & per idem tempus *Fritigil* regina *Marcomannorum*, audita eiusdem Ambrosii sanctitatis fama, Christo credidit; missisq; muneribus, ab eo petiit qualiter credere deberet informati. Ad quam ille Epistolam scripsit in modum Catechismi; eamdemque monuit, persuadere viro suo Romanis pacem seruare. Quod cum ipsa præstitisset, pertexit etiam Mediolanum, vt S. Ambrosium videret; sed eum iam de hac luce migrasse reperit. Habet ista idem qui supra Paulinus; quæ quidem hoc anno esse cœpta transigi, inde constat quod obitus Ambrosii acciderit anno sequenti, mense Aprilis. Cæterum perisse dolemus adeo nobile scriptorum Ambrosii monumentum, quo vnico Spiritus telo indomitos hactenus barbaros subiugauit.

quem Bessos, Dacos, Getas, Scythasque, hoc tempore ad fidem conuertisse, idem S. Paulinus *a* tradit, cum eiusdem in Italiam pietatis ergo peregrinationum meminit. Vel forte dicendi Hunni ad fidem conuersi à *S. Theotimo* Scythiæ Tomiensium Episcopo, viro eruditione & sanctitate præstantissimo; quem his iisdem temporibus omni officiorum genere Hunnos demeteri curasse, auctor est Sozomenus *b*: qui & ait, eumdem ab illis *Deum Romanorum* vocari solitum, ob diuinas quas in eo virtutes experti essent. Quod quidem miretis in gente semper vaga, & omnem prorsus modum seritatis in vita & moribus excedente, vt eam pluribus describit Ammianus *c*: Sicut & eosdem eleganter S. Ambrosius *d* tradit, cum omnibus bellum inferrent nationibus fœneratoribus tamē fuisse subiectos; & cum sine legibus viuerent, aleæ solius legibus obediuisse: atque ideo numquam belli studia deposuisse, quod victi aleæ ludo, cum totius prædæ munus amisissent, ludendi subsidia requirerent bellandi periculo: sed & frequenter tanto ardore rapi consueuisse, vt cum eo quæ sola magna æstimarent, victi arma tradidissent, ad vnum aleæ iactum vitam suam potestati vel victoris vel fœneratoris addicerent: adeo vt reperti fuerint, qui pretium seruitutis, quam sibi tali sorte superati intulissent, suppliciis imperatæ mortis exsoluerint. Porro Hunnos fuisse itidem impudicos, Saluianus *e* affirmat: & Ammianus, infidos & inconstantes, nullius religionis vel superstitionis reuerentia alia districtos, externa prædandi auiditate flagrantes immani. Quæ quidem eo consilio à nobis sunt relata, vt videas & admireris Crucis potentiam, quæ indomitum omne genus perdomuit barbarorum; adeo vt qui tam feri & omnis prorsus humanitatis expertes describuntur tam à nostris quam ab externis auctoribus, sub iugum tandem Christi redacti, pii, humani, benigni, omnique ex parte sanctissimi euaserint; atque etiam enituerint ex eis Reges, qui maximo Christianæ religioni decori fuerunt & ornamento.

a *l. de reliq. Nat. in Dac.*

b *Sozom. lib. 7. c. 21.*

S. THEOT. DICTVS ROMAN. DEVS.

De eo vide agit Baron. an. 402. num. XXI.

c *Amb. lib. 31 init.*

d *Amb. ſ. de Tob. c. 11.*

HVNNORVM MORES.

De quibus agit Baron. alia occaſione Tom. VI. An. 444. n. XXXVI. & ſeqq.

e *Saluian. de prouid. lib. 4.*

IESV CHRISTI ANN. 397.

SIRICII ANN. 13.

ARCADII HONORII ANN. 3.

ANNO Christi trecentesimo nonagesimo septimo, Cæsario & Attico Coss. hæreses Origenis per *Ruffinum* presbyterum Aquileiensem è Palæstina illatæ sunt Romam. Hunc enim indiuiduum Melaniæ comitem, eiusdem in Vrbem redeuntis affectatum esse vestigia, Palladii *f* atque Paulini *g* testificatione exploratum habetur. Porro Melaniam, quam Hierosolymam migrasse vidimus Anno Domini trecentesimo septuagesimo secundo, hoc præsenti anno rediisse Romam, nimirum post quinque lustra, hoc est viginti quinque peregrinationis annos, eiusdem Paulini *h* assertione certum redditur; apud quem ipsa, puta sibi sanguine coniunctum, in reditu Nolam diuertit: licet Palladius viginti septem numeret annos. Sed is & ex eo refellitur, quod constet hos adhuc superstite Siricio Papa repetiisse Romam, quem videbimus anno sequenti mense Februario ex hac vita migrasse.

I. ORIGENIS ERRORES INFERVNTVR IN VRBEM.

f *Pallad in Lauſiac. c. 33*

g *Paulin. ep. 9. ad Seuer.*

h *Id. ep. 10.*

Accepit tunc idem Paulinus, inter alia munera, à Melania, perbreue segmentum Ligni sanctissimæ Crucis, missum sibi à Ioanne Hierosolymorum Episcopo; vt testatur ipse, cum ex eo quid modicum sumptum, nomine Theclæ suæ misit ad foctum Seueri Basilam. Vbi & meminit *i* de eiusdem Ligni erogatione Hierosolymis fieri solita ab eius ciuitatis Episcopo, qui illud Paschali tantum tempore (vt ait) exhibebat populo adorandum. Cuius plane exemplo illa in reliquas Occidentalis Orbis Ecclesias consuetudo manasse putatur, vt eodem Paschali tempore Lignum CRVCIS cum Imagine Crucifixi populo adorandū aperiatur, quod ante erat velo obductum; illud Episcopo tertium præcinente præconium, *Ecce lignum Crucis, &c.* ac respondente acinuitante choro, *Venite adoremus.* Et in illis quidem Ecclesiis, in quibus ineſſe contingeret aliqua pars Ligni sanctissimæ Crucis, illud ipsum, sicut fiebat Hierosolymis, proponebatur populo adorandum: quæ autem Ecclesiæ illo carerent, loco eius exhibebant (vt fit) alterius ligni Crucem cum Imagine Domini Crucifixi. Ex eo porro quod à Melania delatum est Paulino, ingens plane cōtigit edi postea miraculum, quod perpetua memoria contexecrandum ipse versibus *k* decinit: nimirum cum incendio flagrante fœno referta casa, in Paulini ipsius hospitium conuersa flamma cuncta impetu violento depasceret, oblato ab ipso globis igneis eodem ligno Crucis, incendium protinus resti it, ac penitus extinctum est.

II. VSVS CONSVETVDO ADORANDÆ CRVCIS TEMPORE PASCH.

i *Idem ep. 11.*

k *Id. Natal. 10. S. Felic.*

III. RVFF. ET MELANIÆ ÆSTIMATIO ROMÆ.

Cæterum qui diu ab Vrbe absentes, Hierosolymis tanquam in spiritali quadam Academia, vt veram excolerent sapientiam, quinque lustris confederant Melania atque Ruffinus; cum primum in Italiam aduenerunt, omnium animos præ admiratione in se conuerterunt, cum viderent eosdem Stoica indolentia, quam ex Origenis libris didicerant, perfectissimæ & ad omnes numeros absolutæ vitæ Christianæ specimen edere. In tantum, vt etiam ab ipso sanctissimo viro Paulino *l* immensis præconiis celebrati reperiantur. Quapropter hac opportune arrepta occasione, qui ad hoc venerant vt si possent Origenis errores ipsi etiam Romanæ Sedis Antistiti, ac per eum vniuersæ persuaderent Ecclesiæ; confestim vt Romam appulerunt, ac se ingenti existimatione apud omnes esse cognouerunt; (perpaucis eruditis exceptis, quos antea S. Hieronymus literis monuisset:) iisdem impietate referta allata secum scrinia referantes, deprompserunt inde pestiferas merces, sed ita fallaciis obuolutas, vt etiam bene prudentes decipere potuissent.

l *Idem ep. 9. & 10. ad Sener.*

IV. QVOMODO RVFF. INTRODVCERE CONATVS ERRORES ORIGENIS *Teſtatur Hier. Apol. 1. aduerſus Ruff.* n *Hieron. ep. 66. ad Ruff.* o *Ext. ap. Hieron. To. 9.*

Ac primum ne ipsis esset impedimento, quod apud nōnullos Origenis nomen male audiret, idem Ruffinus Apologiam pro Origene ab Eusebio Cæsariensi scriptam, nomine tamen martyris Pamphili, à se vero Latinitate donatam, edidit *m*: addiditque pro eodem recens à se item volumen elaboratum *De adulteratione librorum Origenis*, quibus præmissis defensoribus, sic ὑπὲρ ἀρχῶν ipsius, hæresibus refertissimum, à se translatum voluit edi, vt præfationi eis affixæ nomen suum *n* silentio prætermitteret, quo & nomen interpretis haberetur incognitum. Vt autem suspectum Origenis nomen, testificatione S. Hieronymi venerandum faceret, idem prædicta sua præfatione *o*, quæcumque ab adeo celebri auctore Hieronymo aliæ eiusdē Origenis lucubrationes essent hactenus Latinitate donatæ, recensuit, eiusque de ipso elogia recitauit; ac demum professus est, eius se in interpretando, atque ab erroribus expurgando Origene, affectatum esse vestigia. Ex quibus alterum de duobus euenturum præsentiret: vel, vt ita Origenis ὑπὲρ ἀρχῶν auidius acceptum ab omnibus probaretur; vel si contingeret ob blasphemias respui, in Hieronymum antiquiorem Origenis interpretem ac laudatorem infamia verteretur. Hisque atque aliis eiusmodi appositis dolis, adeo profecit mali operis peior interpres, pessimusque præfator, vt permulti se clerici imprudentes in Origenis errores præcipitauerint: potuissetque iure timeri Romanæ Ecclesiæ casus, nisi qui pro ea continuo vigilat Deus, dormitantibus iis quorum muneris erat stare pro muro domus Israël, excitasset spiritum fœminæ, nouæ Deboræ, per quam phalangas euerteret Chananæorum.

V.

p *Hieron. ep. 1. 6. 137. 138. 147. 148.*

q *Idem ep. 16. S. MARCELLA DESCRIBITVR.*

Fuit ea *S. Marcella*, (de qua superius) spectata scientia & virtutibus matrona Romana, monasticam excolens disciplinam, ad quam plurimæ extant S. Hieronymi de variis quæstionibus Epistolæ *p*: quæ quidem (vt ipse *q* ait, scribēs ad Principiam eiusdem Marcellæ filiam) cum diu se cohibuisset, ne per æmulationem quippiam facete videretur; postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita vt Sacerdotes quoq; & nonnullos Monachorum, maximeque sæculi homines, in assensum tui Ruffinus traheret, ac simplicitati illuderet Romani Episcopi, qui de suo ingenio cæteros æstimabat; publice restitit, atque damnationis hæreticorum principium extitit, dum adduxit testes, qui prius ab eis eruditi, & postea ab

hæretico

hæretico fuerant errore correpti, ostenditoque multitudinem deceptorum, atque impia Periarchon ingessit volumina, quæ emendata manu scorpii demonstrabantur. Denique eo negotium prouexit, vt ipsi hæretici negare coacti fuerint Periarchon sua ipsorum opera in Latinum esse conuersum, seque cum Origene sentire, ac præseferentes Catholicam disciplinam, quæ fierint à Romano Pontifice communicatorias literas, vt communicantes Ecclesiæ discessisse viderentur. Ista ex Hieronymo: quibus videas quã egregie diuino iudicii pondere certamen fuerit æqua lance pensatum, dum per feminam dissipari delegit, quod duce femina (scilicet Melania) per suos diabolus fuerat machinatus.

VI. SIRICIVS EXCVSATVR DE NONDAMNATO RVFFINO.

Sed quod ad Ruffinum spectat, etsi profecturus Aquileiam solum patrium, petierit & impetrauerit à Siricio Papa communicatorias literas, Catholicis tantum impertiri solitas, haud tamen id cessit culpæ Siricio. Nam cum ipsa hæretica interpretatio Periarchon Origenis, nomine careret auctoris, nec à quo præfatio illa esset scripta liqueret, nihil est quod Ruffinum hæreticum nondum detectum, immo Catholicum se clamantem, ab Ecclesia extorrem facere deberet. Sugillat tamen S. Hieronymus eiusdem simplicitatem, quod minime adduci posset, vt crederet in Christianis adeo fama conspicuis hæresis occultari venenum, ex probitate animi sui nesciens (vt ait) mala existimare de aliis. Factumque est, vt quod haud citò periclitanti occurrit Ecclesiæ, ipse citissime, nempe anni sequentis exordio, ex hac vita sublatus fuerit, erectusque super Cathedram Petri acerrimus oppugnator Origenistarum Anastasius Papa. Frequentibus siquidem atque pauendis est demonstratum exemplis, Pontifices illos qui causam fidei paulo segnius tractarent, à Christo primario omnium pastore fuisse quam celeriter subtractos: inuigilante iugiter super Romanam Ecclesiam diuina prouidentia, ne qua vel leui suspicione hæreticæ contagionis aspergeretur.

VII. S. AMBROSII OBITVS.

Hoc eodem anno, pridie Nonas Aprilis, ipsa vigilia Paschæ, *S. Ambrosius* Archiepiscopus Mediolanensis in eadem ciuitate ex hac vita migrauit, ea quippe die natalis eius Catholicæ Ecclesiæ monumentis adscriptus habetur. De anno vero expressam fidē facit Marcellinus Comes in Chronico: confirmatque Paulinus eius Vitæ scriptor, dum ait ab obitu Theodosii Imp. vsque ad Ambrosii mortem fere intercessisse triennium. Sed & cum ex Concilio Carthaginensi Tertio *a* missa fuerit legatio hoc anno sub dictis Coss. Cæsario & Attico mense Septembris ad Siricium Papam & Simplicianum Episcopum Mediolanensem, plane significaturiam ante illud tempus Ambrosium ex hac vita decessisse. Ex quibus & colligere valeas, ipsum sedisse annos viginti duos, menses quatuor, minus tribus diebus, quem creatum diximus anno Domini trecētesimo septuagesimo quarto, septimo Idus Decembris. Hæc autem cum adeo perspicuis argumentis appareant, habes vnde redarguas Gregorium Turonensem, dum tradit ante Ambrosium defunctum esse S. Martinum, quem iisdem Coss. decessisse ait. Sed in vtroque ipsum errore lapsum, satis alias *b* demonstratum est.

a Con. Carth. III. c. 48.

b Supra, & infra, vbi agitur de S. Martino. Adde Bar. Not. in Rom. Mart. 4. Apri & 11. Nouem.

VIII. DIVINA SIGNA IN NOVISSIMIS.

Porro & ipsum præuidisse, prædixisseque diem sui obitus, & Dominum IESVM eidem ægrotanti apparuisse atq; attrisisse, ac demum suscepto viatico Dominici corporis, (ad quod ei pertigendum Honoratus Episcopus Vercellensis diuinitus expertectus accurrit) confestim expirasse: sed & plura alia admiranda, tum eiusdem obitum præcessisse, tum in eo contigisse, subsecutaque esse, docet ea cuncta narrans idem Paulinus longe diuersus à Nolano, licet plerique vtrumque in vnum confuderint) quia adfuit, eique olim à manu fuit, ac postea eius Vitam summa fide conscripsit, petente (vt ipse testatur) S. Augustino. Illud vero inter alia memorandum, quod de visione quadam ante paucos dies quam Ambrosius lectulo detineretur, accidisse tradit: nimirum quod cum psalmum quadragesimum tertium dictaret, ipso Paulino excipiente, subito in modum scuti breuis, ignis caput eius cooperuit, atque paulatim per os ipsius tamquam in domum habitator ingressus sit, ac post hæc facta fuerit facies eius sicut nix, ac demum reuersa sit ad speciem suam: quo die scribendi dictandique finem fecit, inabsoluto relicto eodem psalmo. Hæc Paulinus: extatque adhuc ipsa postrema S. Ambrosii lucubratio in psalmum quadragesimum tertium relicta imperfecta, duobus vltimis versibus prorsus intactis. Ista porro visione voluit Deus, velut sigillo appósito consignasse, tantum Ecclesiæ Doctorem non pro humani sensus arbitrio, sed ex ore Domini diuino afflatum Spiritu, docuisse, disseruisse, scripsisse, atque dictasse ea, quibus vel populum erudiuit, vel hæreticos confutauit.

IX.

Addit insuper idem Paulinus, cum pluribus diebus Ambrosius detineretur in lectulo, querente Comite Stilicone, quod tanto viro decedente de corpore, interitus immineret Italiæ, ideoque eum per ipsius familiares rogante, vt sibi viuendi peteret à Deo commeatum, Ambrosium respondisse, *Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere: nec timeo mori, quoniam Dominum bonum habemus.* Sententia digna quidem Ambrosio, quam à S. Augustino laudatam, qui eam declarat Possidius *c* tradit. Cæterum haud falsum vatem Stiliconem fuisse, miserandus Italiæ euentus postea probauit. Habet quoque Paulinus, eumdem post obitum perductum ad ecclesiam maiorem, visum esse à plurimis infantibus recens baptizatis sedentem in cathedra & tribunali, ab aliis vero in cælum ascendentem, ac rursum ab aliis supra corpus eius stellam conspectam esse: itemque dæmonum turbam, ab illo se torqueri eiulatu maximo publice fassam esse. Sed & qua obiit die, ipsummet in Oriente apparuisse orantem cum aliis, & imponentem illis manus, & apud Florentiam in Tuscia sæpius ad altare visum esse orare, auxilio etiam multis extitisse: ac nonnullos, qui aduersus eum obloqui non essent veriti, grauiter à Deo punitos esse. Hæc omnia pluribus idem Paulinus.

c Possid. in S. Aug. c. 27.

SANCTA DIVINITVS CONFIRMATA POST OBITVM.

X.

Quod autem ad eius ætatem spectat, cum ipse literis ad Seuerum scriptis tempore quo Maximus tyrannus ex improuiso Italiam inuasit, testetur se tunc fuisse ætatis annorum quinquaginta trium, cum Honorio & Euodio Coss. annus Domini volueretur trecentesimus octogesimus sextus, numerando ab eo tempore vsq; ad præsentem annum eius vitæ cursum, sexagesimum quartum vix inchoatum numerari contingit.

XI. DE EIVS SCRIPTIS.

De lucubrationibus vero ipsius, præter eas quæ extant, eiusdem Paulini testificatione constat scriptum ab eo catechismum ad Frigildem Reginam Marcomannorum, & de puerilis ætatis institutione libellum ad Pansophium puerulum Florentiæ ab eo reuocatum à mortuis. Meminit quoque Augustinus *d* commētarii eiusdem aduersus quosdam nebulones, qui de Platonis libris Dominum profecisse iactarent. Et Cassiodorus *e* recenset eius elucidationes in Prophetas, & homilias in Sapientiam Salomonis, & suauissimam (vt vocat) expositionem in omnes Pauli Epistolas. Qua quidem expositione iam eiusdem Cassiodori tempore desiderari cœpta, posteaque plane deperdita, in locum eius, alterius auctoris, eiusdem facultatis opus Ambrosii nomine apparet fuisse suppositum. Sed & quam plurimos certum est Sermones eiusdem Sancti esse deperditos, quem constat singulis diebus Dominicis & celebritatibus Martyrum, conciones ad populum habuisse: cum alioqui complures S. Maximi Episcopi Taurinensis, Ambrosii nomine habeantur inscripti, sicut & alia nonnulla S. Prosperi, & aliorum, vtinam & non Pelagii etiam, cuius epistola ad Demetriadem scripta, Ambrosii nomine hactenus lecta fuit: Vt prætermittam alia ab eo alieniissima, quæ tamen eius titulo cusa leguntur: à quorum discriminationis labore liberasset nos Paulinus, si singula ab eo scripta opera edito Indice posteris credidisset. Cæterum quæ à nobis conscripta est eius Vita, præfixa editioni Romanæ Operum eius, ea ad scripta de eodem in Annalibus, cum quid diuersum inuenietur, (quod posteriores cogitationes meliores esse soleant) conformanda est.

d Aug. ep. 34. in fi.

e Cas. diu. Inst. li. 1. c. 3. & 5.

XII. CONC TAV.

Hoc item anno paulo post S. Ambrosii obitum, celebratum apparet CONCILIVM TAVRINENSE, in quo lectæ *f* sunt tam Romani Pontificis Siricii, quam ipsius Ambrosii literæ, scriptæ ad Synodum pro recipiendis in sanctæ pacis consortium illis, qui non communicarent Felici in Gallia Episcopo, ordinato olim ab Ithacianæ partis Episcopis sanguinariis, de quibus supra in historia Priscilliani, cui

f Conc. Taur. c. 5.

idcirco reliqui Galliarum Episcopi communicare recusarent. Sed quid *a* causa Priscillianistarum ad Mediolanenses Episcopos, vt cum in ista Synodo, tum in Toletana Prima sub Stiliconis Consulatu, literæ S. Ambrosii de iis legi debuerint, eodemque Toletano Concilio, scribendum de iisdem fuerit ad Simplicianum eiusdem Ambrosii successorem? Nempe hoc factum apparet, quod cum infestarent quoque eiusmodi pestes Mediolanensem Ecclesiam, iidem condemnati illic fuerint in Synodo auctoritate Siricii Papæ celebrata: siquidem publice Toletani Patres professi sunt, eodem suadente Siricio ea per S. Ambrosium scripta esse, quod etiam de eius successore Simpliciano dicendum est, in quem concessa S. Ambrosio auctoritas, per eumdem Siricium & eius successorem Anastasium propagata fuerit. Iam enim temporibus Damasi Papæ, in eadem causa (vt vidimus) idem S. Ambrosius se iudicium Damasi sequi professus fuit, dum quos à Damaso reiectos audiuit Priscillianum ac socios, ipse æque audire penitus recusauit.

a *Hæc habet Bar. 405. nu. LV. LVI.*

XIII. DE METROP. GALL. NAR. ET VIENNAN

Sedatæ sunt item in hac Synodo Taurinensi altercationes inter Arelatensem & Viennensem Episcopos, de primatu certantes: eaque dignitas illi ciuitati decreta, quæ se eius prouinciæ metropolin ostenderet: atque interim ad pacem conseruandam vtilius iudicatum, vt vnusquisque eorumdem Antistitum viciniores sibi ciuitates vendicaret. Sed & prouinciæ Narbonensis Secundæ primam esse sedem Massiliensem, pariter declaratum est: eiusque tunc sedis Episcopum Proculum (insignem nomine & sanctitate virum) Metropolitanum esse habendum Antistitem.

XIV.

Iisdem insuper huius anni Coss. Calendis Septembris celebrata habetur sub Aurelio Episcopo Carthaginiensi totius Africæ Primate, SYNODVS *b* CARTHAGINIENSIS, *Tertia* dicta non quidem quod in ea ciuitate tria tantũ in hanc diem fuerint celebrata Concilia, cum longe plura ibidem habita numerari contingat: sed quod eorum collector ab illis numerate exorsus, quæ post tempora Constantini potuit reperisse, hoc ordine *Tertium* numerauit. *Secundum* vero nominauit, quod ante istud collocauit, celebratum (vt ponitur) sub Consulatu Valentiniani quarto & Theodosii. Sed manifestus est ibi error in Consulum nota: siquidem nusquam reperitur Valentinianus August. gessisse Consulatum cum Theodosio, sed cum Neoterio anno Christi trecentesimo nonagesimo. Nec est quod dici possit, pro Neoterio scriptum esse Theodosium: etenim Alipius qui in ea Synodo nominatur Tagastensis Episcopus, adhuc presbyter tunc tantum erat, quem constat creatum fuisse Episcopum anno Domini trecentesimo nonagesimo quarto.

b *Tom. 1. Con. Con. Cart. TERTIVM DICTVM.*

XV. DE TEMPORE SEDIS GENEDII.

Quod autem pluribus notis, qui huic Secundo dicto Concilio præfuit *Genedius*, absque controuersia cognoscatur fuisse Carthaginiensis Episcopus, vt eius tempus ad posteriora tempora referamus, hæ imprimis euidenti ratione vtimur, quod interfuisse huic Synodo reperitur Valentinus Numidiæ Primas, qui non ante Sextam dictam Synodum Carthaginiensem, potuit eam esse consecutus dignitatem: siquidem ante ipsum in Concilio Mileuitano, celebrato anno Domini quadringentesimo secundo sub Consulatu quinto Arcadii & Honorii Augg. cum aliis sedisse Numidiæ Primatem Xantippum, eiusdem Concilii Acta significant: Sexta autem dicta Synodus Carthaginiensis, habita est anno quadringentesimo decimooctauo sub Cõsulatu Honorii duodecimo & Theodosii octauo. Immo & ipsum Concilium sub Genedio, habitum fuisse post Africanam, (ita dictum, vt in eius exordio declaratur, quod quæcumque Concilia sub Aurelio Carthaginiensi collecta, illic per epitomen sint recensita) quod tempore Cælestini Romani Pontificis celebratum esse, constat ex Synodali epistola ab eodem Concilio ad eum data, ipsius Cælestini anno primo, nempe sub Consulatu Castini atque Victoris, inde ducimus argumentum, quod in eiusdem Concilii sub Genedio canone secundo, in quo agitur de continentia clericorum, citetur canon alterius Cõcilii, qui esse reperitur trigesimus septimus eiusdem Africani: pariterque tertio canone citetur canon de non reconciliandis à presbyteris publice pœnitentibus, qui decimus esse reperitur Africani. Quod autem illud signatum habetur his Coss. nempe Valentiniani IV. & Theodosii, scias vitio librariorum inuersum ordinem, vt loco Theodosii Iunioris XI. & Valentiniani, qui gesserunt Consulatum post Castinum & Victorem, secundo anno Cælestini Papæ, posuerint Coss. Valentinianum & Theodosium, & loco Iunioris, IV. posuerint vt numeri notam. Quare his de tempore eius Concilii accurate perspectis, intelligere possumus quid sit quod primo loco *Genedius* tamquam vere Carthaginiensis Episcopus ponitur, & secundo loco *Aurelius*, quem hactenus fuisse Primatem, primumque locum in omnibus tenuisse constat: nimirum nihil aliud esse quod dici possit, quam ipsum iam senio fatiscentem refudisse in Genedium onus Episcopatus, quemadmodum Valerium in Augustinum, & ipsum Augustinum in Eradium, atque alios in alios fecisse constat: sicque fecerit Aurelius cum Genedio honoris causa, concessa ab aliis ipsi prærogatiua suffragii.

[Cum priori huius Operis editione, ad hunc §. adnotassem, haud fore difficile demonstrare Genedium (seu potius Genetlium dicendum) fuisse ante Aurelium, sed & Concilia Carthaginiensia, quorum seriem Baronius immutauit, suo ordine in vulgatis editionibus recenseri: nouissime mirum in modum lætatus sum, cum vidi hanc quæstionem locupletissime ac disertissime tractatam ab harum rerum scientissimo Card. Perronio in Resp. ad Reg. Mag. Brit. lib. 1. cap. 48. & seqq vbi satisfacit abunde omnibus Baronii, aliorumque circa hæc dubiis & obiectionibus, & quæ in eadem Concilia, aliaque Africana, confusio siue permistio irrepserit, enucleate explicat. Quinimmo & in hos Carthag. Tertio, omnes illos 50. canones vere conditos fuisse, (de quo Baronius num. seq. dubitauit) egregie demonstrat, & vitium collectoris in exprimendo nomine Bonifacii Papæ in canone de libris canonicis, aperit.]

Sed & ex prædictis illud insuper habes, Synodum Carthaginiensem hoc anno celebratam, quæ dicitur *Tertia*, potius debere dici *Secundam*, quæ vero *Secunda* hactenus dicta est, *Sextam* magis nuncupandam esse. Si autem attendas quæ de eadem huius anni, in Concilio Africano posita leguntur, eam longe ante præscriptum diem Calendarum Septembris cœptam inuenies: nam de non nauigando absque Formata sanctus canon ibi *a* legitur his Coss. sexto Calendas Iulii. Rursum vero de recensitis sub eodem Africano Concilio quinquaginta canonibus, haud omnes in hoc Carthaginiensi sanciti probantur, sed diuersis aliis in eadem ciuitate celebratis: vt inter alios, quo sacrorum Librorum certus numerus definitur, *b* quem quidem ex ipsius canonis verbis exploratum satis redditur, decretum esse in Concilio Carthaginiensi tempore Bonifacii Papæ.

a *Conc. Afric. circa prin.*

Quod autem inter alia ad Ecclesiasticam disciplinam & œconomiam spectantia, ibidem reperitur de *c* Conuiuiis in ecclesia fieri solitis, id quidem ex suasione S. Augustini factum videtur, quippe qui iamantea commonuisset *d* Aurelium Carthaginiensem, vt exemplo Ecclesiarum transmarinarum ea auferenda curaret, ob prauum illorum vsum. Cum autem etiam ipsius Augustini hortatu, Aurelius sustulisset eiusmodi ambitiosas comessationes, quæ non solum in memoriis SS. Martyrum, sed etiam in sepulchris defunctorum exhiberi solerent, (quod tamen ita Augustinus *e* suasit, vt nihilominus consultum vellet piis oblationibus pro animabus defunctorum, nempe vt quæ ad eorum sepulchra ferrentur, erogarentur in pauperes,) ex eoque accidisset, vt ab omni pro defunctis piorum officio rum frequentatione cessaretur: idcirco visum est postea iisdem Africanis *f* Patribus, ad defunctorum oblationes præstandas pœna excommunicationis populum compellere. Tanti enim existimarunt, illum in antiquo pietatis officio retinere.

b *Con. Carth. III. c. 47.*

c *Con. Carth. III. c. 30.* d *Aug. ep 64.* CONVIVIA ECCL. SVBLATA *Quod habet Bar. an. 391. nu. XXXIX. & segq.* e *Aug. ibid.*

Porro quod eodem Concilio prohibetur, *g Vt primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, aut Summus sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum Primæ sedis Episcopus*, scias ita in omnibus antiquis scriptis exemplaribus legi, & in Græce redditis apud Theodorum Balsamonem eiusdem Concilii canonibus eadem tantummodo esse verba: vt nõ dubites, quæ mox sequuntur in Decretorum libro, *Vnuersalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*, esse Gratiani: nec quidem appolita ad canonis illius declarationem, sed tamquam epigraphen ad sequentium rerum tractationem.

f *Con. Carth. IV. c. 95.*

XVI.

XVII.

XVIII. g *Con. Carth. III. c. 26.* DE TITVLIS EPISC. PROHIBITIS IN CON. CART.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

nem. Quæ ignorantes Nouatores, *a* magno canonem præconio extulerunt, quo sancitum dixerunt ne Romanus Pontifex *Vniuersalis* appellaretur: quasi Africanæ Ecclesiæ iuris fuerit de Romana Ecclesia, cui ipsa subiacebat, sancire leges. At vero cur Romani Pontifices *Vniuersales* interdum dici renuerint, opportunius alias dicendum: Cur autem Africani Episcopi prohibuerint, nequis ipsorum in Africa diceretur *Princeps Sacerdotum*, aut *Summus Sacerdos*, (cum alioqui vox illa prior, communis esset omnibus Metropolitanis *b* Episcopis, posterior illis *c* etiam qui Metropolitano subditi essent Antistiti:) Theodorus notat fuisse ad tollendam nominum arrogantiam, non autem quod re vera tales non essent. Quæ cum quis non consideret, in quamplurimos errores præcipitem ferri necesse sit.

Memoria quoque dignum illud tunc à Patribus sancitum est, vt quæ Episcopus vel quis clericus ex paupere ditior factus, emisset ex bonis Ecclesiæ, eadem Ecclesiæ cederent, nec illa in quemlibet quouis titulo transferendi eidem facultas esset, cum videlicet complures ex ministris Ecclesiæ, tepescente in eis sanctitatis vitæ studio, & cura pauperum frigescente, bonis Ecclesiæ in quæstum proprium abuterentur, quos sugillat Hieronymus, *c* dum vt eos caueat admonet Nepotianum. Quod vero ad eiusmodi negotiatorum potius dicendorum, quam clericorum, auaritiam compescendam segniores essent Episcopi canonum vindices, & ipsi interdum eodem morbo languerent, iure meritoque Catholicæ Ecclesiæ Episcopus Romanus Antistes, ad vendicandas eiusmodi ex bonis Ecclesiæ, partas ac male congestas opes, per prouincias consueuit mittere exactores, quos nominant *Collectores*. De quorum importuna exactione cum multi querantur, hos facile vitabunt, & prudenti arte deludent, qui bona Ecclesiæ, quæ supersunt, non congregarint, sed in pauperes erogarint.

Missa est ab hac etiam Synodo ad Syricium Romanum Pontificem, necnon ad Simplicianum Episcopum Mediolanensem Ambrosii successorem, de baptizatis in infantia, eorum quæ ambigua videbantur consultatio: *f* ad Siricium quidem, quod scirent Catholicæ Ecclesiæ præsidere Episcopum atque doctorem, ad Simplicianum autem, tum ob egregiam ipsius scientiam atque probitatem, cuius nos ante meminisse sufficiat, tum etiam ꝙ occasione S. Ambrosii toto Orbe nominatissimi Præsulis, ea Ecclesia in magna laude apud omnes haberetur, & maxime apud Africanos Episcopos, quorum duo eius temporis lucidissima lumina, Augustinus & Alipius, qui his Africanis Conciliis numquam fere deesse, immo eorum pars maxima esse consueuerant, ibidem Mediolani ab eodem Ambrosio instructi in fide ac baptizati fuissent. Ideoque & in alia Synodo Carthaginiensi celebrata post Consulatum Stiliconis, similiter ad Anastasium Papam & Venerium Mediolanensem Episcopum, prædictorum Siricii & Simpliciani successores, decreta legitur legatio, vt Africanæ Ecclesiæ sacris ministris indigenti consulerent. Sicut etiam ex alia parte Simplicianus bene conscius quantus doctor esset in Africa Augustinus, de quibusdam perdifficilibus quæstionibus diuinæ Scripturæ cum pulsauit, ad quem sicille duos iis de rebus à se conscriptos libros misit, vt tamen eosdem eius censuræ summa modestia voluerit subiacere.

Iisdem Coss. (inquit Socrates *g*) quinto Calédas Octobris Nectarius Episcopus Constantinopolitanus diem obiit. Eiusque rei causa, nempe vt ei successor eligeretur, celebratum esse CONCILIVM Episcoporum, tradit Sozomenus. *h* Itaque cum alii alium ad id muneris quærerent, tandem placuit IOANNEM Antiochiæ presbyterum, ab eloquentia cognomento CHRYSOSTOMVM, de quo sæpe superius, accersere, frustra aduersus eum satagente Theophilo Alexandrino: qui vna cum aliis complurib. Episcopis (quo Ioannis ordinatio plus haberet auctoritatis) vocatus ab Imp. Constantinopolim, ex iure prætento à Patriarchis Alexandrinis in electione Episcopi eius ciuitatis, conatus est Isidorum suæ ipsius Ecclesiæ presbyterum ad illum Episcopatum euehere. Sed minis perterritus Eutropii Eunuchi, potentissimi Præfecti cubiculi Imperatoris, metuque subeundi iudicii de nonnullis criminibus sibi obiectis, & ipse eumdem Ioannem designauit Episcopum: cuius ordinationem in sequentis anni mensem Februarium productam esse constat.

a Con. 5. c. 9. col. 868.
b Vid. Th. Bal in Con. Carth c. 43.
c Zosim. Pap. ep. ad Hesych. Epis. Sal. Am. ep. ad Fel. Com. Gaudēt ser. de sua ord Aug. q. ex vtroq 10. Sidon. 5. ep 14. & 6. ep. 10 & 9 ep. 15. Conc. Aurel. 1. c. 3. Agath. c. 6 Tol. VI. in pr.

XIX. ADVERSVS CONGERENTES EX BONIS ECCLES.
d Conc. Cart. III. c. 49.
e Hier. ep. 2. ad Nepot.

XX. CONSVLTATIO AD SIRICIVM SIMPLIC. & Conc. Cart. III. c. 43.

XXI.
g Soc. li. 6. c. 2.

h Soz. li. 8. c. 2 IOAN. CHRYSOST. ELIGITVR EPISCOPVS CONST.

IESV CHRISTI AN. 398.

ANASTASII AN. I.

ARCADII HONORII } AN. 4.

I. SIRICII OBITVS.

ANno Christi trecentesimo nonagesimo octauo, Honorio Aug. quartum & Eutychiano Coss. octauo Calendas Martii, *S. Siricius* Papa, cum sedisset annos tredecim, mensem vnum, & dies quatuordecim; ex hac vita migrauit. Ita enim apud antiquos Indices, licet apud Bedam, *a* sexto Calendas Decembris Siricii ponatur obitus, & in nuper reperto indito antiquitus eius sepulturæ epitaphio, *b* idem dicatur sedisse quindecim annos. Sepultus est autem in cœmeterio Priscillæ via Salaria. De scriptis ab eo ad diuersos, diuersis de causis, Epistolis Decretalibus; mentio est apud Isidorū *c*: sed errare plane videtur, dum cum sub Theodosio & Valentiniano Impp. vita functum affirmat. Vacasse vero sedem post eius obitum dies viginti, habent Indices Vaticani, necnon liber de Romanis Pontificibus, qua ratione dicendus est in locum eius subrogatus pridie Idus Martii, ANASTASIVS patria Romanus, patreque Maximo presbytero, (vt habetur in ipsius epitaphio*) & in militiæ Dei officiis natus.

a Bed. in h
b Anast. Inser. in Appen. p. 1171. nu. 16.
c Isid de vir. illust c. 3.

ANASTASII CREATIO
* Anast Inscr. pag. 1165. nu. 7.

II
d Hier ep. 26.
e Id. ep. 99. Vid. sup an. 382. VIII.

PAMMACHII V. C. RENVNTIATO SAECVLI.

Hoc ipso anno S. Hieronymus ad Pammachium consolatoriam dedit epistolam, *d* cum ex hac vita iam ante migrasset eius vxor Paulina filia S. Paulæ Consularis feminæ, quæ nobilissimo vtrimque genere orta, *e* vna cum filiabus atque cognatis, ipsius olim Hieronymi vsu, Christianam perfectionem fuerat adepta, & domus eius velut in ecclesiam commutata. *Pammachius* autem eius gener, prognatus ex Camillorum antiquo stemmate Furiano, ipseque inter primos Senatores emicans Consulum pronepos, vir doctrina & pietate insignis, solutus iam vinculo cōiugali, eg. egium Christianæ virtutis specimen de contemptu sæculi edidit, dum bona sua erogans in pauperes, vel in sacris ædificiis impendens, monasticum amplexus est ingendis ædificiis impendens, monasticum amplexus est ingendis ædificiis impendens, monasticum amplexus est ingendis

RERVM INSTITVTA TEMPORVM CHRONOGRAPHIA.

ne mora sumeret finem: sumpto videlicet annorum initio à tempore quo missus est Spiritus Sanctus, i. per Idus Maias, à quo numeratis Coss. trecenti sexaginta quinque anni reperiuntur impleti per easdem Idus Maias Consulatus Honorii & Eutychiani. Hæc Augustinus, quam quidem eius supputationem nostræ chronographiæ optime consentire cognoscis: siquidem quem nos numeranimus Dominianum trigesimum quartum, ipse à die Pentecostes numerat primum. Porro numero trecentorũ sexaginta quinque annorum si addas triginta tres, vtiq; reperies à nascente Domino vsque ad dictos præsentis anni Coss. Honorium & Eutychianum, recte numerari annos trecentos nonaginta octo. Cæterum stultæ prædictioni contraria prorsus obuenisse contigit: & tantum abfuit Religionem Christianam defecisse, & deorum cultum restitutum esse, vt quæ reliqua essent templa Gentilium, sequenti anno diruta fuerint: quod ipse Augustinus demonstrat, diceturque suo loco.

V
LEX HONORII IMP. PRO PERSONIS ET REB. ECCL.

Rursum vero quod ad res Africanæ Ecclesiæ pertinet, Honorius Imp. Mediolani existens, ad comprimendam sceleratorum audaciam, sexto Calendas Maii rescriptum *a* dedit, quo præcepit, inferentes iniuriam personis Ecclesiasticis, & locis sacris Catholicorum, ac diuino cultui, capitali supplicio puniri: voluitque cunctis liberum esse, factas atroces sacerdotibus aliisque ministris Ecclesiasticis iniurias, veluti publicum crimen insequi. Hanc porro legem nondum in Africa promulgatam fuisse, quando Augustinus scripsit commentarios contra literas Petiliani, partis Donatistarum Constantinensis in Numidia Episcopi, suæ sectæ hominum huius temporis eloquentia facile principis, ex eo demonstratur, quod ipse iisdem commentariis *b* neget aliquam legem ab Imperatoribus latam esse, vt tumultuantes Donatistæ occiderentur. Quod autem meminit Anastasii Papæ in cathedra Petri sedentis, ex his colligas eosdem commentarios elaboratos esse ante eius legis promulgationem, sed tamen hoc ipso anno post Anastasii electionem.

a Con. Carth. V. c. vlt.
b Ibid. c. 3.
c Can. 6.
d Can. 9.
DE PRIMORDIIS ECCLESIÆ.

VI.
CELEBRA DONATIST. IN CATHOL.

Vt vero Donatistæ huiusmodi lege coercendi essent, cum hactenus nonnisi decem librarum auri pœna (vt idem Augustinus testatur) in ipsorum facinorosissimos statuta fuisset, effecere immanissimæ grassationes Circumcellionum, aliorumque eiusmodi furentium Donatistarum, in Catholicorum Episcopos & clericos, necnon in laicos, eorumdemque domos & ecclesias, quarum aliquas idem auctor variis locis *c* recensет: sunt que etiam de iis eiusdem epistolæ *d* ad Donatum Proconsulem Africæ, & Marcellinum itidem in Africa magistratum agentem, quibus eos rogat, nonnullis Circumcellionibus homicidis in vinculis detentis, iamque vltimo supplicio plectendis ignosci, sperans eiusmodi Christiana mansuetudine eos ad meliorem frugem perducere. Quin etiam quandiu spes aliqua fuit, hoc genus hominum rationibus posse conuinci, indefessam nauauit operam cum verbis & scriptis, tum rebus & factis, vt eos ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem perduceret. Sed cum e contra (prout Possidius in eius Vita narrat) illi his eius officiis irati, furiosa aduersus eum loquerentur, atque vt seductorem deceptoremque animarum & priuatim & publice condemnarent, adeoque vt lupum occidendum esse dicerent & tractarent, ac vias armati, cum ille ad visitandas plebes Catholicas iret, aduersus eum obsiderent: his, inquam, aliisque postmodum exemplis edoctus, eos beneficiis deteriores euadere, & ipse recãtans palinodiam, præclaram ad Vincentium dedit epistolam, *e* qua differuit per Magistratus cogi debere hæreticos, & illorum pertinaciam sæculari potentia retundi: atque insuper eiusdem argumenti duos se scripsisse libros, quorum esset titulus *Contra partem Donati*, ipse alibi testatur. *f*

a Aug. ep. 50. ad Don. Com. ep. 68. ad Ian. Dem. li. 3. con. Cresc. c. 48. Id. ep. 127. 159.

HÆRETICI COGENDI A MAGIST.

Id. ep. 48.

Id. 1. Retr. 5.

CONC. CARTHAG. III. DE ANNO V.

Vbi vide quæ dixi ad an. XV.

Hoc eodem anno, nimirum post Consulatum Cæsarii & Atici, (vt ex scripto addimus codice) sexto Calendas Iunii, habita est *Carthagine* SYNODVS septuaginta trium Episcoporum, quæ *Quinta* dicta reperitur, dicenda autem, secundum illa quæ de his dicta sunt anno superiori, *g* Tertia vero quæ *Quarta* numeratur, & est, celebrata fuit (vt videbitur) hoc eodem anno mense Nouembri. Mendosus autẽ numerus huic priori inhæsit notę Æræ trigesimę octauæ, sicut & in aliis plerisque locis: nam & nosci tur habita anno ante edictum Imperatoris de reliquiis idololatriæ tollendis in Africa, quod ab Imperatoribus petendum, eadem Synodo Patres *a* decreuerunt, constatque editum esse anno sequenti. In ipsa præterea Synodo, inter alia ad Ecclesiasticam spectantia disciplinam, inculcatum est de *b* diaconorum presbyterorum, & Episcoporum continentia, dequecam ſpectantia disciplinam, inculcatum est de *b* diaconorum presbyterorum, & Episcoporum continentia, dequecrum presbyterorum, & Episcoporum continentia, dequebaptizandis infantib. Sed & decreta *d* est Legatio ad Imppp. pro petendis afflictatis pauperibus aduersus potentias diuitum *Defensoribus*, proque delendis (vt diximus) reliquis idololatriæ. Quæ quidem Patres obtinuisse videntur. Nam de Magistratu in Africa, qui dicebatur *Defensor Ecclesiæ*, Possidius *e* in Augustino meminit: & perseueraſſe in posterum eiusmodi in Ecclesia magistratum, S. Gregorius Papa plurib. epistolis fidem facit. Aduersus autem idololatriæ reliquias, rescripsisse Honorium anno sequenti, dicetur ibi.

a Con. Carth. V. c. vlt.
b Ibid. c. 3.
c Can. 6.
d Can. 9.
DE PRIMORDIIS ECCLESIÆ.
e Pos. Vit. S. Aug. c. 12.

VIII.

Eodem hoc anno *Bellum Gildonianum* confectum esse, auctor est Marcellinus in Chronico: & non antea, satis ex Claudiano *f* intelligitur, dum tradit statim post nuptias Honorii, de Gildone tyranno in Africa superato fuisse gaudia geminata. Hoc namque anno idem Honorius Aug. inchoaturus annum ætatis decimum quartum, mense Septembris, *Mariam* coniugem duxit, filiam Stilichonis Ducis ex Serena fratris Theodosii filia: eaque contractas nuptias mandato ipsius Theodosii, idem Claudianus *g* affirmat.

f Claud. de laud. Stil. li. 1. NVPTIÆ HONORII IMP.
g Id. in epithal. de nupt. Hon.

IX
DE BELLO GILDONIANO.

Sed quod ad bellum attinet Gildonianum, præstat hic ipsius Gildonis originem ex Ammiano *h* præfari: qui ait, Nubelem potentissimum inter nationes Mauricas Regulum, plures genuisse filios, inter quos enituere Firmus, Gildo, & Mascezil, ex Mascizel. Horum *Firmus*, occiso alio quodam fratre suo nomine Zamma, Romanis Magistratibus accepto, tyrannus in Africa in Romanum Imperium insurrexit: aduersus quem Theodosius Senior, Theodosii Imperatoris pater, Magister equitum bello egit, cui & Gildo aduersus germanum inhæsit. Sed extincto Firmo, in Imperatorem euectus Theodosius, Gildonem creauit Comitem, *i* & in Africa consistentis Magistrum vtriusque militiæ. Verum auctor est Claudianus, *k* eum tempore belli Eugeniani palam defciuisse ab Imperio Romano, cum vocatus ab eodem Theodosio cum auxiliaribus copiis, venire renuit, quem tamen longo etiam antea tempore tyrannidem atripuisse, sed pacem aliquam interceſſiſſe, asserere cogi videmur, quod idem Claudianus, *l* duodecim illum annis Africam infestasse tradit. Scribit autem Zosimus, *m* solicitarum quoque ab Eutropio Cubiculi Arcadii Præfecto Gildonem, vt Africam in ditionem transferret Arcadii. Sed quod addit, id ab eo præstitum esse, haud probatur. Id quidem ipsum molitum esse, quadam permotum inuidia, Orosius *n* eiusdem temporis scriptor ex quorundam sententia refert. Vt vt sit, hoc certum habetur, sicut tyrannide Firmi abusi fuerant Donatistæ ad persequendos Catholicos, ita & sub Gildone Ecclesiam Africanam ab *Optato* quodam eorumdem Donatistarum Episcopo, fæuissimo inhærente eidem Gildoni satellite, per decennium admodum afflictatam esse, id testante plurib. locis, ac deplorante S. Augustino. *o*

h Am. li. 29.
i Constat ex inscr. l. 9. C. Th. ad l. Iul. de adult.
k Claud. in sext. Cons. Honor.
l Id. de bel. Gild.
m Zos. lib. 5.
n Oros. li. 7. c. 36.
o Aug. cont. lit. Pet. li. 1. c. 24. & li. 2. c. 23. & 83. & cont. ep. Parm. lib. 2. c. 2.

X.

Cæterum qui hactenus toleratus fuerat Gildo, (homo licet Ethnicismo *p* deditissimus, quique militibus suis *q* ad impuras exercendas libidines, tapinas, & crudelitates abuteretur,) haud vltertius perferendus visus est, cum impediret *r* cæpit ne frumentum ex more de Africa deferretur in Vrbem annona laborantem. Itaque decretum est ex Senatusconsulto bellum aduersus eum: placuitque præfici legionibus *Mascezilem* ipsius germanum, sed hostem eidem infensissimum, ob necatos ab eo crudeliter filios, quos Mascezil Italiam petens apud Africanam militiam reliquerat. Rem gestam narrat idem qui supra Orosius: additque Mascezilem iam inde à Theodosio scientem, quantum in rebus desperatissimis oratio hominis per fidem Christi à clementia Dei impetraret, Capratiam insulam adisse, indeque sanctos aliquot monachos secum in Africam duxisse, (siquidem hanc, aliasque Tyrrheni, necnon Etrusci maris Insulas, ipsosque reconditos curuorũ littorum sinus, iam hoc tempore choris sanctorum monachorum fuisse refertos,

p Marcel. in Chron.
q Claud. de bel. Gild.
r Id. ibid. & Syn. 4. ep. 4. ad Stilic.

testes

testes sunt etiam SS. Hieronymus *a* & Augustinus, *b* nec non in suo Itinerario Rutilius *c* Numatianus poeta Ethnicus, licet eos impie & ignare carpens:) & vna cum illis, orationibus, ieiuniis psalmis dies ac noctes continuantem, sine bello victoriam meruisse, ac sine cæde vindictam: dum scilicet ipse cum millibus quinque militum, contra septuaginta millia hostium castrametatus, in locum munitiorem transgredi volens, nocturna visione roboratus S. Ambrosii nuper defuncti Episcopi Mediolanensis, iubentis vt eodem loco consisteret atque pugnaret, tertio demum die, post noctem orationibus hymnisque peruigilem, ab ipsis cælestium sacramentorum mysteriis in hostem circumfusum processit, & cum ad eos qui primi occurrerant pia pacis verba iactaret, signiferum quemdam insolenter obsistentem, & iam iamque pugnam excitantem, gladio percussit in brachio, eumque manu debilem ipso vulnere coegit pronum inclinare vexillum. Quo viso reliquæ cohortes, deditionem iam fieri priorum existimantes, certatim sese ad Masezilem signis tradidere conuersis. Barbari autem, quorum magnam multitudinem Gildo ad bellum deduxerat, defectu militum destituti in diuersa fugerunt. Sed & ipse Gildo fugam molitus, arrepta naui, vt in altum prouectus, ac deinde reuocatus in Africam est, post aliquot dies strangulatus interiit. Hæc Orosius: eademque ferme in Historia *d* Miscella Pauli Diaconi. Claudianus *e* quoque, licet Ethnicus, ad confecti belli celeritatem obstupescens, eamdem victoriam Deo tribuit, sed Gildonem in Sicilia obtrũcatum tradit: *f* Zosimus *g* autem, eumdem, ne veniret in manus hostium, sibi iniecto laqueo, spontaneo exitu finem viuendi fecisse. Cæterum eo extincto, bona ipsius, quæ quidem erant amplissima, Fisco sunt adiudicata, superque eis nouus institutus Magistratus, dictus *Comes Gildoniaci patrimonii*, cuius est mentio in Notitia prouinciarum: de iisdem vero bonis extant plura rescripta in Codice *h* Theodosiano. Et quod mirum est, viguit ad decem saltem annos persecutio vindictæ aduersus eos qui Gildonem cõsectati fuerant: vt apparet ex rescripto *i* Imperatorum dato sub Consulatu Philippi & Bassi, qui incidit in annum Domini quadringentesimum octauum.

a *Hier. ep.* 30. *ad Ocean.*
b *Aug. ep.* 81. *ad Eudox.*
c *Rutil. Itin. lib.* 1.
MASCEZILIS PIETAS, ET INSIGNIS VICTORIA.
d *Misc. li.* 13.
e *Claud. de bel. Gild.*
f *Id. li.* 1. *praef.*
g *Zos. lib.* 5.
h *l.* 7. *& 9. de metat. l.* 16. 19. *de bon. proscr. l.* 19. *C. Th. de pœn.*

XI. EIVSDEM IN TERITVS OB VIOLATAM ECCLESIAM.

Quod vero ad *Masezilem* victorem spectat, tradit Orosius ipsum rerum secundarum elatum insolentia, posthabito sanctorum consortio, cum quibus antea Deo militans vicerat, etiam Ecclesiam temerare ausum esse, nonnullos ab ea ad pœnam extrahendo: verum sequente pœna sacrilegium, iisdem superstitibus, atque insultantibus, quos protraxerat, post aliquantum tempus, solum ipsum punitum esse atque occisum: sicque probasse in se vno, ad vtrumque semper diuinum vigilare numen, quando & cum sperauit, adiutus: & cum contempsit, occisus est. Ita Orosius, Zosimus autem ait, Stiliconis inuidia iussum Masezilem à militibus per pontem in flumen præcipitari.

XII. VXOR, SOROR, ET FILIA GILDONIS RELIGIOSISSIMÆ.

Porro Gildoni, licet Ethnico, fuisse vxorem sanctissimam feminam, necnon sororem quæ perpetuam virginitatem Deo dicauerat, testis est Hieronymus in epistola *k* ad *Salutinam* eiusdem Gildonis filiam, qua ipsam ad viduitatem seruandam hortatus est: quippe quæ nupta ante patris obitum Nebridio nobilissimo atq; religiosissimo adolescenti, genito ex sorore Augustæ, Arcadiique & Honorii Impp. consobrino, (vt hæc omnia idem S. Hieronymus *l* scribit) post eiusdem Nebridii immaturum obitum, adolescentior vidua relicta est cum duobus paruulis ex eo susceptis, cuius in Ecclesia Constantinopolitana magna pietate in officio diaconissæ deseruientis, mentio habetur apud Palladium in Dialogo de Vita S. Ioannis Chrysostomi.

k *Hier. ep.* 9.
l *Ibid. & ep.* 11. *ad Ager.*

XIII.

Hoc eodem anno Honorius Imp. interceptam, nescio quo casu, iudicandi inter laicos Episcoporum auctoritatem, cum partes ex consensu apud eos litigare eligerent; lege lata *m* restituit. Quæ quidem nihil ipse iuris tribuit Episcopis: sed illud Apostolica auctoritate stabilitum, & à Constantino Magno confirmatum (sicut demonstratum est *n* superius) voluit esse liberum.

m *l.* 7. *C. de Epis. and.*
n *An.* 57. *num.* X. XI. *& an.* 319. XX.

XIV. CONC. CARTHAGINIENSIS 3.

Iisdem quoque huius anni Coss. sexto Idus Nouembris; celebrata est in Africa SYNODVS CARTHAGINIENSIS 3. nomine & tempore *Quartâ*. Sublato enim Gildone tyranno qui Africam perturbabat, data est facultas copiosiori numero Episcoporum, nempe ducentorum & quatuordecim, in vnum conueniendi, vt de restituenda in integrum Ecclesiastica disciplina diligentius ageretur; quod & ipsi egregie præstiterunt, centum & quatuor sanctis regulis de iis quæ tam Episcopis, quam aliis inferioris ordinis clericis obseruanda essent: quarum exempla non solum reliquæ Occidentales Ecclesiæ, sed etiam Orientis Episcopi mutuati esse noscuntur. Extitit enim huiusmodi Carthaginiense Concilium veluti Ecclesiasticæ promptuarium disciplinæ, non quidem recens inuentæ, sed ab antiquioribus vsu receptæ, atque ad pristinam consuetudinem reuocatæ, nisi in quibus noua emergente causa, nouæ sanciendæ legis necessitas incubuit: Vt quod in principio, vbi de Episcoporum ordinatione agitur, ob emergentes nouas Origenistarum hæreses, in Fidei professione, quam publice emittere solerent Episcopi ordinandi, additæ sunt assertiones sententiarum fidei Catholicæ, quas iidem hæretici impugnarent.

THAG. IV. ADMODVM COPIOSVM.

Placuit *a* item Apostolicam institutionem de opere manuum clericorum, quo sibi victum & vestitum quærerent, in obseruationem reuocare. Cuius rei sanciendæ occasionem præbuerunt, emergentes quidam ex schola Euchitarum & Massalianorum hæreticorum, qui omnino negarent monachis & clericis esse manibus operandum, vnde & contentiones orirentur inter ipsos laicos, quibus Ecclesia turbaretur, aliis hoc, aliis illud defendẽtibus. Quamobrem & ea occasione, vt *De Opere monachorum* librum conscriberet, compulsum se fuisse Augustinus *b* testatur. Sed & quod iidem prolixa ac muliebri incederent coma, ideo ille à Synodo canon *d* editus esse videtur, vt clerici hac comam nutrirent, nec barbam. Licet enim nonnisi de coma Augustinus aduersus eos scribens agat, Synodus tamen, cui & ipse Augustinus interfuit, addidit quoque de barba minime nutrienda: quamuis nõnulla exemplaria habeant additamẽtũ illud, *Sed radant, vel tondeant*: tamen non nutriendam esse, communi codicibus omnibus lectioni concordat. Vt ex his satis conuinci possit, ipsum Augustinum & alios Episcopos, nec non Africanæ Ecclesiæ clericos, minime gestare consuetisse promissam barbam, sed si non ratione saltem præcisam & ex parte aliqua decurtatam, quo omnis saltem præcisam & ex parte aliqua decurtatam, quo omnis suspicio impẽti in ea nutrienda laboris omnino cessaret. Sed dicet aliquis: Cur in Synodo de clericis, & non de monachis mentio habetur? quod scilicet in Ecclesia Africana monachismus iam ascitus in Clerum, simulque cõiunctus esset, & in eadem Ecclesia clericorum nomine etiam monachi continerentur, vtpote Dei seruitio arctioribus vinculis mãcipati: cum alioqui vel clerici monachorũ amplecterẽtur institutum, vel ex monachis plurimi cooptarẽtur in clerũ, de quib. est huius ipsius anni rescriptum *e* Imperatorũ, Si quos Episcopi deesse sibi clericos arbitrarentur, ex monachorum numero rectius eos ordinandos fore. Indeque S. Augustinus suos clericos interdum monachos appellat.

XV. OPVS MANVALE PRÆSCRIPTVM CLERICIS.
a *Conc. Carth IV. can.* 51. 52. 53.
b *Aug.* 2. *Retract.* 2. *& de oper. monach.*
c *Epi har.* 80.
d *Eod Con* 44.
DE TONSVRA CAPILLORVM ET BARBA.
De quibus vide sup. an. 58 *num.* LIII. *&* LVIII.

Rursum quod ad eiusdem decreta Concilii pertinet, & illud notandum est, quod Patres statuerunt, *f Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam catechumenorum.* Ex quibus plane intelligas, S. Augustinum inter cõcionandum ad populum, pro audientium diuersa conditione aptare consueuisse sermonem; nimirum interdum hæreticos Arianos, Manichæos, vel Donatistas vrgere, interdum vero Gentiles, & sæpè Iudæos. Sed de ea Synodo hactenus. Iam ad res Ecclesiasticas Orientis hoc anno gestas transeamus.

MONACHI IN AFRICA ASCITI IN CLERVM.
e *l.* 32. *C. Th. de Epis. & cler.*

XVI.
f *Eod. Con. c.* 84.

Cum defuncto Nectario Episcopo Constantinopolitano, post de successore deligendo controuersias, tandem *Ioannem* presbyterum Antiochenum cognomento *Chrysostomum* suffragia conspirassent, vt dictum est anno superiori: quod sciretur eum haud facile inuito populo fore Antiochia abducendum, scripsit Arcadius Imp. ad eius ciuitatis Præfectum, vt absque strepitu ipsum mitteret Constantinopolim: Præfectus vero eumdem deductum extra portam, quasi ad visitanda Martyria, impositum rhedæ

XVII. IOAN. CHRYSOSTOMVS ARCHIEPISCOPVS ANTIOCHIA CONSTANTINOPOLIM.

publicę, Magistro militum tradidit ad Imperatorem deducendum. Hæc quidem ita esse gesta, tradit Palladius in Dialogo de Vita eiusdem Ioannis. Addunt vero alii, *a* innotuisse tunc etiam ex literis Imperatoris ad Flavianum Antiochenum Episcopum datis, electionem Chrysostomi populo Antiocheno, populumque restitutum ne abduceretur, sed à Præfecto ea qua diximus arte delusum esse. Simulac igitur Ioannes Constantinopolim peruenit, ordinatus est eius ciuitatis Episcopus: quod hoc anno die vigesima sexta Februarii contigisse, Socrates, *b* Sozomenus, *c* & Marcellinus affirmant.

a Leo Aug. & Matth. in Vit. Chrys.

b Soc. li. 6. c. 2.
c Soz. li. 8. c. 2.
d Marc. in Chron.

In sublimem porro thronum euectus, primum omnium curauit vt Catholicæ fidei in omnibus prospectum esset: auctorque extitisse putatur, vt seuerissima lex *e* aduersus Eunomianos detestabiliores cæteris hæreticis, & Montanistas, post dies sex à sua ordinatione sanciretur, nimirum quarto Nonas Martii, qua non solum ipsorum conuentus omnino prohibiti, sed & eorumdem clerici vrbibus pelli, ac codices igni comburi iussi sunt, & quod numquam hactenus aduersus vllos hæreticos decretum fuerat, eorumdem receptoribus, & librorum occultatoribus, capitale supplicium est irrogatum. Post hæc vero (vt tradit Sozomenus *f*) ad pacem in Ecclesia Antiochena conciliandam idē adiiciens animum, egit cum Theophilo Alexandrino, vt Legatio Romam mitteretur, quo Flavianus Antiochenus in gratiam Romani Pontificis reduci posset: ad quod negotium electi Acacius Episcopus Berœensis, & Isidorus ille, cuius nomine Theophilus ordinationi Ioannis obstiterat, legatione pro votis functi sunt. Hæc quidem Sozomenus. Sed Theodoretus *g* longe ante hæc tempora legationem Acacii, & Romani Pontificis ac Flauiani concordiam contigisse significat. Quicquid sit, illud exploratum est, vsque ad Innocentii Papæ tempora Ecclesiam Antiochenam perfectam pacem non obtinuisse.

XVIII.
e l. 34. C. Th. de hær.
LEX ADVERSVS HÆRETICOS.

f Soz. cap. 3.

g Theod. li. 5. c. 23.

Ipso quoque primo suo ingressu Ioannes, cum inuenisset clericos Constantinopolitanos, aliosque viros, pietatis quodam intuitu sacras virgines secum in domibus suis retinere, quas vocabant *Sorores adoptiuas*, multus fuit in iis corrigendis, vt tam ex Palladio *h* constat, quam ex duobus libellis *i* eo argumento ab ipso Ioanne conscriptis. Quem prauum eiusmodi virginum vsum (quæ à charitate, ἀγάπη nomen trahentes, quasi spirituali amore coniunctæ, dicebantur *Agapetæ* ab illis penes quos *k* habitabant) grauiter itidem redarguit S. Hieronymus. *l* Post hæc vero Ioannem, victum quoque luxuriosum clericorum castigasse: sed & superfluos Ecclesiæ, ipsiusque Episcopi Constantinopolitani sumptus resecasse, & ad infirmorum solatia transtulisse, viduas insuper luxuriantes in vitæ integritatem restituisse, potentium fastum infectatum esse, omnesque omnis generis ac conditionis laicos variis admonitionibus erexisse, atque his gestis odium ferme omnium in se concitasse, narrat Palladius. Addit que Socrates, *m* plurimos ex clero iam ab ipso Episcopatus eius initio cum tamquam nimis iracundum vitare cœpisse, & cum multos variis ex causis ab Ecclesia eiecisset, eosdem contra illum conspirare, & ad populum falso criminari non destitisse.

XIX.
AGAPETARVM VSVS PRAVVS VSVE SVBLATVS A CHRYSOST.
h Pal. dial. de Vit. Chrys.
i Ext. tom. 5. oper. Chrys.
k [Hi quoque vicissim illis *agapitæ* appellabantur: Nouella const. 6 Iustiniani, qui & eos prohibuit.]
l Hier. ep. 2. ad Eustoch.
CORRIGIT MORES CLERI.
m Soz. li. 6. c. 4.

His vero cum inter alios potentes, quorum fastum & profusas expensas reprehenderet, ipsum quoque Eutropium Imperatorii Cubiculi Præfectum, qui principem inter aulicos vindicarat sibi locum, perinfensum sibi reddidisset: non tamen destitit eumdem arguere & de aliis ipsius prauis facinoribus, atque inter alia quod *n* in Ecclesiam debaccharetur. Siquidem ipse intemeratum hactenus sacrum Ecclesiæ asylum violans, non solum ad eam confugientes violenter abstraxit, sed & malus auctor extitit *o* Arcadio Imp. vt occasione Pentadiæ claritissimæ feminæ, (cōiugis Timasii Consulis, quem idem Eutropius ob coniurationem cum Ruffino in Oasim relegauerat) quæ ad ecclesiam confugisset, constitutionem *p* ederet his ipsis Coss. sexto Cal. Aug. qua iuberentur confugientes ad ecclesiam extrahi. Sed accidit magno diuinæ prouidētiæ iudicio, vt qui eius sanciendæ auctor extitit Eutropius, idem anno sequenti (vt dicetur) ad ecclesiam cōfugere necessitate compulsus, in se primum sæuientē experiri legem suam coactus fuerit: quam & ipsam eodem tempore abrogatam videbimus.

XX.
n Soc. li. 6. c. 5. Soz. li. 8. c. 7. & alii in Vit. Chrys.
o Chrys. in Eutrop.
LEX ARCADII ADVERS. IMMVNIT. ECCLESIAST.
p l. 3. C. Th. de his qui ad eccl. conf.

Rursum vero eodem die, quo aduersus Ecclesiæ immunitatem Arcadius rescripsit, aliud quoque promulgauit edictum, *a* ad coercendam insolentiam clericorum & monachorum, qui quasi vi publica ab apparitoribus raperent reos cum ad supplicium ducerentur. Quam quidem licentiam ex Episcopis constat in clericos atque monachos, quorum ad hoc illi opera vterentur, fluxisse, occasione edicti *b* Constantini Magni, concedentis iniquas sententias Præsidum ab Episcopis posse rescindi. Cæterum sanctos Episcopos haud nouimus abusos esse huiusmodi impertita sibi auctoritate, sed precibus scimus egisse pro reis sub Præsidum gladio periclitantibus. Hoc autem tempore Constantinopoli magnam Eutropii, cuius nutu omnia gerebantur, vna cum iniquitate crudelitatem, qua etiam manifeste innocentes ad supplicium duci iuberet, id à clericis atq; monachis, tamquam vindicibus læsæ veritatis atque iustitiæ, extorsisse par est credere. Eiusmodi enim casibus, cum quid à Præsidibus tyrannice ageretur, sacerdotes infracto vigore eisdem restitisse, gesta S. Nicolai Myrensis Episcopi in Eustathium Proconsulem Asiæ, S. Athanasii in Præfectum Libyæ, S. Ambrosii aduersus Theodosium Imperatorem, S. Basilii aduersus Modestum Præsidem, S. Chrysostomi in Eudoxiam Augustam, S. Augustini in Bonifacium Africæ Comitem, Synesii Episcopi in Libyæ Præsides, & aliorum plurium Sanctorum testantur, de quibus etiam his Annalibus agitur. Quam autem in his efficaces esse solerent apud Præsides preces Episcoporum, ex Augustino discimus, qui ad Marcellinum in Africa magistratum agentem scribens, *c* magna fisus sacerdotii auctoritate: *Quoniam*, inquit, *Christiano loquor, maxime in tali causa, non arroganter dixerim. Audire te Episcopum conuenit iubentem, Domine eximie, & merito insignis, atque carissime fili.* Quod si hæc pro reis damnatisque Circumcellionibus Augustinus præstitit, quæ putas eum egisse pro insontibus apud Præsides?

XXI.
a l. 16. C. Th. de pœn. l. 7. C. Iust. de Epis. audient.

b Vid. sup. an. 314. nu. VIII. & 319. XI.

EPISCOPI VINDICES PRÆSIDVM INIVSTITIÆ.

c Aug. ep. 153.

Accidit porro, vt quo magis res Eutropii vndiquaque florentissimæ maioribus progressibus surgerent, adeo vt ipse videretur in omnibus imperare Imperatori, eo amplius inuidiæ id stimulos acuerit, cum aulicorum omnium, indigne ferentium eunuchum cæteris anteferri, tum præcipue Gainæ Gothi Ducis exercitus, cuius opera Ruffinus extinctus, Arcadius in Imperio stabilitus fuisset. Itaque vt eum de medio tollere posset, egit imprimis cum Tribigildo Gothorum duce, sanguine sibi coniuncto, vt Asiæ regiones infestaret: aduersus quem & ipse profectus, turpi collusione non solum pugnare detrectauit, sed & cum sibi visum est opportunum, detegi & ipse voluit perduellis Imperii. Cuius quidem, simul & Tribigildi clades hoc anno illatas in Asiam, Sozomenus, *d* Socrates, *e* ac Zosimus *f* pluribus prosecuti sunt. Ex quibus intelliges, quam opportune periclitanti Constantinopolitanæ ciuitati vna cum vniuerso Orientali Imperio, consuluerit Deus præficiendo illi Ecclesiæ hoc anno S. Ioannem Chrysostomum, qui melius quam Simon *g* Oniæ filius deorsum iam labentem suffulsit domum, & ruinam minans corroborauit templum, prout videbitur ex sequentibus.

GAINA EVANNIS.

XXII.

d Soc. li. 6. c. 6.
e Soc. li. 6. c. 6.
f Zos. lib. 5.

g Eccl. 50.

IESV CHRISTI AN. 399.

ANASTASII AN. 2.

ARCADII HONORII } AN. 5.

ANnus Christi trecētesimus nonagesimus nonus Coss. habuit Manlium Theodorū & Flauium Eutropium. Quorum *Theodorus* in Occidente creatus, idemq; ex Manlia prisca gente ortus, & Christianus erat, & mente atque virtutibus præstantissimus, adeoque eruditus, vt eloquentia inter omnes eius ætatis celebres oratores eniteret facile prin-

I. LAVDES MANLII THEODORI CONS.

princeps; vt tum ex S. Augustin. *a* apparet, qui ad eum, apud Mediolanum turi dum ageret, libtum scripsit *de Vita Beata*; tum ex Claudiano in Panegyrico de ipsius Consulatu; vbi etiam quasdam recenset eiusdem exculissimas lucubrationes, quas dolemus esse deperditas. Qui autem in Oriente ab Arcadio Consul creatus est *Eutropius*; quod eunuchus esset, seruilisque generis, & perditis moribus, minime dignus habitus est vt Latinis Consulatibus Fastis adscriberetur. Videasq; in antiquis marmoribus incisis inscriptionibus, hunc annum nonnisi Theodori Consulatu signari; sicut & Imperatorum rescripta, atq; alia vetera monumenta. Sed in re penes Orientales, Consulatus eius memoria reliqua fuit; quod eo paulo post damnato, ipsius quoq; è Fastis expunctum fuerit nomen; vt Claudianus *b* & Socrates *c* affirmant: declaratque ipsa eiusdem damnatio, de qua inferius.

Ipsum autem primum omnium ex eunuchis ad dignitatem Consularem euectum fuisse, notarunt etiam Socrat. & Sozomenus *d*: idq; pro monstro habitum fuisse, Claudianus ait. Ante Consulatum autem, cum & pro arbitrio habenas moderaretur Imperii, adeo eminebat ille summæ potentiæ splendore coruscus, vt etiam (quod ait Suidas *e*) aureæ statuæ ei passim collocarentur, & ædificia extruerentur splendidissima tota vrbe: immo & genus eunuchorum propter illius auctoritatem adeo creuerit, vt nonnulli iam barbati, cum eunuchi fieri vellent, & se Eutropios fore sperarent, vita priuati sint vna cum testibus, etiam Eutropio amisso. Potentiæ vero addita sæuitia, totum plane Orientale pessumdedit Imperium. Tolerauit tamen omnia ista Deus, quousque profanus sacra non tetigit: cum vero & ad altare miseros confugientes crudelitas & impietas eius inuasit, protinus diuinam in se vindictam sensit armatam. Etenim (quod Zosimus, & alii testantur) etsi antehac Gainas dux exercitus in Arcadium Imp. parum æquo esset animo, quam ob causam tot tumultus per Trigibildem excitasset: idem tamen, cum audiuit Eutropium sibi infensissimum ad Consulatum vsque prouectum esse, maiori exæstuans ira, furore barbarico debacchatus est in Asiam: eoque tandem desperationis res Imperii Orientalis adegit, vt Arcadium coegerit quas ipse vellet pacis conditiones subire. Earum porro præcipuam fuisse Zosimus docet, vt malorum omnium auctor Eutropius sibi dederetur, in quem ipse statueret quicquid vellet. Quibus auditis Arcadius, & accedunt Eutropium, & abrogata dignitate dimisit: Eutropius autem cursu ad Christianorum ecclesiam perrexit. Hæc ille: ex quibus vides, magno DEI iudicio opus habuisse confugere ad ecclesiam, qui haud pridem ius Ecclesiæ superba licentia violauerat.

Postquam *f* autem Arcadius cognouit eum ad asylum Ecclesiæ se recepisse, deposcentes illum ad necem ingenti fremitu milites, oratione habita ab inuasione loci sacri dimouit; quem antiquis priuilegiis omnino gaudere voluit, abrogata lege illa quam anno superiori in eius contumeliam intulerat. Sed cum nihilominus populus infesto agmine per plures dies in eundem Eutropium insilire non desisteret: tandem Ioannes Chrysostomus illius ciuitatis Episcopus suggestum conscendens, insignem illam habuit concionem, qua, mira dicendi arte in eo primum versatus est, vt in Eutropium acriter inuectus, eum omnium hominum miserrimum ostentaret, quo populum ad eius commiserationem inflectens, cogeret etiam pro eius vita rogare Imperatorem: quod & accidit. Socrates autem, siue alii qui animi Chrysostomi consilium, eiusque verba minime perpenderunt: sane imprudenter arrogantiæ sancto Episcopo notam inurere tentarunt, & quasi superbe nimis in miserum humi prostratum, & altaris prensantem basim, Eutropium insultarit. Porro hoc plane admiratione dignum ille prudentia sua effecit, vt Ecclesiæ immunitate integra illibataque conseruata, obtinuerit etiam vt Eutropii capiti parceretur, in quod iam post Gainam & rebellem exercitum, Imperator primum, mox eius milites, inde populus ardentissimis studiis conclamassent; nec siuit eum ab ecclesia abstrahi, nisi iuramento à Magistratibus exhibito de vita ei secura conseruanda.

Extat *a* vero eiusdem damnationis sententia ab Arcadio lata, publicisq; locis affixa, qua & Consulatu, & omnibus aliis dignitatibus bonisque spoliatus est; eiusque vniuersa acta rescissa, ac nomen è Fastis expunctum: omnes quoque eiusdem statuæ tam priuatis quam publicis locis vbiq; aboleri iussæ, ac denique ipse in Cyprum insulam relegatus.

Quod vero pertinet ad eius exitum: narrat Zosimus, vrgente Gaina, & ad cædem eius Arcadium impellente, qui Principis negotia tractabant, iusiurandum Eutropio præstitum cum abstraheretur ex ecclesia, per cauillationem eludentes, eum è Cypro reuocasse: & quasi iurassent non se morte mulctaturos ipsum quamdiu Constantinopoli foret, Chalcedonem missum interfecisse, quem & securi percussum esse, Socrates quoque & Sozomenus tradunt. Sed quod eadem oratione Chrysostomus testetur, milites in eum concitatos fuisse ob offensam Imperatoris, nihilq; de Gainæ petitione meminerit: eius rei hanc causam reddit Nicephorus *b*, quod Eutropius præter alia conuicia in Eudoxiam Augustam illata, ei minatus esset breui fore vt ex Imperiali aula abductam ipse domum remitteret. Nec etiam tacendum (quod licet alii dicere prætermiserint, grauissimus eiusdem auctor sæculi S. Prosper *c* asserit) fuisse Eutropium animam & mente Paganum. Vnde amplius habes, quo efferas Christi præconia, dum Christianorum & Ecclesiæ hostem, vt necem effugeret, ad Christi altare profugum, compulit confiteri Christi potentiam, & Ecclesiæ clementiam, quæ infestatorem suum obiecto scuto protegeret. Denique est animaduersione dignum, extare aliam eiusdem Chrysostomi homiliam in Psalmum quadragesimum quartum, cui præfixa est inscriptio, qua significetur, eam habitam cum Eutropius extra ecclesiam deprehensus est. Verum aliunde omnino potius quam Eutropii casum ibi apparet descriptum esse; cum videlicet is de quo agitur, subducens se ab ecclesia ad quam confugerat, captus est; atque in ipsum etiam Imperatorem commotæ inde turbæ à populo, & Chrysostomus multis iam annis ei sedi præerat: quæ omnia vides quam huic tempori & occasioni parum conueniant.

Ex miserando porro Eutropii casu, satis opportunum eidem Chrysostomo suppeditatum est argumentum, concionibus infectandi cum alias mundi illecebras, tum potissimum turpia populo exhiberi solita Spectacula: effecitque vt spectaculum obscœnum, *Maiuma* dictum, penitus aboleretur, quo detestandæ *d* adulteriorum fabulæ in Orchestra peragerentur, & obscœnissima à scortis verba proferentur. Quæ quidem spectacula olim sublata, deinde ante triennium ab Arcadio Imp. sic fuerant restituta *e*, vt quæ turpia essent & inhonesta cessarent. Sed vt facilius est à voluptate penitus abstinere, quam ea concessa intra honesti limites contineri: eædem iterum erumpentes obscœnitates, fuere rursum omnino vetandæ: quod hoc anno cõtigit, edito ea de re ab eodem Imp. rescripto *f*, impulsore haud dubium Chrysostomo. Quam autem fœda ea spectacula essent, inde licet capere argumentum, quod Iulianus Apostata in Misopogone Antiochenis (apud quos ea maxime vigebant) probro obiicit, quod in Maiumæ festis pecuniam effunderent, & à sacrificiorum impensis se penitus continerent. Sed quod pertinet ad *Maiuma* nomen, reiecta Suidæ & aliorum sententia, qua dicunt, fuisse festum agitari solitum Romæ ad Ostia Tiberina mense Maii, vt & inde Maiumæ appellationem fuerit consecutum; (nulla quippe eius nominis festa, antiqua Gentilium continent Calendaria; nempe festorum eius mensis solemnium Romanis vllum erat, in quo aliquid, quod prohiberi Imperator, actitaretur fœdum & indecorum:) opinamur esse dictum à ciuitate Palæstinæ maritima, Maiuma nomine, vbi erat nauale Gazæ. Constat enim eo in loco coli consueuisse Venerem, eiusque simulacrum impudicum adhuc integrum extitisse hoc tempore, sed paulo post deiectum; vt auctor est Marcus diacorus in Rebus gestis *g* Sancti Porphyrii Gazensis Episcopi.

Dum autem hæc in Oriente gererentur; quæ ex Origenis Periarchon translatione à Rufino perperam facta;

a *Aug. de ordin. l. 1. c. 21.*

EVTROPII EVNVCHI CONSVLATVS PROBROSVS.

b *Claud. in Eutrop. li. 2.* c *Socr. l. 6. c. 5.*

II.

d *Soz. l. 8. c. 7.*

e *Suid. verb.* Μαϊουμᾶ.

SVMMA EIVS POTENTIA.

PERITVR A GAINA AD NECEM.

III.

f *Chryſ. orat. in Eutrop.*

AGIT PRO EO CHRYS.

a *l. 17. C. Th. de pœn.*

IV.

INFELIX EIVS EXITVS.

b *Nic. l. 13. c. 4*

c *Prosp. de predict. part. 3 c. 38.*

FVIT ETHNICVS.

V.

CHRYS. DECLAMAT ADVERSVS SPECTACVLA.

d *Vid. Chryſ. hom. de Dauid. & Saule. & hom. 7. in Matth.*

e *l. 1. C. Th. de Maiam.*

f *l. 2. eod.*

MAIVMA SPECTAC. QVALE, ET VNDE. *De quo vide plura si cupis, apud Baron. in Not. ad Rom. Martyrol. 26. Decemb. f.*

g *Ap. Sur. 26. Febr.*

VI.

HIERONYMI TRANSLATIO PERIARCHON RIG.

haud mediocre passa fuerat Romana Ecclesia detrimentum, respirauit ad missam in Vrbem ad Pammachium & Oceanum clarissimos atque doctissimos viros, earum precibus à latebris eruditam à S. Hieronymo germanam eiusdem commentarii versionem; vna cum præfatione *b*, qui omnes qui in eo sparsi sunt Origenis errores redderet omnibus manifestos, ac dolum pariter eius, qui male versum ediderat, aperiret. Hæc eo consilio se elaborasse Hieronymus profiteretur *c*, vt qui in suspicionem criminis à Rufino vocatus fuerat, ea se labe purgaret. Ad quem insuper adiecit epistolam *d*, qua (vt ait) amice potius expostulare voluit, quam lacessitus publice desæuire.

a Ap. Hieron. ep. 64.
b Ib. ep. 65.
c Id. Apol. 1. aduers. Ruff.
Id. ep. 66.

Quo eodem tempore, cum in monasteriis Nitriæ Ægypti quidam monachi hæreses Origenis seminare studerent Theophilus Alexandrinæ sedis Episcopus, collecta SYNODO, ex omnium sententia eosdem errores, eorumque sectatores condemnauit, omnesque Origenis studiosos diligenter perquisitos ex Ægypto expulit: ac de his Synodicas, alio nomine Generales dictas, literas misit per alios sanctissimos Nitriæ monachos, tum Romam ad Anastasium Papam, tum in Cyprum ad S. Epiphanium, & in alias prouincias ad diuersos Episcopos: agens pariter cum eodem Epiphanio, vt ipse eadem Constantinopolim, Hierosolymam; & ad alias Orientis Ecclesias perferendas curaret: prout de his omnibus constat ex variis literis ea de re tunc scriptis, quæ habentur inter epistolas S. Hieronymi *e*; ad quem etiam Hierosolymis agentem idem Theophilus iterum scripsit. Hæc autem præsenti anno gesta esse, nempe ante annum quam prima Paschalis Epistola ab eodem Theophilo scriberetur, docet Hieronymus ad Pammachium & Marcellam scribens *f*.

VII. CONC. ALEXAND. CONTRA ORIGENIST.

e Ib. ep. 67. 69. 70. 71. 72. 73.
f Ibid. ep. 78.

VIII.

Historia vero de altercatione Episcoporũ Ægypti cum monachis Origenistis, deque monachorum damnatione, recitatur etiam apud Seuerum ex relatione Posthumiani illius, qui cum Gallo dialogum egit: qui soluens Narbona in Africam ad inuisendum Sancti Cypriani tumulum, inde Alexandriam appulit, Hierosolymam peregrinaturus visitandorum causa locorum sacrorum; posteaque sex mensibus in Bethleem apud Hieronymum permansit; ac rursum Alexandriam repetens, inde ad superioris Thebaidis perlustranda monasteria concessit. Sed quod ait, Ægypti monachos à Theophilo aliisque Episcopis passos esse pressuram; coercenda est freno veritatis hyperbole. Nam nonnisi Origenistas monachos, vt turbarum auctores, expulsos esse literæ Theophili significant. Cæterum Epiphanium quoque literis à Theophilo acceptis, CONCILIVM Episcoporum *Cypri* celebrasse, & in eo lectionem librorum Origenis prohibuisse: deque ea re ad Chrysostomum Constantinopolim, vt & ipse idem præstaret, scripsisse, testantur etiam Socrates *g* & Sozomenus *h*. Sed de hoc inferius, cum agetur de aduentu Epiphanii Constantinopolim.

EPIPH. AGIT CONTRA ORIGEN.

g Socr. l. 6. c. 9
h Soz. l. 8. c. 14

IX. TEMPLA IDOLOR. DIRVTA. *Vide an. sup. n. 4.*

Hoc eodem anno (sequenti scilicet ab eo *i* qui Gentilium Deorum responsis, fatalis prædictus erat vt Christiana religio penitus excisa deficeret) Dei prouidentia factum est, vt Deorum templorum, & in eis consistentium idolorum, facta fuerit vbique demolitio; contra vero Christianæ religionis res magnâ creuerint accessione. Quod quidem tum alibi, tum maxime Carthagine in Africa Gaudentium & Iouium Honorii Imp. Comites, decimo quarto Calendas Aprilis huius Manlii Theodori Consulatus præstitisse, disertis verbis S. Augustinus *k* affirmat. Cæterum cum de templis diruendis manarent ab Imperatoribus edicta, populusque Christianus conferto agmine impetum faceret in excelsa & augusta quæque eiusmodi ædificia, non sine vrbium (vt videbatur) immensa deformitate; placuit Honorio posterioribus huius ipsius anni rescriptis *l* iubere, vt vbique populus à diruendis publicis ædificiis abstineret, itemque vt spectacula minime haberi prohiberentur, quæ tamen essent ab omni sacrificio & Gentilium superstitione pura. Sed & Arcadius in Oriente rescripsit *m*, vt illa templa idolorum diruerentur quæ essent in agris. Quæ vero in vrbibus, licet ab eorum demo-

i Vide an. sup. n. 4.
k Aug. 18. de ciu. 54.
l L. 15. 17. 18. C. Th. de pagan. l. 3. & 4. C. Ieost. eo.
m l. 16. C. Th. eod.

litione vetiti fuerint Christiani, iisdem tamen potiri concessum est, diruptisq; idolis eadem vsui verę religionis vendicare.

Id enim inter alia, de amplissimo simul & magnificentissimo, atque celebertimo nominatissimæ *Cælestis* Deæ Carthaginiensis templo contigisse: & in eo Aurelium Episcopum cathedram suam posuisse, narrat S. Prosper *a*, qui tunc adolescens præsens extitit rei gestæ. Magnaque plane Christi victoria factum est, vt vbi Cælestis idolum (quod ait Capitolinus in Pertinace) reddebat oracula, illic audiretur ab Episcopo prædicari Euangelium veritatis: ac leo ille Cælestis (siquidem hoc idolum leoni insidens pingi & sculpi consueuerat) Episcopali throno succumberet: quippe in Ecclesia moris esset, (vt innumera de his cernuntur exempla) sedes Pontificum sculptorum leonum tergis imponi: quo mysticum illud declararetur, superbiam sæculi aduersariam Christi, dæmoniisque potentiam, Crucis virtute subactas. Cum vero etiam Luciani *b*, Apulei *c*, Herodiani *d*, aliorumque auctoritate constet, idem Cælestis Deæ simulacrum non vnius tantum, sed diuersorum, ac ferme præcipuorum totius Orbis numinum nomina continuisse, & quippiam sibi ex omnibus vendicasse: ipsumque, vt ait ex nostris Sanctus Ambrosius *e*, à diuersis populis pro diuersitate nominis, non pro numinis varietate cultum fuisse: æque apparet, in eius demolitione etiam alia omnia Gentilitiæ superstitionis esse numina debellata. Immo, quod maioris fuit gloriæ Christi, de illo tunc potentissimo triumphatum est dæmone, qui Salomonem *f* sapientissimum omnium Regum vicisset, Hebræumque Dei populum *g* sub iugo duxisset impietatis: ipsa nimirum Astarthe, nuncupata Regina cæli, Dea Sidoniorum; quam eandem fuisse, quæ à Carthaginiensibus diceretur Virgo Cælestis, iidem Lucianus atque Herodianus, & ex nostris Philastrius *h* testantur.

X. CÆLESTIS TEMPLVM MVTATVM IN ECCLES. *a Prosp. de promiss. l. 3. c. 38.*
b Lucian. de Dea Syr.
c Apul. de Asinit. & Florid. l. 3.
d Herod. l. 5.
DE CVLTV CÆLESTIS DEÆ.
e Ambr. ad. Symmach.
f 3. Reg. 11.
g Hieron. 7. & 44.
h Philastr. de har. c. 16.

Accidit autem tunc temporis illud lugubre in eadem Africa, vt in Colonia Suffectana Gentiles simulacri sui Herculis iacturam passi, aduersus Christianos arma corripientes, ex eis trucidauerint sexaginta: iidemq; Calamæ, in opprobrium promulgatarum in ipsorum Deos legum, pariter aduersus Christianos insurrexerint, ecclesiam sæpius lapidarint: & ædificiis Ecclesiasticis ignem iniecerint. Quæ omnia constant ex epistolis S. Augustini *i* ad eos ea de causa scriptis. Quænam autem aduersus ea quæ reliqua essent signa idololatriæ, vbique locorum sub Romano Imperio à Christianis hoc anno gesta fuerint, scriptorum inopia silent. Illud vero ex eodem qui supra Prospero constat, templa Deorum omnia cum suis adiacentibus spatiis, fuisse Ecclesiis ab Honorio collata. Tuncque plane accidit, vt cum dissectis quæ in aperto erant idololatriæ vestigiis, ipsa penetralia secretosque aditus Fideles curiosius perscrutarentur; detecta quoque fuerit impostura efficti draconis in specu latentis, de quo alia occasione ex eodem Prospero dictum est superius *k*. Reserata tunc pariter fuit Romæ Apollinis Palatini absconsa, repertique libri Sibyllini, in quibus crederentur fatalia Vrbis ineste præscripta: quos à Stilicone in opus incumbente succensos fuisse, tradit, Iugero; Gentilis poeta eius temporis scriptor, Rutilius *l* Numatianus.

XI. GENTILIS AFRIC. INSVRGVNT IN CHRIST. PRO SVIS DIIS. *i Aug. ep. 202. 267.*

Sed & qui Gentiles hoc anno exagitauit Honorius, idem quoque Iudæos *m*, collectis suis & exactionibus totum fere Imperium depascentes repressit; iubens vt quicquid ab ipsorum Apostolis collectum esset, ad Imperatoris ærarium deferretur. Dicebantur enim *Apostoli* Iudæorum, qui ipsorum *Patriarchis* assidebant tanquam consultores, & ad ipsos referebant ea quæ sunt in Lege; à quibus & mitti certis temporibus solebant in prouincias vbi Iudæi habitarent, tum ad Synagogas inspiciendas, & mores componendos, tum ad exigendum ab eis aurum & argentum decimarum ac primitiarum nomine, & ipsis Patriarchis deferendum: vt constat ex Sancto Epiphanio *n*, & prædicta Honorii lege, qua eiusmodi (vt vocat) prædationis functionem omnino prohibuit. Meminit quoque Sanctus Hieronymus *o* eiusdem præscriptæ à Iudæis consuetudinis, vt ipsorum doctores Synagogarum &

XII. IVDÆOR. COLLECTAE VECTIGAL. IMPOSITVM HONORIVS. *l Rutil. Itiner. l. 1. in fin. C. Th. de Iudæ. m Cod. C. Th. de Iudæis. n Epiph. haer. 30. Ebion. vers. fin. Tom. 1. an. 375. n. 18. o Hier. ad Titum 3. Vigilan. in fin.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Orbis fouerentur ministe iis. Vetus autem ea querela in Iudæos, etiam ante Christi aduentum, qui cum vbique terratum dispersi essent, sicut ipsi suis Primatibus aurum vectigale pendere cogebantur, ita iidem ab earum prouinciarum hominibus in quibus agebant, mille inuentis modis pecunias corradebant, fiebatque vt vniuersi propemodum Imperio subditi in Iudæorum ærarium æs conferrent: prout hæc in illos Cicero exaggerat in oratione pro L. Flacco, qui iussus erat causam dicere, quod vetuisset Iudæos collectam in Asia pecuniam deferre Hierosolymam. Ad quæ etiam spectare videtur recens huius temporis querela Rutilii *a*, optantis nunquam Iudæos deuictos fuisse à Tito, quod victores suos ea gens victa premeret. Cæterum quod hoc anno eis Honorius ademptum voluit, paulo post restituendum *b* putauit. Extat tamen de eadem re Theodosii Iunioris rescriptum *c*, quo pariter sibi vendicat, quæ ipsorum Patriarchæ ab eisdem exigere consueuerant.

IVDÆI VBIQ. INFESTI.

a *Rutil. Itil. l. 1*

b *l. 17. C. Th. de Iudæ. c. l. vlt. eo.*

Hoc item eodem anno, idem Honorius Imp. Manichæos *d* sordibus suis Ecclesiam Africanam inficientes, nouis edictis compressit. Sed & Ecclesiæ priuilegia firmauit *e*; occasione legationis ad ipsum missæ à CONCILIO *Carthaginensi*, hoc anno, nimirum P.C. Honorii quartum & Eutychiani, quinto Calendas Maii celebrato; qua petierunt; ab eo sanciri legem de non exrahendis ad Ecclesiam confugientibus: cum videlicet M. Secil (vt vidimus anno superiori) eam immunitatem Ecclesiasticam violasset.

XIII. HONOR. ECCLESIÆ PRIVILEGIA FIRMAT.

d *l. 35. C. Th. de hær.*

e *l. 34. C. Th. de Epis. & Cl.*

IESV CHRISTI AN. 400.

ANASTASII AN. 3.

ARCADII } HONORII } 6.

ANNO Christi quadringentesimo, Consulatum inierunt Stilico & Aurelianus. Cuius quidem Stiliconis Consulatu consignata inuenimus Acta *f* sanctorum Martyrum *Anauniensium, Sisinnii, Martyrii, & Alexandri*: quorum primus genere Cappadox Diaconus erat, Martyrius Lector, Alexander Ostiarius: qui quidem progressi vt Gentilibus rusticis vallis Anauniæ prope Tridentinam ciuitatem fidem prædicarent: erecta ibi ecclesia, cum eos ab impietate abducere conarentur, ab iisdem interfecti sunt ac combusti quarto Calendas Iunii, tempore Lustrationis segetum, quæ *Ambarualia g*, quasi ab ambiendo arua, maiores dicere consueuerant. Meminerunt horum Martyrum, eorundemque Reliquiarum translationis Mediolanum & in alias Ecclesias, necnon miraculorum ad illas editorum, Paulinus *h*, Gaudentius *i*, Augustinus *k*, & alii: extatque *l* de illorum agone epistola Vigilii Episcopi Tridentini ad Simplicianum Mediolanensem. Porro diuinam mox impii rustici sensere vindictam; cum atra nube ad terram vsque cælo contecto, vibrantibus hinc inde fulminibus conterriti, se primum in sanguinem innoxium peccasse cognouere. Missis vero à prouinciæ Præside militibus, tenti sunt omnes: iamque supplicio damnandi, intercedentibus apud Honorium Imp. Episcopis, liberati sunt: quod docet idem Augustinus. Denique effecit tandem SS. Martyrum sanguis, quem dæmones exhorrescebant, vt aliquo intercedente temporis spatio, idololatria ex ea regione penitus extincta fuerit; eorundemque Memoriæ ibidem erectæ, frequenti fidelium cœtu frequentarentur.

I.

f *Ap. Mombrit.* ANAVIENSIVM MARTYRVM PASSIO.

g *Ex Fest. ap. Macrob. l. 3. c. 5.*

h *Paulin. in Vit. Ambr. in fin.*

i *Gaud. tract. de Cons. basil. dedic.*

k *Aug. ep. 158.*

l *Ap. Sur. 29. Maii.*

II. DE VIGILIO TRIDENT. EPISC. ET MARTYRE.

At de *Vigilio* Tridentino Episcopo, eodemque martyre, vt dicamus, & ratio temporis & necessitas postulat argumenti. Nam Vsuardus (cuius ex veteribus monumentis, & antiquioribus Martyrologiis, facta in dies singulos Sanctorum collectio, haud mediocris auctoritatis est) de eodem S. Vigilio, sexto Calendas Iulii habet, eum apud Tridentinam vrbem sub Stilicone Consule pro CHRISTI nomine magno imbre lapidum percussum, martyrium implesse. Addit vero Chutterius in Vita eius, id accidisse ab iisdem rusticis, cum ipse Vigilius post trium dictorum Martyrum trophæa, ad comminuendum eorundem Gentilium idolum eo perrexisset. Quæ quidem si referas ad primum Stiliconis Consulatum; vtiq; nondum mense exacto à nece Martyrum, dicendum esset ipsius Vigilii martyrium contigisse. Si vero ad secundum, post annos quinq; id factum oportuit. Vt vt sit, redargui quidem huiusmodi auctoritate certum est, tum eiusdem Chutterii, tum aliorum sententiâ, qui dixerunt martyrium Vigilii Tridentini Episcopi contigisse post annum ferme centesimum ab hoc tempore, nempe sub Anastatio Imperatore: ea quidem persuasione adducti, quod eum existimauerunt vnum eundemq; esse cum illo qui aduersus Eutychen hæresiarcham scripsit. Vnde & aliena quædam de eo scripsere *a*, corruptis eius Actis, nequid esse posset impedimento, quo minus eam suam opinionem astruerent. Cum tamen nihil obstet, quin duo dicantur fuisse Vigilii Tridentini Episcopi, quorum alter his diebus martyr obierit, alter post centum annos inter Scriptores Ecclesiasticos celebris extiterit: & alioqui sciamus, huius centenarii spatio plures alios memoria celebres vixisse Vigilios.

DE VIGILII SCRIPTORE ECCL.

a *Vita Vigil. ante eius oper. Tom. 5. Bibl. S. & ap. Sur. Tom. 7. & Gales. in Not.*

[Libros quinque aduersus Eutychen, qui circumferuntur nomine Vigilii Tridentini, esse *Vigilii* Episcopi Africani, qui eos scripsit Constantinopoli in defensionem Leonis PP. aduersus Eutychianos Iustiniano imperante; adnotauit Theodulphus Episcopus Aurelianensis in Collectaneis de processione Spiritus S. ad Ludouicum Pium Imp. Quod nos primum docuit eruditissimus Iac. Sirmondus.]

Hoc eodem anno *b* sub Stiliconis Consulatu, Æra quadringentesima trigesima octaua, mense Septembri, celebratum est *Primum* CONCILIVM TOLETANVM decem & nouem Episcoporum, præsidente Patrono. In quo, præter Professiones e Hispaniæ Episcoporum, qui partem Priscilliani sectati palinodiam modo recantarunt, & de illis definitionem Synodi: sanciti reperiuntur viginti canones ad recte componendam Ecclesiasticam disciplinam, qui autem in appendice habetur canon vigesimus primus, pertinere cognoscitur ad tempora S. Leonis Papæ. Quod vero in decimo septimo ponitur *de Concubina*, intellige secundum ea quæ S. Augustinus habet libro de Bono coniugali capite quinto. Porro qui eidem Concilio reperitur subscriptus cum aliis Episcopis *Olympius*, licet cuius Ecclesiæ Episcopus fuerit non dicatur, sicut alii ibidem nominati Arriitites: fuit tamen celebris fama & clarus inter Scriptores Ecclesiasticos. De Olympio enim Episcopo his temporibus in Hispania florente, agit Gennadius * recensens eius librum Fidei aduersus Manichæos: citatque sæpe magno præconio aduersus Pelagianos eiusdem scripta S. Augustinus *d*.

III. CONCIL. TOLET. I.

b [Egit de hoc Cœlio Baron. 2. 405 sub Secundo Stilicon. Cõsulatu: sed postea monuit, referendum esse in hunc Cõsulatum anno primo eiusdem Stiliconis Consulatum.]

c *Rec. Baron. ibi. ex Biblioth. reg. S. Laurit.*

OLYMP. INSIGNIS EPISCOP.

* *Gennad. de vir. ill. c. 24.*

d *Aug. contra Iulian. l. 1. c. 3. & 7. l. 2. c. 10. l. 3 c. 17.*

Quod autem Ambrosius Morales & Ioannes Mariana viri eruditi, & de Ecclesiasticis antiquitatibus rerum Hispanicarum optime meriti, Concilium hoc Primum Toletanum, quod sub Anastasio Papa habitum confitentur, voluit idem esse cum eo, ad quod extat Innocentii Romani Pontificis epistola *e*, eandemque datam in ipso eius Pontificatus ingressu cum Anastasio successit: haud in eo possumus eis assentiri. Nam cum certa testificatione maiorum, & ex rerum gestarum necessaria deducta temporis ratione inferius demonstraturi simus, Anastasium non isto sui Pontificatus anno tertio (vt ipsi cum aliis volunt) diem obiisse, sed ad quintum peruenisse, suffectumq; in eius locum Innocentium anno Domini quadringentesimo secundo: quæ ratio patitur, vt vnum idemque dicamus esse Concilium Toletanum, quod anno tertio Anastasii celebratum est, cum eo ad quod Innocentius decretalem dedit epistolam? Cum & præterea ex ipso eiusdem Innocentii epistolæ exordio plane appareat, non statim vt ipse subrogatus est in locum Anastasii, sed cum plures iam sedisset annos, eam ab ipso esse conscriptam. Neque est insuper quod dici possit, Concilium sub Innocentio idem esse cum illo sub Anastasio celebrato, ex eo quod in ipso quoque de perperam factis ordinationibus actum sit: Num & longe ante Primum Toletanum, de iisdem tractatum est à Siricio Papa in literis ad Himerium Tarraconensem Episcopum. Diu enim multumque eiusmodi

IV. CORRIGVNTVR ERRORES DE CONCILIIS TOLETANIS.

e *Innoc. ep. 14. to. 1. Conc. & ep. 13 to. 1. Epist. Ro. Pont.*

in facto

in sacris ordinibus corruptio disciplinæ, exagitauit Hispaniarum Ecclesias; adeo vt in schisma vlcus eruperit. Porro Innocent. eadem ordinationes hactenus factas tolerandas esse putauit, ne grauiorem pati Ecclesia Hispaniæ scissuram cogeretur. Sed nihilominus irritam reddidit sententiam illam, qua dicebatur, coniugium ante baptismum initum sic per baptismum obliterari, vt ducens aliam post baptismum, bigamus minime efficeretur. Quod sensit aliquando S. Hieron. *a*; sed postea excusauit *b*, At hæc modo latis de duabus inter se inuicem distinctis Synodis Toletanis, sub Anastasio & Innocentio Romanis Pontificibus celebratis.

BIGAMIA CONSTITVITVR EX CONIVGIO ANTE BAPTISMVM.
a Hier. ep. 83. ad Ocean.
b Id. Apol. 1. cont. Ruff. l. 1. in fin.

V.

Iam quod ad res spectat Origenistarum in Occidente, hoc ipso anno (sequenti scilicet post Synodum Alexandrinam, in qua eosdem à Theophilo eius ciuitatis Episcopo damnatos diximus) cum iam plurib. ac manifestis probationibus, & potissimum S. Hieronymi scriptis Romam missis, Origenis commentarii περὶ ἀρχῶν errores singuli cunctis innotuissent: Anastasius Papa, vir (vt eum vocat idem Hieronymus *c* de his agens) ditissimæ paupertatis, & Apostolicæ solicitudinis, statim noxium percussit caput, & sibilantis hydræ ora compescuit, dum Apostolica auctoritate earundem Origenis hæreseon damnationem promulgauit. Docet hoc idem S. Hieronymus *d* epistola hoc ipso anno ad Pammachium atque Marcellam data. Cuius etiam aduersus *e* Ruffinum agentis testificatione constat, ea de re conscriptas esse per Orbem Catholicum ab Anastasio literas; iisdem factum esse, vt collectis vbiq; à præcipuarum Ecclesiarum Episcopis tam in Oriente quam Occidente SYNODIS, atque inter alios à Venerio (qui S. Simpliciano nuper defuncto successerat) *Mediolani*, & à Chromatio *Aquileiæ*; pari omnium sententia Origenes denuntiatus fuerit hæreticus: ac denique sanctionem Imperatorum de sectatoribus eius pellendis, secutam esse Episcoporum iudicium. Quid autem peculiariter actum sit in Ruffinum, qui has Romam merces inuexerat, dicetur anno sequenti. Iam vero ad res Orientales se oratio conferat.

c Id. ep. 8. ad Demetr.

ANAST. PP. DAMNAT ORIG. ERRORES.
d Id. ep. 78.
e Id. Apol. 1. & 2.

DAMNATVS VBIQVE ORIGENES.

VI. GAINAS RVRSVM VRGET IMP.

Truculentus barbarus, scelestissimusque proditor *Gainas*, haud exatiatus sanguine totius ferme Minoris Asiæ, nec placatus Euttropii Consulis nece; fretus Tribigildi & Gothorum copiis, iuratæque pacis nullam ducens penitus rationem, Chalcedonem veniens, contumelioso animo imperare aggreditur Imperatori; nouasq; ac duriores pacis conditiones præscribit. Namq; imprimis postulauit, vt Arcadius ipse eum conueniret: cumque in hoc etiam Imperator assensus esset, tunc petiit Aureliani præsentis anni Consulis, ac Saturnini viri Consularis, nec non Ioannis qui erat Arcadio à secretis, capita sibi dari. Cui pariter, nimis licet tyrannico postulato, acquiescens Imperator, eosdem viros, libenti & ipsos se animo pro salute Reipub. deuouentes, barbaro tradidit: qui eis gladium admouens, eatenus tamen vt cutem tantummodo stringeret, saris habuit exilium eisdem irrogare. Habet hæc Zosimus *f*: cui concordant Socrates *g* & Sozomenus *h*; nisi quod viros illos nihil mali à Gaina passos affirmant: sed refelluntur etiam Chrysostomi auctoritate, qui æque illos exilio mulctatos asserit oratione ea de re habita.

f Zos. li. 5.
g Socr. l. 6. c. 6.
h Soz. l. 8. c. 4.

VII. CHRYS. RESISTIT EI.

Iurata vero rursum post hæc pace, permissus Constantinopolim accedere barbarus, audens & maiora, ecclesiam sibi Arianisque suis in eadem ciuitate dari postulauit. Sed cum ea de re Arcadius Chrysostomum Episcopum consuluisset; iste non solum id fieri debere negauit, ac satius Imperatori esse Imperio cedere, quam domum Dei prodere inculcauit; sed etiam præsente ipso Imperatore cum Gaina congressus, eidemque beneficia ab Arcadii patre Theodosio accepta exprobrans, atque aliis vtens efficacissimis rationibus, ipsum penitus coegit à cœptis desistere: sicut rem gestam narrant pluribus Theodoretus *i* & Sozomenus *k*. His porro magis exacerbatus perfidus barbarus, incendium Palatii Imperatorii, vrbisque expilationē atque subuersionem meditatus est. Quo tempore, has intidias portendens cometes maximus supra ciuitatem apparuit, ad ipsam vsque terram ferme pertingens, qualis antea nusquā visus esset. Cum vero qui noctu milites à Gaina missi erant ad incendendum Palatium, videre sibi visi essent multitudinem armatorum vastis corporibus formidabilium: idque ipsum aliis sequenti nocte missis, ipsique etiam postremo Gainæ accidisset: tunc ille ratus Imperatorem nouum exercitum in vrbem introduxisse, (Cæterum hos Angelos custodes vrbis fuisse, cum præter milites Prætorianos nullos alios tunc ciuitas contineret, cunctis reditum exploratum fuit) simulans se à dæmone vexari, relicta in vrbe maxima barbarorum parte, ipse vrbem egressus est, quasi oraturus ad ecclesiam S. Ioannis Baptistę in Hebdomo. Hæc quidem ita Sozomenus & Socrates. At decedendi ab vrbe Gainæ illud consilium fuisse Zosimus tradit, vt Romanos milites, quibus ipse recens ab Imperatore Præfectus confirmatus fuerat, inde abduceret, atq; per diuersa loca dispergeret, ne vrbi à barbaris inuadendæ præsidio essent.

i Theo. l. 5. c. 32.
k Soz. l. 8. c. 4.

VRBS CONSTANTINOPOL. DIVINITVS CONSERVATA.

VIII. GAINAS SVPERATVR, ET OCCIDITVR.

Verum vt rem contraham, coniuratione detecta, Gainas ab Imperatore hostis Reipublicę declaratus est; omnesque Gothi qui in vrbe relicti ad ecclesiam Gothorum dictam confugerant, furore militum & populi vna cum ipsa ecclesia succensi sunt: ipseque Gainas in Orientem pergens, post acceptas terra marique ab exercitibus Imperatoris varias clades, quibus etiam nonnunquam diuina accesserunt miracula: tandem vna cum suis interemptus est. Descripserunt hæc pluribus iidem Socrates atque Sozomenus, adstipulantibus, quos citat Socrates, Eusebio Scholastico & Ammonio, qui eam historiam carmine conscripserunt: ex quibus emendes quæ à Zosimo eisdem haud congruentia narrantur; qui & insuper, vtpote Ethnicus, tanta à Deo præstita beneficia, Diis Gentium tulit accepta. Scribit vero etiam Theodoretus *a*, tunc cum Gainas infesto exercitu oppida Thracię peruaderet, omnia cæde atque incendio miscens; ad eiusmodi auertendam populorum cladem, legatum missum fuisse S. Ioannem Chrysostomum, ipsumque à Gaina maximo honore susceptum. Porro istæc omnia gesta esse hoc ipso Stiliconis & Aureliani Consulatu, prædicti auctores tradunt: quæ Marcellinus superiori anno confuse posuit; nisi quod mortem Gainæ in sequentem retulit, cum caput eius missum est Constantinopolim.

a Theo. l. 5. c. 33.

IX. MONACHI ORIGENISTÆ VENIVNT CONSTANTINOP.
b Ap. Hier. ep. 67.
c Socr. l. 6. c. 7.
d Soz. l. 8. c. 12.

Contigit hoc quoque anno, monachos illos Origenistas, quos à Theophilo Alexandrino ex Nitriæ Ægypti monasteriis pulsos vidimus; rursum è Palæstina, quo abierant, eiectos, peruenisse Constantinopolim. Quinā autem ii fuerint, idem Theophilus ad S. Epiphanium scribens *b*, antesignanorum nomina referat, nempe *Ammonium, Eusebium & Euthymium*. His vero Socrates *c* & Sozomenus *d* addunt *Dioscorum*; eosque omnes fratres fuisse asserunt, ac dictos cognomine *Longos*. Addunt insuper & *Isidorum* illum, cuius nomine Theophilus ordinationi Chrysostomi obstiterat: eundemque causam extitisse simultatum, quæ inter Theophilum & monachos ortæ sunt: nempe quod isti defensionem suscepissent Isidori, quem Theophilus iniuste admodum Ecclesia expulisset. Ita quidem prædicti auctores. Sed quod ipsi erga istos Origenistas proclliuiores sese esse declarent; equidem illa ab aliquo Origenistarum, vel alio Theophili aduersario, ab eis accepta esse, facile possumus intelligere: atque inter alia, dum ipsum Theophilum Anthropomorphitarum hæresis defensorem astruunt: quem rectè in omnibus doctrinæ adhæsisse constat, egregiaque eruditione excelluisse; immo & insectatum esse Anthropomorphitas, Cassianus *e* & Gennadius affirmat. Verum meminisse debemus quod superius dictum est, peculiare imprimis fuisse Origenistis, impingere Catholicis hęresim Anthropomorphitarum; (quā & Sancto Epiphanio, quod Origenistas insectaretur, ab Ioanne Hierosolymitano fauente tunc Origenistis, obiectam vidimus;) ex eo vtique, quod cum ipsi eo dementiæ peruenissent, vt nec corporibus nostris post resurrectionē membra tribuerent, sed transformanda illa in lucidos aereos globos, ex Platonis sententia ab Origene accepta asserentes: si Orthodoxi diuinæ Scripturæ auctoritate, instar Christi resurgentis, in resurrectione singulis corporibus membra singula fore dicerent; illi mox astuta tergiuersatione dicebant, ea esse intelligenda sicuti

e Cass. collat. 3.
f Gennad. de vir. ill. c. 11.

ANTHROPOMORPHITARUM HÆRESIS AB ORIGENISTIS IMPINGITVR CATHOLICIS.

cætera

cætera eiusdem diuinæ Scripturę loca, quibus Deo per allusionem membra tribuuntur: qui vero diuersa sentirent, eosdem crassioris mineruæ homines ac rudes ridebant: atque etiam *Pilosiotas* appellabant, quasi non membra tantũ, sed & pilos tribuerent corporibus resuscitatis. At hæc Hieronymus in epistolis *a* ad Pammachium scriptis aduersus Ioannem Hierosolymitanum, & Origenis errores, plurib. confutauit.

a Hier. ep. 61. 65. Et vide sup. 395. 11. vbi etiam de Pilosiotis.

X. FALSÆ ORIGENIST. CAVSATIONES ADVERSVS THEOPHIL. ALEX.

Ex eadem autem Origenistarum officina deprompta fuere commenta illa, quæ iidem Socrates & Sozomenus referunt de causa indignationis Theophili in Isidorum, ac fratres Longos, aliosque Ægypti monachos. Namque hos studentes erroribus Origenis, indignationem Theophili meruisse; neque illos (quod isti auctores dicunt) fraudulenter vocatos ab ipso esse Alexandriam ad pacem: sed post ipsorum damnationem in Synodo factam, quæsitos in eremo fugatos fuisse, non ab Ægypto tantum, sed & è Palæstina, auctoritate S. Hieronymi, Posthumiani, & aliorum quos antehac citauimus, indubitatum habetur. Quo modo vero Isidorus Alexandrinus fuerit Origenistarum antesignanus, dictum est superius: vt non mireris, si quem adeo earum Theophilus habuerat, eundem ipse Origenistarum acerrimus oppugnator, Origenistam detectum, vna cum aliis eiecerit. Porro idem monachi Longi, quod scirent Theophilum per se, suosque familiares Episcopos, & inter alios Epiphanium, tum ad alias diuersas prouincias, tum Constantinopolim misisse Legatos vna cum epistolis, quibus ipsorum damnatio in Synodis Episcoporum tam Alexandriæ quam in Cypro significabatur esse decreta; anteuertere conati eos, Constantinopolim ad Imperatorem, (cæterorum more hæreticorum, à iudicio Episcoporum ad sæculare tribunal recurrentes) vna cum aliis plurimis eiusdem farinæ monachis nauigarunt: cum quibus etiam Isidorum fuisse, Socrates & Sozomenus dicunt; sed refelluntur auctoritate literarum, quam Theophilus ad Epiphanium scripsit. Eadem autem ferme quæ à Sozomeno & Socrate, & alia eiusmodi, inuenies etiam à Palladio Episcopo Helenopoleos, & ipso iamdudum (vt vidimus) Origenista, esse conscripta; qui tam in suis Lausiacis, quam in Dialogo de Vita Chrysostomi, (si forte *b* is ipse est, qui in eo interloquitur cum Theodoro S. R. E. diacono) totus est in laude Isidori, ac consodalium monachorum, adeo vt etiam miracula eisdem falso tribuerit.

b [Habet rationem de his dubitandi Bar. To. 4. an. 388 n. vlt. cui & aliæ possent addi ac præcipue ex accurata vtriusque scripti lectione.]

XI. CHRYS. QVO MODO SE GESSERIT IN EA CAVSA.

Cum autem res hactenus gesta fuerit inter Catholicos & Origenistas, posthac vero pro ipsis, licet non cum ipsis, sletisse compertum sit sanctissimum virum Ioannem Chrysostomum Constantinopolitanum Episcopum: mutata iam rerum facie, oratio ipsa in aliud argumentum se transferat opus est, quo sanctorum aduersus sanctos (quod prodigio habitum) dira conflictatio describenda est. Qui tamen haud ideo dicendi sunt ab insita probitate excidisse; quippe qui fallis subreptionibus decepti, ad ea quæ egerunt recto sinceroque mentis delati sunt intuitu. Cum igitur prædicti monachi Constantinopolim peruenissent, iidem sanctorum virorum forma sibi supetinducta, procumbentes ad genua Chrysostomi, rogarunt vt opem ferret calumniam passis à Theophilo; contestantes quod si & ab ipso despicerentur, recurrendum esset ad Imperatorem: nihil vero aliud se petere, quam vt sibi, qui per omnia innocentes essent, permitteretur pacifice in Ægypto commorari. Quibus auditis Chrysostomus, ratus facile ipsos in gratiam Theophili redire posse, libenter hanc curam suscipiens, illis interea mansiones in quadam ecclesia tribuit: non tamen victum suppeditauit, quem ipsi tum ex labore manuum suarum, tum ex liberalitate Olympiadis potentis viduæ, Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconissæ (existimantis videlicet illos probos esse viros) susceperunt. Hæc quidem ex narratione Palladii. Cæterum peregrina tantum communione eos à Chrysostomo dignatos esse, qua sacrarum solummodo precum communicatio, non autem vsus sacramentorum impertitur; Sozomenus *c* est auctor. Vigebat namque illa vetus in Ecclesia consuetudo, (de qua alias) vt peregrinis se Christianos profitentibus, in iis quæ sunt naturæ & hospitalitatis exhiberetur humanitas; iidemque ad communes duntaxat Ecclesiæ preces admitterentur; nequaquam vero ad sacramentorum participationem, nisi cum se esse Catholicos, fide certa Formatisque literis docuissent. Cuius quidem peregrinæ communicationis habes symbola expressa in epistola Synesii Episcopi Prolemaidis ad prædictum Theophilum, cum eum consuluit de Alexandro Episcopo Bathanopolis partis Chrysostomi, à se recepto. Cæterum nec peregrina quidem communione dicti monachi dignandi fuissent, si literæ scriptæ è Concilio Alexandrino de eorundem damnatione, Constantinopolim iam ante peruenissent.

b Ap. Pallad. in dial. de Vit. Ioan. Chrys. c Soz. l. 8. c. 13. DE PEREGRINA COMMVNICATIONE.

De quæstione egit Bar. an. 407. n. 40.

Subdit vero Palladius, eodem tempore quosdam Theophili clericos Constantinopoli extitisse, qui & ipsi testimonium apud Ioannem monachis perhibuerint de iniuria à Theophilo eis illata; rogarint tamen eundem ab illorum aliquandiu communione abstinere, ne Theophilum contristaret. Verum hæc ab eo calumniose prolata esse, satis constat ex iis quæ de hac causa dicta sunt superius: aut certe asserendum, legatos Theophili ad hoc missos vt excommunicati Origenistæ vndique pellerentur, præuaricatores extitisse mandati. Pergens porro Palladius, ait Chrysostomum per literas rogasse Theophilum, vt eosdem monachos in gratiam reciperet; Theophilum autem misisse rursum aduersus eos Constantinopolim varias atque atroces accusationes: sed & ipsos pariter monachos eidẽ Chrysostomo libellos contra Theophili tyrannidem porrexisse: cumque Chrysostomus de his rursum monuisset Theophilum, hunc rescripsisse haud esse Ioannis cognoscere de causa ipsius Theophili, prohibentibus Nicæni Concilii canonibus Episcopum iudicare causam extra terminos suos. Ista ex Palladio: quæ vero post hæc secuta sunt, dicentur suis locis. Interim ex prædictis videas, iustæ causæ Theophilum fauisse, cui in expellendis Origenistis totus ferme Oriens & Occidens consentiret: Chrysostomum autem deceptum à monachis, negantibus se hæreticos esse, priuatasque prætexentibus Theophili inimicitias, operæpretium facturum existimasse si inter eos sequester accederet, ne maius inde in detrimentum Ecclesię schisma nasceretur.

XII. CAVSA THEOPHILI ET CHRYSOST. DE ORIGENISTIS.

Hoc item anno (vt ex eiusdem Palladii, qui præsens extitit, supputatione colligitur) idem Ioannes Chrysostomus Ephesum migrauit, vt res Ecclesiæ Asianæ male dispositas componeret. Cum enim ipse iam anno superiori, nempe (vt idem auctor ait) *decima tertia Distributione*, (hoc enim etiam nomine Indictio dicta repertur) collecta *Constantinopoli* SYNODO viginti duorum Episcoporum, tam ex Asia, quam aliis prouinciis, libellos accusationum aduersus Antoninum Episcopum Ephesinum Synodo præsentem, suscepisset ab Eusebio Valentiniopolitano Episcopo; quibus inter alia quæ recensentur accusationum capita, Antoninus insimulabatur, quod cum vxori propriæ abrenunciasset, rursus ei congressus esset, (vnde & certior fias eorum quæ superius inculcata sunt, etiam in Orientali Ecclesia coniugatos electos Episcopos, nonnisi vxore dimissa ordinari solitos, nec amplius ea vti:) & quod ordinationes Episcoporum vendere consueuisset pro modo redituum: cumque delegati à Synodo Episcopi duo causæ cognitores missi in Asiam, ob collusionem partium nihil operari potuissent; sed tantum Eusebium accusatorem, testes in Antoninum producere negligentem, excommunicatum denunciassent, siue vt desertorem, siue vt detrectatorem; atque inter hæc Antoninus ipse diem obiisset: his, inquam, iam antea gestis, demum præsenti anno idem Chrysostomus rogatus ab Asianis periclitanti Ecclesiæ succurrere, licet mala corporis valetudine tentus, sæuienteq; hieme, perrexit Ephesum.

XIII. CAVSA ASIAN. EPISCOPORVM.

Vbi in SYNODO septuaginta Episcoporum tractata causa simoniacorum Episcoporum, quos Antoninus pretio ordinasset; iidem conuicti, ac crimen confitentes, depositi sunt, subrogatis aliis in locum eorum; facto tamen à Synodo decreto; vt ab Antonini hæredibus pretium eis quod dederant restitueretur. Hæc pluribus Palladius; qui sex tantum ponit Episcopos à Chrysostomo tunc exauctoratos; cum tamen Sozomenus *a* tredecim numeret:

XIV. SYNODVS EPHES. CVI CHRYSOST.

a Soz. l. 8. c. 6.

à quo

à quo & Nicomediensem Episcopum, *Gerontium* nomine, depositum asserit, qui olim clericus existens Mediolanensis Ecclesiæ, à S. Ambrosio magiæ convictus, eiectus fuerat: sed cum medicinæ peritissimus esset, & eloquio præstantissimus, Constantinopolim profectus, paulo post aulicorum fauore Nicomediensem sedem obtinuerat; tantoque ciuium studio & amore, ob plurima præstita ab ipso in eos beneficia, conseruatus ac defensus hactenus fuerat, vt nec Ambrosii ad Nectarium Constantinopolitanum Ioannis prædecessorem ea de re scribentis solicitatione, nec ipsius Nectarii valuerit inde conatibus expelli. Ceterum in locum Antonini defuncti subrogatum fuisse Heraclidem Cyprium, & in locum Gerontii depositi Pansophium, qui pædagogus fuerat Eudoxiæ Augustæ, testantur Socrates *a* & Sozom.

a Sozom. l.6.c.10 Socr. vbi supr.

XV. SEVERIANVS RES NOVAS MOLITVR ADVERS. CHRYSOST.

Cum vero inter hæc Ioannes Chrysostomus audisset, Seuerianum Gabalensem in Syria Episcopum res nouas Constantinopoli moliri, factum est vt qui hactenus detentus fuisset in Asia, tum ob Episcoporum depositionem, tum ob *b* Nouatianos & Quartadecimanos hæreticos, quibus & multas ademit Ecclesias: Constantinopolim quantocyus properauerit. Erat iste *Seuerianus*, sicut & *Antiochus* Episcopus Ptolemaidis Phœniciæ, æmulus Ioannis eloquentiæ. Et quidem Antiochus, cum prior Constantinopolim venisset, tantam in dicendo laudem consecutus est, vt & ipse *Chrysostomus*, hoc est, aurei oris homo à quibusdam nominaretur: qui multis pecuniis collectis ad suam Ecclesiam reuertit. Ad eius vero imitationem Seuerianus postea veniens, tametsi asperitatem linguæ Syrorum retineret, sententiis tamen & Scripturarum testimoniis præstantior habitus, beneuolumq; Ioannem Chrysostomum nactus, cum frequenter in ecclesia concionaretur, in admiratione & honore fuit: in tantum vt Ioannes in Asiam proficiscens, Ecclesiam illi Constantinopolitanam commendauerit. Sed cum impensius auditoribus gratificari, & populum verbis demulcere studeret, certior ea de re Ioannes per Serapionem eiusdem Ecclesiæ Archidiaconum redditus, eo (sicut diximus) quamprimum reuerti curauit. Narrant hæc Sozomenus *c* & Socrates. Cæterum siue quod Ioannes dissimulandum putauerit, siue quod re vera qualem optasset sui studiosissimum populum nactus sit; sequenti à reditu die orationem habuit, quatum ea de re populum laudauit, tum etiam quod pastore suo absente aduersus hæreticos strenue decertasset.

b Socr. ib.

c Soz. l.8.c.10 Socr. vbi sup.

XVI. CONTENTIONIS INTER ARIAN ET CATH. PRO CANTV HYMNOR. *De quib. vide etiam quæ dicta sunt supra an.60. n.15.*

Nam cum referta admodum esset hæreticis, ac potissimum Arianis, ciuitas illa, iugis viguit aduersus eos contentio, quod licet conuentus in vrbe agere Imperatorum legibus interdicti essent, nihil tamen prætermitterent negotii facessendi Fidelibus. Accidit vero vt cum inter alia, iisdem diebus festis quasdam cantilenas hæresi Arianæ aptatas, & aduersus fidem Consubstantialis contumeliosas, noctu intra vrbem, & mane ad suos conuentus foras proficiscentes, publice alternatim concinerent: veritusque Ioannes ne aliqui ex simplicioribus Catholicis eiusmodi cantilenis ab Ecclesia abducerentur, alios & ipse hymnos in Consubstantialis laudem compositos longe maiori decore & apparatu similiter decantari præcepisset: æmulationis ardore incensi Ariani, noctu Catholicos adorti aliquos ex iis occiderint. Qua re Imperator vehementer commotus, Arianis penitus interdixit ne hymnos in publico canerent. Hæc quidem pluribus Socrates *d* & Sozomenus *e*: hic vero etiam addit, eiusmodi hymnorum cautionem tunc à Chrysostomo institutam, feliciter in Ecclesia Constantinopolitana perseuerasse imposterum. Sed quod ad legem ab Arcadio Imp. aduersus Arianos sanctam: cum vna eiusmodi data reperiatur *f* sub Consulatu quarto eiusdem Arcadii, anno videlicet Domini trecentesimo nonagesimo sexto, biennio antequam eius Ecclesiæ Ioannes eligeretur Episcopus: omnino videtur dici debere, ob Arianorum procacitatem eadem cantilenas contra vetitum repetentium, necesse fuisse eandem prohibitionem sæpius edicere.

d Socr. l.6.c.8. e Soz. l.8.c.8.

f l.30. C. Th. de hæret.

XVII. HÆRETICI PVLSI CONSTANTINOP.

Porro omnes tandem hæreticos, agente Chrysostomo, eiusdem Imperatoris mandato ab vrbe penitus pulsos esse, asserit Metaphrastes *a*: additque Marcus *b* diaconus Gazensis, qui hæc ibidem Constantinopoli vidisse potuit, Arcadium, cum intellexisset complures suorum, vel in aula militantium, vel magistratibus fungentium, esse hæreticos, sed extrinsecus speciem præsetulisse Catholicorum, eosdem è magistratibus pulsos, pecuniaque mulctatos, penitus reiecisse. Eoque tempore ingens illud contigit prodigium, quod Sozomenus *c* describit: quo videlicet cum sectator quidam hæresis Macedonianæ Chrysostomum audiens de fide disserentem, conuersus esset, hortaretur-que vxorem vt & ipsa fidem amplecteretur, aut à se abscederet; mulier se facturam promittens, composita cum famula sua fraude, tempore communionis acceptam, ex more, manu, siue linteo, sanctissimam Eucharistiam, velut absumptura procumbens, furtim à famula aliam accepit ritu Macedonianorum consecratam, quam simulac dentibus admouit, sensit in lapidem indurasse. Quando timore consternata, ne quid sibi grauius eueniret, cum festinatione ad Episcopum accurrens, se ipsam prodidit, ac lapidem ostendit, manifesta vestigia morsus, sed materiam ignotam & inusitatum colorem referentem: cumque profusis lacrymis veniam impetrasset, cum marito deinceps concors vixit: ipse vero lapis in tanti miraculi memoriam repositus est in Thesauro Ecclesiæ Constantinopolitanæ. Hæc Sozomenus, & alii post eum. Præter quæ ipsum Ioannem Chrysostomum Scythas in castris Imperatoris militantes, ab hæresi Ariana ad fidem Catholicam conuertisse; sed & ad eos qui dicuntur *Nomadæ*, propter Istrum incolentes, salutemque sitientes, direxisse viros sanctissimos qui ipsos instituerent: testis est Theodoret. *d*. Reliquos autem pro fide Catholica labores ab eo susceptos inferius, suis locis relaturi sumus.

a Metaphr. in Vit. Chrysost. b Marc. in Vit. eiusdem. Gaz. l.3. ep. Sur. & Metaphr. c Soz. l.8.c.5.

MIRACVLVM DE EVCHARIST.

NOMADÆ AD FIDEM CONVERSI. *d Theod. l.5. c.30.*

His iisdem Coss. Honorius Imp. sanctionem edidit, qua bene prospectum esse volens iudicio Episcoporum, pœnis exagitauit eos, qui in Concilio Antistitum depositi Episcopi, turbas cierent, & sæculare præsidium putarent exquirendum. Sed & cum Donatistæ his iisdem temporibus in Catholicos *f* vehementer conclamarent, quod à Principibus aduersus ipsorum conatus sæpe expertiissent auxilium: his (vt putamus) commotus idem Imp. in eorum Donatistarum opprobrium, qui eo procaciæ peruenerant, vt aduersus Catholicos indignissimum hominibus Christianis libellum Iuliano Imp. Apostatæ (vt suo loco vidimus) obtulissent: illum ipsum, vna cum rescripto à Iuliano per eos obtento, ac Proconsularibus Gestis ea tunc in causa conscriptis, in publicis quibusque celebertimis locis affigi voluit *g*: quo (vt ait) omnibus innotesceret & Catholicæ confidentiæ stabilita constantia, & Donatistarum desperatio fucata perfidia.

XVIII. IVDICIA EPISCOP. CONFIRMATA. *c l.35. C. Th. de Epis. & cl. f Vid. Aug. cons. Litt. Petil. l.2.c.92.*

g l.37. C. Th. de hæret.

IESV CHRISTI AN. 401.

ANASTASII AN. 4.

ARCADII HONORII AN. 7.

ANno Christi quadringentesimo primo, Coss. Vincentio atque Frauitta, siue Frauito, aut Flauito Gotho (qui ob strenuam pro Romanis aduersus Gainam nauatam operam *h*, hanc dignitatem consecutus est) Anastasius Papa, qui anno superiori Origenis errores condemnauerat, audiens ea de causa grauiter Ruffinum scriptis suis aduersus Hieronymum obstrepere; (hic enim, quod ea quæ S. Hieronym. contra Origenistas scripsisset, in se vnum conuersa ex male affectis præcordiis diiudicaret: trium annorum spatio tres aduersus eundem Sanctum, vt idem *i* testatur, libros elucubrauit, quorum adhuc duo priores supersunt *k*, tertius periisse videtur:) eundem Ruffinum scriptis publicis literis causam dicturum Romã vocauit. Cum ille male sibi conscius, dissimulans, prætexensque quasi non

I.

h Soz. l.6.c.6. Zosim. l.5. i Rvfinvs CAVSAM COGITVR ROMÆ AD ANAST. PP. k Hier. Apol. 2. in 2. lib. Ap. Rufin. Vide Baron. an. 402. n.8.

non essent Anastasii literæ, sed ab ipso Hieronymo, aut aliquo alio, nomine Anastasii confictæ, itemq; necessitatem obtendens Aquileiæ commorandi parentum vel affinium gratia; omnino Romam venire neglexit. Vt tamen Anastasio satisfaceret, scripsit ad eum Apologiam *a*, cui fidei suæ professionem adiunxit, quo se Catholicum esse monstraret: sed quod in ea nulla fieret mentio de Origenis erroribus, quorum vehementer accusabatur, haud est recepta. Quapropter habito de eo iudicio, quod venire vocatus neglexerit, quodque de obiectis criminibus minime satisfecerit; iure meritoque sententiam damnationis accepit. Quæ quidem ita hoc eodem anno gesta esse, docent tum literæ ab eodem Pontifice anno sequenti ad Ioannem Hierosolymitanum datæ, tum ipse Hieronym. Apologia aduersus eundem Ruffinum conscripta.

a *Ext. ibid.*

EIVS DAMNATIO.

II.

Hoc item anno, nimirum Post Consulatum Stiliconis, mense Iunii, habita est Synodus *b* prouincialis *Carthagine*, qua decretum est de legatione mittenda Romam ad Anastasium Papam, ac Mediolanum ad Venerium eius sedis Episcopum, vt Africanæ Ecclesiæ sacris ministris indigenti consulerent. Extantq; in Africano Concilio, triginta duo canones in hoc Carthaginiensi editi; inter quos & ille insertus est *c*, quo in Ecclesia Passiones Martyrum anniuersaria illorum die legi concéduntur: qui æque reperitur in Synodo Carthaginiensi dicta Tertia *d*; sed pertinet ad tempora Bonifacii Papæ. Porro illum vsum legendi Passiones Martyrum in ecclesia, licet in aliis non improbauerit Romana Ecclesia, haud tamen ipsa recepit; quod scil. (vt testatur Gelasius) ex eis aliqua ab idiotis, aliqua etiam ab hæreticis probarentur fuisse composita. Sed hæc intellige de prolixioribus Actis sanctorum Martyrum, quorum vix pauca reperiri contingit eo quo sunt scripta candore nitescere: de quorum improbatione est etiam canon nomine *e* Sextæ Synodi Oecumenicæ. Cæterum compendiosæ illæ Passiones Martyrum, quas continent Martyrologia, anniuersaria quaq; die qua passi sunt, tam apud Latinos, quam Græcos, antiquo viu semper in Ecclesia recitari consueuerunt.

b *To. 1. Conc.* CONC. CARTHAG. PRO PRETENDISSACRIS MINISTRIS.

c *Conc. Carthag. can. 13.*

d *Conc. Carthag. 3. can. 47 Vid. sup. nu. 397. 16.*

DE LEGENDIS IN ECCL. PASSIONIB. MARTYRVM *Quæ habet Baron. an. 419. n. 96.*

e *Sext. Syn. c. 63. ap. Theod. Balsam.*

III.

Quod autē attinet ad prædictæ Synodi Carthaginiensis petitionem; annuisse ei Anastasium Papam, ministros Ecclesiæ in Africam mittendo, argumento est, quod & his maiora curauit. Scribens enim ad Africanos Episcopos, de reducendis in Ecclesiam Donatistis prouinciam perdifficilem sollicitius curandam admonuit, de qua mox dicetur. Sed & Venerium eorundem fauisse votis, ex eo existimamus, quod peculiaris ille auctor Vitæ Sancti Ambrosii *Paulinus*, eiusdem Mediolanensis Ecclesiæ quondam Lector, in Africam amandatus apparet: quem confedisse Carthagine apud Fortunatum diaconum, ac Sancti Augustini petitione scripsisse easdem Sancti Ambrosii res gestas, ea scriptione ipse confirmat. Quemque insuper illum putamus esse Paulinum, qui auctus diaconatu, in eadem Ecclesia Africana acerrimus insurrexit impugnator hæresis Pelagianæ, dum Carthagine primus omnium aduersus Cælestium in Episcoporum Concilio *f* strenue decertauit; qua de re dicetur suo loco.

DE PAVLINO SCRIPTORE VITÆ AMBR.

f *Aug. de pec. orig. cont. Pelag. li. 2. c. 2. 3.*

IV.

Quod igitur Anastasius Papa de Ecclesia vniuersali curam gerens, sciensque Africam ex Donatistarum schismate magnopere laceratam, de vnitate procuranda literas hoc anno dedisset ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem, aliosque Africanos Antistites: iidem vt eius satisfacerent monitis, Generale Concilium *g* ex omnibus Africæ prouinciis *Carthagine* celebrarunt Idibus Septembris huius ipsius anni Coss. Vincentio & Flauito. In quo illud imprimis actum est, vt in vniuersas Africanas prouincias, ad ipsarum Præfectos ac Iudices, penes quos Acta publica seruabantur, literæ scriberentur, vt curarent exquiri omnibus locis, in quibus Maximianistæ à prioribus Donatistis aulsi haberent Ecclesias, res inter eos gestas quæ in publica monumenta relatæ essent: idque idcirco, vt ex iisdem Actis ipsi Donatistæ manifesti conuincerentur erroris, frustraque se cernerent obiicere in Catholicos, quæ ipsimet sæpius perpetrassent contra Maximianistas: eoque magis debere ipsos, ob pacem totius Christiani Orbis, Catholicis reconciliari, eorumque baptismum recipere, etiam si verum esset eos communicatione Lapsorum olim inquinatos fuisse; quo & ipsi Donatistæ, ob bonum pacis Donatianæ partis, eosdem Maximianistas, qui ab illis schisma fecissent, in communionem recepissent, acceptassentque baptismum, queri iidem ab ipsis sæpe damnati & excommunicati dedissent.

g EXTAT *inser tum Conc. Afric. c. 31. Tom. 1. Conc.*

Sed & illud decretum est, vt ad ipsum imprimis Anastasium Apostolicæ Sedis Episcopum, cæterosque transmarinos Antistites scriberetur, vt Donatistis redire volentibus ad Ecclesiam indulgeretur, in iisdem ordinib. & honoribus apud suos ante susceptis (si hoc recipiens Episcopus conducere existimaret) perseuerare. Quod quidem olim sub Melchiade Papa in Romano Concilio, cum eisdem Donatistis fuisse transactum vidimus; sed postea in transmarina Synodo, ob eosdem Donatistas in schismate obstinatius persistentes, reuocatum fuerat. At in præsens Africani Episcopi id illis concedi postularunt, quod vniuersali Ecclesiæ paci & vtilitati id maxime profuturum intelligerent: concessumque ab Anastasio & congregatis cum eo Episcopis fuisse, certum illud est argumentum, quod cōstet *a* Africanos Episcopos ea vsos esse indulta auctoritate. His autem in Concilio Carthaginiensi stabilitis, quatuordecim reperiuntur statuti canones ad disciplinam Ecclesiasticam recte instituendam, restituendamque ex antiquioribus regulis; vt de cælibatu clericorum, de baptizandis infantibus, & aliis quæ relinquimus disquirenda lectori. Ad postremum illud additum est decretum, vt literæ Legatorum, qui vel tunc vel alias ex Concilio mittendi essent, scriberentur omnium nomine ab Episcopo Carthaginiensi.

V. CONCEDITVR DONATISTIS REDIRE AD ECCLESIAM HONORIS.

a *Aug. 2. cont. Crescon. 11. & 12.*

Quod ad res Orientales spectat: iisdem huius anni Coss. quarto Idus Aprilis (vt auctores sunt Socrates *b*, Sozomenus *c*, Marcellinus *d*, & alii) Arcadius Imperator auctus est filio, quem patris sui nomine *Theodosium* in baptismo nominari voluit: sequentis vero anni initio solemni ritu Imperatorem proclamauit, cum iam in ipso ortu natus in purpura acclamatus esset Augustus; prout docet Marcus diaconus, de quo mox dicturi sumus.

VI.

b *Socr. l. 6 c. 6*
c *Soz. l. 8. c. 4.*
d *Marcel. in Chron.*

THEODOS. IVN. NASCITVR.

Contigit enim eodem tempore, aduentus Constantinopolim *Porphyrii* Gazensis in Palæstina Episcopi, insignis pietate viri, patria Thessalonicensis, professione monachi: qui cum olim Hierosolymam visendorum causa locorum sanctorum peregrinatus esset, post multa ibi edita vitæ sanctissimæ exempla, à Cyrillo tunc eius Ecclesiæ Episcopo inuitus creatus est presbyter, custosque Ligni sanctissimæ Crucis factus: idemque postea à Ioanne Cæsariensi Palæstinæ Metropolitano diuino monitu accersitus, reluctans diu ordinatus est Gazensis Episcopus; ibique mira edens patientiæ exempla, in tolerandis multo tempore Gazensium Gentilium tam in se, quam in suos insultibus: (cum illi numero Christianos longissime superantes, & idolorum superstitioni deditissimi existentes, nullis non modis eos iugiter infectari consueuerant; vt etiam alias dictum est:) insuper antiquare nouauit in eorundem Gentilium conuersionem miracula. Cum vero nihilominus maxima illorum pars in obstinatione permanentes, quo magis viderent multiplicari Christianos, eo magis efferrentur, nec sinerent eos obire officia ciuilia, sed & alias grauissimas eis inferrent iniurias: demum idem sanctissimus Præsul, adito Ioanne Cæsariensi ordinatore suo, egit cum illo vt ambo ad Arcadium Imperatorem Constantinopolim nauigarent, petituri cum cæteram omnimodam Gentilium coercitionem, tum maxime demolitionem famosissimi Gazensium templi idoli *Marnæ*, quem Iouem esse dicebant. Sed quomodo hæc singula se habuerint, fuse describit prædictus Marcus *e* eiusdem Gazensis Ecclesiæ diaconus, qui comes itineris eidem Porphyrio Episcopo suo adhæsit, cunctaque intexuit Actis rerum ipsius gestarum: cum & ipse, sicut ibidem narrat, iam ante biennium eadem ex causa ad eundem Imp. ab eodem Porphyrio missus legatus, quæ petierat impetrasset; sed res ob ministri illius auaritiam, cui negotium ab Imperatore mandatum fuerat, haud integrum effectum sortiri valuisset.

VII. PROPHYRIVS GAZEN. AGIT APVD IMP. ADVERS. GENTILES.

e *Ap. Metaphr. & Sur. 26. Fe.*

VIII. Porro vt hæc tanta breui sermone contraham, iidem Ioannes & Porphyrius hiemis tempore Constantinopolim nauigantes, diuinis præcedentibus responsis, consilio Sancti Ioannis Chrysostomi illius ciuitatis Episcopi, & opera Eudoxiæ Augustæ, omnib. quæ petiissent ab Imperatore, in gratiam recens nati Theodosii pueri, & tanquam eius nutu, & Imperatoria auctoritate, obtentis; multisque aliis donis ac muneribus honestati, Gazam felici nauigatione reuersi sunt mense Aprilis: quos mox secutus cum cohortibus militaribus Cynegius V. C. ab Imperatore ad opus peragendum commissum; frementibus licet Gazensibus Ethnicis, omnia Deorum templa, quæ in ipsa ciuitate, eiusque ditione erant, vna cum omnibus idolis, penitus diruit atque confregit. Cum vero ipsum præcipuum Marnæ templum ita obseratum intus fuisset ab idoli sacerdotibus, vt adiri non posset; indicto ab Episcopo ieiunio, fusisq; ad Deum precibus, vt quid de eo faciendum esset reuelare dignaretur, accidit vt puer septennis repente exclamans, Syriaca primo patriaque lingua, postea vero (vt appareret ipsum non ex se loqui) Græca tam ipsi quam omnibus eius loci incolis penitus ignota, modum plane extraordinarium edixerit, quo vellet Deus templum comburi, inque eius locum ecclesiam ædificari: quod & statim effectum est, diruto funditus Marnæo, & in eius locum nobilissima extructa in formam Crucis ecclesia impensis Eudoxiæ Augustæ. Sed hæc omnia fusissime Marcus, aliaque plurima scitu dignissima, tam de ingentibus miraculis quæ in vniuerso isto negotio contigerunt, (ex quibus magna facta est accessio Gentilium ad fidem Christianam) quam de variis antiquis ritibus Ecclesiasticis: interque alios, de frequenti vsu *Processionum* præmio signo Crucis, deque *Vigiliis, ac Genuflexionibus*: necnon de nobili quadam femina Antiochena, nomine Iulia, religione Manichæa: quæ cum Gazam aduenisset vt recentes Christianos in suam sectam traduceret, disputare etiam ausa cum Sancto Porphyrio Episcopo, repente verbo eius tremebunda obmutuit, ac paulo post extincta misere periit. Cæterum quod semel ipse Porphyrius viam aperuisset ad egregia idolorum delubra sternenda; pari æmulatione incitatos Phœniciæ Episcopos id ipsum ab Arcadio petiisse, obtinuisseque, & executioni mandasse, eodem patrocinante Chrysostomo, qui magno pietatis zelo in opus incubuit; satis licet ex Theodoreto *a*, ac literis ea de re ab ipso Chrysostomo *b*, cum postea in Armenia exularet, scriptis, colligere.

MIRANDVM DE PVERO DOCENTE MODVM DESTRVENDI MARNÆI.

a *Theod. l.5.c.5*
b *Chryss. ep. 125.126.*

IX. CHRYSOST. AGIT PRO IVSTITIA CONTRA EVDOXIAM AVG.

Quoniam autem ex prædicto Marco diacono, fidelissimo auctore, ac quæ vidit scribente, certum redditur, iam eo tempore quo ipse cum prædictis Palæstinis Episcopis Constantinopolim aduenisset, atque etiam antequam natus esset Theodosius Arcadii filius Eudoxiam Augustam abalienatam fuisse ab amicitia Sancti Ioannis Chrysostomi, quod eam arguisset ob quandam possessionem iniuste ereptam; ex eo satis arguuntur errores, qui hanc rem aduersus Eudoxiam gestam ad tempus referunt, quo contra Chrysostomum Synodus Constantinopoli cogeretur. Cæterum qui res eiusdem Sancti oratione prosecutus est Leo Augustus, id accidisse ait, quod Imperatrix vineam abstulisset viduæ Theognosti cuiusdam V. C. qui in qua bonorum publicatione atque relegatione damnatus fuerat simul cum vxore & liberis: cumque monita restituere recusasset, eandem ab ipso Chrysostomo prohibitam fuisse ingressu ecclesiæ. Habet idem auctor & de alio patrocinio, quod idem Sanctus suscepit alterius cuiusdam viduæ Alexandrinæ; quam Præses Ægypti primo, & inde Eudoxia, certa pecunia debita fraudare conaretur: cui ab eis satisfieri Chrysostomus omnino curauit. Excusauit autem apud Eudoxiam, se hæc minime agere vt eius maiestatem contemneret, sed tum vt viduæ omni destituræ præsidio, ex diuinarum legum præscripto præsto esset, tum etiam vt animæ ipsius Augustæ bene consuleret, quod præcipuum esset Episcopalis dignitatis officium, curæ prospicere animarum. Addit vero insuper Leo de Theodorito quodam Patricio, qui quod esset ditissimus, ab eadem Augusta apperitus insidiis, consilio Chrysostomi omnia sua bona distribuens pauperibus, sancte illusit auaritiæ Imperatricis, quam quidem non nostri duntaxat, sed etiam externi *a*, turpis auaritiæ infamarunt. His autem quę Leo habet, cæteri *b* quoq; consentientia tradunt: ex iisque maximum ipsam Augustam aduersus Chrysostomum concepisse odium, affirmant omnes.

a *Zos. lib.5.*
b *Metaph. in Vit. Chrysost.*

X. DISSIDIA INTER CHRYSOST. ET SEVERIAN.

Sed illud valde auctum est ex dissensione, quæ hoc eodē anno post natum Theodosium subsecuta est inter eundem Chrysostomum & Seuerianum Gabalensem in Syria Episcopum, de quo superius; concitata ipsa per Serapionē diaconum. Qui Ioannis fretus gratia aduersus omnes insolescens, cum aliquando etiam ipsi Seueriano, ad locum vbi illse cum aliis erat accedenti, minime assurrexisset, eaq; de re indignatus Seuerianus exclamasset, *Si Serapion moriatur Christianus, Christus nunquam homo factus est*: hac arrepta occasione Serapion, prius eiusce modi Seueriani sententiæ membrum supprimens, subornatis testibus, retulit Chrysostomo Seuerianum asseruisse Christum nunquam factum fuisse hominem. Quapropter confestim Chrysostomus Seuerianum à ciuitate eiecit, vixq; precibus Eudoxiæ Augustæ, Seuerino fauentis, induci potuit vt eum in amicitiam reciperet. Ista quidem sic Socrates *c*, & alii *d*. Quod vero is subdit, etiam reconciliata inter eos amicitia, rubiginem tamen odii haud fuisse prorsus extersam: id quidem ex parte tantum Seueriani contigisse liquet: nam in iis quæ post hæc aduersus Ioannem concitatæ sunt turbæ, eum contra Ioannem stetisse, Palladius *e* tradit. Sed quod ad Ioannem; tantum aberat vt ipse in Seuerianum indigno remaneret animo, vt econtra populum in eum infensum oratione *f* habita omni adhibito studio delinire laborauerit.

c *Soc. l.6.c.10.*
d *Soz. l.8.c.10 Niceph. l.13.c.9*
e *Ap. Pallad. in dial. de Vit. Chryss.*
f *Chryss. ho. de recip. Seuer.*

IESV CHRISTI AN. 402.

INNOCENTII AN. 1.

ARCADII HONORII } AN. 8.

ANno Christi quadringentesimo secundo, Arcadio & Honorio Augg. quintum Coss. recrudescentibus Constantinopoli odiis Origenistarum causa susceptis, de quibus dictum est ante annum; eius hæresis sectatores monachi, ab Ægypto & Palæstina fugati, cum viderent frustra S. Ioannem Chrysostomum eos Theophilo Alexandrino reconciliare studuisse: desperata concordia, libellum aduersus eundem Theophilum Arcadio Imperatori dederunt, & quidem adeo grauibus refertum criminibus, vt Theophili caput in discrimen videretur adduci. Quod quia creditum est eos impellente Chrysostomo peregisse: ea dissipata longe lateq; fama, idcirco illum S. Hieronymus, tacito proprio, ob tanti viri reuerentiā, nomine, sub Barnabæ voce, ex Pauli *g* sententia, grauiter stigillauit in epistola ad Principiam *h*; dum ait ipsum non solum ductum esse in illam simulationem, sed & in apertum patricidium, quod non viribus, sed voluntate commisit. Inter hæc autem & monachos olim legatos à Theophilo missos, dedisse pariter aduersus prædictos Origenistas Imperatori libellos, asseruit Palladius *i*, qui de rebus eiusdem Chrysostomi vna cum Theodoro S.R.E. diacono interloquitur: qui quidem fauens Origenistis, eos libellos calumniarum à Theophilo confictarum refertos fuisse tradit; ideoque factum esse, vt id fassi iidem eius monachi, in carcerem trusi, alii male ibi perierint, alii postea in exilium pulsi fuerint: missusque ab Imperatore sit Alaphius Alexandriam, qui Theophilum inde Constantinopolim perduceret iudicandum. Sed de Theophili aduentu dicetur anno sequenti.

g *Gal. 2.*
h *Hier. ep. 16.*
i *Ap. Pallad. in dial. de Vit. Chryss.*

I. MONACHI ORIGEN. AGVNT CONSTANT. ADVERS. THEOPH.

Interea vero hoc ipso anno ibidem Constantinopoli, eadem ex causa concertationes haud leues eidem Sancto Ioanni Chrysostomo intercesserunt cum Sancto Epiphanio. Qui quidem cum primus aduersus Origenistas vexillum erexisset, ac postea Synodale decretum Concilii Alexandrini de anathemate Origenistarum, in alia Synodali

II. DISSIDIA INTER CHRYSOST. ET EPIPH.

habita

habita in Cyprio firmatum, Constantinopolim misisset, vbi se nihil profecisse, sed eos Constantinopoli foueri cognouit, confestim aduersus eos cominus pugnaturus, sponte eo se contulit. Verum in rebus illic ab eo gestis magna adhibenda est cautio, quod passim vera falsis admixta inueniantur, cum alii vel fauentes nimis Chrysostomo, vel studentes Origenistis in odium Theophili, complura quoque in Epiphanium falsa coaceruarint. Vnus Palladius cæteris in hoc prudentior visus est esse: qui licet fuerit Origenistis, res tamen gestas Epiphanii Constantinopoli scienter volensque prætermisit: & quamuis non ignoraret illum aduersatum fuisse Ioanni, eundem tamen ob excellentiam meritorum non potuit non laudasse, cum alioqui in cæteros omnes Ioanni aduersantes stylum exacuerit.

III. EPIPH. QVID CONSTANTINOPOLI.

Quamobrem vt multa prætereamus conficta in Epiphanium, quæ satis ex iis quæ iam superius sunt dicta refelluntur: illud tamen minime est omittendum, quod quamuis Socrates *a* & nonnulli alii dicant, Epiphanium ex Cypro traiicientem, cum in locum appulisset Constantinopoli vicinum, quem Hebdomon appellabant, illic ordinasse quendam diaconum, quod non licebat in diœcesi non sua præsumere: nihilominus cum de re tanta ne verbum quidem Sozomenus (Socrate longe accuratior, vt etiam Photius multis ostendit) iterum ipsius relegens habeat, licet & ipse, vt & ille, & alii, Origenistarum fautor extiterit, & in Chrysostomum aduersus Epiphanium propensissimus: id commentum esse, non sit dubitandum. Nimirum loco Ioannis Episcopi Hierosolymorum, acceperunt illi Ioannem Constantinopolitanum Antistitem. Ab eo enim de ordinatione diaconi ab Epiphanio in illius diœcesi facta, controuersiam motam esse, suo loco dictum est: nec vllo modo verisimile est, virum sanctissimum bis in idipsum impingere voluisse. Habet autem Sozomenus, Epiphanium cum ingrediens in vrbem à Ioanne totius cleri processione exceptus esset, manifeste prætetulisse, quod calumnijs aduersus Ioannem structis consensisset, quandoquidem inuitatus vt in ædibus Episcopalibus diuersaretur, non acquieuit. At vitandi communionem Chrysostomi, causa illa intercesserat, quod ante literis (vt vidimus) monitus de damnando Origene, eiusque errorum sectatoribus, Ioannes ab Epiphanio, minime ex causis superius recensitis obtemperasset.

IV. ERRORES, NON LIBRI ORIGENIS DAMNATI.

Sed & quod idem Sozomenus, atque alii omnes Chrysostomi defensores, vel Origenistarum fautores, ad inuidiam commouendam in eorundem aduersarios, vno ferme ore prædicant, Epiphanium tum antea in Synodo Cypria, tum postea in literis ad Chrysostomum scriptis, tum denique modo Constantinopoli conuocatis aliis Episcopis qui ibi reperti sunt, contendisse vt damnarentur libri Origenis: quod que apud Seuerum *b* æque traditur, Synodo Alexandrina veritum, ne quis legeret Origenis libros, vel eos penes se haberet: hæc, inquam, omnia quam procul à veritate abhorreant, satis apparet ex eiusdem Epiphanii literis ad Ioannem Hierosolymitanum scriptis, quas magna ex parte S. Hieronymus epistolæ *c* ad Pammachium aduersus errores eiusdem Ioannis inserit: vbi declaratur, magno studio Epiphanium curasse, vt Ioannem auocaret ab erroribus Origenis, non autem à lectione librorum eiusdem: sicut & in epistolis *d* vltro citroque datis inter ipsum, atque Theophilum, simulque Hieronymum, nihil prætereà actum est, nisi vt Origenis errores, & qui eis adhærerent, damnarentur. Nec aliud quidem accepit à Theophilo Epiphanius, nisi vt errores Origenis cum auctore ac sectatoribus condemnaret: de libris autem ne verbum quidem. Nec item Hieronymus de iisdem frequentius agens, de damnatione librorum omnium Origenis sermonem aliquando misceuit: immo ad Tranquillum *e* scribens, eos absque crimine legi posse, dummodo vitentur errores, significauit. Ac denique vt quis libros Origenis omnino damnandos esse senserit, neminem præter Faustinum quendam inuenimus, cuius ibidem Hieronym. meminit: quamuis non hæreses tantum Origenis, sed ipsarum auctorem Origenem tanquam hæreticum ab Ecclesia explodendum, idem S. Hieron. *f* ex sententia Epiphanii, absq; vlla dubitatione consenserit.

a Socr. l. 6. c. 11

b Seuer. dial. 1.

c Hier. ep. 61.

d Ibid. ep. 67. & segq.

e Id. ep. 76.

f Id. Apol. 2. aduer. Ruff.

Quod vero in epistola Anastasii Papæ ad Ioannem Hierosolymitanum (de qua postea) habetur, damnatam fuisse Imperatorum rescripto Origenis lectionem; ea vtique intelligenda est libri Periarchon, de quo totus est ille sermo Anastasii cum Ioanne: cuius operis editionem Latine redditam à Ruffino, Romæque vulgatam magno Fidelium detrimento idem Anastasius proscripsit vna cum eius auctore Ruffino. Deque eodem Origenis opere, errorum fonte, intelligendum puto quod reperitur in Rebus gestis S. Pachomii, ipsum execratum esse monachos legentes libros Origenis. Nam & Papa Gelasius *a* Origenis opera; quæ Hieronymus non repudiasset, legi posse decreuit, cæteris vna cum auctore reiectis. Ac denique his consentaneam fuisse Græcorum Patrum, qui Origenem impugnarunt, sententiam, nimirum vt præter errores cætera eiusdem auctoris scripta retinerentur; testatur Socrates *b*: sed illud perperam, dum eos sugillat, quasi ambitiose captare conatos laudem ex Origenis vituperatione. Sicut & illud omnino falsum, quod de Sancto Methodio subdit, eum ante quidem vituperasse Origenem, sed postea palinodia recantata summis laudibus extulisse: cum econtra auctore ipso Eusebio Cæsariensi *c* Episcopo eiusdem Origenis patrono, aperte constet, accidisse vt cum Methodius Origenem antea laudasset, postea contra ipsum commentarium elaborauerit: cuius lucubrationis meminit quoque S. Hieronymus *d*; citatque plurima ex ea S. Epipha. *e*. dum errores confutat Origenis. Ex quibus plane intelligis, Socratem Nouatianum, æque fuisse Origenistam, & quidem audacissimum, vtpote nouæ inuentorem Apologiæ Methodii nomine exornatæ, quam omnes Origenis defensores, Eusebius, Ruffinus, & alii, penitus ignorarunt. Sed quæ sunt reliqua rerum gestarum Epiphanii Constantinopoli, prosequamur.

V. PERIARCHON LECTIO VETITA.

a Gelas. in Rō. Conc. can. 1. de libr. apocrr.

b Socr. l. 6. c. 12

c Ap. Hieron. Apol. 1. in Ruff.

d Hier. de Scr. Ecc. in Method.

e Epiph. hær. 64.

SOCRATES, NOVATIANVS ET ORIGENISTA.

Intercessisse quoque inter ipsum & Eudoxiam Augustam altercationem quandam, Sozomenus *f* tradit; eam sc. ob causam, quod rogante Imperatrice vt Epiphanius pro filio suo morbo correpto oraret, negauerit ille se facturū, nisi prius ipsa Longos fratres, cæteroſq; monachos Origenistas vrbe pelleret. Additque, Imperatricem grauiter ideo in Epiphanium commotam, noluisse quidem monachos eiicere, sed eos iussisse ad ipsum accedere, scisciari qua de causa in eos commoueretur; cumque fassus ipse esset, audito duntaxat de ipsorum hæresi rescisse, postea suscepta ipsorum iusta defensione, eundem facti pœnitentem Constantinopoli recessisse. Hæc Sozomenus: sed quæ facile vnusquisque cernat in fauorem Origenistarum esse conficta. Cæterum Leo Augustus oratione de rebus gestis Sancti Ioannis Chrysostomi, ait Eudoxiam ideo commotam fuisse in Epiphanium, quod cum ipsa Chrysostomum accusans de hæresi, petisset ab Epiphanio vt in eum sententiam damnationis pronuntiaret; respondent Epiphanius, siquidem haberet Eudoxia vnde Chrysostomum hæresis conuincere posset, vocaretur ille vt causam suam ageret; sin autem ea proferret contumeliæ tantummodo causa, se minime ei assensurum: tuncque commotam illam, minatam esse, si Epiphanius impedimento esset quominus Chrysostomus mitteretur in exilium, se aperturam templa idolorum, & effecturam vt ea adorarentur; eamq; blasphemiam non valentem ferre Epiphanium, protinus abscessisse. Ista Leo; quæ & fusius apud Metaphrastem narrata habentur. Idem vero, æque ac Socrates & Sozom. (sed omnes ex incertis rumoribus, ideoque fides sit penes auctores;) scribunt, cum Epiphanius & Chrysostomus inter se litigarent, Epiphanium quidem Chrysostomo prænuntiasse Episcopatus amissionem; Chrysostomum autem Epiphanio, obitum in mari, antequam ad Ecclesiā suam peruenirent: idque de Epiphanio aiunt hoc eodem tempore accidisse, cum nauigans in Cyprum, defunctus est in via. Cur autem ante aduentum Theophili recesserit Constantinopoli, illam equidem existimo causam, quod quæstio illa de Origene & Origenis erroribus, iam translata videretur in mutuas criminum accusationes, quarum causa Theophilus ab Imperatore iussus esset Constantinopolim se conferre; eiusque agitando iudicio ipse minime interesse voluerit. Vel potius dixerimus, quod

VI. *f* Soz. l. 8. c. 15. INTER S. EPIPH. ET EVDOX. AVG. CONFLICTVS.

CHRYSOSTOMI ET EPIPH. PROPHETICÆ PRÆDICTIONES.

VII. S. EPIPH. OBITVS.

a *Hier. de Scr. Eccl. in Epiph.*
b *Ap. Palad. in dial. de Vit. Chryſ.*

APOCRYPHA DE EPIPH.

EIVS SCRIPTA.

c *Caſſio. de diuin. lect. c. 5.*

VIII.

d *Ext. tom. 1. Epiſt. Rom. Pont. & ap. Hier. to 9.*

IOANNIS HIEROSOL. RESIPISCIT.

Quæ de re agit Baron. hic, & an. 399. n. 38.
e *Aug. cont. lit. Petil. l. 2. c. 51.*
f *Hier. ep. 70.*

HIERO. APOLOGIÆ IN RVFF.

IX. QVALIS HIERON. IN HÆRETICOS.

NOMINA RVFFINO TRIBVTA.

ſciret ex aduerſo Theophilum ad deponendum è ſede Chryſoſtomum iam patare iudicium, ne & ipſe in eum cogeretur calculum ferre, antea matute diſceſſiſſe.

Cum autem quo deceſſerit anno, licet præſentem auctores prædicti ſignent, haud ſit adeo exploratum; certe decrepitum ætate obiiſſe, inde apparet, quod ante ferme decennium Hieronymus *a* de eo aſſeruerit, peruenisſe iam tum in extremam ſenectutem. Triginta autem & ſex annos ſediſſe Epiſcopum, Palladius *b* tradit. Et qui celebris in Eccleſia vixit, virtutibus, ſcientia, zeloque potiſſimum fidei Catholicæ commendatus, poſt obitum quoque relatus fuit tam à Græcis quam Latinis inter Sanctos anniuerſaria memoria celebrandus. Monuimus autem iam antea lectorem, Vitam illam Epiphanii, quam recitat Metaphraſtes, ſcatere erroribus: inter quos ille, qui ad hæc tempora ſpectat, adnumerandus, cum dicitur Epiphanius accerſitus eſſe Romam ab Arcadio & Honorio Imperatoribus, vt ſoroti ægrotanti ſuppetias ferret, atq; eam curaſſe, filiumque ipſius extinctum ad vitam reuocaſſe. Etenim nec Arcadius Romæ cum Honorio vnquam degit, neque probare quis poterit Epiphanium aliquando Romam veniſſe, niſi ipſo Theodoſij Senioris exordio, vt ſuo loco dictum eſt. Suntque & alia ibi plane delira, quæ prudens lector ex iis quæ de eo ſuperius ſunt enarrata facile dignoſcere poterit. Quod vero ad ſcripta pertinet, præter Panarium, & eiuſdem Epitomen, & Ancoratum, & de Gemmis libros & Res geſtas S. Hilarionis, quorum eſt certa mentio apud S. Hieronymum, & alios; eiuſdem quoque nomine ac titulo notantur libri de Menſuris atq; Ponderibus, necnon de Vita & obitu ſanctorum Prophetarum: meminitque Caſſiodorus *c* Commentarii ab eodem editi in Cantica Canticorum.

Hoc eodem anno Anaſtaſius Papa interpellatus literis Ioannis Hieroſolymorum Epiſcopi, de cauſa Ruffini Aquileienſis presbyteri; reſcripſit *d* ad eum de iis, quæ tum ab ipſo Ruffino, tum aduerſus ipſum hactenus Romæ geſta eſſent; de quibus nos ſuperius. Quod vero eundem Ioannē Anaſtaſius multum ea epiſtola laudet, inde videas ipſum abeuntem olim poſt errores Origenis, iam melioti frugi redditum, fide Catholica vbique his temporibus ſaltem exterius nituiſſe, quod etiam confirmatur auctoritate S. Auguſtini *e* ſcribentis contra literas Petiliani, vbi Orthodoxos cum illo Catholica vnitate connexos eſſe dicit: nec non ipſius Sancti Hieronymi *f*, reſpondentis ad epiſtolam Theophili Alexandrini, qua Ioannem excuſat de communicatione, ante cum Origeniſtis inita, cum eum olim eadem ex cauſa acriter (vt vidimus) exagitaſſet. Meminit autem prædictæ ad eum ſcriptæ ab Anaſtaſio epiſtolæ frequenter Hieronymus, & tanquam telo potenti vtitur in Apologiis ſuis, quas hoc eodem anno (vt ſatis indicat) elaborauit aduerſus maledica ſcripta à Ruffino in ſe promulgata. Sed quod non ſtatim ac edita ſunt integra Ruffini ſcripta, ſed auditu tantum quædam eorum capita percepta, Paulinianus Hieronymi frater ad ipſum agente Bethleem detuliſſet; vberiorem pollicitus eſt eorundem confutationem, cum in manus ſuas peruenisſent quæ catenus auctor publice prodere metuiſſet, & tantum confœderatis legenda eſſe decreuiſſet. Id enim ipſe Hieronymus priori Apologia teſtatur. Vt non mireris, ſi plura legeris in Ruffini inuectiuis, quæ haud inuenies in aduerſariis Hieronymi reſponſionibus confutata.

Porro his, & aliis in eundem Ruffinum exaratis ſcriptis, videas ipſum ſanctiſſimum virum omnia in ſe iactata retorquere iacula in aduerſarium, erectaque ac plane inflexibili ſtantem ceruice, (ſicut & quandocunque aduerſus hæreticos agendum fuit: magnis ſemper atque vehementibus ſpiritibus inſurrexit; quem alioqui præ cæteris virtutibus, ſumma præditum fuiſſe animi demiſſione, quam vſitatiori vocabulo dicimus humilitatem, cum res ab eo geſtæ, tum alia ſcripta manifeſte declarant: quem vtinam imitati eſſent, qui eum faſtus & ſuperbiæ ſumma arrogantia & immenſa temeritate redarguunt:) eximia eum eloquentiæ vi exagitare, deprimere, deridere interdum, dicteriſque deludere, & accommodatis ad mores hominis nominibus appellare: veluti cum illum ſæpe *Grunnium* vocat, quod res nullius pretii ſcriberet, alludens nimirum *a* ad illum Grunnium Carocottam, cuius teſtamentum Porcelli ſolerent cachinnantes pueri in ſcholis ludibrio proſequi, vel cum eundem *Alecto b* nominat, ob furorem; *Luciumque Lucinium, & Aſinium Pollionem*, ob æmulationem, quod alter ipſorum Terentium, Ciceronem alter fuerit æmulatus: itidemque aliquando *c Calphurnium Lanarium*, ob dolos & fraudes. Porro non detegendi, ſed potius contegendi cauſa hominum crimina conſueuiſſe Hieronymum alieno nomine ſæpe eos appellare, ipſe alibi *d* declarat.

Quod vero ad Ruffinum pertinet; tantum abfuit vt parato eiuſmodi antidoto curaretur, vt etiam immenſo furore percitus, cum accepiſſet in ſe editos ab Hieronymo duos prioris Apologiæ libros; tunc ad eum libros ſuos miſerit, epiſtolamque addiderit acerbiſſimam, qua, niſi taceret, mortem ipſi minatus fuerit, ſimulque tribunal ſæcularium iudicum, acturus ſaltem in eum actione iniuriarum: quod teſtatur ipſe Hieronymus Apologia ſecunda. Eoque tandem idem prolapſus eſt, vt poſt Origenis errores quos fouit, Pelagianæ hæreſis aſpides ex eis obortos, percaram ſibi ſobolem enutriuerit, quod proprium eſt hæreticorum, ſemper in deterius ferri, quouſque in imum impietatis prolabantur, iuſto Dei iudicio condemnati, vt ipſi ſibi malum inferant, quod nec ab hoſtibus paſſuri eſſent. Quomodo autem hæc acciderint, patebit ſuo loco.

Hoc eodem anno *S. Anaſtaſius* Romanus Pontifex ex hac vita migrauit, vt Marcellinus Comes & Sanctus Proſper docent, dum ſub huius anni Coſſ. Innocentium eidem ſuffectum ponunt. Sed & quæ Sanctus Hieronymus in prædictis Apologiis hoc anno conſcriptis de eodem Anaſtaſio habet, ad hunc ſaltem ipſum vixiſſe annum perſpicue demonſtrant: necnon Concilium Carthaginienſe anno ſuperiori Idibus Septembris celebratum, vbi de viuente adhuc Anaſtaſio fit mentio. Quapropter cum omnium ſententia conſtet, defunctum eſſe in fine menſis Aprilis; illi arguendi ſunt erroris, qui anno ſuperiori eum obiiſſe, quiue tres duntaxat annos ſediſſe tradunt: quem habita ratione temporis quo ſedere cœpit, nimirum anno Domini trecenteſimo nonageſimo octauo pridie Idus Martias, & obitus eius, quem hoc anno contigiſſe ponimus quinto Calendas Maij; (vt habet Liber de Romanis Pontificib.) dicendum eſt, ſediſſe annos quatuor, menſem vnum & dies tredecim. Sepultus autem eſt in Cœmeterio ſuo ad Vrſum Pileatum.

Quod autem eodem Libro de Rom. Pontiff. inter alia ab eo ſtatuta, traditur decreuiſſe, vt dum Euangelium in eccleſia recitaretur, ſacerdotes non ſederent, ſed curui ſtarent; inde eiuſmodi ſanciendi decreti occaſio fluxiſſe videtur, quod graui Romæ his temporib. inter presbyteros & diaconos oborta contentione, dū hi adminiſtrantes res Eccleſiæ ſupercilio elati ſpernerent presbyteros, presbyteri autem ex conſuetudine Romanæ Eccleſiæ, ipſis in eccleſia ſedentibus diaconos ſtare debere contenderent; eo vſque contentio pertinax progreſſa eſſet, vt etiam cum ſtantes diaconi coram populo legerent Euangelium, presbyteri minime è ſeſſione conſurgerent: quod vt enorme factum Anaſtaſius Papa emendandum ſancito eo decreto putauit.

Porro de huiuſmodi inter Presbyteros & Diaconos diſceptationibus, quamque contra ius faſque diaconi Eccleſiæ Romanæ aduerſus presbyteros inſoleſcerent, adeo vt inter eos ſedere, atque etiam in domeſticis conuiuiis benedictiones eis dare præſumerent, & quibus de cauſis ea ſibi vendicarent pluribus diſſeritur apud SS. Auguſtinum *f* & Hieronymum *g*. Denique quod illud non Romæ tantum, ſed in omnibus Eccleſiis commune diaconis eſſet, vt bona Eccleſiæ adminiſtrarent: eius rei cauſa pariter contingebat, vt vbique diaconi à populo maiori frequentarentur quam ſacerdotes obſequio. Hincque obortas videas querelas illas Honorati Archidiaconi Salonitani apud Sanctum Gregorium *h* Papam, cum queſtus eſt degradari ſe potius quam prouehi, cum ab eo in presbyterum ordinari tentaretur. Quamobrem iam olim, ad huiuſmodi

proca-

a *Hieron. præfat. l. 11. in Iſa.*
b *Id. in Agge. c. 3.*
c *Apol. 1. & 2.*
d *Præf. in Hieron. l. 4.*

X. RVFFINVS IN DETERIVS LAPSVS.

XI. ANAST. PP. OBITVS.

XII. DIACONOR. AC PRESBYTERORVM ROMÆ DISSIDIA.

f *Aug. ep. 81. ad Hier. ep. 82. ad Aug.*
EX BONOR. ADMINISTRATIONE ORTA DIACONOR. SVPERBIA.
g *Hier. Epiſt. 85.*
h *Greg. Epiſt. l. 11. ep. 14.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

procaciam diaconorum retundendam, Magnum Concilium Nicænum, diaconi nequid præter ius fasque præsumerent, atque vt inferiores presbyteris se agnoscerent, & nec sedere in medio presbyterorum præsumerent, edito canone *a* sanciuit. Quem & ipsum eadem ex causa Ecclesia Africana inseruit Concilio *b* Carthaginiensi Sexto dicto. Et cum excisis ramis malum sæpe repullularet, sæpe quoque Ecclesiasticæ censuræ securi succidi oportuit: ac præsertim in Romana Synodo *c* sub Gelasio Papa, & Gallicanis Conciliis *d* Arelatensibus & Andegauensi *e*.

a *Conc. Nic. c.* 18.
b *Conc. Carthag.* 6. *c.* 18.
c *Conc. Rom. sub Gelas. c.* 9. 10.
d *Conc. Arel. I. c.* 18. *& II. c.* 15.
e *Conc. Andeg c.* 3.

XIII. De Epistolis Anast. PP.

Sed vt ad Anastasium Papam redeamus: duæ eius nomine habentur scriptæ Epistolæ Decretales: sed quarum prior, cum data reperiatur Coss. Arcadio atque Bautone, ante annos ab eiusdem Anastasii ingressu quatuordecim, plane apparet (si legitimam, & non suppositam eam esse velimus) aliis Pontificib. quam Anastasio adscribenda: cum & alioqui maxima eius pars, vbi agitur de Manichæis, reperiatur apud S. Leonem Magnum in epistola secunda data ad vniuersos Italiæ Episcopos. Scimus tamen auctoritate prædicti Libri de Rom. Pontiff. ipsum Anastasium Manichæos Romæ inuentos exagitasse; & in eorum reprobationem constituisse, nulla ratione transmarinum hominem in clericatus honorem suscipi, nisi quinq; Episcoporum designaret chirographum. Sed & constat eundem complures epistolas conscripsisse, in causa præsertim Origenistarum & Donatistarum: & inter alias, ad Vrsinum de Incarnatione Filii Dei, cuius tria habentur fragmenta in appendice ad Breuiarium Liberati diaconi. Cæterum post eius obitum cum sedes vacasset dies viginti vnum, decimo quinto Calendas Iunii INNOCENTIVS Albanus, Innocentii filius, creatus est Romanus Pontifex.

INNOCENTIVS PAPA.

Hoc item anno, tertio Idus Nouembris, eximium illum atque mirificum S. Martinum Turonensem in Gallia Episcopum, diem extremum clausisse, ex testificatione Seueri atque Gregorii, aliisque certis notis iam satis est superius *f* in eius Baptismo & Episcopatu demonstratum; cum sedisset annos viginti sex, menses quatuor, & dies viginti septem, vixissetq; annos octoginta sex. Ex quibus erroris arguuntur, qui Cæsario & Attico Coss. suæ ætatis anno octogesimo primo, S. Martinum obiisse tradunt. Siquidem & Franci veteres Scriptores, qui ab eius obitu annos numerare consueuerunt, assertionis nostræ adstipulatores esse conuincuntur, dum ab hoc anno quadringentesimo secundo annorum numerum deduxisse noscuntur: atq; (vt prætermittamus alios) idem Gregorius Turonensis Episcopus, licet sub Consulatu Cæsarii & Attici obitum Martini referat, tamen dum Clodouei Francorum Regis mortem contigisse dicit ab obitu S. Martini anno centesimo duodecimo, plane ab hoc tempore numeri exordium ducit, cum constet Clodoueum peruenisse ad Pontificatum Hormisdæ Papæ, ad quem coronam dono misit. Putatur quidem irrepsisse mendum apud ipsum Gregorium *g*, dum S. Martinus decessisse asseritur anno quadringentesimo duodecimo à Passione Domini, cum numerandi fuissent (vt dictum est) à Natali Domini anni quadringenti duo. Nam & rursum hoc eodem anno contigisse eius obitum, ex S. Prospero etiam sibi vendicat Sigebertus in Chronico: verum errore labitur, dum pro quinto Arcadii Consulatu quo obiit, quintum eiusdem ponit Imperii annum; sicut & cum ætatis Martini numerat annos octoginta vnum; necnon cum eundem decessisse refert ante S. Ambrosium, quem luce clarius vidimus ante annos quinq; ex humanis desiisse; vnde & quod Gregor. tradidit, interfuisse per visum S. Ambrosium adhuc viuentem S. Martini funeri, euanescere videtur.

XIV. S. Martini obitus.
f *Sup. an.* 351. *n.* 6. 7. 8. *&* 375. 3.
[Videtur tamen saltē error esse in calculo annorū Episcopatus eius: qui si anno 375. mense Iulii inceperit, vtiq; hoc 402. mense Nouemb. dicetur attigisse per aliquot menses 28. Nec sane abnuerim, chronologiæ ætatis annoq; S. Martini aliquam his Annalibus esse illatam: quæ ex aliorum quorundā locorum collatione æque deprehendi, iam alii obseruarunt.]
g *Greg. Tur. l. hist.* 48.

Cæterum Seuerus Sulpitius, qui S. Martini adhuc viuētis res gestas conscripsit, de eius ad cælum conscensu per visum certior redditus, ad Aurelium diaconum epistolam scripsit; itidemq; de obitu atq; funere extant ipsius ad Bassulam socrum literæ. Edidit & postea de rebus gestis eiusdem Sancti, simulque de nonnullis Ægypti monachis, tres Dialogorum libros: sed qui haud eo accepti sunt plausu, quo Vita ipsius ab eo scripta: siquidem illam toto pene orbe mox diffusam *h* fuisse constat: hi autem plura habent emendatione digna, in quibus S. Hieronymus *a* deprehendit errorem Millenariorum; vt etiam meruerint à Gelasio *b* Papa inter apocrypha recenseri. Testatur quoque Gregorius *c* Turonensis. Res gestas eiusdem Sancti scriptas esse carmine à S. Paulino Nolano Episcopo quinq; libris: insuperque adiecisse sextum librum de miraculis post obitum editis: idque ipsum affirmasse videtur Venantius *d* Fortunatus. At si verum est quod idem Gregorius *e* ait, Paulinum mutuatum esse à Perpetuo Episcopo Turonensi, quæ libro sexto de miraculis S. Martini conscripsit; plane asserendum erit, alium istum esse Paulinum ab illo Nolano; cum ab obitu S. Martini vsque ad sedem Perpetui, ex supputatione eiusdem Gregorii, anni numerentur sexaginta quatuor: ad quod tempus minime Paulinum peruenisse constat, qui defunctus est anno Domini quadringentesimo trigesimo primo, sub Consulatu Bassi & Antiochi. Sed & Paulini ipsius; Vitæ Martini auctoris, euidenti assertione satis exploratum habetur, ipsum alium esse ab illo mirifico Nolano, dum se exemplo illius Nolani cutatum à S. Martino lumine oculorum tradit *f*. De Nolano namque, à S. Martino oculo infirmo curato, testis est etiam Seuerus. Sicut autem Paulinus ille iunior, æger oculis curatus miraculo S. Martini, pro gratiarum actione rependit de eius vita & miraculis carmen heroicum sex libris distinctum: ita & Venantius Fortunatus, pariter sanatus oculis iam caligine penitus obductis, vngens eos oleo, quod ritu antiquo in lychno ad Imaginem eiusdem Sancti ardebat: scribendi itidem carmine heroico ipsius Sancti Vitam quatuor libris consilium iniit, vt ipse testatur ad finem illius operis.

a *Hieron. in Ezec. c.* 36. *l.* 11.
b *Gelas. decr. delib. apocry.*
c *Greg. Tur. de mirac. S. Mart. c.* 2.
SCRIPTORES ALII RERVM S. MARTINI.
d *Fortun. Vit. S. Mart. li.* 1. *&* 2. *prope fi.*
e *Greg. ib. c.* 3.
PAVLINI PLVRES.
f *Paulin. in Vit. S. Mart. lib.* 2.

Hoc eodem anno, sexto Calendas Septembris, in Numidia celebratum est ab Episcopis totius Africæ Generale Concilium *g* Mileuitanum, præside Aurelio Carthaginiensi Episcopo omnium Primate, eidemque assistente Xantippo Episcopo Constantinæ, Numidiæ Primate, quod quidem Mileuitanum Primum dicendum est, cum aliud inueniatur celebratum sub Siluano eiusdem Numidiæ Primate, post annos quatuordecim; vt ex literis Innocentii Papæ ad eam Synodum intelligi potest, in notatis ibi Theodosio Augusto & Palladio Coss. quæ & habita noscitur post damnatam in Synodo Carthag. nensi Pelagianam hæresim, cum hoc tempore nondum ea hæresis cognita esset. Oborta tamen est librariorum, seu potius collectorum vitio, vtriusque Mileuitanæ Synodi confusio, ex eo quod præfatio istius prioris præfixa fuit posteriori. Sciendumque est, apud Concilium Africanum *h* sic haberi intexta Acta quædam huius Mileuitani Concilii, vt tamen cum amborum Imperatorum ponitur Consulatus, quotus ille fuerit minime exprimatur, sed sic tantum positi leguntur, *Gloriosiss. Impp. Arcadio & Honorio Augg. Viris Clariss. Coss.* vbi errore imperitorum librariorum, loco V. C. numeri notæ, qua exprimitur quintus eorundem Consulatus, scriptum fuit *Viris Clarissimis*: cuiusmodi nomenclatura abhorret ab Imperatoribus; solita tantum poni, vbi alii sub Imperatoribus constituti nobilissimi viri, eadem Consulatus dignitate donabantur.

XVI. CONCIL. MILEVIT. PRIMVM.
g *Tit.* 1. *Conc.*
CONFVSÆ SIMVL DVÆ SYN. MILEV.
h *Conc. Afric. c.* 52.

Quod autem pertinet ad eiusdem Acta Concilii; post confirmata Synodalia decreta, diuersorum Episcoporum atque presbyterorum causæ in medium sunt allatæ: atque inter alias, decisa controuersia duarum sedium in Numidia positarum, quænam potior habenda esset. Cum enim in duas prouincias diuideretur Numidia, eædemque duæ dictæ Numidiæ, vt Acta Synodi Carthaginiensis *i* Sextæ dictæ demonstrant; ob idque altercatio oborta esset inter Xantippum Episcopum Constantinæ, Numidiæque Primatem, & Victorinum Episcopum alterius ciuitatis, primatum eiusdem vniuersæ prouinciæ sibi vendicantem: (de qua etiam altercatione mentio habetur in epistola ad eundem Victorinum à S. Augustino *k* scripta:) hac Mileuitana Synodo Patres *l* causam adiudicarunt Xantippo, sedique Constantinæ, quam & Iustinianus *m* Imp. primam Numidiæ esse nouit, sicut in prouincia Mauritaniæ Cæsaream, in Byzacena Capsam, in Tripolitana Leptim.

XVII. DE PRIMATV NVMIDIÆ CONTROVERSIA DECISA.
i *Conc. Carthag. 6. in præf.*
k *Aug. ep.* 137
l *Conc. Afric. c.* 53.
m *l. C. de Afr.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 403.

INNOCENTII AN. 2.

ARCADII HONORII AN. 9.

I. CONSPIRATIO ADVERSVS CHRYS.

ANNO Christi quadringentesimo tertio, Theodosio puero Aug. & Rumorodio Coss. Theophilus Alexandrinus Episcopus Constantinopolim venit, vocatus (vt vidimus) ab Arcadio Imp. vt responderet libellis aduersus ipsum oblatis à monachis Origenistis. Cum autem eo iam ante ipsum aduenisset Acacius Episcopus Beroœensis, fama notissimus cum ob monasticam anteactam in Syriæ solitudine vitam, tum etiam sacrarum peritia literarum; hunc Palladius *a* ait indignatum aduersus Ioannem Chrysostomum, quod non satis honestum sibi datum esset diuersorium, coniunctum Seueriano Gabalensi & Antiocho Ptolemaidis Episcopis, (æmulis in dicendo eiusdem Ioannis eloquentiæ, de quibus dictum est superius) Antiochiam primum communi consilio misisse, vt adolescentiæ Ioannis crimina studiose inquirerent; sed cum nihil reperire potuissent, Theophilum Alexandria accersisse. His vero eodem tempore accessit, vt cum Ioannes pro concione mulieres acerbe exagitasset, & aliquando opportuna data occasione; ab illo Regum *b* exordium sumpsisset, *Congregate ad me sacerdotes dedecoris, qui comedunt mensam Iezabel, &c.* hæc vt dicta aduersus Eudoxiam Augustam, quæ eosdem Seuerianum, Antiochum, & Acacium Constantinopoli alieret, interpretati aduersarii, effecerint vt quæ in Ioannem alioqui iam antea per infensa esset, his nunc acrius commota, de eius depositione per Theophilum machinanda sedulo cogitauerit. Quæ cum Socrates *c* & Sozomenus *d* ante Theophili aduentum acta velint; Leo *e* Imp. & Metaphrastes *f* post eiusdem aduentum referunt: quod si verum est, certe quidem, inter sacerdotes Iezabel & ipsum Theophilum adnumeratum oportuit.

a *Ap. Pallad. in dial. de reb. gest. Chrys.*

b 3. *Reg.* 18.

c *Socr. l. 6. c. 14.*
d *Soz. l. 8. c. 16.*
e *Leo Aug. in Enco. Chrys.*
f *Metaphr. in Vit. Chrys.*

II. THEOPH. ALEX. ADVENTVS CONSTANTINOPOLIM.

His igitur, aliisque eiusmodi casibus factum est, vt qui ad dicendam causam vocatus fuerat Theophilus, idem in itinere multis collectis Episcopis, quasi triumphum agens aduenerit Constantinopolim: vbi nautarum Alexandrinorum, qui tunc ibi reperti sunt, lætis acclamationibus exceptus, (nemo enim ex clericis obuiam ei processit) ingressus vrbem, diuerrit in Palatium Imperiale. Narrant hæc pluribus Socrates, Sozomenus, & Palladius. Sed ipse Chrysostomus epistola ad Innocentium Papam, Theophilum in suburbio mansisse tradit, nec ciuitatem ingredi voluisse. Porro accidit plane Theophilo, vt bene currenti pedibus in via lapse; cum in declium præceps adactus ruina alterius, casu grauiore corruit. Siquidem cuius laudandus fuit impetus ille, quo Origenistas persecutus est, (id quidem pleno ore SS. Hieronymus, Epiphanius, Anastasius Papa, ac denique omnes Occidentales, magnaque Orientalium pars, summis laudibus prædicarunt:) eum prætermissa causa publica, inimicitias priuatas in S. Ioannem Chrysostomum, talem ac tantum virum, exercere cœpit; aperuit calumniantib. ianuas obtrectandi, & optimos quosque à se abalienauit, redditus etiam posteris eo nomine odiosus. Ait igitur Palladius, remoratum Constantinopoli Theophilum tres dierum hebdomadas, neq; cum Ioanne congressum esse, neque omnino propinquasse ecclesiæ; sed perstitisse certantem nocte ac die vt eundem Ioannem pelleret, ac vita etiam priuaret, corruptis auro potentibus, & spe maiorum dignitatum attractis ad se nonnullis clericis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, alioqui patrum erga suum ipsorum Episcopum ob duras eius reprehensiones æquis; iunctisq; sibi Episcopis illis, quos in Asia vidimus à Ioanne depositos, necnon prædictis Seueriano, Antiocho, & Acacio, itemq; Cyrino Episcopo Chalcedonensi omnium factiosissimo.

His igitur omnibus simul cum ira Augustæ, aliarumque clarissimarum feminarum, concurrentibus, idem Theophilus cum triginta sex factionis suę Episcopis, conuenientes in vnum *Chalcedone* in suburbio Ruffini, loco *Ad Quercum* dicto; (trans pontum enim Synodum celebrandam delegerunt, ob turbas euitandas populi Constantinopolitani in Ioannem propensissimi, hocque tempore diu noctuque solicite pro illo excubias agentis;) susceptis aduersus eundem Ioannem accusationum libellis, oblatis à duobus clericis, quos ille ob patrata scelera ab Ecclesia expulerat; ipsum per tres Episcopos Constantinopolim missos citarunt, vt de obiectis crimmibus responsurus Chalcedonem accederet. Erant tunc cum Ioanne quadraginta Episcopi, ex variis prouinciis Constantinopolim accersiti ad iudicium de Theophilo agendum: qui eiusmodi sese opponentes citationi, per alios tres ex suo ipsorum numero Episcopos & duos presbyteros Theophilo rescripserunt, vt ipse potius Constantinopolim veniret, vbi maior numerus Episcoporum esset, iudicandus de septuaginta capitibus criminum, quæ prius in ipsum oblata fuissent; nec contra Nicæni Concilii canones, quos ipsemet pro se antehac in simili causa protulisset, præsumeret causas Episcoporum extra terminos suos cognoscere. Hæc quidem Episcopi, qui cum Ioanne erant: at vero ipse Ioannes suo peculiari nomine iis qui ad Quercum erant rescripsit, se quocunque ipsi vellent processurum, modo iudices non expectarentur, quos iniuste inimicos atque accusatores patiebatur, Theophilum, Acacium, Seuerianum, & Antiochum. Post quæ Legatis Synodi exeuntibus, confestim ingressus est Notarius Imperatoris, (quem & ipsum Eudoxia Augusta in Ioannem commouerat) cum edicto regio, per quod Ioannes etiam inuitus trahi iuberetur ad iudicium: Ac deinque postquam ei quoque responsum esset, mox duo ipsius Ioannis presbyteri adfuerunt, eum pariter ad Synodum citantes; quibus & eadem facta est responsio. Hæc omnia pluribus Palladius; qui & ipse inter quadraginta illos Episcopos ei tunc astitit, puta Helenopoleos in Bithynia Episcopus. Socrates *a* vero atque Sozomenus *b* addunt, iam quarto à Synodo Quercus ad iudicium Episcoporum vocatum Ioannem, demum post alia prouocasse ad Synodum Oecumenicam: Clerumque Constantinopolitanum ad eandem Synodum esse pariter vocatum, comminatione depositionis, si venire detrectaret.

III. CONCIL. AD QVERCVM ADVERSVS CHRYS.

CHRYS. RESPONSIO AD CITATIONEM SYNODI.

a *Socr. l. 6. c. 14.*
b *Soz. l. 8. c. 17.*

Cæterum cum tam ab Episcopis qui cum Ioanne erant, quam ab ipso Ioanne plures causæ fuerint allatæ, cur haud teneretur se Synodali illi sistere iudicio; certe quidem minime prætermissum esset, cum & tempus peropportunum & vrgens necessitas imperasset, Constantinopolitanæ Oecumenicæ Synodi illum citare canonem, (si re vera sancitus fuisset, & non per impostaram annexus) quo decernitur, sedem Constantinopolitanam primum post Romanam tenere debere locum; ac proinde nihil iuris sibi Theophilum vendicare potuisse in Ioannem, si inferior Ioanne fuisset. Sed quod alia iura noua deficerent, ad antiquum duntaxat canonem *c* Nicæni Concilii prouocatum est, quo limites Ecclesiarum fuerant definiti: vt placane intelligas, nullam penitus penes Ioannem, eique adhærentes Episcopos, fuisse canonis illius suppositritii cognitionem.

IV. ASCITITIVS CANON DE ECCLESIA CONST. ADGVITVR.

c *Can. Nic. 6.*

Quod vero spectat ad accusationes in Ioannem intentas; earundem Synodi Acta summatim Photius *d* colligens, quadraginta sex earundem recenset capita, quorum viginti nouem ab ipsius Ioannis clericis obiecta fuerint, vnum à Ioanne quodam monacho, sexdecim ab Acacio Beroœensi; ob quæ tradit eundem Ioannem fuisse depositum à quadraginta quinque Episcopis qui ei Conciliabulo interfuerunt, in quo (vt ait) accusatores iidem testes & iudices exstiterunt. Verum subiit interdum animum meum haud letitiæ. quis suspicio de Actis illis quæ Photius recitat, quod spuria sint, & ab aduersariis Sancti Ioannis Chrysostomi post eius obitum conficta: Quandoquidem in eis desiderari videntur, quæ in se ab illis Episcopis obiecta fuisse, ipsemet Chrysostomus scripsit ad Cyriacum Episcopum cum à sede deiectus est: nimirum quod ad communionem non

V. d *Phot. in Biblioth.* ACCVSATIONES IN CHRYSOST.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ielunos recepisset; itemque quod cum muliere dormiuisset. Habentq; & alij alia, quæ in Photij Actis minimè sit reperire: veluti quod Sozomenus a habet de monachis Origenistis pœnitentibus, à Theophilo in communionem receptis: Palladius vero de male habitis Episcopis illis; quos Ioannes, & qui cum ipso erant Antistites, ad eandem Synodum Quercus miserit.

a Soz. l. 8. c. 13.

VI. PELLITVR CONSTANTINOPOLI.

Porro depositionis sententia per cõtumaciam ac causæ detrectationem in Ioannem lata, eademque ad Imperatorem perlata, (vt Palladius narrat) idem Ecclesia pulsus, misso ad hoc Comite cum auxilio militum, Prenetum Bithyniæ emporium è regione Nicomediæ situm se recepit. Cuius quidē exturbationem profundo iam vespere factā esse, ac per milites violenter abductum, inectumq; in nauem, prosequente eum omni plebe lamentatione miserabili; idem ipse Ioan. docet Epistola, quam sequenti anno ad Innocent. Papam scripsit. Ex qua arguendi sunt, qui id meridie factū, ipso se aduersarijs offerente clam populo, qui eum vigilantissimo studio custodiebat ne abduceretur, Socrates & Sozomenus tradunt. Addunt vero de ingenti seditione à populo concitata, eademq; ex eo magis aucta, quod Seuerianus in concione palam dixisset, Ioann. licet nullius alterius crimine esset conuictus, iure tamen propter superbiam & arrogantiam ipsius abdicatum esse: itaq; Eudoxiam Augustam, ipsumque Imperatorem, populi seditione precibusq; commotos, sine mora Ioannem reuocādum curasse, misso ad eum Bassone Augustæ eunucho, qui eum è Prenecto Constantinopolim reduxit. Hæc illi. Sed habet insuper Leo Augustus, terræmotum quoq; factum esse, quo cubilis Imperatoris pars collapsa est; eoq; ipsum perterritum, continuo Ioannem reuocasse. Palladius autē meminit tantum leuioris terræmotus, qui in suburbio Cōstantinopolis factus esset. At vero Theodoretus b eius veritatis certior adstipulator, ait cum noctu terræmotus factus esset, & terror inde Imperatrici incussus; prima luce missos esse legatos ad Ioannem, oratum vt quamprimum in vrbē rediret, eamq; à periculo impendenti liberaret; postq; hos rursum alios missos esse, atq; iterum alios, adeo vt Bosphorus refertus esse Legatorum turba: vbi vero populus id intellexit, ostium Propontidis nauigijs operuisse, omnes cum cereis accensis obuiam Ioanni procedentes.

b Theod. l. 5. c. 34.

REVOCATVR CVM HONORE.

STVDIA POPVLI PRO EO.

VII.

Addunt insuper Socrates & Sozomenus, Chrysostomū ad suburbium Constantinopolis aduenientem, decreuisse non prius in vrbem ingredi, quam maioris Synodi iudicio innocens probatus esset: sed à populo coactum, non solum in ciuitatem intrasse, sed & eodem actus vrgente, in ecclesia sedem Episcopalem conscendisse, ac populo benedixisse, concionemq; habuisse: quod postea illi (vt dicetur) crimini versum est. Ipsum vero petisse ab Imperatore, suam causam tractari in legitima Synodo, habet ipsemet in nuper citata ad Innocentium Papam epistola. Quod autem Sozomenus addit, eundem à sexaginta Episcopis Constantinopolim conuenientibus absolutum fuisse, irritaq; reddita Acta Synodi ad Quercum: hæc ex iis quæ Palladius scribit improbantur, dum ait postea Theophilum canone Antiochenæ Synodi egisse aduersus Ioannem, quo inhibebatur, vt à Synodo depositus Episcopus non posset nisi à maiori numero Episcoporum restitui. Quod si verum esset, restitutum fuisse Ioannem à Synodo sexaginta Episcoporum; nullus poterat esse locus obiectioni à Theophilo factæ: cum à longe minori numero Ioannes fuisset depositus. Cęterum ipse Ioannes dicta epistola tradit, se quidē à triginta Episcopis reductum esse; sed nihilominus non destitisse legitimam Synodum ad vlciscenda facinora ab Imperatore experere: eamq; futuram timentem Theophilum, fugam cum suis arripuisse Alexandriam versus; ac vocatum literis Imperatoris, venire contempsisse, plebis Constantinopolitanæ furorem prætexentem excusationis loco. Rursumq; eadem declaratur, Ioannem restitutum in ecclesiam, sedisse vsq; ad anni sequentis Paschale tempus, quo iterum expelli contigit. Ipsam autem Synodum ad Quercum habitam fuisse hoc anno circa tempus Quadragesimæ, satis probatur ex iis quæ dicentur in eadem posteriore ipsius condemnatione. Sed quid in reditu acciderit Theophilo apud oppidum Geras cum Nilammone monacho, qui mortem à Deo expetiit, obtinuitque, ne Episcopatum eius vrbis susciperet cogeretur, quo se indignum esse præanimi modestia censebat; Sozomenus a pluribus descripsit.

Quod autem ad res huius anni Imperii Occidentalis attinet; his iisdem Coss. octauo Calendas Septembris, celebratum est in Africa Concilium Carthaginiense, Generale dictum, quod ex omnibus Africæ prouincijs legationes in eo affuerint, (præterquam ex Numidia, vnde mitti non potuerunt ob tyrones, desertores militiæ factos, qui vt prædones vagabantur.) Cum enim ante annum (vt vidimus) ex alia Carthaginiensi Synodo in causâ reconciliationis Donatistarum habita, inter alia fuisset decreta Legatio ad Romanum Pontificem, pro assequendâ indulgentia vt liceret Donatistis ad ecclesiam Catholicam reuertentibus, eandem quam apud suos accepissent dignitatem retinere; idq; concessum esset ab eodē Romano Pontifice: hoc anno Legatis Roma reuersis, huiusmodi celebratū est Concilium b, vt coram omnibus significarent quæ obtinuissent, Actum præterea in eo est de modo vnitatis procurandæ cum Donatistis; exaratāq; formula c, qua iidem ex parte Catholicorum conuenirent. Porro conuentos eos esse, sed conferre cum Catholicis detrectasse; quasi fugientes cum peccatorib. loqui, testis est S. Augustinus d; qui & ipse Proculianum Hipponensem partis Donati Episcopū frustra e conuenit. Nec solum verbis, dolo, maledictione, & amaritudine plenis, eos aduersus Catholicos vsos esse; sed & minas mortis addidisse, immo & arma & sanguinolentas grassationes adhibuisse, idem Augustinus testatur, dum præcipue recenset quid f accideret Possidio Calamensi Catholico Episcopo, conuenienti, atq; conuincenti de hæresi Crispinum eiusdem ciuitatis Donatistarum Episcopum; itemq; Maximiano g Vagiensi siue Bagaiensi; quorum vterque ab iisdem Donatistis plagis & contumelijs affectus est: ex quib. pariter quid reliquis Catholicis responsum, quidve aduersus eos commissum fuerit, intelligi datur. Coercitos tamen fuisse legibus Imperatorum, & iussos ad iura legum omnium contra hæreticos latarum vbiq; teneri, scribit idem ipse Possidius h in Vita S. Augustini: extantq; ea de re Honorij rescripta, de quibus dicetur anno sequenti.

a Soz. l. 8. c. 19. Vid. sup. 385. 7

VIII. CONC. CARTHAG. GENERALE, PRO RATIONE CONVENIENDI DONATISTAS.

b Cõc. Carth. sub Innocent. in præf. & Cone. Afric. c. 57.
c Ibid. c. 59.
d Aug. 3. cont. Cresc. 45. & ep. 166.
e Id. ep. 68. 147
f Id. 3. cont. Cresc. 46. & ep. 166.
g Id. ep. 50.
h Possid. Vit. S. Aug. c. 1..

Hoc eodem anno, qui præcessit sextum Honorij Consulatum, idem Augustus (vt habet Claudianus i) audito rumore Getarum, siue Gothorum, nouis mœnibus Vrbem Romam circumdedit: extatque k hactenus de eiusmodi erectione murorum, vetus inscriptio super Portuensem portam Transtiberim. Sed quinam fuerit hic Gothorum rumor, timorque; equidem existimo fuisse aduentum *Alarici* in Italiam cum ingenti exercitu: qui cum per multos iam annos, postquam Istrum trānsiisse vidimus, diuersas Imperii Rom. prouincias deuastasset, Græciasq; inuasisset, & ad Illyricum vsque descendisset; maiora quoq; ausus, immenso æstuabat ardore potiundæ Romæ, semper id animo obęque versans. Verum accidit, vt idem apud Pollentiam Liguriæ ciuitatem victus fuerit à Stilicone Comite, ipso Alarico fuga lapso. Cuius belli historiam idem qui supra egregie prosecutus est Claudianus libro quarto de Bello Getico. Ex quo corrigas Cassiodori Chronicon, vbi annō superiori ponitur prælium illud Gothicum, & inuasa sententia Stilico ab Alarico superatus. Fuit vero plane iusta, post detectos dolos & insidias Stiliconis, omnium illius temporis Scriptorum querela, proditione ipsius Alaricum Romano vallatum exercitu permissum tunc abire liberum, resumere vires, & iterum aduersus Romanos pugnare, immo & vincere: cum qui Christi nomine inuictus erat exercitus Romanorum, (siquidem & hanc Pollentinam victoriam partam fuisse Christi ope, præuijs Crucium signis, Prudentius aduersus Symmachum cecinit;) præposito ei postmodum Duce Ethnico, Saule dicto, idem turpiter est paulo post superatus, ob contemptū diei Paschalis, quo cedentes propter religionem hostes idem Saul pugnare compulit; vt Orosius l significauit. Sed de eodem Alarico maiora moliente & operante, deque Stiliconis proditione, pluribus infenus.

i Claud. de 6. Cons. Honor.
k Ap. Sues. p. 8. n. 1.

DE BELLO POLLENTINO ADVERSVS ALARICVM. [Quod quidem ornandæ æquæ Cassiodoro inf. ictum illi Rom. aut forte & ipse fuerus suis Gothis. Verius nam fuerit, extitisse victoriæ Cadmæa; si quidem in chronico Prosperi dicitur: Pollentiæ a uersus Gothos vehementer vtriusque partis clade pugnatum esse.]

l Oros. l. 7. c. 37.

IESV CHRISTI AN. 404.

INNOCENTII AN. 3.

ARCADII HONORII AN. 10.

ANno Christi quadringentesimo quarto, Honorio Aug. sextum & Aristeneto Coss. Sæculares Ludi, à superstitione introducti Gentilium, Constantini vero Magni religione neglecti ac prætermissi, non sine dedecore Christiani nominis editi a sunt. Male namque suasus à Gentilibus Honorius, qui hos fatales esse æternitatis Vrbis, & felicis eius status conciliatores dicerent, eosdem imprudens restituit. Scimus illum excusari, quod voluerit haud titubus Gentilitiis ipsos agi, sed indulserit tantum, vt Theatrales atque Circenses ludi exhiberentur. At quæ sine superstitione spectacula? aut quis putat o[illegible]ni prætermissa Sibyllina illa carmina, in eis edendis ludis solemnia?

I. LVDI SÆCVLARES RESTITVTI. a *Claud. de sext. Cons. Hon. & alii.*

Quinimmo & tot Christianorum Imperatorum legibus vetita Gladiatorum cruenta munera, his temporibus sub Honorio rursum exhibita fuisse, atque ad ea spectãda prodire solitas cum pompa virgines Vestales, testis est Prudentius. b Eoque pertinere videtur, quod apud Theodoretum c legitur de *Telemachio* monacho, qui sub Honorio Imp. ab Oriente Romam se conferens, vt Ludos gladiatorios abolendos curaret, dum sceleratum illud ederetur spectaculum, in stadium ingressus vt dimicationem sedaret, à furentibus spectatoribus lapidibus obrutus est: quem & ait, ea re cognita, Imperatorem adscripsisse in numerum Martyrum, (hoc est curasse, vt Ecclesiastica auctoritate à Romano Pontifice id fieret,) ac crudele illud spectaculi genus penitus sustulisse. Verum quod Præfecturam Vrbanam Alipii, sub qua in Tabulis d Ecclesiasticis *Alypachius* occubuisse ponitur, (ita enim vocant, quem Theodoretus Telemachium, quamuis in illis idem martyr non à populo, sed ab ipsis gladiatoribus occisus dicatur:) sub Theodosio patre Honorii contigisse, Inscriptiones e antiquæ demonstrent, nec sciatur, vtrum idem Alipius eamdem Præfecturam sub Honorio exercuerit: vetus fortasse dicetur, id accidisse sub Theodosio, sub quo siluisse videntur spectacula illa cruenta, quæ sub Honorio restituta sunt. Cæterum hæc facinora Romano sanguine voluit Deus expiari: ipseque Honorius paulo post magno damno suo, atque iactura ipsius Vrbis, cuius felicitati & æternitati mala superstitione consulebatur, expertus est, quantum ex perperam facto iustam Dei vindictam commouerit: de quo dicetur suo loco.

II. GLADIATORES RESTITVTI. b *Prud. adu. Sym. li. 2.* c *Theod. li. 5. c. 26. Ap. Bar. Tom. 4. an. 395 num. XIX.*

d *Mart. Rom. die 1. Ian.*

e *Ap. Smet. pag. 156. nn. 17*

VINDICTA DIVINA OB LVDOS RESTIT.

Hoc item anno, aliorum occasione Ludorum, S. Ioannes Chrysostomus, vrgente Eudoxia Augusta Arcadii Imp. coniuge, in exilium pulsus est, ob statuam argenteam eidem Augustæ erectam super columnam porphyreticam iuxta ecclesiam, ad quam ludi populares, sicut moris erat in regiarum Imaginum dedicatione, celebrari cœpissent. Porro cum idem Ioannes à Socrate, f Sozomeno, g aliisque dicatur factam eiusdem statuæ dedicationem habita ad populum concione reprehendisse, aliquid in ea admissum putatur, quod & legitimo cultui eiusmodi statuis adhibendo, (qualis ille deberet esse, Gratianus, & Theodosius Iunior, pii Impp. editis sanctionibus h definierunt:) & religioni Christianæ aduersaretur. Aut certe, vt habẽt alii, quod ludi pro ecclesiæ foribus agerentur, non sine magna rerum diuinarum contumelia & turbamento, ideo iuste commotus Ioannes, vehementi inuectiua eiusmodi est spectacula insectatus, qui & alioqui aduersus quæcunque spectacula & spectatores acerrime declamare i consueuisset. Sed illa verior atque iustior causa eius commotionis intercessit, (qua etiam scimus perturbatum nonnihil fuisse Honorium, cum audiuit, eoque nomine reprehendisse k fratrem Arcadium, quod adeo nefanda æquo animo pertulisset:) dum scilicet non modo Constantinopoli veneratione simulacrum Eudoxiæ expositum esset, sed idem per prouincias deferretur, non secus ac olim Cybeles circumferre solerent Ethnici idolum.

III. CHRYS. IN VEHITVR IN ALIOS LVDOS

f *Soc. li. 6. c. 16*
g *Soz. li. 8. c. 20.*
h *L. vn. publ. Iur. C. li. 12. L. vn. C. Th. de imag. Imp.*
i *Chry. hom. in ps. 118. hom. de Dauid. & Saule. hom. 6. in Matt. &c.*
k *Extat eius eadere epist. inter epist. Inn. Pap. post ep. 16.*

IMAGO EVDOXIÆ AVG. CIRCVMDVCTA.

His igitur Eudoxia, quæ pristinum in Ioannem conflatum odium, perterrefacta vi numinis, remisisset potius quam dimisisset, veluti œstro percita, minata non depositionem tantum, sed & necem, pertractoque facile ad sua vota viro suo Arcadio, literas quamprimum ad Episcopos scripsit, solicite curans vt omnes Constantinopolim accelerarent, atque imprimis Theophilus Alexandrinus, quem experta esset in eiusmodi rebus curandis solertissimum: qui tamen venire noluit, sed suo loco tres alios Episcopos misit, vt Palladius narrat. Porro ista aduersus Ioannem iam anno superiori cœpta esse, satis indicat idem Palladius, qui præsens omnibus extitit, dum ait, post duos menses à priori inflicta plaga, iterum aduersus Ioannem tumultuatum esse, missasque literas ad Episcopos: ac nouem postea aut decem fluxisse menses vsque ad tempus Quadragesimæ, cum imminente Pascha Ioannes condemnatus est. Sed & Socrates atque Sozomenus aperte declarant, iam ante diem Natalis Domini Episcopos omnes aduersus Ioannem vocatos Constantinopolim aduenisse. Ipsam vero posteriorem eius expulsionem hoc anno sub Consulatu Honorii & Aristeneti accidisse, expressis verbis idem Socrates scribit, significauitque Metaphrastes, a dum ait integrum fluxisse annum à priori expulsione vsque ad posteriorem condemnationem. Marcellinus b autem omnia in vnum colligens, sub anni superioris Coss. ea referre videtur.

IV. EVDOXIA IVRIT IN CHRYSOS.

a *Met. in Vit. Chrys.*
b *Marcel. in Chron.*

Quod autem ad rem gestam attinet, narrat Palladius, c accersitos ex variis Orientis prouinciis Episcopos (inter quos etiam fuere Acacius, Seuerianus, Antiochus, & Cyrinus, qui superioris anni iudicio interfuerant) Constantinopolim aduenientes Ioanni communicasse, ne ipse, quod in priori iudicio fecerat, de inimicitia eorum exciperet. Addunt vero Socrates & Sozomenus, cum priores eius accusatores rursum producti, propter eius animi confidentiam animis cadere viderentur, Episcopos dixisse, non de alio crimine quæri, sed hoc solum in iudicium adduci oportere, quod post abdicationem, absque Concilii sententia se ipse in sedem Episcopalem intrusisset: producentes aduersus ipsum, quem Theophilus miserat canonem Antiocheni d Concilii in Enæniis, quo iuberetur, vt si quis siue iuste siue iniuste depositus, absque maioris numeri Synodo in Ecclesiam rediret, iterum expelleretur. Sed cum ex parte Ioannis exciperetur, eum canonem ab Arianis sancitum fuisse aduersus S. Athanasium, multo tempore his altercationibus insumpto, tandem agentibus aduersariis apud Arcadium Imp. vt eumdem Ioannem quasi conuictum imminente Pascha iuberet expelli, eorum importunitate, depositionẽ Ioannis super caput suum recipientium, fatigatus Imperator, mandauit Ioanni vt ecclesia exiret: Cum vero Ioannes respondisset, se à Deo Ecclesiam suscepisse, vt salutem populi curaret, ideoque nec eam deserere posse, nisi vi expelleretur, missi quidam ab Arcadio, modeste eum depulerunt, mandantes vt interim in Episcopatus habitatione moraretur. Aduenientes autem magni Sabbati die, cum ex more Vigiliæ celebrandæ essent, & Baptismus petentibus administrandus, conuenientibus ad hæc populis vna cum Ioannis presbyteris, rursum agentibus Ioannis aduersariis, missus est à Magistro militum Tribunus Gentilis, qui vna cum clericis aduersariorum Episcoporum, populum exturbare contendens, tanto id sacrilegio, tantaque sæuitia præstitit, vt omnis generis, sexus, ac conditionis homines, tam sæculares quam Ecclesiasticos, qui Episcopo suo inhærerent, fustibus & armis expulerit, distraxeritque, adeo vt & ipsum Baptisterium cruore repletum fuerit. Narrat hæc omnia pluribus Palladius, quæ inscio Arcadio, Episcoporum factione gesta esse ait. Habetque eadem ipse Chrysostomus epistola ad Innocentium Papam scripta: ac præterea addit, quod dum sanctiora quæque milites, & in iis quidam nondum mysteriis initiati, perscrutarentur, ipse etiam sacratissimus Christi Sanguis (asseruari tunc adhuc temporis in ecclesia solitus) in tanto tumultu in eorumdem militum vestimenta fusus fuerit, omniaque non secus ac in captiuitate, barbarica facinora passim admissa: ac demum

V. c *Pal. de Vit. Chrys.* CONCILIAB. CONSTANT. IN CHRYS.

d *Conc. Ant. in Enæ. c. 12. De eo vero ea nome dictum e ſt suo loco, an. 341. X.*

SACRILEGA GRASSATIO MILITVM.

SANGVIS CHRISTI FVSVS.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

narrat, populum omnem extra vrbem excubare, coactum esse; simulque & amplius quadraginta Episcopos, qui eidem Ioanni adstabant, sine aliquo iudicio pulsos; & ipsa illucescente Sancti Paschatis die, visam esse ciuitatem omnem extra vrbis mœnia sub arboribus & frondibus festiuitatem celebrare. Hæc & alia Ioannes ea epistola.

VI. CHRYSOST. APPELLAT ROM. PONTIFICEM.

Qui enim nullam spem reliquam esse cognosceret, vt meliori statu res collocarentur; haud diutius dissimulandum ratus, ad vnicum sibi relictum confugium conuolauit; nimirum ad Romanum Pontificem, quem sciret perperam facta aliorum Episcoporum posse corrigere. Cum & eum iam antea præuenire studens Theophilus Alexandrinus, legatum Romam misisset Alexandrinæ Ecclesiæ Lectorem, cum literis, quibus significauit quæ in Synodo aduersus Ioannem gesta essent. Ipse vero Ioannes legationem honorificam quatuor Episcoporum & duorum diaconorum ad eundem Innocentium Papam direxit, qua ipsum contra iudicium Theophili & aliorum Episcoporum appellauit; his inter alia vtens verbis: *Scribite, precor, & auctoritate vestra decernite, huiusmodi in qua gesta, nobis absentibus, & iudicium non declinantibus, nullius esse roboris, sicut per suam naturam sunt profecto & irrita & nulla. Porro qui talia gessere, eos Ecclesia censuræ subiicite: nos autem insontes, neque convictos, neque deprehensos, neque vllius criminis reos comprobatos, Ecclesiis nostris iubete restitui, vt charitate frui & pace cum fratribus nostris consueta possimus.* Additæ quoque sunt literæ Episcoporum quadraginta communionis Ioannis, nec non Cleri Constantinopolitani, ad eundem Innocentium, confirmantes quæ à Ioanne scripta essent. Est enim horum omnium locuples testis in Dialogo Palladii, alter interlocutor Theodorus tunc temporis Romanæ Ecclesiæ diaconus, qui eadem Romæ præsens cuncta perspecta habuit; à quo etiam recitatur epistola *a* Ioannis ad Innocentium: vbi in fine idem Ioannes testatur, se pariter ad Venerium Episcopum Mediolanensem, & Chromatium Aquileiensem scripsisse: nempe relationem rei gestæ, non vt etiam eos appellaret, sicut Romanum Pontificem. Eam vero epistolam statim post Pascha missam esse, ex eo asseri posse videtur, quod Ioannes cunctas res gestas ordine temporis narrans, orationē in iis quæ in ipsa illucescente eiusdem festiuitatis die acta sunt clausit. Magna porro prouidentia fuit Deus hæc inter tantos Episcopos in Oriente agitari, vt certo iudicio exploratum posteris redderetur, quinam in vniuersa Ecclesia Catholica principem locum teneat, quemq; tam Iudices iudicantes, quam rei damnati, pariter inspicere debeant; illi, quod scirent eminentius supra se stare tribunal; isti magno solatio intelligerent, aliquod refugium esse confugium, quod iniquam sententiam passi secum peterent. Subdit autem his Theodorus, Innocentiū Papam omnibus perspectis, vtriusq; quidem, tam Theophili, quam Ioannis, communionem admisisse, sed tamen Theophili iudicium irritum esse decreuisse, donec Ioannis causa iterum tractaretur in Synodo Occidentalium & Orientalium Episcoporum; ad quam ipsum etiam Theophilum inuitauit literis, quas idem *b* recitat. Quas autem ad Ioannem Innocentius dedit, non extant illæ quidem: affirmat tamen Palladius, Demetrium Episcopum vnum ex Legatis à Ioanne missis, literas ab Innocentio pro illius communione scriptas vulgasse magno præconio per Orientales Ecclesias.

a *Ap. Palla in Dialog. Ext etiam post ep. Innoc. 13.*

b *Ap. Pallad. ibid. & Innoc. ep. 16.*

VII. ROM. PONTIFEX SUPREMVS OMNIVM IVDEX AGNITVS.

Interea vero dum adhuc Ioann. Constantinopoli esset, qui eum iniustissime damnarant, mercede quoq; ficarios conduxisse in necem ipsius, sed his à populo tentis, ipsum Ioannem eiusmodi periculum effugisse, testatum habetur apud Palladium atque Sozomenum *c*. Licet autem post hæc noctu diuq; idem à populo custodiretur in ædib. Episcopalibus; tamen postmodum factione aduersariorū Episcoporum, Acacii, Antiochi, Seueriani, & Cyrini, rursum contestantium apud Imperatorem, se damnationem eius super caput suum suscipere: eundem ab Imperatore iussum illinc egredi, tandem abscessisse maximo omnium eiulatu, atque vinctum à militibus abductum esse, dispersis pariter in diuersa loca, aut in carcerem coniectis Episcopis ei fauentibus; pluribus narrat idem Palladius, qui aderat. Ioannis autem expulsionem contigisse his Coss. duodecimo Calendas Iulii, Socrates *a* est auctor.

c Soz. l. 8. c. 11.

CHRYSOST. VINCVLVS ABDVCITVR IN EXILIVM.

a Socr. l. 6. c. 16

Subdit vero Palladius de igne; qui confestim post Ioannis egressum, ipso meridie de medio throno in quo ille in ecclesia sedere consueuerat, repente prosiliens, primo sedē ipsam depastus, inde arboris instar tectum petens, ipsum quoq; penitus incendit; ac postea interstitio plateæ sepositas Senatus ædes, per mediam populi multitudinem innoxie transiliens, inuasit, ac in cineres redegit, vna cum adiacentibus ædificiis, soli parcens ædiculæ in qua sacrorum vasorum multitudo fuerat condita, ne videlicet obtrectatorib. præberet mendacii locum, vt S. Ioannem insimulare possent quod pretiosę supellectilis aliquid asportasset. Hęc fusius Palladius.

VIII. INCENDIVM CÆLITVS MISSVM IN ECCLES. CONSTANT.

Eiusmodi autem incendium prodigiosum fuisse, & haud humana opera excitatum, post eundem auctorem, Marcellinus & complures *b* alii affirmarunt. Sed ea de re constitit atum esse inter fautores Ioannis & Theophili, altera parte alteri illud contentiose impingente, Sozomenus tradit. Quod quidem Socrates tribuit Ioannis fautoribus, quasi indignantibus de iis quæ gesta essent aduersus eum. Creditiq; itidem Zosimus *c*, publica quadam fama sparsum ex habitis de Ioannis sectatoribus publicis quæstionibus; cum de eo incendio non solum in ministros Ecclesiæ, sed & in diaconissas clarissimas feminas diuissima est quæstio *d* ab Optato vrbis Constantinopolitanæ Præfecto homine Gentili habita; adeo vt etiam nonnullorum ex iis nomina habeantur in Tabulas *e* Ecclesiasticas titulo martyrii relata: Sed quod nemo *f* inuentus sit, qui de perpetrato scelere vel leuissimam suspicionem fecerit; plane ad alios prorsus, si non ad miraculum ob numen offensum, pertinere perpetratum facinus docuere.

b *Leo Aug. in Enco. de reb. Chryſ. Metaphr. in Vit. Chryſ. & alii*

c *Zoſ. l. 5.*

QVÆSTIONES DE INCENDIO

d *Vid. Pallad. in dial. Soz. li. 8 c. 24. Chryſ. ep. 5. & 7. ad Olympia. & ep 94. ad Pentad.*

e *Martyrol. Rom. 12. Ian. fl. 31. C. Th. de Epiſc. & cler.*

IX. ARSACIVS ELIGITVR SVCCESSOR CHRYSOST.

Electo Ioanne, mature eius aduersarii aliquem in ipsius locum suffidere conati sunt, quo omnem ei spem restitutionis auferrent. Itaque elegerunt *Arsacium*, eius Ecclesiæ presbyterum, fratrem Nectarii, qui ante Ioannem eidem Ecclesiæ præfuerat; virum (vt ait Palladius) quem pisces facundia, & cantu tanæ superarent; qui & periurus eam acceptauit, cum fratri Nectario sub iureiurando fuisset pollicitus, se nunquam ordinationem Episcopatus admissurum dum illi exprobraret quod noluisset Tarsensi Ecclesiæ præfici. Quamobrem magno plane & occulto Dei iudicio accidit, vt in locum eloquentissimi viri succederet homo penitus infantissimus, decrepitus senex, & spiritalis exercitationis ignarus; qualem omnes fuisse ferunt Arsacium. Euenitque tuncidem, quod ante itidem Constantinopoli accidisse vidimus, nempe in sedem Magni Gregorii cognomento Theologi, suffectum fuisse prædictum Nectarium hominem catechumenum, sacrorumq; dogmatum penitus imperitum: sicq; duos amplissimos viros, quorum vix vnquam pares visa est habuisse Catholica Ecclesia, tales post se longe dissimiles consecutos esse Episcopos successores.

X. DIRA PERSECVTIO IN FAVTORES CHRYSOST.

Quanto autem mœrore affecti sint pii omnes, cum viderent adeo disparem in sede Ioannis sedere Antistitem; quantisque cum in ipsa ciuitate Constantinopolitana, tum vbique per vniuersum Orientem malis, pœnisque carcerum, verberum, exilium, amissionum bonorum atque omnimodarum facultatum, immo & cædiū, afflictati fuerint tam Clerici atq; Episcopi, quam aliæ religiosæ & sæculares cuiuscunque sexus & ordinis personæ, quod Arsacio communicare recusantes, Ioanni licet exuli adhærerent, (quos ideo *Ioannitas* vocabant) ea facile vnusquisque intelligere poterit ex paucis, quæ de iis retulere Palladius *g*, Socrates *h*, Sozomenus *i*, & alii rerum Chrysostomi scriptores; ipseque Chrysostomus *k* in epistolis ad Olympiadem atq; Pentadiam clarissimas feminas Consulares, Ecclesiæ Constantinopolitanæ diaconissas, cum & ipsæ eadem de causa diris à Præfectis passæ essent: ac denique ex Arcadii *l* Imp. promulgatis hoc eodem anno constitutionibus, quibus iussum est Præfecto Prætorio & prouinciarum Rectoribus, conuentus eorum arcere, qui Orthodoxorum religione suffulti, relictis ecclesiis alio conuenirent, eosq; Episcopos atque sacerdotes ecclesiis suis pellere, qui dissentirent à communione Arsacii Constantinopolitani,

g *Ap. Pallad. in dial.*

h *Socr. l. 6. c. 16*

i *Soz. l. 8. c. 23. 24.*

k *Chryſ. ep. 5. 7. 94.*

l *l. 5. & 6. C. Th. de his qui prorelig. sunt. & Pallad. in dial.*

Theo-

DE PORPHYRIO PSEVDOEPIS. ANTIO.

Theophili Alexandrini & Porphyrii Antiocheni Episcopi: quem quidē *Porphyrium* hoc ipso anno, quo Ioannes in Armeniam deportatus est, in locum Flauiani, post viginti tres sedis annos defuncti, ordinatum esse ab inimicis S. Ioannis, Acacio, Seuериano, & Antiocho, testatur Palladius, eiusdē prob. osam vitam & perditissimos mores, eiusque sedis fraudulentam inuasionem, ac violentam retentionem pluribus describens, asserensque Innocentium Romanum Pontificem numquam ei communicare voluisse. Palladio vero cum & alii huius temporis scriptores assentiantur in recensendis eiusdem Porphyrii vitiis, à veritatis scopo longius aberrasse arguitur Theodoretus, *a* dum eum laudibus extulit. Sed quod ad rem de qua agitur, attinet, testatur quoque idem qui supra Theodorus *b* Romanæ Ecclesiæ diaconus, aliud edictum ab Arcadio Imp. promulgatum esse aduersus eos, qui aliquem clericum vel Episcopum ab eorumdem Episcoporum communione abhorren em occultassent: quod & hactenus extat. *c* Pariterque Zosimus ingentem monachorum numerum, & alios id genus homines captos, & dira ob non communicationem cum Arsacio passos esse tradit.

a *Theod. li. 5. c. 35.*
b *Ap. Pal. ibid.*
c *L. 37. C. Th. de Epis. & cler.*

XI. LEGATIONES AB VTRAQ. PARTE AD INNO. PP.

Quomodo autem his omnibus acceptis Romæ Innocentius Papa, quamprimum valuit his occurrere conatus est, idem Theodorus enitar, singulasque legationes recensset, tam ab Episcopis partis Ioannis, quam ab eius etiam aduersariis, atque item à Clero Constantinopolitano ad eumdem Pontificem hoc anno post expulsum Ioannem missas: sed & nonnullos enumerat Episcopos, qui fuga lapsi ad commune asylum Ecclesiæ Romanæ se receperunt, inter quos fuit & sæpe nominatus *Palladius* Helenopoleos in Bithynia Episcopus. Qui vero inter Legatos à Clero Constantinopolitano missos, recensetur *Cassianus* Ioannis diaconus, cum quidem putamus illum, cuius sunt *Collationes Patrum*: nam & Gennadius *d* eum à Ioanne Chrysostomo diaconum ordinatum tradit. Errore autem, mea sententia, lapti sunt, qui scripsere, *e* hunc ipsum à Ioanne Chrysostomo diaconum ordinatum, post aliquot annos ab eodem expulsum, Massiliamque profectum, illic ordinatum esse presbyterum.

d *Gen. de vir. illust. c. 61.*
e *Trith. in cat. vir. ill. & alii post eum.*

XII. DE IOANNE CASSIANO SCRIPTORE ECCLES.

Quando eum hic expulsus à Chrysostomo dici potest, qui etiam post eius exilium in ipsius obsequio perseueraſſe cognoscitur, & pro eo functus legatione ad Innocētium? Cum autem nullus antiquorum notam huiusmodi Cassiano inusitatam legatur, puto occasionem aliis errandi inde manasse, quod qui pro Ioanne, sicut cæteri eius Ecclesiæ clerici partis Ioannis, esse reperitur expulsus, eumdem per Ioannem electum existimarint. Denique ipse Cassianus in libris quos de Christi Incarnatione conscripsit, erga memoriam Ioannis Chrysostomi propensiorem se ostendit, dum eum sæpe laudibus haud vulgaribus celebrat, & quod maius videri debet, quicquid ipse sciret liberaliter eidem acceptum *f* refert. Cæterum post hæc Cassianus profectus in Ægyptum, ibi monasticam vitam excolere cœpit, indeque scribendi Collationes Patrum hausit argumentum. Extatque Isidori Peluſiotæ, ipsius quoque Chrysostomi discipuli, ad eumdem Cassianum epistola, cum aggressus esset vitam monasticam profiteri, qua eum imprimis coercere linguam admonuit. Porro idē vsitatius cognomine, quam nomine, à maioribus vocitari solitus fuit: nam Gennadius, Cassiodorus, aliique, nonnisi *Cassianum* nominant, cum tamen auctore S. Prospero *g* sciamus, appellatum esse *Ioannem*, cognomento vero *Cassianum*.

f *Cas. de Incar. lib. 7. in fi.*
g *Prosp. in Chr.*

[Ipsemet Cassianus præfatione ad Castorem Episcopū quam libris suis de Institutis cœnobiorum præposuit, *d* ferre testatur se à pueritia inter monachos Ægypti constitutum fuisse. Indeque colligi posse videtur, non esse eumdem cum illo Cassianum, ad quem scripsit Isidorus Peluſiota.]

XIII. INNOC. PP. ET HONOR. IMP. AGVNT PRO CHRYS.

Sed vt ad Legationes redeamus, constat quidem, iis acceptis Innocētium Papam statuisse vna cum Episcopis Italiæ, communicandū esse cum Ioanne Chrysostomo, quod violenter electus esset, non autem cum Arsacio intruso, donec ea de causa congregatis vtriusque partis Episcopis Synodus generalis haberetur, in qua quæ essent alterutrius potiora iura decerneretur. Hæc enim explorata reddūtur ex relatione *a* Theodori S.R.E. diaconi, epistolaq; *b* Honorii Imp. ad Arcadium fratrem scriptæ, (admonitione Innocentii Papæ, vt Theodorus significat) qua omnia quæ hactenus impie in ea causa gesta essent exprobrās commemorat, admodumq; pie monet, vt à cœpto furore desistens pacem Ecclesiæ procuret. Sed & eumdem Innocentium ad Ioannem Chrysostomum consolatorias scripsisse literas, pariterque ad Clerum Constantinopolitanum pro parte Ioannis de celebranda Oecumenica Synodo, testis est inter alios Sozomenus, *c* qui easdem recitat. Quæ autem hæc secuta sint, dicentur anno sequentis iam ipsum inuisamus Chrysostomum, inter manus militum existentem.

a *Ap. Pal. in dialog.*
b *Tom. 1. Ep. Rom. Pon. post ep. Inn. 16.*
c *Soz. li. 8. c. 26. Inn. ep. 14. 15.*

XIV.

Cucusum oppidum ab Eudoxia Augusta præscriptum ei fuisse locum exilii, cum ipse, tum alii omnes testantur, asperrimum plane locum, sed nobilitatum ante exilio sanctissimi viri Pauli Episcopi pariter Constantinopolitani & martyris sub Constantio Imp. Cæterum quod omnes fermē in Armenia oppidum illud constituunt, ipse Chrysostomus epistola ad Cyriacum *d* Episcopum postea scripta, in Cilicia situm ponit. Quod autem illuc proficiscenti, ex diuersis prouinciis agmina Fidelium vtriusque sexus, omnisque conditionis, in occursum properantes, per vias, per vicos, per vrbes sese effunderent, & lacrymarum imbres præ dolore funderent: quamque ipse ægra valetudine toto itinere laborauerit, continuis febribus, & stomachi solutione: quāta insuper passus sit Cæsaræ Cappadociæ mala à Pharetrio eius ciuitatis Episcopo, inuidia percito quod vidisset ipsum Chrysostomum ab omnibus ciuib. & clero, ac monachis vt iusque sexus, magna veneratione haberi, & eximia humanitate foueri: quantas præterea itinerum difficultates pertulerit, quantaque latronum Isaurorum, *e* vniuersas illas regiones dirissime infestantium, pericula euaserit: sed & quomodo Cucusum aduenies, (quod accidit mense Augusto huius anni) humanissime ibi tam ab Episcopo, quam aliis eiusdem loci ac totius regionis incolis susceptus fuerit, atque ob ingentem ipsorum liberalitatem ac solicitudinem, etiam si oppidulum illud desertū esset, & nec forum nec venale aliquid haberet, omnibus tamen rebus abundauerit: ac denique cum de sede firma exilii innotuisset, quomodo ad eum confluere vndique cœperint, quib. hoc concessum esset, amici, absentes vero legationibus eum ac literis frequentauerint: Hæc inquam, omnia, & alia eo spectantia, pluribus ipsemet Ioannes narrat in epistolis, quas multiplices tam ex itinere, quam ex ipso exilii loco, ad diuersos scripsit, ac præcipue ex prædicta ad Cyriacum, aliisq; duabus *f* quas inter alias dedit ad Olympiadem diaconissam, cuius supernus facta est mentio, quæ & ipsa ob cōmunionem Chrysostomi, post alia certamina, etiam exilio mulctata est. Habent autem Chrysostomi tunc scriptæ literæ eam energiam, vt quisque perlegens, non solum interea eam energiam, vt quisque perlegens, non solum interea eam vim illam dicendi admiretur, sed obstupescat ad eius celsitudinem animi, dum innumeris licet atque immēsis obrutus angustiis, tantum tamen abfuit vt aliena indigeret consolatione, vt potius omnes diuersis attritos molestiis, & vel in vinculis vel in exilio ipsius causa constitutos Episcopos, clericos, aliosque ita consolatus fuerit, vt maiora subeundi tormenta immēsum iniceret desiderium: quas singulas perlegendo, magnam lector capiet cum vtilitate animi voluptatem.

d *Chry. ep. 125*

ITER CHRYSOSTOMI AD LOCVM EXILII.

e [Meminerunt etiam *Isaurorum* grassationū, Zos. l. 5. Soz. li. 8. c. 25. Mar. in Chron. Extatque Theodosii iunioris Imp. post annos quatuor datum rescriptum, l. vlt. C. Th. de quæst. quo iubentur Præsides prouinciarum, in Isaurorū quæstionibus nullam Quadragesimæ, vel venerabilem Paschatum diem excipere.]

f *Chrys. ep. 13. 14.*

QVALIS IN EXILIO.

Quod autem spectat ad persecutores Ioannis, & calumniarum aduersus eum minist. os, damnationisque architectos, eos omnes horribilibus & incurabilib. diuersis morbis diuinitus affectos esse, testatus est Palladius in dialogo cum Theodoro, singulorum ferme infortunia recensens: quorum etiam meminerunt ex parte Socrates *g* atque Sozomenus. *h* Sed & cum grando, inquit idem Socrates, magnitudine inusitata in suburbiis Constantinopoli sub hugnitudine inusitata in suburbiis Constantinopoli sub hujus ipsius anni Coss. pridie Cal. Octobris forte decidisset, percrebuit sermo, istud Deo irato propter Ioannem abdicatum contigisse. Eumque sermonem Imperatricis mors, quæ quatriduo post delapsam grandinem insecuta est, vehementer auxit. Hæc Socrates, eademq; Sozomenus: quibus æque assentitur S. Prosper, *i* dum affirmat iisdem Coss. Eudoxiam diem obiisse, idque ipsum tradit Marcellinus. Cedrenus *k* autem genus mortis describens, ait cum vitium

g *Soc. li. 6. c. 18.*
h *Soz. li. 8. c. 25.*
i *Prosp. Chron.*
k *Ced. in comp.*

XV. PERSECVTORES IOANNIS PERVENIT AD

ferret, iamq; partui esset vicina, fœtum in vtero extinctum esse, totosq; dies quatuor mortuum retentum computruisse; eumque nec exiret, nec dolorum Augustæ finis esset, quendam ei literas magicas superposuisse; sicque eandem statim mortuum fœtum eiecisse, ac simul animam miserrime efflauisse. Nicephorus *a* vero addit, vnam cui eius cadauer impositum est, perpetuo motu agitati vitam; Deo videlicet eum, qui per illam concitatus fuerat in Ecclesia, motum ostendente. Deniq; nec Arcadius, quamuis iunioris esset ætatis, diu superstes fuit, vixque ad quadriennium vitam propagauit. Vt plane vlciscente numine palam factum sit, quanto periculo Principes insequantur eos, de quibus illata terribilis præcessit comminatio Christi *b*; *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei.*

a *Nic. lib. 13. c. 36.*

b *Matth. 18.*

XVI. De tempore obitvs Eydoxiæ Avg.

Sed quod in controuersiam adduci potest, illud est, num reuera hoc anno (vt citati auctores testantur) contigerit Eudoxiæ obitus: siquidem superuixisse etiam post biennium, Græci omnes, tum qui vitam conscripsere S. Ioannis Chrysostomi, tum recentiores historici affirmant, puta Leo Augustus, Metaphrastes, Nicephorus, Cedrenus, Zonaras, Glycas, alii: & quæ maiora his omnibus testimonia videri debent, tam Innocentii Papæ literæ ad Arcadium Imp. post obitum Ioannis datæ, quam Arcadii ad eum redditæ, adhuc eo tempore eandem superstitem fuisse significant. Denique si verum esset, eam hoc anno adeo prodigioso interitu extremum clausisse diem; quomodo Palladius, cum recenset seriatim omnes, qui ob persecutionem Chrysostomi à Deo male mulctati sunt, de malis illatis Eudoxiæ ne verbum quidem, quæ ante omnia fuerant recensenda? planeque eo de iis silentio significans, ea nondum hoc tempore contigisse. Sed de his modo hactenus: quæ autem postea acciderint, sequenti anno dicturi sumus. Iam enim res Occidentales ad se nos euocant.

SVPERVIXIT CHRYSOSTOMO.

[Eudoxiam superuixisse Chrysostomo, (quod prædicti auctores testantur) aperte etiam colligitur ex Zosimo auctore Ethnico, (qui eodem tempore & loco quo res gesta est vixit) simul & Marcellino Christiano: dum videlicet Zosim. l. 5. postquam meminit incendii, quod contigit post expulsionem Chrysostomi, de quo supra n. 8. ait cogitatum esse de ædificiis restituendis; sed interuenientes motus Isauricos rem impedisse: missumq; aduersus Isauros Arbazacium ducem in Pamphyliam, prospere primo rem egisse, post à vero deiecisse se dantem multum de vigore suo remisisse, ac pecuniæ manus porrigentem bono publico diuitias prætulisse: eaque propter reuocatum, cum iudicio sistendus esset, partem prædæ dedisse Augustæ, (nempe Eudoxiæ) ac sic euasisse pœnam. Videsis in his multum temporis necessario insumi debuisse, ac proinde Eudoxiam diu Chrysostomi exilio superuixisse. Hoc enim & firmatur auctoritate Marcellini Comitis, qui æque morus illos Isauricos collocat anno Christi 405. nempe Stilicone & Anthemio Coss. Errorem autem Socratis, & aliorum qui eum secuti sunt, unde processisse putabat doctissimus Card. Perronius, quod deceptus ambiguitate vocis ἔξοδος, quæ nonnunquam mortem, aliquando exitum simpliciter significat, (qua ver simile est vsum fuisse auctorem illum ex quo Socrates hanc historiam accepit) eum ille sumpserit pro exitu Chrysostomi ab ecclesia sua in exilium, cum intelligenda esset de exitu ex hac vita, locutione vsitata antiquis Christianis Græcis. Deniq; Georgius Patriarcha Alexandrinus quiante mille annos scripsit, citaturque à S. Io. Damasceno orat. de Imag. & à Photio Constantinopolitano in Bibl. in Georg. Alex extatque Græce editus in Anglia vna cum Operibus S. Ioan. Chrysostomi, diserte affirmat, Innocentium Papam audita morte Chrysostomi, Arcadium Imp. eiusq; coniugem Eudoxiam excommunicatione perculisse. Sed de excommunicatione postea: interim vero ex prædictis firmum stet, Eudoxiam non nisi post obitum Chrysostomi mortuam esse.]

XVII. Conc. Carthag. contra Donatistas. c *Ap. Concil. Afric. c. 16.*

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. Honorio sextum & Aristeneto, sexto Calendas Iulii, habita est *Carthagine* Synodus, ex qua *c* missi sunt duo Episcopi Legati ad Honorium Imp. contra Donatistas, vt Imperatoria cogerentur auctoritate pacifice agere; qui fraterna conuentione, qua ad pacé & concordiam fuerant à Catholicis inuitati, contempta, in Episcopos, eos conuenientes, armata manu grassati essent, vt pluribus dictum est anno superiori. Interea vero, vt dum iidem rediret Legati, consultum esset Catholicorum securitati, ex eadem Synodo scriptum est ad Iudices, vt patrocinium eorum susciperent: additæq; Legatis literæ commendatitiæ ad Romanum Pontificem, vel alios Episcopos illarum ciuitatum, in quibus Imperatorem morari contigisset. Quem autem exitum hæc ad Imperatorem legatio habuerit, dicetur anno sequenti.

XVIII.

In eadem quoq; Africa, iisdem Coss. (vt Acta *a* publica à Notariis excepta docent) S. Augustinus Hippone-regio in Ecclesia sua biduo coram populo disputauit cum Felice Manichæo, qui ad hoc eo venerat vt errores Manichæorum dissemin aret: quæ disputatio felicissimum eiusdē Felicis conuersione ad Catholicam veritatem nacta est finem. Quo vero itu recipi Manichęi soleren in Ecclesiam, quaq; forma suam hæresim anathematizarent, extat ea de re Commonitorium *b* eiusdem S. Augustini, nouem complectens anathematismos. Cæterum Felice conuerso, hæresis Manichæa adeo debilitata est, vt nullus posthac inuentus sit, qui publice eius patrocinium suscipere ausus fuerit: iam ante Fausto inde submoto *c*, cum erroris conuictus in iudicio, à Præside est relegatus in insulam; à qua tamen non multo post relaxatus fuit.

DISPV. AVG. CVM FELICE MANICHÆO a *Ap. Aug. t. 9*

b *Rec. Baron. Annal. To. 5. hoc an. à Nicolao Fabro acceptum.*

c *Augst. 5. cont. Faust. 8.*

XIX. d *Innoc. ep 1.*

Isdem pariter Coss. decimo quinto Calendas Martii, Innocent. Papa epistolam *d* scripsit, quam *Decretalem* appellant, maiores vero *Constitutum* dixere, ad S. Victricium Rotomagensem in Gallia Episcopum; quam ille expetiisset, vt in his quæ spectant ad Ecclesiasticam disciplinam, ab ipsa Apostolica Sede normam acciperet. Hic nāq; ille magnus *Victricius*, ætate longæuus, iam olim Iuliani Apostatæ tempo ibus miles, Christi Confessor, miraculis egregie nobilitatus; de cuius certamine suo loco facta est mentio. Ex quibus videas, doctrina & sanctitate spectatos vbique Episcopos, quantumlibet ipsi ad informandā Ecclesiasticis institutis plebem fidelem satis sibi esse videri possent; ex fonte tamen solitos originario haurire aquas, quod firmioris scirent esse roboris, maioriq; suscipi reuerentia, quod ab Apostolica Sede constaret esse petitum. Nam & quod hoc anno Victricius egit, id ipsum præstitit sequenti Exuperius Episcopus Tolosanus, & alii aliis temporib. semper, vt constat ex horum Annalium lectione. Vt plane perspicias, quales habendi sint, qui eius Sedis refugiant disciplinam, ac potestatem diuinitus in Petro à Christo impertitam contemnat. Quæ vero in epistola Innocentii ad Victricium à Nouatoribus redarguuntur, cum ea ab Apostolicis traditionibus, sanctorumq; Patrum doctrina, vsu Ecclesiæ sibi vendicent auctoritatem, est vt inde eorum arguas imperitiam & improbitatem.

SANCTIS. EPISCOP. SOLITI CONSVLERE SEDEM APOSTOL.

Iisdem quoque Coss. S. Hieronym. *e* consignat obitum Hierosolymis *S. Paulæ* clarissimæ atque sanctissimæ fœminæ Romanæ, de qua superius facta est mentio. Quo quidem obitus tempore, se quoq; Regulas monachorum à SS. Pachomio, Orsiesio, & Theodoro scriptas, (quarum etiam meminit Gennadius *f*; extant vero in appendice ad Cassian.) profuturum, vt ait, Latinis suis; in Latinum conuertisse, ipse in præfatione illis affixa testatur.

XX. e *Hier. ep. 27. ad Eustoch.* HIERON VERTIT REGVLAS MONACHOR. f *Gennad. de Vir. Illustr. c. 7. 8. 9.*

IESV CHRISTI AN. 405.

INNOCENTII AN. 14.

ARCADII HONORII 11.

1.

ANNVS Christi quadringentesimus quintus, Coss. habuit Stiliconem secundo & Anthemium: qui quidem *Anthemius* in Oriente creatus, ob insignem pietatem à Patribus dignis elogiis g prædicatur, ac præcipue à S. Io. Chrysostomo in epistola *h*, quam ad eum, simul ac auditum est Cōsulem creatū esse, Cucuso scripsit. Vnde videas, haud ipsum malorum suorum voluisse offundi tenebris, & perperam gestis infamari, cum illius Philippi nepos fuisse dicatur *i*, qui Arianorum nequissimus S. Paulum Episcopum Constantinopolitanum è throno expulit, & Cucusum item relegatum, strangulandum curauit.

g *Vid. Theod. Hist. SS. Patr. c. 8.*

h *Chrys ep. 147.*

i *Socr. l. 7. c. 11.*

II. CHRYSOST: MVTAT LOCVM EXILII.

His igitur Coss. idem Chrysostomus rigore asperrimæ hiemis grauissimo morbo affectus, aduenientе vere Isaurorum latronum, cuncta depræda ionibus, incendiis, cædibus miscentium pericula subiit. Itaque factum est, vt quibus eius custodia mandata erat, rati minus tutum lotum esse Cucusum, cum exegisset (vt ait Palladius) ibi annum, in Arabissum magis munitum Armeniæ oppidum;

ipsum

ipsum non sine magno periculo transtulerint. Testatur hęc ipsemet in plurib. eo tempore ad Olympiadem a diaconissam, aliosque amicos b scriptis epistolis, quibus etiam quæ Arabissi pateretur incommoda descripsit. Prolixiorem insuper ad eandem Olympiadem exarans, meminit ad finē de *Pelagio* monacho recens detecto hæresiarcha; iubetque cogitare, quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterint, cum viti tam pie ac sanctē, tantaque cum tolerantia viuentes, abripi, atque in fraudem impelli cernerentur. Ex quibus probe intelligere possumus, hoc potissimum anno eundem Pelagium, in Oriente diu in vestitu ouinæ pellis delitescentem, iam qualis intus esset ab aliquibus lupum fuisse detectum. Eademque epistola mittere se ait lucubrationem, *Quod qui seipsum non laserit, à nemine alio ladi possit*, à se elaboratam, quo ipsius Olympiadis immensis afflictum ærumnis animum rectrearet, & ad altiora erigeret. Extat d hactenus ea scriptio; cui inconsulte præfigitur inscriptio *Homilia*, cum nequaquam ad populū in ecclesia habita sit, sed in cubiculo elaborata: & quidem huiusmodi, vt ipsa sola satis esse possit ad absolutissimum philosophum efformandum, nouissimus sane tanti Patris partus, quem dolore conceptum, morte etiam nobili consecrauit. Prospexisse ipsum insuper Ecclesiis Phœniciæ, & Gothorum, ministris indigentibus, testantur alię ipsius epistolæ e. Atque ex pecuniis, quas tum alii multi afferebant, tum prædicta Olympias mittebat, indigenarum subuenisse egestati, & captiuos ab Isauris redemisse, auctor est Sozomenus f.

a Chrys. ep. 6. 15.
b Id. ep. 69. 130 131. 135.
c ep. 4.
PELAGIVS HAERESIARCHA DETEGITVR.
d Tom. 5. oper. Chrys.
VLTIMA LVCBRATIO CHRYSOST.
e Id. ep. 51. & seqq.
f Soz. l. 8. c. 17.

III.
ROM. SYNODVS PRO CHRYSOST.

Atquid Romæ interim in eius causa actum sit, hæc habentur ex Theodoro Romanæ Ecclesiæ diacono in dialogo quem de rebus Chrysostomi habuit cum Palladio: nimirum Arabissi patretur incommoda descripsit. Prolixiorem insuper ad eandem Olympiadem exarans, meminit ad finē de *Pelagio* monacho recens detecto hæresiarcha; iubetque cogitare, quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterint, cum viti tam pie ac sanctē, tantaque cum tolerantia viuentes, abripi, atque in fraudem impelli cernerentur. Ex quibus probe intelligere possumus, hoc potissimum anno eundem Pelagium, in Oriente diu in vestitu ouinæ pellis delitescentem, iam qualis intus esset ab aliquibus lupum fuisse detectum. Eademque epistola mittere se ait lucubrationem, *Quod qui seipsum non laserit, à nemine alio ladi possit*, à se elaboratam, quo ipsius Olympiadis immensis afflictum ærumnis animum rectrearet, & ad altiora erigeret. Extat d hactenus ea scriptio; cui inconsulte præfigitur inscriptio *Homilia*, cum nequaquam ad populū in ecclesia habita sit, sed in cubiculo elaborata: & quidem huiusmodi, vt ipsa sola satis esse possit ad absolutissimum philosophum efformandum, nouissimus sane tanti Patris partus, quem dolore conceptum, morte etiam nobili consecrauit. Prospexisse ipsum insuper Ecclesiis Phœniciæ, & Gothorum, ministris indigentibus, testantur alię ipsius epistolæ e. Atque ex pecuniis, quas tum alii multi afferebant, tum prædicta Olympias mittebat, indigenarum subuenisse egestati, & captiuos ab Isauris redemisse, auctor est Sozomenus f

iusto Dei iudicio factum esse, vt cum duo tunc populi Gothorum cum duobus potentissimis suis Regibus per Romanas prouincias baccharentur, quorum alter Christianus (nempe *Alaricus* secta Arianus) Paganus alter (videlicet *Rhadagaisus*) esset; perierit Paganus, qui iam receptus sinu Italiæ Romam è proximo tiementem terrore quassabat; Christianus autem paulo post prævalere permissus fuerit, vt Pagani blasphemantesq; Romani, & illo confunderentur perdito, & hoc punirentur immisso. Namque cum *Huldin* & *Sarus* Hunnorum & Gothorum duces præsidio Romanorum aduenissent, contertitum diuinitus Rhadagaisum, in Fesulanos montes se recepisse; ibique absq; vllo prorsus certamine, aut aliqua sanguinis effusione, ingentem illum exercitum inedia atque languore confectum, ipsumque Rhadagaisum clam suis aufugiētem, captum atque interfectum esse: ac tantam denique multitudinem captiuorum extitisse, vt vilissimarum pecudum modo, singulis assibus passim greges hominum venderentur: sed & eosdem ipsos qui emebantur, illico mortuos esse, nequid de eo populo superesset, quem ad restituendum deorum cultum Romani Ethnici missum iactassent. Ita ex Orosio.

VILIPRETIO BARBARI VENDITI.

11. a *Aug. serm. 25 in Luc. & 5. de ciuit. 23.*

Extant vero tantæ victoriæ diuinitus impertitæ præclara etiam S. Augustini *a* elogia: eandemq; ope S. Ambrosij, per visum apparentis, obtentam esse, Paulinus eius Vitæ scriptor significat: aliusq; Paulinus eius Nolanus Episcopus Apostolorū Principibus Petro & Paulo; Vrbisq; Martyribus tribuit; cuius ea de re decem versus ex Natali duodecimo S. Felicis recitat *b* Dungalus cōtra Claudium Taurinensem. Quod vero ad numerum exercitus Rhadagaisi; modestius agere visus est August. ne fidem minimè posteris facturus videretur loqui hyperboles, dum ait multo amplius quam centum millium fuisse: quem tamen Orosius plusquam ducentorum millium extitisse tradit: quinimo Zosimus, & quidem Paganus (nequis inuidiose Orosium mentitum putet) scribit quadringenta barbarorum millia hoc in bello sub Rhadagaiso militasse, collectorum ex trans-Istranis; trans-Rhenanis, Celticis, & Germanicis nationibus. Sed plane, vt Paganus, rem tantam perfide obscurare conatus, ait trans-Istrum, antequam cum copiis in regiones Romano Imperio subditas Rhadagaisus se inferret, à Stilicone fuisse imparatum offensum, ac superatum: cum testibus Prospero & Cassiodoro, iam ante quinq; annos sub Consulatu primo Stiliconis & Aureliani iidem descendisse in Italiam; & Paulino, Orosio, Augustino, ac Prospero auctoribus, idem Rhadagaisus fuerit diuina virtute in Tuscia superatus, captus, atque necatus.

b *Rer. etiam Baron. Annal. Tom. V. hoc ann.*

DE NVMERO HOSTIVM. ET ERRORE ZOSIMI.

III. c *Socr. lib. 6. c. 18.*

ATTICVS CREATVR EPISC. CONSTANTIN.

Sed iam res Orientalis Ecclesiæ videamus. Sub huius namque anni Coss. (vt auctor est Socrates *c*) *Atticus* ex Sebastia Armeniæ oriundus, à puero ad religionem institutus per monachos hæresis Macedonianæ, à qua postea ad Ecclesiam Catholicam transiit, & Ecclesiæ Constantinopolitanæ factus presbyter, vnus fuit ex insidiatoribus Ioannis Chrysostomi, prudentia magis naturali, quam doctrina valens, in rebus agēdis solers, in locum defuncti Arsacij, quatuor post mensib. creatus est Episcopus Constantinopolitanus. Hæc ex Socrate, atq; Sozomeno *d*.

d *Soz. lib. 8. c. 27.*

IV. LEGATI INNOC. ET HONORII QVÆ PASSI CONSTANTINOPOLI.

Interea vero cum Legati Roma missi (vt dictum est anno superiori) Constantinopolim properarent, scientes aduersarij Ioannis, si iidem eo appellerent, fore vt populus pro Ioanne solicitus cum eis conspiraturus esset; cōsilium illud inire scelestum, ne eos sinerent Constantinopolim ingredi. Cum itaq; iidem ad portum appulissent, ab iis quibus eiusmodi cura demandata fuerat, retrò repulsi, conclusi sunt intra castellū quoddam maritimū, ac variis contumeliis cruciatibusq; affecti. Cumque vt literas, quas ab Honorio Imp. Innocentio Papa, aliisque Occidentalibus Episcopis deferendas acceperāt, darent, exigeretur ab eis, iidemq; obstinato animo recusarent eas nisi ipsi Arcadio Augusto, ad quem dirigebantur, tradere; aduenies Tribunus quidam, perfracto vnius ex Episcopi Legatis pollice, easdem per vim abstulit. Postridie vero venerunt ad eos, qui tria millia nummum darent, vt communicarent cum Attico nuper electo Episcopo, & de Ioannis Chrysostomi iudicio omnino tacerent. Sed id ipsi penitus agere recusantes, ab eodem Tribuno iniecti sunt in nauim vetustam & putrem, dato pretio nauclero vt perderet nauigantes: verum iidem diuino adiuti auxilio Lampsacū appellentes, inde mutata naui in Italiā peruenerunt post quatuor menses quam in Oriētem profecti fuerant. Quæ quidem adeo immaniter gesta, refert apud Palladium rerum Chrysostomi enarratorem, Theodorus Ecclesiæ Romanæ diaconus, ex relatione eorundem ipsorum Legatorum. Eodemq; insuper Palladio auctore constat, illos Episcopos Orientales, quos Romam aduenisse superius vidimus, & ipsos è Concilio Romano in Orientem cum aliis Legatis missos, atq; in idem castellum Thraciæ maritimum inclusos, post legatorum Italorum emissionē, in exilium ad diuersa remota & barbara loca ductos esse: idq; ipsum aliis quamplurimis Episcopis Ecclesiasticis vitis Ioanni communicantibus accidisse tradit; eosdemque passim diris habitos esse.

ALII FAVTORES CHRYSOST. DIRE VBIQVE HABITI.

Hoc item anno, quo absolutis exilij annorum duorum periodis, tertium mense Iulij inchoauit S. Ioannes Chrysostomus; idem mittens Romam Ioannem presbyterum & Paulum diaconum, literas *a* ad Innocentium Papam dedit, quibus imprimis pro sedulo & indefesso in sua causa exhibito studio, ingentes gratias egit; inde vero pro persecutoribus rogans, suasit mitius agere aduersus canonum proculcatores, ne ab Ecclesiæ cōmunione, ob periculum vniuersalis in toto Orbe conflandi schismatis, eos expellat, sed expectet si forte resipiscant. Ita quidem Chrysostomus: Constat tñ tum ipsum Innocentium, tum reliquos Occidentalis Ecclesiæ Episcopos, postquā accepissent de scelere plane execrando aduersus suos ipsorum legatos Cōstantinopoli perpetrato, Atticum Pseudoepiscopum Constantinopolitanum, & Theophilum Alexandrinum, aliosq; tanti sceleris architectos, à cōmunione sua, Ecclesiæq; Romanæ, extorres declarasse, vt ex iis quæ dicētur inferius apparebit. Porro ipse Ioannes, qui primo anno Cucusi, & sequenti vsq; in præsens tempus Arabisti exulauit; haud priuatus est hactenus commercio literarum, quas mutuo acciperet & redderet. Sed quod nullæ amplius ab eo datæ legantur, interceptus creditur cōmeatus, ipseq; ne quid scriberet custoditus ab aduersariis; inuidia tabescentibus (vt ait Sozomenus) quod viderent vniuersam Ecclesiam Occidentalem pro illo esse solicitam.

V. CHRYSOST. EPISTOLA VLT. AD INNOC. PP. a *Chrys. ep. 1. ex septem, ta. 5. oper. eius. Extat iam Tom. 1. Epist. Rom. Pont. post Innoc. ep. 16.*

ATTICVS ET THEOPHILVS EXCOMMVNICATI AB INNOC.

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. S. Hieronymus aduersus VIGILANTIVM hæresiarcham nuper obortum scripsit vnius noctis (vt ait *b*) lucubrationem: quam Sisinnio monacho, à S. Exuperio Tolosano Episcopo in Orientem (vt dictum est) misso, perferendam in Gallias, vbi fuum virus serpens euomuerat, paratum antidotum dedit; cum de eiusdem Vigilantij erroribus certior redditus esset literis Riparij & Desiderij presbyterorum Gallorum, per eundem Sisinnium perlatis. Testatur hæc quidem ipse ad finē eiusdem cōmentarij. Vbi etiam cum fateatur, se ante bienniū ab eodem Ripario de hortēdis Vigilantij blasphemiis certiorem factum esse; (ad quem ea de re extant eiusdem Hieronymi rescriptæ *c* literæ;) inde dici potest, Vigilantiū, qui hactenus inter sanctos perfidus latuisset, iam palam quasdiu in pectore occultasset hæreses, ante duos annos propalare cœpisse. Fuisse vero natione Hispanum, patria Calaguritanum, idem S. Hieronymus tradit: ex quo Gennadius redarguitur, qui quod sciret hominem versatum in Gallia, Gallum vtiq; fuisse existimauit, sed Hispaniæ Barcinonensis parochiæ Ecclesiam tenuisse. Vsu igitur & consuetudine Barcinonensis Ecclesiæ, eundem S. Paulinus, qui ibidem ordinatus est presbyter, perneccessarium aliquando habuit, & vt virum pium probumque laudauit *d*; atque apud se ægrotantem fouit. Proficiscentem quoque Hierosolymam S. Hieronymo plurimum commendauit, à quo in gratiam Paulini maxima aniditate *f* susceptus est: sed mox ab eo qualis esset detectus *g*, haud postea cessauit, tam in Palæstina, quam in Ægypto, aliisq. quas peragrauit prouinciis, in eundem Hieronymum (impulsus *h* etiam ad id hortationibus Russini) oblatrare, ipsumque Origenis hæreseos accusare, quod eius opera assiduè legeret: demique in Occidentem reuersus, quas multo tempore cōgesserat blasphemiarum sordes, sed pallio obuoluerat sanctis,

VI. HIER. SCRIBIT ADVERS. VIGILANTIVM. b *Hier. adu. Vigil. ad fin.*

c *Id. ep. 53.* VIGILANTII PRIMORDIA ET PROGRESSVS.

d *Gennad. de Script. Eccl. c. 35.*

e *Paul. ep. 1. ad Sever.*

f *Hier. ep. 35. ad Paulin.*

g *Id. ep. 75. aduers. Vigil.*

h *Id. Apol. 2. adu. Ruff.*

tatis, cœpit in Gallia primum ante biennium (vt diximus) explicare.

VII. EIVSDEM HÆRESES.

Impugnabat cultum Reliquiarum sanctorum Martyrum, & qui eas susciperent appellabat *Cinerarios & Idololatras*, qui mortuorum hominum ossa venerarentur: signaq; apud eas fieri solita, dæmonũ asserebat esse præstigias; eosdemq; inutiles omnino esse, quod signa non Fidelium, sed Infidelium causa fieri debeant. Et cum Basilicas Martyrum declinandas esse diceret, Catholicos qui ibi ex more orationes celebrarent, quasi immundos fugiendos esse docebat. Iouinianũ quoq; hæresiarcham secutus, impugnabat Virginitatẽ, atq; Cælibatum clericorũ, Ieiuniaq; Fideliũ. Damnabat præterea, diei tempore cereos ac lampades in Ecclesia incendi solitas: itemque ex quibusdam Apocryphis sub nomine Esdræ libris, post mortem nullum pro aliio deprecandi facultatem habere dixit. Improbabat quoque Vigilias in S. Ecclesia celebrari solitas; præter solemnes S. Paschatis, quas duntaxat retinẽdas esse dicebat, reliquas vero obtentu publicæ honestatis, ne tenebratum occasionem captantib. ad delinquendũ via aperiri videretur, esse abolendas. Sicut & illud addidit, nonnisi in Paschate Alleluia canendũ. Eleemosynas quoq; solitas mitti ad loca sancta damnabat, asserebatq; eos melius facere qui vtuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus diuidunt, quã illos qui possessionib. suis venumdatis semel omnia largiuntur. Atq; item ausus est dicere, montem de quo abscissus est in Daniele *a* lapis sine manibus, esse diabolum, & lapidem CHRISTVM.

a Dan. 2.

VIII. b Hier. adu. Vigil. & ep. 53. ad Ripar. & in Isai. 6. 65.

Hæc omnia ore sacrilego effutisse Vigilantium, testis est Hieronymus in scriptis *b* aduersus ipsum editis: quibus videas impudentissimum hæresiarcham conatum esse dissoluere omnem Ecclesiæ disciplinam, ac sanctas traditiones destruere, sacrosq; ritus pessumdare: adeo vt non sit mirandum, si idem S. Hieronymus ingenti, quo semper aduersus hæreticos esse solet, Catholicæ fidei zelo, haud parcens verbis (quod notauit S. Gregorius) vehementior in eum impetu visus sit in eundem Vigilãtium insurrexisse: quem & rectius *Dormitantium* appellandum esse ait, quod vigilans dormiret, & dormiens adeo sacrilega scriberet. Recensitisq; diuersis, quæ diuersis temporibus & regionibus in orbe terrarum visa fuissent, hæreticorũ monstris, ingemuit maximè huius temporis infelicem Galliæ statum; quod cum ea sola hactenus eiusmodi monstra non habuisset, sed viris semper fortissimis & eloquentissimis abundasset, tandem & ipsa passa fuerit Vigilantium, qui immundo spiritu pugnaret contra CHRISTI Spiritum.

GALLIC. ECCLESIA INTEGRITAS TENTATA.

IX. QVOMODO COMPRESSA HÆRESIS VIGILANTII.

Cæterum eius impietates adeo nullo negotio idem S. Doctor araneorum filorum instar disrupit, vt os eius obstruxerit; extinxeritq; penitus ante propemodum quã nascerentur, infames hæreses; ita vt nullus labor incubuerit sanctis Episcopis Concilia celebrandi ad eas condemnandas. Vnde magis miteris, phrenesim illorum, qui eas hoc nostro tempore iterũ promulgare nõ erubuerunt. Quamuis vetillæ tũc siluerint, nec amplius ad multa secula auditæ fuerint, nõ solum effecerit breuis illa Hieronymi scriptio; sed etiam quod terribilis Deus in consiliis super filios hominum, vocauerit gentes ab extremis terræ, immiseritq; in Gallias, sicut dicetur anno sequenti; atq; in eam potissimũ partẽ grassari siuerit, in qua hæresis nefanda plantata fuit, cum Tolosa ciuitas capta est à barbaris, vniuersaq; Aquitania, & Narbonensis ac Lugdunensis prouinciæ penitus deuastatæ, (quam cladem ipse c Hieronymus alibi luxit:) adeo vt sub barbarico gladio magis de vita tuenda, quam de dogmatibus licuerit disputare. Creduntur porro à barbaris illi esse sublati hæretici, quorum nulla vnquam fuit postea vox audita: siue potius iidem sic male seducti, iam facti mentis compotes resipuerint. Ecce autem tibi quid soleant vehere secum, vel post se ducere hæreses; clades nimirum prouinciarum: quod multis exemplis sæpe omnibus sæculis, & hocipso quo viuimus infelicius contigit demonstrari.

c Id. ep. 11. ad Ageruch.

X. TRANSLATIO RELIQVIARVM SAMVELIS PROPHETÆ.

Interea vero hoc eodem anno, quo illa aduersus Vigilantium S. Hieronymus scripsit, contigit transferri ex Palæstina Constantinopolim, Reliquias *Samuelis* Prophetæ in sericeo & vase aureo ab Episcopis: ac tanta eis lætitia ab omnium Ecclesiarum populis in itinere occursum est, vt de Palæstina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in CHRISTI laudem vna voce resonarent. Narrat hæc Hieronymus aduersus eundem Vigilantium. Vt plane voluerit Deus, tunc maiori honore frequentari Sanctorum Reliquias, quando ab impuro hæretico eædem essent grauiori affectæ dedecore. Quod vero ad tempus spectat; cum sub Arcadio Imper. id gestum esse Hieronymus, qui proximè conspexit, asserat; & sub Attico Constantinopolitano Episcopo æquè id contigisse Theodorus Lector *a* habeat: haud quidem in alium annum referri potest, quam præsentem, quod Atticus non ante præsentem annum ei sedi præfectus sit, & Hieronymus, quem hoc anno sub dictis Coss. contra Vigilantium scripsisse diximus, id iam tunc factum fuisse affirmet. Meminit autem de templo Samuelis apud Constantinopolim iuxta Hebdomum erecto, non solum Theodorus, sed & Procopius *b*. Ante vero iampridem, viuente adhuc Theodosio Seniore, reperta fuisse itidem in Palæstina veneranda corpora SS. Prophetarum *Habacuc & Michææ*, reuelataque diuinitus Sebenno Episcopo Eleutheropolis, auctor est Sozomenus *c*.

a Theod. Lect. Collect. lib. 2.

b Procop. de ædif. Iustin. li. 2. in fin.

c Soz. lib. 8. c. vlt.

IESV CHRISTI ANN. 407.

INNOC. ANN. 6.

ARCADII HONORII ANN. 13.

I. HONORIVS HÆRETICOS EXAGITAT. d L. 40. C. Th. & l. 4. C. Iustin. de hær.

ANNO CHRISTI quadringentesimo septimo, Honorio septimũ & Theodosio secundum Augg. Coss. idem Honorius acceptorum diuinitus aduersus Gothos beneficiorum memor; quod nihil diuinitati gratius esse sciret, quam si illius hostes hæreticos debellaret, octauo Calendas Martias nouum promulgauit edictum *d*, quo præter Donatistas, etiam Manichæos, Phrygas, & Priscillianistas, bonorum publicatione prosecutus est, interstabilesq; declarauit; eisq; nihil ex moribus, vel ex legibus, cõmune esse voluit cum cæteris hominibus: iussitq; publicũ esse crimen, quia quod in religione diuina committitur, in omnium fertur iniuriam. Ex quibus (vt) Imperatoris obsequiis, haud impari priorib. cõsecutus est à Deo beneficia, cum insidiis Stiliconis anno sequenti (vt dicetur) ereptus est.

II. GALLIÆ DIVASTATÆ A BARBARIS. e Prosp. in Chron. f Cassiod. in Chron. g Zos. lib. 6. hist. Oros. lib. 7. c. 38. h Hieron. epist.

Interea vero hoc ipso anno Galliæ misere deuastatæ sunt ab Wandalis & Alanis, qui transito Rheno eas inuaserunt. Refert quidem id anno superiori Prosper *e*, Cassiodorus *f*, & Zosimus *g*: sed quod idem Prosper, horum malorum inspector, nonnisi pridie Calendas Ianuarias illius anni eorundem barbarorum ingressum ponat; eladem ipsam, qua deuastatæ sunt Galliæ, minime ante præsentem annum cœptam esse apparet. Porro iisdem barbaris permixtos quoque fuisse Sueuos, Orosius *h* & Zosimus scribunt: & Hieronymus *i* eandem lugens eladem, Quados addit, & Sarmatas, Gipedas, Herulos, Saxones, Burgundiones, Alemannos, & Pannonios: quos ait quicquid inter Alpes & Pyrenæum est, quod Oceano & Rheno includitur, deuastasse, omnesq. ferme ciuitates diripuisse. Easdem autem barbaras omnes gentes proditione Comitis Stilichonis, ex Wandalis ducentis originem, satagentisq; in Eucherium filium suum transferre Imperium, accitas esse, Orosius atque Marcellinus *k* disertis verbis affirmant, cõfirmatq; S. Hieronymus, necnon Rutilius *l* Numatianus Ethnicus poeta; qui & ipse iisdem barbaricis bellis coactus è Gallia patrio solo fugere, teuersus tandem per mare nauigans, *Itinerarium* illud suum metro cecinit. Sed de proditione Stiliconis pluribus inferius. Eiectos autem fuisse Romanos Magistratus à Gallis ipsis in barbaros arma sumentibus, testatur Zosimus. Quam vero soluta esset in

i Hieron. in Chron. k Marcel. in Chron. l Rutil. Itiner. lib. 2.

CORRVPTA MORIB. GALLIA.

Galliis

Galliis magna ex parte Ecclesiastica disciplina, exundantibusq; vbiq; vitiis eædem prouinciæ meruetint tradi barbaris deuastandæ; Saluianus *a* Massiliensis Episcopus pluribus docet, qui viuens his temporibus ob oculos habebat quæ ab oculis excuterent iugiter lacrymas: nouus plane sui temporis Ieremias, qui (quod deterius est) luget eosdem suos Gallos, hisce flagellis haud moribus emendatos, sed potius deteriores redditos.

a *Saluian. de rect. iudic. lib. 6. & 7.*

III. CONC. CARTHAG. ADVERS. DONAT. ET PAGANOS.

Hoc eodem anno, Idibus Iunij, celebratum est ab Episcopis Africæ CONCILIVM *b* CARTHAGINIENSE: vbi inter alia decreta est legatio ad Honorium Imper. pro defensione rerum Ecclesiasticarum aduersus Donatistas & Paganos: sancitumque *c*, vt quicunq; ad Comitatum ire vellent, Formatam acciperent ad Romanum Pontificem, & ab hoc aliam ad Imperatorem: idque ideo ne hæretici Catholico nomine velarentur, sicut apparet ex iis quæ de Formatis alias *d* dicta sunt. Hac vero Synodo id amplius præceptum est, vt in eis dies Paschæ illius anni apponeretur; quod si nondum definitus sciretur, (quippe literas ea re, vt vidimus, dari cõtingeret) tunc apponeretur dies anni præteriti, Post diem Paschæ scilicet; sicut soleret in publicis Gestis, Post Consulatum adscribi. Quod autem statutum *e* est, vt de dissensione Romanæ Ecclesiæ atque Alexandrinæ ad Sanct. Papam Innocentium scriberetur, quo vtraque Ecclesia inter se pacem teneret: ex his plane significatur, ipsum Romanum Pontificem Ioannis Chrysostomi causa aduersus Theophilum Alexandrinum mirum in modum fuisse commotum, & in omnes alios Episcopos qui cum illo aduersus eum conspirassent; eosque suspendisse, nec voluisse missas ab eis recipere litteras: ῳ quidem Epistola *f* eiusdem Innocentij ad Alexandrum Episcopum Antiochenum postea data, de Acacio eius functionis antesignano demonstrat. Sed & Theodorus *g* diaconus expresse testatur, fuisse hanc Romanæ Ecclesiæ sententiam; non communicare in finem vsque Orientalibus Episcopis, donec in Vniuersali Synodo de ea causa iudicatum esset.

b *Conc. Afric. can. 26. &c.*
c *Ibid. can. 73.*
d *Sup. 142. nu. VI. & 325. XLIV.*
e *Conc. Afric. can. 68.*
f *Innoc. ep. 18.*
g *Ap. Pallad. in dialog.*

IV. CHRYSOST. OBITVS.

Porro eodem anno, iisdemque Coss. ipsum *S. Ioannem Chrysostomum*, ærumnis confectum, Comanis apud Pontum Euxinum ex hac vita migrasse, scribit Socrates *h*: sed error apud eum irrepsit, dum ponitur obijsse decimooctauo Calendas Decembris; quem decimooctauo Calendas Octobris in cœlum migrasse omnes affirmant; & Tabulæ Ecclesiasticæ fidem faciunt. Quæ autem ipsius obitum præcesserint, Palladius narrat: nempe pertæsos eius aduersarios frequentem ad eum populorum accessum, & vt ægra valetudine laborantem longissimis difficillimisq; peregrinationibus fatigatum exhalare animam cogerent; illud consilij iniisse, vt eum Arabisso Pityuntem, locum omnino desertum ad ripam maris Ponrici, transferre curarent, eaque deportatione, post trimestris temporis difficillimum iter, quo pessimè à militibus qui eum ducebant habitus est, cum in templo quodam Comanis propinquo pernoctaret, ipsa nocte Martyrem loci, *Basiliscum* nomine, qui Nicomediæ sub Maximiano passus fuerat cum esset Comanensis Episcopus, apparentem ei dixisse: *Confide frater Iohannes, cras enim simul erimus*: ipsumque de oraculo confidentem, postridie candida se induentem vestimenta, sumptisque cœlestibus Sacramentis, & post orationem signo se Crucis munientem, animam Deo reddidisse; eiusque corpus positum esse in eadem cum Basilisco Ecclesia: ac tantam multitudinem virginum, monachorum, & aliorum sanctorum virorum, ex Syria, Cilicia, Ponto, & Armenia, ad eius fanus accurrisse, vt pluribus putarent eos ex condicto aduenisse. Hæc pluribus Palladius. Vixisse autem illum annos quinquaginta duos & menses octo, Leo Augustus habet in eius Encomio; & de quinquaginta duobus annis reliqui omnes; qui de his egerunt, sunt assertores. Episcopatus vero vsque in diem qua obiit, numerantur anni nouem, menses sex, & dies viginti.

h *Socr. lib. 6. c. 19.*

EVNVS.

V. SCRIPTA.

Quod ad eius Scripta pertinet; testantur Cassiodorus *i* & Suidas *k*, eum vniuersam Scripturam tam Veteris quam Noui Testamenti commentariis illustrasse. Quod si verum est, vide quam pauca ex ingentibus thesauris nobis sint reliqua: cum & alioqui nonnulla spuria eius nomine edita hactenus habeantur. Inter quæ haud æquo animo pati possum°, adscriptas fuisse sanctissimo viro quinquagintaquatuor homilias in Matthæum; quas vt distinguant à consummato in eundem Euangelistam commentario nonaginta vnius homiliarum, *Opus Imperfectum* nominant: quod ne pilum quidem Chrysostomi, vel in dictione, vel in sententiis, vel in dogmatibus habet, sed spartas hæreses Manichæorum, Montanistarum, Arianorum, ac Donatistarum continet. Testantur autem Theophanes atque Cedrenus, sub Constantino & Irene Impp. Patriarchium Cõstantinopolitanum incensum fuisse, absumptasque cameras vbi repositæ erant vniuersa scripta, quibus sactam Scripturam S. Ioan. Chrysostomus fuerat interpretatus.

i *Cassiod. praef. de diuin. lect.*
k *Suid. verb.. Ioan. Chrys.*

VI. PAVLVS APOSTOLVS DOCET CHRYSOSTOMVM.

Porro habuisse ipsum in sacris literis peculiarem Doctorem S. Paulum Apostolum, cuius immẽso tenebatur amore, fidem fecit S. Proclus, qui postea eiusdem Constantinopolitanæ Ecclesiæ creatus est Episcopus: qui cum Chrysostomi esset discipulus, vidit sæpius ipsum Sanct. Paulum inclinatum post sedem illius scribentis, & os admouentem eius auri dextræ; & cum eo colloquentem. Testantur hæc Leo Augustus; Metaphrastes, & alij omnes qui de Ioanne scripserunt, atq; imprimis Ioannes Damascenus *a* ex antiquioribus Actis Vitæ eius. Contigisse vero visiones, cum Epistolam Pauli ad Galatas interpretaretur, in qua se ipsum superasse cognoscitur, haud improbanda opinio est. S. quoque Nilus in Epistola ad Anastasium de eodem refert, ipsum omni ferme tempore consueuisse videre Ecclesiam refertam Angelorum cœtu, & tunc potissimum cum incruentum sacrificium offerretur; quo tempore iidem Angeli è cœlo descendentes stolis induti splendidissimis, nudis pedibus, intentis oculis proni altari magno cum silentio & reuerentia, quoad mysterium illud expletum esset, circumstare visebantur ab illo. Omittimus autem hic innumera SS. Patrum de eodem elogia. Satisque ad laudem, quod post eius obitum, paucis exceptis quos liuor infecit, tam Oriens quam Occidens, & vniuersus Catholicus Orbis, ipsum sanctissimum prædicauit: quem etiam constat complura post obitum edidisse miracula. Sed visionem illam de gloria ipsius apud thronum Domini post mortem euecti, quæ narratur in Prato *b* Spirituali, tanquam omni fide carentem; imo & quædam falsa continentem, inter spuria reijcimus. Non enim indigent Sancti nostris illustrari mendaciis, qui proprijs virtutibus decorantur. Illud vero ex eodem Prato * haud omittendum de moribus eiusdem S. Ioannis; eum ex quo baptismum suscepisset, nunquam omnino iurasse, neque aliquem iurare compulisse, neque mentitum esse, neque alicui maledixisse, neque scurrilia locutum esse, nec iocos admisisse.

a *Damasc. or. 1. de Imag.*
b *Prat. Spir. c. 118.*
* *Ibid. c. 191.*

VII. INNOC. PP. QVID IN ARCAD. IMP. ET EVDOX. AVG.

Audita eius morte Innocentius Papa, primo quidem eius memoriæ ita consultum voluit, vt nomen eius referretur in sacra Diptycha; (hoc est Tabulas Ecclesiasticas, in quibus nomina Episcoporum in Catholica communione defunctorum describi solerent, & inter Missarum solemnia relegi; vt docet Epistola *c* Ægyptiorum Antistitum ad Anatolium Constantinopolitanum contra Timotheum Alexandrinæ sedis inuasorem:) perstitit que in sententia, vt nunquam, nisi id fieret, communicare vellet cum Orientalibus Ioannis aduersarii Episcopis; vt auctor est Theodoretus *d*. Deinde vero literis ad Arcadium Imper. scriptis, sunt ipsæ quidem Græcis notissimæ; quas Gennadius, Nicephorus *e*, atque Glycas *f* recitant) ob facinora in eundem Ioannem perpetrata, tum ipsum Imperatorem, eiusque vxorem Eudoxiam, à communione Ecclesiæ reiecit; tum Arsacium, licet iam mortuum, qui in eiusdem Ioannis locum intrusus fuerat, & omnes Episcopos, qui consulto cum eo communicassent, exauctorauit; ac denique Theophilum Alexandrinum anathemati subiectum, gradu depositi. Sunt autem verba, quibus hæc tanta decreuit, huiusmodi: *Itaq; ego minimus & peccator, cui thronus magni Petri Apostoli creditus est, segrego & reijcio te, & illam*, hoc est, Arcadiũ & Eudoxiam) *à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem; aut clericum ordinis san-*

VISIONES CHRYSOSTOMI.

c *Ext. inter ep. viror. illustr. pro Conc. Chalced.*

[Cæterũ duplices fuisse Tabulas, quarum alteris vtuorũ, alteris defunctorum nomina inscribebantur, multis testimoniis probatũ habes apud Cypr. ep. 10. Notis Pamelij.]

d *Theod. lib. 5. c. 34.*
e *Nic. lib. 13. c. 34.*
f *Glyc. Ann. par. 4. Extant et To. 1. Epist. Rom. Pont. ep. Innoc. 17.*

ctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit, ab ea hora qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno. Quod si vt homines potentes quenquam ad id vi adegerit, & canones nobis à Saluatore per Sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis; scitote id vobis non paruum peccatum fore in horrenda illa Iudicii die, cum neminem huius vitæ honor & dignitas adiuuare poterit, arcana autem & abdita cordium sub oculos omnium effundentur atque exhibebuntur. Arsacium, quem pro magno Ioanne in thronum Episcopalem produxistis, etiam post obitum exauctoramus, vna cum omnibus, qui consulto cum eo communicarunt Episcopis: cuius etiam nomen sacro Episcoporum albo non inscribatur. Indignus eo honore est, qui Episcopatum quasi adulterio polluerit. Omnis siquidem planta, quæ à Patre nostro in cœlis plantata non est, eradicabitur. Ad Theophili anathematismum addimus abrogationem, & absolutam à Christianismo absolutionem.

ARCAD. SE EXCVSAT, ET RESTITVIT VR.

Huic vero Innocentij Epistolæ subijcit Glycas Arcadij ad eundem Pontificem responsionem; qua excusans se de ignoratione eorũ, quæ aduersus Ioannem iniuste per Episcopos gesta essent, asserensq; Eudoxiam acriter à se ea de re correptã graui detineri ægritudine, enixè rogauit vt ipsos à censuris liberare dignaretur. Ac demum his idem auctor aliam subdit Innocentij ad Arcadium, qua eius excusationes accipiens, tam ipsum quam eius vxorem Ecclesiasticæ communioni restituit. Sed & quam codex Vaticanus continet, Arcadij ad Innocentium responsio *a*, habet amplius excusationem de iis quæ gesta essent Constantinopoli, ipso Imperatore prorsus inscio, aduersus Legatos Apostolicæ Sedis. Extatq; * insuper Epistola Honorij Imperat. ad eundem Arcadium fratrem, qua eum grauiter obiurgauit de iisdem, quæ tum in Ioannem, tum in Legatos perpetrata fuissent. Cæterum post obitũ Ioannis nondum tribus mensibus elapsis, contigisse prodigiosum ac plane miserandum interitum Eudoxiæ Augustæ, eo modo quo superius *b* dictum est, Zonaras, & alij testantur.

a *Ror. Baron. To. V. hoc an.* * *Baron. ib. ex cod. cod. Vatic.*

b *Ann. 404. nu. XI XVI. vbi vide quæ diximus post num. XVI.*

VIII. HONOR. COGITAT DE INFERENDO BELLO FRATRI

Sed quod ad Honorium spectat; haudquaquam ipse prædictis scriptis literis conceptum ob indigna facinora dolorem exhaurire valens, insuper & bello decernere aduersus fratrem in animum duxit. Iamque ad illud peragendum Rauennæ expeditio parabatur, cum hoc præcipuum intercessit impedimentum, (vt auctor est Zosimus *c*) quod certior factus est, *Constantinum* perduellem, ex insula Britannia transuectum iam ad Transalpinas gẽtes accessisse. Hæc enim de tyrannide Constantini (quem alij *Constantium* nominant) hoc anno contigisse, idem auctor non obscure significat, dum ait exacto post autumno designatos esse Coss. Bassum atque Philippum, quos anno sequenti nomen dedisse omnes affirmant: sub quibus etiam Prosper Constantini tyrannidem cõtigisse refert; eundemque infimæ militiæ militem, ob solam speciem nominis acclamatum fuisse imperatorem. Nempe cum primo (vt Zosimus *d* & Sozomenus *e* tradunt) iidem milites Britannici MARCVM quendam acclamassent Imperatorem, huicque breui ab ipsismet sublato suffecissent GRATIANVM; isto etiam post quatuor menses interempto CONSTANTINVM elegerunt, quod putarent eum ex nominis sui præsagio Imperium optimè administraturum, & à barbaris illud vbicunq; deprædantib. liberaturum, sicut fecerat olim Constantinus Magnus & ipse genere Britannus: cum & ad spem augendam illud accessisset, vt æquè ac Cõstantino Magno, huic quoq; filius esset CONSTANS appellatus; quem & simulac ad Alpes Cottias peruenit, Cæsarem dixit, & ad obtinendas Hispanias misit.

c *Zos. lib. 5.*

d *Zos. lib. 6.* e *Soz. lib. 9. c. 11.*

TYRANNI IN BRITANNIA EXORTI.

IX. THEOPH. CVRAT EXVLES RESTITVENDOS.

Post obitum quoque S. Ioannis Chrysostomi, visum est Theophilo Alexandrino, iis qui ob initam cum Ioanne communicationem proscripti fuissent, vel voluntario exilio contigisset esse factos extorres, omnibus ad propria redeundi licentiam impertiri; cunctisque obortis dissensionibus obliuione deletis, vnitatem in Ecclesia redintegrari. Quem quidem ea de re libellum scripsisse ad Atticum Constantinopolitanum, testantur literæ Synesij Episcopi Ptolemaidis in Ægypto, scriptæ ad eundem Theophilũ, cum ipsum consuluit de Alexandro Basianopolis in Bithynia Episcopo communionis Ioannis, quem exulem idem Synesius apud se recepisset. At licet ista curauit Theophilus: non tamen propterea meruit communionem Romani Pontificis, quod vsque ad vltimam horam nunquã consenserit nomen Ioannis in Diptycha restitui. Sicut nec eandem ob causam Atticus, licet crebras miserit legationes ad eandem communionem obtinendã, valuit vnquam illam adipisci, quousque post mortem Theophili Ioannis nomen restituit; prout testatur Theodoretus *. Sed de his inferius suis locis.

* *Theod. lib. 5. c. 34. in fi. ap. Baron. an. seq. num. XLII.*

IESV CHRISTI ANN. 408.

INNOCENTII ANN. 7.

HONORII 14. THEOD. II. 1.

ANNO CHRISTI quadringentesimo octauo, Basso & Philippo Coss. Calendis Maij, Arcadius Imper. offensi numinis indignationem ob S. Ioannis Chrysostomi persecutionem expertus, ex hac vita morbo subreptus est: præmature quidem, annum tantum ætatis agens trigesimum primum; cum imperasset vna cum patre annis duodecim, postque eius obitum tredecim, mensibus tribus & diebus quindecim. Testantur hæc de tempore obitus Prosper *a*, Marcellinus, Socrates *b*, & alij. Reliquit vero post se liberos, *Theodosium, Pulcheriam, Placillam, Arcadiam*, & *Marinam*. Sed quod sciret Honorium fratrem sibi esse peroffensum, timens ne insidias THEODOSIO puerulo octo annorum moliturus esset; eundem Regi Persarum Isdigerdi, quocum fœdus inierat, commendatum reliquit: qui quidem fideliter eius suscepta tutela, Antiochum quendã prudentissimum virum suo loco Constantinopolim misit, ipsius curam acturum. Testatur enim ista Theophanes *c*, qui Græcè scripsit Historiam illam quæ inscribitur *Miscella*, & sub titulo Pauli Diaconi errore circumfertur, quam Anastasius Bibliothecarius Latinam fecit. Idemque Antiochus, Legatus etiam ad Honorium Imp. ab eodem Regge Persarum missus Romam creditur ad eum cum Theodosio conciliandum. Namque ait Sozomenus *d*, Honorium commiseratione ductum, Constantinopolim properare decreuisse, vt fidos Præfectos cõstitueret Theodosij salutiq; Imperio; sed Constantini tyrannidem eum à cœpto itinere reuocasse: & cum antea destinatus fuisset Stilico cum exercitu mitti in Orientem; detectis eius insidiis, quib. filio Eucherio parabat Imperium, retentum fuisse. Porro Theodosio insuper accessisse Imperij curatorẽ Anthemium Præfectum, virum laudatissimũ, quem ante triennium Cõsulatũ gessisse vidimus, Socrates etradit. Sed & maior natu soror *Pulcheria*, cum grandioris ætatis effecta est, (quã tempore obitus patris, nonnisi annorum fuisse ætatis decem, Marcellino auctore liquet) æquè Imperij regimen suscepit; de cuius prudentia, pietate, cæterisq; virtutibus, sæpe dicendum inferius.

a *Prosp. & Marcell. in Chron.*

b *Soer. lib. 6. c. 21.*

I. ARCADII IMP. OBITVS.

THEODOS. PVER IMP. COMMENDATVR REGI PERSARVM.

c *Miscel. lib. 13.*

d *Soz. lib. 9. c. 4.*

CVRATORES ORIENT.

e *Soer. lib. 7. cap. 1.*

[Quod audisti superiori art. de Historiæ Miscellæ auctore; ita quidem apud Baronium Tom. IX. variis locis, ex aliorum magis quam propria ipsius sententia. At vero qui rem accuratius cõsiderarunt, tam ex Theophanis Græci, quam ex eius versionis Anastasianæ lectione obseruarunt, longe à vero abire qui asseuerit Miscellam esse ipsum Theophanem Latinitate ab Anastasio donatum: quamuis sint quædam ex Theophane ei Historiæ immista & intexta. Quam quidem constat centonem esse, à Paulo Aquileiensi diacono primum, post etiam à Landulpho Sagace, ex variorum auctorum monumentis consutum: in quo præter Suetonij Eutropij, Flori, Victoris, Eusebij, Orosij, Iornandis, & aliorum Historias, tota pene Anastasij Bibliothecarij Historia ex Georgio, Theophane, aliisq; Græcis Scriptoribus collecta contexitur à libro vero XVII. & deinceps plerasq; ad verbum desumpta esse ex Theophane. Sed de Theophanis Historia vide quæ rursum dicentur suo loco; nempe an. 813. num. III.]

Quod autem ad Persarum fœdus cum Romanis spectat, auctor est Sozomenus, illud ad centum annorum spatium sancitum fuisse. Ex quo quidem factum est, vt non

tantum

tantum securitati Imperij bene prospectum esset, sed & propagandæ in Perfide fidei, quam mirum in modum amplificatam esse prædicationibus & miraculis S. MARVTHÆ Episcopi Mesopotamiæ, pluribus docet Socrates *a*: cum videlicet idem Sanctus ab Imperatore Legatus ad Regem missus, adeo carus ei extitit, quod ipsum grauissimo ac diuturno capitis dolore precibus suis liberasset, & ab ipsius filio dæmonem expulisset; vt frementibus licet Magis, omniaque in contrarium per dolos, & occultas fraudes (quæ tamen in ipsorummet perniciem detectæ sunt) satagentibus, non solum Ecclesias vbique ædificandi licentiam ab eodem Rege obtinuerit, sed & parum abfuerit quin & ipsummet fidem profiteri compulerit. Extat vero etiam Sanct. Ioannis Chrysostomi *b* exulis Epistola ad Olympiadem, qua perspicuè intelligitur, per eundem Marutham conuersionem Persarum ipsum Chrysostomum in exilio iam procurare cœpisse. Ex quibus intelligas, Marutham cum in conuentu ad Quercum stetisset contra eundem Chrysostomum (vt ex eodem Socrate *c* atque Sozomeno *d* constat) postea in eius partes transiisse: qui quidem magnæ sanctitatis nomine glorioſus, tam Græcis quam Latinis publicis notis *e* anniuersaria memoria in Ecclesia perseuerat.

a *Id. lib. 7. c. 8.* RELIGIO CHRIST. PROPAGATA IN PERSIDE à S. MARVTHA.

b *Chrys. ep. 14*

c *Socr. lib. 6. c. 14.*
d *Soz. lib. 8. c. 16.*
e *Martyrol. & Menol. 4. Dec.*

III. STILICONIS PROditio DETEGITVR.

Dum autem hæc in Oriente gererentur, interim in Occidente hoc eodem anno Stilliconis insidiis res admodum turbatæ sunt; cum qui pluribus annis occultasset in animo proditionem Imperij, & aliquibus interdum eandem signis patefecisset, iam aperta luce in Honoriũ egit. Quod indignam facinus, & ipsa quoque elementa bruta clamare visa sunt, quando sub huius anni Coss. (vt Marcellinus scribit) Romæ in Foro Pacis per dies septem terra mugitum dedit. Inseruiebat Alaricus Gothorum Rex studiis Stiliconis; qui cum eo pluribus præliis sæpe colludens, ac præcipuè (vt vidimus) apud Pollentiam; eundem ad terrendam, terendamque Rempublicam reseruauerat: & tanquam pro Romano militaturum Imperio diu publicis stipendiis aluerat, ea specie quasi eo vsurus iam esset ad inuadendam ditiorem Arcadij Imperatoris. Testantur hæc Zosimus *f*, Orosius *g*, & alij. Accidit autem, vt cum Alaricus per legatos stipendia suis militibus peteret, ob moras in Epiro contractas dum expectaret mitti in Orientem; eaque de re Imperatore Honorio in Senatu Patrum sententias rogante, num videlicet pecunia Alarico danda, vel bello aduersus eum esset decernendum, ex Stiliconis sententia eidem pro redemptione pacis quatuor millia librarum auri decreta essent; (resistente frustra Lampadio V.C. qui patria libertate illud in faciem Stiliconi obiecit: *Non esse istam pacem, sed pactionem seruitutis:*) his, inquam, aliisque nonnullis circa hæc agitatis, accidit vt ab Olympio duce in Stiliconem, ceu proditorem Imperij, animo Honorij commoto, eiusque opera occisis Magistratibus Stiliconis studiosis; ipse Stilico, cuius præcipuè vita appetebatur, Rauennam se cum suis contulerit: ibique rebellante aduersus ipsum Saro Hunnorum duce, & occisis ab eo reliquis Stiliconis satellitibus, tunc & ipse Stilico sibi timens, intempesta nocte ad Ecclesiam confugerit. Habet hæc omnia pluribus Zosimus.

f *Zos. lib. 5.*
g *Oros. lib. 7. c. 38.*

AVRO PAX REDEMPTA AB ALARICO.

IV. STILICO CONFVGIT AD ECCLESIAM.

Hic autem obserua, quantum delatum fuerit Ecclesiasticæ immunitati, vt nec perduelles quidem Imperij vllus inde vi abstrahere ausus fuerit. Quam & paulo post adeo ratam esse voluerunt *h* qui tunc regnabant Honorius & Theodosiuss, vt & crimen maiestatis esse iusserint, quenquam ab Ecclesia abducere. Itemq; obserua, quam acciderit congruè, (sicut & de Eutropio, potentissimo Orientalis Imperij sub Arcadio administratore, dictũ est,) vt qui violare ius Ecclesiæ tempore Sanct. Ambrosij Stilico non est veritus, idem ipse Honorij Imper. bis socer, & in tantam potentiam euectus (inquit Sozomenus *i*) vt ferme vniuersos Romanos ac barbaros sibi haberet obsequentes; necessitate compulsus, ius Ecclesiæ implorauit. Ita enim Deus superbos, in res sacras cornua erigentes, deprimere consueuit. Verum qui non vi est ab Ecclesia auulsus, dolo tamen passus est sponte se inde abduci; cum (vt Zosimus narrat) illucescente die ingressi milites Ecclesiam, Episcopo præsenti iureiurando fidem fecissent, non imperatum sibi esse vt eum necarent, sed tantum vt custodirent. Sed cum primum egressus ex Ecclesia sub custodia militum esse cœpisset, aliis ex parte Honorij ab eodem qui priores de illo custodiendo attulerat, redditis literis, quibus eidem Stiliconi ob delicta in Rempublicam pœna capitis irrogabatur; tunc ductus infelix, capite truncatus est ab Heracliano, sub iisdem huius anni Coss. Basso atq; Philippo, decimo Calendas Septembris. Eucherius autem impius filius fuga lapsus, Romam se contulit; cuius occisio cum Serena matre & alijs, anno sequenti contigit, quo de iis agendum.

h *l. 20. C. Th. de pœn. l. 10. 21. 22. C. Th. de bon. proscript. l. 1. C. Th. de lit. & itin. custod.*

i *Soz. libr. 9. c. 4.*

CAPITE TRVNCATVR.

V.

Hæc porro cuncta ex Zosimo (vt diximus) desumpta sunt, quod ex aliis, qui adeo exacte res gestas fuerint prosecuti, accipere minimè licuerit: quem tamen scimus, priuatis studẽtem affectibus, pro animi sententia res interuertere, dum quem omnes perduellem Imperij Stiliconem fugillant, ipse laudibus prædicat; contra vero Olympium ducem pietate insignem, (vt inter alia patet egregiis Sanct. Augustini *a* elogiis) vindicem q; diuturnæ proditionis, hypocrisis infamat. At de his summatim agens Marcellinus *b* Comes ait Stiliconem (cuius duæ filiæ, *Maria* & *Thermuntia*, singulæ vxores Honorij fuissent, vtraque tamen virgo defuncta) regnum inhiantem, Alanorum, Sueuorum, Wandalorumque gentes, donis pecuniisque illectas, contra Imperium Honorij excitasse: cumq; Eucherium filium suum, Paganum, & Christianis insidiantem, Cæsarem ordinare moliretur, dolo detecto occisum esse. Id etiam post Orosium atq; Sozomenum, reliqui omnes. Quamobrem optimè consultum est CHRISTI Ecclesiæ nece Stiliconis, cuius proditione, in Ethnicum hominem, persecutionem (vt ait Orosius) iam à puero priuatoq; meditantem, & vt conciliaret sibi fauorem Paganorum, restitutione templorum & euersione Ecclesiarum imbuturum se regni primordia minantem, Imperium Romanum deferendum esset.

a *Aug. ep. 124. & 129.*

b *Marcel. in Chron.* EIVS NECIS CAVSÆ.

VI.

Stilicone igitur sublato de medio, aduersus eius quoq; fautores Honorius complures sanctiones *c* edidit. Illudq; ex Senatusconsulto factum in eum, quod aduersus alios tyrannos fieri consueuit; nimirum vt publica quæq; atq; priuata monumenta, quæ in eius honorem fuissent erecta penitus diuicerentur; eiusque nomen quibuscunque titulis appositum abraderetur: quod quidem pluribus exemplis, antiquæ eiusdem docent inscriptiones, quæ adhuc extant, & expuncto leguntur nomine Stiliconis. Contra vero eos qui illum insecuti essent, idem Imperator beneficijs afficiendos curauit *d*, dum inter alios Heraclianum eius interfectorem Præfectura Africæ prouinciæ donauit, & Olympium totius operis architectum Magistrum Officiorum creauit. Deniq; rescripto *e* ad eundem Olympium, & Valentem Comitem Domesticorum dato, Palatium repurgauit ex iis, quos fidei Catholicæ aduersarios in eo Stilico posuerat aulicos.

c *l. 20. C. Th. de pœn. l. 10. 21. 22. C. Th. de bon. proscript. l. 1. C. Th. de lit. & itin. custod.*

d *Zos. lib. 5.*

e *l. 42. C. Th. de hæret.*

VII.

Adgauisus est S. Augustinus de noua dignitate collata Olympio, duabus ad eum hoc anno datis Epistolis *f*. Verũ ad posteriorem scribendam, longè grauior impulit eum causa, quod videlicet post necem Stiliconis, in Africa Gentiles & Donatistæ falso rumore iactarent, latas contra ipsos leges nequaquam ex voluntate extitisse Honorij Imp. sed opera Stiliconis, & quasi earundem auctoritas vna cum ipso Stilicone esset extincta, in Catholicos insurrexissent, atque nonnullos etiam Episcopos necassent. Cuius enormis sceleris causa, *Conuenientes* Episcopi *Carthagine* tertio Idus Octobris sub huius anni Coss. *g* legationem aduersus eosdem Paganos atque hæreticos ad Imperatorem decreuere: Cum iam antea sub iisdem Coss. mense Iunij ibidem *congregati Episcopi*, eadem ex causa contra eosdem tumultuantes ad eundem Imperat. aliam legationem misissent. Cæterum, nauasse quam diligenter operam Olympium, vt iidem Legati impetrarent quod peterent; decent ipsius Imperatoris data decimoseptimo Calendas Decembris rescripta *h*, quibus significauit, quodcunq; aduersus Donatistas & alios hæreticos, necnon Gentiles statutum esset, id ex sua sententia factum, firmum ratumque in omnibus esse velle. Qui etiam de iudicio Episcoporum edixit *i*, vt inuiolatum haberetur quod ex consensu par-

f *Aug. ep. 124. & 129.*

CONC. CARTHAG. AD REPRIMENDOS TVMVLTVANTES HÆRET.

g *Conc. Afric. can. 73.*

h *l. 43. C. Th. de hær. l. 19 C. Th. de Pagan.*

i *l. 9. C. de Epis. aud.*

tium Episcopi iudicassent; nec ab eorum sententia appellare liceret.

XIII. a *d.l.*43. CÆLICOLÆ HÆRETICI QVI.

Sed quod vno ex prædictis rescriptis *a* iussit, cum Donatistis æquè exagitari *Cælicolas*; quinam hi fuerint, exquirendum est. Existimaui aliquando hos fuisse Gentiles in Africa, sic dictos à cultu Cælestis idoli Carthagine positi, de quo dictum est superius. Sed quod ex sententia Augustini *b*, iidem etiam baptizarentur, Christianitatem præsetuliisse visi sunt. Verum & quod vult alia eiusdem Imper. sanctio *c*, hos cogendos ad Christianitatem seruandam; quodq; insuper tam in Theodosiano quã Iustinianeo Codice, non sub titulo *de Hæreticis*, sed *de Iudæis*, ponantur *Cælicolæ*; ac denique quod idem S. Augustinus in commentario ad Quodvultdeum relegens omnes quæ ab exordio Christi Ecclesiæ hæreses extitere, vsque ad hæresim Pelagianorum, quæ post hoc tempus innotuit, nullam ibi de Cælicolis mentionem habeat: ex his, inquam, intelligi posse videtur, hos fuisse quidé Christianos, sed tamen apostatarum nomine censendos potius quam hæreticorum. Et quãtum colligere fas est ex eadem Honorij sanctione *d*, illos apparet appellatos esse Cælicolas, qui ex Christiana fide transirent ad Iudaismum; ita tamen quod cum scirent Iudaicum nomen abominabile cunctis esse, non Iudæi, sed Cælicolæ dici voluerint; nec sub Iudæorum degerent Patriarchis sed aliis sibi propositis Præfectis, quos *Maiores* nominarent, vt ex S. Augustino *e* apparet, necnon ex antiquiori rescripto *f* Constantini Magni. Qui vero præterea alius de Cælicolis sermonem habeat, ex veteribus inuenimus neminem. Sed ad eos spectat, quod post dies nouem à rescripto dato ab Honorio aduersus hæreticos atque Cælicolas, idem Imper. octauo Calendas Decembris sub his iisdem Coss. aduersus eosdem promulgauit edictum *g*, quo Donatistas pariter & Iudæos, noua in Religionem Catholicam tentantes (nempe Cælicolarum sectam introducentes) coercuit.

d *d.l.*19. *sem* 12.

e *Aug ep.*163. & 284.

f *l.*3. *C. de Iudæ. & Cælic.*

g *l.*44. *C Th. de hæret.*

IX. h *l.*18. *C. Th. de Iudæ.* IVDÆORVM VELATVM SACRILEGIÙ.

Sed & hoc eodem anno, iisdemque Coss. quarto Calendas Iunij, Theodosius Imp. Iudæos, pariter ritus Christianorum adulterantes, data lege *h* compescuit; qui videlicet (vt ait) quodam festiuitatis suæ solemni, Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & S. Crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere consueuissent. Ex quibus intelligis quid præsumpserint Iudæi sceleratissimi, nimirum Crucifixum vna cum Cruce incendere, & ne sacrilegi conuicij possent, illud prætexere consueuisse, se non CHRISTVM Crucifixum, sed Aman Iudæorum hostem tali supplicio *i* affectum, ob Dei gloriam reprætsentare. At quid admirandum Deus ostenderit his temporibus Constantinopoli, de Iudæo paralytico per sanctum baptismum sanitati restituto, deque pluribus Gentilibus ad suscipiendum baptismum tali miraculo inductis, Iudæis in obstinatione permanentibus; tu consule Socratem *k*. Qui & eiusmodi narrationi aliam subiicit de Sabbatio, ex Iudæis oriundo, facto Nouatiano, sed schismate ob Episcopatum non adeptum ab iisdem resiliente, & nouam sectam constituente. A quo quidé *Sabbatianos* nominatos esse Nouatianos ab aliis schismate diuisos, rescripta *l* Principum docent. Toleratos autem diximus Nouatianos, tanquam qui in reliquis de fide eadem cum Orthodoxis sentirent: sed Romæ ab Innocentio Papa primum expulsos esse, idem Socrates *m* affirmat.

i *Esth.*7.

IVDÆVS PARALYT. PER BAPTISM. SANATVS.

k *Socr. lib.*7. *c.*4. 5.

SABBATIANI HÆRETICI.

l *l.*59. *C. Th. de hæret.*

m *Socr. lib.*7. *c.*9.

Contigit inter hæc mori Porphyrium illum scelestissimum, qui post Flauianum sedem inuasit Antiochenam; cui nunquam (vt dictum est) Romanus Pontifex communicare voluit. Quo defuncto affulsit primus pacis radius post tot procellas Ecclesiæ Antiochenæ. Etenim cõmuni omnium cõsensu electus *n* est *Alexander*, vir laudatissimus, & ab ineunte ætate vitam monasticam egregiè professus: qui vno vinculo communionis in vnum coniunxit eos qui erant ex parte Paulini (eiusque successoris Euagrij) iam à tempore Concilij Alexandrini sub Iuliano Apostata, cum aliis qui erant ex parte Meletij, separatos ab inuicem quadraginta quinque annis: tot enim numerant ab eo Concilio vsque in præsentem annum. Siquis autẽ numeret à tempore resipiscentiæ Meletij, quando ex Arianorum sectatore Catholicum se publicè professus est; (quocum tamen, vtpote ab Arianis ordinato, renuerunt cõmunicare Catholici, qui ab illo Magno Eustathio denominati erant Eustathiani; quod contigisse vidimus anno CHRISTI trecẽtesimo sexagesimo:) plane ad hunc vsq; annum reperiet schismatis annos quadraginta octo. Deniq; si illud accipias ab iectione ipsius Eustathij facta anno trecentesimo quadragesimo, quo tempore scindi primum cœpit in duas partes Ecclesia Antiochena; annos numerabis sexaginta octo. Quamobrem manifestum redditur, illapsum esse errorem apud Theodoretum *a*, dum anni numerantur eiusdem Ecclesiæ dissidij octoginta quinque; quandoquidem illud spatium longe transgreditur tempora Alexandri Episcopi Antiocheni & Innocentij Romani Pontificis, sub quibus pacem eidem Ecclesiæ redditã esse, tam ipse Theodoretus, quam alij omnes affirmant. Laudat vero insuper eundem Alexandrum idem auctor, quod ipse omnium illorum Orientalium primus, Magni Ioannis Chrysostomi nomen in Tabulas Ecclesiasticas referendum curauerit.

n *Theod. lib.*5 *c.*35. VNIO ECCLESIÆ ANTIOCH. SVB ALEXANDRO EPISC.

a *Id. lib.*5. *c.*5.

Verum tam huius rei, quam pacis Ecclesiæ Antiochenæ, auctorem fuisse Innocentium Romanum Pontificem dum Alexandro, legationem ex more Romam mittenti ad obtinendam Catholicam communionem, eam prædictis conditionibus impertiit; declarant eiusdem Innocentij litteræ *b* ad Bonifacium presbyterum, legatione fungentem apud Theodosium Imp. Cõstantinopoli; necnon aliæ *c* ad eundem Alexandrum de pace Ecclesiæ scriptæ. His vero & illud constat, Acacium quoque Beroensem Episcopum, Catholicam ab eodem Romano Pontifice communionem, iam diu ob causam Chrysostomi interceptam, expetiisse: eamque ipsum certis legibus obtinuisse, testantur literæ quas ad eum Innocentius *d* reddidit.

XI. INNOC. * PP. AVCTOR PACIS ANTIOCHEN.

b *Innoc. ep.*11.

c *Id. ep.*18.

d *Id. ep.* 22.

Hoc item anno, qui Vrbis obsidionem præcessit, Melania Romana vidua, de qua sæpe superius, antiqui vaticinij, ante annos quadringentos (vt ait Palladius *e*) editi memor; distractis prædiis, vna cum Melania nepte, Pinianoque eiusdem Melaniæ Iunioris viro, & Albina eiusdem matre, euasura cum illis imminentem Vrbis cladem, Roma recedens, Hierosolymam se iterum contulit. Addit insuper Palladius, eiusmodi Prophetico oraculo ab ea Romæ euulgato, atque sæpius inculcato, complures Romanorum ciuium ad rerum temporalium contemptum inductos esse. Nam & maior vis inerat ad hæc suadenda Melaniæ orationi, quod dictitaret (vt existimabat) vna cum Vrbe Orbem pariter ruiturum. Cæterum illam cum suis in itinere Carthaginem appulisse, pauperesque eius Ecclesiæ locupletantes, inde Tagastam ad Sanct. Alipium accessisse, & templum splendidissimè ornasse, atque prouentibus ditasse; sed & duo monasteria, virorum octoginta alterum, alterum virginum centum & triginta, ædificasse, & dotasse; constat ex Epistola Sanct. Augustini *f* ad Alipium postmodum scripta, & ex Actis Melaniæ apud Metaphrastem *g*. Cum autem & placuisset Hipponem ad Augustinum proficisci, cõtigit in ea ciuitate vim Piniano fieri à populo, vt presbyter ordinaretur; (de cuiusmodi populorum consuetudine dictum est alias:) qui tamen certis promissionibus populum eludens, clam inde recessit. Quare cum tam ipsi, quam etiam Alipius, qui cum eisdem Hipponem venerat, in Augustinum nonnihil commoti essent, quod suspicarentur, id ex eius factum sententia: de ea re ipse literis ad eos scriptis *h* (quibus hæc omnia quomodo gesta fuerint declaratur) se excusauit; simulque Hipponenses ab ea suspicione liberauit, qua putabantur id præstitisse amore pecuniæ ac facultatum Piniani. Quam enim Augustinus abhorruerit, vt locupletaret Ecclesiam suam vel leui scandalo, testatus est ipse alia occasione eidem Alipio, dum pluribus egerit de non accipiendis bonis illorum qui ex sæculo ad vitam monasticam conuerterentur, ne obtrectandi daretur inde occasio; cum Alipius dimidium bonorum suaderet accipiendum. Qui & Leporium *k* quendam, nobilitate & diuitiis conspicuum, sua omnia dimittere cupientem, & pauperem cum CHRISTI pauperibus Augustini fratribus Deo seruire; non ante recipere voluit,

XII. EIVSDEM, ACTORVM PEREGRINATIONES, AC VITÆ INSTITVTVM. Ap. Baron. an. seq. & 419.

e *Aug ep.*224.

g *Ap. Metaphr. 31. Ianuar.*

h *Aug. ep.*220. & 225.

i *Id. ep.*219.

k *Id. serm.*50. *de diuers.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

voluit, quam erogatis bonis omnibus egenum prorsus redditum vidisset. Deniq; tametsi cum forte Ecclesiæ à quoquam sponte aliquid vel donabatur, vel titulo legati dimittebatur, id ipse quidem non respueret, sed suscipi iuberet; nihilominus oblatas non semel hereditates recusasse, cum illas videret in detrimentum liberorum vel affinium defunctorum verti; constat ex Possidio in eius Vita. Cuius est & illa sententia *a*: *Quicunque vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam; quærat alterum qui suscipiat: non Augustinum.*

a *Ibid. ser. 49. 49.*

XIII.

Quod autem rursum ad Melaniam Seniorem spectat; cum ea hoc tempore SS. Augustini atque Paulini *b* Nolani præconiis laudata reperiatur, argumentum est, ipsam maculas, quæ ei ex patrocinio errorum Origenis inhæsissent, penitus diluisse, postquam iam illos Romæ ab Anastasio Papa damnatos comperit. Nauigasse autem post hæc Hierosolymam, & ab ipso illuc aduentu post dies quadraginta defunctam esse, Palladius tradit. Pinianum vero cum nuru & vxore remansisse in Africa, ac post aliquot annos Hierosolymam ipsos nauigasse, testantur Acta *c* Melaniæ Iunioris. Ex quibus etiam constat, peregrinatam eandem Iuniorem esse cum marito in Ægyptum, ad visendos sanctos monachos eremi accolas, relicta Albina matre ob ingraescentem ætatem Hierosolymis: inde vero redeuntes Hierosolymam, seorsum à coniuge Pinianum excoluisse vitam monasticam, Melaniam autem ad annos quatuordecim apud montem Oliueti clausam in cella perseueraisse, egisseq; vitam Angelis similem: quæ omnia videtur ignorasse Palladius *d*, cum ait eos vitam duxisse in Campania & in Sicilia. Sed de iis rursum inferius.

b *Paul. ap. Aug. ep. 249.*

c *Ap. Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.*

d *Pallad. in Lausiac. c. 49.*

IESV CHRISTI ANN. 409.

INNOCENTII ANN. 8.

HONORII 15. THEOD. II. 2.

I. VRBIS OBSIDIO PER ALARICVM.

ANNO CHRISTI quadringentesimo nono, Honorio octauum & Theodosio tertium Augg. Coss. Roma ab Alarico Gothorum Rege obsessa est *e*. Qui enim Stiliconi addictissimus erat, ob necem eius in Imperatorem commotus, exercitum in Vrbem mouit, quam diu ante sitiuerat. Cum interea Eucherius filius Stiliconis detentus captiuus, mandato Honorij Rauennæ agentis interfectus est: eiusque mater Serena Stiliconis coniux, ipsiusque Honorij soror patruelis, ex Senatusconsulto iussa est pariter laqueo interfici; adnitente Placidia Honorij germana, eo prætextu quod in suspicionem adducta esset, eius nutu barbaros ad Vrbis obsidionem se contulisse: ratis nimirum Senatoribus, postquam Serena foret è medio sublata, barbaros pariter soluturos obsidionem, ablata spe de proditione Vrbis: quod tamen minime successit. Dedisse vero meritas illam pœnas, quod & ipsa insano ardens desiderio creandi filij Imperatoris, easdem cum Stilicone struxisset Imperio Honorij insidias, omnes affirmãt: licet Zosimus Ethnicus ad iustam numinis vindictam eius necem accommodet, quod aliquando è Rheæ simulachri collo mundum pretiosum abstractum suo colligasset.

e *Zos. lib. 5.*

EVCHERIVS FILIVS STILIC. OCCIDITVR CVM MATRE.

II. VRBIS OBSIDIO AVRO SOLVTA.

Cum aũt obsidio arctior perduraret, ac fame peste populo Romano vexato, vi adacti ciues pacem redemerunt, persolutis Alarico quinquies mille libris auri, & tricies mille libris argenti, quater mille tunicis sericis, ter mille pellibus coccineis, piperis pondere quod ter mille libras æquaret. Sed quod Ærarium esset exhaustum, & priuatorum opes haud in promptu essent ad dictam summam perficiendam; decretum est spoliari deorum simulacra auro & gemmis, quibus recens fuerant fauente Eucherio exornata; conflariq; nonnulla, quæ adhuc supererant, auro & argento facta simulacra: quod valde deplorat Zosimus. Notam vero etiam Innocentio Romano Pontifici inurit, quod religioni suæ salutem Vrbis anteponens, Gentilitia sacra fieri, secreto consenserit, quando vrgente obsidione iactantibus Tuscis quibusdam aruspicibus, barbaros se peritus Ethnicos fulminibus ac tonitruis abacturos, sicut in alio oppido fecisse dicebant; qui in Senatu adhuc Pagani erant, tam in Capitolio quam reliquis Vrbis delubris sacrificia publicè celebrarunt. Sed quod nihil ex sententia successit, erubescens Zosimus infirmitatem deorum, excusat ex eo quod nemo ausus fuerit participare de sacrificiis. Cæterum Sozomenus, & ipse Græcus scriptor, & sui temporis res prosecutus, quamuis secta Nouatianus extiterit, & aduersus Innocentium Papam, quod primus omnium (vt vidimus ex Socrate *a*) Nouatianos eiecerit ab Vrbe, nõnihil commotus; tamen dum eandem historiam recensет *b*, nequaquam de eius consensu Gentilibus exhibito meminit.

INNOC. PP. DEFENDITVR À CALVMNIA ZOSIMI.

a *Socr. lib. 7. c. 9.*
b *Soz. lib. 9. c. 6.*

III.

Ac certe tantum abfuit vt Innocentius eiusmodi scelus admiserit, vt contra cum innocentissimus esset, ne periret cum noxiis, tanquam Loth (inquit Orosius *c*) è Sodomis occulta prouidentia Dei subtractus fuerit: Cum videlicet, quamuis soluta obsidione, haud tamen pace cum Honorio stabilita, quod is omnibus Alarici postulatis minimè satisfeciisset, aliasq; ipse Alaricus postea adiecisset cõditiones, & maximè vt ipse vtriusq; militiæ dux copiis Honorij præficeretur, cui Imperator acquiescere noluit; inter hæc bis missis à Senatu ad eundem Alaricum, apud Ariminum agentem, Legatis pro pace inter ipsum & Honorium stancienda, (inter quos fuit etiam Innocentius, vt iidem Zosimus atque Sozomenus testantur) & Alarico re infecta rursum ad obsidionem Vrbis properante; ipse Innocentius apud Honorium Rauennæ constitit, ne (vt ait Orosius) peccatoris populi videret excidium. Quod aũt ad Alaricũ spectat; cum reparatæ aduersus Vrbem expeditionis mox cum pœnituisset, Episcopos quosdam ad Honorium pro pace moderatis admodum cõditionibus legauit. Sed quoniam imprudenti suasione Iouij Præfecti Prætorio, Magistratus iurauerant nunquam se de ineunda cum Alarico cõcordia acturos, atque ad idem iusiurandum Imperatorem adegerant, dum paulo ante Alaricus resiliisset; Episcopis re infecta redeuntibus, Alaricus cœptum iter prosecutus est, Romamq; secunda cinxit obsidione. Ista pluribus Zosimus atq; Sozomenus. Quæ autem post hæc secuta sunt, dicentur anno sequenti.

c *Oros. lib. 7. c. 39.*

VRBS ITERVM OBSIDETVR AB ALARICO.

Cæterum cum in his omnibus factum videatur, vt Honorius ab aulicis prauo consilio deceptus, nonnulla perperam egerit; dum Olympium, adeo pium virũ, de quo supra, in ordinem redegit, & latam legem, ne Gentiles militiæ cingulo honestarẽtur, quo Generidum quendam ducem barbarum, qui ea causa militare detierat, ad militiam reuocaret, abrogauit, omnibusque simul Ethnicis ad militiam viam aperuit, inuitus licet, vt Zosimus ipse testatur: nihilominus tamen inter tot tantasq; perturbationes cõstitutus, Catholicæ Ecclesiæ necessitatibꝰ cõsulere minimè prætermisit; dum inter alia pia rescripta hoc anno promulgata, Mathematicos *d* & hariolos in errore perstantes ab omnibus ciuitatibus expelli iussit; & aduersus Donatistas, Paganos, Iudæos & Cælicolas, consentientes illis quas superiori anno promulgasse vidimus, sanctiones *e* edidit; acreos *f* carceratos iussit omnibus diebus Dominicis sub fida custodia educi, vt eis à Christianis laicis vel Sacerdotibus substantia siue alimonia præberetur, pariterque iisdem diebus ad balnea religionis contemplatione deduci. Ex quibus, aliisque eiusmodi piis Honorij edictis, plane apparet, (quod ait S. Hieronymus) non eius peccatis exigentibus, sed Gentilium obstinata perfidia, deditam Vrbem barbaris. Id enim & ipse Alaricus testatus est; nimirum se, numine impellente, nolentem licet & inultum, ad eius interitũ ferri, existente quodam qui se obtundendo vrgeret, ac præciperet vt Romam everteret: quod narrant Sozomen. *g* & Socrates *h*.

IV. HONORII IMP. MINVS RECTE FACTA.

d *l. 12. C. Th. de malef.* PLACVIT LEGIS HOC MANDATA. *e l. 10. C. Th. de hær. l. 19. C. Th. de Iud. & Cæles.* *f l. 7. C. Th. de exhib. reor.* ALARICVS IMPVLSVS à NVMINE AD CLADEM VRBIS.

g *Soz. lib. 9. c. 6.*
h *Socr. lib. 7. c. 10.*

His iisdem Coss. *Wandalos* Hispanias occupasse, scriptum habetur in Chronicis Prosperi & Cassiodori, Eosq; introductos esse à Constantino tyranno per Constantem

V. BARBARI HISPANIAS OCCVPANT.

filium, aduersus Didymum & Verinianum fratres, cognatos Honorij Imp. qui Hispanias tutabantur, iisq; occisis, illas in præmium datas esse barbaris deprædandas, sicque patefacta fuisse claustra Pyrenæi reliquis barbaris qui in Gallia erant; tradit Orosius *a* homo Hispanus res patrias non ignorans. Nam & præter Wandalos, *Alanos* quoq, & *Suenos* in Hispanias ingressos esse, Isidorus affirmat. Hi vero sic inter se eas partiti sunt, vt Alani Lusitaniam & Carthaginiensem prouincias, Wandali cognominati Silingi Bæticam possiderent: Hispani aũt per ciuitates & castella residua barbaris dominantibus se subiunxere. Quam autem graue dispendium passæ sint Hispaniarum Ecclesiæ ab huiusmodi incursionibus, intelligi potest ex rescripta à S. Augustino *b* Epistola ad Honoratum Episcopum Africanum, cum iisdem Wandalis post hæc Africam vastantib. ab eo consultus fuisset, num Episcopo huiusmodi persecutionum tempore fugere liceret: vbi post alia; *Non quisquam est* (inquit) *qui dicat, ministros manere oportere, vbi iam non fuerint, quibus necesse sit ministrare. Ita quidam sancti Episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captiuitate dispersis. Sed multo plures, illic manentibus propter quos manerent, sub eorundem periculorum densitate manserunt. Et si aliquà deseruerunt plebes suas; hoc est, quod dicimus fieri non debere: neque enim tales docti suas; hoc est, quod dicimus fieri non debere: neque enim tales docti auctoritate diuina, sed humano vel errore decepti, vel timore sunt victi.* Cæterum cuncta hæc mala à Deo in Hispanos immissa esse, ob grauissima illorum scelera, ac præcipuè impurissimam libidinem, ideoq; Wandalis potissimum, infirmissimis illis quidem & ignauissimis, sed pudicis, subiugandos tradi meruisse; defleuit Saluianus *c*, ea præ oculis habens, Massilienſis Episcopus.

a Oros. lib. 7. c. 40.

b Aug. ep. 180

CVR TRADITI HISPANI BARBARIS.

c Salu. de prouid. lib. 7.

IESV CHRISTI ANN. 410.

INNOC. ANN. 9.

HONORII 16. THEOD. II. 3.

I.

ANNVS CHRISTI quadringentesimus decimus, vnius tantum Varanes legitimo Cõsulatu in Oriente creati, Fastis adscriptus habetur. Romæ enim obsidio repetita, ab alterius Coss. creatione Honorium Imp. dimouit. Creatus est tamen Tertullus *d*, sed eius nomen à Fastis abiectum, quod eam à tyranno dignitatem accepisset. Cum enim Alaricus Vrbem oppugnaret, coegit Romanos vt *Priscum* ATTALVM Vrbis tunc temporis Præfectũ, secta Arianum, crearent Imperatorem: qui mox Alaricum æquè Arianum, vtriusque Militiæ ducem, Tertullum vero Gentilem hominem creauit Consulem; aliisque pariter Ethnicis & Arianis alios nobilissimos magistratus distribuit: ac denique orationem ad Senatum habuit, qua iactabundus promisit se patria omnia illi conseruaturum, & Ægyptum, vniuersumq; Orientis Imperium Italis subiecturum. Cum vero Alaricus recte ei consuleret, vt Drumam cum barbarorum copiis in Africam mitteret, qui Heraclianum Præfectum Honorio fauentem minimo negotio potuisset inde expellere: Attalus contra, delusus falsis deorum vatumque responsis, promittentium citra pugnam Africæ totius adeptionem; Alarici spreto consilio, Constantinum quendam, seu Constantem, absque idoneis copiis eo misit, qui ab exercitu Heracliani mox cum suis interfectus est.

d Zosim. lib. 6. Oros. lib. 7. c. 42.

ATTALVS CREATVR IMP. AB ALARICO.

II.

Interea vero Attalus plane sibi persuadens iam in partes suas Africam concessisse, ipse aduersus Honorium Rauennæ agentem mouens Romanorum ac barbarorum exercitum, Ariminum accessit. Qua re perculsus Honorius, cum per literas ei atq; legatos regni consortium obtulisset, eo tumoris elatus est Attalus, vt negans se Imperij consortem admissurum esse, iusserit Honorium eligere insulam, aliumve locum in quo priuatus degeret. Itaq; in eo cardine rebus existentibus, vt & naues iam Honorius paratas haberet ad nauigandum ad Theodosium fratris filium, ex improuiso magnus militum numerus ex Oriente noctu Rauennã appulerunt, quibus fretus Rauennæ consistere decreuit, quousque rerum Africanarum status nũciaretur. Factumque est, vt cum Heraclianus occiso Constantino, frumentum Romam ex Africa vehi prohibuisset, diraq; inde fames Vrbem inuasisset; Attalus eo reuocatus fuerit, vt medelam ei malo afferret. Hæc quidem omnia æquè referunt Zosimus *a* & Sozomen. *b*. Sed de Fame Sozomenus ait, illam eo inualuisse, vt castaneis pro frumento vterentur, ac nonnullos etiam carnes humanas gustasse suspicarentur. Zosimus vero etiam affirmat tunc temporis Romæ in exhibitis ex more Circensibus spectaculis, populum fame tabescentem conclamasse ad nouum Imperatorem, vt pretium poneret carni humanæ. Ac denique S. Hieronymus *c* scribit, ad nefandos cibos erupisse esurientium rabiem, & sua inuicem membra laniasse, dum mater non parceret lactenti infanti, & suo reciperet vtero quem paulo ante effudisset. Post famem vero, grauissimam Pestem secutam esse, Zosimus tradit, lugetque. Sed quis, rogo, in his redegit angustias Vrbem, nisi Gentilium factio scelerata? Vt plane desipuisse arguantur, qui cladem eius adscripsere Christianis; cum ex deorũ falsis responsis hæc omnia factitata esse, ipse deorum cultor Zosimus compulsus sit confiteri.

a Zos. lib. 6. *b* Soz. lib. 9. c. 8.

DIRA FAMES VEXAT VRBEM.

c Hier. ep. 16. ad Princip.

III.

Post hæc autem Alaricus, qui hactenus laborasset vt ciuitates Italiæ subditas redderet Attalo, iam ob contrarium rerum euentum, in eundem commotus, eum extra vrbem Ariminum, in qua tunc morabatur, productum, diademate spoliauit, & purpura exuit; iisque ad Honorium missis, Attalum in omnium oculis ad priuatam conditionem redegit; apud se tamen, vna cum Ampelio eius filio retentũ, donec pace cum Honorio constituta, vitæ securitatem eis impetrasset: cum & Placidia quoque soror Honorij apud Alaricum obsidis loco maneret, sed omni honore cultuque regio fruens. Hæc iidem Zosimus atque Sozomenus. Sed de Attalo rursum post aliquot annos eorundem Gothorum opera Imperium resumente, atque iterum deserente, dicetur suo loco. De quo egregiè Orosius *d* ait: *In eo Alaricum Imperatore facto, infecto, refecto, ac defecto, citius his omnibus factis pene quam dictis, minum risisse, & ludum spectasse Imperij.* Porro ista de Attali depositione, circa mensem Iulij huius ipsius anni facta esse, intelligi potest ex Honorij rescripto *e* dato octauo Idus Augusti Rauennæ sub Consulatu Varanes, quo ob liberatam Rempublicam à tyrannidis iniuria, omnium criminum reos relaxari præcepit; nimirum illos, qui tyrannum Attalum secuti essent. His autem plane consternatos animo esse deorum cultores Romæ, cum res Attali Imperatoris sui collapsas penitus intuiti sunt, qui adeo magna de eo conceperant; testis est Sozomenus. Sed licet sic humiliati, non sunt tamen compuncti: factumq; est, vt qui admissi sceleris nulla afficerentur pœnitudine, eundem Alaricum, quem in patrocinium aduocarant, perpetrati quoq; facinoris sæuum experirentur vltorem.

d Oros. lib. 7. c. 42.

e L. 12. C. Th. de indulg. crim.

ATTALVS DEPONITVR AB ALARICO.

IV.

Qui quidem cum ad locum Rauennæ proximum venisset, & cum Imperatore de pace cõmunicaret; Sarus Hunnorum dux, de quo superius, Alarico iam antea suspectus, considerans sibi nequaquã vtilia fore inter Romanos Gothosque percussa fœdera, repente cum trecentis suis strenuis militibus irruens, nõnullos ex Gothis Alarici interfecit. Vnde metu simul & ira aduersus Honorium percitus Alaricus, eadem mox via reuersus est ad obsidionem Vrbis. Scribit ista Sozomenus: eademq; Zosimus, cuius historia fine carens hic definit. Subdit vero Sozomenus, reuersum Alaricum Romam obsidione cinctam per proditionẽ cepisse. Sed à quibus ista proditio? Narrat Baptista Egnatius *f* ex Procopij fragmento (vt profitetur) fabulam quandam de biennali obsidione Vrbis, Honorio Imperat. nihil minus quam de eius salute solicito; quam cum Alaricus expugnare nõ posset, regressum in patriam simulantem, trecentos validissimos iuuenes ibi reliquisse, Romanis principibus donatos, qui condicta die, cum Romani somno vel otio meridie torpescerent, portam Asinariam inter-

f Egnat. Rom. Princ. lib. 1.

VRBS CAPTA AB ALARICO.

FABVLA DE VRBIS PRODITIONE.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

interfectis custodibus occupantes, per eam Alaricum, circa Vrbem variis prætextibus moras protrahentem, introduxerunt. Sed siue Procopius, qui post centum annos vixit, siue Egnatius recens hæc confinxerit; refelluntur ea tum ipsius fabulæ vanitate, tum ex iis quæ his contraria ex probatis huius ipsius temporis auctoribus referuntur. Scimus etiam alios iactasse, Vrbem Alarico traditam proditione Probæ Faltoniæ vxoris Adelphij Senatoris commiseratæ Romanos longa obsidione vallatos fame & peste perire. At quomodo id fieri potuit longioris obsidionis obtentu, cum (vt apparet) nouissima obsidio ista perpaucis tantum diebus perdurauerit? Et quod Probæ ex proditione compendium, quã bonorum iacturam passam, vixq; temulentorum barbarorum manus euasisse *a* constat? Explosis igitur his figmentis, pro arbitrio absque antiquorum testificatione vulgatis, cuncta serio expendenda sunt.

a *Hier. ep. 8.*

V. TEMPVS CAPTÆ VRBIS.

At primum ingressum esse hoc anno Alaricum in Vrbem nono Calendas Septembris, tradit auctor *b* Historiæ Miscellæ: quem sequi potius, quam recentiores quosdam asserentes Vrbem Calendis Aprilis captam, iuste decernimus. Siquidem id imprimis suadet citatum Honorij rescriptum *c* de Republica ab Attali tyrannide liberata; quod cum datum sit octauo Idus Augusti, consentiantque omnes captam Vrbem post pulsum Attalum, haud potuit Calendis Aprilis id accidisse. Nam & Concil. Carthaginiense hoc anno (vt dicetur) decimooctauo Calendas Iulij celebratum, æquè ante Vrbis excidium habitum esse constat. Sicque quod ad tempus attinet, cum antiquioribus affirmamus, hoc anno Domini quadringentesimo decimo, sub Consulatu Varanes, Alaricum Gothum Arianum ROMAM cepisse, à tempore postquam ea fuit condita, secundum Varronianam supputationem, anno millesimo centesimo sexagesimo secundo. Quibus elucidatis, reliqua facilius innotescunt: veluti & ait Sozomenus, Alaricum ob iniuriam acceptam à Saro, ad expugnandã Vrbem quantocius reuersum esse, atq; eandem obsidione cinctam proditione cepisse: ex quibus appareat, hæc omnia confecta esse mense Augusti post datum illud Honorij rescriptũ. Quinetiam si insumpti in itinere temporis ratio habeatur, dicendum sit, eandem Vrbem, vt accessit, Alaricum, ex improuiso ingressum. Quod quidem S. Hieronymus *d* noctu cõtigisse significat. Sed quorumnam proditione, nisi amicorum, nimirũ eorum qui cum Attalo conspirarant? Hinc n. videas S. Prosperum in Chronico dicere, Attalum priuatum regno, illud cessisse Gothis. Indeq; & illud intelligas, quod ob inopinatum Alarici ad Vrbem reditum, & in eam ingressum, contigisse dicitur de Honorio; nempe, cum accepisset repentino nuntio Romam perditam, putasse hoc de gallo gallinaceo, Roma nominato, esse renunciatum. Sane quidem si quis ea in mentem reuocet, quæ superius dicta sunt de immenso Alarici olim concepto potiundæ Vrbis desiderio; in eam plane sententiam veniet, cuncta quæ antehac gesta sunt de Attalo ignauo homine in Imperium prouehendo, eodemq; priuando, deq; pace cum Honorio sancienda; ab eodem Alarico proditorie peracta esse, vt voti diu concepti compos fieret; ac pacis inuolucro Honorio securo iam reddito & incauto, ita proditionem perfidus occultaret.

b *Hist. Miscel. lib. 13.*

c *l. 12. C. Th. de indulg.*

d *Hier. ep. 16.*

QUANTA CELERITATE CAPTA.

VI.

Porro vt de his quæ contigerunt cum Alaricus in Vrbem ingressus est, aggrediamur historiam; illud primum occurrit, quod Orosius *e* ait, Alaricum iam antea præceptũ militibus dedisse, vt siqui in sancta loca, præcipueque ad SS. Apostolorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securosq; esse sinerent; tum deinde in quantum possent prædæ insistentes, à sanguine temperarent. Quapropter accidit inter alia, vt discurrentibus per Vrbem barbaris, forte vnus Gothorum sacram Deo virginem iam ætate prouectam in quadam Ecclesiastica domo reperierit: cumq; ab ea aurum argentumq; honeste expoſceret, & illa fideli cõstantia omnia protulisset; (erant hæc vasa sacta in custodiam accepta, quæ haud absque instinctu Spiritus Sancti barbaro reuelanda putauit:) attonitumque barbarum videret magnitudine eorum ac pulchritudine: *Hæc* (inquit virgo) *Petri Apostoli sacra ministeria sunt. Præsume, si audes; de facto tu videris:* Quibus barbarus motus, ab illis abstinens, Alarico nunciauit: hic vero continuo reportari ad S. Petri basilicã vniuersa imperauit; virginem etiam, simulq; omnes qui se ei adiungerent Christianos, eodem cum defensione deduci. Itaq; magno omniũ spectaculo, disposita per singulos singula, omnia illa vasa magna pompa ad Ecclesiam portata sunt, exertis vndique ad defensionem gladiis, hymnosque Deo Romanis barbarisque concinentibus. Hæc Orosius; qui eiusmodi ingens diuinæ prouidentiæ miraculum, quod Deus per barbaros, eosdemque Ariana hæresi infectos, ac proinde Catholicis infensissimos, exhibere voluit, multis amplificat exclamationibus, eandemque rem gestam Cassiodorus *a* enarrat. Vt clare vel hinc prespicere liceat, haud aliam ob causam à Deo ingredi permissum in Vrbem Alaricum, quã vt in ignominiam idololatrarum, pararet nobilem Religionis Christianæ de Gentilitate victa atque prostrata triumphum. Quapropter & multos Paganos ea re attonitos, Christianitatem professos esse, idem Orosius tradit. Addit vero ad pompam triumphi Isidorus *b*, quicunq; extra Ecclesias à militibus repetiebantur, dummodo Christi nomen vel Sanctorum nominarent, & ipsis hostilem furorem peperciisse; sicque multa millia Romanorum periculum euasisse. Et in eandem pariter sententiam Augustinus *c* in ipsos ingratos atque obstinatos Gentiles scribens, affirmat quamplurimos ex iis ipsis in Martyrum loca & basilicas Apostolorum sese recipientes, mortem effugisse.

e *Oros. lib. 7. c. 39.*

CONVOLÃTES AD ECCLESIAS, INTACTI.

a *Cassiod. 12. Var. 20.*

SALVS VICTIS IN CHRISTO.

b *Isid. de Mund.*

c *Aug. 11. de ciuit. 1. & 7.*

VII.

Cum autem Gentiles modis omnibus à Gothis vexarentur, contigit etiam nonnullis Christianorum, veluti essent Gentiles religionem simulantes, male haberi. Quod quidem inter alios accidit S. Marcellæ, insigni illi atq; clarissimæ feminæ, cuius superius facta est mentio; quæ vna cum Principia filia, incognitæ quænam essent, à barbaris tentæ fuere; ipsaq; Marcella (quæ monasticam amplexata disciplinam, voluntaria paupertate ampliſſimis diuitiis renunciauerat) fustibus flagellisq; cæsa, cum poscereturaurum: cognitæ vero ambæ dimissæ sunt, vtq; saluæ fierent in basilicam S. Pauli deductæ. Narrat hæc S. Hieronymus *d*. Habetq; & aliud insigne exemplum Sozomenus *e*, perductæ à iuuene quodam milite barbaro ad S. Petri basilicam Christianæ mulieris formosissimæ; vt quæ cõstantissimam sese aduersus vim eius demonstrasset, ab aliis quoq; intacta viro suo conseruaretur. Quotquot autem fugam arripere, barbaris Vrbem ingressis, valuerunt, eam protinus quaquaversum capessisse, testis est idem Hieronymus *f*, dum de iis qui Hierosol. aufugerunt agit in commentariis super Ezechielem Prophetam, quos hoc tempore elucubrare aggressus est. Sed haud feliciter clarissimis feminis, de quibus alias facta est mentio, Probæ, & ipsius nurui Iulianæ, ambabus viduis, atq; Demetriadi eiusdem Iulianæ filiæ, (quæ & ipsæ à Gothis tentæ, postquam Christianæ agnitæ sunt, liberæ dimissæ fuere) Africam patuisse ad fugam, queritur idem Sanctus *g*, dum illam ipsarum peregrinationem enarrat, multum ea de re inuectus aduersus Heraclianum Comitem; qui sub specie tutandi Imperij contra barbaros, tyrannidem Africæ arripuit, & cum in alios omnes sæuissimas exercuit rapinas ac crudelitates, tum prædictas matronas nonnisi magno persoluto pretio permisit Carthagine habitare.

d *Hier. ep. 16. ad Princip.*

e *Soz. lib. 9. c. 10.*

FVGAM ARRIPIVNT MVLTI.

f *Hier. præf. l. 3. & 7. in Ezech.*

g *Id. ep. 8.*

Cæterum quod non omnium Gothorum eadem esset humanitas atque religio, vel metus Alarici, vt eius edicto de liberis dimittendis omnibus Christianis obtemperarent; non omnibus in tot miseriis ea felicitas obtigit, vt apprehensi dimitterentur: nam & præter viros, complures etiam sacras virgines eosdẽ barbaros secum abduxisse, sed & stupra addidisse, ibidem S. Hieronymus, & alibi S. Augustinus *h* docent. Vnde cum de capta Vrbe, ac malis ibi perpetratis, inuidia summa aduersus Christianos à Gentilibus vbique locorum conflaretur; necessitas compulit Christianos Episcopos, calumnioſe obiecta refellere. Inter quos S. Augustinus *i*, præter peculiarem quem eo argumento *k* habuit tractatum, quam locupletissimè de his egit libris viginti duobus *De Ciuitate Dei*, quos anno sequenti *l* cœptos, plurimorum annorum spatio ad finem perduxit; eo quod (vt ait *m*) multa alia intercurrerent, quæ differre

VIII.

h *Aug. 1. de ciuit. 16.*

i *Ibid. libr. 1.*

GENTILIVM IN CHRIST. OBTRECTATIO.

k *Id. de excid. Vrb.*

l *Id. ep. 102. ad Euod.*

m *2. Retra. 43*

VASA SACRA SOLENNITER RELATA IN ECCLESIAM S. PETRI.

VI.

non

non oporteret. Iiis vero docuit, longe grauiora damna Romanum populum à suis ipsius ciuibus olim accepisse, quá modo Gothi intulerint; & impietate Gentilium talia pati commeruisse Vrbem, cum econtra regionis Christianæ cultu factum sit ne penitus interiret.

IX. TRIDVVM CLADIS VRBIS.

Quantum vero temporis ipsum Vrbis excidium perdurarit, miraberis cum audieris. Etenim cum in perquirendis exhauriendisque ampliſſimis omnium diuitiis, nec triennij spatium satis esse sufficiens videretur; tamen triduana Gothi deprædatione contenti, protinus discessere. Id enim disertis verbis testatur fide dignus temporis illius sciptor Orosius *a*, confirmatque Miscellæ *b* auctor. Vnus est tantum qui discrepat Marcellinus *c*, dum ait sexto die ex quo Vrbem Alaricus est ingressus, discessisse. Adeo vt dici quidem potuerit hæc comminatio potius, quam illatum flagellum; qua Romani sint perterriti, non prostrati. Vnde & ipse post discessionem Alarici populus (vt ait Orosius *d*) adeo paruo quodam & leui motu hæsitasse erga se parumper cõsuetudinem voluptatum indubitatissime cõtestatus est, vt libere conclamaret, si reciperet Circum, nihil esse sibi factũ, hoc est, nihil egisse Romæ Gothorum enses, si concedatur Romanis spectare Circenses. Qui ergo totius Romani Imperij capite, ipsa Vrbe Roma potitus Alaricus, victricib. copiis totum sibi ferme vendicare potuisset Imperium; quadam veluti amentia percussus, nec Vrbem quam ceperat tenuit, vel recedens custoditam sibi curauit, neque exercitum in Honorium Imp. imparatũ & inermem mouit: sed ab Vrbe numine cogente exire compulsus, potiusquam sponte progressus, palabundo milite magis quam ordine cõpositis turmis, Campaniã, Lucaniam, Brutiosque peruasit *e*. Qui aũt putant, hoc ipsum tempus fuisse, cum S. Paulinus, inſignis ille Nolanus Episcopus, ductus est in Africam pro viduæ filij redemptione captiui; errore labuntur: siquidem nulli hoc tempore in Africa barbari, sed longe post Wandali ea sunt potiti, sub quib. illud de Paulino accidisse dicetur. Tentum quidem ipsum, dum oppugnata est à barbaris hac incursione Nola, Augustinus fest auctor: Quando (vt ait) *cum teneretur, sic in corde suo precabatur; Domine non excrucier propter aurum & argentum: vbi enim sint omnia mea, tu scis. Ibi n. habebat omnia sua, vbi eum condere & thesaurizare ille monuerat, qui hæc mala mundo ventura prædixit.* Nec vero ipsum solum, sed & alios ciues Nolanos, protegente eos patrono suo S. Felice, incolumes euasisse constat, cum (vt ait alibi idem August. *g*) Felix non solis beneficiorum affectibus, verum etiam ipsis hominum aspectibus apparuit. Quem vero tandem Alaricus exitum habuerit, dicetur anno sequenti.

a *Oros. lib. 7. c. 39.*
b *Miscel. li 13.*
c *Marcel. in Chron.*
d *Oros. l. 1. c. 6.*
e *Pallad. dial. l. 13.*
f *Aug. 1. de ciuit. 10.*
g *Id. de cur. pro mort. ag. c. 16.*

X.

Interim cũm in hunc modum Gothorum esset tumultibus agitata Italia, totusq; mundus (inquit idem Augustinus *h* Epistola hoc ipso tempore ad Victorianum data) tantis affligeretur cladibus, vt pene nulla pars terrarum esset, vbi non similes barbarorum incursiones committerentur atque plangerentur; Africana vero Ecclesia pace frueretur: hoc ipso anno, nempe Post Consulatum Honorij VIII. & Theodosij III. congregatum est CONCILIVM CARTHAGINIENSE *i* decimooctauo Calendas Iulij: ex quo decreta est legatio quatuor Episcoporum ad Honorium Imp. aduersus Donatistas. Cum n. Attalo tyranno Africam tentaturo, idem Honorius Heracliani Comitis, vel Macrobij Proconsulis Africæ consilio rescriptum dedisset, quo Donatistæ finerentur eam quam vellent religionem amplecti, ne legibus in eos antea latis exagitati, iidem pro partibus Attali dimicarent, ac sic actum esset de Africa: eodẽ iam Attalo exauctorato, Episcopi Africani Catholici, q̃ viderent Honorij rescriptum in magnũ Christianæ religionis dispendium vertere, hac eum legatione rogarunt vt illud reuocaret. Porro eorum petitioni annuisse Imperatorem, ipsius hoc anno ea de re missum ad eundem Heraclianum rescriptum *k* demõstrat; quo cunctos sanctæ legis inimicos, si vltra per publicum conuenire tentarent, pœna proscriptionis & sanguinis plecti iussit. Id vero cum datũ reperiatur postridie eius diei quo Vrbs capta est, nempe octauo Cal. Septemb. inde, vt opinor, accidit vt imminentem Vrbi extremam cladem, magno Deus miraculo tunc propitiatus auerterit.

ALARICI IMPRVDENTIA.

h *Id. ep. 122.*
i *Conc. Afric. can. 75.* CONC. CARTHAG. ADVERS. DONATIST.
k *l. 51. C. Theod. de hæret.*

Sed parum visum est Honorio legem lege conuellere: verum & adijciens animum vt Donatistas omnimode Ecclesiæ Catholicæ restitueret, id fieri posse ratus, si ad publicam eos Collationem cogeret, huic rei perficiendæ misit in Africam *Marcellinum* Tribunum & Notarium. Quod quidem Episcopos Catholicos ab Imperatore expetiisse, haud obscure S. Augustinus *a* significat: imo per ipsum Augustinum fuisse procuratum, perspicuè tradit Possidius *b*. Id autem eo consilio factum, idem Sanctus tradit, quod Donatistarum furor vniuersam iam Africam occupasset, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum paterentur errorem; violentis aggressionibus, latrocinationibus, itinerum obsidionibus, rapinis, ignibus, cædibus, multa vastantes, cuncta terrentes. Hæc igitur (vt ait) necessitas Catholicos ad eandem Collationem petendam compulit, vt saltem Gestis in ea confectis, (quibus haud dubium Donatistæ causa caderent) illorum Catholici contunderent inuerecũdiam, & reprimerent audaciã. Verum (vt addit) sicut summa curatum fuit industria, vt ad illam Donatistæ, licet renuentes cõpellerentur: ita eandem expetentes Maximianistæ, ramus præcisus à reliquis Donatistis, ab Episcopis Catholicis repulsi sunt; quod qui contempti ab omnibus essent paucitate sua, magis de certamine nominari desiderarent, quam formidarent in certamine superari. Quid autem in ea Collatione actum fuerit, dicetur anno sequenti, quo facta est.

XI. PARATVR COLLATIO INTER CATHOL. ET DONAT.

a *Aug. 3. cont. Iulian 1.*
b *Possid. in Vit. S. Aug. c. 13.*

Hoc eodem anno *Ruffinus* Aquileiensis presbyter, in Sicilia, profugus extra patriam ob cladem Aquileiensibus ab Alarico illatam, ex hac vita decessit. Peruenisse quidem illum ad Alarici tempora, eius præfatio ad Chromatium Aquileiensem Episcopum, quam præfixit suæ translationi historiæ Eusebij Cæsarienſis, plane demonstrat. Agit itaque de ipsius obitu S. Hieronymus in præfatione libri primi commentariorum in Ezechielem, quos (vt dictum est) hoc anno elaborabat: sed *Scorpij* nomine eum notans; sicut & alias *c* sæpe) quod perseuerasset hactenus in perfidia, ob quam meruerat ab Anastasio Papa condemnari. Quem & alibi *d* consueto *Grunnij* nomine designans, præcursorem docet fuisse Pelagij; nempe *stolidissimi* (vt vocat) *Scotorum pultibus prægrauati*; quippe qui progeniem *e* haberet Scoticæ gentis, idemque (vt docet Epistola ad ipsum scripta Iſidoti *f* Pelusiotæ) voluptuosus esset monachus. Quæ etiam ratione scripturus idem Hieronym. in eundem Pelagium, in eius operis præfatione ex Pelagij præcursoribus primum ponit Grunnium, hoc est Ruffinum, vt qui ex Origenis cœnoso fonte in Ecclesiam eiusmodi deriuasset spurcitias. Denique Cælestius ipse Pelagij collega, publicè in Concilio Carthaginiensi post sequentem annum habito, professus est se didicisse à Ruffino negare Peccatum originale. Eundemque insuper Ruffinum de Libero arbitrio male sensisse, hocque à Sanct. Hieronymo iure reprehensum, Gelasius *g* Papa haud obscure demonstrat.

XII. RVFFINI OBITVS.

c *Hier. ep. 26. & 59.*
d *Id. præf. l. 3. in Hierem.*
FVIT PRÆCVRSOR PELAGII.
e *Id. præf. l. 3. in Hierem.*
f *Isid. Pelus. l. ep. 314.*
g *Gelas. in Conc. Rom. decr. de lib. Apocryph.*

Ad eiusmodi vero roborandas impietates, præter Origenis Periarchon ab ipso male translatum, & Euagrij Pontici libros virulentos Latinitate donatos, illam adiecit execrabilem impostu ram, vt Xysti seu Sexti Pythagorici hominis Ethnici commentarium à se translatum ex Græco, sub titulo Xysti martyris Ecclesiæ Romani Pontificis ediderit: ex quo præpotentes elicerentur sententiæ, quibus, quasi Romani Pontificis essent, reluctari nefarium duceretur. Id enim in eum scribens obiecit S. Hieronymus *h*. Editæq; adhuc habentur ex eod. libro excerptæ sententiæ sub nomine Xysti Papæ & martyris; quarum nonnullas citatas à Pelagio, Sanct. Augustinus tunc ignorans stropham Ruffini, tituli auctoritate perculsus, in rectum sensum interpretando inflectere conatus est: sed rem demum edoctus, (monitus, puto, scriptis S. Hieronymi) aperiens impostură, quod ante dixerat retractauit *i*. Verum eam ipsius retractationem haud legisse certum est auctorem de Viris Illustribus Isidori nomine editum, dum ait Xystum illum fuisse Romanum Pontificẽ, eundemq; Martyrem, id auctoritate sibi vendicans Augustini; quamuis eum librũ ab hæreticis esse depraua tum affirmet: & hoc quidem in scripto codice Vaticano eiusdem auctoris; in impressis

h *Hier. lib. 1. in Hierem. & ep. ad Ctesiph.*
i *Aug. 2. Retract. 40.*

enim

enim desiderantur Xystus & alij labe hæresis infamati. Eademq; ratione cũ Gelasius Papa suppositum nomine Xysti Martyris librum reijcit; id quidem ab hæreticis præsumptum dicit, nec Gentilicam scriptionẽ tribuit, quod Rufinus transferens, pluraq; addens more suo ex diuinis Scripturis, videri fecit librum potius hominis Christiani quam Ethnici. Siquidem in Eusebij Pamphili Historia Latinitate donanda, (vt recentior bene oculatus interpres inspexit) multa prætermisit, deq; suo nonnulla miscuit, & complura quasi non recte collocata mutauit, vt eam reddiderit propemodum aliam. Duobus vero libris quos addidit, quibus res gestas à tempore Nicæni Concilij vsq; ad obitum Theodosij prosecutus est, quam ieiune, & haud in omnibus tuta fide, cuncta percurrerit, quæ variis locis dicta sunt superius facile monstrant. Sed de Rufino hactenus.

Historia ecclesiastica. Despicta Barronio alia ecclesiastica ann. 395. num. XLI.

XIV.

Quod ad res Orientales pertinet; hoc anno Theodosius Imp. pluribus rescriptis *a* hæreticos Montanistas, Priscillianistas, & Eunomianos; diuersis pœnis exagitauit. Quod & alias *b* iterum præstitit, cum iidem haud quiescerent. Quã vero etiã Macedoniani vexati sint hoc tempore à Theodosio Synadorum vibis Phrygiæ Pacatianæ Episcopo, Socrates *c* describit: sed illud parum consulte, quod ait eum non de more Orthodoxæ Ecclesiæ exagitasse personas ipsas hæreticorum; cum tamen à temporibus Christiani Imperatoris Constantini, sexcenta ferme edicta aduersus easdem personas promulgata legantur. Sed quod sordesceret, non animarum lucri causa, sed cupiditate rerum temporalium, Episcopos exagitare illos qui extra Ecclesiã prauã docerent; (quod Theodosium illum Episcopum esse, ideoque sede priuatum esse, Socrates describit:) prudentius Synesius *d* fieri duos docuit presbyteros, magno animi zelo Eunomianos insectari, vt tamen à rapina bonorũ ipsorum abstinerent; cum his & aliis recte sancitis sui Episcopatus primordia cordia consecrauit. Hoc n. anno ipsum ordinatum esse à Theophilo Alexandrino, Episcopum Ptolemaidis in Pentapoli Ægypti, nempe anno tertio à reuocatis exulibus Episcopis Ioan. Chrysostomi fautoribus, constat ex Epistola ab ipso ad Theophilum scripta in causa Alexandri Balianopolitani Episcopi, cum delegaret ei Theophilus prouinciæ illius negotia, & lites vertentes inter Episcopos.

a L. 48. 49. 50. C. Th. de hæret.
b L. 57. 58. eod. Macedonianis hæretici exagitati
c Socr. lib. 7. c. 3.
d Synes. ep. 50

V. De Synesio, e philosopho Pharo facto Episcopo.

Fuit ille *Synesius* celeberrimus huius temporis Philosophus, patria Cyrenensis, Alexandriæq; versatus, vbi vxorẽ duxit, & filios genuit: ex quo autem genere ortus sit, & institutum vitæ eius probe compositum, ipse *e* hæc omnia planibus. Illum vero cum etiam Christiani in magna haberent admiratione, cœpisse et persuadere vt baptismo ac Sacerdotio initiaretur, auctor est Euagrius *f*: qui quæ attingit de contestationib. ab eodem factis, antequam fieret Christianus, & ordinaretur Episcopus (cum videlicet à clero Ptolemaidis electus, & postulatus à populo Episcopus, ille publicè contestatus est, se haud cælibatũ, vt alij Sacerdotes, seruaturum, sed cum coniuge permansurum, susceptorumq; ex ea liberos, nec adduci posse, vt contra Philosophiæ præceptum, ex fide Christiana esset creditaurus, fore aliquando mundi occasum, corporumq; resurrectionem, vel ante corpora formari quam animas:) eaidem Euagrius hausisse visus est ab ipsius Synesij Epistola ad Euoptium fratrem suum, quæ hodieq; extat tum inter alias eius *g* Epistolas, tum apud Nicephorum *h*, vbi plenius eadem pertractantur. Sed errore maximè labuntur, qui putant hæc serio fuisse ab eo inculcata. Etenim quomodo Theophilus Episcopus Alexandrinus adduci aliquãdo valuisset, vt crederet obstinata contradictione nolentem, baptizandum fore consensisset, nedum summo Sacerdotio imbuendum, contra Euangelicam Apostolicamque doctrinam, ipsasq; Ecclesiæ sacras leges, quarum Theophilus consultissimus esset? At veco hæc omnia Synesium contestatum esse, vt Episcopatus onus quoquo modo effugeret, eui se imparem iudicaret; ipsemet abunde declarauit, cum simulac creatus est Episcopus scribens *i* ad suæ Ecclesiæ presbyteros, testatus est omnimodam se adhibuisse artem vt munere Episcopali indignus censeretur, adeo vt etiam expetierit mori potius quam Episcopus fieri. Id ipsum quoque alia rursum contra Andronicum scripta Epistola *a* inculcauit: & vt sentio, haud aliud ipse præstitit verbis, quã quod Sanct. Ambrosium factis exhibuisse superius vidimus, dum ne Episcopus ordinaretur, adulter & sanguinarius ab omnibus credi voluit. Nam & idem rursum ad Theophilum scribens de causa Lamponiani, hæc habet in fine: *Postremum ora pro me: orabis enim pro derelicto & omnibus deserto, & egente eusmodi cooperatione: ita ipse vereor pro me ipso loqui ad Deũ. Omnia enim mihi in contrarium cedunt, propter temeritatẽ & periculis obijcientem se audaciam, quod homo in peccatis seorsum ab Ecclesia peregrinus educatus, alieno vitæ ducitu institutus altaria Dei contigi.*

e Id. ep. 18.
f Euag. l. 1. c. 15.
Eius artes in fugiendo Episcopatu.
g Synes. ep. 105.
h Nic. l. 14. c. 55.
i Synes. ep. 11.
a Id. ep. 57.

Qua eadem Epistola, de Lamponiano, qui ob illatas in Iasonem iniurias excommunicatus fuerat, hæc dicens: *Quamquam & lachrymas expœnitentia effuderit, & populus supplex illum excusarit; at ego in his quæ visa essent perseueraui: soluendi vero potestatem ad sacram sedem remisi. Tantum igitur mihi ipsi permisi, si appropinquaret Lamponiano debitum fatale, ipse vitæ exitus, vti tunc sane dies constituta adesse videretur: omnibus permisi tum assuturis presbyteris, vt cum ipso communionem participarent. Nemo enim ligatus mihi moriatur. Verum sanitati restitutus, versus ob eadem rem sit, & à diuina ac benigna anima tua venia assensum expectet:* hæc, inquam, Synesius ad Theophilum Alexandrinum scribens, illud insinuat Ecclesiæ antiqui moris quosdam atrociores casus Episcopos minores non absoluere, sed reseruare illos primarum sedium Antistitibus.

XVI. Casuum reservatio antiqua.

IESV CHRISTI ANN. 411.

INNOCENTII ANN. 10.

HONORII 17. THEOD. II. 4.

I. Alarici obitus.

ANNO Domini quadringentesimo vndecimo, Theodosio Imper. quartum Consule absque collega, (nullum enim Occidentale Imperium dedit, quod afflictatum esset barbarorum grassationibus) Alaricus Gothorum Rex traijcere exercitum in Siciliam tentans, apud Cosentiam subita morte defunctus est: quem Gothi, Basentio amne captiuorum labore de alueo suo deriuato, in ipso medio alueo cum multis opibus sepelierunt; amnemq; meatui proprio reddentes, nequis locum scire posset, captiuos qui interfuerant extinxerunt. Hæc auctor Miscellæ *b*. Sozomenus *c* autem de Alarico ait, eum ante obitum inita cum Honorio pace ab eo declaratum fuisse totius ducem exercitus: subditque audita eius morte, Honorium, pro consuetudine Principum ex professu quopiam tum seuertentem, statim descendisse, publiceq; gratias Deo nuncupatis precibus egisse, quod esset insidiatore manifesto liberatus. Quod autem in Miscella additur, *Athaulphum* Alarici affinem, Regem à Gothis constitutum, Romam rediisse; ac iterum deualtata illa, Gallam Placidiam Theodosij Senioris filiam, Honorij sororem, sibi coniugio sociasse: de posteriori hac Vrbis inuasione, apud nullum alium me legisse memini. Orosius *d* porro tradit, in ea quæ facta est sub Alarico, Gallam Placidiã ab Athaulpho esse captam: sed Zosimus, & alij, ipsam iam antea sub Alarico custoditam fuisse. Cæterum id diuina factum dispensatione, quo ipsa Athaulphum ab extrema Imperij clade suis blandimentis auerteret, idem Orosius & Miscellæ auctor affirmant: in tantum vt Athaulphus *e* militare fideliter Honorio Imperatori, ac pro defendenda Romana Republica, & in pristinum splendorem restituenda, impendere vires Gothorum splendorem restituenda, impendere vires Gothorum tum peroptauerit: cumque animo, viribus, ingenioque nimius exiitens, imprimis ardenter inhiasset, vt obliterato Romano nomine, Romanum omne solum Gothorum Imperium & faceret & vocaret, esseteque *Gothia* quod Romania fuisset, fieretque deinceps *Athaulphus* quod quondam

b Miscell. l. 13.
c Soz. lib. 9. c. 12.
d Oros. l. 7. c. 40.
e Id cap. 43. Athaulphi Regis consilium.

Cæsar

Cæsar Augustus: tamen vbi multa experientia probasset, neq; Gothos vllo modo parere legib. posse propter effrenatã barbariem, neq; Reipublicæ interdici leges oportere; elegerit gloriam sibi de restituẽdo in integrum, augendoq; Romano nomine Gothorum viribus quærere. Hæc de illo Orosius: cætera vero postea. Habet autem idem auctor, Gothos sub Alarico in Siciliam transire conatos, in conspectu suorum miserabiliter demersos esse.

II. COLLATIO CARTHAG. INTER CATHOL. ET DONATIST.

Hoc eodem anno Carthagine in Africa celebrata est famosissima illa COLLATIO inter Catholicos & Donatistas, diu expetita, sæpe tentata, nunquam autem resilientibus Donatistis, consummata, nisi hoc anno, postquam ad hoc ipsum perficiendum ab Honorio superiori anno missus esset Marcellinus. Post Consulatum quidem Varanes, nempe hoc anno, eam habitam esse, ex Actis antiquitus scriptis Balduinus summa fide testatur *a*. Extant vero eadem ipsa Acta; (quorum etiam Augustinus compendium breuissime scripsit, ea de causa *Breuiculum Collationis* ab ipso nuncupatum) ex quibus constat *b*, ex parte Catholicorum totius Africæ conuenisse Episcopos ducentos octoginta sex, cum ferme centum viginti in suis Ecclesiis senectute & morbis præpediti remansissent, essentque eo tempore sexaginta sedes Episcopales pastoribus orbatæ: Ex parte vero Donatistarum, licet ipsi (ne hac etiam ex parte Catholicis cederent inferiores) se plures quam quadringentos esse numero sed deterrtos illos domi diuersis corporis infirmitatibus, falso iactarent; ac licet etiam in subscriptionibus literarum, nomina ipsorum numerata essent ducenta septuaginta nouem: tamen inanes prorsus has fuisse eorũ gloriationes, August. ostendit; ac deprehensa est subscriptionũ falsitas, cum pro absentibus multi subscripsissent: denique re ipsa in Collatione reperti sunt tantummodo centum quinquaginta nouem. Porro eos omnes vocatos fuisse per Tractorias, (quibus publicæ concederentur vecturæ) Augustinus *c* testatur. Iisdemque & alia plurima, quo illos demulceret, Marcellinus edicto suo concessit fine iussione Imperatoris. Qui quidem ad ostentandam numerositatem suam, ingressi sunt vna simul Carthaginem (inquit Augustinus *d*) cum tanta speciosi agminis pompa vt tam magnæ ciuitatis oculos in se conuerterent; cum econtra ad euitandam ostentationem, Catholici seorsum singuli ingressi sint.

a *Baldwin. Not. ad Opt. de Donat.*
b *Aug. Breuic. collat. di. 1. c. 14. & ad Donat. post collat. c. 24.*
NVMERVS EPISCOP. VTRIVSQ. PARTIS.
c *Aug. post Coll. c. 24.*
d *Ibid. c. 25.*

III. e *Id. Breuic. di. 1. c. 3. & 4. & ep. ad Donat. post Coll. in pr.*
ORDO COLLATIONIS.

Ad tumultum autem anteuertendum ex tanta numerositate obortiri solitũ, Marcellinus edicto *e* cauit, vt ex vnaquaque parte decem & octo deligerentur, qui sessionis locum ingrederentur; quorũ officia ita inter se partita essent, vt ex iis septem deputarentur ad disputandũ, totidem cum opus esset ad consulendum, reliqui quatuor Actis conscribendis atque custodiendis præessent, nequid addi aut detrahi ab aliquo posset. Additiq; ex vtraq; parte Notarij quatuor, vt bini cum exceptoribus Iudicis alternarent, ne aliquis se dixisse causaretur quod non fuisset exceptum. Inter illos aũt Episcopos septem ad disputandum delectos, primum locum ex parte Donatistarum prærogatiua sedis *f* obtinuit *Primianus* ipsorum partis Episcopus Carthaginiẽsis; post eum vero nominati reperiuntur *Emeritus g* Episcopus Cæsareæ Mauritaniæ; *Gaudentius h* Tamugadensis, *Petilianus i* Donatistarum disertissimus; tres reliqui hactenus incogniti mihi sunt: sicut & Catholici, præter *Aurelium* Carthaginiensem, *Alipium* Tagastensem, *Augustinum* Hipponensem. Sed & ex Actis eiusdem Collationis, quæ antiquitus scripta recenset Balduinus, illud proditur, huic Collationi inter Episcopos Donatistas sedisse Felicẽ quendam Romanum dictum Episcopum: nimirum quod (vt ex Optato *k* dictum est alias) cõsueuissent Donatistæ Africani, ad suos qui in Vrbe ageret mittere ordinatum Episcopum, quem Romanum appellabant; sicq; captiose gloriarentur, Romanum Episcopum suæ ipsorum esse communionis ac sectæ.

e *Ibid. c. 23.*
f *Ibid. di. 3. c. 4.*
g *2. Retract. 51.*
h *Ibid. c. 59. & lib. cont. duas Gaud. epist.*
i *l. 1. cont. duas Gaud. ep. c. 37.*
k *Opt. lib. 2. cont. Parm.*

IV. l *Ap Aug. d. epist. ca Emer.*

Cum Episcopis autem ingressus est etiam *Marcellinus* in locum ad Collationem paratum: qui quidem non solum Tribunus militaris erat, sed & Notarius, hoc est, à secretis Imperatoris; vt constat ex titulo Epistolæ *l* Catholicorum ad ipsum ante Collationem scriptæ. Nec tamen in Collatione illa, Iudicis simpliciter, sed *Cognitoris* nomen præsetulit. Ita enim nominare consueuit antiquitas Iudices seculares, quorum arbitrio cuncta disponerentur; sed ita vt integrum iudicium Episcopis relinquerent, nec aliquid ipsi sibi vsurparent, nisi quod ad pacem ac quietum congressum pertineret, vtque in omnibus pacta conuenta conseruarentur: in quibus rite ordinandis, eisdem interloquendi facultas esset; atq; demum cuius alteruter partis potiora iura essent, ex æquo pronunciare deberent: vt de his omnibus constat cum ex ipsis Actis præsentis Collationis, tum ex aliis diuersarum Synodorum, ac præsertim Oecumenicarum Gestis. Imo & cum aliquid mere Ecclesiasticum secundum canones agẽdum esset, id à solis Episcopis, exclusis Iudicibus, fieri consueuisse, docetur in Actis Magnæ Synodi *a* Chalcedonensis; vbi citatus Dioscorus, cum excusasset absentiam Iudicum Cognitorum, responderunt Legati Synodi: *Quando quædam regularia negotia examinantur secundum canones, neque Iudices alios, vel laicos interesse oportere.*

IVDICES COGNITORES. *De quib. agit Baron. hic. & To. III. an 325 nu. LXXIII. & To. VI. an. 451. in Conc. Chalceden. Vide etiam infra ann. 431. num. VI.*
a *Conc. Chalced. Act. 2.*

Omnibus igitur rite dispositis, cœpta est ipsa Collatio Calendis Iuniis, in Thermis Gargilianis, in ipso ciuitatis Carthaginiensis meditullio cõstitutis. Quid vero singulis tium illorum dierum, quibus disputatum est, gestum sit, quibusq; futilibus subterfugiis Donatistæ vsi fuerint, ne ad disceptandum de causa veniretur; sed & quantis probris ac contumeliis Catholicos affecerint, adeo vt cum eis sedere obstinatissima pertinacia renuerint, quod prohibeat Scriptura sedere cum impiis; cum econtra Catholici omnib. eos modis demulcere studentes, eosdem vt fratres amplecterentur: quomodo deniq; de causa tandem à Marcellino agere coacti, manifestissimis probationib. de schismate & hæresi conuicti fuerint. (In eo n. totius quæstionis cardo vertebatur, apud quos esset Catholica Ecclesia; & vtrum ex peccatis hominum Ecclesia Catholica illud detrimentum pati possit, quod asserebant Donatistæ, vt ipsa Sancta atq; Catholica esse desinat;) ac tandem Marcellini sententia damnati, Actisq; subscribere compulsi: hæc, inquam, omnia fuse August. cum in eodẽ, quod diximus, Breuiculo Collationis, tum in libro inscripto *Ad Donatistas post Collationem*, quas lucubrationes edidit anno sequenti: eademque pariter Marcellus Memorialis compendiosa breuitate recensuit, & habẽtur insuper in Epistola Synodali *b* Concilij Cirtensis, eodẽ anno sequenti à Catholicis in Numidia celebrati, vt occurreretur calumniis Donatistarum, quibus conabantur ir ritam reddere prædictam Collationem; dum inter alia mentiebantur, Marcellinum præmiis fuisse corruptum à Catholicis, nullamq; eius sententiam esse dicendam, quam ipse noctu pronunciasset. Consumpserant n. variis tergiuersationibus diem vltimum, adeo vt Marcellinus in eos noctu pronunciare coactus esset. In quos August. plura; & inter alia de more Iudicum, vt ad noctem iudicium sæpe protraherent.

b *Ap Aug. ep. 152.*

V. ACTA COLLATIONIS.

Cæterum etsi perditissimis istis nebulonibus Collatio nihil attulit emolumenti, imo detrimenti: tamen ex plebe, & ex eis qui Circumcelliones dicebantur, multa millia ad vnitatem Ecclesiæ transisse, idem Augustin. *c* contra Gaudentium postea scribens testatus est. Vt aũt iugis memoria de gestis Collationis penes Catholicos perseueraret, eademque semper recens dimanaret in aures hæreticorum; illud etiam factum est (inquit idem Sanctus *d*) apud omnes diligentes Ecclesias Africæ, vt annis omnibus, per ieiuniorum dies, id est Quadragesima ante Pascha, quando populis maximè iciunantib. plus vacat audire, eadem Gesta Collationis vniuersa à capite in finem ex ordine recitarentur. Quæ autem præterea hanc Collationem secuta sunt, dicentur anno sequenti.

VI. DONAT. MVLTI RESIPISCVNT. c *Aug. cont. Gaudent. lib. 1. c. 29.*
d *Id. de gest. cum Emer. ad Bar. an. 348. num. VIII.*

Sed & in his illud maximè obseruãdum, quod Orosius *e* cõsiderat, Honorium Imp. ob eximium religionis exemplum, quod hoc anno exhibuit (dum licet vndiq; obrutus bellis, & à tyrannis oppressus, nihil tamen antiquius habuit quam Ecclesiæ consulere opportunitatibus) meritis ca esse ob id beneficia consecutum, cum ipse Deus Opt. Max. eodem ferme tempore, præter Alaricum, crudelissimos quoq; alios tyrannos Imperij insasores, Constantinum, Constantem, Gerontium, Iouinum, Sebastianum,

VII. e *Oros. lib. 7. c. 24.*
RELIGIONIS DEFENSOR. ROBVR IMPERII.

Sarum

Sarum, aliosque variis locis exurgentes, diuersis modis extinxit, quorum quidem tyrannorum infaustas cædes idem Orosius, necnon Prosper *a* & Sozomenus *b* describunt: eaque omnia opera maxime Constantii & Wiphilæ Honorii ducum facta esse tradunt. In quibus & illud diligenter considerandum, quod cum Constantinus Constantem filium, iam professione monachum, (vt ait Orosius) vt crearet Cæsarem, eduxisset è monasterio; ipse ne occideretur (vt scribit etiam Sozomenus) compulsus fuerit confugere ad Ecclesiam, ac presbyter ordinari: sed mala vterque nece periit, qui Deum posthabuit tyrannidi.

a *Prosper in Chron.* b *Soz. lib. 9. cap. 12. 13. 14 15.* c *Oros. lib. 7. cap. 40.*

VIII. HIERON. SCRIBIT ADVERSVS PELAG.

Hoc eodem anno, cum nondum auctoris nomine PELAGIANA hæresis vulgaretur, sed eius praua dogmata quæstionum velamentis spargerentur, (quod enim timeret Pelagius hæresis condemnari, clanculo rem cum suis agebat, huc & illuc passim vagans, vt suos errores vbique disseminaret:) S. Hieronymus rogatus per Epistolã à Ctesiphonte, vt quæstioni responderet, quam huius promulgatores hæresis de Impassibilitate & Impeccantia proponere consueuerant, affirmantes posse in homine, non ipsa tantum vitia, sed affectus vitiorum, omnemque radicem peccati conuelli, vt ne minimum quidem fomitis in eo reliquum esset: hos errores, reddita ad eumdem Ctesiphontem epistola, refellit: qua quidem etsi nomina taceat Pelagii & Cælestii, illius hæresis præcipuorum assertorum; patriæ tamen nomine designat, dum Britanniæ tyrannorum fertilis, & Scoticæ gentis meminit. Auctores quoque vnde iidem errores dimanarent in medium profert, dum eos de schola Stoicorum deductos fuisse demonstrat, atque primum introductos per Origenem, Euagrium Ponticum, Rufinum, & alios Origenistas. A Manichæis quoque acceptos esse, & à Priscillianistis, quibuscum iidem hæretici communionis fœdere jungerentur; itemque cum Iouiniano commune aliquid interceßisse, (dum scilicet diceret, eos qui plena fide in baptismate renati essent, à diabolo non posse subuerti) aperte demonstrat.

PELAG. HÆRESIS VNDE PRODIERIT.

Dum autem hæc in Oriente aduersus eos ageret Hieronymus, S. quoq; Augustinus in Occidente, Hilarii postea Arelatensis Episcopi literis *d* è Sicilia interpellatus de eiusmodi Pelagii erroribus Syracusis diuulgatis; rescripsit ad illũ epistolam *e*, qua accurate ac copiose refellit, quod iidem hæretici affererent, Posse esse hominem sine peccato, & mandata Dei facile custodire per solum liberum arbitrium, absque auxilio diuinæ gratiæ: Infantem non baptizatum, morte præuentum, nõ posse perire merito, quoniam sine peccato nascitur: Diuitem non posse ingredi regnum Dei, nisi omnia sua vendiderit: Non debere iurari omnino, &c. Qui & hoc eodem tempore aduersus eosdem errores tres scripsit libros, quorum est titulus, *De Peccatorum meritis & remißione, deq; Baptismo paruulorum.* In quibus tamen omnibus locis, quod ipsi auctores blasphemiarum (vt diximus) adhuc latere cuperent, noluit eos propalasse, sic facilius posse corrigi sperans, immo & non sine honore Pelagii meminisse, quia vita eius à multis adhuc prædicabatur: vt ipsemet alibi *f* hanc eius consilii sui rationem reddidit.

IX. d *Ap. Aug. ep. 98.* AVGVSTIN. SCRIBIT CONTRA PELAG. f *2. Retract. 33.*

X. MILLENARIORVM ERROR RENOVATVS.

At non vna hæc tantum pestis lento inficiebat tabo Fideles in Occidente, sed & *Chiliastarum*, siue *Millenariorum* vetus error complurium mẽtes inuaserat; vt patet ex Hieronymo in præfatione ad librum decimum octauum in Isaiam, quem his temporibus habuit præ manibus: Qui & alio loco affirmat *g*, eiusdem sententiæ assertorem fuisse Seuerum; admiratione plane dignũ est, hominem S. Martini discipulum, Sanctique Paulini amicum intimum, in eiusmodi delitamentis insaniße, postquam ea doctißimorum virorum sententiis ac scriptis explosa fuissent. Cæterum quod aduersarentur Millenarii Origenistis, qui nec cum humanis membris resurrectionem futuram docebant; cautius ipsi S. Hieronymo (vt testatur *h*) fuit incedendum, vt media incedens via non declinaret ad dexteram neque ad sinistram; ne cum aduersus Origenistas astrueret in resurrectione omnia in corpore fore membra, etiam vsum illorum more Millenariorum videretur asserere; & dum negaret assertum à Millenariis membrorum vsum, videretur cum Origenistis concordare. Sed eiusmodi Millenariorum insaniæ cum vbique iam reiicerentur, exaruerunt penitus; nec posthac nisi deliri quidam iis fabulis traduci comperti sunt.

g *Hieron. in Ezech. 36.* h *Idem præf. lib. 18. in Ezech.*

Hoc item anno, cum Synesius Episcopus Ptolemaidis nondum in Episcopatu annum exegißet, celebrata est SYNODVS ibidem *Ptolemaïde* in Pentapoli Ægypti, occasione potißimum Andronici eius prouinciæ Præfecti; qui præter horrendas crudelitates, nouis tormentorum instrumentis in subditos commißas, Ecclesiam Dei, ipsumque CHRISTVM Dominum, sæpißime factis ac verbis contumelioßis publice affecerat; dum inter alia, ad fores Ecclesiæ nefaria sua edicta affigere, & ab asyli mensa illos qui ab ipso iniuria affecti essent excludere præsumpßisset; sacerdotibusq; Dei, hæc improbantibus, grauißima intentans, etiam hoc impißimum verbum effatußisset, *Quod nullus Andronici manus effugere posset, etiam si ipsius Christi pedem teneret.* Quibus omnibus in Synodo propositis, atque probatis; idem communi omnium sententia, dira excommunicationis pœna mulctatus est: cuius formam hic describemus, ad antiquos insinuandos ritus: *Postquam non amplius admonendus est homo, sed velut insanabile membrum à nobis resecandus; vt ne societate, etiam id quod sanum est simul corrumpatur: Propter hæc Ptolemaïdu Ecclesia ad omnes vbique terrarum sorores suas hæc demandat: Andronico & suis, Thoante & suis,* (erat hic audacißimus scelerum eius minister) *nullum templum Dei aperiatur: omnis sacer cœtus, omne sacrum templum conclusum sit. Non est diabolo portio in Paradiso. Qui etiamsi clandestine ingressus fuerit, expellatur. Admoneo igitur & priuatum quemq;, & Principem, vt neque sub eodem tecto cum ipso habitet, neq; eadem mensa participet: Sacerdotes autem præcipue, vt neq; viuentes ipsos alloquantur, neque mortuos simul deducant. Si vero quis velut paruæ ciuitatis Ecclesiam reprobarit, & excommunicatos ab ipsa susceperit, velut necesse non sit pauperi obedire: is sciat se scindere Ecclesiam, quam vnam Christus esse vult. Talis autem siue Leuita est, siue Presbyter siue Episcopus, à nobis in Andronici sorte locabitur, & neque porrigemus ipsi dexteram, neque vnquam de eadem mensa cum ipso cibum capiemus. Multum autem abest, vt in arcano mysterio communionem habituri simus cum his qui cum Andronico & Thoante sortem habere voluerint.* Verum post hæc Andronicus veniam enixe petens, eam obtinuit, postquam duram pœnitentiam inter lapsos egit. Hæc vero cuncta manifesta fiunt ex pluribus literis ea de re scriptis à Synesio *a*, totius huius operis sapientißimo architecto: cuius egregia Episcopalis functio, super constantiam philosophicam stabilita, multis antiquorum sententiis commendata habetur. Numerat Suidas *b* eius lucubrationes, sed quas vt plurimum ante Episcopatum elaborauit ad grammaticam & philosophiam spectantes, necnon Panegyricas orationes, & alia plura. Præter quæ scripßisse libros venatorios, & commentarium de Instrumento Astronomiæ, ipse *c* ad Orum affirmat. Sed pleraque perierunt.

XI. SYNODVS PTOLEMAÏDE ADVERS. ANDRON. PRÆF.

SENTENTIA EXCOMMVNICATIONIS IN EVM.

a *Synes. ep. 57 58. 72. 89.* b *Suid. verb. Synes.* c *Synes. ep. 134. 137.*

Est vero in Prato *d* Spirituali, omni fide testata digne de illo huiusmodi historia. Habuit is amicum Euagrium nomine, Philosophum Ethnicũ: quem cum Synesius reddere Christianum conaretur, excipiebat ille de multis dogmatibus Christianorum creditu difficilibus, atque inter alia, de receptione post hanc vitam à Christo centuplicis remunerationis bonorum quæ hîc dispertuntur in pauperes. Sed cum etiam in his satisfecißet ei Synesius, Euagrius tandem factus Christianus dedit ei tria auri centenaria, vt in pauperes erogaret; ea tamen conditione, vt Synesius ipsi cautionem manu propria scriberet, quod Christus redderet illud aurum in futuro sæculo. Factum est; & post aliquot annos philosophus moriens præcepit filiis suis vt vna cautionem illam sepelirent. Tertia post die apparuit ipse Synesio quiescenti, iußitque recipere ch rographum suum, quod à Christo satisfactum ipsi esset abunde. Cum autem Synesius aperto sepulchro chirographum reciperet, reperit in eo confessionem accepti debiti, recenti manu Philosophi scriptam his verbis: *Ego Euagrius philosophus tibi sanctißimo domino Synesio Episcopo Salutem. Accepi debitum in hus literis manu tua conscriptum. Satisfactum q; mihi est: Et nullum contra te habeo im propter aurum quod dedi tibi, & per te nullum contra te habeo im propter aurum quod dedi tibi, & per te Christo Deo & Saluatori nostro.* Hæc ibi. Ex quibus videas (quæ & alias diximus) philosophiam, licet in multis aduersari

d *Prat. Spir. cap. 193.*

DE PHILOSOPHO, CHIROGRAPHVM POST MORTEM AGENTE.

videatur Christianæ religioni, conducere tamen plurimũ ad eamdem capessendam: sicut & quamplurimis aliis exemplis quæque tempora demonstrarunt, quibus singulis celebertimi philosophi CHRISTO nomen dedere; dum quos veri amantes philosophia sursum è vulgo abreptos altius subleuaret, vitaque sapientiæ consona comprobaret, non despexit Deus, sed cælesti desuper lumine, quo firmi sacramenta perciperẽt, illustrauit. Qua de re est etiam huic affine egregium exemplum apud Augustinum *a*, de Gennadio medico, rerum naturalium scientia apprime imbuto; & in eleemosynis feruentissimo; qui cum dubitaret de immortalitate animæ, diuinitus in somnis eam est mirifice à conspicuo quodam iuuene iterum ei apparente edoctus. Acciditque pariter nostris temporibus, vt cum *Michaël Mercatus* & *Marsilius Ficinus*, philosophiæ Platonicæ studiis & amicitia coniuncti, sibi inuicem promisissent, vt qui prior ex hac vita decederet (si liceret) alterum de alterius vitæ statu redderet certiorem; interlapso breui temporis spatio Marsilio defuncto, idem Michaëli apparuerit, asserens vera esse illa, quæ fides Christiana de animæ immortalitate doceret. Referuntur & alia plurima ab aliis eiusmodi exempla. Sed hæc modo satis, occasione Synesii. Qui quamdiu sederit, ignoratur: sed post eius obitum, in Ecclesia Ptolemaidis reperitur subrogatus eius germanus *Euoptius* vir peretuditus, ad quem extat scriptio S. Cyrilli contra reprehensiones Theodoreti.

a *August. ep. 100. ad Euod.*

IMMORTALITAS ANIMÆ PROBATA.

XIII. THEODOTVS EPISCOPVS ANTIOCH.

Hoc quoque anno defuncto Alexandro Episcopo Antiocheno, cum sedisset annos ferme quatuor, in locũ eius subrogatus est *Theodotus*. Id enim imprimis admonent literæ *b* Attici Constantinopolitani Episcopi, datæ anno sequenti ad Cyrillum Alexandrinum mox vt Theophilo successit, in quibus de ipso Theodoto iam Episcopo Antiocheno mentio habetur. Vnde intelligas eos errare, qui ad Bonifacii Papæ tempora Alexandri vitam producunt. Porro *Theodotum* virum fuisse mansuetudine ac probitate insignem, Theodoretus *c* affirmat.

b *Ext. apud Niceph. lib. 14. c. 26.*

c *Theod. l. 5. cap. 37.*

IESV CHRISTI ANN. 412.

INNOC. ANN. II.

HONORII 18. THEOD. II. 5.

I. ANNO Christi quadringentesimo duodecimo, Honorio nonum, & Theodosio quintum Augg. Coss. tertio Calendas Februarii, idem Honorius Rauennæ existens, omnis sexus ac conditionis Donatistas, qui post euictam in proxima Collatione à Catholicis causam, adhuc in schismate pertinaciter remanerent, seueriſſimis pœnis mulctandos præcepit; laicis pecuniaria pœna pro conditione cuiusque irrogata, clericis exilio inflicto, Ecclesiisq; eorum, ac prædiis illarum, Ecclesiæ Catholicæ adiudicatis. Sed tantum abfuit, vt eis illi adigi potuerint è schismate redire ad Ecclesiam, vt maiori obdurati obstinatione crudelius sæuierint in Catholicos; ea patrantes facinora, quæ recenset Augustinus duabus hoc anno ad Marcellinum Cognitorem datis epistolis *e*, quibus eum abstinere à gladii aduersus eos pœna pluribus exorauit: extantque pariter eiusdem aliæ duæ eodem argumento ad Proconsulem *f* Africæ Donatum, & Apringium *g* Iudicem scriptæ epistolæ: quas & petiit à Proconsule, ad futuram memoriam Actis iungi, vt sciretur qualis fuisset ipsius animus erga perditos Donatistas. Quin etiam adeo cupiuit mitius cum eis agi, (quod putaret eiusmodi lenitatem multum Ecclesiæ profuturam) vt ea de re ad Marcellinum scribẽs, postquam pluribus argumentis & obtestationibus id ab eo obtinere conatus est, demum addiderit, (quod alia occasione iam antea retulimus:) *Si non audù amicum petentem, audi Episcopum consulentem: quamuis quoniam Christiano loquor, maxime in tali causa, non arroganter dixerim, audire te Episcopum conuenit iubentem.*

d *l. 52. C. Th. de hæret.*

e *Aug. ep. 158 159.*

f *Ep. 127.*

g *Ep. 160.*

Cæterum exhibebantur eiusmodi mansuetudinis officia in reos Donatistas, aliosque tum à Iudicibus, tum imprimis ab Episcopis, vt quos scirent seueritate legum obstinatius obrigescere, comitate & benignitate eos demetere laborarẽt. Vnde & aliquando Macedonius Iudex ius gladii habens, eumdem Augustinum literis interpellauit, num acquiescẽdum esset precibus Episcoporum, reis pœnam dimitti postulantium, præsertim si probabilis esset coniectura eosdem in deterius prolapsuros. Extant illæ Macedonii literæ *a*, aliæque ab Augustino eo argumento redditæ: quibus, si luber, addere poteris S. Ambrosii eadẽ tractantis epistolam *b* ad Studium scriptam. Illud tamen Augustinus curauit à Marcellino agi, vt confecta Acta publica de Donatistarum confessis crimĩnibus, publice exponerentur ad ipsorum ignominiam, vt sic manifestatione suorum scelerum erubescerent.

II. MANSVETVDO CHRISTI. PRÆSVLVM CVM REIS.

a *Aug. ep. 53. 54.*

b *Ambro. ep. 76.*

Interfuit quoq; hoc eodem anno idem S. Augustinus SYNODO prouinciali, quæ celebrata est mense Iunii *Cirtæ* in Numidia sub Siluano eius proninciæ Primate, de qua actum est anno superiori, occasione prędictæ Collationis. Quid autem præterea ibi decretum fuerit, est Synodalis epistola *c* ad populum Donatistam scripta, quæ id doceat. Sed illud emendandum, vt loco octaui Honorii Imp. Cõsulatus, reponatur nonus; cum epistolam constet scriptam esse anno post Collationem, nempe præsenti; octauus autem Honorii Consulatus inciderit ante triennium. In itinere vero Cirtam versus, Augustinus Tibuſicum ciuitatẽ cum Alipio perueniens, publicam habuit disputationem cum *Fortunio* eius Episcopo Donatista; in qua quid actũ sit, idem Augustinus literis *d* ad Donatistas scriptis declarat.

III. CONCIL. CIRTENSE.

c *Ap. Aug. ep. 122.*

d *Ibidem ep. 163.*

Qui & insuper, præter alia quæ de rebus gestis in Collatione, hoc ipso anno scripta edidit, de quibus dictum est superiori; elaborauit eodem tempore librum siue epistolam *e* ad Honoratum de quæstionibus quinque ab eo ipsi Augustino propositis; quarum vna erat spectans ad hæresim Pelagianam de Gratia Noui Testamẽti. Carthaginem enim eiusmodi quæstiones, per scelestum Cælestium primarium Pelagii discipulum, sunt allatæ hoc ipso anno, ac pugnaciter defensæ in disputatione habita cum Paulino diacono; sed cum ipso auctore, iudicio Ecclesiastico ibidẽ condemnatæ. Cuius quidem Episcopalis Iudicii supereſt tantummodo fragmentum, à S. Augustino *f* contra Pelagium & Cælestium recitatum de peccato originali. Ex quo illud maxime notes, Cælestium in ea disputatione fassum, se eam hæresim, qua traducem peccati negaret, à Ruffino didicisse: vt hoc vno teste satis possit intelligi, quam iuste S. Hieronymus in hominem sæpe commotus sit. Quod vero demum eodem fragmento Cælestius ait, hæreses à se editas, assertiones fuisse quæstionum, & non hæreses; attendendum est vafrum ipsius, Pelagiique consilium; qui vt suas prauas opiniones facilius introducerent, nec tamẽ hæresis damnari possent, ita (donec palam detecti fuere) agere consueuerũt, quasi per quæstiones veritatem inquirerent. Cæterum gesta hæc Carthagine aduersus Cælestiũ hoc anno fuisse, inde constat, quod Synodus Carthaginiensis celebrata anno Domini quadringentesimo decimo sexto, sub Theodosii septimo Consulatu cum collega Palladio, in epistola Synodali *g* data ad Innocentium Papam dicat, ante annos terme quinque ab illa scripta, iudicium super Cælestio agitatum fuisse. Damnatus autem eo iudicio Cælestius, subterfugia captans, appellandum putauit Romanum Pontificem: verum hæc specieus, ne illo iudicio stringeretur. Nam & quod sciret Pontificem æque sibi aduersantem fore experturum, appellationem minime prosecutus est; sed Innocentio qui tum Ecclesiam regebat defuncto, ad eius successorem Zosimum se contulit, vt suo loco dicetur.

e *Ep. 120.*

CÆLESTIVS DAMNATVR CARTHAGINE.

f *Id. l. 2. cont. Pelag. de pec. orig. c. 4.*

Quod vero audis de Cælestii Carthagine primo iudicio; haud velim existimes, ipsam Pelagianam hæresim in Synodo Carthaginiẽsi primum fuisse damnatam. Etenim S. Prosper *h* hæc spectans oculis, constanter affirmat primitus contigisse Romæ damnari: more nimirum maiorũ, vt noua emergens hæresis primum omnium à prima omnium Sede examinaretur, & damnaretur. Hanc autem Pelagianam hæresim, fuisse Romæ olim damnatam in Iouiniano

VARIETAS PELAGII CÆLESTII.

g *Id. ep. 90.*

V. PELAGII HÆRESIS PRIMO DAMNATA ROMÆ.

h *Prosper carm. de ingrat.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

niano primario hęresiarcha, à quo illam Pelagius sumpsisset, Hieronymus *a* testatur. Vnde & in ipsum eumdem Iouinianum, ab Episcopis iuste commotus Honorius Imperator, sub huius anni Coss. rescriptum *b* dedit de eius relegatione in insulam Boam, positam in Dalmatiæ littore; qui ad hæc vsque tempora magno Ecclesiæ detrimento, licet sæpe reiectus, permanserat tamen in Italia, sacrilegos agens, etiam extra muros Vrbis, conuentus: cæteriq; eius participes & ministri, in alias solitarias & longe inter se dissitas insulas, eodem rescripto in perpetuum deportari iussi sunt. Postquam autem in Insulam deportatus fuit, numquam amplius auditus est. Qui cum voluptatum & libidinum prædicator extitisset, eumdem inter luxuriosas epistolas * animam eructasse, Gennadius *c* ex Paulo presbytero tradit. Curæ fuit præterea pio Imperatori, aduersus *d* reliquos in Africa existentes hæreticos, pœnam proscriptionis & sanguinis decernere, rescripto ad Heraclianum Comitem Africæ dato; quod licet notatum habeatur Consulatu Honorii decimo, tamen nonum reponendum esse, euidens redditur, quod ante decimum Heraclianus iam tyrannus factus è medio sublatus esset. Sicut econtra accidisse videmus, vt rescriptum *e* Honorii de nece Heraciano inferenda, datum inueniatur sub huius anni Coss. cum constet eius tyrannidem nequaquam cœptam, nisi cum ipse Consulatum gessit anno sequenti.

Adiecit vero pius Imperator, pro rebus & personis Ecclesiasticis dare rescripta *f*, ne scilicet bona Ecclesiastica diuersis aliis, præter canonicam pensionem, tenerentur obligata muneribus; neve clerici apud alios Iudices quam Episcopos iudicio postularentur. Porro non clerici tantum, sed & laici, & qui inter eos magistratibus fungerentur, si quid in Deum peccassent, vel iura Ecclesiastica violassent, habebant Episcopos Iudices. Cuius rei exemplum vidimus anno superiori de Andronico Pentapoleos Præfecto, à Synesio Episcopo cõdemnato in Synodo: extantque alia plurima in his Annalibus. Eorumq; iudicium tanti ponderis æstimabatur, vt licet iniustam excommunicationis sententiam reos aliquando subire contigisset, haud tamen contemnendam putarent; sed ad alios talia passi Episcopos recurrerent, agentes supplicibus votis, vt iniuste lata sententia, ab eo qui eam tulerat scinderetur: cuius rei est egregium exemplum apud S. Augustinum *g* in epistola ad Auxilium. Sed quod in his versamur, illud quoque huius temporis Ecclesiastici Iudicii motis insinuandum putamus: Cum criminis accusatus, haud adeo plene vt damnari posset conuinceretur, neque eius innocentia ita perspicua appareret, vt absolui penitus posset; cõsueuisse huiusmodi tum reum, tum actorem, per Iuramentum purgandos ad sepulchra sanctorum Martyrum mitti, illorum præsertim, quorum virtus in miraculorum editione omnibus nota esset. Huius enim in Africa, itemque Mediolani consuetudinis meminit idem Augustinus *h*: eamdemq; Romæ perdurasse temporibus Gregorii Papæ, ipse suis *i* scriptis fidem facit, confirmatque Gregorius *k* Turonensis, & sunt alia innumera de his exempla.

Hoc eodem anno, iisdemque Coss. Prosper *l* & Cassiodorus tradunt, Gothos ab Italia penitus recedentes, sub Athaulpho Rege Gallias inuasisse: vbi Narbonẽsem Galliam, & Aquitaniæ partem occuparunt. Magna quidem Dei vindicta contigit hoc sæculo, cum vniuersum ferme Romanum Imperium, tum maxime Gallias dedi barbaris gentibus incursandas; quæ vel vocatæ à tyrannis, vel aliis ipsæ occasionibus ex diuersis partibus eo confluentes, easdem misere depastę sunt. Verum huius diuini iudicii pondus, etsi graue videri possit, si tamen vbique deliquentiũ scelera in alteram libræ lancem coniiciamus, nihil erit q̃ miremur. Quæ vt aperte percipiantur, prouoco te rursum ad Saluianum Episcopum Massilientem, de quo dictum est superius; qui octo libris hoc argumento, hoc tempore, hacque ex causa conscriptis, miro affectu luget depraua tissimos mores, cum omnium in genere populorũ, tum præcipue Gallorum suorum & Aquitanorum, tam virorum quam fœminarum. Stragem autem in ipsa Aquitania editã à Gothis & Wandalis, deplorat pariter Aquitanicus vir sanctissimus Prosper carmine lugubri eodem argumento edito; necnon alius nobilissimus Aquitanus, Pauliuus Consularis in carmine Eucharistico *a*, cui titulus falso habetur inscriptus nomine S. Paulini Nolani Episcopi. Hic enim auctor carminis Eucharistici, licet & ipse Burdegalæ educatus diuque versatus sit, maiores tamen Vasatis ortos habuit, fuitque nepos sororis Ausonii Cons. & incensa patria ex ditissimo factus paupertimus, necessariis egens, profugus cum suis Vasatas concessit: vt hæc omnia ipse eodem carmine declarat. Ex quo & illud constat, duo & illi accidisse parum digna nobilitate sua; nimirum conspirationem cum Attalo tyranno, à quo creatus fuerat Comes priuatarum largitionum, & diuersionem ad hæresim, puto Priscillianistarum, quam iis in locis viguisse diximus: quorum errorum primum eodem carmine excusauit, alterum (vt ait) pœnitentia purgauit.

Iisdem Coss. decimoquinto Calendas Nouembris, vt habet Socrates *b*, Theophilus Alexandrinus Episcopus ex hac vita migrauit, cum sedisset annos viginti septem. De cuius obitu mirum illud ex Isidoro diacono Ioannes Damascenus *c* refert: nimirum ob illud peccatum, quod nunquam S. Ioannis Chrysostomi nomen passus esset in Ecclesia recitari, eum non potuisse animam agere, donec allatam Imaginem Chrysostomi adorasset. Reliquit ingenii sui monumenta, quæ Gennadius *d* & Trithemius *e* recensent, aduersus Origenistas & Anthropomorphitas hæreticos, necnon de Paschali recursu, ac libros de fide. Scripsit item de Sacris mysteriis, vel de Sacris Supellectilibus Ecclesiæ Dei: quem quidem librum Ecclesiæ vtilissimum fuisse, cum exciderit ipse, intelligi potest ex fragmento Epistolæ *f* S. Hieronymi ad ipsum Theophilum datæ, cum illum commentarium Latinitate ab eo rogatus donauit. Extantque plures eiusdem Ecclesiastici canones, tresque Paschales epistolæ ab eodẽ Hieronymo Latinæ factæ; illæ scilicet quas aduersus Origenem edidit, cum alioqui per singulos annos singulas dare soleret, vt ex Synesii *g* ad illũ literis apparet, qui eas Panegyricas orationes nominat. Sed postquam is Romano Pontifici, de inferendo Diptychis Ioannis Chrysostomi nomine, obniti cœpit, abstinuisse penitus cognoscitur S. Hieronymus ab eiusdem post editarum epistolarum, quam cœperat, versione. Accidit tamen, vt licet ei ob Chrysostomi causam fuisset à Romano Pontifice communio denegata; tamen quod cõstiterit in obitu emendasse, quod viuens pertinax deliquisset, cõmemoratione rerum aduersus Origenistas, aliarumq; ab eo bene gestarum, retenta est post obitum eius memoria apud posteros *h* magna æstimatione, tituloque sanctitatis.

Post triduum autem ab eius obitu, subrogatus est CYRILLVS ipsius sororis *i* filius: sed non absque controuersia, quod alii peterent Timotheum Archidiaconum, cui fauebat Abundantius Præfectus militum. Id enim testatur Socrates *k*, qui addit, Cyrillum in sede Episcopali collocatum, maiorem principatum quam ymquam Theophilus habuisset, sibi assumpsisse, atq; ex eo tempore Episcopum Alexandrinum, præter sacri Cleri dominatum, rerũ quoq; sæcularium principatum acquisiuisse: Quapropter eumdem statim Nouatianorum Ecclesias quæ erant Alexandriæ occlusisse, nec modo omnem sacrum thesaurum, qui in illis esset, penitus abstulisse, sed & ipsorum Episcopum omnib⁹ suis fortunis priuasse. Ista subinfense Socrates, sed ob eius sectæ patrocinium fide suspectus. Cum autem viuente Theophilo, cuius quodammodo vinculis tenebatur adstrictus, Atticus Episcopus Constantinopolitanus, ob non receptum nomẽ Ioannis Chrysostomi, & ipse secluſus à communicatione Roma. Pontificis permansisset; eo defuncto, faciliorem se præbens, (admonitus nouo Theophili casu, & periculo recẽs ea de causa in ipsummet concitati populi Constantinopolitani) non solum eiusdẽ Ioannis nomen sacris Diptychis reddidit, sed ad id quoque faciendum Cyrillum incitauit: qui diutius infensissimo animo reluctatus, tandem eiusdem Attici, necnon Isimo animo reluctatus, tandem eiusdem Attici, necnon Isidori Peluſiotæ, aliorumque hortationibus, ac demum vidori Peluſiotæ, aliorumque hortationibus, ac demum visione diuinitus ostensa commotus, (qua & ipse sibi visus sione diuinitus ostensa commotus, (qua & ipse sibi visus est à Ioanne, diuino comitatu circumdato, ab ecclesia expelli, & matrem Domini pro eodem Ioanne enixius orantem conspexit) ipse quoque cum omnibus Episcopis sibi

a Hier. cont. Pelag. lib. 2. & in Iarem. præf. lib. 4.
b 53. C. Th. de hæret. ap. Baron. hic & supra an. 390.
IOVINIAN⁹ RELEGATVR IN INSVLAM.
* al. epulas.
c Gennad. de Vir. illustr. c. 75.
d l. 56. C. Th. de hæret.
e l. 11. C. Th. de pœn.
VI. f l. 40. 41. C. Th. de Episc. & Cler. IVDICIA EPISCOP. ADVERSVS OMNES IN DEVM DELINQVENTES.
g Aug. ep. 75
PVRGATIO IVRAMENTI AD RELIQVIAS MARTYRVM.
h Id. ep. 137. ad Hippon.
i Greg. Hom. 32. in Euang.
k Greg. Tur. de glor. martyr. cap. 28.
VII. GOTHI INVADVNT GALLIAS.
l Prosper & Cassiod. in Chron.
a Ext. Tom. 9. Bibl. Patr. f. DE PAVLINO IVNIORE.
VIII. THEOPH. ALEX. OBITVS,
b Socrat. l. 7. c. 7.
c Damasc. l. 3 de Imag. circa fin.
d Gennad. de Vir. Ill. c. 10.
e Trith. de Vir. Illustr. ET SCRIPTA.
f Ext. in Hæresolog.
g Synes. ep. 9.
h Leo Pap. ep. 52. & 64. Paul. Emes. in conc. ad pop. Alex. Vit. SS. Pat. de complic. Prat. Spir. c. 195. & alibi.
IX. CYRILLVS ELIGITVR EPISC. ALEXANDR.
i Theod. l. 5. c. 35. Isid. Pelus. l. 1. ep. 310.
k Socrat. l. 7. c. 7.
CHRYSOSTOM. NOMEN RESTITVTVM IN DIPTYCHA.

subditis eiusdem Ioannis nomen in sacro Albo reposuit: factumque est, vt totius pariter Orbis Ecclesiæ mutuo inter se pacis fœdere iungerentur. Hæc omnia pluribus exterse Niceta Nicephorus *a*, qui & ipsas Attici atq; Cyrilli ea de causa vltro citroque datas literas, aliasque Isidori ad Cyrillum recitat. Quæ quidem hoc anno, ipsius Cyrilli sedis exordio cœpta, in sequentem etiam propagata videntur.

a *Niceph. l. 14. c. 16. 17. 20. 25. & 27. Isid. ep. 370*

IESV CHRISTI ANN. 413.

INNOC. ANN. 12.

HONORII 19. THEOD. II. 6.

I. HERACLIANI CONSVLATVS, TYRANNIS, EXITVS.

ANNVS Christi quadringentesimus decimus tertius, vnius tantum Lucii Consulatu in Fastis reperitur adscriptus, necnon in rescriptis Imperatorum; quod nimirũ ipsius collegæ, *Heraclian*i Comitis in Africa, cum tyrannus euasisset, expunctum est nomen è publicis monumentis; sicut alias factum sæpe vidimus. De Consulatu enim Heracliani hoc anno gesto, assertores sunt Prosper *b* & Orosius *c*, suorum temporum ambo scriptores; ipseque Honorius Imp. rescriptis *d* aduersus eum datis cum patefactus est tyrannus, quibus eum hostem publicum declarat, & cum suis interfici iubet, eiusque nomen ab omnibus tam priuatis quam publicis Actis deleti. Sed Orosius eius rebellionis historiam paulo fusius prosecutus, inter alia ait, ipsum Africana annona extra ordinem retenta, cum incredibili classe trium millium & septingẽtarum nauium Romam adnauigasse; sed littore egressum, occursu Comitis Marini territum esse, & in fugam versum, arreptaque naui solum Carthaginem rediisse, atque ibi continuo militari manu interfectum esse. Verum eius interitum anno sequenti sub Consulatu Constantii & Constantis, Marcellinus ponit in Chronico. Cuius gener *Sabinus*, & in tyrannide socius, Constantinopolim fugiens, inde post aliquantum temporis retractus, exilio damnatus est; vt Orosius est auctor.

b *Prosper in Chron.*
c *Oros. l. 7. c. 42.*
d *l. 13. C. Th. de infirm. his qui sub tyran. l. 11. de pœn.*

II. MARCELLINVS INNOCENS OCCIDITVR.

Sed illud post hæc accidit lugubre, quod idem Marinus Dux exercitus traiiciens in Africam aduersus perduelles Imperii, *Marcellinum* illum Tribunum & Notarium, Cognitorem missum & sequestrem conciliationis inter Catholicos & Donatistas, virum eruditione & pietate insignem, proditione hæreticorum Donatistarum in ipsum infensissimorum, calumniam passum studuisse parti Heraclianæ, innocentem occidi iusserit, vt Hieronymus *e* docet. Ob quam causam & ipse titulo martyrii in Ecclesiasticas *f* Tabulas referri meruit: & Marinus eius interfector, qui ob Rempublicam à tyranno liberatam, nobilem fuisset iure consecuturus triumphum, non solum eo priuatus est, sed (vt scribit Orosius) continuo reuocatus ex Africa, factusque priuatus, vel ad pœnam, vel ad pœnitentiam conscientiæ dimissus est. Et quod putarent Donatistæ, se vna cum Marcellino abolere potuisse, quæ eo præsente confecta essent aduersus ipsos Acta publica; voluit Honorius Imp. rescripto *g* ad Iulianum in Africa Proconsulem anno sequenti misso, eadem habere perpetim firmitatem.

e *Hier. l. 3. cont. Pelag.*
f *Martyrol. Rom. 3. Idus April.*
g *l. 55. C. Th. de hæret.*

III. DEMETRIAS VIRGO RENVNCIAT SPONSO ET SÆCVLO.

Hoc eodem tempore contigit à *Demetriade* Iulianæ filia, Probæ nepte, edi Carthagine (quo eam vna cum matre & auia appulisse vidimus) egregium Christianæ pudicitiæ specimen; cum ipsa nobilissima Romana virgo, oppignorata æque nobilissimo sponso, appropinquante nuptiarũ die, derepente mutato habitu, professa est vitam monasticam, matre & auia gaudio exultantibus, cunctisque reliquis vbique admirantibus, & quamplurimis aliis exemplum eius imitantibus: quæ & præparatam ei à parentibus ingentem dotem, ac preciosissimum ornatum, dispersit pauperib⁹. Hæc autem pientissimæ virginis generosissima facta egregie descripsit, & mirifice laudauit S. Hieronymus *b* epistola de ea re postea ad eandem ipsam scripta. Cui quidem, eius sanctissimi vitæ generis capessendi auctorem extitisse S. Augustinum, ipsemet Augustinus *a* testatur scribens ad eius matrem Iulianam: extantque aliæ eiusdem ad matrem & auiam, cum ipsum quamprimũ de voto virginis certiorem reddidissent, gratulatoriæ literæ *b*, quibus summis effert laudibus virginis propositum. Idq; item præstitit S. Prosper epistola ad ipsammet Demetriadem scripta, quæ habetur inter epistolas S. Ambrosii *c*. Ex quarum omnium lectione intelligis, eo semper pretio in Ecclesia extitisse sanctam Virginitatem, vt sublimis quæque nobilitas decorem ex ea accipere credita fuerit & ornamentum.

h *Hier. ep. 8.*
a *Aug. ep. 143*
b *Id. ep. 179.*
c *Ap. Ambr. ep. 84.*

IV. PELAGIVS CLANDESTINA INSVNDIT VENENA.

Quin & ante omnes Pelagius, licet in præcone ipsius Cælestio ibidem Carthagine (vt vidimus) hæresis eius damnata fuisset, ipse tamen adhuc sub sanctitatis pallio latere satagens, congratulaturus nouæ Christi sponsæ, epistolam paræneticam, seu dixerimus potius librum, (ita enim nominat Augustinus) ad eãdem Demetriadem misit, quæ & hactenus extat; & quod ea nomine Pelagii careret, eademque inter opera SS. Hieronymi & Augustini edita reperiretur; à simplicioribus vel Hieronymi vel Augustini credita est: quam quidem vere Pelagii esse, non solũ ipsius errores in ea positi indicant, sed testificatione S. Augustini *d*, immo & ipsius Pelagii *e* habetur expressum: sicut & olim intellexit Beda *f*. Quamobrem idem S. Augustinus continuo vt hæc accepit, ne hausturn ex epistolæ illius lectione venenum, mortem Demetriadi ac parentibus eius afferret, antidotum propinauit, scribens quam diximus ad Iulianam (quæ ab ipsius Augustini ore pendebat) epistolam *g*, qua sparsas in illo Pelagii scripto hæreses confutauit: idque ipsum rursus præstitit in libro postmodum scripto aduersus Pelagium & Cælestium de Gratia Christi. Quemadmodum & S. Prosper in prædictis literis ad Demetriadem, nihil aliud conatus est quam Pelagii assertionibus aduersariam stabilire Catholicam veritatem. Ac denique Innocentius ipse Papa, perbreui ad Iulianam scripta epistola *h*, æque illam in fide Catholica de gratia Christi confirmare studuit. Vnde euenisse putamus, vt scribens æque Hieronymus *i* ad Demetriadem, magnopere hortatus fuerit, vt eiusdem Innocentii teneret fidem, nec peregrinam (quamuis ipsa sibimet prudens callidaque videretur) doctrinam reciperet. Quod igitur hoc anno Pelagius quid sentiret, penitus innotuerit, inde accidit vt sub anni huius Lucio Consule S. Prosper *k* tradat ipsius hæresim innotuisse; quam tamen in Cælestio vidimus anno superiori Carthagine damnatam.

d *Aug. de Gra. Chr. l. 2. c. 12.*
e *Ap. Aug. ibid. c. 17.*
f *Beda ref. in Cant.*
g *Aug. ep. 143*
h *Innoc. ep. 11.*
i *Hier. ep. 8.*
k *Prosper in Chron.*

Hoc eodem anno *Burgundiones*, Germaniæ populos *l* bellicosissimos, multitudine ac viribus præstantes, qui gloriati fuerint se sobolem Romanorum, partem Galliæ Rheno proximam obtinuisse, Prosper testatur & Cassiodorus; de quorum à Burgis denominatione, Orosium *m* consule, quamuis dicta ab eo haud omnibus placeat. Sed & de eorumdem Christianitatis tempore, minime ei conuenit cum Socrate *n*, dum hic ad tempora Valentiniani Tertii qui successit Honorio, Orosius vero (cui magis assentiendum est, puta sub Honorio, ac de rebus vicinorum scribenti) ad præsens ipsius Honorii Imperium refert. Verum ea & ante Anastasium Papam dicenda esse, cõtigisse, si in omnibus legitima demonstrari posset, quæ extat eius nomine epistola ad Episcopos Germaniæ & Burgundiæ. Quomodo vero, quave de causa, eorũ contigerit ad Christianam religionem conuersio, eosdem consule auctores.

V. BVRGVNDI OBTINENT PARTEM GALLIAR.

l *Ammian. l. 18. & 28.*
m *Oros. lib. 7. cap. vlt.*
n *Socr. lib. 7. cap. 10.*

Hoc item anno, in Oriente Theodosius Imp. Eunomianos sæpe damnatos, nouo rescripto *o* exagitauit, simulque *Anabaptistas* vltimo supplicio afficiendos decreuit. Idemque Nouatianos illos *p*, qui recens ab aliis hæreticis Nouatianis diuisi, in hoc cum Ecclesia Catholica concordabant, vt Pascha in azymis celebrarent, ob idque *Protopaschitarum* sibi nomen imposuissent, (quos & *Sabbatianos* ab auctore Sabbatio appellatos, superius vidimus) proscriptione & deportatione damnauit *q*. Quo eodem tempore diuino quoque iudicio omnes Nouatiani ostensi sunt esse repulsi, miraculo illo quod à S. Paulino describitur in carmine *r* ad Cytherium: cum videlicet Nouatiani hominis nauis absq; aliqua maris tempestate soluta cõpagibus,

o *l. 7. C. Th. ne Sabbatis. l. 2. C. Iustin. ad. p. Vide Soc. l. 7. c. 5.*
q *l. 6. C. Th. ead.*
r *Paulin. ep. 12.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

ebibens vndam absorpta est à mari, Nouatianis omnibus, atque cæteris Infidelibus qui in ea erant, pereuntibus, Catholicis Fidelibus tantummodo liberatis, & qui iis inhæserunt credentes: ita vt magno prodigio casus ipse omnes discreuerit, qui pii, quive impii essent.

IESV CHRISTI ANN. 414.

INNOC. ANN. 13.

HONORII 20. THEOD. II. 7.

I. GOTHI IN HISPANIAS.

ANNO Christi quadringentesimo decimoquarto, Cõstantio & Constante, patre & filio, Coss. anno quarto à capta Vrbe, idem Constantius Gothos Narbona expulit, & abire in Hispaniam coëgit: vbi apud Barcinonem ipsorum Rex Athaulphus studiosissime paci petendæ insistens, dolo suorum occisus est. Hæc Orosius *a*: sed necem Athaulphi sequenti anno Prosper ponit. Extat *b* vero ipsius epitaphium, ad eius sepulchrum ibidem Barcinone positum, quo constat vna cum ipso sex quoque eius filios à Gothis perempros esse. Quod autẽ Romani in Gothos, quos pacis studiosos & auxiliarios habere cœperant, copias mouerint, illa præcessisse causa videtur, quod Attalus ille tyrannus, qui ab eisdem Gothis Imperium deponere coactus fuerat, hoc anno (vt Prosper ait) eorumdem auxilio tyrannidem resumpsit in Gallis. Qui rursum anno sequenti in Hispaniam ab iis deductus, moxque relictus, captus est in mari, & Constantio Comiti viuus traditus: idẽque postea ab Honorio in triumphum ductus, ac Liparæ viuere iussus, truncata prius manu. Hæc iidem auctores. Sed in hoc vno triumpho de pluribus aliis hostibus debellatis celebratæ sunt victoriæ; nempe de Gothis, qui Attalum euexere in Imperium; de Gentilibus, qui omnibus fauerunt studiis homini restituturo deorum cultum; de diis ipsis, qui vanis responsis vanos homines inflammabant; ac denique de Ariana perfidia, cuius sectæ symbolis Attalus cum Gothis a facto iunctus erat amicitiæ fœdere.

a *Oros. lib. 7. cap. 34.*
b *Ap. Ambr. Moral. l. 11. Chron. H. ff.*

ATTALI TYRANNI FINIS. *De quo Baron. seq. anno, sicut & de illis qui habentur art. proximo.*

II.

Subdit vero Orosius de *Segerico* successore Ataulphi, paulo post similiter à suis necato, quod & ipse ad pacem pronus esset. Cui successor electus *Vvallia* vt pacẽ infringeret, nihilominus eam magis confirmauit. Quippe territus maxime iudicio Dei, quia dum magna Gothorum manus traiicere in Africam moliretur, in freto Gaditano tempestate correpta miserabili exitu perierat; memorque illius acceptæ sub Alarico cladis, cum Gothi in Siciliam transire conati submersi sunt, pacem optimam cum Honorio Imperatis obsidibus pepigit, ac Placidam ipsius sororem, relictam Athaulphi, honorifice apud se habitam fratri reddidit. Denique Romanæ securitati periculum suum obtulit, vt aduersus cæteras gentes quæ per Hispanias consedissent, sibi pugnaret, & Romanis vinceret. Quamuis & cæteri Alanorum, Wandalorũ, Sueuorumque Reges, eodem cum Romanis placito depacti forent, mandantes Honorio vt ipse cum omnibus pacem haberet, omniumque obsides acciperet, dum ipsi inter se confligerent, sibique pereuntes Imperatori vincerent. Hæc Orosius: quæ præsenti, & duobus sequentibus annis gesta, Prosper quoque attigit. In quibus illud imprimis obseruandum, Gothos illos qui Romam deprædati sunt, duplici naufragio breuissimi temporis spatio fuisse punitos; præter alias clades quibus confecti sunt. Illud enim plane aliis postea diuersis temporibus accidisse eiusdem Vrbis inuasoribus & prædatoribus, accuratus lector inueniet; nimirum qui id facere ausi sunt, semper Dei vindicta haud sera male periisse. Sed hæc prolixiorem requirunt sermonem.

INVASORES ROM. VRBIS MISERE PERIRE SOLITI.

III.

Vt vero tanta quæ diximus, adeo prospere gererentur in vtilitatem Imperii, ipse Honorius Aug. religione sua promeruit, dum pro fide certans hæreticos atq; Gentiles singulis ferme annis exagitare non cessauit. Qui quidem & hoc ipso anno priuilegia concessa Catholicis Ecclesiis cõfirmauit, rescribens *a* vt qui abstraherent confugientes ad eas, maiestatis criminis rei haberentur: quæ quidem eius lex in Codice Iustinianeo, huius anni Consulibus consignata reperitur; apud Gregorium vero Papam, mendose Consulatu Honorii septimo, & Theodosii tertio. Idem quoque Imperator hoc eodem anno aduersus Donatistas rescribens *b*, eos intestabiles, infamesque declarauit; Episcopisque ac reliquis clericis exilium irrogauit, atque illorum occultationem sub iisdem pœnis vetuit; laicos autem pecuniaria pœna pro conditione cuiusque mulctauit, ac denique ipsorum conuentuum loca Ecclesiis Catholicorum tribuit. Mississe vero huius legis executorem in Africam Dulcitium Tribunum & Notarium, S. Augustinus *c* docet. Quo etiam auctore *d* constat, pecuniariam illam pœnam laicis inflictam, sic exigi solitam, vt tamen eisdem reddenda seruaretur, si ad Ecclesiam Catholicam redire vellent. Cum autem permulti eorum Episcopi decreuissent potius mori, quam Ecclesias suas deserere, adeo vt sibi ipsis nonnulli *f* violentas manus inferre non dubitarent, sic rati fore vt vel à suis colerentur vt martyres, vel Iudicum commiseratione finerentur in suis Ecclesiis permanere: anceps Dulcitius quid in his sibi agendum esset, litteris consuluit Augustinum. Qui cum videret quamplurimos Donatistas Honorii rescripti vigore ad Ecclesiã Catholicam tẽdere; melius esse respondit *g*, paucos quosdam suis ignibus, aut aliis eiusmodi excidiis perire, quam si vniuersi sempiternis ignibus gehennarum arderent. Mitius tamen cum eis esse transactum, nec omnes Donatistarum Episcopos solum vertere iussos, quę inferius dicenda sunt, demonstrabunt.

a *l. 1. C. de his qui confug. ad Eccl. l. 38. C. Th. de Episc. & Cler. Greg. lib. 14 Epist. 14 Egit vero de hac lege Baron. an. 407. num. XLI.*
b *l. 54. C. Th. de hæret.* HONORIVS EXAGITAT DONATISTAS.
c *Aug. 2. Retract. 59.*
d *Id. l. 1 contra Gaudent. c. 38.*
e *Ibid. c. 37.*
f *Id. ep. 104. ad Donat.* QVOMODO CVM OBSTINATISS. HÆRET. AGENDVM.
g *Id. ep. 61.*

IV.

Hoc eodem anno accidit *Pauli Orosii* presbyteri Hispani (cuius Historiam sæpe citare contigit) legatio ab Eutropio & Paulo in Hispania Episcopis ad S. Augustinum in Africam. Cuius decernendæ in causa fuere hæreses, quæ tunc temporis dire Hispanias infestabant. Nam præter errores Priscillianistarum, quos singulos idem Orosius in libello *h* consultationis Augustino oblato enumerat; nouas addit hæreses nuper inuentas, ex Origene & Victorino quodam prognatas, allatas vero in Hispaniam à duobus *Auitis* hominibus Hispanis, altero Hierosolymis, Roma altero redeuntibus, itemque à Basilio quodam Græco. Itaque Augustinus breuiter quidem, sed plane disertissime, aduersus Priscilliani atque Origenis errores disputauit, edito commentario ad eumdem Orosium, vt inscriptio præ se fert. Repressit vero alibi *i* Catholicos illos homines, qui ad inquirendos Priscillianistas, mendaciorum atque periuriorum inuoluctis delitescentes, dicebant artem arte deludendam, & mendaciis licere mendacia prodere, nempe mentiri se quoque Priscillianistas, vt qui vere eiusmodi essent deregerent, sicque ab eorum prauis fruticibus expurgare possent Ecclesiam: pluribusque docuit, Christiano homini nec in leuibus mentiri licere. Permansit autem hoc anno Orosius apud S. Augustinum cupiditate discendi, sequenti vero (vt dicetur) nauigauit Hierosolymam. Cui quidem Augustinus iniunxit opus, vt Historiã scriberet aduersus Paganos: id q; ille officiosissime præstitit, vt eiusdem docet præfatio libris affixa; quos (vt declarat *k*) absoluit anno ab initio Mundi quinquies millesimo sexcentesimo decimooctauo, hoc est secundum initam ab eo rationem, anno Christi quadringentesimo decimoseptimo.

h *Ext. apud Aug. ante lib. aduers. Priscill.* ORIGEN. & PRISCILL. HÆRESES ILLATÆ IN HISPANIAS A DVOBVS AVITIS.
i *Idem 2. Retract. 60. & lib. contra Mendac.*

OROSII HISTORIA.

k *Oros. lib. 7. cap. vlt.*

V.

Accidit vero post hæc, vt quamuis prominens pessimæ plantæ truncus ex Origenis Periarchon productus, scriptis SS. Patrum, & decretis sacrorum Conciliorum tam succisus esset, pullulauerint tamen ex eo hinc inde virgulta S. Augustini falce succidenda. Etenim quod ait Orosius in dicto Consultationis libello, de damnatorum saluatione post aliquam purgationem, deque eriam ipsius diaboli restitutione, ex Origene per Auitos in Hispania prædicatis; licet in saluatione dęmonum minime assensum eis potis; licet in saluatione dęmonum minime assensum eis potuli præbuerint, tamen in venia damnatorum plures habuerunt sectatores: sed ita vt pro diuersitate animorum, diuersæ essent eorumdem assertiones; dum alii crederent, omnes omnino damnatos fore aliquando saluandos; alii

DE SALVATIONE DAMNATORÃ PLVRIMI ERRORES.

vero non omnes, sed tantum Christi baptismate ablutos, qui participes facti essent corporis eius, in quacumque hæresi vel impietate vixissent: alii rursum, non omnes baptizatos, sed solos Catholicos, quantumuis male viuentes: alii demum reliquos omnes, præter illos qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligerent; adeo vt qui facerent, quamuis inter ipsas suas eleemosynas nefarie ac nequiter viuerent, saluandi essent post aliquam purgationem. Recenset hæc istorum omnium deliramenta S. Augustinus, quæ & sacrarum auctoritate Scripturarum ipsos defendisse tradit: eadem vero ipse egregie confutauit in libris a de Ciuitate Dei, quos his diebus scribebat.

a *August. de Ciuit. Dei, l. 22. c. 17. vsque ad 27.*

VI. SYNODVS IN MACEDONIA.

Hoc item anno collecta est prouincialis SYNODVS *in Macedonia*, ex qua pro confirmatione rerum gestarū missa est legatio ad Innocentium Papam; vt constat ex litteris b eiusdem Romani Pontificis ad eos redditis, quarum exordio ipse eos nonnihil reprehendit, quod certa quædam semel impertita à Sede Apostolica iterare cogerent mandata. Eodemque anno, die vigesima octaua Iulii, facta est à Cyrillo Episcopo Alexandrino translatio partis Reliquiarum SS. Marci Euangelistæ, & Martyrum Cyri atque Ioannis, in Canopum: quo facto penitus extinctæ sunt iuges dæmonum ibi adhuc vigentium (licet à Theophilo, destructo famosissimo illic templo, Ecclesia superexecta fuisset) infestationes: vt de his constat ex Actis eorumdem martyrum Cyri & Ioannis, in posteriore Concilio Nicæno cognitis, & à S. Ioanne Damasceno & aliis cōprobatis.

b *Innoc. ep. 17.*

TRANSLATIO SS. RELIQVIARŪ.

IESV CHRISTI ANN. 415.

INNOC. ANN. 14.

HONORII 21. THEOD. II. 8.

I. INVENTIO RELIQVIARVM S. STEPHAN. PROTOMART.

ANno Christi quadringentesimo decimoquinto, Honorio decimum & Theodosio sextum Augg. Coss. magnus ille Protomartyr STEPHANVS rursus in miraculis reduuius apparuit, cum ea venerandæ Reliquiæ, vna cū Gamalielis & Nicodemi, (de quibus in Euangelio c & Actis d Apostolorum) atq; Abibi ipsius Gamalielis filii corporibus, diuinitus in somnis ab ipso Gamaliele reuelatæ sunt *Luciano* presbytero Ecclesiæ Caphargamala in territorio Hierosolymorum, vbi eadem corpora condita primo fuerant: à quo admonitus Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, corpus S. Stephani transtulit magna pompa Hierosolymam septimo Calendas Ianuarii. Extat de eiusmodi Inuentione eiusdem Luciani libellus, siue epistola ad omnes Fideles scripta; cui adstipulantur Marcellinus e, Nicephorus f. & alii recentiores auctores Græci, Latinorumque plurimi; sed quorum instar omniū Gennadius g, cum hæc sua ætate facta potuerit certius cognouisse. In ea igitur Epistola cum eiusdem Inuentionis tempus notetur Consulatu Honorii decies & Theodosii sexies, qui hoc ipso anno extitit; idque ipsum Marcellinus absque vlla dubitatione confirmet, apparet irrepsisse mendum in Bedam h, & errasse alios eum secutos, dum anno septimo Honorii id factum habent: sicut ex iisdem corrigendus est Nicetas i Philosophus, qui ad tempora Constantini refert. Cæterum cum aperta est theca Reliquiarum S. Stephani, terræmotum factum esse, & suauitate miræ odoris fragrantiæ inde emergentis, ipso eodem momēto septuaginta tres homines variis grauissimis languoribus detentos, quorum etiam nonnulli erant dæmoniaci, integram sanitatem recuperasse, narrat idem Inuentionis libellus. Additque, cum eodem tempore ingens siccitas vniuersam Palæstinam vexaret, in ipsa translatione earumdem sacrarum Reliquiarum pluuiam magnam descendisse, & abundanter terram imbuisse, immenso omnium gaudio. At hæc adeo multa & insignia, pauca & perexigua esse intelliges, si conferas cum illis quæ in Orbe Occidentali eadem virtute Reliquiarum voluit Deus edi; de quibus dicetur anno sequenti.

c *Marcell. in Chron. f Nic. lib. 14. cap. 9. g Gennad. de Vir. ill. c. 46.*

h *Bed. de 6. ætat. Sigeb. & alij.*

i *Niceta de mart. & inuent. S. Stephan. ap. Metaphr. x. Aug. & Lipom. tom. 6.*

II. DEI CONSILIVM IN REVELATIONE RELIQVIARVM.

Noua vero hæc & plane admiranda bella elegit Dominus, ad expugnandos & confundendos aduersarios suos. Qui enim expugnauit Antiochiæ impietatem Iuliani Apostatæ Reliquiis S. Babylæ martyris, prostrauit Mediolani Arianam audaciam reliquiis Gerualii & Protasii martyrum, extinxit in Ægypto idololatriam reliquiis S. Marci Euangelistæ & SS. Martyrum Cyri & Ioannis, confudit impu itatem Vigilantii reliquiis S. Samuelis Prophetæ:) vt de his omnibus vidimus superius suis locis: extantque innumera alia eiusmodi omnium temporum atq; prouinciarum exempla, deuictorum virtute sacrarum Reliquiarum, diabolicorum conatuum; (de quorū etiam nōnullis vel iam à nobis dictum est, vel dicendum erit,) idem in Sanctis suis mirabilis Deus, iisdem modo armis vsus est, tū ad reliquos Ethnicos & hæreticos atque schismaticos expugnandos, tum ad cogendum impium Pelagium, nuper emersum è puteo inferni hæresiarcham, errores proprios saltem in speciem condemnare.

III. CONCILIŪ DIOSPOL. IN CAVSA PELAGII HÆRESIARCHÆ.

Cum enim in dicta sacrarum Reliquiarum Inuentionis Epistola Lucianus dicat, contigisse vt eo tempore Ioannes Hierosolymorum Episcopus, esset in Synodo Episcoporum apud Lyddam, quæ & Diospolis dicta est ciuitas Palæstinæ; agens de eodem DIOSPOLITANO CONCILIO S. Augustinus a, simul & quatuordecim qui interfuerunt Episcoporum nomina recensens, (quorum primus ordine ponitur *Eulogius Cæsariensis* Palæstinæ Metropolitanus, secundus vero idem qui supra *Ioannes Hierosolymitanus*) docet ibi præsentem Pelagium, damnantem suas hæreses, & fidem Catholicam profitentem, fuisse absolutum. Verum quod id dolose egerit, eumdem Conuentum S. Hieronymus b *miserabilem Synodum* appellauit. Cuius etiam Acta de purgatione Pelagii, Innocentium Romanum Pontificem noluisse confirmare, idem Augustinus c testatur: ipseque postquam ea accepit; scripsit k de iis librum ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem, ne (vt ait) Pelagio velut absoluto, eius quoque dogmata putarentur Iudices approbasse. Constat enim in eo Concilio tunc erectum esse trophæum de prostrata hæresi Pelagiana: in quo licet Pelagius dolo pœnam anathematis effugerit, hæreses tamen eius sunt penitus ab ipso etiam earum auctore anathemate damnatæ.

a *Aug. 2. de pecc. orig. 8. & 9. d Ibid. c. 14. & l. 2. Retract. c. 47.*

IV. ERRORES PELAGII, AB IPSOIN CONC. DAMNATI.

Assertiones vero quas Pelagius ibi damnare, ne ipse damnaretur, compulsus est, innenimus in Collectione Cresconiana recitatas post epistolam Aurelii Carthaginiensis ad Episcopos prouinciæ Byzacenæ: sunt que duodecim numero; nempe 1. Adam mortalem factum esse, adeo vt sine peccasset, sine non, mortuus esset. 2. Peccatum Adæ, ipsum solum læsisse, & non genus humanum. 3. Infantes nuper natos, in illo statu esse, in quo Adam fuit ante prænaricationem. 4. Per mortem vel præuaricationem Adæ, nō omne genus hominum mori, nec per resurrectionem Christi omne genus humanum resurgere. 5. Infantes, etsi non baptizarentur, vitam æternam habere posse. 6. Diuites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, siquid boni vi- si fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei. 7. Gratiam Dei atque adiutorium non ad singulos actus donari, sed de libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrina. 8. Gratiam Dei secundum merita nostra dari. 9. Filios Dei non posse vocari, nisi omnimodo absq; omni peccato fuerint effecti. 10. Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio; quoniam in propria voluntate habet vnusquisque facere aliquid, vel non facere. 11. Victoriam nostram non esse ex Dei adiutorio, sed ex libero arbitrio. 12. Petentibus veniam, non dari secundum gratiam & misericordiam Dei, sed secundum merita & laborem eorum, qui per pœnitentiam digni fuerint misericordia. Atque hæc fuerunt capita, quæ Pelagius compulsus est damnare; quæ eadem Augustinus e, agens de peccato Originali, recitat ex Actis eiusdem Synodi Diospolitanæ addit que alios errores ab eodē Pelagio assertos; nempe, Legē sic mittere ad regnum, quemadmodum & Euangelium; itemque, Fuisse homines ante aduentum Christi sine peccato. Ac denique alibi f recenset aliud caput eiusdem hæ-

e *Idem 2. de pecc. orig. 10. & ep. 106. ad Paulin. ALII RVIDEM ERRORES.*

f *Idem de hær. c. 88.*

resis

resis corollarium, quo destrueret orationes quas facit Ecclesia, siue pro Infidelibus & doctrinæ Dei resistentibus, vt conuertantur ad Deum; siue pro Fidelibus, vt augeatur in eis fides, & perseuerent in ea: quippe hæc non à Deo homines accipere, sed à seipsis habere, Pelagiani contenderent, gratiam Dei, qua liberamur ab impietate, dicentes secundum merita nostra dari.

V.

Erant & aliæ blasphemiæ Pelagii scriptis insertæ, quæ non sunt ad publicum illud examen productæ, quas recitat S. Hieronymus in tribus illis Dialogorum libris, quos contra Pelagianos conscripsit post dictam Synodum Diospolitanam; vt S. Prosper *a* testatur in carmine, quod de prostrata in eadem Synodo hæresi cecinit. Qui quidem Hieronymus, cum vidisset versutum Pelagium captiosis artibus Synodum decepisse, prudens illud excogitauit inuentum, vt Dialogos scriberet, & sub *Critobuli* nomine Pelagium significaret, quem Catholicus homo *Atticus* nomine exquisitissimis interrogationibus cogeret latens intus venenum in medium proferre; sicque palam demonstraret, qualis ille esset, qui errores damnans videri voluisset probatus Catholicus. Vbi etiam prudentissime illud egit, vt numquam eius Synodi expresse voluerit meminisse, ne si ab illa acta probasset, Pelagium in ea absolutum probasse pariter videretur; vel si damnasset, ipse potius damnandus videretur, qui damnantem hæreses Synodum argueret. Quæ autem præterea ex eiusdem Pelagii scriptis eruta idem Sanctus omnib⁹ patefecit, hæc sunt præcipue: Quod cum ille ad Imperitiam suam assereret opus esse diuinæ legis scientia, hanc quoque fœminas habere debere diceret, easdemque debere in Ecclesia Deo psallere; itemque, Quod iactaret, esse hominis vi liberi arbitrii, non tantum non peccare, sed etiam non tentari; ac quamuis mulierum velaretur agminibus, nullam habere concupiscentiam: ac demum, Quod omnes homines tam viros quam fœminas, crassioribus, vt monachos, vti vellet vestibus, asseretque nitorem vestium & ornamentorum Deo esse contrarium. Quæ quidem, aliaque eiusmodi ex Pelagii scriptis allata, postquam Hieronymus abunde confutauit; postremo ad exterrendos aduersarios, validissimum plane commilitonem, qui iam ante aduersus eamdem grassantem impietatem, gladium spiritus exeruisset, ostentat; ipsum nimirum sanctissimum atque doctissimum Augustinum, cuius recenset scriptos commentarios aduersus Pelagianos.

a *Prosper de Ingrat.* HIERONYMI CONSILIVM CONTRA PELAGIVM.

ALIA RVRSVM PELAGII DOGMATA.

VI.

Sed quomodo, qui hoc anno in Palæstina Synodo suas damnauit hæreses, & Catholicas assertiones professus est Pelagius, rursus ausus est eadem virulenta dogmata prædicare? Docet id Augustinus *b*, dum de ipso atque Cælestio primario eius discipulo agens, ait quod cum increpatus esset à Synodo, quod nihil tribueret gratiæ Dei ad eius mandata facienda; correctioni eorum hactenus cessit, vt non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret; dicés ad hoc eam dari hominibus, vt quæ facere per liberum iubentur arbitrium, facilius possint implere per gratiam: sicque dicendo, *Vt facilius possint*, voluit credi etiamsi difficilius, tamen posse homines sine diuina gratia facere iussa diuina. Illam vero gratiam Dei, sine qua nihil boni possumus facere, non esse dicebant nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura; ad hoc tantum existimantes ipsum adiuuantem per suam legem atque doctrinam, vt discamus quæ facere & quæ sperare debeamus. Hæc & alia Augustinus; affirmans inferius, eumdem Pelagium cõtrariis scriptis iis quæ in Synodo Palæstina damnasset, quę ibi professus fuerat destruxisse. Accidit autem vt cum in dicta Synodo idem Pelagius receptus esset, Ioannes Hierosolymitanus, quod dicer. tur amicus eius factus esse, apud Occidentales male audire cœperit. Vnde S. Augustino suppeditatum est argumẽtum, eumdem Ioannem monendi *c*, vt lupum caueret sub ouina pelle latentem; exposcendique eiusdem Concilii Acta: ad quem etiam Pelagii secretum librum, quem ab eius discipulis Timasio atque Iacobo haud pridem ad fidem ab ipso Augustino conuersis acceperat, misit cum aduersaria responsione à se edita, cui titulum fecit *De Natura & Gratia*; vt ex his Pelagius Orientalibus plenius innotesceret, detectumque omnes caueren⁹: quam etiam suam lucubrationem idem Augustin⁹ misit *a* ad Innocentium Romanum Pontificem, vna cum ipso Pelagii libro cui responsum esset.

a *Id. ep. 95.*

Hoc item anno Orosius presbyter (de quo superiori dictum est) ab Augustino Hierosolymam ad Hieronymum missus est, consulturus illum de perdifficili his temporibus agitata quæstione, ab eodem Orosio ipsi Augustino proposita, *De Animarum origine*; de qua Augustinus Christiana modestia sententiam suam suspendens, eam Hieronymo refudit; quem iam antea, sicut & ipsum Augustinũ, Marcellinus *b* eadem quæstione pulsauerat. Quæ quidem ea occasione oborta est, quod Origenes delirasset animas in cœlo sicut Angelos peccasse, atque ideo in corpora ad luendum supplicium tamquam in carcerem quemdam demitti. Extat vero epistola tunc ab Augustino *c* ad Hieronymum data; qua cum multa disertissime de ea quæstione disputasset, ad finem tamen se nescire professus est. Sicut & eadem modestia vtens Hieronymus, ne doctorem docere videretur, tacuisse voluit, excusans *d* apud Augustinũ, quod impedito aliis rebus, in enodationem quæstionis minime sibi incumbere licuisset; cum alioqui (vt ait) timeret, ne si diuersa inter se sentirent, hæreticis daretur occasio detrahendi. Sed Augustinus verecundiam verecundia compensauit, dum viuente S. Hieronymo noluit quicquã amplius de ea quæstione scribere, expectans fore aliquando, vt tantus Ecclesiæ Doctor suæ petitioni satisfaceret: prout huius sui consilii rationem ipse postea reddidit *e*. Cæterum non Augustino tantum, aut Hieronymo, visa est ea quæstio perdifficilis; sed & ante eos Gregorius Theologus illam eiusmodi esse existimauit, quam non satis sint humanæ vires vt assequi valerent; cum quid de ea definiret totus ambiguus, rem integram Deo committendam tradit *f*, qui ipsas creauit animas. Et quod magis mireris, eadem adhuc Gregorii Magni Papæ temporibus adeo indecisa remanserat, vt nec quid de ea esset definiendum, ipse ausus sit *g* proferre sententiam. Porro in sententiam Hieronymi S. Ecclesia visa est esse propensior, qua dicitur easdem recens à Deo creari atque infundi corporibus; q⁹ professus est ipse epistola *h* ad Marcellinum: licet eam sententiam haud affirmare se audere, ipse Augustinus in epistola ad eumdem Hieronymum *i* professus esset. Verumtamen & ipsum postea in sententiam Hieronymi abiisse constat; quam & contra ei aduersantes doctissime propugnauit, scriptis *k* eo argumento quatuor libris.

VII. QVÆST. DE ANIMAR. ORIGINE HIERONYMO SOLVENDAM MITTIT AVGVSTINVS.

b *Vide Hier. ep. 82. Aug. ep. 7.*

c *Aug. ep. 28*

d *Hier. ep. 92 ap. Aug. ep. 30.*

e *Aug. 1. Retract. 43.* DIFFICILLIMA EA QVÆSTIO.

f *Greg. Naz. carm. de anima.*

g *Greg. Pap. 7. ep. 53.*

h *Hier. ep. 82*

i *Aug. ep. 82.*

k *Idem 2. Retract. 50. & de orig. anim.*

Iisdem huius anni Consulibus ponit Socrates *l* magnas Alexandriæ seditiones & clades, à Iudæis in Christianos excitatas; quarum causa omnes Iudæi, opera Cyrilli Episcopi, eiecti penitus Alexandria fuerint, qui vsque ab Alexandro Magno eam incoluerant. Multa insuper habet de inimicitiis inde ortis inter eumdem Cyrillum & Orestem illius vrbis Præfectum, quæ magnarum aliarum turbarum occasionem præbuerint, dum plures Monachi Nitriæ Alexandriam pro Cyrillo dimicaturi sponte aduenientes, audaci nimis facinore Orestem contumelioſe tractant, vulnerantque: populus vero pro Præfecto exurgens, Monachos pellit; ac demum *Hepatia* fœmina celeberrima, atque doctissima omnium huius sęculi philosophorum, (ad quã extant plures Synesii Epistolæ, quibus eam & Dominam & Magistram sæpe vocat; quam & Suidas virginem æque castissimam prædicat) furore sectatorum Cyrilli necata est, atque dilacerata, & combusta, ob suspicionem quod eumdem Orestem dimoueret à reconciliatione cum Cyrillo ineunda. Hæc fuse apud Socratem; sed monendus lector, huiusmodi rerum historiam ab eodem auctore Nouatiano homine, in Cyrillum parum æquo ob pulsos (vt dictum est) Alexandria Nouatianos, perinfenso animo scriptam esse; vt non mireris si ab eo legas Cyrillum sæpe perstringi nimiæ præsumptionis & superbiæ, atque etiam in crimen scelerum vocari. Quod vero præterea addit de rescripto ab Imperatorib⁹ aduersus Iudæos dato, eo quod in loco Inmestar inter Chalcidem & Antiochiam, præter alia impia consueta facinora, puerum Christianum Cruci alligassent, & in sublime suspensum verberibus vsque ad mortem cruciassent; licet rei tanti illud non appareat,

l *Socr. lib. 7. c. 13. &c.* TVRBÆ ALEXANDR. IVDÆORVM CAVSA.

IMMANE SCELVS IVDÆORVM.

c *Id. ep. 282.*

extat tamen à Theodosio aliud hoc anno datum *a*, quo iussit Præfecturam honorariam abrogari Gamalieli,(hûc autem illum existimo Patriarcham Iudæum,cuius est mẽtio apud S.Hieronymum *b*)aliasque iisdem Iudæis pœnas infligi.Sicut & id ipsum paulo post Honorius in Occidente aduersus Iudæos magistratibus fungentes,vel militantes sanciuit *c*. Etenim quod Christiani Principes de perfido hominum genere curassent bene mereri,iidem fastu elati adeo nefanda aggredi ausi sunt.

Occasione vero prædictorum tumultuum Alexandrinorum,rescripsit *d* anno sequenti Theodosius,ne Corpus eorum qui ibidem Alexandriæ adscripti erant ægrotantium curæ,excederet numerum quingentorum; eosdemque non ex diuitibus,sed pauperibus allegandos; quos & venuit publicum quodlibet adire spectaculum, neve ad Curiam accederent, nisi singuli, & vrgente necessitate. Fuisse autem hos minoris ordinis clericos,exordium eiusdem rescripti insinuare videtur, dum eo prohibetur, aliquid commune esse Clericis cum publicis Actibus,vel ad Curiam pertinentibus.Sed quod pertinet ad vocem *Parabolanos*,qua eosdem Imperator nuncupat; vel,vt habet Iulius Firmicus,*Parabolarios*,siue *Paraboloi*,vt est apud Socratem,& ex eo apud Cassiodorum:consentiunt recentiores, deriuari à voce Græca παράβολος, qua significatur homo periculo incaute expositus,vel ad subeunda pericula præceps;quales putabantur qui curæ omnis generis ægrotantium, pestis quoque tempore præessent.Verum quod ex charitate eiusmodi primo manauit officium, qua nulla maior videri poterat,cum poneret quis animam suam pro amicis suis;transiuit in factionem, cum iidem pro Episcopis pugnaturi negotium facesserent quoque Præfectis:cuius auertendæ rei causa,Theodosius ea aduersus illos statuere opus habuit. Qui vero dissidia inter Cyrillum Episcopum & Orestem Præfectum ignorarunt,pariter hallucinatos esse oportuit in quærenda alia prædictæ sanctionis interpretatione. Cæterum qui per illam ad quingentorum numerum restricti fuerant, eosdem,quod curæ infirmorum non satis esse viderentur, ad sexcentos postea idem Imp.excrescere voluit *e*,quibus præesset in omnibus Episcopus Alexandrinus.

Hoc pariter anno (vt Marcellinus *f* est auctor)idem Theodosius nouo facto hactenus intentato nobilitauit Imperium, cum maiorem natu sanctam sororem,virginẽ Deo dicatam, nomine PVLCHERIAM, prudentia & religione præstantissimam, in Imperii consortium allegens, creauit Augustam,agentem annos sexdecim; vt idem auctor asserit, dum natam ait sub Consulatu Theodori & Eutropii,nempe anno Domini trecentesimo nonagesimo nono; licet tantum quatuordecim Sozomenus *g* ei tribuat,cum habenas capessiuit Imperii,quod quam prudenter rexerit,quamque insigniter tam pietate in Deum,& reuerentia in res ac personas sacras,quam omni aliarum virtutum genere Theodosium fratrem instituerit;apud eũdem Sozomenum,atque etiam Socratem *h*, abunde videre licet. Ex quibus plane intelligas, quantum valeat in recte administrando Imperio,exacte custodita religio; cum tãtam molem puer vnus atque puella,summa tranquillitate ab omni barbarorum & tyrannorum timore securam,(quæ nec temporibus bellicosissimorum Impp.concessum est,) feliciter rexerint. Cui haud dubium rei multum profuit, diuinum q; auxilium Orientali Imperio conciliauit,quod reliquæ Arcadii filiæ,ipsius Theodosii sorores,*Placilla*,*Arcadia*,& *Marina*, omnes paribus votis (auctrice atque hortatrice sorore Pulcheria,vt idem Sozomenus itestatur)excoluerint cælibem vitam, virginitatem Deo dicantes,& in Palatio perinde ac in Monasterio monasticam vitam agentes.

Sed & illud ad bonorum cumulum accessit additamẽtum,(quod idem *k* auctor iure considerat) dum præclara Sanctorum corpora Deus ad opitulationem Fidelium voluit è terra emergere, & non secus ac viuos,perennes gratiarum fontes erumpere. Quod in mirabili inuentione Corporum *Zachariæ* Prophetæ,& *Stephani* Protomartyris, illo tempore contigisse ait: agitque de eiusdem Zachariæ corporis reuelatione, facta ab eodem ipso Propheta cuidam seruo nomine Calimero, præfecto villæ Cophar in territorio Eleutheropolis Palæstinæ, in qua ipse conditus erat; qui etiam ita integer inuentus est, ac si adhuc viuus fuisset. Desideratur autem quod idem auctor de inuentione S.Stephani se fore dicturum pollicitus fuerat. Sed de illa nos satis superius. Nec vero ista tantum operi Sozomeni deesse,sed plurimorum annorum res gestas,ex eo constat,quod in præfatione ipse testetur,perduxisse historiam vsque ad Consulatum decimumseptimum Theodosii,nempe ad annum Christi quadringentesimum trigesimum nonum.

HISTORIÆ SOZOMENI TERMINVS.

a l.22.C.Th. de Iudæ.

b Hier.ep.101

c l.24.C.Th. ec. Ap. Bare. ann 418.nu. LXXXIII. Et videinfr. an.418. in fi.

IX. d l.42.C.Th. de Episc. & Cler.

DE PARABOLANIS RESCRIPTŨ IMP. Deque Baronianis ipsis.

c l.43.eo.

X. f Marcell. in Chron. PVLCHERIA CREATVR AVGVSTA.

g Soz. lib.9. c.1.

h Socr.lib.7. c.22.

FILIÆ ARCADII OMNES VIRGINITATEM SECTATÆ. i Soz. lib.9. c.1.& 3.

XI. k Ibid.c.16. 17. IMPERIVM THEODOSII FŒLIX OB RELIQVIAR. INVENTIONẽ.

IESV CHRISTI ANN. 416.

INNOC. ANN. 15.

HONORII 22. THEOD. II. 9.

ANno Christi quadringẽtesimo decimosexto,Theodosio Aug.septimum & Palladio Coss.celebrata sunt in Africa aduersus Pelagium & Cælestium duo CONCILIA, nempe *Carthaginiense* sub Aurelio eius ciuitatis Episcopo Africæ Primate,& *Mileuitanum* sub Siluano Numidiæ Primate:idque (vt apparet *a*) tam occasione rerum in Synodo Diospolitana superiori anno aduersus Pelagianos gestarum, quas Orosius hoc anno in Africam reuersus retulisset; quam etiam occasione literarum ab Herote & Lazaro Episcopis Gallis aduersus eosdẽ hæreticos scriptarum,quas idem Orosius ad se missas,Africanis Episcopis dedit pariter inspiciendas. Cæterum in iisdem Conciliis damnatos esse Pelagium atq; Cælestium, constat tum ex Synodalib⁹ epistolis per Iulium Episcopum ad Innocẽtium Papam missis,quibus Actorum confirmationem petierunt;tum etiam ex aliis priuatis Aurelii,Alipii,Augustini,aliorumque Episcoporum nomine ad eumdem Pontificem scriptis,ac denique ex ipsius ad eos omnes responsionibus:quas cunctas reperire est apud eosdem Innocentium *b* & Augustinum *c*: licut & de iis scripsit etiã ad Paulinum Nolanum idem Augustinus *d*, inter alia docens ipsum Innocentium *ad omnia rescripsisse eodem modo,quo fas erat,atq; oportebat Apostolicæ Sedis Antistitem*: quod & alias esse repetit. Vt vel hinc videas, meram fuisse calumniam, quam cæterorum more hæreticorum Pelagiani,vt gloriarentur se primæ Sedis Episcopi communione fulciti,sparserant in vulgus de tacita eiusdem Innocentii cum Pelagio conniuentia, cuius fit mentio in prædictis Episcoporum priuatis ad ipsum literis *f*. Quam enim acerrimus Pelagianorum insectator fuerit Innocentius, abunde etiam docet S.Hieronymus *g*,dum Pelagii epistola pulsatam virginem Demetriadem monet,fidem tenere Innocentii Romani Pontificis. Laudatque insuper S.Prosper *h* ipsius integritatem in fide incorrupta seruanda:eiusdemque assertione liquet, sententia Innocentii damnatos fuisse Pelagium & Cælestium:quod & Gennadius *i* testatur. Sed in re non ambigua haud amplius immorandum.

Vt autem præsenti anno eadem Concilia Carthaginiense & Mileuitanum esse habita affirmemus,inde euidens supperit argumentum,quod ipsa Innocentii iisdem referentis epistola *k* data habeatur sexto Calendas Februarii anno proxime sequentis sub Consulatu Honorii & Constantii.Ex quibus eos corrigas,qui putarunt Mileuitanum contra Pelagium atque Cælestium,celebratum esse Arcadio & Honorio Augg. quintum Coss. anno Christi quadringentesimo secundo. Nam Mileuitanum illud longe diuersum ab isto est, vt suo loco vidimus; quo tempore nulla erat Pelagii vel Cælestii in Africanis Ecclesiis mentio.Sed accidit Collectorum incuria, vt ambo simul in vnum conflata fuerint. In cuius exordio præfixa habetur nota diei & Consulis,quæ est prioris,cui interfuit(vt vidimus) Aurelius Carthaginiensis Episcopus; & cætera quæ habentur vsque ad illa verba: *Ideoque pariter*; quæ vero sequuntur,

I. CONCILIA CARTHAGIN. ET MILEVITAN. ADVERSVS PELAGIVM. a Ep.Synod.Conc. Carthag. quæ est 90. ap. Aug.

b Innoc.ep. 31.32.33.34. Tom.1.opp. Rom.Pontif. c Aug.ep.90. 92.93.95. d Aug.ep. 106. e Id.ep.47. lib.1.contra Iul.cap.4. lib.2. de pec. orig.c.8.lib.1 Retract.c.30 CALVMNIA PELAGII IN PP. INNOCENT. f Ap. Aug. ep.95. g Hier.ep.8. h Prosper ad-uers.Collat. i Gennad.de Vir.illustr.c. 48.

II. k Innoc.ep. 32.

DVO MILLEVIT. CONCILIA IN VNVM CONFVSA.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

quuntur, huius de quo agimus sunt Mileuitani Concilii, vsque ad octauum canone: reliqui vero vsque ad finem, diuersorum esse apparent Africanorum Cõciliorum, quæ nisi quis accurate perspexerit, in ambages inextricabiles incidat necesse est. Porro adeo vehementi studio ad expugnandam Pelagianam hæresim incubuere Patres Africani, vt post eadem duo Concilia, Augustino qui Mileuitano interfuit, delegauerint opus, vt suis scriptis eam penitus insectaretur: quod ipse adeo accurate impleuit, vt cum in aliis scriptis alios superet, in tractatibus contra Pelagianos seipsum superasse noscatur. Quod denique in Epistola Carthaginiensis Concilii, septuaginta septem tantummodo recensiti habentur Episcopi, & in literis Mileuitani sexaginta & vnus; putamus haud omnes numeratos esse, cum S. Prosper *b* de iisdem Conciliis agens, à trecentis Episcopis ea definita fuisse scribat.

a Aug. ep. 110 AVGVSTIN. PRAEFICITVR SCRIPTIONI ADVERSVS PELAG.

b Prosper de ingrat.

III. OROSIVS PRIMV RELIQVIAS S. STEPHANI IN OCCIDENTEM TVLIT.

Post hæc autem Orosius, de quo nuper actum est, cum ex Oriente rediens, Luciani epistolam de Inuentione corporis S. Stephani Protomartyris, ab Auito quodam presbytero Hispano è Græco in Latinum conuersam, simulq; sacras eiusdem Sancti reliquias, ab eodem Auito *c* ad Balchonium Bracarensem Episcopum deferendas accepisset: hac occasione ipse primus omnium easdem literas, Reliquiasque, hoc anno in Occidentem intulit. Id enim Marcellinus *d* & Gennadius *e* disertè affirmant: Sanctique Augustini *f* testificatione certum est, ante hæc tempora numquam eiusmodi Reliquias visas vel auditas in Occidentalibus oris; præter vnum ex Lapidibus, quibus idem Protomartyr percussus occubuit, à nauta allatum Anconam ad mare Hadriaticum sitam Italiæ ciuitatem, vbi multa edita esse miracula. Hoc vero tempore acceperunt ex iisdem Reliquiis partem ab Orosio traditam, Augustinus, aliique nonnulli Episcopi Africani; quorum ipse memi-nit *g*, agens de variis Ecclesiis cum à se ipso Hippone, tum ab aliis alibi Episcopis in eiusdem Protomartyris memoriam erectis: quando & eatumdem virtute Reliquiarum, innumera, ac plane ingentia, edi contigit miracula sanitatum, septemque etiam mortuos reuocari ad vitam, aliosque à morte animæ (quod maius videri potest) ad gloriam sempiternam; vt de his omnibus locupletissimus est testis idem Augustinus *h*, qui incredibili eorum multitudine victus, cum multa recensuisset, excusans quod plura notissima prætermitteret, ait, si miracula tantummodo sanitatum, quæ per eumdem S. Martyrem facta essent in solis duabus ciuitatibus Hippone & Calama, scribere vellet, plurimos conficiendos fore libros, nec tamen omnia colligi posse.

c Ex. huius ad Balch. epist. in Act. Inuent. S. Steph.

d Marcell. in Chron.

e Gennad. de Vir. Ill. c. 47.

f Aug. de diuers. Ser. 51. 52.

g Idem 22. de Ciuit. 8. MIRACVLA AD EAS.

h d. c. 8. & ser. 32. 33.

IV. Extant *i* insuper duo libri ad Euodium Episcopũ Vzalensem, cuius est ibidem apud Augustinum honorifica mentio, conscripti. (ad eum enim cõscriptos, non ab ipso, quomodo vulgo citantur, accuratus lector *k* inueniet) de Miraculis in Vzalensi Memoria B. Stephani, ad Reliquias eiusdem fieri solitis. In quibus item libris permulta alia suppetunt memoria digna vetera monumenta, de quibus etiam tractati contigit aliis occasionibus superius; puta de *Cereo* ad memorias Martyrum accendi solitis; de *Puluere* adiacente locis vbi sacræ Reliquiæ conderentur, colligi solito ad sanandos languores; de *Fenestella* fieri consuetis ad altaria, vbi eædem Reliquiæ seruarentur, vt per eas dimitterentur velamina, aliæve res admouendæ capsulis, in quibus sacra pignora clauderentur, per quas Deus ex virtute sacrarum Reliquiarum operari soleret miracula: de *Oleo* sanctificato ad curationem morborum; de vsu sacratum *Imaginum* diuinitus comprobato, & aliis eiusmodi. Estque pariter obseruatione dignum, vocem *Domnus* & *Domna* ab eorumdem librorum auctore frequentius repeti tributam clarissimis viris ac fœminis, necnon etiam Sanctis, vt ipsi Protomartyri, qui sæpe *Domnus Stephanus* nuncupatur; cum vero de Deo dicendum est, ipsum *Dominum* ponit: vt appareat antiquo vsu loquendi, vocem *Dominum* tribui soliram Deo tantum; *Domnum* vero communem fuisse Sanctis, vel clarissimis viris ac fœminis, non Episcopis solum vel cæteris clericis, vt alii putauerunt; quamuis nec idipsum semper vbique & ab omnibus obseruatum.

i Ap. Aug. Tom. 10

k Euod. de Miracul. S. Steph. lib. 1. cap. 1. & 7.

DE NOMINIB. DOMNI ET DOMNÆ.

Cæterum qui Reliquias S. Stephani perlaturus in Hispaniam Orosius acceperat, cum licuit illuc reuerti, munus expleſſe suum, certum est. De quo etiam constat, nauigatione appulisse in Minoricam Insulam, vnam ex Balearibus, eiusque Episcopo Seuero ex eis partem aliquam reliquisse: quarum virtute facta est in eadem Insula, cum signis & prodigiis, quingentorum & quadraginta Iudæorũ intra octiduum ad fidem Christi conuersio; sicut rem gestam vniuerso Orbi Christiano idem Seuerus Episcopus notam fecit literis suis Circulatibus *a*, quas inter alios accepisse prædictum Euodium Vzalensem, & publice in Ecclesia recitare fecisse, traditur in iisdem libris *b* ad ipsum scriptis. Vt plane Dei consilio factum appareat, quod tepescente per Orbem Christiana fide, vnius Christiani ante quadringentos ferme annos vita functi, tenuis pulvis & ossa tot tantaque præstarent, vt ea sola satis efficacia esse potuissent, non tantum ad titubantes consolidandos, sed & infideles omnes ad Christianam religionem, reluctantes licet, omnino pertrahendos. Et ex his perspicias, quanto Hagiomachi nostri temporis sint quorumuis Infidelium miserrimi & obstinatissimi, qui tot ac tantis miraculis, à tot ac tantis viris, ad Gentiles & Iudæos confundendos publicis scriptis omni fide traditis, nec mouentur, nec credunt.

V. CONVERSIO IVDÆORVM MINORIC. EX MIRACVLIS RELIQVIARVM S. STEPHANI.

De qua Baron. ann. 418 Conside i ser. ep. an. inf. n. 2 Ric. illum Baron. ad ann. 418 ex Cod. Valic.

b Euod. vbi supra lib. 1. c. 1. 2.

Hoc item anno mortuus est Ioannes Episcopus Hierosolymitanus, cum sedisset annos triginta. In cuius locũ (vt testatur Theodoretus *c*) subrogatus est *Praylius*, cuius extat literæ anno sequenti ad Romanum Pontificem datæ. Ex quibus corrigas Nicephori Chronicon, vbi loco Praylii legitur *Paulinus* Ioannis successor: vel alios emendes, qui pro Praylio dixerunt *Cyrillum*, qui iam ante Ioannem sederat.

VI. IOANNIS HIEROSOL. OBITVS.

c Theod. lib. 5. cap. 37.

IESV CHRISTI ANN. 417.

ZOSIMI ANN. 1.

HONORII 23. THEOD. II. 10.

ANNO Christi quadringentesimo decimo septimo, Honorio Aug. vndecimum, & Flauio Constantio secundum Coss. Pelagius hæresiarcha cum audisset non esse receptam ab Innocentio Romano Pontifice purgationẽ suam habitam in Concilio Diospolitano, sed priori apud eum attractum teneri damnatione; eumdem quoque fallere in animo habens, literas ad illum è Palæstina dedit, quibus profiteretur se esse vere Catholicum: quarũ S. Augustinus aliqua fragmenta recitat in libris de Peccato Originali & de Gratia Christi; docetque datas quidem ad Innocentium missas fuisse, acceptas autem, eo tunc defuncto, ab eius successore Zosimo.

I. PELAGIVS DOLOSE PVRGARE SE STVDET APVD INNOC. PP.

d Augustin. de pecc. orig. c. 17. & 21. de grat. Christi lib. 1. cap. 10.

Hoc namque ipso anno, quinto Calendas Augusti, idem *S. Innocentius* Pontifex diem obiit, cum sedisset annos quindecim, mensem vnum, & dies decem: sepultusque est in cœmeterio Priscillæ ad Vrsum pileatũ. Licet enim quidam eum superiori anno defunctum tradant; ad hunc tamen annum peruenisse, docent literæ *f* eius sub huius anni Coss. datæ ad Concilium Mileuitanum sexto Calendas Februarii, quarum anno superiori facta est mentio; quib' accedit Marcellini Comitis auctoritas, dum collocat sub iisdem Coss. Zosimum Innocentio subrogatum: exantiq; insuper aliæ eiusdem Zosimi literæ hoc ipso anno (vt videbitur) scriptæ; vt nec post hunc annum vixisse Innocentium dicere possis. Traditur autem in Libro de Roman. Pontif. eumdem fecisse Constitutum de omni Ecclesia, & de Regulis monasteriorũ, & de Iudæis ac Paganis. Quod vero dicitur *Constitutum de omni Ecclesia*, idem est, ac decretum ad vniuersalem Ecclesiam spectans; illudque ipsum putamus, cuius meminit Gennadius *g*, dum ait, Innocentium scripsisse decretum Occidentalium Ecclesiarum & Orientalium aduersus Pelagianos; quod postea successor eius Zosimus Latinis promulgauit. Eodem quoq; Libro, inter

II. INNOCENTII P. OBITVS.

e Lib. de Rom. Pont. & Mart. Rom. 12. die. Innoc. ep. 31.

g Gennad. de Vir. ill. c. 43

alia

alia ipsius gesta legitur, eum damnantem hæreticos Pelagium & Cælestium, constituisse vt qui natus fuerit de Christiana, denuo nasci debeat per baptismum; quod (vt ibi asseritur) Pelagius damnabat. Verum hæc perperam dicta videri possint, si ipsum Pelagium auscultemus, qui (vt refert Augustinus *a*) suis ad Innocentium scriptis litteris conquestus est de eiusmodi in se calumnia. Quamobrem quod ibi dicitur, negasse Pelagium baptismum infantium, sic accipiendum est, quod si non verbis, re ipsa tamen damnasse videri poterat, dum peccatum negaret Originale, cuius causa necessarium infantib⁹ baptismum esse semper Ecclesia tenuit, & Innocentius decreto firmauit. Sicut & illud quod eodem libro subiicitur, Innocentium constituisse vt Sabbato ieiunium celebraretur; haud sic accipiendum est, vt ipse eius ieiunii auctor fuerit, sed quod de his rescripserit ad Decentium Episcopum Eugubinum, qui ieiunii Sabbati causam edoceri expetierat. Sed de eo ieiunio dictum alias fusius.

a August. vbi supra. QUOMODO DICENDVS PELAG. DAMNASSE BAPTISM. PARVVL.

III. ZOSIMVS PAPA CREATVR.

Post Innocentii porro obitum interlapsis diebus viginti, ZOSIMVS natione Græcus, Abrahami filius, subrogatus est die decimanona mensis Augusti. Cuius sedis exortus odio, Cælestius Pelagii antesignanus, (quem tamquam nouæ hæresis promulgatorem, iam diu ante damnatum ab Episcopis Africanis in Concilio Carthaginiensi, appellasse vidimus Sedem Apostolicam;) Innocentio sibi aduersante defuncto, Romam ad successorem illius Zosimum se contulit, aduersus accusatores querelas illaturus. Quod vero non ignoraret, & ab ipso Zosimo se fore damnandū, si qualis esset deregeretur hæreticus; ea arte concinnauit scriptum à se libellum, vt licet in eo satis indicaret se negare peccatum Originale, non posset tamen à Zosimo reiiri peccatum qui post enarratam de fide sententiam, eiusmodi apponeret verba: *Si forte (vt hominibus) quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.* At vero adiecit prudenter Zosimus, ad explorandam hominis fidem, interrogare eum quam exactissime, an assentiretur Epistolæ aduersus errores Pelagii ab Innocentio scriptæ: quod cum ille professus esset, tunc lenius quidem cum eo spe conuersionis ipsius agens, minime tamen adhuc à vinculis excōmunicationis soluendum existimauit; sed ex abundanti in Africam scripsit, vt si quid haberent contra eum, Romam mitterent. Hæc enim omnia ita se habuisse, constat ex diuersis S. Augustini scriptis *b*: qui & ipse Zosimū excusans, docet haud eum errasse, dum scripsit illum Cælestii libellum esse Catholicum. Extantq; in veteri codice Vaticano literæ *c* ipsæ eiusdem Zosimi ad Episcopos Africanos sub huius anni Coss. scriptæ; atque aliæ æque ad eosdem datæ vndecimo Calendas Octobris in causa Pelagii. Qui enim eadem erant fuligine tincti, eadem ambo vsi sunt ad falliēdam Sedem Apostolicam arte; dum sicut Cælestius, ita Pelagius in litteris, quas datas diximus ad Innocentium, & eo defuncto acceptas à Zosimo, nihil magis conatus est, quam ab ipso Romano Pontifice videri atq; probari Catholicus: addens & ipse in fine libelli *d* confessionis fidei eidem oblati, hæc verba: *Hæc est fides quam semper tenuimus; in qua si minus perite, aut parum caute aliquid forte positum est; emendari cupimus à te, qui Petri & fidem & sedem tenes.* Quibus persuasus Zosimus, sicut fecerat de Cælestio, ita etiam de Pelagio iam Catholico (vt videri poterat) reddito, dedit literas ad eosdem Episcopos Africæ, quibus illum Catholicum, eius vero accusatores, ac præcipue Herotem atque Lazarum Episcopos Gallos, calumniatores, & multorum atrocium criminum reos declarat; sicut illos iidem impii hęretici mendaciter depinxerant. Quomodo vero vtriusque, Pelagii ac Cælestii, detecta postea fraus, ab eodem Zosimo damnata fuerit, dicetur anno sequenti.

QUOMODO SE GESSERIT IN CAVSA CÆLESTII ET PELAGII.

b Augustin. de pecc. orig. c. 6. 7. 8. & lib. 2. cont. ep. Pelag. cap. 3. & lib. 6. contra Iulian. Pelag. c. 12.

c Rec. Baron. vt & subsequentes, Annal. Tom. V. hoc ann. ex Cod. Vatic.

d Rec. hunc libellum Baron. vbi supra, ex Cod. eod.

IV. DE PRIVILEGIIS ECCLES. ARELAT.

Extant præterea eiusdem Zosimi Papæ hoc ipso anno datæ ad vniuersos Galliarum Episcopos litteræ, de priuilegiis Ecclesiæ Arelatensis conseruandis: quæ tamen in edita nuper à Ioanne à Bosco monacho Cælestino Bibliotheca Floriacensi, recitantur iisdem verbis Siluestri Papæ nomine; in fine additis nonnullis, quæ faueant Ecclesiæ Viennensi. At vero eas potius Zosimi esse, hac saltem ratione persuademur, quod tunc temporis sub Siluestro nō Paschasius, cuius fit in eis mentio, Viennensi præesset Ecclesiæ, sicut nec Claudius quē vult Ado; sed Verus, vt constat ex Actis Concilii Arelatensis Secundi celebrati sub ipso Papa Siluestro. Cæterum quod Euāgelium in Gallias per S. Petri Apostoli discipulum S. Trophimum allatum fuerit, & per eumdem sedes Arelatensis erecta; ea de causa hæc Ecclesia primaria olim in Gallia habita est, cū & eius Episcopi non solum pallium acciperent à Romano Pontifice, sed & vicem eius agerent, eiusdemque Vicarii dicerentur. Testantur id plures epistolæ Romanorum Pontificum, ex eiusdem Ecclesiæ scripto antiquitus codice acceptæ, omni fide conscriptæ *a*: idque ipsum confirmat S. Gregorius Papa in suis epistolis *b* ad Virgilium Episcopum Arelatensem, & ad vniuersos Episcopos Galliæ. Sic igitur Zosimus ea epistola iussit, vt nullus Episcopus, presbyter, aliusve clericus, ex qualibet Galliarum parte siue Romā, siue in aliam quamlibet prouinciam proficisceretur, absq; litteris Formatis Arelatensis Metropolitani: addiditque, vt sublatæ ab eadē Ecclesia prouinciæ Viennensis, & Narbonenses Prima & Secunda, eidem rursus subiacerent. Quo pacto irritum reddidit, quod in Concilio Taurinensi ante viginti prope annos statutum fuerat, vt Narbonensis Secunda subesset Episcopo Massilienſi.

a Recitat has, aliasq; plures eodem argumento epist. Zosimi, Baron. Ann. Tom. V. hoc ann. & seq. ex Cod. Arelat.

b Greg. 4. ep. 51. 52.

V. ECCLES. VIENNENS. RESISTIT ARELATENSI.

Verum post hæc Zosimum, de iuribus Ecclesiæ Viennensis per Legatos admonitum, reuocasse sententiam suam aduersus eam datam, donec plenior de causa cognitio haberetur; docet alia eiusdem epistola *c* ad Simpliciū Viennensem Archiepiscopum. Et qui Zosimo successit Bonifacius Papa, scribens ad Hilarium Episcopum Narbonensem, ex auctoritate Concilii Nicæni iussit eius prouinciæ Metropolim integre conseruari, neq; ad Arelatensis Antistitis iura pertinere: In cuius pariter sententiam successor Bonifacii Cælestinus *e* abiit; necnon post multum tempus S. Leo, ac cæteri fere Romani Pontifices, cum eiusmodi controuersia sæpe sopita, iterum in iudicium reuocata est: vt constat cum ex aliis, tum præcipue ex plurimis eorumdem Pontificum ea de re scriptis litteris, quæ habentur *e* in dictis codice Arelatensi & Bibliotheca Floria censi.

c Ext. in Biblioth. Floriac. part. vlt.

d Celest. ep. 2 cap. 4.

e Rec. Baron. Annal. To. V. VI. & seq. secundum tempora, quibus ea scripta sunt à Roman. Pontificib.

VI. ERROR LAPSVS DE PASCHATIS DIE.

Hoc eodem anno, vt Pascha non suo legitimo die celebraretur, errore supputationis factum est. At diuino miraculo compertum esse errorem, vt non fuerit Deus quicquam in Ecclesia perperam agi, narrat Paschasius Episcopus Lilybæi in epistola, quam postea dedit ad S. Leonem *f* Romanum Pontificem: vbi ait, cum in ecclesia quadam baptisterium nocte Paschali ex se repleri soleret, & baptizatis qui se offerebant, vt aqua venerat ita ex sese dilaberetur; hoc præsenti anno cum die qua perperam Pascha celebrari iussum erat, nempe octauo Calend. Aprilis, nulla aqua veniret, errorem esse cognitum, quia multis post diebus, videlicet decimo Calendas Maii, cum re vera Paschalis dies accessisset, fons sacer ex solito repletus est. Porro alia quoque eiusmodi Fontium baptismalium, diebus Paschalibus sponte repleri solitorum, miracula variis Occidentis Orientisque locis exhibita, videre licet apud Cassiodorum *g*, Gregorium *h* Turonensem, & in Prato *i* Spirituali; vt plane insanire deprehendantur Nouatores, dū baptismalis aquæ benedictionem deridet, quam tanto miraculo annis singulis repetito Deus voluit in Ecclesia Catholica, vt sibi perplacitā consignari; immo & aliis miraculis *k*, ab incredulorum irrisionibus vindicari.

f Ap. S. Leon. ep. 65.

MIRACVLA DE FONTIB. BAPTISM.

g Cassiod. 8. ep. 33.

h Greg. Tur. lib. 1. de glor. Mart. c. 24.

i Prat. Spir. cap. 214 215.

k Vide Greg. Turon. ibid.

IESV CHRISTI ANN. 418.

ZOSIMI ANN. 2.

HONORII 24. THEOD. II. 11.

ANNO Domini quadringentesimo decimo octauo, Honorio duodecimū & Theodosio octauum Augg. Coss. CONCILIO (inquit Prosper in Chronico) apud *Carthaginem* habito ducentorum septemdecim Episcoporū, (siue, vt apud eumdem alibi *l* de his agentem legitur, du-

I. CONCIL. CARTHAG. IN CAVSA PELAG. ET CÆLEST. *l Prosper ad aduers. Collat.*

centorum

centorum quatuordecim) ad Pontificem Zosimum Synodalia decreta perlata sunt: quibus probatis, per totũ mundum hæresis Pelagiana damnata est. Hæc ille breuiter. Sed quoniam eodem tempore, Romæ iterum cognoscebatur causa Pelagii atque Cælestii; de his pariter nobis agendum est.

II.

Quod igitur litteris anni superioris, Zosimus Papa Africanis Episcopis significauerat, instaurandum fore Romæ iudicium in causa Cælestii, qui ab eis olim damnatus

SEQVITVR DECRETVM INNOC. PP.

recurrerat ad Apostolicam Sedem; ipsi quidem Episcopi Africani, qui conuenerunt Carthaginem, quamuis subinfenso ferentes animo, admisisse Zosimum ad audientiam Cælestium, quem hæresis infamabat: tamen rem ipsam nauiter agentes, non solum litteras ad eumdem Zosimum scripsere aduersus Pelagium & Cælestium, quibus imprimis professi sunt se Innocentii Papæ amplecti decretum, quod anno superiori diximus promulgatum; verum & libellum misere Paulini diaconi (quem in alia Synodo Carthaginiensi aduersatum esse Cælestio vidimus) contra eũdem Cælestium, quo capita omnia cõtinebantur, de quibus foret interrogandus. Quæ ipsi Cælestio Romæ ostensa cum is omnino subterfugisset damnare, idem Zosimi quoque sententia demum damnatus est. Hæc quidem omnia manifesta fiunt, cum ex Zosimi ad Africanos reddita epistola *a*, qua ostendit se quicquid ea in re egisset, rite, & auctoritate Sedis suæ fecisse; tum ex Prospero aduersus collatorem, & ex Augustini *b* diuersis scriptis; ac demum ex secundo Paulini libello *c*, oblato Zosimo pro gratiarum actione de eiusdem Cælestii ab ipso facta condemnatione. Nec vero ipsum dumtaxat, sed & Pelagium ab eodem Pontifice damnatum esse, litterasque ea de re ad vniuersas Ecclesias missas, testantur iidem Augustinus *d* & Prosper *e*, necnon Cælestinus *f* Papa, Gennadius *g*, atque Possidius *h*. Easdem vero Sedis Apostolicæ litteras mox consecutum est Honorii Imp. rescriptum *i* ad Palladium Præfectum Prætorio, datum pridie Calendas Maii sub iisdem huius anni Coss. aduersus eosdem hæresiarchas, ipsorumque sectatores, quo exilii pœnam eis omnibus irrogauit: quod quidem testificatione Possidii *k* constat latum fuisse postquam iidem Romæ damnati essent. Post hæc autem, Calendas Maii facta est editio canonum prædicti Concilii Carthaginiensis hoc anno celebrati; repetitaque ibidem decreta Synodi Mileuitanæ aduersus hæresim Pelagianã.

Porro qui primus aduersus eosdem hæreticos, postquam Zosimi sententia damnati sunt, palam inclamauit anathema, fuit *Sixtus* Romanus presbyter, qui postea Pontifex Cælestino successit; quod S. Augustinus *l* in epistola ad ipsum reddita, ea de causa factum ab eo docet, vt dilueret calumniam, quam iidem more suo mentientes sparsissent, quod ille ipsis faueret. Eumdemque ad sui purgationem adiecisse, vt aduersus eos commentarium scripserit, idem Augustinus *m* testatur. Cum enim iam vbique locorum contra illos anathema inclamaretur; qui in errore obstinatius perstitere, non habentes quid detecti facerent, ad calumnias concinnandas stylum exacuerunt. Præstititque id imprimis Iulianus Episcopus Capuanus, qui inter alia de quibus dicetur anno sequenti, cum Zosimum, Romanumque Clerum, tum Augustinum prævaricationis accusare non erubuit, quasi ipsi olim cum Pelagio sensissent, ac postea sententiam mutassent: cuius impudentiam Augustinus retudit. Iidemque non contenti calumniis agere, eo audaciæ progressi sunt, vt in Catholicos insilierint; nec modo in humilis conditionis viros, sed etiam in primarios; quandoquidem hoc tempore (vt habet Prosper in Chronico) Constantius ex Vicario Romæ habitans, & pro Gratia Dei Pelagianis resistens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum sanctis Confessoribus sociarunt.

III.

SIXTVS PRESB. ROMAN. VALIDE AGIT ADVERSVS PELAG.

IVLIANI PELAG. CALVMNIÆ IN ZOSIM. PP. ET AVGVST.

At vero S. Augustinus, qui contra illam hæresim (vt ait Possidius) decem annos infatigabili studio laborauit, hoc præsenti anno, nempe post illam Romæ damnatam, (sicut ipse *n* testatur) duos scripsit libros, vnum *De Gratia Christi*, alterum *De Peccato Originali*, ambosque ad Albinum, (siue legeris, Albinam) Pinianum, & Melaniam Iuniorem, sibi olim in Africa notos *o*, tunc vero Hierosolymis degentes, vt vbi Pelagius de sua purgatione securus sedem constituerat, quo maiori facilitate hæresi sua Orbem inficeret, (illuc enim, religionis ergo, Christiani vndique frequenti cœtu concurrere consueuerant) ibi ad salutem omnium paratum aduersus venena distraheretur antidotum: atque eo maxime quod iidem Albinus ac socii scripsissent *a* ad Augustinum, se egisse cum Pelagio vt quæcumque aduersus eum dicerentur scripto damnaret. Quapropter eas misit ipse ad illos lucubrationes, vt ostenderet impii hæresiarchæ fallacias. Idemque qui adeo aduersus Pelagianos pugnauit, aliud quoque plane contrarium certamen iniit aduersus eos qui negantes penitus Liberum Arbitrium, omnia Dei gratiæ tribuebant. Erant hi ex monasterio Adrumetino; qui (inquit ipse Augustinus) quod grauius est, negabant in die Iudicii Deum esse redditurum præmia secũdum opera hominum. Contra vero alii sic defendebant Liberum arbitrium, vt negarent Dei Gratiam, asserentes eam secundum merita nostra dari. Ad vtramque igitur partem cõfutandam, duos commentarios scripsit ad eosdem monachos; alterũ *De Gratia & Libero arbitrio*, alterum *De Correctione & Gratia*.

a Id. de grat. Christ. lib. 1. c. 1.

ET PRO LIBER. ARB. ET GRAT.

IV.

a Rec. Bar. hoc ann. ex eod. Vatic.
b August. de pecc. orig. c. 3. & 6. & lib. 2. cont. ep. Pelag. cap. 3.
c Rec. Bar. ex eod. cod.
d Id. de pecc. orig. cap. 8. & 22. & ep. 157.
e Prosp. cont. Collat.
f Cælest. ep. ad Epis. Gall.
g Gennad. de Eccle. dogm.
h Possid. in Vit. Augustl.
i Rec. Baron. Annal. To. V. hoc an. ex Bibl. monasterij S. Vedasti Atrebat.
k Possid. ibid. cap. 18.

Hoc item anno, qui primus est post Consulatum Honorii vndecimum & Constantii secundum, sexto Calend. Martias celebratum habetur CONCILIVM TELEPTENSE, non (vt mendose legitur) Telense. Erat enim *Telepte* prima sedes prouinciæ Byzacenæ in Africa, cuius erat Episcopus Donatianus, qui et Concilio præfuisse legitur; eumdemque inuenies subscripsisse Concilio Mileuitano, necnon Carthaginiensi præsenti anno celebrato. In hoc autem Teleptensi nihil præterea factum reperitur, nisi quod ad cautæ, de qua controuersia vertebat, definitionem, iussa est recitari decretalis epistola Sirici Romani Pontificis ad Africanos Episcopos data: sicut & aliis Conciliis, primo loco legi consueuisse litteras ab eadem suprema Sede missas, ibidem testatum fuit.

V.

CONCIL. TELEPTEN SE.

Hoc insuper anno, à Papa Zosimo iniuncta est legatio ob quasdam Ecclesiasticas necessitates, S. Augustino, & aliis Episcopis, in Cæsaream Mauritaniæ: qua eidem Augustino *b* contigit habere cum Emerito eius vrbis Episcopo Donatista, coram Episcopis prouinciæ & plebe ciuitatis, disputationem de religione, eumdemque mutum reddere: cuius extant Acta integra, consignata huius anni Coll. duodecimo Calendas Octobris. Sed & eadem ciuitate idem Augustinus monitionibus suis (vt *c* ipse ait) de cordibus & moribus ciuium auulsit crudeles atque inueteratas pugnas ciuiles, vel potius plusquam ciuiles, quas *Caterua* nominabant; quibus non ciues tantum, sed & propinqui & fratres, postremo parentes ipsi ac filii, lapidibus inter se, in duas partes diuisi, per aliquot dies continuos certo tempore anni solemniter dimicabant, & quisque vt quemque poterat occidebat. Irrepserant & alii ex Gentilium ritu in Africanam Ecclesiam praui vsus, quos idem Sanctus verbi Dei falce succidit *d*: puta *Balationes* (vt vocat) & saltationes ante basilicas in festis Sanctorum exerceri solitas; Lunæ per clamorem reuocationes quãdo obscuratur; Votorum redditiones ad fontes & arbores; sortilegorum & diuinatorum inquisitiones; Phylacteriorum & characterum diabolicorum, herbarumque atque succorum aliquibus corporis partibus appensiones; diei Iouis obseruationes; & in festis SS. Martyrum vsum citharæ, conuiuia, atque choreas; aliaque eiusmodi. Infectatusque est pariter eos qui negligenter audirent Missas, vel recederent antequam absolueretur, aut sermones in Ecclesia miscerent; ac denique propter gulam & auaritiam suam, cogerent presbyteros abbreuiare Missas, & ad eorum libitũ cantare. In quo obserues morem pristinum canendi omnes Missas: & consideres vnde introductum sit, vt eædem etiam voce submissa dicantur. Sed de his hactenus.

VI.

b Id. ep. 157. ad Opt. & c. Retract. 31. Possid. in Vit. Aug. cap. 14.
c August. de gest. cum Emer.
d Idem de doct. Chr. 24.
AVGVST. CORRIGIT MVLTOS PRAVOS VSVS ECCLES. AFRIC.
e Aug. de temp. ser. 225. de diuers. serm. 25. de S. Cypr. ser. 5.

Hoc insuper anno Zosimus Papa ad Gallos, Hispanos, & Afros, Decretalem dedit Epistolam, aduersus eos qui ad sacerdotium confestim proruunt, absque alia præuia ministratione in singulis minorib⁹ ordinibus, definiens quãtum temporis in quolibet ordine quis debeat ministrare. Non extat illa quidem epistola, sed eadem reperiuntur in alia eiusdem argumenti hoc eodem anno ad Hesychium

ABBREVIATIO MISSARVM VNDE.

VII.

ZOSIMI PP. DECRETVM DE TEMPORE MINISTERII ORDIN.

Episcopum

Episcopum Salonitanum scripta. Idemque hoc ipso anno tres legatos à Latere misit Carthaginem, ob dissensionem quamdam ortam de prosecutione Appellationum ad Sedem Apostolicam. Sed quoniam inter hæc contigit ipsum mori, quid in ea causa gestum sit, dicetur anno sequenti sub eius successore.

VIII. ZOSIMI PAPÆ OBITVS.

Ad calcem enim huius anni, nempe septimo Calend. Ianuarii, idem *S. Zosimus* Papa diem obiit, cum sedisset annum vnum, menses quatuor, & dies septem: sepultusque est via Tiburtina apud corpus S. Laurentii martyris, vt apparet ex Libro de Romanis Pontificibus. Eum enim haud post præsentem annum fuisse sub[illegible]em, tum Acta Concilii Carthaginiensis anno sequenti celebrati sub Bonifacio Zosimi successore, tum eiusdem Bonifacii epistola eodem anno data satis manifeste declarat. quamobrem certum est errare eos, qui Zosimi sedi tribuunt tres annos, eumque non ante sequentem annum decessisse volunt: cum & in eodem Libro de Romanis Pontificibus, ipsum nonnisi annum sedisse, & menses duos ac dies vndecim, legatur; quamuis & ibi errorem in tempore inesse, quæ dicta sunt de obitu Innocentii demonstrent. Sed quod ibidem dicitur, eum concessisse licentiam per parochias benedicendi *Cereum Paschalem*; haud intelligas, primo inuentum esse à Zosimo eius vsum; sed tantum concessisse, vt idem cereus, qui in maioribus dumtaxat basilicis incendi soleret, æque singulis parochiis permitteretur. Etenim antiquiorem fuisse in Ecclesia, Paschalis cerei benedictionem, & symbolicum sacramentum, docet Prudentius, qui de eo hymnum cecinit.

CEREI PASCHALIS ANTIQVVS VSVS.

IX. BONIFACII CREATIO, ET EVLALII SCHISMA. a *Rer. Baron. Ann. Tom. V. hoc ann.* [Cæterum fuit hic Symmachi dictus & *Flavianus Memmius Symmachus*, filius Q. Aurelii Symmachi, illius quem sæpe pro Ara Victoriæ decertasse vidimus.]

Mortuo itaque Zosimo, vna tantum die sedes vacauit, non autem vndecim, vt aliqui dixerunt: nam litteræ Symmachi Vrbis Præfecti ad Honorium Imp. de BONIFACII electione, datæ hoc anno quarto Calend. Ianuarii, id satis euidenter demonstrant. Extant ipsæ *a* in Codice Vaticano, vna cum aliis secundum ordinem temporis vltro citroque datis de sedanda dissensione in clero obortæ: cuius pars minor, facto schismate, elegit *Eulalium* Archidiaconum, contra *Bonifacium* presbyterum. Porro ex Symmachi litteris satis apparet, ipsum fauisse Eulalio; dum non solum potiora fuisse iura Eulalii, quam Bonifacii, sed tamquam res in aperto esset, eumdem Eulalium legitimum esse Romanum Pontificem, Bonifacium vero ipurium, Honorio significauit. Quæ autem ista secuta fuerint, dicetur postea.

X. PLACIDIVS VALENTINIANVS NASCITVR. b *Zosim. l. 9. cap. 16.*

Hoc eodem anno iisdemque Coss. sexto Nonas Iulii (vt Marcellinus habet in Chronico) natus est *Placidius Valentinianus* ex Gallia Placidia sorore Honorii Imp. & Constantio Cæs. viro eius. Nam cuius potissimum virtute, eiusdem Constantii Magistri militiæ, idem Honorius tyrannos debellauerat; ipsum præmii loco (inquit Sozomenus *b*) tum sorore, tum corona, tum purpura, tum Imperii consortio honorauit.

XI. DE IVDÆIS. c *Supra ann. 416. num. V. & l. 24. C. Th. de Iudæ.*

Hoc etiam anno contigit conuersio Iudæorum insulæ Minoricensis, virtute sacratum Reliquiarum S. Stephani Protomartyris, de qua dictum est alia occasione superius. *c* Ea vero quam citissime per vniuersum Christianum orbem vulgata, Honorius Imp. legem *d* tulit, qua Iudæos vetuit honoribus & magistratibus fungi, militiæque cingulo exui iussit: tatus nimirum, exemplo Minoricensium, conuersionem ipsorum eiusmodi vexatione esse tentandam. Acciditque & illud, vt quod ea cœpisset in Minorica, incensione Synagogarum ipsorum, similiter & alibi populi Christiani Iudæorum conuersionem iisdem incœdiorum initiis auspicarentur. Tolerabilis enim visa est Magistratibus, eiusmodi ex pietate prouenientis vis illata. Sed cum nec ob id Iudæi conuerterentur, iidemque apud Imperatorem conquererentur, post annos demum quatuor, pluribus edictis *e* Imperatores Synagogarum prohibuerunt incensiones, & bonorum deprædationes; vetantes tamen, vllas amplius extrui. Cæterum quod non idem est consecutus euentus, plane mouit, non synagogarum conflagratione, sed Protomartyris virtute Minoricenses Iudæos ad fidem esse conuersos.

e l. 25. 26. 27. eod.

IESV CHRISTI ANN. 419.

BONIFACII ANN. I.

HONORII 25. THEOD. II. 12.

I. QVID IN CAVSA SCHISMATIS ECCL. ROM. ACTVM AB HONORIO IMP.

ANNO Christi quadringentesimo decimo nono, Monaxio & Plinta Coss. cum Eulalius schismaticus, fauore Symmachi Vrbis Præfecti (vt nuper dictum) extolleretur, Bonifacius legitimus Romanæ Ecclesiæ Pontifex vehementer depressus est, coactusque deserere S. Petri basilicam, & cum suis extra Vrbem ad S. Pauli secedere. Cum & Honorius Imp. mendaci Symmachi relatione cõmotus, tertio Nonas Ianuarii rescriptum Rauennæ ad illũ dedit, vt Bonifacium, si Eulalio cedere nollet, Vrbe pelleret: cuius virtute rescripti, Eulalius in S. Petri Basilicam intrusus est. Qui autem erant ex Bonifacii parte, quod sciret Imperatorem falsis præuentum esse relationibus, litteris ad eum scriptis res gestas certa fide narrarũt: nimirum Bonifacium veterem presbyterum, in lege doctissimum, ac bonis moribus comprobatum, inuitum ac reluctantem, acclamatione totius populi, ac consensu optimatum ciuitatis, à septuaginta presbyteris, & nouem diuersarum prouinciarum Episcopis, diuinæ institutionis ordine consecratum fuisse: Eulalium vero Archidiaconum, circumuectis diaconis, & paucissimis presbyteris, ac multitudine turbarę plebis, in locum sibi non debitũ, incustodito religionis ordine, per ambitum prorupisse. Petieruntq; vt Honorius vtraq; parte ad se vocata, de alterutrius iure decerneret. Consensit Honorius, ac iussis Rauennam accedere Bonifacio & Eulalio; tamen q; nosset Imperator maximi pi, res Ecclesiasticas ab Ecclesiasticis viris esse tractandas, plures in eãdem ciuitatem conuenire iussit Episcopos de ea re iudicaturos. Cum autem inter eos, propter dissentientes sententias, non potuisset tunc causa terminari; Imperator eam differens, interim propter dies qui immine bant S. Paschæ, vtrosque Bonifacium & Eulalium ab Vrbe iussit abstinere, & Spoletinum Episcopum Achilleum Romæ sacra mysteria celebrarę; datis ea de re litteris ad eumdem Antistitem, necnon ad Symmachum, & ad Senatum Populumq; Romanum, Idibus Martii. Quo tempore Bonifacius ad S. Agnetis, basilicam, Eulalius Antium secessit.

Ex altera vero parte pleniorem Synodum ad diriment dam totam causam idem Imp. conuocare constituens, aliis litteris non Italos tantum Episcopos, sed & Africanos, & Gallos, ad Idus Iunii Spoletum conuenire mandauit. Sed vt indicta Synodus fuerit intermissa, Eulalii fecit temeritas; iustoque accidit Dei iudicio, vt ipse suis operibus, absque tot Patrum fatigatione, in semetipsum sententiam suę repulsionis licet nolens proferret. Cum enim contra decretum Imperatoris se in Vrbem intrusisset, & publicæ seditionis præbuisset occasionẽ, qua & ipse Præfectus Symmachus periclitatus est; Honorius ea re commotus, eidem Symmacho per rescriptum octauo Calendas Aprilis iussit, vt Eulalium Vrbe pelleret, clericosque qui post eius rescripti publicationem ei communicare præsumerent, eadem mulctaret pœna; laicos vero honestiores proscriptione, seruos capite puniret. Eulalio itaque, licet pertinaciter renitente, (quod Symmachus Imperatori significauit) Vrbe pulso; aliud mox, nempe tertio Nonas Aprilis, ad eũdem Symmachum Honorius rescriptum dedit, vt Bonifacius in Vrbem deduceretur, Ecclesiamque Romanam tãquam verus & legitimus pastor regeret. Quod cum maxima, tam Cleri, quam Senatus Populique Romani consensione factum esse, Symmachus retulisset; Imperator pacata cuncta sedataque cernens, confestim ne Episcopi Africani & Galli ad indictam Synodum venire fatigarentur, rescripsit septimo Idus Aprilis.

Bonifacius autem regressus in Vrbem, illud imprimis cosolicita cura efficere conatus est, vt omnes in mutuam cõcordiam restitueret. Sed cum, postquam in his plurimum laboraret,

11. EVLALIVS SCHISMATICVS VRBE PVLSVS.

BONIFACIVS VERVS PONT. INTRODVCTVS.

III.

laborasset, in morbum incidisset grauem, & ex eo aliquantulum conualescens, experimento didicisset male consolidatam esse pacem: de ea in futurum solicitus, ne post suum obitum grauiori scissura Romana Ecclesia distraheretur, illam enixius Imperatori commendauit litteris ad eum Calendis Iulii datis: ad quas Imperator rescripsit, effecturum se vt si duo deinceps simul ordinarẽtur, nullus ex illis futurus esset Episcopus, sed ille, in Sede Apostolica permaneret, quẽ ex numero clericorum noua ordinatione diuinum iudicũ & vniuersitatis consensus eligeret. Hæc autem omnia de causa Bonifacii & Eulalii summatim hactenus relata, cum luce clariora fiant ex citatis epistolis ac rescriptis, quæ continentur *a* in codice Vaticano, cuius superius mentionem egimus: risum contine, lector, dum audis, qui inter Nouatores profitentur *b* historiæ patres, asserere Eulalium à maiori parte cleri & populi electum, tantæ fuisse modestiæ vt sponte cederet; Bonifacium vero superbum & impium, alienam sedem inuasisse, quem etiam cum præter alios sanctissimos atq; doctissimos viros, sæpe August. æque sanctissimum atq; doctissimum prædicet; iidem tamen, cum ignoratione rerum gestarum, tum obstinata ad detrahendum semper Romanis Pontificib. malitia, eundem carpunt, atq; etiam dicteriis perurgentes, frigida nominis inuersione *Malefacium* nominant; sicut & Innocent. ipsius prædecessorem, *Nocentium*, successorem vero Cælestinum, *Infernalem* (vt de aliis modo taceamus) fatuis deridendis ironibus appellant. Sed finamus eos ad libitum desipere; ac cæcos, & duces cæcorum, in his & aliis innumeris qualibet ferme pagina deliare. Quod vero rursum ad Eulalium attinet; quamuis de eo expellendo, vt dictum est, Honorius iusserit; tamen ex Synodo ducentorum quinquaginta duorum Episcoporũ fuisse depositum, habet liber de Romanis Pontificibus; verum non ex transmarinis Ecclesiis, vt declaratum est, sed ex Italia ac cæteris vicinioribus. Eundemque, postquam vna cum suis apud Antium non longe ab Vrbe exul aliquandiu egisset, Nepesinæ Ecclesiæ factum esse Episcopum, traditur eodem Pontificali volumine.

IV.

Cæterum hanc ipsam dissensionem Romani Cleri in nouo creando Episcopo post Zosimum, Pelagiani hæretici in Catholicos obiectare consueuerunt; & imprimis Iulianus Episcopus Capuanus, quem in eo, sicut in aliis quæ contra Catholicos scripsit, Augustinus *c* egregie refellit. Sed quod in eo vt paululum immoremur, tanquam illius sectæ post Pelagium & Cælestium antesignano, ratio temporis exigat; primo fuisse hunc *Iulianum* honesto loco natum, patre Memorio Episcopo, qui cum S. Augustino non paruam inierat amicitiam colloquio literarum, ipse testatur *d* aduersus eundem Iulianum; paterq; ex eiusdem Sancti ad ipsum Memorium scripta olim epistola *e*, qua etiam rogat vt ad se mittat Ialianum iam tunc diaconum, quem multum amaret, eiusq; magno desiderio teneretur. Videtur autem ipse Memorius fuisse Capuanus Episcopus, ac filium suum eidem Ecclesiæ mancipatum diaconum ordinasse: quem tamen non sacris, (vt ex eadem epistola apparet) sed sæcularibus imbuendum curasset disciplinis, quas vetus loquendi vsus Liberales appellat. Hic igitur adhuc iuuenis sede auctus nobili, (nempe eadem Capuana, vt tradit Gennad. sed Prosper *f* eum vocat Atellanensem, ab oppido inter Capuam & Neapolim sito, forte à patria, vel quod postea sedem mutauerit:) fastu tumidus, literarumq; sæcularium inflatus superbia, erumpens in maledicta, sanctissimum senẽ Augustinum ipsius amantissimum cœpit exagitare: primumque omnium quatuor *g* libros scripsit aduersus eiusdem commentarium de Nuptiis & concupiscentiis, quem (vt ipsemet tradit *h*) monente Valerio Comite, post damnatum Pelagium atque Cælestium elaborauerat, ab illis prouocatus, ne dum assertor esset originalis peccati, damnasse nuptias videretur, quod Pelagiani impudentissime Catholicis obiiciebant. Porro cum Augustinus eosdem Iuliani libros à Claudio Episcopo acceptos *i*, aliis sex libris confutasset; rursum Iulianus, qui duorum librorum numero se superatum videret, hæretica arrogantia aduersus sex illos Augustini, octo conscripsit, vt ipse asserit Augustinus *k*, ex quo erroris arguuntur Gennadius *l* & Honorius *m*, dum septem tantum numerant. Sed rursum & hos octo ab Alipio Roma missos, Augustinum contrariis scriptis refellere cœpisse, ipse *a* testatur: non tamen perfecisse, inde apparet quod citans ex illis fragmenta quædam (cum alioqui ipsum opus perierit) Beda in Collectaneis super Epistolas Pauli, citet titulo Operis Imperfecti contra Iulianum.

Cum vero præter eiusmodi libros, Iulianus *b* duas alias epistolas scripsisset, earumq; alteram Romam, alteram nomine decem & octo suæ sectæ Episcoporum Thessalonicam misisset, quibus Ecclesiam Catholicam portentosis erroris calumniis infamaret: accidit opportune, vt cum eas Romam allatas Bonifacius Papa in manib. haberet, Alipius Episcopus Tagastensis in Africa, Augustino amicissimus, Rauennam (vt idem Augustinus etestatur) ad Honorium Imp. pergens, Romamque diuertens, à Bonifacio easdem acceperit ad Augustinum perferendas, vt confutaret: quod ipse nauiter impleuit scriptis aduersus illas libris quatuor disertissimis, quos ad ipsum Bonifacium Papam Romam misit, vt eius (quod ait *d*) *examinarentur* iudicio, & *vbi forsitan aliquid displiceret, emendarentur*. Quantis autem cædem epistolæ refertæ essent mendaciis, ex ipsorum confutatione ab Augustino facta intelligi potest, nempe in epistola Romam missa primis effutiit, Catholicos omnes asserentes ex Adæ peccato naturam esse corruptam, sapere cum Manichæis: insuper dicere eosdem, mentitus est, nuptias non esse ex Deo, & prolis generationem ex diabolo esse: itemque eosdem affirmare, Patres veteris Testamenti nunquam à peccato fuisse per emendationem liberatos; Apostolos vero immoderata libidine pollutos esse, ipsumque etiam Christum non fuisse immunem à peccato; ac deniq; baptismum non dare omnem indulgentiam peccatorum. Hæc ibi impudens Iulianus impegit calumnioſe Catholicis. In epistola vero ad Thessalonicenses *f*, excitare conatus est omnes Orientales Episcopos, vt aduersus Manichæos (ita enim Catholicos nominabat) insurgerent: & quo ad hoc magis eos pelliceret, cum Zosim. Papam, tum Romanum Clerum (vt dictum est superius) præuaricationis redarguit: adiecitq;, Catholicos negare liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum; & asserere fatum sub nomine gratiæ: Deum quoque acceptatorem facere personarum; ac dicere, legem datam non esse ad hominis institutionem, sed ad maiorem damnationem: ac Spiritum S. non fuisse Auctorem virtutis in veteri Testamento; nec item Prophetas & Apostolos extitisse sanctos, sed comparatione aliorum minus malos; ac demum in futura resurrectione homines Dei mandata inceptures implere. Hæc & alia impius ille vaniloquus in Orthodoxos, vbi etiam ad postremum questus est nomine coepiscoporum suorum, Pelagii dogmata à simplicib. quibusdã Episcopis propriis in locis absq; conuentu Synodali esse damnata; seq; quærere vt Orientales & Occidentales ad hæc exacte inspicienda in vnam vniuersalem Synodum semel conuenirent. Sed hæc omnia S. August. plenissime discussit, cunctasq; obiectas calumnias planissime diluit. De eodem vero Iuliano Gennad. habet, eum ad aliam artem conuersum, quos non posset doctrina seducere, hypocrisi decepisse; dum tempore famis & angustiæ, indigentibus omnib. suis prærogatis, multos miserationis specie, nobilium præcipue & religiosorum illiciens, hæresi suæ sociauit. Quæ autem reliqua sunt illius, dicentur alio loco.

VI.

Iam quod pertinet ad dictam Alipii ad Honorium legationem; licet ipsius causa minime habeatur expressa, tamen ex iis quæ secuta sunt coniicere possumus, tantum Episcopum pro rebus grauissimis illuc esse profectum; & quidem puto, pro extirpandis latitantibus in Africa Pelagianis; Erant enim nonnulli, qui quamuis Pelagianos se esse minime profiteri auderent, tamen quæ ex ea hæresi deducerentur, interdum asserere non dubitarent. Sit in exemplum, quod ex Augustini literis exploratum habetur de *Vitali* Carthaginiensi, qui licet Pelagii nomen horrere videretur, ex eius tamen doctrina dogma illud impium deducebat, vt diceret non esse orandum pro idololatris, vel aliis non credentibus, vt crederent; sed tantummodo illis esse proponendam doctrinæ veritatem; cæterum credere, vel non credere, ex eorundem pendere arbitrio, non autem ex præ-

a Rec. etiam Bar. An. To. 5 hoc an.
b Illyr. in sua hist.
DELIRAMENTA CENTVRIATORVM.
c Aug. lib. 6. cont. Iul. Pelag. c. 12.
DE IVLIANO PELAGIANO EIVSQ. CALVMNIIS ET SCRIPTIS ADVER. AVG.
d Id. li. 1. cont. Iul. c. 4.
e Id. ep. 31.
f Prosper sub Coss. an. 439.
g Aug. 2. Retract. 53.
h Id. cit. duas epist Pelag. c. 5
i Id. 2. Retr. 62
k Id. ep. 2. ad Quodvultd. Tom. 6. in pr.
l Gennad. de Vir. ill. c. 45.
m Honor. de Scr. Ecc. c. 45.
a Aug. d ep. 2. [Nuper ut reper ũ illud opus à Cl. M. Bardo. in priu. manib. omnium haberur.]
V.
b Id. ad Bonif. cont. Pelag. l. 1 c. 2. & 3.
c Id. lib. 2. de Nupt. & concup. c. 1.
d Id. cit. duas ep. Pela. l. 1. c. 1
e Id. cont ep. Pelag. ad Bonif. l. 1.
IVLIANI CALVMNIÆ IN CATHOLICOS.
f Ibid. lt. 1.
VI.
AL. PII LEGATIO AD HONOR. IMP. AD ERRS OCCVLTOS PELAG.

MOS ANTIQVVM ORANDI PRO CATECHVM. ET INFIDEL.

ueniente eos diuina gratia. Ad quem curandum Augustin. eruditam satis dedit epistolam *a*, quam illo titulo, *Augusti. Christi seruorum seruus*, inscripsit. Cum vero eiusdem hæresim impugnat, priscum Ecclesiæ morem insinuat, quo publice orare consuetum erat in Ecclesia (sicut hodieque seruatur) pro infidelibus, ac catechumenis. Quod igitur periculum immineret, ne eiusmodi morborum contagionibus Africana Ecclesia inficeretur; nullum reliquum iam videbatur remedium esse, nisi vt qui proterue nimis desipiscerent tot aduersis ipsos celebrata vbique Ecclesiastica iudicia, iidem legibus coercerentur Imperatorum: quod esse curatum Alipij legatione puramus. Extat enim Honorii, in Africam missum ad Aurelium Episcopum Carthaginiensem, & Augustinum Hipponensem, rescriptum *b* his ipsis Coss. datum Rauennæ quinto Idus Iunias; quo latentes Pelagianos exagitauit, omnesque Episcopos qui damnationi eorundem subscribere recusarent, sedibus suis pelli iussit.

a Id. ep. 107.

b Rec. Baron. An. Tom. 5 hoc an. ex Collect. Cresconi.

VII. CONC. CARTHAG. VI. IN CAVSA APPELLAT. AD SED. APOST.

Hoc eodem anno, nimirum Post Consulatum Honorii XII. & Theodosii VIII. die octaua ante Calendas Iunii habita legitur Synodus Carthaginiensis dicta vulgo *Sexta*, sed si eiusmodi numerandi rationem à Collectore susceptam obseruare velis, (cum alioqui multo plura in hanc diem in eadem ciuitate, vt vidimus, celebrari contigerit) dicenda ordine *Quinta*, cum quæ hactenus *Secunda* nuncupata est, referenda sit ad tempora Cælestini Papæ, eademq; *Sexta* appellanda, vt dictum est superius *c*. Huic autem Quintæ, vna cum Aurelio eiusdem ciuitatis Episcopo, interfuerunt ex cunctis prouinciis Africanæ Ecclesiæ delecti Iudices, siue Legati, omnes numero viginti duo *d*. Quod vero habetur in fine, subscripsisse eidem Synodo Episcopos ducentos septuadecim; sic intelligendum est, vt ipsi postea in suis Ecclesiis subscripserint decretis, quibus suos Legatos subscripsisse scirent.

c An. 397. nu. 15. 16. vbi vide quæ notaui

d (Immo omnes 217. qui subscripti reperiuntur, interfuisse quoque Synodo, ex Actis eius colligit Perron. ibid.)

VIII. LEGATI APOST. SED. AD CONC.

Quod autem Synodo interfuisse legantur Apostolici Legati, *Faustinus* Episcopus Potentinus in Piceno, atq; *Philippus & Asellus* presbyteri; hi quidem anno superiori à Zosimo missi fuerant, creato vero Bonifacio causam prosecuti sunt. Ad quid vero missi essent, ex eiusdem Concilii Carthaginiensis Actis intelligi potest; nec non ex ipso Commonitorio (ita appellabant mandata Legatis tradita in scriptis) à Zosimo iisdem Legatis tradito *e*; quo quatuor capita continebantur agenda cum Africanis Episcopis: vnum de Appellationibus Episcoporum Africanorum ad Romanæ Ecclesiæ Pontificem: alterum ne ad Comitatum iidem Episcopi importune nauigarent: tertium, de presbyterorum & diaconorum causis tractandis apud finitimos Episcopos, si à suis excommunicati perperam essent: quartum, de Vrbano Episcopo excommunicando, vel etiam Romam euocando, nisi ea quæ videbantur corrigenda, corrigeret. Et hæc quidem omnia cum Sardicensis Concilii auctoritate firmarentur; illud tamen de non adeundo importune Comitatu, qua auctoritate mandatum esset, expressum non legitur in Commonitorio, quod nulla de re mota esset controuersia, liquet autem, id eiusdem Concilii Sardicensis canonibus roboratum, cum suggestione Grati Episcopi Carthaginiensis decretum est *f*, vt Episcopi Africani Comitatum adituri, Romam peruenientes, Romano Episcopo causas exponerent, qui illis examinatent; & si dignæ viderentur, eius quoq; impertito auxilio, ad Imperatorem deferrentur, quod ipsum ab Episcopis Africanis, in Concilio habito sub septimo Honorii Consulatu, confirmatum vidimus.

e Ext. in Synodal. epist. ad Bonif. in Cod. Afric. c. 101. & in Conc. Carthag. VI. c. 3. & 6.

f Conc Sardic. c. 8. 9. 10.

IX.

Sed quod ad capita de Appellationibus pertinet; cum ea Zosimus suo Commonitorio auctoritate Nicæni Concilii canonum (qui re vera essent Synodi Sardicensis *g*) firmari profectus esset, nec tamen ea Patres Africani reperissent inter canones Nicænos; iidem ea de causa conquesti sunt apud Zosimi successores Bonifacium & Cælestin. Est quidem hodie in Commonitorio, & in Actis Concilii Carthaginiensis huius anni, positus pro appellationib. clericorum aduersus suos Episcopos, (quod pertingebat causam Apiarii presbyteri contra suum Episcopum Vrbanum Siccensem) canon Concilii Sardicensis: sed cum de hoc capite, sicut de primo quod pertinebat ad appellationes ipsorũ Episcoporum, obiectum à Patrib. fuerit, non reperiri in Nicæno Concilio; coniectura est non leuis, vt loco *Nicæni*, in prædictis Commonitorio & Actis Concilii (vt nunc legitur) emendatum fuerit *Sardicensis*, quod sciretur esse vere canon Concilii Sardicensis. Cæterum quod ex Patrum Africanorum obiectione, huius nostri temporis Nouatores occasionem sumpserunt inclamandi, Zosimum summo scelere surripere tentasse Romanæ primatum Ecclesiæ, mendacio, & falsatione Nicænorum canonum: istæ vt facilius calumniæ diluantur, cunctas res in hac causa gestas, licet ad plures annos productæ fuerint, tamen vt melius intelligantur, in vnum colligere placuit, quod de causa magni momenti agatur.

g Ib. c. 7. & 17

X. VNDE ORTA QVÆSTIO DE APPELLATIONE.

Ac primo quidem præcessisse Legationem à Zosimo missam, appellationes quasdam ad Romanam sedem Episcoporum Africanorum, itemque Apiarii presbyteri ab Episcopo suo Vrbano Siccensi excommunicari, cum ipsum Zosimi Commonitorium, tum literæ *a* Episcoporum Africanorum ad Bonifacium & Cælestinum datæ, non obscure significant. Ex quibus & illud constat, quod ad Appellationes attinet, eosdem Episcopos Africanos in Concilio hoc anno habito decreuisse omnia integra seruare sine vlla Sedis Apostolicæ iniuria, quousque de Nicænis canonibus (quibus ea contineri scripserat Zosimus) fieret exactior exploratio: itemque Apiarium, quem ab Episcopo suo appellantem Romanus Pontifex, post eius purgationem, communioni restituerat, licet multa magnaq; scelera, quorum causa excommunicatus fuerat, ipsemet tandem coram Africanis Episcopis confessus esset, quæ antea negauerat; tamen & ipsum, ob reuerentiam Sedis Apostolicæ, ab eadem Synodo ad communionem admissum esse, sed ita vt à Siccensi Ecclesia in aliam transmigraret. Ac de his quidem primo Zosimum, postea vero eo inter hæc defuncto etiam Bonifacium, iidem Africani Episcopi certiores literis *b* suis reddidere. Rebusq; sic stantibus, decreti sunt ab eadem Synodo Legati in Orientem, nempe Constantinopolim, Antiochiam, & Alexandriam, pro fidelissimis habendis exemplaribus Nicæni Cõcilii canonum. Antequam autem Legati redirent, contigit Bonifacium mori, & in eius locum suffici Cælestinum: Tuncque reuersis Legatis, nec inuentis in Nicæni Concilii exemplaribus, canonibus à Zosimo citatis; iidem Episcopi Africani datis ad Cælestinum litteris *c*, non quidem (vt hodie Nouatores) arguerunt Zosimum impostura, dolumve malum proclamarunt: sed submisso animo rogarunt, vt maiori cautela Romani Pontifices ex Africa querelas ingerentes susciperent, ac maturiori iudicio causas tractarent, ne sic iudicia rite ac probe facta peterent: nec prohibuerunt appellationes ad Romanam Sedem, sed tantum monuerunt vt non facile, vel absque vrgente necessitate admitterentur.

a Conc. Afric. c. 101. 105.

b Ib. c. 101. CANONES NICÆNI PERQVISITI AB AFRIS.

c Ib. c. 105.

Quod n. minime illas omnino tollere voluerint, cum ex multis aliis exemplis constat, quib. Sedes Apostolica de Africanis Episcopis vel ipsa iudicauit, vel aliorum iudicia firmauit: (quæ quidem S. Augu. *d*, dum agit de causa Antonii Fussalensis in Numidia Episcopi ex parte recenset:) tum maxime fit manifestum ex eiusdem Antonii causæ historia, quæ hoc eodem tempore contigit, quo de Nicæno canone ea inter ipsos Africanos Episcopos controuersia agitabatur. Fuerat hic ob enormia quædam scelera, agente contra eum ipso Augustino, qui ei sedi illum præficiendum curauerat, ab Episcopis prouinciæ depositus ab administratione, relicto ei solo sedis titulo. Appellauit ipse ad Bonifacium Romanum Pontificem, simulq; vafer homo ex Africa proficiscens, elicuit literas à Primate Numidiæ, quibus velut innocẽs excusaretur. His acceptis Bonifacius, magna cautela pro Antonio rescribens, illud adhibuit temperamentum, si nulla in eius narratione subreptio intercessisset. Contigit autem inter hæc Bonifacium mori, & causam integram relinqui eius successori Cælestino: apud quem contra suum Episcopum Fussalensibus causam prosequentibus, cum ab Antonio iactaretur, missurum Cælestinum executores, qui publica etiam potestate & vi militari ipsum in sedem restituerent; Augustinus ad eundem Cælestinum supplices literas *e* dedit, quibus post recensita omnia quæ hactenus gesta essent,

d Aug. ep. 162. ad Cathol. EPISCOPOS AFRI NON INTENDISSE DEROGARE IVRI APPELLATIONVM.

e Ib. ep. 162.

XII.

sent, eum deprecatus est, vt Fussalensium admissa iusta querela, suo eis iudicio aduersus Antonium subueniret; abstineretque à violenta eiusmodi dominatione, quam Antonius minabatur. *Subueni* (inquit) *hominibus opem tuam in Christi misericordia poscentibus. Non sinas ista fieri, obsecro te per Christi sanguinem, per Apostoli Petri memoriam, qui Christianorum præpositos populorum monuit, ne violenter dominentur inter fratres.* Hocque ipsum est, quod Concilium Carthaginiense ad eundem Cælestinum *a* scribens, voluit verbis illis, *Executores etiam clericos vestros quibusque petentibus nolite concedere, ne fumosum typhum sæculi in Ecclesiam Christi videamur inducere.* Certe enim de his conquerendi occasionem dedisse noscitur Legatorum, qui in Africam mittebantur, nimia in causa prosequenda asperitas; qui & in causa Apiarii non iudices, vt Episcopi Africani *b* aiunt, sed eiusdem patronos se ostenderunt, diuersas etiam ipsis Africanis Episcopis inferentes iniurias.

a *d. c. 105.*

b *d. c. 101.*

Proinde quod eadem ad Cælestinum epistola iidem petierunt Episcopi, vt vbi sunt exorta, ibi sint finienda negotia, ob difficultatem prosecutionis iudicii transmarini; neque hoc per Legatos à Latere fiat, sed per causæ delegationem ipsis Africanis Episcopis: hæc, inquam, manifeste quoq; declarant, ipsos non quidem negasse appellationem sed ægre tulisse prosecutionis modos, quibus vt quamplurimum Pontifices vterentur, siue cum Romæ summa difficultate producendi essent testes, siue in Africa per Legatos à Latere, & clericos executores, protenue nimis foret agenda causa. Nam de modo tantum prosequendæ appellationis obortum esse dissidium, non etiam de ipso iure Appellationum, ex eo quoque euidenter apparet, quod in ipso Zosimi Commonitorio, vbi agitur de primo mandato, non de iure appellandi citatus est canon Concilii Nicæni, (seu potius Sardicensis) sed de prosequendæ appellationis modo; quod scilicet cauetur *c*, vt ipse Romanus Pontifex duplici via possit, si velit, appellantium subuenire iustitiæ, nimirum vel committendo causam Episcopis finitimæ regionis, vel mittendo Legatos à Latere; quorum solum posteriorem modum Episcopi Africani refugisse noscuntur.

c *Conc. Sardic. c. 7.*

XII. DE QVO CONTROVERSVM SIT INTER EPISCOPVM AFRIC. ET SEDEM APOS. *Qua de re vide omnino Perron. Resp. ad Reg. Mag. Britan. li. 1. c. 47. & 52. vnde multam lucē hauries ad totius huius cōtrouersiæ decisionem.*

Cum igitur ex his omnibus satis liqueat, Zosimum Papā haud quicquam alieni iuris vsurpare conatum esse, quo & prædecessores omnes absq; vlla controuersia potiti essent: quænam subesse potuit ratio doli mali & impposturæ, vt supposuerit Nicæno Cōcilio canonem Sardicensem? cum præsertim qui ab eo citatus est canon, non minoris esset auctoritatis, ac si esset Concilii Nicæni; quando quidem ambo fuerunt Oecumenica; immo hoc amplius apud Afros Sardicense à Nicæno habere debuit, quod Nicæno ex Africanis Episcopis vnus tantum Cæcilianus interfuisse reperiatur, Sardicensi vero cum Grato Episcopo Carthaginensi triginta quinque (vt Athanasius *d* docet) eiusdem prouinciæ Episcopi præstito fuerint: adeo vt salua pace Catholica nequaquam potuissent Sardicensis Concilii canones non recipere? Itaque licet opinari, id egisse Zosimum, (sicut etiam diximus) quod in codice Bibliothecæ Romanæ aliquis canonum collector Sardicenses collocasset cum Nicænis: quippe cum Sardicense Concilium celebratum sit pro corroboratione Nicæni, vnum idemque reputatum cum illo esset. Hocenim apud veteres adeo constans fuit, vt cum recenserent Concilia Generalia, post Nicænum ponerent Constantinopolitanum, prætermisso penitus Sardicensi; quod tamen fuisse Oecumenicum liquet.

d *Athan. Apol. 2.*

XIII. QVOMODO CANON SARDIC. CITATVS SVB NOMINE NICÆNI.

Porro qui semel errore ductus, sibi persuasit hoc tempore scissam fuisse Africanam Ecclesiā à Romana, quam enorme excogitauit commentum? Finxit Bonifacii Secundi Papæ nomine epistolam ad Eulalium Episcopum Alexandrinum, de reconciliatione Ecclesiæ Carthaginiensis cum Romana, qua auctoré schismatis constituit Aurelium Carthaginiensem, eiq; collegam adiungit Augustinum: itemq; libellum ab alio Eulalio Episcopo Carthaginensi ad ipsum Bonifacium pro reconciliatione datum; necnō interceſſisse ad rem perficiendam literas Iustini Imperatoris. Egimus de eius impostura (quisquis fuerit) in Notationibus *e* ad Romanum Martyrologium, ac demonstrauimus, non solum

XIV. DE EPIST. CONFICTA BONIFACII PP. II. NOMINE.

e *Not. in Martyrol. Rom. 16. Octobr. b.*

prædictos sanctos Episcopos decessisse in communione Ecclesiæ Romanę, eiusdemq; Catholicæ; sed nec vnius quidem horæ momento; nedum centum & amplius annorū, qui interceſſerunt ab hoc tempore ad Bonifacium Secundum, intercisam fuisse Africanæ cum Romana Ecclesia cōmunionem: quod & tibi notius fiet ex iis quæ inferius singulis ferme annis dicturi sumus. His adde quod tempore Bonifacii Secundi, non Eulalius Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit, sed Timotheus hæreticus, & à Romana Ecclesia alienus: necitem alius Eulalius Ecclesiæ Carthaginiensi, cum eo tempore regnante Gelimere Wandalorum Rege, nec vnus esset reperiri in Africa Catholicæ communionis Episcopus: ac denique non Iustinus, sed Iustinianus regnaret in Oriente. At de his hactenus.

In Concilio item Carthaginiensi, siue hoc, siue alio sub isto Bonifacio Primo celebrato, editus est canon de Libris Canonicis diuinæ Scripturæ tam Veteris quam Noui Testamenti, idem prorsus qui nostro sæculo in Concilio Tridentino confirmatus est. Extat adhuc, sed nescio quomodo relatus sub Concilio Tertio *a* Carthaginiensi: vbi ad finem additum est de confirmatione canonis à Bonifacio Papa petenda. Ex quib. videas, quantum deferrent Africani Episcopi Romanæ Ecclesiæ, dum eodem tempore, quo ea agitabatur controuersia, nihil remiserunt submissionis erga Romanum Pontificem. Sed & illud consideres, quod si in hagiographis suscipiendis auctoritatem requisierint Apostolicæ Sedis, quantum absit vt ob causam aliorum canonū voluerint ab ea separari. Quod a. ibi additur de legendis in ecclesia Passionib. Martyrum; de iis dictum *b* est in alia Synodo Carthaginiensi. Cum vero serperet etiam hoc eodem tempore hæresis Manichæorum in Galliis, idem Bonifacius Papa interpellatus libello accusationis à clericis Ecclesiæ Valentinæ, aduersus Maximum Episcopum Manichæorū sectatorem, delegauit causam cognoscendam Episcopis septem prouinciarum, cuius ea de re extat epistola data huius anni Consulatu Monaxii Idibus Iunii.

XV. CANONEM SCRIPTVRÆ DIVINÆ CONFIRMAT ROM. PONT. *a Cōc. Carth. III. c. 47.*

b *Supra an. 401. n. 2.*

Hoc item anno, iisdemq; Coss. multæ Palæstinæ ciuitates, villæque, terræmotu collapsæ sunt: Dominus noster Iesus Christus super montem Oliueti Hierosolymæ vicinum sese de nube manifestauit. Multæq; tunc vtriusq; sexus vicinarum gentium nationes, tam visu quam auditu perterritæ, atque credulæ, sacro Christi fonte ablutæ sunt: omniūq; baptizatorum in tunicis Crux Christi extemplo pressā refulsit. Hæc Marcellinus *c*, & alii. Cuius quidem rei adeo admirabilis occasione, de tempore vltimi aduentus Domini ad iudicandum, cœpti sunt vbiq; misceri sermones: quod Danielis *d* prophetia prænuntiatus esset aduentus Filii hominis in nubibus; & Zacharias *e* de ipso loco eius aduentus super montem Oliueti prædixisset, Angeliq; apud Lucam *f* confirmassent. Quapropter, & eadem occasione scripsisse videtur Hesychius *g* ad S. Augustin. de nouissima die, cum præcessissent tot signa, iam videretur instare: cum August. *h* epistola ad eum reddita, curiosos nimis de his exploratores redarguit; illumque diem haud instare demonstrauit ex signis, cum longe abesset vt impletum dici posset, quod prædixit Dominus *i* de prædicatione Euangelii in vniuerso Orbe antequam veniat consummatio, innumeris adhuc existentibus populis, qui non accepissent verbum Dei.

XVI. CHRISTI APPARITIO MIRIFICA SVPER MONTEM OLIVETI.

c *Marcel. in Chron.*

d *Dan. 7.*

e *Zach. 14.*

f *Act. 1.*

g *Ap. Aug. ep. 79.*

h *Ibid. ep. 80.*

i *Matth. 24.*

His item Coss. defuncto Chrysantio Episcopo Nouatiano Constantinopoli, in locum eius suffectum esse Paulum, Socra. *k* scribit: ac sub isto contigisse, vt quidam Iudęus, qui simulata Christiana fide sæpius baptizatus fuisset, (nempe ab Arianis, & Macedonianis ac postea ab Attico Orthodoxo) multasq; ex ea fallacia pecunias corrasisset, cum tandē & ad Paulum Nouatianum se conferens, eque ab eo baptismum peteret; euanescente semel atq; iterum aqua baptisterii, eo miraculo Iudæus præuaricator agnitus fuerit. Verum licet demus Socratem, & ipsum secta Nouatianum, haud esse mentitum, (cum alioqui suspecta sit omnis de suis dogmatistis hæreticorum narratio) nihil est tamen vt Episcopo Nouatiano adscribatur miraculum, quod potius tribuendum est virtuti sacramenti: quandoquidem verum fuisse Nouatianorum baptismū, cum veri assertores essent sanctissimæ Trinitatis, nullum est dubium: non sic autem

XVII. *k Soc. l. 7. c. 7.* DE ASSIRIVS SIRACVLIS VBI SAEPIVS BAPTIZATI.

Arianorum & Macedonianorum, qui in fide Trinitatis (sub qua necesse est conferri baptismum) peccarent. Non autem euanuit aqua, ergo Iudæus baptizatus est ab Attico, quia tunc vere baptismum accepit: euanuit vero sub Paulo, ne sacrilegium secundo baptismo committeretur, adeo vt cesserit miraculum in confirmationem Catholicæ veritatis; non ad Pauli merita illustranda.

XVIII. SVPPLICIA PRO IDOCTA ARTE CONFICIENDI NAVES.

Contigit itidem hoc ipso anno in eadem ciuitate Constantinopolitana, vt cum capitalem plurimi pœnam luituri essent, quod conficiendi naues incognitam ante peritiam barbaros docuissent; agente pro eis apud Theodosium Imperatorem Asclepiade Episcopo Chersonensi, omnes liberati sunt; eadem tamen pœna tam ipsis proposita, quam cæteris qui aliquid simile imposterum perpetrarent, qua de re extat eiusdem Augusti rescriptum *a*. Hoc quidem tempore ruptum fœdus inter Romanos Persasque fuisse constat; de quo dicetur anno sequenti.

a *L vlt. C. Th. de pœn.*

IESV CHRISTI AN. 420.

BONIFACII AN. 2.

HONORII 26. THEOD. II. AN. 13.

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo, Theodosio Aug. nonum & Constantio Cæs. tertium Coss. idem Constantius auctus Imperio ab Honorio, ex Cæsare Augustus est nominatus; vt habet Prosper in Chronico. Idemque mox rescripto ad Volusianum Præfectum Vrbi dato, (quod extat *b*, meminitq; eiusdem Photius in Bibliotheca) pœnam exilii renouauit in impium Cælestium, qui iterum sese audax inferret in Vrbem, & contra omnes eius sectatores. Sed & sub eodem Constantio idem Prosper *c* contigisse ait in Africa, vt cum à quodam Pagano falsum vaticinium, velut Cælestis idoli olim Carthaginensis proferretur, quo rursum templa prisco sacrorum ritui reddenda essent; econtra, Viso insistente Tribuno, omnia illa templa ad solum vsque euersa fuerint, solumque in sepulturam mortuorum conuersum. Denique instante eodem Vrso Tribuno, domus Regiæ procuratore, apud eandem Carthaginem turpitudines Manichæorum execrabiles, quibus ad excipiendum & commiscendum concumbentium semen farina substernebatur, vnde non sacramentum, sed execramentum conficeretur, detectas esse à quibusdam feminis, quæ propter hoc scelestum mysterium violatæ fuissent, narrat S. Augustinus *d*; quem Ecclesiasticis Actis tunc ea de re confectis interfuisse, Possidius *e* in eius Vita testatur.

b *Rec. Baron. Ann. Tom. 5. hoc an. ex cod. monast. S. Vedasti Atrebat.*
c *Prosp. de prædic. par. 3. c. 38*

GENTILES ET MANICHÆI EXAGITATI IN AFRICA.

d *Aug. de haref. c. 46.*
e *Possid. Vit. S. Aug. c. 16.*

II. DE VINCENTIO VICTORE HÆRESIARCHA.

Eodem quoque tempore in eadem Africa noui erroris assertor emersit Vincentius Victor, qui de Animarum origine noua commenta excogitauit; nempe eas non ex nihilo, sed ex diuina creatas esse substantia. Fuisse vero hunc olim Donatistam, vel potius Rogatistam, ac postea Catholicam fidem simulantem, nihilominus adeo Rogatistis addictum permansisse, vt etiam cognominari voluerit *Vincentius*, quod Rogati successorem eo nomine dictum tanquam magnum & sanctum virum suspiceret; eundemque in visione (vt iactabat) ab illo Vincentio admonitum, adiutumque, aduersus Augustini tractatum de Origine animarum, quem in Mauritania Cæsariensi inuenisset, duos libros scripsisse; idem Augustinus *g* tradit: qui mox contrariis scriptis eos refellens *h*, ipsum quoq; illorum compositorem Vincentium Victorem, (quod mireris in auctore erroris) victum se fatentem, atque emendationis suæ literas ad Augustinum scribentem, (vt ipse testatur) fidei Catholicæ restituit. Ita quidem, quod (vt ait) eum non præpropere detestandum, sed adhuc docendum, quanta potuisset lenitate tractasset. Fuit enim S. Augustini praxis in agendo cum hæreticis, vt cum recens progredientibus, antequam desperata obstinatione obduruissent, ex Apostolica *k* admonitione, in spiritu lenitatis ageret: cum inueteratis vero & obstinatis, seuere agendum existimaret; vsq; adeo vt docuerit etiam esse eos vi compescendos, Principum & Magistratuum auxilio implorato: de quo dictum est alias. Cæterum eodem quo Vincentius miraculo, atque eodem ferme tempore, (certus autem annus ignoratur) hæreticorum omnium audacissimus, dicendus & ipse hæresiarcha, (quippe qui non solum Pelagianam hæresim sectatus fuerit, sed & Nestorio auctor extiterit suæ ipsius hæresis) Leporius, primum monachus deinde presbyter, apud Gallos assertor prædictarum hæreseon, à Gallicanis doctoribus admonitus, & in Africa per Augustinum emendatus, ad fidem Catholicam perfecte conuersus est, libellumque pœnitentiæ ad omnes Episcopos Galliarum ex Africa misit: vt tradit Gennadius *a*, ac fusius Cassianus *b*, qui & ipse eiusdem Leporii conuersionem adiuuit.

g *Aug. lib. de anim. ad Vincent. Victl. 1 c. 1 & l. 2. Retr. 56*
h *Aug. de orig. anim. l. 1 & 2. Retract. 56.*
k *Gal. 6.*

LEPORIVS ITEM HERESIAR. CONVERSVS AB AVGVST.

a *Gennad. de Vir. Illustr. in Lepor. c. 59.*
b *Cassian. de Incar. Christ. l. 1. & 7.*

His item Coss. Persecutio aduersus Christianos in Persida sæuiit, vt Marcelli. testatur in Chronico: quam perdurasse vsq; ad biennium, nempe Consulatum Honorii XIII. & Theodosii X. Socrates *c* scribit; tuncque quieuisse, vna cum bello inter Romanos Persasque orto: at illam Theodoretus *d*, etiam cessante bello, nouis causis prorogatam esse tradit vsque ad triginta annos. Sed & à quonam Rege Persarum indicta fuerit, dissentiunt ab inuicem, dum Socrates post mortem Isdigerdis amici Romanorum, excitatam esse vult ab ipsius filio Vararane, seu Gororane dicto; Theodore. ab Isdigerde inchoatam, à Vararane continuatam: cui adstipulatur Cyrillus monachus in Reb. gestis *e* S. Euthymii. Causam autem persecutionis inferendæ, hanc idem Theodoretus adfert, quod *Audas* Episcopus Pyreum (nempe templum in quo Ignis, Persarum Deus colebatur) demolitus esset, nec à Rege monitus illud reædificare voluisset. Quapropter tum ipse, Regis iussu, neci traditus est, tum omnes Christianorum ecclesiæ diutæ, & crudelissima in cunctos Christianos Persecutio concitata, quam multiplicib. & exquisitissimis tormentis Persæ Magorum suorum impulsu exercuerunt. Describit ea Theodoretus, simulq; nonnullos ex præcipuis qui tunc sunt passi recenset; præclaraq; ipsorum Christianæ fortitudinis exempla: quib. & alios addit Nicephorus *f*, de eadem agens persecutione. Haud tamen probat Theodoretus, quod Audas zelo non opportuno incensus Pyreum demolitus sit: verum maxime celebrat, quod mori potius voluerit, quam illud reædificare; quippe par sit impietas, ignem adorare, & templum ei erigere. Cæterum cum plurimi Christianorum ea oppressi persecutione, ad Romanos confugerent; Theodosius Imp. maxime pius, tam pro defensione religionis, quam in vltionē aliarum quarundam iniuriarum à Persis acceptarum, atrox bellum aduersus eosdem Persas susceptit: quod & feliciter per Ardaburium ducem, diuino auxilio, Angelorumque administratione confecit; vt videre est apud eosdem Socratem *g* & Theodoretum *h*: cum præsertim infinita Saracenorum multitudo in auxilium Persarum euocata, immisso diuinitus pauore, sese in fluuium præcipitauit, submersaque sunt centum eorum millia. Quo etiam bello, Persarum furorem repressum quoque esse Symeonis Stylitæ precibus, scribit idem Theodoretus in Historia SS. Patrum.

c *Socr. l. 7. c. 20. in fin.*
d *Theod. l. 5. c. 38.*

c *Ap. Metaph. & Sur. 20. Iul.*

f *Nic. lib. 14. c. 19. 20. 21.*

BELLVM PERSICVM PRO RELIGIONE.

g *Socr. l. 7. c. 18. 19. 20.*
h *Theod. l. 5. c. 36.*

IV.

Ast vero cum alio vsus vincendi genere *Acacius* Amidæ in Mesopotamia Episcopus, septem millia captiuorum Persarum, fame prope aliisq; miseriis consumptorum, distractis conflatisq; vasis ecclesiæ, redemisset, fouisset, & in patriam remisisset; eam rem Persarum Rex admiratus, eundem Acacium videre cupiuit, prout narrat Socrat. *i*. Eodemq; bello & persecutione, occasione alterius exhibitę in Christianos miserationis fidem Christianam apud Saracenos propagatam esse, Cyrill. monachus qui eodem sæculo claruit, omnifide posteris tradidit, dum in Vita S. Euthymii agit de *Asphebeto*, viro clarissimo diuitiis insigni, qui sub Isdigerde militans Præfectus Saracenorum, cum adhuc Gentilis esset, tamen quod contra Regis prohibitionem, Christianis in persecutione facultatem ad ditionem Romanorum confugiendi præberet, quæsitus à Rege, & ipse cum tota familia & facultatibus ad Romanos transfugit vbi ab Anatolio Præfecto Orientis præpositus in Arabia Saracenis qui Romanis suberant, post aliquod tempus miraculo mortuus sanati

i *Socr. l. 7. c. 21.*

PROPAGATIO FIDEI APVD SARACENOS.

sanati filii sui, Terebonis dicti, à grauissima à dæmone immissa paralysi, per Euthymium archimandritam sola impositione figuræ Crucis; baptizatus est cum suis, ac *Petrus* nominatus: idemque aliquibus post annis, cum plenissime Christianæ fidei dogmatibus eruditus esset, ac Saracenorũ in Palæstina cresceret numerus qui Christo nomen darent, à Iuuenale Episcopo Hierosolymitano dignus est habitus, qui primus illorum in ea prouincia ordinaretur Episcopus, quæ cuncta pluribus prosecutus est Cyrillus. Hinc fuere fructus Persicæ persecutionis, & ex fuso martyrum sanguine consueti omni tempore in Ecclesia Dei copiosi prouentus.

V. S. HIERONYMI OBITVS, ET ÆTAS

Hoc eodem anno, iisdemq; Coss. magnum illum Ecclesiæ Doctorem, hæreticorum infatigabilem hostem, Christiani Orbis oraculum, *S. Hieronymum* è vita decessisse pridie Calendas Octobris, anno ætatis suæ nonagesimo primo, S. Prosper testatur in Chronico. Idque in Bethleem, vbi & sepultus est, accidisse Marcellinus *a* tradit. Sed de annis ætatis dissensisse à Prospero videntur nonnulli *b*, qui nonaginta octo, vel nonaginta nouem ei tribuunt. Eosdem autem omnes, æque ac ipsum Prosperum, longe à scopo veritatis aberrasse, Hieronymumque tantum septuaginta octo, vel septuaginta nouem vixisse, satis ipsiusmet testificatione demonstratum est superius *c*. Quanta vero effulserit post obitum gloria in Ecclesia Dei, elogia SS. Augustini *d* & Prosperi, necnon Cassiani *f*, Marcellini *g*, atque Cassiodori *h*, (vt cæteros prætereamus) perspicue ostendunt: dum illum inter alia, *Magistrum Catholicorum*, *& Lampadem mundi* nominant. Quænam autem reliquerit Scriptorum monumenta, haud laborandum quęrere, cum eorum extet catalogus, eorumdemque spuria à veris diligentia Mariani Victorii Episcopi Reatini segregauerit. Sed & præterilla, scripsisse librum de Hęresibus, aliumque de Resurrectione carnis, testis est August. *i*: idemq; ipse Hieronym. *k* meminit Homiliarum triginta in Euangelium Lucæ, & Tractatuum septem in psalmos à se editorum; necnon translationis vigintiocto homiliarum Origenis, quæ omnia periisse dolemus: sicut & plurima alia, quæ Cassiodorus *l* recenset.

[Prædictus tamen liber S. Hieronymi *De Hæresibus*, inuentus nuperrime Mendo. & publici iuris factus est, vna cum Opere imperfecto S. Augustini contra Iulianum, de quo anno super. ad §...]

Porro Vita illa eiusdem Patris, quæ sine auctoris nomine circumfertur, tot scatet mendaciis, vt nulla sit ei fides adhibenda: sicut & prorsus spuriæ noscuntur epistolæ Eusebii, vel Augustini, aut Cyrilli nomine, de eius rebus gestis confictæ. Quibus omnib. explosis, tu Lector non aliunde eius vitam requiras, quam ab eodem Mariano, qui eam tibi ex ipsis illius scriptis deprompsit, his tamen emendatis, quę iure emendanda superius tibi nostri suggesserunt Annales. Quod autem eiusdem Sancti imago, vna cum Leonis effigie antiquitus consueuit in Ecclesia pingi; id hieroglyphicum est eius in hæreticis insectandis infracti roboris, & vehementis in eos, instar leonis rugitus, clamoris. Nam quod traditum de leone ab ipso curato; id non Hieronymo, sed Geralimo Abbati viro sanctissimo in Palæstina contigisse, vere narratur in Prato *m* Spirituali.

CVR LEO PINGATVR CVM SO.

His item Coss. Honorius Imp. rescripsit aduersus clericos *n* extranearum cohabitatione infamatos: itemque aduersus raptores sacrarum virginum.

m *Prat. Spir. c.* 107.

VII. *n* l. 44. C. Th. de Episc. & cl. & l. 2. C. Th. de rapt. vel matri. sanct. virg.

IESV CHRISTI AN. 421.

BONIFACII AN. 3.

HONORII AN. 27. THEOD. II. AN. 14.

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo primo, Agricola & Eustathio Coss. Constantius *o* Aug. ex hac vita migrauit; cum antea meditatus *p* esset bellum inferre Theodosio, quod suam imaginem, cum esset creatus Augustus, per latam ex more Constantinopolim, recipere noluisset. Quo etiam anno *q* idem Theodosius Leontii philosophi filiam, Athenaidem antea dictam *b*, sed in baptismo ab Attico Episcopo Constantinopolitano *Eudociam* nominatam, liberalibus disciplinis excultam, sibi in matrimoniũ iunxit: quæ in laudem Theodosii, egregium poema à se conscriptum de bello Persico edidit.

I. PATROCLI EPISC. ARELAT. TEMERITAS COERCETVR A BONIF. PP.

Hocq; ipso anno, persuasione (vt creditur) eiusdem Attici Episcopi, idem Theodos. Imp. inductus est ad legem *c* illam sanciendã, qua iura Episcopatus Constantinopolitani ad Illyricum quoq; extendi debere constituit: idque (vt ait) ex priscis Ecclesiasticis canonibus; quos sc. commentitios ei suggessit Atticus, numquam enim antea, vel in aliquo definitum constat fuisse Concilio, vel vsu rerum monstrari potest esse firmatum, vt Illyricorum Ecclesiæ subiectę fuerint Episcopo Constantinopolitano; neq; id illum obtinere potuisse permultos post annos, pluribus locis inferius apparebit. Quod vero eadem constitutione traditur, Constantinopolim Romæ veteris prærogatiua lætari; id quidem non de his quæ ad iura Ecclesiæ, sed Imperii pertinẽt, nec Patrum canones, sed Imperatorum leges constituerunt: adeo vt ista vsurpare sibi tentantes Episcopi Constantinopolitani, semper obsistentes senserint Romanos Pontifices: vt dicetur pro ratione temporum suis locis.

a Marcel. in Chron.
b Soc. l. 7. c. 22 THEODOSIVS IMP. EVDOCIAM VXOREM DVCIT.

II. *c* l. 6. C. de sacrof. Eccl. l. 45 C. Th. de Episc. & cler. ATTICVS VSVRPARE CONATVR AVCTORITATEM IN ECC. ILLYRIC.

IESV CHRISTI AN. 422.

BONIFACII AN. 4.

HONORII AN. 28. THEOD. II. AN. 15.

ANNO Domini quadringentesimo vigesimo secundo, Honorio decimum tertium & Theodosio decimũ Augg. Coss. Bonifacius Pontifex agens contra Patroclum Episcopum, qui olim fauore Constantii tunc Magistri militum, cuius familiaris erat, (vt hæc scribit S. Prosper *d*) pulso Herote viro sancto, & S. Martini discipulo, sedem vsurpauerat Arelatensem; & adhuc alienæ Metropolis iura peruadens, in Narbonensi prouincia vacantis pastore sedis ausus fuerat Episcopum ordinare: eundem repressit, datisque quinto Idus Februarii literis *e* ad Hilarium Narbonensem Episcopum, iussit vt iure Metropolitani, & præceptione Sedis Apostolicæ, ad locum accedat, & quæ agenda sunt videat. Sediq; referat Apostolicæ. Idq; ex præscripto Nicæni canonis fieri docet, quo *iubetur*, per vnamquamq; prouinciam ius Metropolitanos singulos habere debere, nec cuiquam duas esse posse subiectas. Ex quibus perspicue vides, si ex Nicæno Concilio quibuscunque Metropolitanis suas seruatas custoditasq; esse prouincias, vt tamen super omnes Apostolica Sedes ius diceret. Nulla enim verior atque certior esse potest canonum interpretatio, quam quæ vsu rerum iugi obseruatione probata cognoscitur.

a Marcel. in Chron.
b Soc. l. 7. c. 22 THEODOSIVS IMP. EVDOCIAM VXOREM DVCIT.

II. *c* l. 6. C. de sacrof. Eccl. l. 45 C. Th. de Episc. & cler. ATTICVS VSVRPARE CONATVR AVCTORITATEM IN ECC. ILLYRIC.

d Prosp. in Chron. Coss. Honor. 9. & Theod. 5.
e Bonif. ep. 3.

f Cõc. Nic. c. 6

Sub iisdem pariter Coss. (vt ait Prosper) cum Castinus Dux Honorii Imp. exercitum in Hispaniã aduersus Wandalos duceret; qui cum illo erat Bonifacius Domesticorũ & Africæ Comes, vir bellicis artibus præclarus, genere Thrax, Castini superbiam ferre non valens; in Africam se recepit: vbi vitã plane Christiano dignam duce agens, se in Augustini amicitiam insinuauit, quæ postea enutrita & aucta est consuetudine literarum *h*. Illæ autem quæ per breues exrant in Appendice epistolarum Augustini, eorundem nomine datæ, licet Augustini non esse, ob Laconicum scribendi genus præter ipsius morem, ab aliquib. sit creditũ: eas dẽ tamen germanas esse; ab omni procul fictione remotas, haud dubium est; ab aliquo forte alio Africanorum Episcoporum conscriptas, puta Aurelio Carthaginiensi, vel Alipio Tagastensi. Ex vna *i* vero illarum constat, eundem Bonifacium priuatum fuisse communione Ecclesię, quod hominem quendam morte dignissimum, confugientem ad

II. *g Aug. ep.* 70.

h Id. ep. 50. & 105. DE BONIFACIO DVCE IN AFRICA.

i Ep. 6. & 7. *in append.* EX COMMVNICATVR. ET RESTITVITVR.

p Prosp. in Chron.
q Nic. l. 14. *c.* 6

ecclesiam, inde abstrahi iussisset: eundemque magna humilitate veniam imploraturem, hominem illæsum confestim restituisse. Reliqua vero de illo inferius.

III. PROCACIA ARIANOR. IN AVG.

Accedit insuper, vt dum Gothi sub eodem militarent in Africa, Arianismum ibidem in dies inualescerent. Etenim cum Gothi ipsi Ariani essent, vna secum quoque ducebant, qui sacra iis ministraret, Arianum Episcopum. Erat hic Maximinus nomine; qui eo temeritatis progressus est, vt ausus fuerit S. Augustinum apud Hipponem ad disputationem de fide lacessere. Sed & prouocauit alio tempore eundem Sanctum apud Carthaginem Pascentius Comes in Africa Exactor rerum fiscalium, itidem Arianus, sed tamen Ario anathema infligere simulans, & tantum Auxentii Mediolanensis olim Episcopi Ariani se discipulum profitens. Agit vero de vtriusque hæretici procacia Possidius *a*: sed fusius illorum disputationes percipi possunt ex ipsius S. Augustini *b* aduersus eos editis scriptis.

a Possid. in Vit. Aug. c. 17
b Aug. cont. Maxim. to. 9. & ep. 73. & seqq.

IESV CHRISTI AN. 423.

BONIFACII AN. 5.

HONORII 29.
THEOD. II. AN. 16.

I. HONORII IMP. OBITVS *c Soc. l. 7. c. 23. & alii in Chr.*

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo tertio, Mariniano & Asclepiodoto Coss. *Honorius* Imp. ex hac vita migrauit decimo octauo Calendas Septembris, vt Socrates *c*, Prosper, Marcellinus, & Cassiodorus affirmant, addit Miscellæ auctor, esse defunctum Romæ, positumq; in Mausoleo iuxta Martyrium S. Petri Apostoli. Imperauit ab obitu Theodosii patris annos viginti octo, menses septem, minus duos dies: Vixitque annos triginta nouem, & mensem vnum expletum. Sugillant eum aliqui, quod nunquam visus fuerit in procinctu, pet suos duces bella gerens. Sed id à Rege non requiritur, satis vero superq; ad laudem Honorii, quod nullus Imperatorum Christianorum inuentus sit, qui per suos duces extinxerit plures in Imperium grassantes tyrannos, nec qui ingruentes barbaros sæpius vicerit, vt plane fuerit in eo perspicue declaratum, longe præstare, Imperatorem religione pollere, quam armis: quandoquidem vt tanta peregerit, nequaquam ducum virtuti tribuendum, quos ferme omnes expertus est infidos & proditores, aduersus quos rursus copiæ ducendæ fuerint, & ancipiti pugnandum certamine; sed plane diuinæ protectioni, quam ipse bene culta pietate demeruit.

EVIT RELIGIONE POTENS.

Quod autem ante suum obitum, hoc ipso anno, (vt habent Prosper & Cassiodorus) Gallam Placidiam Augustã sororem suam, cum eiusdem filiis duobus, Valentiniano & Honorio ex Constantio susceptis, ob suspicionem inuitatorum hostium, misisset in Orientem: adeoq; ipso defuncto nullus in Occidente esset, qui iure cognationis Imperium gubernandum susciperet: Ioannes quidam, quem anno superiori Imperatorum rescripta *d* Præfecturam gessisse Prætorii demonstrant, vilis natalibus homo, qui inter Notarios ante militauerat, Imperium arripere ausus est, & per legatos postulare à Theodosio vt Imperator declararetur. At Theodosius illos in custodiam tradens, exercitum aduersus Ioannem misit; de quo agetur anno sequenti. Hæc vero ita se habuisse, Socrates *e* narrat. Ioannem autem ipso Principatus exordio æque aduersus Dei Ecclesiam bellum parasse, atque omnia simul ab ea priuilegia abstulisse, quæ à Christianis Impp. tam personis quam locis Ecclesiasticis collata fuerant; patet ex Valentiniani postea editis sanctionibus *f*, quibus ea restituit. Contra vero Theodosius, exemplo aui sui, ad Occidentale Imperium è tyranni manib. vindicandum, arma primum spiritualia Deo potentia præparauit; dum hoc eodē anno edictis suis exigitauit omniū sectarum hæreticos *g*, itemque Iudæos *h*, atque Paganos *i*: adeo vt quod ad ipsos Gentiles spectat, scribat Theodoretus *k*, eundem mandasse ita omnia funditus euerti, vt ne vestigium quidem eorundem erroris restaret posteris ad intuendum. Sicut & post biennium, rursum prohibito *a* sub pœna mortis omni Gentilitio cultu, cuncta eorundem fana, templa, ac delubra, siqua restarent integra, omnino dirui collocationeque venerandæ Christianæ Religionis signi expiari præcepit. Iudeis autem licet veneritsygnagogas nouas ædificare, veteres tamen retinere concessit.

a l. vlt. C. Th. de pagan.

III. *b Lib. de Rb. Pont.* BONIF. PP. ORITVS.

Hoc eodem anno, octauo *b* Calendas Nouembris, *S. Bonifacius* Papa diem obiit. Id enim Prosper & Marcellinus indicant, dum his Coss. ingressum referunt successoris: ex quibus plane corrigendi sunt, qui sedi eius triennium tantum, vel paulo amplius tribuunt; cum ex tempore quod diximus eius electionis, vsque ad diem obitus, constet eum sedisse annis quinque, minus duobus mensibus & tribus diebus. Sepultus est via Salaria in cœmeterio S. Felicitatis martyris (in quo Oratorium ædificarat) iuxta corpus eius. Porro citat Beda *c* libellum de miraculis Bonifacii Papæ: sed cuius Bonifacii non dicit. Recitatque miraculum de puero Iudæo, à patre in ignem iniecto, quod Eucharistiam cum Christianis susciperis, Spiritus ardore incensus clamauerit se optare fieri Christianum; deque eius matre, puero opem ferente, itidem in ignem à marito iniecta; & seruatis ambobus illæsis. Cæterum cum sedes Bonifacii vacasset *d* dies nouem, frustra quibusdam petentibus reditum Eulalii schismatici, tertio Nonas Nouembris creatus est Cælestinus patria Romanus ex patre Priſco. Fuisse quidem pacificam eius electionem, satis declarant literæ *e* S. Augustini, quas ad ipsum mox scripsit, auxilium Apostolicæ Sedis implorans aduersus Antonii Episcopi Fussalensis (de quo superius) illegitime factam ordinationem. Et tamen qui Eulalii factionis erant, in eadem scissione perseuerasse, nec vllo pacto cum Cælestino communicare voluisse; significant Valentiniani rescripta *f* post annum sequentem aduersus eos data.

c Bed. in Collectan. in fi. MIRACVLVM DE PVERO ET FEMINA IVDÆIS.
d Lib. de Rb. Pont. CÆLESTIN. CREATVR ROM. PONT.
e Aug. ep. 262
f l. 62. 63. 64. C. Th. de hær.

IV. THEODORE. CREATVR CYRI EPISC.

Hoc eodem anno *Theodoretus* Cyri in Syria ciuitatis, octingentas (vt testatur *g*) parœcias sub se habentis, creatus est Episcopus. Id enim colligitur ex eo quod ipse in literis *h* ad Leonem Papam, datis (vt suo loco dicetur ex certa Coss. nota) anno Domini quadringentesimo quadragesimo nono, scribat eo tempore habuisse iam in sede Episcopatus annos viginti sex. Cum autem (vt alibi *i* refert) ante suam ipsius conceptionem à genitoribus Deo votus esset, & ab incunabulis oblatus; in monasterio permansit, quousque inuitus ordinatus est Episcopus. Tunc primum à Theodoreto Episcopo Antiocheno, deinde à Ioanne eius successore, ac demum Domno in locum Ioanni is defuncti subrogato, Antiochiæ plerunq; retentus est vt pro concione populum edoceret. Pollebat enim mira dicendi facundia, diuinis literis, necnon externis apprime imbutus; vt egregia ipsius contra Gentiles, aliaq; scripta apertam fidem faciunt cum alioqui de homiliis, quas ad populum habuit, nec vna supersit.

g Theod. ep. ad Leon.
h Id. ep. 111.
i Id. ep. 81. ad Nomum Cos.

V. EIVS IMMANES LABORES ADVERS. HÆRET. ICO. GENTIL.
k Id. ep. 146. ad eccl. suæ missa.

Cum vero & Ecclesiam suam (vt parerat) sæpe visitaret, eamque regionem Marcionitis hæreticis confertam videret; ad eos ab errore liberandos adiiciens animum, plusquam decem millia ipsorum (vt scribit *k*) ad Ecclesiam Catholicam conuertit: cum tamen vel vnum ex eis lucrari, quasi miraculum videri posset: nam facilius est inuenire Marcionitam à Gentilibus olim occisum, quam à Christianis Ecclesiæ redditum. Recenset autem ipsemet Theodoretus *l* sua ipsius quædam certamina contra eosdem hæreticos inita, quibus aduersus contrarios diaboli conatus diuinam expertus est opem, virtute Reliquiarum Sanctorum Martyrum, ac protectione Sancti Ioannis Baptistæ, precibusque Iacobi anachoretæ, in cuius Vita à se descripta hæc ipse fusius narrat. Nec vero solum cum Marcionitis fuisse illi confligendum, sed etiam cum Arianis & Eunomianis, Gentilibus item atque Iudæis, eosque similiter debellasse, & quamplurimos Ecclesiæ restituisse, sed non sine ingentibus periculis, quibus sæpe sanguinem suum fudit, sæpe lapidatus fuit, & sæpe ad portas mortis peruenit: idem *m* alia occasione ad Leonem Papam, & ad Nomum Consulem, siue Consularem, coactus

l Id. hist. lib. Patr. c. 21. & Baro. an. seq.
m Id. ep. 110. & 81.

est de

I. IOANNES TYRANNVS INSVRGIT.
d L. 2. C. Th. de dign. l. 1. quod cuiusq. &c.
e Soc. vbi sup. SED IVRÆ ECCLESIÆ TOLLENS, PRIVATVR IMPERIO.
f L. 46. & 47. C. Th. de Episc. & cler. & l. 59. 60. 61. C. Th. de hær. & l. 25. 26. 27. C. Th. de Iudæ. & l. 2. 13. C. de Paganis.
g Theod. l. 5. c. 36.

II.

est de se prædicare, cum grauissimarum procellarum impetu quateretur, de quibus dicetur suo loco.

IESV CHRISTI AN. 425.

CÆLESTINI AN. I.2.

THEODOS. II. 17. 18. VALENTIN. III. 1.

I. CASTINI CONS PUGA IN AFRICAM

ANNO Domini quadringentesimo vigesimo quarto, Castino & Victore Coss. idem Castinus calumniis inimicorum appetitus, ex Italia profugus in Africam, ad Bonifacium Comitem, ibi cum copiis Gothorum agentem, coactus est confugere: idque magna diuini iudicii dispensatione, cum ipse (vt dictum est superius) eundem Bonifacium sub se militantem adeo despexisset, vt ab exercitu recedere compulisset. Expunctum autem è Fastis nomen eius, rescripta *a* Theodosii Imperator hoc anno data demonstrant, dum ea Victoris tantum collegæ Consulatu notata leguntur. Hocque eodem anno, Ioannis tyranni iungere sibi Africam tentantis, exercitum ab eodem Bonifacio Comite repulsum esse, Prosper *b* tradit. De Castini vero fuga, & Ioannis in Africam conatibus, extant *c* etiam binæ ipsius Bonifacii ad Sanctum Augustinum inscriptæ literæ, totidemque Augustini nomine ad eum redditæ.

a *L. 36. De erog. milit. annon. l. 14. de collat. l. 5. de don. &c*
b *Prosp. in Chron.*
c *Ap. Aug. in Append. ep. 4. 5. 10. 11.*

II. d *Socr. l. 7. c. 23*

Inter hæc autem cum aduersus eundem Ioannem Theodosius exercitum misisset in Occidentem sub Ardaburio *d* duce seelestissimo, idem Ardaburius Salonis vrbe Dalmatiæ Aquileiam nauigans, vento aduerso flante in manus tyranni delatus est, & ab eo in custodia tentus Rauennæ. At vero

III. IO. TYRANNI DIVINITVS SVPERATVR, ET OCCIDITVR.

Anno sequenti, Christi quadringentesimo vigesimo quinto, eodem Theodosio Aug. vndecimum & Valentiniano Cæs. eius consobrino Coss. idem Ioannes ingentib. barbarorum copijs stipatus securus degens, ibidem Rauennæ extinctus est ab Aspare Ardaburii filio, aduersus eum post captum patrem misso; cui Angelus Dei in habitu & forma pastoris ducem itineris se præbens, eundem per stagnum Rauennæ adiacens (qua via nemo vnquam iter fecisse commemorabatur) aqua diuinitus exhausta, cum copijs suis in ciuitatem introduxit. Narrat hæc Socrates *e*, prudenter ea non Aspari ducis virtuti, sed Theodosii pietati ac religioni ascribens. Etenim constat, tam Ardaburium, quam Aparem eius filium, Magistros militiæ, secta fuisse Arianos; de quibus dicendum pluribus infeiius. Theodosius autem (vt idem auctor subdit) cum eius rei nuntium in Ludis Circensibus accepisset, insigni pietatis exemplo, iussis cessare ludis; populum ad ecclesiam perduxit ad gratias Deo agendas. Hicque finis tyranni; qui cum dominationis suæ primordia ab imminutione iurium Ecclesiæ auspicatus esset, Spiritu Dei flante repente extinctus est.

e *Socr. vbi sup.*

PIETAS THEODOSII IN GRATIARVM ACTIONE.

IV. SCYTHÆ CAESITVS EXTINGVI.

Nec tamen hic finis belli. Siquidem post extinctum Ioannem, confligendum adhuc fuit in Oriente contra immensam Scytharum, qui Nomadæ dicuntur, multitudinem; qui à Ioanne tyranno in auxilium accersiti, traiecto Istro Thraciam populari incœperant, iamque ipsi Constantinopoli minabantur: sed eos Deus, ipsius Imperatoris precibus, ferme omnes vna cum ipsorum ducibus, fulminibus, peste, & igne cæleste extinxit; vt narrant Theodoretus *f* & Socrates *g*, laudibus celebrantes miram Theodosii mansuetudinem, & pium erga Deum cultum, quorum causa tot tantaq; meruerit consequi beneficia. Eius vero mansuetudinis & tranquillitatis animi, hoc etiam Theodoretus adfert exemplum, quod cum aliquando à quodam audaciori monacho, ob nescio quid ei non concessum, interdictus communione fuisset: quamuis ab Episcopo Constantinopolitano moneretur, non curandam esse eiusmodi excommunicationem, tamen noluerit cibum sumere, quin Episcopi auctoritate ab eodem monacho, magno labore conquisito, communioni restitutus fuisset. Porro idem hoc ipso anno Calendis Februarii rescriptum dedisse reperitur *a*, de factis Festis dieb. religiose sancteque absque spectaculorum hilaritate seruandis.

f *Theo. l. 5. c. 36*
g *Socr. l. 7. c. 41. 42.*

THEODOSII RELIGIO, ET MANSVETVDO.

a *L. 5. C. Th. de spectac.*

In Occidente quoque post tyrannum extinctum, pugrandum fuit cum *Aetio* fortissimo Duce, sub se habente *b* sexaginta millia Hunnorum, quos pro tyranno aduocauerat: magnaque vtrimque cæde peracta, sic res inter eos compositæ sunt, vt Aetius auctus Comitatus dignitate ab Imperatore reciperetur, Hunni vero auro donati ad propria remitterentur. Sicque Dei ope factum est, vt maximi motus Orbis breui temporis spatio feliciter sedati fuerint; Galla Placidia Augusta summa pace regnante cum VALENTINIANO paruulo filio; quem *c* hoc ipso anno, decimo Calendas Nouembris, Theodosius ipsius consobrinus Imperatorem Occidentis, missaei corona renuntiauit. Qui & ipse Valentinianus pro acceptis tot insignibus à Deo muneribus, in gratiarum actionem, pias valde confestim edidit Aquileiæ sanctiones *d*, quibus hæreticos & schismaticos, necnon Gentiles Ioannis fauore rursum capita erigere incipientes compressit, & priuilegia ab eodem tyranno ablata Ecclesiis restituit; ac præcipue clericos à sæcularibus iudiciis, quibus eos indiscretim tyrannus subiecerat, exemit: *Fas enim non est*, (inquit) *vt diuini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.*

V. AETIVS HVNNOR DVX.
b *Prosp. in Chron.*
VALENTINIANVS PLACIDIVS DECLARATVR AVG.
c *Prosp. & Marcel. in Chron. Socr. l. 7. c. 24. 25.*

d *l. 6. 63. 64. C. Th. de hær. l. 46. 47. C. Th. de Episc. & cler.*

His iisdem Coss. Theodosio & Valentiniano Atticus Constantinopolitanus Episcopus sexto Idus Octobris ex hac vita migrauit, vt refert Socrates *e*: qui illum cum ob multas alias res præclare gestas laudat, tum ob munificentiam erga pauperes, ac præcipue illos qui mendicare erubescerent, nec hæreticos quidem ab accipiendo excludens, cum opus haberent naturæ necessariis. Quem quidem modum inimicis Ecclesiæ benefaciendi, laudauit etiam aliquando Sanctus Gregorius *f* Papa. Eidem vero Attico tantum tribuit idem Socrates, vt obitus sui diem prædixisse affirmet. Laudatur insuper à Sanctis Cyrillo *g* Alexandrino, Cælestino *h* Papa, Augustino *i*, atque Prospero *k*, de insigni Orthodoxia, & hæreticorum, ac maxime Pelagianorum exagitatione. Sed quod eius sedi apud Socratem tribuantur anni viginti vnus, error est: siquidem illum decem & nouem tantummodo annos, menses septem, minus tres dies sedisse, constat ex eodem Socrate *l* atque Sozomeno *m*, dum ostendunt sedere cœpisse sub Coss. anni Christi quadringentesimi sexti, tertio Idus Martii, & hoc anno sexto Idus Octobris mortuum esse. Quis autem suffectus fuerit, dicetur anno sequenti.

VI. ATTICI EPISC. CONS. OBITVS.
e *Socr. l. 7. c. 25*
f *Gr. 2. ep. 32. ad Ioa. Rauc.*
g *Cyril. Alex. ep. cons. Nest. in Calest. ep. ad Nestor.*
i *August. 3. cont. Iul. 2.*
k *Prosp. carm. de Ingrat.*
l *Socr. l. c.*
m *Soz. l. 8. c. 27*

Ante vero quam ipse moreretur, eodem anno, tertio Calendas Martii, Theodosius Imperator gymnasium litterarium Constantinopoli in meliorem formam restituit *n*, vetuitque imprimis neminem publice docere, qui non probatus esset, & ad hoc munus delectus: professionumque vnamquamque artem atque scientiam, certum numerum definiuit: nempe vt essent Romanæ eloquentiæ tres Oratores, decem Grammatici; Græcæ verò facundiæ Sophistæ quinque, ac decem Grammatici; item Philosophus vnus, ac duo Iuris & Legum professores. Alia vero Idibus eiusdem mensis Martii edita sanctione *o*, eos qui viginti annorum cursum docendo explessent, Comitiuæ ordinis primi dignitate honestari voluit.

VII.
n *L. 3. C. Th. de stud. liber.* THEOD. SANCTIONIS DE PROFESSORIB. LITERAR.
o *l. 1. C. Th. de Professor.*

IESV CHRISTI AN. 426.

CÆLESTINI AN. 3.

THEODOS. II. AN. 19. VALENTIN. III. AN. 2.

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo sexto, Theodosio duodecimum & Valentiniano secun

I.

dum Augg. Coss. cum de successore in locum Attici nuper defuncti Episcopi Constantinopolitani eligendo diu certatum esset, tandem pridie Calendas Martii, vniuerso petente populo, *Sisinnius* ordinatus est. Narrat hæc Socrates *a*, eiusdem extoliens pietatem, & erga pauperes benignitatem: quem pariter commendat Marcellinus, virum sanctæ simplicitatis, & simplicis prædicans sanctitatis: sed quod præ cæteris æstimandum est: eundem summis laudibus ornat Caelestinus Romanus Pontifex in epistola ad Nestorium postea scripta.

SISINNIVS CREATVR EPISC. CONSTANT.
a Socr. l. 7. c. 26.

II. *b Ibi. c. 27.* PHILIPPI SIDITÆ HISTORIA.

Fuisse eius competitores Philippum Siditam, & Proclum, eiusdem Ecclesiæ presbyteros, ambos olim S. Ioannis Chrysostomi discipulos, Socrates tradit: additque *b* *Philippo*, edidisse post hæc aduersus Iuliani Imp. Apostatæ libros, opus, quod *Historiam Christianam* inscripsit, in multos libros dispertitum, sed rebus inanibus inflatum, quo se doctrina philosophorum & humaniorum literarum exculturn ostentaret: adeo vt eum ex ea parte, tum ex maledicentia qua Sisinnium, eiusque ordinatores Episcopos, ac postulatores Isicos perstrinxit, eandem Historiam Socrates valde improbet. Quod & fecit postea Photius in Bibliotheca, dum eam discrepationem potius, quam historiam fuisse dicit. Quod vero ad *Proclum* alterum competitorem spectat; tradit Socrates *c*, ipsum à Sisinnio ordinatum esse Episcopum Cyzicenum, ex auctoritate legis, quæ iuberet nequis Episcopus designaretur absque sententia Episcopi Constantinopolitani: sed Cyzicenos illo spreto alium accepisse, quod dicerent legem illam in fauorem dumtaxat Attici factam fuisse: sicque Proclum repulsum Constantinopoli permansisse, ibique magnam laudem docendo adeptum esse. Ex quibus videas, neque in ipso Hellesponto ius vllum ex aliqua Synodo Oecumenica vendicasse sibi Episcopos Constantinopolitanos; sed Attico id tantum fuisse concessum, nescio cuius legis auctoritate; ac forte eadem, qua Illyricanam Ecclesiam sibi ab Imperatore subiici procurasse superius vidimus.

c Cap. 18. PROCLVS FRVSTRA ORDINATVS EPISC. CYZ.

III. *d Ap. Aug. ep. 110.* AVG. COADIVTOREM SIBI ERADIVM ELIGIT.

Huius quoque anni Coss. die vero sexto ante Calendas Octobris, consignata habentur Acta *d* Ecclesiastica publice à notariis excepta, de re gesta apud Sanctum Augustinum apud Hipponem, cum assistentibus sibi duobus aliis Episcopis, vniuerso clero populoque præsente atque consentiente, allegit sibi coadiutorem in Episcopali functione *Eradium* presbyterum, quem & optauit sibi post mortem succedere: cuius rei recens præcesserat exemplum de Seuero Episcopo Milevitano, qui sibi viuens successorem designauerat. Erat autem Augustinus hoc tempore annum ætatis agens septuagesimum secundum, Episcopatus vero trigesimum secundum: vixitque post hæc annos quatuor. Porro licentia ista designandi sibi successoris, bene vti sunt complures sancti Episcopi, cum quos diguissimos sciebant, eos deligebant: exorescente vero hominum iniquitate, cum successionem Antistites refundebant in propinquos, quos carnalis affectio, non meritorũ excellentia commendaret, eadem postea (vt videbitur) proscripta est sacris canonibus, & decretis Summorum Pontificum.

IV. *e Aug. ep. 7. 1. Possid. Vit. S. Aug. c. 18. f Aug. ep. 2. ad Quoduultd. tom. 6. in pr. g Id. de praedest. sanct. c. 3. & de bon. persev. l. 2. c. 21.*

Post hæc autem Augustinus, quod diu ante meditatus *e* fuerat, hoc anno *f* & sequenti omnia sua scripta relegens, duos illos *Retractationum* libros conscripsit. Cum interim non desistens alia quoque multa, à multis hinc & inde interpellatus *g*, tractanda suscipere, inter alios scripsit *De Praedestinatione sanctorum*, & *De Bono perseuerantiæ*, aduersus Pelagianos, qui ipsius de Vocatione & pœnitentia electorum, deque Gratia præueniente, & aliis eiusmodi, scripta insectari cœperant: prout de iis fuerat admonitus literis Prosperi Aquitani, & Hilarii Arelatensis: quorum prior commercio litterarum iam ei notus erat, posterior etiam ipsius discipulus extiterat: vnde & iidem aduersus prædictos eius obtrectatores, defensionem ipsius promptissimo animo susceperant: ad eos vero Augustinus prædictos suos tractatus conscripsit: de quibus rursum dicendum infetius.

V.

Hisipsis Coss. (vt habet idem ipse Prosper in suo Chronico) Patrocles Arelatensis Ecclesiæ inuasor, de quo supra, ambitionis suæ pœnas luens, à Tribuno quodam barbaro vulnerib. laniatus, occisus est occulta iussione Felicis Magistri militum: cuius etiam impulsu *Titus* diaconus Romanus interfectus, eo nomine adscriptus est *a* inter sanctos Martyres. Ipse vero Felix ob hæc nefanda tandem post triennium diuino iudicio pœnam talionis passus, occisus est cum vxore ab Aetio Magistro militum. Porro in locum Patrocli suffectus est *Sanctus Honoratus*, Abbas & fundator cœnobii *Lirinensis*, quem ideo Sanctus Eucherius *b* primo *Insulanum*, inde vero *Magistrum Ecclesiarum* appellat. Cuius res præclare gestæ, delicatæ ab eius in vita monastica discipulo, & in sede Episcopali successore Sancto Hilario (quod testatur Gennadius *c*, & alii post eum) oratione funebri de illo habita, prodierunt haud pridem in lucem: ex quibus refellantur fabulæ, seu potius dicenda delicta incerti auctoris tribus conscripta libris; quæ talia habent, vt non sine nausea legi possint, nisi ab eo cuius sit stomachus ferreus, & ignorantiæ obductus rubigine. Ex ipso vero Hilario constat, fuisse Honoratum Senatoria ac Consulari familia ortum, patria Arelatensem; eundemque duce Sancto Caprasio sene conuersum in monachum, vitandæ causa humanæ laudis iter arripuisse Orientem versus: sed defuncto in Achaia itineris comite ipsius germano Venantio nomine: ipsum haud leuiter ægrotantem in patriam remeasse; ac primum omnium, consilio Leontii Forojulienſis proxime degentis Episcopi, incoluisse insulam Lerinensem à serpentibus obsessam, è regione oppidi Antipolis: illicque, cedentibus illis, ecclesiam & monasterium erexisse, excepisseque à sæculo profugos ad vitam monasticam excolendam: à cuius nomine eadem insula dicta postea est *Sancti Honorati*.

a Martyrol. Rom. 15. Aug.

HONORATVS ELIGITVR EPISC. ARELAT.
b Eucher. ep. ad Salon.
c Gennad. de Vir. Illu. c. 69.

EIVS GENVS, ET VITÆ INSTITVTVM.
Quæ habet alia occasione Baron. Tom. 6 an. 445.

IESV CHRISTI AN. 427.

CÆLESTINI AN. 4.

THEODOS. II. AN. 20. VALENTIN. III. AN. 3.

I.

ANNO Domini quadringentesimo vigesimo septimo, Coss. Hierio & Ardaburio, (siue Artabure, vt est in veteri inscriptione basilicæ Sancti Pauli Romæ:) Bonifacius Comes in Africa cum exercitu agens, insidiis ac dolo Felicis Magistri militum, (vt habet Sanctus Prosper *d*) siue (vt volunt Procopius *e*, & auctor Miscellæ) Actii æque Magistri militum, apud Placidiam Augustam & Imperatorem Valentinianum affectatæ tyrannidis accusatus, publico bello appetitus est à ducibus Mauoritio, Galbione, & Sinoce. Sed huius vltimi proditione duobus illis, cum Bonifacium obsiderent, interemptis, ipsoque postea Sinoce à Bonifacio occiso, eiusdem belli cura Sigisuulto Comiti cum valentioribus copiis delegata est. Itaque Bonifacius propriis diffidens viribus, furore percitus transfretans in Hispaniam *f*, Wandalos, Arianorum omnium perditissimos, inde in Africam duxit: qui cum iam in Hispania *g* Catholicos variis pœnis atque suppliciis diuexassent, modo pariter in Africa, cuncta ferro, flamma, rapinis, crudelissime deuastantes, Catholicam denique fidem Africana impietate subuerterunt, vt videbitur suis locis. Porro ansa Bonifacium accusandi, & in suspicionem adducendi apud Imperatores, ea inuidis tributa est, quod cum eidem iussu Valentiniani proficiscendum fuisset in Hispaniam, ibi affinem Wandalorum Regum vxorem duxisset. Quamus & alioqui iam desciuisset miser à pristina illa pietate, morumque probitate, in qua se hactenus Augustini, aliorumque sanctissimorum Episcoporum monitis continuerat: in vitia prolapsus enormia, quæ idem Augustinus *h* modeste exprobrauit, literis suis illum ad meliorem frugem reuocare studens. Quæ vero post hæc gesta sunt, dicentur anno sequenti.

d Prosp. in Chron.
e Proco. l. 1. de bel. Vand.
f Misc. l. 14.
BONIFACIVS DVX WANDALOS IN AFRICAM DVCIT.
g Idem qui sup. auctores. h Vid. Greg. Tur. 2. hist. Franc. 11. Aug. ep. 220. ad Honorat.
i Aug. ep. 7.

Hoc vero eodem anno contigit *i*, vt *Sancti Ioannis Chrysostomi* memoria ritu solemni in Ecclesia anniuersaria die

II.
k Marcell. in Chron.

ria die celebrari cœperit : Iisdemque Coss. duodecimo Calendas Iunias Theodosius & Valentiniarius Imperatores sanciuerunt *a*, ne sanctum Crucis signum, vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis insculperetur, vel pingeretur : videlicet cauentes ne pedibus calcaretur. Ac sub finem anni, nempe *b* nono Calendas Ianuarii, Sisinnius Episcopus Constantinopolitanus ex hac vita migrauit ; de cuius successore dicetur anno sequenti.

a l. 1. C. nem. lic. sig. Cruc.

b Soc. l. 7. c. 28

III. *c Phot. in Biblioth.* CONC. CONTRA MASSALIANOS HÆRET.

Hoc item anno, in Oriente (sed quo loco nescimus) celebratum est *c* Concilium aduersus Massalianos hæreticos, alias sæpe damnatos : quo sancitum est, vt iidem quantamlibet imaginem pœnitentium præseferrent, nunquam amplius in Ecclesiam reciperentur, quam iam sæpissime relapsi eluisserent, neque si decies millies (vt aiunt) pollicerentur se esse paratos ad ea omnia quæ ad pœnitentes pertinent. Porro celebrem huiusmodi fuisse Episcoporum Conuentum, inde possumus intelligere, quod interfuisse eidem & subscripsisse reperiantur inter alios Sisinni. Constantinopolitanus Episcopus, & Theodotus Antiochenus ; vt Photius, cum agit de eodem Theodoto, tradit. Ex quo erroris arguitur Nicephorus in catalogo Antiochenorum Episcoporum, dum eidem Theodoto annos duntaxat quatuor in sede tribuit : quem ad annum vsq; decimum sextum vixisse Episcopum, cum ex his, tum ex iis quæ de eius interitu dicta sunt superius, euidenter apparet.

IV. IOA. EPISC. ANTIOCH. ELIGITVR.

Defuncto autem paulo post eodem Theodoto, laudato satis Episcopo, subrogatus est hoc ipso anno in locum eius *Ioannes*, ex schola (vt exitus demonstrauit) Theodori nefandissimi Episcopi Mopsuesteni ; qui cum diu latuisset inter Catholicos, erupit tandem in horrendam blasphemiam, qua in diuinis Quaternitatem constituit, aliaque nefanda deliravit, quæ recensentur in Constituto Vigilii Papæ, & Edicto Iustiniani Imperatoris, de quibus suo loco. Cuius etiam adeo studiosus fuisse Theodoretus perhibetur, vt credendi occasionem dederit, quod ab eo nomen deriuando dici voluerit Theodoretus. Quapropter & ipsius obitu, ac laudibus, Historiam à se scriptam clausit *d* ; & maxima ob id eam, omnium sententia, ignominia affecit. Sicut pariter Sozomeni Historia, eadem occasione laudum Theodori, à Sancto Gregorio *e* Papa respuitur : quæ tamen hodie non reperiuntur apud eundem Sozomenum, quod (vt alias vidimus) multa ex ea exciderint, & illa ipsa tempora, quibus de eodem Theodoro tractandi se ingerebat occasio. Quod non attendens Melchior *f* Canus, ausus est eundem Magnum Gregorium historiæ ignorantiæ fugillare : quem nos alibi *g* pluribus redarguimus. Porro hic Theodoretum Historiæ suæ finem imposuisse ea ex causa reor, quod noluerit attingere Nestorii tempora, æque eiusdem Theodori discipuli, qui anno sequenti creatus est Episcopus Constantinopolitanus ; sciens videlicet per scabra sibi incedendum fore, quando in seipsum opus fuisset conuertere stylum. Sed vt paucis habeas totam ipsius Theodoreti vitæ periodum : qui à parentibus Deo dicatus, numeros magna cum laude monasticæ institutionis absoluit, consuetudine Theodori Mopsuesteni tantam gloriam obumbrauit, obnubilauit vero ex Nestorii amicitia, obscurauitq; penitus ex susceptо aduersus Sanctum Cyrillum eiusdem hęresiarchæ patrocinio. Sed rursum spirante diuini Spiritus aura fugatis densis nubium globis, iterum decorus apparuit, & in communicatione Catholicæ Ecclesiæ, atq; amicitia S. Leonis Papæ, diem clausit extremum : sicut hæc omnia ex istorum Annalium serie perspicua fiunt.

d Theodor. l. 5. c. vlt.

e Greg. 6. ep. 51

SOZOMENI HISTORIA MVTILATA.

f Melch. Can. loc. Theol. l. 12. c. 6.

g Baron. Not. in Martyrol. Rō. 23. Dec. f.

THEODORETI VITÆ PERIODVS.

IESV CHRISTI AN. 428.

CÆLESTINI AN. 5.

THEODOS. II. AN. 21. VALENTIN. III. AN. 4.

ANNO Christi quadringentesimo vigesimo octauo, Tauro & Felice Coss. Africa Wandalorum grassatione sub eorum Rege Genserico (siue vt alii appellant, Geiserico) misere deuastata est ; compulso Deo iusto iudice, cum aliis ingentibus Aforum criminibus, tum maxime nefandissimis impudicitiis, (vt sicut inter alios, fuse ac flebiliter queritur Saluianus *a*, magni nominis horum temporum Massilienſis Episcopus) vt hostiles plagas, excitatas pene ab vltimis terræ finibus, in eos immitteret. Testatur enim Procopius *b*, *VVandalos* populos fuisse circa Mæotidem paludem consistentes ; eosdemque fame pressos, in Germanos illos irrupisse, qui *Franci* dicuntur. Addit vero Saluianus, inde eos in Gallias, mox in Hispanias, ac demum in Africam penetrasse, ad punienda earundem nationum flagitia ; cum & ipsi faterentur, non suum esse quod facerent, sed agi se diuino iussu, ac perurgeri. Sicut & Sanctus Augustinus, paucis his diebus quibus superuixit, cum cladem barbaricam nonnisi ob exundantem peccatorum copiam Afros pati testatus est, iam in profundum illud scelerum eos peruenisse demonstrauit, quod à diuina Scriptura *c* verbis istis significauit, *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Quo eodem tempore, quidnam pastoribus populorum faciendum esset, fugiendumne, vel vna cum cæteris Wandalorum opperiri catenas & gladios, cum hac de re controuersia verteretur, à duobus Episcopis Afris, Quoduult Deo & Honorato, consultus idem Augustinus, rescripsit *d*, nec eos esse prohibendos qui ad loca munita migrare desiderarent, & ministerii vincula, ne Episcopi Ecclesias deserant quib. seruire debent, non esse rumpenda.

I. CVR AFRICA MERVERIT WANDALIS TRADI.

a Saluian. l. 7.

b Procop. l. 1. de bel. VVand.

c Prou. 18.

EPISCOPI AN FVGERE DEBEANT.

d Aug. ep. 180 ad Honor.

Cæterum Victor *e* de Wandalorum progressu agens, ait calliditate Genserici ducis, vt famam terribilem suæ faceret gentis, omnem multitudinem numeratam esse, ac repertos senes, iuuenes, paruulos, seruos, vel dominos, octoginta millia, tantum numerum vbique diuulgasse : Inuenientes autem pacatam prouinciam, vniuersam terram depopulatos esse, incendioque & homicidiis totum exterminasse ; sed nec arbustis fructiferis omnino perpercisse, ne forte quos antra montium, aut præruptа terrarum, vel secluſa quæque occultauerant, post eorum transitum illis pabulis nutrirentur ; nullumque ab eorum crudelitate remansisse locum immunem. Interim vero Bonifacius Comes ; qui eosdem barbaros prouocarat in Africam, per amicos suos in amicitiam Placidiæ Augustæ atque ipsius filii Valentiniani redintegratus, initam cum Wandalis societatem detestans, pecunia primum, postea prælio eos pellere tentauit ; sed victus ab ipsis, Hipponem Regium se recepit, ciuitatem Numidiæ maritimam ac munitissimam, Sancti Augustini sedem, quam postea (vt dicetur) Wandali obsederunt. Hæc autem de Bonifacio narrat Procopius *f* ; quorum etiam meminit Possidius in Vita Sancti Augustini, cætera vero postea.

II. *e Vict. Vtic. de persec. VVand. li 1. de præfat.* DIRA CLADES AFRICÆ

f Procop. l. 1. de bel. VVandal.

Sub iisdem Coss. (inquit Sanctus Prosper *g*) pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam acceperant, Aetii Comitis armis recepta est. Eadem Cassiodorus in Chronico ; necnon Sidonius Apollinaris in Panegyrico de Consulatu Maioriani, qui sub Aetio tunc eques pugnauit contra Francos. Nam bene vsus Aetius opportunitate temporis, adortus eos ex improuiso, dum chorcas ducerent in nuptiis cuiusdam nuptæ Franco claræ puellæ ; & illam cepit, & cæteros in fugam egit nouo casu perculsos. Persimili plane olim modo Francos imparatos offensos, leui negotio à Iuliano Apostata superatos fuisse,

III. *g Prosp. in Chron* FRANCI IN GALLIA VICTI.

Ammia-

a *Ammi. l.*20 b *Vopisc. in Procul. Salu. l.*4 & 7.

MVTATI IN MELIVS FRANCOR. MORES.

Ammianus a tradit. Porro quod iidem Franci tam à Gentilibus, quam Christianis antiquis Scriptoribus b, reperiuntur dicti *Fidifragi*; tales quidem ipsi cum adhuc essent idolatræ, & humanas cæderent hostias; sed exculti Christianis moribus, eo religionis & fidei ac constantiæ peruenerunt, vt inter Christianos omnes & obseruantissimos fidei populos, inuenti sint maxime pii & fideles defensores Ecclesiæ, custodesque Catholicæ veritatis & disciplinæ. Quod vero de Francis dicimus, de aliis quoq; dicendum nationibus; quæ cum antequam fidem Christianam susciperent, deprauatis feralibusque essent moribus, vbi sacro initiati sunt baptismo, nouum hominem induentes, mansuefacti & pii sunt redditi; sicut pluribus demonstrat Theodoretus in libro de Legibus. Vt vel ex hoc vno cernere sit Catholicæ fidei veritatem, cum hoc minime inuenire detur apud hæreticos: quos tantum abest Ethnicos vnquam ad vitam exultiorem perduxisse, vt ipsimet ex quo à sinceritate fidei defecerunt, redditi sint barbaris omnib. scelestiores, quantumlibet nonnulli ad tempus conati sint tegere lupum ouina pelle. Quod quidem de Francis, de quibus est sermo, nostro tempore satis euidenter apparuit; dum si de vere Catholicis agitur, vix in Orbe sit inuenire illis æquales probitate & constantia; si de peruersis in hæreses, haud facile sit reperire nequiores.

CLODIONIS PRÆLIA.

[Quod pertinet ad pugnam Francorum, præcedenti art. enarratam; in dubium reuocauit Sim. in Not. ad Sidon. verum quæ Sidonius habet de prælio ab Aetio & Maioriano inito aduersus Clodionem Francorum Regem, aptari possint ei bello, quod Prosper & Cassiodorus hoc anno gestum contra eosdem Francos ponunt. Rationesque dubitandi has affert; imprimis quod non videatur consentaneum, vt Maioianus hoc anno ei interesse, & tam acriter dimicare potuerit, qui triginta post annis in suo Consulatu, quo ei Sidonius panegyricum dixit, adhuc iuuenis fuisse dicitur: Deinde quod illa expeditio, cuius meminerunt Prosper & Cassiodorus, ad Rhenum; hæc Sidoniana ad Attebates & vicum Helenium contigerit. Certius ergo putat, hanc gestam esse post annum Christi quadringentesimum quadragesimum quintum: quo tempore, cum Gregorio & Sigeberto Annales Francorum tradunt, Clodionem è Thuringorum finibus egressum, protritis Romanis qui eis Rhenum erant, in Carbonarium siluam venisse, Tornacum & Camaracum vrbes, aliaque mox omnia ad Somanam vsque fluuium occupasse. Cumque in proximos etiam Attebatum agros peruaderent Franci, ab Aetio inhibitos esse, & victoria illa quam Sidonius laudat repressos. Haud enim fuisse penitus ab Aetio è Galliis expulsos, ex Gregorio Turonensi, aliisque rerum Gallicanarum Scriptoribus constat.

IV.

Sed quod ad statum pertinet huius temporis Ecclesiarum Galliæ Narbonensis & Viennensis; turbatum illum fuisse ab innouatoribus, intelligi potest ex literis c Cælestini Papæ hoc anno ad eorum Episcopos scriptis: Emersisse nimirum, qui in vestitu clericorum nouum vsum inducerent, nempe vt incederent palliati, ac præcincti renibus, eo quod Dominus d suos admonuisset, *Sint lumbi vestri præcincti, &c.* Quos reprehendens Cælestinus, iussit clericos illum, quem à maioribus accepissent, retinere habitum, nec à peregrinis peregrinum acciperent: quod præstaret moribus magis, quam indumentis, sacerdotalem præseferre decorem. Redarguit etiam eos de aliis quibusdam perperam gestis, atq; inter alia de probrosa Danielis cuiusdam, sanctimoniam olim in Oriente corruptoris, facta ab ipsis ad Episcopatum promotione, qui ab Orientalibus apud Sedem Apostolicam de sceleribus suis reus constitutus fuerat.

c *Caelest. ep.* 1. *Tom.* 1. *Epist. Rom. Pont.*

d *Luc.* 12.

NOVA HABITVS INVENTIO VETITA CLERICIS.

V.

Sub iisdem Coss. cum ageretur de subrogando in locum Sisinnii Episcopo Constantinopolitano, multique Philippum, complures Proclum designatum cuperent, (ambos olim, vt vidimus, eiusdem Sisinnii competitores:) visum est Theodosio Imperatori, de consensu populi, Nestorium, Antiochia accersere, oriundum ex Germanicia vrbe Syriæ, magnique nominis Ecclesiæ Antiochenæ presbyterum ex monacho, & quod lingua disertus esset aptum docendo populo indicatum. Narrat hæc Socrates e; eumque ordinatum tradit quarto Idus Aprilis. Cassianus f vero ait, cum Ecclesia Constantinopolitana olim ab Antiochena sanctissimum atq; doctissimum nacta fuisset Antistitem Ioannem Chrysostomum, inde aliumei similem recepturam se credentem, Nestorium delegisse. Qui quidem simulac ordinatus fuit, oratione ad Imperatorem habita, cum aduersus hæreticos commouens, hanc sententiam, tantopere postea decantatam, coram vniuerso populo protulit; *Mihi, ô Imperator, terram hæreticis tu purgatam tribue, & ego tibi cælum tribuam. Tu mihi in profligando hæretico subuen, & ego tibi in profligandis Persis* (nempe hodie hæreticis) *subuentam.* Paucisque post diebus ecclesiam Arianorum, in qua clam preces fundebant, demolitus est, aliosque quoscunq; hæreticos insectari cœpit, interq; illos, etiam Nouatianos; vnde Socrati homini Nouatiano orta occasio, nimiæ illum vanitatis & præcipitationis arguendi; cum econtra plurimum laudis ab eiusmodi hæreticorum exagitatione meruerit accipere. Cuius etiam incenso zelo Imperator, alioqui sua sponte bene curans, vehementius excitatus, cum omnes hæreticos varijs subiecit pœnis, tum etiam turpes personas edictis a suis repressit. Porro de Nestorii ordinatione scripsisse ex more Episcopos qui interfuerunt, ad Cælestinum Romanum Pontificem, & Cyrillum Episcopum Alexandrinum, viram eius & doctrinam multum prædicantes, constat ex literis eorundem Cælestini b & Cyrilli c ad eos redditis.

EIVS DEFELLENDIS HÆRET. EGREGIVM DICTVM.

a l. 65. de hær. l. 2. de lenon. C. Th.

b *Caelest. ep. ad Nestor.*

c *Cyril. ep. ad Theod. tom.* 5. *Concr. Ephes. edit. Felt.*

VI.

Verum ipse plane iam potius honore, cui simulata olim vitæ sanctitate inhiauerat, (vt egregie illum postea depinxit Theodoretus d) infelix subito ex pastore conuersus in lupum, (inquit Vincentius e Lirinensis) gregem Christi lacerare cœpit; cum hi ipsi qui rodebantur, ex magna adhuc parte pastorem crederent, ideoque morsibus eius magis paterent: quippe qui vt vni hæresi suæ aditum patefaceret, cunctarum hæreseon blasphemias infectabatur, & noxios quoque Iudæorum atque Gentilium confutabat errores. Hic igitur talis, his ipsis Coss. (vt habent Prosper f & Liberatus g) prædicare cœpit ex Maria hominem tantum, & non Deum natum, eique diuinitatem collatam esse pro merito. Cuius quidem hæresim deducit Cassianus h è fæculentis fontibus Ebionæis, deriuatque per lutulentos eorum cuniculos qui Christi negauerunt diuinitatem, ac demum per Pelagianorum esse productam cloacas tradit. Sed contra Socrates i, qui se in Nestorii libris versatum ait, negat eum Pauli Samosateni aut Photini opinionem sectatum esse, aut CHRISTVM solum hominem dixisse; sed vocem dumtaxat *Deiparam*, præ insigni insciti & ignoratione reiecisse: licet enim eloquentia polleret, imperitum tamen fuisse; & seipsum efferentem, veterum scripta legere neglexisse, in quibus alioqui vocem *Deiparam* sæpius vsurpatam reperire potuisset.

d *Theod. ep. ad Sporad.*

e *Vinc. Lirin. c.* 16.

IN PRAVVM MVTATVR.

f *Prosp. in Chron.*

g *Liber in Breuiar. c.* 20.

h *Cassian. de Incar. Verb. l.* 1. & 5.

i *Soc. l.* 7. *c.* 32.

VII.

Assentimur & nos Socrati, recte primarium edocenti fontem vnde omnes hæreses manare solent, ex quo & Nestorius venenua hausit; nempe ex tumore mentis, neglectuque SS. Patrum, & contemptu antiquarum Ecclesiæ traditionum. Sed quod negat Nestorium Pauli Samosateni vestigiis institisse, haud res ab eo exacte videtur esse considerata; cum omnes qui de Nestorio scripserunt, secus sentiant, atque imprimis Cælestinus Papa ad ipsum Nestorium scribens: sicut & Cyrillus Alexandrinus demonstrat, Nestorium quindecim capitibus eadem cum Paulo hæresiarcha sensisse. Denique Nestorium fuisse Pauli Samosateni nepotem, Suidas testatur: vt vel hinc verisimile sit, eius errores ipsum instaurare conatum esse. Sane longe ante Nestorium, inter Latinos Patres Ambrosius k non a-

k *Ambr. de Incarn. Dom. c.* 6.

lium quam Paulum Samosatenum, eiusque sectatores sugillauit, cum dixit, nonnullos aliud Dei Verbum, alium verum Dei Filium credidisse. Quam sententiam Nestorium accepisse, qui non videt? At ii altiorem peras origi-

l *Ap. Soc. l.* 1. *c.* 5.

nem, inuenies eandem positionem Ario tributam l ab Alexandro Episcopo Alexandrino. Sic igitur cum negari non possit, Nestorium complura ex Paulo mutuatum; tamen certum est, versipellem hæresiarcham, scientem male audire in Ecclesia nomen eiusdem Pauli, simulasse illum pariter detestari; adeo vt in ipsum iactarit, *Sic peream Paulus Samosatenus, qui nudam nobis Dominicam deseruit humanitatem.* Et alioqui inter illos huiusmodi ponitur differentia, quod Nestorius negarit in vtero sanctissimæ Virginis CHRISTVM fuisse Deum, Paulus autem semper.

Nec

NESTORIVS ELECTVS EPISC. CONSTANT.

e *Soc. l.* 7. *c.* 29. f *Cassian. de Incar. l.* 7.

Nec qui tradunt Nestorium secutum esse Paulum, vel alios impios negantes hypostaticam vnionem carnis cum Verbo eundem cum illis omnia sensisse astruunt: quandoquidem in eo potissimum ab iis omnibus Nestorius discrepabat, quod se Nicenę fidei assertorem esse gloriaretur, cui illi penitus aduersarentur.

VIII.

Sed vt viciniorem attendamus canalem, ex quo in ipsius agrum parua dogmata fluxerunt; constat Nestorium discipulum fuisse Theodori nefarii illius Mopsuesteni Episcopi, testante id Euagrio *a* & aliis: ac Quinta Synodus *b* Oecumenica, necnon Iustinianus Imperator edicto *c* de Fide Catholica, damnasse reperiuntur ipsum Theodorum, veluti ducem Nestorii. Asseritque insuper Cyrillus *d*, præceptorem habuisse Diodorum Tarsensem Episcopum. Porro eandem doctrinam Diodori fuisse, quæ fuit & Theodori, Theodoretus *e* affirmat. Quænam vero fuerit Diodori, Cyrillus tradit illum, cum primo Spiritus Sancti impugnator extitisset, eiusmodi postea deponentem Macedonianæ perfidiæ maculam, in alteram recidisse, sensisseque alterum esse Filium seorsum qui de semine Dauid & Sancta Virgine natus est, & alterum proprie Filium Dei Patris: eundemque ouina pelle lupum contegentem, simulasse quidem vnum se Christum docere, hoc nomen tantummodo vt Patris Verbo Filio vnigenito tribuentem, gratiam vero & huic deputantem quiest ex semine Dauid, quem & Filium vocaret, tanquam vnitum ei qui secundum veritatem est Filius; vnitum autem iuxta solam dignitatem, & auctoritatem, & honoris æqualitatem. Cuius discipulus Nestorius simulauit quoque se vnum Christum etiam Filium & Dominum confiteri; verum & ipse duos in vnum indiuiduumque partitus est, hominem dicens Deo Verbo æquinoca nuncupatione, & honore, & æqualitate, atque dignitate coniunctum. Hæc de ambobus Cyrillus.

a *Euag. l. 1. c. 2.*
b *Conc. Oecu. 5. Act. 4. &c.*
c *Ext. tom. 2. Conc.*
d *Cyril. de inear. vnig. & ep. ad Successe.*
e *Theod. 5. hæret. vlt.*
DIODORI TARSEN. HÆRESIS.

IX.
IS QVAMDIV VIXIT, LATVIT QVALIS ESSET.

Cæterum Diodorus ex monachorum Abbate, præfectus olim Tarsensi Ecclesiæ à Meletio Antiocheno, quamdiu vixit, non latuit tantum hæreticus, sed & claruit inter magni nominis Episcopos, & Orthodoxæ fidei acerrimos propugnatores; laudatus à Sancto Basilio, & qui eundem Diodorum nactus fuerat in eremo institutorem, Sancto Ioanne Chrysostomo, necnon Sancto Cyrillo, & aliis: vt omittamus dicere de Theodoreto, qui mirificis eum semper præconiis extulit. Post mortem vero, qualis intus fuisset, ex ipsius depromptum est scriptis, cum ea de causa damnatus est vna cum socio impietatis & simulationis Theodoro Mopsuesteno, quando dogma suum Nestorius ex eorum doctrina confirmare cœpit: Vt horum omnium testis est inter alios Leontius *f*, dicenturque inferius suis locis. Denique Nestorium fuisse Pelagianis, constat ex Cælestini Papæ ad eum postea reddita epistola: Nestorianosq; ex Pelagianis esse progenitos, ac symbola intercessisse inter vtramq; hæresim plane detegit Cassian. *g* secretorum Pelagianorum optime conscius.

f *Leont. de Sect. Act. 4.*

g *Cassian. de Incar. Verb. l. 1. & 5.*

X.
NESTORII PROGRESSVS IMPII.

Qui igitur hos habuit impietatis magistros Nestorius, ad eam promulgandam imprimis vsus est ministerio *Anastasii* cuiusdam presbyteri (vt Socrates *h* & Euagrius *i* tradunt) sectatoris dogmatum Iudæorum, qui vna cum eo Antiochia Constantinopolim venerat, eique in rebus gerendis consiliarius semper extiterat; itemque (vt Cyrillus ad Cælestinum scripsit) *Dorothei* Episcopi, quem Marcianopolis Mysiæ Antistitem fuisse constat, viri quæstus causa adulationi impense dediti: quorum vterque (vt iidem auctores aiunt) publice pro concione ibidem Constantinopoli coram frequentissimo populo ausus est negare Mariam dici debere ΘΕΟΤΟ'ΚΟΝ, siue DEIPARAM, (quod, vt dicebant, ipsa homo esset, & ab homine Deus nasci non posset) & anathema illis dicere, qui eam *Deiparam* asserrent: horrente quidem populo, & acclamante contra tantam blasphemiam: sed approbante illam & confirmante Nestorio, qui iam antea eiusmodi impietatem sæpe orationibus suis subdole immiscuerat: & postea apertius proferre non erubuit, eum qui spatiis menstruis, hoc est bimestri, & trimestri, & ita deinceps adoleuisset, Deum non esse appellandum. Quibus autem progressib. ad hæc adeo execranda deuenerit, dignum

h *Soc. l. 7. c. 32.*
i *Euag. l. 1. c. 2.*

est legere apud Theodoretum, qui fuit ei intima quondam amicitia coniunctus, epistola ad Sporadium *a* post eius damnationem scripta. Sed & quomodo Nestorii prædicatio nefaria, magna fuerit tentatio in Ecclesia Dei, eleganter descripsit Vincentius *b* Lirinensis, horum & ipse temporum auctor. Atq; hęc fuere initia malorum: quæ vero secuta sunt, dicentur suis locis.

a *Theod. ep. 1.*

b *Vinc. Lir. c. 16.*

IESV CHRISTI AN. 419.

CÆLESTINI AN. 6.

THEODOS. II. AN. 22. VALENTIN. III. AN. 5.

ANNO Domini quadringentesimo vigesimo nono, Florentio & Dionysio Coss. Cælestinus Papa actione Palladii diaconi Germanum Antissiodorensem in Gallia Episcopum, in Britanniam vice sua misit, vt deturbatis hæreticis Pelagianis, qui eius Insulæ Ecclesias dogmatibus suis corruperant, eas ad Catholicam fidem dirigeret: vt tradit sub his Coss. Sanctus Prosper *c* res sui temporis describens. Ex quo Bedam *d* corrigas, dum sub anno octauo Theodosii Imperatoris missionem potuit Palladii, (quo necdum Cælestinus creatus erat Pontifex) legationem vero S. Germani posteriusdem Theodosii obitum sub Marciano Aug. Duæ namque fuerunt istæ Legationes, nimirum Palladii altera, altera S. Germani; sed posterior ex priore, ambæq; ex vno eodemq; prodeuntes fonte, nempe à Cælestino Romano Pontifice, vt ex eodem Prospero constat.

I. GERMANI ANTISIODO. LEGATIO IN BRITAN.

c *Prosp. in Chron. & cont. Collat. in fin.*

d *Bed. 1. hist. Angl. 14. & 17.*

Cæterum extant *e* ipsius *Sancti Germani* Acta, omni fide à Constantio tunc presbytero, postea Episcopo, (cuius etiam meminere Sidonius Apollinaris, & Isidorus *f*,) scripta ad Sanctum Patientem Episcopum Lugdunensem & Censurium Antissiodorensem, qui hoc ipso sæculo floruerunt. A quibus, simulque ab ipso Beda, cum asseratur, Sanctum Germanum in Britanniam à Synodo Gallicana missum esse; Prosperi vero auctoritate constet, à Cælestino Papa id factum: potuit contigisse, vel vt quem mittendum Synodus illa delegisset, Pontifex comprobasset: vel qui ad eam prouinciam legari deberet, ipse Cælestinus arbitrio Gallorum Episcoporum reliquisset. Certe quidem eadem illatam Britannorum Ecclesiæ ab ipsorum gentili Pelagio ac eius discipulis, prius innotuisse Episcopis Galliarum legatione Catholicorum Antistitum Britannorum, ex Constantio liquet. Ab iisdem vero Gallis additus item est Sancto Germano, collega vir sanctissimus *Lupus* Episcopus Trecensis; qui *g* ducta olim vxore Pimeniola, sorore Hilarii Arelatensis, post septennium ambobus amore perfectioris vitæ se ab inuicem separantibus, ipse Lupus sub Sancto Honorato Abbate cœnobii Lirinensis vitam monasticam excolens, indeque à Trecensibus ad Episcopatum assumptus, mira sanctitate claruit: ad quem iam nouem lustra in Episcopatu perfunctum, Sidonius *h* Apollinaris scribens, inter alia laudum præconia, vocauit ipsum *Patrem patrum, Episcopum Episcoporum, & alterum sæculi sui Iacobum.* Porro eius cum S. Germano in Britanniam nauigatio, incolarumq; tam hæreticorum ad fidem Catholicam, quam adhuc Gentilium ad Christianitatem, facta per multos immensosque labores, multaque & ingentia miracula conuersio, fusius describitur in iisdem S. Germani Actis *i*. In quibus etiam narratur, quomodo in itinere apud Parisios sanctam virginem *Genouefam* S. Germanus præscius futurorum vocatam Deo desponderit, nummumque casu repertum Cruce impressum eidem in memoriam gestandum dederit.

e *Ap. Sur. 3. 4.*
f *Isid. de Vir. Illust. c. 4.*

II.

g *Act. S. Lupi ap. Sur. 29. Iul.*
DE LVPO TRECENSI.

h *Sidon. 6. ep. 7.*

i *Act. S. Ger. l. 1. c. 19. & c.*
S. GENOVEFÆ DIVINA VOCATIO.

Quod autem pertinet ad *Palladium* diaconum: Græcum fuisse hominem cum dicant, vane putauit aliquis *k* ex recentioribus, hunc illum fuisse Palladium Ioannis Hierosolymitani perneccssarium: nam illum non diaconum, sed Episcopum, non expugnatorem Pelagii,

III.

k *Trithem. de Script. Eccl.*

sed

DE PALLADIO APOSTOLO SCOTORVM.

sed propugnatorem vna cum aliis Origenistis fuisse, superius demonstratum est. Cum autem plures his temporibus extitisse reperiantur Palladii: quem hunc fuisse putamus, constat Palladium diaconum Sanctæ Rom. Ecclesiæ scripsisse haud pridem sub Zosimo Papa res gestas Sancti Ioannis Chrysostomi, nempe Dialogum illum alterius Palladii Episcopi Helenopoleos cum Theodoro itidem Rom. Ecclesiæ diacono: qui quidem apud Trithemium numeratus inter Scriptores Ecclesiasticos, præter Vitam Ioannis Chrysostomi, asseritur composuisse librum aduersus Pelagianos, & ad Cælestinum Epistolarum librum vnum, aliaque Græco sermone. Duas vero fuisse legationes in Britanniam, Sancto Prospero auctore liquet; priorem scilicet hoc anno, occasione hæresis Pelagianæ, posteriorem autem post sequentem annum, cum ex diacono creatus Episcopus, ad Scotos missus est à Cælestino Papa. Namque *Scotos* ab eodem Palladio ad Christi fidem conuersos fuisse, & ex munere Apostolico consecutum quoque esse nomen, vt *Apostolus Scotorum* fuerit nuncupatus, vna omnium cum Prospero est sententia. Quod tamen ita intelligendum est, vt Cælestinus primum illis Episcopum Palladium ordinauerit, qui Scotos illos qui adhuc Gentilitio ritu viuebant, reddiderit Christianos, omnesque sub vno pastore vnoque ouili collegerit: cum alioqui ipsam Scotiam iam à tempore Victoris Papæ & Martyris, Euangelium ex parte accepisse, plerique consentiant. Nauigasse quoque eundem Palladium ad Hibernos, & illic Euangelium prædicasse mandato e usdem Cælestini, Probus testatur in Rebus gestis Sancti Patricii; qui & nominat eundem Palladium, Archidiaconum Cælestini. Cæterum morte præuento Palladio, Sanctus Patricius cœptum ab eo in Hibernia absoluit opus; de quo suo loco dicendum.

IV. NESTORIVS LIBROS HÆRESIS SVÆ AD DIVERSOS MITTIT.

Hoc item anno Nestorius, quam promulgasset hæresim Constantinopoli, capiens per totum Orbem dilatari, suos pro ipsius defensione scriptos à se libros per diuersas partes ad diuersos misit, & inter alios, ad Ægypti monachos; quos vt deciperet, se nonnisi Nicænæ fidei professorem esse iactauit, & ex eo factum est vt nonnulli ex ipsis ei adhæserint. Quorum causa magnis inter eosdem monachos excitatis turbis, ad eas sedandas Cyrillus Episcopus Alexandrinus primam scripsit epistolam *a*, in qua ex Patrum qui Nicæno interfuerunt Concilio, & ex ipso imprimis Athanasio, docet sanctissimam Virginem Θεοτόκον, hoc est *Deiparam*, appellatam esse. Eodemque tempore, ne ipsius Nestorii venena in animos Augustorum & Augustarum illaberentur, in aulamque ac reliquos Magistratus serperent, commentarios eodem argumento ad ipsos Imperatores atque Reginas conscripsit; quibus tamen à Nestorii nomine adhuc abstinuit, ne ex eo Theodosi animus offenderetur, qui eum Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsciendum curauerat. Sed & paulo post monitus à Cælestino Romano Pontifice, ad quem Nestorii scripta peruenerant, de iisdem erroribus diligenter inquireret; (quippe cui impossibile, quodammodo videbatur, talia de Nestorio credere, de quo nuper Orientalium Episcoporum litteris præconia accepisset;) idem Cyrillus binas ad ipsum Nestorium dedit litteras *b*, quibus eum hortatus est in fide Patrum permanere. Cum totidem ad eum rescribens Nestorius *c*, arrogantia summa refertas, illud amplius præstitit, vt circuitores homines mitteret *d*, qui vbique locorum aduersus eundem probra disseminarent; cum econtra Cyrillus quanta posset patientia & mansuetudine cum ipso ageret. Verum his omnibus ferocior redditus impius hæresiarcha, multa alia dira & violenta aduersus Clerum populumque Constantinopolitanum, ac monachos Orthodoxos, communionem ipsius auersantes, commisit, quæ manifesta fiunt ex libello *e* Basilii Archimandritæ Theodosio Imperatore postea oblato, necnon ex epistola Cælestini Papæ ad ipsum Nestorium reddita: cum qui in cæteros ita superbiret, ad Romanum Pontificem plenas humilitatis dedit litteras, ratus (vt scribit Cyrillus *f*) posse illum in suam sententiam pertrahere: de quo dicetur anno sequenti. Quantum vero eius scripta nefaria, ingrata fuerint ipsi Dei-genitrici Mariæ, vniuersisq; cælitibus, declaratum est etiam per visum aliquando sanctissimo anachoretæ Cyriaco.

Hoc ipso tempore defuncto Prailio Episcopo Hierosolymitano, in locum eius subrogatus est *Iuuenalis*. Haud enim ad longioris temporis spatium sedem propagasse Prailium, constat ex Cyrilli *b* litteris anno sequenti ad Iuuenalem datis ex quibus corrigas Nicephori Chronicon, vbi sedi Prailii anni viginti adscribuntur; cum habita ratione obitus eius prædecessoris, nonnisi annos tredecim sedisse dicendus sit.

a Vid. Prat. Spir. c. 66.

V. IVVENALIS ELIGITVR EPISC. HIEROSOL.

b Cyril. ep. 16.

IESV CHRISTI AN. 430.

CÆLESTINI AN. 7.

THEODOS. II. 23. VALENTIN. III. 6.

ANNO Domini quadringentesimo trigesimo, Theodosio decimum tertium & Valentiniano tertium Augg. Coss. Cælestinus Papa litteras à Nestorio, vna cum aliis eius scriptis ad se per Antiochum virum illustrem missis, accepit. Cum paulo post opportune contigit aduentus Romam Possidonii Ecclesiæ Alexandrinæ diaconi, qui eidem Pontifici cum litteras Cyrilli dedit, tum etiam volumina ab ipso elucubrata aduersus Nestorii execranda dogmata. Extant eædem vtriusque, Nestorii *c* scilicet atque Cyrilli *d*, tunc ad Cælestinum datæ litteræ: quibus quidem Cyrillus post alia cuncta narrata addidit, se, quantumuis Nestorii opinionem omni execratione dignã censeret, non tamen prius eius communionem ausum esse deserere, quam ipse Romanus Pontifex suam ea de re sententiam pronuntiasset: rogatque vt dignetur cunctis Orientis Antistitib. declarare; an communicare cum Nestorio deberent, necne. Quibus videas egregie confirmatum Cathedræ Petri, quæstiones de fide definire, & nouas emergentes hæreses cum earum actoribus primum condemnare.

I. NESTORII ET CYRILLI LITERÆ AD CÆLEST. PP. ALLATÆ.

c Rec. Baron. Annal. To. 5. hoc an. ex cod. Ant. Augusti. d To. 1. Epist. Ro. Pont. post ep. 2. Calist.

Cælestinus igitur his visis Cyrilli Nestoriique litteris, eorumque vltro citroque exaratis scriptis; habita (vt idem Cyrillus *e* docet) Episcoporum Synodo, de omnium sententia Nestorii blasphemias condemnauit, ei vero ad resipiscendum decem dierum post denuntiationem concessit spatium, eadem damnatione feriendo & ipsi, nisi assertos errores aperta & scripta confessione damnaret. Qua de re extat eiusdem Cælestini ad Nestorium epistola *f*, scripta huius anni Coss. tertio Idus Augusti, dataque Possidonio diacono Alexandriam perferenda ad Cyrillum, & per hunc Nestorio mittenda: quam quidem Patres Concilii Ephesini postea præconiis extulerunt, & Euagrius *g* pro dignitate argumenti, & auctoritate scribentis, diuinam appellat. Scripsit pariter eodem tempore Cælestinus Cyrillo *h*, suas ei vices in hoc negotio delegans. Sed & scripsisse ad Ioannem Antiochenum, Rufum Thessalonicensem, Iuuenalem Hierosolymitanum, & Flauianum Philippensem, eosque de sua in Nestorium lata sententia certiores fecisse, testatur ipse iisdem ad Cyrillum datis litteris: extantque adhuc, quas scripsit *i* ad Ioannem, (quibus etiam verbis & reliquæ conceptæ fuere) necnon quas eodem argumento dedit ad Clerum *k* Constantinopolitanum.

II.

c Cyril. ep. ad Nestor. in Act. Conc. Ephes. to. 1. Act. 3. Conc. Rom. CONTRA NESTORIVM. f Calist. ep. 5. Tom. 1. Epist. Rom. Pont.

Tradit vero Theodoretus *l*, ad eundem Cyrillum à Cælestino missum fuisse *Phrygium*, (ipsum nempe Fallium, quo significatur plena potestas;) eoque Cyrillum esse vsum in Ephesino Concilio, & in factis solemniis more Romani Pontificis: ac denique illud priuilegium propagatum esse ad Alexandrinos Episcopos successores. Nicephorus *m* autem *Mitram*, qua Romani vterentur Pontifices, à Cælestino missam affirmat, nec non nomen *Papæ*; sed & concessum vt appellaretur *Vni-*

g Euag. Lib. 1. PP. SCRIPSIT ADVERS. NESTOR. h Calist. ep. 3. i Id. ep. 6. k Id. ep. 4.

III. CYRILLVS CREATVS VICARIVS CÆLEST. l Theod. Lect. in Nomenclat. Phot. cod. 3. in Nicol. c. 34.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

uersi Orbis Iudex. Verum de *Papæ* nomine aliter se res habet; quod constat olim commune fuisse reliquis Episcopis: sed nec de nomine *Iudicis Vniuersalis* satis liquet. Sane nihil præterea Cyrillo concessum à Cælestino, quam concedi soleat iis quibus creditur Vicaria præfectura, vel Legatio à Latere, existimatur, vt autem eadem potestas propagaretur ad posteros, non in insignib. duntaxat, sed etiam in auctoritate, exemplum extare nescimus.

PHRYGIVM IDEM QVOD MITRA.

[Quod *Phrygium* à Cælestino missum Cyrillo, Baronius *Pallium* interpretatus est: videtur potius de *Mitra* intelligendum: quemadmodum & Nicephorum, seu eius interpretem, accepisse vidimus. Sic enim &c. Constantinus. distinctione 96. sumptus ex Actis Sancti Siluestri PP. & Edicto Donationis Constantini, semel *Phrygium* (Græce Φρύγιον) interpretatur, *ideſt*, *Mitram*; & postea, *Nos Phrygium* (inquit Constantinus) *candido nitore splendidum eius* (nempe Siluestri) *sacratissimo vertici manibus nostris imposuimus*. Eodemque modo Leo PP. IX. epistol. 1 ad Mich. Constant. & Leon. Acrid. capite 13. & in Isidori Glossario verb. *Frigium*. Idemque Isidorus 19. etymolog. 31 *Mitra est pileum Phrygium caput protegens*. Et ex antiquoribus Ethnicis Iuuenalis Saty. 6. *Phrygia vestitur bicca tiara*: & ibi vetus Interpres. Clare Sugerius Abbas in Vita Regis Ludouici Grossi: *Circumdantes capiti eius Phrygium ornamentum Imperiale instar galeæ circulo aureo concinnatum imponunt*. Facitque mentio ad huiusmodi Cælestini missionem Mitræ, quod in Rebus gestis Sancti Anselmi Lucensis Episcopi, ab eius contubernali presbytero pœnitentiario conscriptis dicitur, (ap. Baron. Tom XI. anno 1081. numero XIII.) Gregorium PP. VII. *Mitram capitis sui transmisisse Anselmo, tanquam potestatem suam ligandi & soluendi*. Et quod Sanctus Bernardus in Vita Sancti Malachiæ Metropolitani Hiberniæ scribit, Innocentium PP. II. eidem Malachiæ tunc Romæ existenti, sed *paranti repatriare, commisisse vices suas per vniuersam Hiberniam, Legatum illum constituentem; ac deinde tollentem Mitram de capite suo imposuisse capiti eius, & salutatum osculo pacis dimisisse Apostolica fultum auctoritate*. Quod vero Nicephorus addit, hinc vsum Mitræ, & Papæ appellationem, ad successores Episcopos Alexandrinos peruenisse: inde etiam colligas, & priscos illos Episcopos Orientales Mitris vti minime consueuisse: (quibus nec facile antiquas eorum picturas ornatas inueneris) & Papæ nomenclaturam haud iis, sicut erat Occidentalibus, adeo fuisse communem: aut sane Mitram qua Romanus Pontifex vteretur, longe augustiori forma præstitisse: & nomen Papæ absolute absque additamento tributum fuisse in Oriente Cyrillo eiusque successoribus Alexandrinis Episcopis, sicuti in Occidente Romano Pontifici. Denique sicuti Baronium non recte *Phrygium* accepisse pro *Pallio* diximus: ita & Græci lapsi videntur, cum Phrygium *lorum* interpretati sunt: quod magis humeris quam capiti conuenire nostis: vide Bulling. l. 1. de Vestib. Pontif. c. 9. & 10.]

IV. QVID IN ORIENTE ADVERS. NESTOR.

Acceptis autem prædictis omnib. à Cælestino per Posidonium missis litteris, Cyrillus quæ ad alios directæ erant ex ipsius Cælestini admonitione mittens, suas etiam peculiares *a* ad Ioannem Antiochenum & Iuuenalem Hierosolymitanum addidit, quibus eos ad hoc negotium diligenter amplectendum hortatus est. Tuncque Ioannes eadem ad Nestorium Constantinopolim mittens, adiecit & suas *b*, quibus tam suo nomine, quam aliorum quorundam insigniorum Syriæ Episcoporum, qui simul tunc Antiochiæ aderant, (inter quos etiam Theodoretus recensitus habetur) suasit sanctissimam Virginem Theotocon, cum omnibus antiquis Ecclesiasticis Doctoribus agnoscere, ac pacem Ecclesiæ recantando palinodiam amplecti: Quæ quidem in re præstitisse visi sunt iidem Antistites, quod Catholicos decebat Episcopos, numerosq; expleſſe verorum amicorum: sed contra pietatem, & amicitiæ iura, deinde peccarunt, cum renitentem hominem salubri obedire consilio, adhuc amicum retinuerint, atq; fouerint; vt videbitur suo loco.

a *Ibid. c. 15. & ap. Cyril. ep. 11. & 19.*

b *Ibi. to. 2. c. 6*

c *Liber. Breuiar. c. 4.*

d *Act. Conc. Eph. to. 1. c. 7.*

VI. ANATHEMATISMI IN ILLVM.

Inter hæc autem, qui cogere Synodum vsque ad Cælestini cognitionem, Cyrillus (vt ipse testatur in litteris superius memoratis ad eum scriptis) fuerat retardatus: idem delegata iam sibi ab ipso Cælestino in prosequenda causa Nestorii vice sua, confestim collegit *Alexandriæ* Synodum: è qua imprimis quatuor decreti sunt Legati, nempe duo Episcopi, ac totidem Alexandrinæ Ecclesiæ ministri, delaturi Constantinopolim ad Nestorium litteras Cælestini, vna cum decreto ipsius damnationis, nisi intra decem dierum præscriptum terminum resipisceret: additaque est Synodalis ad eundem Concilii epistola *c* vna cum fidei Orthodoxæ confessione, & duodecim Anathematismis aduersus totidem ipsius hæresis capita, quibus ille subscribere deberet: ac denique adiecerunt & alias *a* Synodales ad Clerum Constantinopolitanum, & Patres monasteriorum eiusdem ciuitatis, quibus eos de cunctis gestis certiores redderent, & vt viriliter aduersus Nestorium agerent, exhortarentur; ac pariter declararent, in suam, hoc est totius Ecclesiæ Catholicæ communionem recipi, qui ab eo fuissent causa fidei separati. Cum vero Legati Constantinopolim accessissent, inque ipsa ecclesia, die Dominica, cum Synaxis peragereturr, vniuerso præsente clero, multisque adstantibus proceribus, litteras Nestorio obtulissent; idem iussos postridie se priuatim conuenire, aduenientes aditu intercluſit; (vt constat ex eorundem relatione *b* postea facta in Concilio Ephesino;) Theodosium vero Imperatorem commouit aduersus Cyrillum, (quod testatur Liberatus *c*) compulitque ad eum scribere, velut inquietum, & scandala suscitantem: sed hoc (vt ex ipsa Imperatoris epistola *d* constat) post Synodum ab eo publicis litteris conuocatam.

Quod vero duodecim illa Capitula, siue Anathematismi, eiusmodi sint, vt singula Nestorii hæresis capita ab eis iugulentur; operæ pretium duximus, hic illa recensere, quo facilius eiusdem Nestorii errores, eisque contraria Ecclesiæ Catholicæ dogmata innotescant.

Primum ergo anathema proclamatum est aduersus eos, qui Emmanuelem Verbum Deum, & ob id sacram Virginem Theotocon esse non confiterentur. (Genuit enim illa incarnatum Dei verbum secundum carnem.)

Secundo aduersus eos, qui Dei Patris Verbum carni secundum hypostasim vnitum, & vnum tantum vna cum sua carne Christum esse, eundem nimirum Deum simul & hominem non confiterentur.

Tertio aduersus eos, qui post vnionem hypostases in Christo distinguerent, eaq; duntaxat coniunctione inter se nexerent, quæ est secundum dignitatem, vel auctoritatem vel potestatem, & non ea potius quæ est secundum naturalem vnionem.

Quarto aduersus eos, qui duabus personis, vel hypostasibus, eas voces attribuerent, quæ in Euangelicis & Apostolicis scripturis passim occurrunt, quæve à Sanctis de Christo, aut ab ipso quoque Christo de se ipso dictæ sunt; & alias quidem homini seorsum à Dei Verbo considerato adscriberent, alias vero tanquam in diuinam maiestatem conuenientes soli Verbo, quod ex Deo Patre est, accommodarent.

Quinto aduersus eos, qui dicerent Christum non esse verum Deum, sed hominem tantum Deiferum, vtpote vnum naturalemque Filium, quatenus nimirum Verbum caro factum carni & sanguini perinde ac nos communicauit.

Sexto aduersus eos, qui DEI Patris Verbum CHRISTI Deum vel Dominum esse dicerent, neque post Verbum secundum Scripturas incarnatum, vnum eundemque Deum simul & hominem esse confiterentur.

Septimo aduersus eos, qui IESVM CHRISTVM, hominem tantum, diuini Verbi vi actum esse dicerent, aut illustrem illam Vnigeniti gloriam illi ipsi homini, veluti alteri cuipiam ab ipso Verbo aduenisse comminiscerentur.

Octauo aduersus eos, qui hominem assumptum vna cum ipso Dei verbo adorandum, vna cum illo glorificandum, vna cum illo tanquam alterum in altero existentem DEVM appellandum esse dicerent; quippe hunc intellectum particula *Cum* adiecta perpetuo ac necessario afferre consueuit) & non vna potius adoratione Emmanuelem honorarent, vnamque hactenus illi glorificationem attribuerent, quatenus Verbum factum est caro.

Nono aduersus eos, qui vnum Dominum nostrum IESVM Christum à Spiritu sancto tanquam à virtute ab se aliena glorificatum dicerent; efficaciamque qua contra immundos spiritus vteretur, & diuina inter homines miracula operaretur, ab ipso eodem accepisse prædicarent, & non proprium naturalemq; esse illius Spiritum, per quem diuina signa edidit.

V. CONC. ALEXAN. CONTRA EVNOM.

e *Conc. Ephes. to. 1. c. 14.*

Decimo aduersus eos, qui (cum Christum Iesum nostræ confessionis Pontificem & Apostolum exutille, eundemque semetipsum pro nobis in odorem suauitatis Deo Patri obtulisse, diuina Scriptura commemoret) dicerent, Pontificem & Apostolum nostrum non esse ipsum Dei Verbum, posteaquam caro & homo nobis similis factus est, sed hominem illum qui ex muliere natus est, quasi alterum quempiam ab ipso diuersum, aut qui Christum pro se ipso quoque, & non solum pro nobis, sacrificium obtulisse affirmarent. (Neque enim ipse oblatione opus habuit, qui nullum peccatum commisit.)

Vndecimo aduersus eos, qui ipsam Domini carnem viuificam, ipsiusq; Verbi, quod ex Patre est, propriam esse negarent; sed alterius cuiuspiam ipsi Verbo secundum dignitatem tantum coniuncti, aut diuinam tantum inhabitationem sortiti, esse dicerent: neq; vere rursum viuificari, vt modo meminimus, eo quod Verbi, quod omnia viuificat, facta sit propria, confiterentur.

Duodecimo aduersus eos, qui inficiarentur Dei Verbum secundum carnem passum, secundum carnem crucifixum, mortemq; secundum carnem gustasse, & primogenitum tandem ex mortuis factum esse, quatenus videlicet vita est & viuificat, vt Deus.

VII. EXCITAT SVOS CONTRA CYRILLVM.

His autem Nestorius lectis Anathematismis, tantum abfuit vt eis subscribi ferit, (quod ab eo imprimis requirebatur) vt contra tum ipse eosdem carpere cœperit, labemque hæresis in Cyrillum eorum auctorem ex illis inferre studuerit, quasi eis Cyrillus, dum immoderate occurreret Nestorio, in sectam ipse Apollinaris declinasset; tum vt alii id ipsum præstarent, effecit: inter quos Ioannes Episcopus Antiochenus (vt auctor est Liberatus *a*) Theodoreto Episcopo Cyrensi, Andreæ Samosateno, aliisq; Episcopis Concilii sui mandauit, vt contra eadem duodecim Capitula scriberent, tanquam Apollinaris dogmata instaurantia. Sed hæc postea, cum iam ipse Cyrillus, etiam antequam illi in ipsum conscripsissent antitheses, aduersus cunctas eiusmodi calumnias edidisset Ephesi declarationem duodecim illorum suorum Capitulorum: qui & rursum aduersus eorundem oppositiones scripsit Apologeticum & Commentarium ad Euoptium, quæ cuncta eius opera adhuc extant. Interim vero factum est, vt sententia in Nestorium lata haud valuerit executioni mandari: cum qui eius executor præpositus erat Cyrill. æque hæresis accusaretur.

a Liber Breuiar. c. 4.

VIII. THEO. IMP. AGIT CVM CÆLES. PP. DE COGENDA SYN. OECVM.

Quapropter Theodosius Imperator rem eo progressam ratus, vt opus esset Vniuersali Concilio, egit apud Cælestinum Romanum Pontificem, per virum illustrem Petronium (vt eius Vitæ Acta, quæ Sigonius restituit, declarant) postea creatum Bononiensis Ecclesiæ Episcopum, de conuocanda Ephesi in annum sequentem Vniuersali Synodo, quam quidem non solum Cælestinus in litteris ad eam scriptis, sua voluntate collectam esse professus est: sed etiam præscriptam eius formam ab illo fuisse, Firmus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus in eadem Synodo confirmauit: cum alioqui nemo inficias ierit, conuocatum fuisse Theodosii litteris, qui extant *b* his ipsis Coss. decimo tertio Calendas Decembris scriptæ ad Cyrillum, (iisdemque verbis ad cæteros singulos Metropolitanos, eo quod illæ publicæ essent) ad conueniendum Ephesum in festo Pentecostes anni sequentis. Porro non Orientales tantum, sed & Occidentales insignioris nominis aduocans, inter alios Sanctum Augustinum accersendum curauit, misso ad hoc in Africam Ebagnio Magistriano, (vt scribit Liberatus *c*) qui Carthaginem adueniens, audiuit à Capreolo tunc vrbis illius Antistite, eundem Augustinum ex hac vita migrasse. Cum autem ista de Concilio conuocando gesta fuerint hoc duntaxat anno; ex his videas confirmari, eundem Augustinum ad hunc quoque annum vitam propagasse. Cuius etiam obitum cum sub iisdem Coss. Prosper ponat; ex his omnibus erroris redarguitur Marcellini Chronicon, dum illum sub anni superioris Coss. Florentio & Dionysio recenset.

b Id. Act. Eph. to. 1. c. 25. edit. Pelt. & ap. Cyril. ep. 17.

c Liber Breuiar. c. 5. S. AVG. OBITVS TEMPVS.

IX. OBSIDIO HIPPON. VANDA.

Obsidebatur tunc temporis Hipponensis ciuitas, Augustini sedes, à Wandalis, qui mixti Alanis, Gothis, & aliis barbaris nationibus, vniuersum fere iam pessumdederant Africam, victoque Bonifacio Comite, eundem Hipponem se recipientem persecuti fuerant. Quatuordecim autem menses obsidionem perdurasse, testatur Possidius *a*: cuius primo tempore mori contigit Augustinum mœrentem & deplorantem miserum eius temporis Africæ statum, cum exceptis tribus ciuitatibus, Carthagine, Cirta, & Hippone, reliquæ omnes ab hostibus iam captæ essent, magna hominum strage, maiori Ecclesiarum clade, & maxima diuini numinis contumelia. In ipsa vero obsidione Hipponensi, Augustinus nihil prætermittens curæ pastoralis (inquit Possidius) Verbum Dei vsq; ad ipsam extremam ægritudinem imprætermisisse, alacriter & fortiter, sana mente, sanoque consilio in ecclesia prædicauit: rogans interim Deum, vt aut ciuitatem liberare dignaretur; aut si aliud ei videretur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faceret, aut certè vt ipsum de hoc sæculo acciperet. Illarum vero tunc ab eo habitarum concionum, vna *b* tantum nobis reliqua est perbrevis ac lacrymis plena, quæ lugubrem tunc Africanæ prouinciæ faciem nobis reddat. Tertio demum obsidionis mense, decumbens lecto febribus defatigatus, (qui etiam antea frequenter ægrotare *c* consueuisset) ægrotum quendam à Deo in somnis admonitum, vt ab Augustino sanitatem peteret, impositione manuum sanauit. Quod quidem miraculum extremo vitæ articulo Deus per eum operari voluit, vt quodam veluti signo, cum res gestas, tum scripta eius consignata relinqueret. Cumque dicere soleret, Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere; ipse quoque, prohibitis omnibus ad se ingredi, nisi iis tantum horis quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cum eius inferretur refectio, (videlicet ne intentio eius à quoquam impediretur) per decem integros dies ante mortem iugi orationi vacauit, psalmos pœnitentiales multis cum lacrymis recitans. Sicque tandem membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, orans obdormiuit in pace; ac pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est. Hæc omnia idem Possidius *d*, Episcopus Calamensis, qui interfuit, cum Wandalorum fugiens incursores, vna cum aliis coepiscopis Hipponem se recepisset, locum munitum; & Augustini postea Vitam descripsit, cum quo (vt testatur) quadraginta ferme annis vixisset summa concordia. Cui ideo credendum est, dum ait ipsum vixisse annos septuaginta sex. Porro in Episcopali functione annos triginta sex habuisse, ea quæ à nobis de sedis eius exordio dicta sunt, satis certo demonstrant. Dies autem obitus in Tabulis Ecclesiasticis scriptus est anniuersaria memoria repetendus, quinto Calendas Septembris.

a Possid. in Vit. S. Aug. c. 29.

b Aug. serm. 111. de temp.

c Id. ep. 56. in fi. 138. 139. 2. 7 251. 262. AVG. AGROTANS SANAT AGROTVM.

PRÆPARATIO EIVS AD OBITVM.

d Possid. in Vit. S. Aug. c. 28. 29. 31.

De ipsius autem supellectili, addit Possidius *e* nullum ab eo testamentum factum esse, quia vnde faceret pauper Christi non haberet. Ecclesiæ bibliothecam, & omnes codices, diligenter posteris custodiendos semper iussisse. Siquid vero Ecclesia vel in sumptibus vel in ornamentis habuit, fideli presbytero, qui sub eo domus Ecclesiæ curam gerebat, dimisisse. Nec suos consanguineos, vel in proprio vel extra constitutos, in sua vita & morte more vulgi tractasse: isque dum adhuc superesset, id, si opus fuit, quod & cæteris erogasse, non vt diuitias haberent, sed vt aut non aut minus egerent.

e Id. c. 31.

X.

Scriptorum vero eius idem Possidius *f* confecit Indiculum; quæ tot ac tanta fuisse dicit, vt ea omnia vix quisque studiosorum nosse & perlegere sufficiat. Quæ quidem cum in ipsa Hipponensis ciuitatis conflagratione à Wandalis facta, illæsa permansissent, Angelica quidem, si non humana, vallata custodia; eadem à calumniosis hominibus postea impugnata sunt, quasi in iis quæ aduersus Pelagianos scripserat, à fide deuiasset. Quod non solum illi, qui ipso adhuc viuente eiusmodi certamen in Gallia (vt vidimus) aggressi fuerant, iam eo mortuo acrius instaurarunt, quindecim scribentes obiectiones aduersus ipsius commentarios in Pelagianos; sed & Vincentius quidam rem priuatim agens, sexdecim in eosdem proposuit obiectiones; & Camillus ac Theodorus presbyteri Genuenses decem dubia obiecere; ac denique

f Id. c. 18. DE SCRIPTIS EIVS A DIVERSIS IMPVGNATIS, ET DEFENSIS. De quib. multa etiam Retract. lib. de Sur. Et.

XI.

Cassia-

Cassianus Ecclesiæ Massilienſis presbyter cognomento Collator, aduersus eandem Augustini doctrinam aliqua intulit: cum tamen ii omnes haud se Pelagii errores fouere profiterentur, sed vt Catholici versarentur inter Catholicos, & in ipsos Pelagianos declamare præseferrent. Cæterum contra omnes pro S. Augustino viriliter steterunt SS. Hilarius Arelatensis & Prosper Aquitanus, de quibus iam dictum est superius: cuius quidem Hilarii ea de re scripta perierunt; Prosperi autem adhuc supersunt. Sed & anno sequenti iidem sanctissimi viri Romam petentes, apud Cælestinum Papam egerunt, vt eiusmodi nugatoribus ora obstrueret. Quod ipse egregie præstitit, scriptis ea de re ad Episcopos, in quorum Ecclesiis illi presbyterio fungerentur, litteris *a*, quibus Augustinum mirifice laudauit: ipsæ vero eius literæ æque laudantur ab eodem Prospero *b*, Vincentio *c* Lirinensi, atque etiam Photio *d*.

a *Cæleſt. ep. 8. de his vero agit Baron. an. ſeq.*
b *Proſp. aduer. Colla. prope fi.*
c *Vinc. Lirin. c. vlt.*
d *Phot. in Biblioth.*

Inter alios vero, quos diximus presbyteros Pelagii fuligine denigratos, fuit *Seuerus Sulpitius*, ille discipulus & scriptor Vitæ Sancti Martini, & Paulino Nolano amicitia coniunctissimus, de quo sæpe dictum superius: quem Gennadius *e*, ait in senectute sua à Pelagianis deceptum fuisse. Verum idem magno Dei beneficio resipuit tandem, ac in se ipsum vindex insurrexit erroris. Agnoscens enim (quod addit Gennadius) loquacitatis culpam, silentium vsque ad mortem tenuit; vt peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. Quod autem hunc Seuerum Sulpitium Episcopum fuisse aliqui dicant Bituricensem, errant: cum nemo id antiquorum dicat, immo cum idem Gennadius, collega eius atque gentilis, nonnisi presbyterum nominet, & in eo ordine pœnitentem asserat esse defunctum. Sicut & Honorius Augustodunensis retexens catalogum clarorum virorum, presbyterum duntaxat appellat. Sulpitium enim Episcopum Bituricensem, longe postea sub Gunthranno Rege vixisse, testatur Gregorius Turonensis *f*: probaturque Gestis Concilii Secundi Matisconensis, quibus ipse interfuisse ponitur, eundemque fuisse constat cognomento Pium.

XII.
e *Gennad. de Vir. Illust.*
SEVERI POENITENTIA DE SECVTO PELAGIO.

IESV CHRISTI AN. 431.

CÆLESTINI AN. 8.

THEODOS. II. AN. 24. VALENTIN. III. AN. 7.

I.
DE CONSVLATV ANTIOCHI SYNVCHI.
f *L. 1. de C. Th. auct. Nou. ti. 1*

ANNVS Domini quadringentesimus trigesimus primus, celebris memoria OECVMENICÆ SYNODI EPHESINÆ, consignatus est Consulatu Anicii Bassi & Flauii Antiochi. Hic ille Antiochus Patricius ex eunucho, cuius clara memoria extat in collectione Codicis *f*: Theodosiani: qui postea delatus apud Theodosium Imperatorem redactus in ordinem, inter clericos professus est, vt Suidas testatur: eiusque occasione editam ait à Theodosio sanctionem, ne amplius Eunuchi inter Patricios militarent.

II.
INFAVSTA CÆDES IN ECCL. CONSTANTINOP.
g *Socr. l. 7. c. 33*
h *Marcel. in Chron.*

Antequam vero Synodus Ephesina hoc anno celebraretur, contigit vt cum expulsis clericis Orthodoxis Nestorius sibi cunctas ecclesias quæ erant Constantinopoli vendicasset, vna ipsarum cæde hominum turpissime profanata fuerit à seruis præpotentis cuiusdam viri genere barbari: qui cum immanem heri sui feritatem ferre non valentes, ad ecclesiam cum armis confugissent, rogati à clericis ab altari abscedere, cuius sacris ministeriis impedimento essent, iidem vno interfecto clerico, alteroque vulnerato, ad extremum sibi ipsis necem consciuerunt, quod omen mala quæ postea secuta sunt portendisse, Socrates *g* eam narrans historiam tradit. Eandemque cædem hoc ipso anno Marcellinus *h*, sed paulo diuerse refert; dicens barbaros in ea vrbe nutritos, ad ecclesiam Christianorum hostili ritu confluentes, ignem in eam ad comburendum altare dum infesti iacerent; inuicem sese, resistente Deo, trucidasse. Subditque, hoc eodem tempore, ob tritici penuriam, Theodosium Imperatorem à populo lapidibus impetitum fuisse. Quod vero ad ecclesiæ profanationem spectat; idem Theodosius consulturus in posterum, hoc ipso anno sanctionem *a* edidit de Ecclesiastica immunitate latioribus terminis dilatanda vsque ad extremas fores ecclesiæ: ita vt post loca publica & ianuas primas ecclesiæ, quicquid esset interiacens, siue in cellulis, siue in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueretur. Qua eadem constitutione cum arma intra ecclesiam ferre iisdem confugientibus prohibuerit, egregium est quod de se ipso apposuit: nimirum, cum Imperatoriam maiestatem sine armatis stipatoribus esse non conuenire, se tamen cum ecclesiam ingressurus esset, foris arma relinquere, atque ipsum etiam diadema Regiæ maiestatis insigne humiliter deponere, & sacra altaria munerum tantum offerendorum causa accedere, iis vero oblatis ad extimum communeque atrium mox se recipere, nec quicquam ex propinqua diuinitate sibi arrogare consueuisse. Cæterum hanc suam constitutionem in iis quæ ad confugientes pertinent, sequenti anno nouis casibus idem Imperator ex parte corrigere *b* coactus est.

a *L. 4. C. Th. l. 3 C. Iust. de his qui ad eccles. confug. Habetur vero integra in Act Conc. Eph. edit. Pelt. t. 5. c. 21.* THEO. IMP. MODESTIA IN ECCLESIA.
b *l. vlt. C. Th. eod.*

Acturis autem iam nobis de Ephesino Concilio, dicendum primum de Legationibus eo missis: siquidem (vt habetur in Relatione *c* Philippi Apostolicæ Sedis Legati) omnes Orientales & Occidentales, vel per se, vel per suos legatos sacerdotali ei consessui interfuerunt. Illa vero præcipua fuit Legatio, quæ nomine omnium Occidentalium, Africanis exceptis, in Synodo ea de causa Romæ *d* habita, decreta est à Cælestino Romano Pontifice, qui eam credidit *Arcadio & Proiecto* Episcopis, ac *Philippo* Sacræ Romanæ Ecclesiæ presbytero: quorum quidem Episcoporum priorem, illum putamus esse Arcadium, qui reperitur interfuisse post annos octo Concilio Regiensi in Gallia Narbonensi; posteriorem vero, Proiectum Forocorneliensem Antistitem, cuius meminit cum laude Petrus *e* Chrysologus, qui his quoque temporibus claruit Rauennas Episcopus. Quo minus autem solemnis ex more legatio mitteretur ab Episcopis Africanis, Wandalorum grassatio fuit impedimento. Nec tamen defuit officio Capreolus Episcopus Carthaginiensis, quin miserit saltem vnum diaconum Ecclesiæ suæ, *Bassulam*, seu Besulam nomine, cum litteris *f* excusationis ad Synodum, cuius etiam Capreoli extat alia egregia de Verbi Incarnatione scripta epistola *g*, sed fine carens.

III.
SYNODVS OECVM. EPHES.
c *In Act. Eph. edit. Pelt. to. 2. c. 16.*
d *Ib. c. 17.*
LEGATI MISSI AD EAM EX OCCID.
e *Chryſol. ſerm. 165.*
f *Ext in Act. Eph. to 2. c. 9.*
g *Recit. Baro. Annal. To. 5. hoc an. acceptam à Pet. Pithœo.*

Sed & Cælestinus per eosdem suos & Occidentalis Ecclesiæ Legatos Ephesum missos, litteras *h* ad Oecumenicam Synodum dedit octauo Idus Maii præsentis anni: quæ cum ex more scriptæ fuerint Latino sermone, inde vero in Græcum translatæ, ac rursum è Græco Latinitati restitutæ, eædem diuersæ editæ reperiuntur, haud sine magno præiudicio germanæ sinceritatis: Latinum vero exemplar *i* vetustissimum exhibet Cresconiana Collectio, cuius nulla de impostura possit esse suspicio. Cæterum ex ea Cælestini epistola illud exploratum redditur, sic missos esse illos Legatos, non vt causa Nestorii nouo subiaceret examini, sed potius vt sententiæ in eum anno superiori Romæ latæ iidem Legati, executores essent: sicut etiam nihil quicquam, præter sententiam Cælestini, sibi arrogasse Oecumenicam tantam Synodum constat. Scripsit vero etiam Cælestinus per eosdem Legatos ad Theodosium Imperatorem epistolam parænetticam, ad res fidei solicite curandas: aliamque ad Cyrillum Alexandrinum, de recipiendo Nestorio si resipiceret, etiamsi inducia rum tempus anno superiori ei propositum iam emensum esset. Atque hæc de Legationibus Occidentalis Imperii.

IV.
h *Act. Eph. to. 2. c. 14.*

Inter Orientales autem Episcopos, ad eandem Synodum litteris Theodosii euocatos, *Cyrillus* primæ post Romanam prærogatiua sedis, & ipsius omnium Primæ Vicaria (vt vidimus) præfectura reliquos omnes antecellens, morum etiam egregia sanctitate, atque eximia diuinarum rerum scientia enituit. Interfuerunt pariter

i *Hanc, & alias subjecq. ep. Cæleſtini, recitat Baro. An. To. 5. hoc an. acceptas ab Ant. de Aquino.*
AD QVID MISSI LEGATI APOSTOL.

V.
PRÆCIPVI ANTISTITES ORIEN. QVI CONVENERVNT EPHESI.

alij magni nominis Episcopi; puta *Acacius* Melitinæ Armeniæ ciuitati, Antistes, *Cyrus* Aphrodisiæ Cariæ, & *Petrus* Saracenorum, quem ex milite Pagano Christianum Episcopum factum superius vidimus; cui & ad Synodum profecturo idem ille Euthym. qui eum baptizauit, vt Cyrillo & Acacio in omnibus inhæresceret persuasit *a*. Accurrit etiam inter primos *Nestorius*, vt singulos eo aduentantes Episcopos pertentaret *b*, si in suas posset aliqua arte pellicere partes: quem quidem Socrates *c* ait, statim post diem Paschatis cum magna populi multitudine Ephesum profectum esse. Cum autem præscripta dies litteris Imperatoris, qua conuentus agi deberet, aduenisset; humanitate quadam visus est omnibus expectandus *Ioannes* Episcopus Antiochenus, qui vna cum aliis sibi subiectis Episcopis dolo malo moras in itinere nectens, (ne videlicet altera de duobus pati compelleretur, aut ferre calculum in damnationem Nestorii, cui secreto fauebat; vel si secus faceret, eandem cum illo subire damnationis sententiam) ad Cyrillum suæ cunctationis excusatorias litteras *d* dederat: sed post quindecim dies, Metropolitani qui cum ipso erant aduenientes Ephesum, ipsius nomine Synodo nuntiarunt *e*, omnino non esse eius aduentum expectandum.

Interfuisse porro in vniuersum eidem Synodo plusquam ducentos Episcopos, vna eademque omnium reperitur assertio, ipsisque Synodicis testificationibus firmatur, videlicet epistola *f* à Concilio ad Clerum Constantinopolitanum, aliaque ad Imperatores data: immo & litteris *g* Cyrilli ad suos Alexandrinos post Nestorii damnationem scriptis, traditur fuisse illic congregatos Episcopos vltra ducentos, fere plus minus trecentos; adeo vt non sit curandum, si qui hodie in Actis Synodi subscripti inueniuntur, expleant duntaxat centum quinquaginta trium numerum.

Adfuerunt quoque *Irenæus* Comes, quem Nestorius sibi fauentem secum priuatim duxerat; & *Candidianus* Comes Domesticorum, missus à Theodosio Imperatore, *ea lege & conditione* (inquit ipse Imperator suis ad Synodum literis *h*) *vt cum quæstionibus & controuersijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune haberet: (non enim fas esse, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negotijs & consultationibus sese immiscere: (verum vt monachos, & seculares, ac cæteros denique omnes, qui eo confluerent, à ciuitate summoueret: quandoquidem non licet illos qui omnino necessarij non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire &c. tum vt diligenter prospiceret, nequa Orauior dissensio ex mutuo regnandi studio coorta, sanctissimæ Synodi consultationem, exactioremque veritatis indagationem quouis modo obturbaret: tum denique quo operam daret sedulam, vt omnibus & singulis quæ dicerentur rite perceptis, singuli inoffense quod viderentur in medium proponere, vel ab alijs propositum refutare quirent: quo eadem ratione quod omnibus probatum esset, communi sententia constitueretur.* Hæc, & alia eiusmodi Imperator: quibus videas, quæ sint iura & officia Legati Cæsaris in Synodis; de quib. etiam dictum est alias.

Collecta est autem Synodus in ecclesia sanctissimæ Dei-genitricis MARIÆ *Mariana* ob eam causam appellata: ac primum omnium, vt Christum præsidere significarent, sactosanctum Dei Euangelium, ex inolita consuetudine, in conspicua sede posuere in medio collocata; prout Cyrillus *i* Apologia ad Theodosium describit, & habetur in epistola Synodali ad eundem Imperatorem. Quod vero ad reliquum sedendi ordinem spectat; ex Collectione Cresconiana, vbi ponitur subscriptio Episcoporum, colligitur, Cyrillum vicem agentem Rom. Pontificis, primum obtinuisse locum; inde vero Arcadium Legatum missum à Cælestino, vbi aduenit: postea Iuuenalem Hierosolymitanum, & Theodoretum Ancyranum, agentes patronos Synodi; subinde vero duos alios Sedis Apostolicæ Legatos, Proiectum Episcopum, & Philippum presbyterum; ac reliquos demum Episcopos. Quæ autem diebus singulis facta sint, sat erit præcipuarum rerum hic summam referre; cum extent Acta ipsa Concilii, quæ singula fusius doceant.

Cum igitur omnium consensu vigesima prima die mensis Iunii iudiciali ordine res inchoanda visa esset, ante omnia missi sunt à Patribus quatuor Episcopi inuitare, seu potius citare Nestorium ad diei sequentis futurum in publico omnium consessu iudicium: quibus ille fastuose hoc tantum respondit, *Considerabo & videbo.* Posteraverodie, vigesima secunda Iunii, qua Primam Sessionem haberi contigit *a*, lectis Cælestini & Cyrilli gestis contra Nestorium, & literis Imperatoris de indictione Synodi; rursumque missis ad citandum Nestorium secundo ac tertio aliis atque aliis Episcopis, cum ipse nunquam eos ad se admittere voluisset, quinimo & armatos assumpsisset milites, qui domum suam custodirent, ne vllus omnino qui à Synodo missus esset ad ipsum ingredi permitteretur; hocque tantum semel responsum eisdem per alios dari iussisset, tunc se Synodo adfuturum cum omnes Episcopi simul conuenissent: (intelligens videlicet de Ioanne Antiocheno, qui ex composito moras nectebat:) his ad sanctam Synodum relatis, cum nulla amplius spes eiusdem Nestorii accessus esset, immo & vocandi eum denuo omnem aditum precluſum viderent; animum Patres ad rem deliberandam conuertentes, lectis Imperatoris literis ad ipsam Synodum scriptis; ac recitato ex more, sacrosancto Nicæno fidei Symbolo; & subinde lecta atque laudata Cyrilli epistola ad Nestorium, huius vero ad Cyrillum responsione, vt hæretica, vna cum auctore, eiusque sectatoribus, magnis omnium conclamationibus anathemati subiecta; post item lectas, comprobatasque Cælestini Romani Pontificis, eiusdem Cyrilli, de ipsius Nestorii antea Romæ facta damnatione literas, auditasque aliorum Episcoporum relationes de eiusdem blasphemijs, ac rursum post prolata sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonia, quibus demonstraretur, Verbi Incarnationem indiuise & inconfuse in vtero Virginis factam, duarumque Naturarum coniunctione vnam tantum redditam esse Personam, Christum Iesum, Deum & hominem; post denique lectos, & cum execratione auditos, Nestorii Quaterniones eidem Orthodoxæ doctrinæ repugnantes; aliaque eiusmodi ad rem necessaria peracta: tandem damnationis, sedisque priuationis, in eundem Nestorium lata est sententia *b*; cui omnes Episcopi subscripserunt, numero (vt habent Acta) plusquam ducenti; eamq; ipsi Nestorio significari, eundem vocans *Nouum Iudam*, Synodus iussit *c*. Ac demum Catholicæ fidei decretum firmatum est: repetito namque Nicæno Symbolo, sub anathemate præceptum est, nequis aliquid præter id quod per illud definitum esset, ad fidem adiicere vllo modo tentaret.

Perdurasse vero vniuersum ciuitatis Ephesinę populum à mane vsque ad vesperam, Sanctæ Synodi iudicium expectantem; vt autem audierunt infelicem Nestorium esse depositum, cœpisse omnes vna voce prædicare Synodum, & Deum glorificare, factaque multa lætitia, luminaria per totam ciuitatem fuisse accensa; atque adeo & ipsas mulieres adolentes thymiamata cum thuribulis progredientes è tanta victoria Patres præcessisse, testantur Cyrillitunc temporis ad suos Alexandrinos scriptæ litteræ *d*. Sed & per publicos præcones damnationem Nestorii Ephesi promulgatam & proclamatam fuisse, Candidianus Comes in Conciliabulo postea testatus est.

Sequenti verò die, nempe vigesima tertia mensis Iunii, Secunda Actione, cum in vnum conuenissent Episcopi, Cyrillus habita ad populum homilia in laudem SS. Deiparæ Genitricis, inuectus est acerrime in Nestorium: ac postea scriptæ sunt à Synodo litteræ *d* ad Theodosium Imperatorem de rebus ibidem gestis; quibus etiam petierunt Nestorii doctrinam ab Ecclesiis submoueri, eiusdemq; libros vbique flammis absumi: additæque aliæ *e* de eiusdem damnatione ad Clerum Constantinopolitanum. Sed occlusis à Candidiano Comite (qui ex pacis publicæ curatore à Theodosio constituto, effectus est Nestorii patronus) cunctis terræ marisque viis, ne Synodi litteræ Constantinopolim perferrentur; ipse ad Imperatorem scribens, Cyrillum & reliquos calumniatus est, quod præpropere nimis, non expectato Ioanne Antiocheno, pluribusque aliis minime vocatis; conuenissent, & ipsi qui aderant haud

---

a *Nic. li 14. c. 33. Cyril. monach. in Vit. Euthym. ap. Sur. to 1.*
b *Cyril. Alex. ep. 10. & 33. & Apol. ad Theo. Imp. to. 4. oper. & in Act. Eph. to. 1. c. 27. & to. 2. c. 6.*
c *Socr. l. 7. c. 33*
d *Act. Eph. to. 1. c. 22.*
e *Cyril. Apol. ad Theodos.*
f *Act. Eph. tom. 2 c. 1.*
g *Cyril. ep. 34.*
h *Act. Eph. to. 1. c. 32.*
i *Cyril. Apol. ad Theod. quæ ext in Act. Eph. to. 5. c. 2. & ap. Cyril. tom. 4. oper.*

VI. NVMERVS EPISCOP.

MVNVS LEGATI IMP. IN SYNODO.

VII. ORDO CONSESSVS.

VIII.

NESTOR. CITATVS A SYNODO, RENVIT ACCEDERE.

a *Act. Eph. to. 2. c. 2.*

EIVS DAMNATIO.

b *To. 2. c. 10.*

c *Ibid. c. 11.*

IX. TRIVMPHVS CIVIVM EPHESINOR.

d *Cyril. ep. 34. to. 3. oper.*

X.

e *Act. Eph. to. 2. c. 22. ap. Cyril. ep. Syn. 2.*

f *Tom. 2. c. 22.* CANDIDIANVS COMES CYRANNIDEM IN EPISCOPOS EXERCET.

haud inter se consensissent, aliaque eiusmodi mentitus est, quæ refert Cyrillus in epistola *a* postea data ad Comarium & Potamonem Episcopos. Addiditq; Nestorius suas *b* eodem argumento ad Imperatorem litteras, nouis refertas mendaciis, quibus inter alia questus est de vi à Synodo sibi allata, morteque intentata; petiitque vt aliam legitimam cogi iuberet Synodum, absque tamen Ægyptiis, in qua duo ex vnaquaq; prouincia adessent Antistites, cui ipsius epistolæ subscripserunt nouem qui cum eo erant Episcopi.

a *Tom.1.c.18. & ap.Cyril. ep.29.*
b *Tom.3.c.20*

XI. IOANNIS ANTIOCHEN. ADVENTVS CVM TYRANNIDE.

Cum autem post hæc Ioannes Antiochenus, ira & inuidia aduersus Cyrillum æstuans, ob recentem amici sui Nestorii condemnationem, & antiquum Antistitum Antiochenorum aduersus Alexandrinos dissidium; (nimirum quod Alexandrinus primus post Romanum in vniuersa Ecclesia existens, iura sibi vendicaret totius Orientis Ecclesiarum; refragrantibus Episcopis Antiochenis, qui illi subiici indigne ferebant animo:) Ephesum vna cum suis aduenisset vigesima septima mensis Iunii, nempe die quinta à Nestorii damnatione, (vt Euagrius *c* auctor est, testanturque ipsa Acta *d* Ephesina, & Cyrillus in Apologetico; ex quibus plane erroris arguuntur *e*, qui post biduum, vel triduum, aduenisse Ioannem affirmant:) eidemque honorifice occurrissent in via Episcopi à Synodo Actione Tertia delegati, qui ei manifestarent quod deberet à Nestorii iam à Synodo damnati colloquio abstinere: primum ipse eos ministerio Irenæi Comitis iniuriis ac plagis affectos dimittens, mox eadem ipsa die qua aduenit, antequam puluerem ex itinere contractum excussisset, nondum deposito pallio, collectis in ipso diuersorio quibusdam Episcopis Nestorianæ factionis, (quorum alii extorres vagabantur nullas Ecclesias habentes, alii grauibus de causis à Metropolitanis suis depositi fuerant, alii vero Pelagianam profitebantur hæresim) postquam in eo conuenticulo Claudianus Comes de his quæ hactenus Ephesi gesta erant, vt sibi visum prælocutus est: idem Ioannes suas querelas aduersus Synodum protulit, quod ab ea minime expectatus esset: ac confestim, de Nestorii hæresi ne verbo quidem facto, accusationib. propositis aduersus Memnonem Episcopum Ephesinum: & Cyrillum Alexandrinum, eosdem vt hæreticos condemnauit, ac deposuit: Cyrillum quidem, quod scriptis suis ad Nestorium Constantinopolim missis hæreses admiscuisset; Memnonem vero, quod Cyrilli Capitula promulgasset, Nestorioque omnes Ecclesias Ephesi clausisset, ac multa alia contra canones peregisset: reliquos autem Oecumenicæ Synodi Episcopos (quos æque variis hæresibus infectos esse, cœtus ille satanicus affirmauit) excommunicationi subiecit, quousque Cyrilli Capitula condemnarent. Hæc porro cuncta manifesta fiunt partim ex epistola prædicti Memnonis *f* ad Clerum Constantinopolitanum, & Synodica *g* ad Papam Cælestinum; partim ex ipsa ab eisdem schismaticis lata sententia *h*, libelloque ea de re ad Cyrillum & reliquos Synodi Episcopos (vt præfefert) scripto cui quadraginta tres Episcopi subscripti reperiuntur, & inter eos Theodoretus Cyrensis, & Paulus Emesenus, qui cum Ioanne aduenerant, sed noua fraude, licet ea ad Synodum Oecumenicam appareant esse conscripta, nequaquã tamen missa fuere: quin potius clanculum rem agentes, eadem cum litteris *i* ad Imperatorem & ad Clerum Constantinopolitanum miserunt: sicque factum est, vt in remotioribus ciuitatibus, ex eorundem schismaticorum litteris, Synodus Oecumenica magnopere infamaretur, cum ipsi Episcopi Orthodoxi qui erant Ephesi, nihil penitus horum scirent.

c *Euag.l.1.c.5*
d *Act. Eph. tom.3.c.1.*
e *Liber Breuiar.c.6. Niceph.l.14. c.37.*

CONCILIABVLVM NESTORII ET IOAN.

f *Act. Eph. to 4.c.13.*
g *Ap.Cyril. ep.Synod.11.*
h *Tom.3.c.1. & 2.*

i *Tom. 4. & seqq.*

XII. NESTORIANI RESTITVVNT PELAG. HÆRESIM.

Nec his contenti nefarii illi, in gratiam quoque Pelagianorum qui aderant, restituerunt Pelagianam hæresim, sæpius ante damnatam; illud impie sancito canone decernentes, Adæ animam minime per peccatum mortuam esse priuatamque vitæ gratia, neque peccatum Originale esse propagatum in posteros. Quæ cum siue dolo malo, siue Librariorum incuria, admixta iam olim fuissent Actis legitimæ Synodi Oecumenicæ ibidem Ephesi celebratæ, & in quibusdam codicibus inter Catholicas Synodi sanctiones spurium illud Pelagianum lateret decretum; detexit impostu-

a *Greg. PP.l. ep.31.7. ep.47. 5.ep.14.*

b *Act. Ephes. to. 4. c.10.*

c *Ib.c.7.& 10*

XIII. d *Tom.2.c.13. 14.15.* LEGATOR ROM. ADVENTVS EPHESVM.

e [Simile exemplũ vide infr. an 451. XI. Et de his iusmodi Latinæ linguæ dignitate, atque ea Imperatorum & Pontificũ vsu, docte disputauit Andr. Eudæm. l.2. Defens. Baro. contra insulsas Græculi Casauboni criminationes.]

f *Tom.1.c.16.* CARDINAL. R. E. DIGNITAS.

g *Ibid. c.17.*

h *cap.23.*

ram, atque damnauit Sanctus Gregorius Papa, collatione facta cum antiquo codice Ecclesiæ Romanæ, in quo nihil tale repertum est: cuius ea de re extant literæ *a* ad Eulogium Episcopum Alexandrinum, Anastasium Antiochenum, & Narsetem Comitem. Atque hic finis Concilii malignantium, ex quo malorum omnium fluxere principia. Verum ipsorum aliquos paulo post sanioris mentis effectos, Catholicam fidem professos esse testatur Synodica *b* per Palladium Magistrianum ad Imperatorem missa. Indeque videas, cum numerentur in hoc ipsorum primo conuentu Episcopi quadraginta tres, postea recensiti *c* tantummodo triginta septem, ac demum triginta vnum.

Post hæc duodecim *d* diebus elapsis, nimirum decima Iulii, Legati à Cælestino Papa & Occidentalibus missi, tempestate maris tamdiu detenti, appulerunt Ephesum: qui licet minime aduenissent, tamen Synodo satis visum fuerat rem aduersus Nestorium agere, quod adesset Cyrill. vicem & ipse agens Rom. Pontificis. Porro Legatis eadem die in Synodum introductis, literæ Cælestini Latino, quo scriptæ erant, sunt recitatæ sermone, ob dignitatem *e* Apostolicæ Sedis Latine scribentis; inde Græce redditæ, iterumque lectæ, omnium sententia Catholicæ sunt prædicatæ, & faustis acclamationibus acceptæ. Qua de re gratiis actis Patribus à Philippo Sacr. Rom. Eccles. presbytero, vno ex Legatis, quod scilicet (vrait) iidem *sanctis suis vocibus, piisque præconiis, sancta Ecclesia membra, sancto suo capiti se exhibuerint*; quæcunque hactenus in Synodo gestae essent, coram ipsius Legatis recitata sunt, & Nestorii iterata damnatio. Atque ita absoluta est Quarta Sessio. Vndecima autem Iulii, Quinta nimirum Actione, iidem Legati Apostolicæ Sedis in damnationem Nestorii suum calculum addidere *f*; quorum primo loco Philippus presbyter (aliqua prælocutus de primatu Sedis Apostolicæ) subscripsit, post illum vero duo reliqui Legati Episcopi, quibus intelligas, etsi præstare dignitate certum sit Episcopos presbyteris, eos tamen qui proxima connexione capitis *Cardinales presbyteri* nominantur, aliquid habuisse quo interdum præferrentur Episcopis. Deinde vero scripta est de his epistola *g* Synodalis ad Theodosium Imperatorem aliaq; *h* ad Clerum Constantinopolitanum. In quibus quidem cum nulla habeatur mentio de rebus gestis per aduersariorum conciliabulum; euidens est argumentum (quod diximus) omnia ab eis clanculum sub silentio actitata fuisse.

[Quod pertinet ad subscriptionem Philippi presbyteri, de qua præceden. §. ex Baronio: cum aliquoties in hanc quæstionem cum aliis incidi tim, placet ex accuratissimis obseruationibus Illustrissimi Cardin. Petronii, Respon. ad Reg. Magn. Brit. libro 1. capite 35. hic addere, cum celebranda essent Concilia Oecumenica in Oriente, consuesse Romanum Pontificem eo mittere duplicis generis Legatos: alteros quidem à Latere dictos, (sicuti etiam vocantur in Synodo Sardic. capite septimo.) sumptos illos ex Clero Romano, qui ipsius Pontificis peculiariter personam sustinerent: alteros ex ordine Episcoporum, qui vniuersum Patriarchatum Romanum & Ecclesiam Occidentalem repræsentarent. Fuisse autem illos à Latere, præcipuos Legatos, non quoad honorem, (nisi quando Legationes ipsius Pontificis, & Ecclesiæ Occidentalis collectæ in Synodo, distinctæ erant, vt in Concilio Oecumenico Sexto: (sed quoad instructionem, & expositionem mentis Pontificis super quæstione de qua ageretur: Ac proinde cum promenda esset ipsius sententia, vel ipsos nominati constituisse solos, vt apud Sozomenum libro 7. capite 19. & in subscript one Epistolæ Synodalis Concilii Sardicensis: vel subscribere primos, vt in hac Synodo Ephesina, vbi Philippus presbyter, nonnulla prælocutus de auctoritate Romanæ Sedis, pronuntiat sententiam Papæ Cælestini, & post eum Arcadius & Proiectus Episcopi. Legati tam ipsius Pontificis quam etiam vniuersæ Ecclesiæ Occidentalis: Patiterque inf. nu. 19. cum mittuntur Legati ad Imperatorem, in Commonitorio iis dato solus Philippus nominatur vicarius Cælestini, non etiam Arcadius qui æque mittebatur vna cum aliis: quia Philippus erat legatus à latere, Arcadius legatus Ecclesiæ Patriarchalis. Vnde & intelligas, cum in Concilio Nicæno aliqui ponant interfuisse nomine Romani Pontificis Vitum & Vincentium presbyteros, alii etiam Osium Episcopum addunt: haud eos discrepare ab inuicem, quoniam illi de solis legatis à latere, alii etiam de legato Patriarchatus Occidentalis loquuntur.]

Cum autem postmodum ea innotuissent Catholicis Episcopis, iidem decima sexta mensis Iulii Sextam ha-

buere Sessionem *a*. Ex qua, post auditas querelas Cyrilli & Memnonis, semel atque iterum missi sunt tres Episcopi ad cirandum Ioannem Antiochenum: qui à mi-

IOANNIS ANTIOCHEN. PROTERVIA

litibus vetiti ad eum accedere, sed & opprobriis onerati, vix tandem per eosdem milites à Ioanne responsum acceperunt, ipsos, quod excommunicati essent, haud dignos esse responso: cum tamen ipse, saltem ob reuerentiam Apostolicæ Sedis, eiusque Legatorum, debuisset ad purgationem obiectorum accurrere; sicut post auditam eius proteruiam, Iuuenalis *b* Episcopus Hierosolymitanus coram Synodi Patribus intulit, ex eo quod (vt ait) *Apostolica ordinatione, & antiqua traditione, Antiochena sedes perpetuo à Romana dirigeretur, iudicareturque.* At vero idem Ioannes crimen adiciens crimini, confestim chartas publice iussit affigi, quibus Cyrillus declararetur esse sectæ Apollinaris hæreticus. Qua de calumnia Cyrillus in Septima Sessione, habita die decima septima Iulii, questus, in eundem Apollinatem & alios omnes hæresiarchas anathema protulit. Cumque placuisset Sanctæ Synodo, Ioannem tertio per tres alios Episcopos citari: iique legati à clericis Ioannis male excepti, illud ab eisdem duntaxat responsum habuissent, Ioannem decreta suæ Synodi ad Imperatorem misisse, eiusque responsum expectare: tunc Sancta Synodus Oecumenica, haud diutius dissimulandum rata, in ipsum Ioannem, & Episcopos qui cum eo erant, anathematis sententiam tulit, nomina singulorum exprimens, numero triginta quinque, inter quos recensitus reperitur Theodoretus Cyri. Scriptaque *c* est de his Synodalis ad Theodosium Imperatorem aliaque Encyclica ad vniuersos Christi Fideles: cui adiecere sex canones, aduersus eos qui communicare præsumerent Nestorio, Ioanni, vel Pelagianis, aut quæ res gestas per Sanctam Synodum conarentur irritare; & vt qui à Nestorio, eiq; adhærentibus, depositi essent, suum reciperent locum.

XV.

Quinque autem post diebus, nimirum die vigesima secunda Iulii, Octauus *d* habitus est Congressus: in quo aduersus Nestorianos, qui decipere simpliciores solerent, exhibendo illis à se scriptam nouam fidei confessionem, velut Nicænam Symbolum; statutus est canon, vt nemo subscribendam offerret aliam fidei professionem, quam Nicænam absque alio additamento. Sequenti vero die Nona habita Sessione, damnata est hæresis Pelagiana, ipsiusque sectatores, ex præscripto commentariorum Romæ conscriptorum sub Cælestino Papa aduersus eosdem hæreticos: dataque epistola *e* Synodalis ad eundem Cælestinum, qua eum de omnibus in Synodo hactenusque peractis certiorem reddidere, integrosque Actorum commentarios misere. A post ista, diuersis Confessibus damnati *f* sunt patricæ hæretici Massaliani, Euchitæ, & Enthusiastæ; aliæque priuatæ causæ in Synodo productæ. Sed & Iuuenalem Episcopum Hierosolymitanum tentasse totius Syriæ Palæstinæ, sibi & successoribus suis arrogare primatum, cum graui Ecclesiæ Cæsariensis præiudicio, cui tum ex traditione, tum ex Concilii Nicæni decreto debebatur, sed cum vniuersam pene Synodum ad sua vota traxisset, Cyrillum ei restituisse; Leo Papa docet epistola *g* ad Maximum Episcopum Antiochenum scripta. Quod autem ad hæresim Pelagianam spectat; ponit etiam Prosper in Chronico sub huius anni Coss. eius damnationem cum Nestorii erroribus factam in Synodo Ephesina. Qui & composuit *h* elegans epitaphium de eadem sepulta cum ignominia: atque, ea in Concilio damnata, ciues Ephesios ardore fidei Catholicæ æstuantes, haud passi potuisse Pelagianos Episcopos intra ciuitatis mœnia contineri, sed populari vi atque tumultu protinus expulisse.

XVI.

Cum vero his omnibus rite absolutis, Sancta Synodus rursum litteras *i* ad Imperatorem scripsisset, quibus peteret, Episcopis iam mala valetudine & inopia laborantibus, dari ad propria remeandi licentiam: econtra accidit, vt cum & illæ, sicut aliæ ab ipsis iam antea scriptæ, interceptæ fuissent dolo Candidiani Comitis, omnia ad nutum Nestorianorum agentis; peruenissent vero quam citissime Constantinopolim, quas Nestoriani conscripsissent: idem Imperator tertio Calendas Augusti (non autem, vt alicubi legitur, decimo tertio Calendas Iulii) Ephesum rescribens *a* per Palladium *Magistrianum*, seu præfectum Tabellariorum, præcepit acta contra ordinem, sucumque mandatum, siue aduersus Nestorium, siue alios, esse penitus irritanda, integrandumque iudicium, vt cuncta rite fierent: & ob id iusserit Episcopis omnibus, ne quis eorum vllo pacto Epheso recedere auderet, & Præfectis prouinciarum, ne quempiam in Ecclesiam suam redire permitterent. Verum cum eas litteras Palladius vtriusque partis Episcopis reddidisset, mox & ipse ad studia Candidiani Nestoriique abreptus, tantam præstetulit redeundi ad Imperatorem celeritatem, vt noluerit expectare litteras *b* Orthodoxæ Synodi ad eum scriptas, subscribi ab omnibus Episcopis tunc astantibus: sicque Constantinopolim absque illis rediit. Vnde iidem Episcopi Catholici, cum ipsis plane innotuissent, missas à se litteras semper interceptas fuisse; opportunum in re adeo deplorata consilium nacti, fidum hominem mendici habitu miserunt, loco baculi arundinem gestantem, cui & has ipsas litteras, & alias omnes à se antea scriptas incluserunt. Quo tandem modo cum illæ Constantinopolim peruenissent, cognitis insidiis tyrannicis quas iidem Ephesi paterentur, Archimandritæ *c* Constantinopolitani (ad quos etiam Synodus litteras dederat) zelo æstuantes, vniuersamque ciuitatem ad fidei Catholicæ defensionem commouentes, & cum monachorum gregibus magna fiducia ad Regiam contendentes, (inter quos fuit & Dalmatius Archimandrita, annis plus minus quadraginta octo pietatis studio recluſus, qui extra monasterii sui sepra nunquam hactenus pedem efferre induci poterat;) cuncta Imperatori palam fecerunt. Ipse autem veritate perspecta, decretis Synodi de Nestorii damnatione acquieuit: ad sedandas vero alias controuersias inter partes Ioannis & Cyrilli, facultatem tribuit eidem Oecumenicæ Synodo, quos vellet Constantinopolim mittere, qui sibi omnia referrent.

Verum cum eodem tempore & schismatici legassent Irenæum Comitem cum litteris *d* ad Imperatorem, quibus multa inuidiosa admiscuissent; eademque Irenæus confirmans, magnam ea de re haberet *e* disceptationem Constantinopoli cum Legatis Catholicis, ex quibus perplexus redderetur Imperatoris animus: rursum importune nimis adfuit procuratum à schismaticis officium Acacii Episcopi Beroënsis, de quo alias superius: qui quod natus annos centum & decem, præ ingraueſcente senecta se conferre ad Synodum excusasset, Paulo Episcopo Emeseno suas vices delegans, (quem constat aduersus Orthodoxos inhæsisse Ioanni) eo ab iisdem schismaticis adactus est delirus senex, vt aduersus Cyrillum & Memnonem scriberet ad Imperatorem, qui nesciens eiusmodi technas, ac fama commotus Acacii, secundum ipsius suasionem, sententias ab Episcopis Ephesi aduersum se inuicem latas statuit esse seruandas, quousque res inter se ipsi componerent: misitque sequestrem pacis Ioannem, quem Imperatori ab Eleemosynis fuisse aiunt, propriori titulo *Comitem* dictum *Sacrarum Largitionum*. Qui quidem magna celeritate Ephesum perueniens, prima die patefactis litteris Imperatoris, declarauit Nestorium, Cyrillum, atque Memnonem iure depositos: eosque omnes, ne dissidia maiora concitarentur in populo, carceri quemq; suo voluit mancipatos; custodesque milites appositi cæteris Episcopis Orthodoxis, qui nollent communicare cum Ioanne Antiocheno *g*: & vt rem se bene gessisse significaret, scribens ad Imperatorem, turpiter mentitus est, vniuersam Synodum assensam esse in damnationem Cyrilli; adeo vt iam de loco, in quem esset deportandus consuleretur. Quibus omnibus, aliisque eiusmodi nefatie perpetratis, scripserunt clam Orthodoxi ad Clerum Constantinopolitanum de rerum suarum statu miserando; petieruntq; vt agerent apud Imperatorem, reddi Synodo Cyrillum & Memnonem, ac dari ipsum adire posse; sin minus, liberum fieri vnicuiq; in patriam reuerti.

Interea vero dum barbarico more Catholica fides, vna cum defensoribus suis, Ephesi vim pateretur, eo-

dem

THEO. IMP. DECEPTVS AB HÆRET. QVID EGERIT IN CAVSA SYNODI.

ARCHIMANDRI. CONSTAN. VIRILITER AGVNT PRO S. SYNODO.

VII.

XVIII. CLADES RO-

a *Tom. 4. c. 1. 2. 3. 4.*

b *Ibid. c. 4.* [De cuius verborũ germano sensu, (quem & nos ex Baronio expressimus) qui depraua tus exstitit in edit. Rom. Conc. diluci de Hieron. Alexander Disser. 2. de Region. Suburb. c. 4. ad fin.]

c *To. 4. c. 8. & 9. & ap. Cyr. ep. Synod. 5. & 6.*

d *To. 2. c. 28. & seqq.*

e *To. 4. c. 17. & ap. Cyril. ep. Synod. 12.*

f *To. 2. Appen. c. 1. 2. 3. 4.*

g *Leo ep. 62.*

h *Prosp. carm. de Ingrat.*

i *Rec. Baron. Ann. Tom. 5. hoc an. ex cod. Ant. August.*

b *Ex ep. Cyril. ep. Synod. 4. & in Act. to. 4. c. 10.*

f *Tom. 3. c. 13.*

g *Ibid. c. 15.*

h *Vid. plura de his, in Act. Ephes. to. 3. Appendic. c. 1. & 2. ac to. 4. c. 6. 14. 15. &c.*

MAN. EXERCITVS IN AFRICA.

dem quoque tempore iusto Dei iudicio, qui terribilis est in consiliis suis super filios hominum, Romanus exercitus à barbaris trucidatus est. Hoc enim ipsum tempus esse, quo Theodosius misso in Africam Aspare inuictissimo duce, iunctisque copiis Occidentalis Imperii, quas Bonifacius Comes ibi regebat, bellum gessit aduersus Genserichum Wandalorum Regem Africam occupantem; insinuat libellus *a* schismaticorum paulo post eidem Theodosio oblatus, quo fit mentio belli quod idem Imperator in Africa gereret. Sed accidit vt Romanus exercitus omnino deletus fuerit, Asparque Constantinopolim, & Bonifacius Romam se recipientes, (quæ eadem cladem Procopius *b* describit, meminitq; Miscellæ *c* auctor) totam Africam Wandalis reliquerint. Qua eadem pugna captus *Marcianus*, tunc miles: postea Imperator, ostenso aquilæ prodigio dimissus à Genserico, iurata amicitia, fuit.

a *lib. to. 3. Ap. c. 4. & ap. Cyril. in Apolog.*

b *Procop. de bel. VVandal. l. 1.*

c *Miscel. l. 14.*

XIX.

Hac igitur tam graui clade susceptа Theodosius perterrefactus, insuperque expergefactus acerrimo Orthodoxorum, qui Constantinopoli partes Synodi Oecumenicæ tuebantur, libello *d* ipsi oblato: necnon Pulcheriæ *e* Augustæ sororis suæ, deuotissimæ ac prudentissimæ virginis, precibus fatigatus: pro fide Catholica, cuius alioqui & ipse studiosissimus erat, solertius agere cœpit, qui hactenus à suis domesticis & Magistratibus deceptus, & quod natura clementissimus esset, cum fidei hostibus mitius videretur egisse. Quapropter meliora tandem consilia iniens, scripsit *e* ad Ioannem Comitem Ephesi adhuc agentem, vt septem ab vtraque parte Epheso Constantinopolim mitterentur Episcopi, qui coram se de rerum summa tractarent. Missique sunt ex parte Catholicorum, cum Philippo Sacræ Romanæ Ecclesiæ presbytero Apostolicæ Sedis Legato, (qui & primus omnium ante Episcopos nominatur in Commentario *f* ipsis à Synodo Oecumenica dato) septem alii Episcopi, nempe Arcadius & ipse Apostolicæ Sedis Legatus, Iuuenalis Hierosolymitanus, Flauianus Philippensis Macedoniæ, Firmus Cæsariensis Cappadociæ, Theodotus Ancyranus Galatiæ, Acacius Melitenus Armeniæ, Euoptius Ptolemaidis Pentapolis: ex parte vero schismaticorum, Ioannes Antiochenus, Paulus Emesenus, Himerius Nicomediensis, Macarius Laodicensis, Apringius Chalcidensis, Theodoretus Cyrensis, Helladius Ptolemaidis Phœniciæ; nomen vero octaui deesse videtur: siquidem octo legatos fuisse litteræ *g* eorum testantur: sicut & octo ab Orthodoxis missos esse constat, licet de septem tantum aliqui affirmarint. Porro ab vtraque parte data fuere suis, Commonitoria *h* de iis Constantinopoli apud Imperatorem agenda essent. Qui vero Ephesi relictus est Cyrillus, scripsit Apologiam *i* ad eundem Imperatorem, qua purgauit se de omnibus à schismaticis contra se calumniis in hunc vsque diem illatis. Ac cum Legati Epheso recessissent, mandato eiusdem Imperatoris iussus *k* est Nestorius recedere Epheso, & quo vellet pergere, nulla amplius spe reuertendi ad sedem Constantinopolitanam, è qua iuste fuisset depositus.

d *Act. Eph. to 4. c. 16.*

e *S. Leo ep. 39 & 45. ad Pulcher.*

THEOD. DETEGIT CALVMNIAS HÆRETICOR.

f *Tom. 4. c. 11.*

g *Tom. 4. c. 19.*

LEGATI AB VTRAQVE PARTE MISSI CONSTANTINOP.

h *Tom. 3. c. 13. in fi.*

i *Ext. to 3. c. 19. & t. 4 c. 19*

k *Tom. 5. c. 2.*

l *Tom. 3. Append. c. 5.*

NESTORIVS DIMISSVS PRIVATVS EPISCOPATV

XX.

Cum autem Legati Constantinopolim appropinquarent, idem Theodos. vrbis tranquillitati consulens, quod sciret ciues in schismaticos *l* omnes, primo insit subsistere apud Chalcedonem, paulo vero post Orthodoxis Constantinopolim admissis, Nestorianos ad propria redire iussit, Actaque ab eis aduersus Cyrillum Memnonem vniuersamque Synodum, penitus aboleri. Verum eorundem schismaticorum multiplicibus libellis inductus, ipsos quoque tandem intra vrbem admisit: vbi quinquies cum Orthodoxis coram ipso Imperatore congressi, ac post multas de duodecim Cyrilli Capitulis, aliasq; eiusmodi disputationes, impii iam detecti, omnino iussi sunt ad propria reuerti. Inter eos autem Theodoretum acerrimum se Nestorii propugnatorem aduersus Cyrillum gessisse, ipsemet satis ostendit litteris *m* tunc Chalcedone ad Alexandrum Hierapolitanum Episcopum datis, & homilia *n* ibidem ad populum habita. Atque hunc tandem finem accepit hæreticorum & schismaticorum factiosa rebellio.

l Quæ tunc Chalcedone & Constantinopoli inter vtriusque partis Legatos gesta sunt, pluribus continentur in Act. Eph. to. 3. Append. c. 2. & seqq.

SCHISMATICI REPVLSI AB IMP.

m *Ap. Cyril. in Apolog. & Act. Eph. to. 3. Append. c. 9.*

n *Ap. Cyril. Apol. ad fi.*

XXI.

At licet sancita à Patribus damnatio hæresis Nestorianæ cum auctore suo Nestorio, firmum vigorem obtinuerit; quæ tamen à Synodo statuta fuerant aduersus Ioannem Antiochenum, & collegas sacerdotio ac sede priuatos, haud adeo propere visa sunt Imperatori executioni mandanda; sed spe pacis ineundæ sunt retardata, ne cum Ioanne totius Syriæ Episcopi ab Ecclesia Catholica separarentur. Quod quidem diuino consilio factum esse, exitus declarauit; cum anno sequenti dissidentes ad concordiam sunt reuocati, Ecclesiisque tranquillitas reddita. Nestorius autem cum suis in monasterio Sancti Euprepii apud Antiochiam permissus *o* agere ad quadriennium, si forte ab insania resipisceret, cum est compertus maiori obstinatione obriguisse, relegatus est in teterrimam solitudinem Oasenam, prout dicetur inferius.

o *Euag. l. 1. c. 7*

Interea vero hoc ipso anno, octaua Nouembris, vt Socrates *p* habet, creatus est in locum eius Episcopus Constantinopolitanus, *Maximianus* (vt ait *q* Liberatus) vita monachus, ordine presbyter, constantis vir fidei, sed idiota sermone, & qui idcirco vitam quietam agere delegerat. Eadem fere de illo Socrates *r*. Is autem confestim ac Episcopus factus est, epistolam *s* ad Cyrillum scripsit, qua insignem eius confessionem, ac toleratos pro fidei defensione labores; meritis laudibus extulit. Cui vero primæ deberentur tantæ partæ de prostratis hæresibus gloriæ, Cælestinus Romanus Pontifex, quem, præter alia quæ de eo iam dicta sunt, Gennadius *t* ait decreta Synodi aduersus Nestorium dictasse, volumenque descriptum ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedisse) hoc elogio à Sancto Prospero *u* laudatur, quod *per eum omnes Orientales Ecclesiæ gemma peste purgatæ sunt, quando Cyrillo Alexandrinæ vrbis Antistiti, gloriosissimo fidei Catholicæ defensori, ad execrandam Nestorianam impietatem Apostolico auxiliatus est gladio: quo etiam Pelagiani dum cognatis confœderarentur erroribus, iterum prosternerentur.* Quæ quidem non ignorates ipsi Patres qui Ephesi conuenerunt, necnon Maximianus recens creatus Episcopus, ac Theodosius Imperator; legationem ad eundem miserunt, ei de his gratulantes. Sed quod hanc constet Romam peruenisse ipsa die Natalis Domini, agetur de illa anno sequenti.

p *Socr. l. 7. c. 36. in fi.*

q *Liber Breuiar. c. 7.*

r *Socr. lib. c. 34*

s *Ap. Cyril. ep. 24. Act. Eph. tom 4. c. 24.*

t *Gennad. de Scr. Eccl. c. 52.*

CÆLEST. PAPÆ ELOGIVM DE PROSTRATIS HÆRET.

u *Prosp. conc. Collat. prop. fi.*

XXII.

Denique post insignem illam adeptam victoriam de Ecclesiæ perduellibus, vbique locorum à Christianis trophæa erecta sunt, & sanctissima Virgo MARIA, (quæ, vt canit sancta Ecclesia, cunctas hæreses interemit in vniuerso mundo) MATER DEI omnium ore cantata est atque prædicata. Tuncque additamentum illud accepisse creditur Angelica salutatio, SANCTA MARIA MATER DEI ORA PRO NOBIS, &c. Factumque est, vt quamuis frequens antea esset ipsius cultus, posthæc diuino excitante Spiritu, frequentior fuerit atque celebrior; vixque reperiri esset, qui absque DEI-GENITRICIS titulo nominaret Sanctam MARIAM. Sed & Pulcheria Augusta virgo sanctissima, cuius maxime opera *x* Regina Virginum, Mater Dei, à Nestorii vindicata est blasphemiis, excitauit *y* amplissimum tantæ victoriæ monumentum, nempe sub nomine eiusdem Dei-Genitricis augustissimum templum in Blachernis iuxta mare: quod sua postea mole labans, Iustinianus *z* restituit.

MAXIMIAN. ELIGITVR EPISC. CONSTANTIN.

x *S. Leo ep. 39. ad Pulcher.*

y *Niceph. l. 14. c. 2.*

z *Procop. de ædif. Iustin. or. 1.*

XXIV.

Adiecit vero ad hæc omnia Theodosius Imperator, vt Irenæum Comitem profectum cum Nestorio Ephesum, ob studium erga eum impensum aduersus Catholicam fidem, exauctorauit: eundemque ab Episcopis Syris, vt patronum, ordinatum Episcopum Tyri, etiam deponi curarit, vt dicetur suo loco. Sed & parem irrogatam fuisse pœnam in Candidianum, Palladium, atque Ioannem Comites, qui mendacibus relationibus ludificassent Imperatorem, & de sanctis Episcopis adeo male meriti essent, possumus intelligere: nimirum vt par sententia percelleret eos, quos par delictum obnoxios eidem supplicio reddidisset. Adeo vt cum Nestoriani præter spem vidissent Theodosium, per Pulcheriam Augustam ab eorum fallacis eductum, strenue pro fide Catholica peregisse quæ Christianum decerent Imperatorem; in vtrumque commoti, quod aliter non valerent, calumniis ambos vehementissime exagitare cœperint, dum (quod narrat Suidas) rumorem sparserunt, eo inuisum esse Pulcheriæ Nestorium, quod

IMP. PVNIT COMITES, QVI FAVERANT HÆTICIS.

XXIII.

NESTORIANORVM CALVMNIÆ IN THEODOS. ET PVLHER. AVGG.

CVLTVS SS. VIRGINIS MATRIS AVCTVS.

illam

illam incestus cum fratre Theodosio criminatus esset. Sed quid mirum, sic in Christi virginem insaniisse, qui in Virginem virginum, Christi Matrem adeo contumelios extiterе? At de his, deque rebus Orientalibus huius anni hactenus. Iam Occidentales inuisamus.

XXV.

DE S. PATRICIO HIBERNOR. APOSTOLO.

His ipsis Coss. Prosper missum ait Palladium (de quo superius) ordinatum primum Episcopum ad Scotos: quem perductum etiam ad Hiberniam Insulam, sed cito mortuum, Probus ait in Rebus gestis Sancti Patricii. Hibernorum quidem conuersionem Deus eidem Sancto Patricio reseruauit: qui (vt tradunt) Scotus genere, natus ex Sancti Martini Turonensis Episcopi sorore, ab eoque clericus ordinatus, quadriennium sub eius institutione transegit; inde à Sancto Germano Antisiodorensi sacris litteris imbutus. Vocatus autem à Deo ad Hibernorum conuersionem, non prius illuc se contulit, quam Romam ad Cælestinum Papam accesserit, accepturus ab Apostolica Sede ad eius gentis conuersionem Apostolatum. Hæc vero, aliasq; res ab eo in eiusmodi Apostolatu gestas, scriptaq; exarata, Probus, Sigebertus *a*, aliiq; conscripsere. Sed Probus ab Amatore Episcopo ordinatum ipsum tradit Scotorum Antistitem: quod Sigebertus ait Romæ factum à Cælestino; vnde in patriam rediens, Hibernos ad Christi fidem suscipiendam conuertit.

a Sigeb. in Chron.

XXVI.

S. PAVLINI NOLANI OBITVS.

b Ap. Sur. 22. Iunii.

Hoc item anno, decimo Calendas Iulii, diem obiisse magnum illum Sanctum Paulinum Nolæ Episcopum, de quo sæpe superius, auctor est Uranius *b* ipsius discipulus, qui obitum potius quam vitam eius prosecutus est, vt profitetur in præfatione ad Pacatum inscripta, atq; eum in morbo visitatum fuisse à SS. Ianuario martyre Neapolitano; & Martino Turonensi Episcopo, longe ante hæc tempora defunctis & in ipsius obitu, cellulam eius ingenti terræmotu concussam esse. Porro eiusdem sanctissimi atq; doctissimi Antistitis laudes, scriptis suis celebrarunt æque sanctissimi atque doctissimi viri Hieronymus in Oriente, Ambrosius in Italia, Augustinus in Africa, Prosper & Eucherius in Galliis, hoc ipso sæculo; postea vero Gregorius Papa, & alii vbique. Reliquit vero ipse post se nobilissimi ingenii monumenta, Epistolas & Carmina: cum nunquam voluerit attingere interpretationem diuinæ Scripturæ, non quidem tenuitate ingenii, sed potius admiranda animi submissione. Nam & quę reperiuntur ipsius epistolæ, non eius studio, sed industria S. Amandi Episcopi Burdegalensis seruatæ fuere; vt ipse Paulinus docet epistola ad eum scripta, quam habet Codex Vaticanus, atq; Nolanus: & quæ carminibus cecinisse, pieq; lusisse videmus, eadem amicorum diligentia custodita putamus. Memoria autem eius indelebili nota in Tabulis Ecclesiasticis inscripta habetur.

LAVDES, ET SCRIPTA EIVS.

XXVII.

c Greg. 3. dialog 1.

VICARIVM SE DAT PRO REDEMPTIONE FILII VIDVÆ.

d Vict. Vtic. de persec. VVandal. l. 1. in fi.

Quod autem apud Gregorium *c* ex eiusdem Vranii antiquissima narratione, quæ habetur in ipsius codice manuscripto, traditur, eundem Sanctum Paulinum sese obsidem dedisse pro filio viduæ Regi Wandalorum in Africa, & post eiusdem Regis obitum remeasse Nolam, atque ibi defunctum esse: id nequaquam intelligi potest de Genserico, qui primus regnauit in Africa; cum constet *d* eum cum regno vitam propagasse, capta Carthagine, annis triginta septem, sicque peruenisse ad annum Domini quadringentesimum septuagesimum sextum. Paulinum autem, qui ex annis ætatis eius superius supputatis, his Coss. reperitur fuisse annorum septuaginta octo, haud diutius vixisse putamus, vel aptum fuisse qui regium hottum colere valuisset. Nec item intelligi potest de Alarico Gotho, (quod alii volunt) cum is nihil penitus de Africana prouincia sibi vendicauerit. Sed poterit facile referri ad fratrem Genserici Gunthariun, filium legitimum Godigischli, ac regni successorem; (Genscricus enim nothus fuit:) quem cum ipso Genserico in Africam traiecisse, Procopius *e* & auctor Miscellæ *f* affirmant, eundemque paulo post dolo Genserici è medio sublatum esse: licet ad vitandam fraternæ cædis infamiam, à posterioribus Wandalis traditum fuerit, (quod referunt Procopius, & Isidorus *g*) Gunthariun nequaquam transiisse in Africam, sed in Hispania à Germania captum, paloque infixum; vel ab inuadente eum prauo dæmone, quod capta Hispali irreuerenter in eius ciuitatis ecclesias manus extendisset, necatum esse. Sed dum aiunt primo id Wandalorum Regi in Hispania regnanti contigisse, plane de eius parente esse intelligendum apparet, quem primum inuasisse Hispaniam tradunt omnes; eumque regnasse ibi annos tex decim, Isidorus affirmat.

e Procop. li. 1. de bel. VVand.

f Miscel. li. 14.

g Isid. in hist. VVandal.

IESV CHRISTI AN. 431.

SIXTI III. AN. 1.

THEODOS. II. 25.
VALENTIN. III. 8.

I.

ANNVS Christi quadringentesimus trigesimus secundus, quod Fasti Prosperi & Cassiodori Flauium Aetium & Valerium Coss. ponunt, illuxit plane sui exordio Romanæ Ecclesiæ lætus; cum suscepta legatione Orientalium, Cælestinus Papa litteris à sancta Synodo Ephesina, Theodosio Imperatore Maximiano Episcopo Constantinopolitano, ac Clero & populo eiusdem ciuitatis, per Ioannem presbyterũ & Epictetum diaconum, qui ipsis Natalis Domini diebus anni superioris Romam peruenere, ad se scriptis, certior factus est de impii Nestorii deiectione, & Maximiani subrogatione. Qui per eosdem legatos ad omnes prædictos alias *a* reddidit Idibus Martii sub iisdem huius anni Coss. quibus de rebus bene gestis eis gratulatus est, & quæ in Synodo aduersus Nestorium gesta essent comprobauit, ac quomodo futura mala caueri possent salutaria monita imperiuit; demumque vehementer exhortatus est, vt Nestorius Antiochia pelleretur, longiusque ablegaretur, ne causa ibi esset multorum ruinæ, vbi ipse labare cœperat. Ex quibus quidem omnibus, aliisque multis de eodem Cælestino superius dictis, insuperque ex Actis Ephesinæ Synodi, & quamplurimis aliis huius temporis & sequentium monumentis, abunde satis apparet, quam misere lapsus sit Laurentius Valla *b* grammaticulus, & Ecclesiasticarum rerum penitus ignarus, dum nesciens quam magna sit differentia inter Cælestinum Papam & Cælestium collegam Pelagii, deceptus infelix similitudine nominum, effutiit Cælestinum Papam infectum fuisse errore Nestorii: cuius ipse damnationis auctor ab omnibus prædicatur. En quas patiatur infestas muscas Ecclesia. De quibus & illud Exodi *c* liceat vsurpare: *Corrupta est terra ab huiusce modi muscis*, grammaticis, inquam, illis, qui absque magistris hoc nostro sæculo ex improuiso prodiere Theologi, immo & profitentur seueriſſimos se esse Theologorum censores: Sed hæc in supplicium perfidorum, de quibus Sapientia *d*. *Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus: & non est inuenta sanitas animæ illorum, qui digni erant ab huiusmodi exterminari: filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes.*

EPISTOLÆ CÆLEST. PP. IN ORIENTEM POST SYNODVM.

a Recitat omnes Bar. Ann. To. 5. hoc an. nunquam antea editas, acceptas ab Ant. de Aquino.

b Valla de falsi. donat. Constant. INSCITIA LAVR. VALLÆ DE CÆLEST. PP.

c Exod. 8.

d Sap. 6.

Cæterum viginti duobus diebus post datas illas ad Orientales epistolas, nimirum octauo Idus Aprilis, idem sanctus Pontifex *Cælestinus* cælestem, quam diutius concupierat, gloriam cum Sanctis omnibus participaturus, ex temporali vita transcendit ad æternam, pontificia administratione optime perfunctus per annos octo, menses quinque, & dies tres; vt colligitur ex tempore ipsius creationis: quamuis in eius epitaphio *e* antiquitus scripto, ad decimum dicatur annum peruenisse. Sepultusq; est in cœmeterio Priscillæ via Salaria. Quem quidem Gennadius *f* inter Scriptores Ecclesiasticos recenset: ac Liber de Romanis Pontificibus de eodem tradit, inter multa alia constituisse vt Psalmi Dauidis centum quinquaginta ante sacrificium psallerentur antiphonatim ex omnibus: quod (vt ait) antea non fiebat, sed tantum Epistolæ Pauli recitabantur, & S. Euangelium.

II. CÆLEST. PP. OBITVS.

e Antiq. inscript. in Append. pag. 1170. num. 5.

f Gennad. in

III. SIXT. PP. III. ELECTVS.

Post eius obitum cum sedes vacasset (vt idem liber habet) dies viginti, sexto Calendas Maii Sixtus patria Romanus ex

nus ex patre Sixto, creatus est Romanus Pontifex eius nominis Tertius, quod quidem hoc anno factum, tam Prosper quam Marcellinus in Chronicis meminere. Illud vero constat ex litteris Sancti Cyrilli *a* ad Acacium Melitenum datis: atque aliis, ipsum Sixtum, simul ac regimen Apostolicæ Sedis est consecutus, nihil antiquius habuisse, quam quæ à Sancto Concilio Oecumenico Ephesino decreta fuissent, stabili firmitate consolidare. Sicque qui olim Nestorianorum patriarchas Pelagianos (ex his enim eos fuisse progenitos, superius demonstratum est) adhuc presbyter fuerat infectatus, vt vidimus; ipsos etiam Nestorianos Episcopus factus penitus damnauit. Sed quod sciret Petri etiam muneris esse fratres confirmare, & collapsos erigere; in id quoq; totus incubuit, vt qui restitissent Ephesinis Actis Orientales Episcopi, eosdē Catholicæ fidei redderet obsequentes: eaque de causa ad ipsum etiam Nestorium omnium malorum auctorem, necnon ad primarium eius fautorem Ioannem scripsit; vt de litteris ad Nestorium testis est Gennadius *b*, de scriptis ad Ioannem Vincentius *c* Lirinensis.

a *Cyril. ep. 29. Act. Eph. to. 5. c. 7.*

QVÆRIT CVRARE NESTORIVM.

b *Gennad. de Vir. Ill. c. 54.*
c *Vinc. Lirin. c. vlt.*

IV.

At non Sixtus tantum Papa, sed & Theodosius Imperator hoc eodem anno, & viuente adhuc Cælestino, nauiter egit pro pace concilianda; vsus *d* ad hoc consilio Maximiani Constantinopolitani Episcopi, & aliorum qui cum eo erant Episcoporum Orthodoxorum; ac fideli ministerio Aristolai Tribuni & Notarii; operaque Acacii Episcopi Beroeensis, qui totius Orientalium machinationis præsenii grauitate, & rerum agendarum vsu atque peritia consultor habebatur; necnon magni illius Simeonis Stylitæ anachoretæ: qui primo pastor ouium, postea visionibus diuinis vocatus ad arctissimum vitæ monasticæ institutum, inde diu inclusus ingenti tolerantia permanens, tandem columnam in solitudine in finibus Syriæ Ciliciæque conscendit: vbi licet incomparabili admirandæ sanctitatis exemplo vitam parem cælitibus in terra, vel potius in ipso cælo duceret; tamen curam Dei Ecclesiæ maximam agens, zeloque pietatis exæstuans, nullam vnquam prætermisit occasionem ei consulendi, siue pugnando aduersus Gentilium impietatem, siue frangendo Iudæorum audaciam, siue fugando & profligando turbas hæreticorum; aliquando de his scribens ad Imperatorem, aliquando Præsides & Magistratus ad diuinum incitans zelum, aliquando etiam ipsis Ecclesiarum pastoribus maiorem gregis curam gerere præcipiens: cuius nomen, ob ipsius plane mirificas virtutes, ingentiaq; miracula, & insigne prophetiæ donum, non in Oriente solum vbi degebat, sed in Occidente percelebre fuit, nec tantum apud viciniores Orientis populos, sed etiam apud Ismaelitas, Persas, Armenos, Æthiopas, Indos, Scythas, Nomadasque, & alios remotissimos, atque in Occidente Italos, Gallos, Britannos, Hispanos: adeo vt ex omnibus terrarum Orbis partibus, ad eum, instar fluminum, populi concurrere cernerentur, vel vt sanarentur à languoribus, vel vt instruerentur in fide, aut aliam consolationem acciperent: eundemque maximi Principes literis ac legationibus frequentarent: quin & in ipsa Vrbe Roma, in officinarum omnium vestibulis & porticibus paruas eius imagines Fideles ponerent, inde sibi præsidium & tutelam parantes: vt de his omnibus testis oculatus est Theodoret *e*, eiusdem prouinciæ accola, ipsiq; familiaris redditus.

d *Extant de his epistolæ Theodosii ad Ioannem, Acacium, & Symeonem, Act. Eph. tom. 5. c. 3. 10. 15.*

DE SYMEONE STYLITA

e *Theod. Vit. SS. Patr. c. 26.*

V.

Huius igitur talis tantique viri, aliorumque quos diximus opera vsus Imperator, effecit tandem apud Ioannem Antiochenum, vt is vocatis ad se Episcopis Syriæ, qui aduersus Cyrillum sibi præsto fuerant, consilium cum illis inierit tamen habere damnationem hæresis Nestorianæ, ipsiusque Nestorii; sicque redintegrare communionem cum Romano Pontifice, Cyrillo Alexandrino, & Maximiano Constantinopolitano, omnique simul Ecclesia Catholica, à qua hactenus schismate præcisi essent. Qua de re cum illi mox ad Sixtum Romanum Pontificem Synodalem dedissent epistolam *f*; tamen cum Cyrillo, aduersus quem acerbissimas inimicitias exercuissent, aliter sibi agendum putarunt; nimirum vt quasi daturi essent ei legem, ab eo, velut in suspicionem adducto hæresis Apollinaris, exigerent Catholicæ fidei confessionem, qua sua Capitula tanquam erronea condemnaret. Verum cum se his minime consensurum, idem Cyrillus litteris suis declarasset; tunc iidem Paulum Episcopum Emesenum legatum Alexandriam miserunt, qui, si posset, ab eodem Cyrillo quod petitum erat extorqueret, sin minus, ei de damnatione Nestorii litteras scriptas redderet. Quod vltimum præstitit Paulus, postquam multis licet vsus persuasionibus, nullaeispes reliqua fuit, vt in vlteriorem sententiam Cyrillum perduceret: sicque absque vlla Capitulorum suorum damnatione, cuncta arbitrio Cyrilli gesta sunt. Habuitque tunc idem Paulus concionem ad populum Alexandrinum; qua cum sanctissimam MARIAM, *Deiparam* appellasset, & duas perfectas in vno Christo professus esset Naturas; summo exceptus est à populo plausu, & faustis tam ipse, quam Cyrillus qui eum talia docuisset, acclamationibus sublimatus.

f *Act. Eph. to. 5. c. 17.*

Porro cum hæc omnia ita gesta esse, omni fide constantia testimonia *a* certissimum reddant: inde cum Theodoretum *b*, in eam vsque diem Cyrillo infensissimum, tum alios Nestorii fautores arguas, qui sparserunt, Cyrillum in omnibus consensisse Ioanni, ac sua damnasse Capitula; nempe quod cum in confessione Catholicæ fidei, quam ad Ioannem Antiochenum misit subscribendam, antequam ipsum in suam communionem reciperet, fecisset mentionem Capitulorum suorum, ideo visus esset illa damnasse. Quapropter plane diuerse in hoc negotio accidit, vt & nonnulli ex iis qui Nestorium sectati essent, haud ratam habuerint pacem inter eosdem Ioannem & Cyrillum stabilitam, quod Cyrillus absque suorum Capitulorum damnatione in communionem receptus fuisset: ac rursum aliqui ex parte Cyrilli haud inferioris ordinis viri, puta Acacius Melitensis, Valerianus Iconiensis, & alii, in ipsum commoti fuerint, quod de eo accepissent, iniquis conditionibus communicasse cum Orientalibus: prout hæc narrat Libetatus *d* in Breuiario. Quin etiam illud additum est à Nestorianis, vt epistolam nomine Cyrilli confinxerint, qua se palinodiam recantare ipse significaret, & quæ Ephesi facta essent rescindere: aliamque nomine Philippi Sacræ Romanæ Ecclesiæ presbyteri, & in Synodo Oecumenica Sedis Apostolicæ Legati, qua significaretur, Sixtum Romanum Pontificem ægro animo tulisse damnationem Nestorii. Testatur enim hæc ipse Cyrillus *e* litteris ea de re ad prædictos Episcopos scriptis, aliisque, quibus & se à calumniis defendit, & quæ à Sixto aduersus Nestorium gesta essent declarat. Extantq; *f* eadem de re ipsæ Sixti Papæ litteræ ad Cyrillum scriptæ anno sequenti, (quarum idem Cyrillus meminit) aliæque ad Ioannem Antiochenum, quibus aperte ostenditur, eundem Pontificem magnopere execratum esse Nestorium, lætatumque de inita inter Orthodoxos concordia. Denique re probe cognita, & Theodosius Imp. quæcunq; aduersus Cyrillum scripta fuissent, abolenda penitus esse, sancita lege *g* decreuit; & in Quinta Synodo, ipsius Theodoreti aduersus eundem Cyrillum scripta, æque omnium Patrum fuere sententia condemnata: ac demum ipsummet Theodoretum, licet post hæc Nestorii amicitiam aliquandiu coluisse reperiatur, tamen horum omnium postea pœnitentem, non solum vehementius eidem, eiusque hæresibus aduersatum esse, sed & æquiori animo fuisse erga Cyrillum, constat ex diuersis ipsius scriptis *h*.

VI.

a *Act. Eph. to. 5. c. 4. 5. 6. 7. 16 & tom. 6. c. 13. 14. 15. & ap. Cyril. ep. 28. 29. 30. 38.*
b *Theo. ep. 112. ad Domn. & ep. ad Ioa. quæ habetur in 5. Synod. Collat. 5. ad fi.*
c *Vid. ep. nomine ipsa scripta, ap. Act. Conc. Chalced. Act. 10.*

CALVMNIAE DE PACE INITA INTER IOAN. ET CYRIL.

d *Liber. c. 7.*

e *Cyril. ep. 29. 38. Act Eph. to. 5. c. 7. 8. & tom. 6. c. 77.*
f *Rec. Baron. Ann. Tom. 5. an. 433. ex cod. Vatic.*

Cæterum quod (vt diximus) hoc tempore complures essent, qui neque Cyrillo neque Ioanni inhæresceret, sed seorsum absq; capite synaxes agerent; nouam ex iis sectam esse conflatam, quam Acephalorum nominauit antiquitas, Liberatus rectissimauit. Verum receptior illa sententia est, vt nonnisi post Chalcedonensem Synodum Acephali hæretici cœpti fint nominari: quod inter alios testatur Leontius *k* Scholasticus. Itaque de iis dicetur propriori loco.

g *Act. Eph. to. 5. c. 19.*

THEODORVS RESPVIT NESTORIVM.

h *Theodor. ep. 1. ad Sporad. 83. ad Diosc. & bar. fab. l. 4. in Nestor.*

VII.

ACEPHALORVM SECTA VNDE ORTA.

i *Liber. Breuiar. c. 9. in fi.*
k *Leont. de Sect. c. 5. To. 9. Bibl. S.*

VIII.

Hoc item ferme tempore *l*, multi Iudæi in Creta insula CHRISTI fidem receperant, cum impostura detexissent Iudæi cuiusdam veteratoris, qui Moysen se simulans de cælo demissum vti illos per mare in continentem traduceret, indeque in terram promissionis, pleroſq; induxerat

l *Socr. l. 7. c. 36 Misc. li 19. Nic. l. 14. c. 40*

IVDÆI SEDVCTI IN INSVLA CRETA, RESIPISCVNT.

xerat bona sua occupare volentibus relinquere, seque cum vxoribus & liberis è promontorio in mare præcipites dare, quasi pede sicco illud traiecturos: è quo periculo à Christianis piscatoribus, aliisque, multi extracti sunt, ac per totam Insulam plurimi ea clade impulsi ad fidem Christi se transtulerunt. Quæsitus vero impostor ad necem, nec vsquam inuentus, à multis creditus est malus fuisse dæmon.

IX. S. BRITIVS TVRON. EPISC APPELLAT ROM. PONT.

Quod ad res spectat Occidentales; hoc eodem anno *Sanctus Britius* Turonensis Episcopus, sancti Martini successor, incestus falso à suis ciuibus accusatus, duo imprimis insignia edidit in testimonium innocentiæ suæ miracula; quorum altero, puerulum ipsi tributum, triginta duntaxat dies natum, publice per Iesum Christum adiurans dicere num ipse eum genuisset; respondere compulit, *Non es tu pater meus*: Altero, prunas ardentes in byrro suo absque vlla læsione ad Sanctum Martini sepulchrum portauit. Cum vero nihilominus à ciuibus, hæc magicis artibus tribuentibus, sede pulsus esset: demum ad Romanum Pontificem recurrens, post septennium restitutus est; (duobus interim intrusis Episcopis, diuino iudicio extinctis:) ac septem postea feliciter vixit annos. Narrat hæc Gregorius *a*, eiusdem postea Ecclesiæ Turonensis Antistes. Appellare vero consueuisse Gallicanos Episcopos quam frequentissime ad Apostolicam Sedem, docet S. Leo *b* in epistola ad Episcopos prouinciæ Viennensis.

a Gr. Tur. l. 2. de gest. Franc. c. 1. & Lio. c. 31.
b Leo ep. 89.

X. PETRVS CHRYSOL. EPISC. RAV. Ap. Baron. an. seq.

Hoc item Redemptoris anno ex hac vita migrasse ponitur *S. Ioannes* Rauennæ Episcopus, cuius præclara est memoria inter sanctos Rauennates Antistites: cui datus est anno sequenti à Sixto Romano Pontifice ex diuino monitu successor, *Petrus* diaconus Forocornelienſis, cognomento *Chrysologus*, clarissimas sanctitate & doctrina. Docent hæc eiusdem Ecclesiæ antiqua monumenta, ab Hieronymo Rubeo edita. Sed quod in eis, ad eundem Ioannem datum legitur Valentiniani Imp. rescriptum, quo Rauennati Ecclesiæ concessit vt esset Archiepiscopatus, ipsiusque Antistites perpetuum haberent vsum pallii; licet multa sint alia, quæ illud rescriptum spurium demonstrent, (tunc, vt putamus, compositum, cum postea Rauennates Episcopi schismate diuisi fuere ab Apostolica Sede) illud extra controuersiam est, nonnisi à Romanis Pontificibus Pallium Archiepiscopis fuisse solitum impertiri, ab Imperatoribus. nunquam. Quin & ipsos Rauennates Episcopos professos esse, tum pallium, tum alia priuilegia se accepisse ab Apostolica Sede, S. Gregorius *c* Papa docet. Neque factum, vt concesso semel pallio Ecclesiæ Rauennati, illud absq; noua concessione Romani Pontificis, superinduerent successores; sed singulos, cæterorum more Metropolitanorum, sibi concedi petiisse, demonstrat exemplum Maximiani eiusdem Ecclesiæ Episcopi, subrogati in locum alterius Ioannis; cui illud petenti Gregorius *d* Papa misit. Sciant tamen omnes, nihil ob id detractum esse nobilissimæ illi sedi, si spuriis exufflatis, ipse purus demonstratus est fons primatius, vnde in eam priuilegia effluxere; nempe ab ipsa Rom. Ecclesia, à qua & reliqui Metropolitani se idem iuri consecutos esse congaudent.

PALLIVM DARE, NON EST IMPP.

c Gr. 2. ep. 54. ad Ioan. Rau.

d Id. 5. ep. 8.

XI. BONIFACII ET AETII DVVM PVGNA.

His item Coss. (vt tradit Prosper) Bonifacius Comes, de quo sæpe superius, ex Africa in Italiam rediens, accepta Magistri militum dignitate, cum resistentem Aetium, qui olim ei fuerat insidiatus, prælio superasset, paucos post dies morbo extinctus est. Aetius vero, cum deposita potestate in agro suo degeret, ibique eum quidam inimicus eius repentino incursu opprimere tentasset, profugus ad Vrbem, & illinc in Dalmatiam, deinde ad Hunnos in Pannoniam peruenit; quorum amicitia auxilioque vsus, pacem Principum, & ius interpolatæ potestatis obtinuit. Hæc Prosper. Cæterum auctor Miscellæ, singulari certamine victum à Bonifacio Aetium tradit: Marcellinus autem, vulnere ab Aetio inflicto Bonifacium periisse; Pelagiamque vxorem suam valde locupletem, nulli alteri nisi Aetio vt nuberet, hortatum esse.

* *
*

IESV CHRISTI AN. 433.

SIXTI III. AN. 2.

THEODOS. II. 26.
VALENTIN. III. 9.

ANNO Christi quadringentesimo trigesimo tertio, Theodosio Aug. decimum quartum & Anicio Maximo Coss. mense Augusti, (vt Prosper *a*, Marcellinus, & Socrates *b* ponunt) maxima pars vrbis Constantinopolitanæ, per biduum, triduumve, tali incendio flagrauit, quale nunquam antea visum auditumve fuisset. Quod quidem affirmari posse videtur illam ex eo commeruisse pati, quod aduersus Ephesinum Concilium qui erant rerum arbitri Nestorio fauissent: & damnatum licet, complures in Sancti Euprepii monasterio prope Antiochiam existentem variis non desisterent afficere honoribus, & donare præmiis; vt ex literis ipsius Euagrius *c* narrat. Ex quibus, aliisque inferius de eo dicendis, apparuit quanto demum Ecclesiæ & Imperii damno, Theodosius Augustus distulerit audire Cælestinum Romanum Pontificem, hortantem (sicut vidimus) vt idem Nestorius longius ablegaretur. Sed quod ad incendium vrbis regiæ spectat; quod narrat Socrates, miraculo Pauli tunc temporis Nouatiani Episcopi accidisse, vt Nouatianorum ecclesia non conflagrarit; sæpe superius demonstratum est, nullius esse momenti fidem hæretici, sectæ suæ hominibus miracula adscribentis, neque vlla vnquam fuisse vel esse potuisse vera miracula hæreticorum.

I.

a Prosp. & Marcel. in Chron.
b Soc. l. 7. c. 38 INCENDIVM CONSTANTINOP.

c Euag. l. 1. c. 7

Hoc item anno Sanctus Prosper reuiuiscenti in Occidente hæresi Pelagianæ, se validis scriptis opposuit. Cum enim Ioannes Cassianus Ecclesiæ Massiliensis presbyter, (de quo dictum est superius) Nestorio adhuc Constantinopoli sedente, monitu *d* Leonis Romanæ Ecclesiæ tunc Archidiaconi, postea Pontificis, aduersus eundem Nestorium luculentum ac perutile de Incarnatione Verbi commentarium edidisset; eodemque volumine Pelagium & Pelagianos, velut eius hæresis primarios auctores, vehementer exagitasset: atque inde accidisset, vt nonnulli calumnioſe factum existimarent, quod idem Cassianus eiusdem Pelagianæ hæresis à Catholicis viris in crimen adductus esset: ac proinde editas antea ab ipso *Collationes Patrum*, absque erroris suspicione Fideles legerent, efficerenturque ea saltem ex parte Pelagiani, qua aduersus Gratiam ab eo Liberi arbitrii vires nimium prædicarentur: his, inquam, latentibus malis vt occurreret Prosper, aduersus Collatorem librum hoc ipso anno (vt ex eius præfatione colligitur) conscripsit, & quidem eruditione insignem; licet illum Gennadius, & ipse presbyter Massiliensis, secutaque Pelagianus, damnet, Cassiani vero Collationes laudet. Porro cum has ipsas Collationes, alioqui valde proficuas vitam excultiorem sectantibus, nonnullos alios insignes viros emendasse constat; (puta Sanctum Eucherium *e* Lugdunensis Ecclesiæ tunc presbyterum, Victorem *f* Martyritanum in Africa Episcopum, & Cassiodorum *g*: qui Cassiani opera expurgantes, quæ vtilia viderentur in epitomen accurate redegerunt, & quæ minus erant addiderunt:) inde falli non dubites, qui ex eo quod præ manibus habetur Collationum opere Cassiani, defendunt ipsum fuisse omni ex parte Catholicum, morbosum enim olim extitisse, ex medicorum in eo impensa diutius arte certo certius intelligere potes: vt non immerito eiusdem Cassiani Opuscula Gelasius *h* Papa inter apocrypha reiecerit.

II. DE CASSIANI SCRIPTIS.

d Gennad. de vir. illust. c. 62 Ap. Baron. an. 430. n. 30. & seq.

e Id. c. 63. f Cassiod. Hist. tripart. l. 12. c. 13. g Ado in Chron. an. 435.

h Gelas. decr. de lib. apocryp.

Ad finem præsentis anni, nempe mense Decembris, euolutis iam anno vno & mensibus octo à creatione Sixti Pontificis, celebratum est *Romæ* in basilica Heleniana in atrio Sessoriano, Concilium in causa eiusdem Sixti: qui turpi calumnia ab Anicio Basso Exconsule, & Marciano Patricio

III. CONC. ROM. IN CAVSA SIXTI PP. ACCVSATI DE STVPRO

tricio, infamatus de stupro sacræ virgini illato, voluntarie se ipsum purgationi subiiciens, in eadem Synodo, præsente Valentiniano Imperatore cum vniuerso Clero atque Senatu, & quinquaginta sex Episcopis, innocens declaratus est; Bassus autem & Martinianus calumniatores condemnati, ac proscripti, bonis Bassi Ecclesiæ adiudicatis; qui & ipse intra tres menses vltione diuina mortuus est, & à Sixto in sepulchro maiorum apud Sanctum Petrum honorifice propriis manibus cum aromatibus conditus in sepulchro maiorum eius. Narrat breuiter ista Anastasius in libro de Romanis Pontificibus; quæ fusius describuntur in eiusdem Synodi Actis *a*. Sed quod ea nimia antiquitate corrupta sint, & maxime in Coss. appositis; tutius de tempore inhæremus eidem Libro de Romanis Pontificibus. Sicut & quæ post eadem Acta, apponuntur transacta inter eundem Sixtum Papam, & Polychronium quendam assertum Episcopum Hierosolymitanum, quamuis ea vt legitima citentur à Nicolao Romano Pontifice in epistola ad Michaelem Imperatorem, & à Petro Damiani scribente ad Henricum Rauennatem, atque ab aliis postea recentioribus, de illis minime dubitantibus: tamen cum multa in iis reperiantur, quæ nunquam valuerim ad veritatis lineam reuocare, licet in eis plurimum laboris insumpserim; consultius existimaui abstinere ab illis recensendis, cum præsertim qui ea cupiunt, habeant alibi vbi legere possint.

a *Tom. 1. Conc.*

ACTA SIXTI CVM POLYCHRONIO CVIVS FIDEI.

IESV CHRISTI AN. 434.

SIXTI III. AN. 3.

THEODOS. II. AN. 27.
VALENTIN. III. AN. 10.

I.

ANNO Domini quadringentesimo trigesimo quarto, Aspare & Arcobinda Coss. pridie Idus Aprilis, Maximianus Constantinopolitanus Episcopus, cum annos duos & menses quinque ei Ecclesiæ præfuisset, ex hac vita decessit. In cuius locum, Imperatoris Theodosii impulsu *Proclus*, discipulus olim S. Ioannis Chrysostomi, vir spectatissimus suffectus est. Quam rem gestam narrat Socrates *b*: qui id factum ait suffragante Romano Pontifice, cum alioqui quod olim Proclus creatus fuisset Cyzicenus Episcopus, repellendus videretur à sede Constantinopolitana, quod prohiberent canones eiusmodi in alias sedes Episcoporum translationes.

PROCLVS E-LIGITVR EPISC. CONSTANT.

b Soc. l. 7. c. 39

II.

VOLVSIAN. INCENTI DIVINITVS RECEPTA RECEDITVR CHRISTIANVS.

Quo eodem tempore Sancta Melania Iunior, antiqua parentum nobilitate, & admirabili sanctitate sua, vniuerso Orbi Christiano notissima, Hierosolymis (vbi vitam monasticam agere vidimus: (à patruo suo *Volusiano* Constantinopolim accersita est, cum is Romanæ agens Vrbis Præfectum, eo Legatus aduenisset Qui quidem cum inter Romanos nobilitate ac doctrina nulli secundus esset, tamen cultui Deorum adeo inflexo animo ad hæc vsque tempora inhæsit, vt nec olim cum in Africam vna cum Tribuno Marcellino nauigasset, & à matre sua, religiosissima femina, commendatus per eundem Marcellinum Sancto Augustino esset, vllis tanti Doctoris quantumlibet potentissimis rationibus valuerit adduci ad fidem Christi amplexandam. Extant *c* enim literæ tunc vltro citroque ea de re scriptæ, quæ pro dignitate argumenti meruerunt primum locum inter multiplices eiusdem Sancti Augustini epistolas obtinere. Ex quibus etiam cum appareat, fuisse Volusianum Apollonii Tyanæi & Apulei magorum studiosum: haud mirum videri debet, si tardius, & nonnisi in extremo vitæ spiritu, contigerit ipsum fieri Christianum. Præstitit autem illud hac peregrinatione, infatigabili studio Melaniæ; cum tam per ipsam, quam per alios piissimos viros, & precibus ad Deum, & hortationibus ad ipsum Volusianum, peregit demum, vt idem Constantinopoli in repentinum morbum incidens, agnita veritate baptismum à Proclo Episcopo susceperit, & paulo post munitus pretiosissimo Christi Corporis & Sanguinis viatico decedens in pace, vitam æternam consecutus fuerit. Narrant vero hæc pluribus Acta ipsius Sanctæ Melaniæ *a*: quæ in his confirmantur à Photio in sua Bibliotheca. Habent insuper eandem Sanctam Melaniam, Catholicæ fidei zelo æstuantem, cæterorum quoque ab illa deuiantium ibidem Constantinopoli curam egisse, ac multos eorum qui Nestorii erroribus decepti essent, feruentissimis disputationibus conuictos ad fidem Christi reduxisse; nihilque retardatam vanis dæmonum illusionibus, ministque, nec item depressam acerrimo dolore coxendicis à dæmone inflicto, bellum Domini strenuissime confecisse: sed & ipsis Theodosio Imperatori & Eudociæ Augustæ plurimum profuisse, ac demum Hierosolymam regressam esse.

a Ap. Metaph. & Sur. 31. IX.

III.

Sub huius quoque anni Coss. Sanctus Prosper *b*, dum agit de signis Antichristi, & eius præcursoribus pseudoprophetis & impostoribus, accidisse ait Carthagine, vt virgo quædam iuuencula, natione Araba, ancillæ Dei habitum gestans, cum in balneo lauans simulacrum quoddam Veneris impudice respiceret, & se ipsam, eique se consimilans, domicilium se diabolo præbuerit: à quo per septuaginta ferme dies, totidemque noctes, occupatis faucibus, impedita est ne aliquem cibum aut potum transmitteret, nisi quod noctis medio auis quædam ei ore nescio quid infunderet; cum tamen nullis in dictis diuturni ieiunii fœdata, nullaque pallore seu tabe vel debilitate confecta, quin potius robusta esset succo viscerum, ac mole membrorum. Deducta vero tandem in monasterium puellarum, in quo sitæ erant Reliquiæ Sancti Stephani, ibi prima tandem die apparuisse illam auem asseruit, & increpasse quod neque fame neque siti compulsa illum appeteret locum, quo sibi accedere non liceret. Inde per duas hebdomadas nihil cibi vel potus sumens, in monasterio mansit: sed decimo quinto illucescente die Dominico, cum sacrificium offerendum esset, ad altare ducta, percepta à sacerdote Corporis Domini particula tincta, cum semihora mandens trahere non valeret, demum applicito salutari calice eius gustui sacramentum quod ore gestabat, feliciter transglutiuit, & penitus liberata est.

b Prosp. de promiss. & prædict. Dei dimid. temp. c. 6.

VIRGO A DEMONE OBSESSA, LIBERATA COMMVNIONE CORPORIS DOMINI.

IV.

Hoc item ipso anno *Vincentius* natione Gallus, monasterii Insulæ Lirinensis presbyter, cum aduersus omnes hæreticos, tum præcipue ad sepeliendas penitus recens emersas Pelagi, Cælestii, atque Nestorii hæreses, pro defensione antiquæ Patrum fidei, summa industria diligentissimè sub nomine *Peregrini* elucubrauit commentarium, his temporibus apprime accommodatum, & in Ecclesia Catholica aduersus quoscunque Nouatores semper profuturum: quem vna cum auctore laudauerunt olim Gennadius *c* & Sanctus Eucherius *d*. Porro illum hoc anno elaborasse, nempe tertio ab Ephesina Synodo, testatur ipsemet. Qui quod de se dicat *f*, aliquandiu variis sæcularis militiæ turbinibus agitatum, tandem se in portum religionis condidisse, vt ibi depositis vanitatibus, ac superbiæ flatibus, Christianæ humilitatis sacrificio placaret Deum: in eam adducor sententiam, vt hic ille sit Vincentius Galliarum aliquando, viuente Sancto Martino, Præfectura nobilitatus; quem Seuerus *g* mirifice laudat, factaq; est mentio de eo superius *h*. Florebat plane his temporibus illud cœnobium, illustris sanctorum domus insulæ Lirinensis toto Christiano orbe prædicata; ex qua plurimi insignes Episcopi prodierunt, de quorum iam nonnullis actum est, de aliis vero agendum erit. Ideoque ipsum quoque cœnobium velut sanctissimorum Episcoporum seminarium, egregiis laudibus extulere Sidonius *i* Apollinaris, Cæsarius *k* Arelatensis, Eucherius *l* Lugdunensis, aliique multi.

VINCENT. LIRINEN. SCRIBIT CONTRA HÆRESES.

c Gennad. de Scr. Eccl. c. 64

d Euche. præf. libr. Instruct. ad Salon.

e Vinc. Lerin. c. 42.

f Id. in præf.

g Sev. dial. 1.

h An. 374. 4. DE COENOBIO LIRIN.

De quo etiam Baro. Tom 6. an. 441.

i Sidon. carm. Euchar. ad Fauſt.

k Cæsar. Arelat. hom. 10. ad monach.

l Eucher. de laud. erem.

IESV CHRISTI AN. 435.

SIXTI III. AN. 4.

THEODOS. II. 29.
VALENTIN. III. 11.

I. LIBRI NESTORII DAMNATI.

ANNO Christi quadringentesimo trigesimo quinto, Theodosio decimum quintum & Valentiniano quartum Augg. Coss. cum Nestorius totum illud tempus quo in monasterio Sancti Eupredii apud Antiochiam permissus est degere, impendisset in conficiendis libris aduersus Catholicam doctrinam, indeque iuges in Ecclesiâ Orientali controuersiæ agitarentur; idem Theodosius Imperator, vt discordiarum tolleret seminarium, ipsos Nestorii libros damnans, tertio Non. Aug. editâ sanctione à illos vbique conquiri & comburi iussit, ac nequis deinceps legere, aut retinere, aut in disputationibus allegare auderet prohibuit, adhibita pœna publicationis bonorum. Quomodo vero fuerit & ipse relegatus, dicetur anno sequenti, quo id accidit.

a l. vlt. C. Th. de haer. extra-latior in Act. Ephes. cont. c. 13. & 14.

II. LIBRI THEODORI MOPSVEST. ET DIODORI TARS. PRODVNTVR.

Porro qui blasphemiarum fluenta sic exsiccata viderunt Nestoriani, ipsum fontem aperuere, vnde illa primitus deriuarant; nimirum Theodori Mopsuesteni, & Diodori Tarsensis Episcoporum (à quibus, vt vidimus, venetno propinatus Nesto rius fuerat) libros vbique legendos exponentes, & quo latius spargerentur, eosdem in Syrorũ, Armenorum, atque etiam Persarum linguam transferentes, quodque deterius est, Catholicos esse probare conantes, eo quod essent aduersus Eunomium & Apollinarem conscripti: cum tamen ipsi sanctissimam Trinitatem sic vnius essentiæ prædicarent, vt Christum Dominum vnum ex Trinitate nullatenus confiterentur, quod scilicet duas in eo naturas inter se diuisibili coniunctione vnitas affirmarent, quæ duas constituerent personas: sicque quatuor Personas in Trinitate astruerent, duos Dei Filios introducentes. Narrat hæc Liberatus *b*, qui pluribus de his agens, quædam etiam Concilia in Armenia, & Antiochiæ, in hac eorundem librorum causa habita; multaq; à Proclo Constantinopolitano, Cyrillo Alexandrino, Ioanne Antiocheno, aliisque, scripta fuisse tradit. Extatq; *c* ipsius Procli epistola ad Armenios eà de re conscripta, quam transtulit in Latinum Dionysius cognomento Exiguus, occasione erroris Theodori suo tempore iterum pullulantis. Caute vero legendus Liberatus, dum (ex aliquo haud dubium Nestoriano eam mutuatus historiam) asserit probatos fuisse libros eiusdem Theodori Mopsuesteni scriptis Ioannis Antiocheni, ipsiusque rursum Theodori laudes, non solum ab Imperatore, sed etiam à Cyrillo, immo & à Synodo Chalcedonensi approbatas esse. Quam enim hæc falsa sint, satis eorundem Patrum scripta demonstrant: cum aliqui eo statu *d* hoctempore in Ecclesia scripta Theodori essent, vt quod nunquam ipse dum vixit iudicio Ecclesiastico dãnatus fuisset, ea non omnino vetita haberentur; sed ab aliis impugnata, ab aliis vero ita defensa, vt parentes qui in eis continerentur errores, negarent esse ipsius: quę postea diligentiori de eis facto examine, damnata fuere in Quinta Synodo, vt dicetur suo loco.

b Liber. Breuiar. c. 10. CONCILIA CELEBRATA IN CAVSA EORVNDEM. *c in Bibl. Pat.*

d Agit etiam de his Baron. To. 6. an. 448.

III.

Hoc eodem anno (vt tradit Prosper) Gundicarium Burgundionum Regem intra Gallias habitantem, Aetius Magister militiæ Occidentalis Imperii bello obtinuit, pacemque ei supplicanti dedit. Pollebat namque Aetius copiis Alemannorum: quorum etiam Regi Eocharich homini Ethnico, Gallos illos, quos ad Oceanum vergentes vocant Armoricos, ab Imperio Romano deficientes, concessit crudeliter nimis deuastandos. Factumque omnino esset, nisi Sanctus Germanus Antisiodorensis Episcopus, rediens à secunda in Britanniam legatione, (de prima enim iam superius egimus) quam susceperat ad liberandam rursum à Pelagianorum hæresi eam insulam; ad eosdem Alemannos rogatus progredi, precibus, increpationibus, & auctoritate sua, eos intactis Armoricis regredi compulisset. Post quæ idem Sanctus, noua tursum, pro impetranda iisdem Armoricis venia, ad Imperatorem Valentinianum suscepta Rauennam legatione, multis in itinere ac in illa vrbe plane ingentibus editis miraculis, atq; inter illa mortuo ad vitam reuocato; summo honore tum à populis; tum ab Episcopis, ipsisq; etiam Principibus cultus est. Ad quem cum misisset aliquando Placidia Augusta Imperatoris mater vas argenti amplissimum refertum cibis delicatioribus; illud ipse ea ratione suscepit, vt cibos ministris suis traderet, ipse vero argentum ad pauperes transmitteret; remittens loco muneris patinulam ligneam cum pane ordeaceo. Quod Augusta vtrumque ingenti gaudio complexa, lignum postea auro ambiit, & panem multis remediis & virtutibus reseruauit. Germano vero postmodum diem vltimum, quem diuinitus præuidit, ibidem Rauennæ obeunte, eius capsulam sacrarum Reliquiarum, quas secum deferre consueuerat, eadem Augusta sibi sumpsit; vestimenta vero, reliquiarum loco inter se Episcopi diuiserunt: corpus autem aromatibus conditum, in Gallias (vt petierat) Imperatoris sumptibus, euectione publica, ad ipsius Ecclesiam remissum est, miraculis vbique fulgens. Hæc omnia pluribus Constantius eorum temporum scriptor, in eiusdem S. Germani à se fidelissime conscripta Vita *a*.

a S. GERMAN. ANTISIOD. AGIT PRO ARMORICIS.

EIVSDEM OBITVS, ET MIRACVLA.

a Ap. Sur. 30. Iul.

IV. CODICIS THEOD. PROMVLGATIO. *b Nou. Theodos. tit. 1. c l. 1. C. Th. de resp. prud. & Greg. PP. II. ep. 56.*

His iisdem Coss. facta est promulgatio *b Codicis Theodosiani*, decimo quinto Calendas Martii. Cuius compactoribus cum visum fuerit, nonnisi confirmati & interseri eas constitutiones, quas Principes Christiani sanxissent, incipientibus à Constantino Magno; iidem tamen priscorum Gentilium Iurisconsultorum haud voluere spernì responsa, quæ iam alia non ita pridem sanctione *c* confirmata fuerant. Verum præter Theodosianum Codicem, *Gregorianus* erat, ac *Hermogenianus*: in quibus eiusmodi Iurisconsultorum sententiæ digestæ erant, & Principum placita. Quibus omnibus non dedignatos esse Romanos Pontifices vti, in iis quæ contra Christianam religionem minime verterentur, S. Gregor. *d* Papa exemplo declarauit scribens ad Ioannem Defensorem. Quomodo vero hæc à diuersis diuerso ordine disposita, sub Iustiniano Imp. sint meliori congesta ordine, & aucta, dicetur suo loco.

IESV CHRISTI AN. 436.

SIXTI III AN. 5.

THEODOS. II. AN. 29.
VALENTIN. III. AN. 21.

I. NESTORIVS DEPORTATVR IN EXILIVM.

ANNO Christi quadringentesimo trigesimo sexto; Isidoro & Senatore Coss. cum Nestorii fautores Orientalem Ecclesiam maioribus in dies miscerent turbis; Theodosius Imperator sero licet, tandem malorum omnium auctorem ipsum Nestorium è monasterio Sancti Euprepii prope Antiochiam, vbi hactenus quadriennium post damnationem honorifice transegerat, Petras in perpetuum exilium deportari, omniaque eius bona Ecclesiæ Constantinopolitanæ fisco addici, rescripsit *e* ad eundem Isidorum, agentem hoc anno vna cum Consulatu Prætorii Præfecturam. Fuisse autem Petras locum in Oasi nà Ægypti prouincia positum, inde possumus intelligere, quòd eundem Nestorium in Oasim; deportationum omnium famosissimam atque deterrimam, relegatum esse, scribunt Theodoretus *f* & Socrates *g*; necnon ex ipsius Nestorii epistolis; aliisque scriptis Euagrius *h*; qui & multa illic mala passum; ob sæpe mutata exilii loca, demum ad extremas Thebaidis oras, lingua vermibus exesa, cum huius vitæ miseriis ad grauiora sempiterna supplicia migrasse tradit. His autem consentientia cum cæteri quoque habeant, addit Theodorus *i* Lector, cum lingua totum ipsius computruisse corpus: idque ipsum affirmant

e Extat ea ad Ephes. cont. c. 15.

f Theod. lib. 5. hist. Sozom. lib. 8. hist. Socr. lib. 7. hist. Euag. lib. 1. hist. c. 7. EXECRANDA MORS NESTORII. *i Theod. lib. 5. hist. in Collect.*

Credre-

Cedrenus *a*, & Nicephorus *b*. Corrigendos vero Euagrius *c*, dum subdit, post mortem Nestorij subrogatum esse Maximianum Constantinopolitanæ sedi, ac deinde Proclum : nam viuo Nestorio, imo necdum in exilium acto, hos eam Ecclesiam gubernasse, superius liquido demonstratum est. Quoto autem exilij anno extinctus fuerit Nestorius, haud satis exploratum habetur.

a *Cedren. in Compend. in Theodos. Minor.*
b *Nic. lib. 14. c. 16.*
c *Euag. lib. 1. c. 8.*

IESV CHRISTI ANN. 437.

SIXTI III. ANN. 6.

THEODOS. II. 30. VALENT. III. 13.

ANNO Domini quadringentesimo trigesimo septimo, Aetio & Sigesvulto Coss. dira *Persecutio* à Wandalis illata Africanam exagitauit Ecclesiam; cum, vt ait Prosper *d*, Gensericus eorum Rex fidē Catholicam (à qua olim ad Arianismum apostatasse, Isidorus *e* tradit) Ariana volens impietate subuertere, multos Episcopos Orthodoxos, quorum inuicta constantia nullis superbissimi Regis terroribus cederet, Ecclesiis ciuitatibusque expulit. Martyrium vero sanguinis ea persecutione primi omnium ab eodem Prospero passi ponuntur quatuor nobiles Hispani, *Arcadius*, *Probus*, *Paschasius*, & *Eutychius* : qui (vt ait) dudum apud Gensericum merito sapientiæ & fidelis obsequij, clari habiti, cum ab eo, vt copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire iuberentur, illi facinus constantissimè respuentes, excitato in rapidissimam iram barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, ad postremum diuersis mortibus interempti, illustri martyrio miserabiliter occubuerunt. Puer autem *Paulillus* nomine, frater Paschasij & Eutychij, pro elegantia formæ atque ingenij admodum Regi acceptus, à professione fidei Catholicæ cum nullis minis deturbari posset, diu fastibus cæsus, ad infamem seruitutem damnatus est; nec ideo, vt apparet, interfectus, ne de superata fœuitia impij Regis etiam illa ætas gloriaretur. Hæc Prosper.

I. PERSECVTIO IN AFRICA SVB GENSERICO.
d *Prosp. in Chron.*
e *Isid. in hist. Wandal.*

MARTYRES AFRI.

II. f *In Bibl. Patr.*

Ad illorum vero Martyrum antesignanum *Arcadium*, diuitiis ac gloria sæculari conspicuum, atque etiam coniugatum, extat *f* egregia *Antonini* Episcopi Constantinæ Aruccæ ciuitatis Epistola, redolens illum Apostolicum characterem, qua ipsum hortatus est forti perferre animo, quæ fidei causa dirus tyrannus mala inferret: quamuis cum eiusdem ad Arcadium scriptæ Epistolæ Gennadius *g* meminit, non Antoninum, sed Honoratum nominet Episcopum illum Constantinæ ciuitatis. Porro celebris istorum Martyrum memoria in Ecclesia singulis annis repeti consueuit Idibus Nouembris. Quæ quidem prætermissa sunt à Victore, quod ipse Wandalicas clades, in Numidiam aliasq; Africæ prouincias illatas, scribere haud admodum laborans, rebus tantum Ecclesiæ Carthaginiensis, vbi agebat, intētus fuit; qui & nonnisi post captam Carthaginem, quæ ibi contigerint narrare aggressus est.

g *Gennad. de Vir. Ill. c. 93.*

III. VALENTIN. IMP. DVCIT VXOREM EVDOXIAM.

Sub huius quoque anni Coss. (inquit Prosper) Valentinianus Aug. ad Theodosium Imper. Constantinopolim profectus est, filiamq; eius *Eudoxiam*, cognomento *Licinia*, in matrimonium accepit. Eadem Marcellinus Comes: qui & addit, Valentinianum cum vxore Italiam repetentem, Thessalonicæ hiemasse, sequenti vero anno Rauennam venisse. Atista omnia Socrates *h* ad anni superioris Consules refert.

h *Socr. libr. 7. c. 43.*

* * *

IESV CHRISTI ANN. 438.

SIXTI III. ANN. 7.

THEOD. II. 31. VALENT. III. 14.

ANNO Christi quadringentesimo trigesimo octauo, Theodosio Augusto decimum sextum & Fausto Coss. sexto Calendas Februarij, venerandū corpus S. Ioan. Chrysostomi, Comanis, vbi exul vitā finierat, celebri pompa translatum esse Constantinopolim, tradunt Socrates *a* atque Marcellinus *b*; meminitque Theodorus *c* Lector, sed ante omnes Theodoretus *d*. Cosmas autem Vestiarius ea oratione quam habuit de eius translatione, Nicephorus *e*, aliiq; testantur, id ea occasione contigisse, quod cum Proclus Episcopus Constantinopolitanus anniuersaria die transitus eiusdem S. Ioannis, panegyricam ex more luculentam ad populum orationē *f* haberet, ita vniuersi amore Ioannis incaluerint, vt acclamationibus indesinentibus Proclum pulsantes, concionem ad finem perduci minimè siuerint, petentes reddi sibi Ioannem; hisq; permotū Proclum, ab Imperatore petiisse eius Reliquiarum translationem. Sed Socrates tradit, id curasse Proclum, propter vnionem eorum, qui ex parte Ioannis exitentes adhuc separatim conuentus agebant. Verum potuit vtraque causa in vnum concurrisse.

I. TRANSLATIO S. IOAN. CHRYST. CONSTANTINOPOLIM.
a *Socr. lib. 7. c. 44.*
b *Marcel. in Chron.*
c *Theod. Lect. Collectan. lib. 2. in fin.*
d *Theodor. lib. 5. c. 36.*
e *Nic. lib. 14. c. 45.*
f *Rec. Baron. Annal. To. V. hoc an. ex ant. Lection. ms.*

II. THEOD IMP. SCRIBIT AD CHRYSO. DEFVNCTVM

Addunt autem iidem Cosmas atque Nicephorus, cum Senatores qui missi fuerant ad eum transferendum, minimè valuissent eius corpus loco mouere, Theodosium ex consilio Procli, aliorumque sanctissimorum virorum, ad ipsum Ioannē tanquā si adhuc vixisset literas dedisse, supplicis instar libelli, quibus de admissis in ipsum à parentibus peccatis veniam petens, rogaret vt Constantinopolim redire dignaretur: iisque litteris super pectus Ioannis collocatis, factum eius corpus mobile, in theca argentea humeris Sacerdotum, præcedentibus ac præcinentibus clericis & monachis, & vndique confluentibus incensas faces gestantibus, qui sequebantur & præcedebant populus; translatum esse primo Chalcedonem, inde vero ab Imperatore ac Proclo Episcopo, vniuersoque Clero, Senatu, ac populo Constantinopolitano, Bosphorum nauibus & ardentibus cereis tegente, hymnosque concinente, Constantinopolim ad Ecclesiam SS. Apostolorum perductum; atque ibi petente populo, in throno suo collocatum, circumstantibus dixisse *Pax vobis* ; ac demum ad basim sacræ mensæ templi SS. Apostolorum conditum fuisse vigesima septima die Ianuarij. Hæc omnia pluribus Cosmas, quæ breuiori stylo complexus est Nicephorus. Sed ex eorundem narratione illud non omittendum; cum Imperator in suam triremem sacrum corpus Iohannis excepisset, subita exorta maris tempestate, quæ naues omnes dispersit eandem Imperialem triremem ruptis funibus velut diuina gubernatam manu appulisse ad agrum illum viduæ, cuius causa Ioannes indignationem Eudoxiæ Augustæ incurrens coactus fuerat exulare; vt vel sic Deus æquitatem demonstraret sententiæ Ioannis, & iniquitatem ipsius exilij: hocq; facto, serenitatem rursum aduenisse, & collectis omnibus nauigiis magno triumpho ad vrbem deuentum esse. Addunt quoque de precibus ab Imperatore ad sacram vrnam pro parentibus suis peractis, ac seorsum pro cessatione continui motus tumuli matris, de quo dictum est superius; quem & confestim constitisse tradunt.

TRIVMPHVS TRANSLATIONIS.

THEOD. ORAT PRO PARENTIB.

Sub Proclo etiam Constantinopolitano Episcopo, (quoto autem anno nescitur) Pulcheriæ Augustæ factam esse à Thyrso martyre reuelationem in suburbio eiusdem ciuitatis, *Reliquiarum SS. Quadraginta martyrum*, quos sub Licinio Imperat. passos in Armenia vidimus, tradit Sozomenus *g*, qui se eorundem tunc factæ summa pompa translationi interfuisse commemorat; locellumq; in medio ha-

III. TRANSLATIO SS. MART.

g *Soz. lib. c. 2.*

buisse foramen, per quod soleret ipsæ sacræ Reliquiæ tangi, (quale etiam vidimus in theca Reliquiarum S. Stephani protomartyris, & æquè de aliis apud antiquos frequent ssimè obseruare licet:) ex quo etiam fragrantissimus odor spiraret, qui omnes laborantes recreauit.

IV. EVDOCIA AVG. PEREGRINATVR HIEROSOLYMAM.

Hoc insuper anno, qui sequens est ab Eudoxiæ cum Valentiniano nuptiis, Eudocia eius mater, Theodosij vxor, peregrinata est Hierusalem, voti soluendi causa, quod Theodosius (vt tradit Socrates *a*) pollicitus erat illam persoluturam, si filiam in matrimonium collocatam cerneret. Ibi autem per annum ferme integrum commoratam, multa erexisse monasteria, quæ vocarent *Lauras*, sed & mœnia ciuitatis refecisse, Euagrius *b* est auctor. Additque Socrates, eandem Ecclesias Hierosolymorum, & aliarum vrbiũ Orientalium, per quas eundo & redeundo transiuit, variis ornamentis illustrasse. Sed & Acta S. Melaniæ *c* Iunioris habent, eius quoque persuasione, dum esset (vt vidimus) Constantinopoli, Eudociam eiusmodi peregrinationem suscepisse; eidemque Melaniam Hierosolymis præsto fuisse, atque etiam à pedis luxatione iniuria dæmonis facta ipsam curasse. Quantum autem Melania superuixerit, non constat: sed illud certum est, ipsam monastica vita magna obseruatione perfunctam, & miraculis plurib. illustratam, die (quam prænouit) Decembris vltima ad Deum migrasse, & inter Sanctas relatam anniuersaria memoria in Ecclesia celebratam esse. De secunda vero Eudociæ Augustæ Hierosolymam peregrinatione, dicetur suo loco.

a Soc. lib. 7. c. 46.
b Euagr. lib. 1. c. 20.

c Ap Metaphr. & Sur. 31. Ianuar.

IESV CHRISTI ANN. 439.

SIXTI III. ANN. 8.

THEOD. II. 32. VALENT. III. 15.

I. TRANSLATIO RELIQVIAR. S. STEPH. CONSTANTINOPOLIM.

ANNO Domini quadringentesimo trigesimo nono, Theodosio Augu. decimumseptimum, & Festo Coll. Eudocia vxor Theodosij Hierosolymis Constantinopolim rediẽs, S. Stephani Protomartyris Reliquias secum detulit, & in basilica S. Laurentij posuit, vbi eas Fideles venerarentur. Tradit hæc Marcellinus hoc anno. Cum vero reperiantur & alia complura, de Sanct. Stephani Reliquiis Constantinopolim longe ante hæc tempora translatis, ab aliis scripta; tamen quod ea fide nutent, minimè admittimus. Eudocia vero, sicut munificentia Imperatoria loca sancta, vt vidimus, ornauit, & erexit, (inter quæ & in ipsius sanctissimi martyris Stephani honorem, eximium prope Hierosolymam extruxisse templum, Euagrius *d* scribit;) ita & ipsa à Iuuenale eiusdem ciuitatis Episcopo multis donata recessit muneribus.

d Euagr. lib. 1. c. 21.

II. DE VINCVLIS PETRI APOST. ROMAM MISSIS.

Inter alias vero accepisse ab eo dicitur duas illas CATENAS, quibus ab Herode Sanct. Petrus Apostolus vinctus fuit; quarum alteram Romam ad Eudoxiam filiam misit, alteram Constantinopoli in Ecclesia eiusdem Principis Apostolorum asseruari voluit: in cuius rei gestæ memoriam, annua dies festa *e* statuta est. Extatque luculenta oratio *f* de eiusmodi vinculis Petri; non tamen à S. Ioanne Chrysostomo (vt præsefert titulus) habita, quod nondum eius tempore Petri Catenæ innotuissent Constantinopoli; sed à Proclo potius, sub quo eiusmodi facta est earum translatio. In qua item oratione mentio habetur de eiusdem S. Petri *Gladio*, in eadem basilica custodito, ex quo plurima scaturire solerent miracula. Roma vero Eudoxia Augusta, matri religione non impar, in memoriam Catenæ ad se missæ, & Petri Apostoli qui ea vinctus fuit, erexit Deo basilicam in Exquilino monte, quæ *Titulus Eudoxiæ* nuncupata est, dicta etiam *Sanct. Petri ad Vincula*. Vbi non hæc tantum Hierosolymis missa Catena recondita est, sed & diuino miraculo ei illa coniuncta, qua sub Nerone Romæ vinctus Petrus in carcere Mamertino diu detentus est, à Romanis Pontificibus custodita. Habent enim Ecclesiastica monumenta, ambas illas simul collatas eiusdem generis & artis inuentas esse, ac sibi inuicem adeo arcte copulatas, vt ex duabus vna effecta fuerit; quarum memoriæ Calendæ Augusti fuere consecratæ. Quam autem solitæ fuerint Catenæ istæ coruscare miraculis, quamq; frequenter cõsueuerint Romani Pontifices, pro nobili munere aliquid ex limatura earundem ad Principes aliasq; insigniores personas mittere, videbitur inferius, vnusq; S. Gregor. Papa suis ad diuersos datis Epistolis locuples est testis. Denique exrant hactenus antiquæ *a* Inscriptiones, tum de eadẽ, quam diximus, basilica iisdem sacris Vinculis decorata, Vrbe vero Roma ab ipsis corroborata; tum de alia alibi memoria, in eorundem honorem ab Episcopo Achille erecta.

e Menolog. 16. Ianuar.
f Ap Sur. 1. Aug.

a Antiq. Inscript. in Append. pag. 1172. nu. 7. 8. 9. 10.

Hoc item anno pridie Calendas Februarij, Theodosius Imper. aduersus Iudæos, Samaritas, Hæreticos, atque Gentiles publicè etiam præsumentes mactare hostias, dignum Christiano Principe promulgauit edictum *b*, quo variis eos pœnis subiecit. Cuius quidem sanciendi causa illa præcessisse, ex ipsamet sanctione colligi posse videtur, quod cum magna plurib. annis laboratum esset inopia frugum, id nonnisi violatæ fidei causa Dei iusta vindicta fieri intelligens Imperator, in eosdem existimauerit conuertendas esse legum minas & vltionem. Quo etiam tempore S. Cyrillus Alexandrinus cõmentarios eruditissimos edidit, ad confutanda Iuliani Apostatæ scripta in Christianam Religionem elaborata, quibus tanquam potenti telo impij vti solerẽt, eo maximè quod nullus hactenus Christianus doctor ea confutanda suscepisset: hac enim de causa eam se aggressum esse prouinciam, Cyrillus in operis præfatione ad Theodosium Imper. inscripta significat. Eodemq; pariter tempore Theodoretus, & ipse impiorum Gentilium pulcherrimus blasphemiis, aduersus eos scripsit duodecim illos disertissimos libros, quibus titulum præfixit: *De Curatione Græcarum affectionum.*

b Nouel. Theodos. tit. 3.

MIRACVLA EORVMD.

VBIQVE LABORATVR ADVERSVS IDOLOLATRAS.

III.

IV.

Sed & quod non tantum Oriens, verum etiam Occidens, eiusmodi esset his ipsis diebus Gentilium superstitione laborans; in eosdem æquè in Occidente inueniuntur eius temporis viri sanctissimi declamasse, & inter alios Petrus Chrysologus Episcopus Rauennas, ac Maximus Taurinensis; qui multi sunt in redarguendis illis, qui Calendis Ianuarij ex Gentilitia superstitione personati incederent, & in varias se transmutarent formas: sicut & Salianus *c* Massiliensis, in reprehendendis illis qui eadem superstitione exhiberent Circensia, eaque in CHRISTI, non deorum honorem se facere affirmarent: qui & de vigente his temporibus in Occidente idololatria pluribus queritur. At quid hoc mirum, cum & ipsi amplissimi Magistratus (nescio qua incuria) cultoribus dæmonum tradẽrentur? Nam in Africa Cyrum, hominem Ethnicum, hoc ipso tempore quo Carthago capta est, ducẽ egisse Romani exercitus, Euagrius *d* tradit: eundemq; ampliorib. postea auctum esse magistratibus, Præfectura Prætorii, & Consulatu videbimus. Et qui Hunnis in Gallia pro Romanis militantibus præerat, Littorium strenuum alioqui ducem, & secundæ ab Aetio potestatis, dum Actij gloriam superare appeteret, fallaciis dæmonum, Auspicumq; responsis fidentẽ, iusta Dei vindicta à Theodorico Gothorum Rege, (quem ante gloriose vicerat) victum, captumque, Prosper *e* & Isidorus *f* testantur: idq; ipsum abundantius Salui anus *g* deplorat, dum inter alia dicit, eundem Littorium eandem vrbem hostium, quam eodem die victorem se ineraturum esse præsumpsisset, captiuum intrasse; (nempe Tolosam, quam obsederat:) ac diuturna in ergastulo barbarorum rabe consumptum, in tantam miseriam redactũ esse, vt etiam in miserationem hostium deuenerit. Quapropter apparet hanc plane esse infelicitatem Principum, vt exiecare scelerum fluenta legum spongia frustrà laborẽt, cum ipsos obstruere fontes vnde mala solent fluere prætermittant. Sed quam diris ista cladibus diuinitus vindicentur, Oriens & Occidens his temporibus fidem fecere, dum

c Salvian. lib. 6. de vero Iudic.

GENTILES IN HONORE HABITI

d Euagr. lib. 1. c. 19.

e Prosp. in Chron. & Ibid. Chron. Gaelor.

g Salu. lib. 7.

CLADES IMPERIO EX ELECTVM RELIGIONIS.

Imperium

Imperium Orientale dira diu afflictatum est fame, & Occidentale nobilissimi ac fortissimi passum est iacturam exercitus.

V.

CARTHAGO CAPITVR à WANDALIS.

Sed longe lugubrius atque funestius illud accessit, dum ad finem huius anni clarissima omnium ciuitas, Romanæ Vrbis æmula, & licet tandem illi subdita, splendoris tamē gloria cedere nescia, CARTHAGO, à Wandalis ipsorumque Rege Genserico, dolo pacis est capta. Sub huius enim anni Coss. id accidisse, Prosper *a* & Marcellinus affirmant; hicque diem notat decimum ante Calendas Nouembris, Prosper vero decimumquartum, qui illam bonis omnibus à Wandalis spoliatam, ciuibus exhaustam, Sacerdotibus ac cultu diuino priuatam fuisse tradit. Additque Isidorus *b*, eundem Gensericum Siciliam quoque deprædatum esse, Arianamq; pestilentiam per totam Africam intromisisse, Sacerdotes Ecclesiæ expulisse, martyres plurimos effecisse. Sed cladem Carthaginiensem, Wandalorumq; crudelissimam in eam Ecclesiam persecutionē, pluribus prosecutus est Victor *c* Episcopus Vticensis, qui eam præ oculis habuit; & inter alia scribit, Gensericum post cunctas direptas locorum hominumque sacrorum ac profanorum opes atque facultates, præcepisse quoque vt Episcopi & laici nobiles de suis Ecclesiis ac sedibus nudi penitus eiicerentur; quod si exire tardarent, serui perpetui remanerēt: idque in plurimis Episcopis & honoratis laicis factum esse, qui in seruitutem redacti sunt; reliquis se in latibula abdentibus, vel ægrè libertatem retinentibus, iisdemq; qualiter poterant, & vbi poterant, diuina celebrantibus mysteria, cum populus licet absque Ecclesiis (eas enim vbique Wandali Ariani, quas non destruxerunt, suæ religioni manciparunt) ac fere sine Episcopis, constans in fide persisteret. Habet vero de Quodvultdeo tunc Episcopo Carthaginiensi, eum statim post captam vrbem cum maxima turba clericorum nauibus fractis nudos impositos, miseratione diuina Neapolim Campaniæ prospera nauigatione deuectos esse: sanctorum autem atque honoratorum multitudinem, primo exilio crudeli contritos esse, postea transmarinas in partes proiectos; denique & plurimos interemptos martyrium consummasse: quorum etiam malorum meminerunt alij Scriptores *d*; sed ita vt quæ hoc anno fieri cœperunt, in sequentes fuerint producta; de quorum etiam nonnullis dicetur inferius pro ratione temporis.

a *Prosp. & Marcel. in Chron.*

b *Isid. hist. VVandal.*

c *Vict. lib. 1. de persec. VVandal.*

ECCLESIÆ AFRIC. IMMENSA DESOLATIO.

d [Agit de nonnullis qui in Syriam appulerunt, Theodoret. Epistolis suis ap. Baro. To. VI. ann. 440. vbi item nabes insigne S. Iulia captiuæ Carthaginiensis martyrium, ex Adonis Martyrol. 22 Maj.]

VI.

CARTHAGINIENSIVM VITIA, ET IMPOENITENTIA.

Cæterum hanc immanem Africæ, Carthaginisq; cladem, ingentibus cum omnium Afrorum, tum maximè ipsorum Carthaginiensium libidinibus & impuritatibus, sacrilegiis, blasphemiis, atque impœnitentiæ, merito adscribit, ea ipsorum vitia pluribus prosecutus, idem qui supra sanctissimus Saluianus *e* Episcopus; qui hoc ipso tempore, nec ob aliam causam, quam vt diuinam erga homines prouidentiam, & iusta eius iudicia manifestaret, eiusmodi lugubre scribendi argumentum arripuit. Illud vero in his magnopere obseruandum, persecutionem illam Catholicos tantum pertigisse; Donatistas autem vel ad Wandalos Arianos turpiter defecisse, vel persequendo Catholicos eisdem Wandalis se coniunxisse; vt ex iis quæ habet Victor *f* in fine operis, de Nicasio Donatista, satis significatur. Nec id mirum, cum eosdem Donatistas aduersus Catholicos sub Constantio Imp. fœdus cum aliis Arianis iniisse, posteaq; ad Iulianum Apostatam legatos misisse, suis locis meminerimus.

e *Saluian. lib. 7. & 8.*

f *Vict. lib. 3. in fin.*

VVANDALI IDOLOLATRIAM PENITVS EXTIRPARŪT CARTHAGINE.

Illud autem boni ex tot ac tantis malis successit, quod Wandali in reliquias idololatriæ, quæ adhuc Carthagine supererant, vna ferme præstiterunt die, quod nec plurimis annis ex quo Christiani cœperant regnare, perficere Imperatores edictis suis valuissent; dum (quod tradit Victor) ædem Memoriæ, & viam Cælestis funditus deleuerunt; adeo vt ne vestigium quidem ibi relictum fuerit Gentilitiæ impietatis: ad quæ præstanda opus fuit, iratum Deum gentem barbaram ex remotis Orbis finibus euocare.

VII.

g L. 2. C. vt nemo priuat. h l. 22. C. de epis. & Cler.

Hoc eodem anno Theodosius Imper. contra rapacitatem *g* potentium pauperes opprimentium, itemque aduersus calumniatores *h* Episcoporum, rescripta dedit ad *Florentium* Præfectum Prætorio. Cuius quidem Florentij incomparabilis probitas, ab eodem Imper. alio rescripto *a* hoc ipso anno ad Cyrum aduersus lenones dato, plurimum commendatur, quod cum lenones sæpe vetiti, pensitatione tamen quadā in ærarium conferenda, Constantinopoli turpe opus exercere permissi essent; ipse Florentius, vt eiusmodi turpitudinum fœce ciuitatem purgatam redderet, latifundium suum donauit, ex quo iidem redditus Reipublicæ soluerentur. Fuit insuper idem Florentius Catholica fide præstans, pro qua tuenda adfuit ipsi Theodosio in Concilio postea Constantinopoli habito, & Marciano item Augusto in Synodo Chalcedonensi; vt eorundem Conciliorum Acta declarant. Elucebat pariter hoc tempore inter Magistratus, *Thalassius* Præfectus Prætorio Illyrici: ad quem hoc ipso anno extat eiusdem Theodosij contra iniustas Præfectorum Prætorio sententias rescriptum *b*: quem quidem, eximiæ ipsius probitatis ergo, (vt refert Socrates *c*) Proclus Constantinopolitanus Episcopus hoc eodem anno in Ecclesia derepente manu imposita, ordinauit Cæsariensem Cappadociæ Episcopum. Addit vero Nicephorus *d*, Thalassium licet inuite ordinatum Episcopum, tamen eam Ecclesiam rite administrasse; & cum tam subitum Procli factum primo Imperator ægrè tulisset, mox tamen id sanctione sua comprobasse.

a *Nou. Theodos. de lenon.* EGREGIA FLORENTII PROBITAS IN AVFERENDIS LENONIB.

THALASSIVS EX PRÆFECTO EPISCOPVS.

b *Nou. Theod. tit. 6.*

c *Socr. lib. 7. cap. vlt.*

d *Nic. lib. 14. c. 42.*

Porro ista scribens Socrates, huius anni Coss. suæ finem imposuit Historiæ: sicut & Sozomenus, qui (vt testatur in præfatione) ad eundem decimumseptimum Cōsulatum Theodosij, suam pariter Historiæ scriptionem perduxit, cum tamen apud eum plura in fine desint. Qui quidem ambo scriptores, licet Nouatiani fuerint, & in iis quæ ad sua dogmata spectant, priuato studio plura mentiti esse reperiantur, dum præsertim falsa miracula suis tribuerunt: tamen maioris fidei apud Gelasium Romanum Pontificem eos fuisse, quam Eusebium Cæsariensem, inde possumus existimare, quod Eusebij historiam reiecerit inter Apocrypha, Socratis vero & Sozomeni nequaquam. Verum non ob res gestas ab Eusebio narratas, sed ob sparsos in eis Arianismos, & nimias laudes Origenis, ea censura certum est eius Historiam esse notatam; cum Nouatiani diuinitatis Filij Dei essent constantissimi defensores, ac ob eam causam diutius ab Imperatoribus & Episcopis tolerati. Nec alium huic contrarium sensum S. Gregorius *e* Papa habuit, dum Sozomeni Historiam visus est improbasse: loquitur enim de laudibus ab eo in Theodorum Mopsuestenum hæresiarcham congestis. Alioqui n. nulla est causa, quin iidem historici in reliquis quæ ad ipsorum dogmata praua non pertinent, vera dixisse credantur; nisi cum aliunde mendacij conuinci possunt, sicut sæpe à nobis factum vidisti. Cæterum quamuis Sozomeni Historia maioris apud Photium æstimationis fuerit, quam Socratis; nobis tamen certe commodior Socratis Historia cecidit, qua per Coss. more maiorum tempora distinguuntur. Qui vero hos Græcos auctores, simulque Theodoretum, primus tradidit Latinitati, fuit *Epiphanius* vir disertissimus, ad hoc à Cassiodoro impulsus, vt ipse testatur Cassiodorus *f*, qui ex iisdem postea *Tripartitam* compaginauit.

DE FIDE ORVND. ET EVSEBII.

e *Greg. 6. ep. 31. ad Eulog. Alexandr.*

f *Cassiod. Inst. diuin. lect. li. 1 c. 5. & 17.*

VIII.

SOCRATIS ET SOZOM. HISTORIÆ FINIS.

IX

CONC. CONSTANT. IN CAVSA DISTINCTIONIS DIOECES. ALEX. ET ANTIOCH.

Contigit item his Procli Constantinopolitani Episcopi temporibus, celebrem cogi *Constantinopoli* SYNODVM, occasione Dioscori Alexandrini diaconi; qui agens illic eius Ecclesiæ Apocrisiarium, veteres exsuscitauit controuersias de iure diœceseon, instans Episcopi esse Alexandrini præsidere omnibus Orientis Ecclesiis. Sed refragatus est his potissimum Episcopus Antiochenus, ex auctoritate Conciliorum Nicæni & Constantinopolitani, à quibus fuere sedes illæ penitus distinctæ; & secundum ea est etiam in hac Synodo iudicatum. Cum vero Theodoretus acerrimus defensor insurrexisset pro Ecclesiæ Antiochenæ iuribus, inde factum est vt Dioscorus ex hoc tempore eum graui odio fuerit prosecutus; quod maioribus in dies fouens augmentis; creatus postea Episcopus Alexandrinus in illum egerit; vt ipse Theodoretus *g* questus est Epistola ad Flauianum Constantinopolitanum postea data, vbi hanc de prædicto Concilio historiam narrauit. Cui quidem haud leue esse potuit argumentum de iuribus Ec-

g *Theod. ep. 86. ap. Baron. inc. & Tom. VI. an. 448.*

clesiæ Antiochenæ, quod (vt ait) ea magni Petri thronum obineret, qui B. Marci sedis Alexandrinæ fundatoris magister fuit, & Apostolorum chori Princeps. Nam & Innocentius Papa scribens *a* ad Alexandrum Antiochenum Episcopum, tradit eam vrbem haud cessuram Romanæ Sedi, nisi quod illa in transitu meruisset, Roma susceptum apud se consummatumq; gauderet. Vnde videas, Sedem Antiochenam nulla alia ratione posthaberi Alexandrinæ, nisi quod ita primum Petro visum fuerit.

a Innoc. ep. 20. Tom. 1. Epist. Rom. Pont.

X
CONC. REGIENSE IN GAL. NARBON.

Sub huius quoque anni Coss. decimo sexto Decembris celebrata reperitur à tredecim Episcopis SYNODVS REGIENSIS; non quidem Regij Lepidi in Æmilia, sed Regij Galliarum in prouincia Narbonensi, ex cuius prouinciæ Episcopis collecta noscitur, (quippe qui iidem fere reperiuntur nominati in Concilio Arausicano, post annum sequentem sub Consulatu Cyri in eadem prouincia celebrato) præfuisseque eidem Hilarius Narbonensis Episcopus. Præter autem illa, quæ de ordinatione perperam facta Episcopi Ebredunensis, (qua ciuitatem olim sub Viennensi metropoli fuisse, subscriptiones Episcoporum Concilij Epaunensis demonstrant) deque Episcoporum defunctorum exequiis, in eadem tractata sunt Synodo; de iis etiam actum est Episcopis, qui ex hæresi vel schismate ad Ecclesiam redirent: quibus omnem spem recipiendi sedem partes ademerunt, hoc experimento probantes qui vere pœniterent vel ficte: idque occasione quorundam Pelagianorum Episcoporum, qui cum depositi fuissent, vt Ecclesias suas reciperent pœnitentiam simulabant.

XI.
IVLIANVS PELAG. NŌ ADMITTITVR IN ECCLES.
b Prosp. in Chron.
c Vid. Epist. Nestorij ad Cælestin. Pap. ap. Baro. Annal. To. V. an. 430. nn. III. & A. Ephes. tom. 4. c. 17
d De promiss. dimid. temp. c. 6 in fi ap. Baron To. V. an. 419. nn. LIII. & Tom. VI. an. 444. num. VIII.

Verum nec eos ad communionem Catholicam, nedum ad sedes, facile admittendos esse, exemplo docuit Sixtus Romanus Pontifex, dum hoc ipso anno (vt ponit Sanct. Prosper *b*) Iulianum illum immodicum sui iactatorem Pelagianum, S. Augustini antagonistam, de quo superius, quem dudum amissi Episcopatus intemperans cupido exagitabat (adeo vt etiam Constantinopolim, auxilium à Theodosio Augusto imploraturus, cum aliis æquè expulsis suæ sectæ Episcopis, cōmigrasset *c* eo tempore quo Nestorius ei sedi præsidebat, cui & in Synodo Ephesina inhæsisse reperitur) multimoda arte fallendi correctionis spem præferentem, molitum in communionem Ecclesiæ irrepere; detectis eius insidiis, omnino repulit: quem & rursum à Leone Papa Sixti successore coercitum esse, idem Prosper quandoquidem Constantium liquet longe ante hæc tempora obijsse.

IESV CHRISTI
ANN. 440.

LEONIS ANN. I.

THEOD. II. 33.
VALENT. III. 16.

I
SIXTI PP. OBITVS.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo, Valentiniano Aug. quintū & Anatolio Coss. *S. Sixtus* Rom. Pontifex ex hac vita decessit quinto Calendas Aprilis, cum sedisset annis octo, minus diebus triginta. Decessisse vero eum hoc ipso anno, & subrogatū esse Leonem, S. Prosper hæc cernens oculis scripsit, itemq; Marcellinus Comes, & alij omnes. Sepultum vero esse via Tiburtina, in crypta iuxta corpus B. Laurentij, Anastasius habet in libro de Romanis Pontificibus: vbi & plurima ponuntur de donis ingentibus, ac immensi pretij ponderisq; argenteis & aureis vasis, aliisq; ornamentis, tam ab eodem Sixto, quam eius hortatu à Valentiniano Imper. collatis Romæ diuersis Ecclesiis: quorum etiam ex parte meminit Hadrianus Papa scribens ad Carolum Magnum de sacris Imaginibus.

Potro eadem Sixtus passus est post mortem, quæ alium pertulisse diximus Sixtum Romanum Pontificem ac martyrem. Etenim sicut eius nomine prodiit editus ab Origenistis liber Sixti siue Sexti Pythagorici; ita nomine Sixti huius, non ab aliis quam à Pelagianis, scripta fuere tria volumina, haud pridem typis mandata, vnum de Diuitiis, alterum de malis Doctoribus, & operibus fidei, & iudicio futuro; tertium de Castitate: quæ quidem non eius esse, euidenter inde apparet, quod Pelagianismis referta sint, cuius hæresis ipsum Sixtum acerrimum extitisse oppugnatorem vidimus: cum & alioqui nec vllus antiquorum, auctorem harum scriptionum Sixtum Papam aliquando dixerit, vel nutu saltem ostenderit.

II.
EIVS NOMINE SVPPOSITA SCRIPTA PELAG.

Cum autem post eius obitum sedes vacasset quadraginta amplius diebus, (inquit S. Prosper *a*; ex quo corrigendus Liber de Romanis Pontificibus, vbi viginti duo tantum dies ponuntur vacationis sedis:) tandem sexto Idus Maias LEO S.R.E. diaconus, ex Galliis rediens, (quo inter Aetium & Albinum, Romani Duces exercitus, amicitiæ reintegrandæ causa perrexerat) mirabili pace atque patietia ab omnibus expectatus, legationeq; publica accitus, ordinatus est Romanus Pontifex. Quem quidem fuisse natione Tuscum, patre Quintiano, habetur eodem libro de Romanis Pontificibus. Electus autem, quæ decebant, dno simul iunxit in pastorali functione ad perfectū optimi Sacerdotis exemplar efformādum extrema, nimirum summam in suæ consideratione personæ animi demissionem, & eminentem sublimemq; in eius, cuius se esse successorem intelligebat, animi celsitudinem; prout ex ipsius dictis, gestisq; perpetuo apparuit.

III.
a Prosp. in Chron.
LEO PAPA CREATVR. [HIC AVTEM INCIPIT TO. VI. BARONII.]

Hoc eodem anno Iohannes Episcopus Antiochenus diem extremum obiit, cum sedisset annos tredecim, vt etiam diserte asserit Theodoretus *b* scribens ad Dioscorum Alexandrinum; licet Nicephorus *c* annos octodecim illius sedi tribuat: verum cum & anno præsenti eiusdem Theodoreti extent *d* ad Ioannis successorem Domnum scriptæ litetæ, haud ad illud tempus peruenisse perspicuè possumus intelligere. Mortuo igitur Ioanne, in locum eius subrogatus est ipsius sororis filius *Domnus* monachus, sed desertor monasterij; qui (vt tradit Cyrillus monachus in Rebus *e* gestis S. Euthymij Abbatis) degens in Laura Euthymij, ipso Euthymio inuito, & futura mala prænunciante, Antiochiam venerat sub specie erigendi auunculi sui à lapsu, quo in Nestorij partes ruerat. Quam autem verus fuerit vates Euthymius, inferius suo loco patebit. Cæterum Ioan. post pacem initam cum Cyrillo, acerrimū se Nestorij aduersarium, ac præclarissimum fidei Catholicæ defensorem exhibuisse, cum ex iis quæ superius de eo dicta sunt manifeste apparet, tum multa suppetunt antiquorum Patrum, scriptorumq; testimonia, quæ id confirment.

IV.
IOANNIS ANTIOCH. OBITVS.
b Theod. ep. 81 in Cod. Vatic. Recit. Bar. Annal. To. V. an. 444.
c Niceph. in Chron.
d Rec. Baron. hoc an.
e Ap. Sur. 20. Ianuar.

His item Coss. tradit Prosper, Gensericum comparata classe Siciliam graniter afflixisse; sed accepto nuntio de *Sebastiano* ex Hispania in Africam transeunte, celeriter Carthaginē rediisse, ratum sibi ac suis periculosum fore, si vit belland peritus recipiēdæ Carthagini incubuisset: Verum Sebastianum amicum se magis quam hostem videri volentem, diuersa omnia apud barbaros, quam præsumpserat repetiisse; eamq; spem, causam illi maximam & calamitatis & infelicis mortis fuisse. Hæc Prosper. Erat autem Sebastianus (vt ait Victor *f*) famosi illius gener Comitis Bonifacij, acer consilio & strenuus in bello; cuius Genserico sicut consilia necessaria habens, ita & præsentiam formidans, occasionem eius extinguēdi à religione quæsiuit. Sed quod ipse Genserici suasiones de trāsmutanda fide Catholica in perfidiam Arianam, egregia elusisset similitudine panis similacei mundissimi, qui si in frusta confractus, & aqua madidatus, iterum coquatur, deterior euadit: eundem alterius generis argumento Genserico postea occidit. Narrat hæc Victor: sed quonam mortis argumento, vel genere, extinctus Sebastianus fuerit, non tradit. Illud vero tale fuisse oportuit, quod eum indignum reddiderit coronā martyrij; cum quæ cæteros omnes, quos recenset Victor necatos Christianos in Africa à Genserico, Tabulæ recepe-

f Vict. de persec. Vandal. lib. 2.
SEBAST. COMITIS CONFESSIO, ET OBITVS.

V.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

perunt Ecclesiasticæ celebrandos, ipsum Sebastianum excluserint. Sed si vere calumnia illa fuit, & prætextus falsus inuētus eius necis; illum cœli tabulæ, liber vitæ, indelebili nota scriptum continent. Fuerat autem ipse inuidia Præfectorum Romani exercitus, quasi perduellis existimatus Imperij; ob eamq; causam factus extorris, ex Hispania in Africam ad Gensericum se contulerat.

IESV CHRISTI
ANN. 441.

LEONIS ANN. 2.

THEOD. II. 34.
VALENT. III. 17.

I. ANNVS CHRISTI quadringentesimus quadragesimus primus, Cyri tantum Consulatu in Fastis reperitur inscriptus, in Oriente creati. Cur autem ex more Imperator Occidentalis suum Consulem non elegerit, minimè liquet. Hunc vero *Cyrum* esse scias Panoplitam, qui poeticis facultatibus sese in amicitiam Eudociæ Augustæ poematum studiosæ insinuans, ad Præfecturam Prætorio, & Vrbi, Patriciatum, & Consulatum ordinarium peruenit; vt Suidas de illo refert, ac Theodosij constitutiones *a* declarant: quem etiam anno quo capta est Carthago, Ducem Romani exercitus gessisse vidimus. Sed ingenti suo bono, magna Dei prouidentia, aliquot post hæc annis ad ima è summis deiectus, cum eatenus Gentilis perseueraſſet, vnicum tandē inuenit in Christiana pietate confugium: quando inuidia quadā Theodosij Imp. Præfectura spoliatus & bonis, eo prætextu quod Ethnicus esset; ipse ad Ecclesiam cōfugiens, presbyterio initiatus est, ac Smyrnæorum m creatus Episcopus sicut pluribus de eo narrat Niceph. *b*; licet Suidas, & auctor Vitæ *c* S. Danielis Stylitæ, eum Cotyæi in Phrygia factum dicant Episcopum: sed potuit ex vna sede in aliam transferri. Cuius filiam, vxoremq; eius cui suorum agrorum fuerat demandata cura, ambas obsessas à dæmone, eiusdem Cyri iam Episcopi rogatu liberatas fuisse ab eodem Daniele, & in gratiarum actionem Epigramma in Danielis columna Cyrum insculpsisse, idem Danielis Vitæ auctor scribit; quæ tamen longe post hæc tempora contigisse oportuit. Lucubrationū vero nobilissimi Cyri ingenij, extat carmen, cuius est titulus *Veritas exulans*, quod tempore ærumnarum suarum elaborasse visus est.

a *Theodos Nouel. de alluuion. Nouel. 2. de amot. mil. Nouel. de leuan. l. 9. C. de SS. Eccles.*

DE CYRO PANOPLITA CONS.

De quo Baro. hoc an. & 446

b *Niceph. 14. c. 46.*

c *Ap. Metaphr. & Sur. 11. Dec.*

II. CONCIL. ARAVSICANVM.

Sub eodem Cyri Consulatu celebratum legitur CONCILIVM ARAVSICANVM in Gallia Narbonensi: à quo viginti nouem reperiuntur sanciti canones ad Ecclesiasticā disciplinam & iurā spectantes. Sed & præscriptam formam excommunicandi aliquem, & reconciliandi excommunicatum, habet appendix. Cæterum quod eadem Synodus legitur celebrata tempore Theodosij, & Cyri Consulum; legendum est Consulis: nam Fasti omnes, & vetera monumenta, nonnisi vnicum hoc anno Consulem Cyrum referunt. Nobilis quidem ista dicenda Synodus, clarissimorū quindecim Antistitum illustrata corona ex Galliis Narbonensi & Lugdunēsi; quæ, siquæ aliæ Christiani Orbis oræ, florebant his temporibus Episcopis æquè sanctissimis. Qui vero primo loco huic Synodo subscriptus habetur *Hilarius*, ipse ille est celebris Arelatensis Episcopus, qui olim monachus cœnobij Lirinensis, (vt ipse testatur in Vita à se conscripta Sanct. Honorati primi cultoris eius insulæ, & postea Episcopi Arelatensis) ac deinde presbyter, vna cum S. Prospero Aquitano, vt vidimus, infectatus est Pelagianos, & Augustini scripta defendit, cuius & discipulus extiterat.

III. DE S. EVCHERIO EPISC. LVGDVN

d Marty. Rom. 16. Nouemb.

e Sidon carm. Encom. Hila. in Vit. S. Honor.

f Claud. de Stat. animæ lib. 2.

Qui autem interfuisse eidem Synodo reperitur *Eucherius*, æquè fama celebris extitit olim Senator *d*, postea eiusdem monachus insulæ Lirinensis *e*, ac demum reuelante Angelo creatus Episcopus Lugdunensis; cuius laudes egregias mire Claudianus *f* celebrauit. Dum vero inter varia eius opera, ipsius citat conciones *de Statu animæ* ad populum habitas, quæ non extant; in eam sententiam imus, vt eiusdem Eucherij sint Homiliæ illæ, quæ falso nomine inscribuntur Eusebij Emeseni Episcopi. A Lugdunensis enim Ecclesiæ concionatore plurimas illarum esse dictas, Martyres Lugdunenses de quib. agit, & alia plura plane demōstrant: Eucherij vero esse, manifestat earum stylus; cum ipsum Eucherium in persuadendo efficacem fuisse, testetur Sidonius *a* Epistola ad eundem Claudianum, qua singulorū ferme Patrum in scribendo proprietates notat. Adde & tempora, quibus auctor vixit; qui in recens obortas hæreses Nestorij & Eutychetis sæpius inuehitur. Quapropter vindicentur egregiæ conciones ab iniusto & impio possessore. Quid n. cum Eusebio Emeseno auctore Græco, homiliæ quæ Latinè noscuntur esse conscriptæ? Quid cum homine Ariano, conciones quæ omni ex parte pietatem redolent? Quid deniq; auctor Gallicanus cum Syro, & Lugdunenses Martyres cum Emesenis? Cæterum excidisse nonnullas ex eiusmodi Eucherij concionibus, Claudianus certissimam fidem facit, dum quam ipse citat, omnino desideratur. Cum tamen & alioqui sciamus, haud omnes illas esse vnius eiusdemq; auctoris Eucherij Lugdunensis, sed forte etiam Fausti Regiensis, Cæsarij Arelatensis, aliorumve diuersorum Galliarum Antistitum. Ac ne adeo nomen *Eusebij* exhorrescas, si dempseris *Emeseni*; reperimus ex recens editis Gallicanis Litanijs, versibus cōscriptis ab Hartmanno Rabani Mauri discipulo, nominari inter Sanctos Episcopos *Eusebium*, sed incertæ ciuitatis Episcopum.

a *Sidon. 4. ep. 1.*

HOMILIÆ FALSO TRIBVTÆ EVSEBIO EMESENO.

Quod vero rursum ad Eucherium pertinet; duos fuisse eius nominis Lugdunenses Episcopos, certum est: hunc videlicet, de quo agitur; & alterum, qui subscriptus reperitur Conciliis Arausicano posteriori & Carpentoratensi, celebratis anno Domini quingētesimo vigesimo nono; quemque S. Cæsario Arelatensi eius temporis Archiepiscopo familiarem fuisse, docet Cyprianus in Vita *b* eiusdem Cæsarij. Nec noua ista est assertio: siquidem & Honorius *c* Augustodunensis inter Scriptores Ecclesiasticos, duos pariter Eucherios numerat Lugdunenses; alterum presbyterum, de quo Gennadius *d*; Episcopum alterum: Verum ambos fuisse Episcopos, cum plura alia, tum Conciliorum subscriptiones significant; & diserte Claudianus de Seniore, Cyprianus de Iuniore testantur.

IV. DVO EVCHERII LVGDVNENSES.

b *De quibus Baron. hoc an. & Tom. VII. an. 529.*

c *Ap. Sur. 27. Aug. c. 22. Honor. de Scrip. Eccl. c. 63.*

d *Gennad. de Vir. Illustr. c. 63.*

Huic item Synodo Arausicanæ interfuisse *Maximus* reperitur: quem quidem nequaquam illum putamus Regiensem in eadem prouincia Narbonensi Episcopum, de cuius ordinatione extat eiusdem auctoris, quem dicunt Eusebium *e*, homilia: nam sedisse illum post Prosperum, suo loco *f* dicemus. Scimus vero alium Maximum Episcopum Taurinensem, celebris nominis doctrina & sanctitate Antistitem, his ipsis vixisse temporibus: id enim inde liquidò colligere possumus, quod idem reperiatur præsto fuisse Mediolanensi Synodo celebratæ sub S. Leone huius temporis Romano Pontifice; & Romanæ sub Hilaro eiusdem Leonis successore, quibus etiam locis rursum erit occasio dicendi de eo. Quod autem hic fortasse Taurinensis ille fuerit, deduci argumentum potest ex coniectura; cum inter decreta *g* Patrum huius Concilij, iidem se velle sequi profiteantur quod statutum fuisset in Concilio Taurinensi. Eius quidem Ecclesiæ Episcopos cōuenire cōsueuisse cum Episcopis Galliæ Narbonensis & Lugdunensis; paræciamq; Taurinensis Ecclesiæ intra limites Francorum regni propagasse terminos, Epistolæ etiam S. Gregorij *h* Papæ significant. Claruit vero hoc etiam sæculo alius in Gallia *Maximus* Episcopus Tolosanus, qui ex Palatino inuitus renitensq; coactus est à populo fieri Episcopus; de cuius egregia ratione viuendi, agit Sidonius *i* Epistola ad Turnum.

V.

e *Eus. Eccles. homil. de Maxim.*

DE MAXIMO TAVRINENSI.

f *Vide infr. an. 466. IV.*

g *Conc. Arausic. c. 24.*

h *Greg. 7. ep. 121. 122.*

i *Sidon. ep. 24.*

IESV CHRISTI ANN. 442.

LEONIS ANN. 3.

THEODOS. II. 35.
VALENTIN. III. 18.

I. PAX VALENTIN. IMP. CVM WAND. AFRIC.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo secundo, Dioscoro & Eudoxio Coss. cum post captã Carthaginem, & occupatam ab Wandalis maximam Africæ partem, quasdam adhuc eius prouincias, licet exterminatas (vt ait Victor *a*) Valentinianus Imp. defenderet: hoc anno (vt ponit Prosper *b*) ab eodem Imp. pax confirmata est cum Genserico eorundem Wandalorum Rege, ac certis spatiis Africa inter vtrumque diuisa. Cum vero in eundem Gensericum, etiam apud suos de successu rerum superbiẽtem, quidam Optimates ipsius conspirassent, molitione detecta multos ab eo suppliciis excruciatos & extinctos esse, idem Prosper tradit. Miserat quidem anno superiori aduersus illum, Theodos. ab Oriente naualem exercitum sub Areobindo, aliisq; Ducibus: sed cum iidem longis cunctationib. (vt idem auctor scribit) negotiũ differentes, Siciliæ magis oneri, quam Africæ præsidio fuissent; nouo casu oborto, iidem è Sicilia reuocati sunt ad defensionem prouinciarum Orientalium.

a *Vict. l. 1. de persec. Wandal.*
b *Prosp. in Chron.*

II. ATTILÆ REGI HVNNOR. TRIBVTVM AB IMP. PERSOLVITVR.

Etenim hoc ipso anno, ATTILAM Hunnorum Regem Thraciãe Illyricũ sæua de populatione vastasse idem Prosper, necnon Marcellinus affirmant. Additq; Miscellæ *c* auctor, coactum fuisse Theodosium sex millia librarum auri pro recessu illorum persoluere, ac mille librarum annuum tributũ promittere. Verum hoc post quadriennium Marcellinus refert, cum interim Attila Imperium Orientale & Illyricum diuersis cladibus afflixisset. Non autem ita prima est *Hunnorum* in Romanos irruptio: siquidem iam antea eos sæpius Imperium inuasisse, quinimo & aliquando pro ipsis Romanis aduersus alios barbaros decertasse, superius vidimus. Et quamuis non iidem prorsus hi fuerint, quos hoc tempore Orientale Imperium denastasse iidem auctores tradunt; eiusdem tamen generis extitere. Fuisse vero Attilam superstitione Ethnicum, nec recens cum suis prodiisse è Mæoticis regionibus, (quas primitus Hunnos accoluisse, S. Hieronymus *d* & Ammianus *e* testantur;) sed cum fratre Bleda in Pannonia consedisse, apud dictum auctorem Miscellæ, & alios eum secutos inuenies, cum tamen Marcellinus affirmet, Hunnos istos hoc ipso anno è suis finibus egressos esse; sicut & quos addit Persas, Saracenos, Zannos, atq; Isauros, qui Romanorum (vt ait) sola vastarunt. De Hunnis autem Prosper addit, Attilam post biennium fratrem suum Bledã peremisse, atq; ita omnibus Hunnis solum imperasse: de quo sæpe agendum inferius.

c *Miscel. l. 14. prop. fin.*

PLVRES HVNNOR. IN IMPERIVM INCVRSIONES. *De quib. Baron. ann. 444. num. XXXIV. & segq.*

d *Hier. ep. 3.*
e *Amm. l. 31.*

III. CONCIL. VASENSE.

Sub eodem Dioscori Consulatu celebrata habetur VASENSIS in Gallia Narbonensi SYNODVS prouincialis Secunda, quam alij ex antiquiori eiusdem ciuitatis nuncupatione, *Vasionensem* appellant. Verum sub ea non vnius tantum canones continentur, sed triplicis Concilij Vasensis: nempe istius hoc anno celebrati; deinde illius quod notatum reperitur Consulatu Decij Iunioris, anno Domini quingentesimo vigesimo nono: quod quidem ordine Tertium ponendum est; Secundum enim hoc ipsum est de quo agitur: Primum autem celebratum est sub *f* Constantio Imperatore; cuius certum illud esse caput *g*, de hymno Glorificationis contra doctrinam Arij, dictum est superius.

TRIÛ CONCIL VASENS. CANONES IN VNVM CONFLATI.

f *Ado in Chron. an. Dom. 357.*
g *Conc. Vas. II. c. 5. Vid. sup. an. 325. num. XLVII.*

Istud autem Secundum, nihil præter notam Consulatus habet certi, quod confusi in vnum sint canones eorundem trium.

* * *

IESV CHRISTI ANN. 443.

LEONIS ANN. 4.

THEOD. II. 36.
VALENT. III. 19.

I. MANICHÆI ROMÆ DETECTI.

ANNO Domini quadringentesimo quadragesimo tertio, Maximo & Paterno Coss. Leo Papa hæreticos Manichæos intra Vrbem latentes persequi cœpit, eorumque codices omnes incendit *a*; necnõ solicitis admonitionibus *b* populum hortatus est, vt in illis detegendis inuigilaret, ac certis, quæ indicauit, signis cognitos ad Ecclesiasticum iudicium deferret: cum alioqui ipsi decipere simpliciores solerent fallaciis ieiuniorum, sordibus vestium, vultuumq; palloribus. Eoq; in his Leo processit, vt cum ex maiorum præscripto (de quo alias dictum est) Christiani Deum adorare consueuerint ad Orientem conuersi; quia tñ id ipsum etiam factitabant, impiè Solem colentes Manichæi, interdixerit *c* tunc Catholicis, eiusmodi ad Oriẽtem solem vsum adorandi, nequid cõmune cum Manichæis haberẽt, & ex eo ipsi Manichæi facilius detegerentur. Constant porro hæc omnia ex Chronico Prosperi, & ex ipsius Leonis habitis ad populum concionibus, dum eorũdem hæreticorũ nefandas turpitudines & sceleste dogmata manifestauit; quibus (vt ait) lex esset mendaciũ, diabolus religio, sacrificium turpitudo. Sed vnde hæ pestes in Vrbem inuectæ fuerint, indicat idem Leo *d*, dum ait illatas esse aliarum regionum perturbationibus: nimirum deuastata per Gensericum Africa, sicut succisa silua feræ bestiæ alio migrant; ita quæ latebant in Africa eiusmodi monstra, in Italiam nauigarunt, & in Vrbem tanquam Catholici se intulerunt commiseratione digni: quamuis & plurimos adhuc in Africa remansisse constet. Quod vero ad inuestiam & diligentiam Leonis in iisdem Romæ perquirendis spectat; scribit Prosper, eam illi curam diuinitus (vt apparuit) inspiratam, non solum Vrbi, sed etiam vniuersi Orbi plurimum profuisse, dum confessionibus in Vrbe captorum, qui doctores eorum, qui Episcopi, quive presbyteri, in quib. prouinciis vel ciuitatib. degerent, patefactum est: multosq; Orientalium etiam partium Antistites, industriã Rectoris imitatos esse. Sed quæ præterea in hac causa post hæc gesta fuerint, dicetur annis sequentibus.

a *Prosp. in Chron.*
b *Leo ser. 4. de Coll. ser. 4. in Quadrag. ser. 4. Epiph. ser. 5. de iejun. dec. mens.*
c *Id ser. 7. de Natal. Dom.*
d *d. ser. 5. &c. Baron. ann. seq.*

VSIQ. PERQVISITI.

Hoc item anno idem Leo Epistolam scripsit, quam *Decretalem* appellant, maiores vero *Constitutum* dixere, ad Episcopos Campaniæ, Tusciæ, atq; Piceni, aduersus ordinantes seruos, & bigamos, necnon contra clericos fœneratores.

II.

Quod ad res pertinet Orientales; hoc ipso anno, qui numeratur duodecimus ab Ephesino Concilio, Theodoretus Episcopus Cyri cum ex more degeret Antiochiæ, & frequens esset in Synodis, in suspicionem adductus alt, ne qui olim Nestorio fauisset, damnatam eius hæresim roborare conaretur. Quapropter oblato aduersus eum ea de re ab aliquo Imperatori libello, idem iussus est Antiochia recedere, Cyrumq; Ecclesiam suam tantũmodo curare, nec ab ea discedere. Quibus paruit ipse quidem; magno tamen animi mœrore affectus, quod in crimen, vel etiam in suspicionem hæresis vocaretur, qui vere Orthodoxus esset: ficut ipse questus est plurib. ad diuersos magni nominis Antistites, aliosq; clarissimos viros Consulares atq; Patricios, scriptis Epistolis, quæ extant *f* in codice Vaticano, in quibus singulis suam struit cum recta fidei confessione, defensionẽ aduersus impia Nestorij dogmata: & ad eius rei probationem, aduersarios prouocat ad multiplicia à se edita scripta, quæ enumerat *g*, & ad vitæ suæ ab ipsis incunabulis institutum *h*, ac res in Episcopatu pro fide Catholicæ propugnatione, & hæresẽon oppugnatione, suorumq; ciuium atq; aliorum vtilitate, quas pariter recensẽt, piè ac fortiter gestas. Sed istæ, aliæq; in eum calumniæ, propagatæ sunt in plures annos, dicetur rursum de iis inferius.

II.

III. CALVMNIÆ IN THEODORETVM DE NESTORIANISMO.

f *Rel. Baron. Annal. Tom. VI. ann. 443. 444. 445. 446. ex cod. Vatic.*
g *Theod. d. Ep. 82.*
h *Id. Ep. 81. ad Nom. Cyr.*

IESV

IESV CHRISTI ANN. 444.

LEONIS ANN. 5.

THEODOS. II. 37.
VALENT. III. 20.

I CONC. ROM. ADVERS. MANICH. EOS.

ANNO Domini quadringentesimo quadragesimo quarto, Theodosio Aug. decimumoctauum & Albino Coss. mense Ianuarij à S. Leone Papa habitum est *Romæ* CONCILIVM aduersus Manichæos nuper detectos; quo iidem condemnati sunt, & alij cū pœnitentia recepti, alij vero in obstinatione persistentes ex legibus Imperatorum à Iudicibus exilio condemnati. Docet hæc omnia pluribus ipse Leo *a* in Epistola, confestim post absolutam Synodum scripta iisdem huius anni Coss. tertio Calendas Februarij ad omnes Italiæ Episcopos, qua eos imprimis monuit, vt ad eiusmodi indagandos hæreticos, & omnibus modis exagitandos, diligentem nauarent solicitudinem; aliaq; postea ad Turibium *b* Asturicensem in Hispania Episcopum data, cum de Priscillianistis inquirendis atque damnandis cum admonuit, ostendens eos esse Manichæis affines; ac demiq; publica concione *c* ad populum ea de re habita. Ex quibus quidem ipsius scriptis intelligitur etiam pristinus mos, in Ecclesia Romana ad præsens vsq; retentus. vt Ecclesiastico iudicio cōuenti & conuicti hærerici, iidem cum suis errorib. coram populo pro concione patefierent, vt nosset populus quid refugiendū ei esset ac vitandū. Quod quidem præstabant olim ipsi Romani Pontifices, postea vero per Notarios (per quos & homilias interdum suas ex scripto annunciabant Fidelibus, cum aliquo detinerentur impedimēto) Acta publicè legendo, perfecerūt. Quapropter & huic quoq; sacro concilio aduersus Manichæos celebrato, non Episcopos tantum & presbyteros, sed etiam Senatores complures, illustresq; viros, ac plebis partem, Leo interesse voluit, quo eorundem hæreticorum scelera notiora cunctis fierent, & execrabiliora redderentur.

a *Leo ep.* 2.

b *Id. ep.* 93. *c.* 15.

c *Id. ser.* 5. *de iejun. dec. mens.*

MOS PRISTINVS PATEFACIENDI HÆRETICOS.

II. *d Prosp. de promiss. domin. temp. c.* 6 *n.* 5. DE FLORO HÆRET.

Porro quo tempore Manichæos subuerteret, eodem & ipsum Pelagianos contriuisse, ac maximè Iulianum, auctor est Prosper *d*, dum agens de huius temporis impostoribus, meminit cuiusdā *Flori* nomine, qui spiritu seductionis virtutem & meritum sibi S. Sosij martyris assignās, haud procul à Neapolitana ciuitate, in subuersionem animarū quædam promitteret, faceretq; illicita; ob quæ à clericis tentus & coercitus, è Campaniæ limitibus pulsus est. Verum quod idem Prosper affirmet, se eo tempore versatum esse in eadem prouincia, referatq; certamen Leonis Papæ aduersum Iulianum itidem in Campania agentem; equidem opinor, ipsum è Galliis ab eodem Romano Pontifice accersitum, & illuc aduersus Iulianum olim Episcopū Capuanum, Pelagianorum loquacissimum, esse missum, qui præ cæteris horum temporum Doctoribus ad eiusmodi belli genus exercitatior visus esset. Nam & Photius in Bibliotheca testatur, pullulantē sub Leone Pelagianam hæresim sæpe excisam, opera S. Prosperi fuisse penitus extirpatam. Quem item ab eodem Leone fuisse Romæ retentum, ea in re eius operā vso, in qua Hieronymus Damaso inseruiebat; quæ scribit Gennadius *e* de eodem Prospero, in argumentum deduci possunt.

LEO PAP. VTITVR OPERA PROSPERI ADVERS. HÆRET.

e *Gennad. de Vir. Ill. c.* 84.

III. CYRILLI ALEX. OBITVS.

Hoc eodem anno, quinto Idus Iunij (vt habent Græci in Menologio) *Sanct. Cyrillus* Alexandrinus Episcopus ex hac vita migrauit, cum sedisset annos triginta duos, vt Liberatus diaconus tradit, atque Nicephorus, ipsaque Concilij Chalcedonensis Acta *f* docent. Latini vero quinto Calendas Februarij, eius memoriam in Tabulis Ecclesiasticis adscriptam habent: sed de anno consentiunt omnes. Eius autem memoria remansit post obitum in Ecclesia vigens iugiter & florentissima, ore omnium Orthodoxorum præconijs frequentata. Sed quod pertinet ad Scripta; ex innumeris ferme, quædam tantum refert Gennadius *a*: quem etiam Cassiodorus *b* adnumerat inter eos, qui diuinam Scripturam à principio vsque ad finem explicarunt. Iuxta vero numerum annorum sedis eius, totidem Paschales Epistolas triginta duas Græcè scriptas, nōdum editas, Bibliotheca Vaticana custodit. Itēq; etiam alia haud pridem in lucem edita, ad Calosyrium Episcopum Arsenioten aduersus Anthropomorphitas & Massalianos scripta, qui nequaquam manibus laborandum esse dicebant, sed semper orandum: qua etiam recens emergentem hæresim extinxit, qua quidam asseuerabant, CHRISTI carnem & sanguinem in Eucharistia tunc temporis tantum esse, cum à fidelibus sumeretur.

DE SCRIPTIS.

a *Gennad. c.* 57

b *Cassiod. Instit. diuin. praef.*

HÆRESIS DE SS. EVCHAR. PER CYRIL. EXTINCTA.

Quæ vero legitur in Quinta *c* Synodo, Theodoreti nomine Epistola, hoc tempore post Cyrilli obitum ad Ioannem Antiochenum conscripta, de eius morte exultantis, & in eundem Cyrillum garrientis; eam quis æquius satyram dixerit, quam Epistolam. Quam quidem sicut hominis Nestoriani esse non dubitamus, ita adscribi Theodoreto ad Ioann. Antiochenum, patens esse mendacium apparet, tum ex eo quod eundem Ioannem aliquot iam ante hac annis decessisse superius sit demonstratum, extentq; *d* inter canonicas Epistolas diuersorum Episcoporum, ipsius Cyrilli litteræ ad Dominum Ioann. successorem; tum etiam ex litteris ab eodē Theodoreto paulo post scriptis *e* ad eiusdē Cyrilli successorē Dioscorum, quibus agit pluribus de reconciliatione amicitiæ à se inita cum Cyrillo, vsq; litterarum familiarīū, quæ magna confidentia mutuō inter ipsos datæ fuerunt. Porro non istam duntaxat Epistolam Theodoreti nomine confinxisse Nestorianos, sed & alias plures ad ipsum Nestorium datas, Leontius *f* Scholasticus tradit, qui Nestorianorum Theodoretum calumniantium detegit impostura.

IV. *c Syn. V. Act.* 5. CONFICTA EPIST. DE CYRILLI OBITV.

d *Ap. Balsa. in addit.*

e *Theod. ep.* 83 *Rec. Baron. Annal. Tom. VI. hoc ann. ex cod. Vatic.*

f *Leon. de Sect. Act.* 3.

Sed & hic figmentum illud incerto auctore proditum, cui Trithemius seniter nimis fidem præstitit, respuimus; quod tradunt, eundem S. Cyrillum Alexandrinum monachum fuisse montis Carmeli. Præter n. quod hoc omnes auctores Cyrilli æquales, eiusdemque res gestas describentes latuerit, insuper apud nullum huius temporis scriptorem, quamuis de monachis in Palæstina degentibus frequentissimè meminerint, aliqua est memoria de culto Carmelo à vitæ monasticæ professoribus. Vnde & aliam huic similem fabellam exsuffles, qua traditur & Ioannes Hierosolymorum Episcopus, Origenistarum olim fautor, fuisse etiam monachus Carmelita: eadem enim isthæc facilitate refelluntur, qua effinguntur.

V. CYRIL. AN EVERIT MONACHVS CARMEL.

TRIMO DE IOAN. HIEROSOL.

Defuncto autem Cyrillo, suffectus est in locum ipsius *Dioscorus*, cuius superius facta est mentio; qui confestim legationem ex more misit ad Romanum Pontificē, qua functus est Possidonius presbyter; quem secum aliquot diebus retentum, S. Leo Ecclesiasticis functionib. voluit semper esse præsentem, vt ex institutis Romanæ Ecclesiæ disceret quid emendandum esset in Ecclesia Alexandrina: & inter alia corrigendam præcepit prauum vsum qui in eam irrepserat, vt die quolibet fierent sacrorum ministrorum ordinationes, nullo precedente ieiunio. Patent enim ista ex redditis ab eodem Leone ad ipsum Dioscorum litteris *g*. Porro Dioscorus, æquè ac Nestorius, superinducta hactenus admirandæ sanctitudinis larua; adeptus est tantæ Ecclesiæ sedem; cum speciem præseferens humilitatis atque modestiæ, immensam tamen intus superbiam & arrogantiam occultaret. Quem etiam fuisse Origenistam, insuper & Arianum, ac perfidum; homicidam, & incendiarium, vtraque turpissimū, libelli postea aduersus eum Synodo Chalcedonensi *h* oblati declararunt. Simulac aūt in thronum euectus est, ad conciliandum sibi vniuersum populum Alexandrinum, (inquit Liberatus diaconus) opprimens Cyrilli hæredes, & per calumnias ab eis multas auferens pecunias; pistoribus & cauponibus ciuitatis dedit, vt mundissimum panem & pretiosissimum vinum vilioti pretio exhiberent. At de illo sæpe Inferius.

VI. DIOSCORVS ELIGITVR EPISC. ALEXAND.

g *Leo ep.* 81. EIVS IN PO-CRISIS, ET INGENTIA VITIA.

h *Conc. Chalc. ed. Act.* 3.

IESV CHRISTI ANN. 445.

LEONIS ANN. 6.

THEODOS. II. 38. VALENT. III. 21.

I.

CYRILLI NEPOTES AFFLICTATA DIOSCORO.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo quinto, Valentiniano Augusto sextum & Nomo (quem alij perperam Nonium dicunt) Coss. Dioscorus Episcopus Alexandrinus eiusdem Nomi Consulis opera vsus est ad exagitandos S. Cyrilli prædecessoris sui affines, qui ipsius fugientes persecutionem Constantinopolim se recepissent: vt constat ex libello Athanasij, eiusdem Cyrilli sororis filij, Synodo a Chalcedonensi postea oblato; ex quo datur intelligi, quam tyrannicè eos Dioscorus persecutus fuerit, & ex ditissimis in extremam ferme paupertatem reduxerit. Vetus exemplum, frequentius iteratum, de his quæ pati soleant, siue iuste, siue iniuste ditati Episcoporum affines. Adiecit insuper prorsus impiè, & infensissimo in defunctum animo, idem Dioscorus, vt ordinatos à Cyrillo clericos, quos ille cariores habuisset, absq; aliqua occasione è gradu depositos in ordinem redegerit.

a Conc. Chalced. Act. 3.

II.

VRBS CONST. DIRE AFFLICTATA.

His quoque Coss. magnam famem inuasisse vrbem Constantinopolim, pestemque illico subsecutam, ac templum igne crematum esse, Marcellinus Comes refert in Chronico. Qui & antea populari orta in Circo seditione, multos sese inuicem trucidasse ait, multaq; extrinsecus hominum, instar pecorum, corpora periisse. Ex quo non orta ibi est Nestorij hæresis, & ab eius studiosis foueri (vel saltem occultè) non destitit, florentissimus status ciuitatis illius, totiusq; Orientalis Imperij in deterrimum plane omniumq; miserrimum mutatus est. Abominationem enim hæresum post se ducere solere desolationem, tum diuinis literis b, tum exemplis frequentibus antiquis ac recentibus admonemur.

b Dan. 9. Matth. 24.

III.

CONSTITVTIO VALENTINIANI CÕTRA MANICH.

Quod vero ad res Occidentales spectat; cum anno superiori (vt vidimus) Leo Papa repertos Romæ Manichæos ad publicum perduxisset examen, ac eorum vulgasset portentosa facinora: hoc anno, eiusdem solertia Pontificis, Imperator Valentinianus nefandissimos hæreticos, eorumq; fautores, decimotertio Calendas Iulij edita c lege vt sacrilegos puniri iussit, & vt de publico crimine à quibusvis accusari permisit.

c Nouel. Valentin. tit. 2. de Manich.

IV.

Sed & memoria dignum est eiusdem Imperatoris, hoc eodem anno, octauo Idus Iunij, eodem expetente Leone Pontifice, ad Aetium agentem in Gallia Magistrum militiæ, datum d in causa Hilarij Episcopi Arelatensis rescriptum. Sciendum est enim, de antiqua quæstione agitata inter Archiepiscopos Arelatensem & Viennensem, quod Arelatensis præteriderat ius ordinandi Episcopos prouinciæ Viennensis, ita Patribus Concilij Taurinensis visum fuisse, vt eorundem Antistitũ vnusquisque, pacis conseruandæ causa, viciniores sibi vẽdicaret ciuitates: sed minimè acquiescere volentem Arelatensem, (cum & aliquando, post dictam Synodum ei Zosimus Pontifex fauere visus esset) primatũ sibi super Viennensem vendicare præsumpsisse. Verũ cum id postea prohibuisset Bonifacius e Papa, & in eandem sententiã successor eius Cælestinus f rescripsisset ad Episcopos prouinciarum Narbonensis & Viennensis, vt quisq; Metropolitanus sua prouincia deberet esse contentus; (quæ omnia iam superius g à nobis dicta sunt:) rursum hoc tempore eadem ferme ad Leonem perlata querela aduersus Hilarium Arelatensem (nimirum quod in prouincia Viennensi ordinatum præsumpsisset Episcopum deponere, & in locum alterius nondum mortui alium substituere) idem Hilarius ad dicendam causam sponte se Romam conferens, cum de iis conuictus in *Concilio* ea de causa ibidem *Romæ* habito, haud expectata sententia, vel obtenta licentia, rediisset Arelatum: aduersus eum hoc anno idem Leo ad Episcopos prouinciæ Viennensis Epistolam a dedit, qua irrita reddidit quæ ab eodem iniuste præsumpta essent, ipsamque Viennensem prouinciam exemptam declarauit à iurisdictione Episcopi Arelatensis: ac ne maiores tumultus ea de re ab Hilario concitarentur, aduersus eumdem interpellauit (quod diximus) Imperatoris officium, per Aetium Magistrum militiæ exhibendum.

d Inter Nouel. Theod. tit. 24. de Epis. ordin.

DE ANTIQVA CÕTROVERSIA EPISCO. ARELAT. ET VIEN.

e Bonif. ep. ad Hilar. Narbon.
f Caelestin. ep. 2. c. 4.
g Ann. 417. IV. V.

HILARII ARELAT. PRÆSVMPTIO.

a Leo ep. 89.

V.

IMP. VALENTIN. DEFENDIT AVCTORITATEM ROM. PONT.

Quo quidem rescripto hæc inter alia continentur de summa Romani Pontificis in omnes vbique Ecclesias auctoritate, eademq; ab ipsis Imperatoribus agnita, & aduersus refractarios defensa: *Cum Sedis Apostolicæ primatum, S. Petri meritum, qui princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ dignitas ciuitatis, sacra etiam Synodi firmarit auctoritas, nequid præter auctoritatem sedis istius inlicitum præsumptio attentare nitatur: tunc enim demum Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si rectorem suum agnoscat vniuersitas. Hac cum hactenus inuiolabiliter fuerint custodita; Hilarius Arelatensis, contumaci ausu inlicita quadam præsumenda tentauit, &c. His talibus contra Imperij maiestatem, & contra reuerentiam Apostolicæ Sedis admissis, per ordinem religiosi viri Vrbis Papæ cognitione discussis, certa in eumdem Hilarium ex his quos male ordinauerat, lata sententia est. Eratque ipsa quidem sententia per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritate in Ecclesias non liceret? Sed nostram quoque præceptionem hæc ratio prouocauit, ne vlterius vel Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari, sola mansueti Præsulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Ecclesiasticis rebus arma miscere aut præceptis Romani Pontificis liceat obuiare, &c. Hac perenni sanctione decernimus, nequid tam Episcopis Gallicanis, quam aliarum prouinciarum, contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis Papæ Vrbis æternæ auctoritate tentare: sed illis, omnibusq; pro lege sit, quicquid sanxit, vel sanxerit Apostolicæ Sedis auctoritas: ita vt quisquis Episcoporum, ad iudicium Romani Antistitis euocatus, venire neglexerit, per Moderatorem eiusdem prouinciæ adesse cogatur: per omnia seruatis, quæ diui parentes nostri Romanæ Ecclesiæ detulerunt, &c.*

VI.

HILARII ARELAT. VIRTVTES, ET SANCTVS OBITVS.

Cæterum licet hoc modo Hilarius, iura suæ Ecclesiæ vendicaturus, plus æquo visus sit esse prolapsus: (Nam & vt quos ordinasset Episcopos, inuitis etiam ciuibus intruderet, manum sibi armatam contrahere, & claustra murorũ in hostilem morem, vel obsidionibus cingere, vel aggressionibus referare consueuisse, resciripto suo testatur Imperator:) idem tamen post hæc cedens & (vt scribit auctor Vitæ eius) missis legationibus totum se ad placandum animum Sanct. Leonis inclinata humilitate conuertens; eo peruenit sanctitatis, vt ore omnium meruerit commendari: quem quidem (vt omittamus repetere, quæ de laborib. eius aduersus Pelagianam hæresim dicta sunt superius) S. Eucherius in præclara ad illum de laude Eremi scripta lucubratione, & S. Prosper in Chronico, Constantius item in Vita S. Germani Antisiodorensis, Gennadius b in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ac demum ipsæ Tabulæ Ecclesiasticæ c, in quas nomen eius anniuersaria memoria celebrandum relatum est, laudibus extulerunt, ob egregias ipsius virtutes, & spectatissimam morum sanctitudinem: scripsitq; res eius præclare gestas Honoratus d, non Arelatensis; (nam econtra huius, eundem ipsum Hilarium, qui sub eo in cœnobio Lirensi vitam monasticam excoluerat, ac postmodum eius successor in Episcopatu extitit, Vitam conscripsisse, iam dictum est superius;) sed Massiliensis Episcopus.

b Gen. c. 69.
c Martyrol. Rom. 5. Maij.
d Gennad. c. 99.

Deniq; haud de illo excidat, quod idem Gennadius tradit, adeo paupertatis amatorem, & erga inopum prouisionem, non solum mentis pietate, sed & corporis sui labore solicitum fuisse, vt pro reficiendis pauperibus etiam rusticationem contra vires suas homo genere clarus exerceret. Corrigendus tamen ipse, dum ait eundem Hilarium sub Impp. Valentiniano & Marciano obiisse: siquidem ex duabus Leonis Papæ e scriptis ad Episcopos prouinciæ Narbonensis, & ad Rauennium Arelatensem Epistolis, aperte constat eundem Rauennium suffectum fuisse in locũ Hilarij sub Consulatu Asterij & Protogenis, hoc est anno Christi quadringentesimo quadragesimo nono, anno integro antequam Marcianus creatus esset Imperator.

e Rer. Patrol. Annal. To. VI. an. 449. num. LXI. LXII. ex Archiv. Eccl. Arelat.

Ad

VII. CHRON. PROSPERI TERMINVS.

Ad hunc vsq; præsentem annum S. Prosperi Chronicon peruenit, quod habetur, vt intelligas ipsum principio & fine decurtatum esse: nam auctor est Cassiodorus *a*, ipsum Chronica ab Adam ad Genserici tempora, & Vrbis depræ-dationem vsq; perduxisse; qui fuit annus CHRISTI quadringentesimus quinquagesimus quintus. Quod etiam cõfirmat Gennadius *b*, dum ait, vsq; ad Valentiniani obitum ea scriptione Prosperum peruenisse; qui fuit idem annus Domini quadringentesimus quinquagesimus quintus. Ex his autem redarguas, qui eum ad Leonis Senioris Imp. tempora scripsisse tradunt: antiquioribus enim, & res suorum temporum scribentibus, maior debetur fides. De eius vero obitu dicetur postea suo loco.

De quo Baron. hoc an. & 455 in fin.

a Cassiod. Instit. diuin. lect. c. 17.

b Gennad. de Vir. Illust. c. 84.

IESV CHRISTI ANN. 446.

LEONIS ANN. 7.

THEODOS. II. 39. VALENTIN. III. 22.

I. BRITANNIA INVADITVR A PICTIS ET SCOTIS.

ANNO Domini quadringentesimo quadragesimo sexto, Aetio tertium & Symmacho Coss. nouis cladib. Romanum est Imperium exagitatum. Etenim Africa, Hispaniis, & Galliis, à diuersis barbarorum gentib. occupatis; quæ superarat Britannnia, à *Scotis* & *Pictis* inuasa, dira strage vastata est. Cuiusmodi luctuosam tragœdiam lugubri stylo prosecutus est Gilda Britannus cognomento Sapiens, eandem immensis incolarum atq; Sacerdotum vitiis tribuẽs & peccatis. Resistentibus tamen vtcunq; Britannis, iidem Picti extremam eius insulæ partem vi subactam habitarunt, nec inde vltra valuerunt expelli. Residui vero Britannorũ, dum continuo Scotorũ impetus formidarent; iam de Romanorum præsidio diffidentes, quod frustra ab Aetio aliis bellis detento petiissent, Anglorum gentem cum suo Rege Vertigerno paulo post ad defensionẽ patriæ suæ inuitauere: sed eosdem amice exceptos, versa in cõtrarium vice, pro aduitore ib. impugnatores sensere. Hæc præter Gildam, auctor Miscellæ. Sed quos iste *Anglos*, Gilda *Saxones* nominat, alij vtroq. iuncto nomine *Angloſaxones*.

II. TERRÆMOTVS INGENS IN ORBE.

Sub huius item anni Coss. (vt ait Marcellinus Cõmes) ingenti terræmotu per loca varia imminente, plurimæ vrbes, & muri Constantinopolis, cum quinquaginta septem turribus corruerunt; ac fames, & aeris pestifer odor, multa millia hominum iumentorumque deleuit. Hicq; ille plane est pauendus & horribilis *Terræmotus*, quo ad sex menses indesinenter perseuerante; cum vniuersus ferme Orbis concussus esset, & innumerabilibus terra marique horrendis *c* calibus Orientis pars maxima; Occidentis q; regiones plures affectæ fuissent; accidit mirandum illud Constantinopoli, vt cum Theodosius Imp. vna cum Proclo Episcopo, vniuersoque populo, præ metu ruinarum ædificiorũ; extra vrbem in loco qui dicebatur Campus habitarent, ac die quadam motu eo vehementius grassante, cuncti simul ex intimo corde cum multis gemitibus misericordiam diuinam implorarent; supertra repente vi puer, spectantib. omnibus, de media turba in sublime extra visum hominũ raptus, rursumque priore per aerem via in eundem locum demissus, Patriarchæ, Imperatori, vniuersæq; multitudini, litaniis & supplicationib. operam danti, retulerit, ab Angelis se diuinum Trisagion in hunc modum decantatũ audiuisse, SANCTVS DEVS, SANCTVS FORTIS; SANCTVS IMMORTALIS, MISERERE NOBIS, & vt ipsi eodẽ modo concinerent, monuerit; moxque ipse animam efflauerit: vbi vero populus, iubente Proclo, Trisagion ad eum modũ decantare cœpit; terræmotus omnino quieuerit. Quam quidẽ rem adeo ingentem, non solum Nicephorus *d* ex antiquorib. auctorib. exactè descripsit; (qui & addit, Theodosium Imp. vna cum sorore Pulcheria Aug. edita constitutione decreuisse, vt per totũ Orbem hymnus iste diuinus concineretur:) sed & consecratam Græci habent in Tabulis Ecclesiasticis die vigesima quarta Septembris: confirmantq; Asclepiades Episcopus Trallianus, Acacius Cõstantinopolitanus, Iustinianus Siculus, Quintianus Asculanus, atq; ipse Felix Papa Tertius, Epistolis *a* suis aduersus Petrũ Fullonem Episcopum Antiochenũ, eundem hymnum additione impia corrumpentem: idq; ipsum nobili scriptione pluribus explicauit S. Ioannes Damascenus in commentario de Trisagio, repertitq; in libro de fide *b* Orthodoxa addens & de eodem Trisagio in Chalcedonensi Concilio cognito & comprobato: vbi sane decantatum reperitur in fine primæ Actionis, quando damnatus est Dioscorus, eiusdemq; impietatis consortes hæretici æquè reiecti. Magna porro diuina prouidentia factum esse videtur, vt cum Eutyches in secreto cubiculo & penetralibus monasterij, aduersus diuinitatem pugnaturus arma fabricaret, quam, sicuti humanitatẽ, passam esse dixit; aduersus ipsum Deus canticum præpararet, quo diuinitatis immortalitas vbique gentium caneretur, & per ipsum offensi numinis conciliatio imploraretur. Sic enim plane diuinæ prouidentiæ est, humano consulere generi; prius parare arma, quam instet prælium; medicamenta conficere, antequam venenum irrepat in præcordia; & ante venturam famem, horrea frumento replere. De ipso porro Eutychete dicetur post biennium.

c Vid. Niceph. lib. 14. c. 46.

a Tom. II. Concil. in Felic. III.

b Damasc. 3. de fid. Orthod. 10.

CVR HOC TEMP TRISAGION PRO PALATVM.

III. MIRACVLA EX IMAGINIB. B. MARIÆ ET SALVATORIS.

Quod ad reliqua pertinet; post hanc historiam Nicephorus casum recensens Cyri Panoplitæ, de quo dictum est superius; eius occasione agit etiam de Imagine quadam Deiparæ Virginis, quæ aliquo casu occultata olim in procera cupresso, immenso coruscans lumine sese manifestauit, ex qua ingentia edita sunt miracula. Habet & Romæ vetus codex S. Mariæ ad Martyres eodem argumẽto rem editam, & recitari Calendis Nouembris in Ecclesia consuetã, de Imagine Saluatoris; quam cum Iudæus quidam Constantinopoli furto ablatam è domo Christiani hominis, qui eam in ianua domus suæ erexerat, cultro in vultu punxisset, ex eo inflicto vulnere cõtinuo sanguis copiosus manauit; qua re Iudæus perterritus, eandem in propinquum puteum coniecit: cum vero mane facto, venissent ex more qui ex eodem publico puteo hauirent aquam, sanguinem pro aqua haurientes, re vulgata, exhausto q; puteo, inuenta est Imago continuum sanguinem emittens; vsque dum detectus ab vxore Iudæus, rem confessus est, ac cum vxore baptizatus. Sed quo potissimum tempore hoc acciderit, nusquam mentio: haud tamen puto ante Nicænam posteriorem Synodum; quod de re tanta nulla ibi memoria exter.

IV. PROCLI EPISCOP. CONSTANT. OBITVS.

Hoc eodem anno, vigesima quarta mensis Octobris, S. Proclus Episcopus Constantinopolitanus ex hac vita migrauit, cum sedisset annos duodecim & menses tres; vt testantur Nicephorus in Chronico, & ipsæ Græcorum Tabulæ Ecclesiasticæ: ex quibus emendandus est Nicephorus alter, Callistus dictus, qui sedi Procli annos tantum vndecim tribuit. De ipsius vero Procli scriptis nihil præterea quam Homilias legimus, & de traditione diuinæ Missæ perbreue scriptum; quo asserit Missam prolixiorem olim fuisse, sed à S. Basilio primum; & inde à S. Ioan. Chrysostomo; ob socordiam & tædium stertentiũ potius quã astantium Christianorum, esse redditã breuiorem. Quod etiam eodem ferme tempore in Occidente iisdem de causis contigisse, iam vidimus superius *d*.

c Nicephor. l. 14. c. 47.

d Ann. 418. VI.

V. FLAVIANI ORATIO.

e Id. d. c. 47.

PVER AB ANGELIS TRISAGION MIRABILITER DISCIT.

d Ibid.

Defuncto autem Proclo, in eius locum subrogatus est *Flauianus*, sacrorum donariorum (vt eum describit Nicephorus *e*) magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ custos, dignitate presbyter, vita aũt cœlesti præclarus. Sed accidit; vt cum eo Chrysaphius eunuchus Imperatorij Cubiculi Præfectus, plurimumque apud Theodosium valens, quod minus gratam haberet ipsius ordinationem, eiusdem Imper. nomine petiisset electionis gratia aliquod Imperatori benedictionis loco mitti munus, ac Flauianus panes puros misisset; rursumq; contendenti Chrysaphio aurum debere mitti, respondisset nõ sibi aliud suppetere quam templi donaria, quæ pauperibus essent debita, nec in hos essent quæsita vsus: his magis offensus Chrysaphius, nihil nõ mouerit vt Flauianum è sede turbaret. Cum vero id omnino,

CHRYSAPH. EVNVCHVS CONSPIRAT IN FLAVIAN.

nino, dum Pulcheria Augusta, Imperatoris soror, ac Flauiani protectrix, summam rerum administraret, fieri non posse videret; Eudociam Theodosij vxorem, ac per hanc ipsum Theodosium in eandem Pulcheriam falsis suggestionibus concitans, effecit tandem euiratus iste, vt ipsa Pulcheria certior à Flauiano reddita de consilio inter eos inito de eadem in ordinem redigenda, & in numerum diaconissarum allegenda, (sicut enim Consulares nonnunquã viros ad Episcopatum vi assumi, ita etiam illustrissimas feminas ad munus diaconissarum deligi, erat in vsu;) secesserit in Hebdomũ, sic dictum locum extra vrbem Constantinopolitanam, priuatam tranquille vitam actura. Hæc omnia Nicephorus *a*: reliqua vero ab impiissimo Chrysaphio in sanctissimum Flauianum, protectione Pulcheriæ destitutum parrata, & quomodo domesticũ huiusmodi bellum in perniciem fuerit conuersum Ecclesiarum, dicetur inferius suis locis. Sed & ipsum Imperium, iam quadraginta ferme annorum spatio Pulcheriæ prudentia quam felicissimè gubernatum, vbi se ipsa ab illius regimine abdicauit, pene interiit, ab Hunnis, ferocissimo Attila duce, rursum hoc & sequentibus annis deuastatum; cui Theodosius tributum pendere turpiter coactus est, vt Marcellinus refert in Chronico, & alij post eum: de quo etiam dictum est superius in ipso Attulæ ingressu.

PULCHERIA AVG. ADMINISTRATIONEM RELINQVIT IMP.

a *Ibid.*

IESV CHRISTI ANN. 447.

LEONIS ANN. 8.

THEODOS. II. 40. VALENTIN. III. 23.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo septimo, Alypio siue Callypio & Ardaburio Coss. S. Leo Papa à S. Turibio Asturicẽsi in Hispania Episcopo, doctrina & moribus eximio, certior literis factus de misero statu Ecclesiarum Hispanicarum, quas idem Turibius zelo fidei æstuãs lustrasset, & à Priscillianistis hæreticis variè labefactatas reperisset; Epistolam *b* ad eundem rescripsit vndecimo Calendas Augusti, qua post confutata singula eiusdem hæresis capita, improbaramq; librorum lectionem, ac data monita de iis quæ aduersus Manichæos Priscillianistarum affines Romæ gesta fuissent; generalẽ vniuersæ Hispaniæ indixit *Synodum*, vt eiusmodi malis succurreretur.

Eam porro celebratam esse, inque ea damnatos Priscillianistas, testantur imprimis Acta Synodi *c Bracarensis*. Vbi tamen dum Generale Concilium celebratum dicitur ab Episcopis prouinciarum Tarraconensis, Carthaginiensis, Lusitaniæ, & Bæticæ, nec vlla penitus fit mentio prouinciæ Galliciæ, in qua iussu Leonis debuerat Synodus congregati; magna est coniectura, Episcopos Gallecos conuenisse apud *Lucensem* vrbem in municipio *Celenensi*, sub Balconio Episcopo Bracarensi Galliciæ Primate: ad quos postea illi alij cæterarum prouinciarũ, quos putamus *Toleti* conuenisse, miserunt (vt constat ex dicta Synodo Bracarensi) quæ ipsi constituissent. Vt autem non in vnum locum conuenirẽt omnes, illam potissimum causam existimamus, quod Galleci essent sub Sueuorum Rege Rechila tunc regnante; reliquæ autem Hispaniarum prouinciæ Gothis parerent Theodorico & eius filio Torismundo. Sed tamen quod vna extiterit causa vtriusque conuentus, & eosdem vna conuocauerit auctoritas, & in vnam eandemque conuenerint sententiam: idcirco ambo eadem Concilia in vnam postea constata fuerunt. Imo tria simul reperiuntur esse coniuncta, nempe duo ista cum Toletano Primo habito sub Anastasio Papa, de quo dictum est suo loco; cuius esse noscuntur Episcopi qui ei interfuisse leguntur, & canones illi viginti.

Quod aũt spectat ad Fidei assertionem, quæ iisdem viginti canonib. addita legitur *d*, sub qua probarentur qui vere Catholici essent Episcopi, & omni labe carerent Priscillianæ hæresis; illam in hac Synodo iussu Leonis cõgregata, statutam fuisse constat. In qua quidem magna obseruatione dignum est, quod reperitur illud ab eis primum superadditum Fidei Symbolo de Spiritu Sancto, à PATRE FILIOQVE PROCEDIT. Verum haud sua ipsi id fecere auctoritate, sed ex verbis Epistolæ ad eos scriptæ *a* à S. Leone Papa: in qua cum damnatur Priscillianistarum error, quo impiè dicerent Patris & Filij & Spiritus sancti vnam atque eãdem esse personam; Spiritus sanctus declaratur de Patre & Filio procedere. Porro ea semel verba auctoritate Romani Pontificis addita ab Hispanis Symbolo aduersus Priscillianistas, eidem semper inhæserunt, ac pertransierunt postea ad Wisigothos Catholicos; qui & Iudæos ad Christianam fidem venientes, sub eiusdem Symboli confessione esse recipiendos, suis legibus *b* sanciuerunt: idemq; in aliis Toletanis Conciliis sub Gothorum Regibus celebratis *c* obseruatum est. Sicut & apud Francos antiquitus ea verba in fidei confessionibus exprimi solita, declarat Gregorius *d* Turonensis: eademq; in Symbolum accepta esse, apparet ex Symbolo fidei sub Carolo Magno in Arelatensi Synodo recitato: licet Romana Ecclesia antiquitatis tenacissima, diutissimè cunctata sit ea in Symbolum inferre: quod quibus demum temporibus & occasionibus contigerit, dicetur suis locis *e*.

Hoc item anno ad Aquileiensem *f* Episcopum scripsit S. Leo de recipiendis hęreticis pœnitentibus absq; spe promotionis ad superiorem gradum. Idemq; his ipsis Cõsulibus ad Siciliæ Episcopos *g* Epistolam dedit de aliis nonnullis ad Ecclesiasticorum rituum disciplinã spectantibus: vt de baptismi solemni tempore, nempe Paschate & Pentecoste; non autem Epiphania, sicut illi faciendum suscepetant ex Africanæ Ecclesiæ vsu; apud quã solemnem fuisse baptismum tẽpore Epiphaniæ, satis indicat Victor *h*. Præcepitq; insuper Leo, vt cum ex antiqua institutione bini annis singulis Episcoporum deberent fieri Romæ Cõuentus, terni semper ex ipsis Siciliæ Episcopis ad eosdem conuentus Romam accederent ad tertium Cal. Octobris. Ac demum hoc ipso anno qui quartus numeratur ante Concilium Chalcedonẽse, idem Pontifex è sede deposuit Pricimatem totius Asiæ Bassianum Ephesinum Episcopum, eo quod in illam vacantem propria se auctoritate intrusisset. Quod testatur Stephanus Bassiani aduersarius in Actione vndecima eiusdem Concilij Chalcedonensis, vbi Bassiani scelera narrantur.

Gentilibus quoq; veteres innouantibus querelas aduersus Christianos antiquorum effossores sepulchrorum, Valentinianus * Imp. his Coss. aduersus eosdem effossores rescripsit; quos & ab aliis Impp. iam olim coercitos fuisse, superius *i* vidimus, causamq; eius rei aperuimus.

IESV CHRISTI ANN. 448.

LEONIS ANN. 9.

THEODOS. II. 41. VALENT. III. 24.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo octauo, Flauiis Posthumiano atque Zenone Coss. Theodosius August. cum diuersis cladibus agitari iamdiu cerneret Imperium, offensi numinis causas rimatus, cum Gentilitiæ impietatis homines, tum Nestorij sectatores (vt gratissimum Deo sacrificium) legibus *k* coercendos putauit; libros que Porphyrij, & contra Cyrilli scripta editos commentarios, perquiri ac concremari iussit: insuper & illos qui suspecti essent Nestorianæ hæresis, quod Nestorio ante fauissent, exagitauit; & inter alios Irenæum illum, qui Concilij Ephesini Patribus tantas molestias intulisset: quem ex comite ordinatũ Tyri Episcopum, deponi iussit, quod

DE SYMBOLI ADDITAMENTO.

a *Leo ep. 93. c. 1.*

b *Leg. Wisigoth. l. 12. c. 14 ap. Isidor.*
c *Conc. Tolet. VI. VIII. XI. XII. XIII.*
d *Greg. Tur. lib. 2. hist. in prine.*
e *An. 883. IV. & 1014. III.*

IV.

f *Leo ep. 3.*

g *Id. ep. 4.* DE SOLEMNI BAPTISMI TEMPORE. *De quo vide plene in Trall. Ios. Vicecom. de antiq. Bapt. ritib. lib. 2. c. 18. & seqq.*
h *Vict. de Persec. Vandal. lib. 2.* EPHES. EPISCOP. DEPOSITVS A ROM. PONT.

V.

* *Nouel. Valentini de fund. tit. 1 Ann. 340. XIV.*

I. EPIST. LEONIS PP. AD TVRIB. ASTVRIC. ADVERS. PRISCILLIAN.
b *Leo ep. 93.*

II. c *Conc. Bracar. I. in praef.* CONC. TOLET. & LVCENSE ADVERS. PRISCILLIAN.

III. d *Conc. Tolet. I. in fin.*

k *Ap. Alb. Conc. Ephes. edit. Pol. tom. 3. c. 19. 20.* FORGERIES & NESTORIAN LIBELLI VETITI.

I.

quod post secundas nuptias cõtra canones Episcopus creatus esset. Sed quod hunc Theodoretus cum aliis Episcopis ordinasset, defendit ipse *a* eiusdem bigami promotionem exemplis antiquiorum; quæ illi excusatio profuisse videtur, quod nulla posthac ea de re aduersus eum fuerit querela.

a *Theodor. ep. 110. ad Domn. Antioch.*

II. EVTYCHETIS HÆRESIS QVA OCCASIONE ORTA.

Hoc vero eodem anno, dum in desolationem Nestorianæ hæresis Catholici impelleretur, illud plane funestum contigit, vt vnus ex illis rapido cursui terminum imponere nescius, infelici audacia nouus veritatis Catholicæ impugnator euaserit. Siquidem EVTYCHES presbyter, ac monachorum illorum Constantinopoli Archimandrita, qui tempore Ephesini Concilij aduersus Nestorianos cæteris præstãtius dimicarant, cum summo odio in Nestorij hæresim ferretur; (de cuius aduersus eam laboribus indefesso studio exantlatis, magna laus est in Epistola S. Leonis *b* Papæ ad ipsum scripta, necnon in Actione quarta Synodi Constantinopolitanæ ante Chalcedonensem celebratæ:) eo prosilit, vt non tantum duas esse in CHRISTO *Personas*, omnino ex Catholicæ fidei præscripto negaret, sed etiã nec duas in eo *Naturas* vellet asserere; eosq; Nestoriano laborare morbo putaret, qui Orthodoxè duas confiterentur in CHRISTO inter se distinctas & indiuise absque confusione coniunctas Naturas. Ac primo quidem (vt refert Liberatus *c*) prædicauit CHRISTVM consubstantialem nobis non esse secundum carnem, sed de cœlo corpus habuisse: rursum aũt varians dixit, ante adunationem duas in CHRISTO fuisse Naturas, post adunationem vnam factam esse. Secundum cuiusmodi prioré sententiã, Theodor. *d* ait ipsum Valentini hæresim iam extinctam resuscitantem dixisse, Deum Verbum nihil humanum ex Virgine sumpsisse, sed immutabiliter cõuersum, & carnem factum, solum per Virginem traiecisse.

b *Leo ep. 6.*

c *Liber. Breuiar. c. 11.*

d *Theod. hær. fab. l. 4. in fin.*

III. CONC. CÕSTANT. ADVERS. EAM.

Idem porro Liberatus asserit, cum primo detectum fuisse, ac sæpius amice monitum, ab Eusebio Episcopo Dorylæi in Phrygia, & cum pertinaciter suas hæreses defenderet, delatum fuisse ad CONCILIVM Episcoporum, qui tunc congregati erant *Constantinopoli* in causa Florentij Episcopi Sardis Metropolis Lydiæ, aduersus quosdam Episcopos sub eo constitutos. Sed hoc ipsum fuse pertractatum habetur in ipsis Actis eiusdem Constantinopolitanæ Synodi triginta duorum Episcoporum (inter quos erat ipse Eusebius) & viginti trium Archimandritarum, habitæ hoc anno mense Nouembris, præsidente in ea Flauiano eius vrbis Episcopo: quæ recitata habentur in Actis *e* Concilij Chalcedonensis. Ex quibus hæc summatim habeto: videlicet Eutychetem ab eodem Eusebio in Synodo accusatum hæreseos, à Patribus ter fuisse citatum; sed comparere recusasse, eo prætextu quod inuiolabilem sibi præfixisset legem non egredi è monasterio suo; cum & alioqui cõtestaretur, se soli Scripturæ diuinæ inhærere velle, nec curare quid in Synodo contrà ipsum ageretur. Verum quod etiam cautus esset morbum, septem dierum inducias petens, impetrauit: sed mox eadem ipsa die egrediens è monasterio, accessit (vt ait Liberatus) ad Theodosium Imperat. egitque cum eo per Chrysaphium eunuchum Imperatorij Cubiculi Præfectum, quem ipse Eutyches susceperat in baptismate, quemque sciebat infensissimo (quod vidimus) in Flauianum esse animo, vt vna secum Patricius Florentius Concilium ingrederetur, quod timere se diceret Flauiani calumnias.

c *Conc. Chalced. Act. 1.*

IV. EVTYCH. CORAM SYNODO SVAS VRODIT BLASPHEMIAS.

Adueniente vero præscripto septem dierum termino, idem Synodum ingressus cum Florentio, causamque dicere iussus, ac respondere propositis aduersus ipsum accusationibus; cum multa frustra subterfugia captasset, coactus tandem prodere quid sentiret, asseruit se cõfiteri ex duabus Naturis fuisse CHRISTVM ante adunationem, post vero adunationem vnam tantum Naturam agnoscere. Ac cum rursum immensam eiusmodi blasphemiam damnari vrgeretur tum à Patribus Synodi, tum etiam ab ipso Florentio Patricio; id se haud sponte professurum significans, ad postremum edixit: *Qui non diceret ex duabus Naturis, & duas Naturas, haud recte credere*: quapropter exclamans vniuersa Synodus: *Quæ ex necessitate est, fidem non esse*; idem Eutyches damnatus est, ac presbyteratu & monasterij administratione priuatus; & qui cum eo communicarent, excommunicationi subiecti; pronunciante sententiam Flauiano, ac subscribentibus omnibus Episcopis & Archimandritis. Sicque Synodus absoluta est, quæ septem Actionibus constitit. De repetito vero, anno sequenti, itidem Constantinopoli eorundem Patrum Conuentu, dicetur suo loco.

DAMNATVR

Interea Flauianus de re tanta, more maiorum, literis certiorem reddidit S. Leonem Romanum Pontificem, cupiens ab eo haberi rata quæ statuta essent contra Eutychetem. Sed & Eutyches non ignarus in eam partem vniuersam Catholicam Ecclesiam inclinaturam, in quam Summus eius Pontifex propenderet, festinauit & ipse ad illum dare literas, (imo & studio regiorum ministrorum effecit vt suæ citius Romam peruenirent) sed refertas plane dolis, dum se à Synodo Constantinopolitana damnatum appellasse Romanum Pontificem, sed appellationi minimè delatum, mentitus est; cæterum blande promittens, se paratum fore corigere quicquid ipse Pontifex reprehensione dignum edixisset. Testatur hæc enim Flauianus in literis *a* ad Sanct. Leonem scriptis; ipseque Sanct. Leo *b* in suis ad eum redditis, aliisque ad Theodosium & Pseudosynodum Ephesinam anno sequenti Idibus Iunij conscriptis. Idemque insuper Eutyches Imperatori libellum obtulit, quo Synodalia Acta esse falsata cõquereretur: ac per ipsam vrbem Constantinop. publicis propositis scriptis, se passum esse iniuriam populum contestatus est; vt Liberatus, aliique referunt. Illud denique per Chrysaphium curauit, vt in odium Flauiani hoc item anno daretur à Theodosio Imperat. literæ pro eodem Eutychete ad Leonem Papam, quarum mentio habetur in alius ab eodem Pontifice *c* sequenti anno Calendis Martij ad eundem Augustum redditis. Quæ vero secuta sunt, dicentur inferiùs pro ratione temporis.

V. FLAVIANVS ET EVTYCH. SCRIBVNT AD ROM. PONT.

a *Ap. Leon. post ep. 6.*
b *Leo ep. 8. 12. 35.*
EVTYCH. SVBTERFVGIA.
c *Id. ep. 7.*

Antea namq; sub iisdem huius anni Coss. duo habita CONCILIA leguntur, seu potius Episcopalia dicenda Iudicia, in causa *Ibæ* Episcopi Edessæ in Syria; alterum *Tyri* mense Februario, *Beryti* alterum mense Septembris; quæ pariter recitata habentur in Actis *d* Concilij Chalcedonẽsis. In quibus tamen hucvsque Latinè excusis, dum iidem Conuentus leguntur habiti Post Consulatum Zenonis atque Posthumiani, restituendus est textus, vt legatur Sub Consulatu eorundem: contra vero vbi ponitur Pseudoconcilium Ephesinum cœptum esse mense Augusti sub Consulatu Zenonis & Posthumiani Indictione tertia, restituendum est vt dicatur, Post Consulatum eorundem Indictione secunda. Quis enim nesciat ante istud præcessisse Iudicia Tyrij Conuentus atq; Berytensis, in quibus Ibas est absolutus; deinde vero subsecutum Ephesinum esse, in quo idem est condemnatus, testantibus id ipsis Synodalibus Actis?

VI. CONC. TYRI ET BERYT. IN CAVSA IBÆ EPISCOP. EDES. d *Conc. Chalced. Act. 9. 10.*

Quod vero ad *Ibæ* causam spectat, quæ tot post modum turbarum causa extitit: cum is olim vna cum aliis Syriæ Episcopis stetisset pro Nestorio cum Iohanne Antiocheno contra Cyrillum Alexandrinum, vsque ad tempus quo per Paulum Emesenum res vtrimque compositæ sunt, quando & ipse Ibas communicare cum Cyrillo & Ecclesia Catholica cœpit, accidit postea, vt quatuor presbyteri Ecclesiæ Edessenæ, ab eodem ipsorum Episcopo Iba sententia excommunicationis affecti, prouocantes ad Antiochenum Antistitem Domnum, ei libellum accusationis aduersùm Ibam obtulerint. Sed cum is à Domno citatus, Antiochiam accessisset, tunc duo ex illis presbyteris, quo vitarent iudicium Domni, erga Ibam (vt ipsis videbatur) propensioris, proficiscentes Constantinopolim ad Imperatorem, alios sibi dari Iudices petierunt: atque interea celebrata ob eam causam Antiochiæ SYNODO, accusatores Ibæ damnati sunt. Verum misso ab Imperatore, Damascio Tribuno & Notario Iudice Cognitore, vt quæ Photius Tyri, Eustathius Beryti, & Vranius Himeriæ Episcopi, delecti à se in ea causa Iudices definirent, executioni mandaret; (cum quo etiam Flauianus Constantinopolitanus Episcopus milit Eulogiũ diaconum suum) actum est hoc eod. anno mense Februarij primæ Indictionis, eius causæ *Iudicium Tyri*, quod diximus: in quo tres illi Iudices Episcopi

VII. CAVSA IBÆ IVSQ. IN OMNIB. IVDICIIS ABSOLVTIO.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

scopi primum omnium diligentissimè præstiterunt, vt Ibas hæresim Nestorij, cuius potissimum accusatus, & omnes ad eam spectantes execraretur, fidemq; Catholicam sincere integreque profiteretur; ac inde pacis sequestres accedentes, prædictos presbyteros accusatores cum ipso conciliauerunt.

VIII.

At vero cæteris clericis Edessenis, qui aduersantes erant Ibæ, haud stantibus initæ concordiæ, sed præter quatuor illos presbyteros, alios etiam mittentibus Constantinopolim, qui aduersus eum Flauiano varias criminationes offerrent; cum rursum placuisset Flauiano ac Theodosio, vt eadem causa iterum tractaretur *Beryti* coram iisdem qui Tyri confederant: conuenientes illuc ipsi mense Septembri secundæ inchoatæ Indictionis, cæteris nullo negotio calumniis dilutis, in eo, aduersariis vrgentibus, magis institerunt, quod obijceretur, vocatum fuisse ab Iba Cyrillum hæreticum, etiam post declarationem ab eodem Cyrillo factam suorum ipsius Capitulorũ, & reconciliationem initam. Verum negante hoc Iba, & considerata quam in eius rei probationem aduersarij proferrent Epistola ab Iba ad Marim Persam scripta; tantum abest vt ex ea Ibas damnatus fuerit, vt contra probatus sit Orthodoxus, & ab omnibus à criminatione aduersariorum absolutus: sicut & eandem ipsius absolutionem deinde Patres Concilij Chalcedonẽsis comprobarunt. Vnde postea factum est, vt multi occasionem acceperint calumniandi tam Berytense Iudicium, quam Chalcedonense Concilium, quod illam Ibæ Epistolam suscepissent, quam constaret multis refertam esse blasphemiis & in Cyrillum calumniis: & alij contra, vt eadem excusarent, ipsam Epistolam minimè fuisse Ibæ dixerint *a*, sed assertam Ibæ.

a Greg. Pap. 7. q. 54. ad Secund. Epigh. in Nic. II. Con. Act. 6.

IX
IBAS EXCVSATVR, ET CATHOLICVS PROBATVR.

Cæterum Acta germana cum Iudicij Berytensis, tum Concilij Chalcedonensis, habent Ibam ingenuè cõfessum eam Epistolam esse suam, & vt Ibæ receptã esse à Patribus. Nec tamen ideo illi damnandi sunt, aut in suspicionem adducendi. Longe enim diuersum est, dicere Epistolam probari Catholicam, & quæ in ea scripta sunt vera esse; vel dicere, ex ea Ibam probatum fuisse Catholicũ. Etenim cum illa non ab Iba, sed ab aduersariis contra Ibam prolata esset; eademq; historiam contineret rerum gestarum inter Ioannem Antiochenum & Cyrillum Alexandrinũm, tam ante, quam post pacem initam; nihil aliud inde acceperunt Patres, nisi Ibam, licet aliquando cum Ioanne atque aliis Nestorij fautoribus Cyrillo infensus fuisset, (quod nec Ibas negabat) tamen quando illam scripsit Epistolam, nimirum post reconciliationem factam, fuisse vere Catholicum, & cum Cyrillo communicasse, Nestoriumq; cum ipsius hæresi damnasse. Quibus insuper additis, quæ esse dicta ab Iba pro veræ fidei confessione, Acta *b* Synodalia docent; non potuit ille non probari Catholicus, & absolui. Sed quod rursus eadem Epistola Nestoriani abuterentur, falsoq; asserrent à Patribus in Concilio Chalcedonẽsi esse receptã, ac proinde ab eisdem, cum Theodori Mopsuesteni laudes ei insertas, tum Cyrilli damnationem, atque alia quæcunq; eadem continerent esse approbata; ideo fuit ipsa postea in Quinta *c* Synodo damnata, ob easdem scil. Theodori laudes tũc penitus agniti hęretici, aliasq; blasphemias, ac Cyrilli criminationes, quas se ante reconciliationẽ Ibas protulisse in ea referret. Quomodo vero ea contigerint, plenius dicetur suis locis.

b Conc. Chalced. Act. 10.

c Quint. Syn. collat. 8.

X
d Leo ep. 5.

Sub huius item anni Coss. data extat Leonis Papæ Epistola *d* ad Dorum Beneuentanum Episcopum, qua eum vehementer redarguit, quod aduersus regulas Patrum ausus esset recens ordinatos presbyteros super alios antea creatos collocare: laudatq; Paulum presbyterum, quod non passus sit ab Episcopo loco moueri, sed conquestus sit apud ipsum Leonem Papam.

XI.
e Vasc. Chron. Hisp. Marian. rer. Hisp. l. 5.
f Isid. hist. Suevor.

Hocque præterea anno, Sueuis in Hispania regnantibus, ipsorum Regem Recciarium redditum fuisse Christianum Catholicum, qui res Hispaniarum prosecuti sunt *e* tradiderunt postea vero eosdem Sueuos à fide Catholica deficientes, inhæsisse Arianis, ac demum iterum Catholicam religionem professos esse, cum Theodemirus potitus est regno; Isidorus * testatur.

IESV CHRISTI
ANN. 449.

LEONIS ANN. 10.

THEODOS. II. 42.
VALENTIN. III. 25.

ANNO CHRISTI quadringentesimo quadragesimo nono, Asterio & Protogene Coss. cum literæ Eutychetis, atque Imperatoris pro eodem Eutychete ad S. Leonem Papam scriptæ (vt vidimus anno superiori) maiori tabellariorum industria præueniissent eas quas Sanct. Flauianus Episcopus Constantinopolitanus conscripsisset; idem Pontifex eis acceptis, ad Imperatorem primum rescripsit *a* Calendis Martij, laudans eum de solicitudine Christianæ religionis, seque mirari addens quod nullas à Flauiano (vt par erat) recepisset; easque exspectandas esse ait, vt omnibus rite consideratis causã Eutychetis perageretur.

I.
QVID LEO PP. IN CAVSA EVTYCH.

a Leo ep. 7.

Cum vero scripsisset *b* pariter eodem argumento ad ipsum Flauianum duodecimo Calendas Maij; mox Flauianus ad eum rescribens *c*, cuncta temere tentata per Eutychetem palam fecit, & scripta ab eo ad Leonem mendacia redarguit; simulque petiit literis ipsius Leonis confirmari damnationem à Synodo Constantinopolitana in eundem Eutychetem illatam: sic enim fore, vt ea hæresis, & turbæ quæ propter eam factæ essent, facile destruerentur, & Concilium quod fieri diuulgabatur, remoueretur.

b Ib. ep. 8.

c Ap. Leon. ante ep. 7.

Quibus intelligas, tantam Flauianum literis Romani Pontificis vim tribuisse, vt possent hæreses fundi tus euertere; & Concilio Oecumenico opus nõ esset, vbi eadem aliquid definiissent. Illudque etiam attendas, ex veteri instituto absq; controuersia profiteri eosdem inter se altercantes Flauianum & Eutychetem, legitimum & præcipuum Iudicem Ecclesiasticarum controuersiarũ esse Romanum Pontificem, ad quem tam actor quam reus sponte currant sua iura prosecuturi.

SVPREMA ROM. PONT. AVCTORITAS.

Interea vero Constantinopoli, nullum non mouens lapidem Chrysaphius eunuchus, vt Acta Synodi Constantinopolitanæ irrita redderet, & in ipsum Flauianum damnationis pœnam conuerteret; & insuperque iudicium Sanct. Leonis, quod parabatur, eludere cogitans: persuasit Imperatori, vt rursum in eandem vrbem aliam SYNODVM conuocaret, quæ causam Eutychetis cognitura esset: conuocatisque triginta Episcopis hoc anno ad quintum Idus Aprilis, quem vellet Eutyches vt præsideret Theodosius Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, sua dexteritate confecit; cui etiam Imperatoris nomine interfuit Patricius Florentius.

II.
CONCIL. II. CONSTANT. IN CAVSA EVTYCH.

Quæ autem ab iis gesta sint, ipsa Acta declarant, quæ intexta leguntur primæ Actioni Magni Concilij Chalcedonensis.

Ex quibus imprimis constat, quod licet contra ius fasque concessum esset ab Impetatore Eutycheti, (frustra excipientibus Patribus de peruerso ordine iudiciario) per procuratores suam causam in Synodo agere, Eusebio vero Episcopo Dorylæi ipsius accusatori nequaquã: nihilominus cognitis quæ per eosdem suos procuratores Eutyches multis mendaciorum anfractibus diuerticula quæritaret, quasi non omnia, quæ ipse in priori Concilio Constantinopolitano dixisset, in Acta relata fuissent; idem comprehensus fuerit in omnibus vaniloquus atque dolosus.

Quæ quidem cum plus satis esse potuissent ad proscriptionem impij hæresiarchæ, & ab eo proditæ impietatis; tamen dum Chrysaphius priuata contra Flauianum studia fouit, & in eadem pertraxit Imperatorem; (neque enim

enim odio Catholicæ Fidei, sed Flauiani, hęc omnia Theodosium atque Chrysaphium molitos esse constat:) maximum parauit Ecclesiæ luctum, ipsique Imperio cladem, vt exitus patefecit.

IVRAMENTVM EPISCOPIS NON DEBERE OFFERRI.

Eadem vero Sessione & illud memoria dignum contigit, quod cum Macedonius Tribunus & Notarius, Imperatoris nomine suggessisset Episcopis qui præcedenti Synodo interfuissent, sub sacramento dicere an vera essent Acta quæ ab vtraque parte proferrentur; respondente Basilio Seleuciæ Episcopo, hactenus inauditum fuisse, iuramentum Episcopis esse oblatum; eiusdem intercessione factum fuerit, ne iurare Episcopi cogerentur.

III.

Absoluta itaque Prima Sessione, rursum eiusdem mensis Aprilis die vigesima septima Conuentu à Patribus habito, Silentiarius Imperatoris qui superioris anni Synodo interfuerat, testatus est, se, antequam Synodi Acta celebraretur, audiuisse à Flauiano iam Eutychetem esse damnatum, scriptumque damnationis libellum quem Synodo subscribendum porrecturus esset. Sed & testificatione Asterii presbyteri dictum est, ipsa eiusdem superioris Synodi Acta fuisse à Notariis immutata. Verum postquam discussis Gestis, (vt de his agens addit Liberatus *a*) instantibus Notariis cum aliis Episcopis Catholicis, nihil de illorum falsitate probari potuit; tunc Imperator postulauit à Flauiano confessionem fidei manu propria scriptam, quod Eutyches eum calumniatus esset eadem sapere cum Nestorio. Cum vero talem Flauianus obtulisset, qua & ipsi Nestorio & eius sectatoribus anathema diceret; postquam se nihil ex ea parte Eutyches efficere vidit, demum vrgere cœpit apud Imperatorem, Vniuersale fieri Concilium, cui præsideret Dioscorus Episcopus Alexandrinus.

a *Liber. c.11.*

IV. INDICITVR SYNODVS EPHES.

Factum est igitur molitione Chrysaphii (vt habet Nicephorus *b*) vt ad Calendas Augusti indicta fuerit Synodus Ephesi: dirigensque (inquit Liberatus *c*) Imperator Sacram (sic vocabant literas Imperatorum) Dioscoro Alexandriam, præcepit vt decem Metropolitanos Episcopos quos voluisset ipse eligeret, & congregato Ephesi Concilio Eutychetis causam discuteret; iubens Barsumam Archimandritam Syriæ interesse, & vicem agere omnium Monachorum qui Orientales Episcopos accusarent hæresis Nestorianæ: Theodoretum vero Cyri Episcopum adesse Concilio interdixit, & in sua ciuitate permanere iussit; cum iam & Ibam Edessenum, ne Synodo adesset, per Chrysaphium Eutyches exilio relegasset.

b *Nicep. h. lib. 14. cap. 47.*
c *Liber. c. 12.*

Hæc de indicta Synodo ex Liberato, & ex ipsius Theodosii ea de re scriptis ad eosdem Dioscorum & Barsumam literis *d*. Quem etiam ad alios Orientalis Ecclesiæ Metropolitanos Episcopos conscripsisse, Synodalia Acta fidem faciunt.

d *Ext. in Cyrill. Chalced. Act. 1.*

V. QVAM PERPERAM IN HIS RES GESSERIT IMP.

Ex his autem vides, intentatum hactenus sibi ius Theodosium Imp. arrogasse, dum celebrandæ Synodo Oecumenicæ qui præesset Episcopum delegit: quod quidem Romani esse Pontificis, docet quæ acta dictaque sunt in reliquis antehac celebratis. Sed & obserua dolum aduersariorum, quam caute egerint ne quis eorum qui constantissime essent aduersus Eutychetem propugnaturi fidem Catholicam de duabus in Christo Naturis, (pura Ibas & Theodoretus) ad indictum Concilium admitterentur, ea rectitudinis specie quod essent hæresis Nestorianæ fautores: contra vero qui Eutychetis studiosissimi essent, Synodo præesse & interesse iuberentur, eo colore quod essent hostes eiusdem hæresis Nestorianæ: quasi non contra emergentem nouam hæresim, sed contra Nestorium bellum suscipiendum esset. At quomodo hæc Deus vindicarit; ex iis quæ huiusmodi Pseudosynodum secuta sunt apparebit.

VI. CONSILIVM IMP. DE VOCANDO AD SYNOD. LEONE PP.

Quod vero sciret Imperator, nullum fore Concilium quantumuis Oecumenicum, absque Romani Pontificis auctoritate; hanc reuerentiam diuinis detulit institutis, (inquit Leo in epistola *e* ad Synodum scripta) vt ad sanctæ dispositionis effectum auctoritatem Apostolicæ Sedis adhiberet. Sed quod satis intelligeret ipsum Leonem Eutycheti aduersaturum, illud consilium iniit, ita eum vocare vt tamen caueret ne adesset: videlicet adeo angusto termino tempus claudens, vt nonnisi magno incommodo accedere posset; prout ipse Leo *a* questus est ad Pulcheriã Augustam. Qui etiam quod mala præsagiret quæ essent ex huiusmodi Concilio ventura, primum persuadere Imperatori *b* conatus est, vt illud haberi sineret in Italia; ac *c* deinde illam ipsam Episcoporum coitionem dissuadere, eo quod in re adeo perspicua superuacaneum esset tantam consultationem adhibere.

e *Leo ep. 43.*

a *Idem ep. 43.*
b *Ep. 9.*
c *Ep. 17.*

VII. LEGATI MISSI A LEONE.

Cum autem neutrum impetrare valuisset; tandem ne fidei causa dispendium aliquod pateretur, idem Pontifex Ephesum ad Concilium Legatos è Latere *d*, misit *Iulianum* Episcopum *e* Puteolanum, *Renatum* Presbyterum Cardinalem tit. S. Clementis, *Hilarum* S. R. E. Diaconum Cardinalem, ac *Dulcitium* Notarium: iisdemque celebrem illam dedit Idibus Iunii sub huius anni Coss. ad Flauianũ Constantinopolitanum Epistolam *f*; qua non ille solum, sed vniuersa Synodus, totusque Oriens, quid de Verbi Incarnatione sentiendum esset, ex sententia Euangelicæ veritatis acciperet: quam & Occidentalibus quoque omnibus Circularem esse voluit. (eam Græci dicunt *Encyclicam*) tanquam ad nouæ emergentis hæresis paratum antidotum: qua imprimis duas in CHRISTO Naturas vnitas indiuise & inconfuse in vnius Personæ subsistentia inseparabiles docuit. Estque illa eiusmodi, vt eam omnes summa obseruatione exceperint, ac Gelasius *g* Papa, Synodus *h* Chalcedonensis, Theodoretus *i*, Episcopi *k* Galliarum in Concilium ea de re conuocati, & alii innumeri, diuinis planè laudibus prosecuti fuerint: adeo vt ab ipso S. Petro Apostolo, cum ad eius tumulum eam Leo obtulisset, diuinitus confirmatam fuisse, aliisque cœlestibus visionibus approbatam, scriptum *l* reperiatur. Constatque ex scripto codice perquam vetusto S. Mariæ ad Martyres, morem fuisse Romanæ aliarumque Occidentalium Ecclesiarum, eamdem legere publicè in Ecclesia mense Decembris ante Domini Natiuitatẽ, quod ea Dominicæ Incarnationis doctrinam absolutissimam contineret.

d *Idem ep. 10 12. 13 15.*
e *Leo ap. Marian. Scot. in Chron.*
f *Leo ep. 10.* LEONIS EPIST. DE VERBI INCARNAT. MIRE PRÆDICATA.
g *Gelas. in Conc. Rom. de lect. auctorit.*
h *Conc. Chalced. Act. 6.*
i *Theod. ep. ad Leon.*
k *Epist. Gall. ap. Leon. ep. 51.*
l *Prat. Spir. cap. 147. 148.*

Porro illam dictatam fuisse à S. Prospero Aquitano, à multis creditum, Marcellinus tradit in Chronico sub Cõsulatu Olybrii ac Rusticii: idque ipsum putauit Gennad. *m* Verum nonnisi S. Leonis esse dixerim: etenim eandem dictionem quæ est in epistola, vtique agnosco in eius Sermonibus.

m *Gennad. de Vir. Illustr. c. 84.*

VIII.

Eodem vero die quo illa data legitur, nempe Idibus Iunii, alias *n* quoque per eosdẽ Legatos dedit Leo ad Theodosium Imperatorem, Pulcheriam Augustam, Iulianum Coënsem Episcopum virum disertissimum, & Catholicæ veritatis acerrimum defensorem, aliosque; ac præcipue ad Synodum ipsam, iubẽs omnino Eutycherem debere prius suam hæresim condemnare, quam aliquo modo de eius restitutione tractaretur. Quæ quidem haud minima fuit Romani Pontificis indulgentia facta Synodo, vt de restitutione hæreliarchæ tractare posset. Siquidem auctores hæresum non recipiendos esse ad pristinum gradum, etiamsi mille offerrent libellos pœnitentiæ, legibus Ecclesiasticis sancitum esset, & in Ecclesia ingiter obseruatum. Sed id Leo Eutycheti præstandum esse voluit, quod (vt iisdem, aliisque litteris testatur) libellum is Romam misisset; quo polliceretur, si quid errasset, sese ex ipsius Romani Pontificis arbitrio correcturum. Cum vero etiam Eutyches ad alios Occidentales magni nominis Episcopos literas scripsisset, ab iisdem acriter de sua ipsius temeritate redargutus est: prout constat ex rescripta ad eum Petri Chrysologi Episcopi Rauennatis epistola *o*: qua demum illum hortatur, vt *ea quæ à beatissimo Papa Romanæ ciuitatis scripta sunt, obedienter attendat; quoniam B. Petrus, qui in propria sede viuit & præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem. Se enim* (nempe ipsum Chrysologum, ac proinde & alios Episcopos) *pro studio pacis & fidei, extra consensum Rom. ciuitatis Episcopi, causas audire non posse.* Ita Chrysologus: quem quidem hoc anno, vel sequenti, ex hac vita migrasse, aperte colligitur ex eo quod Leo Papa sub Consulatu Marciani post annum sequentem, ad eius successorem Leonem, seu Neonem dictum, literas *p* dedisse reperitur. Sed ad Synodum:

n *Leo ep. 11. & seqq.*

LEO PRÆSCRIPSIT SYNODO SENTENTIAM DE EVTYCHETE.

o *Ext. ante Conc. Chalcedon.*

p *Leo ep. 37.*

Quæ igitur ad Calendas Augusti indicta SYNODVS

IX.

a *Ap. Conc. Chalced. Act. 1.* SYNODVS II. EPHESINA.

fuerat *a*, cœpta est *Epheſi* quarto Idus Auguſti huius anni: cui interfuiſſe numerati ſunt Epiſcopi centũ viginti octo, præter paucos aliquos qui per ſuos vicarios interfuerunt. Præſto etiam fuere Apoſtolicæ Sedis Legati ſuperius nominati: adfuitque, & præfuit, licet indebite, auctoritate Imperatoris *Dioſcorus* Alexandrinus. Conuenerunt pariter inter primos, *Domnus* Antiochenus, *Iuuenalis* Hieroſolymitanus, *Flauianus* Conſtantinopolitanus, *Thalaſſius* Cæſarienſis Cappadociæ, *Stephanus* Epheſinus, *Baſilius* Seleucienſis, *Euſtathius* Berytenſis, aliique: & in ipſa Seſſione, Flauianus non poſt Antiochenum ſedere Antiſtitem à Dioſcoro permiſſus eſt, ſed poſt Hieroſolymitanum. Cum autem omnes conſediſſent, Legati Apoſtolicę Sedis excuſauerunt Leonis Papæ denegatum aduentum in Synodum, ad quã præſens vocatus fuerat, eo quod moris non eſſet, niſi per Legatos extra Vrbem Romanos Pontifices Synodis intereſſe.

X. LITERÆ LEONIS A DIOSCORO NON ADMISSÆ.

b *Ibid. Act. 1. & 3.*

Poſt hæc iidem Legati obtulere ſcriptas ad Synodum & ad Flauianum literas eiuſdem S. Leonis quas Dioſcorus ſuſcipi iuſſit: verumtamen nec lectas, immo neque ſuſceptas fuiſſe, teſtatum poſtea fuit in Concilio *b* Chalcedonenſi, ſed lectione aliarum literarum Imperatoris, à cœptis per Legatos ſermonibus diſceſſum eſſe: ex compoſito quidem, vt vitaretur lectio illarum quas S. Leo ſcripſiſſet; cum tamen id inſtanter petentibus Legatis, Dioſcorus iuramento eſſet pollicitus ſe facturum: ſed numquam præſtitit. Vnde & ſcandalum atque læſionem Sanctæ Dei Eccleſiæ per totum Orbem terræ perlatam eſſe, ibidem aſſertum eſt. Poſt hæc vero ſuggeſtione facta, de Fide agendum eſſe, negauit Dioſcorus, affirmans ex decreto Imperatoris tractandum eſſe de controuerſiis obortis Conſtantinopoli inter Flauianũ & Eutychetem. Itaq; ingreſſus Eutyches, libellum fraudulentiſſimũ obtulit: cumq; Flauianus peteret dari locum Euſebio Epiſcopo Dorylæi accuſatori Eutychetis, repulſus eſt, eo prætextu quod non eſſet Flauiani aliquid petere, qui olim iudex, hac autem in Synodo reus aſſiſteret iudicandus vna cum eodem Euſebio.

XI. NEFANDA PSEVDOSYNODI GESTA.

Sed ne diutius immoremur in recenſendis ſingulis præue geſtis hoc conuentu Satanico; qui ſcire cupierit, quibus violentiis ope Comitum ac militum Imperatoris Dioſcorus vſus fuerit, vt non ſolum Eutyches abſolueretur, ſed & impio eius dogmati ſubſcriberetur; damnarenturq; Flauianus, Euſebius, Ibas, Theodoretus, aliique Eutychetis hæreſeos aduerſarii, tam abſentes quam præſentes, quaſi fautores Neſtorii eſſent, ac nonnulli eorum aduerſus Cyrillum ſcripſiſſent: quomodo item eodẽ prætextu damnatus pariter fuerit Domnus Epiſcopus Antiochenus, licet & ipſe in Flauianum & Euſebium (æque ac Iuuenalis, Baſilius, & alii plerique, qui videbãtur eſſe columnæ) impiorum decreto ſubſcripſiſſet: Hæc, inquam, omnia fuſius pertractata reperiet in Actis Synodi *c* Chalcedonenſis, in qua iſtius Epheſini Conuentus cuncta geſta retractata fuere, & condemnata. Sed & eadem Pſeudoſynodo in Flauiani locum à Dioſcoro ſubrogatum eſſe *Anatolium*, ipſius Dioſcori Conſtantinopoli Apocriſariũ; pro Domno vero Antiocheno ſuffectum eſſe Maximum, pro Iba Nonnum, pro aliis itẽ depoſitis alios, ex Liberato *d*, Euagrio *e*, aliisque conſtat. Sicut & literis *f* Pulcheriæ Auguſtæ ad Leonem Papam declaratur, Epiſcopos qui ſubſcribere recuſarunt Eutychetis abſolutioni, & Flauiani damnationi, iuſſos eſſe à Dioſcoro per milites in exilium deportari. Ac denique ipſum Flauianum, quod Sedem Apoſtolicam primo viua voce, deinde etiam ſcripto libello appellaſſet; ab eodem impiiſſimo Dioſcoro per vim ab Eccleſia extruſum, & calcibus appetitum, & agente potiſſimum ſceleſtiſſimo Barſuma Archimandrita, plagis contuſum & catenis conſtrictum perductum eſſe in exilium, ibique multis aliis preſſuris & ærumnis confectum, paulo poſt nobiliſſimam pro egregia defenſione Catholicæ fidei, coronã martyrii promeruiſſe, certum redditur ex Cõciliog Chalcedonenſi, Menologio *h* Græcorum, Marcellino *i* Comite, Liberato *k* diacono, Nicephoro *l* Callisto, aliisque auctoribus.

c *Ibid. Act. 1. & 3.* ANATOLII INTRVDITVR EPISC. CONSTANTIN.

d *Liber. cap. 12.*

e *Euagr. lib. 1. cap. 10.* f *In præamb. Conc. Chalced.* S. FLAVIANI VEXATIO, ET MARTYRIVM.

g *Conc. Chalced. Act. 3. & 4.*

h *Menolog. 18. Febr.*

i *Marcell. in Chron. hoc ann.*

k *Liber. Breuiar. c. 12.*

l *Niceph. 14. hiſt. 47.*

XII. APOSTOL. SEDIS LEGATI MALE HABITI.

Et quod ad ipſos Apoſtolicæ Sedis Legatos; conſtat eoſdem his impietatibus fortiſſime reſiſtentes, peſſime habitos fuiſſe; ac vix vnum ex illis Hilarum diaconum clam fuga lapſum, per incognita & inuia loca Romam peruenille, & omnia Leoni Papæ renunciaſſe. Id enim teſtantur eorumdem ipſorum Leonis & Hilari ad Pulcheriam Auguſtam ea de re ſcriptæ literæ *a*. Cuius etiam Hilari extat hactenus de fuga ſua, & liberatione ope S. Ioãnis Apoſtoli & Euangeliſtæ, antiquiſſimum monumentum in ædicula ab ipſo in honorem eiuſdem liberatoris ſui erecta Romæ in Baptiſterio Conſtantini. Laudatque pariter Theodoretus *b* alium ex iiſdem Legatis, Renatum presbyterũ, de feruenti zelo quo arguit & repreſſit audaciam Dioſcori eiuſque ſectatorum. Sed & quanta mala ab iiſdem Eutychianis reliqui ſanctiſſimi Epiſcopi Confeſſores eadem ex cauſa damnati, perpeſſi fuerint, ex iis meditari poſſum[9], quę vnus ex illis Ibas poſtea queſtus eſt ſe paſſum eſſe; nimirum per quadraginta manſiones per diuerſos ad inuicem ſuccedentes ordines deductum eſſe in exilium, ac viginti & amplius carceres mutaſſe.

a *Leo ep. 16. Hilar. ad Pulcher. in præfat. Conc. Chalced.*

b *Theod. ep. 116.* ALIORVM EPISCOP. ORTHOD. PRESSVRAE. c *in Conc. Chalced. Act. 10.*

Hunc quę tandem conſecuta eſt finem Epheſina Synodus Oecumenica Poſterior; quam improbatam à S. Leone Romano Pontifice, iure maiores noſtri *Prædatoriam* appellarunt, vel LATROCINIVM EPHESINVM: In qua nihil niſi per vim & metum, catenasque & gladios, tentatum & extortum; perfidusque hæretharcha errores ſuos ſtabiliuit: & de qua iidem ipſi qui ſubſcripſerunt Orientalis Eccleſiæ Epiſcopi, repleti ſunt vndique lachrymis, quod tam inique fidem Catholicam prodidiſſent, infamem hæregnauiter reſtituiſſent, & innocentiſſimum Flauianum vtharcham reſtituiſſent, & innocentiſſimum Flauianum vna cum aliis SS. Epiſcopis condemnaſſent. Quorum quidem nonaginta ſex ſubſcriptiones magna cum ignominia recitatæ ſunt poſtea in Concilio *d* Chalcedonẽſi; cum cauſati ſunt, ſe nolentes ſubſcribere, vſque ad veſperam tentos fuiſſe recluſos in Eccleſia, ac demum à militibus cum fuſtibus & gladiis coactos fuiſſe. Quomodo vero Deus hæc tanta facinora in auctores eorum vltus fuerit, dicetur inferius ſuis locis.

d *Ibid. Act. 1.*

XIII. QVALIS EA SYNODVS.

Interea vero Theodoretus Epiſcopus Cyri, cum abſens audiſſet ſe ab ea Pſeudoſynodo fuiſſe depoſitum, appellãs (vti Flauianus fecerat) Romanum Pontificem, quem eſſe ſciret legitimum Iudicem, qui perperam à Synodis quantumuis Oecumenicis facta reſcindere poſſet; honorificam ad eum legationem miſit Hypatii & Abramii Corepiſcoporum atque Alypii Archimandritæ, per quos ſcripſit tũ ad alios quoſdam, tum imprimis *e* ad ipſum Leonem Papam, ac Renatum S. R. E. Cardinalem presbyterum, quem vnum vidimus ex Legatis Epheſinis; enixe rogans, vt quãdoquidem ipſe, poſt tot ac tantos labores aduerſus Gentiles, Iudæos, & omnis generis hæreticos, totis viginti & ſex annis quibus hactenus Eccleſiæ ſuæ præfuiſſet, etiam cum ſanguinis effuſione, & frequentibus vitæ periculis, pro fide Orthodoxæ, quam ſemper & vbique profeſſus eſſet, ac multiplicibus ſuis ſcriptis vniuerſo Orbi manifeſtam feciſſet, defenſione exantlatos, abſens iniuſtiſſime damnatus eſſet: idem Leo Papa dignaretur ipſi appelianti eius rectum iudicium, opem ferre, & Apoſtolica auctoritate præcipere vt Romam conuolaret, etiamſi ab Imperatore prohibitus eſſet egredi è Syria. *Habet enim* (inquit epiſtola ad Renatum) *ſanctiſſima Romana Sedes omniũ per Orbem Eccleſiarum principatum, cum multis aliis de cauſis, tum maxime quod hæretica labis immunis permanſit, & Apoſtolicam gratiam immaculatam ſeruauit.* Ac demum Leonem obteſtatur, vt quãprimum reſcribat, vtrum ipſe Theodoretus ſuæ depoſitioni acquieſcere deberet, an non: obtemperaturum enim ſe illius cuicumque ſententiæ, ac Dei iudicium expectaturum, quandoquidem nõ hæc ipſe ob honorem & gloriam quæreret, ſed ob ſcandalum Eccleſiæ, & ne hæreticus cenſeretur.

e *Theod. ep. 111. 112. Baron. Ann. Tom. VI. hoc ann. ex Bibl. Vatic.*

XIV. THEODORETVS APPELLAT SEDEM APOSTOL.

Hæc & alia Theodoretus tam iiſdem quam pluribus aliis ea de re datis ad diuerſos in Occidentem, atque etiam Conſtantinopolim literis, quas habet codex Vaticanus; omnes haud dubium ab eo ſcriptas antequam à Theodoſio Imp. pro confirmatione Pſeudoſynodi promulgatum eſſet edictum *f*, quo inter alia multa auditu execrabilia, ipſius Theodoreti, perinde ac ſceleratiſſimi Neſtorii, & impuſſimi Porphyrii, ſcripta fuere omnino vetita, incendioque

f *Extat apud Conc. Chalced. Act. 3.*

XV.

damnata;

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IMPIVM THEODOSII IMP. EDICTVM PRO PSEVDOSYNOD. EPHES.

damnata; subque specie confirmandæ Nicænæ fidei, ac damnandæ Nestorianæ perfidiæ (sicut factum fuerat in eodem Conciliabulo) damnati sunt quoque immerito; probataque posteriorque ac prior Synodus Ephesina, ac proinde Eutychiana hæresis validata. Si enim ante datas à Theodoreto superiores literas fuisset eiusmodi sanctio promulgata, quos non ipse clamores iisdem edidisset, & lugubres querelas addidisset? Porro edidit eam Theodosius Eutychianorum artibus circumuentus, atque imprimis Chrysaphii eunuchi; qua omnem gloriam, quam ob pietatem hactenus sincere seruatam idem Augustus fuerat consecutus, penitus labefactauit. Quanta vero constantia hæc omnia Theodoretus pertulerit, nempe damnationem, sedis abrogationem, exilium quoque, (vt ipse testatur in literis ad Anatolium *a* Patricium, & Alexandrã *b* clarissimam fœminam) scriptorumque ex Imperatoris edicto iacturam; ex aliis pluribus ab ipso ad diuersos hoc tempore exaratis ea de re literis intelligi datur. Adeo vt plane quicquid tempore prioris Oecumenici Concilii Ephesini deliquerat, aucto fœnore ex hoc tumultuario Ephesino conuentu persoluerit, stans ante alios in certamine indefessus fidei Catholicæ propugnator. Quem quidem à Sede Apostolica fuisse absolutum, & in sedem suã restitutum, apparet ex Actis Concilii *c* Chalcedonensis: sicut & Eusebium Dorylæi, qui Romam se receperat. Priuilegium namque fuit solius Romanæ Sedis, tamquam quæ præesset Orbi terrarum, (vt loquitur Theodoretus ad Leonem) vt depositus à Synodo Episcopus, absque alia Synodo maioris numeri restitui posset à Romano Pontifice.

THEODORETI CONSTANTIA IN PERSECVTIONE. *a Theodoret. ep.* 119. *b id. ep.* 100.

c Conc. Chalcedon. Act. 1. & 2.

Sed & Leonem Papam, de cunctis rebus Ephesi gestis certiorem factum, habita *Romæ* mense Octobri huius ipsi anni SYNODO Episcoporum Occidentalium, omnia quæ more prædonum perfidi illi Eutychiani, tam aduersus rectam fidem, quam contra Flauianum, aliosque sanctissimos Antistites, præsumpsissent, Pontificio decreto rescidisse, irritaque penitus esse declarasse; constat ex literis *d* ea de re ad Pulcheriam Augustam ab Hilaro diacono scriptis: licet de ea damnatione nulla prorsus mentio habeatur in Synodalibus ab ipso Leone *e* ad Theodosium, eamdemque Pulcheriam, & alios, missis eodem mense Octobris. Quod quidem eo factum putamus, quia Leo voluit ad tempus ea obtegi silentio, quod speraret Vniuersali Synodo in Italia cogenda (quam suis illis literis ab Imperatore expetiit) omnem Orientalium Ecclesiarum ruinam fore resarciendam. Cumque opportune pariter contigisset, hoc eodem tempore celebratæ Romanæ Synodi, in Vrbe esse Imperatorem Valentinianum, vna cum Eudoxia coniuge, & Placidia matre, visitandi gratia Apostolorum sacra Limina; iidem quoque, vt pii Principes, exhorrescentes quæ Ephesi tyrannice facta essent, ad illud immane facinus destruendum singuli singulas dedere ad Theodosium literas; quæ ante Concilium Chalcedonense relatæ habentur, vna cum ipsis Theodosii responsionibus, ex quibus videas quam difficile sit Principes, cum semel tuendam susceperint iniustam causam, ostensa licet veritate in rectum itet reuocari.

d Ext. in praemb. Concil. Chalced.

e Leo ep. 25. 25. 26. 28. 29

VALENTINIAN. IMP. SCRIBIT ADVERSVS GESTA EPHES.

XVI. CONCIL. ROM. PRO ABROGATIONE PSEVDOSYNOD. EPHES.

Cæterum quod de eadem *Galla Placidia* Augusta Valentiniani Imperatoris matre, nulla posthac mentio vsquam habeatur, haud diutius creditur fuisse superstes: fœmina quidem magni consilii, & diuersis agitata casibus, in qua potissimum enituit Christiana religio, (quam & constat fuisse filiam, sororem, vxorem, matrẽ, ac materteram Imperatorum Romanorum.) Maximo vero damno Valentinianum tali orbatum fuisse matre, eius posteriora in deteriùs prolapsa, & in interitum tandem deducta, facile declararunt. Sed & sub huius anni Coss. defunctam esse *Marinam*, Arcadii olim Imperatoris filiam, habet Marcellinus in Chronico: verum mendose ibi legitur, vxor Theodosii, dicenda soror. Eudocia enim vxor Theodosii fuit, eique superuixit. Porro Marina in sanctæ virginitatis professione cum sororibus educata consenuit; admirante plane Orbe terrarum (quod dictum est superius) ipsam Regiam Constantinopoli conuersam fuisse in Monasterium.

XVII. GALLÆ PLACIDIÆ AVG. VIRTVTES, ET HONORVS.

Interea vero nefarius Dioscorus, cum reuersus esset Alexandriam, perinde ac si ad hoc vnum natus esset, vt mortales omnes peccando superaret; colligens paucos secum Episcopos, ausus est in S. Leonem Papam excommunicationis sententiam iaculari, vt testantur Acta *a* Concilii Chalcedonensis, atque Liberatus *b*. In quo tamen illud mirum contigit, vt cui aduersus Flauianum Episcopum Constantinopolitanum Ægyptii, Thraces, ac Palæstini Episcopi (vt scribit idem Liberatus) adhærerent; tamen cum in Romanum Pontificem agendum fuit, vix decem, eosdemque coactos (vt in iisdem Actis continetur libello Theodori) in sui horrendi facinoris consortium pertrahere potuerit. Sed quæ post hæc secuta fuerint, dicetur inferius suis locis.

XVIII. DIOSCORI HORRENDVM FACINVS IN EXCOM. ROM. PONT.

a Conc. Chal. ed. Act. 1. *b Liber. c.* 12.

IESV CHRISTI ANN. 450.

LEONIS ANN. II.

VALENTIN. III. 26. MARCIANI 1.

ANNVS Christi quadringentesimus quinquagesimus, Valentiniano Aug. septimum & Auieno Coss. magna illa pietate insignis Augusta Pulcheria virgo, cum hactenus ob domesticas simultates, vitam agens pene monasticam procul à negotiis sese in Hebdomo continuisset; vbi deesse vidit qui pugnarent prælia Domini, mox instar Deboræ fide armata processit, nec cessauit quousque religionem prostratam erexit: Cui quidem, sicut Nestorii, ita Eutychetis damnationem S. Leo *c* Papa acceptam tulit.

I. PVLCHERIA AVG. AGIT PRO FIDE CATHOL.

c Leo ep. 32. 35. 39. 45.

Sed & Theodosius Imperator, etsi infelix ab Eutychete atque Dioscoro deceptus, ratam habuit Flauiani damnationem; haud tamen cum illis eo impietatis demersus est, vt auctoritatem Romanæ Ecclesiæ contemnendam existimarit: immo eãdem sedium omnium caput intelligens, non prius Anatolium à Dioscoro in locum Flauiani suffectum, stabiliendum putauit, quam id eiusdem Sedis Pontificis probasset assensus: vt constat ex redditis ad illum à Leone *d* Papa sub his Coss. decimoseptimo Calendas Augusti literis. Sed quoniam non vnius Anatolii tantum exploranda fides erat, cum plurima esset lapsorum multitudo; visum est eidem Leoni, (ex veteri Romanæ sedis consuetudine, mittendi Legatos ad erigendam collapsam Orientalem Ecclesiam) dirigere Constantinopolim Legatos à Latere, qui eosdẽ lapsos ad Ecclesiam Catholicam redire volentes probarent. Fueruntque ad tantum opus delecti *Abundius* Comensis Episcopus doctrina & sanctitate celebris, *Asterius* item Episcopus, atque *Basilius* & *Senator* presbyteri; vt de iis omnib⁹ fidem faciũt eædem ad Theodosium literæ, aliæque eodem tempore ad Pulcheriam *e* Augustam & Archimandritas *f* à Leone conscriptæ.

II. THEODOS. IMP. SCRIBIT AD LEON. PP.

d Idem ep. 33

LEGATI A LATERE MISSI CONSTANTINOPOL.

e Ep. 35. *f Ep.* 34.

Interea vero Theodosius gratia cælitus emissa illustratus, sanctæ sororis consiliis acquiescens, ac remedia ab ea ministrata percipiens, multa & admiratione digna in expiationem admissi sceleris præstitit, quæ narrat Nicephorus *g*. Sed quod ait, ab eo S. Flauiani corpus Epheso Constantinopolim translatum esse; erroris arguitur ex epistola Pulcheriæ ad Leonem, de qua postea, vbi habetur expressum, id à Theodosii successore Marciano præstitum esse: sicut neque Ephesi mortuum esse Flauianum constat, vt inde eius corpus transferri oportuerit; quem Marcellin⁹ *h* & alii tradunt obiisse in exilio Epipæ ciuitatis Lydiæ. Sed & quod tradit, ab eodem Theodosio Chrysaphium Eunuchum, omnium malorum auctorem, dignitate ac bonis spoliatum, in insulam relegatum esse, eumdemque ad locum exilii nauigantem in mari mersum occubuisse; Marcellinus & Cedrenus hunc Pulcheriæ iussu neci traditum affirmant. Porro Eudociam quoque Augustam, Flauiani aduersariam, ac Pulcheriæ æmulam, ab eodem Imp. ipsius marito grauiter obiurgatam in Hebdomum relegatam esse scribit: quam postea Hierosolymam nauigasse constat.

III. THEODOS. RESIPISCIT.

g Niceph. lib. 14. cap. 49.

h Marcell. in Chron. & Cod. Vatic. VINDICTA IN CHRYSAPH. EVNVCH.

a *Niceph. lib. cap. 58.*

Additque idem auctor *a*, paulo ante obitum eumdem Theodosium Ephesum petiisse, S. Ioannem Euangelistam honoraturum, templumque illius ingressum, orationi vacantem, quis ei in Imperio successurus esset edoctũ à Deo per visionem fuisse, & Constantinopolim reuersum, in venatione lapsum ab equo, paulo post decessisse, cum antea Pulcheriam admonuisset, Dei voluntatem esse vt Marcianus Tribunitius Imperium capesseret. Hæc Nicephorus: cui adstipulatur Cedrenus, Zonaras tamen ex quorũdam sententia tradit, Theodosium morbo periisse; Theodorus vero Lector in Collectaneis, ipsum ad venationem egressum, & in fluuium Album abreptum, sequenti nocte mortuum esse. Sed quod ad tempus spectat; consentiunt omnes, contigisse eius obitum quarto Calendas Augusti, anno Imperii ab exitu parentis Arcadii quadragesimo tertio per tres menses inchoato, ætatis vero quadragesimo nono. Quæ quidem attemperata misericordia Dei vindictam expertus est, quod datum illi sit ante obitum, admissum facinus intelligere, ac remedia quærere, & in auctorem vlcisci.

THEODOS. IMP. OBITVS.

IV. MARCIANVS CREATVR IMP.

Defuncto autem ipso, voluntate S. Pulcheriæ ex Senatusconsulto delatum est Imperium MARCIANO, genere Thraci, ex infima militia per gradus ad tantam potentiam deuecto: de cuius primordiis, ac signis quæ eius portenderunt Principatum, nos quædam superius, plura vero habet Euagrius *b*. Quod enim nullum hactenus præcessisset exemplum, vt Augusta sola habenas moderaretur Imperii, & ipsa Deo (vt dictum est) virginitatem vouisset, iamque ætate grandior esset; (vtpote quæ ageret annos quinquaginta vnum, nata sub Consulatu Theodori & Eutropii) salubre illud consilium iniit, vt coniugii titulo virum eueheret in Imperium, ætate maturum, consilio grauem, religione eximium, continentia probatum, ac militari virtute vbique spectatum: sicque optimo Imperii regimini opportune consuleret, vt tamen deuotæ Deo virginitatis integritati esset omnino prospectum: haud immemor facti huius dignissimum præcessisse exemplum, cum sanctissima Deipara ita fuit matrimonii legibus iuncta coniugi, vt numquam desierit esse virgo.

b *Euagr. lib. 2. cap. 1.*

QVA RATIONE PVLCHERIA NVPSERIT.

V. AGIT ADVERS. EVTYCHIANOS.

Simulac vero Marcianus creatus est Augustus, nihil antiquius habens quam hæreticos recens obortos vexare, ipsis Calendis Augusti aduersus Eutychianos sanctionem edidit, qua illos pœnis omnibus subiecit, quæ superiorum Imperatorum legibus aduersus alios hæreticos constitutæ fuissent. Rursumque Roman. Pontificis nutu cuncta agere statuens, ad S. Leonem literas *d* dedit de electione sua, & desiderio restituendæ Ecclesiæ. Ac cum interea hæc Legati, quos ad Theodosium idem Leo direxerat, Constantinopolim peruenientes ipsi Marciano reddidissent litteras quæ ad Theodosium scriptæ fuerant; idem iis acceptis iterum ad Leonem rescripsit *e* de cogenda eiusdem Pontificis auctoritate Oecumenica Synodo, vocandisque ab Imperatore in quamcumq; ciuitatem ipsi Leoni videretur Episcopis, à quibus quæ Catholicæ essent fidei, secundum ipsius definitionem declararentur. Inculcauit hæc eadem Pulcheria Augusta aliis ad eumdem Pontificem datis litetis *f*. Ex quibus imprimis videas, pristinum morem Oecumenici cogendi Concilii, ab iisdem piissimis Imperatoribus egregie obseruatum; vt id absque auctoritate Romani Pontificis minime fieret. Nam quid ab aliis Impp. quorum non extant literæ, præstitum sit in hoc munere, ex his Marciani & Pulcheriæ quæ extant intelligi datur. Denique eumdem Marcianum totum intentum componendæ Ecclesiæ dissipatæ, exulantes omnes ex Conciliabulo Ephesino Confessores Episcopos, ad propria reuocari iussisse, & quod gratissimum Catholicis omnibus extitit, S. Flauiani in exilio defuncti corpus solemni pompa Constantinopolim transferri curasse; iisdem suis literis Pulcheria Leoni significauit. De restitutione vero Episcoporum, testis est etiam Theodoretus epistolis *g* hoc eodem tempore scriptis ad Anatolium Magistrum militum, Asparem Gothicæ militiæ Præfectum, & Vincomalum Magistrum Officiorum; quibus eos rogat, vt Imperatori & Augustæ suo nomine gratias agant de solutis exilii vinculis, admonetque quid de futura Synodo eisdem Principibus suggerere debeant.

c *l. vlt. C. de apostat.*
d *Ext. ante Conc. Chalcedon.*
e *Ibid.*
AGVNT APVD LEON. PP. PRO VNIVERS. COGENDA SYNODO.
f *Ext. ibid.*
RESTITVVNT EPISCOPOS EXVLES.
g *Theodor. ep. 119. 140. 141. Rec. Baron. Annal. Tom. VI. hoc ann. ex cod. Vatic.*

Eodem vero tempore iidem qui supra Apostolicæ Sedis Legati, satagentes Ecclesiæ Catholicæ communioni lapsos restituere Episcopos, SYNODVM *Constantinopoli* habuere in qua primum omnium Anatolius eius vrbis Episcopus fidei Catholicæ professionem obtulit, ac deinde alii: statutumque est, vt absentes suam singuli mitterent, vt ab eisdem Legatis examinaretur quę qualisve cuiusque fides esset; secundum quod eis à Leone in mãdatis datum fuerat. Præter quæ, extat etiam eiusdem Synodi Actorum fragmentum in rebus gestis S. Abundii Episcopi Comensis vnius ex Legatis, quo eadem confirmantur. Sed & missam esse ad singulos Metropolitanos epistolam S. Leonis olim datam ad Flauianum, cui omnes subscriberẽt, fidem faciunt quæ habentur post Actionem Quartam Concilii Chalcedonensis in Græcis codicibus in causa Photii & Eustathii. Eidemque epistolæ subscripsisse Anatolium, prædictæ ad Leonem Pulcheriæ literæ testãtur. De Theodoreto vero, Iba, & Aquilino Bibli *a* in Palæstina Episcopo, eidem subscribentibus, testis est epistola Theodoreti ad eumdem Abundium Legatum scripta, quæ habetur in iisdem ipsius Abundii Actis. Etsi enim isti, vt hostes Eutychianæ sectæ passi essent exilium; tamen quod aliquando Nestorio fauissent, male adhuc audiebant apud nonnullos Orthodoxorum: atque ideo, quo se vere Catholicos esse demonstrarent, illi epistolæ subscribere voluerunt. Nam & hac Constantinopolitana Synodo dictum esse anathema tam Nestorio, quam Eutycheti, & omnibus ipsorum sectatoribus, docetur eodem ipsius Actorum fragmento. Sicut & statutum esse, ne in sacris memoratentur nomina Dioscori Alexandrini, Iuuenalis Hierosolymitani, & Eustathii Berytensis, quod impœnitentes essent antesignani schismaticorum; itemque, vt reliquis Episcopis in Conciliabulo Ephesino lapsis, ad communionem Ecclesiæ redire volentibus, suæ tantum, nondum vero totius Catholicæ Ecclesiæ communicatio concederetur; declarat S. Leo *b* epistola ad Anatolium Constantinopolitanum anno sequenti Idibus Aprilis scripta; qua iisdem suam & Ecclesiæ Catholicæ communionem indulsit, confirmans quæ aduersus Dioscorum ac socios statuta essent.

a *Euagr. lib. 1. cap. 10.*
b *Leo ep. 42.*

VI CONCIL. CONSTAN. CVRAM LEGATIS APOSTOL. ADVERS. NESTOR. ET EVTYCH.

His autem feliciter sub Marciano Imp. hoc anno gestis, mox illud magni momenti subsecutum est bonum, vt qui permultos annos assiduis cladibus Orientale Imperium, cum in eo impietas regnaret, Attila Hunnorum Rex labefactasset; simulac restituta est vera religio, ipse sponte ab Oriente recedens, copias conuerterit in Occidentem, vbi imbellem sciret regnare Imperatorem, per Aëtium Patricium bella gerentem. Quid autem illic egerit, dicetur anno sequenti.

VII. ATTILA RECEDIT AB ORIENTE IN OCCIDENTEM.

Hoc interim anno ingentem Famem vexasse Italiam, adeo vt plurimi parẽtes rabida fame pereuntes, coacti fuerint filios ad cibum emendum vendere, testis est Valentiniani Aug. sanctio *c* anno sequenti mense Ianuario edita, qua præcepit licere parentibus redimere filios. Sed & Peste laborasse eamdem Italiam, Gelasius *d* Papa est auctor.

VIII. FAMES ET PESTIS ITALIAM VEXAT.
c *Valentin. Nouell. tit. 11 ap. C. Theod. d G. Iust. in Andron.*

IESV CHRISTI ANN. 451.

LEONIS ANN. 12.

VALENTIN. III. 27. MARCIANI 2.

I. ANNVS CONCILII CHALCED.

ANNVS Christi quadringentesimus quinquagesimus primus, Marciano Aug. & Adelpho Coss. memorabilis extitit Magni CONCILII CHALCEDONENSIS celebratione; de qua nobis ordine breuiter agendum est. Cum igitur Synodum Vniuersalem summa diligentia à Papa Leone Marcianus Imp. expeteret; idẽ Pontifex reuocatis

Romam

Romam priorib⁹ illis Legatis, quos anno superiore Constantinopolim miserat, alios decreuit qui Synodo futuræ interessent; de quibus dicetur inferius.

II. CONCIL. MEDIOLA. DE EPIST. LEONIS PP. DE INCARNAT. VERB.

Reuersis autem prioribus in Vrbem, & inde ad propriας Ecclesias; vnus ex illis S. Abundius Comensis Episcop⁹, egit ex literis S. Leonis cum S. Eusebio Mediolanensi Episcopo, vt prouinciali CONVENTV, quæ scripta esset ad Flauianum de Verbi Incarnationis doctrina, eiusdem Leonis Epistolam publicis scriptionibus se omnes recipere testarentur. quod & impigre curatum esse, apparet ex literis a Synodalibus ad eumdem Pontificem inde exaratis; quibus subscripti reperiuntur viginti Episcopi, & inter eos *Maximus* Taurinensis, cuius cum ob præstantem eruditionem, tum ob insignem vitæ sanctitudinem, celebre est nomen in Ecclesia Dei. Sed corrigendus de illo Gennadius b, dum post recensitas eius lucubrationes, addit ipsum decessisse Honorio & Theodosio regnantibus. Etenim qui huic Synodo Mediolanensi sub Leone Papa hoc tempore celebratæ interfuisse legitur, immo & quem Romano Concilio sub Hilaro Leonis successore præsentem pariter fuisse, eius Acta Concilii declarant; plane longe post Honorii tẽpora supetuixisse oportuit: nisi duos Maximos Taurinenses posueris, quod à nemine dictum reperimus.

a *Ap. Leon. post ep. 12.* DE MAXIMO TAVRINENS. EPISCOPO.

b *Gennad. de Vir. illust. c. 40.*

III. EPISCOPORVM SVBSCRIPTIONVM ORDO.

Sed quod ad prædictam Synodum Mediolanensem spectat; ex serie subscribentium Episcoporum obserua, (quod & in aliis quibusdam Conciliis deprehẽdere licet) non sedium prærogatiuæ, sed temporis quo quisque Episcoporum sedere cœpit, haberi solitam rationem, quod vel hoc vno exemplo intelliges, dum in Concilio Aquileiensi, cui pariter Episcopus Mediolanensis S. Ambrosius interfuit, in ordine subscribentium ante Diogenem Episcopum Genuensem Philastrius ponitur Episcopus Brixianus; in hac vero Synodo primo ponitur Paschalis Genuensis, & post alios Octauianus Brixianus: sicut & Episcopus Vercellensis in imo fere positus reperitur, qui in Concilio Aquileiensi quarto loco collocatus habetur. Cur autem Leo voluerit horum Episcoporum subscriptionibus firmari doctrinam de Incarnatione Verbi; id eo consilio factum est, vt Legati à Latere ad Oecumenicam Synodũ profecturi, de Occidẽtalium Episcoporum suffragio eam vere informate possent. Si quidem erat pristino viu receptum, vt cum Oecumenicum in Oriente Concilium indiceretur, cui haud omnes Occidentales interesse possent; iidem quo aliquo modo & ipsi suum ferrent suffragium, vel Romam (si pateretur opportunitas temporis) ad Synodum conuocarentur, vel præcipiente Romano Pontifice in suis prouinciis conuentus cogerent, & ex iis literas ad eumdem Pontificem darent; qui sic Legatos à Latere non tantum suo, sed totius Occidentalis Ecclesiæ nomine dirigeret. Quod & aliis superius exemplis vidisse licuit.

PARTICVLARES CONVENTVS ANTE SYNOD. OECVMEN.

IV. c *Extant Conc. Chalcedon.* EPISCOPI CONVENIVNT NICÆÆ.

Vt igitur de ipsa OECVMENICA SYNODO agamus; hoc anno, decimo Calendas Iunii, Marcianus Imp. publicam edidit sanctionem c ad omnes Episcopos, qua eos *Nicæam* in Bithynia conuenire voluit ad Calendas Septembres. Qui cum ab eo ad præfinitam diem se contulissent, pluribusque diebus expectassent Imperatoris aduentum, qui se in optatis habere Synodo interesse significauerat; dedere ad eum literas, quibus ob infirmitates & angustias complurium ipsorum, petierunt vt sineret ex more conuentus agi. Ipse vero rescripsit, visum esse Apostolicæ Sedis Legatis, ne absque Imperatoris præsentia Synodus ageretur; seque propediem affore pollicitus est. Cum autem interhæc, perturbati à barbaris Illyricum certior redditus esset, idem aduersus illos expeditionem parans, tamen quod sciret tunc hostes facilius superari, cum primo religioni consultum est, susceptum iam antea institutum de Oecumenico celebrãdo Concilio implere laborauit. Sed quod haud tutum esse videretur, ob bellicas necessitates, Constantinopoli longe recedere, iteratis literis (quarum posteriores d datæ habentur decimo Calendas Octobris) Patres conuocauit, *Chalcedonem*, propinquam Constantinopoli eiusdem Bithyniæ ciuitatem; cui & ipse commode iuxta præsentiam exhibere posset, ne quid tumultus ab Eurychianis (quod Patres timere significauerant) moueretur.

d *Ibid.* IDEM VOCANTVR CHALCEDONEM.

Isti porro improuisi rumores Illyrici per Attilam *Hunnorum*, siue (vt complures maiorum appellare maluerunt) *Chunnorum* Regem excitati fuere. Qui fortissimarum gentium (vt est in Miscella a) quas subiugauerat præsidio fultus, ad Occidentale demoliendum Imperium intendens animum, septingentorum millium exercitum eo duxit: Vir (vt additur) in concussionem Orbis in mundo natus, terrarum omnium metu quoque vulgatus. Namque superbus incessu, huc se & illuc circumferens, vt elatus potentia ipso quoque motu corporis appareret: bellorum quidem amator, sed manu temperans ipse, consilio validissimus, supplicantibus inexorabilis, propitius in fidem semel receptis; forma breuis, lato pectore, capite grandiori, oculis minutis, barba rasus, canis respersus, simus naso, teter colore, originis suæ signa referens. Hæc ille auctor de Attila: qui & subdens de populis qui sub ipso militabant, ait fuisse eius subiectos dominio famosissimum Regem Gepidarum Andaricum, ac Walamirem Gothorum Regem Gepidarum Andaricum, ac Walamirem Gothorum ipso cui seruiebat nobiliorem; necnon fortissimas gentes Marcomannos, Sueuos, Quados, Herulos, Turcilingos, siue Rugos cum propriis Regulis, aliasque barbaras nationes in finibus Aquilonis commanentes. Horumque omnium Attilam superbum imperio, quamquam robore facile se adipisci putaret quod cuperet, tamen astutia potius quam armis hostes aggredi sategisse. Addit vero & his barbaris alios Sidonius b Apollinaris, quos secum Attilam ductasse ait. Constatque eum ex prædictione cuiusdam sanctissimi viri, cognominari voluisse FLAGELLVM DEI, quod nimirum à Deo missus esset vltor scelerum peccantium Christianorum, instar Assur, qui *Virga furoris Domini* c est nominatus.

a *Miscell. lib. 15.* ATTILÆ MORES, EFFIGIES, ET POTESTAS.

b *Sidon. Panegyr. de Anth.* DICTVS FLAGELLVM DEI. c *Isai. 10.*

V.

VI.

Sic igitur ferocissimus barbarus in Occidentem properans, non quidem ex pactione inita cum Theodorico Veronense, & Anthemio qui postea imperauit, Danubiani limitis Ducibus, (quod somniauit Auentinus d, æque imperitus atque impius) sed numerosissimo truculentorum barbarorum pollens exercitu, instar fulminis quæque obuia diiecit; ac præcipue Gallias diritissima clade affecit, omnia sacra profanaque, homines & ædificia promiscue deuastans: cum tamen quædam loca fuerint diuersorum Sanctorum tam in cœlis iam triumphantium, quam adhuc in terris militantium, intercessionibus illæsa custodita: puta Oratorium e S. Stephani Metis, ipsiusmet Protomartyris precibus; ciuitas Parisiensis, sanctissimæ Virginis Genouefæ f orationibus; vrbsque Trecensis, interuentione S. Lupi g eiusdem tunc Episcopi, quem & Attila magnę habuit veneration. Tradunt h enim nonnulli, Lupum habitu indutum Pontificali, cum multitudine cleri Attilæ ad excidium illius vrbis aduenienti obuiam factum, interrogasse quisnam ipse esset, qui tot deuictis Regibus, nationibusque ac populis prostratis, & vrbibus euersis, cuncta sibi subderet; eoque respondente, se esse Flagellũ Dei, tunc Lupum dixisse: *Et quis mortalium Dei Flagello resistet? Veni igitur Dei mei Flagellum, illoq; vtere vt Deus concedit.* atque ad ea verba barbarum emollitum, Trecensem vrbem illęsam pertransisse. Sed habent i alii, cum ferox barbarus delere omnino ciuitatem proposuisset, diuina virtute cum ipsum tum eius exercitum veluti cæcitate percussos, neminem videntes transisse per mediam ciuitatem, sicque vrbem saluatam esse. Verum de hoc auctorem aliquem veterem non inuenimus. Extantque Acta martyrii S. Nemorii eius Ecclesiæ Archidiaconi & sociorum, quæ illos ab Attila occidi iussos referunt.

d *Vide Mari Vel. histor. August. Vindel. lib. 8.* CLADES GALLIAR. ABIO.

e *Greg. Tur. 2. hist. Fran. 6.* f *Act. S. Genouef. ap. Sur 3. Ianuarij.* g *Act. S. Lupi ap. Sur. 29. Iul.* h *Nicol. Olah. in Attil. c. 9.* RES GESTÆ LVPI TRECENS. CVM IODEM. i *Petr. Catal. lib. 6. c. 1. & alij.*

VII.

De Vasatensi quoque vrbe, ab Hunnica clade magno Dei beneficio liberata, testis est Sigebertus k: post quod & illud mirabilius actum esse tradit, vt cũ Episcopus pro gratiarum actione Missam populo celebraret, videret super altare quasi de cameta templi cadere æqualiter tres guttas æqualis magnitudinis crystallo clariores; quæ simul defluentes in vnum coniunctæ, quasi vnam gemmam pulcherrimam effecerunt: quam cum in medio Crucis aureæ posuisset, aliæ gemmæ ceciderunt: seorsum vero positam infirmis dabat sanitatem, adorantibus autem Imaginem S.

k *Sigeb. in Chron. an. 453.* [Ex Greg. Turon. c. Miracul. 13. qui tamẽ id ab Gallico Rege contigisse scribit, cum Sigebertus Regis nomẽ taceat.] MIRACVLO IN CONFIRMATIONEM FIDEI CATHOLICÆ FACTO.

Crucis angebat deuotionem: quia piis & mundis clara, immundis obscura videbatur. Hæc Sigebertus; eam asserens occasionem miraculi, quod Arianismo regio illa nõnihil ob Gothos illic versantes infecta esset.

VIII.

Cæterum post magnas vbique illatas clades, Attila cũ tandem Aurelianum obsedisset, vrbem munitissimam; iamque oppugnasset, atque etiam (vt Sidonius *a* tradit) in eam irrupisset: interrumpẽte repentino Aëtii Patricii, Imperatoris Valentiniani in Gallia ducis aduentu, vna cum Theodorico eiusque filio Torismundo Regibus Gothorum, & copiis auxiliaribus Francorum vna cum eorum Rege Meroueo; (quos omnes aduersus Attilam communem hostem, cum Romanis Auitus Præfectus Galliarum fœdere iunxerat) idem Attila nõ solum ab vrbis diteptione remotus est *b*, sed & postea ingenti prælio in campis Catalaunicis debellatus, (qua pugna centum octoginta millia ex vtraque parte, atque inter eos ipsum Regem Theodoricum cecidisse volunt) fuga sibi consuluit. Quæ quidem tanta, orationibus sanctissimi Aniani Aurelianẽsis tunc Episcopi obtenta esse, omnes consentiunt. Post hæc vero Attila collectis copiis quibus abundabat, prudenti consilio ditimens bellum, Galliamque deserens, se contulit in Illyricum, in Orientem reuersurus: sed à Marciani Imp. exercitu repulsus, inter fines Veneticos ad sequentis anni bellum consedit. Sicque ex insperato Romano Orbe pacato, summa pace celebratum est Concilium Chalcedonense, de quo iam cœptum erat agi.

a *Sidon. 8. ep. 15.* ATTILA VINCITVR IN GALLIA.

b *De hỹ vide Sidon. Panegyr. Auiti. Greg. Tur. Hist. Franc. lib. 2. c. 7. Cassiod. in Chron. Acta S. Aniani. ap. Sur. 7. Nouemb. Isid. in Chron. Gothor. Miscell. lib. 15. Sigeb. an 453 & Franc. hist.*

IX.

Hoc igitur anno, iisdemque Coss. Marciano atque Adelphio, Indictione quarta, mense Octobris CHALCEDONE conuenit ad SYNODVM OECVMENICAM celebrãdam ingens numerus Episcoporum. Sexcentos enim ac triginta fuisse, plerique auctores *c* tradunt: Nicephorus *d* etiam sex addit, vt duplicetur numerus eorum qui Synodo interfuere Nicænæ: S. vero Leo *e* sexcentos ferme fuisse ait. Quapropter cum in prima eiusdem Concilii Actione trecenti quadraginta quinque tantummodo scripti legantur, immo nonnisi trecẽtorum numerum subduxerit qui eadem Acta edidit; dimidiam ferme partem in eis desiderari certum est.

SYNODVS OECVMEN. CHALCED.

c *Marcellin. Chron. Liber. Breuiar. cap. 13. Phot. de sept. Synod. cap. 4. & alij fere omnes.*

d *Niceph. lib. 15. cap. 2.*

e *Leo ep. 32. ad Epis. Gal.*

X.

Collectum porro fuit Concilium, non intra mœnia ipsius Chalcedonensis ciuitatis, sed in suburbiis in amplissima basilica S. martyris Euphemiæ, olim sub Diocletiano passæ, quam Euagrius *f* graphice describit, vna cum eiusdem Sanctæ miraculis, & guttis sanguinis atque odore mirifico ex sacris ipsius Reliquiis procedentibus. Omnes autem Episcopos consedisse ante cancellos sacri altaris, eiusdem Synodi Acta tacpius docent, quem locum Liberatus *g* *Secretarium*, indeque singulas Sessiones ibidem habitas, *Secretaria* appellat. Moris namque fuisse vt in basilicarum Secretariis Concilia Episcoporum celebrarentur, plura demonstrant exempla Ecclesiæ Africanæ, vbi Concilia Carthaginiensia in Secretariis celebrata esse reperies; necnon Romanæ sub Martino, & aliarum pariter Ecclesiarum. Eũdem vero locum Eusebius *h* & Euagrius *i* *Sanctuarium*, siue *Sacrarium* nominarunt. Harum namque, ac Secretarii, vocum eamdem esse significationem, sed & alia appellatione à Græcis *Diaconium* dici, docent canones & Concilii Laodiceni. Eo enim loco disponi consueuisse sacra vasa ad ministerium, & sacros codices ad lectionem, ostendit Paulinus *l*, fuisseque intra apsidem, haud obscure significat. At de loco satis.

f *Euagr. lib. 2. cap. 3. & Niceph. lib. 18. cap. 31.*

g *Liber. cap. 13.*

SYNODI IN SECRETARIIS.

h *Euseb. 10. hist. 4.*

i *Euagr. d. c. 3.*

k *Conc. Laodic. c. 21 secunda edit. & cap. 50. prim. edit.*

l *Paulin. ep. 12. ad Seuer.*

Quod ad personas attinet; imprimis constat ex literis *m* Leonis Papæ, pro Apostolica Sede ab ipso Leone & Occidentalibus omnibus Episcopis, Legatos quatuor ex Synodo Romana missos, *Paschasinum* Lilybæi in Sicilia Episcopum, ac *Lucentium* Asculanum, cum *Bonifacio* atque *Basilio* S.R.E. Presbyteris Cardinalibus. Verum quoniam de Basilio in Actis Synodi Chalcedonensis nusquam mẽtio, neque apud aliquem alium antiquorum scriptorum expressus habetur; coniectura ducimur, eum ante coactã Synodum defunctum, remanentibusque Paschasinum, Lucentium, & Bonifacium. Præter quos, voluit etiam Leo *Iulianum* Coënsem Episcopum, solitum in Oriente agere res Ecclesiæ Romanæ, in eadem Synodo Legati munere fungi, vt ex eiusdem S. Leonis litteris, & Episcoporum

XI.

LEGATI EX OCCIDENTE.

m *Leo ep. 43. & 49. ad Marcian. & 47. ad Synod.*

subscriptionibus liquet. De quo Iuliano & illud considerandum, quod licet homo Græcus, & Græcam linguam egregie *a* callens, atque inter Græcos loquens; tamẽ per interpretem in Synodo *b* locutus reperiatur. Quod quidem non aliunde accidisse certum est, nisi quia (vt alias dictum est) ob excellentiam Romanæ Ecclesiæ, moris erat Legatorum Sedis Apostolicæ, Latine semper & vbique loqui.

a *Idem ep. 56 & 69.*

b *Conc. Chalcedon. Act. 1.*

XII.

ACTI INSIGNIORES EPISCOPI.

Sed vt ad Synodi personas redeamus; haud defuit etiam ex Africana Ecclesia legatio, licet Wandalica persecutione assidue vexaretur: missi sunt enim *Aurelius* Adrumetinus, & *Rusticus* Episcopi. Atq; item pro Saracenis Antistites adfuerunt *Eustathius* & *Ioannes*; pro Siculis *Ioannes* Messanensis. Aduenerunt insuper & hostes Catholicæ fidei, qui simul conspirarunt contra S. Flauianum, *Dioscorus* Alexandrinus & *Iuuenalis* Hierosolymitanus. Veniq; etiam *Dominus* Antiochenus iam priuatus, & qui eius loco suffectus fuerat *Maximus*: itemque subrogatus in locum S. Flauiani *Anatolius* Constantinopolitanus, iam à S. Leone Papa Catholicæ reconciliatus Ecclesiæ. At inter reprehenditur ab Euagrio *c* Zacharias Rhetor, cum affirmat ad hãc Synodum accersitum quoque Nestorium. Manauit enim inde errandi occasio, quod inter alios Episcopos recensitus legatur *d* *Nestorius*, sed Phanagoriæ ciuitatis Episcopus, longe alius à Nestorio hæresiarcha. Denique præsto fuit *Marcianus* Imperator, vna cum *Pulcheria* Augusta, & aliis Imperii Magistratibus.

c *Euagr. lib. 2. cap. 2.*

Conc. Chalced. lib. 3. in pr.

XIII.

CONSESSVS SYNODI.

Consessum autem ita dispositus reperitur *e*, vt inter apsidem atque cancellos Patribus constitutis, à læua parte sederent Apostolicæ Sedis Legati, & post eos Constantinopolitanus, Antiochenus, & alii Episcopi; à dextris autem Dioscorus Alexandrinus, Iuuenalis, Hierosolymitanus, ac subinde reliqui: in medio vero super thronum sacrosancta Euangelia ex more posita. Imperator autem & Augusta, quando adfuerunt, vna cum magistratibus, iisdemque delectis Iudicibus Cognitoribus, (de quorum in Synodis functione dictum *f* est alias) sedem habuit ante cancellos. Sed vt intelligas Legatos in sinistra vt nobiliori parte locatos, consule quæ dicta sunt abunde superius in Nicæno *g* Concilio de ratione dignitateque sinistræ.

e *Idem ep. 56 & 69.*

f *Supra ann. 451. num. 18.*

g *Ann. 325. num. XVII. XVIII.*

De tempore porro quo Synod^{s} cœpta & absoluta fuit; ex eiusdem liquet Actis, inchoatam esse octauo Idus Octobris, absolutam vero Calendis Nouembris: quo medio tempore, duodecim diebus duodecim *Sessiones*, siue Secretaria esse habita, Liberatus *h* testatur. *Actiones* vero in eis habitas numerat ipse quindecim: sed tam Latina quam Græca exemplaria sexdecim continent; cum tamen ob deprauatos codices, interdum ex Græco corrigendus sit Latinus textus, & ex Latino Græcus; habeanturque Actiones in codice Græco, quæ in Latinis desiderentur. Nos autem ex vtroque textu, quid singulis diebus gestum sit, Sessionis nomine suo ordine recensentes, tredecim numeramus totidem diebus celebratas: sed quod sub vnius diei Sessione plures interdum inueniantur celebratæ Actiones, extant omnes septemdecim; absque illa spuria & clandestina ab Anatolio furtim adiecta. Quas vero diuersis diebus celebratas reperimus Actiones, eaſdem ad confusionem vitandam, sub suis singulis reponimus Sessionibus, secuti Liberatum; addentes tamen quæ ipsum prætermisisse deprehendimus ex Græcis Codicibus.

XIV.

NVMERVS SESSIONVM ET ACTIONVM.

h *Liber. cap. 12.*

Quod igitur ad Primam pertinet Sessionem; imprimis Apostolicæ Sedis Legati dixerunt, habere se in mandatis ab eodem *Apostolico* (vt vocant) *Papa Vrbis Romæ quæ est caput omnium Ecclesiarum*, vt Dioscorus non sederet in Concilio, quod ausus esset Synodum congregare absque Sedis Apostolicæ consensu; quod numquam antea factum esset, nec rite fieri posset. Quibus auditis, factum est interlocutione Iudicum Cognitorum, vt è Patrum consessu dimotus Dioscorus, reus in medio constitueretur; iudicium subiturus. Admissoque post hæc in Synodum (reclamantibus licet Ægyptiis, Palæstinis, & Illyricis Episcopis, qui eum Nestorianum esse calumniarentur) *Theodoreto* Cyri Episcopo, quem Leo Papa Ecclesiæ suæ restituisset, & Imperator adesse sanxisset; sed & lecto libello Eusebii Episcopi Dorylæi aduersus Dioscorum; atque recitatis Actis Con-

XV.

MARCIANVS PER ARBITRIO ROMANO PONTIFICIS VOLUIT PER AGI SYNODVM.

DIOSCORVS ALEXANDRINVS REVS CONSTITVITVR.

Conc. Chalcedon. Act. 1. Euagr. lib. 2. cap. 4.

ciliabuli

DAMNANTVR EPISCOPI PSEVDOSYNOD. EPHES.

ciliabuli Ephesini, necnon Synodi Constantinopolitanæ aduersus Eutychetem: de omnium Patrum sententia Iudices pronunciarunt damnationem Dioscori Alexandrini, Iuuenalis Hierosolymitani, Thalassii Cæsariensis Cappadociæ, Eusebii Ancyrani, Eustathii Berytensis, & Basilii Seleucien sis, qui cum ipso Dioscoro præfuerant improbo Ephesino conuentui; ac eorum quos iidem damnassent, absolutionem. Et consecuta est pro gratiarum actione, & Dei laudum celebratione, sacri Trisagii acclamatio: additæque aliæ faustæ pro Imperatore, ac diræ in Dioscorum. Sicque Prima Sessio finem accepit.

XVI.

Secunda vero, habita sexto Idus Octobris, tractatum est de Fide, lectaque sunt Concilii Nicæni, ac Constantinopolitani Oecumenici Symbola, & binæ S. Cyrilli Alexandrini literæ, necnon S. Leonis ad Flauianum Epistola, quam mirificis laudibus Patres prosecuti sunt: ac post conclamationes aduersus Dioscorum, Sessio dimissa est.

XVII.

LAICI NON DEBENT INTERESSE IVDICIIS ECCLES.

Tertia, habita tertio Idus Octobris, fuit tantummodo Episcoporum absque Imperatore ac Magistratibus sæcularibus, quos noluerunt Patres ei interesse, eo quod in ea tractandæ esset Dioscori damnatio secundum canones Ecclesiasticos. Quapropter recitatus est primo loco supplex libellus Eusebii Dorylæi, quo Acta Ephesina damnari ipsumque Dioscorum deponi petebat. Et quamuis ista iam in priori Synodi Actione facta videri possent interlocutione Iudicum Cognitorum; vt tamen legitima seruaretur ab ipsis Episcopis secundum Ecclesiasticas regulas forma Iudicii, idem Dioscorus citati iussus est, qui absens domi erat custoditus à militibus ne fugam arriperet. Cum autem bis per Episcopos ad eum missos citatus, cõparere recusasset, nisi adessent in Synodo Iudices sæculares, qui antea causam tractare cœperant; respondente Cecropio Episcopo Sebasteno, vno ex iis qui ad ipsum vocandum missi fuerant, *Quando quædam regularia* (hoc est Ecclesiastica) *negotia examinantur secundum canones, neque Iudices alios, vel laicos interesse oportere*; (Ex quibus vides, quantum sibi laici, ipsi Iudices sæculares, siue in Synodis, siue aliis Ecclesiasticis causis deberent vendicare,) post eorum ad Synodum relationem, iussi sunt legi varii libelli aduersus eũdem Dioscorum à diuersis clericis, aliisque Alexandrinis, oblati Synodo, omnes huiusmodi inscriptione notati, *Sanctissimo & beatissimo Vniuersali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni, & Sancto & Vniuersali Synodo Chalcedonensi.* Quibus cum accusaretur quod Origenista esset hæreticus, & blasphemus in sanctissimam Trinitatem, & homicida, & incendiarius, ac vita turpissimus; quodque viuos bonis ac dignitatibus spoliasset, defunctos consuetis officiis fraudasset; sed & tyrannidem in Ægypto diuersis ausibus aduersus Imperatorem affectasset; ac demum Leonem Romanum Pontificem excommunicare præsumpsisset: placuit Patribus, vt is adhuc tertio vocaretur per libellum conscriptum, eiusmodi responsurus accusationibus. Verum illo penitus refragante, cum nihil reliquum esset ad eius excusationem; tunc Apostolicæ Sedis Legati, Leonis Papæ nomine sententiam tulere, qua eumdem Dioscorum omni Episcopali dignitate & sacerdotali ministerio spoliatum declararunt; eique sententiæ vniuersi Episcopi subscripsere; nempe post Legatos, primo Anatolius Constantinopolitanus, inde Maximus Antiochenus, ac subinde reliqui, singuli singulis impium Dioscorum perstringentes sententiis. Moxque S. Synodus ea de re Synodalem epistolam ad Valentinianum & Marcianum Impp. & aliã ad Pulcheriam Augustam scripsit: publicumque proposuit de Dioscori damnatione decretum, quod & ipsi Dioscoro significandum curauit; ac de eodem literas dedit ad Cletum Alexandrinum. Quæ omnia Tertia Actione contenta habentur.

ROM. PONTIF. VNIVERSALIS PATRIARCHA.

DIOSCORVS DAMNATVR.

XVIII. ÆGYPTII EPISCOP. RECVSANT SVBSCRIBERE LEONIS EPISTOLÆ.

Quartæ, celebratæ decimo sexto Calendas Nouembr. interfuerunt cum Episcopis Iudices quoque Cognitores: vbi proposita rursum illorum causa Episcoporum, quos cum Dioscoro in prima Actione damnatos vidimus; iidẽ veniam petentes, post rectæ fidei subscriptionem, damnationemque contraria sentientium, admissi sunt ad Synodum, & Ecclesiæ reconciliati. Post quos ingressi Episcopi Ægyptii, anathema vix tandem Eutycheti dicere compulsi sunt; subscribere vero Leonis epistolæ omnino detrectarunt, quousque nouus Alexandrinus Episcopus creatus esset; eo vsi prætextu, quod moris esset Ægyptiis Episcopis, sequi in subscriptione Alexandrinum; seque magno periculo id tentaturos, ob alios Ægypti Episcopos: quorum supplicibus votis annuit Synodus, cautione adhibita, ipsos non recessuros Chalcedone donec electus esset nouus Episcopus. Sicque clausa est Actio Quarta.

XIX.

In Græco vero codice, ante eam ponitur Actio Synodalis de Archimandritis, qui in Pseudosynodo fauerant Eutycheti atque Dioscoro, distincta ab aliis vel superioribus vel posteriotibus. Verum Latinis exemplaribus magis in his deferendum putarem, ea potissimum ratione, quod non sit credendum, Archimandritas hæreticos auditos esse antequam lapsorum Episcoporum causa pertractaretur. Quod autem ad eosdem spectat Archimandritas; cum ipsi adhuc pro Dioscoro preces offerrent, & sub mentito pallio Nicenæ fidei, omnes alias fidei expositiones respuere profiterentur; tridui eis spatium à Synodo datum est ad resipiscendum, & Catholicæ fidei aduersus Eutychetem subscribendum:

ARCHIMANDRITAE HAERET. CAVSA.

XX.

Habet insuper Græcum exemplar amplius quam Latinum, Quintam Sessionem, continentem duas Actiones vna eademque die habitas, nempe decimotertio Calend. Nouembris. In quarum priori actum ponitur de iisdem Archimandritis Eutychianis, qui libellum Marciano Imperatori obtulerant, vt sibi liceret de fidei veritate cũ Catholicis disputare coram ipso Imperatore. Quibus cum Marcianus respondisset, ipsos debere ad Synodum accedere, vt ab ea discerent quid sequendum esset, se autẽ nolle his rebus se immiscere, sed tantum Synodi decretis stare: (Dignissimum plane exemplũ, quod Principes sequantur cum ab hæreticis frequenter interpellantur de concedendis disputationibus de Christianæ fidei veritate:) his ad Synodum ipsius Imperatoris nomine relatis, magnis ei præconiis (vt par erat) acclamatum est.

MARCIANI IMP. RELIGIO.

XXI.

Posterior autem eius diei Actio tractationem continet obortæ controuersiæ inter Photium Episcopum Tyri & Eustathium Beryti. Cum enim secundum veterem per canones factam prouinciarum distinctionem, Tyria Ecclesia præesset iure Metropolis Primæ Phœniciæ; accidit vt Imperator contra Nicæni a Concilii statutum, quo iubetur vnum vniuscuiusque prouinciæ esse debere Metropolitanum Episcopum, pragmatica sanctione aliam fecerit eiusdem prouinciæ Phœniciæ diuisionẽ, ex qua complures ciuitates quæ subiacebant Tyriæ, sub Beryti Ecclesia ponerentur: quæ etiam diuisio confirmata fuerat iudicio Anatolii Constantinopolitani, aliorumque cum eo residentium Episcoporum. Hic vero in Synodo Oecumenica, eodem petente Photio, causa retractata; tes a Patribus, ex consensu & approbatione Iudicum Cognitorũ, in pristinum statum restituta est: non obstantibus pragmaticis Imperatorum sanctionibus; quas *contra canones nihil valere*, acclamatum est ab omnibus, simulque vniuersa petente Synodo, ab iisdem Imperialibus Iudicibus statutum, vt *vbique cessarent quæcumque Imperatorum pragmatica, quæ in detrimentum canonum facta essent in quibuscumq; prouinciis.* Dignum rursum plane factum, quod imitari debeant omnes Christiani Principes, sequi etiam ipsorum Iudices, cum causam in iudicio agi contigerit, cui altera ex parte faueant sæculi leges, repugnet vero ex altera canon Ecclesiasticus. Habẽt & sacræ religionis Antistites, non vnius tantum vel alterius Episcopi, sed Synodi Oecumenicæ sexcentorum amplius Episcoporum egregium exemplum, non turpiter adulatione molliri, frangique potentia Principum, sed aduersus eorum leges pro defensione sacrorum canonum acerrimos insurgere vindices.

CANONES PRÆVALENT LEGIB. IMPP.

XXII.

Sexta Sessione, celebrata vndecimo Calend. Nouembris, per Asclepiadem diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ recitata est Fidei Catholicæ definitio: quæ quãuis haud hæretica vel erronea esset, tamen quod minus perfecta videretur, nec satis sufficiés ad damnandas hæreses Eutychetis, explosa est imprimis ab Apostolicæ Sedis Legatis, vetitaque Actis inseri. Porro eius construendæ

architectus compertus est fuisse Anatolius Constantinopolitanus Episcopus, adhuc Dioscori sui, cuius fuerat Apocrisiarius, non oblitus: quippe qui & hac Sessione coram adeo numeroso Patrum conuentu, eam effutire sententiam non est veritus, Dioscorum non propter fidem damnatum esse, sed ob excommunicationem in Romanũ Pontificem temere promulgatam. Quamobrem Apostolicæ Sedis Legati contestati sunt, nisi à cunctis rursum consentiretur Leonis epistolæ, fore vt relictis omnibus inde ipsi recederent, ac Synodum Oecumenicam in Occidente celebrarent. Id ipsum pariter Cognitores Iudices confirmarunt; & quod re vera Dioscorus esset hæreticus Eutychianus, prudenter sunt interlocuti. Eaquere à Patribus vna voce approbata, conscripta est recta & omnibus numeris absoluta fidei definitio; qua post trium Oecumenicorum Conciliorum, Nicæni, Constantinopolitani, atque Ephesini, professiones fidei, itemque SS. Leonis & Cyrilli aduersus Nestorium & Eutychetem epistolas confirmatas; quæstionem de Duabus Christi Naturis in Vna Persona, sic Patres expresserunt: *Sequentes igitur sanctos Patres, vnũ eumdemque confiteri Filium, Dominum nostrum* IESVM CHRISTVM, *consonanter omnes docemus, eumdem perfectum in Deitate, eumdem perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum, eumdem ex anima rationali & corpore, Consubstantialem Patri secundum diuinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem absq; peccato. Ante sæcula quidem à Patre genitum secundum Deitatem, in nouissimis autem diebus eumdem propter nos & propter nostram salutem ex* MARIA *Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem, vnum eumdem Christum Filium, Dominum Vnigenitum in duabus Naturis inconfuse, immutabiliter, indiuise, inseparabiliter agnoscendum: nusquam sublata differentia Naturarum propter vnitionem, magisq; salua proprietate vtriusq; Naturæ & in vnam Personam atq; subsistentiam concurrente: Non in duas personas partitum atque diuisum, sed vnum eumdemq; Filium Vnigenitum Deum Verbum Dominum* IESVM CHRISTVM, *sicut ante Prophetæ de eo, & ipse nos* IESVS CHRISTVS *erudiuit, & Patrum nobis Symbolum tradidit.*

FIDEI DEFINITIO.

XXIII. Septimæ Sessioni, habitæ octauo Calendas Nouembr. nimirum ipsa die natali eiusdem, in cuius basilica agebatur, gloriosissimæ virginis & martyris Euphemiæ, atque Callinici martyris; ob diei celebritatem præsto fuit Marcianus Imperator, simulque Pulcheria Augusta, vna cum Magistratibus solitis interesse Comitiis. Vbi postquam idem Imp. perorauit Latine primum (more maiorum, ob Romani Imperii dignitatem, sicut dictum est in Concilio Nicæno) ac subinde Græco sermone, de sua pro fide Catholica & pace Ecclesiæ solicitudine, quodque ad confirmandam fidem, non ad ostendendam virtutem, exemplo Constantini Imp. adesse Synodo cogitasset; ac post fauitas acclamationes ad eosdem Imperatorem & Augustam à Patribus ingeminatas; lecta est definitio Fidei in superiori Sessione conscripta, eidemque Episcopi omnes subscripsere, & anathema Nestorio, Eutycheti, atque Dioscoro dixere. Ipse autem Imperator pro eiusdem definitionis custodia & obseruatione, viuæ vocis oraculo aduersus distodia & obseruatione, viuæ vocis oraculo aduersus disputantes vel turbas concitantes pœnas apposuit.

CONCIO LATIN. ET GRÆC. *Qua de re vide etiam sup. an. 325. XIX & an. XIII. 451. XI*

XXIV. ASSERTVM MIRACVLIS DE CONFIRMATIONE FIDEI.

Quod vero apud nonnullos Græcos auctores legitur, cum prædictam fidei definitionem hæretici suscipere recusarent, eamdem ex partium consensu positam fuisse supra sacras Reliquias martyris Euphemiæ, & ab ea diuinitus confirmatam: quandoquidem id Constantinus *a* Episcopus atque Nicephorus *b* dicunt accidisse tempore ipsius Synodi; iidem ex eius Actis tunc exacte conscriptis refelluntur fatis: haud enim res tanta silentio sepulta prorsus relicta esset: longeque insuper longius abest, vt Patres in Cõciliis Oecumenicis ex miraculis quæsierint dogmatum veritatem, quam ex diuinis imprimis Scripturis, & antiquis Ecclesiæ Traditionibus, ac demum ex SS. Patrũ assertionibus, quærere, proponere, & stabilire consueuerunt. Sed quod Zonaras *c* & Glycas *d*, post Concilium ab Anatolio Episcopo Constantinopolitano id factum tradunt, dum in vrbe Constantinopol. tumultuarentur Eutychiani; ipsis haud penitus refragamur, cum alia plura nõ desint eiusmodi exempla, quibus sæpe à sanctis viris, priuato diuini Spiritus instinctu, altercationes insuperabiles cum hæreticis obstinatissimis semel susceptæ, eiusmodi miraculorum virtute fuere extinctæ, & populi titubantes confirmati.

a Const. Episcop. orat. de Inuent. Reliq. S. Euphem. ap. Metaphr. 11. Iul.
b Niceph. lib. 15. c. 5.
c Zonaras Tom. 3.
d Glyc. Annal. part. 3.

Cæterum cum post eiusdem fidei Catholicæ Episcoporum subscriptionem, & Imperatoris confirmationem, idem Imperator haberet in animo quædã capitula Christianæ religioni proficua sancire; abstinens tamen ipse, *decorum* (vt ait Synodum alloquens) *esse iudicauit, ea regulariter formari per Synodum, quam Imperatoria lege sanciri.* Fuit autem primum capitulum omni acceptione dignissimum, quo ad tollendos pseudomonachos, quorum causa adeo pestilens hæresis Dei Ecclesiam infestaret, decerni petiit eos in omnibus esse subiectos Episcopis, nec monasteria absque Episcoporum consensu ædificare, nec adscisscere adscriptitios seruos absque dominorum voluntate, neque immiscere se negotiis Ecclesiasticis vel Reipublicæ, sed intra monasteria vacare ieiuniis & orationibus. Secundũ capitulum fuit, vt pariter vetaretur, ne quis alienum clericum susciperet: idque ad cohibendam inconstantiam clericorum, extra Ecclesias suas vagantium. Postremum vero fuit, vt Chalcedonensis ciuitas ad honorem S. martyris Euphemiæ, Metropolis consequeretur nominetenus dignitatem, absq; præiudicio ciuitatis Nicomediensis. Quibus omnibus Patres annuerunt: sicq; præsentis diei Actio finem accepit.

XXV. PETITIONES MARCIANI IMP. À SYNODO.

Sub Octaua autem Sessione, quæ celebrata fuit septimo Calendas Nouembris, tres reperiuntur habitæ Actiones. Quarum prima composita est controuersia inter Episcopos Antiochenum & Hierosolymitanum: iudicataque causa, datæ sunt Antiochenæ sedi duæ Phœniciæ atque Arabia, Hierosolymitanæ vero tres Palæstinæ. Ex quibus perspicue apparet, ius Metropolis Palæstinæ, quod erat Cæsariensis Ecclesiæ, in Hierosolymitanum esse translatum; adeoque Iuuenalem eius ciuitatis Episcopum iam perfecisse, quod antea hac in re tentauerat in Ephesina Oecumenica Synodo. Sed quod hoc in præiudicium verteretur aliarum Ecclesiarum; ne id executioni mandaretur interfuisse Leonem Papam, constat ex epistola ab eo postea scripta *a* ad Maximum Episcopum Antiochenum. Nec ante Quintam Synodum, pacifice potuit Ecclesia Hierosolymitana eiusmodi gaudere priuilegio. Porro secunda Octauæ Sessionis Actione, Theodoretus Cyri Episcopus, à Dioscoro in conuenticulo Ephesino depositus, & tamquam si Nestorianus esset exulare coactus, idemq; in hanc Synodum iam ab initio ita admissus, vt tamen de eius causa postea ageretur; dicto in Nestorium anathemate, omnium sententia sedem recepit, probantibus cunctis Leonis iudicium, à quo fuerat tamquam vere Catholicus in communionem susceptus. Tertia demum Actione, Ibæ Edessæni Episcopi causa, de qua pluribus dictum in Concilio Berytensi, retractari cœpta est, ipseque à Patribus absolutus; & qui in locum eius positus fuerat Nonnus, relictus est curæ Maximi Antiocheni. Quod vero Nicephorus *b* tradit, hunc illum fuisse *Nonnum*, qui *Margaritam*, primariam vrbis Antiochenæ meretricem, à luxu abductam Deo consecrauit, pro Margarita *Pelagiam* eam cognominans: extat quidem rei gestæ præclara historia, scriptis mãdata à Iacobo diacono Heliopolis: verum cum ibi dicatur idem Nonnus fuisse Episcopus Heliopolis Phœniciæ, & (vt multis signis ostenditur) primus eiusdem ciuitatis Antistites; constetque longe ante hæc tempora eam vrbem habuisse Episcopos: merito reuocari potest in dubium assertio Nicephori, hunc illum fuisse quem in locum Ibæ Dioscorus Edessæ Episcopum constituit.

a Leo ep. 51.
b Nicep. l. 14. cap. 50. CONVERSIO S. MARGARITÆ.

Nona Sessione habita sexto Calendas Nouembris, absoluta est causa eiusdem Ibæ Episcopi. Eodemque die alia celebrata ponitur (non tamen suo loco, nempe sub Sessione Septima, quam alia die contigisse vidimus) in codice Latino, quæ deest in Græco, Actio de *Domno* Episcopo olim Antiocheno. Qui cum à Dioscoro sede priuatus esset in Conciliabulo Ephesino, in locum eius subrogato Maximo; & causa cognita, cum iuste meruisse damnari S. Leo Papa intellexisset, ac Maximi substitutionem firmasset: visum est eidem Maximo, pio miserationis intuitu, à Synodo petere, vt sibi liceret ex suæ Ecclesiæ redditibus

XXVI. EPISCOP. HIEROSOL. ADEPTVS METROP. PALÆST. THEODORETVS IBARE. STATVIT.

XXVII. DE CAVSA DOMNI E. PISCOPI ANTIOCHENI.

Domno

Domno exauctorato alimenta præstare: cui S.Synodus, ob huiusmodi charitatem laudato, annuit.

XXVIII. DE CAVSA EPISCOPI EPHES.

In Decima Sessione, celebrata quarto Calend. Nouembris, tractata est controuersia inter Bassianum olim (vt vidimus) à Leone Papa sede depositum Ephesina, & Stephanum in locum eius subrogatum: sed cum mutuis se criminationibus iidem laceratent, in sequentem Sessionem res dilata est: in qua pronunciatum fuit, vt neuter esset illius Ecclesiæ Episcopus, sed alius ordinaretur; ita tamen vt vterque eorum remaneret in Episcopali dignitate; singulisque præstandi essent ad victum solidi ducenti ab eadem Ephesina Ecclesia.

XXIX. DE CAVSA METROP. BITHYN.

Igitur Vndecima, celebrata tertio Calendas Nouembris, post absolutam præcedentis Actionis controuersiam Episcoporum Ephesinorum, agitata est etiam causa Eunomii Episcopi Nicomediensis cum Anastasio Nicæno. Aclicet rescripto Imperatorum Valētiniani atque Valentis, Nicæna Ecclesia consecuta olim esset dignitatem Metropolis; nihilominus eam Episcopo Nicomediensi debere subiacere, ex antiquis Patrum regulis decreuit S.Synodus. Porro *Anastasium* qui ibi dicitur Nicænus Episcopus, longe diuersus est ab eiusdem ciuitatis Episcopo *Anastasio*, qui scripsit librum Diuersarum Quæstionum: nam post Iconomachos Imperatores eum vixisse, ex ipsius scriptis intelligi potest.

XXX.

Sessione vero Duodecima, habita pridie Calend. Nouembris, *Salustius* siue Sabinianus restitutus est in Ecclesiā Parenorum, qua fuerat à Dioscoro spoliatus; & qui in eius locum subrogatus fuerat Athanasius, quiescere iussus est, apud Maximum Antiochenum iura sua prosecuturus infra octo mensium spatium. Hacque absoluta causa, soluta sunt Comitia; abieteque Iudices, atque Legati Apostolicę Sedis. Remanentes autem callida arte Orientales Episcopi, eadem die canones sanciuere numero viginti septem, vel (vt Græcum habet exemplar) triginta, clanculo scriptos. Verum à S.Leone Papa haud recepti videntur: nam nihil præter fidei definitionem esse firmatum, ipse testatus est Epistola *a* postea scripta ad Episcopos qui interfuerant Synodo Chalcedonensi.

SOLVTIO SYNODI.

a Leo ep. 61.

[Ab hac Synodo Chalcedon. viginti septem dumtaxat canones sancitos fuisse, diserte asserunt Theodoretus ipse qui eidem interfuit, in Synagoge quam postea conscripsit Canonum Conciliorū, quæque extat in locupletissima Bibliotheca Regis Christianissimi; Dionysius Exiguus in cod. canon. & Theodorus Lector Collect. lib. 1. qui sicuti illos vere à Synodo conditos agnoscunt, (quod obserues aduersus eos, qui nullos illic editos contendunt; ita nō plures tam ipsi quam cæteri eiusdem sæculi auctores Græci Latinique vsquam agnouerunt. Vnde colligas non solū vigesimumoctauum, (quod surreptitius fuerit, & clanculum compositus, sicuti Baronius demonstrat, & nouissime multis aliis rationibus & argumentis confirmauit Petronius Resp. ad Reg. Mag. Brit. ho. 1. c. 34.) haud fuisse in numerum Canonum Concilii receptum, nisi multo post tempore: (de quo forte Gregorius Magnus intellexit, cum scripsit 5 ep. 54. Ind. 14. *Chalcedonensem Synodum in vno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsatam esse*: demque primū in Concilabulo Trullano post 240 annos vti legitimus citatus reperitur:) verum etiam duos nouissimos, nempe 29. & 30. nihil ad canones pertinere; quos conflatos perspicuum est ex quadam interlocutione Paschasini A. post. Sedis legati cum Anatolio Episcopo Constantinopolitano, & ex prohibitione facta Episcopis Ægyptiis, non abscedendi Cōstantinopoli ante creationem noui Episcopi Alexandrini in locum Dioscori à Synodo depositi; quæ gesta sunt Act. 4. Qua de re plura idem Petron. d. c. 34 & postea cap 53.

XXXI. ALIA CLAM GESTA PRO PRIVILEGIIS ECCL. CONSTANTINOP.

Anatolius igitur totius fraudis inuentor, cum iam expertus esset Apostolicę Sedis Legatos petitioni suæ aduersantes, eam occasionem aucuparus est, vt illis absentibus, ac nemine adhuc suffecto Episcopo Alexandrino in locū Dioscori, qui ipsi contradicere posset; clandestine atque dolose eliceret à reliquis, inter alia fieri decretum, vt Ecclesia Constantinopolitana primum post Romanam locum obtineret. Quod cum Legati accepissent, rursum cōuenire Patres die sequenti voluerunt, nimirum ipsis Calendis Nouembris: (non quinto Calendas, vt male habent tam Græca quam Latina exemplaria, quæ ex præcedentium Sessionum notatis diebus satis arguuntur erroris.) Quo die habita Decimatertia, eademque nouissima Sessione, præsentibus ipsis quoque Iudicibus Cognitoribus, & aliis ex more Episcopis; iidem Legati aduersus subdolum factum publice reclamarunt. Sed nihilominus sauentibus Iudicibus Constantinopolitanæ Ecclesiæ priuilegiis, itum est in sententiam Anatolii: cui tamen, veluti contra canones Nicæni Concilii existenti, Apostolicæ Sedis Legati aduersariam rursum protestationem apposuerunt. Quod autem eo canone se Græci dixerunt sequi definitionem Synodi Constantinopolitanæ sub Theodosio Maiore; quod ad veritate fulciatur, dictum est in eadem Synodo, ac postea sæpe variis occasionibus demonstratum, numquam hactenus cognitum fuisse primatum Ecclesiæ Constantinopolitanæ super Alexandrinam. Quo vero animo ista tulerit Leo Papa, dicetur suo loco.

LEGATI APOSTOL. ADVERSANTVR.

XXXII. EPIST. SYNOD. AD LEON. PAP. PRO CONFIRMATIONE ACTOR.

Absolutis autem rebus omnibus in Synodo propositis, nouissimo loco Patres Synodalem ad eumdem Leonem de cunctis ibidem pertractatis epistolam *b* scripserunt; simulque ipsa miserunt Acta Synodalia, petentes ab eo cūcta rata haberi atque firmari. De qua quidem epistola illud notandum, quod habet in fine: *Scripsi pridie Calendas Aprilis, feria tertia, Indictione decimaterria*, verba non esse epistolæ, sed librarii qui eam postmodum exscripsit. Etenim sicut certum est, Synodum mense Nouembris absolutam, non peruenisse ad anni sequentis mensem Aprilis; ita multo certius est, nihil pertinere decimamtertiam Indictionē ad Chalcedonense Concilium; quod Indictione quarta celebratum esse, ipsa eius Acta perdocent. Porro ex his, quæ in omnibus ferme integra extant, Synodi Actis, quid ante in reliquis Oecumenicis fieri consueuisset, vnusquisque facile poterit intelligere; nempe à Synodo solita mitti ad Romanum Pontificem quæ à Patribus decreta essent, vt auctoritate ipsius firmarentur: quemadmodum & aliis probationibus, singulis quibusque locis demonstrauimus.

a Ext. in Cōc. Chalced. Act. 3. in fin.

XXXIII.

Sed & ex eadem epistola Synodali obserua illud, quod vniuersi congregati sexcenti triginta Patres, cognoscentes in Romano Antistite summum Pontificii culmen effulgere, se ipsos licet ordinatione collegas & fratres esse scirēt, *filios* tamen appellauerint; Vniuersalis Ecclesiæ Catholicæ eum esse Patrem intelligentes, cuius & esset gradus summos in Ecclesia distribuere. Id enim & inter alia professi sunt, cum obnixe petierunt, vt concederet Constantinopolitano Episcopo, primum in Ecclesia locum obtinere post ipsum Romanum Pontificem. Cuius & auctoritatem tanti æstimarunt, vt putarent esse infirma quæ in duobus Oecumenicis Conciliis ea de re decreta essent, & ab Imperatoribus roborata, nisi accederet ipsius Romani Pontificis confirmatio. Quin & Leoni titulum OECVMENICI EPISCOPI tribuisse eamdem Synodum, sæpe testatur S. Gregorius *c* Papa: ne putes dumtaxat Alexandrinos clericos eum titulum in suis ipsorum libellis indidisse. Quamobrem mihi facile persuadeo, cum nomen *Oecumenici* desideretur in Epistola Synodali ad Leonē, ab ea postea esse dolo subductum. Quod vero S. Gregorius ait, nullum prædecessorum suorum eo nomine vsum esse; ita quidem intelligendum est, vt nemo illorum eo titulo ex solemni ritu semper & in omnibus vsus sit inscriptionibus vel subscriptionibus. Cæterum eo interdum ipsorum aliquem esse vsum, iam superius est varie demonstratum. Et ne longius progrediamur, ipse Leo in epistola *a* quam anno sequenti dedit ad Marcianum Imp. aduersus Anatolium, vsus est titulo Vniuersalis; quem habet non solum Latinus codex epistolarum eius, sed & Græcum exemplar in appendice ad Concilium Chalcedonense.

VNIVERSALIS EPISCOPI TITVLVS, TRIBVTVS À SYNODO ROMAN. PONTIFICI.

c Greg. 4. ep. 32. 36. 38.

d Leo ep. 54

Cæterum absoluta sacra Synodo, Patres ad suas singuli Ecclesias redierē. Dioscorus vero Gangram Paphlagoniæ ciuitatem relegatus, ac militari manu perductus, ibidem *e* infelix diem clausit extremum. In tanti autem memoriam à Deo præstiti beneficii in damnatione perditissimæ hæresis, quæ sacræ Incarnationis mysterium abolere præsumpserat, Orientalis Ecclesia eamdem ipsam Synodum anniuersaria celebritate *f* consecrauit: quam & S. Leo in epistola *g* ad Theodoretum, *Secundam post aduentum Domini festiuitatem Orbi* appellauit: eādemque corroborarunt sanctissimorum virorum elogia, & crebra miraculorum *h* editio; quando & Marcianus Imp. audiens eam labefactari calumnijs monachorum Eutychianorum, asserentium illum fuisse Nestorianorum conuentum, salubre illud consilium

XXXIV. ELOGIA ET MIRACVLA DE SYNOD. CHALCEDON.

e Liber. Breuiar. cap. 14. Euagr. lib. 2. cap. 5 & alij. f Menolog. 10. Iul. g Leo ep. 63. h Vide act. Eutych. Abbat. ap Sur. 20. annar. Act. Antiochen. 14. Ian.

SOLICITVDO MARCIANI IMP. PRO CONFIRMATIONE SYNODI.

silium iniit, vt Auxentium sanctissimum anachoretam gratia miraculorum insignem, omnibusque fama cognitum, ex solitudine aduocaret, vt signis ac prodigiis coram populo eum adstipulari faceret decretis Concilii. Fuitque plane maximi momenti ad continendum in officio complures eremi Palæstinæ monachos, aliosque sæculares viros, ne seducerẽtur ab iisdem pseudomonachis Eutychianis; quod præstantissimi illi Euthymius, Symeon Stylita, Saba, Theodosius, (longe diuersus ab alio eiusdem nominis pseudomonacho Eutychiano, de quo postea) aliique admirandæ sanctitatis cœnobiarchæ & anachoretæ, probauerunt, & magno gaudio receperunt decretum Fidei Synodi Chalcedonensis, tamquam vere Orthodoxum. Quænam autem ab Eutychianis concitatæ fuerint aduersus illam turbæ, dicetur inferius pro ratione temporis.

IESV CHRISTI ANN. 452.

LEONIS ANN. 13.

VALENTIN. III. 28. MARCIANI 3.

1. DISPVTATIO DE FIDE PROMIBITA.

ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo secundo, Herculano & Sportatio Coss. septimo Calendas Februarii Marcianus Imp. pro firmitate Chalcedonẽsis Concilii sanctionem edidit, ne cui amplius liceret publice de Fide disserere, sed omnino staretur eiusdem Synodi definitioni. Nam (inquit) *vere impius atq; sacrilegus est, qui post tot sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum reliquit: & iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quæ semel iudicata ac recte disposita renoluere & disputare contendit.* Quæ quidem sanctio habetur integra apud eiusdem Synodi Acta *a*, ex parte vero descripta in Codice *b* Iustiniani: sed hîc mendosissima in nota Consulum, illic in inscriptione titulorum Imperatoribus Valentiniano & Marciano adscriptorum.

a *Conc. Chalcedon. Act. 3. in fin.*
b *L. 4. C. de Sum. Trin.*

II.

Cum vero adhuc vaniloqui obstreperent, & Eutychiani hæretici aduersantes sacræ Synodo turbas cierent; rursum idem Imperator tertio Idus Martii aliud aduersus illos edictum *c* promulgauit, quo misericorditer cum illis agens, easdem tantummodo pœnarum minas iterauit, quæ in priori sanctione continebantur. Sed sane tum isto, tum plurimis aliis exemplis satis perspicuum est redditũ, numquam profuisse Fidei Catholicæ clementiam Principum in remittẽdis culpis ab hæreticis perpetratis: ea enim abusi semper illi euasere deteriores; sicut de istis dicetur paulo post. Interim vero ex prædictis videas, tam Episcoporum sententia, quam Imperatoris sanctionibus, damnatam esse cum auctore suo & sectatoribus eius Eutychianam hæresim: aduersus quam etiam complures Orthodoxi Scriptores iisdem temporibus stylum exeruere; puta Mochimus Mesopotamius, & Isaac, presbyteri Antiocheni, Samuel presbyter Edessenus, & Theodoretus Episcopus Cyri; vt qui de his singulis scribit, Gennadius tradit. Sed & qui postea de Tribus Capitulis tractatus elaborarunt pro Concilio Chalcedonensi, iidem Eutychianam hæresim acerrime insectati sunt.

c *Ext. d. Act. 3.*

EVTYCH. HÆRESIS VBIQVE DAMNATA.

III. LEO PP. IRRITAT GESTA SYNODI DE PRIVILEG. ECCLES. CONSTANT.

Cum autem peruenissent inter hæc Romam ad Leonẽ Papam Legati missi Constantinopoli cum literis Anatolii Episcopi, Marciani Imperatoris, & Pulcheriæ Augustæ, *Lucianus* Episcopus & *Basilius* diaconus, prosecuturi causam primatus Sedis Constantinopolitanæ; idem Pontifex ad Anatolium *d* rescribens hoc ipso anno vndecimo Calendas Iunii, ipsum acriter obiurgauit quod inconcessa tentasset, & quæ contraria essent statutis Magni Concilii Nicæni de ordine sedium Patriarchalium. Eodemque argumento ad Marcianum & Pulcheriam rescribens *e*, multa habuit de illicita eiusdem Anatolii ambitione; contestatusque est, cassare se & irrita penitus reddere, quæ per Synodum de primatu Constantinopolitanæ Sedis eodem Anatolio instigante decreta essent. Quibus acceptis Anatolius, homo fraudulentus, Leonis literas occultans, vtpote quæ suam ipsius decantarent iunctam cum ambitione nequitiam; quod deterius est, illud in scandalum plurimorum sparsit in vulgus, Leonem minime recepisse Chalcedonense Concilium. Hæc quidem hoc anno ita gesta sunt: quæ autem postea secuta fuerunt, dicentur anno sequenti.

d *Leo ep. 53.*
e *Ep. 54. 55.*

IV. PROTERIVS CREATVR EPISC. ALEXANDR.

Hoc enim interea anno, reuersis Alexandriam Episcopis illis qui cum Dioscoro ad Concilium accesserant, iussionem Imperatoris afferentibus de creãdo nouo Episcopo Alexandrino in locum eiusdem Dioscori; post multas altercationes, cum ciues neminem eligere vellent viuente Dioscoro, tandem in *Proterium* plurimorum sententia declinauit, cui Dioscorus commendauerat Ecclesiam, qui eum Archiepiscopum fecerat, vt scribit Liberatus *a*. De seditionibus vero tunc in populo excitatis, cum alii Dioscorum reposcerent, alii Proterio adhærescerent; deque vi ea causa Magistratibus, militibusque, à furente plebe illata, adeo vt vix tandem à Præfectis nouo accepto præsidiõ sedari potuerit; pluribus agit Euagrius *b*. Additque Liberatus, tot ac tanta pericula Proterium passum esse, vt militari pro custodia indigeret auxilio. Constatque præterea, Alexandrinos & Ægyptios magna ex parte diu occasione Dioscori esse tumultuatos; ac Concilium Chalcedonense reiicientes, schismate fuisse ab Ecclesia Catholica omnino diuisos. Id enim testatur Ioannes Damascenus *c*, qui ait eosdẽ vocatos fuisse peculiari nomine *Ægyptios*, itemque *Schematicos* & *Monophysitas*, eorumque principes extitisse *Theodosium* quemdam Alexandrinum, à quo *Theodosiani*, & *Iacobum* Syrum à quo *Iacobitæ* sunt nominati. De quibus omnibus plura inferius.

a *Liber. c. 14.*
b *Euagr. lib. 2. cap. 5.*
c *Damasc. de haref. 93.* ÆGYPTII, ITA NOMINATI HÆRETICI.

Porro in iisdem reducendis plurimum laborasse maxime pium Imperatorem Marcianum, fidem faciunt ipsius ea de re promulgata postea edicta *d*. & scriptæ literæ *e*, quibus illud imprimis insinuauit, nihil noui in Concil. Chalcedonensi esse sancitum, sed omnia secundum Nicænæ fidei regulam, iuxtaque ipsorum Alexandrinorum Episcoporum sententiam, Athanasii, Theophili, Cyrilli. Attantum valuit apud obstinatissimum populum, Dioscori, licet hominis flagitiosissimi memoria, vt quorum animos multis popularibus beneficiis sibi fraudulenter deuinxisset, iidem eum indesinentibus officiis & studiis frequentarint venerati; & vsque in hanc diem idem perseuerarit in Christianorum Alexandrinorum & Ægyptiorum fæce delirium. Donec haud ita pridem, nempe anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo quarto, missa Romam ad Clementem Papam Octauum solemnis Legatio *f* ab Ecclesia Alexandrina & vniuersa Ægypto, pro impetranda Sedis Apostolicæ communione, cum alias omnes hæreses damnauit, tum præcipue Eutychianam cum ipso impio Dioscoro.

d *I. 2. C. de haret.*
e *Ep. 1. vir. Illustr. pro Conc. Chalcedon.* ÆGYPTII STVDIOSISSIMI MEMORIÆ DIOSCORI.
f *Descripsit fusse hoc in suis Legationib. Alexandr. Baron. Annal. Tom. VI. in Append.*

V.

Maximi quoque tumultus Palæstinam incessere, concitati à Pseudomonachis Eutychianis ob Concilium Chalcedonense: quod cum impudenter nimis assererent fuisse Nestorianorum, in suam ipsorum sententiam quamplurimos cum monachos tum sæculares seduxere; adeo vt expulso qui eis aduersaretur Iuuenale Hierosolymitano Episcopo, *Theodosium* quemdam Pseudomonachum (longe alium ab Alexandrino, quem nuper ex Damasceno diximus) hominem perditissimum ac flagitiosissimum, in eius locum substituerint. Quo quidem Theodosius rapta in suã hæresim Eudocia Augusta Theodosii Imp. relicta, quæ post mariti obitum Hierosolymam concesserat, eiusdem ope omnia prædonis more agens, totam illam prouinciam misere deuastauit, eos omnes cædibus, tormentis & exilis persequens, quicumque Synodo Chalcedonensi adhærentiinter quos etiam fuere plurimi Episcopi, aliique diuersorum ordinum Ecclesiastici viri. Quoadusque tandẽ post viginti menses quibus illam sedem occupauit, cum ad Imperatorem iussus esset perduci, aufugit in montem Sina. Quæ omnia fusius descripta habentur ab Euagrio *g*, Nicephoro *h*, atque Cyrillo *i* discipulo magni illius S. Euthymii anachoretæ, qui aduersus eumdem Theodosium egregiam nauauit pro defensione fidei Catholicæ operã;

g *Euagr. lib. 2. cap. 5.*
h *Niceph. l. 15. c. 9.*
i *Ap. Surium Ianuar.* SCELERA THEODOSII PSEVDOMONACHI.

necnon

necnon in literis *a* Marciani & Pulcheriæ Augg. ad eosdē monachos hæreticos scriptis, cum eos piis admonitionibus conati sunt ad fidem Catholicam & meliorem frugem reuocare: quibus etiam eorundem fraudulentū consilium detegitur, quo ipsam quoque Pulcheriam decipere tentarunt, rati simul etiam Marcianum sibi facturos consentientem, atque ita vniuersum seducturos Imperium. Sed è contrario accidit, vt minime iis contentus quæ iam aduersus impios Eutychianos peregisset Imperator, rursum hoc eodem anno res actas in Synodo aliis munire voluerit edictis *b*, & quæ eisdem contraria essent, (veluti quæ aduersus Flauianum Constantinopolitanum Episcopum, Eusebium Dorylæi, & Theodoretum Cyri, fuissent Theodosii Iunioris lege statuta) deleuerit, ipsosque Eutychianos seueritatibus subiecerit pœnis, ac libros & scripta illorum igne damnauerit.

a *Ep. 2. & 3. Vrs. ill. pro Conc. Chalcedon.*

MARCIAN. IMP. SCRIBIT ADVER. EVTYCH.

b *Ext. apud Conc. Chalcedon. Act. 3 & C. Iustin. l. quoniam de Episc. & Cler.*

At vero inter hæc in Occidente Valentinianus Imp. indignam plane Christiano Principe edidit hoc ipso anno Romæ decimoseptimo Calendas Maij sanctionem *c*, qua omne sustulit iudicium Ecclesiasticum, nisi in his quæ ad religionem pertinent, vel vbi partes ex consensu apud aliquem Episcoporum sponte agere delegissent: nullamque esse voluit clericis fori exceptionem: ac insuper vetuit curiales clericos ordinari, vel monachos fieri; similiter & originarios inquilinos, colonos, & seruos. Sed quam prouide hæc præstiterit, seseque rebus Ecclesiasticis immiscuerit, lata ab eius successore Maioriano huic contraria sanctio demonstrauit, necnon ipse rerum probauit euentus.

VII. FORVM ECCLES. DEMPTVM A VALENTIN. IMP. *c Nouel. Valentin. tit. 22 de Episc. iudi.*

Hoc namque ipso anno (vt habent Marcellinus & Cassiodorus in Chronicis, auctor Miscellæ *d*, & alii omnes) Attila, quem vidimus anno superiori maxima suorum iactura in Galliis victum, ipse *Flagellum Dei* dictus, ex peccatis iam Imperatoris viribus auctus, nobilissimas ciuitates, Aquileiam, Mediolanum, Ticinum, aliasque illius regionis Italiæ plurimas expugnauit & diruit; perditurus & ipsam Vrbem Romam vna cum Imperio, nisi ille cuius Imperator depresserat auctoritatem, diuina fultus potentia restitisset: nimirum S. Leo Romanus Pontifex, qui Attilæ obuiam factus, vbi Mincius in Padum influit, adeo mitem eum reddidit, vt illico promissa pace firmissima, vltra Danubium non rediturus abierit. Qui interrogatus à suis, cur præter consuetudinem inflexus esset, respondit se vidisse Leone loquente astantem alium quēmdam habitu sacerdotali decorum, quid diuinum præ se ferentē, minantemque mortem nisi Leoni obediret. Illum autem fuisse S. Petrum Apostolum, testatur Paulus diaconus hæc narrans in Historia rerum Romanarum, quam posuit appendicem ad Eutropium; quamquam & alii habent, duos viros apparuisse, alterum à dextris, à sinistris alterum: nempe Paulum Apostolum cum Petro. Desiderantur vero res ab Attila gestæ, fusius scriptæ à Prisco Rhetore huius temporis nobili scriptore, vt Euagrius *e* tradit.

d *Mysel. lib. 15.*

ATTILA VINDEX PECCATI IMPER.

A S. LEONE COERCITVS ATTILA.

e *Euagr. lib. 2. cap. 17.*

[Rem totam descripsit Prosper in Chronico: quæ cum in vulgatis eius editionibus desideretur, ex antiquo exemplari excerpsit Sirmondus in Not. ad Sidon. 1. ep. 9. his verbis: *Herculano & Sporatio Coss. Attila redintegratis viribus quas in Gallia amiserat, Italiam ingredi per Pannonias intendit: nihil duce nostro Aëtio secundum prioris belli opera prospiciente, ita vt ne clusuris quidem Alpium, quibus hostes prohiberi poterant, vteretur: hoc solum spei suis superesse existimans, si ab omni Italia cum Imperatore discederet. Sed cum hoc plenum dedecoris & periculi videretur, continuit verecundia metum, & tot nobilium prouinciarum latissima euersione crediua est sauitia & cupiditas hostilis explenda. Nihilq; inter omnia consilia Principis ac Senatus Populiq; Rom. salubrius visum est, quam vt per Legatos pax truculentissimi Regis expeteretur. Suscepit hoc negotium cum viro Consulari Auieno, & viro Praefectorio Trigetio, beatissimus Papa Leo auxilio Dei fretus, quem sciret numquam piorum laboribus defuisse. Nec aliud secutum, quam præsumpserat fides. Nam tota legatione dignanter accepta, ita Summi Sacerdotis praesentia Rex ganisus est, vt bello abstineri praeciperet, & vltra Danubium promissa pace discederet.* Hactenus egregium memorabilis rei monumentum: quod etiam postea reperimus iisdem ferme verbis in Chronico m. s. Andreæ Danduli Ducis Venet. (qui illam Rempt. exit circa annum Domini 1360.) quod extat in Bibl. Vaticana, vbi & additur respōsum Attilæ de visione viri sibi terribiliter gladio euaginato minantis.]

VIII. *d Miscel. lib. 15.* ATTILA VINDEX PECCATI IMPER.

Porro Gentiles qui adhuc Romæ reliqui erant, ne id Deo Christianorum ferrent acceptum, astrorum potentia, & Fati necessitate, ne in Vrbem rueret Attila factum esse iactabant. Quæ omnia refellens ipse S. Leo *f*, beneficio Apostolorum fuisse Vrbi tanta bona cōcessa, pro concione exprobrauit ingrato populo, anniuersaria die huius accepti à Deo beneficii ludis occupato Circensibus. Vt non sit mirum, si denuo tradi barbaris meruerit, nempe Wandalis, de quibus dicetur post biennium. Scribit autem Suidas, cum Attila Mediolani depictos reperisset Imperatores Romanorum sedentes in aureis soliis, Scythas vero ad eorum pedes; se in solio sedentem, Romanorum autem Imperatores, saccos super humeros ferentes, & ante pedes suos aurum effundentes, pingi iussisse. Vnde magis intelligas, haud humanarum fuisse virium, adeo truculentum atque superbum barbarum reddere mansuetum. Addunt vero alii, precibus S. Geminiani Episcopi Mutinam ab Attila liberatam, & Rauennam orationibus Ioannis Præsulis. Traduntque pariter, ex hac Attilæ inuasione *Venetiæ* prouinciæ, occasionem manasse vt Veneti in Insulas transmigrarint, & Patauini occupauerint Riuumaltum; iidemque necessitate primum impellente, postea & ratione suadente, ad euitandos frequentes barbarorum incursus, ibi habitare delegerint; vt paulatim crescentibus ædificiis, amplissimæ *Venetiarum* ciuitatis condendæ ex ea infelicitate felicissima iacta fuerint fundamenta.

VENETIARVM VRBIS ORIGO.

f *Leo serm. in Gilla. Apost.*

IX. ETHNICORVM ROM. INGRATITVDO.

[Sabellicus tamen, Volaterranus, atque Dandulus, ante triginta ferme annos huius ciuitatis iacta volunt fundamenta, confugientibus ob Hunnorum in Pannonias irruptiones accolis illius maris in insulam quæ dicta est *Realto*; nunc autem occasione incursionū Attilæ magnum accepisse incremētum. Alii etiam longe ante fundatam volunt; sed absque vllo probabili fundamento. Quamuis enim antiquior reperiatur *Venetorum* & *Venetiæ* mentio haud tamē intelligendum de ciuitate, quæ his temporibus ædificata est, sed de populis, otisque illius tractus: cuius fines descripsit Paulus Diaconus lib. 2 de Gest. Longob. cap. 14.]

Hoc item anno, consultus S. Leo à Theodoro Foroiulienſi Episcopo de pœnitentia his qui in extremo laborarent impertienda, rescripsit *a* eam tunc petentibus non negandam esse. Sed in epistolæ exordio, quid consuetudinis esset Ecclesiæ docet; nimirum Episcopos primum consulere debere suos Metropolitanos: quos si eadem contingeret ignorare, tunc demum consulendum esse Summum Pontificem; sicque absque consultis ante Primatibus, nihil debere Episcopos illis subiectos inquirere.

X.

a *Id. ep. 91.* MOS VETVS DE CONSVLTATIONIB. EPISCOP.

Quod reliquum est huius anni (quantum ex Victore *b* Vticensi colligitur) Carthaginiensis Ecclesia, quæ à tempore captæ ciuitatis, annis tredecim absque Episcopo fuerat, agente Valentiniano apud Genſericum, accepit facultatem eligendi Episcopum; creatusque est *Deogratias*, ita nominatus, vir plane sanctissimus, de cuius in pauperes & captiuos misericordia plura Victor.

XI.

b *Vict. Vtic. de Pers. Wand. lib. 1.* DEOGRAT. CREATVR EPISCOP. CARTHAG.

IESV CHRISTI ANN. 453.

LEONIS ANN. 14.

VALENTIN. III. 29. MARCIANI 4.

ANNO Domini quadringentesimo quinquagesimo tertio, Opilione & Vincomalo Coss. nequitia Anatolii Constantinopolitani Episcopi rursus perturbata est Ecclesia. Is enim (quod iam anno superiori dictum est) occultans literas Papæ Leonis ad se scriptas, cœpit primo rumores in vulgus spargere, ipsum respuere Synodū Chalcedonensem; postea etiam grauiori calumnia addidit, eūdem quærere occulta via deprimere defensores fidei Orthodoxæ, & suspectos hæresis exaltare: sed & illud adiecit, vt Archidiacono Constantinopolitanæ Ecclesiæ Aëtium, quem sciret esse Romani Pontificis studiosum, è gradu deponeret sub prætextu maioris honoris, & in locum eius subrogaret Andream, qui tamquam hæreticus antea ejectus fuerat: ac denique persequens omnes quos S. Flauianus ordinasset, prouexit illos qui Eutychianæ hæresis fuerant infamati. De quibus Leo (vt docent eius *c* ad Augustā Pulcheriam literæ) ab ipso Marciano Imp. certior factus,

I. ANATOLII CALVMNIÆ IN LEON. PP.

c *Leo ep. 60.*

iis mederi

iis mederi desiderans, confestim ad Synodum Chalcedonensem (non quod adhuc ea Chalcedone perduraret, sed ad Episcopos omnes qui ad ipsam conuenerant) Circularem epistolam dedit duodecimo Calendas Aprilis, de confirmatione & approbatione eorum quæ de Fide decreta essent in eadem Synodo; deque damnatione Nestorii, Eutychetis, & Dioscori, ipsorumque impiæ doctrinæ. Eodemque die ad Marcianum & Pulcheriam Augg. scribens *b*, grauiter de Anatolii nequitia conquestus est. Sed & Iuliano *c* Coënsi Episcopo, quem fidelissimum semper expertus esset, Vicariam iterum delegauit præfecturam, vt prouideret in Oriēte ne hæresis Nestoriana, vel Eutychiana, in aliqua parte reuiuiscceret: idque (vt ait) quia in Episcopo Constantinopolitano Catholicus vigor non esset, nec multum aut pro sacramento salutis humanæ, aut pro sua esset æstimatione solicitus. Addidit insuper alias *d* ad eosdem Augustos literas de causa Aëtii Archidiaconi, excommunicationem Anatolio, nisi id corrigeret, minitans. Quomodo vero ad ipsius arbitrium hæc omnia emendata fuerint, dicetur suo loco.

a *Idem ep. 61* LEO CONFIRMAT FIDEM SYNODI CHALCEDON.
b *Ep. 59. & 60.*
c *Ep. 56.*
d *Ep. 57. & 58.*

II. ADIIT PRO CONVERTENDIS MONACH. PALÆST.

Denique vt quæ pastoralis muneris essent numeros omnes expleret, idem Leo de conuertendis monachis Eutychianis in Palæstina tumultuantibus, scripsit *e* non solum ad eosdem Iulianum, Marcianum, & Pulcheriam, sed etiam ad ipsorum fautricem monachorum Eudociam Augustam Hierosolymis agentem; ac demum ad ipsosmet monachos, ostendens quæ vera sit Orthodoxa fides, quæ duas simul inter se contrarias hæreses Nestorianam & Eutychianam iuguler. Cuius summa prudentia pro diuersitate rerum, temporum, ac personarum, gregem pascentis; sed & ipsius Imperatoris diligentia hæc pia solicitudine satagentis, ex optato accidit, vt iidem omnes simul ad Ecclesiam Catholicam conuersi fuerint, ac Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus suam sedem recuperauerit: sicut testatur idem Leo epistola ad Iulianum sequēti anno quinto Idus Ianuarii scripta.

e *Ep. 56. 59. 60. 65. 85.*

III. S. PULCHERIÆ AVGVSTÆ OBITVS.

Interea vero hoc ipso anno eadem S. Pulcheria Augusta, vita in virginitate sanctissime perfuncta, multisque exantlatis pro fide Catholica laboribus, anno ætatis suæ quinquagesimo quarto migrauit in cœlum; cuius memoria quotannis recolitur tam apud Græcam quam Latinam Ecclesiam ipsa die eius obitus, nempe vndecima mensis Septembris. Eam autem his Coss. obiisse, Marcellinus antiquior Chronographus affirmat: cui magis assentimur, quam Nicephoro *g*, scribenti id accidisse anno sexto Marciani Imperii. Ea vero cum ea etiam ex parte publice ab Ecclesia *h* laudetur, quod multa præclara opera in templorum & hospitalium domorum ædificia contulerit; de iis agens idem Nicephorus *i*, inter alia memorat templum in via Ducum (ob idque dictum ὁδηγῶν) ab ea erectum, in quo tradit posuisse diuinam *Imaginem Deiparæ Virginis*, quæ à S. Luca depicta traditione maiorum ferebatur: quā quidem ei missam dono fuisse Hierosolymis ab Eudocia Augusta, cōciliatæ inter eas amicitiæ signo, Theodorus *k* Lector ait. Sed & Saluatoris *Fascias* ab eadem item Eudocia missas, Pulcheriam in eodem templo recondidisse tradūt; in quarum memoriam trigesima prima dies mensis Augusti fuit perpetuo consecrata. Verum quas S. Germanus *l* Constantinopolitanus Episcopus *Fascias infantiæ* vocat, Nicephorus *Fascias Sepulchrales* appellat. Denique ipsam Pulcheriam morientem cuncta sua bona pauperibus reliquisse, hancque eius vltimam voluntatem Marcianū Imp. executioni mandasse, testis est idem Theodorus.

g *Niceph. lib. 15. c. 15.*
h *Martyrol. Rom. 11. Septemb.*
i *Nicep. lib. 14. c. 2.*
k *Theod. Lect. Collect. lib. 1.*
l *Germ. serm. de fasc. Domini.*
DE FASCIIS DOMINI.

IV. DE REBVS ECCLES. ALEXAND.

Hoc item anno perlatas esse Romam ad Leonem Papam literas Protetii noui Episcopi Alexandrini, continentes ex more fidei Orthodoxæ professionem, quo Catholicam ab eo communionē mereretur accipere; testatur ipse Leo in prædictis literis *m* anni sequentis exordio ad Iulianum Coënsem scriptis. Constatque *n* post hæc ab eodem Protetio ibidem *Alexandriæ* fuisse collectum Orthodoxorum CONCILIVM, pro reducendis ad Catholicam communionem Ægyptiis & Alexandrinis, qui hactenus ob hæresim Eutychianam separati fuissent: cumque illi penitus restituissent, irrogatum in eos esse ab Imperatore exilium.

m *Leo ep. 68*
n *Vide ep. Episcop. Ægyp. ad Leon. Imp. inter epist. vir. illustr. pro Concil. Chalced. & ap. Euagr. lib. 2. c. 8.*

Scripsit insuper hoc anno Maximus Antiochenus Episcopus per legatos missos ad eumdem Papam Leonem, de statu Syrorum Ecclesiæ; rogans etiam pro conseruatione priuilegiorum sedis Antiochenæ, quæ è gradu suo deiici Anatolii ambitu periclitaretur; quippe quæ tertia existens ordine, iam quarta numeranda foret, si primatus post Romanam concederetur Constantinopolitanæ. Eius vero rogationi fauit Leo, & vt cœperat, se Anatolii infringere temeritatem non defuturum, pollicitus est redditis ad eūdem Maximum litteris *a* tertio Idus Iunii sub huius anni Coss. quibus inter cætera admonuit, *præcauere vt præter Sacerdotes nullus sibi ius docendi & prædicandi auderet vendicare, siue esset ille monachus, siue laicus, qui alicuius sententiæ nomine gloriaretur. Quia* (inquit) *etsi optandum est, vt omnes Ecclesiæ filij quæ recta & sana sunt sapiant; non tamen permittendum est, vt quisquā extra sacerdotalem ordinem constitutus gradum sibi prædicatorij adsumat: cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Meminerat quippe huiusmodi occasione omne fluxisse malum, dum Nestorius & Eutyches, ambo monachi, docere præsumpserunt. Cæterum hanc suam ad Maximum epistolam Leo voluit pariter esse Encyclicam, communem omnibus, & toti Catholico Orbi proficuam. Testatur enim id ipse in alia eodem tempore ad Theodoretum scripta *b*, qua illum egregiis honestauit præconiis; & quem sciret inter Orientales omnes Episcopos excellere, eumdem vt pergat aduersus hæreticos Nestorianos & Eutychianos viriliter agere, hortatus est.

V. MAXIMVS AGIT APVD LEON. PRO IVRIBVS ECCLES. ANTIOCH.
a *Leo ep. 62.*
b *Idem ep. 63.*

Porro Theodoretum haud longe post hæc superstitem fuisse, ex eo possumus intelligere, quod in literis Syrorum Episcoporum pro defensione Chalcedonensis Concilii ad Leonem Imp. post biennium datis, nulla eius mentio habeatur, nec subscriptus in illis, aut aliis, sicut reliqui Orthodoxi, reperiatur. Præter hunc autem magni nominis Theodoretum Cyri Episcopum, extitit alius post eum *Theodoretus*, qui pariter scripsit Historiam Ecclesiasticam; reperiturque citatus à Theodoro *c* Lectore, dum ex eius historia recenset effossionem reliquiarum Timothei Solofacioli Catholici Episcopi Alexandrini, factam ab impiissimo Petro Mogo eiusdem sedis inuasore sub Zenone Imp. longe post hæc tempora: necnon à S. Ioanne Damasceno *d*, dum ex eodem Iuniori Theodoreto refert, sub Anastasio Zenonis successore accidisse Constantinopoli, vt Olympius quidam secta Arianus, ob horrendam prolatam in Sanctissimam Trinitatem blasphemiā, diuina mox eum secuta vindicta, misere perierit; aliusque nomine Eutychianus, qui confectam ea de re publicam picturam, in gratiam Arianorum abscondisset, similiter pœnas sceleris dederit. Narrant vero eadem de Olympio sacrilego Ado Viennensis, & auctor Miscellæ, sed in eo corrigendi, dum in Africa id referunt accidisse.

VI. DE THEODORETI OBITVS TEMPORE.
c *Theod. Lect. Collect. lib. 2.*
ALIVS THEODORET. PARTER HISTORICVS.
De quo Sigebert. an. 454. Sifrid. de innumeris ex hæresi reuiuiscentibus. Damasc. orat. 3. de imag.

Hoc eodem anno, idem qui supra speculam pro vniuersa Ecclesia agebat excubias, Leo Romanus Pontifex, quod muneris pariter eius esset, eidem Catholicæ Ecclesiæ sequentis anni indicere Paschæ diem; cum ex Theophili Episcopi olim Alexandrini centenario Cyclo Paschali definitum reperisset, eam diem anno Domini quadringentesimo quinquagesimo quinto ad octauum Calendas Maij incidere; contendentibus nonnullis errasse Theophilum, quasi Pascha nec ante vndecimum Calendas Aprilis, nec post decimum Calendas Maias celebrari posset: de his consulere peritos voluit ante annum quam indicēdi Paschatis tempus adesset, datis literis *e* Constantinopolim ad Marcianum Imperatorem, Hierosolymam ad Eudociam Augustam, & Alexandriam ad Proterium eius ciuitatis Episcopum, cuius præcipue fuisse ea de re certiorem reddere Romanum Pontificem dictum est a Lilias. Scripsit præterea ad Paschasianum Episcopum Lilybæi in Sicilia, virum eruditione præstantem: qui *f* non solum ex Theophili cyclo, sed etiam ex Hebræorum calculo, probatam reddidit veritatem, eamdemque miraculo confirmatam; ostendens non esse absurdū, vt ad octauum Calendas Maias Pascha Domini celebraretur. Sicut & Proterium inculentissimam eius rei rationem reddidisse,

VII. DE DIE PASCHATIS DVBIVM ORTVM.
e *Leo ep. 62. 63. Beda de ratione temp. c. 42.*
f *Ap. Leon. epist. 83.*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *Beda ibid.*

b *Leo ep. 95.*

Beda *a* testatur: ac pariter Marcianum Imp. rescripsisse, eãdem esse Orientalium sententiam, testatus est ipse Leo in literis *b* Circularibus ea de re datis anno sequenti ad Episcopos Galliarum & Hispaniarum. Ex his autem omnibus videas, quam procul abhorreat vt Romani Pontifices inconsulto, ex animique sententia proponere consueuerint in Ecclesia Catholica obseruanda decreta.

VNA CVM AETIO CECIDIT IMPERIVM OCCIDEN.

Hoc item anno sub eiusdem Opilionis Consulatu in Galliis celebratũ reperitur *c* CONCILIVM ANDEGAVENSE, in quo electus est Thalassius Episcopus eiusdem ciuitatis; aliquotque sanciti canones circa disciplinam Ecclesiasticam; quorum primus fuit, vt contra Episcopale iudicium clericis non liceret resilire, neque inconsultis Sacerdotibus sæcularium iudicia expetere. Quo quidem proculdubio aduersati sunt Patres nuperæ Valentiniani Imp. constitutioni aduersus Ecclesiastica priuilegia latæ; de qua dictum est anno superiori. Cæterum cum ad prædictum Thalassium electum hoc conuẽtu Episcopum, necnon ad Victorium, siue Victurium Cenomanensem Episcopum (qui æque huic Andegauensi Synodo interfuisse legitur) scripta pariter reperiatur Synodica Concilii Venetici; inde exploratum habetur, quo tempore fuerit dictum VENETICVM CONCILIVM celebratum, nulla Consulum nota perspicuum: in quo complura paulo fusius repetita leguntur, quæ in hoc Andegauensi sunt statuta. Sed & illud ex eisdem intelligitur, non esse istud congregatum in Venetia Italiæ prouincia, sed Venetensi ciuitate in Gallia Lugdunensi ad littus Armoricum: quod & inde stabilitur, quia eiusdem Venetensis in Gallia ciuitatis Antistes Modestus nomine, cum aliis Gallicanis Episcopis sedisse reperitur in Concilio Aurelianensi sub Rege Clodoueo. Quod autem Conciliorum collector, etiam hoc eodem Consulatu Synodum Tertiam Arelatensem celebratam fuisse putauit, aperietur eius error suo loco. *d*

VIII. CONCIL. ANDEGAVENSE.

c Integra huius Concilij Acta, nunquam antea edita, retulit Baron. Tom. VI. hoc ann. accepta à Frem. Duar.

TEMPVS ET LOCVS CÕCILII VENETICI.

d *Ann. 524. infra.*

[Quod audisti de tempore Concilii Venetici, nolim ita accipias (sicut video quosdam fecisse) vt celebratum fuerit hoc ipso anno. Nam *Perpetuus*, qui ei præfuit, Episcopus Turonensis, nõ nisi octauus est anno sexagesimo quarto ab obitu S. Martini vt aperte colligitur ex Gregorio Turonensi 10. Hist. Franc. vbi qui fuit ex sententia Baronii annus Christi quadringentesimus sexagesimus sextus, secundum alios 469. vel 461. Quare non ante eos annos potuit prædictum Concilium celebrari: quod Onuphrius collocauit anno quadringentesimo sexagesimo, Magno & Apollonio Coss.]

IESV CHRISTI ANN. 454.

LEONIS ANN. 15.

VALENTIN. III. 30. MARCIANI 5.

I. AETII ET BOETII INTERITVS.

ANno Christi quadringẽtesimo quinquagesimo quarto, Studio & Aëtio Coss. (inquit Marcellin⁹ in Chronico) idem Aëtius, magna Occidentalis Imperii salus, & Regis quondam Attilæ terror, à Valentiniano Imper. vna cum Boëtio Præfecto Prætorio ipsius amico, in Palatio trucidatus est; atque cum ipso Hesperium cecidit regnum. Hæc ille. Aëtium vero propria Imperatoris manu necatum esse, Boëtium à circumstantibus, tradit Cassiodotus *e*, & post illum auctor Miscellæ *f*, sed Procopius *g* Aëtium absentem iussum esse interficiendumque hæc pluribus narrans, id accidisse ait ex falsa suggestione *Petronij Maximi* Romani Senatoris, ex stirpe illius Maximi tyranni, quem Theodosius Senior sustulerat: qui iniuriam passus à Valẽtiniano in fraudulento stupro vxoris suæ formosissimæ æque ac pudicissimæ, cogitans de vindicta, primo Aëtium fortissimum ducem, in quo potissimum spes Romanorum esset, è medio tollendum iudicauit, ideoque illum per Imperatoris Eunuchos eidem Augusto affectati Imperii suspectum reddidit. Quid autem sublato Aëtio, Maximus in ipsum Valentinianum molitus sit, dicetur anno sequenti. Hic vero considera, quomodo iisdem insidiis (licet falso accusatus) Aëtius pereat, quibus ipse olim circumuenerat

e *Cassiod. in chron.*

f *Miscell. lib. 15.*

g *Procop. de bell. Vand. lib. 1.*

magnum Ducem Bonifacium, cuius occasione Wandali potiti sunt Africa; indeque admirare & diuinam in tarditate supplicii patientiam, & æquum in exhibitione vindictæ iudicium. Quod vero vna cum Aëtio Hesperium cecidisse regnum, Marcellinus scripsit; eo etiam pertinet quod idem Procopius narrat, ex Romanis quemdam interrogatum ab Imperatore, an vtilis foret Aëtii mors, respondisse: *Hoc ipse videret, bene an male; se tantum scire, quod sibi dexteram altera manu præcidisset.* Denique habet idem auctor, adeò Valentinianum libidine flagrasse, vt etiam incantamentis atque magis operam daret, hisce artibus matronarum castitatem expugnaturus.

II.

SALVBRE REMEDIVM AD CONVINCENDAS HÆRESES.

a *Leo ep. 69.* S. LEONIS EPIST. AD HÆRET. FALSATA.

Hoc eodem anno S. Leo Romanus Pontifex, ad componendas res Orientalis Ecclesiæ omnem admouens operam, primo quidem pro Alexandrinis rogauit *a* Marcianũ Imp. vt quoniam quorumdam hæreticorum versuta nequitia, ad conturbandam aliorum simplicitatem, epistolam ipsius Leonis ad S. Flauianum scriptam ita falsasse perhiberetur, vt commutatis quibusdam verbis, assertorem ipsum Nestoriani erroris facerent; curaret Imperator, eamdem epistolam per viros idoneos in Græcum sermonem fideliter transferri, & Alexandriam perferri, vt agnoscerẽtur hæreticorum fraudes, seque nihil aliud de Incarnatione Domini sentire, quam quod ipsorum Alexandrinorum Antistes, Athanasius, Theophilus, Cyrillus, olim scripsissent: huncque docendi optimum esse modum, vt paternorum sensuum linea dirigerentur ad rectitudinem. Hæc Leo plane diuinè. Nam hoc vnum tunc exhibitum Ecclesiæ Alexandrinæ remedium, satis esse quouis tempore potest ad expurgandas quibuscumque hæresibus quascumque Ecclesias; prouocando nimirum singulas ad illos doctores, qui in eis doctrina & sanctitate claruerunt, à quibus & Euangelium vel prædicatum ipsis, vel propagatum fuisse constet. Paruit vero Marcianus Leoni, atque ex eius sententia promulgauit edictum *b* ad ipsos potissimũ Alexandrinos & Ægyptios, quo sanxit eos non recedere debere ab his quæ à sacris Oecumenicis Conciliis statuta fuissent, & ipsis prædicata à sanctis ipsorum Episcopis. Simulque seuerissimas constituit pœnas aduersus Eutychianos & Apollinaristas, (quorum hæreses coniunctas esse docet) eorumque libros comburi iussit.

b *l. 9. C. de haret.*

III.

c *Leo ep. 70.* MARCIANI SANCTIO ADVERS. PRIMATVM ECCL. CONSTANTINOPOL.

Sed & cum hoc eodem anno, decimo septimo Calend. Maii, idem Leo ad eumdem Marcianum literas *c* dedisset de Anatolio Episcopo Constantinopolitano, cum factum quo erectus erat demisisse videretur; iis persuasus Imperator, confestim publica sanctione omnibus notum fecit, nihil penitus innouandum de priuilegiis antiquitus concessis Ecclesiis. Quin etiam omnia cassa reddidit, quæcunque ex ambitione Anatolii cõtra antiquos canones Chalcedone præsumpta essent de primatu Constantinopolitanæ Ecclesiæ. Desideratur ipsa quidem integra sanctio, cuius dumtaxat fragmentum Iustinianeo insertum est Codici *d*. Puto enim dedita opera eam esse decurtatã, eo quod ipse Iustinianus contrarium postea firmare voluit, cum sua sanctione *e* eidem Ecclesiæ Constantinopolitanæ primatum contulit. Quæ vero de sua emendatione Anatolius ad Leonem hoc anno rescripserit, ex redditis ad eum literis *f*, satis potest intelligi; nimirum recepisse in amicitiam, quem ab Archidiaconatu deposuerat Aëtium, & prouectum in illius gradum Andream hæreticum Eutychianum in ordinem redegisse; itemque à cœptis destitisse, quibus primatum quæsierat: missa etiam ad Leonem excusatione, quod quæ facta essent in Concilio Chalcedonensi in fauorem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, non tam ipsius Anatolii culpa, quam instanti Cleri Constantinopolitani suasione contigissent.

d *l. 12. de SS. Eccles.*

e *Nouell. 131. cap. 2.*

f *Leo ep. 71.*

IV.

Quod autem pertinet ad res Palæstinas; hoc item anno Iuuenalis Episcopus Hierosolymitanus, cum ad finem superioris (vt vidimus) in suam Ecclesiam restitutus fuisset, Legatos mittens ad eumdem Leonem Romanum Pontificem, simul quoque dono dedit particulam Ligni sanctissimæ Christi Crucis: Accepit munus grato animo Leo; sed rescribens *g* noluit prætermittere dignam, quam ob res olim aduersus S. Flauianum pro Eutychete & Dioscoro perperam gestas, obiurgationem ille commeruisset.

g *Idem ep. 72.*

SYNODVS HIEROSOL. ADVERS. HÆRETIC.

a *Inter epist. vir. illustr. pro Conc. Chalced.*

IVVENALIS ARROGAT PRIMATVM PALÆST.

Qua excitatus Iuuenalis, prouinciale collegit SYNODVM, in qua fidem Catholicam cunctis seruandam proposuit: cuius extat a Synodalis epistola ad Archimandritas & monachos eiusdem prouinciæ Palæstinæ. Vbi cum primo loco subscriptus legatur ipse Iuuenalis, secundo vero Irenæus Episcopus Cæsariensis Ecclesiæ, quæ decreto Nicæni Concilii confirmata fuerat totius Palæstinæ Metropolis; videas Iuuenalem aduersus illud iam sibi penitus arrogasse primatum.

V. DE INTERITV ATTILÆ.

Hoc ipso anno, Rex Hunnorum Attila noctu mulieris manu cultro confossus interiit: quidam vero sanguinis reiectione extinctum perhibent. Hæc Marcellinus sub his Coss. quæ Cassiodorus anno superiori collocat. Porro fœminam hanc recens amatam ab Attila, cum plures nominent *Hildiconem*, *Mscholtam* alii, Paulus diaconus in suarum Romanarum Historia, quam posuit appendicem ad Eutropium, appellat *Indicto*, nisi sit mendum in codice: aitque, ipsum Attilam, cum ob nouæ nuptę festiuitatem profusa conuiuia exercens nimio mero indulsisset, supinum quiescentem, eruptione sanguinis qui ei de naribus soliti erat effluere, suffocatum & extinctum esse: eademque ipsa nocte apud Constantinopolim Marciano Imperatori Dominum in somnis apparentem, arcum Attilæ fractum ostendisse.

DE HONORIA VALENT. SORORE.

[Habet quoque eamdem historiã Iornandes de Reb. Getic. cap. 49. ex Prisco antiquiori historico; vbi fœminam illam vocat *Ildiconem*. At in Chronico Andreæ Dandulí Ducis Venet. quod ms. vidimus in Bibl. Vatic. legitur, hanc fuisse *Honoriam* sororem Valentiniani Imp. his nempe verbis: *Cum Attila Pannoniam remeasset, Honoria Valentiniani germana Eunuchum direxit petens, vt eam a fratre honoria Valentiniani germana Eunuchum direxit petens, vt eam a fratre petat vxorem. Ille itaque, licet plures haberet vxores, mandauit Valentiniano comminans pecora se proxime illaturum Italiæ, nisi sororem sibi tradat vxorem. Traditur: nuptiæ celebrantur: in quibus Attila crapulatus, erumpente per apoplexiam sanguine de naribus eius nocte suffocatus est.* Ita tibi, nullo citato antiquiori auctore. Quorum quidem verborũ partem priorem de misso clam ab Honoria, quæ à fratre ob decus castitatis inclusa detinebatur, ad Attilam eunucho, & minis Attilæ nisi ea sibi daretur, habent quoque idem Iornandes cap. 42. Paulus Diac. append. ad Eutrop. & alii: sed omnes addunt, Attilam minime expectato Valentiniani responso, in patriam reuersum, duxisse Ildiconem, & priori nuptiarum nocte periisse. Sane Marcellinus Comes in suo Chronico, sub Consulatu Areobindi & Asparis (ponitur is a Baronio Anno Christi 434.) habet, Honoriam Valentiniani sororem ab Eugenio procuratore suo stupratam concepisse, palatioque expulsam Theodosio Principi de Italia transmissam. Attilamque contra Remp. Occidentalem concitasse. Vbi vero mortem Attilæ huius anni Cos. ponit, nihil de Honoria.]

VI. b *Ext. apud Sur. 8. Ian.* DE S. SEVERINO NORIC. APOST.

Porro ab Attilæ obitu contexuit *Eugipius* Abbas historiam *b* de Rebus gestis S. SEVERINI, Norici Apostoli nominati. Sed quod in ipso exordio dicit, eum de partibus Orientis aduenisse ad Noricos; haud tamen putes hominem fuisse Orientalem. Latinum enim potius extitisse, (cum alioqui patriam ac genus suum, inanis gloriæ vitandæ gratia, celare voluerit: vnde & colligas nobilissimum fuisse) sed feruore perfectionis ad quamdam Orientis solitudinem profectum esse, deinde vero ad Norici Ripensis oppida Pannoniæ Superiori vicina, diuina compulsum reuelatione venisse; idem Eugipius eius discipulus testatur epistola ad Paschasium diaconum, præfixa ipsius Severini Vitæ; quam nos manuscriptam habemus; desideratur autem in ea quam edidit Surius, sicut & pleraq; alia, cum & ea quæ apud illum extant, inemendata satis esse noscantur. Magno vero plane Dei beneficio factum est, vt Ecclesia illa Noricorum olim nobilis, sanctorum Martyrũ multiplicibus aucta coronis, frequentibus tamen barbarorum incursionibus valde depressa, aduentu Seuerini consurgeret, fidesque tepescens denno miraculis tanti viri incalesceret: cum & in ipso eius aduentu, permulti eiusdem monitis iram Dei variis pœnitentiæ actibus auertentes, filiorum Attilæ de successione regni inter se decertantium euasere furorem, incredduli vero male perierunt; vt pluribus docet idem Eugipius.

VII. INGENS PENVRIA, ET PESTIS VEXATORIA.

Hoc item anno, qui obitum Valentiniani præcessit, tanta fuit imbrium paucitas in vtraque Phrygia, Galatia, Cappadocia, & Cilicia, vt homines rerum necessariarum penuria coacti, alimentum pestiferum caperent: vnde etiam lues orta est, qua intumescentibus corporibus, propter nimiam inflammationem lumina amitterentur, & accedente tussi tertio die perirent. Cui quidem pesti etiã nullum potuit omnino remedium inueniri; fames tamen iis quibus vita suppetebat, diuina prouidentia leuata est: quippe anno illo sterili & effœto alimentum ex aëre, non aliter ac manna olim Israëlitis, delapsum est; & insequenti anno fructus maturos terra sua sponte produxit. Nec vero solũ hæc mala per Palæstinam quoque grassabantur; sed & alię graues calamitates per alias quamplurimas regiones pererrabant. Narrat hæc Euagrius *a*, cui & alii adstipulantur. Quin & Occidentales & Boreales oras, penuria afflictatas deplorat Gelasius in Andromachum scribens. Porro ciuitatem, Fabianas nominatam, (quam eam tradunt esse, quę nunc *Vienna Austriæ* appellatur) sæua & ipsam fame oppressam, prædicti S. Seuerini precibus diuinitus subleuatam fuisse, Eugipius in ipsius Vita describit.

a *Euagr. lib. 2. cap. 6.*

IESV CHRISTI ANN. 455.

LEONIS ANN. 16.

MARCIANI 6. MAXIMVS.

ANNVS Domini quadringentesimus quinquagesimus quintus, quo Valentinianus Aug. octauum cum Anthemio Consulatum iniit, annus fuit vltionis & retributionis. Primo enim idem ipse Valentinianus, decimo sexto Calendas Aprilis, dolo Petronii Maximi, cuius (vt vidimus) vxorem constuprarat, occisus est Romæ in Campo Martio ab amicis Aëtii, quem æque ipse anno superiori interfecerat. Ita ex Euagrio *b*, Marcellino *c*, Cassiodoro, atque Procopio *d*. Tenuit autem Imperium annis triginta, minus mensibus septem, & diebus sex.

I. VALENTINIAN. IMP. OCCIDITVR.

b *Euagr. lib. 2. cap. 7. c Marcell. & Cassiod. in Chron. d Procop. de Bell. Vand. lib. 1.*

Eo vero occiso, idem MAXIMVS nullo obice inuadens Imperium, ipsam quoque eius vxorem Eudoxiam Augustam inuitam sibi iunxit coniugem, cum forte antea prima vxor decessisset. Sed cum (vt ait Procopius) dum vna dormirent, fassus esset eius amore se Valentinianum interfecisse; illa exacerbata, quæ etiam prius de vltione viri cogitabat, iam multo magis ob Maximi verba & animum impudicum detectum, ad vindictam incẽsa, mox vbi illuxit, Carthaginem misit qui Gensericum Wandalorum Regẽ inde accerserent. Qui quidem ingenti classe in Italiam adnauigans, Romam nullo aduersante ingressus est. Maximum vero Romani fugientem insectati, lapidibus obruere, membratimque discerpsere, cum nondum tres Imperii menses explesset. Extat de eius vita & morte, Sidonii *e* Apollinaris egregie philosophantis epistola ad Serranum, qui eum laudauerat, ac felicissimum prædicauerat: qua docet, illum, cuius (vt ait) anterius epistolæ, mores, peculiaritates, fasces, pompæ, literæ, patrimonia, & patrocinia florebant, quique in arcem Prętectoriam, Patriciam, Consulatumque, intrepidus ascenderat; cum tamen venit ad Principalis apicis abruptum, quãdam potestatis immensæ vertiginem sub corona passum, ante crepusculum ingemuisse quod ad vota peruenisset; nec sustinuisse dominũ esse, qui non sustinuerat esse sub domino.

II. MAXIMVS INVADIT IMPERIVM.

Porro Gensericus (vt addit Procopius) gazam omnem Imperatoriam, ac si qua erant Romæ decora, statuasque, & Iouis Capitolini tegularum ex ære auratarum partem dimidiam abripuit. Quem & constat Hierosolymitani templi vasa, olim à Tito Romam translata, abstulisse: quæ postea in recuperatione Africæ per Belisarium Constantinopolim asportata dicuntur, ac inde Iustiniani Imp. iussu Hierosolymam relata. Sed & incensam à Gensérico Vrbem, Euagrius *g* tradit: verum spectacula tantum combusta, habet Nicephorus *h*: & auctor Miscellæ *i* scribit, occursu S. Leonis Papæ mitigatum Gensericum, Vrbem ab incendio, cædibus, atque supplicijs immunem seruasse; omnibus tamen opibus ablatis, multisque captiuorum millibus in Africam abductis. Cæterum coërcitum pariter ab eodem Leone Gentericum fuisse, ne in thesauros trium præcipuarum basilicarum, nempe Lateranensis

III. GENSERICVS REX WANDAL. CAPIT ROMAM. *e Sidon. l. 1. ep. 11.*

f Procop. lib. 2. de Bell. Vand. Nicephor. lib. 14. cap. 11. Isidor. in Chron. Marcell. & Cassiod. de eff. Pp. Affr. g Euagr. lib. 2. cap. 7. h Nicephor. lib. 14. cap. 11. i Miscell. lib. 15.

WANDALORVM PRIMARIVS ECCLESIAS

Constan-

Constantinianæ, S. Petri in Vaticano, & S. Pauli via Ostiensi, reliquas autem prædatum esse, fidem faciunt quæ in Leone leguntur Libro de Romanis Pontificibus; nimirũ ipsum Leonem, post cladem Wandalicam, renouasse per omnes Titulos ministeria sacrata argentea, de conflatis hydriis sex prædictarum trium basilicarum, quas Constãtinus Imp. eis contulerat. Durasse vero direptionem Vrbis diebus quatuordecim, Isidorus in Historia Wandalorum affirmat: sed illud male, quod habet, Valentinianum post direptionem Romæ relictum; quem liquet ante esse necatum. Sed & periisse magna ex parte naufragio direptas opes affirmant: quamuis Procopius scribat eam tantum nauem submersam fuisse, in qua erant statuæ.

IV. EVDOXIA AVG DAT PŒNAS.

Cum vero truculentus barbarus, vna cum aliis captiuis ipsam quoque Eudoxiam Augustam, quæ illum introduxerat, eiusque ex Valentiniano susceptas filias, Eudociam & Placidiam, secum in Africam abdux sset; tradit Procopius, eum Eudociam Hunerico filio suo, Placidiam Olybrio nobili Senatori Romano locasse: eandemque postea Placidiam simul cum Eudoxia matre, rogante Leone Imp. qui Marciano successit, Constantinopolim misisse. Eadem Euagrius, nisi quod nuptias Placidiæ cum Olybrio, non per Gensericum esse contractas ait, sed per Marcianum Constantinopoli, cum illuc capta Vrbe Olybrius cõfugisset, & ad eum, quam ipsi desponsatam scisset, Placidiam humaniter Genericus remisisset. Consentit quoq; his Nicephorus: sed in eo & ipse errans, dum viuente Pulcheria ea facta ponit. Denique & Eudociam Placidiæ sororem, quod parum ei grata esset viri coniunctio qui Arianam profitebatur hæresim, post sexdecim ab Vrbe capta annos clam Hierosolymam aufugisse, (genito prius Hilderico filio) ibique pie obiisse, idem postea Nicephorus scripsit. Quanta vero charitate reliquos captiuos prosecutus fuerit Deogratias Episcopus Carthaginiensis, Victor a Vticensis exacte narrat.

a *Victor de persec. Wandal. lib. 1.*

V. EVDOCIA AVGVST. EX AFFLICTIONE FIT ORTHODOXA.

Profuit autem grauis ista captiuitas Eudoxiæ Augustæ & filiarum eius, ad salutem matris Eudociæ itidem Augustæ, vxoris quondam Theodosii Iunioris, Hierosolymis agentis. Etenim cum ita imbibisset Eutychianam hæresim, vt resipiscentibus cæteris, ipsa obstinata persisteret; his attrita flagellis, tandem reddita menti, (id imprimis operantibus b magnis illis ac sanctissimis viris, Symeone Stylita, & Euthymio) quam hactenus fouisset hæresim, penitus abhorruit, & aliquot post annis sancto fine diem clausit, multis relictis pieratis operibus.

b *Vide Cyril. in Vit. S. Euthym. ap. Sur. 20. Ian. & Niceph. lib. 15. c. 13.*

VI. AVITVS CREATVR IMP.

Hoc eodem anno, à cæde Maximi elapso interstitio viginti octo dierum interregni, in Galliis AVITVS (qui Præfectura Prætorii Galliarum à Valentiniano donatus, & Magister militum à Maximo creatus, tunc Legatum pro fœdere pacis agebat apud Theodoricum, qui occiso Torismundo fratre regnum Gothorum susceperat) ab exercitu, adnitentibus Gothis, ipsoque imprimis Rege Theodorico, Imperator acclamatus est inuitus atque reluctans: Vir quidem domi militiæque spectatus, nobilissimo ortus genere, orator egregius, iurisque consultissimus, ac laboris bellici haud expers: cuius res gestas Sidonius Apollinaris paucis perstrinxit, in Panegyrico anni sequentis exordio in Consulatus eius auspicatione versibus edito: eũdemque fuisse patria Aruernum, Gregorius c quoque Turonensis tradit.

c *Greg. Tur. 2. Hist. Franc. 11.*

VII. MARCIAN. IMP. VINDICAT CERVM IN PRISTINAM LIBERTATEM.

Hoc item anno, mox vt Marcianus Imp. certior factus est de nece Valentiniani, cum prudenter consideraret illum diuinam in se iram concitasse simulac sanctionem edidisset aduersus Ecclesiasticam immunitatem; his ipse monitus, haud sibi satis visum est, Catholicæ fidei se exhibuisse patronum, sed & personas etiam Ecclesiasticas pristinæ restitui voluit iurium libertati, antiquatis legibus aduersus eam ab aliis Imperatoribus antea promulgatis, quibus interdicebatur clericis ne quid ex testamento relictũ à viduis aut diaconissis caperent. Quam ipsius sanctionem d hoc anno decimo Calendas Maij editam, probauit etiam postea Iustinianus, suoque voluit Codici e intexuisse.

d *Marcian. Nouell. tit. 3. & l. generali lege. C. de Episc. & Cler.*

IESV CHRISTI ANN. 456.

LEONIS ANN. 17.

MARCIANI 7. AVITVS.

I.

ANNVM Domini quadringentesimum quinquagesimum sextum, Fasti Consulares apud Marcellinum & Cassiodorum in Chronicis, notatum habent Coss. Ioanne ac Varane, seu Varare: Verum alterum Consulem Auitum Aug. Sidonius Apollinaris huius temporis scriptor, ipsiusque eiusdem Auiti gener, ponit in Panegyrico ipsi dicto Calendis Ianuarii: extantque de eiusdem Consulatu antiquę sepulcrales inscriptiones Romæ in basilicis Lateranensi & S. Agnetis via Numentana; vt de eo nulla ampliusremaneat dubitatio. Sed accidisse puto, vt cum Imperio eidem abrogatus fuerit Consulatus. Hoc enim anno (inquit Cassiodorus) Placentiæ depositus Auitus Imperium, quod tenuerat mentes decem & dies octo. At Euagrius a octo tantum mẽses ei tribuit. Porro de eiusdem Imperii depositione diuersæ sunt sententię: peste enim extinctum, idem Euagrius tradit; Nicephorus b fame, Gregorius vero Turonensis ait, eum luxuriose agere volentem, ideoque à Senatoribus electum, apud Placentiam Episcopum esse ordinatum; cumque adhuc Senatus indignans eum vita priuare vellet, ad suos Aruernos se recipientem, in itinere diem obiisse. Cæterum ob odium in Maximum, Auitus qui ab eo electus fuerat Magister militum, æque passus inuidiam, ac Senatui Populoque Romano perinfensus redditus, haud ab eo receptus est Imperator: quãobrem eumdem sponte se abdicasse putamus. Id vero accidisse constat decimosexto Calendas Iunii: fuitque interregnum decem mensibus & diebus quindecim. Ne autem errare contingat in nomine & genere, alius Iunior *Auitus* vixit hoc tempore, idemq; Sidonii perneccessarius, ac matrum consanguinitate propinquus; vt constat ex ea quam ad ipsum scripsit Sidonius epistola d.

AVITVS DEPONIT IMPERIVM.

a *Euagr. lib. 2. cap. 7.*
b *Niceph. lib. 15. cap. 11.*
c *Greg. Tur. hist. Franc. lib. 2. cap. 11.*

d *Sidon. l. ep. 1.* DE CONSVLATV AVITI IMP.

[Quod hoc β. dictum est, ideo non fuisse notatum in Fastis Auiti Consulatum, quod ei cum Imperio abrogatus fuerit; aduersari videntur huic rationi Inscriptiones memoratæ, quæ Consulem Auitum etiam post depositum Imperium agnoscunt: quippe prior Cal. Novemb. posterior 14. Cal. Iul. notant; ipse vero imperium dicitur abdicasse 16. Cal. Iunii. Quare aliam huius rei rationem adfert Sirm. Not. ad Sidon. Panegyr. nempe quod Consularia Chronicorum auctores, Consulatus Auiti, vt ambigui Principis, ratione non habuerint, quippe qui eodem modo alios omnes incertorum Principum Consulatus omittere consueuerunt. Sic enim in libello de Præf. Vrb. quem Cuspinianus edidit, Magnentii Consulatus producuntur, itemque Maxentii, quos ipsi sibi vsurpauerunt; quidam tamen à Callio toto, aliisque prætermittuntur. Et ex eodem fonte paria Consulum interpolari nonnumquam, & vni Consuli collegam hic vnum, alibi alium copulari videas: videlicet quod qui purpuram affectassent, & suos ipsi Consulatus inirent, & alios suarũ partium Consules crearent.]

II. THEODOR. REX GOTH. VINCIT SVEVOS IN HISPAN.

Dum autem ista fierent, interim Theodoricus Gothorum Rex, quod Auito sumendi Imperii auxilium præbuisset, eiusdem permissu cum ingenti exercitu Aquitanias ingressus est: indeque in Hispaniam progrediens, Rectiarium Sueuorum Regem sibi cum magnis copiis occurrẽtem deuicit, & in fuga captum occidit; Galliciaque & Lusitania deuastatis, dum Emeritensem vrbem deprædari moliretur, S. Eulaliæ martyris territus ostentis, aliisque acceptis aduersis nunciis, reuersus est in Gallias. Narrat hæc Isidorus e: quæ quidem anno præsenti cœpta, plurium sequentium impleuere curricula. Porro hunc Theodoricum, licet Arianum hominem, mirifice celebrauit Sidonius f, & cum animi tum corporis egregiam effigiem præclare descripsit, multa de eo narrans optimo Principe digna.

e *Isidor. in Chron. Gothor.*
f *Sidon. l. ep. 2. Ad Agric.*

III. FRANCI REGNVM STABILIVNT IN GALLIA.

Quod autem is bella in Hispanias conuertit, cessetunt hæc percommode *Childerico* Francorum Regi, qui his diebus successerat *Meroueo*, quem præcesserat *Clodio*, successor *Faramundi*. Quinam autẽ hos antecesserint, obscurum est: habuisse tamẽ gentem fortissimam semper Reges, ex Ammiano,

miano,& aliis *a* constat. Sic igitur occupatis Gothis in Hispania, & absente Romano exercitu in Italiam secuto Auitum, datum est FRANCIS, quod sæpe pertentarant, vt firmas tandem figerent in nobilissimo Galliarum solo feliciter Regni radices. Iam enim diu ante, temporibus Aureliani *b* Imp. iidem Gallias inuadentes repulsi fuerãt: rursumque tempore Iuliani cum earumdem partes extremas attigissent, ab eodem repressi *c* sunt. Insuper (vt alias repetinas ab occasione oblatas eorumdem incursiones dicere prætermittamus) sub Valentiniano Seniore vna cum Burgundionibus magno exercitu easdem inuadentes, æque reiecti sunt: itemque sub Valentiniano Tertio, cum extremis occupatis vlterius progrederentur, per Aëtium atque Maiorianum sunt victi *d*. Demum vero occasione Attilæ *e* sese in medias Gallias immittentes; tandem ab hoc tempore illic suas penitus firmarunt sedes, regnumque PARISIIS stabilierunt, prædicto CHILDERICO regnante: quod præter Sigebertum *f*, & alios, testantur Acta fidelissima *g* S. Genouefæ virginis: quibus etiam traditur, eumdem Regem, etsi Ethnicum, audita eiusdem virginis sanctitate, & ingentibus ab ea consuetis edi miraculis, singulari eam prosecutum esse veneratione; adeo vt aliquando cũ reos quosdam capitis pertinaci animi sententia decreuisset occidere, & ne eiusdem Sanctæ precibus posset flecti ad misericordiam, ex vrbe egressus iussisset portas occludi; tamen cum audisset reseratas sponte fuisse ad illius aduentum portas, reis veniam concesserit. Cui quidem pro munere illud videtur à Deo omnium remuneratore largitet impertitum, vt sicut Ægyptiis *h* obstetricibus, ob subtractos à nece Hebræorum infantes, domus in præmium fuerunt ædificatæ; ita Regi Francorum Regnum (quod hactenus barbarorũ nulli licuerat) in nobilissima parte Galliæ stabiliretur: permansurum tamdiu ipsum, quãdiu eiusmodi in cultu Sanctorum pie iacta fundamenta permanserint; periturum vero omnino, cum eadem impie fuerint hæretica prauitate reuulsa. At de rebus Francorum modo satis; quorum egregiis factis Annales nostros frequentissime nobilituri sumus.

[De origine Francorum, eorumque antiquis sedibus ac Regibus, vsque ad Clodoueum, & præliis ab iis pro occupatione Galliarum initis, accurate satis ac diligenter scripsit post cæteros omnes, ac forte præ cæteris omnibus, (si tamen concesserit Cluserius) *Ioan. Isac. Pontanus* Belga: qui tamen maiorem inde haud dubium à Francis simul & Gallis gratiam & laudem meruisset, si Francorum (post Christianitatem à Gallis acceptam) Religionem aut penitus non attigisset, aut Catholice, vt vere ea fuit per omnia, descripsisset nec fermentum admiscuisset Pharisæorum; dum nec nihil neque omnia, & vel falsa, vel ambigua, hæc sunt quæ dicit. Sic enim ex abundantia cordis (vt Veritas ait Luc. 6.) os loquitur; cum aperte militet in castris aduersariorum.]

IV. VETITI RELIGI EPISCOPI IN AFRICA.

Hoc ipso anno, post vita functum S. Deo-gratias Episcopum Carthaginiensem, cum sedisset annis tribus, non solum nulla facta est Catholicis potestas alicuius in locum eius subrogandi; sed etiam ipsorum Ecclesia in ea ciuitate, præcipiente impio Genserico Wandalorum Rege, clausa est, dissipatis per diuersa exiliorum loca presbyteris & ministris: ac pariter Zeugitanæ, & Proconsulari prouinciæ interdictum est Episcopos ordinare, quorum cum esset numerus centum sexaginta quatuor, iidem paulatim deficientes, ad tres tantum redacti erant, quando has Victor *i* calamitates describebat: qui & plurima addit nobilissima Christianorum per diuersas Africæ prouincias martyria, & glorioſissimas confessiones: quarum etiam occasione cum *Martinianus* quidam, vna cum tribus aliis germanis conseruis, à conserua Maxima, virgine Deo dicata, sed tamen ab hero inuite eidem Martiniano desponsata, ad virginitatem seruandam, & pietatem in monasterio colendam adducti; post immenta & plane crudelissima tolerata ea occasione, ac diuinitus superata tormenta in Interiorem Mauritaniam, quo numquam fides CHRISTI penetrasset, relegati fuissent; ingentem barbarorum multitudinem ad Christum conuerterunt, missisque Romam nunciis sacros ministros inde accersierunt, ac demum pro præmio glorioſissimum martyrium consecuti sunt. Additum vero est ab impiis Arianis, vt Catholicos cogerent rebaptizati, ministeriaque diuina ac libros tradere, reluctantes autem tormentis cruciarent, tametsi non omnes impune. Siquidem inter alios Proculus quidam rapaci manu cuncta populans, ac de pallis altaris camisias sibi & femoralia faciens, frustatim comedens linguam, in breui turpissima consumptus est morte. Denique iidem nefandi Ariani ad tam execranda scelera infelices hæretici processerunt, vt etiam Corpus & Sanguinem CHRISTI pauimentis spargerent, ac pedibus conculcarent. Porro eorum omnium, quorum meminit Victor, Martyrum & Confessorum, annuatim celebratur memoria ab Ecclesia Catholica, indita sacris chartis. At vero non Africam tantum dira persecutione ingemuisse, sed & alias Romani Orbis prouincias, Hispaniam, Italiam, Dalmatiam, Illyricum, Siciliam, Sardiniam, Epirum, Græciam, cum idem sæuus barbarus Genscricus annis ferme singulis valida classe ora maritima infestaret; idem Victor, necnon Procopius *a* scribunt.

Illustrabat autem his temporibus prouinciam Mauritaniæ Cæsariensis, alius *Victor* Cattennæ Episcopus, qui (vt auctor est Gennadius *b*) insultantes Arianos egregio scripto libro redarguit; eumque ad ipsum Genscricũ Regem, paratus oppetere pro fidei defensione martyrium, legendum misit. Itemque *Voconium* Castellani Episcopus, quem pariter aduersus Arianos, aliosque hæreticos, necnon Iudæos, aliaque scripsisse, idem auctor *c* tradit. Atque *Pomerius* scientia celebris, qui ex Mauritania recedens, Romam primum, inde se in Gallias contulit, multaque scripsit quæ idem Gennadius *d* recenset; laudatque simul eius viræ mores sanctissimos. Extat vero etiam Leonis *e* Papæ ad eiusdem Mauritaniæ Cæsariensis Episcopos epistola his temporibus scripta, qua inter alia eos admonuit de Ecclesiastica obseruantia, cum in aliis rebus, tum in ordinationibus sacerdotum exactissime custodienda; adeo vt in tanta ministrorum Ecclesiasticorum penuria haud voluerit dispensari cum bigamis; & qui eiusmodi ordinati fuissent, deponi voluit.

Hoc eodem anno defuncto Maximo Episcopo Antiocheno, cum sedisset annos septem, subrogatus est in locũ eius *Basilius*: quem fide Catholica præstantem extitisse, testantur literæ *f* Syrorum Episcoporum ad Leonem Imperatorem postea scriptæ.

a *Vide Greg. Tur. lib. 2. Hist. Franc. cap. 9. & alios Franc. rerum auctores.*
b *Vopisc. in Aurelian.*
c *Cassiod. in Chron. Coss. Valentin. & Valent.*
d *Sidon. in Panegyr. Maior. quæ de re vide supr. an. 428. num. III.*
e *Idem Panegyr. Auit.*
f *Sigeb. in Chron.*
g *Ap. Sur. 3. Ianuar.*
h EXOD. 1. EX CVLTV SANCTORŨ STABILITŨ REGNVM FRANCOR.
i *Victor de Pers. Wand. lib. 1.*
EX PERSECVTIONE FIDES PROPAGATVR IN MAVROS.
a *Procop. de bell. Wand. lib. 1.*
b *Gennad. de Script. Eccl. cap. 77. & lib. cap. 78.*
c *Ibid. c. 48.*
d *Leo ep. 87.*
e *Ex. inter epist. illustr. vir. pro Con. Chalced.*

IESV CHRISTI ANN. 457.

LEONIS ANN. 18.

LEONIS IMP. I. MAIORIANI I.

V. ILLVSTRES HVIVS TEMPOR. AFRI. EPISCOPI. V. CVM BIGAMIS LEO PP. NON DISPENSAT.

VI.

ANNO Christi quadringentesimo quinquagesimo septimo, Constantino & Rufo Coss. Marcianus Imp. ex hac vita migrasse ponitur à Marcellino *g*, Cassiodoro, & aliis: ex quibus corrigendus Euagrius *h*, qui eum imperasse tradit vsque ad Seuerum in Occidente regnantem, cum tamen nec ipse ei vltra septem Imperii annos tribuat. Sed & de tempore mortis, idem redarguitur ex literis S. Leonis Papæ ad Leonem Marciani successorem ante Imperium Seueri conscriptis. Numerantur vero anni Imperii Marciani sex, & mẽses sex: quem quidem Theodorus *i* Lector scribit defunctum esse die vigesima sexta Ianuarii, cum parans se ad bellum aduersus Wandalos qui Romã diripuerant, egrederetur ad Supplicationes quæ in Campo fiebant. Prædicatur autem inter alias virtutes ab auctoribus, effusa ipsius in pauperes largitas, & imprimis inculpata religio, propensissimumque erga fidem Catholicam studium, atque in Imperii administratione prudentia, legum insuper inuiolata custodia, & admiranda tum corporis tum animi castitas. Vt vix sit reperiri inter Constantinopolitanos Impp. aliquis post Constantinũ Magnum, qui cum Marciano conferendus videatur.

g *Marcell. & Cassiod. in Chron.*
h *Euagr. lib. 2. cap. 8.*
i *Theodor. Lect. Collect. lib. 1.*
EIVS VITA.

Eo defuncto, communi Senatus, Exercitusque consensu, LEO Tribunitius, & ipse Thrax genere, Imperator salutat[us] est, & ab Anatolio Episcopo Cõstantinopolitano diademate

I. MARCIANI IMP. SVCCESSIO.

II. LEONIS IMP. ELECTIO.

diademate coronatus *a*; annum tunc agēs (vt ex Euagrio *b* colligitur) quinquagesimum quartum: per quem olim, cum adhuc priuatus esset, diuino Beatissimæ Virginis Matris monitu, cæcum quem errantem in via repertum misericordia motus ducendum susceperat, luto oculis appositio illuminatum fuisse, & siti qua cruciabatur, aqua miraculose inuenta, liberatum; ipsique Leoni, tāquam in mercedem eiusmodi pietatis, Imperium ab eadem Dei-Genitrice prædictum fuisse, & vt Imperator factus Ecclesiam eodem loco in eius honorem construeret, iussum, Nicephorus *c* tradit.

a Niceph. lib. 15 c. 13.
b Euagr. lib. 2. c. 12.
c Niceph. lib. 15. cap. 25.

III.

De eius autem electione Leo Romanus Pontifex certior factus, confestim ad eum litteras gratulatorias dedit, quarum meminit in aliis *d* ad eumdem secundo datis; hortatusque est ad custodiam fidei Catholicæ, & defensionē Concilii Chalcedonensis, quod tantopere hæretici labefactare conarentur. Cui rei diligenter incumbens Imperator, sanctionem amplissimam edidit, qua significauit se confirmare omnia à prædecessoribus Impp. aduersus hæreticos promulgata decreta, atque imprimis quæ pro firmitate prædictæ Synodi à Marciano sancita fuissent. Adiecitque vt ad Metropolitanos omnes Orientales literas daret, quibus reliqui pariter admonerentur Ecclesiarum minorum Antistites, vt cuius essent fidei redditis literis facerent manifestum; vt vel sic rursum confirmarent definitionem Synodi, vel detecti hæretici sedibus pellerentur. Exciderunt illæ quidem ipsius sanctio, literæque, quibus Deo Imperii sui primordia consecrauit: sed de illis fidem faciunt literæ *e* Cleri Alexandrini & Orthodoxorum Ægypti Episcoporū, ad ipsum redditæ occasione turbarum recens apud eos obortarum.

d Leo ep. 73.

CATHOL. FIDEM TVETVR.

e Ex. int. ep. ill. vir. pro Conc. Chalcedon.

IV.

Accidit enim dum pro firmitate Catholicæ fidei hæc Constantinopoli agerentur, Alexandrinam ciuitatem vna cum omnibus Ægypti prouinciis, turbis vehementioribus agitari à factione Dioscori, ex improuiso omnem q̄ per septem ferme annorum spatium in stomacho continuerat bilem, in ipsum sanctissimum Alexandrinum Episcopum Proterium euomente: cum ipsius sectatores, simulac defuncti Marciani nūcium accepissent, (à quo, post condemnationem ipsorum factam à Proterio in Synodo, in exilium pulsos fuisse vidimus) cœlestissimo duce vno ex ipsis, *Timotheo* cognomento *Ælauo*, olim ex monacho creato presbytero, venientes Alexandriam, eumdem ipsum Timotheum in Pontificium thronum intruserunt, ac post paucos dies eumdem *S. Proterium* intra ipsam Ecclesiam, in ipso baptisterio, ipsoque die Cœnæ Domini, occiderunt, corpusque eius per vniuersam ciuitatem crudeliter tractū membratim diuiserunt, ac more canum interiora eius degustarunt, reliquumque corpus igni, cineres vento tradiderunt. At post hæc idem Timotheus vrbem Alexandriā, totamque Ægyptum sæuissimis Orthodoxorum omnis generis, sexus, & conditionis, persecutionibus, rerumque ac personarum sacratum profanationibus implens; demū in ipsum quoque Romanum Pontificem, necnon Constantinopolitanum & Antiochenum Episcopos, cunctosque Chalcedonensis Concilii defensores, anathematis iaculo intorsit. Quæ quidem omnia, aliaque eiusmodi, fusius pertractata habentur in iisdem Orthodoxorum Ægyptiorum ad Leonem Imp. literis: meminitque eorumdem Liberatus *f*. necnon Theodorus *g* Lector; qui de eodem Timotheo & hoc amplius habet, eum, antequam occideretur Proterius, nigra veste indutum cellas monachorum circuire solitum, vnumque se ex administratoriis spiritibus asserere, ad hoc missum vt cunctis ediceret ne cū Proterio communicarent, sed Timotheum Ælurum Episcopum designarent. Porro tanta passi Orthodoxi Ægyptii, non solum (vt diximus) ad Imperatorem de iis scripserūt, sed etiam ad Anatolium Episcopum Constantinopolitanum; eosque inter alia rogarunt, vt ea Romano Pontifici; aliisque Orthodoxis Episcopis significanda curarent.

TIMOTH. ÆLVRVS INVADIT ECCLES. ALEX. ET DIRE IN ORTHODOX. AGIT.

f Liber. Breuiar. c. 15. *g* Theodor. Lect. Collect. lib. 1.

V.

h Ex. int. epist. vir. ill. pro Conc. Chalcedon.

Sed nec defuerunt hæretici partibus suis. Miserūt enim & ipsi ad Imperatorem Legatos, literasque *h* dederunt, in quibus de nece illata S. Proterio ne verbum quidem; solū in eo insistentes, fedeute Timotheo pacem esse redditam Alexandrinæ Ecclesiæ: & quod literis eiusdem Imp. omnes Metropolitani (vt vidimus) exigerentur professionem fidei scribere, iidem hæretici quæ tum ipsi tum Timotheus crederent, magna procacia adiunxerunt; profitentes se solam fidem Nicænam, ac Synodos Ephesinas (nempe Prædatoriam etiam comprehendentes) amplecti, Chalcedonensem vero reiicere.

EIVSDEM PROCACIA.

VI.

Porro cum vt his tantis malis efficax remedium ab iis quorum intererat adhiberetur, ea omnia piissimus Imperator *a* Anatolio Episcopo Constantinopolitano, Anatolius autem Romano Pontifici, totiusque Orbis Christianis Ecclesiis, Circularibus literis significasset, ac rursum Leo Papa de iis *b* ad eosdem Imperatorem & Anatolium rescripsisset: licet Imperator ab eo admonitus, ardentiori animo hæreticis restiterit, seque Chalcedonensis Synodi custodem esse publice *c* professus fuerit; tamen quod cuperet omnes simul in vnam concordiam vniri, perentibus legatis Timothei, causam agi debere in Vniuersali Concilio, assensum præbuit; optansque ad terminandas omnes quæ vbique essent in Ecclesia lites, præsentiam suam Romanum Pontificem exhibere, ea de re ad eum literas dedit. Sed restitit huic consilio S. Leo, & ad eum rescribens *d* Calendis Decembris huius anni, pluribus docuit non ita indulgendum esse hæreticis, vt ad eorum arbitrium auctoritates, quas Vniuersalis semel amplexa esset Ecclesia, infringerentur, eas iterum tractandas proponendo: sic enim nullum fore colligendis Episcopis modum, idq; magis esse dilatare, quam sopire certamina.

a Extat ibid. Leonis & Anatolij inuicem data litera.
b Leo Pap. ep. 73. & 78.
c Ap. Leon. epist. 74. ad Leon. Imp.

NON SEMPER INDVLGENDVM HÆRETICIS CONCILIA POSTVLANTIBVS.

d Ep. 75.

VII.

Sed & quod iidem hæretici fraudulenter dicerent, se nihil aliud de fide præter quod fuerat Nicææ definitum suscipere velle; iisdem literis S. Leo Imperatorem admonuit, haud satis esse ad perfectam fidei confessionem his temporibus Nicænum tantummodo Symbolum profiteri, in quo non de humanitate Christi, sed de diuinitate potissimum actum esset, in Concilio vero Chalcedonensi tractatum sit de vera & perfecta ipsius humanitate: ac proinde sicut verum Deum & verum hominem Christum vnum confiteri Fideles deberent, ita pariter astringi omnes vtramque Synodum suscipere ac profiteri. Quod autem ad Timothei electionem pertinet, non ipse solum Leo Papa iisdem literis illam omnino improbauit, sed etiam (vt scribunt Euagrius *e* & Liberatus *f*) omnes Metropolitani, quos tum de Concilio Chalcedonensi, tum de ea Imperator literis Circularibus consuluerat: quorum quidem extant *g* triginta sex epistolæ ad eumdem Imp. eodem argumento rescriptæ pro confirmatione Synodi, & damnatione Timothei. Et ex omnibus vnus solus (inquit Euagrius) Amphilochius Episcopus Sidæ, epistolam scripsit ad Imperatorem, in qua vti contra Timothei creationem grauiter vociferatus est, sic Concilium Chalcedonense improbauit. Quæ vero post hæc gesta in his fuerint, dicetur anno sequenti.

DAMNATVS AB OMNIBVS TIMOTHEVS.

e Euagr. lib. 2. cap. 10.
f Liber. c. 15.
g Epist. vir. ill. pro Conc. Chalced.

VIII.

Hoc item anno Rauennæ creatus est Imperator Occidentalis Imperii, *Iulius Valerius* MAIORIANVS, (qui iam olim ob victos Francos & Alemannos, Magister militiæ factus fuerat) annuentibus simul Senatu & militibus, atq; ipso etiam Leone Orientis Imperatore: quæ pluribus describit Sidonius Apollinaris in Panegyrico eidem Maioriano dicto.

MAIORIANVS CREATVR IMP. OCCIDENTIS.

IX.

Hocque ipso anno, quo Marcianus Aug. obiit, æque defunctum esse Iuuenalem Hierosolymitanum Episcopum, postquam sedisset annos viginti octo, testis est Cyrillus monachus in Vita *h* S. Sabæ Abbatis; qui hoc eodem anno in Palæstinam perrexit ad magnum Euthymium, adhuc adolescentulus octodecim annorum: sub quo adeo profecit, vt egregia vbique sanctitate postea conspicuus illuxerit; de quo sæpe inferius. Sed quod ad Iuuenalem spectat; scripsisse illum ex maiorum traditione *de Transitu Virginis* libellū, Nicephorus *i* testatur. Porro vacasse eam sedem vsque in annum sequentem, Acta *k* Quiriaci Anachoretæ nos admonent: vbi qui nonus numeratur annus Leonis Imperatoris, idem Anastasii, qui Iuuenali successit, sedis recensetur octauus.

h Ap. Sur. 5. Decemb. S. SABA INSIGNIS ABBAS.
i Niceph. lib. 15. c. 13. & lib. 15. cap. 14.
k Apud Sur. 29. Sept.

IESV CHRISTI ANN. 458.

LEONIS ANN. 19.

LEONIS 2. MAIOR. 2.

I. SIDONIVS DONATVR STATVA, ET CORONIS.

ANno Christi quadringentesimo quinquagesimo octauo, ambobus Augg. Leone & Maioriano Coss. *C. Sollius Sidonius Apollinaris*, natione Gallus, patria Lugdunensis, clarissimus genere, patre Præfecto Prætorio Galliarum, Auiti Imp. gener, poëticis & rhetoricis literis nulli suæ ætatis secundus, eiusdem Maioriani Consulatum Panegyrico celebrauit; qui & iam antea sub eodem Auitò socero suo publicis meruerat monumentis honestari, gemina nempe corona, ac statua Romæ in Fori Traiani Bibliotheca; prout idem ad Firminum *a* scribens testatur. Maiorianus autem publicæ indulgentiæ edidit sanctionem *b*, qua tributa omnia in præsentem vsque annum nõ soluta, quæ multiplicata erant, penitus relaxauit. Rescripsitque *c* pariter aduersus parentes, qui filias virgines cogerent inuitas sacrum velamen accipere: itemque contra viduas, quæ non amore continentiæ, sed vt liberius viuerent, refugerent nuptias iterare.

a *Sidon. 9. ep. 16. De cuius patria, & statua, ita Sirmondus in Sidon. carm. 17. & in d. ep. 16.*
b *Maior. Nouel. tit. 4.*
c *Id. Nouel. tit. 8.*

II. LEGATI MISSI A LEONE PP. IN ORIENTEM.

Alter vero Consul Leo Imp. acceptis quas Leo Papa anno superiori ad ipsum literas scripserat, cum quæ esset eius de indictione noui Concilii sententia percepisset, mox ad ipsum rescribens, se in omnibus assensurum ei pollicitus est; ad componendas tamen res Orientalis Ecclesiæ, petiit ab eo Legatos mitti Constantinopolim. Annuit cõfestim Pontifex, redditis ad eum literis *d* vndecimo Calẽdas Aprilis: verum contestatus est, haud se missurum Legatos ad disputandum cum hæreticis, quod non esset Ecclesiasticę dignitatis, nouis disceptationibus subiicere quę Oecumenicis iam fuissent definita Conciliis. Missos autem Legatos *Domitianum & Geminianum* Episcopos, idem alibi S. Leo *e* significat: quorum quidem istum putamus fuisse Geminianum, sanctitate illustrem Mutinensem Episcopum, quem eius Acta habent claruisse temporibus Attilæ. Domitianum autem Episcopum nullum hoc tempore inuenimus, præter Catalaunensem, sanctitudine æque conspicuum; cuius est mentio in Concilio Turonensi, & apud Venantium Fortunatum. Porro eodem tempore scripsit *f* quoque Pontifex ad Anatolium Constantinopolitanum; inter alia redarguens eum, quod cum ei cauſæ cognitionem cuiusdam Attici presbyteri, hæresi Eutychiana infecti, delegasset, eum ipse in Ecclesiam absque legitima & perfecta satisfactione susceperit. Denique hoc eodem anno ad eumdem Imperatorem prolixiorem dedit epistolam *g* de Verbi Incarnatione, cum appendice sententiarum SS. Patrum de eadem.

d *Leo ep. 78.*
e *Id. ep. 100. ad Gennad. Episc. Constantinop.*
f *Ep. 77.*
g *Ep. 97.*

III. LEO IMP. QVÆRIT A SS. MONACHIS CONFIRMATIONEM SYNODI CHALCEDON.

Imperator autem consulturus in omnibus Catholicæ fidei, etsi anno superiori ex vniuerso Oriente exegerat ab Episcopis Orthodoxam confessionem; tamen adhuc vtile fore existimans, ad simplicium corda potissimum confirmanda, si sanctissimorum virorum, quos Deus miraculis illustrasset, Chalcedonense fidei decretum testificatione corroboraret; (quod quidem plane idem videri posset, ac si fidem Catholicam omnium subscriptione firmatam, etiam miraculis consignaret) de ea re scripsit *h* ad celeberrimi nominis sanctos anachoretas, præcipue vero ad magnum illum adhuc superstitem Symeonem Stylitam, quẽ super omnes mortales columnæ incolatus euexerat; ac subinde ad Baradatum, & Iacobum Syrum, aliosque vitæ mirifica sanctitudine splendescentes, quorum est etiam illustris memoria apud Theodoretum in Vitis SS. Patrum. Extat *i* autem Baradati ad Imperatorem reddita epistola, qua fidem Chalcedonensem egregie confirmauit, multumque in hæreticos inuectus est. Sed & Symeonem binas eo argumento scripsisse ad eumdem Imperatorem, & Basilium Episcopum Antiochenum literas, testis est Euagrius. Suumque etiam cucullum ad Imperatorem misisse, habent Acta *a* S. Danielis cognomento pariter Stylitæ. Iacobi vero Syri, aliorumque complurium sanctorum Monachorum literæ desiderantur.

h *Euagr. lib. 2. cap. 9.*
i *Inter epist. Vir. Ill. pro Conc. Chalc.*

Hoc eodem anno defunctus est prędictus Basilius Episcopus Antiochenus, anno sedis eius secundo, vt tradit Nicephorus: in cuius locum fuit subrogatus *Acacius*; sub quo, hoc præsenti anno Imperatoris Leonis secundo, (vt Euagrius *b* scribit) memorabilis accidit, decimaquarta die mensis Septembris, hora quarta noctis, clades Antiochiæ exingenti terræmotu; cuius etiam meminit Marcellinus anno sequenti. Additque Nicephorus, Thraciam quoque & Hellespontum, Ioniam omnem, & Cycladas Insulas eadem tempestate concussas esse.

a *Ap. Sur. 11. Dec.*

IV.

b *Euagr. lib. 2. c. 12.* INGENS TERRÆMOTVS IN ORIENTE.

Eodem pariter anno Anatolius Episcopus Constantinopolitanus, cum sedisset annos octo & totidem menses, ex hac vita decessit. In cuius locum subrogatus est *Gennadius* eiusdẽ Ecclesiæ presbyter, doctrina, sanctitate, ac Catholica fide conspicuus: sub quo Theodorus *c* Lector atque Nicephorus *d*, à Marciano eiusdem Ecclesiæ Oeconomo factum ponunt, vt cum maior Ecclesia Constantinopolitana vsurpare consueuisset Oblationes aliarum minorum sibi subditarum Ecclesiarum, posthac quique clerici suarum Ecclesiarum oblationibus fruerentur; ita cohibentibus Gennadio & Marciano primariæ Ecclesiæ ministrorum auaritiam.

V. GENNADIVS CREATVR EPISCOPVS CONSTANTINOPOL.

c *Theodor. Lect. Collect. lib. 2.*
d *Niceph. lib. 15. cap. 22.*

Denique & hoc anno Leonis Imp. secundo (vt dictum est in fine superioris) in locum demortui Iuuenalis Hierosolymitani Episcopi, suffectus est *Anastasius* ex presbytero illius Ecclesiæ vasorum custode: quem ad eam dignitatem peruenturum, iam olim præuiderat, prædixeratque magnus ille Euthymius Abbas: vt in eius Vita pluribus narrat Cyrillus *e* ipsius discipulus.

VI. ANASTAS. HIEROSOL.

e *Ap. Sur. 20. Ianuar.*

IESV CHRISTI ANN. 459.

LEONIS ANN. 20.

LEONIS 3. MAIOR. 3.

I. CONCIL. CONSTAN. CORAM LEG. APOSTOL.

ANno Domini quadringẽtesimo quinquagesimo nono, Ricimere atque Patricio Coss. Constantinopoli præsentibus Apostolicæ Sedis Legatis, exoptatum diu à Leone Imp. celebratum est CONCILIVM, non quidem Oecumenicum, vt ipse primo petierat, sed ex proximis tãtum prouinciis conuenientibus in vnum septuaginta tribus Episcopis; adnitente Gennadio Constantinopolitano, fidei Catholicæ & Ecclesiasticæ disciplinæ acerrimo vindice, atque obseruantissimo custode, (qui & in ea re Sanctos ipsos in cœlo cum Deo degentes, habuisse coadiutores reperitur *f*, dum nec verbis nec verberibus corrigere valens pessimæ vitæ clericum quemdam Ecclesiæ S. Eleutherii Martyris, magna fide interpellans ipsum Martyrem, vt clericum suũ emendaret, aut præcideret; sequenti die clericus mortuus inuentus est. Inter alias autem deformitates Ecclesiæ Constantinopolitanæ, cum nactus esset illam simoniaca labe deturpatam; ad eam penit⁹ euellendam, aliosque prauos mores extirpandos egregiè laborauit.) Perierunt quidem eius Synodi Acta, vt nonnisi canon vnus aduersus Simoniacos *g* reperiri possit. Actum vero in ea esse (quarum causa rerum præcipue conuocata est) de abolenda penitus Eutychiana hæresi, ac confirmãdo Chalcedonensi Concilio, quis dubitet?

f *Prat. Spir. c. 145. Nic. lib. 11. c. 51. Theod. Lect. lib. 1. Collect.*
g *Ap. Theod. Basil. 108 Nouocan. Phot. Cod. Bibl. Fort.*

II. ENCÆNIA ECCL. ANASTASIÆ.

Eodem porro tempore ab iisdem Episcopis celeberrimam factam esse dedicationem nobilis Ecclesiæ erectæ à Marciano Oeconomo sanctissimo viro, habent Acta *h* ipsius; qui & iisdem ENCÆNIIS INSIGNI meruit, in ipsa sacrosancti Missæ sacrificii celebratione, coram omnib⁹ diuinitus nobilitari miraculo, ob charitatem cuidam mendico exhibitam. Porro erecta est illa Ecclesia super ædiculam Anastasiæ, ita nominatum locum illum, vbi primum hospitatus S. Gregorius Nazianzenus prostratam fidem erexit,

h *Ap. Sur. 10. Ianuar.*

erexit, vnde Anastasiæ nomen accepit, sicut dictum est suo loco; id ipsi Gregorio diuino reuelante Spiritu, fore aliquando vt ædicula illa in basilicam ingentem consurgeret. In eamdem porro Ecclesiam, ipsius S. Anastasiæ martyris Reliquias Gennadium transferri curasse, Theodorus *a* Lector, Nicephorus *b*, & alii tradunt. Moris autem fuisse celebrare Encænia tempore Synodorum, cum videlicet plurimi Episcopi conuenissent in vnum, frequentibus comprobatum est superius exemplis.

a *Theodor. Lect. Collect. lib. 2. in fin.* b *Niceph. lib. 14. c. 10.*

III. MONAST. ACŒMETARVM, QVI ET DICTÆ STVDITÆ.

Aucta est etiam Gennadii Episcopi tempore, Ecclesia Constantinopolitana nobilissimo cœnobio monachorũ *Acœmetarum*, hoc est *Insomnium*, qui iuges die nocteq; peruigiles Deo laudes offerre consueuerant, sibi inuicem tripertito tempore succedentes. Noui vero huius cœnobii incolæ, vocati sunt etiam *Studitæ*, à Studio viro clarissimo, qui eiusmodi monasterium in honorem S. Ioannis Baptistæ Constantinopoli erexit, cum illuc Roma migrasset cũ bonis suis; vbi & ante quinquennium Consulatum ordinarium gessit vna cum Aëtio. Hæc quidem constant ex Nicephoro *c*: sed haud (q; ipse videtur asserere) fuit eius instituti monachorum Marcellus auctor, sed tantum propagator: nam *Alexandrum* Abbatem, eiusdemque Marcelli institutorem, religiosum illum cultum inuenisse, testantur Acta *d* eiusdem S. Marcelli, in quibus plura habentur de eodem instituto.

c *Idem lib. 15 cap. 23.*

d *Ap. Sur. 29 Decembr.*

Hoc eodem anno Acacius Episcopus Antiochenus, cũ sedisset annum dumtaxat, ex hac vita decessit: in cuius locum subrogatus est *Martyrius*.

IV. MARTYRIVS EPISC. ANTIOCH.

IESV CHRISTI ANN. 460.

LEONIS ANN. 21.

LEONIS 4. MAIOR. 4.

I.

ANNO Christi quadringentesimo sexagesimo, Magno & Apollonio Coss. Leo Aug. Synodicis impulsus decretis Concilii Constantinopolitani anno superiori celebrati, iussit inuasorem Alexandrinæ Ecclesiæ Timotheum Ælurum inde eiici, dato ad hoc rescripto ad Ducem Augustalem, qui curaret exacte negotium. Testatur hæc Liberatus *e*, qui & addit, in huius Timothei expulsi locum, subrogatum fuisse alium item *Timotheum* cognomento *Solofaciolum*, siue *Album*, virum quietum & pacificum, ac fidei Catholicæ professorem. Verum antequam ista subrogatio fieret, Ælurum post expulsionem permissum fuisse venire Constantinopolim, sub specie quadam abdicandæ hæresis, vt sic sedem recuperaret; constat ex litteris S. Leonis Papæ, quas cum de his certior factus esset, scripsit *f* ad Leonem Aug. & Gennadium Episcopum Constantinopolitanum, de eodem penitus amouendo tamquam impiissimo parricida, etiamsi alioqui videri vellet Catholic⁹, atque alio probatissimo viro in locum eius substituendo. Cui obsequens Imperator, eũdem Ælurum relegari præcepit Chersonam, (vt Liberatus habet) siue, vt alii, in Oasim; ac more pristino à clero Alexandrino eligi, & ab Episcopis Ægyptiis ordinari curauit prædictum Solofaciolũ, qui cum statim more maiorum, de sua ordinatione, vna cum Catholicæ fidei professione, litteras dedisset ad eundem Romanum Pontificem, præstitissentque id ipsum eius ordinatores Episcopi, & Ecclesiæ Alexandrinæ clerus; ad eos singulos alias reddidit S. Leo *g* sub his Coss. decimoquinto Calendas Septembris. Ex quibus redarguas erroris Marcellini Chronicon, dum hoc anno eius ponit obitum. Cum enim sit omnium sententia, ipsum vita functum mense Aprilis, certum est non ante sequentem annum id accidere potuisse.

e *Liber. c. 15* TIMOTH. SOLOFACIOLVS ELIGITVR EPISCOP. ALEXAND.

f *Leo ep. 99. 100.*

TIMOTH. ÆLVRVS RELEGATVR.

g *Id. ep. 101. 102. 103.*

II. h *Cedren. in Comp.* i *Theod. de Vit. SS. Pat. cap. 26.*

Hoc ipso anno *b* quarto Leonis Imp. magnus ille *S. Symeon Stylita*, Orbis miraculum, (vt eum vocat Theodoretus *i*, qui eius vitam ex parte descripsit) Orientalibus æque ac Occidentalibus notissimus; quem ab Imp. Marciano sæpe priuato habitu conuentum Suidas tradit, quemque pii omnes Impp. aliique præstantissimi viri litteris vndiq; ac legationibus frequentarunt, de quo plura dicta sunt superius, ex hac vita migrauit. Quem quidem longe vltra centesimum annum ætatem propagasse, inde facile colliges, quod iam columnam ascẽderat viuente Meletio Episcopo Antiocheno, qui mortuus est anno Domini trecentesimo octogesimo primo, à quo tempore vsque in hanc diem numerare licet annos octoginta: Cum autem eum inuisit Meletius, haud putamus minorem fuisse annis triginta. Porro Christianus Orbis, qui viuentis coluit nomẽ, & est veneratus imagines, memoriam defuncti maioribus est prosecutus honoribus, annis singulis eius diem natalẽ celebrandum instituens; siue diem translationis, cum videlicet *a* venerandum ipsius corpus paulo post obitum, petente Daniele Stylita, Constantinopolim translatũ fuit iussu Leonis Imp. maxime pii, qui & in eius honorem ibi nobilem erexit Ecclesiam.

SYMEONIS STYLITÆ ORITVS.

a *Act. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.*

At sicut Elias *b* Elisæum spiritus reliquit hæredem, & virtutum imitatorem; ita Symeon *Danielem* monachum, quem prædictionibus & diuinis visionibus ad eiusmodi angelicum arripiendum vitæ institutum adhortatus erat, sibi substituisse visus est spiritualis hæreditatis legitimum successorem. Paulo enim ante eius obitum, ipso tamen obitus die (quem licet longe absens, diuina reuelatione præcognouit) idem Daniel instar Elisæi, sicut ille pallium est consecutus Eliæ, ipse cucullum Symeonis, per Sergium discipulum ad Leonem Imp. missum, sed ab illo non retentum, accipere meruit: magnaque fiducia constructam apud Ostia Ponti, haud procul à finibus Constantinopolis, columnam ascendit, coluitq; per multos annos; comprobante Deo eiusmodi propositum plurimis ingentibusque signis & miraculis. Sed hæc fusius ipsius Acta omni fide conscripta: de quo etiam erit sæpe occasio dicendi inferius.

III. b *4. Reg. 2.* DANIEL COLVMNAM ASCENDIT.

IESV CHRISTI ANN. 461.

HILARI ANN. 1.

LEONIS IMP. 5. SEVERI 1.

I. c *Marcell. & Cassiod. in Chron.* MAIORIANI MORS, ET SEVERI IMPERIVM.

ANNO Christi quadringentesimo sexagesimo primo, Seuerino & Dagalaipho Coss. *Maiorianus c* laudatissimus Imperator apud Dertonam Hispaniæ ciuitatem necatus est fraude SEVERI; qui post eum tyrannice inuasit Imperium, ope Ricimeris Gothi, cui Magistro militum creato, cum tamen hæreticus Arianus esset, male crediderat Maiorianus vires Imperii, vt exitus declarauit. Docuit enim sæpe experimentum, magno damno hæreticos admisceri Catholicis, quod nulla sit conuentio *d* lucis ad tenebras.

d 2. *Cor. 6.*

II. S. LEONIS PAPÆ ORITVS.

Sub iisdem pariter Coss. tertio Idus Aprilis, *S. Leo* Romanus Pontifex, cum sedisset annos viginti vnum, minus diebus triginta duobus, ex terrena vita ad cœlestem migrauit; corpus vero eius sepultum est apud S. Petrum Apostolum. Qui quidem ob excellentem virtutem & doctrinam, ac vigilantissimum in cura pastorali studium, à maioribus *Magnus* cognomento iure meruit appellari. Cum autem de eo sint nonnulla antiquis tradita monumentis, quæ nequeant certis eius annis adscribi; illud quidem inter alia haud omittendum, quod narrat S. Gregorius Papa; nimirum cum à quibusdã Græcis dubitaretur de virtute Brandeorum, quæ apponi solerent ad Apostolorum corpora, Leonem eiusmodi vnum brandeum forficibus incidisse, & ex ipsa incisione sanguinem effluxisse. Erant vero *Brandea*, vela quædam seu sudaria, quæ supra SS. Apostolorum Petri & Pauli sepulchrum posita à Fidelibus, ita imbuebantur diuina virtute, vt etiam pondere augerentur; tantæque per ea virtutes fierent, quantæ fere per ipsa corpora Sanctorum. Cuius rei testes sunt fidissimi, ambo Gregorii

e *Greg. 3. ep. 30 ad Const. Aug.* MIRACVLVM DE INCISO BRANDEO.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

a *Greg. Pap. ibid.*
b *Greg. Tur. 1. Miracul. 11 & 28.*

III. De Peccato indigne impositi manvvm.

c *Prat. Spir. c. 149.*

d *1. Tim. 5.*

Fabella de Leone.

IV. Nvmmi cvsi in honorem S. Leonis.

V.

Hilarvs creatvr Rom. Pontif.

VI. Leo Imp. obtinet filivm.

Papa *a* & Turonensis *b*. Ex quibus etiam constat, easdem pariter virtutes operati solitum Deum per claues cancellorum sepulchri eorumdem Apostolorum.

Rursum vero in Prato *c* Spirituali de eodem S. Leone legitur, quod cum quadraginta dies perseuerasset in vigiliis & orationibus ad sepulchrum S. Petri Apostoli, vt dimitterentur sibi à Deo peccata sua; demum apparens ei S. Petrus, significarit esse ei omnia peccata dimissa, præter quam Impositionis manuum. Quod quidem, cum peccata quoad culpam non dimittantur ex parte, intelligi debet de pœnis peccatorum, quæ perpetrassent illi qui ab eo indigni promoti fuissent ad ordines, quibus ipse remaneret obligatus. Quod enim facile sit in his peccare etiam prudentem Episcopum, iure etiam Paulus *d* monuit Timotheum, nemini cito manus imponeret, neque communicaret peccatis alienis. Tunc enim dicuntur Præsules communicare peccatis alienis, dum indignis conferunt honores & ministeria. Porro quæ de eodem Leone apud nonnullos recentiores irrepsit fabula, de amputata sibi dextera manu, quod cum formosa mulier eam esset exosculata, passus quid humani esset, eademque ipsi à sanctissima Dei-Genitrice restituta: hæc sine vlla maiorum auctoritate iactantur, & indigna sunt prorsus quouis Christiano, nedũ adeo sancto Pontifice; ideoque reiiciuntur, tanquam gartularium fabulæ vetularum.

Ad postremum inuenimus nobile monumentum, cusum ex Senatusconsulto numisma æreum in eiusdem Pontificis memoriam, cum imagine & nomine S. Petri à parte altera, altera nomine expresso ipsius Leonis (quod de aliis ante eum Romanis Pontificibus non reperitur) hoc modo, DN. LEONI PAPÆ; omnemque præ se fert cum antiquitate sinceritatem, vt nec leuissimæ suspicioni subiaceat impostura. Quod equidem puto eo tempore cusum, quo ab Attila, fultus præsidio S. Petri, Vrbem liberauit. Præter ista vero habentur in Libro de Romanis Pontificibus, nõnulla de scriptis ab ipso ad diuersos epistolis; pluraque de erectis, reparatis, & ornatis variis Ecclesiis Vrbis. Additurque, ipsum constituisse, vt infra actionem sacrificii diceretur, *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*: Sepulcris Apostolorum custodes adhibuisse ex Clero Rom. quos *Cubiculários* appellauit. Quos quidem modo dicimus *Capellanos*; Cubiculum enim idem fuisse apud antiquos, quod hodie apud nos Capellam, alias monuimus: cum alioqui & nõnullos ex Cubiculariis fuisse laicos homines, doceat Ordo Romanus.

Sed quod demum eodem libro additur, post Leonis obitum sedem vacasse dies septem; pro diebus, reponendi sunt menses, cum ex Concilio Romano sub Hilaro eius successore constet, subrogationem Hilari contigisse mense Nouembris; huiusque veritatis assertorem habeamus, dignum Chronographum Marianum Scotum, qui pridie Idus Nouembris ordinationem Hilari ponit. Fuit autem Hilarvs natione Sardus, patre Crispino genitus, quem olim diaconum idem Leo Legatum vna cum collegis (vt dictum est) miserat Ephesum ad Concilium ibi Oecumenicum sub Theodosio celebrandum. Qui quidem simulac in Apostolica Sede consedit, nihil antiquius habens quam quæ tanto labore essent contra hæreticos constituta, eadem firmare; epistolam Encyclicam scripsit de damnatione Nestorii & Eutychetis, & confirmatione triũ præcipuarum Synodorum Oecumenicarum, Nicænæ, Ephesinæ, & Chalcedonensis, ac Epistolæ Leonis: vt traditur in ipso ingressu rerum ab eo gestarum.

Quod vero ad res Orientis spectat; hoc ipso tempore, cum S. Danielis Stylitæ miraculorum editione fama celebris innotesceret, Leo Imp. cœpit eum magno honore habere, & interdum visitare, atque humiliter venerari; necnon & exteris, tamquam maximum Imperii sui miraculũ ostendere: quemadmodum contigit de Rege Lazorum, qui cum ad Imperatorem fœderis causa accessisset, deductus ab eo ad Danielem, vsque adeo obstupuit, eius videns tolerantiam ac fortitudinem, vt non solum Sanctum, sed & columnam in qua positus erat, cum lacrymis adoraret. Eius vero precibus etiam aliquando Imperator ingenti periculo, quod iapsu ex equo incurrit, liberatus est, & masculam prolem ex Verina cõiuge pientissima fœmina obtinuit: prout hæc omnia fuse narrantur in ipsius Danielis Vita *a*. Verum quod ad susceptum infantẽ pertinet, haud diu ipse superuixit, sublatus (vt putatur) arte Ariadnæ sororis, nequissimæ fœminæ, Zenonis postea vxoris, iam tunc inhiantis Imperio, & malorũ omnium quibus postmodum afflictata est Orientalis Ecclesia, subdolæ concinnatricis.

a *Ap. Sur. 11. Dec. Qua vero hic habentur de periculo Imperatoris & Rege Lazarum, sunt ap Baron. an. 465. nn. XII. & seqq.*

IESV CHRISTI ANN. 462.

HILARI ANN. 2.

LEONIS 6. SEVERI 2.

ANNVS Christi quadringentesimus sexagesimus secũdus, Coss. habuit vtrumque Augustum, Leonem secundum & Seuerum; alioqui rerum Ecclesiasticarum scriptione satis obscurus. Illud tamen notatu dignum quod, Cedrenus *b* ponit hoc anno sexto Leonis, Constantinopoli pictori cuidam, aggresso CHRISTVM forma Iouis pingere, manum exaruisse; eumque facinus confessum, à Gennadio Episcopo sanatum. Quæ eadem habent Theodorus *c* Lector, atque Nicephorus *d*.

b *Cedren. in Compend. Pictoris Profani poena.*
c *Theodor. Lect. Collect. lib. 1.*
d *Nicepb. lib. 15. c. 23.*

1.

IESV CHRISTI ANN. 463.

HILARI ANN. 3.

LEONIS 7. SEVERI 3.

ANNO Christi quadringentesimo sexagesimo tertio, Cassiodorus Coss. ponit Cæcinam Decium Basilium, & Vrbianum, sed Marcellinus collegam Vibiani habet Felicem; forte quod Basilius dictus quoque fuerit Felix. Quo anno Hilarus Papa *e* considerans Theophili Alexandrini Cyclum iam in decliuum labentem, absoluendum anno Christi quadringentesimo octogesimo; de nouo conscribendo calculo prouinciam iniunxit *Victorino* Aquitano, qui huius facultatis habebatur omnium hoc tempore facile princeps. Scripsit *f* vero is Cyclum vsque ad annum quingentesimum trigesimum secundum; expertus tamen postea aduersantem sibi Victorem Episcopum Capuanũ, cui magis Beda tribuit: sed de huiusmodi controuersiis dicetur suo loco.

Hoc item anno, qui septimus numeratur Leonis Imperii, (vt habet Cedrenus) *Elisæi* Prophetæ ossa è Palæstina translata sunt Alexandriam.

e *Marian. Scot. an Chron. Hilar. PP. Cyclvm novvm cvrat per Victorinvm.*
f *Gennad. de Vir. ill. c. 55.*

II. Translatio Elisæi Prophet.

IESV CHRISTI ANN. 464.

HILARI ANN. 4.

LEONIS 8. SEVERI 4.

ANNO Christi quadringentesimo sexagesimo quarto, Rustico & Olybrio Coss. morte sublato Theodorico Gothorum Rege, frater eius *Euarix*, siue Euaricus, vel (vt plerumque vocant antiqui libri) *Euricus*, regnum capessiuit: qui quidem (vt ait Isidorus *g*) pari scelere quo frater regnans, statim bello cœpit Hispanias & Gallias diritissime affligere; ac prius capta Pamphilona, inuasit Cæsar-Augustam, totamque Hispaniam Superiorem obtinuit, & Tarraconen-

I. Status Gothi. Rationes in Gallia et Hisp. g *Isidor. in Chron. Goth.*

raconensem nobilitatem peremit: in Gallias autē regressus, Arelatum & Massiliam vrbes cœpit. Sub quo etiam Gothi Legum instituta scriptis habere cœperunt, cum antea tantum moribus & consuetudine tenerentur. Hæc Isidorus; paucis complectens Eurici cunctas in regno res gestas. Verum quod ait de Legibus ab eo primum scriptis, erroris conuinci posse videtur à Sidonio Apollinare *a*, qui meminit *Legum Theodoricianarum*; quas scilicet Theodoricus Eurici prædecessor iam antea promulgasset.

QVANDO LEGES GOTHOR. SCRIPTÆ. *a Sidon. l. 2. ep. 1. ad Eccic.*

[Locum hunc Sidonii (quem alia occasione tractauit Baron. an. 468.) ita Sauaro interpretatus est, vt dixerit Sidonius Leges Theodoricianas, pro, Euricianas: quod Euricus dictus quoque fuerit Theodoricus. At Sirmondus, Sidonium Theodoricianas dixisse, ob paronomasiam cum Theodosianis; dum ait, *Leges Theodosianas calcans, Theodoricianasq; proponens.* Isidorum autem, cum ait Euricū legum instituta Gothis primum tradidisse, non sic accipiendum esse, quasi ante Euricum leges Gothicę nullæ fuissent, sed quod earum corpus & codicem primus collegerit Euricus: sicut perspicue docent verba eiusdem Isidori, de Levvigildo agentis æra 608. *In legibus quoque ea quæ ab Eurico incondite constituta videbantur correxit, plurimas leges pratermissas adiiciens, pleraque superfluas auferens.*]

IESV CHRISTI ANN. 456.

HILARI ANN. 5.

LEONIS 9. SEVERI 5.

I.

ANNVS Christi quadringentesimus sexagesimus quintus, ambos Coss. habuit hæreticos, nimirum Basiliscū fratrem Verinæ Augustæ vxoris Leonis Imperatoris, hæreticum Eutychianum, & hæreticorum in Oriente fautorem præcipuum, atque Herminericum Gothum Arianū. Quapropter haud mirum est, si vtrumque Imperium variis fuerit in vindictam cladibus afflictatum. Nam imprimis ipsa regia vrbs Constantinopolis (vt habet Marcellinus in Chronico) maximo inuasa incendio, miserē fœdata est: quod quidē iam antea S. Danielem Styliram prædixisse Leoni Imperatori, & Gennadio Episcopo Constantinopolitano (cum iste ad eum ordinandum presbyterum perrexisset; quod & præstitit, licet illo diutius reluctante;) ac frustra de auertenda precibus Dei ira monuisse, testantur ipsius Acta *b*; in quibus etiam traditur, id contigisse mense Septembri in vigilia Festi S. Mamantis martyris, eoque non solum quamplurima ædificia publica priuataque, sacra atque profana, sed & ingentem virorum fœminarumque multitudinem periisse. Porro ipsum per malū dæmonem in habitu mulieris, siue per mulierem quæ victum manib⁹ quæritaret, immissum fuisse, Euagrius *c* tradit: qui & illud describēs, in eo tantum ab Actis S. Danielis discrepat, quod quatuor dumtaxat dies perdurasse dicat, illa vero sex ponant. Quo etiam tempore basilica Anastasia, nuperā S. Marciano Oeconomo erecta, dicataque, ingenti miraculo liberata ab incendio est precibus eiusdem Marciani *d*, sacro accepto Euangelio in mediis flammis orantis. Deniq; ne tota periret ciuitas, orationes quoque prædicti Danielis, & Marcelli Acœmetarū Archimandritæ, à Deo obtinuisse, testantur eorumdem Acta. *e*

PRODIGIOSVM INCENDIVM CONSTANT.

b Ap. Sur. 11. Decemb.

c Euagr. lib. 2. cap. 13.

d Act. Marc. ap. Sur. 10. Ianuar.

e Ap. Sur. 11. & 29. Dec.

Huius autem occasione incendii, (quo Euagrius tradit adeo deformatam fuisse vrbis faciem, vt nec ab ipsis habitatoribus internosci possent priores locorum situs) Zeno postea Imperator, Leonis successor, constitutionem *f* de priuatis ædificiis promulgauit, qua iussit vt ædificans domum, duodecim pedes spatii relinquere deberet inter proprias & vicini ædes; ne si contingeret domum aliquam conflagrare, vicini quoque domum continentem flamma depasceret, & sic tota vrbs periclitaretur: vbi etiam meminit de Leonis eodem argumento constitutione his temporibus edita. Cæterum aliquanto post incendium tempore asperrimam aduenisse hyemem, secutamque esse vehementissimorum imbrium atq; ventorum prodigiosam frequentiam, cum Euagrius *g* atque Nicephorus *h* declarant, tum Acta Danielis, cuius columna non parum ea cōcussione periclitata est. Et hæc quidem in Oriente.

II. CONSTITVTIO DE NOVA ÆDIFICANDI RATIONE. *f l. 12. C. de priuat. ædif.*

g Euagr. lib. 2. cap. 14.

h Niceph. l. 15. cap. 20.

In Occidente vero, huius pariter anni Coss. (vt tradunt Cassiodorus & Marcellinus) Seuerus Imp. dolo *Ricimeris* Gothi Ariani, potentissimi Magistri militum, Romæ in Palatio veneno peremptus est: cuius perobscuræ remansere res gestæ. Post eius autem obitum, factum esse interregnum per annum & menses aliquot, idem Cassiodorus ostendit, dum creationem Anthemii post sequentis anni Coss. ponit. Obfuitque multum Italiæ eiusmodi interregnum, & frequens ista mutatio Augustorum: siquidem ex eo factum est vt Wandali regnantes in Africa, crebrius Imperii littora incursarent. Qui & adeo formidabiles facti sunt piratica classe, vt ipsam quoque Alexandriā fuisse timore concussam, sed de ea illæsa permansura Imperatorem ab eodem qui supra S. Daniele securum redditum, testentur ipsius Acta.

III. SEVERVS IMP. NECATVR.

Hoc eodem anno, cum Romam conuenissent quadraginta octo Episcopi, ad natalem diem Hilari Romani Pōtificis (hoc est, ipsius ordinationis) ex more solemniter celebrandum; eius occasione conuentus, idem Hilarus in basilica S. Mariæ SYNODVM habens decimo quinto Calendas Decembris, de variis egit consultationibus, quæ diuersis ex locis ad ipsum missæ fuerant, ac præsertim ab Hispanis Tarraconensis prouinciæ Episcopis, aduersus quorumdam Coëpiscoporum præsumptionem inde (vt aiunt) responsa quærentibus vnde nihil errore, nihil præsumptione, sed Pontificali totum deliberatione præciperetur: quarum quidem rerum tractatio in ipsis q̄ extant *a* Synodi Actis videre licet; ac præcipue de Ordinationibus clericorum, & ne Episcopi sibi successores deligerent: ad quæ ab omnibus acclamatum est, *vt seruaretur antiquitas.* Quod vero inter Episcopos qui Synodo interfuerunt, primo loco ponitur *Maximus* Episcopus Taurinensis post Romanum Pontificem; non id quidem accidit sedis prærogatiua, cum digniores illic essent Episcopi Metropolitani, vt inter alios Mediolanēsis, sed prærogatiua ætatis in Episcopatu agentis: ex more scilicet antiquo, quem iam supra notauimus, vt qui plures annos ageret in Episcopatu, vel Archiepiscopatu, priorem sibi in Synodis locum vendicaret, salua tantummodo Patriarchalium prærogatiua sedium. Porro de Maximo Taurinensi dictum est plurib⁹ in Synodis Arausicana & Mediolanēsi sub S. Leone Papa.

IV. CONCIL. ROM. IN NATALI HILARI PP.

a Tom. 2. Conc. ORDO SESSIONIS EPISC. SECŪDVM TEMPVS ORDINAT.

IESV CHRISTI ANN. 466.

HILARI ANN. 6.

LEONIS 10.

I.

ANNVS Christi quadringentesimus sexagesimus sextus, vnicum Cōsulem Leonem Imp. notant Fasti Cassiodori & Marcellini. In Occidente enim cum nullus esset Imperator, nulla est à Senatu habita ratio Consulis deligendi. Et quod à recentiori Chronographo *b* additicius ponitur collega Fabius Titianus; id ex diuinatione fit, absque aliquo teste, aut verisimili coniectura.

b Panuin. in Fast.

Hoc porro anno idem Leo pridie Calendas Martias, de immunitate confugientium ad Ecclesiam, amplissimam ac seueriss imam edidit sanctionem *c*; cum (vt habent Acta *d* S. Marcelli Acœmetarum Archimādritæ) Ardaburio potentissimo duce Ariano, militem quēdam è cœnobio Acœmetarum vi extrahere tentante, qui ad hoc ab eo missi essent, fulguribus ex Imagine Crucis Christi fulgentissimæ, igneque circumdatæ, apparentis in fastigio monasterii, procedentibus, mirabiliter repulsi essent; ostensumque, magno periculo asylum Ecclesiæ violari. Huius enim rei tam insigniter gestæ occasione factum putamus, vt Leo prædictam sanctionem promulgauerit: qua etiam antiquauit veterem illam, cuius facta est suo loco mentio, qua iubebantur Episcopi soluere quod creditoribus deberet ad Ecclesiam refugiens, nisi eum redderent: addiditque modum, quo in tali occasione creditores vti deberent.

II. LEX DE ECCLES. IMMVNITATE. *c l. 6. C. de his qui confug. ad Eccl.* *d Ap. Sur. 29 Decemb.* FVLMINIB⁹ REPELLVNTVR MILITES SACRILEGI.

Hoc

III. ECDICII ARVERNI VIRTVS.

Hoc item anno Euricus, siue Euaricus Rex Gothorum, absoluto regni sui secundo, post Hispanias deuastatas descendens in Gallias, vrbem Aruernum obsedit: cum pro eius defensione agens vir clarissimus *Ecdicius*, Auiti Imp. filius, & ipse Aruernus, Dei virtute confisus, magno miraculo ingentem hostium numerum longe dispari paucitate militum & virium sæpe superauit atque fugauit: quæ quidem narrantur in epistola, ad eum postea scripta à Sidonio *a* Apollinare æque clarissimo viro; quem eiusdem Ecdicii sororem nomine Papianillam, vxorem duxisse, constat ex eius litteris *b* ad ipsam datis. Porro hæc tanta Ecdicium præstitisse S. Martini inuocatione docet Gregorius *c* Turonensis Episcopus.

a *Sidon. 3. ep. 3.*
b *Id. 3. ep. 16.*
c *Greg. Tur. de mirac. S. Mart.*

IV. S. PROSPERI OBITVS.

Hoc eodem anno *S. Prosper* Aquitanus (de cuius scriptis, aliisque aduersus hæreticos, ac præcipue Pelagianos, exantlatis laboribus sæpe actum est superius) ex hac vita migrauit, cum Ecclesiam Regiensem prouinciæ Narbonensis gubernasset annos saltem viginti quatuor. Cui successit S. Maximus Abbas Monasterii Lirinensis. Mentio est de alio ab hoc diuerso *Prospero* apud Sidonium *d*, quem dicit fuisse Episcopum Aurelianensem; cuius etiam sanctitatis memoria viget in Tabulis Ecclesiasticis. *e*

d *Id. 7. ep. 15.*
e *Martyrol. Rom. 29. Iul.*

DEFVNCTI EPISCOPATV.

[Vulgo quidem S. Prosper indigitatur Episcopus Regiensis in Gallia Narbonensi: sed reclamat Sirmondus in Sidon. 7. ep 15. quod certum sit vel Sidonio in Carm. Euchar. auctore, in ea cathedra post Maximum sedisse Faustum; Maximus autem Hilarii Arelatensis temporibus (vt ex Regiensi, Arausicanoque Concilio, atque ex ipsius Hilarii Vita constat) Episcopus iam esset, ac proinde superstite adhuc Prospero, quem multis vltra Hilarii ætatem annis vixisse constat: porro Faustus Maximi successor, vt ex Sidonii epistolis ad eum scriptis liquet, Prosperi annos excesserit, quem omnes cõsentiunt ad Anthemii Augusti tempora non peruenisse, sub quo & sequentibus Impp. Sidonius scripsit. Quinimo eumdem Prosperum non solum non Regiensis, sed nec vllius alterius Ecclesiæ Episcopum fuisse, inde asserit, quod nullus veterũ qui de eo scripserunt, huius rei meminerit: non Victorius de Cyclo Paschali, non Gennadius de Scriptoribus Ecclesiasticis, non Gelasius Papa de libris Apocryphis, non Marcellinus in sincero suo Chronico, nec denique vllus alius ex illis antiquioribus. (Vnde & refellas opinionem eorum, qui hunc fuisse Episcopum Regii Lepidi in Æmilia putauerunt: quos & alia refellunt.) Qui enim Prosper subscriptus reperitur Conciliis Vasensi & Carpentoratensi eiusdem prouinciæ Narbonensis, ab hoc diuersus est, vtpote posterior.]

V. EPIPHANIVS EPISCOPVS TICINENSIS.

Hoc pariter anno vita functo viro sanctissimo Crispino Episcopo Ticinensi, substitutus est in locum eius sanctitate non impar, sed doctrina longe celebrior *Epiphanius*, de quo sæpe erit inferius dicendi occasio. De alio vero *Epiphanio*, quo Cassiodorus vsus est ad conuertendos in Latinum Græcos Historicos, aliaque antiquorum scripta, iam dictum est alio loco *f* superius.

f *Ann. 439. VIII. in fin.*

IESV CHRISTI ANN. 467.

SIMPLICII ANN. I.

LEONIS II. ANTHEMII I.

I. ANTHEMIVS IMP.

ANNO Christi quadringẽtesimo sexagesimo septimo, duobus Flauiis Pusæo atque Ioanne Coss. ANTHEMIVS Patricius, filius Procopii, (ex illo descendentis Procopio, Iuliani Aug. propinquo, quem superius vidimus de Imperio cum Valente contendisse) Marciani Imp. gener, (cuius filiam Euphemiam coniugem duxerat) creatus est Imperator Occidentis. Ita namq; docet Sidonius *g* transactum esse inter Patricium Ricimerem Magistrum militum, cuius nutu pendebat Occidentale regnum, & Leonẽ Imperatorem, vt Græcus mitteretur Romam Augustus, cuius filiam sibi Ricimer desponsaret. Sed & Romanum Senatum ad petẽdum à Leone Anthemiũ Legatos Constantinopolim misisse, auctores sunt Euagrius *h* atque Nicephorus *i*. Porro in ipso eius aduentu, Vrbem immensa laborasse peste, testis est Gelasius Papa in Andromachum scribens. Nec quidem mirum hoc morbo afflictatã fuisse Romam, cum (vt idem Pontifex alibi *k* docet) secum Anthemius contagia vexit hæreticorum, (hac sane ex parte, sinceræ pietatis gloria, quæ ab auctoribus ei, vna cum fortitudine bellica, tribuitur, carens;) nempe Macedonianos quosdam sibi familiaritate coniunctos, qui continuo miscere cuncta, & conuenticula seorsum agere aggressi sunt. Verum (quod Gelasius addit) ita constanter restitit Imperatori Hilarius Papa, vt non ea facienda, cum interpositione iuramenti palam in Ecclesia B. Petri eumdem promittere constrinxerit. Hocque postremum edidit S. Pontifex pastoralis vigilantiæ specimen.

g *Sidon. in Panegyr. Anthem.*
h *Euagr. lib. 2. cap. 18.*
i *Niceph. lib. 15. cap. 11.*
k *Gelas. ad Dard.*

Hoc namque ipso anno, quarto Idus Septembris, idem ex hac vita migrauit, cum sedisset annos quinque, menses decem, minus duobus diebus: vt docent antiqua Martyrologia, in quibus dicta die inter Sanctos eius natale inscribitur. Sepultus autem est in Ecclesia S. Laurentii in crypta, iuxta corpus S. Sixti. Habet vero liber sæpissime citatus Anastasii Bibliothecarii de Romanis Pontificibus, ex vetustioribus accepta monumentis, multa de eximia eiusdem sancti Pontificis munificentia erga Ecclesias Vrbis, & de sacris locis ab eo excitatis. Vt plane ex illis saltẽ appareat, quantæ fuerint iam hoc tempore diuitiæ Romanæ Ecclesiæ, cuius adeo profanæ essent expensæ argenti, auri, gemmarum, in vasis sacris, & ornamentis Ecclesiarũ. Cum autem post eius obitum (vt idem auctor ait) sedes vacasset dies decem, vigesima Septembris creatus est SIMPLICIVS patria Tiburtinus, Castini filius.

a *Gel. ep. ad Dard.*

II. HILARI PAPÆ OBITVS.

SIMPLICIVS ROM. PONT.

Hoc item anno Sidonius Apollinaris, è Galliis vbi degebat, litteris (vt ipse *b* testatur ad Heronium scribens) nogebat, litteris (vt ipse *b* testatur ad Heronium scribens) nogotiis Imperatoris Anthemii vocatus, in Vrbem se contulit, nuptisque interfuit Ricimeris. Quomodo autem in via ægrotans, sanus factus fuerit vbi Limina Apostolorũ supplex intrauit, idem ipse eadem epistola narrat.

III.
b *Sidon. 1. ep. 5. ad Heron.*

IESV CHRISTI ANN. 468.

SIMPLICII ANN. 2.

LEONIS 12. ANTHEMII 2.

ANNVS Christi quadringentesimus sexagesimus octauus, vnius tantum iterati Consulatus Anthemii Imp. nota habetur inscriptus: collega enim in primo Consulatu accesserat ipse adhuc priuatus ante annos tredecim Valentiniano Aug. octauum Consuli. In hoc autem eius Cõsulatu, Sidonius Apollinaris Romæ carmen habuit Panegyricum, suasione Basilii Ex-Coss. cuius etiam petitione idem Imperator Sidonio Præfecturam contulit, vt ipse testatur posteriori ad Heronium *c* scripta epistola. Qui & ibidem existens, adstitit Aruando, constituto reo læsæ maiestatis, quod Galliarum Præfectum agens, partes Romano subiectas Imperio clam prodere tentasset Euarico Gothorum Regi, rerum Romanarum Catholicæque pietatis infensissimo hosti: de cuius Aruandi causa in Senatu peracta, est egregia eiusdem Sidonii *d* ad Vincentium epistola, in qua complura inuenias impressa vestigia antiquorũ formæ iudiciorum.

c *Sidon. 1. ep. 9.*
d *Id. ep. 7.*

Hoc item anno in Oriente Leonem Imp. ingentem aduersus Wandalos classem parasse, Cedrenus tradit: quam quidem ex mille & centum nauibus compositam, auctor est Nicephorus *e*; exercitum vero terrestrem hominum centum millium fuisse, Procopius *f* testatur. Quibus ingentibus copiis cum Leo præfecisset Basiliscum Verinæ coniugis fratrem, sed hæresis Eutychianæ sectatorem; factum est huius inertissima socordia, & turpissima proditione, vt post quædam læta principia, eiusmodi copiæ omnino perierint, & incensa classis fuerit. Porro hæc omnia in gratiã Asparis & Ardaburii potentissimorum Ducum, natione Gothorum, (qui cum Leonis videri voluissent in Imperiũ promotores, infenso tunc in ipsum erant animo) Basilisci operatum esse constat *g*; cum ita inter eos conuenisset, vt iidem Duces Imperium Basilisco conferrent, (quod implere

e *Nicephor. 15. 17.*
f *Procop. de bell. Vand. lib. 1.*
INERTIA & PRODITIO DVCVM HARAT.
g *Nicephor. ubi sup.*

implere ne quissent, si ex sententia Leoni res prospere cessissent: ipse vero Basiliscus eis rependeret, vt perfidiam Arianam, qua infecti erant, propagare permitterentur: cuius etiam rei causa iidem barbari Duces Genserico Wandalorum Regi pariter Ariano patrocinati semper occulte fuerant. Ex quibus videas quanta iactura sinantur hæretici in aula versari; quantoque grauiori dispendio, publicarum rerum eisdem administratio concedatur; & maximo omnium damno, expeditio bellica, in qua rerum vertitur summa, credatur: cum certum sit, auersos semel à Deo homines, Ecclesiæ perduelles, omnia agere proditorie & hostiliter. Cæterum impius Basiliscus apertissimæ proditionis reus ab omnibus cum reuersus esset Constantinopolim conclamatus, ad asylum Catholicæ Ecclesiæ confugit. Quem soror eius Verina Augusta liberauit, amandauitque Perinthum Thraciæ; vt tradit Nicephorus. Imperator autem in auctores sceleris Asparem & Ardaburium duxit vlciscendi; idque paulo post (vt videbitur) perfecit. Qui & hoc anno aduersus Gentiles sanctionem *a* edidit, qua vetuit ne qui Christianus non esset, causas agere in iudicio præsumeret.

HÆRETICI AB OMNI ADMINISTRATIONE PELLENDI.

a l 13. C. de Episc. audient.

Alia vero ex parte, in qua non ab hæretico Duce prælium agebatur, in *Denscicum* Hunnorum Regem, Attilæ filium, patrem ferocia superantem, res dextere confecta est. Superatis enim Hunnis, eodemque ipsorum Rege occiso, eius caput in conto Constantinopolim magna gloria, omniumq; lætitia, delatum est. Attingit hæc breuiter Marcellinus in Chronico. Quod autem non ea diffusius tractauerint historici, inde factum puto, quod (vt ait Euagrius *b*) Priscus Rhetor eius tèporis scriptor, huiusmodi bella aduersus Scythas (quos Hunnos dicimus) quam exactissime prosecutus esset: sed periit Historia ipsa.

III. REX HVNNORVM SVPERATVR à DVCE CATHOL.

b Euagr. lib. 1. cap. 17. & lib. 2. c. 10.

IESV CHRISTI ANN. 469.

SIMPLICII ANN. 3.

LEONIS 13. ANTHEMII 5.

I.

ANno Christi quadringentesimo sexagesimo nono, Zenone & Marciano Coss. Leo Aug. de Asparis & Ardaburii proditione sumpturus pœnas; quod ob summam eorumdem potentiam, in opprimendis illis vi aperta, periculosa alea iaceretur, artem adhibuit. Siquidem quod acceptum ipsis ferret Imperium, tanquam eis remunerationem promissam exhibiturus, maioribus eosdem frequentare cœpit officiis, ipsique filio Asparis, cui nomen *Patricio*, siue *Patriciolo*, Ardaburii fratri, filiam suam spopondit coniugem, eumdemque Cæsarem nominauit: sicut testantur Marcellinus *c*, Cedrenus *d*, & Acta *e* sinceriſſima S. Marcelli Acœmetarum Archimandritæ; tametsi Euagrius *f* atque Nicephorus *g* Cæsarem creatum tradant *Ardaburium*. Vt vero tantam diu cupitam dignitatem filio suo Aspar consequi posset, quod impedimento videbatur esse Ariana perfidia, tum eam voluit à filio Cesare creando damnari, tum ipse ad id se persuasum esse ostendit; vt ex Cedreno & Nicephoro colligitur. Verum ex Actis S. Marcelli liquet, designatum esse Cæsarem filium Asparis, cum adhuc esset Arianus; & ob eam causam magnas turbas excitatas esse Constantinopoli, quod timerent rursum iugo Imperatoris Ariani subiici; ipsumque Marcellum, magna sequente populi caterua, & comitante Angelo habitu altissimi & splendidissimi adolescentis, Imperatorem ea de causa adisse. Quemadmodum & refert Zonaras *h*, clericos & monachos conuenisse Imperatorem, & exclamasse contra eum, vt Cæsar Catholicus crearetur. Atque hæc quidem anno præsenti gesta sunt; reliqua sequenti.

PVLVIS ASPARIS CREATVR CÆS.

c Marcell. in Chron. d Cedren. in Compend. e Ap. Sur. 29. Decemb. f Euagr. lib. 2. c. 16. g Nicep. h. lib. 15. c. 27.

TVMVLTVS CONSTAN. ORCHESTRVM CÆS. ARIAN.

h Zonar. Annal. Tom. 3.

II. SPECTACVLA CATHOLICIS DATA DIEBVS FESTIS.

l. vlt. C. de Fer.

Interea vero idem Leo Imp. ad conciliandâ sibi in summo rerum discrimine Diuinitatem, Idibus Decembris de sanctificandis Festis diebus, prohibendisq; in eisdem Circensibus, scenicis q; spectaculis, sanctione *i* edidit. Quod enim animo destinasset, de proditoribus peragendam esse tragœdiam in ipsis Circensibus, noluit ea celebrari die Dominico; ne, licet iusta esset vltio, tamen diem sacram ignominia videri posset labefactasse. Qui etiam paulo ante, nimirum octauo Idus Maias, legem *a* promulgauerat aduersus intrudètes se simoniaca prauitate in Episcopatum.

a l 31. C. de Epis. & Cler.

IESV CHRISTI ANN. 470.

SIMPLICII ANN. 4.

LEONIS 14. ANTHEMII 4.

I. ASPAR CVM FILIIS NECATVR.

ANno Christi quadringentesimo septuagesimo, Seuero (siue Seueriano) atque Iordano Coss. (inquit Marcellinus) Aspar primus Patriciorum cum Ardabure & Patriciolo filio, illo quidem olim Patricio, hoc autem Cæsare, genetoque Leonis appellato, Arianus cum Ariana prole, spadonum ensibus in Palatio vulneratus interiit. Hæc ille suo more breuiter; quæ Cassiodorus *b* ponit sub anno sequenti. Ea vero fusius prosecutum fuisse Priscum Rhetorem, Euagrius *c* tradit; qui ex ipso rem attigit, nõ descripsit. At Nicephorus *d* paulo liberalius agens, ait Asparem cum filiis primum ludis Circensibus in Hippodromo cõmiciis à populo Constantinopolitano tumultuante appetitos, metu Chalcedonem traiecisse, exercitu omni eos insequente; & ad Ecclesiam S. Euphemiæ martyris confugientes, Leonis Imperatoris arte, tam per Gennadium Episcopum Constantinopolitanum primo ad eos missum, q̃ postea per seipsum ad eosdem accedẽtem, iniuriarum oblitionem pollicentis, inde egressos, & ad mensam regiam adhibitos, eiusdem iussu à Zenone Isauro Asparem cum Ardaburio interfectum esse; alterum vero filium Patriciũ, in exilium missum; & quæ ei desponsata fuerat Ariadna Leonis filia, ipsi Zenoni datam esse in coniugem. Hæc Nicephorus: verum alii ambos filios Asparis occisos tradũt. Habet vero etiam idem auctor, Ardaburium cum vidisset patrem iam capite truncatum, exclamasse: *Dignum fert exitium senex canum, qui frustra gloriatus est, neq; vnquam admonitionis meæ audiens fuit: Persæpe enim ei dixi, Prius Leonem deuoremus, quam ille nos sibi in prandio apponat.* Cæterum ex huiusmodi cæde idem Leo Aug. consecutus est nomen, vt *Macellet*, nempe Interfector, fuerit cognominatus. Sicque demum impleta est visio S. Marcello *e* diuinitus oblata, pugnantium inter se draconis & leonis, qua victus tandem draco occubuisset.

a Ait. S. Marcell. ap. Sur. 29. Decemb.

IESV CHRISTI ANN. 471.

SIMPLICII ANN. 5.

LEONIS 15. ANTHEMII 5.

I. GENNADII EPISCOP. CONSTAN. OBITVS.

ANno Christi quadringentesimo septuagesimo primo, Leone Aug. quartum & Probiano Coss. Gennadius Episcopus Constantinopolitanus, cum sedisset *f* annos tredecim, ex hac vita decessit, sui desiderium bonis omnibus relinquens: qui ob commentarios in Danielẽ elaboratos, & homilias multas compositas, adnumeratur inter Scriptores Ecclesiasticos à Gennadio *g* Massilienſi; & à Græcis *h* inter Sanctos relatus habetur. Narrat vero Theodorus *i* Lector, Suidas *k*, Nicephorus *l*, & alii; cum haud pridem ante eius obitum, dæmoniacum quoddam ei spectrum noctu in Ecclesia oranti apparuisse, illudque ipse signo Crucis fugasset; dixisse spectrum, se quidẽ nunc abire, sed reuersurum post obitum ipsius Gennadii, & modis omnibus euersurum Ecclesiam. In quo minime mentitum

f Nicepb. in Chron. g Gennad. c. 95. h Menol. 25. Aug. i Theodor. Lect. Collect. lib. 1. k Suid. verb. Gennad. l Nice. 1. lib. 15. c. 23.

mendacem

mendacem spiritum, euentus ostēdit. Subrogato enim in locum Gennadii *Acacio*, ex Præfecto (vt ait Euagrius *a*) orphanorum collegio, quales turbines exagitarint Ecclesiā, quæ annis singulis inferius describentur, facile demonstrabunt.

a *Euagr. lib. 4. c. 11.*

ACACII SVBROGATIO.

II.

Sub eodem autem quo Acacius creatus est anno, Nicephorus *b* accidisse tradit, vt cum duo Episcopi, alter Arianus dicendi ac disputandi arte instructissimus, alter Catholicus virtute ac fide ornatissimus, de religione contenderent, proponente Catholico, vt verborum contentione relicta, veritatem igne probarent, sed renuente Ariano; nihilominus Catholicus in ingentem se rogum immiserit, atque inde cum hæretico omnino illæsus disputarit. Sed hæc Cedrenus ad Anastasii Imperium refertque quidem licet antiquiores non haberent auctores, ex aliis tamen his similibus casibus, quos sæpe alias contigisse videbimus, haud incredibilia videri possunt. Subdit insuper Nicephorus de quodam Iudæorum Archisynagogo, concitati tumultus reo constituto, eaq; de causa post alia tormenta igni damnato, sed inuocatione S. Sergii martyris (ad quem frequens erat his temporibus in Oriente peregrinatio) è medio igne diuinitus liberato, atque baptizato vna cum duobus filiis suis: qui & vniuersa vendita substantia, amplissimoque in eiusdem memoriam martyris erecto, eodem ipso loco quo in ignem coniectus fuerat, templo, ibi capite raso, vna cum duobus filiis, reliqua vitæ parte Dei cultui se mancipauit.

b *Nuceph. lib.*

FIDES CATHOL. IGNE PROBATA.

IVDÆVS MIRABILITER IGNE LIBERAT⁹.

III.

Hoc eodem anno, Zenone Imperatoris genero creato Comite Orientis, cum is Antiochiam venisset, duxit secū *Petrum* cognomento *Cnapheum*, eumdemque à prima arte *Fullonem* nuncupatum, olim monachum Acœmetam, & ob hæresim Eutychianam è monasterio expulsum, postea constitutum presbyterum Ecclesiæ Basilæ martyris apud Chalcedonem. Qui cum aduenisset Antiochiam, iungens se hæreticis quos illic reperisset Apollinaristis, plurimosq; è Clero ac populo seducens, Zenonis fultus fauore, Martyrium eiusdem ciuitatis Episcopum Orthodoxa fide præstantem, adeo fallis Nestorianismi, aliorumque criminum accusationibus exagitauit, vt ipsum tandem coegerit renunciare Episcopatui, hæc altiori voce publice in Ecclesia præfatum, *Clero inobsequio, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, seruata interim mihi sacerdotij dignitate.* Post eius vero discessionem, *Cnapheus* sedem Episcopalem tyrannice inuasit. Quibus cognitis ab Imperatore Leone, ex suggestione Gennadii Episcopi Constantinopolitani adhuc viuentis, Cnapheum in exilium ablegari iussit; sed is fuga elapsus, pœnam euasit. Hæc quidem Theodorus *c* Lector, Liberatus *d* Diaconus, & Alexander *e* Monachus, etsi nonnihil diuerse. Quæ vero postea secuta sunt, dicentur suis locis.

PETRVS FVLLO, SIVE CNAPHEVS, INVADIT SEDEM ANTIOCHEN.

c *Theodor. Lect. Collect. lib. 1.*
d *Liber Breuiar. c. 18.*
e *Alex. Monach. serm. de S. Barnab. ap. Sur. Tom. 3.*

Sed quod ad politicum attinet statum; pax quæ parta est Orientali Imperio, bellum intulit Occidentali. Cum enim qui sectæ erant Arianæ, iidemque barbari, totū sibi Romanum Orbem ita viderentur esse partiti, vt in Oriente, quos dixim⁹ nuper extinctos, Aspar & Ardabutius Gothi Ariani, Romæ Ricimer item Gothus & Arianus, in Hispaniis ac Galliarum parte Euricus Rex Gothorum Arianus pariter & persecutor, ac denique in Africa Gensericus Wandalorum Rex Arianorum omnium sceleratissimus, cuncta pro animi arbitrio moderarētur: simulac Asparem cum filiis occisos audiuit Ricimer, illud indignissime ferens, in Anthemium Imper. licet socerum, meditari cœpit insidias, sed illis detectis, fuga sibi consuluit, Mediolanum se recipiens. Vbi aliquamdiu moratus cum suis, haud imminutus robore militum, ad aliud se barbarus insidiarum genus cōuertit; nempe vt cum socero pacem petere simularet, eaque obtenta occultiores moliretur insidias. Atque vt omnem doli suspicionem auferret, ad hoc ministrum delegit, quem ob egregiæ sanctitatis & eloquentiæ merita omnes venerarentur, videlicet Epiphanium Ticinensem Episcopum; cuius legatio, & pacis confectio, descripta inueniturab Ennodio eiusdem Ecclesiæ diacono, qui ipsius Epiphanii res gestas memoriæ tradidit. Quid vero post hæc Ricimer cum Romam veniret, in Anthemium admiserit, dicetur anno sequenti.

RICIMER MOLITVR INSIDIAS IN ANTH. IMP.

IV.

Interea hoc eodem anno Marcellinus *a* tradit, Vesuuiū Campaniæ montem torridum intestinis ignibus æstuantem, exusta euomuisse viscera, nocturnisque in diem tenebris omnem Europæ faciem minuto contexisse puluere: Eiusque metuendi memoriam cineris posthac annue octauo Idus Nouembris Constantinopoli celebrari solitam. Eo enim vsque violentum perlatum esse cinerem, eodemque die annuis Deum placari solitum supplicationibus, testatur etiam Procopius *b*, qui & Tripoli Libyæ, altero & subsequenti anno eiusmodi cinerem elapsum affirmat. Sed & de his Vesuuii eructationibus videndus est Cassiodorus *c*, dum agit de alia recentiori, quæ accidit sub Theodorico Rege.

V.

INGENS È VESVVIO CINERVM ERVPTIO.

a *Marcell. in Chron. Vid. an. præced. in a.*

b *Procop. de Bell. Goth.*

c *Cassiod. 4. Var. 50.*

VI.

Hoc ipso quoque anno *d* defuncto Gennadio Rhemēsi in Gallia Episcopo, magnus ille REMIGIVS, Francorum Apostolus nominatus, tunc inter inferiores clericos militans, immaturus ætuo, moribus autem senior, totius populi voce, omniumque comprouincialium Episcoporū consensu, eidem Gennadio successor electus, renuit obtemperare ob infirmam viginti duorum tantummodo annorum ætatem; vsquequo diuino accedente suffragio, (quo, cunctis videntibus cœlestis luminis radio illustratus est, & sacra vnctione diuinitus toto capite delibutus) coactus est eius Ecclesiæ administrationem suscipere. Rem gestam exacte descripsit Hincmarus eiusdem postea Ecclesiæ Episcopus in Vitae ipsius S. Remigii. Quantæ autem eloquentiæ & eruditionis fuerit, Sidonius Apollinaris huius sæculi Gallicanorum Scriptorum decus & ornamentum, satis docet *f* ad eum scribens; quamuis ipse Remigius, præ nimia animi submissione, suas lucubrationes noluerit perpetuitati dicari.

d *Sigeb. & alij.*

S. REMIGIVS EPISCO. RHEMENS.

e *Ext. ap. Sur. 13. Jan.*

f *Sidon. l. ep. 7.*

IESV CHRISTI ANN. 472.

SIMPLICII ANN. 6.

LEONIS 16.

OLYBRIVS.

ANNO Christi quadringentesimo septuagesimo secundo, Festo ac Marciano Coss. Acacius Constantinopolitanus Episcopus ad nouas res adiiciens animum, reuocare tentauit quod Anatolius frustra conatus fuerat sub Leone Romano Pontifice, tamquam ex duobus Oecumenicis Conciliis, Constantinopolitano & Chalcedonensi, indebite vsurpare, vt sedes Constantinopolitana post Romanam locum principem obtineret. Cuius rei gratia, astuto cōsilio rem pederentim acturus, Leoni Imp. factus est auctor sanctionis *g* edendæ, qua cuncta concessa Ecclesiis priuilegia iam deperdita, ac nominatim Ecclesiæ Constantinopolitanæ, restitueret atque firmaret. Verum restitisse ipsius exordio stultæ præsumptioni Acacii Simplicium Papam, misso ad hoc Probo Episcopo Canusino Legato Constantinopolim, Gelasius *h* Pontifex testatur scribēs ad Dardaniæ Episcopos. Quænam vero deformiora repulsus Acacius aggressus sit, dicetur suo loco.

I. ACACII CONATVS PRO PRIMAT.

g *L. 28. C. de SS. Eccles.*

h *Gelas. ep. 11.*

[Si præd. cta lex Leonis fuit, vt quid in ea apponitur Consulatus Armati, qui non nisi sub Zenone contigit? & quis alie tyrannus sub Leone, cuius impia decreta abroganda fuerint, sicut in ea traditur? Verius igitur videtur, eam latam esse à Zenone, post reditū ab expulsione Basilisci: cuius ipsius legis meminit Euagrius lib. 3. c. 8. Et ita quoque acceperunt recentiores quidam eius legis Interpp.]

II. OLYBRII IMPERIVM ET INTERITVS.

Hoc eodem anno Anthemius Imperator satis laudatus, proditione generi sui Ricimeris Gothi Ariani necatus est Romæ, cum iam antea idem Ricimer OLYBRIVM Senatorem nobilissimum creasset Augustum. Qui tamen Ricimer haud diu peracto scelere gloriatus, post quadraginta dies defunctus est, decimoquinto Calendas Septembris. Olybrius quoque septimo mense vitam peregit, decimo Calendas Nouembris. Hæc Cassiodorus, Marcellinus, & alii. Quod autē ipsum Ricimerem Gothum, Gothus scriptor Iordanus (quem alii Iornandem vocant) laudasse reperitur; indulsisse eum priuatis gentilitatis affectibus, ipsa facta declarant; ij nec narrat quidē, relinquens ea sepulta silentio,

POTENTIA RICIMERIS GOTHI.

silentio, cum non haberet quod excusaret. Eundem vero tantæ potentiæ fuisse constat, vt non solum instar mancipiorum habuerit Imperatores Occidentis, pro arbitrio eos tollens & subrogans; sed & Ecclesiam S. Agathæ intra Vrbis mœnia, ipsis inuitis Romanis Pontificibus, sibi vendicauerit, in quam cum suis Arianis conueniret: quæ postea à S. Gregorio sacris expiata, Catholicorum vsui restituta est.

III. SIDONIVS CREATVR EPISC. ARVERNVS.

Sidonius quoq; Apollinaris (de quo sæpe superius) hoc ipso anno, ipsius ætatis circiter quadragesimo, vt ex eius *a* scriptis colligitur, suffectus est in locum Eparchij defuncti, Aruernensis Episcopus, viuente adhuc vxore Papianilla: vir plane nobilissimus, gener Auiti Imperatoris, Præfectura & Patriciatus dignitate illustris, litterisque excultissimus; quem & egregia enituisse morum sanctitate, & summa in pauperes misericordia, docet inter alios Gregorius *b* Turonensis etiamsi crebræ sint ipsius Sidonij querelæ *c*, quibus se indignum ad Episcopatum assumptū deplorat. Porro tantæ etiam apud reliquos omnes æstimationis fuisse cognoscitur, vt oborta contentione in eligendo Metropolitano Bituricensi, ipsi vni à comprouincialibus Episcopis, Clero, & populo, quem vellet eligendi liberum fuerit delatum *d* arbitrium; cum ipse quanto in diiudicandis hominibus polleret acumine declarauit, deligens S. Simplicium, quem omnes summo gaudio susceperunt. Episcopum autem Sidonium factum, nuntium remisisse sæcularibus iocis, hominem natura lepidum; Epistolæ ipsius post Episcopatum datæ declarant.

a *Sidon. 6. ep. 1*

b *Greg. Tur. hist. Francor. lib. 2. c. 21. 22.* c *Sidon. 5. ep. 3. ad Apollin. 9. ep. 3. ad Faust. & alibi.* d *Id. 7. ep. 5. 8. 9.*

IESV CHRISTI ANN. 473.

SIMPLICII ANN. 7.

LEONIS 17. GLYCERIVS.

I

ANNO CHRISTI quadringentesimo septuagesimo tertio, Leo Augustus quintum Consul Fastis adscribitur absque collega. Turbatæ enim vehementer res Occidentalis Imperij, creandi Romæ alterum Consulem facultatē per aliquot annos ademerunt. Porro hoc anno vacuum Imperium, Gundebaldo hortante, GLYCERIVS *c* Rauennæ occupauit tertio Nonas Martias; tenuitque vix annum vnum. Atque in hunc modum magno Reipubl. damno sæpe mutatis Augustis, addita est his noua calamitas, cum *Ostrogothi* sub Duce Windemiro ex gente Amala, ad damna descenderunt Italiæ; alia ex parte Theodomiro ad prædandum Orientem conuerso. Verum Windemiro mox in Italia defuncto, filium eius Windemirum item nuncupatum Glycerius Imperator muneribus datis de Italia ad Gallias transtulit: vbi cum se parentibus iungeret Wisigothis, vnum omnium corpus effectum est, vt dudum fuerant. Hæc omnia Iordanus *f* siue Iornandus dictus.

c *Cassiod. in Chron.* GLYCERIVS IMP.

OSTROGOTHI INVADVNT IMPERIVM.

f *Iornand. de reb. Getic.*

II. LEO IVNIOR NASCITVR.

Hoc eodem anno (vt Marcellinus & Cassiodorus habent) natus ex Zenone genero Leonis Imp. & filia eius Ariadna, filius LEO itidem nuncupatus, ab auo est nominatus Augustus. Qui à tempore assecutæ dignitatis vix decem elapsis mensibus (vt Theodoretus *g* ait) infans defunctus est, nescius quid acceperit, quidve moriendo perdiderit. Ex his autem redarguendi videntur, qui scripserunt *h* hunc non infantem, sed adolescentulum, & deprauatis plane moribus fuisse in vitiis enutritum: quem constat, etiamsi eodem anno quo iuncta est Ariadna Zenoni, natus esset, excedere minimè potuisse tertium ætatis annum: nisi forte intellexerint de alio quopiam, quem post adeptum Imperium Zeno susceperit.

* * *

g *Theod. Lect. Collect. lib. 1.*

h *Niceph. simil. & alij.*

IESV CHRISTI ANNO 474.

SIMPLICII ANN. 8.

ZENONIS I. NEPOS.

I

ANNVS CHRISTI quadringentesimus septuagesimus quartus, Leonis Augusti Iunioris Cōsulatu apertus est; eodemq; clausa vita ipsius Senioris Leonis, atque pariter eiusdem Iunioris. Numerantur *a* Senioris Imperij anni septemdecim & menses sex; Iunioris verò (vt dictum est anno superiori) Imperij & vitæ menses tantummodo decem. Superuixit enim hic illi tantum duntaxat, quantum satis esset vt amplissimam trāsferret in patrem ZENONEM Imperij hereditatem. Fuisset plane Senior inter optimos Imperatores adnumerandus, nisi suorum propinquorum sordibus videri posset aspersus. Licet enim ipse maximè pius semper visus fuerit, omnique prorsus caruerit hæreticorum erroris contagio; tamen quod cum hæreticis indulgentius egerit, dum Basilisco Verinæ coniugis germano pepercit, & Zenonem inexploratum adhuc sibi hominem, cooptauit generum & administratorem Imperij, à quibus quamplurima fuere postea illata Ecclesiæ mala; haud adeo meruit laudari à posteris. Remanserunt autem eiusdem egregia pietatis monumenta, tam in pluribus religiosis ab eo editis sanctionibus (vt præter illas quarum suis locis facta est mentio, constat ex aliis absque die & Coss. positis *b*, de clericis ac monachis, ne ad sæcularia iudicia traherentur, & de priuilegiis Ecclesiarum & hospitaliū) quam in sacris ab ipso erectis ædibus: inter quas duæ illæ principatum obtinuere, quas sub Dei genitricis nomine construxit *c*, alteram ad Fontem dictā, alteram vero erectam ad collocandam in ea eiusdem sanctissimæ Virginis-Matris *Vestem* Hierosolymis *d* allatam, quam innumera decorarunt miracula.

a *Marcel. in Chron.*

VTRIVSQVE LEONIS IMP. OBITVS.

ZENO IMP.

PIETAS LEONIS SENIORIS.

b *L. 33. & 39. C. de Episc. & Cler.*

c *Niceph. li. 15 c. 25. Procop. de ædif. Iustinia.* d *Vid. Nic. l. 15 c. 24. & Metaphr. 15. Aug.*

II.

Quod autem ad Zenonem spectat; fama fuit, filium eius Leonem Iuniorem ab eo malis artibus sublatum esse de medio, vt ipse solus, non vt tutor & procurator, sed Imperator summam rerum administraret. Reperitur tamen apud nonnullos Latinos *e*, eundem Leonem paruulum per interfectorem à Zenone immissum subductum fuisse, alio in eius locum supposito; atque seorsum clanculo educatum, peruenisse vsque ad Iustiniani Imperat. tempora: sed haud fidem ista satis certam inueniunt.

e *Marian. Scot. in Chron.*

Porro Zenonem, iam ab initio sui regiminis Euagrius *f* testatur, ita se libidinibus totum dedisse, vt à nulla quacunq; turpitudine & nefario flagitio continuerit; in tantam etiam prorumpentem impudentiam, vt ea in occulto admittere, abiecti & pusilli animi esse existimaret; palam autem & in oculis omnium, regale quiddam, & solo Imperatore dignum. Cumque eum erga pauperes largum fuisse constet, (adeo vt ferant *g* diuinitus à sanctissima Deigenitrice responsum fuisse mulieri cuidam vltionem de eo exposcenti, eleemosynas eius obstitisse, quominus tam cito pœnas de sceleribus suis dederit:) tamen quas vna manu misericorditer eleemosynas erogabat, altera ex subditorum bonis immisericorditer rapiebat; quem barbaro more vniuersum sibi subditum Imperium spoliasse, idem Euagrius *h* tradit: sed & inter alia nefaria, magistratus omnes ac cuncta Palatina officia publicè venalia exposuisse, auctor est Suidas.

III. *f Euagr. lib. 3. c. 16.* ZENONIS LVXVS, ET RAPINÆ.

g *Prat. Spir. c. 173.*

h *Euagr. lib. 3. c. 2.*

Quod vero ad religionem spectat; ab eo mox vt in Imperium assumptus est, *Petrum Fullonem* hæreticum Apollinaristam & Eutychianum ab exilio, in quod à Leone damnatum vidimus, reuocatum esse; Ecclesiæq; Antiochenæ præfectum, expulso iterum Martyrio, qui à Fullone olim eiectus, posteaq; restitutus, eandem Ecclesiam pie regebat;

FAVET HÆRETICIS.

testis est Alexander *a* Monachus antiquus scriptor Græcus. Sed & idem impius Augustus pariter statuit, vt Timotheus Ælurus sacrilegus ille inuasor Ecclesiæ Alexandrinæ, relegatus pariter à Leone, cum honore reuocaretur: qui etiam, vt suam, repetere ausus est eandem Ecclesiam. Sed de his plura infecius.

a Alex. ser. de S. Barnab. ap. Sur. tom. 3.

IV.

Hoc eodem anno *b*, octauo Calendas Iulias, Glycerius Imperator à Iulio Nepote depositus est in Portu Romano; & seruatus ad vitam in clericum attonsus. Solonitanus est creatus Episcopus, vt testatur Euagrius *c*; cum tamen in ipso Portu Romano ordinatum Episcopum, alij Iordano auctore ferant. Eo verò sublato, ipse NEPOS moderandum suscepit Imperium; & cum Eurico Rege Gothorum Gallias deuastante pacem iniit, intercedente Epiphanio Ticinensi Episcopo; vt fusius tractat Ennodius in Vita eiusdem Sanctiri vbi etiam docetur, Euricum sedem regni sui constituisse Tolosæ.

b Cassiod. in Chron.

c Euagr. lib. 3. c. 1.

NEPOS IMP.

IESV CHRISTI ANN. 475.

SIMPLICII ANN. 9.

ZENON. IMP. 2. AVGVSTVLVS.

I.

ANNVS CHRISTI quadringentesimus septuagesimus quintus, vnius tantum Conf. Zenonis Augusti nomine inscribitur Fastis iterum. Quo Orestes Patricius, haud pridem creatus à Nepote Imp. Magister militiæ, conuersus in hostem, Roma cum exercitu Rauennam veniens, filium suum *Momyllum*, AVGVSTVLVM nuncupatum, Imperatorem acclamare fecit. Quod cum Nepos compertum habuisset, ac cum Oreste vniuersum conspirare exercitum, in Dalmatiam fugit. Hæc ex Cassiodoro Iornandes Gothus. Quod verò ad *Augustuli* nomen spectat; falli quidem certum est, qui eum ita nomine proprio appellatum putarunt, cum re vera non Augustulum, sed Augustum fuisse nominatum, antiqua *d* numismata declarent. Sed accidit vt contemptus causa (quomodo & aliis Imperatoribus, vulgi dicteriis indita sunt nomina) ex Augusto fuerit dictus Augustulus; cum præsertim geminatio illa, Augustus Augustus, hactenus inusitata, videretur esse molesta. Ita vero plane secundum illud vulgatum, *Omne quod oritur, occidit*, Romanum Imperium cœptum ab Augusto, defecit in Augusto.

AVGVSTVLVS IMP.

d Habet Baron. Annal. Tom. VI. hoc an. ex Lal. Pasqual.

II.

Qui autem Nepotis sectati sunt partes, quo de proditione Orestis pœnas sumerent, *Odoacrem* Erulorum Regem (qui ab extremis Orbis glacialis partibus *e*, nouum flagellum à Deo iam ante paratum aduenerat) id ipsum maximè appetente, in Italiam aduocarunt. Quid aũ in eam ingressus egerit, cum historicorum nullus prosecutus sit stylo; ex his quæ de clade Ticinensi ab Ennodio diacono scripta sunt in Rebus *f* gestis S. Epiphanij eiusdẽ Ecclesiæ Episcopi, reliqua funesta possumus contemplari.

ODOACER REX ERVLOR. VOCAVTVR IN ITALIAM.

e Sidon. 8. ep. 9 ad Lamprid.

f In cod. Vatic. Nam quæ edita sunt ap. Sur 22. Ianuar. mẽdosa nõnihil esse videntur.

III.

Fluctuarunt & hoc motu ipsæ Galliæ, quæ tunc Tetrarchiis diuidebantur: Sidonius genim vnum ex Regibus illis barbaris *Tetrarcham* appellat; dominantib. his singulis Gothis, Burgundionibus, Francis, atq; etiam adhuc Romanis; quibus vt pars aliqua, licet minima remaneret, nõ bellicus labor, sed inter barbaros Reges æmulatio exorta præstabat. Cum aũt Gothus Rex Euricus Arianus, haud minus quam regnum, curans propagare *h* perfidiam hæreticam, multis Catholicos persecutionibus vexaret, & plerasq; Ecclesias sacerdotibus orbasset, iamq; sæpe frustra tentatam iterum aggredi pararet Aruernensem ciuitatem: tunc Sidonius illius Episcopus, humano destitutus auxilio, ad precũ subsidia conuolauit; quibus potens magna virtute Gothis restitit, afflictatis licet populis tum hostium armis, tum fame qua hoc tempore Gallia vexabatur.

GALLIARVM MOTVS.

g Sidon. 1. ep. 7

h Id. ep. 6. ad Basil. Greg. Tur. 2. hist. 25

IV.

Namq; ROGATIONVM vsum in suam Ecclesiam introduxit, quas (vt ait in Epistola ad Mamertum *i* Viennensem Episcopum) ipse *Mamertus* iam antea feliciter ac læto successu restituerat, cum Viennẽsis ciuitas terræmotibus, ignibus, aliisq; prodigiorum terriculamentis vexaretur. Fuisse namq; etiã prius eiusmodi Supplicationes, sed valde earum disciplinã collapsam, idẽ alibi Sidonius *a* docet; atq; ex vagis, tepentib. infrequentibus, & plerumq; oscitabundis, quæq; sæpe interpellantium prandiorũ obicib. hebetabantur, maximè aut imbres aut serenitatem deprecaturis, à Mamerto ita restitutas esse, & auctiori excultas obseruantia, vt postmodũ in iis ieiunaretur, oraretur, psalleretur, fleretur. Cæterum non Aruernos tantũ populos, vel Gallos, sed & Catholicam Vniuersam Ecclesiam huiusmodi sacrarũ Rogationum confestim vsum recepisse, testatur Alcimus Auitus Viennẽsis Ecclesiæ Episcopus (qui post Esychium Mamerti successorem sedit) in homilia iisdem Rogationum diebus habita *b*. Quamuis aũt prima institutio, quando periculũ illud ingruit, Paschale tempus fuisset: tñ ne ingerentur Resurrectionis gaudiis luctus orantiũ, & ieiuniorũ afflictatio, triduũ illud est electum, q̃ sacrum præcedit Festum Ascensionis, vt idem Auitus eadem explicat homilia: quæ etiam citatur à Gregorio *c* Turonensi, inde petente earundem Rogationum narrandæ historicæ veritatis auctoritatem. Extatq; de iisdem, Aurelianensis *d* Concilij decretum; quo iubetur, per illud triduum seruos & ancillas ab opere relaxari, quo magis plebs vniuersa conueniat ad eiusmodi Rogationes, siue Litanias, eoq; triduo omnes abstinere & cibis vti quadragesimalibus. At de his alibi dictum locupletius.

i Sidon. 7. ep. 1.

a Id. 5. ep. 14. ad Aprun.

b Ext. Tom. 7 Bibl. Sanct.

c Greg. Tur. 2. hist. 34. d Conc. Aurel. c. 29.

d Baron. Not. in Mart. Rom. 25. April. INSTITVTIS À MAMERTO.

[Rogationes non solum restitutas à Mamerto Sidonius ait, sed clare ipsum *primum illarum solemnitatem inuenisse, instituisse, inuexisse*. Cui consentiunt prædicti Auitus & Gregorius Turon. nec non Ado in Martyrol. Albinus Flaccus de diuin. offic. & alij antiqui Scriptores. Non quidem quod ille primus Litaniarum, vel Supplicationum vsum in Ecclesiam inuexerit, quem ex eodem Sidonio & aliis constat multo antiquiorem fuisse: sed primus eas instituit, quæ ante ascensionem Domini celebrantur, *Rogationes* ipsa propria iam voce nuncupantur, vt prædicti explicant auctores. Nec solum instituit, vt solemnes ac statæ illis diebus Supplicationes essent; sed ipsarum Supplicationum formam vsitata sanctiorem, augustioremque præscripsit.]

V.

DE CIVITATE ARVERNENSI.

Quæ vtrobique illa hic dicuntur, collecta sunt ex quæ Baron. habet eum ann. præsenti, tum ex Sidon. 7. ep. 7.

Quod autem ad Sidonium spectat, de gregis sui cura solicitum, ipsum supplicantem à Deo exauditum fuisse, exitus declarauit, cum nunquam valuerit ciuitas Aruernensis ab hostibus capi; licet tandem inter iniquas conditiones initas cum Eurico pro redemptione pacis reliquorum Galliæ proximè degentium populorum eiusdem quoq; posita fuerit ciuitatis deditio; de quibus extat ingens Sidonij querela in Epistola scripta *f* ad Græcum Massilienſis vrbis Episcopum, vnum ex eiusmodi pacis cõpositoribus: qua etiam videas antiquam Aruernensiũ nobilitatẽ, & præclaras olim res gestas, ac probatissimos mores. De quib. minimè tacendum, quod ad hæc tempora spectat; fuisse eos adeo castitatis cultores, vt Victorius eiusdẽ ciuitatis Præfectus ab Eurico cõstitutus, dum nimium esset amore mulierũ luxuriosus (vt Gregor. *g* Turonensis loquitur) & ab Aruernis vereretur interfici, Romam au fugerit. Nec illud iniucundum, quod alibi idem auctor *h* narrat de viro & puella, qui coniuncti coniugio, in vno stratu quiescentes, perpetuam clam conseruauere virginitatem, ac tandem ex consensu pari, vir tonsuratus est ad clericatũ, puella religiosum induit vestimentum: nimirum, cum præmortuam virginem vir eius sepulchro recondens, eleuatis manibus ad cœlum gratias Deo palam ageret, quod sicut eam commendatam ab ipso accepisset, ita illi redderet ab omni voluptatis contagio impollutam; virginem subridentem dixisse, *Sile, sile, vir Dei, quia non est necesse fatearis nostrum, nemine interrogante, secretum.* Cum vero demum & vir defunctus eadem basilica, sed diuerso sepulchro conditus fuisset, mane facto inuenta esse coniuncta sepulchra; quæ postea sic perduraruntt, & inconsulæ *Duos Amantes* vocitare consueuerunt, ac summo honore venerari. Habet idem Gregorius & de alia eiusdem vrbis sancta virgine, *Georgia* dicta, quam post obitum, cum ad sepulchrum duceretur, aduenies grex magnus columbarum super eum volans comitatus est, eaque sepulta, ad cœlum euolare visus est. Sed hæc modo satis de rebus Aruernensibus.

e Greg. Tur. 2. hist. 10.

f Id. ep. 7.

g Greg. Tur. 2. hist. 10.

h Id. de glor. Confess. c. 32. & 34.

Inter

VI. PATRIS EPISCO. LVGDVNEN.

Inter tot vero tantasque huius temporis Ecclesiæ Gallicanæ ærumnas, magna plane Dei prouidentia factum est, vt ibidem clarescerent multi mirificæ sanctitatis Antistites; atque inter alios *Sanct. Patiens* Lugdunensis Episcopus, exemplar perfectissimi Sacerdotis, cui dedit Deus vt apud Burgundionum Regem, qui tunc Lugdunensibus dominabatur, summam gratiam inueniret: qua bene vsus multum profuit afflictatis Catholicis, ac deuastatis Gothico furore Galliarum vbique Ecclesiis: sicut ea pluribus descripsit Sidonius *a* Epistola ad eum scripta; quam etiam citat Gregorius Turonensis, * commendatq; liberalitatem Eccdicij Patricij, affinis Sidonij, in subueniédo pauperibus fame oppressis, vnde & meruit voce de cœlo lapsa laudari.

a Sidon. 6. ep. 12.
** Greg. Tur. 2. hist. 14.*

Sed quod ad Orientalis Ecclesiæ statum pertinet; hoc eodem anno nefarius & sacrilegus parricida, inuasor sedis Alexandrinæ Timotheus Ælurus, cum per suos Eutychianos exilij liberationem (vt vidimus) obtinuisset; vehementiori furore accensus, reuersus est Alexandriam, atque Timotheum item nomine, sed cognomento Solofaciolum, Orthodoxum Antistitem è sede remouens, multa nefanda in Catholicos debacchatus est. Idemq; Constantinopolim profectus, faustis acclamationibus à suis Eutychianis receptus est; sed tumultuante populo Catholico, & resistentibus clericis atque monachis Orthodoxis, haud valuit cuncta quæ mente conceperat, adimplere. Ideoq; vafro consilio Zenonem Imper. aggrediens, vt videretur bonam causam fouere, instantibus precibus agere cœpit vt iuberet cogi Oecumenicam Synodum. Quo tempore enituit præsertim eorundem clericorum atque monachorum summa animi in resistendo ei constantia; dum quærente ipso cum suis aliquam occupare basilicam, omnes eodé ferme momento fuere ab iis occlusæ atq; defensæ. Cum vero ad Synaxes priuatim agendas sese conuertisset, iidem ad vnicum & solitum remedium confugientes, legationem misere ad Romanum Pontificem cum literis per Epiphanium virum frugi ad id munus delectum; tacente in his omnibus, in gratiam Imperatoris, Acacio Episcopo Constantinopolitano, cuius muneris erat inuadentem gregem lupum saltem clamoribus propellere. Quid autem iis acceptis Simplicius Papa præstiterit, literæ *b* ab eo anno sequénti redditæ declarant; ex quibus interim cuncta hæc de Timotheo desumpta sunt.

CATHOL. CONST. LEGATIO AD ROM. PONT.

b Simplic. ep. 3. Tom. 1. Epist. Rom. Pont.

VII. TYRRH. ALEXANDR. DENVO PER TIMOTH. ÆLVR. EXCITATÆ.

VIII. *c l. 1. C. vt omnes Iudic.*

Cæterum Imperator, qui impiè siuit libere agere hæreticum proditorem, cuius erroribus secreto faueret; illud ex altera parte laudabiliter publica edicta hoc anno cõstitutione *c* sanxit, vt quique Præfecti atque Iudices, post functionem muneris absolutam, quadraginta dierum spatio ibidem vbi magistratum gessissent, commorari deberent, reddituri de se omnibus exigentibus rationem.

IX. *d Simplic. ep. 2.*

Et quod rursum ad Simplicium Papam pertinet; hoc ipso, nempe post Consulatum Leonis, anno, Gaudentio Episcopo Aufinensis Ecclesiæ, ob illicitas ordinationes ab eo habitas, ius ordinandi penitus abrogauit *d*, proximo illud Episcopo delegans: & male diuidentem redditus Ecclesiasticos, administratione prorsus interdixit; cum & more Ecclesiæ consueto, Oblationes quadripartito diuidendas esse præcepit, vt ei vna portio deberetur, vna itidem clero, duæ vero in Ecclesiæ fabricam, & in peregrinos ac pauperes erogarentur. Plane autem accidit, vt nulla ferme alia Ecclesiastica sanctio adeo frequens vt ista, edita, iterata, & inculcata reperiatur à Summis Pontificibus, atque Synodis, & quæ minus, auaritia hominum vatios in contrarium prætextus excogitante, seruata esse noscatur.

OBLATIONES ECCL. IN QVATVOR PARTES DIVIDENDÆ.

* * *

IESV CHRISTI ANN. 476.

SIMPLICII ANN. 10.

ZENONIS IMP. 3.
BASILISCI TYRAN. 1.
ODOACRIS REG. 1.

I. ANNO CHRISTI quadringentesimo septuagesimo sexto, Basiliscus frater Verinæ Imperatricis, & Armatus creati sunt Coss. amboque in Oriente, quod Occidentale Imperium crebris concussionibus agitatum, iam ad proximum casum vacillans, nullum dederit. Quo tempore sub Odoacre Erulorũ Rege (inquit Cassiodorus *a*) Oreste & frater eius Paulus extincti sunt; qui à Nepote Augusto rebellantes, Augustulo Imperiũ crediderant: ipse vero Augustulus (vt testatur Marcellinus *b*) in Lucullanum Campaniæ, prope Neapolim situm castellum, ab eodem Odoacre relegatus est: sicq; Imperium Occidentale collapsum est penitus, atq; deuolutum ad barbaros. Summam vero rerum consecutus ODOACER, modeste tanta vsus felicitate, (vt ait Cassiodorus) à purpura, regalibus indumentis, & nomine Imperatoris abstinuit. Illudque planè de eo memoria est dignum, quod nullum fecerit negotium rebus sacris, quantumlibet Arianus esset. Sed & multa petentibus Episcopis Orthodoxis indulsisse, testatur Ennodius in Vita S. Epiphanij Episcopi Ticinensis, necnon Eugipius in Rebus gestis S. Severini Noricorum Apostoli quem inter alios valde coluit Odoacer, quod ei longe antea, vilissimo tunc habitu iuueni, regnum Italiæ prænunciasset.

a Cassiod. in Chron.

b Marcel. in Chron.

ODOACER REGNAT IN ITALIA.

II. VNIVERSVS ORBIS SVB PRINCIP. HÆRET. AVT INFIDEL.

Porro funestissima ista, quæ politicum statum pessum dederunt, maiori intelliges esse digna luctu, si Religionis huius temporis damna perpẽdas; cum vniuersus Christianus Orbis sub hæreticorum Principum dominio constitutus, nullum penitus Catholicum Regem alicui saltem exiguæ prouinciæ dominantem habuit. Etenim Italiam (vt dictum est) Rex Arianus dominio occupauit: Galliæ itidem Principes Burgundiones & Gothi, iidemq; Ariani, & Franci adhuc Gentiles partiti sunt: Hispaniæ pariter Gothos Arianos dominos patiebantur; Africa Wandalos æquè Arianos; & vniuersum Orientale Imperium Zenonem Eutychianum hæreticum. At manet terra cœloq; firmior diuina promissio, qua portas inferi, vim omnem satanicam, aduersus Ecclesiam minimè præualituram Dominus *c* pollicitus est.

c Matth. 16.

III. SIMPL. PP. SCRIBIT ADVERS. TIMOTH. ÆLVR.

Sed & qui constituendus erat à Domino eiusdem Rector, Simplicius Romanus Pontifex, quo magis pauendum cõspexit rerum statum, eo solicitius ad anteuertenda imminentia vndiq; pericula adiecit animum. Etenim cum anno superiore certior factus esset de Timothei Æluri Pseudoepiscopi Alexandrini gestis nefandis, fauente clanculum ei Zenone Imperatore, ad eundem Aug. huius anni exordio, nimirum quarto Idus Ianuarij, egregiam Epistolam *d* scribens (& quidem tanquam ad Catholicum Principem prudenter dissimulans adscribere ei culpam, quem pœnitẽtem vellet perpetrati sceleris fieri destructorem:) multis adhibitis rationib. hortatus est, vt pulso iterum Timotheo, Ecclesiam Alexandrinam in pristinum statũ restitueret. Acacio vero Constantinopolitano Episcopo scripsit *e*, vt omni conatu eidem obsisteret Timotheo; agenti apud Imperatorem pro nouo rursus Oecumenico cogendo Concilio; quippe quod ea (vt ait) non debeant indici, nisi cum noua aliqua hæresis oritur, aut in assertione dogmatum emergit aliquid ambiguum. Ac denique aliis literis *f* clericos & monachos Constantinopoli existẽtes, à quibus legationem acceperat, laudauit de susceptis aduersus Timotheum laboribus.

d Simplic. ep. 3.

e Id. ep. 5.

f Ep. 4.

IV. BASILISCVS INSVRGIT TYRANNVS. ZENO IMP. AD QVÆ EXTREMA REDACTVS.

Verum inter hæc immisit Deus Constantinopolim Basiliscum tyrannum, (fratrem scilicet Verinæ Augustæ, ipsius

Zenonis socrus huius anni Consulem) aduersus eundem Zenonem, qui contra CHRISTVM Dominum in eam ciuitatem Timotheum carnificem introduxisset. A quo Zeno expulsus, abscessit cum Ariadna vxore in Isauriam patrium solum; & cum maximè à Basilisco ad necem quæreretur, in desertis locis vitam duxit incognitus accolis, ob idque coactus interdum, pane deficiente, herbam tanquam alter Nabuchodonosor ad cibū quærere: sicut ei antea Daniel Stylita prædixerat. BASILISCVS autem Imperator declaratus, MARCVM filium suum Cæsarem, & *Zenonidem* coniugem Augustam constituit. Hæc antiqui Scriptores *a*: sed male Marcellin. sub anni superioris Coss. collocat, quæ hoc anno post litteras à Simplicio Papa scriptas contigisse, ex iisdem redditur manifestum.

a Marcel. in Chron. Euagr. lib. 3. Theod. Lect. Collect. libr. 1. Ad. S. Dan. Styl. ap. Sur. 11. Dec.

V. BASILISCVS IMPIOR ZENONE.

Porro qui veluti Dei flagellum ad Zenonem puniendum prodiit Basiliscus; nihil tamen ipse melior Zenone fuit, imo longe deterior, vt exitus demonstrauit. Etenim etsi antehac ob res perperam gestas, impietatis notas haud leues contraxerat; mox vt euectus est in Imperium, palam persecutor erupit Ecclesiæ; Zenonide coniuge (inquit Theodorus *c*) ipsum maximè culpabilem contra fidem Catholicam impellente. Quare & pessimo illi Timotheo Æluro hæretico Eutychiano, Constantinopoli concessit vt Catholicorum ei pateret Ecclesia. Verum cum is maxima ad eam duceretur pompa, factum est magna Dei prouidentia, vt cadens ex iumento quo vehebatur, fracto crure domum relatus fuerit; vt scribit idem Theodorus. Sequit autem interea Basiliscus aduersus eos, qui eidē Timotheo restitissent; & inter alios Platonem cubicularium cremari iussit, cuius meminit Suidas. Sed & per eundem reuocatos fuisse hæreticos omnes antea sede pulsos, eosdemq; electis Orthodoxis in ipsorum Ecclesias intrusos; tradit Liberatus *d* diaconus: additque, per Timotheum restitutum esse Ecclesiæ Antiochenæ Petrum illum Fullonē, siue Cnapheum, nequissimum hæreticorum. Ac denique Euagrius *e* scribit, eiusdem Timothei persuasione Basiliscum sanctionem Encyclicam edidisse (quam & recitat) contra Chalcedonense Cōcilium, quasi illud discordiarum seminarium esset, multaq; definiisset cōtra fidem præcedētium Synodorum. Cui & ait eosdem Ælurum atque Cnapheum, necnon Anastasium Hierosolymitanum, aliosque circiter quingentos Episcopos subscripsisse, ac Leonis Papæ Epistolam vna cum Synodo Chalcedonensi abrogasse. Hæc tamen cum ex Zachariæ Rhetoris scriptis accepisse dicat, haud dubium calumnia conflata fuit ab eodem Zacharia (qui & ipse Eutychianus existens, multa pro suæ hæresis validatione commentus est) cum aduersus alios quamplurimos Episcopos, tum maxime contra Anastasium; quem testificatione sinceritissimi scriptoris Cyrilli monachi in Euthymio *f*, constat defensorem Concilij Chalcedonensis extitisse in omnibus laudatissimum: in tantum vt aduersus ipsum Hierosolymis, sub eodem Basilisco, Eutychiani sibi præposuerint *Gerontium* monachum signiferum eorundem hæreticorum. Post hæc vero idem Euagrius *g* narrat, Timotheum perrexisse Ephesum, Paulumq; in sede Episcopali collocasse, itemq; reddidisse Ecclesiæ Ephesinæ ius Patriarchatus, quod Concilium Chalcedonense ei ademerat; ac tandem inde soluentem rediisse Alexandriam.

c Theod. Collect. lib. 1.

d Liber. Breuiar. b. 18.

e Euagr. lib. 3. 4. & 5.

CONSTITVTIO BASILISCI ADVERS. CONC. CHALCED.

f Ap. Sur. 20. Ianuar.

g Euagr. lib. c. 6.

VI. ACACIVS VIRILITER AGIT IN BASILISCVM.

At inter tot turbines, Acacius Constantinopolitanus Episcopus, dudum excitatus litteris Simplicij Romani Pontificis, Basilisco tyranno resistere parans, cōsilium iniit Constantinopolim euocandi sanctissimos quosq; Episcopos, necnon monachos in eremo latitantes, quos ob ingentia miracula aduersarij etiam reuererentur. Præ quibus omnibus, magnus ille Daniel Stylita, & legationibus ac lachrymis Episcoporum rogatus, sed præsertim cœlesti voce è columna descendere iussus, in vrbem veniens; postquam sæpius Basilisci impietatem palam arguisset, eiusdemque ad pedes suos procumbentis hypocrisim patefecisset, ac plurimis editis prodigiis populum in fide Catholica confirmasset, proximumq; prædixisset tyranni interitum, ad columnam suam remeauit: sicut ea fusius in ipsius *b* Rebus gestis enarrantur; memineruntque eorundem Theodoretus *i* Lector, atque Nicephorus *k*. Iniectum præterea in vrbem constat fuisse ignem à plebe concitata, in inuidiam ipsius Basilisci; quo florentissimam vrbis partē absumptam esse Cedrenus tradit; interq; alia, Bibliothecam librorum millia centena vicena continentem, in quibus fuit etiam draconis intestinum pedes centum viginti longum; cui Homeri Ilias & Odyssea aureis literis fuerant inscriptæ, cū historia rerum ab heroibus gestarum. Erat enim & ea ex parte maximè inuisus cunctis Basilisco, quod (vt ait Suidas) pecuniam exigeret ab Ecclesiarum Episcopis, adeoq; insigni esset auaritia, vt ne cerdonibus quidem & contemptis opificibus parceret, omniaq; plena essent lachrymarum inter illas exactiones.

h Ap. Sur. 11. Dec.

i Theod. Lect. lib. 1. Niceph. lib. 16. cap. 6.

BIBLIOTH. CONSTANT. COMBVSTA.

VII.

Cum igitur ita aduersari sibi expertus est Basiliscus Senatum, populumque, Clerum item, sanctissimosq; monachos, ac super omnes ipsum Acacium Episcopum; sed & Zenonem audiuit è latebris emersum, conflasse exercitum in Isauria: idem vti imminentem sibi ruinam vitare posset, apparens ex improuiso Catholicus, vt Saul inter Prophetas, vna cum Zenonide coniuge Acacio se & Clero in Ecclesia purgauit; & quas antea sanciuerat aduersus Catholicam fidem, Conciliumq; Chalcedonense leges, contrario promulgato edicto antiquauit, ac penitus deleuit: quorum quidem meminit Theodorus *a*, sed ea pluribus desciptsit Euagrius *b*: ex quo etiam apparet, eadem gesta esse sollicita Acacij, strenuissimè aduersus tyrannum agētis, cura: ipsum vero ad ea impulsum fuisse vigore literarum Simplicij Papæ, tum quæ iam dicta sunt demonstrant; tum Gelasius *c* confirmat dum ait Basiliscum scriptis Apostolicæ Sedis infractum esse, & à plurimis reuocatum excessibus. Quæ autem post hæc secuta sunt, dicentur annis sequentibus.

EDICTŪ BASILISCI PRO FIDE CATH.

a Theod. d. lib. 1.

b Euagr. lib. 3. c. 7.

c Gelas. ep. 11. ad Dard.

VIII. THALMVD BABYLONICI COLLECTIO.

Interea dum his flagraret incendiis Oriens, Iudæorum præcipui, Rabbi Asse & Rabi Hammai conferserunt THALMVD Babylonicum blasphemiis scatens. Quæ quidem tertia fuit collectio: nam prima habita est à Iuda Symeonis filio anno cēteſimo quinquagesimo ab vltima clade Hierosolymorum: secunda vero à Rabbi Ioannam, anno trecentesimo ab eadem clade. Sed de his plenius Sixtus *d* Senensis.

d Sixt. Sen. Bibl. lib. 2.

IX. GENSERICI REG. OBITVS.

Hoc eodē anno Gensericus Rex Wandalorum in Africa, vita functus est, cum regnasset (secundum sententiam Victoris *e*) annos triginta septem à tempore captæ Carthaginis; etsi Procopius *f* triginta nouem tribuit. Prædicatur hic Regum omnium felicissimus, qui (quod nulli plane vnquam datum fuit) duarum totius Orbis potentissimarū Vrbiū expugnator fuerit, Carthaginis, & Romæ, potitusq; manubiis de iis erexerit trophæa. Ei vero successit *Hunericus* maior filius: qui primordio regni mitiorem se Catholicis exhibens, Manichæos hæreticos dire vexauit, ex quibus multos incendit, plurimos distraxit nauibus transmarinis; vt idem Victor scribit.

e Victor. de pers. Wand. lib. 1.

f Procop. de bel. Wand. lib. 1.

IESV CHRISTI
ANN. 477.

SIMPLIC. ANN. 11.

BASILISCI 2.
ZENONIS 4.
ODOACR. 2.

ANNO CHRISTI quadringentesimo septuagesimo septimo, (quem nullius illustrauit Consulatus: nam nonnisi Post Consulatum inscribi consueuit Basilisci atq; Armati) idem Basiliscus tyrannus, Deo, hominibusque, ob summam ipsius impietatem atque auaritiam inuisus, postquam Imperium occupasset annum vnum & menses sex, vel octo, vt Cyrillus *g* & Procopius *h* habent; à Zenone tandem, quem ipse expulerat, exercitu petitus est. Aduersus quem cum ipse Armatum misisset; vbi amborū copiæ in conspectu fuere, idem Armatus Zenonis Ducibus se cum

g Cyril. in vita S. Sabæ ap. Sur. 5. Dec.

h Procop. de bel. Wand. lib. 1.

BASILISCVS CAPITVR A ZENONE, AC MISERE PERIT.

se cum toto tradidit exercitu. Quod audiens Constantinopoli Basiliscus, protinus in ecclesiam confugit; sed inde extractus ab Acacio eiusdem vrbis Episcopo, Zenoni traditus est. Quem cum vxore ac filiis Zeno in Cappadociam relegans hyemis tempore, iussit neque veste neq; cibariis iuuari: sicq; breui idem, fame ac frigore, vna se complexi corporibus, collachrymantes misere perière. Hæc Procopius, Marcellinus, & alij. Sed Euagrius *a* ait, Basiliscum in Cappadociam deductum, vna cum vxore & liberis trucidatum esse in diuersorio. Additq; Suidas, ipsum quoque Armatum (quem cognatum Basilisci, Zenonidis vero ipsius coniugis adulterum fuisse ait) postea occidi iussum esse, ac cæde eius ciues admodum gauisos, quod sub Leone Imp. Thraces quosdam seditiosos manibus amputatis dimisisset. Porro eum occisum esse, quod in suspicionem venisset, Procopius tradit. Hęc autem omnia supernum nutu facta esse, intercedente apud Deum pro Zenone sancta protomartyre Thecla, quæ ei per visionem apparuit; ideoq; ipsi postea eundem Zenonem amplissimum templum apud Seleuciam Isauriæ construxisse, Euagrius narrat.

a Euag. l. 3. c. 8

S. THECLÆ BENEFICIO ZENO RECEPIT IMPERIVM.

II. ZENO POST REDITVM MVLTA PIE AC CATHOLICE AGIT.

Per huiusmodi autem vexationem nonnihil ad meliorem frugem redactus Zeno, simulac peruenit Constantinopolim, memor prædictionis sanctissimi Danielis Stylitæ, qua pronunciarat fore vt sicut pellendus, ita & esset paulo post restituendus; vna cum coniuge ad ipsum in columna agentem perrexit, & de accepto eius precibus tam insigni à Deo beneficio gratias egit: prout habent ipsius Danielis Acta *b*. Sed & confestim epistolã scripsit ad Simplicium Romanum Pontificem, qua fidei suæ in omnibus testatam redderet integritatem. Non extat ipsa quidem; sed de ea mentionem habet idem Pontifex in literis *c* ad illum redditis hoc ipso anno mense Octobris: quibus cum ei de recuperato Imperio congratulatur, tũ Synodi Chalcedonensis defensionem, & Ecclesiarum Orientis reintegrationem commendat. Porro ex sententia Simplicij Zenonem cuncta impleuisse constat. Quippe imprimis edictum promulgasse, quod *d* literas Encyclicas Basilisci abrogauit, ac deinde intrusos ab eodem Basilisco hæreticos Episcopos expulisse, interq; alios Petrum Cnapheum Antiochia, & Paulum Ephesio, auctor est Euagrius *e*: qui & addit Asianos Episcopos qui Basilisci literis subscripserant, oblatis pœnitentiæ libellis Acacio Constantinopolitano Episcopo, (cui ob rem bene gestam aduersus Basiliscum, Simplicius *f* legauerat vices suas in cura illarum regionum) veniam deprecatos esse, quod ad subscribendum coacti fuissent.

b Ap. Sur. 11. Decemb.

c Simplic. ep. 7.

d vide sup. an 472. post init. 2.

e Euag. lib. 3. cap. 8 & 9.

f Simpli. ep. 17. ad Acac. Gela. ep. 11. ad Dard.

III. TIMOTH. ÆLVRI MORS.

Execrandus vero ille omnium malorum auctor, Timotheus Ælurus pseudoepiscopus Alexandrinus, existimans Zenonem in Catholicum vere esse mutatum; spe omni destitutus, Iudæ proditoris instar sibi ipsi veneno mortem conscisiit, vt tradit Liberatus *g* suorum temporum testis. Ex quo redarguas Euagrium *h*, qui Zachariæ Eutychiani historici assectatus vestigia, ait eundem Timotheum ob ingrauescentem ætatem permissum fuisse à Zenone pacifice sedere vsq; ad obitum, qui paulo post contigit. Cæterum ab illo dicti sunt *Timotheani* hæretici, qui aduersabantur i Ecclesiæ, docenti Verbum ita carnem factum, vt manente Verbo in sua substantia, & homine in sua natura, societate, non commixtione vnam Filij Dei reddiderit personam, aduersus quos ait erudite scripsisse Samuelem Syrum; pro ipsis autem *k*, Syrum natione Alexandrinum: meminitq; item libelli ab ipso Timotheo ad Leonem Imperatorem aduersus Leonem Papam & Chalcedonense Concilium valde suasorie scripti. Etsi vero hũc TIMOTHEVM dictæ hæresis constet fuisse auctorem; ex his tamẽ quæ superius sæpe dicta sunt, satis apparet, ipsum præterea eandem quam Diodorus & Eutyches, hæresim sectatum esse.

g Liberat. c. 16
h Euag. l. 3. c. 11

TIMOTHEANI HÆRETICI
i Gennad. de Script. Eccles. cap. 82.
k Id. cap 81. l. cap. 72.

IV. PETRVS MOGVS EPISC. ALEX. INTRVDITVR.

Quinam autem in locum eiectorum Episcoporum fuerint substituti, Euagrius narrat, nempe Antiochiæ *Stephanum*, de quo plura inferius; Alexandrinos autem propria auctoritate subrogasse *Petrum* cognomento *Mogum*; sed cum hoc ad aures Zenonis peruenisset, ipsum morte mulctasse Petrũ, ac sedi Alexandrinæ restituisse *Timotheum* illum alterum, cognomento *Solofaciolum*, legitimum S. Proterij successorem, quem factione Æluri eiectum vidimus. Verum quod Petrus Mogus morte mulctatus sit, redarguitur Euagrius à Liberato Diacono, & aliis historicis: eumq; diu superuixisse, quæ inferius dicentur, demonstrabunt.

V.

Hoc eodem anno, mense Ianuario, Anastasium Episcopum Hierosolymitanum diem obiisse, (cum sedisset, vt ex tempore ingressus eius colligitur, annos vndeuiginti) notum fit ex Cyrillo *a*, dum ait eum defunctum esse anno quinto ab exitu S. Euthymij anachoretæ, quem contigisse tradit anno decimosexto Leonis Imperatoris, nẽpe Christi quadringentesimo septuagesimo secundo: additq; in locum Anastasij ordinatum esse *Martyrium* monachum, genere Cappadocem, vitæ sanctitate præstantem, eiusdemq; magni Euthymij olim in vita monastica commilitonem, à quo & prædictionem acceperat futuri Episcopatus. Sub ipso vero factam, præcedentibus signis & prodigiis, & iacta sorte mirabiliter confirmatam, vnionem schismaticorum Palæstinæ monachorum cum Ecclesia Catholica, idem auctor fusius scribit.

a Cyril. in Euthym. ap. Sur. 20. Ianuar.

MARTYRIVS EPIS. HIERO.

VI. AMBROS. DVX BRITANNIÆ VINDEX.

Quod autem ad res Occidentales spectat, hoc eodem Zenonis Imp. tempore, *Ambrosius Aurelianus* nobilissimus ciuis Romanus in Britannia purpuram sumpsit, absque tamen nomine Imperatoris; conatus liberare Britannos ab Anglosaxonibus eos assidue infestantibus: qui quidem vocati à Britannis sub Marciano Imp. aduersus Scotos & Pictos, ex auxiliatiis in hostes conuersi, eosdem Britannos diris affligebãt. Quomodo vero Ambros. eosdem hostes pluribus fatigatos prælijs, tandẽ penitus vicerit, *Gilda* b Britannus, cognomento *Sapiens*, qui eo tempore natus est, enarrat; eidem Ambrosio acceptam ferens, cum libertate Britanniæ ab ingruentibus barbaris, restitutam Ecclesiasticam disciplinam. Vnde factum esse ait, vt quamdiu desperati Insulæ excidij, insperatiq; mentio auxilij, hæsit memoriæ eorum, qui vtriusque miraculi testes extitere; tamdiu Reges, publici, priuati, sacerdotes, Ecclesiastici suum quique ordinẽm seruauerint: at illis decedentibus, cum successit ætas nempe statis illius nescia, ita cuncta veritatis ac iustitiæ moderamina concussa & subuersa fuisse, vt earum non solum non vestigium, sed ne monumentum quidem in supradictis propemodum appareret. Quinam autem, tunc praui mores omne hominum genus ibi corruperint, vnde meruit iterum insula misere pessundari, idem Gildas, qui ea præ oculis habebat, exacte singula recensetat atque deplorat.

b Gild. Sap. de Excid. Brit. Adde Bed. de ætat. in Zen. & lib. 1. de Gest. Angl. c. 16. Adon. in Chron. Quæ vero ex Gilda hic dicuntur, habet ex parte Baron. an. 494. in fi.

IESV CHRISTI ANN. 478.

SIMPLICII AN. 12.

ZENONIS IMP. 5. ODOACRIS REG. 3.

ANNO Christi quadringentesimo septuagesimo octauo, Illus sine collega Constantinopoli creatus est Consul. Caruit enim pluribus annis suo Consule Occidens; quod dum legationes ineundæ pacis causa vltro citroq; a Zenone & Odoacre missitarentur, nihil inter hæc Odoacer præsumere, nec Zeno de iuribus Occidentalis Imperij sibi voluit arrogare. Huius ergo anni principio, redditæ sunt Simplicio Romano Pontifici literæ *c* Acacij Constantinopolitani Episcopi, de rebus Alexandrinæ Ecclesiæ anno superiore transactis, nimirum de morte Timothei Æluri, expulsione Petri Mogi, & restitutione alterius Timothei cognomento Solofaciolj; quas Simplicius scire expetierat.

I. VNICVS PER PLVRES ANNOS CONSVL.

c Ext. inter ep. Simpl. post ep. 8

II. LEGATIO TIMOTHEI SOLOFAC. AD ROM. PONT.

Sed & ipse Timotheus Solofaciolus, eodem tempore honorificam legationem misit ad eundem Pontificem, qua inprimis rogauit veniam pro antea admisso delicto,

q compressus gladiis Eutychianorũ, coactus fuisset recitare nomen impiissimi Dioscori ad altare; ac præterea notum fecit, Petrum Mogũ, qui fugam captasse videbatur, latitare in ciuitate, & secreto multos seducere; rogans vt apud Imperatorem ageret, quo longius in exilium pelleretur. Præstitit illud Simplicius, binis hoc ipso anno ea de re ad Zenonem literis scriptis *a*, totidemq; ad Acacium. Quem insuper dum certiorẽ facit de misso ad se per eundem Timotheum libello pœnitentiæ eorũ quos Ælurus & Mogus seduxissent, quo peterent à Romano Pontifice veniam admissorum delictorum; his satis confirmat quod alias sæpe factum vidimus, nimirum absolutionem à crimine hæresis reseruari solitam Romano Pontifici, vel iis quibus ipse eam facultatem delegasset. Quod si inconcessum id fuit (vt iam cernimus) primæ post Romanã sedis Antistiti, quinam inferiorum sedium Sacerdotes sibi id arrogare præsumpsisset.

a Simplic. ep. 18. 11. 12. 13.

ABSOLVTIO AD HÆRESI, PROPRIA ROM. PONT.

IESV CHRISTI ANN. 479.

SIMPLICII ANN. 13.

ZENON. IMP. 6. ODOACR. REG. 4.

ANNO CHRISTI quadringentesimo septuagesimo nono, Zenone Aug. tertium Cons. Orientalis Ecclesia, quæ paululum nacta esse quietis post reditum eiusdem Imperatoris visa est, rursum opera Eutychianorum hæreticorum nouis cœpta est turbinibus exagitari. Etenim cum Antiochiæ Stephanus Orthodoxus Episcopus in magna Ecclesia sacram Synaxim solemniter celebraret, Eutychiani conferto agmine exertis gladiis ingressi, Sacerdotes sæuissime trucidarunt, sanctissimumq; ipsum Antistitem Stephanum calamis ad similitudinem hastarum præacutis cõfecerunt, & corpus eius in Orontem amnem proiecerunt; vt ex Ioanne Rhetore (quem sui temporis Historiam Ecclesiasticã, nempe à Theodosio Iuniore vsq; ad finem Zenonis, proiecutum esse Photius ait) breuiter narrant Euagrius *b* atque Nicephorus *c*: testanturq; id ipsum Ecclesiasticæ Tabulæ *d*, quæ nomen eiusdem Stephani martyris adscriptum habent.

I.

ANTIOCH. HÆRETICOR. SACRILEGIA.

b Euagr. lib. 3 c. 10.
c Nic. lib. 15. c. 18.
d Martyrol. 25. April.

Porro ista immania impulsore gesta sunt sceleratissimo illo Petro Fullone, itidem Cnapheo dicto, qui ab eius Ecclesiæ throno, quem inuaserat, deiectus, inconsulte nimis in ciuitate degere permissus fuerat, reclamante licet à longe Romano Pontifice, vt pestilens homo quã longissime deportaretur. Ipse tamen Imperator in sacrilegos homicidas, missis militibus, tam immane facinus vindicare quam primum non destitit. Qui insuper vt caueret ne in electione successoris Antistitis iterum turbæ nascerentur, eo necessitatis adactus est, vt q hactenus fuerat à maioribus intentatum, ipse primus iusserit Antiochenum futurum Episcopum eligi Constantinopoli. Itaq; electo Stephano Iuniore, Stephani martyris successore; vt ea cuncta, præter regulas Ecclesiasticas Nicæni Concilij (quibus scilicet Episcopus Antiochenus à Syriæ Episcopis ordinari soleret) præsumpta illa vrgente occasione, rata haberẽtur à Romano Pontifice; scripsit de iis Zeno ad Simpliciũ Papam: qui reddidit is ad eundẽ Imp. literis *e* hoc ipso anno decimo Calendas Iunij, (quibus hæc omnia narrantur) eiusmodi quidem electionem ratam habuit; sed ea conditione quã iam ipse Imp. iureiurando promisisset, nimirum haud se aliter ista peregisse, nisi ad sedandas præsentes seditiones, ac deinceps omnino permissurũ vt in vrbe Antiochena, veteri more seruato, Episcopus Antiochenus à comprouincialibus Episcopis ordinaretur. Idq; vt omnino fieret, nec posthac tale quid ab Episcopo Constantinopolitano præsumeretur, graniter monuit *f* Acacium eiusdẽ vrbis Antistitem. Ea de re illud vehementius ad Imperatorem inculcauit, vt damnati hæretici è finibus Romani propulsarentur Imperij.

ELECTIO EPISCOPI ANTIOCH. FACTA CONSTANTINOPOLI, CONTRA VSVM ANTIQVVM.

e Simpl. ep. 13.

Hoc eodem anno, quarto *a* Calendas Augusti, magnus ille *S. Lupus*, de quo superius actum est, Trecensis Ecclesiæ Episcopus, Gallicanæ decus, cuius extant immensa præconia apud Sidonium *b* Apollinarem; ex hoc mundo migrauit in cœlum, cum iam annis quinquaginta duobus suam Ecclesiã rexisset: felicissimus in discipulis insigni miraculorum gloria illustribus, Polychronio Episcopo Virdunensi, Seuero Treuerensi, Albino Catalaunensi, aliisque, nec non in successore Cameliano, ipsius morum imitatore: vt docet auctor *c* eius temporis, qui fidelissimè res ab eo gestas posteris tradidit.

III.
a Martyrol. Rom. ead. die. OBITVS S. LVPI.
b Sidon. 6. ep. 1. & 9. ep. 11.
c Ap. Sur. 29. Iul.

IESV CHRISTI ANN. 480.

SIMPLICII ANN. 14.

ZENON. IMP. 7. ODOACR. REG. 5.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo, Basilio Iuniore Cons. Hunericus Wandalorum & Alanorum in Africa Rex, accepta legatione Zenonis Imp. & Placidiæ relictæ Olybrij, permisit Ecclesiæ Carthaginiensi, post longa spatia ærumnosæ viduitatis annorum viginti quatuor ab obitu S. Deogratias Episcopi, nouum sibi deligere sponsum; ea conditione, vt Ariani Constantinopoli & per alias prouincias Orientis, liberam haberent facultatem ritus suos in Ecclesiis celebrandi; aut si hoc ipsis non concederetur, tunc & Episcopus qui Carthagine ordinaretur & vniuersus eiusdem ciuitatis clerus, aliiq; Episcopi omnes Afri, cum clericis suis, relegarentur inter Mauros. Cum vero Clerus his conditionibus recusaret Episcopum accipere; tamen adeo habendi desiderio pastoris arsit populus, quod multi essent qui nunquã Episcopum in throno sedentem vidissent; vt ordinandus ei fuerit *Eugenius* vir sanctissimus, cum aliis omnibus virtutibus, tum maximè eleemosynarum largitate insignis. Hæc Victor *d*, qui interfuit. Quæ vero secuta sunt, dicentur inferius pro ratione temporis.

I.
EPISCOPVS CARTHAG. PERMISSVS CREARI DVRIS. CONDITIONIB.

d Vict. de Pers. Wand. lib. 2.

IESV CHRISTI ANN. 481.

SIMPLIC. ANN. 15.

ZENON. IMP. 8. ODOACR. REG. 6.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo primo, Placidio Cons. cum Theodoricus Gothus, Triarij filius, bellum inferre Zenoni Aug. decreuisset, iamque omnia depopulatus ad quartum lapidem Constantinopoli distantem peruenisset, ipsa quoque vrbe mox potiturus; coniuratione suorum in se detecta, à cœpto destitit: indeq; in Illyricum parans iter, dum quadam die in castris equum indomitum agitaret, hastæ suspensæ ab equo decussæ vulnere in latere accepto, paucos post dies obiit. Hæc Marcell. *e*, & Euagrius *f*: ex quibus Iornandem redarguas, dum non Theodoricũ Triarij filium fuisse narrat, sed Walemirum Amalum Gothorum Regem, fratrẽ Theodomiri patris Theodorici Amali, qui hoc anno in Gothorum regnum successit, Zenoniq; Imperatori charissimus factus est, de quo plura inferius.

I.
THEODORICI TRIARII ORTVS.

e Marcel. in Chron. hoc ann. & Euagr. lib. 3. c. 29.

Hoc item anno, quo numeratur Hunerici Wandalorum Regis quinquennium, Deus multis signis, atq; visio-

II.
INITIVM PERSEC. WANDAL. SVB HVNER.

nibus,

nibus, futuram Africanæ Ecclesiæ persecutionem prænunciauit, quo se cuncti præpararent ad pugnam. Ac licet persecutionis furor dilatus sit ad biennium, præcesserunt tamen hoc tempore quasi velitationes quædam aduersus ipsos Wandalos, maximeq; Regis domesticos, qui ad Catholicam Ecclesiam transissent; quos Hunericus dire cœpit vexare, ac variis suppliciis afficere. Sed vt cœptam intermitteret persecutionem, fecit conuersio ipsius ad eædem suorum, quos firmandi sibi causa regni crudelissima carnificina sustulit: adeo vt non solum fratrem suum Theodoricũ, cum vxore ipsius ac liberis, Comitesq; quamplurimos, & nobiles gentis suæ, obiectionibus falsis, variis mortis generibus peremerit; sed & ipsius suæ sectæ Patriarcham nomine Iocundum incendio concremarit, eo quod in domo Theodorici fratris acceptissimus habebatur; ac multos pariter presbyteros & diaconos Arianos incenderit, bestiisq; manciparit. Quorum omnium testis est, qui ea præ oculis habuit Victor * Vticensis.

*Vict. lib. 2. de Persec. Wandal.

IESV CHRISTI ANN. 482.

SIMPLICII ANN. 16.

ZENONIS IMP. ODOACR. REG. 7.

I.

CALENDION EPISC. ANTIOCH.

ANno Domini quadringentesimo octogesimo secundo, Seuerino Consule, Stephanus Iunior Antiochenus Episcopus ex hac vita migrauit, statimq; in eius locum ibidem Antiochiæ electus est *Calendion* vir sanctissimus: ac continuo à collecta ibi Synodo directus est Anastasius Episcopus ad Romanum Pontificem, ex more, vt eius electionem ratam haberet. Eam vero probasse Simplicium Papam, literæ [a] ipsius ad Acacium Episcopum Constantinopolitanum hoc anno Idibus Iulij datæ significant. Ex quib. etiam corrigas Nicephori Chronicon, cũ Stephano vnum tantum sedis annum tribuit; quam ad triennium propagasse constat. Mox vero vt Calendion thronum cõscendit, nihil antiquius habuit, quam vt sacras Reliquias magni illius S. Eustathij eiusdem ciuitatis olim Episcopi, qui Nicæno Concilio interfuerat, & fidei causa in exilio apud Philippos Macedoniæ vitã finierat, inde Antiochiam [b] magna pompa deferret. Sed plane accidit, vt sicut q Prophetam [c] recipit in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipit; ita qui recepit Confessorem in nomine Confessoris, confessionis palmam fuerit consecutus. Siquidem quod Calendion haud, sicut prædecessor, factus fuisset Episcopus ab Acacio, sed contra eius voluntatem; idem paulo post opera ipsius Acacij (vt Gelasius [d] Papa multiplicibus querelis exaggerat) in Oasim, deterrimum omnium exilium, relegatus est; eo prætextu (vt habet Euagr. [e]) quasi quibusdam Imperij perduellibus aduersus Zenonem Imp. fauisset. Simul ac degustasset Acacius in electione Stephani, ex necessitate (vt vidimus) sibi credita, primatus dulcedinem; eundem indefesso studio, malisque artibus arripere ad obitum vsque nunquam destitit. Porro post amotum Calendionem, in locum eius restitutum esse impium *Petrum Cnapheum*, & in communionem receptum ab Acacio, testantur Euagrius, Liberatus, atque alij omnes.

a *Simplic. ep. 14.*

b *Theod. Lect. Collect. li. 2.*

c *Matth. 10.*

RELEGATVR IN OASIM.

d *Gelas. ep. 11. ad Dard.*

e *Euagr. lib. 3.*

ACACII CÕSTAN. AMBITIO.

II.

Cum autem iisdem, quarum meminimus, Simplicij ad Acacium datis hoc anno literis, mentio habeatur turbarũ Alexandriæ ab improbis concitarum post obitum Timothei eius ciuitatis Episcopi Catholici; inde certum redditur, ipsum Timotheum eodem anno ex hac vita decessisse, nimirum cum sedisset, (vt ait Liberatus [f]) interpolatis tamen vicibus, annos viginti tres ac menses sex. Quo tempore coeuntes Ægypti Episcopi, communi consensu elegerunt *Ioannem* ex Oeconomo, cognomento *Talaidam*, eiusdem Ecclesiæ presbyterum, fide Orthodoxa præstantem: Sed huic Imp. impulsu Acacij (inuidia ducti, vt ait idem Liberatus [g], de sua ordinatione Ioan. ad ipsum Synodicas dirigere literas neglexisset) aduersatus est, eo prętextu quod diceret ipsum ante iutasse nunquã passurum se in Alexandrinum Episcopum eligi. Hisq; idem Imperator addidit longe deteriora, cum non erubuit contra eundem Ioannẽ in sede restituere nefandum illum *Petrum Mogum* hæreticũ, [h] antea ab eodem ipso pulsum. Sicq; iam diu sub Catholico nomine latens Zenonis, & Acacij hypocrisis, omni deposita verecũdia procax exiliit. Quæ simulac Simplicius Papa explorata habuit ex legatione missa â Synodo Alexandrina, qua Ioannis electionis cõfirmationem petit, itemq; ex literis ab ipso Zenone Imp. ad eundem Simplicũ missis; ipse de iis ad Acacium scribens [i], grauiter eũ redarguit, quod de reb. adeo magni momenti nihil ad se scripsisset: simulq; hortatus est vt apud Imperatorẽ ageret, quo Petrus, qui ab Ecclesiæ Catholicæ cõmunicatione alienus esset, sede Alexandrina pelleretur. Ac rursum cum nec his acceptis literis quicquam Acacius rescriberet (vtpote qui odio atq; ambitione ductus, pro subrogãdis ac promouendis hæreticis solicitius apud Imper. agebat) eundem aliis hoc ipso anno, octauo Idus Nouembris, datis literis, idem Simplicius [k] excitare, licet frustra, conatus est.

f *Liber. c. 16. IOAN. EPISC. ALEX.*

g *Liber. c. 18.*

h *Liber. c. 18.*

PETRVS MOGVS RVRSVM INTRVDITVR ALEXANDR.

i *Simplic. ep. 17.*

k *Id. ep. 18.*

III.

ZENONIS IMP. HENOTICON.

Quinimo inter hæc eiusdem Petri Mogi suggestione, & ipsius Acacij impulsu, idem Zeno Imperator, homo laicus, ausus est de Fide sancire decretum, & quod magis horrendum apparuit, in omnes Episcopos, aliosque ipsum non recipientes, anathema indicere; dum edictum ad Alexandrinos, & vniuersos Ægypti, Libyæ, & Peritapolis Episcopos, clericos, monachos, & laicos, scripsit quod HENOTICON, seu *Vnitiuum* appellari voluit [c], quo quidem simulans se vnionem inter eosdem, variis partibus distractos, conciliare velle, certam proposuit Fidei confessionem, cui omnes subscribere deberent: ac fingens se trium priorum Oecumenicarum Synodorum, Nicænæ, Constantinopolitanæ, & Ephesinæ, definitiones suscipere, atque Nestorio & Eutycheti anathema dicere, tacitam immiscuit abrogationem Concilij Chalcedonensis. Verum cum eius rei causa maximus in ipsum ab Orthodoxis tumultus excitaretur; idem rursum pietatem forinsecus induens, ne ab iis proclamaretur hæreticus, se vindicẽ demonstrare conatus est eiusdem Synodi, atq; (vt ex Liberato [d] constat) simulauit se Ioanni Talaidæ Episcopo Alexandrino infensum esse, quod ille videretur eam non recipere; cum tamen re vera idem Iohannes validissimus esset eiusdem Concilij assertor, Petrus vero Mogus qui in locum eius intrusus est, manifeste eidem aduersaretur; licet & ipse (vt Euagrius [e] docet) fraudulentissimus homo ad alliciendos Catholicos, eius nonnunquã approbatõr videri vellet. Vnde & idem, cum Zenonis Henotico (cui statim ac publicatum est subscripsisse, & vt publice ab omnibus Alexandriæ reciperetur curasse, idem auctor [f] scribit) trium tantum professione Conciliorum teneretur adstrictus; tamen ad præferendam speciem aliquam pietatis, Epistola ad Acacium [g] scripta, professorem se esse Chalcedonensis Concilij iactauit: idq; ipsum aliis literis Simplicio Papæ significasse, Liberatus [h] est auctor.

c *Ext. ap. Euagr. li. 3. c. 14.*

d *Liber. c. 18.*

e *Euagr. lib. 3. c. 17.*

f *Id. cap. 15.*

g *Ext. ibid. c. 17.*

h *Liber. 18.*

IV.

Verum dum ea arte vsus est ad Catholicos decipiendos, perdidit ipse ex suis quamplurimos; qui nimio aduersus Concilium Chalcedonense odio impulsi, non potuerunt ferre huiusmodi ipsius artes: adeo vt quamuis ille postea idem Cõcilium palam damnauerit, ipsi tamen remanserint in suo schismate, quod ab initio Henoticon approbasset, non anathematizata manifeste Synodo: qui quidem quod seorsum à suo Patriarcha (sine capite conuenirent, inde ACEPHALI sunt dicti, vt Leontius [i] tradit. Quæ autem post fuerint consecuta, dicentur ordine temporis anno sequenti.

ACEPHALI HÆRETICI.

i *Leont. de Sect. Act. 5.*

V.

Hoc eodem anno Simplicius Papa scripta [k] Epistola ad Ioannem Rauẽnatem Antistitem, acri eum reprehensione perstrinxit, de adhibita vi Gregorio cuidam, promouendo eum ad presbyteratum, non vt honoraret, sed vt inuidia è loco pristino dimoueret: minatusq; est ablaturum se priuilegia Ecclesiæ Rauennati, ab Apostolica Sede concessa, (nimirum vt præesset Episcopis prouinciæ Æmiliæ) si illis deinceps abuteretur: quippe (vt ait) priuilegium meretur amittere,

k *Simpl. ep. 16*

SIMPLI. PP. ARGVIT EPISCO. RAVEN.

amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Gregorio vero gubernandam tradidit Mutinensem Ecclesiam, ne quid ei Ioannes imposterum negotij faceſſeret: eidemq; triginta solidorum reddituum possessionem ad Rauennatem pertinentem Ecclesiam, dum viueret, impertiri iussit. Extatq; alia eiusdem Pontificis epistola sine die & Consule, ad Zenonem Episcopum Hispalensem, qua suas ei vices in omnibus Hispaniarum Ecclesiis delegauit.

a *Id. ep. 1.*

Hoc item anno sub Consulatu Seuerini, decimooctauo Calendas Decembr. habita est SYNODVS TVRONENSIS, cui præfuit *S. Perpetuus*, ex nobilissimo atque ditissimo Senatore factus eius sedis tertius Episcopus à S. Martino, sextus vero Turonensium Episcoporum numeratus à Gregorio eiusdem postea vrbis Antistite: qui præter alia quæ de ipsius virtutibus & cura pastorali habet, recenset etiam ieiunia plurima, vigiliasq; ab eo in eadem Ecclesia per anni circulum instituras: quem & constat *b* basilicam S. Martino dicatam, longe ampliorem atque magnificentiorem reddidisse. Eosq; Episcopos qui cum eo conuenerunt, hoc anno Turone, illuc accessisse ad festiuitatem Receptionis eiusdem S. Martini, (hoc est translationis è priori loco per angusto in eandem ampliorem basilicam) restantur Acta Synodi. In qua ab iisdem sanciti reperiuntur canones tredecim, spectantes ad Ecclesiasticam disciplinam, qui peruij sunt omnibus.

VI. CONCIL. TVRON. IN TRANSLATIONE S. MART.

b *Sidon. 4. ep. 18. ad Lucent. Greg. Tur. 2. hist. 14.*

Hoc insuper anno, sexto Iduum Ianuarij, ex hac vita migrasse clarissimum illum, à Deo missum ad Noricos, & alias finitimas nationes, Apostolum S. Seuerinum, de quo superius; colligitur ex Eugipio Abbate ipsius discipulo, qui eiusdem Vitam eplane admirandam posteris tradidit. Sunt qui eum Episcopum Noricorum appellent: sed perperam, cum nunquam voluisse Episcopatu initiari, idem Eugipius disertis verbis affirmet. Quomodo vero paulo ante obitum, (quem Domino reuelante præuidit, prænunciauitq;) obuiam factus Gibuldo Alemannorum Regi, eas partes assidue incursanti, tanta eum constantia allocutus sit, vt ille tremefactus coram eo vehementius cœperit, secedensq; suis exercitibus indicarit, nunquam se nec in re bellica, nec aliqua formidine tanto fuisse tremore concussum, cunctaq; quæ petiit, præstiterit: ac quænam sanctissima monita Rugorum Regibus, cum quibus sæpe ipsi de variis rebus tractandum fuerat, dederit; (quæ quidem si iidem Reges obseruassent, minime fuissent post aliquot annos victi *d*, vinctiq; ab Odoacre in Italiam perducti:) sed & quomodo post eos Reges abductos, ex iussione eiusdem Sancti, ante obitum discipulis suis facta, ipsius corpus, adhuc omnino integrum, suaueq; fragrans repetrum, ab iis contigerit in Italiam ad castellum Feletheim, indeq; Gelasij Papæ auctoritate Neapolim Campaniæ ciuitatem transferri, atque ingentibus vbique miraculis claruisse: hæc, inquam, omnia, aliaq; eo spectantia, idem eius discipulus, Vitæq; scriptor, plurimis prosequitur.

VII. S. SEVERINI NORICI OBITVS.

c *Eugip. ap Sur. 8. Ianuar.*

d *Horum Regum captiuitatem & Reliquias S. Seuerini translationes, habet Baron. an. 487. 488. 496.*

IESV CHRISTI AN. 483.

FELICIS III. AN. 1.

ZENONIS IMP. 10. ODOACR. REG. 8.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo tertio, Anicio Fausto Cons. Ioannes Episcopus Alexandrinus Catholicus, expulsus Zenonis iussu anno superiori, Antiochiam primum ad Calendionem tunc adhuc sedentem Episcopum se contulit; & sumptis ab eo intercessionis literis Synodicis, Simplicium Romanum Pontificem appellauit, sicut & B. quondam fecerat Athanasius eiusdem sedis Antistes. Hæc ex Liberato *e*. Sed cum appellationem prosecuturus Romam aduenisset, eundem S. Simplicium defunctum inuenit: quem contigit hoc ipso anno ex hac vita migrare sexto Nonas Martij, (vt habet Anastasius Bibliothecarius in libro de Romanis Pontificibus) cum sedisset annos quindecim, menses quinque, & dies decem: Sepultusq; est in Basilica S. Petri.

I. IOANNES ALEX. APPELLAT RO PON.

e *Liber. c. 18.*

SIMPLICII PAPÆ OBITVS.

Est vero in Actis Tertiæ Romanæ Synodi sub Symmacho Papa, cuiusdam mentio *Conuentus*, habiti apud *S. Petrum* tempore vacationis sedis Simplicij, in quo Basilius Præfectus Prætorio Regis Odoacris, edictum proposuerit de non eligendo deinceps Romano Pontifice absque consultatione Regum Italiæ, & de non alienandis Ecclesiæ Romanæ bonis. Verum hæc omnia, tanquam contra canones gesta, imo veluti conficta, cum res in controuersiam deducta est sub Symmacho in eadem Romana Synodo, reiecta sunt.

II. DE CONVENTV ROM. IN SEDE VACANTE.

Quod autem ad Simplicij successorem spectat; postquam cessasset (vt habet idem Anastasius) Episcopatus eius dies sex, creatus est octauo Idus Martias Pontifex FELIX eius nominis tertius, patria Romanus, ex patre Felice itidem genitus, functus antea presbyterio in Titulo Fasciolæ. Porro hunc confestim reiecisse Zenonis Henoticon, testis est Theodorus Lector *a*: quod antea præstiturus Simplicius, morte præuentus rem integram successori reliquerat. Iden q; susceptо pariter Ioannis Alexandrini appellationis ac querelarum libello; vt in re maximi momenti, *Romæ* CONCILIVM quadraginta duorum Episcoporum cogens, de omnium sententia Legatos misit Constantinopolim, *Vitalem* Truentinum in Piceno Episcopum, & *Misenum* Cumanum; cum *Felice* Ecclesiæ Romanæ Defensore: quibus inter alia, literas ad Zenonem Imp. dedit, fortissimas ad redarguendum, & efficacissimas ad persuadendum, de proditione Catholicæ fidei in Oriente; aliasq; ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum, de non defensa fide, deq; ipsius conniuentia cum hæreticis: addiditq; libellum ad eundem Acacium, instar citationis, vt responderet oblatis aduersus ipsum in Apostolicæ Sedis iudicio, ab eodem Ioanne Alexandrino obiectionibus; aliumq; item ad Imperatorem, vt cogeret ipsum Acacium, secundum Ecclesiasticas leges, Romam properare, & cum accusatore experiri iudicio. Constant hæc quidem omnia cum ex Liberato *b*, & Euagrio *c*, tum præcipue ex iisdem ipsis Felicis Papæ scriptis ad Zenonem & Acacium missis, quorum iidem auctores meminerunt, quæq; reperimus *d* in peruetusto codice Cresconianæ Collectionis. Cæterum damnatum præterea fuisse in eadem Romana Synodo constat Petrum Fullonem, eundemq; dictum Cnapheum, intrusum in sedem Antiochenam post eiectum Calendionem. Adeo vt magna plane ista Synodus dicenda sit, cui Romanus Pontifex præfuit Iudex, aduenit Alexandrinus Patriarcha actor, citatusq; ex ea est Constantinopolitanus, & Antiochenus sententiam damnationis accepit. Ex iisdemq; intuearis Romanæ Ecclesiæ eminentem, subiici nesciam auctoritatem; dum licet Romæ sub Etulis Arianis propemodum captiua videretur, tanto tamen polleret imperio (perinde ac si tempora fuissent Constantini, atque Theodosij Imperatorum) non Romæ tantum, sed vbiq; terrarum vbi vigeret Christiana religio.

III. FELIX PAPA III.

a *Theod. Lect. Collect. lib. 2.*

CONCIL. RO. IN CAVSA REVM ORIEN.

ACACIVS CONST. CITATVR ROM.

b *Liberat. c. 18.*

c *Euagr. lib. 3. c. 18. & seqq.*

d *Rec. Baron. Annal. Tom. VI. hoc an. nunquam antea edita.*

PETRVS FVLLO DAMNATVR ROMÆ.

Sed quod ad eundem Petrum Cnapheum attinet, ipse iam ante hanc Romanam Synodum, simulac thronum conscendit, quam occultauerat in corde, repentina eruptione in conspectum omnium hæresim propalauit, dum sacro Trisagio cani solito in omnibus Orientis Ecclesiis, diuinitus (vt vidimus) hominibus impertito, quo dicitur *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, addidit ipse in hæc verba blasphemiam; *Qui passus es pro nobis*; adscribens nimirum passionem sanctissimæ Trinitati: deq; his literas scribere ausus est ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum. Quo quidem portento edito, se primo detexit esse Eutychianum, dum vnam in Christo affirmaret esse naturam; deinde Apollinaristam, cum diceret carnem de cœlo allatam in Verbum esse conuersam; ac denique Sabellianum, dum æque Patri, ac Filio, Spiritui q; sancto passionem coniungeret, asserens vnam tantum esse totius Trinitatis personam: sicq; maiori cumulo restituit profectum diu ante nefandum Theopaschitarum errorem, excitauitq; blasphemias Marcionis, Valentini, Manetis, &

IV. PALAM DE TEXTV NA RESESSVAS.

alio rum

aliorum veterum hæreticorum. Hæc autem vbi audierunt Orthodoxi Episcopi Orientales, cõtinuo exclamauere. Adeo vt & Acacius, quantumlibet eidem Petro studuisset, tamen ad dementem hominem curandum, congregauerit *Constantinopoli* Concilium Episcoporum, vbi ab omnib. insanus Petri dãnatus est error; scriptæq; à nonnullis eorum ad illum epistolæ obiurgatrices, ac missi anathematismi, qui hactenus extant *a*. Sicut & extat eiusdem Petri dãnatio facta Romæ in Synodo, quam diximus, quadraginta duorum Episcoporum; scriptæq; pariter ab aliquib. illorum ad eundem impostorem literæ, ac directi anathematismi aduersus singulas illius blasphemias, & maxime ab ipso Summo Pontifice Felice, qui & insuper *b* Zenonem Imperatorem monuit, vt caueret à communione Petri iam iudicio Ecclesiæ condemnati; eundemque longius pelleret. Quo eodem tempore contigit, vt cum idem Petrus Ioannem quendam Apameæ ordinasset Episcopum, hic ab iis non receptus, Antiochiam rediens, ipsum Petrum sede repulerit; amboſque Acacius damnauerit, ac pro eadem confirmanda damnatione ad Romanum Pontificem scripserit: vt traditur in compendio *c* rerum hoc tempore gestarum, confirmatq; Liberatus *d*, de quibus rursum dicetur anno sequenti.

DAMNATVR IN CONCIL. CONST.

a To. 2. Conc. in Felic. Tert. sed emẽdatiores in cod. Vatic.

b Ibid. ep. 5.

c Extabat ap. Baron. in cod. cui titulus Con o dantiæ canonũ.

d Liber. c. 18.

V. DIRISSIMA PERSECVTIO IN AFRIC.

Interea vero hoc anno palam cœpta est in Africa ab Hunerico Wandalorum Ariano Rege crudelissima in Catholicos omnes Persecutio, quam iam biennio ante prænuntiaram & tentatam vidimus: cuius initio quicunque in Palatio militarent, aut publicis fungerentur muneribus, iussi sunt Arianam impietatem profiteri, aut exulare: deinde iusta prætensa causa inquirendi in mores Catholicorum Episcoporum, dirissimæ habitæ sunt quæstiones de sacris Virginibus, vt ab eis falso extorqueretur Episcopos & clericos cum ipsis agere consueuisse: ac demum cum nihil inuentum esset, vnde ex hac causa persecutio inferri posset, aperto furore agi cœptum est quod iure expleri non posset; traditique sunt Mauris, in desertum trahendi potius quam ducendi, quatuor millia nongenti sexaginta sex Episcopi, presbyteri, diaconi, & alii clerici. Inter quos miserandus plane fuit casus Felicis Abdirritani Episcopi, habentis iam in Episcopatu quadraginta quatuor annos: qui cum paralysi percussus, nec sentiret quicquam, nec penitus loqueretur, atque ideo iumento vehi non posset; ex transuerso super burdone vinctus, quasi quidam ligni truncus toto itinere portatus est. Ibi & infantuli fuere quamplurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, aliæ retrahere eos à fidei confessione nitentes, (nullum tamen nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas inclinauit:) aliæ gaudentes se martyres peperisse, eosq; ad consequendam coronam cohortantes. Deniq; exulum plurimi, multiplicibus in via angustiati afflictionibus, martyrium consummarunt; reliqui in locum exilii perducti dirissimis tormentorum generibus excruciati sunt: quæ videre est apud Victorem *e*, qui hæc cuncta vberiori, eodemq; admodum lugubri prosecutus est stylo. Quæ vero postea contigerunt, dicentur inferius pro ratione temporis.

IMMENSVS NVMERVS CLERICOR. IN DESERTVM PVLS.

e Vict. de Persec. Vand. l. 1

IESV CHRISTI AN. 484.

FELIC. III. AN. 2.

ZENONIS IMP. AN. 11. ODOACR. REG. AN. 9.

ANNO Christi quadringentesimo octogesimo quarto, duo creati sunt Coss. nempe Theodoricus (seu Theodericus dicendus) Amalus Gothorum Rex, atq; Venantius. Meruit namq; barbarus Rex à Zenone Augusto ob debellatos antehac (quod narrat Euagrius *f*) *illum, Marcum, Leontium, & Pamprepetem*, Imperii perduelles,) qui ab eodem Zenone iniustam persecutionem perpessi, coacti fuere quodammodo in hostes conuerti ex amicis de ipso bene meritis) non triumphum tantum, & equestrem in Foro statuam, sed & Consulatum; immo & in filium ab eodem Imperatore adoptari, & in spem Occidentalis Imperii euehi: vt gestarum rerum scriptores *a* affirmant. Cæterũ præter illos, expertus est quoque idem Imperator acerrimum aduersarium, *Marcianum* filium Anthemii Imperatoris, generumque Leonis Augusti: qui post neglectam occasionem occupandi Palatii, destitutus à suis, ad ecclesiam confugit; indeq; via abstractus, Tarsum Ciliciæ amandatus est, ac detonsa coma presbyter designatus. Quę narrat Euagrius, sicut & alia supradicta, ex Eustathio Syro: additeq; de multiplicibus insidiis, ab eodem Zenone contra Verinam socrum structis; quam & post varias exilii mutationes, mori tandem coegit.

I. THEODOR. REX GOTH. GRATIAS. MVS ZENONI IMP. *f Euagr. l. 3. c. 27. ap. Baron. an. 481.*

Hoc eodem anno, cum duo Episcopi Vitalis atq; Misenus, Apostolicæ Sedis Legati, Constantinopolim peruenissent; perinde ac si non ad regiam ciuitatem, neque ad Christianum Imperatorem missi fuissent, sed in siluarum recessib. incidissent in grassatores; continuo instu Zenonis tenti, sublatis quæ ferebant scriptis, ne ea Catholicis innotescerent, carceri mancipati fuere: sed postea blanditiis illecti Acacii Constantinopolitani Antistitis, post adeptam libertatem, grauiori catena præuaricationis adstricti sunt; dum contra mandata Felicis Papæ, non solum eidem Acacio communicarunt, sed & absque contradictione audierunt recitari in Ecclesiæ sacris Diptychis, nomen nefandi hæretici Petri Mogi Alexandrinæ Ecclesiæ inuasoris: sicque tandem permissi sunt Romam redire. Narrat hæc breuiter Liberatus *b*.

Addirque de Felice Defensore, eorundem socio Legatorum, ipsum ægritudine in via detentum, haud vna cum iis pergere potuisse; peruenisse vero Constantinopolim post quam iidem è custodia dimissi fuissent, passumque & ipsum, sublatis Ecclesiasticis chartis, grauissimam custodiam. Eundem porro fidelissimum perseueraſſe, testatus est postea Felix Papa *c* in sententia excommunicationis aduersus Acacium lata. Habet autem amplius Euagrius *d*, Zenonem Imp. rescripsisse ad Felicem Papam, ipsum frustra conturbari ob tes Alexandrinas; quippe quod Ioannes Talaida occupata contra suum ipsius iusiurandum ea sede, nullius non sacrilegii genus admisisset; Petrus vero Mogus haud absque subscriptione fidei Nicænæ, & approbatione Concilii Chalcedonensis, in eam Ecclesiam introductus fuisset.

a Euagr. li 3. c. 25 Iornand. & alii. [Ex quib. et iam cõstat fuisse Theodoricum Constantinopoli educatum, cum adhuc septennis obses à patre suo Theodemere Leoni Aug datus est. Ceticuius & gratiam meruit, ac post decẽ annos ad patrem rem sus est. Quin & eidem Ennodius in Panegyrico, ipsi, cum iã Rex esset Italiæ, dicto, integrã laudem tribuit restituti in imperium Zenonis, vt non sit mirum, si tot ac tantis ab eo beneficiis auctus fuerit.]

II. LEGATOR. APOST. PRÆVARICATIO CONSTANTINOPOLI. *b Liber c. 18.* FELICIS DEFENSORIS CONSTANTIA. *c Felix ep. 4. d Euagr. li. 3. cap. 20.*

Cæterum omnibus, vt vere gesta essent, Felici Papæ significatis à quibusdam monachis Acœmetis, Constantinopoli Romam aduenientibus; eundem Pontificem conuocato *Romæ* apud S. Petrum Concilio, cum iam Vitalis atque Misenus in Vrbem rediissent, illos sententia omnium communione Apostolica & sacerdotio priuasse; iidem auctores tradunt. Sed Misenus postea Gelasio per pœnitentiam restitui meruit, Vitale mortuo absq; reconciliatione; vt dicetur suo loco.

III. CONC. ROM. ADVERS. LEGATOS PRÆVARICATORES.

In eadem vero Synodo cognita, insuper fuit Acacii causa, idemque omnium calculo iudicatus hæreticus, hæreticorum participatione pollutus. Ante tamen quam in eum excommunicationis sententia intorqueretur, literis admonitus vt resipisceret; tantum abfuit vt illis obediret, vt contra in odium Apostolicæ Sedis, mox Ioannem Apameæ Episcopum à Petro Fullone electum, ipsiusque Petri sedis inuasorem, (quem eodem Acacio agente, vidimus à Felice Papa vna cum ipso Petro excommunicatum) creauerit Episcopum Tyri, Petrum vero confirmauerit in sede Antiochena. Quæ cum eidem Romano Pontifici atque Synodo innotuissent, nec spem vllam esse reliquum vt resipisceret; idem ipse Acacius Constantinopolitanus Episcopus, vna omnium sententia, à Catholica communione iectus est, ipsaque eius damnationis sententia Constantinopolim missa: quam cum ille patrocinio fultus Imperatoris suscipere recusaret, coacti sunt qui eam detulerunt, per quendam ignotum monachum Acœmetensem, ipsam, dum ingrederetur Acacius ad celebranda sacra, suspendere in eius pallio, & discedere. Hæc quidem omnia breuiter Liberatus *e*. Sed erant *f* prolixiores literæ Synodales

IV. ACACII CONST. DAMNATIO.

e Liber. c. 18.

f Tom. II. Conc. in Felic. III.

PROMVLGATVR IN ORIENTE.

dales excommunicationis Acacij, ad ipsum hoc anno quinto Calendas Augusti directæ; itemque aliæ ad clericos & monachos Constantinopoli & in omni prouincia Bithyniæ constitentes, de rebus aduersus eundem gestis, & cautis ipsius damnationis: quibus etiam constat, non tantum in Acacium sententiã à Synodo prolatam esse; sed & repetitam damnationem Petri Antiocheni, & Petri Alexandrini hæreticorum, eosdemque sedibus exauctoratos. Ipsius vero Acacij damnatio his verbis concepta reperitur: *Habe ergo cum his quos libenter amplecteris, portionem ex sententia præsenti, Sacerdotali honore, & communione Catholica, nec non etiam à Fidelium numero segregatus: sublatum tibi nomen & munus ministerij Sacerdotalis agnosce, Sancti Spiritus iudicio, & Apostolica auctoritate damnatus, nunquamque anathematis vinculis exuendus.* Deniq; scriptam esse ex eodem Conuentu Epistolam ad omnes Orientales Episcopos, qua moniti sunt Acacij communionem vitare, eidemq; paruisse Antistites Macedoniæ ac Dardaniæ; testatur Gelasius Papa in Epistola ad Laurentium, & in ea quam ad eosdem Dardanos scripsit.

V.

a *Nic. lib. 16. c. 17.* ACACII NOVA FACINORA IN ROM. PONT. ET ALIOS CATHOL.

Addit vero Liberatus, Acacium nunquam cessasse sacra peragere, anathematis licet vinculis alligatum. Nicephorus *a* autem ex Basilio Cilice, eundem eo insaniæ peruenisse, vt nomen Papæ Felicis è sacro eraserit Albo; quod nullus ante eum, nec cogitare ausus esset. Denique in vrbe Constantinopolitana monachos cœnobij Dij nominati, (nempe ab Archimandrita *Dio*, qui egregia ibidem claruit sanctitate) quod comministri Acœmetarum aduersus Acacium extitissent, ab Acacianis carceres, vulnera, mortes, passos esse, idem Nicephor. tradit; quorum Martyrum celebris est memoria in Tabulis *b* Ecclesiasticis. Et per vniuersum Orientem Episcopos Orthodoxos ab eodem Acacio suis sedibus pulsos esse, aliosq; pessimos substitutos, testatur Gelasius *c*: idq; ipsum à Petris Fullone & Mogo præstitũ esse, Liberatus & Euagrius *d* tradunt. Quod aũt pertinet ad Ioãn. Alexandrinum, qui Romam se contulerat: cum Felix videret res adeo turbatas esse in Oriente, vt nulla spes esset eum in sedem restitui posse; ipsum Nolanæ in Campania nobili præfecisse Ecclesiæ, Liberatus scribit.

b *Martyrol. Rom. 8. Feb.*

c *Gelas. ep. 11. ad Dard.*

d *Euagr. lib. 3 c. 22.*

VI.

SAVIOR PERSECVT. ECCL. AFRIC.

Hoc eodem anno, diram illam persecutionem, ab Hunerico Wandalorum in Africa Ariano Rege, aduersus Catholicos cœptam, Victor *e* ait maioribus vbique incrementis recruduisse; ac præsertim postquam in Collatione quadam, inter Catholicos Episcopos, Regis iussu ex vniuersa ipsius ditione accitos, & Arianos facta ad disputandum de fide, Ariani mox vincendi falso Regi suggessissent Catholicos tumultuari, nec disputare velle. Quo prætextu Hunericus sanctionem edidit, cuius vigore cunctæ Catholicorum vna die in vniuersa Africa clausæ sunt Ecclesiæ; ipsique Catholici iisdem pœnis ac legibus subiecti, quas olim Imperatores aduersus Arianos, cæteroſque hæreticos decreuissent; nisi mallent deserere fidem, & ab iisdem imprimis Arianis (quod ipsi maximè exigebant) rebaptizari. Episcopi verò, qui ad eiusmodi Collationem frequentissimi accesserant, omnibus rebus expoliati, aliaq; dirissima passi, relegati sunt in diuersa loca, ad excolendos agros, ligna cædenda, & alia id genus vilia ac dura opera exercenda. Eugenius autem Carthaginiensis omnium primas in desertũ est missus, vexãdus à crudelissimo omniũ Arianorum Antonio Episcopo cuiusdam ciuitatis proximæ eidem eremo. Post quem etiam vniuersus Clerus Ecclesiæ Carthaginiensis, cæde inediaq; macerattis, fere quingẽti vel ampliũs, procul exilio crudeli traditi sunt. Eo namque maiori in Sacerdotes ira accensus est Rex, quod vidisset miracula ab eorum nonnullis edita in confirmationem Orthodoxæ fidei, ac confusionem impietatis Arianæ; atq. inter alia, illuminatum ab eodem Eugenio in fidei Catholicæ confirmationem cæcum, ad hoc à Deo ad ipsum missum.

e Vict. lib. 3. & adde Append. ad eum librum.

VII.

SIMVLANS CÆCITATEM IN STROPHA MIRACVLI, VERE CÆCVS EFFICITVR.

Quo tempore & illud accidit contrarium miraculum, vt cum Cyrola Arianorũ Antistitum princeps, Eugenij gloriam æmulatus, hominis Ariani supposititij, qui se cæcũ pretio accepto fingebat, aperire oculos videri voluisset; eumdem antea quidem optimè videntem, simulac oculos eius tetigit, re vera cæcum reddiderit: cui fraudem coram vniuersis detegenti, idem Eugenius visum cõfestim signo Crucis restituit. Narrant hanc historiam, Gregor. *a* Turonensis: simulq; alia ad hanc ipsam persecutionem spectantia recenset ex sacris Martyrum Passionibus, qui variis supplicionum generibus ab iisdem Wandalis sublati sunt. Quæ cum desint apud Victorem, qui eandem persecutionem ex professo describendam sumpsit; plane dicendum est, eundem Victorem, rerum scribendarum copia nimium exuberante victum, (quod ingenuè fatetur) multa prætermisisse; vel codicem trium librorum ab ipso inscriptorum haud integrum reperiri. Nam & Isidorus *b* nonnulla alia habet, quæ minimè ab eo recitantur.

a *Greg. Tur. hist. 3.*

b *Isid. in hist. Wandal.*

Pergit tam idem Victor *c* plurima de Catholicorum omnis generis, conditionis, ætatis, atque sexus hominum, eadem persecutione insignibus confessionibus, ac fortissimis martyriis enarrare, necnon aliquorum ignauissimos lapsus deflere. In quorum pietisq; innouata fuere antiqua de diuinis erga Fideles subsidiis & adminiculis, atq; in desertores & persecutores vindictis, prodigia, Imperatorum Gentilium temporibus edi consueta. Sed illud plane præ cæteris immensum, quod in Typasensi Mauritaniæ ciuitate contigit: vbi cum iussu Regis, quamplurimis Catholicis, Ariano eius ciuitatis Episcopo communicare detrectantibus, linguæ radicitus abscissæ essent; nihilominus tidẽ, Spiritu S. præstante, ita absq; linguis articulate quamdiu vixerunt locuti sunt, quomodo antea loquebantur. Cuius ingentis totoq; Orbe vulgati miraculi, non ipse solum Victor, qui ea præ oculis in Africa habuit assertor est; sed & qui alibi nonnullos ex iis itidem propriis oculis viderunt, & loquentes audierunt idem confirmant, nempe Iustinianus *d* Augustus, & qui sub eius Imperio floruerunt, Æneas *f* Gazæus Platonicus Philosophus, Marcellinus *g* Comes, & Procopius *h* Rhetor: illudq; ipsum ab iis qui viderunt acceptum, memoriæ mandarunt SS. Gregorius *i* Papa, & Isidorus *k*. Additque Marcellinus, vnum ex illis confessoribus, cum mutus à natiuitate fuisset, mox vt ei lingua præcisa est, expeditè loqui cœpisse. Gregorius autem, alium ex iisdem postea in luxuriam lapsum; iusto Dei iudicio priuatum fuisse dono miraculi; vt qui cartis contineret verba veritatis. Sed Procopius (apud quem ista corrupte leguntur) duos lapsos esse, & gratia miraculi priuatos, significare videtur.

c *Vict. lib. 3. & adde Append. ad eum librum.*

LINGVIS EXCISIS CONFESSORIBVS OVANTIVM.

d *Iustin. de off. P. P. Afr.*

f *Æn. Gaz. de immort. anim. in fin. Ext. in Bibl. Patr.*

g *Marcel. in Chron.*

h *Procop. lib. 1. de Bel. Wand.*

i *Greg. 2. dial. 32.*

k *Isid. in hist. Wandal.*

IX.

HVNERICI PORTENTOSVS INTERITVS.

Subdit autem Victor, post hæc factam esse incredibilem famem, secutamque fœuissimam pestem; quæ in vltionem offensæ Diuinitatis, totam Africam vna depopulatione vastarunt. Tandemq; ipsum crudelissimum tyrannum Hunericũ, cum annis septem, mensibus decem, Africæ tenuisset dominationem, nempe hoc ipso anno, meritorum suorum mortem consummasse, ebullientibus vermibus putrefactum atque depastum. Sed de eius execrabili obitu tradit Gregorius *l* Turonensis, ipsum arreptum à dæmone propriis se morsibus laniasse: Isidorus *m* vero, vt Arium interioribus cunctis effusis vitam amisisse. Verum prætermissa antiquitatis, & præsentiæ, cum hæc omnia oculis Victor intueri potuerit, eo potius præ cæteris deferendum esse videtur, vt dicamus vermibus vlceribus truculentum carnificem, instar Antiochi, Herodis, & Maximini esse cõsumptum. Ad cuius obitum suam idem Victor Episcopus Vticensis perduxit de Wandalica Persecutione Historiam: qui & ipse particeps passionum, iugi confessione clarus, titulo sanctitudinis relatus reperitur in Tabulas *n* Ecclesiasticas.

l *Greg. Tur. hist. 3.*

m *Isid. in Chron. Wandal.*

n *Mart. Rom. 13. Aug.*

X.

GVNDAMVNDVS MITIOR O VIII. ANN.

Successit autem Hunerico *Gundabundus*, Genzonis (alias Gentonis) fratris filius, qui propior genere (vt Procopius tradit) Genserico attingebat. Quem quidem Victor *o* *Godagisum* nominat; & ne succedere posset in regnum, vna cum vxore ab Hunerico absque solatio seruuli aut ancillæ, crudeli exilio relegatum fuisse scribit. Ipsum autem, imitatione suorum, persecutum esse Ecclesiam Africanã, Procopius *p* ait: sed secus Isidor. qui auctor est, eum pacẽ statim donasse Ecclesiæ, & omnes Catholicos ab exilio reuocasse. Nos vtrumq; verum dixisse putamus: ita vt ad aliquot annos (duodecim enim illum regnasse constat) persecutio

o *Vict. lib. 3.*

p *Procop. lib. 1. de Bel. Wandal.*

quies-

quienerit, postea recruduerit: quando vero id acciderit, dicetur suo loco.

XI. EVRICI REGIS OBITVS.

Hoc patiter anno alius Princeps barbarus, itidemque Arianus, & Ecclesiæ persecutor, in Gallia mortuus est Euricus Rex Gothorum, haud longe dissimili fine ab interitu Hunerici. Nam ait Gregorius *a*, illum vltione diuina percussum interisse. Ac licet quomodo id acciderit non dicat; inde tamen habes, in quo arguas recentiorem auctorem *b*, suorum Gothorum nimis studiosum, dum perperam ponit, eundem Euricum Regem pium è temporali regno ad æternum gloriosa morte migrasse: quem Arianum fuisse; & Ecclesiam Gallicanam crudelissimè persecutum, testificatione Sidonij, eiusdemq; Gregorij perspicuum est.

a Reg. Tur. 2. hist. 25.

b Ioan. Magn. hist. Goth. lib. 16. c. vlt.

Cæterum Eurico successit in regno *Alaricus* eius filius: quod quidem hoc anno contigisse, facile colligitur ex Cõcilio Agathensi, vbi dicitur illud celebratum esse anno vigesimo secundo eiusdẽ Regis sub Consulatu Messalæ, quo numeratur annus Domini quingentesimus sextus. Ex quo patiter erroris redarguuntur *c*, qui Euricũ tradunt regnasse annos tantummodo quindecim; quem ab anno Domini quadringentesimo sexagesimo quarto, quo cœpit, ad vigesimum annum regnasse liquet.

c Isid. in Chron.

XII. d Sigeb. in Chron. CLODOVEVS REX FRANCOR.

Hoc item anno *d* defuncto Childerico Francorum Rege apud Parisios in Galliis regnante, eius filius *Clodoueus* successit, quem nonnulli *Hludouicum*, alij etiam aliter nominant. Sic igitur Imperio Romano Occidentali collapso, barbarisque triplicis generis Gallias occupantibus, nempe Gothis, Burgundionibus, & Francis; diuina demum prouidentia factum est, vt eius tantummodo gentis regnum ad posteros feliciter propagaretur, penes quam cultus pietatis foret excellentius effulsurus; cuius in Childerico (vt vidimus) flores apparuerũt, in Clodoueo autem collecti sunt fructus. Coluit ille, quamuis Ethnicus, sanctissimam virginem Genouefam; sed eam non tantum veneratus est, verum & muneribus frequentauit eius filius Clodoueus: qui licet Gentilis adhuc, magna itidem veneratione prosecutus est S. Remigium Rhemensem Episcopum; eiq; amplissimas villas donauit, quas Remigius erogandas curauit in pauperes: sicut ipsemet testatum reliquit testamento suo, quod extat *e*.

e Ap. Brisson. de formul. li. 7.

I. CORPVS S. BARNABÆ REPERTVM, ET CVM EO EVANGELIŨ S. MATTHÆI

IESV CHRISTI
ANN. 485.

FELIC. ANN. 3.

ZENONIS IMP. 12.
ODOACR. REG. 20.

ANNO CHRISTI quadringentesimo octogesimo quinto, Symmacho Cons. absque collega, in tantis Orientalis Ecclesiæ offusis vbiq; tenebris fecit Deus ad illustrationem veritatis splendescere lumen suum; eum post expulsionem S. Calendionis Antiocheni Episcopi Orthodoxi, & subintroductionem impij Petri Fullonis in eam sedem, veluti rediuiuus collega Pauli Apostoli S. BARNABAS Apostolus, vna cum *S. Matthæi* Euangelio ad ipsius pectus appositio, & ab eodem manu propria olim exscripto, quo potissimum CHRISTI vera humanitas comprobatur, in opprobrium Eutychianæ hæresis tunc grassantis apparuit in insula Cypri, ex reuelatione ab ipsomet B. Apostolo facta Anthemio Salaminæ Episcopo Catholico; certis signis, miraculorum virtute, veluti digito, vbi Catholica fides esset edocens. Cuius quidem Inuentionis extat historia omni acceptione dignissima, omniumque consensione recepta, ab egregio viro illius temporis Alexandro *f* monacho Orthodoxo conscripta: quam & breuiter habent Theodorus Lector, Suidas, Nicephorus, atque alij tum Græci tum Latini historici. Corrigendus tamen Nicephorus *a*, dum eiusmodi Reliquiarum inuentionem factam sub Anastasio Imperat. recenset; quam reliqui omnes, ipsaque eius Acta, Zenonis Imperio tribuunt.

f Alex. mon. ap. Sur. 11. Iunij.

a Nic. lib. 6. c. 37.

II. ECCL. CYPRI LIBERA A SVBIECTIONE ANTIOCHENA.

Testãtur autem eadem Acta, hinc factum esse vt Ecclesia Cypri, quam Petrus Fullo sibi subijcere conabatur, eo prætextu quasi prædicatio Euangelij ab vrbe Antiochia ad Cyprum insulam manasset; ab eius subiectione libera, sicut ab initio fuerat, remanserit, quod & ipsa Apostolum habuisset. Verum eiusmodi controuersiam inter Patriarcham Antiochenum & Episcopum Salaminæ Cypri, etiam ante istam corporis S. Barnabæ Inuentionem, definitam æquè fuisse in fauorem Cyprij in Concilio Ephesino Oecumenico, docent eius Acta ✠ Euangelium autẽ Matthæi, quod ad pectus Barnabæ inuentum est, Constantinopolim ad Zenonem Imp. ipsius petitione allatum, & auro exornatum in Palatio repositum esse, & ex eo deinceps solitum legi Euangelium in Palatij Oratorio magna Quinta Paschæ Feria; eadem ipsius Inuentionis Acta tradunt: addunt q;, Imperatorem Anthemio Episcopo pecuniã multam dedisse, qua in loco vbi sacræ reliquiæ inuentæ fuerãt, in Apostoli honorem sumptuosa ædificata est Ecclesia cum monasterio.

b Act. Ephes. edit. Per. to. 2. append. 1. c. 4.

III. DE XENAIA AVCTORE ICONOCLASTAE.

Circa hæc item tẽpora perditissimus idem Petrus Fullo, cui in animo nihil magis erat inhærens, quam vt cuncta à Catholicis bene gesta irritaret, si posset; non tantum ista aduersus sententiam Patrum Concilij Ephesini molitus est; verum etiam cum audisset vagum quemdam nebulonem Persam, nomine XENAIAM, fugitiuum seruum, agentem se vt clericum, ab Ecclesia ejectũ à Sanct. Calendione; assumpsit ipse eiusmodi hominem, atque *Philoxenum* Græca lingua cum nominãs. Hierapolis creauit Episcopum; cum tamen non solum seruus fugitiuus esset, & seruilibus parẽtibus natus, sed & ex Manichæis proueniens necdum baptismum suscepisset. Res plane monstrosa, quæ describitur à Nicephoro *c*; recitaturque ex antiquiori auctore per Anastasium diaconũ in posteriori Nicæno Concilio, nempe ex Theodoro Lectore, quo tempore eius Historia integra habebatur. Nam *d* (vt hoc obiter moneam) tradit Suidas *Theodorum* Ecclesiæ Constantinopolitanæ Lectorẽ scripsisse Historiam Ecclesiasticam, à Constantini temporibus vsq; ad Iustiniani Imperium: plane diuisum opus à per breuibus duobus illis *Collectaneorum* libris; quæ fragmenta potius esse videntur, quã ordinata rerum tractatio. Porro illum Xenaiam, talem hominem, (potius dæmonem dicẽdum, quippe cui nondum pulsus per baptismum spiritus nequam fuerat) primum omnium hanc blasphemiam euomuisse, vt diceret, CHRISTI, Angelorum, atq; Sanctorũ Imagines non esse venerandas; iisdem locis e asseritur. Vt iam habeant Iconoclastæ, cui laudatissimo atq; probatissimo auctori statuas ipsi erigant, eiusdemq; solius venerentur simulacra.

c Nicep. libr. 16. c. 27.

d Hanc de Theodoro obseruationem habet alia occasione Baron. an. 494. n. 113.

e Syn. Nic. II. Nicep. ibid.

Hoc eodem anno vita functus est Martyrius Hierosolymitanus Episcopus, cum sedisset *f* annos octo: cui quod ab Euagrio *g* crimen communionis cum hæreticis adscribitur, fraude id factum scias Zachariæ Eutychiani, à quo hæc petiit Euagrius; cum honorificentissima sit eiusdem Martyrij memoria apud Cyrillum monachum in Rebus *h* gestis S. Euthymij. Successit autem in eius locum *Sallustius*, & ipse Catholicus: quod quidem tunc rarum fuit inuenire, cum totus ferme Oriens, vel hæresi, vel communicatione cũm hæreticis, esset pene diluuio mersus. Ab hoc vero Sallustio magnum illum *Sabam* anachoretam ordinatum esse presbyterum, & à calumniis quibus imperebatur absolutum; tradit idem sincerissimus auctor Cyrillus, in mirifica ipsius S. Sabæ Vita *i* quam descripsit.

IV. f Nic. in Chr. S. Cyril. in Vit. Sab. ap. Sur. 5. Decemb. g Euagr. lib. 3. c. 16. h Ap. Sur. 20. Ianuar. SALLVSTIVS EPISC. HIEROSOL.

i Ibid. 5. Dec.

IESV

IESV CHRISTI ANN. 486.

FELIC. III. ANN. 4.

ZENON. IMP. 13. ODOACR. REG. 11.

I. PETRI FVLLONIS OBITVS.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo sexto, Longino & Decio Coss. perditissimus ille, Orientalis Ecclesiæ pestis, Petrus Fullo, inuasor Ecclesiæ Antiochenæ, ex hac vita ad tremendum iustitiæ diuinæ tribunal, sera licet morte vocatus est. Cui successit eiusdem hæreticæ prauitatis Antistes *Palladius*, qui cõmunicationem retinuit dum vixit cum nefando Petro Mogo Pseudoepiscopo Alexandrino. Eum autem hoc anno sedere cœpisse, anni eius inferius numerandi docebunt.

II. a *Agit de eo alia occasione Baro. an. 484. in fin.* b *Gennad. de Script. Eccl. c. 92.* DE TEMPORE OBITVS SIDONII APOLLIN. *De quo Baro. an. 484. occasione eius Epistolæ ad Orentium scriptæ.* c *Sidon. 9. ep. 12.* d *Greg. Tur. 2 hist. 23.*

Circa hæc eadem tempora, contigit obitus *a* Sidonij Apollinaris Aruernensis Episcopi, de quo sæpe superius; viri (vt ait *b* Gennadius) tam diuinis quam humanis literis ad integrum imbuti. Etenim non peruenisse ad tempora Anastasij Imperatoris, idem Gennadius significare videtur, dum scribens ipse sub Anastasio, Sidonium sub Leone atque Zenone claruisse tradit. Porro saltem ad decimumtertium Episcopatus sui annum (fuit is annus Domini quadringentesimus octogesimus quartus) peruenisse, testatur ipsemet in Epistola *c* ad Orentium Tarraconensem scripta, dum ait vsque ad illud tempus decurrisse in Episcopatu tres Olympiadas. Habet vero de eo Gregorius *d* Turonensis, ipsum ante obitum grauiter vexatum fuisse à duobus illius Ecclesiæ presbyteris; qui sublata ei omni potestate à rebus Ecclesiæ, arctumq; ei victum & tenuem relinquentes, ad summam contumeliam redegerunt: sed non longi temporis spatio acerrima Dei vindicta in eosdem exerta, alterum quidẽ eo die quo ipsum Sidonium de Ecclesia extrahere decreuisset, dum in secessu ventrem purgare niteretur, spiritum exhalasse, sicq; Sidonium pristinæ libertati restitutum esse, ac paulo post sancto fine quieuisse: alterum vero, post eiusdem obitum, Episcopatum vsurpare satagentem, dum in medio conuiuio, quod sumptuosissimum ciuibus parauerat, calicẽ bibendum manu teneret, diuinitus ad experiendam cum Sidonio causam citatum, elapso de manu calice mortuum corruisse. Mortuus est aũt Sidonius duodecimo Cal. Sept. qui dies exinde anniuersariæ ipsius memoriæ apud Aruernos dicatus est, ac tumulo inscriptus.

IESV CHRISTI ANN. 487.

FELIC. III. ANN. 5.

ZENON. IMP. 14. ODOACR. REG. 12.

I. CONC. ROM. IN CAVSA LAPSOR. AFRIC.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo septimo, Boetio absq; collega Cons. (hic ille putatur, qui Anicius familia, *Manlius Seuerinus* cognominatus est, vir clarissimus de quo inferius) tertio Idus Martias, celebrata est *Romæ* in basilica Constantiniana SYNODVS triginta octo Episcoporum, in causa Africanorum; quorum quamplurimi cum lapsi essent in persecutione Hunerici Regis, & ab Arianis rebaptizati; reddita sub Gundabundo Ecclesiæ pace, iidem resipiscentes petierunt recipi in communionẽ aliorum qui constantes permanserant. Qua re ex more ad Romanum Pontificem remissa; decreuit *e* ille cum Synodo, vt Episcopi presbyteri, & diaconi lapsi, etiam si suppliciis ad id fuissent impulsi, ad obitum vsque ab omni Fidelium excluſi cœtu, atque etiam à catechumenis segregati orantes, laica tantummodo communicatione impertirentur: reliqui autem inferioris ordinis clerici, triennio inter Audientes perseuerare deberent, septem aũt annis inter pœnitentes, peregrinæ tantum cõmunicationis participes facti: quod idem de monachis, & laicis, est statutum; additumque, vt nullus eis vnquam pateret ad clericatum aditus.

e *Felix ep. 6.*

Eodem anno auctor est Marcellinus, Constantinopolitanam ciuitatẽ defectione Theodorici Amali Gothorum Regis, in discrimen adductam esse, plurimaq; alia loca igne crematã. Quæ quidem incomperta fuisse videntur iis qui dixerunt Theodoricum veneratum esse semper Zenonem, huncque illi concessisse Italiam ab Erulis vindicandam: Nam primum tentasse cõstat infidelem & ingratum barbarum (quem Zenonis Augusti beneficiis satiatum, aduersus eum insurrexisse, idem auctor scribit) Orientale sibi Imperium arripere; sed spe frustratum, inuasisse (vt dicetur) Italiam, inuidia præcipuè motum, quod Odoacer Rex Erulorum hoc anno (vt tradit Cassiodorus *a*) Rugos populos Septemtrionales debellasset, eorumq; Regem Phæbam vna cum vxore captiuum Romam duxisset; quorum filius Fridericus fuga lapsus, ad Theodoricum se contulit in Mœsia agentem. Ex his igitur totam illam Iordani, siue Iornandis dicti, Episcopi Gothi orationem Theodorici ad Zenonem, de vindicanda eiusdem Imp. nomine ab Odoacre Italia, (siue illam ipse, vt de aliis profitetur, à Cassiodoro erga eundem Theodoricum propensissimo, accepit; siue in gratiam gentis suæ idem ipse confinxit:) vt efficium commentum ad contegendam barbari Regis ingratitudinem, explodendum esse facile sentias, simulq; corrigendos alios ipsum secutos.

II. THEODOR. PERFIDVS ET INGRATVS IN ZEN. IMP.

a *Cassiod. in Chron. Adde Evagr. in 3 li. S. Sever. Noric.*

IESV CHRISTI ANN. 488.

FELIC. III. ANN. 6.

ZENON. IMP. 15. ODOACR. REG. 13.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo octauo, Dinamio atque Siphidio Coss. finem viuendi fecit Acacius Constantinopolitanus Episcopus, in anathemate perseuerans, cum sedisset *b* annis septemdecim & mẽsibus nouem: cuius nomen licet à successoribus, vna cum cæterorũ Catholicorum nominibus, in Ecclesia per multos annos recitatum fuerit; tamẽ agentibus Romanis Pontificibus, ex Diptychis tandem ignominiosè abolitum est, vt dicetur suo loco. Præter alia vero quæ de ipsius fastu & arrogantia superius dicta sunt, tradit etiã Suidas, eum adeo insana gloriæ cupiditate arsisse, vt sineret suas ipsius imagines adhuc viuentis (quod de nullo ante eum Episcopo legitur) in Ecclesiis dedicari.

I. OBITVS ACACII EPISC. CONST. b *Niceph. in Chron.*

Successisse autem ei *Flauitam* (quem & *Flauianum* alij appellant) malis artibus, narrat Nicephorus *c*: ita nimirum vt cum Imperator chartam puram in sacro posuisset altari, Deo supplicans vt per Angelum in ea nomen eius scriberet, quem Ecclesiæ Constantinopolitanæ præfici vellet, atque ad eam rem impetrandam quadraginta dierum ieiunium indixisset; egerit Flauitas cum templi custode multo auro, vt in ea charta nomen ipsius Flauitæ scriberet. Verum sic euectus fraudulenter in thronum, diuina agente vindicta (vt idem auctor addit) cum non totos quatuor menses in sede transegisset, morte repẽtina extinctus est; ac fraude detecta, custos templi punitus; liberaque relicta Episcopis facultas, vt ei successorem idoneum eligerent: quod anno sequenti fieri contigit.

II. c *Niceph. li. 15. hist. 18.* FLAVITAS MALIS ARTIB. ADIPISCITVR DAMCONST.

Porro nec inter Catholicos fuit Flauitas adnumerãdus, vt pote qui Acacij nomen inter sacra recitari *d* fecit, quem

III. d *Gelas. rom. monit. ad Faust.*

quem sciebat à Catholica communione esse defunctum extorrem: idemq; repertus est hostis (vt Euagr. *a* testatur) Concilij Chalcedonensis Affectauit nihilominus dici Catholicus, ob ineundam communicationem cum Romano Pontifice, à qua sciret magna infamia Acacium excidisse. Ideoq; non consensisse absque auctoritate Romani Pontificis in thronizati, eamq; litteris requisiuisse, Liberatus *b* est auctor. Sed Nicephorus *c* ait, eum pariter Petri Mogi pseudoepiscopi Alexandrini communicationem expetiisse; & quo id facilius ab vtroque illorum consequeretur, scripsisse ad Felicem Papam, se Petri communicationem auersari; & similiter Petro significasse, se Felicis coniunctionem reiicere. Ideoq; cum hanc eius nequitiam Felix intellexisset, legatos ipsius cum contumelia Roma expulisse.

a *Euagr. l. 3. cap. 23.* EXPETIT COMMVNICARE CVM CATHOL. ET HÆRET.

b *Liber. c. 18*

c *Niceph. lib. 16. c. 19.*

IESV CHRISTI ANN. 489.

FELIC. III. AN. 7.

ZENON. IMP. 2. ODOACR. REG. 14.

ANNO Domini quadringentesimo octogesimo nono, Probino & Eusebio Coss. *Euphemius* ex Constantinopolitanę Ecclesiæ presbytero, electus est post Flauitam eius ciuitatis Episcopus: qui mox Concilium Chalcedonense probauit, nomen Petri Mogi suis ipse manibus è sacris Diptychis expunxit, Felicis vero Papę nomen ab Acacio abolitum in easdem sacras tabulas retulit, & Synodales ad eum literas dedit. Ex quibus plane posset videri Catholicus: sed quod reliquerit in eisdem tabulis nomina Acacij & Flauitæ, factum est vt quamuis ei Felix velut Orthodoxo faueret, haud tamen illum in Episcopalem communionem admiserit. Testantur ista Euagrius *d*, atque Nicephorus *e*. Quapropter quod Liberatus ait, Euphemium suscepisse à Felice Romano Pontifice scripta; intelligas ea fuisse commonitoria, non communicatoria: sicut & esse comperiuntur literæ, quas ipsius in sede successor Gelasius ad eundem Euphemium scripsit, quibus eum admonuit vt nomen Acacij aboleret, si vellet consequi Ecclesiæ Catholicæ communionem. At inter Euphemium & Petrum Mogum, rem ita se habuisse iidem Euagrius & Nicephorus tradunt, vt confirmante Euphemio Concilium Chalcedonense, Petro autem improbante; mutuo inter se digladiari cœperint, cogentes alter aduersus alterum *Synodos*, seq; mutuo anathemate ferientes, vsque in sequentem annum, quo mori contigit perfidum Mogum.

I. EVPHEM. ELIGITVR EPIS. CONSTAN.

d *Euag. l. 3. cap. 23.*

e *Niceph. l. b. 16. c. 19.* QVOMODO SE GESSERIT CVM ROM. PON. ET PETRO MOGO.

Hoc vero ipso tempore, quo Euthymius creatus est Episcopus, mirificum illum *S. Danielem Stylitam*, post celebrata diuina mysteria, octogenarium ex hac vita, Angelis comitantibus, migrasse in cœlum, testantur eius Acta *f* antiquitus scripta: vbi & narratur miraculum liberati à dæmone cuiusdam hominis, in eius obitu peractum; atque eiusdem sepultura, Christiano ritu, cum cantu, & facum accensione, magnifice cutata sumptibus Rais pissimæ fœminæ, cui eam Daniel concrediderat, iussis discipulis ne eam Imperatoribus, vel Regibus, vllisve aliis permitterent.

II. S. DANIEL STYLITÆ OBITVS.

f *Ap. Sur. 11. Dec.*

His etiam Coss. (vt habet Cassiodorus) Theodoricus Amalus Gothorum Rex intrauit in Italiam, & Odoacrem ipsi cum exercitu occurrentem iteratis præliis vicit. Quid vero Ticinenses & Mediolanenses tunc passi sint, & quæ honorifica transacta inter S. Epiphanium Ticinensem Episcopum & eundem Theodoricum Regem fuerint, narrat *Ennodius* g egregiæ famæ Ticinensis diaconus, qui se hoc tempore ætatis annorum sexdecim fuisse asserit: quemq; Consulari ortum genere, constat duxisse vxorem nobilem ac prædiuitem puellam, sed post susceptum ex ea filium, mutuo consensu illam professam esse cælibem sanctamq; vitam, ipsum autem diaconum ordinatum, ac demum ex diacono factum Episcopum Ticinensem; de quo sæpe agendum inferius.

III. DVENTVS THEODOCII IN ITALIAM.

g *Ennod. in vit. S. Epip. Ticin. & in actal. Lauren. ap Ens. Bolland.*

Hoc eodem anno, qui numeratur quintus regni Clodouei Francorum Regis, idem Syagrium Romanum, qui Suessionensem tenebat ciuitatem, vicit; fugientemq; ad Alaricum Wisigothorum Regem, qui aliam Galliarum partem occupabat, & ab eo petitum, ac redditum, occidit. Quibus incursionibus cum non mediocre inferretur Ecclesiis damnum, eluxit in iis iustitia Clodouei, licet adhuc Gentilis; cuius egregium extat apud Gregorium *a* Turonensem exemplum de milite sacrilego ab eodem Rege occiso. Eundemq; & alia quæcunque eiusmodi Ecclesiarum damna, factum postea Christianum resarcienda curasse, testatur Remigius in suo testamento *b*.

IV. CLODOV. VINCIT SYAGRIŨ.

a *Greg. Tur. 2. hist. Fr. 27*

b *Ext. ap. Brisson. li. 7 Formul.*

IESV CHRISTI ANN. 490.

FELIC. III. AN. 8.

ZENON. IMP. 17. ODOACR. REG. 15.

ANNO Domini quadringentesimo nonagesimo, Faustus Iunior & Longinus secundo Coss. recensentur à Marcellino; à Cassiodoro autem vnus tantum Consul ponitur Faustus. Quo anno (quantum ex Actis *c S. Fulgentij* colligere licet) Wandalica recruduit aduersus Catholicos in Africa persecutio; non quidem aduersus omnes, sed in eos duntaxat sacerdotes, quos esset suspicio clanculum Ecclesiæ reconciliare illos, qui præcedenti persecutione lapsi essent in errorem. Porro scripta sunt Acta illa ab eiusdē Fulgentij discipulo, & exilij comite, ad ipsius successorem Felicianum omni fide testata. Ex quibus constat, fuisse ipsum familia Senatoria Carthagine oriundū, natum vero Lepte, cum ipsius parentes fidei causa patria pulsi bonisq; priuati fuissent: hoc autem tempore agentem annos ætatis circiter duodetriginta, monasticamq; vitā excolentē, Abbatis nomine præfectura gessisse monasterij; ac in ista persecutione captum, direq; cruciatum, postea profecturum in Ægyptum ad inuisendos anachoretas, retentum fuisse in Sicilia ab Eulalio Episcopo Syracusano. Quomodo vero inde Romam nauigauerit, ac denuo in patriam remearit, dicetur suis locis. Licet autem de ista persecutione Wandalica, ea tantum auctor pertingat, quæ ad eundem Fulgentium spectant; tamen ex eiusmodi tenui lucis speculo, cætera quæ remanserunt obscura possumus intelligere.

I. c *Ap. Sur. 1. Ianuar.*

S. FVLGENTIVS, ET PRIMORDIA.

Hoc ipso anno mortuus est Alexandrinæ sedis inuasor, nefandus Petrus cognomento Mogus, cum eam occupasset (numerando à tempore obitus Timothei Orthodoxi) annos tredecim. In cuius locum ab hæreticis hæreticus paritet est subrogatus *Athanasius*, sede illa ac nomine prorsus indignus, cognomēto vero *Hernioſus*, Palladio Antiocheno æque hæretico communicatione coniunctus: de quo Euagrius, Nicephorus, Leontius Scholasticus, Liberatus diaconus, & alij historici veteres meminerunt; etsi res ab eo gestæ, vtpote filij tenebrarum, obscuræ remanserint.

II. PETRI MOGI INTERITVS.

Sub huius quoque anni Coss. (inquit Marcellinus) Zeno Imp. in insula quæ Paganorum dicitur, *Pelagij* gulam laqueo frāgi præcepit. Hæc ille breuiter: quæ paulo amplius Cedrenus narrans, ait hūc Pelagium fuisse dignitate Patricium, virumq; præclarum, & carminū scriptione insignem, qui historiam versibus ab Augusto Cæsare exorsam edidisset, & Homerocentra, aliaq; egregia quamplurima composuisset. Fuisse autem Zenonis iussu interfectū, quod is sumsuisset. Fuisse autem Zenonis iussu interfectū, quod is summā prudentia & iustitiā eiusdem Imperatoris nefanda famā prudentia & iustitiā eiusdem Imperatoris nefanda facinora, homicidiaq; libere incesserer, sæpiusq; repressisset; vt eum pluribus describit Suidas) haud permisisset Cæsarē vt eum pluribus describit Suidas) haud permisisset Cæsarē designari: Moriturum autem manibus ad cœlum erectis, suam innocentiam contestatum esse, Deumq; precatum vt quamprimum eorundē scelera puniret. Quem quidem exauditum esse constat, cum nondum elapso anno terribilem Zeno vltionem diuinam sensit.

III. PELAGIVS PATRIC. INIVSTE OCCIDITVR A ZENONE IMP.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 491.

FELIC. III. AN. 9.

ANASTAS. IMP. I.
ODOACR. REG. 16.

I. ANno Domini quadringentesimo nonagesimo primo, Olybrio Consule (quem præter auitam insignem nobilitatem, doctrina & pietate claruisse, Ennodius Ticinensis docet in carmine & familiaribus epistolis ad ipsum datis (Zeno *a* Aug. postquam annos septendecim & menses quinque imperasset, digno impia vita fine extinctus est. Quippe morbo comitiali, quo crebrò laborabat, arreptus, (vt vult Euagrius *b*) siue nimia crapula & ebrietate sopitus, (vt habet Zonaras *c*) vel ex alia quapiam ægritudine pro mortuo habitus, vinus sepultus est: cum verò è sepulchro auditus esset lamentabiliter domesticos & satellites implorare, vt inde educeretur, non ad Imperium, sed ad monasterium; prohibente Ariadna vxore, cui inuisus esse cœperat, ne quis monumentum aperiret, misere periit, suis ipsius lacertis & caligis quas gestabat comestis; vt post cõpertum esse, monumẽto recluso, Cedrenus *d* narrat. Haud enim recepta est sparsa vulgo sententia, quam idem auctor recẽsebat; nempe Zenoni à quadam diuina potestate ita fuisse caput abscissum, vt ea res conspectum hominum fugeret, solaq; cute caput cum ceruice coniungeretur.

Cum autem absque liberis decessisset, excluso quoque Lõgino ipsius fratre perditissimis moribus homine, in eius locum suffectus est ab Ariadna, ANASTASIVS (vt scribit Euagrius) Dyrrachio, quod olim Epidamnum dicebatur, oriundus; cum nondum ad Senatorium ordinem ascendisset, sed solum in schola Silentiariorum (quo nomine *e* appellabantur, qui in Palatio Imperatoris militantes, ea quæ sunt quietis, curarent) adscriptus esset: ideoq; res tam inopinata suspicionem haud leuem concitauit, euectum fuisse ab Ariadna ad Imperium ob turpem amorum commixtionem. Sed eum (vt scribunt Euagrius *f* & Theodorus *g* Lector) Euphemius Constantinopolitanus Episcopus, ne vi quidem adigi potuit vt coronaret, vocans eum hæreticum, & indignum qui Christianis imperaret; nisi postquam ab eo scriptam retulit Catholicæ Fidei professionem, & Chalcedonensis Concilij approbationem. Cum & referat Suidas, eidem aliquando cœtus quosdam intra Eccl. siam agitanti, publice Euphemium commina-tum fuisse, nisi cum Ecclesia consentiret, aut ab eius ingressu ad peruertẽdos simpliciores abstineret, se re ecta ipsius cõna cum in triumpho ducturum cum populo: (hoc est, in ordinem monachorum red-cturum ad pœnitentiam:) & ex eo tempore Anastasium quieuisse, Imperij retinendi causa. His enim ille repressus, saltem ad tempus Catholicum se exhibuit; cum alioqui Manichæi & Ariani (vt ait Theodorus) valde lætati essent de eiusdem inauguratione, eo quod ipsius mater Manichæa esset, Clearchus vero eiusdem auunculus Arianus.

Cæterum cum idem metu Euphemij se continens, qui olim in humili statu collocatus, specimen viri optimi in plerisque vitæ actibus ediditset, vt ex Gelasij *h* Papæ ad ipsum postea scripta epistola, & ex publicis populi acclamationibus apud Cedrenum constat; Imperium iam adeptus, vt iis responderent reliqui ipsius actus, imprimis delatores *i* ex vrbe eiecit; antiquum q; tributum penitus abolleuit, *Chrysargyrum* dictum, quod magna omnium eiulatione à mendicis, meretricibus, seruis, libertis, fœminis repudiatis; necnon ab omnibus cuiuscunq; conditionis aut sexus hominibus, cum in agris tum in vrbibus, pro singulis equis, bobus, mulis, asinis, canibus, ipsoq; fimo, atque vrina, absque aliqua miseratione exigi consueuerat, & singulis quadriennis ad primarios Magistratus, arq; inde in priuatum Imperatoris ærarium deferri. Quinetiam *k* venationes sustulit, & magistratus, quos venales Zeno fecerat, gratis contulit. Adeo vt non solum Imperij subditi, summam eleuandæ Reipubl. spem de ipso recens creato Imperatore conciperent; sed & ipse Felix Romanus Pontifex, existimans aduenisse diem, quo præterita infelicissima tempora penitus desinerent, gratulatoriam statim ad eum dederit de ipsius promotione epistolam; cuius meminit Gelasius in Commonitorio ad Faustum.

Sed quoniam omne quod non ex animo, sed ex ambitu procedit, haud diu consistere valet; quamprimum Anastasius Imperium sibi stabilitum vidit, mutatus in deterius (inquit Suidas) vniuersum Imperium atristocratiam effecit, magistratus omnes vendendo, ac delinquentibus ignoscendo, inexplebili pecuniæ cupiditate incensus, qua prouincias diripuit, ac subditos omnes expilauit: cum tamen munificus videri volens, quorum bona abstulisset, iisdem postea pietatis nomine distribueret; & quarum vrbium incolas nudaret, earum ædificia renouaret. Cuius etiam cum alia extent plurima immensæ auri cupiditatis & rapacitatis exempla, quorum nonnulla patebunt inferius; ex his videas, quo iure tantopere prædicent nonnulli eiusdem munificentiam, quod Chrysargyrum cessare voluerit. Denique talem hominem, ad extremam Orientalis Imperij claudem, & Catholicæ fidei desolationem, ab impia Ariadna esse promotum, exitus patefecit. Idq; exordium ipsum prænunciauit, cum hoc eodem anno quo creatus est Imperator (vt Marcellinus testatur) bellum plebeium inter Byzantios ortum est, parsq; vrbis plurima atque Circi combusta. Quando & accidisse creditur, quod Procopius *a* tradit incensam esse augustissimam domum hospitalem S. Samsonis, & nobilissimam omnium ecclesiam Sophiam dictam; quam postea Iustinianus longe sumptuosiorem extruxit.

Accidit autem vice versa hoc ipso anno, vt cum Anastasius, Silentiarius esse desinens creuit in Imperatorem; Dei consilio vir sanctissimus *Ioannes* ex Antistite Coloniæ in Armenia euaserit Silentiarius: cum videlicet agens ætatis annum trigesimum octauum, diuino instinctu sedi nuncio remisso, profectus in Palæstinam ad loca sancta, subiecit se disciplinæ magni Sabæ Abbatis; mutatusq; in monachum, ob incomparabilem silentij obseruantiam, *Silentiarius* fuit cognominatus. Cuius egregiam vitam descripsit Cyrillus pariter monachus, qui his ipsis vixit temporibus, & magna fide ac diligentia scripsit Res gestas sanctissimorum virorum *Euthymij* (cuius etiam discipulus extitit) *Sabæ*, huiusq; *Ioannis Silentiarij*: eiusdemq; creduntur esse Vitæ *Theodosij* Cœnobiarchæ & *Quiritæ* Anachoretæ, qui iisdem temporibus claruêre eximiæ sanctitudinis viri: quæ tamen quod careant auctoris inscriptione, feruntur nomine Metaphrastis, qui postremo illas ex antiquioribus monumentis exscriptas edidit.

Hocitem Consule Olybrio *b*, Odoacer Erulorum Rex in Italia, iam antea tribus certaminibus, ad Isontium, Veronæ, & ad Duram fluuium, à Theodorico Amalo Gothorum Rege superatus, rursum ad pontem Candidum prope Rauennam memorabili prælio deuictus est. Verum idem adhuc biennio Rauennæ se muniens restitit Theodorico, qui interea absque alicuius obice tota potitus est Italia.

Sub huius item anni Consulatu, à Mariano Scoto obitus recenseturS. Patricij Hiberniæ primi Episcopi, cùm esset (vt ait) annorum nonaginta duorum. Ac Probus, qui Vitam eius scripsit, eum centum triginta duobus annis vixisse tradit: ad quam plane ætatem peruenisse oportuit, si (vt ait) annos triginta natus extitit discipulus S. Martini. Porro qui viuens prædicatione, post obitum magis illas regiones miraculis illustrauit.

IESV

I. a Marcel. Cassiod. & alii omnes.

b Euagr. l. 3. c. 29.

c Zonar. to. 3. Annal.

ZENO IMP. VIVVS SEPVLTVS.

d Cedr. in compend.

II. ANASTASIVS.

e Procop. de Bel. Pers. Lib. 1. de ju tu sole plura, si cupis, ap. Stalegr. in Imp. Rom. l. 3. c. 23.

f Euag. lib. 3. c. 32.

g Theod. Lect. Collect. lib. 2. EVPHEM. EPISCOPVS CAB IO PROFESS. FIDEI.

III.

h Gela. ep. 10

Cedr. & Euag. ANAST. ROBIGERA IN PRINCIP. IMPERII.

Theod. ibi.

IV. CITO MVTATVS IN PRAVVM.

INCENDIVM A TVRBA EXCITATVM a Procop. de Aedif. Iustin. erat. 1.

V. IOANNES SILENTIARIVS EX EPISC. MONACHVS.

VI. b Cassiod. in Chron. ODOACER MVLTIS PRÆLIIS A THEODORICO VICTVS.

VII. OBITVS S. PATRICII.

IESV CHRISTI AN. 492.

GELASII AN. 1.

ANAST. IMP. 2.
ODOACR. REG. 17.

I. FELIC. PP. OBITVS.

ANno Domini quadringentesimo nonagesimo secundo, Anastasio Aug. & Ruffino Coss. quinto Calendas Martias *S. Felix* Papa ex hac vita decessit, cum sedisset annis nouem, minus diebus duodecim: quem S. Gregorij Papæ atauum fuisse, ex Martyrologio *a* Romano, ipsoq; Gregorio *b* constat, dum de eo refert, quod sanctæ Tarsillæ nepti apparens; illam ad cœlestia regna vocauit. Sepultus *c* est autem in basilica S. Pauli Apostoli. Ac postquam cessasset Episcopatus dies quinque, subrogatus est in locum eius die secunda Martij vir doctissimus GELASIVS Valerij filius. Qui quod Afer natione fuisse ponitur in libro Anastasij de Romanis Pontificibus, repugnare aliquo modo videtur quod ipsemet Gelasius *d* alibi se Romanum natum dicit. Verum cum Africanus fuerit, multis potuit rationibus dici Romanus ciuis natus; sicut & Paulus *e*, Tarsensis cum esset, se ciuem Romanum natum gloriatur. De tempore autem eius ordinationis, cum plures extent ipsius literæ *f* sub huius anni Coss. datæ, ex iis corrigendus est Marcellinus, dum post annum sequentem ponit eius ingressum.

a *Mart. R. 25. Febr.* b *Greg. hom. in Euang. 38. & L. 4. dial. cap. 16. vide inf. an. 581. n 4.* c *Anast. de Rom. Pontt. GELASII CREATIO.* d *Gelas. ep. 10. ad Anast. Imp.* e *Act. 22.* f *Gelas. ep. 1. 2. 9. Tom. 1. Ep. Ro. Pon.*

Simulac autem eius creationem Euphemius Episcopus Constantinopolitanus accepit, more maiorum epistolam ad eum vna cum fidei suæ professione scripsit: quam etsi Gelasius veritati consonam Catholicæ reperit, tamẽ quod nequaquam Euphemius è Diptychis nomen Acacij prædecessoris sui, ab Ecclesia Romana, ob communicationem & participationem cum hæreticis, damnati expunxisset; non communicatorias ad eum, sed commonitorias potius literas reddidit, quibus significauit frustra ipsum Romanę, adeoq; Catholicę Ecclesiæ communicationem sperare, nisi abolito Acacij nomine. Cumq; Euphemius alia rursus ad eundem missa legatione, persuadere adhuc nisus esset, vt absque expunctione Acacij, condescendens fidei Catholicis, communicatione quoque iisdem iungeretur, multisq. ad hoc vsus esset argumentis; iterum Gelasius ad eum rescribens g quam leuia ea essent, demonstrauit, & in sententia denegandę cõmunionis perseuerauit. Quem & honorificis Anastasium Imp. literis salutasse, licet nullas ab eo percepisset, testatur ipse Commonitorio ad Faustum, de quo dicetur anno sequenti.

II. DE LITERIS INTER EVPHEM. CONST. ET GELAS. PAPAM.

g *Id. ep. 9.*

Hoc item anno ex hac vita decessit Sallustius Hierosolymitanus Episcopus, anno sedis octauo; & in eius locum suffectus est *Elias* vir laudatissimus, natione Arabs, professione monachus, ex discipulis S. Euthymij, à quo & prædictionem Episcopatus acceperat. Constant ista ex Cyrillo in Actis *h* S. Sabæ. Qui de hymno Trisagio paulo inferius ait, eundem Sabam, cum apud quosdam Armenos abolere veller prauam illam Petri Fullonis additionem, *Qui crucifixus es pro nobis*, instituisse vt ipsi reliquos quidem hymnos cani solitos, propria & vernacula lingua psallerent, sed Trisagion Græce tantummodo: Idq; ea ratione, vt audiretur ab omnibus, Catholicos longe aliter hymnum illum occinere, quam docuisset Petrus Fullo; & qua lingua ille hæresim factæ cantioni admiscuisset, eadem Catholici illam absque vllo additamento occinentes, errorem redarguerent hæreticorum, & se perspicue esse Catholicos declararẽt. Quo salubri consilio introductum est paritet in Occidentali Ecclesia, vt vbiq; solemni ritu in Parasceue, cum sancta CRVX adoratur, absque illo additamento, *Qui crucifixus es prõ nobis*, Trisagion Græce tantummodo publice concinatur: qui laudabilis vsus hactenus in detestationẽ antiquæ blasphemiæ perseuerat.

III. ELIAS EPISC. HIEROSOL.

h *Ap. Sur. 5. Dec. c. 38. &c.* DE HYMNO TRISAGIO GRÆCE CANENDO.

IV. Hoc eodem anno, qui secundus est Imperatoris Anastasij, cœptum esse *Bellum Isauricum*, auctor est Marcellinus *a*, quod sexennio perdurasse tradit, Theodorus *b* vero quinquennio. Cum ex rebus ipso exordio prospere succedentibus Anastasius insolentior factus, pœnitens se dedisse fidei Catholicæ professionem Euphemio Constantinopolitano Episcopo, eandem sibi ab eo restitui *c* coegit: eo quidem prætextu (vt docet Euagrius *d*) quod videret Concilium Chalcedonense à nonnullis recipi, ab aliis vero reiici, indeq; plurimas oriri vbique dissensiones: ad quas quodammodo sedandas, iussit vt vnusquisque secundum consuetudinem eius loci vbi degeret, de eodem Concilio sentiret; cæterum de alio nemo disputare præsumeret. Quibus plane significatur, ipsum neque extitisse Eutychianum hæreticum, quippe qui prohiberet damnari Concilium Chalcedonense; neque Catholicum, cum haud illud permitteret prædicari. Cuiusnam ergo hæresis sectator dicetur? Acephalorum fuisse, habent Acta *e* Theodosij Cœnobiatchæ: idq; ipsum affirmant Cedrenus, & alij. Sed rursum alij dixere Manichæum, vtpote Manichæa matre natum. Leontius *f* autem inter illos hæreticos recenset, qui ob id quod neutri duarum aduersantium sibi inuicem partium inhæterent, nominati sunt *Hesitantes*; qui & ipsi quod capite carerent, *Acephali* dicti reperiuntur: eorum vero rationes, ac falsos prætextus, quibus detineri se dicebant, quominus Concilium Chalcedonense susciperent, idem Leontius perfacile dissoluit; simulq; egregie confutat, quod iidem cum Eutychianis eos quoque redarguerent, qui duas assererent in Christo naturas.

a *Marcel. in Chron.* b *Theod. Lect. Collect. lib 2.* c *Theod. lib. Ced. in Cõp.* d *Euag. lib. 3. c. 30.*

CVIVS HÆRESIS SECTATOR ANAS IMP. [Quem & Theopaschitã fuisse docet Euagrius lib 3. c. 44. & vindicatur infra ad an. 511.]

e *Ap. Sur. 11. Ianuar.* f *Leont. de Sect. Act. 3. & 6.*

HÆSITANTES HÆRET.

IESV CHRISTI ANN. 493.

GELASII AN. 2.

ANASTAS. IMP. 3.
THEODOR. REG. 1.

I.

ANno Domini quadringentesimo nonagesimo tertio, Cassiodorus Albinum tantum Consulem ponit, Marcellinus vero addit etiam collegam Eusebium. Quo anno Theodoricus Amalus Gothorum Rex, diutinæ Rauennæ obsidionis tædio affectus, eiusdem ciuitatis Episcopi intercessu ita cum Odoacre intus obsesso conuenit, vt ambo æqua forte in illa vrbe viuerent; pariterq; potirentur Imperio. Quibus conditionibus aliquamdiu vtrinque seruatis, Theodoricus eo prætextu quasi in se Odoacer machinatus insidias esset, eundem ad epulas fraudulenter euocatum interemit. Hæc breuiter Procopius *g*: quæ proditorie fuisse peracta, prætermiserunt Cassiodorus & Iordanus; ille, quia in gratiam Theodorici, cui erat ab epistolis, cuncta disponeret; iste, quia suorum Gothorum scriberet historiam.

ODOACER PRODITORIE OCCIDITVR.

g *Procop. de Bel. Goth. l. 1.*

II. THEODORICVS POTITVR ITALIA.

Post hæc idem vero THEODORICVS, siue vt plures vocant, *Theodericus*, reliquis sibi hostibus conciliatis; integra potitus Italia; ad stabiliendum sibi regnum, pacem ab Anastasio Imper. per legatos petiit, & impetrauit. Missisq; item ad Clodoueum Francorum Regem Legatis, filiam eius Audeflendam in vxorem obtinuit *h*: & quas ex concubina olim genuerat, duas filias, alteram nuptui tradidit Alarico Wisigothorum in Gallia Regi; alteram Sigismundo filio Gundebaldi Regis Burgundiorum in eadem Gallia regnantis. Cumq; iam antea *i* cum Wandalis Africæ dominantibus pacem iniisset; sic omnium vbique Principum fœdere securus redditus, rebus politicis moderandis animum penitus addixit; vsus Romanis Magistratibus, atque inprimis industria *Magni Aurelij* CASSIODORI *Senatorij*, (tot enim eius nomina fuerunt; quorum *Senator* proprium, *Cassiodorus* à patris nomine cognomen:) viri amplissimi atque doctissimi, & scriptis honoribusq; notissimi; quem apud se retinuit ad moderandum regnum, leges populis sanciendas, & conscribendas ad diuersos maioris mo-

h *Iornand. de reb. Goth.*

i *Cassiod. in Chron. an. 491.*

CASSIODORI OPERA VTITVR.

menti epistolas, ex quibus ipsius Cassiodori libri Variarum confecti sunt. Quamuis enim Theodoricus Arianus esset, bene tamen Catholicis vsus est, non tantum nihil negotij illis facessens, sed & indulgens, & omni officiorum genere prosequens; adeo vt se indigno animo ferre monstrarit, si quis in eius gratiam à Catholica fide in Arianismum transiret: quem & aliquando tradunt a ministro cuidam suo, insano amore sibi dilectissimo, ea de causa caput amputasse, hæc præfatum: *St Deo fidem sinceram non seruasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis?* Sed & multa alia laude digna ipso regni sui exordio præstitisse cõstat; reos q; quamplurimos relaxando, & captiuos redimendo, atque alia bona subditis suis procurando, cunctorum sibi Italorum animos conciliasse; vt docet Ennodius Ticinensis diaconus in Rebus gestis S. Epiphanij eiusdem ciuitatis Episcopi, quẽ Theodoricus valde coluit, eiusq; opera ad redimendos è manibus Burgũdionum captiuos Italos vsus est, atque in eius gratiam multa diuersis indulsit; quæ fuse tractata apud eundem Ennodium videre est.

a *Nicephor. lib. 16. c. 35. Theod. Lect. Collect. lib. 2. & alii.* OPTIMA RIVS REGNI PRINCIPIA. *Ap. Baron. hoc a. & seq.*

III. GELASIVS PP. VTITVR OPERA FAVSTI IN CAVSA EVPHEMII CONSTAN.

Cæterum decreta, quam diximus, ab eodem Theodorico ad Anastasium legatione; vni ex legatis Fausto Magistro Officiorum, Gelasius Papa causam commendauit Euphemij Constantinopolitani Episcopi; vt si posset, ei persuaderet Ecclesiæ Romanæ æquissimis iussionibus parere (quod hactenus detrectasset) in expunctione nominis Acacij è Diptychis. Sed non valuit hæc peragere Faustus, refragante Euphemio, & maiora rixatum fomenta miscente; dum qui alioqui Orthodoxæ fidei tenacissimus defensor esset, tamen non solum Acacij patrocinium suscepit, sed & eo dementiæ progressus est, vt ipsam Apostolicam Sedem ad iudicium vocare in animum duxerit, multaq; aduersus eam iactarit ab hæreticis & schismaticis effutiri consueta; & calumniis eandem apud Imperatorem onerauerit. De quibus omnibus Gelasius à Fausto certior redditus, misit ad ipsum aduersus eiusmodi obiectiones, calumniasq; egregiam defensionem, quæ extat *b* tanto Pontifice digna, eadem q; *Commonitorij* nomine nuncupata, quod Faustum Gelasius commoneret, quonam modo obiecta ab aduersariis refellere posset: in qua & multa legas de auctoritate Romanæ Sedis, ad quam aliæ quæcunque vniuersi Orbis, atque etiam Patriarchale Ecclesiæ appellare soleant, ipsa vero nulli prorsus iudicio subiacear. Quemnam autem hæc successum habuerint, dicetur postea.

b *Tom. 2. Conc. & tom. 1. Epist. Rom. Pontif.*

IV.

Hoc eodem anno aduersus Pelagianos Dalmatiam tentantes, Picenum vero adeo iam infestantes, vt etiam nonnulli eiusdem prouinciæ Episcopi illis inhærescerent; idem Gelasius Papa literas *c* conscripsit, quibus acriter Episcopos de ipsorum oscitantia arguit; eosq; magis quod suam Piceni prouinciam seduci paterentur a Seneca quodam cariosenе, homine rudi, illiterato, atque ipsius etiam (vt ait) intelligentiæ communis prorsus extraneo: qui & amplius, eadem q; congregatione puellis sacris miscebat monachos; tantam vim asserens homini, etiam sine Dei adiutorio, inesse liberæ voluntatis, vt si vellet, posset inter adolescentulas versari, contrectare, & tamen nullatenus inquinari. Ad quam curandam prouinciam, malaq; auellenda, Legatum misit Gelasius *Romulum* S. R. E. diaconum Cardinalem. Legitur item eiusdem Pontificis nomine volumen aduersus Pelagianam hæresim: at nulla est mentio de eo apud Gennadium eiusdem temporis auctorem, dum Gelasij scripta relegit.

c *Gelas. ep. 3. 4. 5.* INVIGILAT ADVERS. PELAGIA.

V. APPARITIO S. MICHAELIS IN GARGANO MONTE

Sub hoc eodem anno Gelasij Papæ secundo ponitur à Sigiberto, factam esse inuentionem Cryptæ *Gargani* montis in Apulia, quæ ex Apparitione S. Michaelis Archangeli reddita celeberrima, pio est cultui mancipata; atque ob ingentia illic edi solita miracula, iugi imposterum peregrinatione Fidelium frequentata; cum & eandem S. Archangeli apparitionem vniuersa Occidentalis Ecclesia anniuersaria solennitate celebrandam susceperit. Quamuis & ante istam apparitionem, iam celebrem Romæ fuisse cultum eiusdem S. Archangeli ob aliam eius apparitionem, constet ex carmine *d* Drepanij Flori, celebris ætatis suæ poëtæ. Sed & alias eius generis apparitiones plures tum in Oriente tum in Occidente, erectasq; in honorem eiusdem S. Michaelis Ecclesias, Græcorum atque Latinorum Scriptores produnt.

d *Ext. in Bibl. Patr.*

Quod ad res Orientales pertinet; sub hoc eodem Albini Consulatu (vt Marcellinus ait) bella ciuilia aduersus Anastasij tegnum apud Constantinopolim gesta sunt: ac statuæ Regis, Reginæq; funibus per vrbem tractæ. Quæ quidem accidisse videntur vulgi furore sine capite debacchãtis, quod indigne ferret exclusum (vt dictum est) Longinum germanum Zenonis, hominem (vt testantur Suidas, & alij) ob profusas impensas plebi infimæ acceptissimum. In Ludis autem spectans vulgus tumultuatum esse, habent etiam literæ Gelasij Papæ ad Anastasium, anno sequenti suo loco citandæ.

VI. MOTVS CONST. AD VERS. IMP.

IESV CHRISTI AN. 494.

GELASII AN. 3.

ANASTAS. IMP. 4. THEODOR. REG. 2.

ANNO Christi quadringentesimo nonagesimo quarto, Asterio atque Præsidio Coss. remeantibus Romam Theodorici Regis legatis anno superiori Constantinopolim missis, nunciatisq; Gelasio Papæ quæ ab Imperatore accepissent, conquerente inter alia quod ab eo per illos literas non accepisset: ipse Gelasius Apologeticam egregiam epistolam ad eundem Augustum conscripsit *a*, qua inter cætera Sacerdotalis dignitatis eminentiam demonstrauit, Sedisq; Apostolicæ excellentiam extulit; sed & fidei Catholicæ, atque Concilij Chalcedonensis obseruationem multis commendauit; eosq; admodum culpabiles esse ostendit, qui Acacij nomen adhuc retinerent in Diptychis.

I.

a *Gela. ep. 12. Citatur etiam in Concil. Franc. lib. 3. c. 167.*

Verum nec istis quidem Imperator persuadeti valuit, vt remoto obice Ecclesiis vnio redderetur: & Euphemius Cõstantinopolitanus Episcopus eo obstinatius in sententia restinẽdi nominis Acacij obduruit, quod ipse cõtra ingruentes hæreticos in Oriente fidei Catholicæ acerrimum ageret defensorem, tutaretur q; Concilium Chalcedonense aduersus primarum sedium Alexandrinæ & Antiochenæ Patriarchas, ipsum q; Imperatorem illud cuniculis oppugnantem. Vnde & factum est, vt omnes ferme Catholici Orientales Episcopi ei communicarent; præsertim cum iactaret, non de fide, sed tantum de moribus altercationem esse inter se & Romanum Pontificem, ac per Apostolicam Sedem magis exerceri vindictam, quod ab Acacio spreta esset, quam iustitiam defendi. Complures tamen resilierunt omnino ab illo; veluti Episcopi Dardaniæ & Illyrici, qui nullis induci valuẽre argumentis atque prætextibus, vt ei communione iungerentur: sicut nec Macedoniæ Antistites, excepto Thessalonicensi Metropolitano; qui cum alias semper aduersus schismaticos Orientales Sedi Apostolicæ firmiter adhærere consueuisset, tamen Acacianis modo turpiter inhæsit: vt de his omnibus constat ex literis *b* Gelasij Papæ ad Episcopos Dardaniæ & Illyrici, datis per *Cyprianum* atque *Macarium* S. R. E. diaconos, quos ad eosdem in fide consolidandos misit; aliisq; iam antea *c* ad Laurentium Lignidi in Macedonia Antistitem scriptis.

b *Id. ep. 8.*

c *Ep. 1.*

II. FAVSTI PRAETEXTVS SVPHEMII CONSTANTINOPOLITANI.

III. CONCIL. ROM. PRO CONSERVANDA VNITATE FIDEI.

Placuit autem inter hæc eidem Gelasio, congregato *Romæ* CONCILIO septuaginta Episcoporum, quæcunque ad fidem Catholicam illibate custodiendam, pacemq; in Ecclesia restituendam spectare viderentur, constituere. Cuius rei perficiendæ gratia, decretum edidit ab Ecclesia Catholica perpetuo retinendum; in quo, post recensitos Canonicos libros tam Veteris quam Noui Testamenti, adiecit de Primatu Ecclesiæ Romanæ supra alias omnes voce Domini instituto: deq; aliarum post eam Patriarchalium sedium, Alexandrinæ & Antiochenæ antiquis iuribus, ad reprimendam Constantinopolitanorum Episcoporum se supra eas erigentium præsumptionem. Quibus addidit approbationem quatuor Oecumenicarum Synodorum hucusque celebratarum, videlicet Nicænæ,

Constan-

Constantinopolitanæ, Ephesinæ, & Chalcedonensis. Ac postea delectum habuit Ecclesiasticorum Librorum, qui hactenus editi legi solerẽt, distinguens orthodoxos ab hæreticis. Et tandem damnationem apposuit omnium hæresiarcharum, & schismaticorum; inter quos ad postremum recensuit quoque Acacium Constantinopolitanum olim Episcopum, eadem anathematis sententia innodatum.

IV. DE BONORVM ECCL. DIVISIONE

Quo eodem anno idem Pontifex epistolam scripsit ad vniuersos Episcopos in Lucania, Brutiis, & Sicilia constitutos; qua præter alia ad restaurandam Ecclesiasticam disciplinam pertinentia, de Bonis Ecclesiæ illud inculcauit, vt de redditibus eius tam ex fructibus quam ex oblationibus quadripertita diuisio fieret, quarum prima Episcopo, clero secunda, tertia pauperibus, quarta vero ædificiis Ecclesiæ tribuenda esset. Addiditq; ad ea quæ hac de re vidimus a Simplicio *a* constituta, vt pars pauperum nequaquam clanculo erogaretur, sed palam, omnibus videntibus, atque scientibus, ne rapiendi, vel eam minuendi daretur occasio. Rursumq; hoc ipso anno ad Siciliæ Episcopos scribens *b*, præter illam partem, quæ erogari deberet in pauperes, vt de sua Episcopus debeat alere peregrinos atque captiuos inculcat: quibus plane demonstrat, quod pars illa pauperibus debita, non in alios pauperes, quam in eos qui sunt scripti suæ cuiuscunque diocœsis, sit eroganda. Hæc autem in Ecclesia Dei exoleuisse, iam superius deploratum est: dolemusq; rem tantam negligi, vel inuolucro aliorum prætextuum prætermitti. Vnde mihi facile persuadeo hac potissimum causa Ecclesiam assiduis atteri malis. *Cognoui enim* (dicam cum propheta *c*) *quia faciet Dominus iudicium inopis, & vindictam pauperum.*

a An. 495.9.

b Id. ep. 7.

c Psal. 139.

V. CLOTILDIS NVPTA CLODOVEO FRAN. RE.

Hoc ipso anno, qui numeratur decimus Clodouei regnantis in Gallia, idem Rex adhuc Paganus existens, vxorem duxit *Crotildem*, siue Clotildem, Christianam fœminã, filiam fratris Gundebaldi Regis Burgundiorum; per quam postea (vt docetur) & ipse factus est Christianus. Porro voluit Deus tanti coniugij primitias sibi offerri, vt sic magis cœlestibus benedictionibus augeretur; cum videlicet primogenitum ex eo filium natum baptizatum à Clotilde, & Ingomerem nominatum, adhuc in Albis positũ in cœlum accepit, quasi obsidem & pignus crediturí parentis. Verum Rex ignorans Dei consilium, nonnihil in Reginam commorus, quasi ob impertitum baptismum à diis suis puer ex hac luce subtractus esset; vehemẽtius eam increpauit, cum natus alius filius (quem eadem baptizatum vocauit Clodomirum) ægrotare cœpisset: sed huic precibus Reginæ salus est diuinitus restituta. Hæc autem omnia quomodo se habuerint, exacte descripserunt qui res Francorum antiquitus prosecuti sunt, Gregorius *d* Turonẽsis, Aimoinus *e*, quem Aimonem, alij Amonium nominant) & qui vitam S. Remigij conscripsit Hincmarus *f*.

d Greg. Tur. de vit. Frã. l. 2. c. 28. 29.
e Aimoin. de gest. Franc. l. 1. c. 23.
f Hincmar. ep. Sur. to. 1.

VI. S. BENEDICTVS ERMŨ PETIT.

Hoc eodem anno (vt habet vetus Historia Cassinensis) magnus ille monachorum Patriarcha, Occidentalis decus Ecclesiæ, BENEDICTVS Nursiæ nobili genere ortus, ac Romæ literis dans operam, ab Vrbe recessit, sublimioris vitæ sectaturus institutum. At cum de re ipsa liquido constet, de anno tamen diuersæ admodum inter se pugnantes reperiuntur sententiæ. Sed omissis aliis, veritati magis consentiens apparet illa, qua ipsa ponitur ex hac vita decessisse anno Domini quingentesimo quadragesimo secundo, quam affert Leo Ostiensis Episcopus ex Cassinensis cœnobij antiquioribus monumentis: quibus etiam cum asseratur annos vixisse tantum sexaginta duos, ea ratione æque reperitur ipse natus anno quadringentesimo octogesimo, atque præsenti (quo ab Vrbe ponitur recessisse) annum ætatis egisse decimumquartum: quem vt adhuc ætate tenerum, nutrix est consecuta; vt testatur S. Gregorius *g* Papa, qui eiusdẽ sancti Patriarchæ præcipuas res gestas scriptis mandauit. Nutricem autem aliquamdiu apud se retinuisse illum, docet tota illa de tritico purgando, & capisterio fracto, restauratoq; historia. Quo demum tempore post vulgatum editum ab eo grande miraculum, ipse iam tunc ætate adolescens, animoq; promptus & viribus, inde aufugiens secessit ad locum qui Sublacus dicitur, iuxta Simbruinos montes; atque in altissimam speluncam penetrans, in ea sic per triennium delituit, vt vnus id sciret

g Greg. lib. 2 Dialog.

NOTVS FIT OMNIBVS VIRTVTE MIRACVL.

S. Romanus monachus, quo ad vitæ necessitatem ministro vtebatur. Sed Dei reuelatione notior factus, & virtute miraculorum redditus vniuersæ illi regioni conspicuus; inuidiæ iaculis ab hominibus appetitus, postquam vires Satanæ ipsum aggredientis multis modis confregisset, ad vitæ sanctæ æmulationem suo exemplo quamplurimos traxit, duodecimq; à se erecta monasteria repleuit. Sicq; perseueraſſe vsque ad annum Domini quingentesimum vndetrigesimum, atq; postea migrasse Cassinum, ex Chronico Cassinensi compertum habetur.

VII.

Sane quidem in tanti viri vocatione, summa Dei in consulendo suæ Ecclesiæ innotuit prouidentia; dum quo tempore vniuersus ferme Christianus Orbis diuersis infectus esset hæresibus, in tam terræ noctis obscuritate eiusmodi claritudinem lucis immisit, qua vniuersus Catholicus orbis illustraretur: cum tamen iam ante ipsius tempora, constet etiam in omnibus Occidentalis Ecclesiæ prouinciis viguisse diuersa genera Monachorum; vt quæ sæpe superius dicta sunt, certissimã fidem faciunt. Vt perperam illi agant, qui S. Benedicto quos non genuit alienos partus supponũt: qui, inquam, nimio eius Ordinis amore, plurimos fama illustres viros, etiam qui lõge ante S. Benedicti tempora floruerunt, & (quod magis admireris) ex Orientalibus, qui sub institutis S. Basilij militarunt, eiusdem fuisse Regulæ professores imprudenter nimis affirmant: quod præstitit inter alios Trithemius, auctorq; posteriotibus extitit id ipsum faciendi. Illud autem glorioſe prædicare de ipso liceat; coalescente nobili planta, maioribus incrementis indies magis magisq; dilatatum esse eundem Ordinem; progressuq; temporis complures alios extitisse monachorum Ordines, sub eiusdem Sancti Regulis militantes.

MVLTI FALSO ASSERTI DISCIPVLI S. BENEDIC.

IESV CHRISTI AN. 495.

GELASII AN. 4.

ANASTAS. IMP. 5. THEODOR. REG. 3.

I.

ANNVS Domini quadringentesimus nonagesimus quintus Consulatum Viatoris notatum habet in Fastis Cassiodori & Marcellini: cui addunt alij collegam Æmilianum.

II. *a Gelas. ep. 11* EPIST. GELASII PP. AD EPISC. DARDAN. ADVERS. EVPHEM. CONST.

Cuius exordio, nempe ipsis Calendis Februarij Gelasius Papa prolixam valde, atque eruditam epistolam dedit *a* ad Dardaniæ Episcopos; qui cum Apostolicæ Sedi firmiter huc vsque adhæsissent; iam ab Euphemio Constantinopolitano Episcopo tentati, vacillare viderentur. Porro hanc epistolam non eis tantum voluit esse communem, sed vbique vulgari, notamq; in Oriente reddi tam Orthodoxis quam hæreticis & schismaticis. Qua inter alia plurima refellens quod Euphemius obiiceret Acacium nõ fuisse damnatum ab aliqua Synodo, sed à Romano solo Pontifice, ideoq; non debere memoriam eius execrationi esse; pluribus ipse rationibus, & exemplis sedium etiam Patriarchalium Orientis, demonstrat Romanæ Sedis esse, non solum absoluendi quos quæuis Synodus inique damnasset, sed & damnandi noxios absque vllo Synodali conuentu. Post nonnulla vero ridens quod idem Euphemius sibi primatum supra Orientales Ecclesias vendicaret, quod tunc regia vrbs Constantinopolis esset; eadem ratione infert, Rauennam quoque, Mediolanum, Sirmium, atque Treueros primatum prætendere posse, quod apud eos multis temporibus Imperatores constitissent.

III. EVPHEM. PELLITVR IN EXILIVM.

At cum ne sic quidem Euphemius quiesceret, factum est iusto Dei iudicio, vt per hæreticum Principem schismaticus Episcopus repressus fuerit. Hoc namque anno sub iisdem Coss. ipsum Euphemium (falso licet ab Anastasio Imp. accusatum, ac perperam in eius gratiam à quibusdam Episcopis excommunicatum atque damnatum) in exilium ductum esse, Marcellinus est auctor. Causam

vero prætensæ damnationis Theodorus *a* Lector hanc narrat, quod Euphemius Isauris faueret, dum aduersus eos Imperator bellum gereret: cum tamen ideo expulsus ex Suida intelligatur, quod comminatus Imperatori fuisset, se illum in ordinem redacturum, si perseueraret hæreticus. Sit quæ plane qui gloriosum esset confessionis titulum ob hæc consecutus Euphemius; quod ab ipsa Romana Ecclesia minime meruit ad communionem admitti, inglorius decessit, eiusq; postea (vt dicerur) nomen è Diptychis est sublatum. Addit vero Theodorus, in locum eius subrogatum esse ab Imperatore *Macedonium*, eiusdem Ecclesiæ presbyterum atque custodem, virum pium ac religiosum, vtpote S. Gennadij eiusdem olim Ecclesiæ Catholici Antistitis sororis filium, & ab eodē educatum; ac licet populus seditionem monuisset propter Euphemium, præualuisse tamen Imperatoris sententiam. Sed quod Macedonio idem auctor notā inusit subscriptionis impij Zenonis Henotici, ab horum temporum fidelissimo scriptore Cyrillo *b* redarguitur, dum asserit Macedonium rectam fidem amplexum esse, dq; non parum ab initio turbasse Imperatorem.

Hoc item anno, sub eodem Consulatu Viatoris, mense Martio celebrata est *Romæ* à Gelasio Papa SYNODVS quinquaginta quinque Episcoporum, præsente etiam Clero Romano, in causa Miseni Episcopi: qui cum (vt suo loco vidimus) depositus fuisset in alio Concilio Romano sub Felice Papa, quod missus Constantinopolim, præuaricatorem se constituisset mandatorū Sedis Apostolicæ in communicando cum Acacio; nunc post multam pœnitentiam veniam erroris petens, anathematizato vna cum aliis hæreticis ipso Acacio, ex consensu omnium Patrum absolutus est ac restitutus; cum iam antea Vitalis, ipsius in legatione & præuaricatione collega, mortuus esset absque reconciliatione Ecclesiæ. Extant autem germana huius Synodi Acta, in quibus tota rei gestæ historia fusius continetur.

Hoc eodem anno mortuus est Gundabundus Wandalorum in Africa Rex, regni sui anno duodecimo inchoato; postquam intermissam aliquamdiu persecutionem instaurans, Eugenium sanctissimum Carthaginiensem Episcopū, iam in deserto Africæ exulem, longius in Gallias relegasset; quem non ferret qualicunque sorte in Wandalica ditione degere, quod sciret ipsum restituere lapsos ad pœnitentiam, stantes ad martyrium roborare, scribereq; frequentes (vt Gennadius *d* docet) ad suos Literas pastorales, aliaq; egregia edere pro fidei Catholicæ defensione aduersus impietatem Arianam scripta, operaq;. Qui demum in Albigensi ciuitate (vt Gregorius *e* Turonensis scribit; sed perperam hanc eius relegationem sub Hunerico Gundabundi patre collocans: peruenisse namq; eum ad Anastasij Imp. tempora, ex eodem Gennadio, necnon ex Gelasio *f* Papa constat, qui sub eodem Anastasio scribentes, de Eugenio adhuc superstite meminerunt.) tempus vocationis suæ, Domino reuelante, cognoscens, ac præcipue intelligens, se martyri Amarantho, qui in ea ciuitate colebatur, socium esse futurum; ad eius sepulchrum accedens, prostratus solo diutissime orationem fudit ad Dominum: deinde expansis super pauimentum brachiis, spiritum cœlo direxit, sepulturq; in ea crypta est, vbi & postmodum miracula fieri consueuerunt.

Cæterum in locum Gundabundi successit *Trasamundus* ipsius frater; quem sapientia & magnitudine animi omnes maiores antecessisse, Procopius *g* tradit: additq; eum Christianos, non pœnis, sed præmiis ad deserendam fidem inuitasse. Sane quidem S. Fulgentius *h* ad hunc Regem cum libros scripsit, eum parente meliorem appellat. Ei vero Theodoricus Italiæ Rex matrimonio iunxit sororem suam nomine Amalafridam. Eundemq; Anastasio Imperatori amicissimum extitisse, idem Procopius scribit. At de illo sæpe infelicius.

a Theod. Lect. Collect. lib. 2.

MACEDONIVS ELIGITVR EPIS. CONS.

b Cyril. in vit. S. Sabæ, cap. 69. ap. Sur. tom. 6.

IV. CONCIL. ROM. IN ABSOLVTIONE MISENI.

c Tom. 2. Con. & tom. 1. Epist. Rom. Pont. in Gelas. Extat vero emendatior Bar. hoc an. accepta ex Bibl. Vrsin.

V.

d Gennad. de Script. Eccl. cap. 97.

S. EVGENII CARTHAG. OBITVS.

e Greg. Tur. 2. hist. Fran. 3. & 1. Miracul. 58.

f Gelas. ep. 11 ad Dard.

VI. TRASAMVNDVS REGNAT IN AFRICA

g Procop. de Bel. Vand. lib. 1.

h Fulg. ad Trasam. lib. 3. in fi.

IESV CHRISTI AN. 496.

GELASII AN. 5.

ANASTAS. IMP. 6. THEODOR. REG. 4.

ANNO Domini quadringentesimo nonagesimo sexto, Paulo Consule absque collega, vndecimo Calendas Decembris *S. Gelasius* Papa ex hac vita migrauit, cum sedisset (vt habent Indices Vaticani, & Anastasius in libro de Romanis Pontificibus) annos quatuor, menses octo, dies decem & nouem: Sepultusq; est in Basilica S. Petri Apostoli. Cuius lucubrationes recensens Gennadius *a*, ait eum inter alia aduersus Eutychetem & Nestorium scripsisse grande & præclarum volumen. Vnde crediderunt plerique, libellum illum qui Gelasij nomine circumfertur sub titulo *De duabus Naturis aduersus Eutychetem & Nestorium*, Gelasij Papæ esse: idq; etiam hæretici quidam asseruerunt, purantes se ex illo contra Ecclesiæ doctrinam de sanctissima Eucharistia colligere posse, in ea vna cum Corpore & Sanguine Christi remanere substantiam panis & vini. Verum nec istud ex eiusdem libelli verbis proferunt, inferri vllomodo posse, nihilq; ea obesse Catholicæ veritati, à multis iam Catholicis tractatoribus demonstratum *b* est: nec hunc ipsum libellum, Gelasij Papæ esse, vel inde euidenter elici potest, quod cum Gennadius grande fuisse volumen tradat, sed & Anastasius *c* Bibliothecarius in quinque libros partitum affirmet; hic tamen commentarios de quo controuertitur, vnius libelli periodo terminetur. Quibus adde, quod cum auctor in fine profiteatur, se Catholicorum Patrum testimonia afferre, quibus à se dicta confirmet, & tamen Græcorum duntaxat auctoritate nitatur, vix duobus Latinis ex plurimis in testimonium adductis; manifeste se Græcum, non Latinum esse scriptorem deregit: idq; ipsum phrasis Latina satis indicat, videlicet è Græco esse conuersum.

Quapropter aliorum omnium omissis opinionibus, quibus eiusdem opusculi diuersos condunt auctores, equidem illud absque vllo dubio asseruerim, non alium eius scriptorem esse, quam *Gelasium* illum, quem Photius *d* ait Acta primæ Synodi Nicænæ edidisse; quæ & ipsa nuper in lucem sunt edita, ac de iis diximus in eodem Concilio. Quorum quidem auctor (vt ipsemet testatur) Cyzici versatus, aduersus Eutychianos hæreticos; qui impugnantes Chalcedonense Concilium, professores se esse Magnæ Synodi Nicænæ vane gloriarentur, edidit quæ reperit à Dalmatio Cyzici Episcopo conscripta Acta Nicæni Concilij; hoc est, (vt Photius interpretatur) non vere Acta ipsa, sed de rebus gestis in Synodo historiam. Quonam autem idem Gelasius vixerit tempore, in eius operis præfatione ipse declarat; nimirum post impij Basilisci tyrannidem, cum Eutychiani inualescerent aduersus Ecclesiam Catholicam. Sed & cum addat, se eosdem hæreticos disputando confutasse, pariterq; auctor prædicti libelli *De duabus Naturis* in ipso exordio profiteatur, ob recentem obortam ea de re controuersiam se esse opus illud aggressum; certe possumus intelligere, vnum eundemq; Gelasium vtriusque tractatus esse scriptorem.

Porro haud adeo nouum fuisse, vt Gelasij Papæ nomine scripta adulterina, atque etiam hæresibus conferta dinulgarentur, locupletissimus est testis Cassiodorus *e*, qui eodem ipso tempore vixit. Quod autem ex veris atque germanis ipsius scriptis; nonnullas alias captant hæretici oppugnandæ veritatis occasiones, siue in asserenda necessaria sub vtraque specie communione, siue in negando Christianæ religionis Antistitibus rerum sæcularium vsu: ipsi dum notam inuere conati sunt eiusdem Pontificis commentariis, sese imperitos *f* penitus demonstrarunt.

I. GELAS. PP. OBITVS.

a Gennad. de Script. Eccl. ca. 14.

DE LIBRO ADVERS. EVTYCH. EIVS NOMINE SCRIPTO.

b Agit etiam de his fuse ipse Baron. Annal. Tō. 6. hoc an. Quod vero negat huic libello esse Gelasij Papæ particulæ quoque alij plerique hactenus senserūt. Vnde illū S. Fulgentius quo codē tempore vixit, & atque Africanus fuit, Gelasio Papæ absque vlla dubitatione adscribit, multa ex eo citās Resp. ad Ferrand. diac.

II.

d Phot. in Bibliothe.

III. DE GELASII SCRIPTIS.

e Cassiod. de diuinis lect. cap. 8.

f Refellit quoq; eorum calumnias vbi supra quæ ex obscuris Gelasij libellis nobis enim non licet diu in Gallia morari) maxime de his quæstionibus in actum in aliis locis superius.

Est vero

IV. SVSTVLIT LVPERCALIA.

Est vero inter alia præclarissima eiusdem Gelasij Papæ gesta, illud prorsus admirandum, quod Pontificia edita sanctione, nullo ab Ariano Rege Theodorico, tunc Italiæ, ipsique Vrbi dominante, requisito consensu, prohibuit conseruata hactenus ex Gentilitia superstitione *Lupercalia*, quæ fuerãt ante exordium Vrbis allata in Italiam. Cumque nonnulli reperirentur, etiam Christiani, iidemque nobiles Senatores, atque inter alios *Andromachus*, qui eidem Pontifici illa penitus extirpare conanti resisterent: aduersus eos ipse acerrimam struxit Apologiam *a*, qua suum ea de re promulgatum decretum, vt sancte pieque sancitum, voluit omnino à Christianis omnibus custoditum, insuperque demonstrauit, ob eiusmodi superstitiones, atte sque magicas à Romanis retentas, Romanum esse collapsam Imperium.

a *Rec. Baro. ex cod. Vat.*

V. SPECTACVLA AD TEMPVS SVBLATA.

Profecisse autem Senatum, vt non Lupercalia tantum, in quæ Gelasius eo modo declamauit, sed etiã quæ minoris esse superstitionis, & maioris oblectamenti, videri poterant, *Spectacula* abstulerit, saltem ad tempus, sed & profusam illam à nouis Coss. fieri solitam impensam in editione Ludorum Circensium, in pauperum fuisse vestimẽta conuersam, docet Ennodius Ticinensis in defensorio *b* libello Synodi Palmaris. Sed hæc tantum (vt diximus) ad tempus: cum eadem nefanda quæ prius, paulo post resumpta fuisse importune, visuri simus sub Consulatu *c* Importuni. Porro & eadem iam antehac delinita fuisse ad tollendam idololatriæ suspicionem, vt non in deorum honorem, sed ad Christi gloriam Circensia celebrate dicerẽt, Saluianus *c* est auctor; deplorans insuper, quod & adhuc nouis Consulibus pulli Gentilium sacrilegiorum more pascerentur, & volantis pennæ auguria quærerentur, ac pene omnia fierent, quæ etiam quondam Pagani veteres friuola atque irridenda duxissent. Vt iam non sit amplius mirandũ, si ob eiusmodi retentas, atque defensas impietates, frustra eas abolere conantibus Summis Pontificibus, ipsa Vrbs Roma cum tota Italia, atque vniuerso Imperio, meruerit manibus tradi barbarorum.

b *Ext. Tom. 2. Concil. in Symmach.*

c *Saluia. de ver. iudic. lib. 4.*

VI. d *Anast. de Rom. Pont. in Gelas.*

Sed vt redeamus ad Gelasium, præter illa quę de eo iam dicta sunt, recensentur quoque ab Anastasio *d* plurima alia eiusdem S. Pontificis scripta, gestaque præclara, cum aduersus hæreticos, tum circa res rituque Ecclesiasticos, atque inter cætera, quod inuentos in Vrbe Manichæos in exilium deportari præceperit, eorumque codices ante fores basilicæ S. Mariæ incendio concremauerit. Neque enim tantummodo ipsum multa eruditissime scripsisse, sed & aliorum scripta prudentissima perspicacitate tractasse, fidem etiam facit eiusdem censura de Libris Authenticis & Apocryphis, quam in Concilio Romano edidisse vidimus. Quapropter & cum vsu venisset, (quem pluribus exemplis confirmatum vidimus) vt tam ex Oriente, quam ex Occidente, ad Romanos Pontifices scripta de Fide mitterentur, vt quæ essent Catholica cognoscerent, cognitaq; probarent (quippe quod & scientiæ clauem apud eam Ecclesiam esse maiores omnes Orthodoxi intelligerent:) sic ad ipsum Gelasium, auctor est Photius *e* ex Oriente Ioannem Orthodoxum Episcopum Alexandrinum misisse scriptam Apologiam aduersus Pelagianos: & ex Occidente; tradit Gennadius *f* eundem Gelasium S. Honorati Massiliensis Episcopi, viri eloquentissimi, cognita sinceritissima scripta, ac fidei integritatem, rescripto suo probasse. Nempe Apostolicis literis significabant Romani Pontifices, commentarium illum vt consentientem in omnibus Catholicæ veritati, à cunctis absque offensionis scrupulo legi posse. Imitatus autem suum Episcopum idem Gennadius presbyter Massiliensis, dum à se scriptum de fide librum (vt ipse testatur *g*, suas recensens lucubrationes) ad eundem Gelasium Papam misit; haud tamen sicut ille, ab ipso probatus apparet; quippe quem scripta sua ipsius demonstrent in illam Pelagianorum classem reiiciendum esse, qui intrinsecus fauentes Pelagianis erroribus, exterius voluerũt videri impugnare Pelagium: fuitq; vnus plane ex presbyteris illis Gallicanis, de quibus S. S. Prosperum & Hilarium apud S. Cœlestinum Papã conquestos esse vidimus. Verum ipsum postea in meliorem frugem redditum esse, creatumq; eiusdem Ecclesiæ Massiliensis Episcopum, constat ex epistola *a* Hadriani Papæ ad Carolũ Magnum, vbi etiam titulo sanctitatis honestatur. Sed de Gelasio, Gennadioque hactenus.

ROM. PONTIFF. VITÆ SCRIPT. DE EIS. [Quæ vero hic dicuntur de Scriptis ad Gelasium pro libris missis, habentur ap. Baron. an. 490. loco non suo]

e *Phot. in Biblioth.*

f *Gennad. de Script. Eccl. c. 99.*

g *Ibi. c. 100.*

Gelasio autem mortuo, vacauit *b* sedes diebus septem: sicq; vigesima octaua mensis Nouembris, in eius locũ subrogatus est ANASTASIVS eius nominis Secundus, partia Romanus, ex Petro genitus. De cuius creationis tempore corrigendus est Marcellinus *c*, cum post annos duos eius in sedem ingressum ponit.

Eodem pariter anno mortuus est Palladius Antiochenus Episcopus, inque eius locum *Flavianus* Iunior subrogatus: qui quod pro Concilio Chalcedonensi aduersus Imperatorem, & alios hæreticos stetit, meruit postea cum aliis confessoribus Episcopis exilium subire, vt suo loco dicturi sumus. Hocque item *d* anno diem obiisse S. Epiphanium Ticinensem Episcopum, de quo superius, constat ex Ennodio in ipsius Rebus gestis.

a *Ext. Tom. 3. Epist. Rom. Pontif.*

VII. b *Anast. de Rom. Pont.* ANAST. II. CREATVR ROM. PONT.

c *Marcel. in Chron.*

VIII. FLAVIANVS IVN. EPISC. ANTIOCH.

d [Seu potius sequenti, 12. Cal. Febr.]

IESV CHRISTI
AN. 497.

ANAST. II. AN. 1.

ANAST. IMP. 7.
THEOD. REG. 5.

ANno Christi quadringentesimo nonagesimo septimo, Anastasio Aug. iterum Consule, Anastasius Papa ipso sui exordio Pontificatus legationem ad eundem Imp. misit cum literis *e*, quibus vehemẽter inculcauit vt Acacij nomen è Diptychis eraderetur, sicque concordia Orientali Ecclesiæ restitueretur. Porro eiusmodi legationi functi sunt *Germanus* Episcopus Capuanus sanctitate conspicuus, & *Crescentius* Episcopus Tudertinus vir plane egregius; cũ quibus profectus est pariter *Festus* Patricius. Quos cum suscepisset Imperator, bene quidem illos habens, detinuit spe pacis vsque ad finem anni sequentis; dolose molitus interea, siquo modo ad subscribendum Henotico Zenonis ipsum Romanum Pontificem posset inducere. Id enim per eundem Festum tentasse, Theodorus *f* Lector & Nicephorus *g* tradunt. Quorum etiam testimonio constat, Macedonium Constantinopolitanum Episcopũ erga Romanum Pontificem fuisse tedditum propensiorem, sed votis suis passum esse Imperatorem maxime aduersarium.

I. c *Tom. 2. Conc. Et Tom. 1. Epist. Rom. Pont. in Anast.* LEGATI ANAST. PAPÆ AD ANAST. IMP. PRO PACE ECCLESIÆ.

f *Theod. Lect. Collect. lib. 2.*

g *Niceph. li. 16. c. 35.* FESTVS PRODIT CAVSAM ANAST. PP.

Quod vero ad Anastasium Papam attinet; cum is iam ante obiisset, quam à Festo eiusmodi perfidiæ tentaretur, (quod iidem auctores affirmãt) eum integrum sincerumque in Catholica fide permansisse, nullum est dubium; quid postea schismatici Laurentiani cõtra illum euomuerint, & ab ipsis sparsum, in Libro de Romanis Pontificibus ei fuerit datum crimini *h*, de communicatione cum Photio, seu Photino Thessalonicensi diacono Acaciano Romam ad ipsum misso, ac eiusdem Pontificis nisu reuocandi Acacij. Siquidem Acacium longe ante hæc tempora obiisse cõstat, & communionem cum Photino non ob aliud fuisse, quam quod Photinus petiisset vt depranata per vitiosam interpretationem S. Leonis Papæ epistola, in germanam integritatem redderetur ex prototypo Archiui Romanæ Ecclesiæ, certũ redditur ex libello Alexandrinorum; de quo mox dicturi sumus: cuiusmodi requisitum Papæ officium, nec hæreticis denegari potuisse apparet. Quod si cõtentiose nimis asserere quis vellet, Anastasium propensionẽ fuisse in restituendo sublato à Diptychis Acacij nomine, sed morte præuentum (quod habet prędictus liber de Rom. Pontif.) id præstare minime valuisse, in hoc est quidem, quo maximè admiretis Dei prouidẽtiam erga Romanam Ecclesiam, cum titubantem eius rectorem ex humanis ante subduxerit, quam quod meditaretur: sicut & de aliis eiusdem Ecclesiæ Pontificibus accidisse, docent exempla suis locis reddita, vel reddenda.

II. ANAST. P P. CATHOL. PERSEVERAVIT.

h *De hac re, præter Baron. Tom. VI. hoc an. vide etiã Bellar. de Ro. Pont. lib. 4. c. 10. Et Grenser. in eius Defens.*

III. Cæterum cum per vniuersam Ecclesiam Orientalem innotuisset, ab Apostolica Sede Legatos esse missos pro pace Ecclesiarum concilianda, Apocrisiarij quoque Alexandrinæ Ecclesiæ, vt foris secus apparerent pacis amatores, egerunt cum illis, vt ea Ecclesia in communicationem à Romana reciperetur, libellumque supplicem a iisdem obtulere, vna cum fidei suæ professione. Sed quod in ea nullum verbum posuissent de Synodo Chalcedonensi, quinimo nefandissimos hæreticos, & sacrilegos, Dioscorum, Timotheum Ælurum, & Petrum Mogum vellent salvos, atque eorum nomina inter Diptycha recitari; haud dubium indignos se ostenderunt, qui reciperentur ab Apostolica Sede. Cum interea hoc eodem anno defunctus est Athanasius eiusdem Ecclesiæ Episcopus hæreticus, postquam sedisset annos septem, inque locum eius subrogatus, illi impietate non impar *Ioannes* cognomento *Mela*; quem Zenonis Henoticum suscepisse, Liberatus & Leontius tradunt.

a Vid. Concil. Rom. Bavon. ex cod. Vatic.

IOAN. MELA EPISC. ALEXANDR.

IESV CHRISTI ANN. 498.

ANAST. II. AN. 2.

ANAST. IMP. 8. THEOD. REG. 6.

I. ANAST. PAPÆ OBITVS.

ANno Christi quadringentesimo nonagesimooctauo, Paulino & Ioanne Scytha Coss. decimotertio Calendas Decembris, *Anastasius* Papa diem obiit, cum sedisset annis duobus, minus diebus octo, sepultusq; est in basilica S. Petri Apostoli. Sed quod in Libro de Romanis Pontificibus traditur nutu diuino percussus interiisse, id ex falsis schismaticorum calumniis, de quibus dictum est anno superiori, in eundē librum relatum esse scias. Aut certe quod Anastasio Imperatori post aliquot annos accidisse constat, vtfulmine percussus interierit, hoc prædictus auctor, ob rumores de Anastasio Papa sparsos, in eius caput nulla veritatis exactioni inuestigatione facta retorsit.

II. SYMMACHVS ELIGITVR.

b *Theod. Lect. l. 1. Niceph. lib. 16. c. 36.*

SCHISMA LAVRENTIANVM.

Cæterū cum Anastasio nupertime mortuo (vt ex Theodoro Lectore, atque Nicephoro vidimus) Festus Patricius aduenisset Romam, vt præstaret quod pollicitus fuerat Imperatori, suaderi Romano Pontifici subscriptionem Zenonis Henotici; elapsa iam occasione id agendi cum Anastasio, successorem creare festegit qui ad id præstādum induci facile posset. Sicque cum post Anastasij obitum die quarto, in eius locum in basilica Constantiniana legitime ex diacono creatus esset Romanus Pontifex SYMMACHVS natione Sardus, patre Fortunato, eodem die in basilica S. Mariæ, id pecuniis *b* agente Festo, *Laurentius* ex presbytero intrusus est schismaticus. Qua de causa ortis non solum inter Clerum, sed etiam inter Senatores ingentibus discordiis, secuta sunt quoque plurima mala, de quibus dicetur suis locis. Cum interea vtraque pars Rauennam pergens ad iudicium Regis Theodorici, (vt habet Liber de Romanis Pontificibus) hac sententia ab eo accepta, vt qui primo ordinatus esset, aut à maioti parte, ipse sederet, iis etiam conditionibus superior Symmachus euadens, Sedem Apostolicam retinuit.

III. LONGINI MISERANDVS OBITVS.

Quod ad res pertinet Orientales, sub huius anni Coss. Marcellinus ponit exitium Longini Isauri, Zenonis olim Imperatoris germani, de quo superius: qui apud Antiochiam Isauriæ captus, Constantinopolim missus est, catenatusque circumductus, Anastasio Imperatori, spectante populo, ingens spectaculum fuit, variisque deinde cruciatibus apud Nicæam Bithyniæ ciuitatem expensus est. Sicque pœnas tandē exoluit omnium turpitudinum, quibus (vt testis est Suidas) obrutus sacra prophanaque simul fœdauerat. Addit vero idem Marcellinus, Anastasium nummis suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxisse, quod scilicet Longinus (vt vidimus) plebi acceptissimus fuisset ob profusas impensas.

IESV CHRISTI ANN. 499.

SYMMACHI AN. 1.

ANAST. IMP. 9. THEODOR. REG. 7.

I. CONC. RO. DE ELECTIONE ROM. PONTIF.

ANnus Christi quadringentesimus nonagesimusnonus, vno Consule Ioanne Gibbo notatur à Marcellino & Cassiodoro: qui autem addit Asclepium, non habet vnde acceperit. Antequam autem Consul Ioannes in Oriente creatus innotesceret Occidentalibus, siue alia de causa id acciderit, Post Consulatum Paulini præsens annus reperitur inscriptus, vt in ROMANO CONCILIO hoc anno Calendis Martij apud S. Petrum à Symmacho Papa congregato, non à Theodorico Rege, vt perperam tradidit Theodorus *a* Lector: ipsa enim Acta Concilij id expresse declarant.

a *Theod. Lect. Collect. lib. 2.* II.

Eius autem conuocandi illud Symmachi consilium fuit, vt quamuis sedem ipse Pontificalem etiam ex sententia Regis Theodorici dominantis Italiæ & Vrbi, possideret; tamen quod non ratio, sed necessitas ingruentis seditionis, eum impulisset subire eiusmodi Regis Ariani iudicium; iam omnia more maiorum rite fierent, decerneteturque legitime creato Pontifici Vrbis atque Orbis Episcopatus, atque insuper vt ab eadem Synodo canones sancirentur, quibus posthac retunderetur procacitas ambientium, quod & factum esse, ipsius Acta *b* declarant: nempe decretam esse excommunicationem, & exauctorationem aduersus omnes cuiuscumque ordinis clericos, qui superstite Pontifice, eoque inconsulto, de alterius post illius obitum electione quomodocumque paciscerentur, aut deliberarent, vel ipsi Pontificatum ambirent: Itemque, vt si transitus Papæ adeo subitaneus accideret, vt de sui electione successoris non posset decernere, tunc qui ab vniuerso clero, aut maiori ipsius parte, electus esset, consecraretur; sic tamen, vt qui priuatis pactionibus suffragium adhibuisset, sacerdotio careret. Fuerunt ista à Synodo constituta. Sed quod audis Papam de sui successoris electione decernere, non sic accipias vt Romani Pontifices sibi ipsis subrogarent successores; (nunquam enim post Petrum id ab aliquo reperitur fuisse tentatum:) sed quod modestiæ causa dignum putarent sede Petri, vt decedentis Pontificis rogaretur sententia de successore: quæ tamen à Romano Clero, collatis suffragiis, num rata esset habenda deliberaretur. Cæterum subscripserunt huic Synodo Episcopi septuaginta duo ex diuersis Italiæ prouinciis, Romani vero Presbyteri sexaginta septem, & Diaconi quinque. Qui autem presbyterorum primo loco subscripsit, fuit *Cælius Laurentius Archipresbyter tituli S. Præxedis*: ille ipse qui creatus fuerat in schismate cōtra Symmachum, quem in hoc eodem Concilio, intuitu misericordiæ, ordinatum esse Episcopum Nucerinum, habet Anastasius *c* Bibliothecarius.

b Tom. 2. Conc.

Conuertens autem post hæc obtutum Symmachus ad res Orientalis Ecclesiæ, scripsit ad Anastasium Imper. vt à communicatione & patrocinio hæreticorum desisteret, sed tantum abest vt Anastasius ei obtemperauerit, vt etiam eos qui essent in Oriente Catholicæ communionis Antistites, & eis subditi Orthodoxi, immissis militibus cogeret cum hæreticis communicare. Quapropter ita simul cum populo delinquente principe, Deus barbaros in eum mouit. Hoc enim anno gens ignota nomine, ex intimis Borealibus finibus palabunda progressa, violento agmine se infudit in Thracias, videlicet *Bulgari*, qui Romanorum exercitum deleuerunt, vt refert Marcellinus, qui ait, eo prælio Illyricianam virtutem militum periisse. Sed qui ab eis victus est ferro Anastasius, auro victores superare contendit, dum ingenti vi auri persoluta, ad tempus grassationem illam à Bulgaris redemit.

c *Anast. lib. de Rom. Pont.* III.

BVLGARI INVADVNT THRACIAM. IV.

Sed vide prouidentiam Dei. Quo enim tempore tam densæ tenebræ operient vbiq; terram, & caligo populos, adeo

adeo vt nullus penitus in vniuerso esset Orbe Princeps Catholicus, in Galliis plane diuinitus nouæ lucis fulgidum sidus apparuit, quo vniuersa Catholica Ecclesia deberet in infinita sæcula illustrari. Hoc enim ipso anno, qui Clodouei Francorum Regis numeratur *a* decimusquintus, idem CLODOVEVS continuis S. CLOTILDIS vxoris suæ admonitionibus fatigatus vt fidē Christianam amplecteretur, negotium diutius procrastinans, tandem aliquando cum in acerrimo contra Alamannos prælio constitutus vidisset suos ad internecionē ruere, inuocatis frustra diis suis, compunctus corde elevaris in cœlū oculis, vouit IESV CHRISTO, quem Clotildis prædicaret Filium Dei viui, ipsius se fidem susceptutum, dimisso deorū cultu, si victoriam contra hostes indulgerer. Itaque eodem instanti terga vertentib. Alamannis, gloriosissima potitus victoria, qua Regem ipsorum interemit, ac reliquos suæ subiecit ditioni, paulo post, eadem a gente Clotilde, à S. REMIGIO Episcopo Rhemensi de voto exoluendo solicitatus, libenter autem præbens, solicitare & ipse prius suos Francos voluit se sū Christianam fidem amplecti, qui, etiam antequā ipse loqui inciperet, præcurrente potentia Dei, omnes pariter acclamarunt: *Mortales Deos abiecimus, pie Rex: & Deum quem Remigius prædicat immortalem, sequi parati sumus.* Quæ rite paratis omnibus, rex prior popposcit se baptizari, cui ad baptismum ingresso infit Remigius: *Mitis depone colla Sicamber; adora quod incendisti, incende quod adorasti.* ac postmodum idem baptizatus est, ac sacro chrismate delibutus; & vna cum ipso, soror eius *Albofledis*, & magna pars exercitus. Hæc quidem quæ res ab eo gestas sunt prosecuti testātur, ac præcipue antiquior cæteris historicis Gregorius *b* Turonēsis. Verum & in eius dem Regis conuersione laborasse pariter S S. Vedastum *c* Episcopum Atrebatensem, atq; Solemnē *d* Carnotensem, editis etiam in fidei confirmationem nonnullis miraculis, alij auctores tradunt. At præ cæteris S. Remigio conuersionis eius populi, ac Regis, est gloria tributa; ipseq; peculiariter FRANCORVM APOSTOLVS appellatus. Nam & Hormisda Papa in literis *e* postea ad eum datis, cum ei per vniuersum regnum vices suas credidit, testatus est ipsum plurimis & Apostolorum temporibus æquiparandis signorum miraculis, Clodoueum Regem cum tota eius gente conuertisse.

Sed quod ad miracula spectat, tunc diuinitus facta, duo præ cæteris ab auctoribus rerum Francicarū eximia recensentur: Vnum quidem, cum *f* ante baptismum Regis, instruente aliquando eum Remigio coram omnibus aulicis, repente lux copiosa totum repleuit locum, vt claritatē Solis euinceret, & cū luce vox pariter est audita, PAX VOBIS, EGO SVM, NOLITE TIMERE; MANETE IN DILECTIONE MEA; ac post hæc recedente luce, incredibilis suauitatis odor in eadē domo remansit, vt enidēter ostenderetur, illuc auctorē lucis, pacis, & suauitatis venisse, quē nemo eorum qui aderant, præter ipsum S. Remigium, fulgore luminis perculsi intueri valuerūt, tantaq; claritatis gloria sanctum Episcopum perfudit, vt splendor ex eo procedens magis conspicuam domū reddiderit, quam lucernæ ibidem lucentes. Alterum autem nō minus insigne miraculum ipso baptismi tempore contigit, cum videlicet *g* AMPVLLA Chrismatis, ore colūbæ (figura est hæc Spiritus S.) cælitus aduenientis allata est, quatū fons motē solito, tum etiam rex ipse sacratus est, cuius exemplo successores Francorum reges eiusdem cœlestis Ampullæ perenni, nec vnquam deficiente sacro oleo hactenus consueuerunt inungi. Huiusmodi namq; tam ingentibus signis plane innotescere debuit, quantæ molis esset VT REGES FRANCORVM cum populo suo Christianæ Religioni adnecterentur, columina Ecclesiæ Catholicæ, Sedisq; Apostolicæ, postea futuri. Baptizatū autem Regem, alios q; Francorum magnates, plurimas bonorum possessiones per diuersas prouincias Remigio tradidisse, iidem auctores scribunt, easq; Remigium Ecclesiis distribuisse, ne Franci eum rerum temporalium cupidū esse, & ob id ad Christianitatem eos vocasse putarent, ac propterea fidē CHRISTI ad sacerdotium vilipenderent. Asseritque insuper ipse Remigius in Testamento suo Regem factum Christianum mox cuncta quæ fuerant belli tempore Ecclesiis ablata, restitui voluisse, addidisseque iisdem alia magni pretij bona. Atde his m[illegible] statuto satis.

a Hincm. in Vit. S. Remi ap. Sur. 13 Ianuar. CLODOVEI REG. FRANC. CONVERSIO.

b Greg. Tu. l. 2. de gest. Franc. cap. 30. 31.

c Albin. Flac. in Vit. S. Vedast. ap. Sur. 6. Febr.

d Sigeb. in Chron. an. 490.

e Ext. in vi. S. Remig. ap. Sur. 13. 15. Ianuar.

V.

f Hincm. ib. INGENTIA MIRACVLA IN CONVERSIONE ET BAPT. REGIS.

g Hincm. ib. Aimoin. de gest. Franc. & alii. AMPVLLA CAELITVS MISSA.

DONA ECCLESIIS COLLATA.

Hoc eodem anno, quamuis conflatum in Ecclesia Romana Schisma, per Synodum nuper celebratam videri potuisset esse sedatum, acerbiori tamen denuo conatu recruduit, dum Symmachi Papæ aduersarij calumnioſe agentes, eundem maximis quibusq; criminib. apud Theodoricum Regem accusarunt, id præcipue agentibus Festo & Probino Senatoribus: à quibus occulte Laurentio schismatico in Vrbem reuocato, iterum diuisus est tam Clerus quā Senatus, plurimæque cædes & bonorum expilationes factæ. Quando & illud eorundem suggestione Senatorum contra canones factum est, vt Rex Visitatorem mitteret Apostolicæ Sedis, *Petrum* Altinæ ciuitatis Episcopum, qui de criminibus Symmacho impositis cognosceret. Hæc Anastasius *a* Bibliothecarius, qui tamen errat, dum ait ea cōtigisse quarto anno ab electione Symmachi. Nam hoc ipso primo eius anno gesta esse, cum adhuc Theodoricus Rauennæ se contineret, quo libellus accusationum ad eum missus habetur; Cassiodorus *b* certissimā fidem facit, dum anno proximo eiusdem Regis aduentum in Vrbem recenset. Ad quartum autem annum referenda est Symmachi facta in Synodo, Palmari dicta, plenior purgatio, de qua suo loco dicturi sumus. Historiam autem Visitatoris à Theodorico missi, fusius descripsit Ennodius diaconus in libello defensorio Symmachi aduersus ipsius calumniatores: in quos acriter inuehitur, quod ausi essent Visitatorem à Rege postulare Romani Pontificis, quem (vt ait) *Deus suo fine quæstione reseruauit arbitrio; voluitque Beati Petri successoris cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimi discussoris indagini inuiolatam exhibere conscientiam; ipsis vero quicquid vbique Fidelium est submisit.* Vnde & Acta ipsa Palmaris Synodi testantur, hæc de Visitatore gesta esse *contra religionē, contra statuta veterum, contra regulas maiorum.* Sed quæ inde secuta sunt, dicentur postea suis locis.

VI.

LAVRENTIANI VISITATOREM ROM. ECCL. PETYNI.

a Anast. in Symmach.

b Cassiod. in Chron.

c Quæ sequuntur excerpta sunt partim ex anno seq. partim ex 502. RO. PONT. NVLLVM IN TERRIS SVPRA SE IVDICEM HABET.

IESV CHRISTI ANN. 500.

SYMMACHI AN. 2.

ANAST. IMP. 10. THEOD. REG. 8.

ANno Domini quingentesimo, Patricio & Hypatio Cos. Rex Theodoricus (vt scribit Cassiodorus *d*) cunctorum voto expetitus, Romam aduenit. Cum enim qui essent Romæ Catholici, & tuerentur causam legitimi Ecclesiæ Romanæ Pontificis, rei iniquitatem exhorrescentes, nempe missum à Rege Visitatorem aduersus Symmachum, eundemq; contra expressum Regis mandatum, (vt docet Ennodius in libro defensorio Symmachi) insalutato Symmacho, parti Schismaticorum adhæsisse, apud absentem adhuc Regem egissent, vt sineret res Ecclesiæ Romanæ, more maiorum, absq; ignominiæ nota in Synodo tractari: annuit iis Theodoricus, idemq; considerans haud fore Synodū absq; coercitione securum, præsentiam suam dilatam hactenus, opportuno tempore Vrbi ciuili bello periclitanti exhibere necessarium esse putauit. Quid vero de Synodis actum fuerit, dicetur annis sequentibus.

I.

d Cassiod. in Chron. THEODORICI REG. ADVENTVS IN VRBEM AD TOLLENDVM SCHISMA.

Interim autē ipsum Regem cōciliasse sibi Regia munificentia Senatū populumq; Romanum, Cassiodorus est auctor. Sed & ipsum vicissim magnis officiis abiisdem frequentatū esse, cum ex aliis intelligi potest, tum ex Rebus gestis Fulgentij; quem hoc ipso anno contigit pariter ex Sicilia nauigare in Vrbem ad visitanda sacra Limina, repetiitq; noui Regis aduentu populum exultantem. Inde vero reuersus in Africam, arridente tunc temporis pace Ecclesiis sub Trasamundo Rege, monasticam vt prius exercuit disciplinam, eandemque in alios latius propagauit. Quo modo autem Ruspensis creatus fuerit Episcopus, dicetur suo loco.

II.

e Ap. Sur. 1. Ianuar. S. FVLGENTII ADVENTVS ROMAM, ET REDITVS IN AFRICAM.

IESV CHRISTI ANN. 501.

SYMMACHI ANN. 3.

ANAST. IMP. II. THEOD. REG. 9.

I. THEODO. DE SEDE APOSTOL. E. NEMEBATVS.

ANno Domini quingentesimoprimo, Auieno Seniore atque Pompeio Coss. Romæ Schismatici reuerti præsentiam Theodorici Regis, omnia ex æquo agentis, æstuantes licet furore, ab insultibus siluisse noscuntur. Cum idem Rex ad omnia pacificanda, per Symmachum Papam egit vt Episcopi ad Synodum conuocarentur: qui hoc anno eiusdem Pontificis literis commonefacti, sequenti Romam aduenerunt. Hæc enim ita se habuisse, ipsumq; Regem, tametsi importunis schismaticorum studiis solicitatum, reueritum tamen Sedis Apostolicæ culmen, (quod admiteris in barbaro Gotho, & hæretico Ariano) protectorem se potius illius, quam persecutorem exhibuisse; docent Acta Synodalia sequentis anni.

II. ANAST. IMP. SAEVIT IN CIVES CONSTANT.

Ex altera vero parte Anastasius Imperator, cum se specie tenus Orthodoxum profitens, hæc omnia mala in Romanam Ecclesiam per Festum Senatorem inuexisset, haud diutius ferens se à populo Constantinopolitano, Catholicæ fidei defensore, dicteriis & contumeliis palam vt hæreticum iactari: eundem ad spectacula ex more intuenda in theatro clausum inermem, prosilientib. repente militibus enecari iussit: qua clade cecidisse vltra numerum trium millium, Marcellinus sub huius anni Coss. refert. Felices omnes, & inter martyres recensendi, nisi labefactati fuissent Acacij ipsorum antecessoris Episcopi communione. Ad eamq; cladem pertinet, quod Theodorus *a* Lector subdit; contra seditiones populi quæ aduersus Imperatorem fiebant, hoc ipsum excogitasse, vt Eparchus ciuitatis Litanias populi sequeretur cum armatis militibus, timentem scil. zelum eorum qui pro Synodo Chalcedonensi incursiones faciebant: & hoc deinceps in consuetudinem abiisse.

a *Theod. Lect. Collect. lib. 2.*

IESV CHRISTI ANN. 502.

SYMMACHI AN. 4.

ANAST. IMP. 12. THEOD. REG. 10.

I. CONC. PALMARE, DE ABSOLVTIONE SYMMACHI PP. b *Anast. de Rom. Pont. in Honor.*

ANnus Christi quingentesimus secundus, Auieni Iuniotis ac Probi Consulatu à Marcellino & Cassiodoro notatur in Fastis, licet in Actis Synodalibus, de quibus mox, loco Probi Rufus reperiatur inscriptus. Quo anno, decimo Calendas Nouembris habita est *Romæ* Quarta SYNODVS sub Symmacho Papa centum quindecim Episcoporum, inter quos sedium prærogatiua, & vitæ sanctitate, atq; egregia nauata opera, cæteris eminuere *Laurentius* Mediolanensis, & *Petrus* Rauennas. Fuit vero eadem cognominata *Palmaris*, à loco vbi habita est, nempe à porticu basilicæ S. Petri, quæ *b* Palmaria dicebatur.

II. *c To. 2. Concil. in Symmach.* [Edidit vero emendatiora Baro. hîc an. ex ver. cod. Crescon. Sed tamen de istarum Synodorũ distinctione, videtur esse vt ab eo nonnihil dissenti, iam tunc quis possit quomodo obiter nouisse ut ficiat.] *Anast. in Symmach.*

Ex eius porro Actis quæ extant *c*, patet ante eiusmodi Palmarem Patrum Conuentum, duas alias ab iisdem Episcopis habitas SYNODOS, (siue potius Synodales Actiones dixeris) quarum prior in basilica Iulij, posterior in basilica Hierusalem dicta in atrio posita Sessoriano, celebrata est. Porro rerum in iisdẽ duabus gestarum monumẽta penitus exciderunt, quarum duntaxat mentio habita reperitur in Actis Palmaris. Cuncta vero in vnũ conflans Anastasius *d* bibliothecarius, ait Symmachum à Synodo declaratum esse innocentem à criminibus, quæ in ipsum Schismatici obiiciebant; Petrum autem Altinensem, Vitiatorem à Theodorico missum, damnatũ fuisse, quod iudicium sibi in Romanũ Pontificem arrogare præsumpsisset: itidemq; damnatum esse Laurentium schismaticum, quem à suis in Vrbem reuocatum vidimus. Agit quoq; de his Ennodius *a* pluribus in Apologetico pro hac eadem Synodo Palmari conscripto. Additque Theodorus *b* Lector, Laurentium non solum depositum fuisse, sed & in exilium missum.

a *Ennod. libel. pro Synod.* b *Theod. Lect. lib. 2.*

III. QVOD CRIMEN SYMMACHO OBIECTVM.

Quodnam vero fuerit crimen à Schismaticis obiectum Symmacho, cum nulla vllibi aperta habeatur mentio, eodem tamẽ Ennodij Apologetico, dum vnum è multis aduersariorũ refert argumentum, dicentium se cœlestis mandati memores, partẽ suam à consortio adulteri subduxisse, itemque alio decreto, ab ipso pariter Ennodio Episcopi sui nomine scripto, quo omnes presbyteri & diaconi iussi sunt habere contubernales, quos vocant *Concellaneos*, seu cellulanos præsentes testes: his, inquã, satis datur intelligi, ipsum sanctissimum Pontificem pulsatũ fuisse enormi crimine adulterij. Ideoq; iussos esse ab ipsomet Pontifice, vel Synodo, Episcopes omnes, contubernales clericos habere, vitæ suæ actumq; testes, ad amoliendas maledicorum calumnias. Episcopos autem æque presbyteris ac diaconis suarum diœcesum præcepisse, vt ipsi quoque sine aliorum contubernio nõ essent. Sed quæ in Symmachi fuere transacta absolutione, fusius tractantur in Actis Synodi. In quibus & multa alia obserues de summa auctoritate Romanorum Pontificis, & audaciam admiteris schismaticorum, qui ipsum Symmachum, ad conuentum Sessorianum pergentem, in via circumuentum, lapidibus appetierunt, & presbyteros qui cum ipso erant vulnerauerunt; imo & multos occisos esse, Anastasius asserit, nec quidem solum ex presbyteris, sed ex quibuscumq; aliis qui cũ Symmacho communicabãt; adeo vt etiam sanctimoniales mulieres & virgines foras extractæ, denudataq; publice verberarentur, quos quidem omnes martyrij, confessionisque corona dignos fuisse, Ennodius significat. Econtra vero laudanda prorsus est modestia Theodorici Regis, licet Arianæ hæretici, qui à Patribus consultus quid vellet agi in causa Symmachi, ita respondit, *In Synodi esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere; nec aliquid ad se prater reuerentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere*: sicut nõ solum ex Actis Synodi, sed etiam ex literis *e* constat ipsius Theodorici, & commonitoriis ad Episcopos congregatos directis: ex quibus erubescendi habeant occasionem Principes Catholici, qui aliter sibi cum Sacerdotibus Dei agendum autumant.

THEODORICI MODESTIA.

Haud tamen putes eundem Theodoricum ex his meruisse, vt à Patribus (prout habetur in iisdem Actis) vocatus fuerit *Pius* vel *Sanctus*, secundũ variam lectionem, sicut nec alij æque hæretici, vel alias impij Principes, cum iisdem; vel etiam splendidioribus titulis, in Synodorum Actis, vel aliis monumentis antiquis insigniti à Catholicis reperiuntur. Eiusmodi namque prorsus indignos titulis, hæreseos vel impietas ipsos effecerat; nec existimandũ est, eapiissimos Præsules adulatione ipsos demulcere voluisse. Sed in more fuit etiam antiquis sanctissimis Episcopis Ethnicos quoq; Principes titulis illis honoris nuncupare, quibus consueuerant à suis insigniri, adeo vt non pios tantum & sanctos, sed *& sanctissimos* appellauerint, sicut à Dionysio *d* Alexandrino Valerianum & Gallienum Imperatores nominatos esse constat, alioſque item ab aliis, idque exemplo Apostoli Pauli *e*, cum nefarium hominem, Præfecturam tamen gerentem, consueta nomenclatura *Optimum* vocauit Felicem. Cum & alioqui ex proprietate quoq; vocis, eiusmodi nomenclaturam sustineri posse, indicet Cicero *f*, dum ait, suo iure Ennium sanctos appellasse poetas, quod quasi diuino aliquo dono atq; munere commendati nobis esse videantur. Quare si quod à Deo datum creditur, sanctum dicitur, cum constet ex Christianæ legis præscripto, Principes etiam malos à Deo *g* dari in vltionem peccatorum, hac quidem ratione, potuerunt illi nominari sanctissimi.

IV. TITVLI NON EX MERITIS, SED EX COMMVNI VSV DARI SOLITI.

Sed vt ad Synodum reuertamur, sciendum est, eam quæ habetur notata titulo, *Tertiæ Synodi sub Symmacho*, huius de qua agimus esse actionem habitam post dies quatuordecim, nempe (vt ipsa Acta indicant) octauo Idus Nouembris in basilica S. Petri sub eodem Consulatu Auleni Iumonis. Sed & ne quis errorem irrepsisse in Consulis nomen causari possit, ipsa facta ab eodem Symmacho præloquutio con-

c *Rec. Bar. Annal. Tit. V. I. hic an. accepta à Nic. Fabr. Part. 2.*

V.

tam

ram Synodo de rebus ab ipsis Patrib. in præcedenti Actione tractatis, id aperta luce demonstrat. In ea vero Actione Symmachus decretum illud vere Apostolicum stabiliuit, quo ab electione Romani Pontificis laicorũ præsumptio, quauis fulta regia potentia, arceretur. Adiecitq; decretum de Bonis Ecclesiasticis non alienandis, cassa penitus reddita ea constitutione, quam rex Odoacer de iisdem sancire præsumpserat, bona licet, non tamen bene decernente. Atque ita, qui in sua ipsius causa, summa humilitate cessit iuri suo Symmachus Papa, subiiciens se sponte Episcoporum sententiæ, quam non tenebatur excipere; (vt expresse etiam testata est Synodus:) idem cum Ecclesiæ causa ageretur, erexit se supra Principes; non in iis tantum quæ modo diximus, sed precipue dum in eadem Synodo aduersus Anastasium Imperatorem hæreticum anathematis sententiam protulit. Cuius rei licet Acta Synodalia desiderentur; patet tamen illa ex eiusdem Pontificis literis ad ipsum Imp. anno sequenti datis.

DE NON ALIENANDIS BONIS ECCL.

ANAST. IMP. EXCOMMVNICATVR A SYMMACHO PP.

VI.

Hoc eodem anno, sub Consulatu videlicet Probi, data reperitur eiusdem Symmachi Papæ epistola ad Cæsarium Episcopum Arelatensem, qui more maiorum eundem Pontificem consuluerat de nonnullis, quę ex eadem ad illum reddita epistola nota fiunt: atque inprimis illud, ne Possessiones Ecclesiæ distrahantur; nisi forte clericis, vel monachis, aut peregrinis concedantur ad tempus, reuersuræ eædem postea ad Ecclesiam. Ex quibus possumus intelligere BENEFICIORVM Ecclesiasticorum originem. Etenim cum solerent clerici ab Ecclesia per Episcopum mensibus singulis victus causa meritam stipem accipere, vt ex S. Cypriano alibi diximus; postea factum est, vt eorum aliquibus Ecclesiæ possessiones quoad viuerent ab ipso Episcopo concederentur; quæ *Beneficia* dici cœperunt, eo quod (vt habet Symmachus in ea epistola) benemeritis tantummodo eas concedi liceret.

BENEFIC. ECCLES. ORIGO.

VII.

DE CÆSARIO EPISC. ARELAT. [De quo Baron. an. 453. occasione Concilii Arelaten. III. quod putarat eo anno celebratum]

Quod vero ad ipsum *Cæsarium* spectat, fuerat is nuper ex monacho Litinensi ad nobilissimæ Ecclesiæ Arelatensis administrationem euectus, ob eximiam claritud nem tam ex doctrina quam ex vitæ sanctitate comparatam: cui nec profuere latebræ sepulcrales, quin inde traheretur inuitus ad regimen episcopatus; subrogatus nimirum in locum Leontij, qui sederat post Eonium, Rauennio Hilarij successori substitutum. Extat *a* Res eius præclare gestæ, ab ipsius discipulo Cypriano scriptæ ad S. Cæsariam, illius sororem virginem Deo dicatam, quam idem Cæsarius primum in Massiliensi monaster o excoli voluit monasticis institutis, indevero Arelatensi à se constructo præfecit monasterio virginum: ad quam etiam, reliquumq; clerum Ecclesiæ Arelatensis conscriptum extat *b* per modum epistolæ ipsius Cæsarij Testamentum. Eiusdem vero sanctissimi atque doctissimi viri exciderunt nobilissima monumenta; vixque reliquæ sunt quadraginta ex homiliæ diuersis temporibus dictæ: ad quas prouoco Gallos illos, qui turpiter à fide refugæ, ad hæreticos transfugæ defecere. Videant quæ de Catholicis dogmatibus senserit tantus doctor, miraculisque consignata reliquerit: hoc potissimum tempore, quo Franci in Galliis regnantes eandem fidē Catholicam, in qua & baptizati sunt, acceperunt. Addantq; insuper quæ alij nobiles eiusdem sæculi Scriptores Ecclesiastici itidem Galli gentiles sui, Prosper Aquitanus, Hilarius Arelatensis, Saluianus Massiliensis, Eucherius Lugdunensis, Claudianus Mamertus & Alcimus Auitus Viennenses, Sidonius Aruernus, & alij suis scriptis, vitæq; sanctitate, ac miraculorum virtute egregie reliquere testata; in omnibus consentientia illis quæ longe antea diuersis temporibus Hilarius Pictauiensis, Irenæus Lugdunensis, atque Dionysius Parisiensis, omnes sanctissimi Episcopi iisdem tradidissent.

VIII.

CÆSARIVS NON FVIT MONACHVS S. BENED.

Sed quod rursum ad Cæsariũ spectat, peruenisse illum vsque ad annum Domini quingentesimum quadragesimumquartum, certissimis auctoritatibus demonstrabitur inferius. Longe vero errat Trithemius, siue alij qui eum ad posteriora tempora retulerunt, vt sibi vendicent inter monachos Ordinis S. Benedicti; cum tamen longe ante eum Ordiné institutum, ipse Episcopus factus fuerit: siquidem S. Benedictus nonnisi anno Redemptoris quingentesimo vigesimonono in Cassino monte cœpit Ordinis sui fundamenta iacere. Cum autem Trithemius citet eiusdē Cæsarij Sermonem tertium, quo se profitetur S. Benedicti esse discipulum; nihil tale in Sermonibus Cæsarij recens editis potui reperire: quod si in aliquo tamen codice inueniretur, alterius potius auctoris existimandus est sermo. Fuisse vero ipsum professorem antiquissimi ac celebertimi cœnobij Insulæ Litini in Gallia Narbonensi sub Porcario Abbate, & prædicta eius Vitæ Acta germana testantur, & ipsemet profitetur homilia vigesima ad monachos. Sed quod frequens sit apud Venantium *a* Fortunatum de eiusdem Cæsarij Arelatensis Regulis editis de Vita Monastica, nec extent illæ quidem: putamus eas in S. Benedicti monastica instituta receptas, sicut & ipsum Lirinense cœnobium, cuius idem alumnus fuit, vsui tandem cessit monachorum eiusdem Ordinis. At de S. Cæsario modo satis, alias inferius de eodem dicturi.

De qua Baron. an. 453. & variis aliis locis, vbi de Cæsario agere contigit.

a Ven. Fortun. lib. 5. & 8. car. Illam vero obseruationem habet Baron. an. 508. vbi plura de rebus Cæsarij.

IX.

Hoc pariter anno Bulgaros iterũ deprædatos esse Thracias, nullo Romanorum milite resistente, Marcellinus tradit. Verum Anastasius Imp. (quem non ferro, sed auro, infestos barbaros propulsare cõsueuisse, Suidas testatur) eosdem persoluta pecunia ab Oriente conuertit in Occidentem, quos post annum sequentem Theodoricus Italiæ rex vicit, recepitque Pannoniam Sirmiensem, quam coniunxit Italiæ; vt Cassiodorus *b* affirmat, confirmatque Ennodius Ticinensis in Panegyrico tunc in laudem Theoderici dicto; vbi & Bulgarorum ferociam roburque bellicum exaggerãs, eam præ cæteris Theodorici victoriis celebrat. Cuncta namque ei bene cedere, dum licet Arianus, nihil voluit imminutum rursum ecclesiæ Catholicæ ac Romani Pontificis.

BVLGARI VICTI A THEODORICO.

b Cassiod. in Chro & lib. 3. Var. 23.

X.

Huius deniq; anni Coss. Amidam, validum Romanorum præsidium in Mesopotamia, à Cabade Persarum rege, post sex mẽsium obsidionem, monachorũ proditione captum, idem Marcellinus tradit. Sed hoc bellum Persicum, eandemque obsidionem fusius prosecutus Procopius *c*, non proditione, sed ignauia monachorum Amidam captam esse dicit. Eaque obsidione accidisse ait, vt cum aliquando Iacobus Syrus eximiæ sanctitatis & abstinentiæ anachoreta, inclusus habitans prope Amidã, à quibusdam Persis sagittis impeteretur, diuino portẽto manus eorum, atque, immobiles visi sint consistere: cumque ad tantum miraculum ipse rex Persarum accurrisset, Iacobus eius annuens precibus, solo verbo barbaris pristinũ membrorum vsum restituerit: concessitq; Rex Iacobo, vt quicunq; eo bello ad eum confugerent, salui essent à suis.

c Procop. de Bell. Pers. lib. 1.

MIRACVLA IACOBI SYRI ANACH.

IESV CHRISTI ANN. 503.

SYMMACHI AN. 5.

ANAST. IMP. 13. THEOD. REG. 11.

I.

ANnus Christi quingentesimus tertius, Dexecrato & Volusiano Coss. notatur à Marcellino; ex quo librarij redarguas errorem in Cassiodoro, apud quem omissus anni huius reperitur horum Consulatus. Acta autem Synodalia absque certo Consule, Post Consulatum Auieni notata leguntur, sed male Indictione nona, cum vndecima scribenda esset.

II.

Ob perturbatum namque Romanæ Ecclesiæ statum à schismaticis Laurentianis, qui aduersus sententiã absolutionis Symmachi Papæ, à Synodo Palmari superiori anno pronunciatam, compiura scripto libello obiiciebant; iterum *conueniendi Romam* apud S. Petrum necessitas Episcopis incubuit, ad tuenda confirmandaque sua ipsorum decreta. Qui & insuper maximi ponderis prouinciam Ennodio diacono Ticinensi tradiderunt, vt aduersus schismaticorum obiectiones apologiam scriberet: & cum id ipse fortiter & accurate præstitisset, iidem defensorium illum

CONC. RO. V. SVB SYM. PRO CONFIRMATIONE PALMARIS.

IESV CHRISTI AN. 504.

SYMMACHI AN. 6.

ANAST. IMP. 14.
THEOD. REG. 12.

ANno Christi quingentesimo quarto, Cætheo Consule (seu potius Cethego, ad quem Romanæ Vrbis Senatorem amplissimum extant Ennodij Ticinensis literæ) Sexta ROMANA sub Symmacho SYNODVS habita creditur; celebrata ipsa quidem Calendis Octobris apud S. Petrum. In qua sancitum est, vt vendicantes sibi indebite Bona Ecclesiastica, siue mobilia, siue immobilia, nisi ea restituerent, velut hæretici manifesti deberent anathematizari: eaq; sententia declaratum est teneri omnes, qui facultates Ecclesiæ sub specie regiæ largitatis obtinuissent, eo quod Regum non sit decernere de Bonis Ecclesiæ. Porro non spreuisse, sed paruisse Theodoricum Regem Concilij decreto, satis intelligitur ex iis quæ postea rescripsit [a] pro conseruandis illæsis Bonis Ecclesiatum Mediolanensis atque Narbonēsis, & ex aliis quæ pro defensione Bonorum & Iurium Ecclesiarum sanxisse reperitur. Præstitit enim plane Arianus Princeps, quæ in pluribus desiderari possint Regibus Catholicis, sed consecutus est à Deo in hac vita præmium, ex compensatione frequentium in hostes victoriarum.

Qui & insuper his ipsis temporibus rescripsisse [b] reperitur aduersus eos qui magicas artes in Vrbe exercebant, ac præcipue in eorum coryphæos Basilium & Prætextatum viros illustres, quos è carceribus elapsos vbique perquiri iussit. Sed Basilium S. Gregorius [c] narrat in monachico habitu fugientem Valeriam prouinciam petiisse, ibiq; opera Episcopi Amiterni (qui Synodis nuper à Symmacho Papa celebratis interfuisse reperitur) ab Equitio Abbate licet inuito susceptum, paucisque post diebus consueta maleficia intra monasterium exercere deprehensum, inde turpiter eiectum esse, ac tandem in Vrbe Roma, exardescente zelo Christiani populi, igne crematum esse. Quæ pluribus prosequitur Gregorius, occasione miraculorum prædicti *Equitij* Abbatis; qui accepto diuinitus munere prædicandi Euangelij, illud in signis & virtutibus exercuit, multaq; monasteria erexit.

Hoc item anno Persecutio Wandalorum in Catholicos, per Trasamundum hactenus pacificum Regem in Africa excitata est, & Episcopi in Sardiniam deportati: quæ licet ante sex annos, Consulatu Paulini atq; Ioannis contigisse narrentur à Mariano Scoto, haud ignobili Chronographo; tamen qui his temporibus vixit, & comes exilij S. Fulgentio affuit, Syncellus [d], dum in eius Vitæ Actis, accurate & fideliter scriptis, ab annis Episcopatus ab eodem assumpti, tempus huius persecutionis assignat, satis indicat eam hoc ipso anno accidisse. Quo quidem Africani Antistites simul coeuntes, cum prospicerent quod quamuis finerentur ipsi suis præesse Ecclesiis, quia tamen vetitum erat à Rege nequis in locū defuncti subrogaretur, breui fore vt desolarentur omnes Ecclesiæ (nam & eo consilio ista præceperat Trasamundus, vt absq; exerto ad persequendum gladio, ipsæ Ecclesiæ pastoribus orbatæ sponte concíderent:) vna omnes sententia constituerunt, vt cunctis Ecclesiis vacantibus Episcopos ordinarent; idque confestim opere expleuerunt, quando & *S. Fulgentius* frustra ad tempus latitans, ex Abbate monachorum inuitus creatus est Episcopus nobilis Ecclesiæ Ruspensis; cū tamen haud vnquam destiterit in victu & habitu rigidam obseruare monasticam institutionem. Horum autem omnium certior factus Trasamundus, decreuit cunctos Episcopos in Sardiniam insulam relegandos: quos sexaginta & eo amplius numero fuisse, idem qui supra Syncellus ait. Atipsum agere tantum de Byzacenæ, in qua sita erat Ruspa, non etiam de aliarum Africæ prouinciarum Episcopis, facile apparet ex eo quod numerēt alij Africanos Episcopos in Sardi-

I. CONC. ROM. VI. SVB SYMMAC. ADVERS. DETENTORES BONO. ECCLES.

[a] Vid. Cassiod. 2. Var. 8. & 29. & lib. 4. ep. 17.

II. MAGI ROMÆ PERQVISITI.

[b] Ap. Cassiod. 4. ep. 22. & 23.

[c] Greg. 1. Dialog. 4. S. EQVITIVS ABBAS.

III. EPISCOPI AFRIC. IN SARDINIAM DEPORTATI.

[d] Ap. Sur. 1. Ianuar.

[e] Mosc. lib. 15.

EVLOGIVS CREATVS EPISC. RVSPENSIS.

SAOUR SNOUR

[a] Ext. tom. 1. Conc. in Symmach.

ab eo elucubratum libellum [a], non solum comprobarunt, sed etiam inter Synodalia pontificiaq; iusserunt adnumerari decreta, vt declarant ipsa Acta Concilij. Rogantibus vero Patribus, vt omnes accusatores Symmachi damnarentur, vna cum iis qui contra Synodum Palmarem obloqui præsumpsissent, obstitit Symmachus, & vt eis penitus ignosceretur suasit. Idem tamen veteta Ecclestastica iura restituenda proposuit, quibus caueretur ne populus in Episcopum, in pastorem oues, ipsum accusando insurgerēt, excepta causa fidei. Addidit q; ad decretum, ante restituendos esse in pristinum expoliatos Episcopos, quam dicere causam coram aliis Episcopis cogerentur.

III.

His & aliis stabilitis, subscripserunt omnes Episcopi numero (vt habet inscriptio) ducenti decem & octo. Quod vero centum & quinquaginta ferme numerentur Orientalis Ecclesiæ; alicuius alterius Synodi longe antea celebratæ eam esse subscriptionem, non Romanæ, certum est, siquidem ibi quamplurimi recensentur, qui interfuisse leguntur Concilio Oecumenico Chalcedonensi, ante annos quinquaginta duos celebrato, quorum nulla penitus alibi post decem annos à tempore dicti Concilij mentio reperitur. Accidit autem ex optato, vt post hāc Synodum, Ecclesiæ Romanæ concordia redderetur; cum, vt ex eiusdem scriptis Ennodij colligere fas est, iidem schismatici suasione Theodorici Regis ad eos scribentis, Symmacho se tandem subiecere.

PAX REDDITA ECCLESIÆ ROM.

IV.

Haud vero reticendum quod S. Gregorius [b] Papa scribit de *Paschasio* Romanæ Ecclesiæ diacono, eximiæ sanctitatis & doctrinæ viro, cum ipse Laurentio schismatico vsq; ad diem sui exitus adhæsisset, quamuis post ipsius obitum, dæmoniacus tactu eius dalmaticæ feretro superimpositæ sanatus fuisset, nihilominus ipsum in pœnam participationis schismatis, deputatum à Deo fuisse seruire ad tempus in Angulanis thermis, sed orationibus S. Germani Capuani Episcopi liberatum fuisse. Verum quod ait, Paschasium etiam post Synodale iudicium perstitisse in partibus Laurentij vsque ad obitum, excluse intelligendum est, atq; in ipso exitu facti pœnituisse, cum omnium sit receptum assensu, non posse in cœlum admitti, qui in terra separatus ab Ecclesia decesserit.

[b] Greg. 4. dialog. 40. PASCHASIVS DIAC. IN PVRGAT. CONSTITVTVS MIRACVLA EDIT. *Qua quidē habet Baro. an. 498.*

V. CALVMNIÆ ANAS. IMP. IN SYMMACHVM PAP.

Porro licet hic finis fuerit Schismatis Laurentiani, haud tamen cessarunt calumniæ in Symmachum. Siquidem Anastasius Imperator, quem vidimus ab eodem Symmacho anathemate damnatum, cum nullam alio modo videret sibi licere de illo experiri vindictam, ad maledicta conuersus, composuit in eum contumeliis refertum libellum: contra quem ipse Symmachus egregiam scripsit apologeticam Epistolam [c], qua etiam rationem reddidit illatæ in Imperatorem excommunicationis sententiæ. Quod autem ex eadem constat, ipsum ab Anastasio infamatum fuisse hæresis Manichæorum, quam id calumnioſē, satis apparet ex Libro de Romanis Pontificibus, vbi traditur ipsum Manichæos Romæ repertos exilio relegasse, eorumque simulacra & codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremasse. Contra vero ipse Anastasius Imp. omnium Græcorum historicorum testificatione eo crimine infamatur: vnde nō mirum si ipsum Symmachus eadem epistola Manichæorum patronum appellet.

[c] Ext. in Bibl. Patr.

VI. CLADES IMPERII EXHÆRESI IMPERATORIS.

Quod ad res bellicas pertinet, sub huius anni Cos. Marcellinus ponit Romanum exercitum à Persis cæsum fuisse, sed ab eis immenso auri pondere pacem Anastasium redemisse, Amidamque oppidum recuperasse. Itemque eodem tempore alios barbaros, nempe *Barros*, Pontum inuasisse, Theodorus Lector tradit. Ex quo enim Ecclesiis Anastasius bellum indixit, barbari vndique in eum bella concitauerunt. Addit vero idem auctor, eundem bellis occupatum, ab infestatione Orthodoxorum destitisse, sed vt modicum quietis à bellicis occupationibus accepit, rursus contra Ecclesiam armatum esse.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

Sardinia exules ducentos viginti, alii *a* etiam ducentos viginti quinque: cum & insuper alios quoque in alia Africæ aspera loca deportatos esse constet. Erga quos omnes eluxit Symmachi Papæ fraterna charitas, dum (vt scribit Anastasius Bibliothecarius) omni anno per Africam vel Sardiniã Episcopis exulib. pecunias & vestes ministrauit. Inter alios autem Africanos Episcopos huius temporis confessione decoros, adnumerandus est *Primasius*, & ipse doctrina insignis, qui libris quinque minute & diligenter (vt ait Cassiodorus *b*) Apocalypsim Beati Ioannis exposuit.

a *Sigeb. Marian. Scot. in Chron.* PRIMASIVS EPISCOP. AFRIC.

b *Cassio. Inst. diu. lect. c. 9.*

IV. TRANSLATIO CORPORIS S. AVGV. IN SARDINIAM.

Hoc vero etiam plane tempore accidisse perhibetur, vt Hipponensis Episcopus, & alii prouinciæ Numidiæ sacerdotes, ferrent secum venerandum corpus magni illius totius Ecclesiæ Catholicæ magistri, Aurelii Augustini Hipponensis olim Episcopi, simulque eiusdem sacri verticis ornamentum Mitram Episcopalem, & Episcopatus insigne Baculum pastorale; sed & alias plures eueherent Sanctorum Reliquias, cum iam nulla spes reliqua videretur restituendæ in Africa Ecclesiæ, tot ac tantis adeoq; frequentibus persecutionibus agitatæ. Cuius quidem tunc temporis factæ corporis S. Augustini translationis in Sardiniam, alteriusque post longa tempora ab ea insula Ticinum sub Luithprando Longobardorum Rege, historia, cum plures eius sint testes, nobiliori illo monumento consignata relinquitur, quo Oldradus Mediolanensis Episcopus Carolum Magnum, id scire cupientem, scripta epistola reddidit certiorem.

V. FVLGENT. REVOCATVR AD QVAEST. REGIS DISSOLVENDAS.

Post hæc vero Trasamundum Regem, quo Catholicos Afros de expulsione pastorum suorum lugentes decipere, multas proponentem ineptarum tendiculas quæstionum, Sanctum Fulgentium, tanquam omnium Episcoporũ doctissimum, ad eas soluendas ex Sardinia Carthaginem accersisse, idem qui supra Syncellus tradit; simulque egregia recenset scripta, quæ cum ipsi Regi, tum ipsius sacerdotibus, varias quæstiones agitantibus, Fulgentius direxit: quorum hactenus pars quædam supereſt, vnde colligere valeas, quanta esset in eo cum ingenii acumine sacræ Theologiæ eminens doctrina. Additque demum idem auctor de Arianis Episcopis, ipsos cernentes Fulgentii suasionibus non solum populum Catholicum in fide confirmari, verum ex ipsis Arianis quamplurimos ad religionem Orthodoxam conuerti; Regi suggessisse, vt eundem ad exilium Sardiniæ remitteret. Vbi idem vir sanctus monasterium extruxit, & cum suis in eo degens alios complures ad idem vitæ genus excolendum illexit: sed & multas ad diuersos scripsit insignes epistolas, lucubrationesque de religione ac fide Catholica, quarum idem auctor meminit; & inter alias de Ieiunio & Oratione ad *Probam* virginem Deo dicatam; quæ auis atauisque Coss. orta, & deliciis regalibus enutrita, tanta fuit humilitate prædita, vt amore subiectionis & vsu seruiendi, dominã se aliquando fuisse nescitet, famemque suam satiandis faceret deseruire pauperibus: vt egregie testatus est ipse Fulgentius in epistola ad *Gallam* Romanam viduam; quæ & ipsa (vt ait) auo, patre, socero, marito Consulibus, adolescentula viro adolescente orbata, in monasterium secessit, ibiq; mira humilitate diu vixit, de qua Sanctus Gregor. *c* Papa recitat, quod cum ei valde ignea complexio corporis esset, & ipso viduitatis ingressu dicerent medici, quia nisi ad amplexus viriles rediret, calore nimio contra naturam barbas esset habitura; (quod ita quoque post factum est) elegerit tamen ipsa eam deformitatem exterius pati, quam iterum carnalibus nuptiis subiici, quæ & feliciter tandem, apparente ei S. Petro Apostolo, ad cælestem gloriam vocata, ab Ecclesia Catholica inter Sanctas iugi annua commemoratione recolitur. Quod vero pertinet ad S. Fulgentium, cuius occasione ad hæc diuertimus, quæ reliqua sunt eius, opportuniori loco dicentur.

REMITTITVR IN SARDIN.

c *Greg. 4. dial. 13.* EGREGIVM PROPOSITVM GALLÆ VIDVÆ.

IESV CHRISTI AN. 505.

SYMMACHI AN. 7.

ANAST. IMP. 15. THEOD. REG. 13.

ANno Christi quingentesimo quinto, Theodoro & Sabiniano Coss. idem ipse *Theodorus* cognomento *Manlius*, nobilissimus Senator Romanus, inito cum sancta coniuge consilio, & mutuo communicato consensu, nuntiis amplissimæ dignitati sæculoque remisit, ac monasticam vitam amplexus est, summa admiratione Vrbis & Orbis, ad quem extat Sancti Fulgentii ex Sardinia data epistola *a*, eidem de hac re præclarissime gesta congaudentis.

I. MANLIVS CONSVLIT MONACHVS.

a *Fulgent. ep 6*

Inter hęc vero Anastasium Imperator stabilito cum Persis fœdere, (prout patet ex Marcellino sub anni superioris Consulibus) vt modicum quietis à bellicis occupationibus accepit, rursum contra Ecclesiam, & Macedonium Orthodoxum Constantinopolitanum Episcopum, armatum esse, Theodorus *b* Lector tradit. Quod autem haud licuit eum statim eiicere, qui populi totius præsidio vallaretur; dolo rem agens, ad eum occidendum Acholium quendam subornandum curauit. Qui cum id frustra tentasset, Macedonius vt mansuetudinem suam ostenderet, munera eidem Acholio dari præcepit; sicut refert idem Theodorus. Quando vero pulsus fuerit, dicetur suo loco.

II. ANAST. IMP. QVARIT TOLLERE MACEDON EPIS CONS.

b *Theod. Lect. Collect. 1.*

IESV CHRISTI AN. 506.

SYMMACHI AN. 8.

ANAST. IMP. 16. THEODOR. REG. 14.

ANno Christi quingentesimo sexto, Messala & Areobinda Coss. celebratum est Concilium Agathense in Gallia Narbonensi, sub Alarico Wisigothorum Rege, anno regni eius vigesimo secundo, quinto Calendas Septembris, cui præfuit *S. Cæsarius* Episcopus Arelatensis. Interfuerunt vero Antistites triginta quinque, licet viginti nouem tantum nominati habeantur: inter quos aliquot sanctitate celebres extiterunt, puta *Firminus* Merensis, *Quintianus* Rutbenensis, & alii. Leguntur quæ sancita canones, vel restituti iam antiquati, numero septuagintà vnus, quibus pene emortuam Ecclesiasticam disciplinam in virorem pristinum restituere conati sunt. Cæterum quod dederit facultatem Alaricus Rex Arianus, vt Orthodoxi Episcopi in vnum conuenientes Synodum celebrarent: eius præstiti beneficii memores Patres, in ipso exordio pro eodem Rege preces Domino obtulerunt, sicut & id ipsum postea eadem ratione egisse reperiuntur Patres Synodi Toletanæ dictæ Secundæ, sub Amalarico patiter Ariano Rege: aliique aliis temporibus, pro aliis æque hæreticis, vel alias impiis; & olim sanctissimos Episcopos pro Ethnicis Principibus facitasse, constat ex Athenagora, Tertulliano, Iustino martyre, & aliis qui Apologias antiquitus pro Christianis aduersus calumnias Ethnicorum scripsere. Quod vero ad ipsum Alaricum spectat; obseruatione digna res est, quomodo ipse quandiu nullum negotium facessit Catholicæ Ecclesiæ Episcopis, quam felicissime ad viginti duos annos regnum, licet inter æmulos barbaros, propagarit: similia autem S. Cæsarium calumnia oppressum exulare coegit, regni patiter cum vita infelix dispendium passus est. At quomodo id acciderit, dicetur anno sequenti.

I. CONCIL. AGATH. PRO RESTITVENDA ECCL. DISCIPL.

PRECES PRO REGIB. HÆRET. ET INFIDEL.

Ante vero quam hæc Synodus celebraretur, hoc tamen

II.

CODICIS THEOD. NOVA PROMVLGATIO.

ipso anno eiusdem Regis vigesimo secundo, quarto Nonas Februarii, idem Alaricus Codicem Theodosianum ex nimia prolixitate contractum, auctum vero aliquibus interpretationibus per Anianum Cancellarium suum, apud Adurense oppidum edendum curauit: sed visum antea & examinatum, probatumq; ab Episcopis; vt declaratur in rescripto eidem præfixo, Tolosæ dato ad Timotheum Comitem.

II. TVMVLTVS CONSTANTINOPOL. OB PROFANAS IMAG. ANASTAS. IMP.

Quod autem pertinet ad res Orientales; hoc eodem anno decimo sexto Anastasii Imp. Cedrenus tradit, magnam Constantinopoli à populo Catholico excitatam esse seditionem, quod idem Anastasius in Palatio suo quædam monstra, & ab imaginibus Ecclesiasticis aliena, pingenda curasset. Habet vero etiam Theodorus Lector, eundem Imp. vehementer vrsisse Macedonium eiusdem vrbis Episcopum, vt damnaret Synodum Chalcedonensem: eoque respondente, nihil se facturum absq; vniuersali Synodo, cui Romanus Pontifex præsideret; Imperatorem ira commotum, ademisse Ecclesiis Catholicorum priuilegia ad eas confugientium, eaque ecclesiis hæreticorum tribuisse.

IV. IO. MACHIOTA EPISC. ALEXANDR.

Quo eodem anno, defuncto Ioanne Mela Episcopo Alexandrino hæretico, cum sedisset annos nouem; in eius locum subrogatus est alius *Ioannes* eiusdem nominis Tertius, cognomento *Machiota*, idemq; hæreticus; qui mox Zenonis Henoticum suscepit, Conciliumq; Chalcedonense reiecit. Hæc ex Nicephoro in serie Episcoporum Alexandrinorum, & Liberato *b* in Breuiario.

b *Liber. c.18.*

IESV CHRISTI AN. 507.

SYMMACHI AN. 9.

ANAST. IMP. AN. 17. THEODOR. REG. AN. 15.

I.

ANNO Christi quingentesimo septimo, Anastasio Aug. tertium & Venantio Decio Coss. Alaricus Wisigothorum Rex Arianus, cum viginti duobus annis feliciter regnasset in Gallia à Rhodano ad Ligerim vsque & Pyrenæos; à Clodoueo Rege Francorum victus, & occisus est; pœnas luens exilii nuper irrogati Sancto Cæsario *c* Arelatensi Episcopo, qui tamen paulo post cum honore ab eodem Rege reuocatus est, delatoremque suum à supplicio liberauit) & Sancto Quintiano *d* Rutenorum Antistiti, eo prætextu quasi ipsi Burgundionum ac Francorum dominium desiderassent. Porro belli huius causam, solum religionis zelum fuisse, expresse testatur Gregorius *e* Turonensis; quod scilicet Christianissimus Rex indigno ferret animo, in nobilissimis Galliis regnare hominem Arianum: quamuis Theodoricus Ostrogothorum in Italia Rex, multum satagens vt Clodoueum ab eiusmodi conatu auerteret, leuissimas dissensionis causas intercessisse dicat in epistolis *f*, quas ad ipsos Clodoueum & Alaricum pro ineunda concordia scripsit, qui & Gundebadum Regem Burgundionum, Clodoueo fœdere iunctum, itemque Reges Erulorum, Guarnorum, & Thoringiorum, aliis scriptis literis hortatus est, vt omnes simul Francorum Regi suadere studerent, ne Alaricum bello insequeretur. Sed cum omnia frustra fieri videret, præsto esse Alarico gentili suo, & eadem Ariana hæresi coinquinato decernens, dedit quoque ad suos Gothos epistolam *g* de expeditione aduersus Francos paranda.

c *Cypr. in Vit. S. Cæsar. ap. Sur. 27. Aug.* d *Greg. Tur. 2 hist. 36.*

e *Ibid. c. 37.* BELLVM REL. GIONIS CAVSA SVSCEPTVM A CLODOVEO CONTRAHERE.

f *Ap. Cassiod. 3. ep. 1. 2. 3. 4.*

Interea vero Clodoueus, conciliato sibi imprimis exlesti numine, & Sanctorum patrocinio, tum erigendo Parisiis ex consilio Sanctæ Clotildis coniugis suæ ecclesiam in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli; tum monitu S. Remigii Rhemensis Episcopi, conuocando in ciuitatem *Aurelianensem* Synodum; (cuius extant *h* Acta, canonesq; triginta tres ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentes, summa prudentia in eo sanciti à totidem Episcopis, à quibus notiores extiterunt *Gildardus* Rotomagensis, *Lupus* Suessionensis, *Melanius* Redonensis, *Quintianus* Rutenensis, & *Theodosius* Antissiodorensis, quos inter Sanctos colit Ecclesia Catholica:) tum etiam seuerissimum edictum promulgando, nequid eo bello à militibus damni inferretur ecclesiis, sacrisue ministris, aeperso nis rebusque ad eos spectantibus: his, inquam, præuiis sanctissimis actionibus, acceptaque ab eodem S. Remigio benedictione, necnon pleno vase Vini benedicti; (quod diuina virtute vsque ad finem belli multiplicatum est;) aduersus hostes progressus, & apud Turonos, in ipso ingressu ecclesiæ Sancti Martini, ex psalmi *a* prophetia auspicium victoriæ accipiens; atque in agro Pictauiensi, prodigioso phari igneæ, è basilica S. Hilarii super se aduenientis, signo securior redditus; inito in campo Vocladense, decimo ab vrbe Pictauiensi milliario, acerrimo prælio, Alarici exercitum ingenti cæde deuicit, ipsumque Regem manu propria occidit; sed & maxima ipsius ditionis parte, omnibusque thesauris potitus est. Quæ quidem omnia, præter alios Fracicarum rerum scriptores, narrant huic tempori quo ea gesta sunt viciniores, Gregorius *b* Turonensis, & Hincmarus *c* Rhemensis. Sed & Procop. *d* Græcus historicus de iisdem agens, (etiamsi aliquantum diuerse) tradit inter opes regias Alarici, quas Alaricus quondam Senior cum Romam cepisset abstulerat, existimatam fuisse Salomonis pretiosissimam supellectilem, ingentis pretii gemmis ornatam, quam olim ex Hierosolymis aduexissent Romani. Habetq; insuper Gregorius, præter alia miracula quæ in ea expeditione diuinitus acciderunt, muros Engolismæ ciuitatis munitissimæ coram ipso Clodoueo ad eius obsidionem se accingente, sponte corruisse: cum autem idem Rex apud Burdegalam hiemasset, rediisse Turonos, & multa basilicæ S. Martini munera obtulisse. Quæ vero post hæc secuta sunt, dicentur anno sequenti.

a *Psalm. 17. Psal. 40.42.*

ALARICVS OCCIDITVR A CLODOV.

b *Greg. Tur. 2. hist. 37.* c *Hincm. in Vit. S. Remig.* d *Procop. de Bel. Goth. l. 2.* MVRI ENGOLISMÆ SPONTE CORRVVNT.

Interea redarguendus in tempore Gregorius, dum victum à Clodoueo Alaricum ponit anno quinto ante eiusdem Clodouei obitum, nempe post annos duos: cum & Cassiodorus huius temporis scriptor hoc anno id accidisse demonstret, dum sub sequentis Consulibus victoriam pondemonstret, dum sub sequentis Consulibus victoriam podenit Theodorici aduersus Francos: quam post occisum Alaricum accidisse consentiunt omnes: & S. Isidor. Hispalensis Episcopus, res Gothorum duplici scripto prosecutus, nimirum Chronico, & Historiæ compendio, triplici chronographia sub hoc anno Alarici mortem consignet, nempe numero Æ æ, annis Imperii Anastasii, & tempore ipsius Alarici regni; dum videlicet tradit ipsum regnasse annos viginti tres, decessisseque anno decimo septimo Anastasii, atque Æra quingentesima quadragesima quinta, qui est hic ipse annus Domini quingentesimus septimus. Addit vero, eidem Alarico in portiunculam regni successisse *Gesilicum*, ipsius ex concubina filium, ac regnasse annos quatuor, sicut genere vilissimum, ita infortunio & ignauia summum. Qui post multas infelicissimas discursiones per Africam, Hispaniam, & Aquitaniam, demum ab Ebbane Regis Theodorici duce apud Barcinonem superatus est in prælio, & transfluuium Druentiam Galliarum captus, occisusque. Cui successit *Amalaricus* natus ex filia Alarici, vt Procopius docet.

III. DE TEMPORE VICTORIÆ CLODOVEI.

Quod autem ad res Orientales spectat; eodem anno decimo septimo Anastasii, (vt habet Cedrenus) ab ipso ædificata est munitio contra Persas, quam Daram antea nominatam, Anastasiopolim appellauit: de qua agunt etiam Euagrius *e*, atq; Procopius *d*. Theodorus *e* vero Lector addit, eundem, cum eam condidisset, vidisse in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subuertisse ipsum ciuitatis custodiam, quod Reliquias suas illo missas reprobasset. Quod enim Anastasius secta Manichæus esset, Reliquias Sanctorum execrabatur. Ex quibus insigniter Niceph. *f* erutasse comperies, dum putauit ab Anastas. illuc fuisse translatas eiusdem S. Apostoli Reliquias. Etenim non ipsum, sed Iustinianum coli voluisse eo loco S. Bartholomæum, ei ecclesiam erigentem, Procopius *g* est auctor.

c *Euag. 3. c. 34.* d *Procop. de Bel. Pers. l. 2.* e *Theod. Lect. lib. 2.* f *Niceph. lib. 16. c. 37.* g *Procop. de ædif. Iustin.*

IV. DE MVNITIONE DARAE ET RELIQVIIS S. BARTH.

II.

h *Tom. 2. Conc.* CONC. AVRELIAN. PRO REFORM. ECCL.

IESV

IESV CHRISTI AN. 508.

SYMMACHI AN. 10.

ANAST. IMP. 18. THEODOR. REG. 16.

I.

AN CLODOVEVS FVERIT CONSVL.

ANNVS Christi quingentesimus octauus, descriptus habetur in Fastis Cassiodori Consulatu Venantii iterum & Celeris: etsi Panuinus pro Venantio ponat Decium Iuniorem; cum tamen nec apud Marcellinum Comitem vlla sit de eo prorsus mentio. Cum igitur hi Consules ordinarii in antiquioribus Fastis positi habeantur, plane opinari licet, respuisse Clodoueum Francorum Regem Christianissimum, oblatum ei nuper ab Anastasio hæretico Imperatore Consulatum: quamuis Gregorius a Turonensis, aliique illum acceptasse crediderint. Si enim acceptauit, cur non est inditum tanti Regis nomen Consularibus Fastis? Sed & qui Patriciatu, non Consulatu putat Clodoueum donatum, mea quidem sententia fallitur: inferior enim erat Patriciatus dignitas Consulatu, & communis plurib. Deniq; veteres b omnes Consulatum, non Patriciatum oblatum dicunt.

a Greg. Tur. 2 hist. 38.

b Aimon. li. 1. Hincmar. in Vit. S. Remig. & alii.

II.

CVR SI OBLATVS CONSVLATVS.

Sed vnde istiusmodi muneris Anastasio Augusto, hoc potissimum tempore exhibendi ratio? Nimirum exortæ erant inimicitiæ inter ipsum & Theodoricum Italiæ Regem, quod hic vendicaret sibi Pannoniam (vt vidimus) quæ ad Orientale spectare videbatur Imperium. Perseuerasse autem eiusmodi odium atrocioribus incrementis, res gestæ ab Anastasio sub huius anni Consulatu declarant: quo (vt ait Marcellinus) in Italiam misit classem armatam ad deuastanda Italiæ littora. Pergrato igitur accipiens animo, excitatum potentissimum Francorum Regem aduersus Gothos suos hostes, audito obtentæ de illis victoriæ nuntio; quo tantum demereri Principem posset, ad eundem Legatos cum Consularibus codicillis misit. Sed (vt dictum est) spreuit Rex Christianissimus ab hæretico Imperatore oblatum munus; vnde opus fuit Anastasio, alium loco ipsius Consulem subrogare, quem diximus nomine Celerem.

III.

DE BELLO INTER THEODORICVM ET CLODOV.

Quo eodem anno idem Theodoricus Rex Italiæ, cum anno superiori nequicquam (vt vidimus) laborasset vt Francos cum Alarico conciliaret, ac vt gentili suo succurreret expeditionem parasset; impigra Francorum fortitudine præuentus, postrem gestam, occisumq; Alaricum, ipse aduersus eosdem exercitum mouens, obsidionem quidem Carcassonæ ciuitatis Galliæ Narbonensis soluere coegit, permisit tamen vt sibi haberent, quam iam occupassent, & à qua non valeret eos depellere, eam Galliarum partem quæ est præter Rhodanum; ipseque sibi reliquam Alarici ditionem vendicauit. Hæc sincere Procopius c de Theodorico & Francis, quos ipse Germanos vocat. Qui autem impensius quam par est studuere Gothorum rebus, vt Cassiodorus d, qui Theodorico ab epistolis erat, & Iordanus e Gothus, magnam hoc anno cladem Francos à Gothis accepisse tradunt. Ac sicut non inficiamur, bellum plane deploratum ab ipso Theodorico restitutum fuisse; ita minime consenserimus, magnam Francos cladem fuscepisse. Etenim quomodo potuissent iidem victi, mox eosdem Gothos victores (quod ipse etiam Cassiodorus f testatur) obsidere in vrbe primaria, ac munitissima, ipsa Arelate, ac per biennium & amplius, vsque ad tertiam Indictionem, in eadem obsidione, eiusdemq; prouinciæ deuastatione perdurare? Victoris enim hæc sunt, non victi.

c Procop. de Bel. Goth. l. 1.

d Cassiod. in Chron.

e Iornand. de reb. Getic.

f Cassiod. l. 3. ep. 38. & 40. & 8 ep. 10.

IV.

Ap. Sur. 27. Aug. S. CÆSARIVS PROBITIONIS ACCVSATVR.

Porro meminit etiam huius obsidionis Arelatensis, Cyprianus Episcopus in Vita g S. Cæsarii eiusdem ciuitatis Antistitis; dum narrat, eundem Cæsarium proditionis falso à Iudæis & hæreticis insimulatum, primo in carcerem à militibus Gothis detrusum fuisse, postea vero Rauennam ad Theodoricum Regem sub custodia pertractũ, Angelici vultus aspectu, & innocentiæ securitate, ita Regem permouisse, vt non solum humaniter ab eo exceptus, sed & muneribus etiam honestatus fuerit; quæ ipse in alimoniam pauperum, & redemptionem Fidelium captiuorum, cui semper solicitiori cura, etiam vsque ad distractionem vasorum Ecclesiæ incumbere consueuerat, impendit: Inde vero Romam ad Limina Apostolorum peregrinantem, æque à Senatu Populoque Romano, nec non ab ipso Papa Symmacho, magno cum honore & veneratione acceptum esse; ac post nonnulla edita ea peregrinatione miracula, (inter quæ, mortuum ad vitam reuocauit, ac dæmoniacum liberauit) demum Arelatem rediisse, tantis vbique muneribus honestatum, vt qui in Italiam exulatum ierat, confecta captiuorum redemptione, octo solidorum milliaab Italia secum reportarit.

MAGNI HABETVR ROMÆ.

g Ap. Cassiod. 3. Var. 2.

CLODOVEVS AGROTANS SANATVR A S. SEVERINO

Sed quod rursus ad bellum attinet; tradit Procopius, Theodoricum cum Francis partitum esse portionem ditionis Burgundionum, partemq; suam potius ante quã armis, pretio persoluto ab iisdem Francis accepisse. Verum tam ipse, quam alii cum eo, videntur errore lapsi, dum ante bellum Clodouei aduersus Alaricum id contigisse affirmant. Siquidem integras tunc adhuc fuisse res Burgundionum, literæ a Theodorici ad ipsorum Regem Gundebadum scriptæ declarant, cum eum rogat vt in conciliandis inter se Alarico & Clodoueo laboret. Cæterum compositis rebus bellicis, idem Clodoueus Parisios profectus, cum laborare cœpisset corporis infirmitate, spesque salutis frustraretur; idem consilio Tranquillini viri illustris & Archiatri, accersiuit sanctissimum virum *Seuerinum* Agaunensis monasterii Abbatem, miraculorum virtute vbiq; clarissimum; qui super ægrotantem Regem, præmissis precibus, imponens casulam qua erat indutus, febrem eius medullis fixe inhærentem fugauit, alios que plurimos diuersis morbis laborantes sanitati restituit; ac demum monitu diuino ad Nantonense castrum se conferens, Deo spiritum reddidit: in cuius memoriam postea Clodouei filius Childebertus nobile templum extruxit. Quæ omnia copiose descripsit in eius Rebus b gestis Faustus presbyter eiusdem temporis scriptor.

b A. Sur. 22. Febr.

IESV CHRISTI AN. 509.

SYMMACHI AN. 11.

ANAST. IMP. 19. THEOD. REG. 17.

I.

c Ap. Cassiod. 3. Var. 5. & 6. INFAVSTA AVSPICIA CONSVLATVS IMPORTVNI.

ANNVS Christi quingentesimus nonus Consulem habuit (vt ponit Marcellinus) Opportunum sine collega; seu verius Importunum, vt habet Cassiodorus. Hic namque ille videtur Importunus ex antiqua Deciorum familia prognatus, quem Theodoricus Rex Italiæ auxit Patriciatus dignitate. Sed fuerunt cruenta eius auspicia Consulatus, dum in consuetorum exhibitione munerum, & editione Circensium, fauens Consul factioni Venetæ, in Prasinos separum æquum exhibuit: cuius rei gratia, ob cædem factam vnius ex Prasinis, factus reus apud Regem, iussus est vna cum Patricio Theodorico causam dicere coram Præfecto Vrbis. Extant enim ea de re plures eiusdem Regis ad diuersos scriptæ literæ: è quibus etiam cognoscas ritus Ludorum Circensium, simul & Gentilitia eorundem sacra, prorsus indigna quæ à populo Christiano frequentarentur: vnde & se ea detestari Theodoricus demonstrat, quamuis coactus esset permittere (vt ait) necessitate populorum imminentium, quibus votum esset ad talia conuenire, dum cogitationes serias delectarentur abiicere. Sed de prohibitis sæpe Spectaculis dictum est alias: nunc cætera huius anni prosequamur.

d Th. 1. Var. 27 30. 31. 32. 33. & l. 3. ep. 51.

II.

SARACENI INCVRSANT PALÆSTIN.

Eodem anno, secunda currente Indictione, Alamundarus Rex *Saracenorum*, siue *Agarenorum*, (vtroque enim nomine dicti reperiuntur) collectis copiis incursans Arabiam & Palæstinam, sanctis quoque monachis nonnihil molestiæ intulit; quam descripsit in Rebus e gestis Sanctorum

e Ap. Sur. 20. Ian. 5. Dec. & 13. Mart.

Euthymii, Sabæ, & Ioan. Silentiarii, Cyrillus monachus: vbi inter alia memoria digna, agit de vno ex iisdem Agarenis, quod insultaret S. Sabæ, terræ hiatu absorpto, deq; Silentiario diuinitus à barbaris per Leonem custodito. Eorum vero monachorum martyrum, qui sub Alamundaro occisi sunt, glorioſæ memoriæ, dies decimanona Februarii cõsecrata est in Tabulis Ecclesiasticis. Sed illud mirabilius, quod apud S. Io. Damascenum *a* recitatur ex Anastasio Sinaita, qui sub Iustiniano vixit, & quæ vidit scripsit; nempe, cum apud Damasum Saracenus quidam templum S. Theodori cum aliis viginti ingressus, sagittam in eius Imaginem emisisset, & dextrum ipsius humerum attigisset; continuo sanguinem copiosum è vulnere effluxisse: cumque nihilominus iidem impœnitentes permanerent, omnes intra paucos dies acerbo morbo deletos esse. His porro signis commotus Alamundarus, CHRISTO postea nomen dedit; vt dicetur suo loco.

a *Damasc. or. 3. de Imag.* IMAGO S. THEODORI SANGVINEM FVNDIT.

III. S. SIGISMVNDI BVRG. REG. CONVERSIO.

Hoc vero eodem anno, Occidentalis Ecclesia aucta est Catholico Principe, nempe *Sigismundo* Burgundionum Rege; qui patri succedens *b* Gundebado, siue Gundebaldo dicto, ex Ariana perfidia ad Catholicam religionem accessit, suasione *c* sanctissimi viri *Alcimi Auiti* Episcopi Viennensis, pietate, eloquentia, & præclaris aduersus huius temporis hæreticos, aliisq; scriptis, apud antiquos *d* auctores, & Tabulas Ecclesiasticas celeberrimi: qui cum frustra laborasset vt Gundebadus pater publice profiteretur, Catholicam fidem, quam secreto confitebatur (quem & ideo clam chrismare recusauit) perfecit illud in filio Sigismundo. Porro in eundem Gundebadum est quoq; Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis, in epistola longe post hæc tempora ad Ludouicum Pium scripta, acris inuectiua quod Monomachiam lege lata approbarit: testaturque, aduersus eam apud eum, sæpe Auitum intercessisse cum verbis tum scriptis.

b *Sigeb. in Chro. hoc an.* c *Greg. Tur. 3. hist. 5. Ado in Chro. hoc an.* d *Sidon. 8. ep. 11. Isid. de Vir. Illu. c. 23. Ado an. 492. Greg. Tur. 2. hist. 34. Epitap. Auit. in Bibl. Patr. Martyrol. R8 Non. Febr. & alii auct. ap. Baro. hoc & an. 494. §. 6.*

IV. CONC. EPAVNENSE AD REFORM. ECCL.

Quod vero pertinet ad Sigismundum eius filium; ipse mox vt Arianam paternam impietatem palam exuit, nihil antiquius habens quam vt ditionem sibi subiectam æque ab errorum pollutionibus purgaret; celebrari voluit Concilium Epaunense viginti quatuor Episcoporum, cui præfuit idem *S. Alcimus* Auitus, eiusq; germanus interfuit *Apollinaris* Episcopus Valentinus æque celebris sanctitate, (filii ambo Isicii, Senatoris primum, postea Episcopi Viennensis) necnon *Claudius* Episcopus Vesontiensis, aliique plures in sactas Ecclesiæ tabulas ob vitæ sanctitudinem post obitum relati: à quibus quadraginta canones statuti leguntur, ad reparandam Catholicam fidem, & abolendam quæ diutius ibi pestis Ariana coaluisset.

(Quod quidem collectum fuisse Agapito Cõsule, nempe anno Domini 517. ex veteribus exemplaribus elicit Sirm. in Ennod. 1. ep. 3.)

IESV CHRISTI AN. 511.

SYMMACHI AN. 13.

ANAST. IMP. AN. 21. THEODOR. REG. AN. 19.

ANNVS Christi quingentesimus decimus, Consules habuit Boetium Seuerinum secundo & Eutharicum: qui quidem *Boetius*, is ipse est, qui nobilitate generis nulli secundus, (prognatus nimirum ex antiqua Manlii Torquati familia, & eo qui Christianitate resplenduit Anicio gaudens atauo) adolescens Athenas, in quibus fuerant literæ philosophicæ restitutæ, petens; variis philosophiæ peritus gatis dogmatibus, Aristotelicis sese totum addixit, decem & octo annos *e* moratus Athenis. Vnde factum est, vt absque controuersia primas meruerit inter Latinorum ingenia, qui profundum Aristotelicorum sensuum penetrauerit, & obscura quæque perspicua effecerit, Aristotelemq; vix nomine hactenus Latinis cognitum (vt ipse fatetur) reddiderit Latinum, ac Latinis commentariis illustrauerit; multaq; alia insignia in omni scientiarum genere præstiterit, quæ recensentur in literis *g* à Theodorico Rege ad ipsum scriptis. Quem & Theologicis institutionibus apprime fuisse imbutum, demonstrant tractatus eius de SS. Trinitate, & aduersus errores Nestorii & Eutychetis.

I. BOETII CONS. NOBILITAS, ET ERVDITIO. *Ap. Baro. hoc an. & 522. 526.*

e *Boet. de disc. schol. c. 4.*

f *Id. in Praedicam. Aristot.* g *Ap. Cassiod. 1. ep. 45. & 2. ep. 40.*

Cæterum hoc tempore vrbe Constantinopolitana in diuersa discissa, cum populus faueret Macedonio Episcopo Orthodoxo, Anastasius autem Imperator cum militibus eidem resisteret; idem Imperator, nequis ex suis patientiæ suæ causam de tolerando in sede Macedonio ignauiæ vel timori adscriberet, calũniose testatus est (vt scribit Niceph. *a*) se id facere quod Macedonius Zenonis Henotico subscripsisset. Cum autem Macedonius hæc intelligens, confestim collecta Ecclesia, pro concione edita sincera fidei ex præscripto Concilii Chalcedonensis professione, damnatisque omnibus quæ ei aduersarentur hæreticis opinionibus, se plane Orthodoxum esse demonstrasset: rursum Anastasius ad alias recurrens calumnias, æque falso iactauit, (vt tradit Liberatus *b*) ab eo correptam esse diuinam Scripturam in fauorem hæresis Nestorianæ.

a *Niceph. l. 16. c. 26.*

II. ANAST. IMP. RVRSVM AGIT ADVERS. MACEDON. EP. CONST.

b *Liber. c. 19. Breuiar.*

Ac tandem anno sequenti, Christi quingentesimo vndecimo, Coss. Secundino, atque Felice natione Gallo *c*, viro laudatissimo, & Magni *d* Felicis Consulis à Camillo originem ducentis filio, idem Imperator (vt tradit Marcellinus) eundem Macedonium, aliis rursum impudentissimis calumniis agitatum, fraudulenta violentia ab ecclesia submouit, cum iam sedisset annos quindecim, ac per milites in exilium deportari iussit; frustra obnitente populo Constantinopolitano, Catholicæ fidei acerrimo defensore, qui vna cum mulieribus & paruulis, & infinita monachorum multitudine, per ciuitatem clamabant, tempus martyrii aduenisse, Imperatoremque Manichæum, & Imperio indignum vocabant; adeo vt sæpius coactus fuerit Imperator latitare. Verum à suis ducibus & militibus, eadem qua ipse impietate fœdatis, à populi furore defensus, paulatim in eum debacchãs, variis eundem cladibus, exiliis, bonorumque publicationibus affecit. Idemque consciscio, combustoque Chalcedonensium Actorum libro, quem Macedonius in arca sanctiori deposuerat, (putarunt hæc Acta fuisse originaria Concilii) mox in locum Macedonii *Timotheum* tuffecit, nefandum hominem, vitaque impurissimum, (ideoque vulgo κήλωνα, & λιτροβούλῳ dictum) atque hæresis Theopaschitarum obstinatissimum sectatorem; licet pro rerum temporumque occasione, cæterorum more hæreticorum, consueuisset fidem ad horas mutare. Quomodo vero ista omnia se habuerint, pluribus describunt Theodorus *e* Lector, Euagrius *f*, Nicephorus *g*, Auctor Miscellæ *h*, aliique: potestque ex eodem Theodoro intelligi, gesta ea esse tempore maioris Hebdomadæ, quæ sanctum Pascha præcedit: more suo, diabolo sactis iis diebus maiorem excitante aduersus Ecclesiam tempestatem.

c *Cassiod. 2. ep. 1. 3.* d *Sidon. carm. 9* MACEDON. EJICITVR IN EXILIVM.

Acta Concilii Chalced. combusta.

e *Theod. Lect. Collect. 2.* f *Euagr. lib. 3. c. 32.* g *Nicephor. l. 16. c. 26.* h *Miscell. lib.*

Porro non Macedonium tantum, eosue qui erant Constantinopoli Orthodoxos, expugnare contentus perfidus Imperator, longe etiam positos magni nominis sanctissimos viros exagitauit; illos primum blanditiis, nempe muneribus, literis, & simulatione tentans; iisque technis non sufficientibus, aperta vincula, exiliaque adiiciens. Cuiusmodi certaminum præclarum extitit exemplum (ex quo reliqua nobis incomperta intelligere valeamus) magnus ille *Theodosius* Cœnobiarcha, qui his temporibus Palæstinam insigni illustrauit sanctitudine, & ingentium miraculorum editione; fidemque orthodoxam summa fortitudine aduersus quoscunque hæreticos, atque ipsum Imperatorem propugnauit: adeo vt etiam aliquando templum ingressus, conscenso suggestu, coram vniuerso populo, *anathema dixerit iis qui quatuor sanctas Synodos non tanti æstimarent, quanti quatuor Euangelia.* Cuius quidem extant *i* præclaræ gestæ, descriptæ (vt puto) à Cyrillo monacho, quem superius sæpe nominari contigit, nobilissimo eiusdem temporis auctore, patria Palæstino.

THEODOR. CORNOB. MAGNIS ANIMI VIRTVTIBVS PROPAGNAT.

i *Ap. Sur. 3. Ianuar.*

IESV

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf

IESV CHRISTI AN. 512.

SYMMACHI AN. 14.

ANAST. IMP. 22. THEODOR. REG. 20.

I. POPVLVS CONST. INSVRGIT IN ANAST. IMP. PRO DEFENSIONE FIDEI.

ANno Domini quingentesimo duodecimo, Paulo & Musciano Coss. mense Nouembri, Populus Constantinopolitanus ob defensionem fidei Catholicæ aduersus impium Anastasium Imp. insurrexit, quod in ecclesia cantari iussisset Theopaschitarum Quaternitatem, populumque reclamantem in ipso ecclesiæ gremio atrioq; maxima cæde perculisset. Quapropter iidem totam peragrantes ciuitatem, Anastasii monastico habitu adsentatores ferro flammisque interemerunt; & Areobindam sibi fieri Imperatorem clamitantes, imagines ac statuas Anastasii in terram deiecerunt; Celerem & Patricium Senatores ad se, supplicandi sibi, vel satisfaciendi gratia missos, iactis pluuiæ instar lapidibus repulerunt; domosque Marini & Pompeii prauitatum omnium auctorum succenderunt: ac deinde in Circum, præuio Euangelio & Cruce Domini, ad Anastasium venientes, ante eius solium hymnum Trinitatis iuxta morem Catholicum concinuerunt: sed & monachum quendam, aliamq; monacham, quod essent cari Imperatori, necarunt, cadaueraque raptata cremarunt; clamantes, *Hi sunt amici hostis sanctissimæ Trinitatis.* Quibus omnibus perterritus Imperator, solitis periuriis ab hæresi cessaturum promittens, aliquandiu quieuit. Hæc Marcellinus *a*, atque Cedrenus *b*. Porro has turbas Constantinopolitanas, iam præcedentibus aliquot annis cœptas, nunquam plane sedatas esse, sed singulis fere annis quoad vixit Anastasius integratas, quæ antecedentibus subsequentibusque annis Marcellinus sub singulis Consulatibus tradit, aperte declarant.

a Marcel. in Chron.
b Cedr. in Comp.

II. CONC. SYDON. HAERETIC. ADVERS. CATHOL.

Hoc q; eodem anno idem Anastasius (inquit Marcellin.) redintegrata prauitate, infamem & irridendam Synodum apud *Sidonem* in Palestina, octoginta ferme perfidorũ Episcopis cõgregatis, aduersus Orthodoxorum Episcopos fieri imperauit, nempe aduersus Flauianum Antiochenum, & Eliam Hierosolymitanum, acerrimos Concilii Chalcedonensis propugnatores, aliosque eis inhærentes. Meminerunt vero de eadem Synodo & alii *c*: ex quibus omnibus constat, ab eodem malignantium conuentu (inter quos præcipui auctoritate & malitia fuere *Xenaias* ille Persa, qui & dictus est Philoxenus, Episcopus Hierapolitanus in Syria, ac *Soterichus* Cæsareæ Cappadociæ: Flauianum omnino recusantem anathema dicere Synodo Chalcedonensi, damnatum esse, & in exilium pulsum; itemque Ioannem Episcopum Palti, & ipsum Orthodoxia insignem. Elias vero, (quem incaute nimis Theodorus Lector, calumniis aduersariorum nimium credulus, scripsit in errorem esse lapsum; quem certum esse constantissimum semper Orthodoxæ fidei defensorem persecuerasse:) ne idem cum aliis supplicium tunc pariter subire cogeretur, per magni Sabæ Abbatis legationem, quam in eius Vita *d* Cyrillus descripsit, ad Imperatorem præmissam anteuertit: licet ad postremum & ipse ab impiis eadem fuerit anno sequenti pœna affectus.

c Cyril. mon. in Sabæ. Euagr. li. 3. c. 32. Conc. Nic. II. Act. 1.

d Cyril. in Vita S. Sabæ. Adde Niceph. l. 16. c. 32.

Quibus autem artibus iidem hæretici aduersus Flauianum & Eliam vti fuerint, accusantes illos Nestorianismi, vt aliquibus saltem colonibus è sede depellere possent, docet epistola *e* monachorum Orthodoxorum Palæstinæ ad Alcysonem Nicopolitanum in Illyrico Catholicum Episcopum. Sed & qui tumultus Antiochiæ excitati, quæue cædes hactenus fuerint ob Flauiani expulsionem, pluribus narrat Euagrius *f*.

Euagr. l. 3. c. 32.

Idem c. 32.

III.

Interea vero Symmachus Romanus Pontifex, cum cognouisset exturbato iam anno superiori Macedonio, in reliquos fidei Catholicæ professores eandem fore persecutionem in partibus Orientalibus grassaturam; tanquam Vniuersalis Ecclesiæ pastor, datis literis *a* octauo Idus Octob. ad eos qui illic Romanæ Ecclesiæ cõmunione iuncti erant, admonuit strenue pro fide Catholica decertare. Quod n. his perditissimis temporibus luctuosissimum fuit, haud omnes qui Orthodoxi erant in Oriente, iidem & Catholicæ erant communionis: siquidem Macedonius, & qui illi inhærebant, haud vnquam passi sunt à sacris tabulis demi nomen Acacii, qui à Romanis Pontificib. ob initam cum hæreticis communicationem sæpe damnatus fuerat. Vnde accidebat illud plane lugubre, vt qui ab hæreticis pressurã paterentur, pugnarent sine solamine fratrum, & vincerent sine corona, quã nemo demerere potest, nisi qui in castris Ecclesiæ Catholicæ legitime decertauerit. Veruntamen reminiscentes miseri, patres ipsorum, cum eiusmodi interdum persecutionem pati contingeret, appellare consueuisse communem omnium patrem Romanum Pontificẽ; tandem & ipsi, acceptis his Symmachi literis, supplices alias *b* ad ipsum scripsere, vna cum Orthodoxæ fidei professione, ob quam deberent in eius communionem recipi. Sed quod primum omnium requiri ab eis videbatur, dicere anathema Acacio, non solum penitus facere prætermiserunt; sed & tori ferme in eo fuerunt, vt suaderent non debere se ob Acacii peccatum subire supplicium, cum nonnisi proprium quenquam debeat obligare delictum. Quid vero ad ea rescripserit Symmachus, incompertum habetur. Non enim illam, cuius nuper meminimus, eius epistolam, post hanc Orientalium, (vt quidam existimarunt) sed ante scriptam fuisse, ex eo patet, quod nullam prorsus mentionem de ea Symmachus in iisdem suis literis fecerit, nec apte tur satis ad petita responsio.

a Sym. ep. 9.

SVMMA DESOLATIO EC. ORIENT.

b Ext. post. d. ep. 9.

IESV CHRISTI AN. 513.

SYMMACHI AN. 15.

ANAST. IMP. 23. THEOD. REG. 21.

ANno Christi quingentesimo decimo tertio, Probo & Clementiano Coss. Seuerus patria Sozopolitanus in Pisidia, fax, lues, atque perditio totius Orientalis Ecclesiæ, monstrum omnium vitiorum deformitate compactum, ex Ethnico magor atque venefico Christianus monachus, moxq; hæreticus factus Eutychianus & Acephalus; à quo iam ante Flauiani expulsionem Anastasius Imp. iuramentum acceperat, si Antiochenus Episcopus fieret, ipso die Chalcedonensem Synodum anathemate damnaturum: hic, inquam, talis Seuerus, eodem Flauiano (vt dictum est anno superiori) ob fidei Catholicæ propugnationem in exilium pulso, eiusdem Imp. iussu in sedem intrusus est Antiochenam. Quam simulac adeptus est, *Conuentũ* collegit ex sibi subiectis Episcopis qui cum eo sentirent; (plures enim eius communionem deuitasse, immo & in ipsum depositionis sententiam protulisse constat:) ex quo Synodales scripsit literas, quibus cum suæ promotionis absentes reddidit errores, tum fidei professionem ex more conscribens, eam vt amplecterentur admonuit; ita fore sperans, vt qui ab ipso diuersa sentirent exploratos haberet, & vi tandem adigeret. Quo pacto Eliam Hierosolymitanum, illam admittere constantissime recusantem, vi militari è sede dimouere curauit, & in exilium amandari, quam rem gestam descriptam habes pluribus apud Cyrillum *d* in Vita S. Sabæ, Septimam Synodum *e* Oecumenicam, atq; Nicephorum *f*.

I. SEVERVS EPISCOP ANTIOCH. IMPIISSIMVS.

c Hæc, & alia de Seuero refe runt Theod. Lect. l. 2. Euagri. l. 3. c. 33. Liberat. c. 19. Syn. Constan. sub Men. Act. 1. Nicep. l. 16. c. 29. Habet vero Baron. magna ex part. an. 512.

d Cyril. ap. Sur. 5. Dec. e Syn. Nic. II. Act. 1.

f Niceph. l. 16. c. 34.

In locum porro Eliæ suffectus *Ioannes* filius Marciani, postquam Seueri confessus esset communionem, & subiecisset anathemati Synodum Chalcedonensem; paulo post admonitionib. eiusdem S. Sabæ Archimandritæ (qui egregiam in his tumultibus pro fide Catholica cum suis monachis impendit operam) resumens animum, Seueri respuit communionem, & Synodum Chalcedonensem professus est; eaq; de causa in carcerem coniectus à Duce Palæstinæ,

II. IOAN. EPISC. HIEROSOL. EX HAERETICO CATHOLICVS.

stinæ, callidâ arte promittens se ipsi obtemperaturum, mox vt è custodia dimissus est vniuersum conuocans in Ecclesiam populum, ipso Duce præsente altera manu Sabam, Theodosiumq; magnum illum cœnobiarcham altera tenens, è suggestu in eos qui cum Nestorio, Eutychete, Seuero, & Sotherico sentirent, anathema pronunciauit: Dux vero, populi consensum vnanimem veritus, Cæsaream se recipit: ac consobrinus Imperatoris, qui aderat, declarauit se Orthodoxis velle communicare. Sicq; Ioannes, quod in strenuum mutatus esset propugnatorẽ fidei Catholicæ, in sede Hierosolymitana retentus est à Catholicis contra Seuerum, & Anastasium Imperatorem. Porro ab hoc impiissimo Seuero dicti sunt hæretici *Seueriani*; eundemq; Acephali pro capite habuerunt: ad cuius conuincendam impietatem, ingentia diuinitus cõtigit edi diuersis locis miracula *a*, tam circa sanctissimam Eucharistiã, quam alia, quibus etiam multi ab hæresi Seueriana conuersi sunt ad fidem Orthodoxam.

HÆRETICI SEVERIANI.

a Recensentur nonnulla in Prato Spir. c. 39. 40. 49. 79. 106. 188. 213.

III. PENURIA INGENS IN PALÆSTINA.

Sed & ex hoc anno, quo sanctissimus Hierosolymorum Episcopus à sua abstractus est sede, vsq; ad obitum Anastasij Imperat. vniuersam illam Palæstinæ prouinciam integris quinq; annis dira fame & penuria rerum omnium necessariarum, siccitate quoque, & locusta, aliisque grauibus plagis oppressam esse; testis est Cyrillus in Vita S. Sabæ: cui ait in tanta necessitate, eiusque monasteriis, mira Dei prouidentia abunde suppeditatam esse omnium rerum copiam, cum ab aliis, tum ab ipsomet Anastasio Imper. cum ad eum suscepisset legationem pro cessatione iniustæ promulgatæ legis, qua nequid diminutionis vectigalia regia paterentur, statutum fuerat, vt cum multa loca fame ac peste desolata habitatoribus carerent, quæ ipsi tributa pẽdere solerent, in vicinos reijcerentur. Addit vero Cyrillus, eiusdem quoque Sanct. Sabæ precibus ad Deum fusis, impetratam fuisse in vehementi illa diuturna siccitate pluuiam monachis, ipsiq; etiam vrbi Hierosolymitanæ.

IV. ALAMVND. SARAC. PRINCIPIS EGREGIE ILLVDIT LEGATIS SEVERI.

Sed quod ruisum ad Seuerum spectat; cum hoc eodem tempore *Alamundarus* Saracenorum Princeps ad fidem cõuersus fuisset, tentauit idem Seuerus per Episcoporum legationem eum sibi allicere: sed Deo eius conatus præuenient, factum est vt ab Episcopis Catholicæ communionis baptizatus fuerit. Qui etiam ad redarguendum eorundem Seuerianorum ad se missorum Episcoporum errorem, illud sagaciter adinuenit, vt fingeret literas accepisse, quæ Michaelem Archangelum mortuum esse significarent: Cum autem dicerent illi hoc esse impossibile; tunc ipse, *Et quomodo igitur si duas Naturas Christus non habet, inuidam Crucem Deus pertulit; cum ne Angelus quidem pati quicquam, vel mori queat?* Qua argutia confusi redditi, ad propria recesserunt. Rem vero gestam narrant Anastasius *b* Bibliothecarius, Theodorus Lector, Miscellæ Auctor, Cedrenus, Nicephorus, & alij.

b Anast. in Chron.

V. *c Theod. Lect. Collect. lib. 2.*

Nec quidem tacendum quod de Rege Persarum Cabade his præmittit Theodorus *c*; nempe cum idem Rex audisset multas in quodam castro inter Persas & Indos sito pecunias ac gemmas asseruari, velletq; eius rei veritatem cognoscere, fuisse à dæmonibus, eum locum inhabitantibus, repulsum: cumq; primo suorum magorum artem, deinde etiam Iudæorum, frustra ad expellendos inde dæmones adhibuisset; demum ad Christianos qui in Perside erant recurrisse, & ab illorum Episcopo post celebratam sacram Synaxim dæmones signo Crucis profligatos esse, castrumq; liberum relictum. Hæc Theodorus: eademque Nicephorus *d*, & ante illum Anastasius *e* Bibliothecarius sub fine Imperij Anastasij, adduntque, ea occasione quieuisse persecutionem in Christianos excitatam: in qua grãdia facta esse miracula, cum ipse Anastasius, tum Cedrenus narrant; & inter alia, Christianos abscissis linguis expedite locutos esse, & concisis poplitibus rectos ambulasse.

DÆMONES NON NISI à CHRISTIANIS FVGARI POSSVNT.

d Niceph. lib. 16. c. 36.
e Anast. in Chron.

* * *

IESV CHRISTI ANN. 514.

HORMISDÆ ANN. I.

ANAST. IMP. 24. THEODOR. REG. 22.

ANNO CHRISTI quingentesimo decimoquarto, Magnus Aurelius Cassiodorus Senator, scriptis notissimus, de quo superius *a*, absq; collega factus est Consul. Eodemq; anno, decimoquarto Calendas Augusti, *S. Symmachus* Romanus Pontifex ex hac vita ad cœlestem migrauit, cum sedisset annos quindecim, menses octo, minus quatuor diebus: sepultusq; est in basilica S. Petri: de quo, præter superius recensita, Anastasius *b* multa habet, quæ spectant ad summam ipsius curam in erigendis, ornandisq; Ecclesiis Vrbis. Post cuius obitum septimo die, Romanus Clerus summa concordia in eius locum septimo Calendas Augusti, ex Romanæ Ecclesiæ diacono Pontificem creauit HORMISDAM, natione Campanum, patria Fusinatem: ex patre Iusto.

I

a Ann. 493. num. 11.

SYMMACHI P. OBITVS.

b Anast. de R. Pont.

HORMISDA CREATVS.

II.

Cum autem innotuisset orbi Christiano, nouum Romanæ Ecclesiæ electum esse Pontificem, nouus Francorũ Rex Christianissimus Clodoueus cunctorum præuenit obsequium, & superauit officia; dum (vt narrant Hincmarus *c*, Anastasius *d*, & alij *e*) suggerente S. Remigio Episcopo Rhemensi, coronam auream cum gemmis (quæ *Regnum* appellari solet) B. Petro direxit: [eoque munere visus est oppignerasse Regnum suum in Ecclesiæ Romanæ præsidium. Deoq. dicare, atq; in perpetuum supra firmam petram, Petriq; confessionem stabilire.] Qua etiam occasione idem Remigius literis Hormisdam salutans Pontificem, suscepit pariter ab eo Epistolam *f*, qua ob præclaram meritorum excellentiam, & nobilissimæ sedis prærogatiuam, factus est in regno Francorum Vicarius Romani Pontificis; saluis tamen priuilegiis, quæ Metropolitanis decreuisset antiquitas.

c Hincm. in Vit. S. Remig. ap. Sur. 13. Ianuar.
d Anast. in Hormis.
e Fulbert. Ep. 1. Rhem. Ado. Sigebert. 510. Aimoin. lib. 1. Clodoui. 18.
CORONAM MITTIT HORMISDÆ.
f Ext. in Vit. S. Remig. ibid. Spond. 514. 11.
BARONIVS DEFENDIT.

[Siste gradum, Lector, donec eruisero scrupulum, qui nonnullos hic male pupugit: & magnam mali molem repetitis scrupulis cerui cibus meis intentatam depulero. Videsquæ præcedenti § inclusa sunt his notis [ ]. Inclamatum in me bifariam ex ijs est: primo quidem quod ea de meo appoſuerim; deinde vero quod ijs Regnum Francorũ Ecclesiæ Rom. temporali dominio, tanquam feudum, sub jecerim; præterendum. Sed verum q; tam verum, quam quod a veritate alienissimum. Ideoq; hæc volui ea verba hac posterioreditione expungi. Quippe quæ sint ipsissima Baronij in Epist. d. dicat. Tomi VI. Annal. ad Clem. PP. VIII. (qui est ille ipse Tomus, quo hæc de Clodouei munere tractat anno præsenti 514. Domin.) *Cum nullus omnino, inquit, toto Orbe Christiano Catholicus Princeps exstaret, sed omnes Reges & Imperatores hæresi impiæ tenerentur implicati, & cum Italia, ipsa Roma, Romanaq; Ecclesia subiacerent Gothico & Ariano gladio ingemiscerent, ex inopinato suscitat sibi Deus seruum fidelem Regem Francorum, religionis Catholicæ professione atq; acerrimum defensorem, Christianissimum Clodouicum, qui e Gentilium superstitione conuersus, illud ipsum quod acceperat ab Ecclesia Catholica Euangelium in Francorum qui aderat, & in posteros feliciter propagauit; atq; demum proximè moriturus, insigni pietatis exemplo ipsum quod fecerat vnicum esse & vnum Ecclesiæ visibile caput coronam regiam reliquit, mittens ad Apostolorum principis Petri Confessionẽ, persuasione S. Remigij Francorum Apostoli, coronam auream gemmis ornatam. Dona vero Regum non solum pretiosa, sed mystica quoq; esse solere, testificatione etiã Euangelica admonemur (Matth. 2.) cuius moris Clodouei fuisse munus, euenta probarunt.* EO ENIM OBSEQVIO VISVS EST, *dum coronam* OPPIGNERASSE REGNVM IPSVM IN ECCLESIÆ ROM. PRÆSIDIVM: *(coronam enim illam, Regnum nominatam fuisse. Res gestas Francorum sunt profecuti, testantur: Hincm. in Vit. S. Remig.)* EOQVE MVNERE ILLVD DEO DICAVISSE, ATQVE PERPETVO STABILIRE: *dum enim* SVPRA PETRAM, PETRIQVE CONFESSIONEM *Regni coronam posuit, Regnum ipsum stabili fundamento firmauit: vt rerum multiplices exitus declararunt, &c.* Hæc ibi Baronius: quæ licet vberiora quam pro meo tatiuncula, volui tamen integra exscribere, quo fidem dictis meis conciliarem. Quod veto illa in hunc locum ex ea Epistola transderim, haud ab instituto meo alienũ, qui etiam ex vno Tomo in alium nonnulla quandoq; asportare consueui; & hoc leboribus offendiculo ne esset, id diserte in præfatione monui, & rationem attuli. Videant igitur qui suspicione me attigerunt, vt animatis ex æquo & bono aculeos suos in me conijciant. Quod si hac ex parte iniquè, sane & ex altera multo magis: cum eorum

his er-

his ego verbis compendiosè cogitauerim, patriam meam, Regesque, eo laudum præconio decorare, quo vel summi quiq; Imperatores, vel quæuis potentissima Regna Christiana, ingenti semper habitura forent gloriæ honestati; nempe, vt ita firmiter ad confessionem Petri Apostoli adhæterent, vt nulla vi, arte, fraude ab ea possent auelli; essentque ipsi, præsidio ac protectioni eiusdem Petri Sedi, ipsiusque successoribus Romanis Pontificibus aduersus quoscunque eorum hostes & aduersarios. (Nam vt & pueriliter, quando ipsi ita volunt, ad rudimenta Grammaticæ descendam; an nescirent qui hæc verba in peruersum acceperunt, præpositionem *in* iunctam accusatiuo, sæpissimè apud auctores probatissimos significare *ad*, seu *prò*?) Indeq; est quod suis sæpè Annalibus Baronius, & ego in eorũ Epitome, ex rerum gestarum pertractatione, tam vere quam sincere inculcamus FRANCIS DEBITAM ESSE ROM. ECCLESIÆ DEFENSIONEM. Inde est quod Reges Francorum cunctis totius orbis Principibus, his singularis excellentiæ titulis præeminent, vt FILII ECCLESIÆ PRIMOGENITI, & CHRISTIANISSIMI indigitentur: quippe quibus ipsemet S. PETRVS Apostolus *Ecclesiam quam ipsi Dominus tradidit, Francorum Regibus commendauit ad liberandum de manibus inimicorum.* (Infra an. 775. num. 1.) Inde est, quod Carolus Magnus nondum Imperator renunciatus, in præfatione ad sua Capitularia *Regem* [i. *Francorum, & deuotum sanctæ Ecclesiæ defensorem, humilemq; adiutorem* inscribit: & postea scribens ad Episcopos Hispaniæ contra hæresim Nestorij illic repullulantem, non tantum se *Regem Francorum & Longobardorum*, ac *Patricium Romanorum*, sed & *Filium ac Defensorem sanctæ Dei Ecclesiæ* nominat: (infra an. 794 II.) & q; Imperator factus, solemni iuramento sese Ecclesiæ Rom. *protectioni & defensioni* obstrinxit: (An. 800 III.) & quod Testamentum suũ condens, *super omnia iussit*, vt filij sui *curam & defensionem sancti Papatus susciperent*, sicut ab auo ipsius Carolo Martello, ac patre Pipino, & ab ipsomet Carolo Magno suscepta fuisset. (An. 806. II.) Indeest q; filius eius Ludouicus Pius regna sua filiis distribuens, eand. in ipsam *curam & defensionem S. Rom. Ecclesiæ*, maiorum suorum exemplo accuratissimè cõmẽdauit (An. 818. II.) Et ne singulis immoremur, inde est q; Ecclesia Romana, e usq; Pontifices quotiescunq; pressuram passi sunt a quibusvis siue internis siue externis hostibus, ab vsq; Regum Francorũ Christianitate, ad eos tanquã ad certissimum asylum confugerunt; a quibus susceptis, sustẽtati, dotati, restituti, pristinam libertatẽ ac dignitatem nunquam non cum nouis accessionibus recuperarunt: quæ singula (quantum se Annales Baronij extendunt) videre est in hac Epitome locis in Indice sub vocabulo *Francidefigoatis*. Itaq; pauculis illis verbis tum voluit Baronius, virtutis ac pietatis Francorum amantissimus, tum ego peruolui significare: nihil de feudalitate cogitantes: Cuius tamen titulo scimus plerosq; alia Regna fuisse obsequeque hactenus, eidem S. Rom. Ecclesiæ subiecta; quorum plurima passim enumerata habentur eodem Indice sub voce *Rom. Eccl.* Cum alioqui & sciamus & profiteamur, omnes quotquot Christiani sunt homines, eius subjici spirituali potestati; nec posse aliquem habere Deum patrem, qui eam non agnoscat matrẽ. Et quod tertium ad donũ Clodouei pertinet, quo animo illud ipse miserit, ita olim interpretatus est Aimoinus lib. 1 cap. 24 *vt eo facto patenter effunderet, se Deo non fore ingratum, dum ad ipsius Apostoli sepulchrum insigne mitteret Regium, sciens se a Christo solio regni esse donatum.* Sed de his modo hactenus: quæ tu, licet prolixiora, boni consulas, Lector, veritatis cultor, & Maiestatis Ecclesiæ Rom. æquus æstimator, ac Francorum gloriæ studiosus, vel certe non prauus æmulator, aut inuidus.]

III. CONC. RHEMENSE SVB S. REMIGIO.

Vnde nihil Remigius cunctatus, SYNODVM Gallicanorum Episcoporũ *Rhemis* collegit, ad res Ecclesiasticas optimè dirigendas, & fidem Catholicam ab hæreticorum contagione liberandam. In qua inter alia accidit, vt cum Arianus quidam Episcopus acerrimus disputator, dialecticis suis conclusionibus Catholicis omnibus insultaret, nimiaque inflatus arrogantia aduenienti ad locum Synodi S. Remigio assurgere cum aliis dedignatus esset; transeunte ante illum sancto Præsule, sola ipsius vmbra mutus prorsus redditus fuerit; nec vltra valuerit aliquid loqui, nisi postquam ad pedes Sancti procidens, nutibus veniam petiit, & ab eo iussus doctrinam Ecclesiæ confiteri, protinus fidem Catholicam de sanctissima Trinitate & CHRISTI Incarnatione professus est. Narrat hæc Hincmarus in eiusdem Sancti rebus gestis.

IV. CLODOVEI OBITVS.

Haud vero diu post idem Rex Clodoueus, hoc ipso anno (vt habet Sigebertus, & confirmant alij) ex hac vita migrauit; ipseq; Christianorum Regum Francorum primitiæ Deo oblatæ in cœlum sunt acceptæ. Sepultus *a* est Parisiis in Basilica S. Petri Apostoli, quã ipse Rex hortante S. Genouefa *b* virgine a fundamẽtis cœpit erigere, eiusq; vxor Clotildis perficiendã curauit. Inditumq; eius sepulchro egregium Epitaphium, quod etiã Aimoinus recitat, à S. Remigio (vt putatur) elaboratũ versibus. Vixisse aũt annos quadraginta quinq;, regnasse triginta, auctor est Grego. Turonensis, ornauerunt tantũ Principem res in prælijs fortiter

a Greg. Tur. 2. hist. vlt. Aimoin. lib. 1. cap. vlt. Hincmar. in Vit. S. Remig.

b Act. S. Genouef. in fin. ap. Sur. 10. 1.

gestæ, ex quib. cognomentũ consecutus est *Belligeri*, quo illum Fortunatus insigniuit in Epitaphio Dagoberti Regis. Docuitq; ipse primus, quid possint Francotũ arma, quæ S. Crucis vexilla præceduit: siquidem quã sæpe ante constat Francorũ gentẽ Gallias frustra tentasse, Romanis sæpe terga vertisse, cum finitimis barbaris vario marte pugnasse, & inter eos humili fama vixisse, arctioribusq; arctatam limitibus de salute sæpe periclitatam esse; vbi Christum nouit, quor est ipsa aucta victoriis, & illustrata trophæis ex vniuersis ferme totius Orbis nationib. variis temporib. deuictis? Cui etiam vni datum est, ex tot barbaris gentib. solum patriũ relinquentibus, & Roman. Imperium inuadentibus, stabiles figere sedes, latioribusq; dilatare limitib. regnum, ac longioribus perpetuare sæcunda propagatione sæculis. Vt plane frequentioribus experimentis perspicuè patefactum fuerit, idcirco esse tanta concessa Francis, quæ denegata sunt reliquis exteris nationibus, quod pietate ipsi pollerent, præstarentq; aliis fide Catholica, & pro defensione Ecclesiæ ardentius quam pro finibus regni tuendis pugnare solerent.

FRANCI PIETATE PRÆSTANTES.

Quibus quidem officiis plane digni sunt redditi, illam diuinitus impertitam benedictionem consequi, quam S. Remigius eorundem Apostolus, antiquorum Patriarcharũ more, Sancto afflatus Spiritu, sito Testamento consignatam reliquit; nimirũ vt ex Clodouei genere Reges & Imperatores procederent, qui in præsenti & in futuro, iuxta voluntatem Domini, ad augmentum sanctæ suæ Ecclesiæ, virtute eiusdem in iudicio & iustitia cõfirmati & corroborati, regnum obtinere atq; augere quotidie valerent, & in domo Dauid, hoc est in cœlesti Hierusalem cum Domino in æternũ regnaturi, sublimari mererentur. Contra vero quod idem sanctissimus Præsul eodẽ suo vltimo eloquio diram maledictionem iisdem Regibus imprecatus est, si qui eorum Ecclesiarum Dei peruasores, destructores, depopulatores, graues aut contrarij existere voluerint; formamq; præscripsit, qua iidem ab Episcopis Galliarum, post septimam demũ admonitionẽ, si adhuc contumaces perseuerarent, à corpore CHRISTI segregari deberent; totiusque eis quod in persona Iudæ traditoris & malignorum Episcoporum Ecclesia decantare solet, per singulas eis decantetur Ecclesias, vno tantummodo verbo cõmutato, nimirũ *Fiant dies eius pauci, & Principatum eius accipiat alter*: His, inquam, omnibus tam benedictionibus quam maledictionibus sic diuinitus inspiratis, Dominus veluti testamentarius executor accedens, pro meritis singulorum successorum Regum eas ipsis partitus est; vt quæ erunt suis dicenda locis significabunt. Sed illud peculiare præ cæteris aliarum gentium Regibus, Francorum Principibus à Deo Remigij ipsorum Apostoli precibus videtur fuisse cõcessum, vt (quod plane summa sit admiratione dignum) non ob Regum peccata ad alias nationes fuerit (vt de aliis accidit) ipsorum translatum regnũ; sed veluti diuina promissione cum ipsis actũ fuerit secundum illud Dauidicum *d*: *Si dereliquerint filij eius legem meã, & in iudiciis meis non ambulauerint, si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint: visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; misericordiam autẽ meam non dispergam ab eo.* Quæ quidem inferius aperta luce videbuntur.

V. *e* [Ext. ap. Brisson. Formul. li. 7 ap. Flodoardum antiquũ scriptũ Eccl. Rhem. scriptorem, li. 1. cap. 18. Cum ita fiat, qui eiusdem Testamenti eleuate conc tur fieri: sed fit ea pene editores. Mihi sane nõ potuit iuste crimini dari, si quæ à nostris ipsis Frãcis edita sunt ex ipsius Ecclesiæ Rhemensis archiuis, ea ex iis à Baronio in suos Annales relata; eorũ ego in Epitome meminerim. Faxit Deus vt indefinenter Reges nostri huiusmodi benedictionibus exuberent, nunquã maledictioni cuiquã attingãtur; auertatq; Deus mala inimicis eorum.] *d Psal.* 88.

Defuncto porro Clodoueo, regnarunt pro illo quatuor ipsius filij, Childebertus, Clotarius, Theodoricus, & Clodomirus; qui ita inter se diuiserunt regnum, vt *Childebertus* sedem constituerit Parisiis, *Clotarius* Suessione, *Theodoricus* Rhemis, *Clodomirus* Aurelis, prout ex Gregorio *e*, & aliis Latinis constat; necnon ex Græco Agathia *f*, ipso suæ scriptionis limine à Francorum moribus historiam inchoante; quos tum ob eorũ virtutes, tum ob in alios æquitatẽ, inter seq; concordiam, mirum in modum admiratione ac laudibus se prosequi & magni facere ait: quos q; insuper morib. quam optimis præditos testatur, & maximum in modum ciuiles, ac fide Catholica præstantes, rectissimæq; inter cæteros omnes opinionis. Sed quod addit, eos à Romanis vestitus barbarie, & vocis innatæ sono, linguæq; tantummodo discrepare; quinam esset antiquus nobilium Francorũ vestitus, ornatusq;, descriptum habes in Vita Caroli Magni, & editum a Scholiaste post Capitularia Regum Francorum.

IV. QUATVOR FILIJS CLODOVEI PARTIVNTVR REGNVM. *e* Greg. Tur. 5. hist. Fr. 1. & lib. 4. c. 22. *f* Agath. lib. 1. FRANCOR. LAVDES EX AGATHIA.

torum. Agit quoq; de eorundē habitu corporis Sidonius *a* Apollinaris. De regibus autem Agathias tradit, consueuisse pueros nutrire capillos, eosq; à fronte summa arte discriminatos, hinc inde diffluentes in terga reijcere: quod vt decus regium Regibus tantum fuisse concessum, cæteris Francis attonsis, affirmat. Ac denique quod spectat ad militarem eiusdem gentis fortitudinem, & inuictam constantiam; eam Sidonius, paucis magna feliciter comprehendens, ita expressit;

Non timor: inuicti manent, animoq; supersunt
Iam prope post animam.

Cæterum sicut filij Clodouei, eius successores fuerunt in regnū, ita & pietatis ac belliæ fortitudinis heredes; baptizati omnes ab eodē qui patrem baptizarat, S. Remigio, ipse profiteretur in suo Testamento. Feruntque, eundē ab vt illis obtinuisse, vt quoties Rhemorum vrbem aut ingrederentur aut præteriterent, captiui omnes è vinculis ac carceribus dimitterentur: (quod quidem à posteris etiā Regibus fuit obseruatum.) Insuper & S. Leonardū, eiusdem S. Rhemigij discipulū, ab iisdē impetrasse vt quos vellet ipse è carceribus liberaret: prout habetur in Gestis *b* ipsius. Quod vero ad Clotildem Reginam eorum matrem attinet, quæ Clodoueo coniugi superuixit; eam Turonos se recepisse, ibique sanctissimē ad Basilicam S. Martini deseruientem vsque ad obitum moratam esse, raro Parisios visitantem; tradit Gregor. *c* Turonensis. Sed de ea rursum dicendum inferius.

Inter hæc in Oriente *Vitalianus* Scytha aduersus Imperatorem Anastasium pro defensione Catholicæ fidei insurgens, occupata vniuersa Thracia, Scythia, & Mysia, ducens secum Hunnorum & Bulgarorum exercitum assumptoq; Romanorū equitum auxilio, Constantinopolim vsq; processit. Cum Anastasius, rebus suis deploratis, pacē per legatos petens, & ad solita Manichæorum periuria homo Manichæus confugiēs, promisit se (quod Vitalianus petierat) Macedonium Constantinopolitanum & Flauianum Antioch. Episcopos ab exilio reuocaturū; Concilium q; celebraturū, ad q Rom. etiam Pontificem euocaret: qua simulatione elusus Vitalianus, ab vrbe recessit, factus ñ antea ab Imperatore Magister militum per Thraciā, multoq; insuper auro accepto. Hæc ex Cedreno *d*, & qui longe ante illum scripsit Marcellino *e*: quæ ieiune nimis Euagrius *f*, & qui ab eo accepit Niceph. transiliit, nullam de causa motus Vitaliani ob læsam fidē Catholicam mentionem faciens.

Illud aūt de bello Vitaliani haud omittendum, quod tradit Zonaras *g*, tunc à *Proclo* quodam celebertimo Philosopho, & excellentissimo Mathemaico, factam fuisse machinā, qua classis Vitaliani debellata est: nimirum Specula ex ære fabricasse vsforia, eaq; de muro è regione hostilium nauium suspendisse; in quæ cum radij solares impegissent, ignem inde instar fulminis erumpentem, classiarios ipsasq; naues combussisse: q Archimedem excogitasse Romanis Syracusas obsidentibus, Dion refert. Hæc Zonaras. Hic vero est ille Proclus (inquit Suidas) qui alterà Porphyrio, impurā & contumeliosam linguā contra Christianos exacuit: sed Ioan. Philosophus præclarissimē eius propositiones refutauit, eundemq; in Græcis etiam quib. efferebatur, rudem & indoctum ostendit. Cæterum hunc quoq; fuisse coniectorem somniorum Anastasij, Cedrenus docet: vt ex his æquè intelligas, qualis esset Anastasius, qui inter intimos ac necessarios haberet Christianæ religionis hostē infensissimum. Qui etiam, vt sibi Vitalianū magis conciliaret, & populum in se concitarum lenire; versutè simulauit Oecumenicam indicere Synodum, Heracleæ celebrandam Calend. Iunij anni sequentis, ad cuncta auferenda Ecclesiarum dissidia, & ad eam Hormisdam quoque Papam inuitauit literis *h* ad eum hoc eodem anno 5. Cal. Ianuarij scriptis. Quæ autem hæc secuta sunt, dicentur anno sequenti.

* * *

a Sidon. in Panegyr. Maior. CAPILLOS NVTRIRE, SOLIS PRINCIP. INTER FRANCOS CONCESSVM.

VII. PIETAS ILLIOR. CLODOVEI.

b Ap. Surium 6. Nouemb.

c Greg. Tur. lib. 2. c. vlt.

VIII. VITALIAN. INSVRGIT ADVERS. ANAST. IMP. PRO FIDE CATH.

d Cedr. in Comp. ann. 23. Anast. Imp.

e Marcel. in Chron. hoc & seq. an.

f Euagr. lib. 3. c. 43.

IX. g Zonar. Annal. par. 3. SPECVLA VSTORIA INVENTA à PROCLO PHILOS. Quod habet Baro. an. 518. num. XVII. vbi agit de Proclo.

ANAST. IMP. SIMVLAT CŌVOCARE SYNOD. OECVMEN.

h Extat inter Epist. Hormisd. post ep. 3.

IESV CHRISTI ANN. 515.

HORMISDÆ ANN. 2.

ANAST. IMP. 25. THEOD. REG. 23.

ANNO CHRISTI quingentesimo decimo quinto, Anthemio & Florētio Coss. Hormisda Pāpa nouis Anastasij Imp. literis *a*, pridie Idus Ianuarij per Patricium V. C. Romam missis, prouocatus; Legatos misit in Orientem, *Ennodium* ex diacono iam Episcopum Ticinensem, atque *Fortunatum* Tudertinum Antistitem, vna cum *Venantio* presbytero & *Vitale* diacono S.R.E. Cardinalibus, quibus additus est *Hilarus* eiusdem Ecclesiæ Notarius. Per quos ad Imperatorem tertio Id. Aug. rescribens *b*, petiit vt Nestorij & Eutychetis hæreses damnaret, Synodum Chalcedonensem susciperet, vna cum scriptis S. Leonis Papæ; nominaq; Dioscori, Petri Mogi, & Petri Fullonis, necnon Acacij, & aliorū hæreticorum, aut qui eorum cōmunione polluti fuissent, è sacris Diptychis auferri iuberet. Legatisq; valde accuratum de rebus singulis scriptum dedit Indiculum, siue (vt vocant) Commonitorium *c*, quid ab eo præterea petere ad perfectam restituendam Ecclesiæ pacem, quidque eius interrogationibus respondere, ac denique quo modo in omnibus se gerere deberent. Ex quo etiam intelligitur, non sic illos ab Hormisda esse missos, vt interessent Synodo ab Anastasio indictæ, quam nec consensit celebrari; sed potius ad explorandam, num res serio, an vero simulate, vt consueuerat, ab Imperatore ageretur. Insuperq; ex eodem Commonitorio cognoscitur, Vitalianum quoque, quem aduersus Anastasium pro fide Catholica insurrexisse vidimus, ad eundem Pontificē Legatos literasq; misisse, ipsumque Hormisdam ad eum rescripsisse pro pace Ecclesiarum concilianda. Quod vero ferretur, Oecumenicum indictū esse Concilium, in quo omnes omnium Ecclesiarum foret controuersiæ dirimendæ; placuit etiam Theodorico Italiæ Regi, ea de causa Legatū mittere *d* Constantinopolim Agapitum Patricium, Senatusq; ipse Romanus suas addidit ad Imperatorem literas *e*, de propensissimo Hormisdæ studio ad ea quæ Vniuersalis Ecclesiæ statum spectarent.

Profecti porro Legati, feliciter Constantinopolim peruenientes, non solum honorifice susceptī sunt ab Imperatore; sed & ipse versuto animo cōfestim omnib. quæ Hormisda peteret libentissimē acquiescere simulauit; vno excepto capitulo, cuius inficiatione magis se populi Constantinopolitani gratiā consecuturum cognoscerent, videlicet de abolendo Acacij nomine, cuius idem populus studiosissimus erat. Hæc n. ita transacta esse, literæ ipsius Imperatoris ad Hormisdam anno sequenti per proprios legatos missæ declarant: ex quibus redarguias eos, qui ea quæ Anastasius italios Legatos postea (vt dicetur) Constantinopolim missos commisit, ad hanc retulere legationem.

Hoc eodem anno (habet Marcellinus) Hunni Armeniam transmissa totā Cappadociam deuastantes, vsq; ad Lycaoniam peruenerunt. Quo tempore Cedren. *f* tradit accidisse, vt Macedonius Cōstantinop. Episcopus, in Armenia exul, eiusmodi incursionem fugiens Gangram Paphlagoniæ se receperit, ibiq; mortuus fuerit, ac miraculis post obitum claruerit. Eadem ex Theophane auctor *g* Miscellæ. Memorant; etiā Anastasius Biblioth. in Chron. necnō Theodor. Lector in Collectaneis; nisi quod de miraculis nihil. Nec quidē apud Græcos coli memoriā eius, sicut aliorum Sanctorū, Menologia quæ vidimus vestigium vllum reddunt: pro eo allata in testimoniū fuissent, cum de abolenda eius memoria actū est: cuius nomen è sacris Diptychis expungi, passos esse Orientales Episcopos, suo loco visuri sumus.

Hoc item anno contigisse tradunt iidem qui supra Auctores *i*, vt Alexandriæ vir plurimi, itemq; mulieres ac pueri, grauiter à dæmonibus verberati, assiduè lattarent; atque in somnis cuidam terribilis aliquis apparens dixerit, cumb. hæc ob damnationem Concilij Chalcedonensis accidere. Quæ quidem haud absque fructu contigerunt; siquidem addit his Anastasius, eodē tempore monachos hæreticos recantasse

a Extat ante ep. 2. Hormisd. HORMISDA LEGATOS MITTIT IN ORIENTEM.

b Hormisd. ep. 5.

c Vide Append. 2. Var. c Extat inter ep. Hormisd.

II. QUID LEGATI CONSTANTINOPOLI.

d Ap. Cedren. in Anast.

III. OBITVS MACEDONII PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI.

e Cedr. in Anast.

f Theod. Lect. lib. 2.

ALEXANDRI VEXATIO DÆMONIB.

i Cedr. in Anast.

IV.

recantasse palinodiã, Episcoposq; Illyrici misisse Romam Catholicæ fidei confessionem.

V. HIMIRANNOR. CONVERSIO.

Deniq; hoc eodem anno vigesimo quinto Anastasij Imperatoris, *Himerannos* populos in extremis Australis plagæ litos, Persis tributarios, Theodotus Lector, alijq; *a* tradunt ex Gentilibus Christianos factos esse, cum ab initio Iudæi extitissent.

a *Niceph. libr. 16. c. 34.*

IESV CHRISTI ANN. 516.

HORMISDÆ ANN. 3.

ANAST. IMP. 26. THEODOR. REG. 24.

I.

ANno Domini quingentesimo decimo sexto, Petro absq; collega Consule, detentos diu Constantinopoli Apostolicæ sedis Legatos Anastasius Imp. magna spe alitos vniendæ Orientalis Ecclesiæ, tandem ita dimisit, vt ad cuncta perficienda expectare se aduentum Hormisdæ simularet. Vtq; id magis persuaderet, vna cum eisdem redeuntib. Romam mense Iulio honorificentissimam misit legationẽ, nimirum Theopompum Comitẽ Domesticorum, & Seuerinum Comitẽ sacri Consistorij (quãuis ipse Papa Hormisda literis ad S. Auitũ scriptis, de quib. agetur paulo post, doluerit non Ecclesiasticos, sed laicos fuisse viros missos ad res Ecclesiasticas tractandas) cum literis *b* ad eundẽ Pontificem humanitatis ac beneuolentiæ plenissimis; præter illas, quas eiusdẽ Hormisdæ Legatis ad ipsummet dederat *c*, quib. fidei Catholicæ confessionem, ac Concilij Chalcedonensis approbationẽ intexuerat; negans in damnationẽ Acacij, eo prætextu q̃ cum eius nomen ab vniuerso ferme Oriente reciperetur, maiores inde in Ecclesia exoriri entur tumultus: cæterum omnia simulans se ipsius iudicio Pontificis, ac futuræ Synodi defere. Quapropter q̃ quæ hactenus ipse egisset, nonnisi laude digna extrinsecus videretur; Hormisdæ & scriptas literas, & res per Legatos Constantinopoli gestas approbans, alias & ipse rursum ea de re ad eundem Imperatorem literas *d* dedit, quibus eum rogauit vt conciliandæ Ecclesiæ vehementius incumberet.

LEGATIO AS NAST. IMP. AD HORMIS. PP.

b *Ext. int. Ep. Hormis.*

c *Ibid.*

d *Hormis. ep. 6*

II.

Post hæc vero ipsos Legatos Imperatoris, Romæ detectos fuisse defensores hæresis Eutychianæ, atq; haud leui conatu tentasse Hormisdã ad suas ipsorum partes adducere, adeoq; re infecta ad Imperatorem redire iussos esse; significant eiusdem Pontificis literæ *e*, anno sequenti mense Februarij, scriptæ ad magnum illum S. Auitum Viennensem in Gallia Episcopum; cum prius ipse ab Hormisda petiisset certior reddi de iis quæ cum Oriẽtalibus gesta essent quib. item literis & illud fit manifestum, legatione ab Hormisda in Orientem missa, multos Thraciæ, sed præsertim Dardaniæ & Illyrici Episcopos, confirmatos aut restitutos esse Catholicæ Ecclesiæ Romanæ communioni; atq; etiã Ioan. Nicopolitanum in Epiro Metropolitanum, cum Synodo sua ad eandem Apostolicam communionem se contulisse. Vnde & accidit, vt eo facto irritatus Dorotheus Episcopus Thessalonicensis, prẽuaricator eorum quæ cum ipse, tum ipsius antecessores, pro defensione sedis Apostolicæ gnauiter agere consueuissent; eidem Ioanni Nicopolitano multas iniurias intulerit, quod non expectatis aliis Orientis Episcopis, ipse cum suis eiusdem Sedis communionem consequi anticipasset. In quibus cõponendis controuersiis laborandum fuisse Hormisdæ; docent vltro citroq; datæ Epistolæ, quæ adhuc extant *f*.

e *Id. ep. 10.*

III.

Sed vt redeamus ad Imperatorem; cum ipse ea quam vidimus subdola arte, conciliatum sibi populum Constantinopolitanũ sensisset, iamq; eam ob causam vires Vitaliani esse debilitatas; cuestigio exuit eum militari Præfectura, q̃ Ruffino tribuit. Id enim sub hoc Petri Consulatu factum ponit Macellinus. Vitalianum autem ad tranquilliorem vitam secessisse, Niceph. *g* habet. Quem quidẽ cum postea visuri simus fauentem hæreticis Eutychianis; intelligere possumus, honestissimo Catholicæ fidei prætextu obtexisse imperandi cupiditatẽ: (quod etiã innuit Euagrius *h*:) ideoq; haud permissum esse à Dẽo præualere aduersus Anastasium, licet impiissimum hæreticum; q̃ minimè conueniret per hominem fictum Ecclesiam reparari, eum mentita sanctitas sit duplex iniquitas. Addit vero Niceph. post hæc Anastasium multos Episc. Orthodoxos è suis sedibus dimouisse: sed ait Marcellinorum nonnullos extemplo reuerti mandasse ad suas Ecclesias, ob metũ Illyriciani militis Orthodoxi tumultuantis. Cui & Oeniadum quendã Episcopum Orthodoxum, qui doctrina sua omnib. hæreticis ora obturare consueuisset, cum eum hortaretur ad suam factionem desciscere, egregiè restitisse, atq; impietatem exprobrasse, Cedren. *a* narrat, dum eius ad Imperat. verba sic refert: *Tu potius ad Orthodoxos transi, ne dum opinionem impiorum hominũ Seueri, Eutychetis, Dioscori, amplecteris, æterno igni addicaris.* Simulq; apprehendens Imperatoris chlamydem: *Hæc*, ait, *vestis nequaquã tecum post mortem sequetur, ô Imperator; sed sola comitabitur pietas ac virtutũ habitus. Desine persequi Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indoctus es, & ratiocinandi ignarus, nec vllum Ecclesiæ decretum perfectè intelligis: tantum impostoris & scurrilib. calumniis fatuos tenes. Satis sit tibi dignitatis, quod Imperator es: Antistites Ecclesiæ vexare noli.* Ad quæ Imp. rubore suffusus obmutuit. Cumq; pauperrimus esset ille Episcopus, nec obolum quidẽ ab eo voluit accipere; quippe qui solius in Deum fidei ac pietatis rationem haberet.

a *Ced. in Annal. an. 25. Anast.*

IV.

Hoc item anno Ioann. Machiota hæreticus Episcopus Alexandrinus, anno sedis vndecimo vita functus est; vt ex Anastasij Biblioth. & Nicephori Chronicis colligitur. Post cuius obitũ *Dioscorus* Iunior, Timothei Æluri consobrinus, & ipse hæreticus, præter consuetudinem Ecclesiæ Alexandrinæ (qua eius Episcopos non alibi quã Alexandriæ, nec ab aliis quam ab Ægypti Episcopis, & Clero eius Ecclesiæ, ordinari consueuisse, contestati sunt sæpe Episcopi Ægypti in Conc. Chalcedonensi) fauore Imperatoris eam obtinuit sedem; magna ideo à populo excitata seditione, multisq; perpetratis cædibus, vt idem Anastasius narrat.

DIOSCORVS IVN. EPISC. ALEX.

V.

Hoc eodem anno, octauo Idus Nouembris, habita est SYNODVS TARRACONENSIS in Hispania, in qua à decem Episcopis, tredecim reperiuntur *b* constituti canones, ad Ecclesiasticã disciplinam restituendã conducentes. Quod autem in eius præfatione, sub Consulatu Petri, anno sexto Theodorici Regis, Synodus peracta dicitur; nequaquam de Theodorici regno Italiæ est intelligendũ; (nam eius hic annus numeratur vigesimus quartus) sed potius de regno Hispaniæ, quod cœpit (vt S. Iisdor. scribit) anno ipsius in Italia regnantis decimooctauo.

CONC. TARRACON. PRO ECCLES. DISCIPL.

b *Ibid. post ep. 9.*

IESV CHRISTI ANN. 517.

HORMIS. ANN. 4.

ANAST. IMP. 27. THEOD. REG. 25.

I.

ANno Domini quingentesimo decimo septimo, Anastasio Aug. quartũ & Agapito Coss. Hormisda Papa mense Aprilis nouam legationẽ misit Constantinopolim ad eundem Anastasium, qua functi sunt idem qui priorem gesserat *Ennodius* Episcopus Ticinensis, & *Peregrinus* Antistes Ecclesiæ Misenatis in Campania; iisq; literas *a* dedit ad Imperatorem, necnon ad Timotheum Constantinopolitanum Antistitem hæreticum, cæterosq; Orientales Episcopos extra Catholicam cõmunionem positos; non quidem communicatorias, sed potius cõmonitorias quo illos officij sui admoneret: rursumq; alias ad Catholicæ cõmunionis Antistites, clericos, & monachos, vt eosdem in officio contineret; ac demum priuatas ad *Possessorem* Africanum Episcopum, qui pro fide Catholica ab Arianis factus extorris, conferens se Constantinopolim, multum profuit Orthodoxæ fidei hæreticos exagitans. Addidit q; & alia isdem Legatis mandata, circa cõtrouersiam Dorothei Thessalonicensis & Ioan. Nicopolitani, de qua dictum est anno superiori. Ne vero (quod hactenus factum fuerat) multi curtẽrẽt in incertum, dum defendentes Orthodoxam fidẽ, & non vitantes communionem hæreticorum, vel eorum qui cum illis participassent, putarent tamen vere se Catholicos; his obuiaturus Hormisda, iisdem Legatis libellum *b* dedit Confessionis Catholicæ, cui subscribere deberẽt qui

ALIA LEGATIO AD HORMISDA AD IMP. PRO PACE ECCL.

a *Ep. Hormis. 11. & seqq.*

b *Ibid. post ep. 9.*

Sedis

Sedis Apostolicæ communionis participes esse vellent.

II. *c Anast. in Hormis.* FVROR IMP. IN LEGATOS ET IN HORMIS.

Quem aût exitum hæc tanta cura ornata Legatio sortita fuerit, breuiter describens Anastasius *c* Bibliothecarius, ait Imperatorem minimè assentiri voluisse libello Hormidæ, cumq; frustra tentasset Legatos muneribus corrumpere, eosdé naui fragili ac periculosæ imposuisse cum militib. quibus vetuit ad nullam ciuitatem appellere: ipsos tamen, opera quorundam monachorum Orthodoxorum, cutasse vt Epistolæ Hormisdæ Papæ (secundum quod ipse illis iusserat) publicè per omnes ciuitates affigerentur; sed eas Episcopos factionis Imperatoris, metu illius, Constantinopolim misisse: tuncq; Imperatorem furore repletum, missa ad Hormisdam Epistola, inter alia scripsisse, se iubere velle, non iubeti. Ac extat *d* ipsa Imperatoris Epistola, qua eiusmodi proterua verba protulit, ipsumq; Pontificem acriter redarguit nimiæ duritiei. Sed non ita post euenit, quod præsciens miser prædixit, nimirum vt potius feliciter perierit, quam paruerit iubenti Pontifici.

d Ap. Hormis. post ep. 12.

III. PERSECVTIO AB HÆRETICIS IN CATH.

Simulac aût audita sunt foris, quæ aduersus Legatos Apostolicæ Sedis gesta sunt Constantinopoli, aduersarij omnes fidei Orthodoxæ, in eius propugnatores vbiq; insilire cœperunt, eorumq; bona diripere, profanare Ecclesias, instarque luporum in ouile ouium irrumpentiû, mactare & perdere. Ex iis n. quæ in Secunda Syria monachi Orthodoxi Ecclesiæ Romanæ cõmunicantes, passi sunt ab impio illo & sanguinario Seuero Antiocheno, & Petro perditissimo hæretico Episcopo Apameæ, cætera quæ remanserunt obscura pernoscere licet. Quænam vero iidem vulnera, cædesq; ad ipsa etiam sacra Ecclesiarum altaria passi sint, declararunt qui ex illis remansere Archimandritæ & presbyteri, in literis *e* supplicib. ad Papam Hormisdam (quê *Vniuersi Orbis terræ Patriarcham, & Caput omnium* appellant) scriptis; cum antea per legatos auxilium Imperatoris expetentes, nihil præter contumelias & minas (vt queruntur) ab eo accepissent: ad quos, simulq; ad oês Catholicos Oriêtales, extat eiusdem Pontificis consolatoria atque hortatoria responsio, missa anno sequenti mense Februarij: quam postea venerata Synodus Constantinopolitana sub Mena, suo optauit recitari *f* conuentui.

e Ext. ante ep. 21. Horm.

f Syn. Const. sub Menâ. Act. 1. & Hormisd. ep. 21. ap. Baro. an. seq.

IV.

Interea hoc ipso anno Timotheus Constantinopolitanus intrusus Episcopus hæreticus, morte repentina sublatus est de medio, postquã sedisset *g* sex annos. Qui autem in locum eius subrogatus est *Ioannes* Cappadox, populi conatu potius quã voluntate Imperatoris electus creditur, Orthodoxæ fidei cultor: cui tamen quamdiu idem Anastasius superuixit, nec licuit respirare; eo vero paucos post menses defuncto, perquam strenuè pro Catholica vnitate laborauit.

g Niceph. in Chron. IOAN. CAPPADOX EPISCO. CONST.

Hoc item anno, qui septimus numeratur (secundum quod dictũ est anno superiori) Theodorici in Hispania regnantis, sub eodem Agapiti Consulatu, celebratum est Gerundæ, Tarraconensis prouinciæ ciuitatis, CONCILIVM septem Episcoporũ; à quibus decem sanciti sunt canones, ad Ecclesiasticã disciplinam spectantes: præsidente *Ioanne* Tarraconensi Episcopo, ad quê extat Hormisdæ Papæ Epistola *h* hoc anno data, qua ipsi vices suas in Hispania Citeriori legauit; sicut in Vlteriori, nempe Bætica & Lusitania, eadem hoc ipso anno cõmisit *Sallustio* Hispalensi Episcopo: & aliis ad Hispaniarum vniuersos Antistites scriptis literis, solicite curauit vt antiqua Ecclesiæ constituta circa Ordinum collationem, Episcoporum consecrationem, & Conciliorum celebrationem, rite obseruarentur; atque imprimis vt nihil in eos illaberetur Orientalis contagij, hoc est, vt caute agerent in recipiẽdis clericis ex Oriente venientibus, quorum recipiendorum eis formam præscripsit. Laudabilis n. vigebat vsus, vt cum sciretur in aliquibus prouinciis commixtos esse hæreticos inter Catholicos, si quis inde migraret in remotiores prouincias, non reciperetur absque fidei Orthodoxæ professione, nec quidem generali duntaxat, sed quæ in particulari instãtes tuno hæreses condemnaret. Sicut etiam cum quis in prouincias hæresi infectas peregrinari vellet, solitus erat pro viatico sibi sumere veræ fidei documenta, præmunireq; se antidoto contra ictus serpentium; quos sciret frequenter in illis regionib. reperiri. Inde n. hoc eodẽ tempore cum sub Anastasio Imp. fides Catholica in Oriente periclitaretur, S. Fulgentio suppeditatum est argumentum scribendi de Fide ad Petrum Hierosolymam profecturum, vt ipse libri exordio præfatur. Eum n. librum constat testificatione antiquorum omnium, esse Fulgentij; quem male postea alij Augustino tribuerunt.

h Hæc, & segq. ejusd. vbi supra in Hormisd.

V. CONC. GERVND. IN HISP. IRO DISCIPLINA ECCL.

VITA PROFANDI IDEM PEREGRINORVM.

QVA OCCASIONE S. FVLGENTIVS FIERIT LIBROS DE FIDE.

* * *

FINIS.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf